







THESAURUS NOVUS ANECDOTORUM.

TOMUS SECUNDUS,

IN QUO CONTINENTUR

URBANI PAPÆ IV. EPISTOLÆ LXIV.

CLEMENTIS PAPÆ IV. EPISTOLÆ DCCXI.


JOANNIS XXII. Processus varii in Ludovicum Bavarum & ejus Asseclas.

INNOCENTII VI. Registrum Epistolarum anno M. CCC LXI.

Aliaque plura de Schismate Pontificum Avenionensium

MONUMENTA.

Prodit nunc primùm studio & operâ
Domni EDMUNDI MARTENE & Domni URSINI DURAND,
Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congr. S. Mauri.





LUTETIÆ PARISIORUM,
Sumptibus
FLORENTINI DELAULNE, JOANNIS-GAUFRIDI NYON,
HILARII FOUCAULT, STEPHANI GANEAU,
MICHAELIS CLOUZIER, NICOLAI GOSSELIN,
Bibliopolarum Parisiensium.

M. DCC XVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO.



DE contentis secundo hoc tomo paucis te monitum volo, Lector erudite. Cum Anecdota nostra omnia quatuor distribuissemus in classes, atque in prima virorum illustrium epistolas & diplomata constituissemus, nec omnia complecti posset tomus primus; ea in secundum rejicere visum est, quæ singulari ratione spectabant ad sedem apostolicam, ac unum veluti epistolarum aut veterum monumentorum corpus efficiebant. Habes itaque hic Urbani papæ IV. epistolas sexaginta tres, Clementis papæ IV. quindecim supra septingentas, Johannis XXII. processus in Ludovicum Bavarum & ejus asseclas aliave id genus instrumenta quadraginta, Innocentii VI. registrum epistolarum anno MCCCLXI. scriptarum, & Varia monumenta de schismate pontificum Avenionensium.

URBANI IV. epistolas fere omnes subministravit nobis antiquus codex manu exaratus bibliothecæ illustrissimi Joachimi *de Colbert* episcopi Montis-pessulani, cui plurimum nos debere profitemur, Urbani ipsius pene ætate scriptus Earum nonnullas tamen aliunde collegimus, quas in margine annotare non neglex imus. Præcipuæ respiciunt Terræ-sanctæ subsidium, quam de manibus infidelium in primis eripere cupiebat summus pontifex, at longe plures tangunt negotium regni Siciliæ, quod in Carolum Andegaviæ comitem S. Ludovici Francorum regis fratrem transmittere moliebatur. De ipso autem Urbano pluribus hic disserere supervacaneum existimamus. Omnes enim norunt eum fuisse Gallum, Trecis in Campania humili loco natum, sed cum ingenio non vulgari, & virtute polleret insigni, primum Trecensem canonicum, deinde archidiaconum Laudunensem, tum episcopum Virdunensem ac patriarcham Hierosolymitanum extitisse, varias legationes summi pontificis nomine obiisse, ac tandem post Alexandrum IV. apostolicæ sedis thronum ascendisse, in quo omnibus sanctissimi pontificis muniis rite perfunctus est.

CLEMENTIS IV. epistolarum plures præ manibus habuimus codices: duos ex bibliotheca illustrissimi episcopi Montis-pessulani, primum recenter scriptum epistolas circiter quingentas & quinquaginta continentem, alterum antiquiorem epistolas habentem circiter centum viginti, ex quibus aliquæ in primo codice reperiebantur, sed longe plures ab iis erant diversæ. Tertium, codicem in quo quadringentæ circiter erant Clementis epistolæ, invenimus inter insignis ecclesiæ Lemovicensis libros manuscriptos. Quartum suppeditavit Oratorii Trecensis bibliotheca, in qua Petri Pithœi viri sua ætate eruditissimi codices manuscripti asservantur: cujus quidem codicis copiam nobis procuravit reverendissimus Pater *de la Tour* congregationis Oratorii præpositus generalis. Codicis ætatem discimus ex hac inscriptione, quæ ejus extat in calce. *Scriptum est tam Arausicæ, quam Avenioni* XVIII. *die Novembris anno Domini* MCCCXXII. *Pontificatus domini Johannis anno* VII. Quintum olim Gemmeticensis nunc Parisiensis S. Germani à Pratis monasterii Clementis ætate scriptum;

sextum & septimum ex ditissima bibliotheca Colbertina habuimus: in quibus uti & in Gemmeticensi atque in Trecensi epistolæ continebantur circiter quingentæ & quinquaginta. Hos omnes codices cum præ manibus haberemus diligenter contulimus, variantes lectiones vel minimas annotavimus, ac singulas epistolas, quæ in manuscriptis perturbato erant ordine, secundum tempus quo scriptæ fuerunt pro modulo distribuimus. Præter contentas autem his in codicibus epistolas nonnullas aliunde collegimus, nonnullas etiam aliunde jam collegerat, qui primum codicem illustrissimi episcopi Montispessulani descripserat, eas ut arbitror, publici juris facturus aliquando, si se opportuna dedisset occasio, quas omnes suo loco collocavimus, annotatis locis unde eas acceperamus.

Porro his in epistolis totam vitæ Clementis IV. papæ seriem habes, natale solum, parentes, quæ obiit munia, quas obtinuit dignitates, quas gessit legationes, denique summum pontificatum ab eo adeptum. In his suspicere licet præclaras ejus virtutes, stupendam prorsus in summo gradu humilitatem, maximam inter divitias paupertatem, admirandam in rebus gerendis prudentiam, nec minorem in superandis arduis fortitudinem, erga omnes justitiam. In his non sine admiratione videbis qualis fuerit erga reges & principes, præclara ab eo data eis monita, præscriptas regni recte administrandi regulas, intrepidum in corrigendis eorum vitiis aut indebitis gratiis ipsis denegandis animum: qualis erga episcopos & prælatos, quanta curaverit vigilantia ut nonnisi probis moribus & doctis viris prælaturæ & aliæ dignitates ecclesiasticæ conferrentur, ut à sedibus episcopalibus indigni omnino removerentur, ut ecclesiastica disciplina sarta & integra apud eos conservaretur: qualis denique erga religiosos, quam paterno eos foverit affectu, eorum libertates & privilegia tutatus fuerit, atque ab omni oppressione aut vexatione defenderit. Non solum autem Clementis vitam ejusque virtutes his in ejus epistolis habemus, sed totam pontificatus illius historiam, Terræ sanctæ ab infidelibus dilapidatæ desolationem, subsidium ei à nostro Clemente, qui nec sumtibus, nec laboribus pepercit, præstitum, S. Ludovici regis Francorum aliorumque transfretationem, reportatas de Saracenis à regibus Hispaniæ victorias, regnum Siciliæ ad Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem S. Ludovici fratrem translatum, imperium inter duos contendentes post Frederici augusti depositionem divisum, tandem Tartarorum principem fidei christianæ addictum.

JOHANNIS XXII. PAPÆ processus adversus Ludovicum Bavarum, quem imperii invasorem judicabat, aliosque principis illius asseclas debemus humanitati illustrissimi episcopi Montispessulani, qui antiquum manu exaratum codicem in quo continebantur nobiscum ultro communicavit. Præcipui processus sunt adversus Ludovicum ipsum, natum ipsius Marchionem Brandeburgensem, Johannem de Claromonte & Bertholdum de Niffen comites, Jacobum episcopum Castellanum, Petrum de Corbario antipapam, cujus hic habes resipiscentiam & pœnitentiam, Michaëlem de Cesana ordinis Minorum generalem ministrum, qui antipapæ adhærebat, Bonamgratiam & Guillelmum Okam qui Ludovico Bavaro & dictis & scriptis patrocinabantur. Quid vero magno illi dissidio occasionem dederit explicamus in admonitione prævia, quam, lector erudite, velim consulas.

INNOCENTII VI. papæ Registrum litterarum anni MCCCLXI. descripsit ex manuscripto codice illustrissimi domini Boherii in Senatu Divionensi præsidis noster Guillelmus *Aubrée*, tunc in Divionensi S. Benigni asceta. Scriptus est hic codex olim ex antiquiori, qui hodie penes dominum *Guy de Vormes* Divionensem senatorem existit, cujus copiam mihi habere non licuit. Continet epistolas ducentas & quinquaginta, quarum præcipuæ sunt eæ quas ad reges & principes direxit, ut eos ad pacem inter se aut inter alios ineundam hortaretur, vel ut impias armatorum quorumdam societates, quæ vi & armis in Sancti Spiritus villam irruperant, atque extremum Avenioni excidium minabantur, comprimerent.

ACTA VARIA DE SCHISMATE post Gregorii XI. mortem inter pontifices

Avenionenses exorto plures jam ante nos ediderunt, imprimis eruditi Historiæ ecclesiasticæ scriptores Odoricus Raynaldus & Abrahamus Bzovius. Multa etiam noster Acherius in Spicilegii tomo IV. cujus pars maxima hujusce rei monumenta continet; multa & doctissimus Cæsar Egasius Bulæus, qui historiam Universitatis Parisiensis sex amplissimis tomis persecutus est, in quibus acta quam plura de infaustissimo ac nefandissimo hoc schismate retulit. His accedit Stephanus Baluzius de republica litteraria jam diu bene meritus, qui in notis ad vitas Paparum Avenionensium non pauca congessit instrumenta authentica, quæ hanc schismatis materiam tangunt. Verum amplissimam segetem eorum nullus, sed nec omnes simul totam messuerunt. Cum intricatissimum esset perniciosissimum ac diutinum illud schisma, nec utrique contendentium deessent validæ in speciem rationes, quibus non sine difficultate responderi poterat, scripta, quibus jus suum uterque defendere nitebatur, prodiere innumera, plures etiam ad principes, ad episcopos, ad Universitates epistolas scripsere contendentes aut ipsis faventes, ut ab adversario suo separatos sibi adscicerent, sed nec pauca à viris piis perinde ac doctis ad contendentium pertinatiam frangendam edita fuere opuscula, quibus mirum in modum illustratur illorum temporum historia. Hæc omnia cum hactenus exhauriri non potuerint, nec forte in posterum poterunt, è re nostra existimavimus, in gratiam litterarorum, ea quoad fieri valeat, undequaque colligere, quæ necdum in lucem prodierunt; essetque nobis religioni permaximæ tot antiquitatis monumenta, quibus virorum eruditorum ditari queunt bibliothecæ, diutius in tenebris & in quibusdam forulis cum tineis & blattis certantia detinere. Quæ autem hic damus ea præsertim eruimus ex tribus amplis voluminibus Gemmeticensis monasterii tempore Simonis abbatis, qui auctoritate regia extinguendo schismati non parum laboravit, exaratis; ex ditissima Coisliniana illustrissimi episcopi Metensis bibliotheca; ex codicibus Colbertinis & Bigotianis, & aliunde. His vero in actis quæ publici juris facimus plura reperient viri eruditi hactenus aut ignota aut saltem minus cognita, præsertim in prolixissima epistola Bonifacii Ferrerii majoris Carthusiæ prioris, tam ad sui quam ad Benedicti XIII. defensionem edita, quam quidem epistolam sive tractatum ex ms. codice Carthusiæ Vallis-Christi in regno Valentiæ olim mihi describi curavit noster Jacobus *de la Gorée*, tunc prior monasterii S. Andreæ prope Avenionem, quo in codice ad marginem capitis 137. hæc leguntur: *Etiam domnus Bonifacius recessisset à Benedicto post concilium Constantiense, sicut recessit frater suus S. Vincentius, immo pater Bonifacius recessit quoque in vita sua. Nam cum anno MCCCCXVII. esset in villa de Perpiniano una cum fratre suo S. Vincentio & rege Ferdinando & imperatore Sigismundo, ibi postquam omnibus innotuit, nolle Benedictum renuntiare ad instantiam omnium ibi collectorum, prædicavit S. Vincentius in die Epiphaniæ contra illum, & post prædicationem lectum fuit edictum subtractionis obedientiæ in his regnis, quo peracto, unusquisque reversus est ad sua, sperans quid concilium Constantiense disponeret & ordinaret: Sed domnus Bonifacius ante electionem Martini V. diem clausit extremum.* Porro hic Bonifacius tantæ fuit sanctitatis, ut etiam post mortem miraculis curuscaret, & ex herba quæ ex ejus tumulo excrescebat, non pauci sanarentur infirmi. Inter epistolas oratorum Universitatis Coloniensis in concilio Constantiensi septima in primis observanda venit, in qua zelus doctorum universitatis Parisiensis maxime commendatur his verbis: *Universitas Parisiensis bene se habet in negotiis ecclesiæ, & habet magnam audientiam. Solent enim in arduis doctores & magistros suæ universitatis Constantiæ existentes cc. in numero vel plures congregare, & de consilio eorum concludere.* Pagina 1669. extat Lamberti de Stipite monachi Leodiensis S. Laurentii & Prioris de Bertraio epistola ad episcopum Rigensem de citatione Petri de Luna, nomine concilii Constantiensis ab eo facta. De ipso autem Lamberto hæc legimus in schedis S. Laurentii ad nos transmissis. *Anno MCCCCXVI. delegatus fuit ad concilium Constantiense ex parte episcopi Leodiensis capitulique S. Lamberti Domnus Lambertus de Stipite, inde reversus adiit* PETRUM DE LUNA *papam intrusum, coram quo habuit concionem, cujus textus hic erat*: Hodie si

vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Quibus actis præfatus Petrus de Luna respondens sic effatus est*: Quadraginta annis proximis fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde. *& singulis Lamberti dictis concludebat se verum & legitimum papam. Quibus auditis, D. Lambertus ibi petivit in scripto instrumentum super his: quo accepto, recta ad concilium Constantiense rediens, illa omnia prout gesta erant retulit, unde supra fatus Petrus per dictum concilium tamquam hæreticus adjudicatus & condemnatus est, & anno sequenti, videlicet mccccxvij. duobus ita summi pontificis dignitate privatis, Sigismundi imperatoris mandato cardinales intraverunt conclave, quibus cibos ministrabat, ad hoc ipsum destinatus Lambertus de Stipite: ubi in papam tandem una voce electus fuit Odo de Columna, vocatus Martinus hoc nomine V. quorum omnium notitiam recepit clerus Leodiensis per præfatum Lambertum. In quo concilio instigante eodem Lamberto fuit denumeratio monasteriorum ordinis S. Benedicti in tota christianitate existentium, in quibus ad minimum sex monachi residerent; inventumque fuit esse numero quindecim millia centum & septem monasteria, præter prioratus unius, duorum vel trium monachorum. Quo auctore ibidem investigatum quot sancti canonizati essent in ordine eodem, & annumerati sunt triginta quinque millia & quadringenti* Johannis de Turena cardinalis litteræ ad Johannem comitem Armaniacum universosque fideles de publicatione electionis Benedicti XIV. ab ipso in papam temere electi non oscitanter percurrenda est. Nam, si me mea non fallit opinio, nullus hactenus illius antipapæ meminit. Longe plura hujusmodi observare possemus nisi nos præfationis brevitas coerceret.

Ut autem hujus voluminis justa moles existeret, his omnibus haud spernenda aliqua monumenta adjecimus, scilicet Guillelmi de Perreriis auditoris apostolici orationem in electione summi pontificis, Roberti Gislebii Maximiliani Romanorum regis & Philippi Austriæ archiducis oratoris ad sedem apostolicam orationem coram summo pontifice de episcopatu Tornacensi, Leonelli Concordiensis episcopi orationem in funere Innocentii VIII. Bernardini Carvajal episcopi Pacensis orationem de eligendo summo pontifice, & Christophori Marcelli electi Corcirensis orationem ad Leonem X. Pontificem maximum de sumenda in Turcas provincia.



INDEX
CHRONOLOGICUS
CONTENTORUM
HOC IN VOLUMINE.

URBANI PAPÆ EPISTOLÆ LXIII.

EPIST. I. *AD Archiepiscopos Hispaniæ.* Pag. 1
II. *Ad Theobaldum regem Navarræ & comitem Campaniæ & Briæ.* 2
III. *Ad abbatissam & conventum B. Mariæ ad Moniales Trecenses.* 3
IV. *Ad archiepiscopum Magdeburgensem & Coloniensem electum* 6
V. *Ad archiepiscopum Tyrensem.* 7
VI. *Ad Ægidium archiepiscopum Tyrensem.* 8
VII. *Proponit conditiones sub quibus Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem regno Siciliæ investiri cupiebat.* 9
VIII. *Conditionibus in prima epistola allegatis modum adhibet.* 19
IX. *Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.* 21
X. *ad eumdem.* 23
XI. *Balduini imperatoris Constantinopolitani ad Manfredum Siciliæ regem.* 23
XII. *Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.* 26
XIII. *ad eumdem.* 28
XIV. *Ad episcopum Trecensem.* 28
XV. *Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.* 30
XVI. *ad eumdem.* 33
XVII. *ad eumdem.* 35
XVIII. *ad eumdem.* 43
XIX. *Ad Ægidium archiepiscopum Tyrensem & Johannem de Valencenis.* 47
XX. *Ad omnes colligendis decimis pro subsidio Terræ-sanctæ destinatos.* 48
XXI. *Præscribit cautiones cum quibus Carolus comes Andegaviæ & Provinciæ Urbis senatum tenere debeat.* 49
XXII. *Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.* 52
XXIII. *ad eumdem.* 53
XXIV. *ad eumdem.* ibid.
XXV. *ad eumdem.* ibid.
XXVI. *Ad archiepiscopos episcopos abbates & regni Franciæ, &c.* 54
XXVII. *Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.* 59
ad eumdem. 60 XXVIII.
Ad archiepiscopos episcopos abbates, &c. 62 XXIX.
Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum. 63 XXX.
ad eumdem. Ibid. XXXI.
ad eumdem. 64 XXXII.
ad eumdem. ibid. XXXIII.
ad eumdem. 65 XXXIV.
ad eumdem. ibid. XXXV.
ad eumdem. 66 XXXVI.
ad eumdem. ibid. XXXVII.
ad eumdem. 67 XXXVIII.
ad eumdem. ibid. XXXIX.
ad eumdem. 68 XL.
ad eumdem. 69 XLI.
ad eumdem. 70 XLII.
ad eumdem. ibid. XLIII.
ad eumdem. 72 XLIV.
ad eumdem. 74 XLV.
Ad archiepiscopum Auxitanum. 75 XLVI.
Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum. 76 XLVII.
ad eumdem. ibid. XLVIII.
ad eumdem. 77 XLIX.
ad eumdem. 79 L.
ad eumdem. ibid. LI.
ad eumdem. 80 LII.
ad eumdem. ibid. LIII.
ad eumdem. 81 LIV.
ad eumdem. ibid. LV.
ad eumdem. 82 LVI.
Ad Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem. 86 LVII.
Ad Simonem apostolicæ sedis legatum. 87 LVIII.
ad eumdem. 89 LIX.
Ad Manfredum quondam principem Tarentinum. 90 LX.
Responsio Manfredi. 91 LXI.
Ad archiepiscopum Bituricensem. 94 LXII.
De modo dicendi officium divinum in terris strictissimo interdicto suppositis. 94 LXIII.

CLEMENTIS PAPÆ IV. EPISTOLÆ DCCXV.

I. *Guidonis cardinalis & episcopi Sabinensis ad Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem.*
II. *Regi Aragonum.* Pag. 97
III. *Ad Simonem cardinalem S. Cæciliæ apostolicæ sedis legato.* 98
IV. *ad eumdem.* 101
V. *ad eumdem.* Ibid.
VI. *ad eumdem.* 102
VII. *ad eumdem.* 104
VIII. *ad eumdem.* 103
IX. *ad eumdem.* ibid.
X. *Potestati Capitaneo & Ancianis prope Pisam.* ibid.
XI. *Nobilibus Urbis.* 106
XII. *Vicario Urbis.* 106
XIII. *eidem.* 107
XIV. *Capitaneo, Ancianis, consulibus & collegio mercatorum Lucensium.* ibid.
XV. *Regi Navarræ illustri.* 108
XVI. *Reginæ Navarræ illustri.* 109
XVII. *Ad Simonem cardinalem S. Cæciliæ apostolicæ sedis legatum.* 109
XVIII. *ad eumdem.* 110
XIX. *ad eumdem.* ibid.
XX. *ad eumdem.* ibid.
XXI. *Dilecto filio Petro de S. Ægidio.* ibid.
XXII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 110
XXIII. *eidem.* 111
XXIV. *eidem.* ibid.
XXV. *eidem.* 112
XXVI. *Archidiacono Stampensi in ecclesia Senonensi.* ibid.
XXVII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 112
XXVIII. *eidem.* 113
XXIX. *eidem.* 113
XXX. *eidem.* 113
XXXI. *eidem.* 113
XXXII. *eidem.* 114
XXXIII. *Reginæ Angliæ.* 114
XXXIV. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 115
XXXV. *eidem.* 115
XXXVI. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 116
XXXVII. *Carolo Andegaviæ & Provinciæ comiti.* 116
XXXVIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 117
XXXIX. *eidem.* 118
XL. *eidem.* 118
XLI. *eidem.* 119
XLII. *eidem.* 120
XLIII. *eidem.* 120
XLIV. *eidem.* 121
XLV. *eidem.* 121
XLVI. *Regi Franciæ.* 122
XLVII. *Magistro Petro notario.* 122
XLVIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 123
XLIX. *Henrico regis Navarræ germano.* 123
L. *Regi Navarræ.* 124
LI. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 125
LI. *Archiepiscopo Tyrensi.* 125
LII. *eidem.* 126
LIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 127
127
eidem.
eidem. Pag. 127 LIV.
Regi Franciæ. 128 LV.
A. SS. Apostolorum presbytero, R. S. Angeli, J. S. Nicolai in carcere Tulliano, J. S. Mariæ in Cosmedim, diaconis cardinalibus. 128 LVI. LVII.
Regi Franciæ. 130
Senescallo Franciæ regis in partibus Carcassonæ. 130 LVIII. LIX.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 131
Nobili viro Fortibrach de Romagnola. 132 LX.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 133 LXI.
Regi Cypri. 134 LXII.
Ad prælatos in quorum diocesi sunt fratres B. Mariæ de Monte Carmelo. 135 LXIII. LXIV.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 135
Archiepiscopo Hispalensi. 136 LXV.
R. S. Angeli diacono cardinali. 137 LXVI.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 138 LXVII.
eidem. 138 LXVIII.
Abbati & conventui Majoris-Monasterii. 139 LXIX.
Magistro & fratribus ordinis Prædicatorum. 140 LXX.
Comiti Provinciæ. 141 LXXI.
Sicardo Alemanni. 141 LXXII.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 142 LXXIII.
R. sancti Angeli diacono cardinali. 143 LXXIV.
Ad fratres Prædicatores. 143 LXXV.
Archiepiscopo Hispalensi. 144 LXXVI.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 144 LXXVII.
S. Basilicæ XII. apostolorum presbytero, S. S. Nicolai in carcere Tulliano & J. S. Mariæ in Cosmedim diacono cardinali. 145 LXXVIII. LXXIX.
Olivario de Terminis. 146
M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali. 147 LXXX.
Potestati Castellanensi concilio & comitatui. 147 LXXXI.
Guidoni titulo S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali. 148 LXXXII. LXXXIII.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 148
M. Veronensi electo. 149 LXXXIV.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 150 LXXXV.
Ricco Bonaguide, Nero Fornarii & Angelerio Bonelle Florentinis mercatoribus. 151 LXXXVI. LXXXVII.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 152
C. regi Siciliæ. 152 LXXXVIII.
M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali. 153 LXXXIX.
Petro priori S. Pastoris Cisterciensis ordinis. 154 XC.
Nobili viro P. de Marerio. 155 XCI.
Guidino Adillano juveni duci Sueviæ. 156 XCII.
Decanis & capellanis ecclesiæ & provinciæ Remensis. 156 XCIII. XCIV.
Decanis & capellanis ecclesiæ & provinciæ Lugdunensis. 157 XCV.
Carolo regi Ciciliæ. 159
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 160 XCVI.
Archiepiscopo Cusentino & episcopo Avenionensi. 160 XCVII. XCVIII.
Episcopo Aretino. 161
M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali. 161 XCIX.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 162 C.
Potestati capitaneo & communi Urbinati. 162 CI.
163 CII.

CONTENTORUM.

CIII. *M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali.* 163
CIV. *Quinque cardinalibus qui sunt in urbe.* 163
CV. *Regi Franciæ.* 165
CVI. *O. S. Adriani diacono cardinali.* 166
CVII. *J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali.* 167
CVIII. *Archiepiscopo Narbonensi.* 167
CIX. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 168
CX. *Patriarchæ Jerosolymitano, archiepiscopis & episcopis & Magistris Hospitalis S. Johannis & domus militiæ templi Jerosolymitani & Gaufrido de Sarginis & aliis universis baronibus regni Jerosolymitani.* 169
CXI. *Regi Armeniæ.* 170
CXII. *Abbati & Capitulo generali Cisterciensi.* 171
CXIII. *G. Marchioni Montes-ferrati.* 172
CXIV. *Potestati consilio & communi Radicofanensi.* 172
CXV. *M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali patrimonii B. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.* 173
CXVI. *Regi Siciliæ.* 173
CXVII. *Archiepiscopo Cusentino.* 175
CXVIII. *Cardinalibus qui sunt in Urbe.* 176
CXIX. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 177
CXX. *eidem.* 178
CXXI. *Episcopo Aretino.* 180
CXXII. *eidem.* 181
CXXIII. *Episcopo Bajocensi.* 181
CXXIV. *Episcopo Atrebatensi.* 181
CXXV. *S. tituli S. Martini presbytero cardinali ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori apostolicæ sedis legato.* 182
CXXVI. *Regi Aragonum illustri.* 182
CXXVII. *M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali, patrimonii B. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.* 183
CXXVIII. *eidem.* 184
CXXIX. *Illustri regi Franciæ.* 184
CXXX. *J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali.* 185
CXXXI. *Nobili viro Philippo de Monte-forti.* 185
CXXXII. *Illustri regi Siciliæ.* 186
CXXXIII. *J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali.* 186
CXXXIV. *S. illustri regi Siciliæ.* 187
CXXXV. *Illustri regi Franciæ.* 187
CXXXVI. *S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.* 189
CXXXVII. *O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.* 190
CXXXVIII. *Episcopo Magalonensi.* 191
CXXXIX. *Regi Aragoniæ illustri.* 192
CXL. *A. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali patrimonii S. Petri in Tuscia rectori apostolicæ sedis legato.* 192
CXLI. *Regi Castellæ & Legionis illustri.* 193
CXLII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 194
CXLIII. *Carolo regi Siciliæ illustri.* 195
CXLIV. *Simoni cardinali apostolicæ cedis legato.* 196
CXLV. *eidem.* ibid.
CXLVI. *eidem.* 199
CXLVII. *Episcopo Altissiodorensi.* 200
CXLVIII. *O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.* 200

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 201 CXLIX.
Nobili viro domino Bocii Potestati Mediolanensi. 202 CL.
C. regi Siciliæ illustri. 203 CLI.
Archiepiscopo Cusentino. 203 CLII.
Fundatio Collegiatæ ecclesiæ S. Urbani Trecensis. 204 CLIII.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 207 CLIV.
Ad Theobaldum regem Navarræ, Campaniæ & Briæ comitem. CLV.
Potestati consilii & communi Eugubino. 209 CLVI.
eidem. ibid. CLVII.
Petro nobili viro illustris Aragoniæ primogenito. 210 CLVIII.
Nobili viro Jacobo. 211 CLIX.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 211 CLX.
Ad fratres ordinis Prædicatorum. 212 CLXI.
Domino Octaviano. 213 CLXII.
Reginæ Franciæ. 213 CLXIII.
Reginæ Angliæ. 213 CLXIV.
S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 213 CLXV.
R. S. Angeli diacono cardinali. 215 CLXVI.
Nobili viro Malatesti civi Ariminensi. 215 CLXVII.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 216 CLXVIII.
Nobili viro Taddæo comiti Feltrensi Potestati Ariminensi. 216 CLXIX.
Potestati & communi Ariminensi. 217 CLXX.
Abbati monasterii S. Benedicti de Nursia. 217 CLXXI.
Abbati Casæ Dei. 218 CLXXII.
Carolo regi Siciliæ. 219 CLXXIII.
eidem. 220 CLXXIV.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 238 CLXXV.
eidem. 238 CLXXVI.
Regi Siciliæ. 239 CLXXVII.
Ermengaudo de Melgorio militi. 239 CLXXVIII.
Regi Franciæ. 240 CLXXIX.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 240 CLXXX.
Regi Franciæ. 241 CLXXXI.
Simoni tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 243 CLXXXII.
Clero Gallicano. 243 CLXXXIII
Archiepiscopis ac universo clero per Lugdunensem Viennensem, Ebredunensem, Tarentasiensem, Bisuntinam, Arelatensem, Aquensem, Burdegalensem, & Auxitanam, nec non & Tornacensem ac Cameracensem civitates & dioceses constitutis. 244 CLXXXIV.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 244 CLXXXV.
eidem. 245 CLXXXVI.
eidem. 245 CLXXXVII.
eidem. 246 CLXXXVIII.
Carolo regi Siciliæ. 246 CLXXXIX.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 247 CXC.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 248 CXCI.
Caroli regi Ceciliæ. 249 CXCII.
Gardiano & fratribus Minoribus Montis flasconis. 250 CXCIII.
O. cardinali S. Adriani apostolicæ sedis legato. 250 CXCIV.
Carolo regi Siciliæ. 251 CXCV.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali. 253 CXCVI.

CXCVII. *Carolo regi Siciliæ.* 254
CXCVIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 255
Hugoni comiti Ruthensi 1812.
CXCIX. *Carolo regi Siciliæ.* 256
CC. *Agathensi, Biterrensi Lodovensi, & Magalonensi episcopis.* 256
CCI. *Episcopo Biterrensi.* 256
CCII. *Abbati monasterii Anianensis ordinis S. Benedicti Magalonensis diœcesis.* 257
CCIII. *Carolo regi Siciliæ.* 257
CCIV. *eidem.* ibid.
CCV. *Potestati, concilio & communi Cornetanensi.* 258
CCVI. *Potestati Tuscanensi.* 258
CCVII. *Potestati Vetrallensi, item Ortanensi, item de Montealto.* 258
CCVIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 258
CCIX. *G. tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.* 259
CCX. *Carolo regi Siciliæ.* 260
CCXI. *Archiepiscopo Tyrensi apostolicæ sedis legato.* 261
CCXII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 262
CCXIII. *Gaufrido de Bello monte cancellario Bajocensi apostolicæ sedis legato.* 263
CCXIV. *R. episcopo Albanensi & A. tituli S. Praxedis presbytero, G. S. Georgii ad Velum aureum, & M. S. Mariæ in Porticu diaconis cardinalibus.* 263
CCXV. *Carolo regi Siciliæ.* 264
CCXVI. *Ad consules & universitatem Montispessulani.* 265
CCXVII. *Carolo regi Siciliæ.* 266
CCXVIII. *Archiepiscopo Cusentino.* 266
CCXIX. *Carolo regi Siciliæ.* 267
CCXX. *eidem.* 268
CCXXI. *eidem.* 268
CCXXII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 269
CCXXIII. *Belæ regi Hungariæ.* 271
CCXXIV. *Carolo regi Siciliæ.* 273
CCXXV. *eidem.* 274
CCXXVI. *M. quondam principi Tarentino.* 274
CCXXVII. 275
CCXXVIII. *Gaufredo de Bello monte cancellario Bajocensi.* 276
CCXXIX. *Carolo regi Siciliæ.* 276
CCXXX. *Regi Aragoniæ.* 277
CCXXXI. *eidem.* 278
CCXXXII. *Regi Aragoniæ.* 279
CCXXXIII. *Carolo regi Siciliæ.* 280
CCXXXIV. *Ad definitores capituli generalis ordinis fratrum Prædicatorum.* 281
CCXXXV. *Ad capitulum generale ordinis Prædicatorum.* 282
CCXXXVI. *Caroli regis Siciliæ epistola ad Clementem papam IV.* 283
CCXXXVII. *S. tituli S. Martini presbytero cardinali.* 285
CCXXXVIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 286
CCXXXIX. *S. tituli S. Martini presbytero cardinali, &c.* 286
CCXL. *Archiepiscopo Narbonensi & ejus suffraganeis.* 287
CCXLI. *Regi Franciæ.* 288
CCXLII. *Barralo Domino Baucii Potestati Mediolanensi.* 289
CCXLIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 289
CCXLIV. *Comiti Augi.* 290
CCXLV. *Comiti Pictaviensi & Tholosano.* 291
CCXLVI. *Magistro & fratribus hospitalis S. Johannis Jerosolymitani.* 291
CCXLVII. *Ferrando priori domus S. Ægidii Hospitalis S. Johannis Jerosolymitani.* 292
Patriarchæ Jerosolymitano. 293 CCXLVIII.
S. cardinali S. Martini presbytero cardinali Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato. 293 CCXLIX.
Archiepiscopo Bracharensi & episcopis Portugaliæ. 294 CCL.
S. Sanctæ Cæciliæ presbytero cardinali. 295 CCLI.
eidem. 297 CCLII.
Ad priorem B. Mariæ de Tabulis. 298 CCLIII.
R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 298 CCLIV.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 300 CCLV.
Alphanto de Terrascone militi. 300 CCLVI.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 301 CCLVII.
Regi Castellæ & Legionum in regem Romanorum electo. 303 CCLVIII.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 304 CCLIX.
A. Comiti Pictaviensi & Tholosano. 305 CCLX.
R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 305 CCLXI.
C Regi Siciliæ illustri. 306 CCLXII.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 309 CCLXIII.
C. regi Siciliæ illustri. 310 CCLXIV.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 311 CCLXV.
S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 312 CCLXVI.
Comiti Pictaviensi & Tolosano. 313 CCLXVII.
Archiepiscopo Tyrensi. 313 CCLXVIII.
Ermengaudo de Melgorio militi. 314 CCLXIX.
Petro Raymbaldo de Carumbo. 315 CCLXX.
Episcopo Albanensi. 315 CCLXXI.
eidem. 316 CCLXXII.
S. S. Martini presbytero cardinali Marchiæ Anconitanæ, & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato. 316 CCLXXIII.
O. S. Mariæ in Via-lata diacono cardinali. 317 CCLXXIV.
Consulibus villæ Montis-pessulani. 317 CCLXXV.
J. S. Nicolai in carcere Tulliano apostolicæ sedis legato. 318 CCLXXVI.
Consilio & communi Lucano. 318 CCLXXVII.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 319 CCLXXVIII.
C. regi Siciliæ illustri. 320 CCLXXIX.
C. regi Siciliæ illustri. 320 CCLXXX.
eidem. 320 CCLXXXI.
Vicario Urbis & consilio generali. 321 CCLXXXII.
Fratribus Lotaringo & Cathalano ordinis Militiæ Virginis. 321 CCLXXXIII.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 322 CCLXXXIV.
J. Sancti Nicolai in carcere Tulliano, J. S. Mariæ in Cosmedim, M. S. Mariæ in Porticu diaconis cardinalibus. 324 CCLXXXV.
Abbati monasterii S. Ægidii. 325 CCLXXXVI.
S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato. 326 CCLXXXVII.
L. regi Francorum illustri. 327 CCLXXXVIII.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 328 CCLXXXIX.
Præposito & capitulo Vecetiensi. 329 CCXC.
Nobili viro Baralo domino Baucii. 334 CCXCI.
Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 335 CCXCII.
Universis regni Galliæ nobilibus. 335 CCXCIII.
Regi Navarræ illustri. 337 CCXCIV.

Episcopo

CCXCV. *Episcopo Ebroicensi.* 337

CCXCVI. *J. Sancti Nicolai in carcere Tullianensi diacono cardinali.* 338

CCXCVII. *Abbati Monasterii S. Johannis Angeriacensis.* 339

CCXCVIII. *Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 340

CCXCIX. *eidem.* 340

CCC. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 341

CCCI. *eidem.* 343

CCCII. *eidem.* ibid.

CCCIII. *eidem.* 344

CCCIV. *eidem.* ibid.

CCCV. *S. S. Martini presbytero cardinali Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato.* 345

CCCVI. *Ad episcopum Calaguritanum.* 345

CCCVII. *Archiepiscopo Aquensi.* 346

CCCVIII. *Magistro B. Languiselli archidiacono Lantarensi in ecclesia Tolosana.* 350

CCCIX. *Simoni S. Cæciliæ presbytero cardinali.* 352

CCCX. *eidem.* 353

CCCXI. *Priori provinciali fratrum Prædicatorum Provinciæ.* 353

CCCXII. *B. Imperatori Constantinopolitano illustri.* 354

CCCXIII. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 355

CCCXIV. *O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.* 355

CCCXV. *Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 356

CCCXVI. *Episcopo Belvacensi.* 357

CCCXVII. *Rogerio dicto Baccon.* 358

CCCXVIII. *Episcopo Vicentino.* 358

CCCXIX. *Priori & Lectori Fratrum Prædicatorum, Gardiano & lectori fratrum Minorum in Monte-Pessulano.* 359

CCCXX. *Ad Theobaldum regem Navarræ.* 560

CCCXXI. *S. S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.* 361

CCCXXII. *Lotheringo & Cathalano ordinis militiæ Virginis rectoribus, consilio & communi civitatis Florentinæ.* 361

CCCXXIII. *J. regi Aragonum illustri.*

CCCXXIV. *J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali.* 363

CCCXXV. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 364

CCCVI. *S. S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.* 365

CCCXXVII. *Abbati monasterii S. Johannis Angeliacensis.* 365

CCCXXVIII. *M. reginæ Franciæ illustri.* 365

CCCXXIX. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 366

CCCXXX. *eidem.* 367

CCCXXXI. *R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 368

CCCXXXII. *C. regi Siciliæ illustri.* 368

CCCXXXIII. *J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali.* 370

CCCXXXIV. *C Regi Siciliæ illustri.* 371

CCCXXXV. *Ad S. Ludovicum regem Francorum.* 371

CCCXXXVI. *C. regi Siciliæ illustri.* 372

CCCXXXVII. *Dilecto filio magistro Heliæ cappellano nostro.* 373

CCCXXXVIII. *S. tituli S. Martini presbytero cardinali.* 374

CCCXXXIX. *Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.* 375

Guillelmo de Portu Jurisperito seniori. ibid. CCCXXXX.

J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali. ibid. CCCXLI.

Episcopo Rutenensi. 376 CCCXLII.

C. regi Siciliæ illustri. 377 CCCXLIII.

R. episcopo Albanensi. ibid. CCCXLIV.

Rectoribus & communi Florentiæ. 378 CCCXLV.

Potestati & communi Reatinensi. ibid. CCCXLVI.

C. regi Siciliæ illustri. ibid. CCCXLVII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 379 CCCXLVIII.

eidem. 381 CCCXLIX.

eidem. 382 CCCL.

eidem. 383 CCCLI.

eidem. ibid. CCCLII.

Decano Parisiensi. 384 CCCLIII.

Simoni cardinali. 385 CCCLIV.

Nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano. ibid. CCCLV.

Simoni cardinali. 386 CCCLVI.

H. comiti Lucelburgensi. 387 CCCLVII.

Simoni cardinali. 387 CCCLVIII.

Comiti Juliacensi. 388 CCCLIX.

Nobili viro domino de Heusalise. 388 CCCLX.

Radulfo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. ibid. CCCLXI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 389 CCCLXII.

J. S. Nicolai in carcere Tulliano & M. S. Mariæ in porticu diaconis cardinalibus. 389 CCCLXIII.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 390 CCCLXIV.

Regi Aragonum illustri. 391 CCCLXV.

Ja. filio regis Aragonum. 392 CCCLXVI.

Patriarchæ Jerosolymitano & Hospitalis & templi præceptoribus ac Gaufrido de Sarginis regis Jerosolymitani senescallo. 392 CCCLXVII.

Revocata quædam privilegia. 393 CCCLXVIII.

Episcopo Urbe-vetano. 394 CCCLXIX.

Raymundo dicto Acbran ordinis fratrum Minorum. 395 CCCLXX.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 395 CCCLXXI.

Capitulo fratrum Prædicatorum. 397 CCCLXXIII.

Episcopo Cenomanensi. 398 CCCLXXIV.

Caroli Siciliæ regis ad Clementem papam IV. 398 CCCLXXV.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 400 CCCLXXV.

L. regi Francorum illustri. 401 CCCLXXVI.

Episcopo Magalonensi. 403 CCCLXXVII.

Inquisitoribus contra Tolosanum episcopum deputatis. 404 CCCLXXVIII.

L. Francorum regi illustri. 405 CCCLXXIX.

C. regi Siciliæ illustri. 406 CCCLXXX.

Patriarchæ Jerosolymitano & Magistris hospitalis & Templi Gaufrido de Sarginis, &c. 408 CCCLXXXI.

C. regi Siciliæ illustri. 409 CCCLXXXII.

J. electo Remensi. 409 CCCLXXXIII.

O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. CCCLXXXIV.

Guidoni de Alvernia præposito Insulensi Moriensis diocesis. 411 CCCLXXXV.

S. S. Cæciliæ presbytero cardinali, &c. 412 CCCLXXXVI.

O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 413 CCCLXXXVII.

CCCLXXXVIII. R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 414
CCCLXXXIX. R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 414
CCCLXXXX. Regi Francorum illustri. 415
CCCLXXXXI. S. Tituli S. Ceciliæ cardinali apostolicæ sedis legato. ibid.
CCCLXXXXII. S. Tituli S. Martini, &c. 416
CCCLXXXXIII. S. tituli S. Cæciliæ cardinali, &c. 416
CCCLXXXXIV. Magistro de S. Amore. 417
CCCLXXXXV. Civitatis Florentinæ regentibus, &c. 418
CCCXCVI. R. S. Angeli diacono cardinali. 419
CCCXCVII. Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. ibid.
CCCXCVIII. eidem. 420
CCCXCIX. eidem. ibid.
CCCC. eidem. 421
CCCCI. eidem. ibid.
CCCCII. O. S. Adriani apostolicæ sedis legato. 422
CCCCIII. Raymundo Alfredi Canonico Aniciensi. 423
CCCCIV. Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. 424
CCCCV. eidem. ibid.
CCCCVI. Nobili viro comiti Anguilariæ. 425
CCCCVII. Regi Francorum illustri. 426
CCCCVIII. Nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano. 427
CCCCIX. Rectoribus capitaneis prioribus artium & populo Florentino. ibid.
CCCCX. Episcopo capellano & clero Florentino. 428
CCCCXI. Universis civibus Florentinis. ibid.
CCCCXII. Lotheringo & Cathalano rectoribus civitatis & civibus Florentinis. 429
CCCCXIII. Jacobo de Collemedio. 429
CCCCXIV. S. Toletano electo. 430
CCCCXV. Armanno Asturicensi electo. 431
Heliæ de Caturco canonico Parisiensi, 1813.
CCCCXVI. C. regi Siciliæ illustri. ibid.
CCCCXVII. Regi Franciæ illustri. 432
CCCCXVIII. Magistro B. &c. 433
CCCCXIX. S. tituli S. Martini presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 434
CCCCXX. Simoni cardinali apostolicæ sedis legato. ibid.
CCCCXXI. Lotheringo & Cathalano, &c. civibus Florentinis. 436
CCCCXXII. C. regi Ciciliæ illustri. 437
CCCCXXIII. H. Filio F. quondam regis Castellæ. 438
CCCCXXIV. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. ibid.
CCCCXXV. Patriarchæ Constantinopolitano. 439
CCCCXXVI. Regi Aragonum illustri. 440
CCCCXXVII. Capitaneo Guelforum. 440
CCCCXXVIII. C. Regi Siciliæ illustri. 441
CCCCXXIX. eidem. ibid.
CCCCXXX. M. ordinis fratrum Minorum capellano nostro. 442
CCCCXXXI. Odoni Gualducii civi Pisano. 442
CCCCXXXII. R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 443
CCCCXXXIII. C. regi Siciliæ illustri. 444
CCCCXXXIV. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 445
CCCCXXXV. Magistro & prioribus provincialibus ordinis Prædicatorum. 446
CCCCXXXVI. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 447
CCCCXXXVII. Regi Aragonum illustri. 448
CCCCXXXVIII. J. Archiepiscopo Remensi. 449
CCCCXXXIX. L. relictæ quondam Atreasbæ militis. 450
CCCCXL. Nicolao Capellano, &c. ibid.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 451 CCCCXLI.
Bertrando Albæ militi. ibid. CCCCXLII.
Regi Siciliæ illustri. ibid. CCCCXLIII.
S. titulo S. Cæciliæ cardinali, &c. 452 CCCCXLIV.
Priori & conventui Silviniacensi. 453 CCCCXLV.
Capitaneo & patri Guelforum Florentinorum. 454 CCCCXLVI.
Magistro B. præposito, &c. ibid. CCCCXLVII.
Ar. priori Provinciali Romanensi & priori fratrum Prædicatorum Florentiæ. ibid. CCCCXLVIII.
Baillivis consulibus & communitati villæ Montispessulani. 455 CCCCXLIX.
Potestati consilio & civibus Florentinis. 456 CCCCL.
Potestati capitaneo & ancianis populi Pisani. 457 CCCCLI.
Ad superiores monasteriorum Magalonensis diocesis. 459 CCCCLII.
Episcopo Magalonensi. ibid. CCCCLIII.
Abbatissæ & conventui Montispessulani ordinis S. Claræ. 460 CCCCLIV.
Abbatibus, prioribus, achipresbyteris, &c. ibid. CCCCLV.
Episcopo & capitulo Magalonensi. 461 CCCCLVI.
Nemausensibus & Biterrensibus civibus. 461 CCCCLVII
Lugdunensi electo. 462 CCCCLVIII.
S. tituli S. Cæciliæ præsbytero cardinali. 462 CCCCLIX.
Consulibus & universitati Montispessulani. 463 CCCCLX.
G. tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 464 CCCCLXI.
Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. ibid. CCCCLXII
Episcopo Lincolniensi. 466 CCCCLXIII.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. ibid. CCCCLXIV.
eidem. 467 CCCCLXV.
Universis ecclesiæ Romanæ fidelibus per ducatum Spoletanum & Anconitanam marchiam constitutis. ibid. CCCCLXVI.
Regi Aragonum illustri. 468 CCCCLXVII.
Patriarchæ Jerosolymitano sedis apostolicæ legato & Hospitalis & templi sacræ militiæ, Teutonicorum magistris nobili viro de Serginis, &c. 469 CCCCLXVIII.
P. imperatori Græcorum illustri. ibid. CCCCLXIX.
Regi Armeniæ illustri. 470 CCCCLXX.
S. tituli S. Cæciliæ cardinali, &c. 472 CCCCLXXI.
Ad abbatem Nantensem. 473 CCCCLXXII.
S. tituli S. Martini cardinali, &c. 473 CCCCLXXIII.
Episcopo Ucetiensi. 374 CCCCLXXIV.
Ad capitulum generale ordinis fratrum Prædicatorum. ibid. CCCCLXXV.
Archiepiscopo Hispalensi. 475 CCCCLXXVI.
Statuta pro ecclesia Aniciensi. 476 CCCCLXXVII.
Regi Castellæ & Legionum in regem Romanorum electo. 488 CCCCLXXVIII
Ar. Capocii capitaneo urbis Romæ. 489 CCCCLXXIX.
Regi Castellæ illustri. ibid. CCCCLXXX.
Ad Theobaldum regem Navarræ. 490 CCCCLXXXI.
ad eumdem. 491 CCCCLXXXII.
Ad prælatos & personas ecclesiasticas regni Navarræ. 492 CCCCLXXXIII.
Magistro ordinis fratrum Prædicatorum. 493 CCCCLXXXIV
A. comiti Pictaviensi & Tolosano. 494 CCCCLXXXV.
eidem. 495 CCCCLXXXVI
R. Seguini de Melgorio. ibid. CCCCLXXXVII.
Episcopo Avenionensi, & decano domino Uteriæ germano ejus. 496 CCCCLXXXVIII.

CCCCLXXXIX. *Nobili viro Baudono domino Castri novi.* ibid.
CCCCXC. *Regi Castellæ & Legionis in regem Romanorum electo.* 496
CCCCXCI. *Abbati Psalmodiensi.* 498
CCCCXCII. *Regi Castellæ in regem Romanorum electo.* 499
CCCCXCIII. *Potestati consilio & communi Mantuano.* ibid.
CCCCXCIV. *S. comiti Tusciæ Palatino.* 500
CCCCXCV. *Episcopo Avinionensi.* 501
CCCCXCVI. *eidem.* ibid.
CCCCXCVII. *eidem.* ibid.
CCCCXCVIII. *Ademaro de Pictavia comiti Valentinensi.* 502
CCCCXCIX. *Ad fratres ordinis Prædicatorum.* ibid.
D. *Archiepiscopo Remensi.* 503
DI. *S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali, &c.* 504
DII. *Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 505
DIII. *Fr. Thomæ de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum.* ibid.
DIV. *C. regi Siciliæ illustri.* ibid.
DV. *Abbati monasterii Montis-majoris Arelatensis diocesis.* 508
DVI. *Priori Prædicatorum & Gardiano fratrum Minorum Belvacensium.* 509
DVII. *Jacobo regi Aragonum illustri.* ibid.
DVIII. *P. filio F. quondam regis Castellæ & Legionum, Urbis senatori, consilio & communi etiam Urbis.* 510
DIX. *Archiepiscopo Cantuariensi.* ibid.
DX. *Episcopo Claromontis.* 511
DXI. *O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.* 511
DXII. *Vicario nostro in Urbe.* 512
DXIII. *Episcopo Senensi.* 513
DXIV. *Baronibus & Nobilibus, potestatibus & rectoribus, &c. per patrimonium S. Petri in Tuscia constitutis nostris & Ecclesiæ Romanæ rectoribus.* 513
DXV. *Magistro Heliæ Peleti Capellano nostro canonico Belvacensi.* 514
DXVI. *eidem.* 515
DXVII. *C. regi Siciliæ.* 515
DXVIII. *eidem.* 516
DXIX. *Magistro Heliæ Peleti capellano nostro canonico Belvacensi.* 516
DXX. *Viro illustri & magnifico principi in gente nobili Tartarorum Elchani Apacha.* 517
DXXI. *Archiepiscopo Ravennensi apostolicæ sedis legato.* 518
DXXII. *Bertrando Tholosanæ ecclesiæ præposito.* 518
DXXIII. *Potestati consilio & communi Cornetanensi.* 519
DXXIV. *Episcopo Senensi.* 520
DXXV. *Regi Siciliæ.* 520
DXXVI. *Regi Francorum illustri.* 521
DXXVII. *Bertrando archiepiscopo Arelatensi.* 521
DXXVIII. *S. tituli S. Cæciliæ Presbytero cardinali.* 522
DXXIX. *Magistro Heliæ Peleti canonico Belvacensi.* 523
DXXX. *C. Regi Siciliæ illustri.* 524
DXXXI. *eidem.* 525
DXXXII. *eidem.* ibid.
DXXXIII. *S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.* 526
DXXXIV. *Nobili viro P. Romani proconsuli Romanorum.* 527
DXXXV. *Abbati monasterii S. Ægidii.* 528
DXXXVI. *Nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano.* 529

C. Regi Siciliæ illustri. 529 DXXXVII.
G. de Medio-Bladi militi regni Siciliæ citra Farum capitaneo generali. 530 DXXXVIII.
Regi Bohemiæ illustri. 531 DXXXIX.
Parisiensi episcopo. 532 DXL.
Fratri Ph. de Euglis hospitalis Jerolymitani, & aliis ejusdem ordinis fratribus in regno Siciliæ constitutis. 532 DXLI.
G. de Medio-bladi militi regni Siciliæ citra Farum capitaneo generali. 533 DXLII.
Episcopo Biterrensi. 533 DXLIII.
Amalrico de Rupe Magistro domorum Militiæ templi in Francia. 534 DXLIV.
Regi Castellæ & Legionum illustri in regem Romanorum electo. 534 DXLV.
G. titulo S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 535 DXLVI.
Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. ibid. DXLVII.
eidem. 536 DXLVIII.
Archiepiscopo Narbonensi. 536 DXLIX.
Regi Siciliæ illustri. 537 DL.
eidem. ibid. DLI.
Abbati & conventui monasterii S. Ægidii. 538 DLII.
Episcopo Vercellensi. ibid. DLIII.
Nobili viro H. nato claræ memoriæ Regis Castellæ & Legionum, senatori Urbis Romæ. 539 DLIV.
S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. 539 DLV.
Adversus Henricum regis Castellæ filium Urbis senatorem. 540 DLVI.
Regi Siciliæ illustri. 542 DLVII.
eidem. 542 DLVIII.
O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato. 542 DLIX.
Nobili viro Barallo domino Baucii regis Siciliæ Majori Justiario. 543 DLX.
Rectoribus Romanensis fraternitatis. 544 DLXI.
C. regi Siciliæ illustri. ibid. DLXII.
eidem. 545 DLXIII.
Abbati & conventui monasterii Cluniacensis. ibid. DLXIV.
R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. 546 DLXV.
C. Regi Siciliæ illustri. 546 DLXVI.
eidem. 547 DLXVII.
eidem. ibid. DLXVIII.
Nobili viro Infanti H. claræ memoriæ F. illustris regis Castellæ filio senatori Urbis. 548 DLXIX.
Trevirensem archiepiscopum ab officio & beneficio suspendit. 549 DLXX.
C. Regi Siciliæ illustri. 554 DLXXI.
Nobili viro Infanti H. claræ memoriæ F. illustris regis Castellæ filio senatori, Urbis. 555 DLXXII.
eidem. 556 DLXXIII.
S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali, &c. 557 DLXXIV.
eidem. ibid. DLXXV.
R. Martini civi Montis pessulani. 558 DLXXVI.
Archiepiscopi Narbonensis ad Clementem papam. 559 DLXXVII.
Nobili viro Al. comiti Pictavensi & Tolosano. 561 DLXXVIII.

DLXXX. *Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 562
DLXXXI. *eidem.* ibid.
DLXXXII. *S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali, &c.* ibid.
DLXXXIII. *Regi Francorum illustri.* 563
DLXXXIV. *Rectoribus consilio & universitati civitatis Castelli.* 565
DLXXXV. *Nobili viro Jacobino Rubeo civi Pavinensi.* 566
DLXXXVI. *Episcopo Cumanensi & germanis ejusdem.* ibid.
DLXXXVII. *Archiepiscopo Ravennatensi apostolicæ sedis legato.* 567
DLXXXVIII. *Universis civibus Brixen. per quos nunc civitas regitur.* ibid.
DLXXXIX. *R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* ibid.
DXC. *Episcopo Claromontensi.* 568
DXCI. *Nobili viro Gastoni Vice-comiti Biarnensi.* 569
DXCII. *Regi Siciliæ illustri.* ibid.
DXCIII. *Potestati consilio & communi Cremonensi.* ibid.
DXCIV. *eidem.* 570
DXCV. *Nobili viro Amato de Amatis potestati Mercandiæ Cremonensis.* ibid.
DXCVI. *R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 571
DXCVII. *Jacobo regi Aragonum illustri.* ibid.
DXCVIII. *Nobili viro H. Claræ memoriæ F. illustris regis Castellæ filio, &c.* 572
DXCIX. *Abbati Monasterii S. Ægidii.* ibid.
DC. *G. dicto Bota civi Massiliensi.* ibid.
Henrico nato Hugonis comitis Ruthenensis. 1816
DCI. *Regi Angliæ illustri.* 573
DCII. *C. regi Siciliæ illustri.* ibid.
DCIII. *eidem.* 574
DCIII. *Nobili viro H. Illustris regis Castellæ filio, &c.* 575
DCIV. *Nobili viro Manfredo & Monello marchionibus Malæ-spinæ.* ibid.
DCV. *R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* ibid.
DCVI. *Regi Bohemiæ illustri.* 576
DCVI. *Episcopo Lismorensi.* 577
DCVIII. *Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* ibid.
DCIX. *Episcopo Wintoniensi.* 578
DCX. *C. Regi Siciliæ illustri.* 579
DCXI. *G. de Medio-Bladi capitaneo regni Siciliæ citra Farum.* ibid.
DCXII. *Regi Franciæ illustri.* 580
DCXIII. *Archiepiscopo Senonensi.* ibid.
DCXIV. *G. de Medio-Bladi capitaneo, &c.* 581
DCXV. *Ad Theobaldum Navarræ regem.* ibid.
DCXVI. *R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* 582
DCXVII. *eidem.* 583
DCXVIII. *Provisori pauperum Magistrorum & ipsis Magistris in Theologiæ facultate studentibus in Vico ad Portas ante palatium de Terminis Parisiensibus sub vita communi de gentibus.* 583
DCXIX. *Episcopo Magalonensi.* 584
DCXX. *Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.* ibid.
DCXXI. *Abbati Monasterii S. Johannis Angeriacensis.* 585
DCXXII. *Episcopo Reatino.* ibid.
DCXXIII. *L. regi Francorum illustri.* 586

Episcopo Senonensi. 587 DCXXIV.
C. Regi Siciliæ illustri. ibid. DCXXV.
Universis Christi fidelibus in Tusciæ partibus Romano subjectis imperio constitutis. 588 DCXXVI.
Nobili mulieri Isabellæ illustris regis Franciæ germanæ. ibid. DCXXVII.
Nobili viro comiti Pictaviensi. 589 DCXXVIII.
Decano & capitulo ecclesiæ Insulensis Tornacensis diœcesis. ibid. DCXXIX.
Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. ibid. DCXXX.
Dilectæ filiæ Alviciæ relictæ Guillelmi Bulbonensis militis. 590 DCXXXI.
Magistro N. rectori ecclesiæ Volubricæ capellano nostro. 591 DCXXXII.
Dilecto filio P. Rambaldi & G. uxori ejus. ibid. DCXXXIII.
Dilectæ filiæ Cæciliæ Fulcodiæ. ibid. DCXXXIV.
Nobili viro Johanni Ambaldo proconsuli Romanorum. ibid. DCXXXV.
Dilecto filio O. Veronensi electo ducatus Spoleti & Marchiæ Anconinanæ rectori. 593 DCXXXVI.
R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato. ibid. DCXXXVII.
eidem. 594 DCXXXVIII.
Abbati & conventui Crassensis monasterii. ibid. DCXXXIX.
Archiepiscopo Ravennatensi apostolicæ sedis legato. 597 DCXL.
Dilecto filio Giraudo Longo potestati Urbisvetanæ. ibid. DCXLI.
Regi Siciliæ illustri. 598 DCXLII.
Episcopo Conseranensi, 1817.
Venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopis & dilectis filiis abbatibus, &c. in regno Siciliæ constitutis. ibid. DCXLIII.
Regi Siciliæ illustri. 599 DCXLIV.
Abbati & conventui S. Dionysii. ibid. DCXLV.
Abbati S. Dionysii. 600 DCXLVI.
Abbati & conventui S. Dionysii. 601 DCXLVII.
Abbati S. Dionysii. ibid. DCXLVIII.
Dilecto filio Ysnardo Ugolino militi vicario illustris regis Siciliæ in civitate Florentina. 602 DCXLIX.
Dilecto filio Hugoni dicto siaqua capitaneo Aquilæ. ibid. DCL.
Reginæ Franciæ illustri. 603 DCLI.
Regi Aragonum illustri. 603 DCLII.
Regi Francorum illustri. 604 DCLIII.
Venerabilibus fratribus suffraganeis & dilecto filio capitulo Tarraconensis ecclesiæ. 605 DCLIV.
Dilectis filiis præposito archidiacono & aliis ecclesiæ Tarraconensis canonicis universis. ibid. DCLV.
Magistro & Prioribus ordinis Prædicatorum. 606 DCLVI.
Dilecto filio Archidiacono Barchinonensi. 607 DCLVII.
Dilectis filiis præposito & capitulo e cæ Tarraconensis. ibid. DCLVIII.
L. regi Francorum illustri. ibid. DCLIX.
Magistro Girardo de Ramplion canonico Senonensi. 608 DCLX.
Officiali & Magistro Heliæ de Caturco canonicis Parisiensibus. 608 DCLXI.
Dilecto filio Ma. Veronensi electo, ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori. 609 DCLXII.
Dilectis filiis Potestati capitaneo consilio civibus Perusinis. ibid. DCLXIII.

Fratri

DCLXIV. *Fratri de Rocelene ordinis fratrum Minorum. ibid.*
DCLXV. *C. regi Siciliæ illustri.* 610
DCLXVI. *L. regi Francorum illustri.* ibid.
DCLXVII. *O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.* 611
DCLXVIII. *Consulibus Montispessulani.* 612
DCLXIX. *Dilectis filiis nobili viro Guidoni Guerræ comiti Tusciæ Palatino, Hysnardo Hugolino regio vicario, consilio & communi civitatis Florentinæ.* 613
DCLXX. *Dilecto filio Jacobo nato quondam Diusalvi civi Senensi.* ibid.
DCLXXI. *Magistro & fratribus ordinis Prædicatorum & Generali ministro & fratribus ordinis Minorum.* 614
DCLXXII. *Potestati, consilio & communi civitatis Florentinæ.* 615
DCLXXIII. *Fratri Guillelmo de Tonneux.* ibid.
DCLXXIV. *Regi Siciliæ.* ibid.
DCLXXV. *Potestati & consilio & communi Assisinati.* 616
DCLXXVI. *Archidiacono Luxoviensi in ecclesia Bisuntina & decano S. Stephani Trecensis.* ibid.
DCLXXVII. *Episcopo Aretino.* 618
DCLXXVIII. *Dilecto filio Cinthio Remensi canonico.* ibid.
DCLXXIX. *Fratri G. de Tonneux ordinis Prædicatorum.* ibid.
DCLXXX. *Nobili viro Henrico domino Soliaci.* 619
DCLXXXI. *Archipresbytero S. Germani.* ibid.
DCLXXXII. *Abbati monasterii S. Germani.* ibid.
DCLXXXIII. *Ysnardo Hugolino vicario in Florentia.* 620
DCLXXXIV. *Potestati, capitaneo, ancianis, consilio & communi Bononiensi.* ibid.
Capitaneo Guelphorum Bononiensium. 621 DCLXXXV.
S. tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. ibid. DCLXXXVI.
Malatestæ. ibid. DCLXXXVII.
Veronensi electo vel ejus locum tenentibus. 622 DCLXXXVIII.
Ad Theobaldum regem Navarræ. ibid DCLXXXIX
Caroli regis Siciliæ ad Clementem papam IV. 624 DCXC.
Regi Siciliæ. 625 DCXCI.
Potestati, consilio & communi Reatino. 626 DCXCII.
Nobili viro Malatestæ de Veriolo comiti Tadæo de Monte-Feltro. 627 DCXCIII.
Abbati S. Savini de Firmo. ibid. DCXCIV.
H. Ostiensi & Velletrensi episcopo. ibid. DCXCV.
Regi Siciliæ illustri. 628 DCXCVI.
Abbati Appamiensi. 628 DCXCVII.
Lamfranquino Malesæ & Lucerio civibus Januensibus. ibid. DCXCVIII.
Veronensi electo. 629 DCXCIX.
Regi Siciliæ illustri. ibid. DCC.
Regi Franciæ. ibid. DCCI.
Regi Siciliæ. 630 DCCII.
Archiepiscopo Surentino. ibid. DCCIII.
Ad Theobaldum regem Navarræ & Campaniæ comitem. 631 DCCIV.
Cinthio rectori consilio & communi Cornetano. 632 DCCV.
Regi Siciliæ. ibid. DCCVI.
Magistro ordinis hospitalis Jerosolymitani. 633 DCCVII.
Fratri Philippo de Ægris ordinis hospitalis Jerosolymitani. ibid. DCCVIII.
Regi Siciliæ. 634 DCCIX.
J. SS. Cosmæ & Damiani diacono cardinali. ibid. DCCX.
Caroli Siciliæ regis ad Gregorium X. papam. 635 DCCXI.

JOHANNIS PAPÆ XXII.

PROCESSUS VARII IN LUDOVICUM BAVARUM IMPERATOREM, ET EJUS ASSECLAS.

Processus contra usurpantes vicariatum imperii eo vacante, 641.
Primus processus. Contra Bavarum quod resiliat à fautoria hæreticorum & rebellum Ecclesiæ, ut deserat administrare ac vocare se regem, donec per Ecclesiam approbetur, 644.
Secundus processus. Ad supplicationem nunciorum Bavari differtur declaratio pœnarum & sententiarum, quas incurrit ipse Bavarus favendo rebellibus & administrationem ac titulum regia non deserendo, 647.
Tertius processus sententiæ latæ in dictum ducem Bavariæ discorditer electum in regem Romanorum, 652.
Quartus processus privationis juris, si quod duci Bavariæ discorditer in regem Romanorum electo competiit in regno eodem, 660.
Quintus processus privationis ducatus Bavariæ & omnis juris, si quod ei in eodem ducatu competebat & omnium feudorum Ecclesiasticorum & Imperialium, 671
Citatur Bavarus ad audiendum sententiam super crimine hæresis, 682.
Monetur Bavarus quod exeat Lombardiam, 684.
Sextus processus. Contra Ludovicum de Bavaria primogenitum Bavari, ac Ulricum & Guicherum comites de Lundolbe, 688.
Executoria dicti processus judicibus missa, 691.
Processus Habiti contra nonnullos prælatos & alias personas ecclesiasticas adhærentes & obedientes Bavaro. Privantur Marsilius & Johannes cum duobus aliis & excommunicati ac suspensi ceteri prælati adhærentes Bavaro nuntiantur, 692.
Judicatur hæreticus Bavarus & inhibetur universis & nominatim certis communitatibus ne sibi faveant in aliquo vel adhæreant, 698.
Judicantur hæretici Marsilius de Padua & Johannes de Janduno, 704.
Processus major indulgentiæ ac prædicationis crucis contra Bavarum & sequaces, 716.
Processus minor indulgentiæ impugnantibus Bavarum concessæ, 722.
Contra Pisanos & alias communitates quibus ne adhærerent Bavaro, nec subsidia præstarent inhibitum fuerat, quod declarentur pœnas incurrisse, 723.

Decernuntur irrita coronatio Bavari & alia circa ipsum & sequaces præsumta in Urbe, 727.
Processus contra Romanos quod expellant Bavarum & sequaces ab Urbe, 736.
Citatio Castrucii de fautoria hæreticorum damnati, 743.
Privatio & citatio Jacobi olim episcopi Castellani, 746.
Nota *indulgentiæ super statu totius universalis ecclesiæ*, 748.
Contra generalem olim fratrum Minorum, 749.
Contra mordentes constitutiones, 752.
Pronuntiantur Bertholdus de Nyffen & alii duo fautores hæreticorum, & irritantur quæ pro Bavaro egerunt in partibus Lombardiæ, 754.
Privantur Minores Saonenses privilegiis propter fautoriam Michaelis de Cesana olim generalis ministri, 757.
Processus contra Minores fratres Saonenses, 760.
Processus habitus contra Petrum de Corvaria de ordine fratrum Minorum hæreticum & schismaticum, 763.
Sextus processus contra Bavarum, per quem declaratur in hæresim incidisse & velut hæreticus reprobatur ac pronuntiatur, 771.
Processus prædicationis crucis contra Bavarum, 777.
Processus contra Michaëlem de Cesana declaratum hæreticum & schismaticum, 782.
Executoria processus præcedentis, 786.
Aggravatio contra Bavarum ac sibi adhærentes ne quis eis assistat, 787.
Executoria processus præcedentis, 792.
Processus contra Johannem de Claromonte, 792.
Executoria præcedentis processus, 796.
Processus contra Bertholdum de Nyffen, 797.
Executoria præcedentis processus, 800.
Responsio facta super tractatu pacis Bavari facta nunciis regis Bohemiæ & archiepiscopi Trevirensis & ducis Austriæ, 800.
Johanni regi Bohemiæ illustri scribit Johannes papa XXII. 800.
Recognitio & confessio eorum facta per fratrem Petrum de Corbario, 806.
Denuntiatur Bavarus aliis narratis processibus in excommunicationis sententiam incidisse, &c. 816.
Executoria subsequentis immediate processus, 816.
Executoria contra Mendicantes, 825.
Processus contra Michaëlem de Cesana & complices ejus executoria, 828.
Processus contra Bertholdum de Nyffen, 832.
Processus contra Jacobum olim episcopum Castellanum, 835.
Processus contra Johannem de Claromonte executoria, 838.

INNOCENTII PAPÆ VI.

REGISTRUM ANNI MCCCLXI.

I. *Ad Angelum Tavernini civem Viterbiensem.* 843
II. *Ad Dominicum de Campo-casseo canonicum Januensem.* 845
III. *Ad Patriarchas archiepiscopos & episcopos, &c.* 845
IV. *Ad Ludovicum electum Valentinensem.* 846
V. *Ad Mariam Imperatricem Constantinopolitanam.* ibid.
VI. *Ad septem reformatores, consilium, populumque Romanum.* 847
VII. *Ad Johannem de Aredia Castellanum Empostæ.* ibid.
VIII. *Ad Philippum ducem Burgundiæ.* 848
IX. *Ad Guillelmum de Verzerio dominum de Mirabello, Delphinatus gubernatorem.* 849
X. *Ad Amedeum comitem Sabaudiæ.* 850
XI. *Ad Elianoram reginam Aragonum.* 850
XII. *Ad Johannem regem Francorum.* 851
XIII. *Ad Cives Ebredunenses.* 852
XIV. *Ad Carolum ducem Normanniæ.* 854
XV. *Ad Johannem comitem Armaniaci.* 855
XVI. *Ad Johannem filium Johannis comitis Armaniaci.* 856
XVII. *Ad Episcopum Aniciensem.* 857
XVIII. *Ad Johannem episcopum Gurcensem.* 857
Ad Johannem Buccanigrum ducem Januensem. 858 XIX.
Ad Carolum imperatorem Romanorum. 859 XX.
Ad Johannem episcopum Argentinum & Guillelmum decanum Vissegradensem. 861 XXI.
Ad Rodulfum ducem Austriæ. 862 XXII.
Ad Amedeum comitem Sabaudiæ. 864 XXIII.
Ad ducem & ducissam Britanniæ. 865 XXIV.
Ad cives Massilienses. 866 XXV.
Ad Robertum dominum de Fienes. 867 XXVI.
Ad Petrum regem Aragonum. ibid. XXVII.
Ad Elionoram reginam Aragonum. 868 XXVIII.
Ad Petrum Sicardi canonicum Narbonensem. 869 XXIX.
Ad regem & reginam Siciliæ. 870 XXX.
Ad Nicolaum de Aczarocis comitem Melfiensem. 871 XXXI.
Ad Ademarium comitem Valentinum. 872 XXXII.
Ad Ludovicum electum Valentinensem. 873 XXXIII.
Ad Amedeum comitem Sabaudiæ. 873 XXXIV.
Ad archiepiscopum Lugdunensem. 874 XXXV.
Ad Eleonoram reginam Aragonum. 875 XXXVI.
Ad Bernardum de Capraria. ibid. XXXVII.
Ad Petrum regem Aragonum. ibid. XXXVIII.
Ad . . . . 876 XXXIX.
Ad Andream episcopum Ariminensem. 876 XL.

XLI. *Ad Florentinos.* 877

XLII. *Ad Petrum Eraudi priorem S. Eutropii, Jacobum Barravi & Arnaldum de Borvvea.* 878

XLIII. *Ad eosdem.* 879

XLIV. *Ad Philippum ducem Burgundiæ.* 880

XLV. *Ad Johannem de Ria dominum* de Blancon. 881

XLVI. *Ad priorem S. Eutropii.* 882

XLVII. *Ad Walterium militem Johannem Scakaik & Ricardum Mussatum.* 882

XLVIII. *Cardinalibus, &c.* 883

XLIX. *Ad Neapolitanos.* 883

L. *Ad Ægidium episcopum Sabinensem.* 886

LI. *Ad Dominicum de Campo-cassio canonicum Januensem.* 888

LII. *Ad Jordanum de filiis Ursi, &c.* 889

LIII. *Ad patriarchas, archiepiscopos & episcopos, &c.* 890

LIV. *Ad archiepiscopos & episcopos, &c.* 890

LV. *Ad Simonem de Buccanigro ducem Januensem.* 891

LVI. *Ad Philippum episcopum Florentinum.* 891

LVII. *Ad Johannem episcopum Vercellensem.* 892

LVIII. *Ad Johannem regem Francorum.* 893

LIX. *Ad Eduardum regem Anglorum.* 893

LX. *Ad Androynum abbatem Cluniacensem.* 894

LXI. *Ad Carolum ducem Britanniæ.* 895

LXII. *Ad Johannis regis Franciæ commissarios.* 895

LXIII. *Ad Androynum abbatem Cluniacensem.* 896

LXIV. *Ad Ægidium episcopum Sabinensem.* 897

LXV. *Ad eumdem.* 901

LXVI. *Ad Arelatensem Januensem & Pisanum episcopos.* 905

LXVII. *Ad universos Christi fideles.* 906

LXVIII. *Ad Bernabovem de Vicecomitibus militem Mediolanensem.* 907

LXIX. *Ad Arelatensem, Januensem & Pisanum archiepiscopos.* 907

LXX. *Ad Simonem Buccanigrum ducem Januensem.* 909

LXXI. *Ad Ægidium episcopum Sabinensem.* 909

LXXII. *Ad Johannem regem Francorum.* 910

LXXIII. *Ad Robertum* de Fienes *comitem Stabuli.* 911

LXXIV. *Ad Rodulfum ducem Austriæ.* 911

LXXV. *Ad patriarchas archiepiscopos episcopos, &c.* 911

LXXVI. *Ad Simonem Buccanigrum ducem Januensem.* 912

LXXVII. *Ad Johannam comitissam Duratii.* 912

LXXVIII. *Ad Ludovicum de Duratio.* 913

LXXIX. *Ad Ludovicum regem Siciliæ.* 913

LXXX. *Ad Bertrandum archiepiscopum Neapolitanum.* 915

LXXXI. *Ad Nicolaum comitem Melfiensem.* 916

LXXXII. *Ad Ludovicum de Duratio.* 917

LXXXIII. *Ad Johannem episcopum Vercellensem.* 919

LXXXIV. *Ad quosdam prælatos.* 920

LXXXV. *Ad Ægidium episcopum Sabinensem.* 921

LXXXVI. *Ad archiepiscopum Ravennatem.* 921

LXXXVII. *Ad Ildebrandinum Marchionem Estensem,* 922

LXXXVIII. *Ad eumdem.* ibid.

LXXXIX. *Ad Nicolaum comitem Melfiensem.* 923

XC. *Ad Ludovicum regem Siciliæ.* 923

XCI. *Ad eumdem & Johannam reginam Siciliæ.* 924

XCII. *Ad Bernabovem de Vicecomitibus militem Mediolanensem.* 926

Ad Galeatium de Vicecomitibus militem Mediolanensem. 926 XCIII.

Ad quosdam prælatos. 926 XCIV.

Ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos. 927 XCV.

Ad quosdam prælatos. 928 XCVI.

Ad septem reformatores, consilium, populumque Romanum. 928 XCVII.

Ad Hugonem de Lisignano senatorem Urbis. 929 XCVIII.

Ad civitatem Verulanensem. 930 XCIX.

Ad Honoratum comitem Fundorum. 931 C.

Ad Johannem de comite. 931 CI.

Ad Matthæum de Celano. 932 CII.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem. 932 CIII.

Ad Matthiam de Giosvaldo seneſcallum Provinciæ. 933 CIV.

Ad ancianos & consules civitatis Bononiensis. 933 CV.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem. 934 CVI.

Ad Johannem episcopum Vercellensem. 934 CVII.

Ad capitulum generale fratrum Prædicatorum. 936 CVIII.

Ad Reginaldum episcopum Æduensem. 937 CIX.

Ad universos fideles. 938 CX.

Ad Androynum abbatem Cluniacensem. 940 CXI.

Ad Johannem regem Francorum. 942 CXII.

Ad episcopum Morinensem. 943 CXIII.

Ad Engelbertum episcopum Leodiensem. 944 CXIV.

Ad Rodulfum ducem Austriæ. 944 CXV.

Ad Rogerium de Pinibus. 945 CXVI.

Ad imperatorem Romanorum. 946 CXVII.

Ad eumdem. ibid. CXVIII.

Ad Rodulfum ducem Austriæ. 947 CXIX.

Ad Petrum regem Aragonum. 948 CXX.

Ad eumdem. ibid. CXXI.

Ad Ludovicum regem & Johannam reginam Siciliæ. 949 CXXII.

Ad Robertum imperatorem Constantinopolitanum. 950 CXXIII.

Ad Philippum de Tarento & Mariam filiam Caroli ducis Calabriæ. 951 CXXIV.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem. 952 CXXV.

Ad Johannem Delphinum, ducem consilium & commune Venetiarum. 953 CXXVI.

Ad Ferdinandum de Eredia Castellanum Emposte. 954 CXXVII.

Ad Johannem Delphinum consilium & commune Venetiarum. 955 CXXVIII.

Ad Ludovicum regem & Johannam reginam Siciliæ. 956 CXXIX.

Ad Nicolaum comitem Melfiensem. 957 CXXX.

Ad Geraldum archiepiscopum Beneventanum. 958 CXXXI.

Ad Beneventanum Neapolitanum & Salernitanum archiepiscopos. 960 CXXXII.

Ad Geraldum archiepiscopum Beneventanum 961 CXXXIII.

Ad Petrum regem Castellæ & Legionis. 962 CXXXIV.

Ad Ferdinandum episcopum Astoricensem. 962 CXXXV.

Ad Ogerium de Osserano abbatem secularem S. Marcelli Legionensis. 963 CXXXVI.

Ad Guidonem episcopum Portuensem. 964 CXXXVII.

Ad capitulum ecclesiæ Astoricensis. ibid. CXXXVIII.

Ad capitulum ecclesiæ Legionensis. 965 CXXXIX.

Ad Cantuariensem archiepiscopum. ibid. CXL.

CXLI. *Ad Stephanum priorem S. Leonardi & Johannem Raymundi.* 969
CXLII. *Ad Ægidium episcopum Vicentinum.* 970
CXLIII. *Ad eumdem.* 971
CXLIV. *Ad eumdem.* 973
CXLV. *Ad Marchionem Brandeburgensem.* 974
CXLVI. *Ad imperatorem Romanorum.* 975
CXLVII. *Ad eumdem.* 976
CXLVIII. *Ad Ludovicum regem Hungariæ.* 978
CXLIX. *Ad Johannem Marchionem Moraviæ.* 979
CL. *Ad Johannem episcopum Gurcensem.* 980
CLI. *Ad Arnestum episcopum Pragensem.* ibid.
CLII. *Ad eumdem.* 981
CLIII. *Ad Carolum imperatorem Romanorum.* 983
CLIV. *Ad Rodulfum ducem Austriæ.* 984
CLV. *Ad Johannem episcopum Luctomuslensem.* 986
CLVI. *Ad Carolum Romanorum imperatorem.* ibid.
CLVII. *Ad quosdam prælatos.* 989
CLVIII. *Ad Carolum Romanorum imperatorem.* ibid.
CLIX. *Ad Petrum Eraudi priorem S. Eutropii & Jacobum Barravi.* 990
CLX. *Ad Ludovicum regem & Johannam reginam Siciliæ.* 992
CLXI. *Ad Petrum regem Aragonum.* ibid.
CLXII. *Ad Ludovicum regem Hungariæ.* 993
CLXIII. *Ad Ægidium episcopum Sabinensem.* 994
CLXIV. *Ad Johannem Ferdinandi de Eredia Castellanum Empostæ.* 995
CLXV. *Ad eumdem.* ibid.
CLXVI. *Ad Petrum regem Castellæ & Legionis.* 997
CLXVII. *Ad Guidonem episcopum Portuensem.* 998
CLXVIII. *Ad Petrum regem Castellæ & Legionis.* ibid.
CLXIX. *Ad Johannem Marchionem Montis-ferrati.* 999
CLXX. *Ad Simonem Buccanigrum ducem concilium & commune Januensium.* 1000
CLXXI. *Ad Carolum Romanorum imperatorem.* ibid.
CLXXII. *Ad capitulum Magdeburgense.* 1001
CLXXIII. *Ad episcopum Clusinum & Johannem de Lamanhaina canonicum Agennensem.* ibid.
CLXXIV. *Ad Carolum Romanorum imperatorem.* 1003
CLXXV. *Ad Theodoricum archiepiscopum Magdeburgensem.* 1004
CLXXVI. *Ad Ægidium episcopum Vicentinum.* 1005
CLXXVII. *Ad Simonem Buccanigrum ducem & consilium Januense.* 1006
CLXXVIII. *Ad Bertrandum abbatem de Toroneto & Gerardum Mercaderii.* 1007
CLXXIX. *Ad Cennum Benvenutum de Vigiano.* 1008
CLXXX. *Ad Bertrandum episcopum Convenarum.* 1009
CLXXXI. *Ad Carolum ducem Britanniæ.* ibid.
CLXXXII. *Ad Guillelmum abbatem Salmuriensem.* 1010
CLXXXIII. *Ad universos fideles.* ibid.
CLXXXIV. *Ad Carolum imperatorem Romanorum.* 1012
CLXXXV. *Ad Rodulfum ducem Austriæ.* 1013
CLXXXVI. *Ad Petrum Domaudi.* 1014
CLXXXVII. *Ad Guillelmum Gilberti canonicum Narbonensem.* 1016
CLXXXVIII. *Ad archiepiscopum Cantuariensem, episcopum Oxoniensem, & abbatem Cluniacensem.* ibid.
CLXXXIX. *Ad Johannem Delphinum ducem consilium & commune Venetorum.* 1018
CXC. *Ad Johannem Marchionem Montis-Ferrati.* 1019
CXCI. *Ad Simonem Bucanigrum ducem & consilium Januense.* 1020
Ad Guillemum abbatem S. Germani Autissiodorensis. 1021 CXCII.
Ad Johannem Marchionem Montis-Ferrati. ibid. CXCIII.
Ad regimen consilium & commune Perusii. 1022 CXCIV.
Ad Thomesium Rectorem civitatis Bononiensis. 1023 CXCV.
Ad Malatestam de Malatestis. ibid. CXCV.
Ad Florentinos. ibid. CXCVI.
Ad Bononienses. 1024 CXCVII.
Ad Galeotum de Malatestis. 1025 CXCVIII.
Ad Eduardum regem Anglorum. 1026 CXCIX.
Ad episcopum Ilerdensem. 1027 CC.
Ad Americum electum Ulteranum. 1028 CCI.
Ad Petrum regem Portugalliæ. 1029 CCII.
Ad eumdem. 1030 CCIII.
Ad Johannem electum Beneventanum. 1031 CCIV.
Ad eumdem. 1033 CCV.
Ad Patriarchas, archiepiscopos, episcopos, &c. ibid. CCVI.
Ad Mathiam de Giosvaldo militem senescallum Provinciæ. 1034 CCVII.
Ad Nicolaum magnum senescallum Siciliæ. 1035 CCVIII.
Ad Franciscum de Carraria. 1036 CCIX.
Ad Eduardum regem Anglorum. ibid. CCX.
Ad Eduardum principem Walliæ. 1038 CCXI.
Ad Eliam abbatem S. Salvatoris de Blavia & Petrum Brunelli. 1039 CCXII.
Ad Petrum Brunelli & Bertrandum de Chastaneyo. 1040 CCXIII.
Ad Dominicum de Lestar. ibid. CCXIV.
Ad Jacobum de Priolis & Mariam filiam Nicolai Fuscari de Venetii. 1041 CCXV.
Ad Johannem de Cavanhaco decanum ecclesiæ Compostellanæ, &c. ibid. CCXVI.
Ad Petrum de Cuysiaco canonicum S. Justi Lugdunensis. 1042 CCXVII.
Ad Henricum comitem de Trastamara. 1043 CCXVIII.
Ad Cuillelmum abbatem S. Sophiæ Beneventanæ. 1044 CCXIX.
Ad Mathiam de Josualio militem senescallum Provinciæ. 1045 CCXX.
Ad Johannem electum Beneventanum. ibid. CCXXI.
Ad eumdem. 1046 CCXXII.
Ad Guillelmum abbatem S. Sophie Beneventanæ. 1047 CCXXIII.
Ad Johannem Mucii electum Theanensem. 1048 CCXXIV.
Ad capitulum Carnotense. 1049 CCXXV.
Ad Bernardum Rascacii & Neapoleonem de Posterolis. ibid. CCXXVI.
Ad Johannem Bruni archidiaconum Venetensem. 1050 CCXXVII.
Ad Bertrandum abbatem de Toroneto & Gerardum Mercaderii. 1051 CCXXVIII.
Ad Bertrandum episcopum Lubicensem. 1054 CCXXIX.
Ad Wilhelmum Horborch Bacalarium in decretis. 1055 CCXXX.
Ad Woldemarum regem Daciæ. ibid. CCXXXI.
Ad Deodatum episcopum Agennensem. 1056 CCXXXII.
Ad comitem Pardiaci. 1057 CCXXXIII.
Ad Gherlatum de Honvels Cantorem & Johannem de Marborch canonicum ecclesiæ Magdeburgensis. ibid. CCXXXIV.
Ad Hermannum de Werberghe & Bernardum de Seulenborgh canonicos Magdeburgenses. 1058 CCXXXV.

Ad

CCXXXVI. *Ad Johannam reginam Jerusalem & Siciliæ.* ibid.
CCXXXVII. *Ad Eduardum regem Angliæ.* 1059
CCXXXVIII. *Ad Eduardum principem Walliæ.* 1060
CCXXXIX. *Ad Guidonem* de Brien *militem.* 1061
CCXL. *Ad Johannem regem Franciæ.* 1062
CCXLI. *Ad Andruynum cardinalem.* 1063
CCXLII. *Ad Eduardem regem Anglorum.* 1064
Ad Eduardum principem Walliæ. 1065 CCXLIII.
Ad Eduardum regem Anglorum. 1065 CCXLIV.
Ad Eduardum principem Walliæ. 1066 CCXLV.
Ad Androynum cardinalem. 1068 CCXLVI.
Ad Ægidium episcopum Sabinensem. ibid. CCXLVII.
Ad eumdem. 1069 CCXLVIII.
Ad eumdem. 1070 CCXLIX.
Ad eumdem. 1072 CCL.

ACTA VARIA DE SCHISMATE
PONTIFICUM AVENIONENSIUM.


Epistola Anglici Albanensis episcopi & Petri tituli S. Anastasiæ presbyteri, cardinalium ad Petrum Gandelini Castellani S. Angeli. 1073
Sermo factus per dominum patriarcham Constantinopolitanorum ad depositionem Urbani quondam Barrensis archiepiscopi. 1075
Littera domino cardinali Morinensi missa de Roma per quemdam suum olim familiarem domesticum. 1081
Allegationes electi Faventini nuncii B. factæ coram rege Castellæ. 1083
Probata coram rege Castellæ pro parte collegii & domini Clementis contra B. intrusum. 1094
Copia Litteræ domino nostro papæ Clementi transmissæ super declaratione Hispaniæ, quæ applicuit Avenioni die penultima Maii. 1098
Acta domini Toletani super facto schismatis ad dominum S. Eustachii cardinalem de necessitate & utilitate concilii generalis concludens. 1099
Oratio facta ad Cæsarem per dominum Raymundum Bernardi militem & legum doctorem consiliarium regis Franciæ & ducis Calabriæ & Andegavensis ad declarationem juris domini Clementis papæ VII. contra intrusum in Roma. 1120
Certificatio collegii cardinalium nomine cardinalis Albanensis. 1128
Epistola episcopi Condomensis ad regem Francorum Carolum VI. data an. 1393. 1129
Item ad Summum pontificem. 1130
Tractatus super materia schismatis per dominum episcopum Condomensem compilatus & compositus ac regi Franciæ transmissus, anno Domini MCCCXCIII. 1131
Littera ex parte dominorum archiepiscoporum Coloniæ & magnatum ac domini ducis Bavariæ post mortem Clementis regi Franciæ directa. 1132
Littera ex parte domini Benedicti papæ XIII. directa regi Aragoniæ. 1134
Littera ex parte domini Philippi de Alenconio universitati Parisiensi directa, an. 1395. die 7. Maii 1135
Requestæ factæ regi Franciæ per universitatem super facto unionis ecclesiæ, traditæ consilio regis ultima die Augusti, anno MCCCXCV. 1135
Copiæ litteræ regis Castellæ cardinalibus directæ in qua conqueritur de facto processu super unione ecclesiæ absque suo scitu, & hæc translata est de Hispano in Gallicum. 1136
Prattica pro unione ecclesiæ, quæ primo per cedulam tradita fuit pro parte domini Benedicti dominis ducibus ex parte regis ad eum missis. 1138
Prattica pro unione ecclesiæ habenda, quam post illam quæ hic scribitur dicitur aperuisse dominus Benedictus ex parte sua missa regi per nuntios regis Castellæ, quæ multum immutat de illa quam prius tradiderat. 1140
Sequitur additio regis Aragonum, &c. 1141
Verba episcopi Abulensis, qui ex parte domini Benedicti pratticam supra scriptam cum additione regis Aragonum supra scripta domino nostro regi præsentabat, &c. 1143
Sequuntur aliqua quæ supplenda videntur ad pratticam quam secunda vice aperuit dominus Benedictus, & per quæ potest videri & colligi quomodo in multis discrepabat à prattica primo per eum tradita. 1147
Ratio opportunior ad tollendum schisma æstimata est abrogatio ceu cessio utriusque partis contendentis. 1149
Via regis Castellæ. 1149
Prattica viæ cessionis per regem & ejus consilium avisata, & in effectu inseritur infra litteram quæ facta fuit de substractione. 1150
Lettres de Charles VI. Roy de France, par laquelle il commande au Senechal du Rovergue d'empêcher en sa Senechaussée de dogmatiser, & donner des écritures contraires à la voye de cession qu'il avoit choisie pour oster le schisme de l'Eglise. 1151
Litteræ Caroli VI. regis quod gratiæ factæ per dominum Benedictum non sortiantur effectum. 1153
Caroli *VI. Francorum regis declaratio, quomodo scribitur pontificatus in instrumentis durante substractione.* 1154
Epistola Collusii Florentini viri utique doctissimi, directa Jodoco Marchioni Brandeburgensi Marchioni Moraviæ pro facto unionis Ecclesiæ, laudans viam cessionis. 1155
Effectus propositionis factæ per dominum abbatem S. Michaëlis *coram rege Aragoniæ quando fuit missus ibi per regem, pro facto unionis ecclesiæ ad inducendum regem prædictum ad viam cessionis amplectendam, &c.* 1165
Copia consultationis & litteræ, quibus dominus

Rupertus dux Heydelbergensis informavit dominum Wenceslaum regem Bohemiæ qualiter se deberet habere & respondere in dieta ordinata ab ipso & domino rege Franciæ, & quomodo nullo modo debetet nec posset declinare ab obedientia domini Bonifacii, &c. 1172
Consultatio de recusanda obedientia Petro de Luna. 1177
Tractatus cardinalis Pictaviensis, qui etiam Prænestinus dicebatur, in quo exponit quædam motiva ad concilium generale convocandum pro tollendo schismate. 1193
Conradi de Geilenhusen ecclesiæ Wormatiensis præpositi tractatus de congregando concilio tempore schismatis. 1200
Scriptura brevis eorum quæ verbo proposuit cardinalis Prænestinus coram dominis ducibus & consilio regis ultima die mensis Novembris anno mcccc. priusquam recederet de Parisius. 1226
Copia appellationis interpositæ per Leodienses à papa eorum, post subtractionem obedientiæ per eos sibi factam. 1250
Epistola à reverendissimo patre domino Simone de Gramaudo patriarcha Alexandrino super materia unionis Ecclesiæ composita, missa per eum domino archiepiscopo Cantuariensi. 1230
Litteræ Ludovici II. regis Jerusalem & Siciliæ de restitutione obedientiæ facta Benedicto XIII. papæ. 1263
Tractatus & concordia habita inter dominum Benedictum & cardinales publicatus in præsentia dominorum Burgundiæ & Bituriæ Parisius in domo Tonrellarum, anno Domini mccccIII. die xxIX. Maii. 1266
Compromissum dominorum cardinalium in conclavi post obitum Bonifacii papæ IX. 1274
Epistola de electione Innocentii papæ VII. 1277
Copie de la Cedule bailiée au Roy & à Nosseigneurs par les Ambassadeurs du Roy de Castelle, l'an mccccv. contenant en effet ce qu'ils avoient exposé de bouche, & qu'ils disoient être à faire en la poursuite de l'union de l'Eglise. 1278
Littera Coloniensi universitati directa per collegium dominorum cardinalium tribus sigillis sigillata. 1280
Litteræ universitatis Coloniensis ad cardinalem Leodiensem promotorem. 1282
Ejusdem ad Gregorium papam XII. 1283
Ejusdem ad Collegium cardinalium. 1284
Bulla credentiæ domini Papæ universitati Coloniensi missa. 1285
Rescriptio universitatis super eadem bulla. 1285
Copia bullæ missæ universitati Parisiensi per dominum Gregorium ultimo electum in Roma. 1286
Copia litterarum domini cardinalis Aquilegiensis. 1288
Copia litterarum domini cardinalis Leodiensis ad universitatem Parisiensem. 1291
Copia litterarum domini cardinalis de Thureio ad universitatem Parisiensem. 1292
Litteræ missæ domino duci Bituriæ per dominos cardinales. 1293
Appellatio interposita per universitatem Parisiensem à domino Benedicto, anno Domini mccccvI. die Januarii. 1295
Copia instrumenti de deliberatione prælatorum Parisius congregatorum, anno ccccvI. super facto collationis beneficiorum in regno. 1307
Sequitur additio declarationis quæ postmodum facta fuit per prælatos, & concilium prædictum super materia dicti instrumenti, &c. 1310
Littera regis super libertate ecclesiæ Gallicanæ & Delphinatus, quoad provisiones in dignitatibus & beneficiis faciendas. 1311
Littera regis super libertate ecclesiarum regni & Delphinatus, quoad exactiones annatas & gravamina per papam imposita. 1311
Deliberatio & conclusio habita per prælatos super facto unionis ecclesiæ in concilio Parisius congregato, anno mccccvI. 1312
Capitula accordata in Massilia anno Domini mccccvI. 1312
Capitula accordata in Massilia, anno Domini mccccvII. die xxI. Aprilis inter dominum Benedictum ex una parte & legatos Gregorii, &c. 1314
Epistola oratorum regis ad Benedictum missorum ac ejusdem oratoris ad Gregorium XII. 1320
Publicum instrumentum securitatis omnimodæ datæ Gregorio XII. & cardinalibus ejus, Saonam ad tractandam ecclesiæ unionem profecturis. 1322
Acceptilatio ducentorum florenorum acceptorum à nunciis regis ad pontificem Romanum pro unione ecclesiæ. 1326
Petri episcopi Cameracensis, Philippi abbatis S. Dionysii, Johannis Gersonii cancellarii, & Jacobi de Nornano rationes ad differendam subtractionem. 1329
Epistola Johannis le Maingre *Franciæ marescalli Januæ gubernatoris ad regis Christianissimi oratores ad Gregorium XII.* 1331
Epistola ejusdem ad eosdem oratores. 1334
Epistola A. Bononiensis episcopi ad eumdem Johannem le Maingre. 1335
Responsio ipsius Johannis ad episcopum Bononiensem. 1335
Publicum instrumentum de imponenda nova decima ad prosequendam schismatis extirpationem. 1335
Litteræ scriptæ de Villa-Franca prope Nyciam cardinalibus. 1338
Gregorii XII. bulla ad Johannem ducem Bituricensem. 1339
Schedula adversus Benedictum XIII. 1340
Credentia magistro Johanni Francisci regi, dominis ducibus Bituricensi, Aurelianensi & Burgundiæ & Universitati. 1344
Memoria pro vera serie eorum quæ gesta sunt in facto unionis ecclesiæ, anno mccccvII. per dominum nostrum regem Franciæ, &c. 1347
Littera regis super instructione data ambaxiatoribus ex parte sua missis, pro facto unionis Ecclesiæ ad papam Benedictum, & ad illum de Roma. 1357
Instruction de ceux qui sont ordonnés par le Roy & l'Eglise de France & le Dalphiné, pour

pourchassier la paix & union de l'Eglise, entre le pape Benedict & celuy qu'on appelle Gregoire à Rome & leurs Colleges. 1358
Extractum de quodam instrumento faciens ad practicam agendorum in facto unionis, & habendi papam unicum. 1363
Responsio data per Gregorium ambassiatoribus domini Benedicti, anno Domini mccccvii. die Veneris xxix. Julii. 1366
Responsio per dictum dominum Gregorium in Roma ambaxiatoribus domini Benedicti, & ambaxiatoribus regis Franciæ pro facto unionis, anno mccccvii. ultima Julii. 1367
Alia responsio adhuc data per dictum dominum Gregorium, anno prædicto iii. Augusti in Roma. 1374
Responsio cardinalium de Roma data ambaxiatoribus regis Franciæ ad certam requestam per eos eis factam, quando volebant de Roma recedere. 1375
Supplicatio facta papæ in Marsilia per illos de ambaxiata regis, qui ibi dimissi fuerant secundum ordinationem totius ambaxiatæ. 1376
Litteræ per quinque cardinales papæ directæ, per quas consulebant offerri civitatem Pisanam. 1377
Responsio data per dominum Benedictum, anno mccccvii. ii. Septembris ambaxiatori domini Gregorii petenti mutationem loci de Saona. 1378
Istud quod Gregorius fecit prædicari & publicari die omnium sanctorum Senis, anno Domini mccccvii. pro excusatione sua de hoc quod non iverat Saonam. 1382
Tres viæ seu modi exhibiti seu oblati domino Benedicto pro parte Gregorii apud Saonam, anno mccccvii. 1385
Copia litterarum regis Ladislai ad dominum Gregorium, per quas apparet eum non disconsulere conventionem ad locum Saonæ. 1386
Responsio data per dominum Benedictum ambaxiatoribus Gregorii apud Saonam, super hoc quod sibi offerebant aliqua loca ad conveniendum. 1386
Acta oratorum regis Castellæ ad Benedictum xiii. 1390
Consilium de modo procedendi ad tollendum schisma. 1391
Versus qui dicebantur super collusione quam super papatu dicebantur habere P. de Luna dictus Benedictus XIII. & Angelus Corrario dictus Gregorius XII. 1394
Copia appellationis interpositæ inter cardinales illius de Roma à papa suo, postquam ipsi ab eo recedentes venerunt de Luca apud civitatem Pisanam. 1394
Quædam deliberata per concilium ecclesiæ Gallicanæ Parisius durante subtractione servanda circa quatuor. Primo circa absolutionem peccatorum reservatorum. 2. Circa dispensationes, &c. 1398
Litteræ Januensium de neutralitate seu de non obediendo alteri contendentium de papatu. 1408
Sequuntur aliquæ propositiones utiles ad exterminationem schismatis per viam consilii traditæ per episcopum Cameracensem. 1409
Responsio cardinalium de obedientia Gregorii data ambassiatoribus Venetorum & Florentinorum, &c. 1411
Memoire donné à Maistre Adrien Cottin, pour le fait des libertez de France. 1419
Litteræ Johannis ducis Bituricensis, quibus episcopatum Biterrensem & bona restitui jubet Bertrando de Maumont *episcopo, qui tempore neutralitatis aliquandiu remanserat cum Petro de Luna.* 1425
Epistola magistri Johannis Guiart *de sua ad Benedictum apud Perpinianum legatione.* 1426
Fragmentum tractatus de potestate & jure cardinalium ad convocandum concilium tempore schismatis. 1428
Epistola Johannis papæ XXIII. ad Bernardum comitem Armaniaci. 1432
Ejusdem ad Bonam comitissam Armaniaci. 1433
Ejusdem ad Johannem Vicecomitem Leomaniæ. 1433
Ejusdem ad Glayolum militem magistrum hospitii comitis Armaniaci. 1433
Ejusdem ad Bernardum de Labatut *consiliarium comitis Armaniaci.* 1433
Ejusdem ad Guillelmum de Solagiis militem conciliarium comitis Armeniaci. 1433
Ejusdem ad Raymundum de Sestarolis. 1433
Ejusdem ad Alamannum archiepiscopum Pisanum & Gaufridum electum Xanctonensem. 1433
Bonifacii Ferrerii majoris Carthusiæ prioris tractatus pro defensione Benedicti XIII. 1455 *& seq.*
Epistola Bonifacii Ferrerii prioris majoris Carthusiæ ad fratrem Bernardum. 1529
Epistola Benedicti XIII. ad cap. gen. ordinis Carthusiensis. 1533
Avisamenta petita per anticardinalem Barensem Italicum quem intrusus Johannes Bononiensis, olim dictus cardinalis mittendum antilegatum ad partes istas decreverat, anno mccccx. 1534
Instrumentum publicum editum in concilio Parisiensi de deputandis ex provincia Rothomagensi ad concilium Constantiense, & de subventione ipsis facienda. 1538
Litteræ vicariorum generalium G. episcopi Ebroicensis continentes litteras concilii Constantiensis ad Ludovicum Rothomagensem archiepiscopum & ejus suffraganeos de subsidio concedendo ad dictum concilium deputatis. 1541
Instrumentum publicum deliberationum nationis Gallicanæ in concilio Constantiensi super materia annatarum. 1543
Variæ epistolæ oratorum Universitatis Coloniensis ad concilium Constantiense directorum aliorumque, & nonnulla monumenta de schismate & actis in concilio Constantiensi. 1609. *& seq.*
Epistola seu littera universitati Coloniensi directa per ambaxiatores ejusdem. 1609
Oratorum ejusdem universitatis ad eamdem. 1611
Eorumdem ad eamdem. 1612
Eorumdem ad eamdem. 1613

Eorumdem ad eamdem. 1613
Responsio domini nostri papæ ad petitiones nationum, quibus petebatur constitutio procuratoria, & quod concilium non dissolvatur ante perfectam unionem, &c. 1614
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1616
Copia bullæ domini Johannis papæ XXIII. super cessione sui papatus. 1618
Copia litteræ quam in crastino S. Benedicti misit papa domino regi Romanorum post recessum ejus occultum de Constantia. 1618
Epistola ambaxiatorum universitatis de Constantia ad eamdem. 1618
Cedula affixa ad valvas palatii episcopalis Constantiensis die Lunæ VIII. Martii MCCCCXV. 1620
Duodecim propositiones quas in vigilia palmarum proposuit, coram omnibus prælatis & aliis in concilio existentibus eximius sacræ Theologiæ doctor cancellarius Parisiensis. 1623
Decreta & definita in prima cessione, &c. 1624
Decreta & definita in secunda sessione, &c. ibid.
Littera universitatis Parisiensis ad concilium Constantiense. 1625
Copia litteræ Parisiensis universitatis ad suos nuncios missa, cui littera quam scribunt papæ est inserta. 1625
Sessio quinta. ibid.
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1625
Bulla papæ in qua allegat metum. 1626
Littera ducis Austriæ. 1626
Littera concilii scripta universitati Coloniensi. 1626
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1629
Decreta in sessione IV. post recessum papæ. 1630
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1630
Eorumdem ad eamdem. 1632
Littera quam unus Carthusianus scripsit alteri de reductione & suspensione papæ, &c. 1634
Sententia lata XIV. Maii. 1635
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1636
Sententia qua Johannes XXIII. privatur papatu per generale concilium Constantiense quæ lata fuit XXIX. Maii. 1637
Copia litteræ quam Johannes papa propria manu scripsit domino regi. 1638
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam de cessione papatus facta à Gregorio XII. 1638
Eorumdem ad eamdem. 1639
Eorumdem ad eamdem. 1641
Epistola nuntiorum concilii Constantiensis ad Petrum de Luna. 1642
Epistola Ferdinandi Aragonum regis ad Sigismundum Romanorum regem. 1643
Ejusdem epistola altera ad eumdem. 1644
Ejusdem ad eumdem. 1645
Epistola scripta concilio Constantiensi per Angelum Corrario. 1645
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1647
Responsio finalis facta domino imperatori per Petrum de Luna in Perpinione XIII. Octobris MCCCCXV. 1648
Cedula præsentata in Perpinione XIV. Octobris MCCCCXV. 1648
Pro vero statu dicti domini P. post ejus renuntiationem sibi offerenda. 1649
Epistola Wladislai Poloniæ regis ad concilium Constantiense. 1650
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1654
Eorumdem ad eamdem. ibid.
Epistola Jacobi Turonensis archiepiscopi ad consilium Constantiense. 1655
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad concilium Constantiense. 1656
Epistola oratorum universitatis ad ipsam. 1656
Littera missa regi Romanorum post substractionem obedientiæ. 1658
Copia substractionis per regem Aragonum factæ domino P. de Luna, &c. 1659
Copia Litteræ clausæ ex parte domini regis Aragonum directæ domino imperatori. 1659
Epistola Sigismundi imperatoris ad Ludovicum Bavariæ ducem. 1659
Epistola oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1660
Eorumdem ad eamdem. 1661
Eorumdem ad eamdem. 1661
Eorumdem ad eamdem. 1662
Eorumdem ad eamdem.. 1663
Alphonsi regis Aragonum venerabilibus cardinalibus, &c. patribus Constantiæ congregatis. 1664
Oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1665
Eorumdem ad eamdem. 1666
Eorumdem ad eamdem. 1667
Eorumdem ad eamdem. 1668
Eorumdem ad eamdem. 1669
Littera quam unus nuntiorum qui per concilium Constantiense fuerunt missi ad citandum Petrum de Luna scripsit episcopo Rigensi. 1669
Oratorum universitatis Coloniensis ad ipsam. 1673
Eorumdem ad eamdem. 1674
Eorumdem ad eamdem. 1675
Eorumdem ad eamdem. 1676
Eorumdem ad eamdem. 1676
Eorumdem ad eamdem. 1677
Schedula cardinalium Constantiensis concilii in gratiam Sigismundi Romanorum regis & de reformatione Ecclesiæ procuranda. 1678
Sententia lata contra Petrum de Luna. 1680
Consultatio Theologorum de nonnullis propositionibus erroneis circa materiam unionis. 1680
Oratorum universitatis Coloniensis epistola ad rectorem ejusdem. 1685
Responsio. 1686
Epistola universitatis Coloniensis ad T. archiepiscopum Coloniensem. 1687
Martini papæ V. epistola ad universitatem Coloniensem. 1688
Epistola Collegii cardinalium ad universitatem Coloniensem. 1690
Instrumentum studii Heydelbergensis traditum nuntio sibi nuntianti electionem domini Martini

tini papæ V. 1692
Oratorum universitatis Coloniensis epistola ad ipsam. 1694
Eorumdem ad eamdem. 1695
Eorumdem ad eamdem. ibid.
Eorumdem ad eamdem. 1696
Avisamentum circa collationem beneficiorum, & gratias expectativas. 1696
Epistola universitatis Coloniensis ad præcedentes responsiva. 1697
Litteræ Johannis Ostiensis episcopi ad universitatem Coloniensem. 1699
Epistola universitatis Coloniensis ad concilium Constantiense. 1708
Ejusdem epistola ad Theodoricum de Monasterio, & Johannem de Monte, de Johanne de Prussia suspecto de hæresi. ibid.
Alia ejusdem universitatis epistola ejusdem argumenti. 1710
Alia ejusdem ad Johannem Ostiensem episcopum. 1711
Ejusdem ad eumdem. ibid.
Epistola Giraldi de Brie *ad consules Albienses.* 1712
Epistola Sigismundi imperatoris ad B. tituli S. Clementis S. R. E. cardinalem. 1713
Johannis de Thurena anticardinalis litteræ ad Johannem Armaniaci comitem, & universos Christi fideles de publicatione electionis Benedicti XIV. antipapæ ab ipso electi in papam. 1714. & seq.
Litteræ Johannis comitis Fuxensis ad dominum d'Audous *& Nicolaum* de Bologne. 1748
Litteræ Caroli VII. regis Francorum de præstanda Eugenio IV. obedientia. 1749
Epistola universitatis Cracoviensis ad Parisiensem. 1751
Oratio Guillelmi de Perreriis in electione summi pontificis. 1753
Roberti Gislebii Maximiliani Romanorum regis & Philippi Austriæ archiducis oratoris ad sedem apostolicam, de episcopatu Tornacensi. 1760
Innocentii papæ VIII. epistola ad Maximilianum Romanorum regem, de episcopatu Tornacensi. 1765
Epistola sacri collegii dominorum cardinalium, ad eumdem regem de eodem. 1767
Leonelli episcopi Concordiensis oratio in funere Innocentii papæ VIII. 1768
Johannis Valesii epistola ad Didacum de Muros archidiaconum Cremonensem. 1773
Bernardini Carvajal episcopi Pacensis oratio de eligendo summo pontifice. 1775
Christophori Marcelli electi Corcirensis oratio ad Leonem X. pontificem Maximum de sumenda in Turcas provincia. 1787





INDEX ALPHABETICUS EORUM AD QUOS SCRIPTÆ SUNT HUJUS TOMI EPISTOLÆ.

EPISTOLARUM URBANI IV.

Ægidio archiepiscopo Tyrensi, 7. 8. 47.
Alberto apostolicæ sedis notario, 21. 23. 26. 28. 30. 33. 35. 43.
Archiepiscopis, episcopis abbatibus, &c. regni Franciæ, &c. 54.
Archiepiscopis, episcopis abbatibus, &c. 62.
Archiepiscopis Hispaniæ, 1.
Auxitano archiepiscopo, 75.
Bituricensi archiepiscopo, 94.
Carolo Andegaviæ & Provinciæ comiti, 9. 19. 49. 86.
Collectoribus subsidii Terræ-Sanctæ destinati, 48.
Coloniensi archiepiscopo, 6.
Magdeburgensi archiepiscopo, 6.
Manfredo Siciliæ regi epistola Balduini imperatoris Constantinopolitani, 23.
Manfredo quondam Tarentino principi, 90.
Simoni cardinali apostolicæ sedis legato, 52. 53. 59. 60. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 72. 74. 76. 77. 79. 80. 81. 82. 87. 89.
Theobaldo regi Navarræ, 1.
Trecensi episcopo, 28.
Trecensi B. Mariæ ad moniales abbatissæ, &c. 3.
Urbano IV. rescriptum Manfredi. 91.

EPISTOLARUM CLEMENTIS PAPÆ IV.

A. Basilicæ XII. apostolorum presbytero cardinali, 146.
A. SS. Apostolorum presbytero, R. S. Angeli, J. S. Nicolai in carcere Tulliano, J. S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus, 130.
A. titulo S. Praxedis presbytero cardinali, 263.
Abbatibus prioribus archipresbyteris, &c. 460.
Abbatissæ & conventui Montispessulani ord. S. Claræ, 460.
Ademaro de Pictavia comiti Valentinensi, 502.
S. Ægidii abbati, 325. 528. 538. 572.
Agathensi episcopo, 256.
Albanensi episcopo, 315. 316. 335. 340. 356. 438. 464. 505.
Alphanto de Terrascone militi, 300.
Alphonso comiti Pictaviensi & Tholosano, 241. 300 305. 313. 385. 427. 494. 495. 529. 561. 589.
Alviciæ relictæ Guillelmi Bulbonensis militis, 590.
Amalrico de Rupe Magistro domorum militiæ templi in Francia, 534.
Amato de Amatis,
Angelerio Bonellæ mercatori Florentino, 152.
Angeriacensis monasterii S. Johannis abbati, 339. 365. 585.
Angliæ reginæ, 115. 213. 573.
Anguilariæ comiti, 425.
Anianensis monasterii abbati, 257.
Aniciensis ecclesiæ statuta, 476.
Appamiensi abbati, 628.
Aquensi archiepiscopo 346.
Ar. Capocii capitaneo urbis Romæ, 489.
Aragonum regi, 98. 139.
Aragonum illustri regi, 182. 277. 278. 391. 440. 448. 468. 603.
Archiepiscopis ac universo clero per Aquensem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Archiepiscopis ac universo clero per Auxitanam, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Archiepiscopis ac universo clero per Bisuntinam &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Archiepiscopis ac universo clero per Burdegalensem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Archiepiscopis, episcopis & abbatibus, &c. in regno Siciliæ constitutis, 598.
Aretino episcopo, 161. 180. 181. 618.
Ariminensi potestati & communi, 217.
Armanno Asturiensi electo, 431.

Armeniæ regi, 170.
Assisinati potestati, & consilio & communi, 616.
Atrebatensi episcopo, 181.
Avenionensi episcopo & decano, domino Uteriæ ejus germano, 496.
Avenionensi episcopo, 501.
Augi comiti, 290.
Autissiodorensi episcopo, 200.
Magistro B. Languiselli archidiacono Lantarensi in ecclesia Tolosana, 350.
Magistro B. &c. 433.
Magistro B. præposito, &c. 454.
Bajocensi episcopo, 181.
Balduino imperatori Constantinopolitano, 354.
Barchinonensi archidiacono, 607.
Baronibus & nobilibus potestatibus & rectoribus per patrimonium S. Petri in Tuscia constitutis nostris & ecclesiæ Romanæ rectoribus, 513.
Nobili viro domino Baucii Potestati Mediolanensi, 202. 289. 334. 543.
Baudono domino castri-novi, 496.
Belæ regi Hungariæ, 271.
Belvacensi episcopo, 357.
S. Benedicti de Nursia abbati, 217.
Bertrando archiepiscopo Arelatensi, 521.
Bertrando Tholosanæ ecclesiæ proposito, 518.
Bertrando Albæ militi, 451.
Biterrensi episcopo, 256. 533.
Biterrensibus civibus, 461.
Bohemiæ regi illustri, 531. 576.
Potestati capitaneo ancianis consilio & communi Bononiensi, 620.
Bracharensi archiepiscopo, 294.
Brixen. universis civibus, per quos nunc civitas regitur, 567.
Cæciliæ Fulcodiæ, 591.
Calaguritano episcopo, 345.
Archiepiscopis & universo clero per Cameracensem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Cantuariensi archiepiscopo, 510.
Carcassonensi senescallo, 131.
Cardinalibus qui sunt in Urbe, 163. 176.
Carolo Andegaviæ ac Provinciæ comiti, 97. 117. 141. 186. 187. 153. 160. 173. 195. 203. 219. 220. 239. 246. 249. 251. 254. 256. 257. 260. 264. 266. 267. 268. 273. 274. 276. 280. 306. 310. 320. 368. 371. 372. 377. 378. 406. 409. 431. 437. 441. 444. 451. 505. 515. 516. 520. 524. 525. 529. 537. 544. 545. 546. 547. 554. 569. 573. 574. 579. 587. 598. 599. 610. 615. 625. 628. 629. 630. 632. 634.
Casæ Dei abbati, 218.
Castellæ & Legionis regi, 193. 303. 488. 489. 496. 499. 534.
Castellanensi Potestati consilio & comitatui, 148.
Castelli rectoribus consilio & universitati, 565.
Fratri Cathalano ordinis militiæ virginis, 321. 361.
Cathalano rectori civitatis Florentinæ, 429. 436.
Cenomanensi episcopo, 398.
Cinthio Remensi canonico, 618.
Cinthio rectori consilio & communi Cornetano, 632.
Cistercienfi abbati & capitulo generali, 171.
Clarimontis episcopo, 511. 568.
Clementi papæ IV. epist. Caroli regis, 283. 624.
Clero Gallicano, 243.
Cluniacensi abbati, 545.
Constantinopolitano Patriarchæ, 439
Cornetanensi potestati consilio & communi, 258. 519.
Crassensi abbati & conventui, 594.
Cremonensi potestati, &c. 569. 570.
Cusentino archiepiscopo, 161. 175. 203. 266.
Cypri regi, 135.
S. Dionysii abbati, 599. 600. 601.
Archiepiscopis ac universo clero per Ebredunensem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Ebroicensi episcopo, 337.
Viro illustri & magnifico principi in genti nobili Tartarorum Elchani Apacha, 517.
Ermengaudo de Melgorio militi, 239. 314.
Potestati consilio & communi Eugubino, 209.
Ferrando priori domus S. Ægidii hospitalis S. Johannis Jerosolymitani, 292.
Florentinæ civitatis rectoribus, 361. 378. 418. 428. 429. 436. 456. 613. 615.
Fortibrach de Romagniola, 133.
G. S. Georgii ad Velum-aureum diacono cardinali, 263. 464. 535.
G. Marchioni Montis-ferrati, 172.
G. de Medio-Bladi militi regni Siciliæ citra Farum capitaneo generali, 530. 533. 579. 581.
G. dicto Bota civi Massiliensi, 572.
Galliæ nobilibus universis, 335.
Gardiano fratrum Minorum Belvacensium, 509.
Gardiano & fratribus Minoribus Montis-flasconis, 250.
Gordiano & lectori fratrum Minorum in Montepessulano, 359.
Gastoni vice comiti Biarnensi, 569.
Gaufrido de Bello-monte cancellario Bajocensi apostolicæ sedis legato, 263. 276.
Gaufrido de Sarginis regis Jerosolymitani senescallo, 169. 392. 408. 468.
S. Germani abbati, 619.
S. Germani archipresbytero, 619.
Girardo de Ramplion canonico Senonensi, 608.
Gregorio X. epistola Caroli regis Siciliæ, 635.
Giraudo Longo potestati Urbevetanæ, 597.
Guelforum capitaneo, 440.
Guelforum Bononiensium capitaneo, 621.
Guelforum Florentinorum capitaneo & Patri, 454.
Guidino Adillano Juveni duci Sueviæ, 156.
Guidoni S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali, 148. 259. 464. 535.
Guido de Alvernia præposito Insulensi Morinensis diocesis, 411.
Guidoni Guerræ comiti Tusciæ Palatinæ, 613.
Guillelmo de S. Amore, 417.
Guillelmo de Portu Jurisperito seniori, 375.
Guillelmo de Tonneux *ordinis Prædicatorum*, 615. 618.
H. Ostiensi & Velletrensi episcopo, 627.
H. comiti Lucelburgensi, 387.
Heliæ capellano, 373.
Heliæ de Caturco canonico Parisiensi, 608.
Heliæ Peleti capellano canonico Belvacensi, 514. 516. 523.
H. filio F. quondam regis Castellæ, 438.
Henrico nato Claræ memoriæ. A. regis Castellæ

& Legionum senatori Urbis, 537. 548. 555. 556. 572. 575.
Adversus Henricum regis Castellæ filium Urbis senatorem. 540.
Henrico regis Navarræ germano, 124.
Henrico domino Soliaci, 619.
Nobili viro domino de Heusalise, 388.
Hispalensi archiepiscopo, 137. 144. 475.
Hugoni dico Staqua capitaneo Aquilæ, 602.
J. SS. Cosmæ & Damiani diacono cardinali, 634.
J. S. Mariæ in Cosmedim diacono cardinali, 130. 146.
J. S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali apostolicæ sedis legato, 130. 146. 167. 185. 186. 318. 324. 338: 363. 370. 375. 389.
Jacobino Rubeo civi Pavinensi, 566.
Jacobo regi Aragonum illustri, 362. 371.
Jacobo filio regis Aragonum, 211. 392.
Jacobo de Collemedio, 429.
Jacobo nato quondam Diusalvi civi Senensi, 613.
Jerosolymitano patriarchæ, archiepiscopis, & episcopis, &c. universis etiam baronibus regni Jerosolymitani, 169.
Jerosolymitano patriarchæ, 293. 392. 408. 468.
Præceptori Hospitalis & Templi Jerosolymitani, 392.
Johanni electo Remensi, 409.
Johanni archiepiscopo Remensi, 449.
Johanni Ambaldo proconsuli Romanorum, 591.
Inquisitoribus contra Tolosanum episcopum deputatis, 404.
Insulensis ecclesiæ decano & capitulo Tornacensis diocesis, 589.
Isabellæ illustris regis Franciæ germanæ, 588.
Juliacensi comiti, 388.
L. Relictæ quondam Areasbæ militis, 450.
Lanfranguino Malesæ & Lucerto civibus Januensibus, 628.
Lincolniensi episcopo, 466.
Lismorensi episcopo, 577.
Lodovensi episcopo, 256.
Lotharingo ordinis militiæ virginis, 321. 361.
Lotharingo rectori civitatis Florentinæ, 429. 436.
Lucano consilio & communi, 318.
Ludovico regi Franciæ illustri, 122. 128. 130. 165. 184. 240. 241. 288. 327. 371. 401. 405. 415. 426. 432. 521. 563. 580. 586. 603. 604. 607. 610. 629.
Lugdunensi electo, 462.
Archiepiscopis ac universo clero per Lugdunensem Viennensem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Decanis & capellanis ecclesiæ & provinciæ Lugdunensis, 159.
Luxoviensi archidiacono in Ecclesia Bisuntina, 616.
M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali, 147. 154. 162. 163. 173. 183. 184. 192. 263.
M. Ordinis fratrum Minorum capellano nostro, 442.
Magistris & fratribus hospitalis S. Johannis & domus militiæ templi, 169. 291. 408. 468. 633.
Magalonensi episcopo, 191. 256. 403. 459. 461. 584.
Ad superiores monasteriorum Magalonensis diocesis, 459.
Malatestæ, 621.
Malatestæ civi Ariminensi, 215. 627.
Majoris monasterii abbati & conventui, 140.
Manfredo Veronensi electo, 150. 609.
Manfredo quondam principi Tarentino, 274. 275.
Manfredo Marchioni Malæ-spinæ, 575.
Mantuano potestati consilio & communi, 499.
Marguaritæ reginæ Franciæ, 213. 365.
B. Mariæ de Tabulis priori, 298.
Generali ministro & fratribus ordinis Minorum, 614.
Monello Marchioni Malæ-spinæ, 575.
De Monte alto potestati, 258.
Montis-majoris abbati Arelatensis diocesis, 508.
Ad Montispessulani consules & universitatem, 265 317. 455. 463. 612.
Ad Nantensem abbatem, 473.
Narbonensi archiepiscopo, 167. 287. 536. 559.
Navarræ regi, 109. 125. 337.
Navarræ reginæ, 109.
Nemausensibus civibus, 461.
Nero Fornarii mercatori Florentino, 152.
Nicolao capellano, &c. 450.
Nobilibus Urbis, 106.
Nicolao rectori ecclesiæ Volubricæ capellano nostro, 591.
O S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato, 166. 186. 190 200. 211. 240. 247. 250. 301. 319. 328. 355. 413. 422. 466. 467. 511. 542. 611.
O S. Mariæ in via lata diacono cardinali, 317.
O. Veronensi electo ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori, 593.
Octaviano, 213.
Odoni Gualducii civi Pisano, 442.
Olivario de Terminis, 147.
Ortanensi potestati, 258.
P. imperatori Græcorum, 468.
P. Romani proconsuli Romanorum, 527.
P. de Marerio, 156.
Parisiensi episcopo, 531.
Parisiensi decano, 384.
Perusinis, 609.
Petro illustris regis Aragoniæ primogenito, 210.
Petro de S. Ægidio, 110.
Petro Notario, 123.
Petro priori S. Pastoris Cisterciensis ordinis. 155.
Petro Raymbaldo de Carumbo, 315.
P. Rambaldi & G. uxori ejus, 591.
Philippo de Monte-forti, 185.
Philippo de Ægris ordinis hospitalis Jerosolymitani, 633.
Ph. de Euglis Hospitalis Jerosolymitani, & aliis ejusdem ordinis fratribus in regno Siciliæ constitutis, 532.
Potestati capitaneo & Ancianis prope Pisam, 106. 457.
Portugalliæ episcopis, 294.
Portugalliæ episcopis, 294.
Magistro & fratribus ordinis Prædicatorum, 141. 144.

144. 212. 446. 493. 502. 606. 614.
Ad definitores capituli generalis ordinis fratrum Prædicatorum, 281. 282. 397. 474.
Priori provinciali fratrum Prædicatorum Provinciæ, 353.
Priori & lectori fratrum Prædicatorum in Monte pessulano, 359.
Ad capitulum generale ordinis fratrum Prædicatorum, 444.
Magistro ordinis fratrum Prædicatorum, 493.
Ad fratres ordinis Prædicatorum, 502.
Priori Prædicatorum Belvacensium, 509.
Provisori pauperum magistrorum, & ipsis magistris in Theologiæ facultate studentibus in Vico ad portas ante palatium de terminis Parisiensibus sub vita communi degentibus, 583.
Psalmodiensi abbati, 498.
Radicofanensi potestati consilio & communi, 172.
Radulfo episcopo Albanensi cardinali, 263. 298. 305. 368. 377. 388 390. 395. 400. 414. 443. 445. 447. 451. 535. 536. 546. 562. 567. 571. 575. 577. 582. 583. 584. 589. 593. 594.
Raymundo dicto Acbran ordinis fratrum Minorum, 395.
Raymundo Alfredi canonico Aniciensi, 423.
Ravennensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, 518. 567. 597.
Reatino episcopo, 585.
Reatinensi potestati & communi, 378. 626.
Remensi archiepiscopo, 503.
Decanis & capellanis ecclesiæ & Provinciæ Remensis, 157.
Ricco Bonaguidæ mercatori Florentino, 152.
Richardo S. Angeli diacono cardinali, 130 .33. 143. 215. 419.
R. Sequini de Melgario, 495.
R. Martini civi Montispessulani, 558.
Fratri de Rocelene ordinis fratrum Minorum, 609.
Rogerio dicto Baccon, 358.
Romanensis fraternitatis rectoribus, 544.
Ruthenensi episcopo, 376.
S. Toletano electo, 430.
S. comiti Tusciæ Palatino, 500.
S. Savini de Firmo abbati, 627.
Senensi episcopo, 513. 520.
Senonensi archiepiscopo, 580. 587.
Sicardo Alemanni, 142.
Silviniacensi Priori & conventui, 453.
Simoni cardinali S. Cæciliæ apostolicæ sedis legato, 101. 102. 104. 105. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 118. 119. 120. 121. 122. 123 125. 127. 128 132. 138. 139. 149. 151. 152. 168. 177. 178. 189. 194. 196. 199. 201. 207. 213. 238. 243. 244. 245. 246. 248. 255. 258. 262. 269. 286. 289. 295. 297. 300. 304. 312. 322. 341. 343. 344 352. 353. 355. 364. 366 367. 375. 379. 381. 382. 383. 385. 386 387. 389. 412. 415. 416. 419. 420. 421. 424. 434. 452. 462. 472. 504. 522. 526 539. 557. 562. 621.
Simoni Tituli S. Martini presbytero cardinali Marchiæ Anconitanæ ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato, 134. 136. 143. 145. 160. 162. 182. 216. 253. 285. 286. 293. 309. 311. 316. 326. 345. 361. 365. 374. 416. 434. 473.
Universis ecclesiæ Romanæ fidelibus per ducatum Spoletanum & Anconitanam Marchiam constitutis, 467.
Stampensi archidiacono in ecclesia Senonensi, 112.
Surentino archiepiscopo, 630.
Taddæo comiti Feltrensi Potestati Ariminensi, 216. 627.
Archiepiscopis ac universo clero per Tarentasiensem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Suffraganeis & capitulo ecclesiæ Terraconensis, 605.
Præposito, archidiacono, & aliis ecclesiæ Tarraconensis canonicis universis, 605. 607.
Theobaldo regi Navarræ campaniæ & Briæ comiti, 208. 360. 490. 581. 622. 631.
Fratri Thomæ de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum, 505.
Archiepiscopis & universo clero per Torn n-sem, &c. civitates & dioceses constitutis, 244.
Trecensis ecclesiæ S. Stephani decano, 616.
Trevirensi archiepiscopo, 549.
Tuscanensi potestati, 258.
Universis Christi fidelibus in Tusciæ partibus, Romano subjectis imperio, constitutis, 588.
Tyrensi archiepiscopo, 126. 127. 261. 313.
Ucetiensi episcopo, 474.
Ucetiensi præposito & capitulo, 329.
Vercellensi episcopo, 538.
Veronensi electo vel ejus locum tenentibus, 622. 629.
Vetrallensi Potestati, 258.
Vicentino episcopo, 358.
S. Urbani collegiatæ Trecensis fundatio, 204.
Urbe-vetano episcopo, 394.
Urbis vicario, 107. 321. 510. 512.
Urbinatis potestati capitaneo & communi, 163.
Wintoniensi episcopo, 578.
Ysnardo Ugolino militi vicario illustris regis Siciliæ in civitate Florentina, 602. 613. 620.

EPISTOLARUM INNOCENTII VI.


ADemaro comiti Valentino, 872.
Adriensis civitatis universitati, 885.
Ægido episcopo Sabinensi, 886. 897. 901. 909. 921. 932. 934. 952. 971. 973. 994. 1068. 1069. 1070. 1072.
S. Agathæ comiti. 886.
Alatrinensis civitatis concilio & communi, 930.
Alenconii comiti, 856.
Alexandro Brancatio regni Siciliæ marescallo, 886.

Amedeo comiti Gebennensi, 856.
Amedeo comiti Sabaudiæ, 750. 864. 873.
Americo electo Wulterano, 1028.
Andreæ episcopo Ariminensi apostolicæ sedis nuntio, 844. 876.
Androino abbati Cluniacensi, 894. 896. 940. *Postea cardinali*, 1063. 1068.
Andryno de Aera Thesaurario comitatus Venayssini, 1010.
Angelo Tavernini civi Viterbiensi, 843. 889.
Aniciensi episcopo, 857.
Antonio comiti Casertano, 886.
Antonio comiti Catauzerii, 886.
Antonio de S. Severino, 886.
Aquilæ civitatis universitati, 885.
Archiepiscopis episcopis, &c. 890.
Arelatensi Januensi & Pisano archiepiscopis, 905. 907.
Aretino consilio & communi, 1022.
Arnaldo de Borvvea, 878. 879.
Arnesto episcopo Pragensi, 980. 981. 986.
Johanni de Artesia, 856.
Astoricensis ecclesiæ capitulo, 964.
Aversanæ civitatis universitati, 885.
Augerio de Osserano abbati seculari S. Marcelli Legionensis, 963.
Augi comiti, 856.
Autissiodorensi comiti, 856.
Baroli Universitati, 885.
Bellimontis domino, 856.
Bernabovi de vicecomitibus militi Mediolanensi, 907. 926.
Bernardo de Capraria militi, 851. 875.
Bernardo Rasacacii & Neapoleoni de Posterolis, 1049.
Bernardo de Seulenborgh canonico Magdeburgensi, 1058.
Bertrando archiepiscopo Neapolitano, 915. 952. 957.
Bertrando episcopo Lubicensi, 1054.
Bertrando episcopo Convenarum, 1009.
Bertrando abbati de Toroneto & Gerardo Mercaderii, 1007. 1051.
Bertrando de Casthaneyo, 1040.
Blaghiaci comiti, 856.
Bononiensis civitatis, Ancianis & consulibus, 933. 1024.
Brandeburgensi Marchioni, 974.
Britanniæ duci & ducissæ, 865.
Brundisinæ civitatis universitati, 885.
Burchardo comiti Magdeburgensi, 982.
Domino de Camera vice-comiti Maurianensi, 856.
Cantuariensi archiepiscopo & ejus suffraganeis, 965.
Cantuariensi archiepiscopo, episcopo Oxoniensi & abbati Cluniacensi, 1016.
Capuanæ civitatis universitati, 885.
Carnotensi capitulo, 1049.
Carolo imperatori Romanorum, 859. 983. 986. 989. 1000. 1003. 1012.
Carolo duci Britanniæ, 895 1009.
Carolo duci Normanniæ, 854.
Cenno Benevenuto de Vigiano, 1008.
Cluniacensi abbati, 1016.
Clusino episcopo & Johanni de Lamanhaina canonico Agennensi, 1001.
Comiti de Crao, 856.
Conrado de Heygenstad canonico Friginsensi, 864.
Corrado de Aqua-viva comiti S. Valentini, 886.
Cusentinæ civitatis universitati, 885.
Deodato episcopo Agennensi, 1056.
Dominico de Campo Casseo canonico Januensi, 845. 888.
Dominico de Lestar, 1040.
Eboracensi archiepiscopo & ejus suffraganeis, 969.
Ad cives Ebredunenses, 852.
Eduardo regi Anglorum, 893. 1026. 1036. 1059. 1064. 1065.
Eduardo principi Walliæ, 1038. 1060. 1065. 1066.
Eduardi regis Angliæ commissariis, 896.
Eliæ abbati S. Salvatoris de Blavia, & Petro Brunelli, 1016. 1039.
Elionoræ reginæ Aragonum, 850. 868. 875.
Engelberto episcopo Leodiensi, 944.
S. Eutropii Priori, 882.
Falconi Perrerii præposito ecclesiæ Valentinensis apostolicæ sedis nuncio, 1043.
Ferdinando episcopo Astoricensi, 962.
Ferdinando de Eredia Castellano Empostæ, 954.
Fernando Petri regis Portugalliæ primogenito, 1030.
Fernando Gondisalvi Cogominho militi, regis Portugalliæ consiliario, 1030.
Florentinis, 877. 1023.
Fogiæ universitati, 885.
Francisco de Baucio duci Andriæ, 886.
Francisco de Carraria, 1036.
Gaillardo de Balasaco in ecclesia Lodovensi subcollectori, 1043.
Galeacio de Vice-comitibus militi Mediolanensi, 926.
Galeoto de Malatestis, 1025.
Gastoni comiti Fuxensi, 856.
Geraldo archiepiscopo Beneventano, 916. 958. 960. 961.
Gerardo Mercaderii, 1007. 1051.
Gherlato de Honvels *cantori, & Johanni de* Maboch *canonico ecclesiæ Magdeburgensis*, 1057.
Gilberto episcopo Carleolensi, 1060.
Godefrido comiti Squillatii, 886. 952. 957.
Gomesio militi civitatis Bononiensis rectori, 1029.
Guidoni episcopo Portuensi, 890. 964. 998.
Guidoni de Brien *militi*, 1061.
Guillelmo episcopo Vintoniensi, 1060.
Guillelmo abbati S. Germani Autissiodorensis, 1021.
Guillelmo abbati Salmuriensi, 1010.
Guillelmo abbati S. Sophiæ Beneventanæ, 1044. 1047.
Guillelmo decano Vissegrandensi, 861. 982. 986.
Guillelmo Gilberti canonico Narbonensi, 1016. 1043.
Guillelmo Tardini decano ecclesiæ Aniciensis, 1043.
Guillelmo comiti de Alperch, 886.

Guillelmo Palasimi Bacalario in decretis canonico Insulæ Jordani, 1043.
Guillelmo de Verzerio domino de Mirabello Delphinatus gubernatori, 849.
Henrico comiti Montis-Beliardi, 859.
Hermanno de Werberghe, *& Bernardo de* Seulenborgh *canonicis Magdeburgensibus*, 1058.
Honorato comiti Fundorum, 931.
Hugoni de Lisignano, senatori Urbis, 929.
Hugoni de Vienna domino S. Crucis, 856.
Jacobo de Sabaudia militi, 856.
Ad Jacobum Barravi, 878. 879. 990.
Jacobo de Priolis & Mariæ filiæ Nicolai Fuscari de Venetiis, 1041.
Januensi archiepiscopo, 905. 907.
Ildebrandino Marchioni Estensi, 922.
Ilerdensi episcopo, 1027.
Imperatori Romanorum, 946. 975. 976.
Domino de Intermontibus, 856.
Johannæ reginæ Jerusalem & Siciliæ, 1058.
Johannæ ducissæ Britanniæ, 1010.
Johannæ comitissæ Duratii, 912.
Johanni archiepiscopo Eboracensi, 1060.
Johanni episcopo Argentino, & Guillelmo decano Vissegradensi, 861. 982. 986.
Johanni episcopo Gurcensi, 857. 980.
Johanni episcopo Lincolniensi, 1060.
Johanni episcopo Luthomuslensi, 982. 986.
Johanni episcopo Olomucensi, 982. 986.
Johanni episcopo Vercellensi, 892. 919. 934.
Johanni electo Herfordiensi, 1061.
Johanni Mucii electo Theanensi, 1048.
Johanni electo Urbevetano, 1031. 1033. 1045. 1046.
Johanni Garrigiæ præposito ecclesiæ Barchinonensis, 1043.
Johanni de Cavanhaco decano ecclesiæ Compostellanæ, 1041.
Johanni de Bouquinghan *decano ecclesiæ Lichefeldensi*, 1061.
Johanni Bruni archidiacono Venetensi, 1050.
Johanni de Lamanhaina canonico Agennensi, 1001.
Johanni de Marborch *canonico Ecclesiæ Magdeburgensis*, 1057.
Johanni Raymundi canonico S. Petri Puellarum, 882.
Johanni regi Francorum, 851. 893. 910. 942. 1062.
Johannis regis Franciæ commissariis, 895.
Johanni Buccanigro duci Januensi, 858.
Johanni Delfino duci, consilio & communi Venetiarum, 953. 955. 1018.
Johanni comiti Montis-fortis, 895.
Johanni marchioni Moraviæ, 979.
Johanni marchioni Montis-ferrati, 999. 1019. 1021. 1034.
Johanni comiti Armaniaci, 855.
Johanni filio Johannis comitis Armaniaci. 856.
Johanni comiti Richemondiæ nato Eduardi regis Angliæ, 1060.
Johanni de Aredia Castellano Empostæ, 847. 995.
Johanni de Comite, 931.
Johanni de Ria domino de Blancon, 881.
Johanni Raymundi, 969.
Johanni Scakaik, 882.
Johannoto Extamdardo regni Siciliæ marescallo, 886.
Jordano de filiis Ursi, &c. 889.
Laureti comiti, 886.
Legionensis ecclesiæ capitulo, 965.
Ludovico electo Valentinensi, 846. 873.
Ludovico imperatori Bulgariæ, 885.
Ludovico regi Hungariæ, 993. 978.
Ludovico regi Siciliæ, 913. 923.
Ludovico regi & Johannæ reginæ Siciliæ, 924. 949. 956. 992.
Ludovico comiti Flandrensi, 856.
Ludovico de Duracio, 885. 913. 917.
Lugdunensi archiepiscopo, 874.
Magdeburgensi capitulo, 1001.
Malatestæ de Malatestis, 1023.
Manfredoniæ universitati, 885.
Mariæ imperatrici Constantinopolitanæ, 846.
Mariæ filiæ ducis Calabriæ, 951.
Mariæ filiæ Nicolai Fuscari de Venetiis, 1041.
Massiliensibus, 866.
Matthæo de Celano, 932.
Matthiæ de Giosvaldo senescallo Provinciæ, 933. 1034. 1045.
Monopolitanæ civitatis universitati, 885.
Montispessulanæ universitatis consulibus gubernatori & rectori, 890.
Montis Odorisi comiti, 886.
Morello de Fiemnensi marescallo Franciæ, 856.
Morinensi episcopo, 943.
Neapoleoni de filiis Ursi comitis Manupelli, 886. 957.
Neapoleoni de Posterolis, 1049.
Neapolitanis, 883.
Nicolao de Aczarolis comiti Melfiensi, 871. 886. 916. 923 952. 957. 1035.
Nicolao de filiis Ursi comiti Nolano, 957.
Nicolao comiti Nolano, 886.
Norvvegiæ regi, 1055.
Oxoniensi episcopo, . 1016.
Patriarchis archiepiscopis, &c. 845. 876. 883. 890. 911. 920. 926. 927. 928. 989. 1033.
S. Pauli comiti, 856.
Perdiaci comiti, 1057.
Perusii regimini consilio & communi, 1022.
Petro episcopo Petragoricensi, 1016.
Petro Gervasii canonico Aniciensi apostolicæ sedis nuncio, 1043.
Petro de Cuysiaco *canonico S. Justi Lugdunensis*, 1042.
Petro Sicardi canonico Narbonensi, 869.
Petro Eraudi priori S. Eutropii, Jacobo Barravi & Arnaldo de Borvvea, 878. 879. 990.
Petro regi Aragonum, 867. 875. 948. 992.
Petro regi Castellæ & Legionis, 962. 997. 998.
Petro regi Portugalliæ, 1029. 1030.
Petro Brunelli, 1039.
Petro Brunelli & Bertrando de Castaneyo, 1040.
Petro Domaudi, 1014.
Philippo episcopo Florentino, 891.

Philippo duci Burgundiæ, 848. 880.
Philippo duci Turonensi, 855.
Philippo de Tarento & Mariæ filiæ ducis Calabriæ, 951. 957. 885.
Philippo de Sanginato comiti Alti-montis, 886.
Pennensis civitatis universitati, 885.
Pisano archiepiscopo, 905. 907.
Pisano consilio & communi, 1022.
Capitulo generali fratrum Prædicatorum, 936.
Raymundo comiti Soleti, 886.
Raymundo de Baucio comiti Spoleti magno Siciliæ camerario, 957.
Ravennati Archiepiscopo, 921.
Septem reformatoribus, consilio, populoque Romano, 847. 928.
Reginaldo episcopo Æduensi, 937.
Ricardo comiti Arondelliæ, 1061.
Ricardo Mussato, 882.
Roberto imperatori Constantinopolitano, 885. 950. 957.
Roberto domino de Fiennes, 867. 911.
Rodulpho duci Austriæ, 862. 911. 944. 947. 984. 1013.
Radulfo duci Saxoniæ, 982.
Rogerio comiti Celani, 886.
Rogerio de Pinibus, 945.
Rogerio de S. Severino, 886.
Salernitano archiepiscopo, 960.
Salernitanæ civitatis universitati, 885.
Comiti de Sanserra, 856.
Senensi consilio & communi, 1022
Regi & reginæ Siciliæ, 870.
Simoni archiepiscopo Cantuariensi, 1060.
Simoni Buccanigro duci Januensi, 891. 909. 912. 1000. 1006. 1020.
Comiti Stamparum, 856.
Stephano priori S. Leonardi & Johanni Raymundi, 969.
Sueciæ regi, 1056.
Sulmonensis civitatis, universitati 885.
Tancarvillæ comiti, 856.
Tarentinæ civitatis universitati, 885.
Theodorico archiepiscopo Magdeburgensi, 1004.
Theoderico episcopo Mindensi, 982. 986.
Thornesio rectori civitatis Bononiensis, 1023.
Thomæ episcopo Dunebriensi, 1060.
Thomæ comiti Warvyci, 1061.
Thomasio comiti Cereti, 886.
Thomasio & Hugoni de S. Severino fratribus, 886.
Thomasio Jacobo & Francisco de S. Severino fratribus, 886.
Tirnetanæ civitatis universitati, 885.
Tranensis civitatis universitati, 885.
Trojanæ civitatis universitati, 885.
Verulanensi civitati, 930.
Comiti de Ventador, 856.
Vicentino episcopo, 1028.
Viennensi archiepiscopo, 874.
Vivariensi episcopo, 874.
Universis Christi fidelibus, 906. 938. 1010.
Urgellensi episcopo, 1028.
Walterio militi, Johanni Scakaik, *& Ricardo Mussato*, 882.
Wastmonasterii abbati, 1061.
Wilhelmo electo Roffensi, 1061.
Wilhelmo episcopo VVintoniensi, 1065.
VVilhelmo Horborch. bacalario in decretis, 1055.
VVoldemaro regi Daciæ, 1055.





URBANI PAPÆ IV. EPISTOLÆ LXI.

Omnes fere ex manuscripto illustrissimi episcopi Montispessulani.

EPISTOLA PRIMA ad Archiepiscopos Hispaniæ.

Mandat ut regis & Reginæ Navarræ exsequias in omnibus ecclesiis faciant celebrari, cum eos à sæculo migrare contigerit.

Anno 1261. *Ex cartario Campaniæ.*



RBANUS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis per regnum Hispaniæ constitutis S. & A. B.

Quia præsentis vitæ brevitas statum habet instabilem, proinde pensat agitque salubriter qui studiis piæ vitæ præveniens diem mortis, tam bonorum operum, quàm devotarum orationum sibi suffragia præparat, ut cum fuerit de hujus valle miseriæ revocatus ad patriam, apud æterni clementiam judicis misericordiam consequatur. Repletis itaque Spiritu timoris Domini carissimo in Christo filio nostro rege Navarræ illustri comite Campaniæ & Briæ, ac carissima in Christo filia nostra illustri regina uxore sua cupientibusfidelium orationibus adjuvari. Nos eorum supplicationibus inclinati, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus cum ad notitiam vestram pervenerit, quòd ipsos Altissimus de terrenæ servitutis ergastulo traxerit, pro ipsis exequias celebretis, & faciatis in omnibus ecclesiis ac monasteriis & aliis piis locis civitatum, diocesum & provinciarum vestrarum A tam ab episcopis quàm aliis prælatis & clericis religiosis & sæcularibus earumdem solemniter celebrari. Ita quòd cedat eisdem regi & reginæ ad æternæ beatitudinis præmium, & augeatur exinde meritorum vestrorum cumulus apud Deum. Datum Viterbii VI. nonas Decembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA II.

B Ad Theobaldum regem Navarræ, comitem Campaniæ & Briæ.

Commendat ei Felicium abbatem Cellæ Trecensis consanguineum suum.

URBANUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio regi Navarræ illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1261. *Ex cartario Campaniæ.*

Circa curam quarumlibet ecclesiarum studio C paternæ sollicitudinis intendentes, loca religiosa potissimum intenta mente prospicimus, & speciali affectione fovemus, ut eo potius in prospero salubri statu persistant, quo gratior in illis impenditur virtutum Domino famulatus. Sanè dilectus filius noster WILLELMUS quondam monasterii S. Petri de Cella Trecensi Ordinis sancti Benedicti abbas ad apostolicam sedem

accedens, & intendens ejusdem monasterii regimini cedere, nobis humiliter supplicavit; ut cessionem ejus recipere curaremus. Nos autem ad magnam ipsius instantiam, hujusmodi ab eo cessione recepta, nolentes quòd monasterium ipsum remaneat diutius pastoris solatio destitutum; dilectis filiis de Nigella-Gileberti & de Villa-Mauri prioribus, Simoni præposito & Johanni præfati monasterii monachis apud sedem apostolicam constitutis viva voce præcepimus, ut cum consilio dilectorum filiorum Cluniacensis, Præmonstratensis, & Virziliacensis abbatum, ac magistri Theobaldi dicti Faltrarii capellani nostri constitutorum apud sedem eamdem, pro eo quod ipsi pleniorem notitiam de personis partium illarum habebant, de aliqua persona idonea cogitarent, per quam possit idem monasterium salubriter gubernari, & illam nobis nominare curarent. Itidem quoque convenientes in unum simul, diligenti deliberatione ac tractatu præhabitis, dilectum filium FELICIUM tunc monasterii S. Vincentii Ordinis S. Benedicti Laudunensis diocesis monachum, nobis tamquam idoneum ad regimen monasterii nominarunt, ac supplicarunt instanter, ut ipsum eidem monasterio S. Petri in abbatem præficere curaremus. Nos autem licet ad id carnalitatis allici videremur affectu, cum idem FELICIUS nobis consanguinitatis linea sit conjunctus, ipsorum petitioni non promte duxerimus annuendum: eorum tamen attendentes instantiam, ac nolentes quod idem monasterium S. Petri vacationis prætextu pateretur in spiritualibus & temporalibus detrimentum: sperantes quoque quod per ipsius F. circumspectionis industriam salubria in utrisque suscipiat idem monasterium, auctore Domino, incrementa; prædictum FELICIUM ipsi monasterio de apostolicæ plenitudine potestatis præfecimus in abbatem. Ideoquè regiam serenitatem rogamus & hortamur attente, quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostrarum precum obtentu eumdem abbatem & dictum monasterium S. Petri cum membris, hominibus, & rebus eorum habeas favorabiliter commendata, nec permittas à ballivis sive præpositis tuis seu quibuslibet personis aliis tibi subditis indebite molestari: ita quod exinde gratiarum actiones à nobis, & à Domino perenne præmium consequi merearis. Datum Viterbii nonis Maii, Pontificatus nostri anno 1.

EPISTOLA III.

Ad abbatissam conventum B. Mariæ ad moniales Trecenses.

Exemplo Gregorii Magni & Gregorii IX. summorum pontificum ecclesiam in domo paterna ædificari desiderans; eamdem domum quæ ad moniales B. Mariæ jamdudum pertinebat, sibi vendi postulat.

Anno 1162. *Ex archivis S. Urbani Trecensis.*

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus abbatissæ, & conventui monasterii B. Mariæ ad moniales Trecenses ordinis S. Benedicti, salutem & apostolicam benedictionem.

Redemptor & Salvator humani generis Dominus noster JESUS-CHRISTUS, B. Petrum apostolorum principem in ipsâ primâ ejus assumtione, sicut in evangelio legitur, mutato Simonis nomine, Cephas, quod interpretatur Petrus, voluit appellari, unde & Romani Pontifices ipsius principis successores, cum assumuntur ad regimen generalis Ecclesiæ, novi nominis titulum sortiuntur; Jacob etiam pater Israëlitici populi, videns Dominum facie ad faciem, ab eo suscipere meruit nomen novum, eodem Domino sibi dicente, *Nequaquam Jacob, sed Israël appellabitur nomen tuum.* Egregius quoque ille doctor gentium & vas electionis ad ministerium apostolatûs assumtus, Pauli nomen obtinuit, qui Saulus antea dicebatur. Nos igitur quos idem Dominus suâ virtute, quâ sibi est facilè honestare subitò pauperem ex omni carne, & ab omni vivente ad offerendum ei sacrificium & judicandum gentem suam in justitia, & ut essemus Caput fidelium praelegit, & qui nomen beati Urbani papæ ac martyris in die quo summi sacerdotii conscendimus cathedram, ex cælesti fuimus nominatione seu vocatione sortiti, cupientes ut hujusmodi memoria nominis etiam post nostri dissolutionem corporis perpetua remaneat in civitate Trecensi, cui, pro eo quod nos ex ipsa originem traximus, non immeritò dici posset, *Et tu Trecensis civitas nequaquam minima es inter famosas Galilæ civitates: Ex te enim exivit Dux qui Christianum regit populum & gubernat*, disposuimus illo auctore, qui sicut in Ecclesiastico legitur, *Exaltavit super terram habitationem nostram*, ad hoc ut locus nostræ originis ex dono superiori vobis clementer indulto fiat celebris, & reddatur insignis in domo nostrâ paternâ, quæ nobis & nostræ nativitatis die, quo peregrinationis sæculi hujus iter assumsimus, præparavit hospitium: Creatori nostro domum orationis erigere, illamque in honorem prædicti martyris cultui divini nominis deputare, ut in eâ pro tanto beneficio reddantur Deo actiones perpetuæ gratiarum, & fiat domus hæc super quam ejusquè habitatores effundere dignetur Dominus *Spiritum gratiæ atque precum, domus Dei, & porta cæli*, per quam digne valeant in conspectu Altissimi vota & orationes fidelium introduci, ita quod & nos etiam ei quem cœlum & cœli cœlorum capere non possunt humiliter cum David dicere valeamus, *Quis ego sum, Domine, & quæ domus mea*, quia me huc usque adducere voluisti? possimus etiam ad ipsum cum eodem prophetâ orare dicentes: *Benedic, Domine, domum servi tui, ut sit in sempiternum coram te, Domine, stabilita.* Et cum Salomone devote supplicemus eidem, *ut sint oculi ejus aperti super domum hanc die ac nocte, ac exaudiat in ea deprecationes servorum suorum & populi sui Israel: & quicumque oraverit in loco isto habitaculi sui, exaudiatur in cœlis, & cum exauditus fuerit, cœlestis propitiationis præmia consequatur.* Porrò, dilectæ in Domino filiæ, ad ædificandum hujusmodi domum nomini Domini Dei Israël, non solum ferven-

tis devotionis affectus, quo noster continuè accenditur animus, ad obsequia prædicti martyris, cui tam in nomine quàm in apostolicâ dignitate successimus, verùm etiam & non nullorum patrum exempla sanctorum, qui sub diversitate temporum Ecclesiæ Romanæ, cui nos licet immeriti præsumus, regimini præfuerunt, quâdam delectabilis odoris fragrantiâ nos suaviter attrahunt, cum & sanctissimæ memoriæ B. Gregorius Papa in propriis laribus, qui sibi ex hereditariâ parentum successione provenerant, in urbe Romana, de quâ ex illustri prosapiâ ortus extitit, nobilem ecclesiam ædificaret Altissimo, quæ vocabulo sui nominis insignita ejusdem sancti memoriam reddit Christi fidelibus celebrem & solemnem; & felicis recordationis Gregorius papa IX. prædecessor noster, in patrimoniali solo quod habebat in Anagniensis territorio civitatis, venerabile monasterium Florensis Ordinis, & infra septa ipsius monasterii ecclesiam in honorem B. Mariæ Virginis fundaverit & dotaverit affluenter, statuens in eodem monasterio conventum honorabilem monachorum quærentium Dominum & requirentium faciem Dei nostri, qui pro salute fidelis populi, & remedio animæ prædecessoris ejusdem mactant jugiter in conspectu Regis æterni *vitulum labiorum.* Verum quia tam diu est quod prædictam domum nostram paternam monasterio vestro pro remedio animarum parentum nostrorum donationis titulo duximus concedendam : nos volentes retrahere illam pro hujusmodi tam pio tamque devoto opere, quod ædificare cogitavimus Deo salutari nostro, de cujus manu recognoscimus quidquid *vivimus*, *dominamur*, *&* *sumus*, universitatem vestram cum magnâ fiduciâ rogandam duximus attentius & hortandam, per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus prædictam domum cum omnibus juribus & pertinentiis suis, & si quas alias domos seu plateas juxta illam habeatis, dilectis filiis magistro Joanni Garsie Capellano nostro, & Theobaldo de Acenai civi Trecensi, quos nostros ad hoc procuratores duximus statuendos, aut eorum alteri nostro nomine vendere pro competenti pretio, in alias possessiones ad opus dicti monasterii convertendo, sublatâ qualibet aliâ difficultate, curetis : nos enim ad hoc ut hujusmodi preces & mandatum nostrum efficacius exequi valeatis, vendendi tam prædictam domum nostram paternam, quam etiam alias domos & plateas, si quas habetis adjacentes eidem, & convertendi earum pretium in possessiones ad opus ipsius monasterii, prout superius est expressum, non obstantibus quibuslibet contrariis consuetudinibus & statutis, juramento vel quâcumque firmitate aliâ roboratis, nec non & juramento, si quod, tu filia abbatissa, de non alienandis bonis ipsius monasterii præstitisti, plenam & liberam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Viterbii decimo tertio Calendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA IV.

Ad archiepiscopum Magdeburgensem & Coloniensem electum.

Mandat ut centesimam redituum ecclesiasticorum in terræ sanctæ subsidium concessam colligi faciant in Alemannia.

URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabilis fratri archiepiscopo Magdeburgensi & dilecto filio electo Coloniensi salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1262

Clamat instanter ad nos pro festino succursu terra sancta, Christi aspersa sanguine. Clamat, inquam, in angustiis vehementibus posita, tribulationibus afflicta continuis, durisque attrita flagellis, & secundùm dolorum suorum multitudinem amariùs voces suæ lamentationis replicat & exaltat. Nos autem miserabiles ipsius terræ voces patulis suscipientes auribus, & dolendum illius statum amara consuetudine pensantes, pio corde tantis ejus miseriis condolemus, tantoque vehementius ad ejus auxilium inardescimus, quantò vires hostium conspicimus fortius invalescere contra eam. Volentes igitur eidem terræ de oportuno subsidio providere, hoc tempore, quo succursus est ei magis necessarius, propter gentis Tartaricæ feritatem, quæ vexat ipsam multipliciter & molestat, centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Alemanniæ usque ad triennium, eidem terræ pro ejus succursu, de fratrum nostrorum consilio, duximus concedendam. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus vos vel alter vestrûm hujusmodi centesimam annuatim usque ad prædictum triennium per vos vel per alium, seu alios integrè colligentes; quicquid collectum fuerit deponatis sub fide dignarum personarum testimonio in aliquo tuto loco, rescripturi nobis quid & quantum, & à quibus de prædicta centesima colligi contigerit, & ubi illud duxeritis deponendum : contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo : nonobstante, si prælatis, personis, capitulis, collegiis, conventibus, & locis aliquibus exemtis & non exemtis à sede apostolica sit indultum, quòd ad exhibendum alicui subsidium pecuniarum minimè teneantur, quodque ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas plenam & expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia præfatæ sedis indulgentia, per quam præsentibus non expressam, aut de verbo ad verbum non insertam, tam pium subsidium impediri valeat vel differri, & constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Viterbii nonis Julii, Pontificatus nostri anno 1.

EPISTOLA V.

Ad archiepiscopum Tyrensem.

Designatam terræ sanctæ negotio centesimam redituum ecclesiasticorum in regno Franciæ colligere mandat.

Anno 1263 URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Tyrensi salutem & apostolicam benedictionem.

Clamante instanter ad nos pro festino succursu terra sancta Christi respersa sanguine, ipsaque cùm sit in angustiis vehementibus posita, tribulationibus afflicta, continuis & diris attrita flagellis, secundùm dolorum suorum multitudinem suas lamentiones amarius replicante, nos miserabiles ipsius terræ voces patulis suscipientes auribus, ac dolendum illius statum amara consideratione pensantes, & volentes eidem de oportuno subsidio providere, centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ ac civitatis & totius diocesis Cameracensis usque ad quinquennium eidem terræ, pro ejus succursu, de fratrum nostrorum consilio duximus concedendum: venerabili fratri nostro... archiepiscopo Rothomagensi, & dilecto filio magistro Odoni de Lorriaco canonico Bajocensi per nostras sub certa forma litteras injungentes, ut hujusmodi centesimam annuatim, usque ad prædictum quinquennium, per se vel per alium seu alios integrè colligentes; quicquid colligeretur tibi, & dilecto filio nobili viro JOHANNI VALENCENIS domino *Cayphe* assignare sine qualibet diminutione curarent, in ipsius terræ subsidium, cum consilio carissimi in Christo filii nostri... illustris regis Francorum per eos fideliter convertendum: rescripturi nobis quid, & quantum, & à quibus, de prædicta centesima colligi, & quantum etiam tibi & ipsi nobili contingeret assignari. Sed idem archiepiscopus aures suas ad hujusmodi ipsius terræ clamores obturans, claudensque penitus, quod eum non decuit, compassionis viscera circa illam ad cujus profectus, saltem ob illius reverentiam, qui eam sui aspersione sanguinis rubricavit, ferventer intendere debuisset, mandatum super hoc apostolicum exequi pro sua voluntate contemsit: propter quod, & quia etiam quidam prælati dicti regni hujusmodi intellecto negotio, ad sedem propter hoc apostolicam appellarunt, aliquod eidem terræ commodum ex hujusmodi gratia non provenit. Nos igitur qui ejusdem terræ angustias & pressuras oculata fide cognovimus, & propriis quasi palpavimus manibus, cupientes christianitatis reliquiis quæ remanserunt ibidem, & ipsi etiam terræ de oportuno subsidio, hoc præsertim tempore, quo ex persecutione Tartarica magnum eis periculum imminet, apostolica sollicitudine subvenire: quia nolumus quod eidem terræ omissa in hoc ab ipso archiepiscopo diligentia sit damnosa, te cujus sollicitudinem & vigilantiam pro ipsius terræ negotio experimento cognovimus, ad colligendam hujusmodi centesimam duximus deputandum. Cùm itaque prædictorum nuntiis prælatorum A in nostra præsentia constitutis per nos fuerit, præhabita fratrum nostrorum deliberatione, responsum, quod non obstante appellatione hujusmodi, quam frivolam reputavimus, in eodem procedi negotio juxta formam prædictis archiepiscopo & canonico super hoc traditam faceremus: fraternitati tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus ad prædictum regnum te personaliter, conferens, prædictam centesimam in regno civitate & diocesi supradictis per te, vel per alium, seu alios efficaciter colligere studeas, juxta prædictarum B directarum super hoc eisdem archiepiscopo & canonico continentiam litterarum. Verumtamen volumus, ut quicquid per te vel per alium seu alios de centesima præmissa collegeris, sub fide dignarum personarum testimonio deponas fideliter in aliquibus tutis locis, convertendum postmodum de mandato nostro, cum consilio prædicti regis & dilecti filii GUILLELMI electi Jerosolymitani, in utilitatem & subsidium dictæ terræ. Quid autem & quantum de centesima ipsa collectum fuerit, & ubi, & carum quibus C illud deposueris, & hujusmodi etiam depositi quantitatem nobis tuis litteris studeas fideliter intimare. Datum apud Urbem-veterem v. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA VI.

Ad Ægidium archiepiscopum Tyrensem.

De collectione subsidiorum terræ sanctæ.

URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri ÆGIDIO archiepiscopo Tyrensi salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1263

D Inter occupationes multiplices & immensas quibus assiduè angimur & distrahimur supra vires, de subsidio terræ sanctæ vehementius cogitantes, ad hoc intenta sollicitudine & attentione sollicita instantius vigilamus, ut ejusdem terræ succursui opportuno provideatur remedio, & crucis ac Crucifixi negotium, auctore Domino, feliciter dirigatur. Et licet nonnulli prædecessores nostri grandis ad hoc diligentiæ studio E ferventer institerint; nos tamen qui statum terræ illius præsentialiter novimus, quique ipsius discrimina experientia palpavimus manuali, totis desiderantes affectibus eidem terræ celeri & efficaci subsidio subvenire, libenter obstacula, per quæ ipsius terræ subsidium impediri vel defraudari valeat, submovemus. Cùm igitur negotium crucis pro prædictæ terræ subsidio tibi in regno Franciæ, nec non in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi & Virdunensi civitatibus & diocesibus per nostras diversas sub F certa forma litteras duxerimus committendum, &, sicut accepimus, nonnulli executores ab apostolica sede concessi plerisque personis & locis ecclesiasticis & sæcularibus exemtis & non exemtis, super quibusdam concessionibus de redemtionibus votorum cruce signatorum, nec non de legatis datis, obventionibus relictis subventioni terræ prædictæ, & aliis deputatis ad subventionem eamdem in regno Franciæ, ac in

civitatibus & diocesibus memoratis per nos & A prædecessores nostros, seu alios de mandato dictæ sedis factis, modum in colligendis prædictis excedant, aliasque in talibus perniciosè versentur. Nos nolentes ista sub dissimulatione transire, ne in grave, quod absit, vergant ejusdem terræ per subtractionem vel diminutionem præfati subsidii detrimentum: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus in locis in quibus tibi ipsius negotium est commissum, per te, vel per alium, seu alios omnibus executoribus, eisdem personis & locis deputatis B à prædicta sede, super hujusmodi concessionibus ex parte nostra firmiter inhibere procures: ne quoquo modo ad colligendum præmissa procedant; eos si contra hujusmodi tuam inhibitionem procedere fortè præsumserint, à præsumtione hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, & nihilominus qua auctoritate, quibusque personis & locis, sub qua forma, & in qua quantitate fuerint prædicta concessa, & quæ, & quot, & in quibus locis ab eisdem executoribus fuerint colle- C cta pro eis diligentius inquirens, ea nobis per tuas litteras fideliter intimare procures. Nos enim concessiones prædictas aliquem vigorem habere, ac illarum prætextu quicquam percipi nolumus: donec per tuam insinuationem sciamus super præmissis plenius veritatem, ac de his, prout expediens fore viderimus, disponamus. Tu autem interim redemtiones, legata, relicta, data & obventiones hujusmodi, per te vel per alium, sive alios quos ad hoc idoneos esse cognoveris, integrè colligens, quicquid de D his collectum fuerit, in aliquo tuto loco sub fide dignorum testimonio, sine aliqua diminutione deponas, rescripturus nobis fideliter quid & quantum & à quibus collectum fuerit, & ubi illud duxeris deponendum: nonobstante si personis, vel locis, aut ordinibus aliquibus à memorata sit sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas plenam & expressam non facientes de indulto hujusmodi, & eorum nominibus mentionem, & constitutione de duabus dietis edita in E concilio generali, contradictores censura simili, appellatione postposita, compescendo. Datum apud Urbem-veterem IV. Idus Martii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA (a) VII.

Proponit conditiones sub quibus Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem regno Siciliæ investiri cupiebat.

Anno 1263 ISTÆ sunt conditiones super negotio regni F Siciliæ & totius .... ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta terra inferius annotata .... emanebit, nobili, viro CAROLO Andegaviæ ac Provinciæ comiti, ostendendæ.

Remanebit Romanæ Ecclesiæ tota terra quæ remansit eidem per pacem olim initam inter dilectum filium nostrum O. Sanctæ Mariæ in via lata diaconum cardinalem, tunc in regno Siciliæ apostolicæ sedis legatum, & MANFREDUM quondam principem Tarentinum, & ultra etiam usque Beneventum, per viam Vallis-gaudii, & ipsa Vallis-gaudii. Dictus comes terram ipsam cum omni diligentia & studio acquiret, & totaliter liberabit, & acquisitam ac liberatam statim Ecclesiæ tradet, & assignabit eidem. Fines autem ipsius terræ inferiùs exprimentur.

Item, civitas Beneventana, quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit, & in suum demanium & dominium cum omnibus juribus suis, & pertinentiis reservavit, & totum tenimentum civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, eidem Ecclesiæ & in ejus proprietate liberè remanebit, nullo jure ipsi comiti vel cuicumque alii de regno prædicto ibidem retento, seu quomodolibet reservato. Fines autem seu termini territorii seu districtus aut tenimenti civitatis ejusdem, cùm de illis ad præsens constare non possit, tempore quo tractatus sive negotium consummandum erit, per aliquas deputandas ad hoc personas idoneas distinguentur.

Idem autem comes & sui heredes in dicta civitate, & ejus territorio, aut in alia terra quæ ipsi remanebit Ecclesiæ, vel in Urbe, seu in Campania, vel maritima, sive in ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, vel in patrimonio B. Petri in Tuscia, seu in aliis quibuscumque terris, aut demaniis, sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione, vel legato, aut venditione, seu donatione, aut alio quocumque jure, vel titulo, seu contractu, nihil umquam sibi acquirent vel vindicabunt, seu poterunt acquirere, vel quomodolibet vindicare, ac nullam potestariam, seu capitaneam, vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullamque potestatem, senatoriam, vel quamcumque aliam, aut administrationem, vel commendam, nec quodcumque aliud officium recipient seu recipere poterunt in eisdem.

Item, pro prædicta civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponet per septennium pro lignaminibus omnia nemora prædictorum regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportunam, puta lapides, arenam quæ Puteolana vocatur, cæmentum, & similia, sine præjudicio juris singularum personarum, ad unam dietam prope Beneventum. Præstabit quoque ipsis Beneventanis securitatem per totum regnum & terram prædictam, nisi in terra sua de novo delinquant, propter quod ad ipsum de jure, justitia pertinebit. Privilegia etiam dictæ civitatis à regibus & principibus concessa, illibata servabit. Omnia statuta per quondam FR. olim Romanorum imperatorem seu quoscumque alios reges Siciliæ, facta contra libertatem civitatis ejusdem, revocabit, & in omnibus & per omnia quæ libertatis fuerint, ceteris regnicolis pacificabit eamdem. Nec aliqua statuta, seu aliquas leges condet inposterum, per quæ dictæ civitati directè vel indirectè possit præjudicium generari .... olomei patroni civitatis ejusdem reverentia fidantias ab omnibus .... faciet & remit-

(a) Istius epistolæ nulla est in ms. inscriptio, verum Alberto notario, cui negotium regni Siciliæ cum Carolo Andegaviæ & Provinciæ comite tractandum commissum fuerat, scriptam fuisse constat ex sequentibus. Idem dicendum de sequenti.

tet eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut .... es Beneventani possint liberè proprias vineas & terras excolere, ipsarumque fruges & fructus recolligere, ac easdem vineas & terras vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione, vel munere, vel etiam datione.

Item, totum ejusdem regni residuum perpetuò concedetur in feudum eidem comiti, & heredibus suis ex eo legitimè descendentibus, sub infra scriptis conditionibus, quæ, prout competet, in concessionis privilegio exprimentur; ita videlicet, quòd si in ejus vel heredum ipsorum obitu legitimum heredem de proprio corpore ipsos, quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertatur.

Item, pro toto generali censu ipsorum regni & terræ, duo millia unciarum auri, ad pondus Romanum, in festo Beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si verò idem comes, vel illi qui ei in prædictis regno & terra succedent, aliquo termino non solverint censum ipsum, & expectati per duos sequentes menses de illo non satisfecerint; eo ipso erunt excommunicati: & si in secundo termino in ipsius census solutione defecerint, nec satisfecerint de ipso infra alios proximos duos menses; regnum & terra prædicta interdicto ecclesiastico subjacebunt, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri, & haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

Item, postquam dictus comes præfatum regnum, vel tantum de ipso acquisierit & habuerit, quòd etiam si aliquæ civitates, vel munitiones, aut aliqua alia loca ipsius regni adhuc ei rebellia fuerint, reputetur & possit ipsius regni rex & dominus reputari, solvet Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcarum sterlingorum, per certos & diversos terminos ad hoc statuendos, tempore quo erit tractatus sive negotium consummandum. Quòd si dictus comes in hujusmodi terminis illa non solverit, liberum erit Romano Pontifici contra ipsum comitem pro singulis terminis ad pœnas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire.

Item, in quolibet triennio dabit rex Romano Pontifici unum palafridum album, pulcrum, & bonum in recognitionem veri dominii eorumdem regni & terræ.

Item, quandocumque Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita quòd super ejus indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, idem comes vel heredes ejus requisiti ab eo ad Urbem, in Campaniam & maritimam, in patrimonium B. Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmissam terram, vel ipsius regni partem quæ remanebit Ecclesiæ, & in omnes alias terras Ecclesiæ ipsius per Italiam, trecentos milites equis & armis bene ac decenter munitos & paratos: ita quòd unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas ad minus, in obsequium & subsidium Ecclesiæ prædictæ transmittent, per tres menses integros in ipsius, vel dictorum heredum sumtibus & stipendiis, semel tamen in anno, in servitio ejusdem Ecclesiæ moraturos, mensibus ipsis, à die, quo iidem milites terram sui dominii vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares dietas & solitas computandis. Quòd si maluerit .... ingruenti necessitate, super qua stetur verbo Romani Pontificis, ut est dictum, navali juvari exercitu, prædicti milites, debita taxatione, ac recompensatione præhabita, in navale stolium commutentur.

Item, tam ipse, quàm hæredes sui domino papæ suisque successoribus canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & juramentum fidelitatis præstabunt secundùm formam inferiùs annotatam; & singulis ipsis successoribus & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabunt tam ipsum homagium, quàm hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ ipsum & heredes suos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc sibi tutum locum statuant & assignent, vel aliquem cardinalem ipsius Ecclesiæ, seu alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat, destinare.

Item, dictus comes & ejus heredes regnum & terram præfata nullatenus divident; sed semper illa unus tantùm sub ipsis conditionibus immediatè, ac in capite à Romana tenebit Ecclesia, & tam idem comes quàm ipsius heredes nobis & successoribus nostris canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & fidelitatis juramentum præstabunt in hunc modum.

" Ego ... plenum & ligium vassalagium faciens Romanæ Ecclesiæ pro regno Siciliæ, & tota terra quæ est circa farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta terra ..... (*& exprimentur terra & limites ejus*) ab hac hora inantea fidelis & obediens ero B. Petro & domino meo Papæ, suisque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant vel membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se, aut per nuntios suos, sive per litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam: & si scivero fieri, vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse impediam: & si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quàm alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones contentas in apostolico privilegio, super ipsorum regni & terræ concessione confecto, ac omnia & singula quæ continentur in eodem privilegio, plenariè adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tem-


» pore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & » hæc sancta Dei Evangelia.

Item, ipse & singuli heredes sui Romano Pontifici, & singulis successoribus suis, & Ecclesiæ Romanæ, quando præstabunt hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabunt, se ad hoc specialiter obligantes, quòd numquam per se, vel alios, seu quocumque modo procurabunt, ut eligantur vel nominentur in regem vel imperatorem Romanum, vel regem Theotoniæ, seu dominum Lombardiæ aut Tusciæ, vel majoris partis earumdem Lombardiæ vel Tusciæ: & si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum, seu ad regnum Theotoniæ, aut ad dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earum, de ipsis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabunt, nec intromittent se ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romani, seu regni Theotoniæ, aut Lombardiæ, seu Tusciæ, vel majoris partis earum, ad quodcumque horum nominati fuerint vel electi. Quòd si ipse vel aliquis heredum suorum, studentibus & procurantibus eis ad imperium ipsum, sive ad dictum regnum Romanum, seu regnum Theotoniæ, aut dominium Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis earum, electi vel nominati fuerint; si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii, vel regni Romani, seu regni Theotoniæ, aut Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris ipsarum partis, regimine se manifestè intromiserint; eo ipso à jure prædictorum regni Siciliæ & terræ cadant ex toto, ipsaque prorsus amittant. Si autem electioni vel nominationi factæ, non procurantibus ipsis, aut procurantibus consenserint, & ut huic electioni seu nominationi vel juri omnino renuntient, & quod de imperio seu de aliquo alio præmissorum, ad quod electi seu nominati fuerint, se nullatenus intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium, post monitionem hujusmodi tali electioni seu nominationi vel juri non renuntiaverint, vel de ipso imperio seu aliquo præmissorum, ad quod electi vel nominati fuerint, se intromiserint quoquomodo; ex hoc sint eisdem regno Siciliæ, & terra, & omni eorum prorsus jure privati. Si verò ad ipsum comitem vel ejus heredes non poterit commodè talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet quòd moneri commodè nequeant, credetur & stabitur assertioni Romani Pontificis, sive dicto: sufficiet pro ea super hoc ipsius Romani Pontificis monitio publica & solemnis: ità quod si infra sex menses post illam non renuntiaverint, aut de imperio, seu de aliquo alio prædictorum ad quod electi seu nominati fuerint, se quomodolibet intromiserint; cadant ex hoc ab omni jure ipsorum regni & terræ. Ceterum si contigerit aliquem de suis heredibus, qui deberet in prædictis regno Siciliæ & terra succedere, in regem vel imperatorem Romanum, seu regem Theotoniæ, vel dominium Lombardiæ aut Tusciæ, seu majoris partis earumdem nominari, seu eligi, vel assumi, nullatenus possessionem eorumdem regni Siciliæ ac terræ nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio & regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Romano, seu regno Theotoniæ, aut dominio Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus nominatus fuerit vel assumtus, & omni juri competenti sibi in illis omnino renunciet, & illorum regimen nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens, omninò dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumturus. Alioquin cadat ab omni successione ac jure, quæ in regno Siciliæ ac terra prædictis sibi competerent ipso facto: ita quod eadem regnum Siciliæ & terra ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plenè ac liberè devolvantur. Quòd, si non extantibus masculis, femina in eisdem regno & terra successerit, illa regi vel imperatori Romano, seu in regem vel imperatorem Romanum electo, aut regi vel electo in regem Theotoniæ, seu domino Lombardiæ vel Tusciæ, aut majoris partis earum, seu electo ad illarum dominium, numquam matrimonialiter copuletur: & si contrarium fecerit, eo ipso cadat à Siciliæ regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata. Si autem ipse vel aliquis heredum suorum contra hæc venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe ac reatu perjurii respersi & notati existant. In hujusmodi quoque juramento additur expresè, quòd nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanum, aut regnum Theotoniæ, vel dominium Lombardiæ, sive Tusciæ, seu majoris earum partis, aut easdem Lombardiam vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum per se, vel per alios seu alium occupabunt, capient, vel acquirent, aut sibi aliàs quomodolibet vindicabunt; & si secus fecerint, similes secundùm præscriptam formam pœnas incurrent.

Item, si fortè, deficientibus masculis, contigerit feminam in regno succedere, illa maritabitur personæ quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea: Romani tamen pontificis prius super hoc consilio requisito, nec nubet nisi viro catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto, & si contra hæc fieret, licebit eidem Romano pontifici contra ipsam ad privationem prædictorum regni & terræ sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate filia ipsa consistet, procedere, si hoc ei videbitur expedire.

Item, in regnum & terram prædicta nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Item, regnum Siciliæ ac terra prædicta imperio nullo modo subdetur, seu sibi ullo umquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur, & præcisè super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quàm alias cautiones cavebitur, juxta Ecclesiæ voluntatem: cùm prorsus intentionis sit Romanæ Ecclesiæ, ut regnum & terra prædicta nullo umquam tempore imperio uniantur, ut scilicet unus Romanus imperator, & Siciliæ rex existat. Quòd autem circa unionem ipsorum regni & terræ cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem eorum regni & terræ cum regno Romano aut regno Theotoniæ, seu cum



Lombardia vel Tuſcia, ſive cum majori parte ipſarum Lombardiæ & Tuſciæ intelligimus, & volumus eſſe dictum.

Item, ſi ipſe vel ſui hæredes prædictam terram, quæ remanebit Eccleſiæ, vel aliquam ejus partem, aut Campaniam, vel maritimam, ſeu urbem, vel ducatum Spoletanum, aut marchiam Anconitanam, ſive patrimonium B. Petri in Tuſcia, aut alias quaſcumque terras Romanæ Eccleſiæ ubilibet conſtitutas occupaverint vel occupari fecerint, aut ſuper his offenderint, vel B moleſtaverint Eccleſiam, ſeu fecerint moleſtari; & poſtquam ſuper hoc à Romano Pontifice moniti & requiſiti fuerint, vel ſi commodè moneri aut requiri nequiverint, juxta ipſius Romani Pontificis aſſertionem vel dictum, poſtquam de hoc ipſe publicè ac ſolemniter eos monuerit, infra tres menſes non reſtituerint integrè omnia occupata, eo ipſo ab eorumdem regni Siciliæ & terræ jure cadant totaliter, ipſaque regnum & terram prorſus amittant. Quòd ſi etiam reſtituerint occupata, nihilominus ad plenum de univerſis injuriis & damnis illatis ad C mandatum ejuſdem Romani Pontificis ſatisfacere teneantur.

Item, omnibus Eccleſiis tam cathedralibus quàm aliis regularibus & ſæcularibus, nec non & omnibus prælatis & clericis, & univerſis perſonis eccleſiaſticis ſæcularibus & religioſis, & quibuſlibet religionis locis plenariè dimittentur & reſtituentur integrè omnia bona eorum immobilia, à quibuſcumque ablata vel occupata D ſint, & per quoſcumque detineantur. Mobilia verò quæ extant & poterunt inveniri ſimili modo reſtituentur eiſdem. Hæc autem reſtitutio fiet abſque contradictione, ſeu difficultate qualibet, ſicut nanciſcatur prædictorum regni Siciliæ ac terræ poſſeſſionem hoc modo, ſcilicet quod ſtatim in illa parte ipſorum regni & terræ quæ ſibi obediat reſtitutio ipſa fiet, ipſaque poſtmodum confirmabitur ſucceſſivè, ſicut eadem regnum habebuntur & terra. Ne autem ſuper his rebus reſtituendis ingeri poſſit aliqua difficultas, depu- E tabuntur à Romano Pontifice aliqui viri diſcreti, ad quorum mandatum & arbitrium, jurium & rerum immobilium & mobilium quæ extant, reſtitutio plena fiet: ita quòd ea de quorum dominio vel proprietate ſeu poſſeſſione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis verò, per ipſos de plano & abſque judicii ſtrepitu veritas diligentius inquiretur. Sufficiet autem vocari camerarium, vel procuratorem, ſeu baillivum, in cujus juriſdictione vel balliva ſeu territorio bona de quibus F agetur, conſiſtent ad videndum jurare teſtes qui in hujuſmodi inquiſitione deponent.

Item, omnes Eccleſiæ tam cathedrales quàm aliæ regulares & ſæculares, nec non & omnes prælati & clerici, & univerſæ perſonæ eccleſiaſticæ ſæculares & religioſæ, ac quæcumque religionis loca cum omnibus bonis ſuis in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis, plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, ſive in electione, vel poſt, regius aſſenſus vel conſilium

A aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem ipſe & hæredes ſui ſemper manutenebunt & conſervabunt, & manu teneri & conſervari facient ab omnibus ſubditis ſuis, dictæque Eccleſiæ ac perſonæ utentur liberè omnibus juris & juribus ſuis, ſalvo ei & ſuis hæredibus jure patronatus in Eccleſiis, in tantum quantum in hac parte patronis eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, ubi antiqui reges Siciliæ hujuſmodi jus patronatus in ipſis eccleſiis habuerunt. Omnes etiam cauſæ ad forum eccleſiaſticum pertinentes liberè & abſque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram ordinariis & aliis eccleſiaſticis judicibus, & terminabuntur per eos: ac ſi ad ſedem apoſtolicam ſuper hujuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes, quàm appellati ad eamdem venire ſedem pro appellationum proſecutionibus liberè & abſque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta verò fidelitatis præſtabuntur ſecundùm antiquam & rationabilem conſuetudinem, prout canonica inſtituta permittunt, ab illis eccleſiarum prælatis, quorum prædeceſſores antiquis illa Siciliæ regibus præſtiterunt. Ab illis autem prælatis & eccleſiis qui regalia ſive temporalia bona tenent, ſi qui tamen ſunt qui hujuſmodi bona teneant à domino regni & aliis dominis temporalibus, & qui ratione hujuſmodi bonorum, ab antiquo conſueverunt regibus & ipſis dominis temporalibus ſervitia exhibere hujuſmodi, honeſta & antiqua ſervitia eis ſecundùm rationabilem & antiquam conſuetudinem, & ſicut inſtituta patiuntur canonica, impendentur; ſalva ſemper circa eccleſias cathedrales & alias regulares & ſæculares ac perſonas & loca eccleſiaſtica tam in faciendis proviſionibus & electionibus confirmandis, quàm in omnibus quibuſcumque aliis, Romani Pontificis & Eccleſiæ Romanæ juriſdictione ac auctoritate plenaria & libera poteſtate.

Item, revocabit omnes conſtitutiones ſeu leges per prædictum Fr. vel per reges Siciliæ, ſive per Conradum ipſius Fr. filium aut Manfredum quondam principem Tarentinum, qui de facto regnum ipſum detinet occupatum, editas contra eccleſiaſticam libertatem, nec ſtatuta vel conſtitutiones aliquas edet aut etiam promulgabit, per quæ juri vel libertati eccleſiaſticæ derogetur.

Item, comes promittet quod nullus clericus vel perſona eccleſiaſtica eorumdem regni & terræ in civili vel criminali cauſa convenietur coram judice ſæculari, niſi per feudis judicio petitoris conveniatur civiliter, ſed omnes eccleſiæ ac perſonæ eccleſiaſticæ omnimodè erunt liberæ, & in nullo regi vel principi ſubjacebunt.

Item, nullas tallias vel collectas imponet eccleſiis, monaſteriis, clericis & viris eccleſiaſticis, vel rebus eorum.

Item, in eccleſiis vacantibus rex nulla habebit regalia, nulloſque fructus, redditus, & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorſus alia percipiet ex eiſdem, cuſtodia earumdem

rumdem ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

Item, comites, barones, milites, & universi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ GUILLELMI secundi Siciliæ regis & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Item, omnes exsules regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducentur in regnum & terram prædicta, ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutio plena fiet. In hujusmodi autem restitutione, secundùm præscriptam formam in capitulo de bonis ecclesiarum restituendis contentam, tam in notoriis quàm dubiis procedetur.

Item, nullam confœderationem seu pactionem vel societatem faciet cum aliquo imperatore, vel rege, seu principe, vel barone, Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia, seu civitate, aut communitate, vel loco aliquo, contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ.

Item, omnes captivos & obsides qui tenentur in regno & terra prædictis, Romanos, regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de Marchia Tervisina pro posse suo bona fide restituet libertati. Super civitatibus verò & aliis, si qua in regno & terra prædictis Romanæ Ecclesiæ fidelibus à regibus & principibus sunt concessa, salvum omnino erit jus ipsius Ecclesiæ ac fidelium eorumdem, nec per ipsorum regni & terræ concessionem, comitatuum seu concessorum eorumdem cuiquam, quo ad proprietatem seu possessionem, præjudicium generabitur, regio in his omnibus jure salvo.

Item, idem comes veniet cum mille ad minus ultramontanorum militum comitiva, quorum quilibet equitaturas quatuor secum ducet. Habebit etiam idem comes trecentos balistarios & tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii sufficere videbuntur.

Item, dictus comes usque ad annum à die consummationis tractatus hujusmodi computandum sic munitus cum tota sua hujusmodi comitiva fines comitatus Provinciæ versus Italiam sit egressus, & ex tunc infra tres menses immediatè sequentes sit in terris conterminis regno Siciliæ, nisi forsitan in Italia hostium impediatur obstaculo vel occursu: quorum impugnationi & debellationi quamdiu taliter munitus perseveranter institerit, intelligatur negotium prosequi, nec tempus prædictorum trium mensium ei currat. Quod si dictus comes sic munitus usque ad annum hujusmodi non fuerit fines prædicti comitatus egressus, vel si infra eosdem tres menses, tali non præpeditus obstaculo, non fuerit in terris eidem Siciliæ regno conterminis cum comitiva hujusmodi constitutus, vel in quocumque casu, eo prosecutioni negotii oportunam non impendente operam, ad easdem terras conterminas dicto regno infra ipsos tres menses non venerit sic munitus; liberum erit Romano Pontifici, ac in ipsius potestate remanebit dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum suorum, eodem comite vel alio etiam quocumque cujus forsitan interesset non vocatis, & absque omni juris solemnitate, concessionem eidem comiti & ejus heredibus de regno & terra prædictis factam, vacuam omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eam revocare, cassare, & irritare, ac ipsam cassam & irritam nuntiare. Liberum quoque erit eidem Romano Pontifici hoc idem facere; si, quod absit, dictus comes vel longa præpeditus valetudine, vel morte præventus dictum negotium juxta eamdem formam non assumserit, vel assumtum non fuerit prosecutus, nisi fortè talis pesona & tam idonea juxta formam eamdem vices ejus vel suorum heredum in hac parte suppleverint, quæ merito ad hoc sufficiens possit & debeat à Romana Ecclesia reputari.

Item, postquam dictus comes prædicta regnum Siciliæ ac terram habuerit, jurare faciet omnes eorumdem regni & terræ comites, barones, nobiles, ac milites, cives, & burgenses, ceterosque alios, quòd toto posse facient, & curabunt quòd dictus comes & ejus heredes omnes & singulas hujusmodi conditiones, ac universa & singula præmissa inviolabiter observabunt; nec ullo umquam tempore venient contra illa; & si eum vel hæredes suos à prædictis regno & terra in quibuscumque casibus juxta tenorem conditionum & pœnarum cadere contigerit, vel ipsos juxta eumdem tenorem illis privari, seu concessionem factam eis de ipsis evacuari & irritari per Romanum Pontificem; nullatenus eis, sed Romano tantùm Pontifici obedient, & intendent tamquam regi Siciliæ & ipsorum domino temporali. Hoc etiam juramentum de decennio in decennium renovabitur, & tam idem comes quàm singuli heredes sui, qui in eisdem regno & terræ succedent, illud perpetuò singulis continuis decenniis renovari facient & præstari.

Item, omnes præmissas conditiones quæ in persona comitis apponentur, circa ipsius etiam heredes comites intelligimus & volumus esse dictas.

Item, postquam tractatus hujusmodi negotii fuerit concorditer consummatus, fiet super hoc privilegium concessionis à domino papa, subscriptionibus cardinalium Romanæ Ecclesiæ roboratum; & comes dabit privilegium suum eidem domino papæ ac Romanæ Ecclesiæ aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebitur & recognoscet expressè regnum Siciliæ, ac totam terram quæ est circa farum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta terra quæ Ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia ac mera liberalitate sedis apostolicæ sibi suisque heredibus de novo fore concessa, seque recipere ac tenere regnum & terram hujusmodi à dicta Romana Ecclesia, sub con-

ditionibus & pactis hinc inde tractatis.

Fines autem terræ quæ remanebit Ecclesiæ isti sunt. Terra Laboris ex parte una continuata est cum principatu, & dividitur per flumen quod dicitur Sarnum, & quod intrat mare sub civitate quæ dicitur Castrum maris de Surrento, sive Stabium, & procedunt fines versus Montem-Lauri, & versus Palmam. Et hæc sunt loca ex illa parte superiori. Castrum sive civitas quæ dicitur Sarnum, Castrum Montis-Lauri, Palma, Avellum, Summa, Nola, Cicala, & comitatus Acerrarum, Argentum, & Arpagia, Montalonum, comitatus Casertæ & Thelesiæ, Rocca, Capuæ, Caiazia, Castrum S. Angeli, baronia de Draconibus, baronia Mazañ, baronia illorum de Bosel, & sicut currit fluvius Capuæ usque ad comitatum Molisii, Vayranum, Præsenzanum, Minianum, S. Germanus, & tota terra monasterii Casinensis, Atmum & tota terra quæ dicitur Commum, Sora, Insula Arpinum, Fontana, Montenigrum, Castrum-celli, Rocca & Villa-artis, Pontecurvum, & insula inferior. Ex parte maris Castrum Schiffati, quod situm est ubi flumen Sarni intrat mare, Neapolis, Castrum Salvatoris supra mare, duæ insulæ, quorum altera dicitur Capri, & altera Procida. Item, altera quæ dicitur Insula, & est civitas Puteolana, Aversa, Capua, villa quæ dicitur Baronia, castrum Maris de Vulturno, Rocca montis Draconis, civitates Calinensis, Calvensis, Theanensis & Suessanensis, baronia Rogerii de Gallutio, Trajectum, Gaieta, comitatus Fundanus, Rocca Guillelmi, & quædam alia sunt juxta illos fines. Extra istos verò fines vel nulla loca sunt, vel pauca non magni valoris. Vallis-gaudii, Ayola, Montisarculum, Toccum, baronia Feniculi, & castrum S. Martini. Beneventum cum suo tenimento est in fine hujus vallis cum toto territorio suo. Datum apud Urbem-veterem xv. Calendas Julii Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA VIII.

Conditionibus in prima Epistola allegatis modum adhibet.

Anno 1263 ISTæ sunt modificationes conditionum.

Si postquam ille qui mittitur diligenter tractaverit, & institerit quod præfata terra, de qua agitur, Ecclesiæ Romanæ remaneat, hoc obtinere non poterit, nec ad id comitem inclinare; & idem comes omnino habere voluerit integrum regnum Siciliæ, & totam terram quæ est circa Farum, usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ: ita quòd, excepta civitate Beneventana cum omnibus districtibus & pertinentiis suis, nihil eidem Ecclesiæ de terra prædicta remaneat ad ampliationem census seu pensionis, sicut oblatum est per nuntios ejusdem comitis, videlicet ad annuum censum, seu annuam pensionem decem millium unciarum auri ad pondus ipsius regni pro toto regno & terra prædictis: ipse qui mittitur sapienter & cautè procedat, salva semper exce- A ptione prædictæ civitatis Beneventanæ cum suis districtibus & pertinentiis, prout in secundo articulo pleniùs & expressiùs continetur.

Item, si articulus qui sic incipit: *Item totum ejusdem regni residuum* &c. non admittitur sicut est scriptus, cum hac adjectione *modificari poterit*, videlicet: si contigerit dictum comitem decedere sine liberis ex eo legitimè descendentibus, possit ei in regno & terra prædictis succedere, nobilis vir ALFONSUS comes Pictaviensis germanus ejusdem: & si dictus B ALFONSUS eidem CAROLO non superviveret, possit ei succedere unus ex filiis LUDOICI illustris regis Franciæ, videlicet major natu post illum qui succedit in regno Francorum, & hæc gratia vel successio tam ex parte ipsius CAROLI, quàm ex parte illorum erit tantummodo personalis: ita scilicet quòd ad nullum filiorum vel heredum ipsius ALFONSI, si ALFONSUM ipsum præmori CAROLO prædicto contigerit, hujusmodi major natu succedet in regno Siciliæ & terra prædictis. Similiter etiam nullus filiorum C vel heredum ipsius majoris natu; si idem major natu præfato CAROLO non supervixerit, hujusmodi successionem habebit; sed regnum Siciliæ ac terra prædicta ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè devolventur. Si verò ALFONSUM & majorem natu prædictos præmori CAROLO præfato contigerit; nullus alius ipsi CAROLO sine liberis ex ipso legitimè descendentibus decedenti in eisdem regno & terra succedet; sed liberum erit eidem Romanæ Ecclesiæ de ipsis regno Siciliæ ac terra dis- D ponere juxta suæ beneplacitum voluntatis. Si autem præfatos ALFONSUM vel majorem natu post successionem hujusmodi, aut eorum heredes sine liberis ex ipsis legitimè descendentibus mori contigerit: regnum Siciliæ & terra prædicta similiter ad eamdem Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertentur.

Item, circa articulum qui sic incipit: *Item dictus comes & ejus heredes regnum & terram præfata nullatenus divident* &c. talis modificatio E poterit adhiberi, si non admittatur ut jacet, videlicet quod regno & terra prædictis eorumque dominio semper remanentibus penes unum, nec ratione hereditatis, vel successionis, aut concessionis, seu donationis, nec quocumque alio prætextu, aliqua divisio vel diminutio fiet de ipsis regno & terra, per quam utique divisionem seu diminutionem ipsorum regni & terræ dominium deformiter mutiletur, vel regiæ dignitatis seu potestatis status enormem sustineat vel recipiat læsionem. Sed si qui partes aliquas forsan habuerint de regno & terra prædictis, illas tene- F bunt in feudum à rege Siciliæ, ipsumque regem exinde superiorem & dominum recognoscent, eique certa servitia pro hujumodi partibus exhibebunt.

Item, illa pars articuli in quo agitur de restitutione captivorum & obsidum, quæ utique pars sic incipit: *Super comitatibus verò & alis* &c. Si ab eodem comite non admittitur sicut jacet; talibus modificari poterit, videlicet

quòd illud quod ibi dicitur comitatibus & aliis quæ in regno & terra prędictis Romanæ Ecclesiæ sunt concessa, totaliter auferatur, & fiat tantùm mentio de illis comitatibus, & in aliis quæ in eisdem regno & terra ipsius Ecclesiæ fidelibus à regibus & principibus sunt concessa.

Item, si comes omnino habere voluerit sub annuo censu decem millium unciarum auri totum & integrum regnum Siciliæ, & totam terram quæ est citra farum usque ad confinia terrarum Romanę Ecclesiæ: ita quòd nihil de ipsis regno & terra, excepta civitate Beneventana cum districtibus & pertinentiis suis, eidem Romanæ Ecclesiæ remaneat, prout in primo modificationum articulo plenius continetur, circa solutionem ejusdem sensus per infrascriptas pœnas erit ipsi Ecclesiæ providendum: videlicet quod idem comes vel ejus heredes quocumque termino non solverint integrè censum ipsum, & expectati per duos menses terminum ipsum immediatè sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculo innodati. Quòd si in secundo termino & infra subsequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolverint; totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta erunt supposita interdicto. Si verò nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos, per plenam satisfactionem illius ejusdem census sibi duxerint consulendum: ita quod transactis eodem tertio termino & duobus proxime subsequentibus mensibus, non sit de decem millibus hujusmodi primi termini ipsi Ecclesiæ integrè satisfactum, ab eisdem regno & terra ipsorumque jure cadent ex toto. Si autem de censu decem millium unciarum hujusmodi primi termini infra dictos tertium annum & duos sequentes menses plenariè satisfecerint, nihilominus semper pro singulis decem millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint, vel illa non solverint, similes pænas incurrent. Datum apud Urbem-veterem xv. Calendas Julii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA IX.

Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.

Si negotium de regno Siciliæ felicem sortiatur effectum, promittit Carolo comiti decimas redituum ecclesiasticorum per triennium, & protectionem sedis apostolicæ.

Anno 1263. URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Cùm te ad dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ & Provinciæ comitem pro negotio regni Siciliæ specialiter destinemus, præsentium tenore scire te volumus, quod si contingat dictum negotium secundùm conditiones tibi à nobis traditas inter Romanam Ecclesiam & eumdem comitem consummari; taliter super infra scriptis petitionibus

A quas propter hoc dictus comes per suos nobis porrexit nuntios, intendimus, auctore Domino, condescendere votis ejus, quòd propterea dictum impediri vel retardari negotium non continget. Petitiones autem sunt hæ, videlicet, ut nos decimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ ac comitatus Provinciæ, necnon & Lugdunensis, Viennensis, Ebredunensis, Tarentasiensis & Bisuntinæ provinciarum eidem comiti pro ipsius prosecutione negotii per triennium concedamus, & B faciamus verbum crucis proponi contra MANFREDUM quondam principem Tarentinum & Sarracenos Luceriæ per omnes terras in quibus decima concedetur eidem comiti, ac etiam per Lombardiam, Tusciam, Marchiam Anconitanam, & alias terras dicto regno Siciliæ adjacentes, in quibus verbum hujusmodi poterit securrè proponi, illamque indulgentiam ac illa privilegia & illas immunitates his qui contra MANFREDUM & Sarracenos prædictos signum crucis assumserint largiamur, quæ transfretan- C tibus in terræ sanctæ subventionem in generali concilio sunt concessa. Demus etiam dicto comiti omnes redemtiones votorum personarum illarum, quæ signum crucis in subsidium dicti negotii duxerint assumendum, & redimere voluerint hujusmodi vota sua. Totam quoque terram ipsius comitis, & terras illorum qui secum propter hoc venerint, sub nostra & apostolicæ sedis protectione recipiamus, durante ipsius prosecutione ac promotione negotii, & in omnes illos qui comitem & alios prædictos D in terris eorum turbare, molestare, aut violentiam inferre præsumserint, generalem excommunicationis sententiam proferamus; nec ullo umquam tempore consentiamus quòd CORRADUS puer natus quondam CORRADI filii quondam FR. olim Romanorum imperatoris, vel aliquis per descendentem eorumdem FR. & CORRADI lineam quomodolibet procreatus, aut etiam aliquis qui se in præfato regno Siciliæ vel aliqua ejus parte contenderet, seu posset contendere jus habere, imperii E Romani culmen ascendat, & ut dictum MANFREDUM eodem regno Siciliæ & omnibus aliis terris quæ in regno ipso infra confinia terrarum dictæ Ecclesiæ Romanæ detinet, si comes ipse voluerit, per diffinitivam sententiam privare curemus, ac publicari faciamus ubique omnes spirituales & temporales sententias latas jam & ferendas in eum & in omnes consiliarios, adjutores, & fautores ipsius. Omnes insuper illos qui eidem MANFREDO postquam dictum regnum Siciliæ fuerit comiti prædicto F concessum adhærere præsumserint: universis terris, feudis, bonis, & juribus quæ à prædicta Romana & aliis quibuscumque Ecclesiis & personis ac locis Ecclesiasticis obtinent, apostolica auctoritate privemus. Denique ut vinculum confœderationis & pacis fieri procuremus inter omnes illas personas, quas idem comes nobis nominaverit, dummodo personæ tales existant, quarum confœderatio vel unitas aut unanimitas nobis expediens videatur. Datum apud Ur-

bem-veterem VI. Calendas Julii, pontificatus A nostri anno II.

EPISTOLA X.

Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.

Mittit ei Balduini imperatoris Constantinopolitani litteras ad Manfredum à Malatesta in itinere comprehensas.

Anno 1263 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem.

Ad tuam notitiam præsentium tenore deferimus, quòd cùm nobilis vir MALATESTA DE VERNOULO Potestas Ariminensis vias & transitus Ariminensis civitatis & diocesis, ad hoc specialiter fidelibus adhibitis custodibus, artavisset: ut nullus de partibus regni Siciliæ in favorem MANFREDI, quondam principis Tarentini, persecutoris Ecclesiæ manifesti, versùs Tusciam, seu Lombardiam, aut de Tuscia, vel Lombardia in dictum regnum cum litteris, vel aliàs quomodolibet transire valeret; tandem contigit quòd quidam cursor carissimi in Christo filii nostri BALDUINI illustris imperatoris Constantinopolitani, qui ab eodem imperatore ad dictum MANFREDUM cum quibusdam suis litteris, quarum tenor interclusus est præsentibus, mittebatur, à prædictis custodibus interceptus extitit, & prædicto MALATESTÆ cum eisdem litteris assignatus. Idem verò MALATESTA quia semper fuit Romanæ fidelis ac devotus Ecclesiæ; apertis hujusmodi litteris & perlectis, & comperto in illis quod nostro & apostolicæ sedis expediebat honori litteras videre ac habere prædictas; ipsas nobis per suum specialem nuncium fideliter destinavit. Nos verò hujusmodi earum lecto & intellecto tenore, ipsum tibi fore providimus transmittendum: discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus tenorem ipsum diligenter inspiciens, dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem reddas sollicitum & attentum, ut sibi & negotiis suis à prædicto imperatore, cum fautor prædicti MANFREDI per ea quæ in præmissis continentur litteris videatur, penitus studeat præcavere; ac nihilominus hoc ipsum carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO illustri regi Francorum diligenter exponas, si videris expedire. Datum apud Urbem-veterem V. Calendas Augusti, pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA XI.

Balduini imperatoris Constantinopolitani ad Manfredum Siciliæ regem.

Tenor litterarum interclusarum litteris immediatè præcedentibus.

Anno 1263 EXcellentissimo domino M. Dei gratia regi Siciliæ illustri, amico suo, quàm plurimum diligendo, BALDUINUS eadem gratia imperator Romanus semper augustus, salutem & prosperitatis continuum incrementum.

Excellentiæ vestræ volumus esse notum, quòd cùm nos redeuntes de Hispania ad partes Franciæ venissemus; invenimus quòd dominus rex Franciæ receperat à curia Romana litteras & rumores querulos de vobis plurimum onerosos: & eidem domino regi mandaverant aliqui quòd tractatus pacis, qui inter vos & Ecclesiam tractabatur, de quo idem rex rogaverat, & pro bono totius christianitatis laboraverat erga ipsos per vos remanserat, & totum illud quod tractatum fuerat ruperatis. Mandaverunt etiam quòd nec voluntatem habebatis quòd pax fieret, nec affectum: & quicquid super tractatu B prædicto videbamini facere, faciebatis fraudulenter, & hæc erat vestra intentio, ut Ecclesiam ipsam possetis decipere, & mala voluntas quam habebatis circa Ecclesiam satis fuerat manifesta. Unde hæc verba & alia plurima dicto domino regi scripserant, quæ vobis erant magno oneri, de quibus ipsum valde animo motum invenimus & gravatum, & super hoc non sufficiebat etiam admirari. Propter quod nos qui honori & exaltationi vestræ intendimus toto mentis desiderio, tum propter onus C quod vobis imponitur, tum propter pericula & impedimenta quæ imminent, & possunt accidere, valde irati animo fuimus & dolentes, utpote qui honorem & promotionem vestram diligimus, & ex cordis intimo affectamus, & de vestro dispendio & gravamine contristati sumus mirabiliter & dolemus, sicut pro posse ad honorem vestrum laborando ostendimus, & in quantum poterimus ostendemus, quod satis vos intellexisse credimus à pluribus fide dignis. Ea propter vestræ serenitati tenore præsentium D intimamus, quòd sicut nobis videtur, expedit honori vestro, & est bonum & utile, ut exonerare vos de talibus debeatis; quod vos ad partes istas Franciæ aliquem nuntium, qui secum deferat litteras vestras credentiæ, transmittatis, qui ad nos & ducem Burgundiæ directè veniat, & à vobis habeat in præceptis quod dicat & faciat illud, quod nos & dictus dux sibi, prout Dominus Deus nobis ministraverit, consulemus ipsi Domino Regi Franciæ enarrare: & etiam dictus nuntius alias litteras E credentiæ deferat ipsi domino Regi Franciæ & Reginæ, per quas litteras vestras & nuntium ipsum innocentiam vestram melius quàm poteritis excusetis, ac ipsam rei veritatem declaretis, & in quo remansit concordia; nisi vos culpabiles esse noveritis, quod nullatenus crederemus. Quod si de concordia ipsa habueritis voluntatem, cum ipsa excusatione, quam Domino Regi feceritis, adjungat preces ipsi Domino Regi vestra serenitas, ut super his diligentiùs inquirat veritatem; Et si invenerit vos F in hoc esse culpabilem, & quod per vos concordia præfata remanserit, sicut fuit eidem intimatum, vos parati eritis factum ipsum rectificare per ipsum & per ipsius consilium bono animo emendare: regratiantes eidem per vestras litteras & ipsum nuntium vestrum oretenus, quod circa factum vestrum laborare dignatus est, & dominum papam super hoc deprecari. Vestra etiam novit industria, quod vos semper rogavimus, & vobis consilium de-

dimus pro vestro commodo & honore, quatinus ad hoc in quantum poteritis vos artetis, ut cum ipsa Ecclesia pacem & concordiam habeatis: & nos adhuc rogamus super hoc & vobis consulimus in quantum possumus, plusquam umquam fecerimus, pro vestro honore, & commodo quod videmus in concordia; & propter plurima mala & pericula, quæ ex defectu concordiæ evenire possint & evenient, nisi super hoc dignetur divina clementia providere. Quod si vestra serenitas perficiendi, & firmiter tenendi firmam concordiam habeat voluntatem, ea quæ superius dicta sunt adimplere, quàm citius poteritis festinetis, antequam res prædictæ deteriorari incipiant, & plusquam adhuc acceperunt, graviorem finem accipiant in futurum, & maximè dum nos in partibus Franciæ commoramur: nam tales rumores ad nos dirigi poterunt, quòd nos oportebit ad alia loca iter recipere pro nostris negotiis promovendis: & si ad partes prædictas Franciæ nuntium vestrum miseritis, dum sumus in illis partibus, nos pro vobis ibidem locum obtinere poterimus, & pro vobis efficaciter assistemus. Talem etiam nuncium mittat vestra serenitas, qui omnia sibi à vobis injuncta sciat narrare & exponere, & in quo & propter quod est dicta concordia annullata. Sic autem dictus nuntius secretè veniat, quod aliquibus non possit percipi vester esse nuntius, sive pro vestris negotiis advenire: qui etiam ad ipsum ducem Burgundiæ directè veniat, & nobis adventum suum nunciet, ubicumque nos esse sciverit, & expectet donec eidem nostram rescripserimus voluntatem, qui etiam quantumcumque sit persona authentica, secretius & cum majori artitudine hernesiarum, sive rerum & gentium quàm poterit gradiatur. Si verò prædicta, sicut superiùs expressum est, feceritis festinanter, speramus in Domino, per quem bona omnia prosperantur, quod exinde bonum aliquod poterit provenire, ad quod parati erimus omne consilium, & omnem diligentiam, quam poterimus adhibere, per quod bonum totius christianitatis, & honor vester & commodum prosperetur. Vestram etiam volumus excellentiam non latere, quòd quàm citò ea intelleximus, quæ superius dicto domino regi diximus intimata, nos pro vestro bono & honore vestro, ac commodo, & pro malis periculis evitandis, quæ exinde possunt accidere, vobis ea quàm citiùs potuimus curavimus intimare. Et nos ad Dominum cunctipotentem preces nostras effundimus, quòd super hoc vobis præstare dignetur purum & maturum consilium, & det vobis viam eligere meliorem, quæ vobis & toti christianitati melior & utilior esse possit. Præterea cùm nos pluries excellentiæ vestræ intimaverimus quod dominus JOHANNES DE VALENTIA dominus de Cayphas pro vobis assistit ubicumque bona fide, quod etiam nuncii vestri, qui nobiscum fuerunt in curia Romana, visibiliter perpenderunt, nobis videtur bonum, & vobis utile, quod super eisdem eidem J. litteras vestras dirigatis, & per vestrum etiam nuncium eumdem de voluntate vestra conscium faciatis. Nos enim credimus quod hoc vobis multum valere poterit, & vobis locum optimum obtinere. Ceterùm vestram celsitudinem requirimus & rogamus, de qua plenam fiduciam gerimus, quatenus negotia nostra & imperii Romani habentes propensius commendata, consilium vestrum & auxilium in his sicut plenè de vestra benignitate confidimus, apponatis: ita quod laudes ab hominibus, & à Domino Deo æterno retributionis meritum reportetis, propter quod vobis etiam fortius teneamur. Datum Parisius die Lunæ post festum B. Petri & Pauli apostolorum, imperii nostri XXIV.

EPISTOLA XLI.

Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.

Approbat electionem Caroli comitis Andegaviæ in Senatorem Urbis, modò non sit ad vitam.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1263

Intelleximus quod illi boni homines, qui Urbem ad præsens regere, ipsiusque statum reformare dicuntur, dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem in Senatorem ipsius Urbis, vel Dominum elegerunt, utrum autem ipsum ad certum tempus, vel perpetuò ad vitam suam ad ejusdem Urbis elegerint regimen ignoramus. Quia igitur pensata moderni temporis qualitate, considerata etiam promotione negotii regni Siciliæ per ipsum comitem, auctore Domino, assumendi, tam nobis & Romanæ Ecclesiæ eidem comiti plurimum expedire videtur, ut ipse in prædicta Urbe gubernaculis præsideat senatoriæ potestatis: prædicto comiti per nostras litteras, sincera qua eum in Domino caritate complectimur, suademus, ut in omnem eventum oblatum sibi ejusdem Urbis regimen ad laudem & gloriam divini nominis, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, recipiat & assumat: nonobstante quod in conditionibus, quas tu sibi jam, ut credimus, ex parte nostra super præfato dicti regni negotio præsentasti, continetur expressè, quod dictæ Urbis regimen, seu dominium per ipsum, vel illos qui ei deberent in prædicto regno succedere, nullis umquam futuris temporibus assumatur. Speramus etenim, & in superni Regis virtute confidimus, quod si ipsum comitem dictum regni negotium assumere, ipsiusque Urbis dominium obtinere contigerit, promotio & expeditio prædicti negotii facilius & liberius, quàm idem comes posset credere, subsequetur: & dubitamus etiam ne, ipso comite dictum regimen recusante recipere, regimen ipsum ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Aragonum, qui MANFREDO proxima est affinitate conjunctus, & qui in senatorem ipsius Urbis, eodem comite dictum non acceptante regimen, electus esse dicitur, vel ad alium per quem ipsius comitis ad dictum regnum progressus ac præmissi

negotii posset impediri promotio, quomodolibet perveniret. Verumtamen quia ipsius Urbis dominium & electio senatoris ad nos & Romanam Ecclesiam plenè pertinere dignoscitur, propter quod nullatenus pateremur, quòd aliquis, quantumcumque nobis & ecclesiæ prædictæ devotus, dictam Urbem perpetuò vitæ suæ tempore gubernaret; dicto comiti per easdem litteras intimamus, quòd omnino volumus, ut si ejusdem Urbis gubernacula ab ipso gerenda toto tempore vitæ suæ, sibi forsitan offerantur, ipse tibi recipienti nostro nomine secretè corporale exhibeat juramentum, quòd ipsius Urbis regimen geret & exercebit usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, illudque ad requisitionem & mandatum nostrum dimittet, ac se de ipsa post requisitionem & mandatum hujusmodi per se, vel alium nullatenus intromittet, suasque de hoc patentes litteras suo sigillo munitas tibi ad cautelam nostram, & ecclesiæ prædictæ concedat, nobis per te fideliter destinandas. Nos enim tibi absolvendi eum nostra auctoritate à juramento, si quod communi ejusdem Urbis, vel ipsius communis syndico de retinendo & exercendo hujusmodi regimine vita sua idem jam præstitit, vel eum forsan præstare contigerit, plenam & liberam concedimus per alias nostras litteras facultatem. Hoc autem ideo fieri volumus, ut à tam magno præjudicio memoratæ præcaveatur Ecclesiæ, & carissimo in Christo filio nostro RICCARDO in Romanum regem electo & coronato nullam injuriam facere videamur: qui cùm olim electus esset ad præfatæ Urbis regimen vita sua, nos nullatenus sustinere voluimus, ut ipse illud taliter obtineret: quin immo nos ei super hoc constanter opposuimus sicut nosti. Si ergo Ecclesia de comite ipso permitteret, quòd de nihilo noluit tolerare, ille hoc non immerito revocaret ad animum, magnamque sibi injuriam à nobis & ipsa Ecclesia fieri reputaret. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præmissis omnibus attenta meditatione pensatis, eidem comiti ex parte nostra suadeas, ut sic se exhibeat in his vigilem, sollicitum, & attentum, quòd ea quæ sibi pro communi sua & ipsius Ecclesiæ utilitate consulimus, per eum fideliter & efficaciter impleantur, & senatoriam dignitatem, vel potestatem devolvi ad alium in suum & ipsius Ecclesiæ dispendium non contingat. Si verò eadem dignitas, vel potestas sibi ad vitam suam oblata est, vel offerri contigerit, volumus, tibique districtè præcipimus, ut eumdem comitem cum ea quæ expedit requiras instantia, quod juramentum, super hoc tibi nostro illud recipienti nomine secretè, secundùm præmissam formam exhibeat, suasque de hoc patentes litteras suo sigillo munitas tibi ad cautelam nostram & Ecclesiæ prædictæ concedat, prout superius est expressum, hujusmodi nobis litteras, postquam eas habueris, fideliter transmissurus. Datum apud Urbem-veterem III. Idus Augusti, pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA XIII.

Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.

Ejusdem argumenti.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1263

Intellecto quod illi boni homines, qui Urbem ad præsens regere ipsiusque statum reformare dicuntur, dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ & Provinciæ comitem, in senatorem, seu dominum elegerunt: nos pati nolentes, quod aliquis quantumcumque nobis & Ecclesiæ Romanæ devotus, Urbem ipsam perpetuo tempore suæ vitæ gubernet: eidem comiti per nostras injungimus litteras, ut si regimen ipsius Urbis ab ipso gerendum toto tempore vitæ suæ forsitan offeratur; ipse tibi recipienti nostro nomine secreto exhibeat juramentum, quod ipsius Urbis regimen geret & exercebit usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, illudque ad requisitionem & mandatum nostrum omnino dimittet, ac se de ipso post requisitionem & mandatum hujusmodi per se, vel per alium nullatenus intromittet, suasque tibi super hoc patentes litteras suo sigillo munitas ad cautelam nostram, & Ecclesiæ prædictæ concedat. Ut igitur idem comes eo liberiùs nostram super hoc voluntatem adimplere valeat, quo specialiùs in hac parte sibi apostolica fuerit auctoritate provisum, discretioni tuæ, de quo plenam in Domino fiduciam obtinemus, absolvendi auctoritate nostra prædictum comitem à juramento, si quod ipse communi ejusdem Urbis, vel ipsius communis syndico, de retinendo vel exercendo hujusmodi dictæ Urbis regimine vita sua, præstitit jam, vel ipsum forsan præstare contigerit, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Nostri namque voti nostræque intentionis existit, ut idem comes dictum recipiat & assumat regimen, illudque dimittat cùm super hoc à nobis requisitus fuerit, prout per alias nostras tibi litteras intimamus. Datum apud Urbem-veterem III. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA XIV.

Ad episcopum Trecesem.

Mittit ei pecuniam ad fundationem anniversarii sui in cathedrali ecclesia, in collegiata S. Stephani, B. Mariæ ad Moniales, & B. Mariæ de Pratis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Trecensi, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1263. Ex archivis S. Urbani Trecensis.

Cum nihil sit morte certius, nihilque incertius horâ mortis, non potest senex, vel juvenis potens, vel impotens, sui finis certitudinem obtinere: propter quod in Job legitur, *nescio quamdiu subsistam, & si me tollat factor meus.* Nam etsi Deus mensurabiles hominis dies posuerit, quid tamen de numero dierum hujusmodi sibi desit, ei censuit illâ ratione potissimum occul-

A tari, ut dum homo ipse diei novissimæ ignoraret instantiam, omnes horas suspectas haberet, sicque bonis operibus jugiter inhæreret, tamquam inevitabile sibi quotidie adverteret, posse etiam quâ non putatur horâ, mortis imperium imminere, his etiam, prout expedit, sedulâ meditatione pensatis, bonum dum tempus habemus ad omnes disponimus operari, & illis præcipuè nostræ perpetuæ sollicitudinis studium, pietatis munere volumus elargiri, de quibus in antiqua familiaritate spem indubitatam habemus, B crebris eorum orationibus vallari dum vivimus, & postquam de hoc mundo vocati fuerimus, congruis apud Deum ipsorum suffragiis adjuvari. Hinc est quod cum quadringentas marchas sterlingorum per mercatores nostros pro hujusmodi pia largitione tuæ mandemus fidei, de qua plenè confidimus, exhiberi; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam ipsam à mercatoribus requiras eisdem, ipsamque receptam ecclesiæ cathedrali, in quâ conversati à pueritiâ nostra fuimus, C & ecclesiæ sancti Stephani, & monasterio beatæ Mariæ Trecensis, Ordinis sancti Benedicti, in cujus monasterii parochiâ nati sumus, & per susceptionem lavacri baptismalis renati, nec non & monasterio beatæ Mariæ in Pratis juxta Trecas, Cistercienfis Ordinis, ubi matris nostræ sepultum est corpus, ita quod ecclesiarum & monasteriorum ipsorum cuilibet centum marchas pro reditibus emendis studeas assignare: ut ecclesiarum & monasteriorum ipsorum capitula, & abbatissæ atque conventus pro suscepto beneficio ex debito caritatis se nobis, D quin Deo potius obnoxios cognoscentes, unam missam de Spiritu-sancto dum vixerimus in fragilitatis nostræ suffragium secundo nonas Septembris; & postquam migraverimus de hoc mundo, in anniversario nostri obitus unam defunctorum missam, cantatâ præcedenti die novem lectionum vigilia, pro nostræ animæ remedio annis singulis tam ipsis quam & qui eis in eisdem ecclesiis & monasteriis successerint, statuto super hæc edito, faciant solemniter cel-brari, statutum hujusmodi, ut sit memoriale E perpetuum posteris, in eorum calendariis & libris aliis, prout expedire melius noverint, annotando. Ut autem consolatio ex hoc illis proveniat qui laborant, volumus ut reditus hujusmodi qui eisdem ecclesiis annuatim provenient, inter ipsarum ecclesiarum canonicos, ut moris est, qui tam missæ de Sancto Spiritu, quam & missæ ac vigiliæ pro defunctis, ut suprà dicitur, celebrandis personaliter interesse curaverint, dividantur, & dictorum monasteriorum portio conventibus eorumdem ad pitantiarum F consolationem accedat. Porro quia in talibus operibus omnis est tarditas excludenda: volumus ut cum omnimodâ celeritate, quæ tamen emtoribus nocumentum non afferat, hujusmodi reditus, pro quibus emendis in congruo loco dictam pecuniam tibi assignari mandamus, requisitis capitulis & conventibus supradictis, ut & ipsi de hoc sint tecum solliciti, studeas invenire: ita quod tua nobis in hoc prudens diligentia te commendet, & cor nostrum, dispositione hujusmodi juxta desiderium nostrum obtinente effectum, in Domino jocundetur. Quod autem inde feceris, tuis nos litteris harum seriem continentibus intimare procures. Datum apud Urbem-veterem quinto idus Septembris, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XV.

Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.

Mittit certas cautiones, sub quibus Carolus comes Andegaviæ Urbis senatoriam dignitatem acceptare debeat.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1263

Cùm regni negotium tuæ prosecutioni commissum satis planè procederet, & nos plenè discussis petitionibus comitis à te missis, mittendas tibi responsiones ad eas cum multa diligentia de fratrum nostrorum consilio formassemus: novitas superveniens de senatoria potestate dilecto filio CAROLO comiti Provinciæ prædicto à civibus Romanis oblata, & per eumdem comitem acceptata, cautione tibi nos præstita quam tu nosti, non mediocriter omnium, sed aliquorum gravius nostrorum tetigit corda fratrum, quorum est concors sententia, sine nostro & Romanæ Ecclesiæ gravissimo præjudicio, nostræque discrimine libertatis tolerari non posse, quòd comes, vel quivis alius etiam minus potens, ad vitam vel longum tempus dictam obtineat dignitatem: cui si regnum contingeret adjici: tunc proculdubio ex ipsius penderet a bitrio, quantum saltem ad temporalia pertinet, Romani pontificis potestatem deprimere, & in ipsis spiritualibus plurimum perturbare. Sanè deliberatione super his habita, in hoc nostrum resedit consilium, quòd nisi nobis ab eodem comite caveatur de senatu prædicto contra nostrum, vel nostri beneplacitum successoris, nulla ratione tenendo, tractatus habitus super regno penitus conquiescat: ne dum syllam vitare cupimus: in carybdis voraginem incidamus. Verùm super genere cautionis & forma, fratrum votis in diversa divisis, quamvis cum majori parte ipsorum in partem aliquam declinemus, & nobis sit liberum illam eligere, cùm nobis videbitur oportunum: adhuc tamen nihil voluimus diffinire, cùm non expediat scandalum suscitari, ex quo nulla prorsus utilitas expectatur, de qua si certitudinem haberemus, illud minimè timeremus. Formam igitur duplicem cautionis in cedula tibi mittimus præsentibus litteris interclusa, quarum primam in tantum aliqui fratrum approbant, quòd ea non habita, rumpi potius eligunt sumtum totiens & resumtum super regno tractatum, quàm in ea procedi ulterius etiam cum secunda. Et in hac firmantur sententia non levis auctoritatis, nec pauci numero cardinalium. Alii verò magnæ dignitatis & plures numero cardinales, primam quidem formam præeligunt: sed si comiti sit suspecta, nec eamdem præstare voluerit, trans-

eundum judicant ad secundam: qua præstita in manu cardinalium, quos in Franciam destinabimus, comite regnum sub conditionibus, quas bullatas tibi transmittimus, acceptare parato, qui missi fuerint, possint eidem dicere nostro nomine, & concedere regnum Siciliæ sibi dandum, cùm quæstio regis Angliæ pace vel judicio pro liberatione Romanæ Ecclesiæ fuerit diffinita, paxque inter eumdem comitem & reginam Franciæ, si partium voluntates concurrerint, reformata, vel talis saltem per cardinales eosdem tractatus habitus super ea, quo carissimus in Christo filius noster illustris rex Franciæ sit contentus, nec non & incerta via pacifica, per quam decima haberi valeat sine gravi scandalo ecclesiæ Gallicanæ. Ceterùm ut intelligat dictus comes, quàm explicitè, quàm sincerè volumus agere cum eodem; hæc omnia diligenter expones eidem; & si accpetaverit primam formam, erit ejus ingressus pacificus, plurimumque Deo & nobis acceptus. Nec diffidat quin cum Romanis inveniat, quod eumdem ad vitam suscipere Urbis regimen non artabunt, ex quo finalem ejus agnoverint voluntatem. Hæc etenim & majora apud illos de facili poterit obtinere. Quòd si formam secundam acceptet, nec in prima voluerit consentire, & sub dictis conditionibus regnum recipere sit paratus, mittemus cardinales, qui juxta formam præmissam ad eam cum ipso firmitatem procedent, per quam nostrum & suum propositum immobiliter solidatum finem laudabilem sortietur. Nec timeat negotium regni Angliæ, quod adeo trivimus, tam attentè discussimus, ut nihil supersit penitus, nisi sola sententia, seu potius declaratio notæ pluribus vel notoriæ veritatis. Ad quam si rex & ejus filius ad terminum sibi præfigendum venerint, sive non venerint, incunctanter & liberè procedemus. Sed nec in tantum fratrum discordiam vereatur, ut ob hoc solum resiliat ab inceptis: cùm credamus quod postquam eum audierunt consensisse, ad nostram & suam voluntatem implendam erunt omnes & singuli promtiores. Quocirca discretioni tuæ præcipimus, quatenus super his universis & singulis negotieris cum comite, prout decet & expedit, instanter pariter & prudenter; & ejusdem nobis rescribas quantocius voluntatem, & in his omnibus tecum habeas venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cusentinum. Super hoc autem loqui poteris, prout videris expedire, magistro Johanni de Monciaco capellano nostro, cui communicavimus omnia supradicta. Si verò eodem comite prædictas conditiones acceptare parato, alteram de prædictis cautionibus elegerit idem comes; rescribes nobis, & in continenti dictus archiepiscopus ad ea fideliter exequenda, quæ circa negotium regis Angliæ & ejus filii eidem injunximus, cum omni procedere diligentia non postponat. Quod si comes neutram dictarum approbaverit cautionum, vel recipere regnum noluerit sub conditionibus memoratis, & sic in totum tractatus habitos rumpere videatur: tu quidem non rumpes, sed dices te nobis omnia relaturum, & suspenso dicti archiepiscopi processu, ad nos ambo redibitis festinanter. Datum apud Urbem-veterem VIII. Calendas Januarii, pontificatus nostri anno III.

Cedula interclusa litteris supra proximo scriptis.

Cardinalis iturus ad comitem certificabit eumdem, sicut & alias per litteras apostolicas certificatus fuit, quòd Ecclesia Romana sustinere non posset, quòd ipse, vel quivis alius teneret senatum civitatis Romanæ ad vitam; & ideo negotiabitur cardinalis cum eo de certo tempore præfigendo, ultra quod per se, vel per alium senatum non teneat, & incipiet à triennio, & poterit ascendere usque ad quinquiennium, sed non ultra. Jurabit igitur comes, & dabit litteras suas patentes, & promittet sub pænis infra scriptis, quòd ultra tempus de quo cum eo conveniet cardinalis, non tenebit senatum, nec de eo per se vel per alium intromittet quoquomodo; & quòd si infra illud tempus conventum, regnum Siciliæ totum, vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere, acquisierit; ad mandatum Romani pontificis qui pro tempore fuerit; dimittet senatum omnino ex tunc, per se vel alium non retenturus eumdem. Et hæc omnia & singula se firmiter, ac fideliter servaturum firmabit proprio juramento; quòd si contra præmissa, vel aliquid de præmissis venerit, vel fecerit; præter reatum perjurii, incurret excommunicationis sententiam ipso facto, & terra sua ubilibet constituta sententiam interdicti. Quas sententias, si per mensem sustinuerit: cadat à jure senatus ipso facto; & si postea de facto senatum tenere contenderit, seu per se, vel per alium, de ejus regimine se quoquomodo intromiserit: ipso facto cadat ab omni jure sibi quæsito in regno Siciliæ. Quod si hujusmodi promissio de non regendo Urbem ultra dictum tempus à comite haberi non poterit; promittat comes, quòd bona fide dabit operam, ut Romanam non juret regere Urbem ad vitam, sed quamdiu sibi placuerit tenere senatum. Quod si juret comes quòd non tenebit senatum ultra quinquennium, seu ultra illud tempus citra quinquennium, de quo conventum fuerit inter ipsum & cardinalem; & quod si infra illud tempus conventum regnum Siciliæ totum, vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere, acquisierit; ad mandatum Romani pontificis, qui pro tempore fuerit, dimittet senatum omnino, ex tunc per se vel alium non restiturus eumdem.

Si autem comes à populo Romano obtinere non possit, quòd non teneatur regere Urbem ad vitam: promittet quod postquam concesserimus ei regnum Siciliæ, & ipse totum illud, vel majorem partem ipsius acquisierit, vel si fortè, quod absit, postquam liquidò constiterit, quòd acquirere illud non possit; ipse dimittet senatum, cùm à nobis, vel successore nostro de pleno, non servata juris solemnitate,

tate, decretum fuerit quod illud debeat dimittere, adjecto expressè in eodem decreto, quòd illum senatum sine Ecclesiæ Romanæ præjudicio & animæ suæ periculo tenere non potest, & quod dictum senatum potest dimittere de jure sine offensa juramenti quod præstitit, vel præstiterit in adventu suo Romano, & tunc, ut dictum est; eumdem senatum omnino dimittet: & hæc omnia jurabit & promittet sub pœna & cautionibus supradictis.

Tertio, promittet quod in dimissione senatus dabit operam bona fide, ut ad ordinationem Romani pontificis & Ecclesiæ revertatur: cives scilicet Romanos ad hoc sicut melius & honestius poterit inducendo; & hoc jurabit, ut suprà. Jurabit etiam quòd dum senatum tenuerit, nihil scienter in terris Ecclesiæ, demaniis scilicet & feudis in ejusdem Ecclesiæ præjudicium, vel suorum faciet contrà jura Romanæ Ecclesiæ & ecclesiasticam libertatem. Quod si ipse, vel sui facerent, id sine moræ dispendio revocabit; & istæ cautiones omnino habeantur ad manus, & etiam meliores si poterunt obtineri.

EPISTOLA XVI.

Ad Albertum sedis apostolicæ notarium.

Approbat additiones à Carolo comite Andegaviæ factas conditionibus super negotio Siciliæ ei propositis.

Anno 1264. URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Olim cùm te ad dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem pro negotiis regni Siciliæ duximus destinandum, quamdam tibi apostolicam tradidimus litteram, continentem quòd si contingeret dictum negotium secundùm conditiones tibi traditas, inter Romanam Ecclesiam & eumdem comitem consummari, taliter super petitionibus in eadem contentis littera, quas propter hoc dictus comes per suos nobis porrexerat nuncios, intendebamus, auctore Domino, condescenre votis ejus, quòd propterea non contingeret dictum negotium impediri. Verùm quia dictus comes nuper per dilectum filium magistrum Johannem de Monciaco capellanum nostrum nuncium suum quasdam misit adjectiones, petens per eum petitiones easdem cum adjectionibus ipsis à nobis admitti. Nos quasdam ex eisdem adjectionibus, quas rationabiles fore decrevimus, duximus admittendas, tenorem prædictæ litteræ quoad petitiones easdem, quarum aliquibus adjectiones hujusmodi sicut liquido perpendere poteris sunt annexæ, præsentibus inseri facientes, qui talis est, videlicet: ut nos decimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ, ac terrarum ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem comitissam Flandriæ ratione dominii, vel feudorum suorum spectantium in Cameracensi & Tornacensi diocesibus, nec non & decimam comitatus Provinciæ, ac Lugdunensis, Viennensis, Ebre-

A dunensis, Tarentasiensis & Bisuntinæ provinciarum, eidem comiti pro ipsius promotione negotii per triennium concedamus, & faciamus verbum crucis proponi contra MANFREDUM quondam principem Tarentinum & Sarracenos Luceriæ per omnes terras, in quibus decima comiti conceditur eidem; ac etiam per Lombardiam, Tusciam, Marchiam Anconitanam, & alias terras dicto regno Siciliæ adjacentes, in quibus verbum hujusmodi poterit securè proponi, illamque indulgentiam, ac illa B privilegia, & illas immunitates his qui contra MANFREDUM & Sarracenos prædictos signum crucis assumserint largiamur, quæ transfretantibus in terræ sanctæ subventione in generali concilio sunt concessa, omnibus qui propter hoc se crucis caractere insigniverint, generalem terminum quo iter veniendi arripiant tempore quo fiet dicti regni concessio præfixuri. Demus etiam dicto comiti omnes redemtiones votorum personarum illarum, qui signum crucis in subsidium dicti ne- C gotii duxerint assumendum, & redimere voluerint hujusmodi vota sua. Totam quoque terram ipsius comitis, & terras illorum qui secum propter hoc venerint sub nostra & apostolicæ sedis protectione recipiamus, durante ipsius prosecutione, ac promotione negotii, & in omnes illos qui comitem aliosque prædictos in terris eorum turbare, molestare, ac violentiam inferre præsumserint, generalem excommunicationis sententiam proferamus: conservatores eis nihilominus deputando: & si dictum comitem D in hujusmodi prosecutione negotii, quod absit, decedere fortè contigerit, dilectam in Christo filiam nobilem mulierem.... comitissam Provinciæ uxorem & liberos ejus eorumque terras sub nostra & prædictæ sedis protectione recipere ac etiam generalem excommunicationis sententiam in omnes illos qui comitissam eamdem ejusque liberos in terris eorum turbaverint, molestaverint, aut intulerint violentiam proferre, ejusque conservatores ad hoc deputare curemus, nec ullo umquam tempore E consentiamus, quod CONRADUS puer natus quondam CONRADI filii quondam FR. olim Romanorum imperatoris, vel aliquis per descendentem eorumdem FR. & CONRADI lineam, quomodolibet procreatus, aut etiam aliquis, qui se in præfato regno Siciliæ, vel aliqua ejus parte contenderet, seu posset contendere jus habere, imperii Romani culmen ascendat; & ut dictus MANFREDUS eodem regno Siciliæ & omnibus aliis terris quæ in regno ipso infra confinia terrarum dictæ Roma- F næ Ecclesiæ detinet, si comes ipse voluerit, per diffinitivam sententiam privetur à nobis, ac singulis diebus Dominicis & Festivis pulsatis campanis & candelis accensis publicari solemniter faciamus ubique, omnes spirituales & temporales sententias latas jam & ferendas in eum, & in omnes consiliarios adjutores & fautores ipsius. Omnes insuper illos qui eidem MANFREDO postquam dictum regnum Siciliæ fuerit comiti prædicto concessum adhærere

præsumserint, universis terris, feudis, bonis, & juribus, quæ à prædicta Romana & aliis quibuscumque ecclesiis & personis, ac locis ecclesiasticis immediatè, vel mediatè obtinent, apostolica auctoritate privemus. Procuremus insuper vinculum confœderatonis & pacis fieri inter omnes illas personas, quas idem comes nobis nominaverit, dummodo personæ tales existant, quarum confœderatio, vel unitas, aut unanimitas nobis expediens videatur. Denique ut revocemus omnes concessiones comitatuum, baroniarum, feudorum & aliorum quorumcumque bonorum & jurium factas in prædicto regno Siciliæ per FR. CONRADUM & MANFREDUM prædictos, eorumque officiales, familiares, & fautores, post depositionis sententiam in ipsum FREDERICUM per felicis recordationis INNOCENTIUM Papam IV. prædecessorem nostrum in Lugdunensi concilio promulgatam. Datum apud Urbem-veterem VII. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XVII.

Ad Albertum sedis apostolicæ notarium.

Respondet ad temperamenta quæ conditionibus super negotio Siciliæ adhiberi postulabat Andegaviæ comes.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper nobis quamdam misisti cedulam tuis litteris interclusam, quatuordecim continentem articulos de apostolica littera tibi tradita super conditionibus negotii regni Siciliæ dilecto filio nobili viro CAROLO Andegaviæ & Provinciæ comiti ostendendis exceptos, ex quibus aliquos, ut asseris, & ipsius cedulæ series manifestat, idem comes sub certa forma modificari postulat, quosdam penitus amoveri, & ejusdem cedulæ tenor talis.

Primus articulus de terra retinenda qui incipit: Remanebit Romanæ Ecclesiæ terra, &c. totaliter amoveatur & ponatur censûs loco terræ, ac super censu fiat moderatio talis: quòd si contingat dominum comitem, vel ejus heredes expendere proventus totius regni in defensione regni, vel ecclesiæ, fiat remissio census totaliter illo tempore. Si verò contingat ipsum vel heredes suos expendere partem proventuum regni in defensione regni vel ecclesiæ, fiat ipsius census remissio pro rata, sicut fieret, si terra petita Ecclesiæ remaneret.

In tertio articulo qui incipit: Idem autem comes & sui heredes, &c. petitur ut addatur, in regno, ne si filii sui qui non debent succedere in regno aliquid contra hujusmodi articulum attentarent, fieri posset præjudicium illi qui succedet in regno.

In sexto articulo qui incipit: Item totum ejusdem regni residuum, &c. vult comes quòd expresse dicatur quòd omnes à Domino comite & filiis & filiabus, & si deinceps exeuntes, sive in recta linea, sive ex transverso admittantur ad successionem regni moderatione per dominum papam magistro ALBERTO tradita nihilominus remanente.

In septimo articulo quod incipit: Item pro toto generali censu, &c. petitur ut locus tutus & certus ponatur, in quo fiat solutio census ejusdem: quia cùm census ipse decem millium unciarum sit, non potest securè ita de facili ad locum quemlibet deportari. Petit etiam quod prorogetur tempus in quo possit purgare moram super solutione prædicta.

Item, decimo capitulo ubi loquitur de numero equitaturarum quod incipit: Item quandocumque Romanus Pontifex, &c. petit ut amoveatur numerus equorum, cùm sufficiat dicere bene & decenter munitos & paratos.

In duodecimo capitulo quod incipit: Item dictus comes & ejus heredes, &c. fiat moderatio per Dominum Papam magistro Alberto commissa.

In tertio-decimo capitulo quod incipit: Item ipse & singuli heredes sui, petitur ut exprimatur quod si ille qui debet in regno succedere propter imperium ad quod fortè electus fuerit, vel propter quamcumque aliam causam successionem recusaverit dicti regni, dictum regnum ad ipsius recusantis fratrem, seu proximum alium devolvatur, qui à comite supradicto descenderit quoquo modo, legitimo tamen.

In vigesimo-secundo capitulo quod incipit: Nullas tallias, vel collectas, &c. ubi dicitur in fine, rebus eorum; petitur ut addatur, ecclesiasticis, salva nihilominus eorum libertate in rebus patrimonialibus de regni consuetudine, si quam habent.

In vicesimo-sexto capitulo quod incipit: Item, nullam confœderationem, seu pactionem, vel societatem faciet, &c. petitur ut addatur: scienter, & si etiam faceret, ignoranter, teneatur ad mandatum Ecclesiæ revocare.

In vicesimo-octavo capitulo quod incipit: Super comitatibus verò & aliis, &c. petitur ut ubi loquitur de concessionibus, addatur: legitimè factis, & quæ debent valere de jure, salva moderatione per Dominum Papam magistro Alberto concessa.

In vicesimo-nono capitulo quod incipit: Item dictus comes veniet, &c. petitur ut ubi loquitur de numero militum, amoveatur ipse numerus, si dictus comes in propria persona vadat: quia non vult quòd sibi, si personaliter vadat certus numerus præfigatur: quia multò majorem duceret quàm dicatur. Sed si fortè personaliter non iret, bene placet eidem, quòd prædictus numerus statuatur. Et ubi dicitur quod quilibet habeat quatuor equitaturas, addatur secundùm magis & minus: ita scilicet, quod mille milites habeant ad minus quatuor millia equorum.

In tricesimo capitulo quod incipit: Item dictus comes usque ad annum, &c. petit addi: nisi fuerit legitimo impedimento detentus, de quo Dominus Papa cognoscere debeat, & prout expedire sibi videbitur judicare. Item, in eo-

dem capitulo ubi dicitur morte præventus, similiter addatur vel alio detentus impedimento legitimo, de quo similiter Dominus Papa cognoscat & judicet, prout secundùm Deum fuerit faciendum.

Item tricesimum-primum capitulum quod incipit: Item postquam dictus comes prædicta regnum Siciliæ & terram habuerit, &c. petitur totaliter amoveri: quia contumeliosum esset comiti, & homines regni essent minus obedientes eidem. Daretur etiam per hoc hominibus dicti regni occasio contra regem insurgendi: & quia non fuit cum suis nunciis de hoc tactum aliquid in tractatu: & quia satis ligatus est rex per præcedentia ad præmissorum observationem, & quod gravius est, Dominus rex Franciæ & ipsius consilium nullatenus consulunt, nec etiam consentirent: immo graviter gerit idem rex Franciæ istud capitulum quod petitur à comite supradicto: nam videtur eisdem quod tale quid esset ab infidelibus & sæpe contumacibus exigendum, & non à fideli aliquo christiano. Item petitur quòd ubicumque fit mentio de amissione regni, si non paruerit monitionibus sibi factis, addatur, vel si noluerit stare juri, petitur etiam quod augeatur tempus monitionis hoc modo: Quòd si in propria persona monitus fuerit, habeat sex menses: si per procuratorem vel publicè, habeat annum: quia posset esse quod illis temporibus esset ultra mare, vel in remotis partibus orientis vel occidentis. Alia omnia capitula absolutè & simpliciter conceduntur.

Deliberatione igitur cum fratribus nostris habita, licet conditiones quas tibi tradidimus exacta diligentia fuerint exaratæ, & de fratrum nostrorum consilio tibi traditæ, æquitatem per omnia nostro judicio continentes: quia tamen & ipsum comitem super his instare scripsisti, nec non & carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum illustrem Francorum regem, qui conditiones easdem audire voluit & discutere sigillatim: super dictis articulis quos misisti, sic tibi ducimus respondendum.

In primo quidem articulo dictæ cedulæ qui incipit, primus articulus de terra, &c. in quo agitur quod tota terra remansit Ecclesiæ per pacem olim initam inter dilectum filium nostrum O. Sanctæ Mariæ in via-lata diaconum cardinalem tunc in regno Siciliæ apostolicæ sedis legatum & Manfredum quondam principem Tarentinum, & ultra etiam usque Beneventum, &c. eidem remanebit Ecclesiæ. Et in quarto qui incipit In septimo capitulo, &c. in quo agitur quod pro toto generali censu ipsorum regni & terræ duo millia unciarum auri ad pondus Romanum, &c. in quo etiam agitur de pœnis quas comes incurret, si non solverit in terminis censum ipsum. Et in octavo qui incipit in vicesimo-secundo capitulo in quo agitur quod nullas tallias vel collectas imponet ecclesiis vel personis aut rebus ecclesiastisticis. Et in quarto-decimo seu ultimo qui incipit: Item petitur quòd ubicumque fit mentio de amissione regni, si non paruerit monitionibus sibi factis, additur, vel si noluerit stare juri, nihil duximus immutandum; sed omnes in eo tenore permaneant quo tibi fuerunt traditi, prout in data tibi littera plenius continetur, salvis modificationibus, si quas tibi tradidimus super illis vel aliquo eorumdem.

Verùm in sexto articulo ejusdem cedulæ qui incipit, in duodecimo capitulo quod incipit: Item dictus comes & ejus heredes regnum & terram præfata nullatenus divident, sed semper illa unus tantùm sub ipsis conditionibus immediatè ac in capite à Romana tenebit Ecclesia &c. in quo quidem articulo petitur quod fiat moderatio per nos tibi concessa, nihil intelleximus novum peti, & idcirco quod petitur duximus concedendum.

In quinto articulo qui incipit: In decimo articulo &c. in quo de trecentis militibus in servitium Ecclesiæ dicitur quòd singuli quatuor equitaturas habeant, addi volumus, vel tres ad minus, nec enim esset de paucioribus tolerandum.

In nono articulo ejusdem cedulæ qui incipit: In vicesimo-sexto capitulo &c. in quo tangitur quòd nullam confœderationem vel pactionem, aut societatem faciet &c. in quo etiam petitur ut addatur, Scienter, & si etiam faceret ignoranter, teneatur ad mandatum Ecclesiæ revocare: moderationem hujusmodi admittimus quam postulat idem comes.

In decimo verò qui incipit: In vicesimo-octavo &c. in quo quidem habetur quòd super comitatibus & aliis, si qua in regno & terra prædictis Romanæ Ecclesiæ, aut aliis Romanæ Ecclesiæ fidelibus à regibus & principibus sunt concessa, salvum omnino erit jus ipsius Ecclesiæ & fidelium eorumdem &c. nostræ intentionis existit, quòd secundùm conditiones & modificationes tibi traditas; regnum Siciliæ, excepta civitate Beneventana & omnibus districtibus & pertinentiis suis, comiti concedatur eidem, salvo jure quòd heredes quondam Richardi comitis Sorani germani felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædecessoris nostri habent in comitatu Sorano, salvo etiam jure aliorum Ecclesiæ fidelium, quoad donationes eis in ipso regno factas à regibus & principibus, prout in eisdem conditionibus & modificationibus plenius continetur.

Ceterum ut ad illos articulos qui magis videntur impliciti redeamus. Ad secundum articulum ejusdem cedulæ qui sic incipit: In tertio articulo &c. ubi habetur quod comes & heredes sui in civitate Beneventana & ejus territoria aut in alia terra quæ ipsi remanebit Ecclesiæ, vel in Urbe, seu in Campania vel maritima, sive in ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, vel in Patrimonio B. Petri in Tuscia, seu in aliis quibuscumque terris aut demaniis sive feudis ubilibet constitutis, nihil umquam sibi acquirent vel vendicabunt &c. respondemus quòd de illis heredibus ejusdem comitis intelligimus, qui dicto comiti in Siciliæ regno succedent. Nolumus enim quòd delictum aliorum heredum qui succedent ei in co-

mitatibus & aliis terris suis, in pœnam heredis, qui est ei successurus in regno, aliquatenus extendatur. Verumtamen in hoc articulo, ubi dicitur quod nihil umquam sibi acquirent vel vindicabunt, seu poterunt acquirere, vel quomodolibet vendicare, addi volumus, quòd nihil umquam recipient, habebunt, vel retinebunt, seu poterunt recipere, habere vel etiam retinere. In illo quoque loco ejusdem articuli, in quo dicitur, nec quodcumque aliud officium recipient, vel recipere poterunt in eisdem addi volumus habebunt, seu retinebunt, vel habere seu retinere poterunt in eisdem. Ne verò hujusmodi alii heredes ipsius comitis contra ea quæ in eodem tertio continentur articulo aliquo forsan tempore venire præsumant acquirendo vel vendicando aut recipiendo, vel habendo seu retinendo sibi aliquid in terris in articulo ipso expressis; vel recipiendo, habendo seu retinendo in eisdem terris potestariam seu capitaniam, aut aliquid aliud de his quæ in articulo continentur eodem: Sic super hoc duximus providendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum heredum ejusdem comitis ullo umquam tempore liceat sibi quicquam in eisdem terris acquirere, seu vendicare, recipere, habere, vel etiam retinere aut recipere, vel habere, seu retinere potestariam seu capitaniam, vel rectoriam, aut aliquid aliud ex his, quæ, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio deferretur. Sed ab illa repellantur omnino, & nihilominus ille qui tunc ejusdem regni gubernaculis præsidebit, Romano Pontifici contra eum potenter assistere teneatur. Quod autem dicimus nos intelligere in dicto tertio articulo de heredibus comitis, hoc ipsum etiam intelligi volumus in octavo conditionum articulo, in quo agitur de trecentis militibus ad servitium Ecclesiæ destinandis: & in nono ubi agitur de homagio faciendo per ipsum comitem & ejus heredes, in quo quidem nono addi volumus, quod idem comes & ejus heredes Romano Pontifici homagium facere, ac juramentum fidelitatis præstare juxta formam in littera conditionum expressam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit infra sex menses: si verò eum extra Italiam esse contigerit infra annum, postquam regni dominium adepti fuerint, teneantur. Et in decimo in quo agitur quod dictus comes & ejus heredes regnum & terram præfatam nullatenus divident &c. Ac in duodecimo in quo dicitur quod ipse & singuli heredes sui Romano Pontifici & singulis successoribus suis & Ecclesiæ Romanæ, quando præstabunt juramentum fidelitatis, jurabunt se ad hoc specialiter obligantes, quod numquam per se vel per alios, seu quocumque modo procurabunt, ut eligantur vel nominentur in imperatorem &c. In vicesimo-nono quoque in quo dicitur quòd omnes præmissas conditiones quæ in persona comitis apponentur, circa ipsius etiam heredes comitis intelligimus & volumus esse dictas. Verumtamen in ipso vicesimo-nono hujusmodi fiat adjectio, videlicet salvis omnibus quæ circa alios heredes ipsius comitis à nobis ordinatæ consistunt, prout in præsentibus continetur. Et etiam in quinto-decimo in quo utique quinto decimo prohibentur comes & sui heredes occupare terras Ecclesiæ, quæ in quinto-decimo exprimuntur eodem: sed in ipso quinto-decimo addi volumus, quod etiam hujusmodi alii heredes ipsius comitis occupare vel facere occupari easdem terras Romanæ Ecclesiæ, seu molestare, aut molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent; quodque illi qui secus attentaverint, præmissas pœnas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi quàm eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti regni, si in aliquo fortè casu eadem successio devolveretur ad ipsos, nullatenus admittantur, incurrant: & quod rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum. Licet autem in quinto conditionum articulo, qui sic incipit: Item, totum ejusdem regni residuum perpetuò concedetur in feudum eidem comiti & heredibus suis, &c. fiat heredum mentio, nullam tamen expedit declarationem in illo fieri de heredibus comitis successuris in regno, cùm idem articulus sufficientem de hoc declarationem contineat in seipso.

Ad tertium autem articulum dictæ cedulæ qui sic incipit: In sexto articulo qui incipit: Item, totum ejusdem regni residuum perpetuò concedetur in feudum eidem comiti & heredibus suis &c. licet non sit sextus, sed quintus, prout superius est expressum, declarationem hanc addimus, quod si comes regnum à nobis receperit, descendentes per rectam lineam ex eodem & ipsius heredibus Siciliæ regibus mares & feminæ in eodem regno succedent, sic tamen quod de liberis duobus maribus in eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, & de duabus feminis primogenita, & de mare aut femina in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur. Si verò, quod absit, ipsum comitem sine liberis mori contingeret; succedent dilectus filius nobilis ei ALFONSUS comes Pictaviæ ac filius regis Franciæ post illum qui succedet in regno Franciæ major natu, juxta formam quæ in littera moderationum nostrarum tibi tradita continetur. Sed si aliquem de successoribus ejusdem comitis regem Siciliæ sine prole legitima sui corporis mori contingerit in futurum, succedens eidem servatis gradibus, si superstites fuerint hæ personæ, videlicet regis sine prole legitima sui corporis decedentis frater vel soror innupta, fratris filius aut etiam innupta filia, nepos etiam sive neptis innupta ex filio vel filia fratris aut sororis regis præmortui descendentes, & sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; Sic

& in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori & marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Circa nuptas autem intuitu ejusdem comitis, cui gratiam in hoc intendimus facere specialem, hoc volumus observari, ut si ejusdem comitis filius rex Siciliæ, nullo ejus fratre superstite sine sui corporis legitima prole decesserit, etiam soror ejus nupta ipsius comitis filia si regi præmortuo supervixerit, dummodo sit prior natu aliis ejusdem comitis filiabus, ejus quoque ac etiam fratris ipsius regis filia nupta in suo casu, in eodem regno succedant, successione hujusmodi ad alias sui generis nuptas, nisi secundùm præscriptam formam nullatenus extendenda. Personarum autem hujusmodi nulla superstite, regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere revertatur. Quæ autem de rege decedente sine liberis diximus & succedentibus eidem in regno, dicimus de regina, si contingeret regnum ad feminam casu quocumque devolvi.

In septimo articulo ejusdem cedulæ qui sic incipit: In tertio-decimo capitulo quod incipit, Item ipse & singuli heredes sui Romano Pontifici & singulis successoribus suis & Ecclesiæ Romanæ quando præstabunt hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabunt se ad hoc specialiter obligantes quod numquam per se, vel per alios, seu quocumque modo procurabunt ut eligantur vel nominentur in regem vel imperatorem &c. cùm tamen iste articulus non sit tertius-decimus sed duodecimus, moderationem hujusmodi duximus adnectandam, ut si fortè in posterum regem Siciliæ in imperatorem contingat eligi postquam regni fuerit possessionem adeptus, non transeat ad imperium, alioquin in pœnas incidat in littera conditionum quam tibi dedimus comprehensas. Quod si regni possessione prædicti nondum agnita seu obtenta, in imperatorem electus transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in regno, cujuscumque fuerit ætatis, emancipet, & regno renunciet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium ad servitium vel subsidium aliquod faciendum, juramento vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel successoribus suis astringat, sicque factus sui juris ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato ab ipso protinus investiatur de regno, ad cujus regis successionem, si fortè decederet sine liberis; nullo tempore pater veniat imperator existens. Sed si imperio & omnibus quæ ad imperium pertinent, idem pater renuntiare voluerit, & regno tantùm esse contentus, post renunciationem hujusmodi ad illius successionem liberè admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice vel alio destinato ab eo investituram recipiat regni ejusdem. Quòd si dictus filius sic ad regnum assumtus major annis decem & octo fuerit, liberè administret, sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quàm regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec ipse impleverit supradictam ætatem fructibus & obventionibus regni, ex quibus sumtus necessarii faciendi pro ejusdem regni custodia deducantur regi conservandis eidem, & lucro alterius ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ verò de filio diximus, ut ei videlicet regnum possit sub observatione præmissa, à patre ad imperium transeunte dimitti in filia, sive nupta fuerit sive innupta, penitus prohibemus. Verùm si rex non habens filios in imperatorem electus ad imperium transire voluerit, & de personis quas supra diximus liberis non extantibus, in regno posse succedere mares aliqui superstites fuerint, quæ de filio prærordinavimus observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Declaramus etiam in articulo de imperio quòd si regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia, quæ imperatori dum viveret fuerat desponsata vel nupta, non succedat in regno, & si regno sibi delato imperatori nupserit, cadat protinus ab eodem, nisi vir ejus imperio prorsus renuntians regno solummodo sit contentus. In primo autem casu, repulsa filia, ad personas illas, servatis gradibus, regnum perveniat, quas prænotavimus in regno posse succedere, si regi præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam devolvatur.

In duodecimo verò articulo ejusdem cedulæ qui sic incipit: In tricesimo capitulo quod incipit: Item dictus comes usque ad annum à die consummationis tractatus hujusmodi computandum &c. poni volumus à die quo fiet ei collatio de regno Siciliæ computandum: & in eodem capitulo ubi habetur quòd liberum erit eidem Romano pontifici hoc eidem facere, si, quod absit, dictus comes vel longa præpeditus valetudine, vel morte præventus dictum negotium non assumserit, vel assumtum non fuerit prosecutus, nisi fortè talis personæ &c. adjectionem hanc fieri volumus, videlicet quòd si dictus comes alio forsan impedimento legitimo fuerit irretitus, & hoc significaverit Romano pontifici, & in potestate remanebit ipsius vel dicere, pronunciare ac proferre juxta formam in capitulo ipso contentam, concessionem eidem comiti & ejus heredibus factam de regno & terra prædictis vacuam omnino esse, nullumque valorem vel robur habere, ac eam revocare, cassare & irritare, & ipsam cassam & irritam nuntiare, vel talem personam, & tam idoneam assumere, vel admittere ad dictum negotium, quæ meritò ad hoc ab ipso sufficiens reputetur.

In articulo autem penultimo dictæ cedulæ, in quo de juramento regnicolarum agitur, in hoc volumus comitem honorare, quod postquam ipse suum nobis præstiterit juramentum, juramenta baronum & hominum dicti regni semel tantùm in ipsius vita præstentur: sed post decessum ejusdem jurabunt Romano Pontifici successores ipsius; & nihilominus barones & homines dicti regni juxta formas in conditionibus quas tulisti diligentius exaratas, juramen-

tis dictorum baronum & hominum de decennio in decennium renovandis.

Quod verò de quinquaginta millibus marcarum remittendis eidem, tam ab ipso quàm à rege postulari scripsisti, nulla credimus ratione petendum, cum sit satis modica quantitas, sintque maxima onera sedis hujus : cùm tamen negotium de quo agitur, Deo dante, feliciter consummari contigerit, petitionem ejusdem comitis ex parte saltem aliqua, de qua nobis ad grates teneri debeat, audiemus.

Denique ubicumque conditionibus vel modificationibus nostris habetur in pœnam quòd comes & ejus heredes cadant à regno vel sint ipso regno privati, addatur semper quod regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam devolvatur. Hæc sunt quæ apud nos plena deliberatione statuimus, in quibus, qualiter, & quo tibi sit ordine procedendum per alias litteras quas cum præsentibus tuæ discretioni transmittimus plenè poteris edoceri, in quibus utique litteris rationes urgentes invenies, quæ ad firmandam responsionem hujusmodi nos moverunt. Datum apud Urbem-veterem v. Idus Januarii, pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XVIII.

Ad Albertum apostolicæ sedis notarium.

Scribit ei rationes responsionum suarum in superiori epistola expressarum.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro salutem & apostolicam benedictionem.

Tuis nuper receptis litteris cum quadam cedula interclusa, nonnullos articulos ex parte dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ & Provinciæ comitis tibi redditos cum adjunctis petitionibus continentes ad singula plenè respondimus, sicut in alia tibi littera scribimus seriatim. Sanè quia forsitan aliqui mirabuntur cur super eisdem articulis tam variè responderimus, quamquam omnibus liqueat quod pro varietate factorum responsiones oportet sæpius variari : placuit tamen nobis singulis nostris responsionibus rationes accommodas præsenti pagina comprehendere, non ut cuilibet quærenti respondeas, nec ut prævenias non quærentes, sed ut in singulis factus instructior respondere non timeas, quibus, ubi, & quando, pro quærentium reverentia vel utilitate negotii tibi crediti videris respondendum. Verùm ab articulis sumentes initium in quibus nihil ducimus immutandum, in primo articulo dictæ cedulæ qui sic incipit : Primus articulus de terra &c. in quo petitur quod si per comitem vel successores ipsius pro regni defensione suscepti facere sumtus contigerit, fiat ei remissio canonis usque ad concurrentem cum sumtibus quantitatem. Qualiter, aut quo pacto peti potuerit vel debuerit non videmus. Ad hoc enim vocamus eumdem, ut cum Ecclesiæ magno subsidio juxta suum tuumque tractatum regnum Siciliæ potenter acquirat, & defendat viriliter acquisitum, in cujus defensione si forsitan sumtus fecerit, suum gerens negotium, sibi neminem obligabit, cùm onera defensionis hujusmodi emolumenta fructuum comitentur, prout in emphiteotis communiter & fructuariis ac vassallis, secundùm juris communis regulas, observatur. Hac via si quidem posset Ecclesia suo jure fraudari, multisque materia quæstionibus & scissuris inter sedem apostolicam & illum qui rex Siciliæ pro tempore fuerit, pararetur : & ideo petitioni prædictæ non duximus annuendum.

Illi autem secundo articulo qui sic incipit : In tertio capitulo &c. subjuncta petitio quantum ad primam partem admitti non potuit, ut scilicet ad heredes regni dumtaxat articulus arctaretur, cùm in demaniis aut feudis Ecclesiæ potentes viros nec velimus, nec debeamus admittere : & hoc ipsum in terris propriis eumdem comitem & alios mundi principes credimus observare. Parti tamen ultimæ petitionis ejusdem consuli volumus, prout in alia nostra littera continetur.

Ad quartum articulum qui sic incipit : In septimo capitulo &c. per aliam nostram litteram data responsio roboratione non indiget : quia loci petita præfixio sine partis utriusque periculo fieri non valeret, & ad moram purgandam tempus sufficiens est præfixum.

Octavus articulus qui sic incipit : Item vicesimo-secundo capitulo &c. sibi sufficit & adjectio postulata cleri detraheret libertati, quam vel minuere, vel ambiguis verbis involvere nec volumus nec debemus.

Undecimus articulus qui sic incipit : In vicesimo-nono &c. substantiam tangit negotii ; cum rei cujuslibet pars potissima sit principium, quod si forsan esset debile, inimicorum cornua minimè frangerentur: nec potuimus illud admittere, ut secundùm magis aut minus evectionum numerus ad equorum quatuor millia reducatur. Sic enim contingeret, quòd si unus viginti duceret, multi possent cum unico remanere. Quod si quis objecerit satis posse relinqui comitis providentiæ sui discussionem periculi & cautelam, cùm istud principaliter eum tangat ; dicimus quòd nihilominus & nos tangit & ipsam Ecclesiam, quæ si, quod absit, in hoc facto semel attentato deficeret, consequenter sentiret hostium acriores insultus.

In sequenti articulo qui sic incipit : In tricesimo &c. nihil addendum duximus propter utilitatem Ecclesiæ manifestam, quam teneri non expedit in suspenso, nec ad singula quæ videntur probabili ratione subnixa se vult astringere pactionibus, in quibus tamen cum id suggerit æquitas & suadet necessitas, non se reddit dificilem, omni pactione cessante.

Ultimus autem articulus qui sic incipit : Item petitur &c. inter initia litem offerens, nostris & fratrum nostrorum auribus malè sonuit, cùm sedes apostolica non intendat super suis conventionibus litigare : quæ sicut dubia pro certis non recipit, sic nec certa pateretur in dubium revocare : præsertim cùm facta sunt talia, quæ non possunt non esse notoria si sunt vera.

Ceterùm in articulo tertio qui sic incipit: In sexto verò articulo &c. si quæratur cur non omnibus concedamus heredibus indistinctè ut futuris pro tempore regibus in eodem regno succedant; responsio est in promtu. Rei suæ siquidem moderator & arbiter unusquisque incundo super ea contractui legem potest imponere quam voluerit ab eo cum quo contrahit vel intendit contrahere, si & ei placuerit, acceptandam. Quare de regno Siciliæ agimus ut de nostro, conditionibus additis, quas & nobis & idem regnum de nostris manibus accepturo, æquitate pensata, credimus fructuosas. Nec omittimus quod in negotio de quo agitur, non solam personam eligimus, sed & genus cujus sinceritas multis jam retroactis temporibus à progenie in progenies derivata in illis præsumitur in futurum tenaciùs conservanda, qui suum stipitem & ipsius stipitis puritatem, linea rectiore suspicient, minusque mixturam sanguinis sapient alieni. Scias insuper in humanis legibus reperiri imperatorem olim catholicum decrevisse, ne urbis Constantinopolitanæ major Ecclesia emphitheoticum contractum extenderet in tertium aliquatenus successorem. Nos verò in sedis apostolicæ tam nobili patrimonio in recta linea descendentium à Siciliæ regibus in infinitum admittimus successores, & usque ad quartum gradum in illa linea transversali, quæ à fratre ducit originem, sicut modificatio nostra declarat. Non ergo artamus justitiam, sed favorem & gratiam ampliamus, quod equidem reprehensioni non subjacet, sed gratiarum potius dignum est actione.

NOTA.

In septimo verò articulo qui sic incipit: In tertio-decimo capitulo &c. nihil dubium, nihil respondemus onerosum, circa quem ad hoc nostra tendit intentio, ne regnum & imperium in eadem persona concurrant, quorum conjunctio & apostolicæ sedi nocuit & regnum ipsum ad extremam fere reduxisse dinoscitur egestatem. Si quem verò moveat, quod ad regni successionem; filiis non extantibus, filiam nuptam admittimus; nullisque liberis superstitibus, sororem innuptam recipimus, nuptamque dicimus repellendam; quiescat ejus animus, nec miretur, si recta linea descendentibus manum extendimus largiorem, præsertim cùm sit moris universis principibus altius & honestius nuptui dare filias quàm sorores, propter quòd meritò ad regnum hujusmodi videri possunt rectius & securius admittendæ.

Articulus quidem penultimus dictæ cedulæ in quo de juramento agitur baronum & hominum dicti regni, comitem scandalizare non debuit, cùm in omnium tractatuum nostrorum serie sit expressum, quod sufficienter nobis caveri debeat de pactis & conventionibus observandis, Nos enim nec reges, nec principes, nec famosas mercatorum societates sponsores vel fidejussores dari nobis petivimus ab eodem, sed illam elegimus cautionem, quam sibi magis facilem, minusque prospeximus onerosam, nec contumeliæ notam habet, si jurant subditi quòd dominus ipse jurat, nec ex hoc dabitur eis occasio malignandi, qui se soli Romanæ Ecclesiæ talibus juramentis astringent, cum qua nihil possent contra Dominum machinari, quem semper Ecclesia Romana tuebitur & fovebit. Unde potest & debet sufficere comiti moderatio quam eidem articulo duximus adnectendam.

Ceterùm his ita dispositis, ut ad tuæ tenorem litteræ redeamus, nosse te volumus, quod dubitationis nobis ingessit materiam quod scripsisti, dictum scilicet comitem omnes articulos quos tecum tuleras, his exceptis quos evolvimus acceptasse, cùm ex alia parte scripseris carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Francorum dixisse quòd cardinales mittere curaremus, qui tam illos quàm alios possent liberè moderari. Ex quibus duabus clausulis innui videbatur prædictum comitem sine regis consilio suam firmasse sententiam, aut regem eumdem providentiæ comitis non inniti, plura pro ipso petentem, quàm intendat aut postulet idem comes. Rursum cùm tibi quatuor specialiter injunxerimus tenenda memoriter & investiganda prudenter comitis scilicet promtitudinem ad negotium, regis assensum, viam pacis inter reginam & comitem, motum etiam circa decimam prælatorum: quamvis de promta comitis voluntate aliqua nobis scripseris, & de assensu regio quasdam probabiles conjecturas, de duobus tamen articulis aliis non scripsisti, quamquam non leviter, immo medullitus ipsum negotium tangere videantur, & efficacius promovere, cùm facienda videbitur cardinalium missio. Ex his igitur potes colligere manifestè nondum ad illum statum venisse negotium de quo agimus, ut destinandi fuerint cardinales, quos pro sua gravitate non expedit currere in incertum. Si ergo prædictum regem Franciæ super hujusmodi in missione suspensa videris admirari, plenam habes excusationis materiam ex præmissis, cùm hæc tibi sufficiant, qui ex convictu curiæ diuturno, & Romanorum familiaritate pontificum didicisti, quot præmissis discussionibus, quot demum consiliis inculcatis ad tam insignes personas & ad tantæ loca distantiæ JESU-CHRISTI vicarius mittere consueverit fratres suos. Collectis itaque omnibus supradictis, intermissum resume tractatum, & responsiones quas dedimus ad articulos nobis missos, tam regi, quàm comiti diligenter expone, & tam finalem responsionem eorum, quàm ea quæ circa pacem comitis cum regina, necnon & prælatorum proposito super decima poteris explorare, nobis quàm citius scribere non postponas. Imple demum in omnibus virum providum & fidelem, sicut hactenus in commissis tibi negotiis id fecisti: ita quod dictum negotium per tuæ diligentiæ studium, gratia tibi cooperante divina, ad laudem & gloriam divini nominis & honorem præfatæ Romanæ Ecclesiæ prosperitatis incrementa suscipiat, tuque nostram & memoratæ sedis gratiam uberius exinde consequi merearis. Datum apud Urbem-veterem v. Idus Januarii, pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XIX.

Ad Ægidium archiepiſcopum Tyrenſem & Johannem de Valencenis.

Mandat ut ſubſidia terræ ſanctæ a collectoribus recipiant ac fideliter expendant.

Anno 1264. URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri noſtro E. archiepiſcopo Tyrenſi & dilecto filio JOHANNI DE VALENCENIS Domino *Caiphe* ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum nos diverſa pecuniaria ſubſidia ſubventioni terræ ſanctæ duxerimus deputanda, mandantes hujuſmodi ſubſidia per omnia chriſtiana regna mundi & provincias colligi per certos prædicatores, executores, ſeu collectores, ad hoc deputatos à nobis, & ad opus ipſius terræ vobis ab eiſdem collectoribus aſſignari; nos de fidelitate ac circumſpectione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, attendentes etiam zelum devotionis & intimi affectum deſiderii, ac vehementem ſollicitudinem quibus circa liberationem dictæ terræ corda veſtra ducuntur, partem onerum negotiorum ejuſdem terræ non minimam veſtris humeris eò fiducialiùs duximus imponendam, quò certiùs ſperamus & firmiùs vos hujuſmodi onera promtioribus animis ſupportare. Cùm igitur nos prædictis collectoribus per noſtras ſub certa forma litteras injungamus, ut ea quæ de prædictis ſubſidiis collecta ſunt hactenus vel in poſterum colligentur, vobis ſine diminutione qualibet aſſignare procurent, præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus omnia prædicta pecuniaria ſubſidia collecta jam & quæ deinceps colligi contigerit ab eiſdem executoribus ſeu collectoribus per vos vel per alium, ſeu alios exigentes ac recipientes integrè illa quæ receperitis in utilitatem prædictæ terræ convertere fideliter & ſine qualibet diminutione curetis, nobis quid & quantum & à quibus de hujuſmodi ſubſidiis receperitis fideliter reſcripturi. Tu verò, frater archiepiſcope, dictos prædicatores, executores, ſeu collectores, quod hujuſmodi pecuniaria ſubſidia in manibus veſtris vel illorum, quos ad hoc duxeritis deputandos, aſſignent, per cenſuram eccleſiaſticam per te vel per alium ſeu alios, appellatione remota, compellas: nonobſtante ſi aliquibus à ſede apoſtolica ſit indultum, vel contigerit indulgeri, quòd interdici vel excommunicari nequeant aut ſuſpendi, & qualibet alia indulgentia dictæ ſedis generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, quibuſcumque dignitatibus, ordini vel perſonis conceſſa, per quam mandati noſtri executio impediri valeat vel differri, & de qua in noſtris litteris de verbo ad verbum & eorum dignitate, ordine, vel nominibus fieri mentio debeat ſpecialis, & conſtitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum apud Urbem-veterem VII. Calendas Februarii, Pontificatus noſtri anno III.

EPISTOLA XX.

Ad omnes colligendis pro ſubſidio terræ ſanctæ diſtinatos.

Ut in injuncto ſibi commiſſo diligenter & ſtrenue ſe gerant.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus univerſis archiepiſ- Anno 1264
B copis & epiſcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, nec non prioribus Prædicatorum miniſtris, cuſtodibus ſeu guardianis Minorum ordinum, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis vel religioſis, per omnia chriſtiana mundi regna & provincias ad crucis negotium & ad colligenda ſubſidia pecuniaria pro terræ ſanctæ ſubſidio à ſede apoſtolica deputatis, & in poſterum deputandis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Etſi ad univerſas mundi provincias, quæ chriſtiana profeſſione cenſentur; noſtræ diligentiæ
C ſtudium diffundamus, eo tamen ſollicitius & frequentius ad ſtatum terræ ſanctæ, quæ undique peccatis exigentibus, & Sarracenorum & Tartarorum furenti feritate concutitur, noſtræ dirigimus conſiderationis intuitum, noſtræque mentis reflectimus oculos, quò artiùs ad ejuſdem terræ profectus ob illius reverentiam qui ſalutem humani generis extitit operatus in ipſa & qui eam ſui aſperſione ſanguinis rubricavit, nos recognoſcimus obligatos. Cùm igitur exe-
D cutionem negotii crucis, ac collectionem diverſorum ſubſidiorum pro eadem terra vobis deputatis ad hoc per diverſas noſtras ſub certis formis litteras in omnibus chriſtianis mundi regnis & provinciis duxerimus committenda: nos cupientes per vos in his quæ pro dicta terra vobis commiſſa ſunt, vel committi contigerit in futurum, cum omni diligentia & attentione procedi, univerſitatem veſtram monendam, rogandam, attentè duxìmus & hortandam, per apoſtolica vobis ſcripta diſtrictè præcipien-
E do mandantes, quatinus ſinguli veſtrum, ſicut divinam & noſtram ac apoſtolicæ ſedis caram habetis gratiam ad executionem negotiorum hujuſmodi juxta formas vobis ad hoc deputatis traditas, ſic ferventer, ſicque diligenter & efficaciter procedatis, ut unigenitus Dei Filius JESUS-CHRISTUS cujus cauſa ſpecialiter agitur, in hac parte labores veſtros, & hic, & in cœleſti patria condignis præmiis recompenſet, noſque devotionis veſtræ promtitudinem debitis laudum præconiis attollentes, multiplices vobis propter hoc non immerito gra-
F tias referamus. Ceterum volumus & vobis univerſis & ſingulis in obedientiæ virtute diſtrictè præcipimus, ut omnem pecuniam cunctaque alia collecta jam per vos de hujuſmodi ſubſidiis & colligenda deinceps venerabili fratri noſtro E. archiepiſcopo Tyrenſi & dilecto filio nobili viro JOHANNI DE VALENCENIS domino *Cayphe*, ejuſdem terræ nunciis vel illis quos ipſi ad hoc duxerint deputandos integrè ac fideliter & ſine diminutione qualibet aſſignare

gnare curetis, per eos in ejusdem terræ subsidium totaliter convertenda, rescripturi nobis fideliter quid de hujusmodi subsidiis & gratum & quibus duxeritis assignandum. Datum apud Urbem-veterem VII. Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXI.

Præscribit cautiones cum quibus Carolus comes Andegaviæ & Provinciæ Urbis senatum tenere debeat &c.

URBANUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Anno 1264

Dicit Jeremias quòd omne malum ab Aquilone pandetur. Nos autem dicimus quòd non jam ab Aquilone, sed à regno Siciliæ nobis & vobis panditur omne malum, nam de ejus divitiis magna pars mundi corrumpitur, Ecclesiæ patrimonium laceratur, & viæ nostræ & ad nos venientium ex parte jam maxima sepiuntur. Ut autem tot malis quibus modis poterimus occurramus, aliqua cogimur tolerare, quæ hujusmodi causis cessantibus minimè pateremur. Unde quia procedente tractatu inter nos & dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem, de regno Siciliæ sub certis conditionibus ei dando, contigit eumdem comitem in senatorem Urbis assumi. Nos qui nullum principem præter Romanum Pontificem, si vel prosperitas arrideret, vel saltem levior urgeret calamitas, dominari vellemus in Urbe, nunc malis crescentibus eidem comiti in senatoria dignitate ad tempus obtinenda, ad hoc ut liberior & facilior aditus ei ad dictum regnum exinde pateat, cogimur assentire. Quamvis autem vestra in hac parte fuerint divisa consilia, omnibus tamen provida meditatione pensatis, nobis videtur utile, & hoc tempore necessarium, ut juxta ejusdem comitis & carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI Francorum regis illustris desiderium, dilectum filium nostrum S. tituli S. Ceciliæ presbyterum cardinalem sine moræ dispendio destinemus ad ipsos, qui ad primam de illis duabus viis, quas dilectus filius magister ALBERTUS notarius noster eidem comiti nuper secum tractando proposuit, comitem ipsum diligentibus monitis & quibuscumque poterit modis inducat, ad quod obtinendum, eumdem cardinalem per nostras litteras ad ipsos regem & comitem dirigendas juvare curabimus, scribendo eidem quanto affectuosius scribere poterimus in hac parte. Verumtamen si nullo modo possent induci ad hujusmodi primam viam, volumus quod idem cardinalis antequam oporteat prædicti regni dissolvi tractatum, transeat ad secundam viam seu formam, senatus articulum contingentem. Et si cum eodem comite volente juxta formam cavere secundam, super ipsius regni negotio convenire potuerit, procedat in utroque negotio juxta formas inferius annotatas. Duæ autem viæ seu formæ propositæ dicto comiti de senatu sunt illæ, quas nuper legimus, nunc iterum recitamus.

Prima forma cautionis quæ videtur à comite requirenda hæc est: Præfigetur ei tempus triennii vel quadriennii, vel ad plus quinquennii, ultra quod nequeat tenere senatum, & dabit suas patentes litteras, & promittet sub pœnis infra scriptis, quod ultra tempus de quo cum eo conventum fuerit, non tenebit senatum, nec se de eo quoquo modo per se vel per alium intromittet; & quod si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Siciliæ totum vel majorem partem ejus, cui minor non possit resistere, acquisierit; ad mandatum Romani Pontificis qui pro tempore fuerit, senatum dimittet omnino, ex tunc per se vel per alium non resumturus eumdem: & hæc omnia & singula se firmiter ac fideliter sevaturum firmabit proprio juramento. Quod si contra præmissa vel aliquod de præmissis venerit vel fecerit, præter reatum perjurii, idem comes excommunicationis, & terra sua ubilibet constituta interdicti incurrent sententias eo ipso quas sententias si per mensem sustinuerit, eo ipso cadat à jure senatus: & si postea de facto senatum tenere contenderit, seu per se vel per alium, de ejus regimine se quoquo modo intromiserit, cadat eo ipso ab omni jure sibi quæsito in regno Siciliæ.

Secunda forma hæc est. Promittet comes quod bona fide dabit operam, ut Romanis non juret regere Urbem ad vitam; sed quamdiu sibi placuerit tenere senatum. Quod si obtinere hoc poterit; juret comes quod non tenebit senatum ultra quinquennium, seu ultra illud tempus citra quinquennium, de quo conventum fuerit inter ipsum & dictum cardinalem: & quod si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Siciliæ totum vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani Pontificis qui fuerit pro tempore dimittet senatum omnino, ex tunc per se vel per alium non retenturus eumdem. Si autem dictus comes à populo Romano obtinere non possit quod non teneatur Urbem regere vita sua; promittet comes quod postquam concesserimus ei regnum Siciliæ, & ipse totum illud vel majorem partem ipsius acquisierit, vel si fortè, quod absit, illud acquirere non poterit, postquam de hoc liquido constiterit, ipse dimittet senatum, cùm à nobis vel successore nostro de plano non servata juris solemnitate, decretum fuerit, quòd illud debeat dimittere, adjecto expressè in eodem decreto, quod senatum sine Ecclesiæ Romanæ præjudicio & animæ suæ periculo tenere non potest, & quod dictum senatum potest dimittere de jure sine offensa juramenti quod præstitit vel præstabit in adventu suo Romanis; & tunc ut dictum est, eumdem senatum omnino dimittet; & hæc omnia jurabit & promittet sub pœna & cautionibus suradictis.

Tertio promittet quod in dimissione senatus dabit operam bona fide, ut idem senatus ad ordinationem Romani pontificis & Ecclesiæ revertatur, cives scilicet Romanos ad hoc sicut me-

lius & honestius poterit inducendo. Jurabit etiam quoddum senatum tenuerit, nihil scienter in terris Ecclesiæ; demaniis scilicet & feudis in ejusdem Ecclesiæ præjudicium vel suorum faciet contra ipsam & ecclesiasticam libertatem. Quòd an ipse vel sui fecerint, id sine moræ dispendio revocabit. Et istæ cautiones omnino habeantur ad minus, meliores si poterunt obtineri. Si autem dictus comes prædictas promissiones & cautiones facere recusaverit, idem cardinalis dimisso regni negotio ad sedem apostolicam revertatur, præmissa protestatione de jure Romanæ Ecclesiæ in senatu; & reddat in hoc placabilem regem Franciæ, Romanam Ecclesiam excusando, cùm per eam non stet quin negotium cum eodem comite modo debito consummetur. Hoc autem modo super senatus articulo datis consiliis diffinimus, hoc addito quod [si] idem cardinalis super regni negotio cum dicto comite non potuerit convenire, nec in prima, nec in secunda forma, nec in alia qualibet procedat super senatus articulo cum eodem. Immo jus nostrum & Romanæ Ecclesiæ in dicti regis præsentia contestetur eidem, & dicat expressè quòd sine animæ suæ periculo & Romanæ Ecclesiæ præjudicio nequit susceptum Urbis regimen retinere... Sane super dicti regni negotio diffinimus dandam fore à nobis potestatem cardinali prædicto super modificationibus ex parte dicti comitis postulatis: ita quòd idem cardinalis negotietur prudenter cum eo, ne se minus exhibeat facilem ad assensum; sed cum deliberatione morosa stet pro utilitate Ecclesiæ quantum poterit, & possit censum, de quo est actum, minuere in duobus millibus unciarum, & non ultra: & ad hanc diminutionem simul non veniat, sed gradatim. Circa articulum etiam juramenti regnicolarum, reddat se omnino difficilem, & tentet si illum, sicut jacet, poterit obtinere: & si hoc non potest, remittatur in vita comitis hujusmodi juramentum; & si nec hoc potest, extendatur ejusdem juramenti remissio ad primum heredem. Et si nec istud, inquirat dictus cardinalis an aliquam securitatem aliam in locum juramenti hujusmodi velit idem comes offerre. Quòd si in his omnibus defecerit, & in aliis convenire poterit cum eodem, possit articulum juramenti prædicti totaliter amovere. De aliis autem conditionibus quarum modificatio petitur, sicut eas legimus nuper vobis, potestatem habeat cardinalis modificandi & limitandi easdem cum prædicti regis consilio, prout honori & hujus Ecclesiæ ac nostro & felici promotioni negotii viderit expedire. Provisurus attentius, quod expressionem taxati numeri militum non remittat, nisi dictus comes possit eidem ostendere manifestè quod id expediens sit negotio potius quàm personæ. Ceterùm postquam super omnibus supradictis cum eodem comite concordaverit, scribantur vel legantur omnia in ejusdem regis præsentia. Et possit præfatus cardinalis promittere dicto comiti nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine, quod postquam sine gravi scandalo ecclesiæ Gallicanæ de assignanda sibi decima quam petiit, ordinatum fuerit & concessum, & negotium pro quo carissimus in Christo filius noster H. rex Anglorum illustris, & EADMUNDUS natus ejus sunt auctoritate nostra citati, fuerit per nos, Deo favente, decisum, & pax inter carissimam in Christo filiam nostram MARG. illustrem reginam Francorum & ipsum comitem fuerit reformata, vel saltem per eumdem cardinalem vel per alium seu alios quos idem Francorum rex ad hoc duxerit deputandos, super pace hujusmodi talis tractatus processerit, quo ipse Francorum rex contentus existat, dabitur eidem à nobis regnum Siciliæ cum juribus & pertinentiis suis sub conditionibus tractatus, & hinc inde firmatis seu acceptatis, non mutandis nec augendis vel minuendis in totum vel aliquam sui partem: & sic de dando regno prædicto, dabit suas litteras dicto comiti cardinalis, & de sic recipiendo comes versa vice suas litteras cardinali. Finalem autem concessionem & investituram regni prædicti nobis duximus reservandam. Et hoc super senatus & regni prædictorum negotiis diffinivimus, & hujusmodi volumus firmam, inconcussam, & stabilem, ac immutabilem, & inviolabilem permanere. Actum apud Urbem-veterem in camera palatii episcopalis præsente fratrum nostrorum collegio VII. Calendas Maii, pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Concedit facultatem absolvendi à censuris quas statutorum Galonis legati infractores incurrerant.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Cùm sicut accepimus, felicis recordationis G. papa prædecessor noster, & bonæ memoriæ GUALO tituli S. Martini presbyter cardinalis, tunc in regno Franciæ apostolicæ sedis legatus in nonnullis monasteriis tuæ legationis statuta quædam præceperint observari, decernentes illos qui contra illa venire præsumerent excommunicationis vinculo subjacere, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut si quas religiosas personas inveneris hujusmodi sententiam incurrisse, ipsis absolutionis beneficium impertiri valeas: & si forsan sic ligatæ sacros susceperint ordines vel ministraverint in illis, cum eisdem super irregularitate hujusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensari valeas. Datum apud Urbem-veterem v. Calendas Maii, pontificatus nostri anno III.



EPISTOLA XXIII.

Ad Simonem cardinalem ſedis apoſtolicæ legatum.

Facultatem teſtandi ipſi tribuit.

Anno 1264 URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dileſto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Precibus tuis benignum impartientes aſſenſum, condendi teſtamentum de bonis eccleſiaſticis mobilibus, quæ habes & habueris, ac diſponendi & ordinandi de ipſis, prout ſaluti animæ tuæ videris expedire, plenam & liberam tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem. Datum apud Urbem-veterem Calendis Maii, pontificatus noſtri anno III.

EPISTOLA XXIV.

Ad Simonem cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum.

Permittit ei duos vel tres inſtituere tabelliones ad opus ſuæ legationis.

Anno 1264 URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cùm te, quem, utpote virum circumſpectum & providum, carum habemus admodum & acceptum, ad partes Franciæ & quaſdam alias pro quibuſdam Eccleſiæ Romanæ negotiis commiſſo tibi plenæ legationis officio, deſtinemus; quia forſan oportebit te habere ad hujuſmodi exequenda negotia perſonas per quas contractus legitimi publica manu ad cautelam præſentium & futurorum memoriam annotentur, concedendi auctoritate noſtra duabus vel tribus perſonis idoneis, ſi expedire videris, tabellionatus officium juxta formam, qua illud ſedes apoſtolica concedere conſuevit, tibi auctoritate præſentium concedimus facultatem, injuncto eis quibus officium ipſum commiſeris, ut illud prudenter & fideliter exequantur. Datum apud Urbem-veterem Calend. Maii, pontificatus noſtri anno III.

EPISTOLA XXV.

Ad Simonem cardinalem ſedis apoſtolicæ legatum.

Diſpenſat eum à numero evectionum à concilio Lateranenſi præfixarum.

Anno 1264 URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cùm te, quem, utpote virum circumſpectum & providum, carum habemus admodum & acceptum, ad partes Franciæ & quaſdam alias pro quibuſdam Eccleſiæ Romanæ negotiis commiſſo tibi plenæ legationis officio deſtinemus;

A quia forte plerumque te oportebit ex cauſa evectiones habere ultra numerum in concilio Lateranenſi taxatum, te ad ſervandum hujuſmodi numerum volumus non adſtringi. Datum apud Urbem-veterem Calendis Maii, pontificatus noſtri anno III.

EPISTOLA XXVI.

Ad archiepiſcopos, epiſcopos, abbates &c. regni Franciæ, &c.

B *Expoſitis damnis & injuriis à Manfredo Eccleſiæ illatis, hortatur ut Carolo comiti Andegaviæ & Provinciæ ad ultionem injuriarum ſe paranti decimas redituum eccleſiaſticorum per triennium ſolvant.*

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus univerſis archiepiſcopis & epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpoſitis, & Anno 1264
C aliis eccleſiarum prælatis, necnon capitulis, collegiis & conventibus, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, per regnum Franciæ ac terras ad dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem comitiſſam Flandriæ ratione dominii vel feudorum ſuorum in Cameracenſi & Tornacenſi dioceſibus pertinentes, per comitatum etiam Provinciæ & alias dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ & Provinciæ comitis, & vaſſallorum ſuorum terras, ac per Lugdunenſem,
D Viennenſem, Ebredunenſem, Tarentaſienſem & Biſuntinam provincias conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dolorum urgentium multitudo, quibus his temporibus ut parturiens Eccleſia Romana circumdatur, clamare ipſam & dicere: ventrem meum doleo, cum propheta compellit, & cogit exponere vobis anguſtias & ærumnas, quibus univerſum ejus corpus à planta pedis uſque ad verticem indeſinenter concutitur & turbatur. Vos igitur, ô vos fratres & filii, cla-
E mores ipſius Eccleſiæ patulis ſuſcipientes auribus, compatimini ejus duris & diris paſſionibus pio corde, ut ſecundùm dolorum ſuorum multitudinem veſtræ conſolationes triſtem ejus lætificent animam, quam eorumdem dolorum acerbitas velut acutus gladius pertranſivit. Liquet namque omnibus qualiter à diebus quondam FR. olim Romanorum imperatoris, Siciliæ regnum vim patitur, & viperea ejus generatio prædatione illud diripit violenta, quoniam idem FR. ejuſque nati & poſteri aliorum tyrannorum
F excedentes tyrannidem, gravioribus illud affecerunt injuriis, & oppreſſionibus durioribus afflixerunt, & velut in cædem & exterminium ejus tendentes furoris arcum, & feritatis gladium acuentes, diris illud tribulavere flagellis, & uſque ad interiora profundis illatis vulneribus ſauciarunt: quia in hoc pravo genere patrum in filios cum ſanguine derivata malitia, ſicut carnis propagatione, ſic imitatione operum nati genitoribus ſucceſſerunt. Et licet prædicta Eccleſia, memorato FR. & CONRA-

DO ipsius nato sublatis de medio, ad prædictum regnum habens maternæ compassionis affectum ardenti consurrexerit desiderio, ut regnum ipsum, quod ad eam pertinet pleno jure & de cujus opulentia ejus persecutores & æmuli multipliciter impinguati, ipsam sub diversitate temporum graviter impugnarunt, ad optatæ salutis, libertatis solitæ, pacisque solidæ statum plenè reduceret, & illud in eo firma stabilitate, favente Domino, perseveraret: quia tamen MANFREDUS quondam princeps Tarentinus, cujus personam Ecclesia eadem in regno ipso beneficiis largis & amplis extulerat, suis in dicto regno processibus damnabiliter obviavit, ineundo colligationes malignitatis cum Sarracenis Luceriæ, cum quibus exercitum ejusdem Ecclesiæ pro ipsius regni commodo & tranquillitate directum offendit graviter, infidelium agmina commovens contra catholicos & fideles, non potuit ipsa Ecclesia juxta sui affectus plenitudinem salubre de regno ipso suæ intentionis propositum obtinere. Nam idem MANFREDUS eorumdem Sarracenorum contra ipsam Ecclesiam telis armatus, ad occupationem ipsius regni præsumtuosa cupiditate procedens, ut Sarracenos ipsos haberet sibi contra Ecclesiam favorabiles & suæ consentaneos pravitati, nonnulla loca ipsius regni quæ nec prece, nec pretio, nec violentia poterat ab Ecclesiæ fidelitate ac devotione subducere, proditionaliter à Sarracenis eisdem, qui fidelium eorumdem locorum sitiebant sanguinem, nocturno tempore capi fecit, illaque funditus dissipari, ac in cinerem redigi & favillam, eorumdem locorum incolas utriusque sexus, præter illos quos indifferenter manus inimica peremit, eorumdem Sarracenorum in injuriam christianæ fidei subjiciens servituti. Postquam autem regnum ipsum cum eorumdem Sarracenorum auxilio totaliter occupavit, sic protinus in superbiæ altitudinem est elatus, & in sævitiæ acerbitatem obriguit, quod de virtute divina non tremuit, humanamque parvipendit potentiam, & honorem prædictæ Ecclesiæ ac libertatem ecclesiarum & hominum dicti regni tyrannide furibunda depressit. De multiplicis namque necessitatis * augusto in quo serpens iste latuerat, ad affluentis copiæ amplitudinem famelicus & sitibundus exiliens rabido cœpit ore regnum laniare præfatum. Nam Sarracenorum ritus amplectens, ac ipsos in quotidianis obsequiis notabiliter secum tenens, illorum præcipuè consilio, auxilio, & favore, præfatum regnum ad tantam exinanitionem servitutemque redegit, quòd omnibus ejus incolis penè penitus nihil habentibus, & quamplurimis exinde probis ejectis, illos qui remanserunt ibidem sub servili vivere conditione compellit: sicque in bona & personas ipsius regni anxia exarsit & exardet ingluvie, quod hæc insatiabili rapacitate decerpens, illud, proh dolor! ferus plus fera qualibet fere penitus absorbuit in utrisque; nec sexum, nec ætatem, nec ordinem prætermittens, neque ecclesias etiam, & personas ecclesiasticas ipsius regni, eorumque jura & bona ejus furor præteriit: sed in hæc eò excanduit ferocius, quò quicquid ecclesiastico discernitur nomine abhorret odio graviori: quoniam archiepiscopales, episcopales & alias regni prædicti ecclesias & monasteria detinet seu detineri facit damnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos & perniciosos intrudendo ministros, vel jam intrusos nefariè confovendo, quædam verò pro suo commendando libito, & illorum in usus proprios convertendo periculosè proventus. Quid plura? tanta impietate corpus ibidem obtrectavit Ecclesiæ, quòd ipsum ferè ad nihilum jam redegit. Nam illud rabiosis demembrans morsibus, totam demum carnem voravit, ipsius corrosit etiam ossa, & insuper medullas exsuxit. Idem quoque MANFREDUS multis injuriis & diversis offensis, quibus memoratam in ejusdem regni occupatione inhumanitùs vexavit Ecclesiam, non contentus, ad Anconitanam Marchiam & quàm plures alias terras ipsius Ecclesiæ, & demum ad quamdam partem Tusciæ, quæ Romano imperio subjacet, UBERTO marchione Palavicino, & nonnullis aliis ejusdem Ecclesiæ persecutoribus & proditoribus, sibi per iniquarum colligationum fœdera contra ipsam Ecclesiam copulatis, avidas & occupatrices manus extendens, & eamdem Ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, continuis illam aggressibus impetit, assidua vexatione concutit, rabie tyrannica distrahit, & diversis aliis tribulationum generibus incessanter affligit: adeo quòd eadem Ecclesia tot malis afflicta, tot attrita molestiis, totque flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare: quoniam ex hoc pullulant fere ubique per Italiam hæreses, cultus divinus minuitur, fides catholica premitur, immo deprimitur, & opprimitur status fidelium, ancillantur ecclesiasticæ libertates & jura ecclesiastica conculcantur. Prælati quoque & alii clericali militia præsigniti pœnas subire coguntur exilii, capiuntur & ignominiosè tractantur, ac in atroces detruduntur carceres, mutilantur & morte turpissima condemnantur; spoliantur sacra & pia loca tam religiosa quàm alia possessionibus & aliis bonis suis, & cùm sint divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos & profanos, despiciuntur & abominationibus ac spurcitiis sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis ecclesiastico interdicto suppositis in contemtum clavium ecclesiæ celebrare, & exhibere sceleratis & excommunicatis ac impiis ecclesiastica sacramenta. Pontificalis parvipenditur auctoritas & potestas, ecclesiastica censura contemnitur, pereunt animæ, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur stratarum securitas, spoliantur viatores, Sarraceni & schismatici Christicolis præferuntur, defenduntur hæretici; adeo quòd in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos, in aliquibus verò terris prædicatores evangelicæ veritatis verbum Dei proponere fidelibus prohibentur, & hæreses publicè prædicantur. Quàm plura insuper alia detesta-

* F. angulo

bilia & abominabilia committuntur, quæ divinæ oculos majestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commovent, & tremendum ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant & conculcant. Nec potest ipsa Ecclesia prædicti MANFREDI invalescentibus viribus oportunum super his remedium adhibere, cùm nuper etiam idem MANFREDUS truculentas manus in viscera ejus immittens, quosdam Teothonicos suæ utique persecutionis ministros in patrimonium B. Petri in Tuscia, in quo nos cum tota nostra curia residemus, destinare præsumserit in asperiorem & duriorem vexationem ipsius Ecclesiæ, turbationem provinciæ, nostrorumque fidelium nocumentum. Quia igitur à prædicto regno Siciliæ panditur omne malum ipsius Ecclesiæ, & tantorum periculorum tam animarum quàm corporum causa procedit, omnino expedit eidem Ecclesiæ circa statum ipsius regni aliter cogitare, quàm si Ecclesia plenâ suâ libertate ac auctoritate in regno gauderet eodem, & aliquis princeps catholicus ejus gubernaculis præsideret, innumerabilia & inestimabilia bona non solum eidem Romanæ, verùm etiam universali Ecclesiæ, & potissimè terræ sanctæ, ac Constantinopolitano imperio spiritualiter & temporaliter provenirent, nec oporteret eamdem Romanam Ecclesiam sic frequenter ad Ultramontanas ecclesias pro ejus necessitatibus habere recursum, ipsasque totiens aggravare. Sufficeret enim ei suum patrimonium & regni census ejusdem, si hæc pacificè possideret, multaque temporalia bona perciperet ab ecclesiis dicti regni, quæ suas necessitates non modicum relevarent, quemadmodum temporibus devotorum & catholicorum regum Siciliæ hæc percipere consuevit. Cogitantes itaque & diligentius inquirentes vias & modos quibus Ecclesia ipsa hoc tempore juvari valeat, & à tot calamitatibus liberari, universorum orthodoxorum regum & principum orbis terræ aptitudine ad hoc & promtitudine cum multa deliberatione pensatis, tandem ad dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem, principem utique strenuum, industrium, & fidelem, ac de illa regia stirpe progenitum, de qua suscepit semper & suscipit eadem Ecclesia filios benedictionis & gaudii, filios factis & fama pollentes, filios opportuni auxilii & favoris, in quibus suavem delibat dulcorem reverentiæ filialis & innatæ devotionis insumit odorem, oculos mentis nostræ convertimus, direximus, animum, intentionem extendimus, & in ipso, immo potius in carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO illustri rege Francorum, cujus germanus existit, ac famosissimo & christianissimo regno suo post Deum quo ad ipsius Ecclesiæ ab inimicis qui in circuitu ejus sunt, liberationem firmiter defiximus anchoram spei nostræ, sperantes in illo qui reges & regna constituit, & qui dominatur super regnum hominum, & qui illud cuicumque vult liberaliter elargitur. Quòd si negotium prædicti regni Siciliæ in personam ejusdem CAROLI, divina favente clementia, promoveri, & regnum ipsum in eum transferri contigerit, illam eamdem liberationem, illamque consolationem in hujusmodi necessitatis articulo prædicta per eum consequetur Ecclesia, quam per claræ memoriæ magnificum CAROLUM Pipini filium, ejusdem progenitorem comitis, in cujus personam Romanum imperium Ecclesia de Græcis transtulit in Germanos, eidem Ecclesiæ legitur antiquis temporibus in necessitate simili provenisse. Verum quia idem comes tam arduum tamque difficile negotium, pensatis ejus facultatibus, magnificentius aggredii sicut foret expediens, sine magno & promto Ecclesiæ subsidio non valeret, ad vos principalius, tamquam ad illos qui estis bases immobiles, super quas ejusdem Ecclesiæ structura nobilis pro majori parte consurgens, indeficientis soliditatis obtinet firmamentum, fiducialiter duximus recurrendum: universitatem vestram monentes, rogantes, & hortantes attentius, ac per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes, ac obsecrantes vos nihilominus per aspersionem sanguinis JESU-CHRISTI quatenus tot sanguinum qui ad nos & ad vos etiam de terra clamant effusis vocibus provocati, tot lacrymarum fluentium ab oculis innocentum commoti decursibus, totque angustiarum & tribulationum querimoniis excitati, condoleatis dolenti Ecclesiæ, & compatiamini passionibus proximorum, eamdemque ecclesiam ac prædictum comitem in tam utilis tamque pii promotione negotii, in quo non solùm Romanæ & universalis Ecclesiæ relevatio: verùm etiam exaltatio & promotio fidei, salus animarum, corroboratio status fidelium, infidelium debilitatio, & divini cultus augmentum agitur, efficacibus & promtis subventionibus adjuvetis, eidem comiti decimam omnium vestrorum ecclesiasticorum proventuum per triennium, divinæ majestatis intuitu, ob reverentiam quoque apostolicæ sedis & nostram, & dicti regis obtentu, pro ipsius promotione, ac prosecutione negotii libenter & liberaliter concedentes: ita quod exinde vestra devotio cælestis benedictionis gratiam consequi mereatur, & prædicta Ecclesia id in æternæ memoriæ libro conscribens, vobis & ecclesiis vestris remaneat ob hoc perpetuis temporibus obligata, idemque comes, ac etiam prædictus rex, qui progenitorum suorum inhærendo vestigiis, semper fuit in conservatione libertatis ecclesiasticæ pervigil & attentus, in ecclesiarum aliorumque piorum locorum constructione benivolus, in eorum dotatione ac ditatione largifluus, & in gratiis ac beneficiis erga personas ecclesiasticas sæculares & regulares valde munificus, teneantur pro tanto pietatis opere tam vobis quàm prædictis vestris ecclesiis grata pro loco & tempore vicissitudine respondere. Ceterum quia dilectum filium nostrum S. Tituli S. Ceciliæ presbyterum cardinalem, quem inter alios fratres nostros, Romanæ videlicet Ecclesiæ cardinales, benevolentia multa prosequimur, ad partes illas commisso ei pro ejusdem promotione negotii plenæ legationis officio de fratrum nostrorum consilio destinamus, omnino

De regia stirpe Gallicana Ecclesia semper suscipit filios benedictionis.

volumus ut eidem cardinali in cujus labiis infusa est cælitus gratia, ut sciat necessarium proferre sermonem tempore opportuno, fidem indubitatam in his quæ vobis super præmissis ex parte nostra dixerit, adhibere, illaque efficaciter adimplere curetis. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXVII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Mandat ut archiepiscopos & episcopos hortetur ad solvendas per triennium Carolo principi decimas.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm nos venerabiles fratres nostros archiepiscopos & episcopos, & dilectos filios abbates, priores, decanos, archidiaconos, præpositos & alios ecclesiarum prælatos, nec non capitula, collegia & conventus, ceterasque personas ecclesiasticas sæculares & regulares, exemtas & non exemtas, per regnum Franciæ ac terras ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem comitissam Flandriæ ratione dominii, vel feudorum suorum in Cameracensi & Tornacensi diocesibus pertinentes, per comitatum etiam Provinciæ, & alias dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ ac Provinciæ comitis & vassallorum suorum terras, ac per Lugdunensem, Viennensem, Tarentasiensem, Ebredunensem, & Bisuntinam provincias constitutos, per nostras sub certa forma litteras expositis eis doloribus, tribulationibus, angustiis & pressuris, quibus Romana mater Ecclesia durius & asperius solitò his diebus affligitur, fiducialiter requiramus, ut compatientes ejusdem ecclesiæ passionibus, pio corde decimam omnium suorum ecclesiasticorum proventuum dicto comiti pro prosecutione negotii regni Siciliæ, quod in personam ipsius comitis pro liberatione dictæ Ecclesiæ ab imminentibus ei periculis promovere, Domino favente, proponimus, promta per triennium liberalitate concedant: discretioni tuæ de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus archiepiscopos & episcopos aliosque prædictos generaliter & singulariter, prout expedire videris, attentis & efficacibus inductionibus exhorteris, ut se in hoc faciles, benignos, & benivolos exhibentes, preces & mandata apostolica in hac parte studeant promtis animis adimplere, ipsos ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, compellendo; non obstante si eis vel ipsorum aliquibus à sede apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, quódque ad exhibendum alicui subsidium pecuniarum compelli non possint per litteras apostolicas, plenam & expressam acde verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis præfatæ sedis indulgentiis, cujuscumque tenoris existant, per quæ hujusmodi negotium impediri valeat vel differri, & de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXVIII.


Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Constituit eum sedis Apostolicæ legatum in Franciam, &c.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Desideravit & desiderat anxiè Romana mater Ecclesia, ut populus ille regni Siciliæ, qui tanto tempore duces sequendo nequitiæ, declinavit à semita mandatorum Domini, & per inobedientiæ invium oberravit, ad viam rediret rectitudinis & salutis; & cæcitatis excussa caligine, in lumine rectæ intelligentiæ ambulans, regrederetur ad ipsius Ecclesiæ gremium, & sinceris ac devotis ejus filiis ad salutarem præceptorum suorum observantiam uniretur: ut ad fidelium communionem reversus, in devotione cum eis stabili mente persisteret, & omnipotentis iram, quam diutinis provocavit offensis, sedula humilitate placaret. Affectavimus etiam quod scelestus ille malitiæ fomes & minister sævitiæ, MANFREDUS videlicet, quondam Princeps Tarentinus, ad cor suum de tot prævaricationibus rediens, dimissis ejus pravitatibus & perversitatibus, in quibus obfirmatus existit, suæ induratæ contumaciæ deponeret supercilia, & sub potenti manu Dei humiliter se prosternens, prædictæ Ecclesiæ pro tot injuriarum & offensarum cumulis, quos in eam non expavit congerere, satisfactionem plenariam exhiberet. Vehementer quoque optavimus & optamus, ut præfatum regnum quod velut ovis devians, ignorantiæ tenebris obscuratum, in præcipitia labitur, ad aliorum fidelium regnorum consortium veræ lucis illustratum radio remearet, & ut regnum ipsum quod assiduis doloribus premitur, affligitur angustiis, gravatur dispendiis, & jugi discrimine ruit & vastatur in suis, tot instantia sibi pericula cogitaret; & infra se suum miserabilem lapsum & casum attendens de sua foret salute sollicitum, & studeret à tot flagellis eripi, totque oppressionibus liberari; sed illud tamquam miserum statuens oculos suos declinare in terram, ut quasi sua & suorum mala non cernat, & diræ servituti dorsa submittens, ad ferendam cujuslibet gravaminis sarcinam de sua dissipatione suoque curare opprobrio, tamquam hebes, languens & torpidum non videtur, quin immo ex assueta impositione ponderum, ac si callosam in humeris jam contraxisset duritiam, sine querela & murmure serviliter mala

A ſuſtinet univerſa. Unde nos illi miſerabili populo, qui proſtrato animo & inflexa cervice ad ruinam perditionis per eumdem MANFREDUM abſque clamore liberè trahitur, paterno compatientes affectu, ipſum de faucibus illius draconis eripere, ac reducere ad ſtatum tranquillitatis & pacis, & poſt diverſos tractatus per prædictam Eccleſiam ſuper dicti regni negotio cum diverſis catholicis mundi principibus habitos, tandem ad devotum & ſtrenuum principem, videlicet dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem, B germanum cariſſimi in Chriſto filii noſtri LUDOVICI Francorum regis illuſtris oculos mentis noſtræ direximus, ſperantes negotium ipſum in perſonam ejus, ſi Dominus ex alto conceſſerit, efficaciter promovere. Quia igitur tanti negotii promotio perſonam exigit, quæ ſua inſtanti diligentia & providentia eximia, ſummaque inſuper experientia illius magnitudini congruat: providimus te ad regnum Franciæ pro eodem negotio, tamquam illum de C cujus circumſpectione, induſtria, & maturitate inter ceteros fratres noſtros, Romanæ videlicet Eccleſiæ cardinales, plenam & firmam obtinemus fiduciam, ſpecialiter deſtinare: Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hujuſmodi onus prona & promta mente ſuſcipiens, ad regnum ipſum de divina gratia & apoſtolica auctoritate confiſus accedas, omnem circa negotium ipſum ejuſque promotionem diligentiam & ſolertiam impenſurus. D Ut autem eò libentiùs & efficacius hoc exequi valeas, quo ampliori circa id fueris poteſtate munitus, tibi in prædicto regno Franciæ & in terris ad dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem... comitiſſam Flandriæ ratione dominii, vel feudorum ſuorum in Cameracenſi & Tornacenſi dioceſibus ſpectantibus, necnon in comitatu Provinciæ & aliis prædicti comitis de vaſſallorum ſuorum terris, ac Lugdunenſi, Viennenſi, Ebredunenſi, Tarentaſienſi & Biſuntina Provinciis, in aliis quoque terris ad quas ratione ipſius negotii te devenire con- E tigerit, plenæ legationis officium de fratrum noſtrorum conſilio, præſentium auctoritate committimus, ut ibidem evellas & deſtruas, diſſipes & diſperdas, ædifices & plantes ſicut videris expedire: conceſſa tibi contradictores & rebelles quoſlibet per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, quibuſcumque privilegiis ſeu indulgentiis apoſtolicis, per quæ nullum cuiquam in hac parte volumus afferri ſuffragium, nequaquam obſtantibus, libera facultate. F Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, pontificatus noſtri anno III.



EPISTOLA XXIX.

Ad archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, &c.

Mandat ut Simonem cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum honorificè ſuſcipiant.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei.... venerabilibus fratribus univerſis archiepiſcopis & epiſcopis & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpoſitis, & aliis eccleſiarum prælatis, necnon capitulis, collegiis & conventibus, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis ſæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, per regnum Franciæ ac terras ad dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem comitiſſam Flandriæ ratione dominii vel feudorum ſuorum in Cameracenſi & Tornacenſi dioceſibus pertinentes, per comitatum etiam Provinciæ & alias dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ ac Provinciæ comitis & vaſſallorum ſuorum terras, ac per Lugdunenſem, Viennenſem, Ebredunenſem, Tarentaſienſem, & Biſuntinam provincias conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1264

Deſideravit & deſiderat, &c. *ut in præcedenti uſque ad hæc verba*: Quia igitur tanti negotii promotio perſonam exigit quæ ſua inſtanti diligentia & providentia eximia, ſummaque inſuper experientia illius magnitudini congruat, ecce dilectum filium noſtrum S. tituli S. Ceciliæ presbyterum cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum, virum utique ſcientia præditum, morum honeſtate decorum & conſilii maturitate præclarum, ad regnum Franciæ pro eodem negotio tamquam illum de cujus induſtria & circumſpectione inter ceteros fratres noſtros, Romanæ videlicet Eccleſiæ cardinales, plenam & firmam obtinemus fiduciam, commiſſo ei tam in prædicto regno Franciæ & in terris ad dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem comitiſſam Flandriæ ratione dominii vel feudorum ſuorum in Cameracenſi & Tornacenſi dioceſibus ſpectantibus, ac in comitatu Provinciæ & aliis prædicti comitis & vaſſallorum ſuorum terris, quàm in Lugdunenſi, Viennenſi, Ebredunenſi, Tarentaſienſi, & Biſuntina provinciis, & in aliis terris ad quas ratione ipſius negotii eum devenire contigerit, plenæ legationis officio, ut ibidem evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, ædificet & plantet, ſicut viderit expedire, & conceſſa ſibi contradictores & rebelles quoſlibet per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, quibuſlibet privilegiis ſeu indulgentiis apoſtolicis, per quæ nullum cuique in hac parte volumus afferri ſuffragium, nequaquam obſtantibus, libera facultate, ſpecialiter deſtinamus. Ideoque univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur attentè, per apoſtolica vobis ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus eumdem cardinalem, immo potius nos in ipſo benignè recipientes & honorificè pertractantes, eidem tamquam apoſtolicæ ſedis legato intendatis humiliter, & devotè ipſius monita & præ-

cepta & ea quæ vobis ex parte nostra injun- A xerit, efficaciter adimplendo: alioquin sententias quas idem legatus per se vel per alium seu alios tulerit in rebelles, ratas habebimus, & faciemus auctore Deo usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXX. B

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

Facultatem tribuit absolvendi ab irregularitate.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium, regni Siciliæ promovere valeas, quò majori C per nos fueris auctoritate munitus: providentiæ tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut si qui prælati vel aliæ personæ ecclesiasticæ tuæ legationis excommunicando contra tenorem constitutionis felicis recordationis INNOCENTII papæ prædecessoris nostri suspensionis sententiam incurrerunt, & sic suspensi se divinis officiis ingesserunt, possis cum eis super irregularitate sic contracta, prout expedire videris, dispensare. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, pontificatus nostri anno III. D

EPISTOLA XXXI.

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

Facultatem tribuit absolvendi excommunicatos à delegatis sedis apostolicæ.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & E apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus: providentiæ tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut illis qui per delegatos apostolicæ sedis vel subdelegatos eorum excommunicationis sunt sententia innodati, & absolvi non possunt, cùm hujusmodi judices viam sint universæ carnis ingressi, vel alias excommunicatorum F suorum jurisdictio expirarit, absolutionis beneficium dummodo satisfaciant super his pro quibus excommunicati fuerunt, valeas juxta formam Ecclesiæ impertiri. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.



EPISTOLA XXXII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Permittit innodatos irregularitate pro indebita ordinum susceptione solvere.

URBANUS episcopus servus servorum Dei Anno
dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ præsbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus: discretioni tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut cum personis ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus tuæ legationis, quæ vinculo interdicti, suspensionis, vel excommunicationis astrictæ sacros susceperunt ordines, vel ministrarunt in illis, possis super irregularitate hujusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.


EPISTOLA XXXIII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Concedit facultatem dispensandi ordinandos super defectu ætatis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei Anno 1264
dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus: discretioni tuæ dispensandi cum personis ecclesiasticis defectum ordinum, & ætatis patientibus tuæ legationis, & maximè cum illis quarum dispensationem promotioni commissi tibi negotii expedire videris, quòd hujusmodi non obstante defectu beneficia ecclesiastica, etiamsi curam habeant animarum annexam, assequi liberè valeant & habere, dummodo patientes defectum ætatis vigesimum annum attingant, & faciant se ad ordines quos beneficiorum suorum cura requirit, statutis temporibus promoveri, & aliud canonicum non obsistat, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.



EPISTOLA

A

EPISTOLA XXXIV.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Facultatem tribuit cum clericis dispensandi super natalium defectu.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

B Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tuæ dispensandi cum clericis tuæ legationis defectum natalium patientibus, quòd hujusmodi non obstante defectu, in susceptis ministrare ordinibus, ascendere ad majores, & ecclesiastica beneficia cum cura & sine cura obtinere valeant, dummodo ipsorum aliquis de incestu vel adulterio aut regulari genitus non existat, nec sit paternæ incontinentiæ imitator; sed bonæ conversationis & vitæ, ac scientiæ competentis, aliásque sibi merita suffragentur ad hujusmodi dispensationis gratiam obtinendam, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXXV.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Facultatem tribuit dispensandi quinque personas, ut in quarto consanguinitatis gradu matrimonium possint contrahere.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, dispensandi auctoritate nostra cum quinque personis utriusque sexus tuæ legationis, etiamsi magnates fuerint, ut earum quælibet cum alia quarto sibi consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncta matrimonium licitè contrahere: vel si jam contraxit, in sic contracto liberè remanere valeat, impedimento hujusmodi nonobstante, prout promotioni commissi tibi negotii expedire videris, plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXXVI.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Ut quinque ex suis clericis possit impertiri beneficia in ecclesiis suæ legationis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ faciendi recipi quinque ex clericis tuis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, in totidem ecclesiis tuæ legationis cathedralibus vel aliis: ita quòd unus in una tantùm recipiatur ecclesia, & providendi eis de præbendis, & duobus ex eis de personatibus vel dignitatibus, etiamsi curam habeant animarum, si C in eisdem ecclesiis vacant, vel quàm citò ad id se facultas obtulerit, nec non & contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendi, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem: non obstantibus consuetudinibus quibuslibet & statutis de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si pro aliis in eisdem ecclesiis scripta sedis apostolicæ sunt directa, quibus volumus auctoritate D præsentium præjudicium generari. Aut si dicti clerici aliàs beneficiati existant, seu si personis vel locis aliquibus ab eadem sit sede indultum, quòd ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneantur, quodque ad id compelli, aut quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas plenam & expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis præfatæ sedis indulgentiis, cujuscumque tenoris existant, per quas eorumdem E clericorum receptio & provisio impediri valeat vel differri, & de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXXVII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

F *Permittit ei secum retinere aliquos ex Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & eis uti prout opportunum viderit.*

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Discretioni tuæ assumendi & retinendi ad tua obsequia quotcumque & quoscumque volueris de fratribus Prædicatorum & Minorum

ordinum tuæ legationis, ac mittendi illos quos idoneos esse cognoveris, quandocumque & ubicumque expedire videris, committendi quoque illis negotiorum quorumcumque executionem, prout opportunum fore cognoveris, compescendi quoque contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remotâ, non obstantibus quibuslibet privilegiis & indulgentiis eisdem ordinibus eorumque fratribus ab apostolica fide concessis, per quæ nullum eis suffragium afferri volumus in hac parte, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Permittit ei concedere indulgentias in dedicatione ecclesiarum Carnotensis, Rotomagensis & Laudunensis.

Anno 1264

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi ab apostolicâ sede negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus: discretioni tuæ concedendi auctoritate nostra trium annorum indulgentiam in diebus dedicationum ecclesiarum Carnotensium, Rotomagensium & Laudunensium, si earum dedicationibus te interesse contigerit, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad easdem ecclesias in diebus dedicationum ipsarum accesserint, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XXXIX.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Permittit ei in ecclesiis cathedralibus & collegiatis instituere canonicos.

Anno 1264

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus: discretioni tuæ instituendi per te vel per alium seu alios in Ecclesiis tuæ legationis cathedralibus & aliis collegiatis clericos idoneos, & faciendi eos recipi in ecclesiis, in quibus eos instituendos duxeris in canonicos & in fratres, dummodo unus in una tantùm recipiatur ecclesia, & providendi eis de præbendis & personatibus vel dignitatibus, etiamsi curam habeant animarum, si in eisdem ecclesiis vacant, vel quàm citò ad A id se facultas obtulerit; dummodo ad id prælatorum, seu illorum ad quos hujusmodi præbendarum, personatuum & dignitatum spectat collatio, accedat assensus, necnon & contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendi plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem: non obstantibus statutis de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si pro aliis in eisdem ecclesiis scripta B sedis apostolicæ sunt directa, quibus volumus auctoritate præsentium, præjudicium generari; aut si dicti clerici aliàs beneficiati existant, seu si personis vel locis aliquibus ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneantur; quodque ad id compelli, aut quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas plenam & expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem, C & quibuslibet aliis præfatæ sedis indulgentiis, cujuscumque tenoris existant, per quas eorumdem clericorum receptio & provisio impediri valeant vel differri, & de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XL.

D

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

Ut possit dispensare cum quinque clericis super beneficiorum pluralitate.

Anno 1264

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ E dispensandi cum quinque clericis tuæ legationis, quos hujusmodi gratia noveris esse dignos, quòd eorum quilibet plura ecclesiastica beneficia, personatus vel dignitates, etiamsi curam habeant animarum annexam, licitè recipere, si sibi canonicè offerantur, ac liberè retinere valeat, constitutione generalis concilii nonobstante, prout promotioni commissi tibi negotii expedire videris, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontifi- F catus nostri anno III.



A

EPISTOLA XLI.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Ut clericorum secum defunctorum beneficia possit aliis conferre.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ legato salutem & apostolicam benedictionem.

B Ut eò efficaciùs commissum tibi ab apostolica sede negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, præsentium auctoritate committimus, ut si post tuum ab apostolica sede discessum, aliquem vel aliquos de clericis tuis decedere, vel beneficiis suis ecclesiasticis, etiamsi sint personatus vel dignitates & curam habeant animarum, in manibus tuis cedere fortè contigerit, possis hujusmodi C beneficia tam decedentium quàm cedentium conferre personis idoneis & Ecclesiæ Romanæ devotis, & facere illos, quibus ea contuleris, in ecclesiis cathedralibus vel aliis in quibus beneficia ipsa consistunt, in canonicos & fratres admitti, & contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ compescere valeas, non obstantibus statutis de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia D roboratis, seu si clerici, quibus ea contuleris, aliàs beneficiati existant, aut si pro aliis in eisdem beneficiandis ecclesiis scripta sedis apostolicæ sint directa, vel contigerit dirigi, vel si aliqui litterarum ejusdem, vel legatorum ejus auctoritate in eisdem ecclesiis in canonicos sunt recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus omnibus nullum per hoc volumus, quo ad alia beneficia, præjudicium generari, vel si personis aliquibus à prædicta sit sede indultum, quòd ad receptionem vel provisionem alicujus minimè E teneantur; quódque ad id compelli, aut quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas plenam & expressam non facientes ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis apostolicis privilegiis, cujuscumque tenoris existant, per quæ hujusmodi facta tibi gratia impediri valeat vel differri, & de quibus in nostris litteris mentio fieri non debeat specialis, præsentibus usque ad tuum reditum valituris. F Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.



EPISTOLA XLII.

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

Ut clerici, qui secum erant, beneficiorum reditibus gauderent perinde ac si residerent.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ faciendi per te vel alium seu alios integrè ministrari clericis qui tecum permanserint, & quos pro commissis tibi ab apostolica sede negotiis duxeris destinandos, quamdiu tecum fuerint, vel negotiis ipsis de mandato tuo institerint, peragendis, beneficiorum suorum proventus, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, ac si personaliter in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, quibuslibet privilegiis, & indulgentiis, statutis, & consuetudinibus, juramento seu quacumque firmitate vallatis, etiamsi contineatur in eis, quòd nullus possit contra illam gratiam apostolicam impetrare, seu uti etiam impetrata, vel si primam & consuetam in eisdem ecclesiis prædicti clerici non fecerint residentiam personalem, quam ipsi residentes à tuis obsequiis facere teneantur, nequaquam obstantibus, & contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendi plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem: proviso semper quod in his quæ animarum curam habent annexam per idoneos interim vicarios serviatur. Datum apud Urbem-veterem v. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XLIII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Mandat ut verbum crucis adversus Manfredum & Saracenos in sua legatione prædicari faciat.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Pia matris Ecclesiæ studia circa prosecutionem negotii regni Siciliæ, quod est sedis apostolicæ speciale, reliquiarum quondam FR. olim Romani imperatoris proterva temeritas & superba rebellio dudum impiè impedivit. Nam MANFREDUS ipsius FR. filius eidem Ecclesiæ ad evacuandam ejus in hac parte sollicitudinem suorumque labores fidelium non veritus cum infidelibus obviare, Sarracenis Luceriæ detestabiliter & impudenter adhæsit, eisque nefando fœdere copulatus, ipsorum præcipuò contra Christianos prælegit & assumsit auxilium, propugnatores Ecclesiæ & defensores li-

bertatis & fidei damnabiliter cum illorum juribus in injuriam Christiani nominis obpugnando, dictæque Ecclesiæ in tam boni executione propositi se cum inimicis crucis & fidei damnabiliter opponendo, quorum telis armatus, postquam prædictum regnum totaliter occupavit, non cessavit Ecclesiam ipsam continuis impetere aggressibus, assidua prosecutione concutere, distrahere tyrannica rabie, ac diversis aliis generibus tribulationum affligere, adeo quòd eadem Ecclesia tot persecutionibus ejus afflicta, tot attrita molestiis, totque flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare. Nam præter id quod idem MANFREDUS, qui eorumdem Sarracenorum ritus amplectitur, ac illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenet, & præfert ipsos in opprobrium catholicæ fidei Christianis, Sarracenorum ipsorum præcipuè consilio, auxilio, & favore præfatam impugnat Ecclesiam. Præter illud etiam quod archiepiscopales, episcopales & alias prædicti regni Ecclesias & monasteria detinet seu detineri facit damnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos & perniciosos intrudendo ministros, vel jam intrusos nefariè confovendo, quædam verò pro suo commendando libito & illorum convertendo in usus proprios periculosè proventus, pullulant ferè ubique per Italiam hæreses, cultus divini nominis minuitur, fides catholica premitur, immò deprimitur & opprimitur status fidelium, ancillantur ecclesiasticæ libertates, & jura ecclesiastica conculcantur: prælati quoque & alii clericali militia præsigniti, pœnas subire coguntur exilii, capiuntur, ignominiosè tractantur, ac in atroces detruduntur carceres; mutilantur, & morte turpissima condemnantur. Expoliantur sacra & pia loca, tam religiosa quàm alia, possessionibus & aliis bonis suis; & cùm sint divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos & profanos, despiciuntur, & abominationibus ac spurcitiis sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis ecclesiastico interdicto suppositis in contemtum clavium Ecclesiæ celebrare, & exhibere sceleratis, excommunicatis & impiis ecclesiastica sacramenta. Pontificalis parvipenditur auctoritas & potestas, ecclesiastica censura contemnitur, pereunt animæ, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur stratarum securitas, spoliantur viatores & peregrini, Sarraceni & Schismatici Christicolis & fidelibus præferuntur, deffenduntur hæretici: adeo quòd in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos; in aliquibus verò terris prædicatores evangelicæ veritatis verbum Dei proponere fidelibus prohibentur, & hæreses publicè prædicantur: quàm plura insuper alia detestabilia & abominabilia committuntur quæ divinæ oculos majestatis offendunt, scandalum in Ecclesia commovent, & tremendum ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant & conculcant; nec potest ipsa Ecclesia prædictorum MANFREDI & Sarracenorum invalescentibus viribus opportunum super his remedium adhibere. Profectò si bene à fidelibus & diligenter attenditur, in quantum Ecclesiæ opprobrium, animarum dispendium, & detrimentum catholicæ fidei hæc redundent, non jussi, non rogati, non moniti animis deberent promtis consurgere, ac in unum omnes contra MANFREDUM Sarracenosque prædictos potenter congerere vires suas. Cùm igitur apostolica sedes pro ipsius defensione fidei, eamque impugnantium debellatione salubri, ad remotiora mundi climata copiosa subsidia censuerit destinare, suffragantibus ad hoc largas remissiones & indulgentias concedendo. Nos attendentes quòd pestis Sarracenorum hujusmodi Romanæ Ecclesiæ matri fidelium tam vicina pestilentior esse posset, si ad eam radicitus extirpandam, ne deterius & perniciosius circumposita loca corrumpant, provisionis apponere opportuna consilia, suæque ulterius ipsa Ecclesia conflare differret molimina potestatis: discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus tam per te, quàm per alios quos ad hoc idoneos fore cognoveris, proponens juxta datam tibi & eis quibus hoc commiseris à Deo prudentiam, per regnum Franciæ & alias terras tuæ legationis Christi fidelibus verbum crucis, ipsos, ut contra MANFREDUM & Sarracenos eosdem tamquam contra ipsius hostes fidei signum salvificæ crucis assumant, & posito cum Moïse gladio super femur, in nostrum & Ecclesiæ adjutorium viriliter exsurgentes, ad conterendam ipsorum insolentiam & pestem tam noxiam de medio fidelium auferendam, cum dilecto filio nobili viro CAROLO Andegaviæ & Provinciæ comite, cui hujusmodi negotium, à quo terræ sanctæ ac imperii Constantinopolitani liberatio dependere dignoscitur, commisimus fideliter exequendum, vel cum ejus capitaneo absque tarditate procedant, studeas sedulis monitis & attentis inductionibus exhortari. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa quam nobis Deus licet indignis ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiæ ac prædicto comiti in dicti prosecutione negotii efficax in personis vel bonis juvamen impenderint, illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio, eaque volumus immunitate gaudere, quæ terræ sanctæ subvenientibus in generali concilio sunt concessa. Datum apud Urbemveterem IV. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XLIV.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Mittit ei indulgentias & immunitates olim cruce signatis ab Innocentio papa concessas.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

A Ut de privilegiis, indulgentiis & immunitatibus, quæ illis qui signum crucis assumunt pro subsidio terræ sanctæ in generali concilio sunt concessa, certitudinem habeas pleniorem, ecce tenorem hujusmodi privilegiorum, indulgentiarum & immunitatum sumtum ex regesto felicis recordationis INNOCENTII Papæ III. prædecessoris nostri, præsentibus fecimus annotari, qui talis est... » AD LIBERANDAM terram » sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio » aspirantes. *Et infra*. Sacerdotes autem & alii » clerici qui fuerint in exercitu christiano tam » subditi quam prælati, orationi & exhortationi » diligenter insistant, docentes eos verbo pariter » & exemplo, & timorem & amorem divinum » semper habeant ante oculos, ne quid dicant » aut faciant quod divinam majestatem offendat; » & si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per » veram pœnitentiam mox resurgant, gerentes » humilitatem cordis & corporis, & tam in victu » quàm in vestitu mediocritatem servantes, dis» sensiones & æmulationes omnino vitando, ran» core & livore à se penitus religatis; ut sic spi» ritualibus & materialibus armis muniti, adver» sus hostes fidei securius prælientur, non de sua » præsumentes potentia, sed de divina virtute » sperantes. Ipsis autem clericis indulgemus ut » beneficia sua integrè percipiant per trien» nium, ac si essent in ecclesiis residentes; & si » necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant » obligare. Ne igitur hoc sanctum propositum » impediri vel retardari contingat, universis ec» clesiarum prælatis districtè præcipimus, ut sin» guli per loca sua illos qui signum crucis dis» posuerint resumere, ac tam illos quàm alios » cruce signatos, & quos adhuc signari contigerit, » ad reddenda Domino vota sua diligenter mo» neant & inducant; & si necesse fuerit, per » excommunicationis in personas & interdicti » sententias in terras ipsorum, omni tergiversatio» ne cessante, compellant: illis dumtaxat exceptis, » quibus tale impedimentum occurret, propter » quod secundùm sedis apostolicæ providentiam » votum eorum commutari meritò debeat vel » differri. Ad hæc ne quid in negotio JESU» CHRISTI de contingentibus omittatur, volu» mus & mandamus, ut patriarchæ, archiepis» copi, episcopi, abbates, & alii qui curam obti» nent animarum, studiosè proponant commissis » sibi populis verbum crucis, obsecrantes per Pa» trem & Filium & Spiritum-sanctum, unum » solum, verum, æternum Deum, reges, duces, » principes, marchiones, comites & barones, » aliosque magnates, necnon & communia civi» tatum, villarum & oppidorum, ut qui perso» naliter non accesserint, in subsidium terræ san» ctæ competentem conferant numerum bella» torum cum expensis ad triennium necessariis » secundùm proprias facultates in remissionem » peccatorum suorum, prout in generalibus lit» teris est expressum, & ad majorem cautelam » etiam inferius exprimetur, cujus remissionis volumus esse participes non solùm eos qui ad « hoc naves proprias exhibebunt, sed illos qui « propter hoc opus naves studuerint fabricare. « Renuentibus autem, si qui fortè tam ingrati « fuerint Domino Deo nostro, ex parte aposto- « lica firmiter protestentur, ut sciant se super hoc « nobis in novissimo districti examinis coram tre- « mendo judice responsuros; prius tamen consi- « derantes qua conscientia, quave securitate com- « parere potuerint coram unigenito Dei Filio « JESU-CHRISTO, cui omnia dedit Pater in « manus, si ei pro peccatoribus crucifixo servire « renuerint, in hoc negotio quasi propriè sibi « proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio « sustentantur, quin etiam cujus sanguine sunt « redemti. *Et infra*. Sane quia justo judicio cæ- « lestis imperatoris obsequiis inhærentes, speciali « decet prærogativa gaudere, cùm tempus pro- « ficiscendi annuum excedit in modico, cruce si- « gnati à collectis vel talliis aliisque gravamini- « bus sint immunes, quorum personas & bona « post crucem assumtam sub B. Petri & nostra « protectione suscipimus: statuentes ut sub archi- « episcoporum & episcoporum, ac omnium præ- « latorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, « propriis nihilominus protectoribus ad hoc spe- « cialiter deputandis. Ita (a) nam in Domino fidu- « ciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus in hujusmodi crucis negotio efficaciter procedere studeas juxta traditam per prædictas ejusdem prædecessoris litteras tibi formam. Datum Perusii Calendis Martii, Pontificatus nostri anno I. (a).

EPISTOLA XLV.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Concedit ipsi facultatem agendi in negotio regni Siciliæ & Senatus Urbis secundum præscriptas supra epistola XXI. cautiones.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Super regni Siciliæ ac Senatus Urbis negotiis, quæ aguntur inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem nuper inter fratres nostros, quorum super his requisieramus consilia, diffinivimus in hac forma. URBANUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dicit Jeremias, &c. usque in finem.... Cum igitur nos de tua discretione, circumspectione, ac diligentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in regnum Franciæ pro eisdem negotiis commisso tibi plenæ legationis officio de fratrum nostrorum consilio destinemus; prudentiæ tuæ faciendi & promittendi super dictis negotiis, prout in diffinitione hujusmodi, quam tibi sub bulla nostra tradi-

(a) Quæ sequuntur novam in ms. incipiunt paginam, videnturque pertinere ad aliquam Clementis IV. epistolam qui Perusii primo pontificatus sui anno curiam habebat, cum Urbanus apud Urbem-veterem resideret, hancque epistolam non primo sed tertio pontificatus sui anno scripserit.

dimus continetur, ipsius diffinitionis forma & tenore servatis, plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem-veterem II. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XLVI.

Ad archiepiscopum Auxitanum.

Hortatur ut facilem se præbeat in solvenda Carolo Andegaviæ & Provinciæ comiti decima, suosque ad solvendum suffraganeos inclinet.

Anno 1264

URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Auxitano salutem & apostolicam benedictionem.

Dolores, afflictiones, angustias, & pressuras, quibus Romana mater Ecclesia his diebus atteritur, necnon & ejusdem Ecclesiæ in Italiæ partibus statum debilem & flebilem in aliis nostris, quas universitati prælatorum regni Franciæ mittimus litteris, perpendere poteris evidenter. Verùm quia ejusdem regni prælatos per easdem litteras, expositis eis hujusmodi ejusdem Ecclesiæ calamitatibus, cum omni attentione ac affectione requirimus, ut dolenti Ecclesiæ condolentes, decimam omnium suorum ecclesiasticorum proventuum per triennium dilecto filio nobili viro CAROLO Andegaviæ & Provinciæ comiti, in cujus personam negotium regni Siciliæ, à quo utique regno ipsius Ecclesiæ panditur omne malum, promovere, Deo favente, proponimus, pro ejusdem promotione ac prosecutione negotii promta & prona liberalitate concedant; fraternitatem tuam, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, monendam, rogandam attentè duximus & hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes, ac nihilominus in remissione peccaminum injungentes, quatenus necessitatis articulum in quo prædicta Ecclesia est hoc tempore constituta diligenter advertens, sicut honorem ipsius Ecclesiæ diligis, ac nostram & apostolicæ sedis gratiam caram habes, & tu ipse ad hujusmodi concessionem decimæ facilem te exhibeas & benignum, & prælatos alios tuæ provinciæ, qui libenter in talibus tuis inhærent consiliis, juxta datam tibi à Deo prudentiam, ad hoc ut liberaliter nostræ in hac parte satisfaciant beneplacito voluntatis, attentis & efficacibus inductionibus exhorteris, sciturus quòd vix hoc tempore posses pro nobis aliquid facere quod nobis amplius complaceret. Taliter igitur preces & mandatum super hoc apostolicum studeas adimplere, ut nos qui in hoc specialiter tuam circa nos & prædictam Ecclesiam devotionem volumus experiri, gaudeamus in te id quod circa exequenda nostra beneplacita reperire speravimus invenisse, tuque à Deo exinde præmium, & tam ab ipsa Ecclesia, quàm à prædicto comite, necnon à carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO illustri Francorum rege, qui sicut credimus in ejus persona recipiet quicquid in parte pro ipso comite duxeris faciendum, condignæ retributionis gratiam uberius consequi merearis. Datum apud Urbem-veterem nonis Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XLVII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Concedit facultatem procedendi super modificationibus in negotio regni Siciliæ aliàs propositis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Cùm in diffinitione nostra quam super negotio regni Siciliæ ac Senatus Urbis inter fratres nostros nuper edidimus, tibique bullatam tradidimus, inter alia contineatur expressè dandam tibi fore potestatem à nobis super modificationibus ex parte dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ ac Provinciæ comitis postulatis; nosque modificationes hujusmodi in aliis nostris litteris duxerimus inserendas: discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, procedendi liberè ad modificationes hujusmodi faciendas cum consilio carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI Francorum regis illustris, prout honori Romanæ Ecclesiæ ac nostro & felici promotioni commissi tibi negotii videris expedire, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum apud Urbem-veterem nonis Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XLVIII.

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

De dispensatione super residentia clericorum suorum.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Cùm te in regnum Franciæ, commisso tibi plenæ legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus, clericis tuis qui tecum permanserint, & quos pro commissis tibi ab apostolica sede negotiis duxeris destinandos, illis videlicet qui in ecclesiis, in quibus beneficiati existunt, primam & consuetam fecerint residentiam personalem, auctoritate præsentium indulgemus, ut tempus quo iidem obsequiis tuis, vel eisdem negotiis peragendis institerint, computetur in alia residentia, quam tenentur facere in eisdem ecclesiis: ita quod sequentis temporis residentiam continuare valeant, juxta ecclesiarum consuetudinem earumdem, necnon & toto ipso tempore pro residentibus in

eisdem ecclesiis habeantur, & proventus beneficiorum quæ in ecclesiis ipsis obtinent, cum ea integritate, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis percipiant, cum qua illos perciperent, si personaliter in eisdem ecclesiis residerent: non obstantibus contrariis ecclesiarum ipsarum consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione sedis apostolicæ, vel quacumque firmitate alia roboratis, & qualibet indulgentia sedis ejusdem, de qua cujusque tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam & expressam mentionem fieri, & per quam hujusmodi gratia impediri valeat vel differri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbemveterem nonis Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA XLIX.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Mittit ei temperamenta à Carolo comite proposita Alberto notario.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm in diffinitione nostra, quam super negotio regni Siciliæ & Senatus Urbis inter fratres nostros nuper edidimus, tibique bullatam tradidimus, inter alia contineatur expressè dandam tibi fore potestatem à nobis super modificationibus ex parte dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ ac Provinciæ comitis postulatis, præsentium tenore scire te volumus, quòd de illis modificationibus & non de aliis intelligimus, quas sicut ab eodem petitæ sunt comite & continentur in litteris dilecti filii magistri Alberti notarii nostri, præsentibus fecimus annotari, quarum tenor talis est:
„ CÙM ECCLESIA omni casu contingente intendat &
„ velit habere censum annuum decem millium
„ unciarum, nec intendat aliquid de censu remit-
„ tere, etiamsi dominus comes expenderet om-
„ nes proventus totius regni vel majorem partem
„ proventuum in defensione regni vel Ecclesiæ,
„ & iste census videatur gravis & nimis magnus
„ domino regi & domino comiti, maximè cum
„ iste census propter cladem aliquam seu casum
„ supervenientem secundùm intentionem Eccle-
„ siæ non debeat remitti nec etiam diminui;
„ petit dominus comes quod in principio contra-
„ ctus minuatur census, & super moderatione
„ dicti census detur potestas cardinalibus, maxi-
„ mè cùm videatur domino regi & domino co-
„ miti, quod etiamsi idem comes non reciperet
„ in se periculum casuum supervenientium,
„ nihilominus prædicta summa decem millium
„ unciarum esset diminuenda. Unde cùm domi-
„ nus comes propter pacem & voluntatem
A Ecclesiæ recipiat in se pericula casuum super- «
venientium, Ecclesia debet esse favorabi- «
lior & promtior ad faciendam majorem di- «
minutionem summæ prædictæ, & ad istam di- «
minutionem faciendam debet de facili induci «
Ecclesia, maximè quia oportebit eum multas «
donationes & in mobilibus & in immobilibus «
facere propter suam novitatem, & quia extra- «
neus erit in terra illa, & quia oportebit quòd «
multos magnates ducat secum, quos sine ma- «
B gnis donationibus non posset in illis partibus «
de facili retinere. «
Secundò petit dominus comes quod dilate- «
tur successio collateralium superiorum, ut puta «
patrini & avunculi amitæ & materteræ, & sur- «
sum usque ad quartum gradum, & collatera- «
lium superiorum, utpote nepotis vel neptis ex «
fratre vel sorore, & inferius usque ad quartum «
gradum, petit etiam quod in collateralium «
successione, & aliis articulis de feminis loquen- «
tibus admittantur nuptæ sicut innuptæ: dum «
C tamen sint nuptæ fidelibus & devotis Ecclesiæ. «
Videtur enim domino comiti quod si exclu- «
derentur nuptæ feminæ, expectantes successio- «
nem regni, differrent contrahere matrimonium «
propter spem successionis: & ita ex hoc posset «
impediri bonum matrimonii; & ex hoc posset «
citius deficere genus: & ex hoc etiam posset «
dari feminis occasio delinquendi. Et est notan- «
dum quòd dominus comes petit dilatari suc- «
cessionem collateralium ex eo provenientium, «
D & non collateralium, quos nunc habet domi- «
nus comes; sed in illis collateralibus remaneat «
ordinatio facta. «
Tertiò petit dominus comes quòd ubicum- «
que prohibetur, ut ipse vel heres non recipiat «
majorem partem Tusciæ vel Lombardiæ, ad- «
datur ibi *Scienter*; quia posset esse quod do- «
minus comes vel ejus heres ignorarent quæ «
esset major pars Tusciæ vel Lombardiæ: sed «
bene vult dominus comes quod si etiam igno- «
ranter reciperet majorem partem Tusciæ vel «
E Lombardiæ, teneatur eam dimittere ad man- «
datum Ecclesiæ, & si tunc dimitteret ad man- «
datum Ecclesiæ non incideret in pœnam sta- «
tutam in illo articulo. Si verò monitus non di- «
mitteret ad mandatum Ecclesiæ, bene rema- «
neat pœna, pro ut est statuta in illo articulo. «
Quartò petit dominus comes quòd in illo «
articulo, ubi dicitur quòd post dilatam succes- «
sionem regni, tamen ante adeptam possessio- «
nem, ille cui fuerit delata successio regni con- «
volaverit ad imperium vel regnum Alemaniæ «
F vel dominium Tusciæ, vel Lombardiæ, vel «
majoris partis earumdem, deferatur regni suc- «
cessio ad sequentem masculum, provideatur fe- «
minis descendentibus & collateralibus, sicut «
provisum est masculis. «
Quintò petit idem comes quod si vadat in «
propria persona ad acquirendam possessionem «
regni, numerus militum suo arbitrio relinqua- «
tur; & dominus comes promittat bona fide «
quòd veniet ad acquirendam possessionem regni «
bene munitus secundùm quod utilitati sanctæ «
Romanæ Ecclesiæ & negotii & personæ viderit «

„ expedire, & hoc petit idem comes propter multas rationes, quas bene dicet cardinalibus „ quando venerint, & credit pro certò quod cardinales reputabunt eas bonas, sed non vult eas „ mandare per litteras.

„ Sextò petit Dominus comes quòd amoveantur totaliter juramenta comitum & baronum, „ & magnatum & aliorum regni Siciliæ, & innovatio dictorum juramentorum de decennio „ in decennium facienda: & hoc petit quantum „ ad personam suam & heredes suos: quia videtur Domino regi & domino comiti quòd talia B „ juramenta non consueverint exigi, nisi contra „ tales qui consueverunt esse infideles & indevoti „ dominis suis. Videtur etiam Domino comiti „ quòd juramentum suum & heredum suorum „ debeat sufficere sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ „ cum aliis pœnis tam sententiarum excommunicationis, & interdicti, & privationis regni, „ & amissionis regni Siciliæ ipso facto, quæ etiam „ pœnæ multis videntur graves & etiam inhonestæ. Datum apud Urbem-veterem VIII. Idus Maii, Pontificatus nostri anno III. C

EPISTOLA L.

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

Concedit facultatem convocandi concilium etiam generale.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. D

Ut commissum tibi negotium, quod acceleratione multa indiget, expeditius & celerius exequaris, convocandi tuæ legationis, cùm expedire videris, etiam generale concilium, plenam & liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem VI. Idus Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LI.

E

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Ut possit permittere Fratribus Prædicatoribus & Minoribus quos secum habebat equitare & monasteria monialium ingredi.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. F

Cùm te in regnum Franciæ, commisso tibi plenæ legationis officio, de fratrum numero destinemus; discretioni tuæ concedendi licentiam fratribus ordinum Prædicatorum & Minorum, quos ad tua obsequia duxeris retinendos, & quos etiam pro commissis tibi negotiis per te mitti contigerit, equitandi liberè & ingrediendi monasteria monialium quorumcumque ordinum, mittendi quoque ipsos pro eisdem negotiis singulariter, cùm expedire videris, contrariis prædictorum ordinum consuetudinibus vel statutis seu regulis nequaquam obstantibus, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem V. Idus Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LII.

Ad Simonem cardinalem sedis apostolicæ legatum.

Ut possit permittere nobilibus mulieribus semel in anno ingressum monasteriorum ordinis Cisterciensis & S. Claræ.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. Tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Cùm te in regnum Franciæ commisso tibi plenæ legationis officio de fratrum nostrorum consilio distinemus, discretioni tuæ concedimus licentiam nobilibus mulieribus tuæ legationis ingrediendi semel in anno cum honesta mulierum societate monasteria Cisterciensis & S. Claræ ordinum, contrariis eorumdem monasteriorum & ordinum consuetudinibus vel statutis nequaquam obstantibus, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem V. Idus Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LIII.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Facultatem ei concedit per censuras ecclesiasticas cogendi quos viderit expedire.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ exercendi liberè censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium quàm aliarum ecclesiarum prælatos exemtos & non exemtos; in universa quoque capitula & conventus, duces, marchiones, comites, necnon barones, & quoslibet alios nobiles; in rectores etiam, ballivos, potestates, consiliarios, universitates, populos, & quascumque personas ecclesiasticas & sæculares, etiamsi militiæ templi & hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, vel S. Mariæ Theotonicorum, seu Cisterciensis, Cluniacensis, Minorum aut Prædicatorum ordinum fuerint, & in quaslibet alias publicas vel privatas tuæ legationis, cùm videris expedire, indulgentiâ sedis apostolicæ, si quam habent, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint, & quibuslibet aliis apostolicis, vel legatorum sedis ejusdem privilegiis & indulgentiis nequaquam

quam obstantibus, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum apud Urbem-veterem IV. Idus Maii, pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LIV.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Ut procurationes in ecclesiis & monasteriis Franciæ archiepiscopus Tyrensis non accipiat.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm Ecclesia Gallicana super quàm plurium nunciorum sedis apostolicæ procurationibus sit gravata, & oporteat eam tibi, quem in regnum Franciæ commisso tibi plenæ legationi officio de fratrum nostrorum consilio destinemus; necnon & venerabili fratri nostro episcopo Sabinensi apostolicæ sedes legato, si regnum Angliæ ingredi forsan nequiverit, debitas procurationes exsolvere: nos eidem ecclesiæ paterno compatientes affectu, ac volentes super tot ejus gravaminibus providere; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si de carissimi in Christo filii nostri LUDOVICI regis illustris, qui & terræ sanctæ statum novit, & gravatis ecclesiis pio corde compatitur, beneplacito & voluntate processerit, tu venerabili fratri nostro archiepiscopo Tyrensi ex parte nostra inhibeas, ut prætextu negotii dictæ terræ, quod in partibus illis gerit, procurationes aliquas ab ecclesiis & monasteriis dicti regni Franciæ recipere ulterius non attentet, injungens eidem, ut apostolicis litteris, quas de recipiendis hujusmodi procurationibus sibi tradidimus, in tuis manibus resignatis, expensas suas recipiat de proventibus centesimæ ecclesiasticorum proventuum dicti regni Franciæ, & de aliis etiam subsidiis, quæ præfatæ terræ duximus deputanda. Datum apud Urbem-veterem Idus Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LV.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Scribit ei solutam obsidionem castri Vici.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Volentes certificare te de his quæ acta sunt in his partibus his diebus, tenore tibi præsentium innotescat, quod Vicarius populusque Romanus post recuperationem civitatis Sutrinæ, quam PETRUS DE VICO invaserat, ad obsidendum castrum Vici viriliter & unanimiter processere: sed propter frequentes pluviarum inundationes, & quia tempus instabat messium, obsidionem ipsius castri firmare, donec labe-

A retur tempus hujusmodi distulerunt, sicque ad Urbem, maximè pro colligendis messionibus sunt reversi. Sed ne idem Petrus, cujus confracta sunt brachia, possit interim resumere vires, multiplicamus exercitus, augemus stipendia, invocamus auxilia; & omnia quæ ad elidendam intentionem ipsius & aliorum indevotorum Ecclesiæ, & tenendam patriam, quæ ut nosti parata est ad malum, possint proficere vigilanti studio, non sine intolerabilium expensarum oneribus procuramus. Quia verò tot & tantas
B expensas etiam ad breve tempus tolerare aliquatenus non possemus, circumspectionem tuam sollicitamus attentè per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus id, & quod inter sitientes sanguinem nostrum degimus diligenter attendens, ad facienda ea quæ super negotio regni Siciliæ, quod inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium nobilem virum CAROLUM comitem Provinciæ agitur, tibi commissa sunt, sine mora procedens, reddas nos protinus per tuas litteras de voluntate ipsius comitis certio-
C res, pro certo sciturus, quòd nisi dictus comes sine dilatione aliqua negotium ipsum assumat, partes istas, in quibus propter inhabitantium maliciam nullus prædecessorum nostrorum hactenus proficere potuit, coacti necessitate inevitabili deseremus. Datum apud Urbem-veterem XIII. Calendas Julii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LVI.

D Ad eumdem.

Certum eum facit de rebus in Italia ab ejus discessu gestis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1264

Fili nobis tot curarum mole depressis, totque laborum tædiis fatigatis, magnum tua dedisset sollicitudo levamen, & solamen non
E modicum præbuisset, si post tuum ab apostolica sede discessum reddidisses nos per tuas litteras de tui status continentia certiores: quia non sic de filii progressu dubius patris anxiaretur animus, neque sentiret mens nostra illos cogitationum stimulos, quibus eam inter alias undique nos angustantes angustias tui status incertitudo titillat. Nam licet viderimus aliquos, qui asseruerunt se tibi & in Cisalpinis & in Transalpinis partibus obviasse: quia tamen ipsi nullum nobis præsentaverunt ex tua parte rescriptum, nullam super hoc cordi nostro speratæ consolationis
F sufficientiam attulerunt. Ut autem laboriosus & tædiosius status Ecclesiæ in Italiæ partibus, & pericula quibus nos & eadem Ecclesia hoc tempore subjacemus, ac ea quæ postquam recessisti à nobis in eisdem partibus acciderunt, tibi plenius innotescant; ad notitiam tuam præsentium tenore deferimus, quòd post debellationem Theotonicorum, quos PETRUS DE VICO manifestus Ecclesiæ proditor in civitatem Sutri-

nam proditionaliter procuraverat introduci, quam utique debellationem tibi per nostras meminimus litteras intimasse; senatus populusque Romanus, qui sub vexillis dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ ac Provinciæ comitis, senatoris Urbis, sub ducatu quoque JACOBI GANTELINI ejus in Urbe vicarii, contra Theotonicos ipsos Urbis jam fines exiverant, adversus castrum de Vico, in quo dictus PETRUS se receptaverat unanimiter procedentes, & figentes in ipsius castri territorio castra sua, illud nobili obsidione cinxerunt. Nos autem quia item vicarius expensas ad prosecutionem tanti negotii non habebat, de camera nostra protinus sibi fecimus omnes sumtus ad hoc necessarios abundanter & liberaliter ministrari. Cúmque hujusmodi negotium laudabiliter convalesceret, & successibus prosperis firmaretur, tandem quibusdam magnis & potentibus Romanis amicis ipsius PETRI procurantibus extitit impeditum, Romano populo de ipsius castri obsidione consueta inconstantia subito recedente. Videns ergo dictus PETRUS DE VICO, qui se reputaverat ex toto confusum, quòd furorem & impetum tunc evaserat Romanorum, resumtis audaciæ cornibus, ac reliquiis prædictorum Theotonicorum quæ dispersæ erant per loca vicina, & eorumdem amicorum suorum viribus collectis in unum, in Tuscanenses fideles nostros, qui tunc quoddam castrum ALBONETI Ecclesiæ proditoris obsiderant, subitò irruens, de ipsis, circa idem castrum incauta securitate manentibus, victoriam reportavit. Propter quod tam ipse PETRUS quàm hujusmodi Theotonicorum reliquiæ nequioris superbiæ ac superbioris nequitiæ spiritum assumentes, fidelibus nostris de patrimonio B. Petri in Tuscia, quantumcumque nos septingentos milites sub nostris stipendiis retineamus ibidem, multa & gravia furtivè tamen inferunt nocumenta. Rebus igitur in eodem patrimonio sic se habentibus, MANFREDUS quondam princeps Tarentinus volens dicto PETRO DE VICO succurrere, universis suorum militum tam Theotonicorum, Sarracenorum, Cumanorum, quàm aliorum, quos habebat in regno Siciliæ, copiis congregatis, personaliter usque ad ipsius regni confinia versus Campaniæ partes accessit, sperans habere transitum per easdem partes ad Urbem, ad cujus turbationem vehementius aspirabat, pro ut ab aliquibus sibi fuerat damnabili præsumtione promissum. Sed quia requisitis Campanis, ut ei per terras suas securum præberent transitum, & fodrum seu victualia ministrarent, invenit gentem illam supra firmam petram fidei stabilitam, & promtam etiam, ac paratam cum eodem MANFREDO confligere, si suam ingredi provinciam attentasset. Dictus MANFREDUS sua intentione frustratus in Apuliam rediit, suis consuetis delitiis potiturus. Misit verumtamen totum exercitum quem habebat cum quodam PERCIVALLO DE ORIA cive Januensi, quem in capitaneum exercitui præfecit eidem, ad castrum de Cellis situm in

A ipsius regni confinibus & civitati Tiburtinæ vicinum, sperans adhuc, sicut sibi dabatur intelligi, posse per hoc pacificum & tranquillum statum Urbis evertere, ac de Capitolii arce dejicere prædictum vicarium, & potestatem senatoriam obtinere: propter quod nos volentes vicarium ipsum in arce fortificare prædicta, suumque regimen solidius roborare, ducentos milites de Campania sub nostris per eum conduci fecimus sumtibus in sui regiminis fulcimentum. Sub tali ergo spe turbandæ Urbis,
B dictus PERCIVALLUS cum toto ipso exercitu in præfato castro de Cellis per mensem & amplius moram trahens, ac demum videns quòd inutiliter morabatur ibidem, de Urbis quoque turbatione desperans, cœpit versus ducatum Spoletanum cum toto ipso exercitu, suas dietas continuando procedere, nullamque inferens territorio civitatis nostræ Reatinæ, per quod transierat, læsionem: tandem cum eodem exercitu pervenit ad flumen Arronis, ubi tum propter ipsius fluminis impetum & periculosum
C ejus transitum, tum etiam propter incertitudinem voluntatum hominum habitantium citra flumen, processus ipsius exercitus fuit diebus aliquibus præpeditus. Sed quia videbatur eidem PERCIVALLO, quod tempus inutiliter sic stando consumeret, transire disposuit flumen ipsum, in quo utique flumine postquam illud suorum militum multitudo transierat, idem PERCIVALLUS, qui Ecclesiæ factus erat hostis in capite, justo Dei judicio submersus extitit, & in aquis validissimis suffocatus. Nos autem, quos ad defensionem Ecclesiæ dura conditio tem-
D poris & urgens evidensque necessitas reddunt plus solito sollicitos & attentos, dilectum filium BONIFACIUM DE CANOSSA marescallum nostrum cum octogentis militibus & ducentis balistariis, quos de novo stipendiari fecimus, contra prædictum exercitum illico duximus destinandum. Misimus quoque dilectos filios nostros, A. videlicet basilicæ duodecim apostolorum presbyterum ad Narniensem, & O. S. Adriani ad Perusinam, Tudertinam, & Assisinatem, & M. S. Mariæ in Porticu diaconos car-
E dinales ad Spoletanam civitates & dioceses ad congregandum earumdem civitatum populos contra exercitum prædictum. Verumtamen credimus eos parum apud prædictas posse proficere civitates propter maliciam & perfidiam incolarum. Sumus etiam in tractatu cum fratribus nostris præficiendi dilectum filium J. S. Mariæ in Cosmedim Diaconum cardinalem patrimonio B. Petri in Tuscia, & exercitibus Ecclesiæ in capitaneum & rectorem. Et quia oportet nos hoc tempore circa strepitus armo-
F rum & bellorum tumultus intendere, causarum strepitus duximus suspendendos. Neque illa quæ in Anconitana Marchia gesta sunt postquam à nostra præsentia recessisti, & quæ nos pro ipsius Marchiæ defensione facimus incessanter, fore providimus omittenda. Cùm enim dilectus filius M. Veronensis electus, tunc rector ipsius Marchiæ fuisset ab hostium interceptus insidiis & ab eisdem hostibus in Apu-

liam destinatus, nos ne illa terra, quæ in dicta Marchia tunc adhærebat ecclesiæ, totaliter perderetur & adversarii vires in illis partibus fortiùs invalescerent, in ipsius Ecclesiæ suorumque fidelium nocumentum, statim dilectum filium nostrum S. Tituli S. Martini presbyterum cardinalem ad eamdem Marchiam, plenè legationis officio ei commisso, transmisimus, qui militibus quingentis de pecunia nostra quam sibi tradidimus & totidem aliis de communitatibus terrarum adhærentium Ecclesiæ congregatis, Marchiam eamdem potenter ingressus, & recuperatam terram in Ecclesiæ devotione conservat, & recuperavit jam illius terræ quam hostes occupaverant magnam partem. Nec ignorare te volumus periculosioris machinamenta nequitiæ, quæ dictus MANFREDUS contra nos & dictam Ecclesiam his diebus per Italiam procurare non cessat. Ipse namque credens se cum Ecclesia pacem juxta suum libitum habere non posse, nisi per nostram, quod absit, & fratrum nostrorum, Romanæ videlicet Ecclesiæ cardinalium captionem, ad obsidendum nos & curiam nostram in civitate Urbevetana, in qua personaliter residemus, cuncta suæ pravæ intentionis studia dicitur convertisse. Ordinat enim, sicut accepimus, & disponit cum Florentinorum, Pisanorum, Senensium, Pistoriensium, Aretinorum & aliorum suorum fautorum exercitibus, & cum mille militibus Theotonicis quos habet in Tuscia, ceterisque suorum agminum & cohortum præsidiis, & cum toto etiam posse suo personaliter ad territorium prædictæ Urbe-vetanæ civitatis accedere, ac nos & fratres nostros in ipsa civitate hostiliter obsidere, nosque per hoc ac fratres ipsos artare ad assentiendum, quod absit, suæ iniquæ libito voluntatis. Licet igitur, dilecte in Domino fili, obsidionem & quam plura alia persecutionum genera duriora & asperiora præteritis expectantes, inter scorpiones & serpentes venenosissimos habitemus, sperantes tamen quòd memoratus comes Provinciæ infra festum B. Michaëlis proximo venturum, sicut præstito juramento promisit, ad Urbem venire debeat, & confidentes in ejus adventu Ecclesiam ab inimicis ejus qui in circuitu ejus sunt, auctore Domino, liberari, continuare tot effusiones sumtuum, totque imminentia nobis subire pericula usque ad hujusmodi terminum nullatenus formidamus. Et scias quòd expensæ quas hac occasione hactenus fecimus, usque ad summam ducentarum millium librarum Senensium jam ascendunt, & nihilominus sub spe adventus ipsius comitis terram istam usque ad prædictum terminum conservare proponimus, non parcendo laboribus vel expensis. Et procul dubio noveris quod si, quod absit, dictus comes in prædicto termino non veniret, oporteret nos pro eo, quod ad hæc non sufficeremus ulterius, prædictam terram omnino dimittere, ac de statu nostro & Ecclesiæ aliter cogitare: ideóque discretioni tuæ sub obtentu gratiæ nostræ ac devotionis illius vinculo, quam ad personam nostram habere te credimus, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus cum ex ipsius adventu comitis dependeat in his partibus status noster, remotis quibuslibet dilationis & difficultatis obstaculis, nobis, priusquam alicui alii hoc significes, vel id possit ad aliorum pervenire notitiam, fideliter intimes, si & quando dictus comes venturus sit ad partes istas, & quid super negotiis quæ tibi principaliter sunt commissa feceris cum eodem. Quod si forsan statim de ipsius adventu comitis & aliis tibi commissis plenariam certitudinem habere non posses, pro eo fortè quod hoc ex sua vel aliorum pleniori deliberatione penderet, omnino volumus, quod tu nihilominus quid de adventu ejusdem comitis & negotiis sperare prædictis, aut verisimiliter credere valeas, nobis protinus cum omni attentione & acceleratione rescribas, causas & rationes te moventes ad credendum illa quæ scribere te continget per tuas nobis litteras expressurus. Ceterùm quia comes ipse venire ad Urbem personaliter, prout præmissum est, præstito juramento tenetur, nos certos efficias, utrum credas eum venturum infra dictum festum, vel prorogationem hujusmodi termini petiturum. Datum apud Urbem-veterem XVI. Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA LVII.

Ad Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem.

Monet eum ut caveat à veneno quod ei parabat Manfredus.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro CAROLO Andegaviæ ac Provinciæ comiti salutem & apostolicam benedictionem. Anno ...

Fili per quosdam de majoribus familiaribus MANFREDI quondam principis Tarentini nobis innotuit, quòd idem MANFREDUS quemdam apostatam ordinis militiæ S. Jacobi nomine Cavalcantum cum duobus Assisinis & quinquaginta generibus venenorum seu toxicorum insidiaturum vitæ tuæ sub spe ac conductu nobilis viri ducis Burgundiæ in Franciam jam transmisit: propter quod dignum fore providimus reddere super hoc aciem tuæ circumspectionis attentam, ut cautius & melius tibi scias à talibus insidiis præcavere, ex hoc percepturus attentius quod idem MANFREDUS nobis ex locorum propinquitate vicinus, in necem nostram per similia extinctionum genera multò frequentius machinatur: & tamen omnipotens Dominus, in cujus manu mors & vita consistit, personam nostram hactenus à tam pravis ejus machinationibus præservavit. Verùm quia nos considerantes, quòd si dictus MANFREDUS terram Ecclesiæ his, quod absit, temporibus occuparet, majora difficultatis obstacula tibi ad regnum Siciliæ venienti in terra pararetur eadem, & plures ac vehementiores te in removendis hujusmodi obstaculis oporteret subire labores, quàm in regni acquisitione prædicti

facimus quicquid possumus, immo ultra quàm possumus, pro conservatione ipsius terræ, de qua per Dei gratiam nihil amisimus, effundendo sumtus ad hoc inæstimabiles pro diversis militum copiis variisque exercitibus, quos in patrimonio B. Petri in Tuscia & in ducatu Spoletano, & etiam in Anchonitana Marchia sub nostris stipendiis retinemus. Et scias quòd hujusmodi sumtus continuare proponimus usque ad festum B. Michaëlis proximo futurum, in quo utique termino speramus in manu forti & brachio extento, divina tibi prævia gratia, te venturum. Ideoque nobilitatem tuam monendam, rogandam attentè duximus & hortandam quatenus sic tuum ad partes istas adventum cum omni acceleratione festines, ut spe quam de te in hac parte concepimus non fraudemur: & nihilominus statim nobis significes, si & quando iter arripere debeas veniendi, quoniam si, quod absit, infra prædictum terminum non venires, oporteret nos pro eo quòd tantorum sumtuum onera non possemus ulterius sustinere, & prædictam terram dimittere, & de statu nostro aliter cogitare. Ceterum quia propter occupationes multas quibus distrahimur oblivioni tradidimus illa secreta vocabula, sub quibus tibi scribere debebamus, pro ut per dilectum filium Dionysium de Essartis clericum tuum tibi duximus intimandum: ideo si tibi sub prædictis vocabulis non scribimus, non mireris. Datum apud Urbem-veterem v. Calendas Augusti, Pontificatus nostri, anno III.

EPISTOLA LVIII.

Ad Simonem Cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Laudat ejus prudentiam in tractando Siciliæ negotio.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Fili, receptis tuis litteris & perlectis, ex earum tenore collegimus evidenter, quòd & in via & in patria labores multiplices pertulisti, dum in via longa terrarum peragrando per abrupta montium, per paludum & fluminum obstacula, per impedimenta torrentum, & quod periculosius extitit, per vigiles prædonum insidias transeundo delicatum & tenerum corpus tuum insuetis laboribus & squaloribus illud innumeris exponendo periculis macerasti. & in patria, ubi quies tibi debuit sperata succedere, oportuit te itinere tam longo confractum, & fatigationibus tot attritum, novis laboribus in ipsa tui novitate adventus exponere ac exhibere, recentem prosequendo & promovendo tractatum negotii regni Siciliæ, quod confidenter tuæ industriæ commisimus promovendum. Et quidem dum oculi nostri hujusmodi labores tuos acie intenta perlegerent, in patre protinus fuit erga filium compassionis

A spiritus suscitatus: sed dum desideratam fructuum ubertatem, qui cœperunt jam nobis & Romanæ Ecclesiæ matri tuæ de hujusmodi tuis laboribus provenire diligenter advertimus, Deo salutari nostro devotè diximus cum propheta: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam.* Vidimus etenim in eisdem litteris totum processum habitum inter te & dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ

B comitem super negotio supradicto. Vidimus, inquam, & lætati sumus, quoniam ea quæ per te acta sunt hactenus circa idem negotium nobis plurimum placuerunt, cùm sciamus te ad illa cum multo & magno caritatis zelo, quo dictum prosequeris negotium, & cum ingenti sollicitudine processisse: & ideo efficax tuæ diligentiæ studium, & studiosum, qui in ipso negotio ex tuis provenit laboribus primariæ promotionis effectum dignis in Domino laudibus fore decrevimus multipliciter attollen-

C dum, sperantes in Altissimo & in tua probitate probata, & experta providentia confidentes, quòd eidem negotio prosperè & salubriter per tuam circumspectam solertiam, vigilemque prudentiam divina tibi assistente gratia, consummatione laudabili concludetur. Et scias quod nobis nequaquam venit in dubium, quin utilius pro Romana Ecclesia dictum negotium promovisses, si præfatus comes non fuisset ab aliquibus, prout tuæ continebant litteræ, super ejusdem negotii conditionibus præmunitus.

D Verum quia dum easdem perlegeremus litteras, nobis in illis occurrit, quòd ex tuorum immensitate laborum discratiam febrilem incurreras, gaudium quod ex grati annunciatione rumoris dictæ litteræ nobis attulerant, fuit subito in nobis mutatum in amaritudinem & conversum. Sed quia per subsequentia de tua nobis convalescentia constitit, prioris serenitas gaudii, quam nubila tui significatio languoris obduxerat; rediit, & nobis ad cumulum lætitiæ majoris & amplioris accrevit. Cùm igitur memoratum

E negotium, sicut ex prædictis apparet litteris, sub tua circumspectione votivis jam firmari successibus videatur, nos considerantes attentius quòd vix potuisset ad promovendum illud persona tam utilis inveniri, & propter hoc de tuis felicibus processibus non indignè gaudentes, in laudis supernæ jubilum exinde lætanter assurgimus, ac referimus ei à quo bona cuncta procedunt, & qui negotium ipsum in tuis manibus prosperè dirigit, gratiarum devotas & humiles actiones. Ideoque discretioni tuæ per

F apostolica scripta mandamus, quatinus indefessa sollicitudine laborare non desinas, sicut jam laudabiliter incœpisse dinosceris, ad hoc ut idem negotium ad laudem & gloriam divini nominis expectatum & desideratum exitum sortiatur, personæ tuæ ac ipsius negotii statum nobis frequentius sicut per prædictas nobis promisisti litteras intimando. Datum apud Urbem-veterem II. nonas Septembris, Pontificatus nostri anno IV.

A Datum apud Urbem-veterem nonis Septembris, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA LIX.

Ad Simonem cardinalem apostolicæ sedis legatum.

Ut Alberto notario præcipiat ut ad pontificem revertatur.

Anno 1264 URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Fili, quia gravia & importabilia onera quibus in multorum legatorum & nunciorum apostolicæ sedis frequenter immo indesinenter quasi euntium & redeuntium procurationibus Gallicana Ecclesia hoc tempore prægravatur, nostris totaliter incumbere humeris reputamus, & sentimus in nobis tot & tantorum suorum ponderum gravitatem, nos circa tuum ab apostolica sede recessum tibi mandasse recolimus viva voce, ut dilecto filio magistro ALBERTO notario nostro ex parte nostra præciperes, quòd statim postquam tu & dilectus filius nobilis vir comes Provinciæ super conditionibus negotii nostri Siciliæ concordes essetis, ad sedem apostolicam sublata qualibet mora & difficultate rediret. Injunximus quoque ei per nostras litteras, ut tibi in his quæ super ipsius reditu ex parte nostra diceres, fidem plenariam adhiberet: quod ideo fecimus, ut à suis procurationibus eadem alleviaretur ecclesia, quemadmodum exonerata extitit à procurationibus venerabilis fratris nostri.... Tyrensis archiepiscopi, non sine magna consolatione & exultatione prælatorum ejusdem ecclesiæ, prout tua providentia nobis scripsit. Verùm quia sicut habetur in quadam ex cedulis in iisdem tuis litteris interclusis, idem notarius hujusmodi nostris receptis litteris tibi apertè intentionem nostram eidem circà ipsius reditum exprimenti respondit, quòd pro executione quorumdam aliorum negotiorum volebat adhuc in regno Franciæ remanere; nos non immeritò de hujusmodi ejus insperata responsione commoti, volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus statim receptis præsentibus, eidem notario cui super hoc etiam nostras dirigimus litteras, auctoritate nostra destrictè præcipias, ut executione quorumlibet negotiorum nequaquam obstante, protinus ad nostram præsentiam revertatur: eidem expressè prædicens, quòd nisi litteris nostris tuoque in hac parte præcepto paruerit, nos contra se graviter provocabit. Denique super provisione dilecti filii nostri A. Basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinalis tibi sub breviloquio respondemus, quòd si, prout tibi dum adhuc esses nobiscum mandavisse meminimus, absque scandalo per te poterit in illius executione procedi, gratum habebimus quicquid eidem cardinali super hoc duxeris faciendum. Alioquin cum prælatos & alias personas ecclesiasticas regni Franciæ prætextu ipsius provisionis scandalizare nolumus, ad executionem illius cum scandalo non procedas.

EPISTOLA LX.

Ad Manfredum quondam Principem Tarentinum.

Hortatur ut rediens ad cor Veronensem electum à suis detentum in vinculis libertate donet.

LICET enormes injurias & atroces injurias Anno 1265 Ex ms. S. Martini Turonensis.
B adversus Deum & Romanam ecclesiam commiseris hactenus; & tam nos quam felicis recordationis INNOCENTIUM & ALEXANDRUM Romanos pontifices predecessores nostros & sedem apostolicam plurimis & continuis molestiarum & vexationum cumulis provocaris: speramus tamen quod aliquando ad cor rediens, & te graviter offendisse considerans, in conspectu Altissimi pœnitentiæ dona & contriti cordis ac humiliati spiritus holocaustum offerres, & studeres tibi recuperare per
C promta & condignæ satisfactionis opera prædictæ sedis gratiam, quam tuis gravissimis culpis exigentibus perdidisti. Sed quia tu, quod dolentes referimus, curare de tua fama tuoque honore aliquatenus non videris, cum non cesses mala malis adjicere, offensas inculcare offensis, & injurias injuriis cumulare. Nos qui tuum nos cognoscimus esse patrem, considerantes quod tenera patris affectio de duris etiam filiis tamen cogitare compellat; quia numquam sic pater potest suorum natorum ex-
D cessibus provocari, quin ipse nativi fœderis unione constrictus, de illis velut timens & pervigil meditatur; numquam duximus obmittendum, quantumcumque nobis & ecclesiæ injuriosus existas, & filialis prorsus devotionis oblitus, contra apostolicæ benignitatis clementiam utaris privigni duritiam, quin te ad illa litteris inducamus & monitis, per quæ honori tuo tuæque consulas & saluti. Sane quamquam effectum discretionis judicium cujuslibet ratio-
E nis, adeo contra prædictam ecclesiam error sensualitatis & libitum voluntatis extinguerit, quod hactenus quid tibi tuoque statui expedierit, qualiter & apud eamdem ecclesiam tuos debueris procurare profectus discernere quomodo libet nequivisti. Nequaquam tibi cedere possumus, quod in agro tui pectoris adeo providentiæ vigor marcuerit, quod prorsus ignores quid deceat, quidve dedeceat, & in quantum subditus Domino teneatur, & ideo securius tibi pro dilecto filio scilicet M. Veronensi electo, quem in tam justitiæ defensione, quam justi prosecutione negotii per tuorum militum agmina captivatum tuus tenet carcer inclusum, nostrarum precum primitias duximus dirigendas. Sperantes quod tu saltem in hoc Deum habebis præ oculis, & verecundus nostris in hac parte desideriis.... preces hujusmodi eo promptius.... in posterum, quo de sinceriori affectu procedere dignoscuntur. Maxime cum rogemus pro viro erga Deum & prædictam ecclesiam fide ac devotione præclaro, vitæ munditia &

morum honestate decoro, qui suæ probitatis exigentibus meritis ad pontificalem dignitatem per providentiam apostolicæ sedis electus, factus levita Domini & Christi minister, qui per prophetam tangi Christos suos & in prophetis suis malignitatem prohibuit exerceri. Tuam igitur Nobilitatem rogamus & tibi attente per apostolica scripta mandantes, quatenus attendens provide quod homo qui tibi nequaquam in aliquo tenebatur, potuit juste pro nobis & prædictam ecclesiam, qui ejus sumus Domini spirituales, ad mandatum nostrum Anchonam, Marchiam, & alias terras ipsius ecclesiæ defensare. Propter quod non debes in eum aliquatenus desævire, considerans etiam quia cum Deo & nobis gratitudinis præstabis obsequium, si uteris benignitate ac clementia erga ipsum, curaveris eum dimittere à vinculis absolutum ob reverentiam memoratæ sedis, & nostram, tuumque honorem, prædictum electum dones Deo ac nobis & prædictæ ecclesiæ, in signum quod aliqua in te divini timoris sintilla remanserit, libertati pristinæ restitutum. Ita quod ille qui converti vere desiderat peccatores, tui recordare dignetur, tibi cogitandi quæ recta & agendi gratiam largiatur. Nos quoque videntes & recognoscentes, quia nostris in hoc beneplacitis coaptando incipias bonitates & pietatis operibus delectari; teneamur exinde devote & ad Deum vota dirigere, & efficacibus insistere supplicationibus apud eum, ut te sic sua virtute humiliare dignetur ad bonum, seuquoque facere susceptibilem & capacem, quod & in præsenti gratiam, & gloriam assequi valeas in futuro; & ecce dilectum filium & fratrem S. de Ordine Minorum nuncium nostrum, virum utique providum & discretum & religione conspicuum, & nostris ac nostrorum fratrum oculis gloriosum, ad tuam præsentiam propter hoc duximus destinandum, cui in his quæ tibi super præmissis ex parte nostra dixerit, adhibere fidem, illa quæ efficaciter adimplere procures. Accelera igitur ut remotis quibuscumque difficultatibus & dissolutionum obstaculis, ad lætificandum patris animum de filii liberatione festina electum ipsum statim nobiscum cum eodem nuncio, in nostrum & prædictæ ecclesiæ gaudium remittendo, quoniam non minus de spe quæ nobis in hoc de tua conversione præbetur, quam de illius remissione gaudebimus, ut condignas altissimo gratias referemus.

EPISTOLA LXII.

Responsio Manfredi.

Ex ms. S. Martini Turonensis.

SUB simplicis humilitatis officio, integræ devotionis affectu, tamquam novi muneris grande mysterium, & utinam spei uberis promissum, Sanctitatis vestræ recepi litteras. Paternæ dilectionis increpationes audivi, & jussionis dominicæ monita reverentius intellexi, factus repente stupidus, & referendo quodammodo verecundus, quod adversus Deum & sanctam Romanam Ecclesiam, quàm Christianæ fidei magistram & dominam recognosco, injuriarum atrocium lator intitulor, & offensarum enormium irrogator appellor, de quibus si pectoris mei claustra discutio, conscientiæ meæ nulla nota redarguit, nec probabilis stimulus veritatis impugnat. Nam licet bonarum sit mentium ibi culpas agnoscere, ubi noxa non præfuit: si de nullis offensis pœnitentiæ dona non obtuli: si de nullis injuriis humilitati spiritus tributum non solvi, nescio cur injuriator extitero, vel cur deplantator excessuum humanitate compingor, nisi ea forsitan quod contra vos & prædecessores vestros offensionis & culpæ gravitate respergor, quod voluntati vestræ super hereditatis privatione non parui, & reconciliationis optatæ gratiam, quam multifarie multisque modis expetii, hoc usque non potui promereri Nunc ergo præceptis salutaribus monitus, & objurgationibus vestris, quæ circa duritiam filiorum clementiam patris insinuant, persuasus gaudeo satis quod excitare me litteris & corripere monitis paterna dignatur affectio, ex quibus spei fertilis judicia colligo, & fiduciæ facilis argumenta compono. Et cum non semper osculandus à patre sit filius, sed dura interdum castigatione premendus, jam me velut ingratum, de cujus se asserit salute sollicitum, quem gratiæ communione non abdicat, suavitatis materno gremio non excludit. Sed datur alterius Pater, piissime, sinistræ suspicionis occasio ut invitus quærulus de sincera quodammodo ut patris affectione diffidam, & de matris tenera pietate desperem, dum sicut vulgaris jam notio prædicat, transverso verbo tenus ordine, successionis in exterminium hosti adversus me panditis ostium, & illum in regno mihi ex conceptæ contra me forte indignationis animo adversarium erexistis. De quo præter alia emolumenta quam plurima, quæ per me Ecclesiæ poterant provenire, de conditionibus omnibus quæ de me protinus, si veritatem dicere liceat, utilitas expetatur, sicque dum verba patris, quasi modesta cum de filii conversione titillant, accurare desidero, desperare commoveor; & dum extrinseca commemoro, desperare compellor. In cujus desperationis excessu & vehementis doloris incendium, ea maxime ratione promoveor, quod venerabilis vir Dominus S. titulo Martini presbyter cardinalis apostolicæ sedis legatus in Marchia per suas litteras temerarium prædonem me publicat, & persecutorem publicum, ut satanæ filium licentia labiis laxata divulgat: qui per hoc verum mihi soli, etsi aliqua ratione non placeo, læsionis offendicula attenderet, sed ad universale quasi gentis dispendium non minus, proh dolor! occasione suspiret, dum fideles Christicolas, quorum festiva subsidia terræ sanctæ negotium à nobis olim procuratore, nunc Domino, longis desideriis expectaret, & novo bellandi genere nunc per arma in filios ut ad christiani regis spolia crucis signat. Consideret ergo, si placet, Vestræ Pietatis integritas, qualiter si secundum carnem unitur prædicto, de prædicta debeat intendere precibus, & tot gravibus lacessitus injuriis superioris ob-

Locus intricatus.

secundare præceptis. Hac itaque varietate perplexus, eligo me sanius me totum beneplacitis vestris exponere; si totus admittar, & vestris obtemperare mandatis, si tamen innocentiæ meæ causam levitas non exasperat mandatoris. Non sic enim propriæ voluntatis arbitrio sublevor, nec sensualitatis incentivo dissolvor. Quin plane discernens inter dexteram & sinistram aperte videam, & evidenter agnoscam quid rationis judicio debeatur. Propter quod universa quæ scribitis debita meditatione compensans, mandatorum vestrorum precumque primitias pro liberatione providi viri M. Veronensis electi, ad cujus laudabilis famæ præconia, tam clara sufficiunt testimonia laudatoris, reverenter accipio, & eo libentius ad effectum debitæ prosequutionis ac compendii scribendi tam sanctis initiis debentur, de cujus captionis adventu Deum & ecclesiam exinde graviter offendisse me dicitis, minus digne, si dici liceat, sævitiæ mihi versutiis adscribitur, & prohibitionis supernæ pertinax refragator accusor. Quamquam & tam rex ille pacificus, quæ ministris ecclesiæ legata pacis hominibus erogando commisit, in Christo suos propheticos tangi prohibeat, aut in eos malignitatis molestiam exercendi. Si tamen interdum minus id passis imputari debet ad vitium, tam facientibus ad delictum. Cum igitur ad partes Marchiæ, dum in amicorum subsidium, qui ob zelum devotionis & fidei demum augustum felicis memoriæ Dominum FEDERICUM patrem meum tenaciter habere in me quasi novæ dilectionis fragrantia redolebant, quamdam quantitatem militum in favoris suffragium destinassem, discedentibus inter se partibus, pro ut moris est, vel erroris potius inter eos radicavit antiquitas; idem electus, non pacifer, sed belliger inventus; non altaris levita, sed equo leviter elevatus; non Dei minister, sed excidii ministrator, inter agmina militum incidit, & ad privatam honestamque custodiam bellicus eventus ipsum adduxit, de cujus liberatione festina, si ad præsens dominationis vestræ voto non parco, molestum quæso, Pater Pie, non geratis, cum absque amicorum meorum, quorumdam marchionum comitum vel magnalium consilio, ad quos ut hoc præcipue interesse versatur, aliud fieri honeste posse non videar: Sed quam cito ad instantiam nuntiorum meorum super hoc eorumdem nobilium mihi conscientia patefiat, tam in his quam in aliis, quæ sanctitatis vestræ grata sint animo, & affectui blandiantur, per evidentiam operum non injuriam quæ vestram paternæ caritatis affectio placida relatione cognoscam, signa promtissimæ dilectionis ostendam. Interim tamen ipsum, ob reverentiam apostolicæ sedis & vestram, non ea quæ captis ex hostium conculcatione debetur, sed quæ humilitati conveniat ut æquipolleat libertati, honesta custodia faciam sociari: ut quæ ad præsens in totum ostendi non potuit, mea saltem in parte dilectio agnoscatur.

EPISTOLA LXII.

Ad archiepiscopum Bituricensem.

Ut assensum præbeat compositioni quam Albiensis episcopus cum rege meditabatur.

URBANUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi S. & A. B.

Significavit venerabilis frater noster episcopus Albiensis, quod cum dudum inter ipsum & carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Franciæ super temporali jurisdictione civitatis Albiensis vel parte ipsius, quam idem rex ad se spectare asserit, quamque idem episcopus & prædecessores sui Albienses episcopi, qui fuerunt pro tempore ipsam exercuerint à tempore cujus memoria non existit, suborta sit materia quæstionis: dictus episcopus & Albiensis ecclesia, occasione quæstionis hujusmodi, sustinuerunt multa damna & injurias, ac subierunt gravia onera expensarum. Cum autem iidem rex & episcopus, sicut accepimus intendant compositionem inire, nos de te qui ejusdem episcopi metropolitanus existis, & à quo sicut ipse asserit hujusmodi jurisdictionem tenet in feudum, gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem episcopo ineundi compositionem, super hoc cum eodem rege, si ecclesiæ ipsi expedire videris, auctoritate nostra licentiam largiaris, non obstante si ad id non intervenerit capituli Albiensis assensus, nisi eum negaverint ex rationabili causa præstare. Datum apud Urbem-veterem Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Anno 1262. *Ex cartario archiepiscopo Bituricensis.*

EPISTOLA LXIII.

De modo dicendi officium divinum in terris strictissimo interdicto suppositis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum, &c.

Dudum felicis recordationis ALEXANDER papa prædecessor noster primo & nos postmodum civitates & loca plurima MANFREDO quondam principi Tarentino ac UBERTO marchioni Pelavicino, & aliis ecclesiæ persecutoribus contra salutem propriam adhærentia, loca etiam ad quæ dictus MANFREDUS, RICHARDUS GASERTANUS & THOMAS Acerrarum comites, ac GALVANNUS & FREDERICUS LANCEA fratres devenire contingeret, quamdiu ibi forent strictissimo ecclesiastico supposuimus interdicto; sed quia nonnulli archiepiscopi & episcopi, abbates, priores, aliique prælati & religiosi ac clerici & aliæ quam plures personæ utriusque sexus à sede apostolica & per litteras & oretenus sibi post-

Anno 1264. *Ex ms. P. Prædicatorum Rotomagensium.*

modum obtinuere concedi, ut non obstantibus hujusmodi interdicti sententiis, liceret eis sub certa forma, in certis ecclesiis sive locis eidem interdicto subpositis celebrare ac audire divina: nos, ut interdictum ipsum artius servaretur, in octavis festivitatis B. Martini proxime præteritæ, præsente tunc multitudine fidelium copiosa, omnes concessiones hujusmodi quocumque modo & sub quacumque forma factas à sede apostolica prædicta, omnes quoque litteras, indulgentias, cunctaque privilegia super hoc ab ipsa obtenta totaliter auctoritate apostolica duximus revocanda, universis cujuscumque status, ordinis, conditionis, honoris & dignitatis existerent, eadem auctoritate sub pœna excommunicationis districtius inhibentes, ne hujusmodi concessionum seu alio quocumque prætextu contra earumdem sententiarum interdicti tenores in aliquibus ecclesiis seu locis interdicto subjectis divina officia celebrare vel audire quomodolibet attentarent. Hoc autem ideo fecimus, ut locorum homines eorumdem tanti saltem consideratione descriminis, ad Ecclesiæ redirent humiliter unitatem. Verum quia ipsi maliciis propriis excoecati, & in suis defixi fecibus, nec ex antidoto medicinali salutem, nec ex vexatione recipiunt intellectum. Nos nolentes ulterius ob eorum nequitiam personas ecclesiasticas inter eos degentes divinis officiis penitus defraudari, de fratrum nostrorum consilio eisdem personis ecclesiasticis in- A dulgemus, ut in collegiatis ecclesiis sæcularibus in civitatibus & locis hujusmodi constitutis clericis ecclesiarum ipsarum, & in religiosorum conventibus fratribus religionis ejusdem pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ quoque unctionis sacramenta recipere ac voce submissa clausis janua, non pulsatis campanis, interdictis & excommunicatis, & personis omnibus aliis cujuscumque conditionis aut sexus exclusis, divina officia liceat divisim vel insimul celebrare. B A generalitate tamen excludendorum excepimus tam religiosas personas quam sæculares clericos viatores, quos & in religiosorum & in sæcularium clericorum ecclesiis admitti permittimus ad divina in procinctu itineris constitutos, vel infra diem tertium recessuros. In monasteriis etiam monialium & laïcorum religiosorum, tam Humiliatorum, quam aliarum civitatum & locorum hujusmodi Domino famulantium, licebit eisdem monialibus & religiosis C suum vel alienum ad celebranda divina cum duobus honestis clericis vocare vel admittere sacerdotem. Conversi quoque monasteriis servientes ipsarum, divinis officiis poterunt interesse cum ipsis. Præterea venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, & episcopos ad loca hujusmodi declinantes, illius uti volumus privilegio libertatis, quod episcopis in favorem pontificalis officii constitutio concilii generalis indulsit. Datum apud Urbem-veterem Idibus Januarii, Pontificatus nostri anno III.



CLEMENTIS



CLEMENTIS PAPÆ IV. EPISTOLÆ.

Ex pluribus codicibus manuscriptis.

EPISTOLA I. (a)

Guidonis Cardinalis & episcopi Sabinensis ad Carolum Andegaviæ & Provinciæ comitem.

Electus à Romanis ut regeret Urbem quomodo erga eos se gerere debeat, & qualis esse debeat vicarius ipsius ab eo mittendus.

Anno 1265 Ex ms. Oratorii Trecensis.

LLUSTRI ac magnifico viro Domino C. comiti Andegaviæ & Provinciæ GUIDO miseratione divina Sabinensis episcopus salutem & paratam ad ejus honorem & beneplacitam voluntatem.

Romanorum populus alti nominis & magni spiritus, qui ad Urbis regimen vos vocavit, vestram faciem videre desiderans, cum magna est interim districtione tractandus. Volunt enim Romani rectores suos & gestus magnificos, & verba tonantia, & facta terribilia præ ceteris habere principibus, mundi dominium (b) subreptum sibi postquam translatum ad alios judicantes. Laudamus in his vestrum vicarium Dominum J. GANTELMI principaliter & ejus socios juxta vires, sed numeri paucitas, & tenuitas expensarum ejus, & vestram in eo minuit dignitatem. Multa enim superflue expendi oportebat in Urbe, quæ tamen utiliter expendentur, ut superflua non supereffluant, prout mos exigit rationis. Unum etiam nuper audivimus, quod nobis displicuit, videlicet quod illa vetus apostolorum contentio, quis eorum major aliis videretur latenter oritur inter vestros, super quo eos arguere proponimus, & vos consilium apponatis. Roma enim condita, non potuit duos reges, nec bene nunc Urbem regerent, qui de ipso regimine invicem dissiderent. Si ergo urbem tenere proponitis, quam ad præsens in nullo casu sine confusione possetis dimittere, mittite plures nobiles, qui velint & valeant sibi commissa prosequi, & majori humilitate obedire. Dispensatorem vero non novum & inexpertum, sed virum consilii, & exercitatum in sumtibus ministrandis, & scientem discernere quid tempori, quid personis, quid patriæ sit conveniens; quid servandum, quid fuerit effundendum, sine moræ dispendio transmittatis. Ad hæc enim qui missus est, licet habeat bonum zelum, sufficiens non videtur. Illud autem certum est apud multos, quod si regnum oblatum recipitis, Urbs est vestra, per quam est regnum acquirere, & à Romana ecclesia quod vobis expedierit & ipsa dare decreverit obtinere poteritis, & in ipsa Urbe quid etiam vobis placuerit facere. Quin etiam si regnum vobis recipere propter conditionum onera non placeret, non est Urbs subito proinde dimittenda; sed personis consulendum quas misistis, quæ non levi discrimini subjacebunt, si sibi populus arbitretur illusum. Super his igitur quid vobis liceat, quid deceat & quid expediat vobis aperiat Deus omnium cognitor futurorum: & qui vobis magnificum nomen dedit, propositum det magnanimum saluti vestræ congruens & honori. Vestra valeat in perpetuum magnitudo. In vigilia Epiphaniæ.

EPISTOLA II.

Regi Aragonum.

Rogat ut detentum à Manfredo electum Veronensem libertate donari procuret.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri. Anno 1265

(a) Hæc epistola, quam in codice Oratorii Trecensis inter Clementis IV. epistolas reperimus scripta fuit ab ipso Clemente Cardinali sede adhuc vacante ante suam electionem, quæ v. Februarii contigit 1265. Nam cum data fuerit in vigilia Epiphaniæ antequam Carolus veniret in Urbem, & in eam mense Junio ejusdem anni jam esset ingressus, ulterius differri aut rejici non potest.

(b) Al. subjectum.

Quod negotium, pro quo magnitudini tuæ præsens à nobis pagina mittitur, nostræ mentis intima quadam & propensiori domesticæ sollicitudinis stimulatione (*a*) titillet, ex eo potissime tuæ circumspectionis industria certum indicium & evidens sumere poterit argumentum, quod nos Naviculæ Petri, quam nobis Altissimus committere voluit, suscepto regimine, dum adhuc esset cor nostrum ex frequenti negotiorum inundantium super nos undique fragore concussum, & ex consideratione nostræ insufficientiæ nostræque humilitatis attonitum, antequam imbecillitas virtutis nostræ consideret sinuosa ipsius naviculæ vela ventis (*b*) explicata tradere, cogitare cœpimus vias diligenter & modos, quibus nostræ de ipso negotio (*c*) salubre possemus intentionis propositum obtinere. Post intentam igitur nostræ super hoc disquisitionis diligentiam, & diligentem apostolicæ perscrutationis indaginem, noster in tuæ pietatis promtitudinem spiritus requievit; & sperantes nonnisi per tuæ (*d*) prudentiæ studium satisfieri posse in hoc plenariè votis nostris, hanc nostræ sinceritatis epistolam, tamquam velocem adauctæ tibi benevolentiæ prænuntiam, & certissimam confidentiæ nostræ (*e*) arrham, pias precum nostrarum primitias, & salutifera petitionum nostrarum initia continentem, mansuetudini tuæ destinandam fore prævidimus, firma concepta fiducia, quòd dictum negotium eo (*f*) promtiùs & libentiùs tua sublimitas ad effectum optatæ prosecutionis & finem votivæ perfectionis adducet, quo hujusmodi nostra precamina de interioris affectionis ubertate proveniunt, & quo brevioris emolumenta compendii deberi hujus primarii nostri apostolatus apicibus recognoscet. Sanè olim dum in Anchonitanæ Marchiæ partibus contra Romanam Ecclesiam procella persecutionis, commovente illam MANFREDO, nato quondam FREDERICI olim Romanorum imperatoris, excresceret, felicis recordationis URBANUS papæ prædecessor noster dilectum filium nostrum M. Veronensem electum, virum utique generosum, industrium, strenuum & fidelem, cujus in devotione Ecclesiæ inconcussam constantiam, & stabilem firmitatem sui generis experta in adversis fidelitas, & evidentia suorum laudabilium operum testimonia, sub diversitate (*g*) temporis compararunt, deffensioni ejusdem Marchiæ, assignata sibi quadam comitiva militum, deputavit: sub cujus studioso ducatu, licet ejusdem Ecclesiæ negotium in ipsa Marchia dirigere ac prosperis successibus firmare cœpisset Altissimus, demùm tamen, invalescentibus ejusdem MANFREDI viribus, contigit quòd idem electus, dum suorum castrorum acie ordinata contra hostium agmina sub vexillis Ecclesiæ consueto sui animi vigore procederet, in causæ tam justæ defensione, ac etiam justi prosecutione negotii, in adversariorum manus incidit, ipsumque ad privatam dicti MANFREDI custodiam bellicus eventus adduxit. Et quamquam dictus prædecessor dum adhuc viveret ad eumdem MANFREDUM nuncialem & litteras efficaces pro ipsius electi liberatione transmiserit, idemque MANFREDUS certam ei de hoc spem fallaci promissione præbuerit, adhuc tamen electum ipsum (*h*) MANFREDUS tenet in carcere inclusum. Non speramus per alicujus, nisi tantùm per tuæ interventionis præsidium eum posse absolvi à vinculis & restitui pristinæ libertati. Ideóque Serenitatem tuam, quam adimplendis nostris beneplacitis semper promtam invenimus & paratam, rogandam duximus attentius & hortandam, in remissione tibi peccaminum nihilominus suadentes, ac pro speciali munere à te postulantes, quatinus pietatis intuitu ob nostræ quoque personæ reverentiam, apud eumdem MANFREDUM, quem nullum in hoc tibi, si penes eum diligenter institeris, difficultatis repugnaculum, nullumque dilationis obstaculum ingerere credimus, sic interponas pro (*i*) liberatione ipsius electi efficaciter partes tuas, mittendo propter hoc ad eum protinus litteras & nuncium seu nuncios speciales, ac petendo instanter ab eo, ut electum ipsum donet Deo ac tibi in signum amoris, quem ad inclytam personam tuam habere se asserit, à carceribus liberum & à vinculis absolutum, ut te obtinente ab eo quod petimus, & donum tam acceptabile (*l*) tamque votivum primitivis nostræ promotionis auspitiis offerente, nos evidentius agnoscamus qualem ac quantum in pectoris regalis armario apostolicæ preces locum obtinent ac favorem, ac teneamur Celsitudini tuæ pro tantæ clementiæ opere, pro quo etiam fiet tibi Rex regum propitius retributor, grata, favente Domino, vicissitudine respondere. Rescribas autem nobis per latorem præsentium, quem ad te propter hoc specialiter mittimus quicquid super hoc duxeris faciendum. Ceterum quia omnipotens Dominus nos licet immeritos ad supremæ speculationis altiora provexit, posuitque in culmine verticis sæculorum, firmiter in animo gerimus te, quem sincerè dileximus hactenus, eò sinceriori affectu & fervore prosequi promtiori, quò ampliorem & pleniorem nobis in terris divinæ miserationis abundantia contulit potestatem. Tu ergo de nobis, sicut de patre benevolo & benigno confidens, ad nos in omnibus quæ tuam exaltationem tuorumque spiritualium & temporalium profectum & incrementa respiciunt, recursum habeas, quotiens fuerit opportunum. Datum Perusii VI. Calendas Martii, Pontificatus nostri anno I.

M. electo Veronensi Ecclesiæ defensio committitur.

In Manfredi manus incidit.

Ut pro illius libertate se interponat Rex Aragonum rogatur.

(*a*) *Al.* Scintillet.
(*b*) *Al.* Explicita.
(*c*) *Al.* Salubriter.
(*d*) *Al.* Providentiæ.
(*e*) *Al.* Archam.
(*f*) *Al.* Pronius.
(*g*) *Al.* Temporum.
(*h*) *Al.* Ejusdem Manfredi tenet carcer inclusum.
(*i*) *Al.* Libertate.
(*l*) *Al.* Tamquam.

EPISTOLA III.

Ad Simonem cardinalem S. Ceciliæ.

Legationem Galliæ ipsi committit, ad Siciliæ negotium cum Carolo Provinciæ comite promovendum.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Summa rei ecclesiasticæ ac libertatis publicæ necessitate cogente, quæ tibi plenè nota, sine universali periculo negligi non poterat, nec postponi, ad Franciæ ac nonnullas partes alias Romana Ecclesia te honorabile sui membrum corporis destinavit, promotioni negotii, quod cum dilecto filio nobili viro CAROLO Andegaviæ ac Provinciæ comite super Siciliæ regno ipso inchoaverat Ecclesia, vacaturum. Igitur cùm tu benedictionis filius, multos quos ob id pertulisti labores & varia non vitando pericula, susceptæ legationis ministerium in spiritu devotionis & obedientiæ promtitudine, sicut ipse rei fructuosus docet exitus, debita sollicitudinis laudabilis vigilantia fueris executus, & inter alia quævis magna & ardua inhærentia cordi nostro finalem & felicem prælibati consummationem negotii specialius affectemus, cujus anxia cura durè premit, acriterque dilacerat mentem nostram: diseretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus nulla mora, nullave occasio seu cujusvis præpeditionis obstaculum te detineat, quin universis singulis negotiis aliis quantumcumque urgentibus & arduis tibi incumbentibus, in cujuscumque status continentia fuerint, omnino postpositis, statim visis præsentibus, absque ullo dilationis medio, in Provinciam studeas te conferre, ut nuntii per nos illuc pro sæpe dicto negotio juxta deliberationem nostram jam habitam in proximo destinandi cum prælibato comite ibidem inveniant te paratum; nec tuæ pretextu absentiæ ipsius expeditio negotii prorogationis alicujus capiat detrimentum, cujus acceleratio per tuæ gratæ copiam præsentiæ fiducialiter expectatur. De his verò quæ ad decimam pertinent, quam à te instanter exigit idem comes, per prefatos nuntios plenius instrueris. Datum Perusii IV. Calendas Martii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA IV.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Commendat ipsi quosdam mercatores Senenses.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Tuæ circumspectionis industriam latere non credimus, qualiter felicis recordationis URBANUS prædecessor noster dilectos filios Rolan-

A dum Bonsignoris, Bonaventuram Bernardini, Ranerium Jacobi & Franciscum Guidi cives & mercatores Senenses inter familiares suos caros habuit, eosque ac socios ipsorum universos & singulos pro devotione, quam circa prædecessorem ipsius & Romanam Ecclesiam habuerunt, à sententia excommunicationis quam in cives Senenses generaliter promulgavit, nec non ab inhibitione quam fecit ne mercatoribus Senensibus de suis debitis responderetur, exclusit de certa scientia & gratia speciali. Sanè de
B nobis, id circa eos tibi volumus fore notum, quod nos tam præmissa, quàm etiam affectum quem ipsi circa personam nostram, dum in minori essemus officio constituti, eos gessisse recolimus, ad memoriam reducentes, ac etiam tum propter hoc, tum etiam propter devotionis instantiam, quam circa nos & eamdem Ecclesiam postquam divina dispositione fuimus ad apostolici culminis dignitatem assumti, continuare student sollicite, ipsos dignos specialis favoris gratia reputantes, personas & om-
C nia bona ipsorum & cujuslibet ipsorum sub B. Petri & nostra protectione suscepimus, districtius inhibentes, ne quis ipsos & singulos eorum in personis & bonis eisdem impedire aut molestare præsumat. Quia verò illud oblivioni non tradimus, quòd ipsi dudum dicti prædecessoris nostri & nuper nostri obtentu certis personis familiaribus dilecti filii nobilis viri.... Comitis Provinciæ pro ipso liberè mutuarunt non modicas pecuniæ quantitates, ac propter hoc dignè in votis nostris geritur, ut eisdem mercato-
D ribus de hujusmodi protectione nostra optatum commodum producatur, discretionem tuam rogandam attentè duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus Facium Juncte, Hugonem Jacobi, Bonsignorem Raynerii, Tholomeum Manentis, Manum & Blandum Addebrandi, Guscum Trapillicini, Lottum Hugolini, Jacobum Gili, Bindum Ildebrandini, Aldebrandum Ildebrandini, Paltonem Deutesalve, Vivolum Salvanelli, Gregorium Rigoli, Dentavivam Guidi, Bindum
E Falconis, Bonsilium Contadini, Incontratum Philippi, Facium Berignonis, Jacobum Skermi, Conradum Jacobi, Bettum Ferrantis, Tholomeum Jacobi, Thomam Viviani, Leonardum Jannis, Facium Ranerii, Pacchinam Ranerii, Meum Monalderti, & alios socios mercatorum ipsorum cives & mercatores Senenses, qui in terris & locis tuæ legationis existunt, vel ad ea devenient pro apostolicæ sedis & nostra reverentia efficaciter habeas commendatos, tuique præsidio favoris protegens, eis prætextu qua-
F rumcumque litterarum dicti prædecessoris directarum, aut quorumlibet processuum contra Senenses cives generaliter habitorum, vel cujuscumque diffidationis factæ occasione Pelavicini nequissimi, seu dissessionis inter Gallicos & Lombardos exortæ, seu cujuscumque concessionis per prædecessorem factæ prædictum, de civibus Senensibus & eorum bonis liberè capiendis nullam dictis mercatoribus in personis aut rebus & debitis suis molestiam aut injuriam per te aut



alios inferas, aut quantum in te fuerit ab aliquibus inferri permittas: ita quod eis de protectione prædicta nostrisque precibus & mandato fructum debitum reportasse gaudentibus, nos tibi exinde speciales gratias referamus. Datum Perusii II. Calendas Martii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA V.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut de decima in Francia collecta septem millia librarum Senensibus mercatoribus solvat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ex devotione sincera, quam dilecti filii Rolandus Bonsegnoris, Bonaventura Bernardini, Ranerus Jacobi, & Franciscus Guidi cives & mercatores Senenses circa Romanam Ecclesiam & dilectum filium nobilem virum C. comitem Provinciæ jamdudum efficaciter habuerunt, processisse dignoscitur, quòd ipsi olim intuitu felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, dum adhuc viveret, Urbis vicario pro negotio quod ibidem nomine ipsius comitis agitur, duo millia librarum Turonensium absque omnium usurarum seu lucri onere mutuarunt. Nuper verò cùm nobilis vir TANCREDUS DE SCHARLINO familiaris & nuncius ejusdem comitis, considerans hujusmodi negotium pro expensarum defectu in proximo periturum, ac non modicum in acquirendo mutuum pro ipsius negotii subsidio se laborasse, nec aliquod posse invenire se asserens, ad nos propter hoc suppliciter recurrisset, pro parte dicti comitis deposcens, ut super hoc adhiberemus auxilium & consilium oportunum. Tandem dictus Franciscus & Raynerius ejus socius suorum & sociorum suorum nomine obtentu nostri eidem nobili pro dicto comite habenti ab eo speciale de mutuo contrahendo mandatum, sub liberalitate simili septem millia librarum Turonensium mutuare curarunt, prius tamen humiliter petentes à nobis, ut indemnitati eorum in hac parte in posterum præcaventes, decimam ecclesiasticorum proventuum, quæ in Francia pro negotio regni Siciliæ ad opus comitis supradicti colligitur, usque ad summam hujusmodi septem millium librarum obligare, ac tibi per nostras demandare litteras, quod eis de prædicta decima hujusmodi pecuniam sine dilatione integrè solveres curaremus. Nos itaque pro zelo caritatis internæ, quam ad personam ejusdem comitis nobis in Christo carissimam gerimus, pati nolentes, ut prædictum Urbis negotium, quod non sine antedicti comitis honoris detrimento periclitabatur omnino, talis defectus occasione periclitet, & quòd etiam mercatores ipsi damnum inde incurrerent, unde favorem & gratiam obtinere deberent: eis decimam ipsam necnon cameram nostram & Romanam Ecclesiam, maximè cum alias hujus-

A modi mutuum inveniri non posset, volente ac postulante dicto T. duximus obligandas. Ad hæc tantam sinceritatem eorum ac etiam purum affectum, quem ipsos circa personam nostram, dum in minori essemus officio constituti, gessisse recolimus, ad memoriam reducentes, ac etiam tum propter hoc, tum propter devotionis instantiam, quam circa nos & eamdem ecclesiam, postquam divina dispositione fuimus ad apostolici culminis dignitatem
B assumti, studio efficaci continuant, ipsos dignos specialis favoris gratia reputantes, personas & omnia bona eorum & cujuslibet ipsorum sub B. Petri & nostra protectione suscepimus, destrictius inhibentes, ne quis eos & singulos eorum in personis & bonis eisdem temerè impedire aut molestare præsumat. Quia verò indecens & indignum existeret, ut mercatoribus ipsis exinde dispendium immineret, vel quod Ecclesia ipsa processu temporis inveniretur in hac parte obnoxia calumniis aut jacturis; nos
C dignè tam eisdem mercatoribus quàm Ecclesiæ in posterum volentes consulere in hac parte, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus de hujusmodi decima proventuum ecclesiasticorum tuæ legationis, quam hactenus collegisti seu colligis aut facis, vel facies colligi, supra dicta septem millia librarum Turonensium Facio Juncte, Hugoni Jacobi, & Lotto Hugolini, vel uni eorum, sociis mercatorum ipsorum propter hoc ad tuam præsentiam accedentibus, sine omni dilatione seu dif-
D ficultate persolvas, vel facias cum integritate persolvi, nec ab eisdem sociis seu socio mercatorum ipsorum instrumenta publica, per quæ præfatæ decima, camera & Ecclesia eisdem mercatoribus obligatæ super præmissis esse noscuntur, requiras seu requiri facias, maximè cum nos instrumenta ipsa propter viarum discrimina faciamus penes nostrum camerarium conservari. Ceterùm de solutione hujusmodi pecuniæ confici facias duo similia publica
E instrumenta, quorum unum penes te retineas, reliquum verò nobis per fidelem nuntium quantocius destinare procures. Datum Perusii II. Calendas Martii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA VI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Permittit ei dispensare ab irregularite in sua legatione.

F CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ut eò efficaciùs commissum tibi negotium regni Siciliæ promovere valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ ad instar felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, præsentium auctoritate concedimus, ut cum personis ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus tuæ legationis, quæ vinculo interdicti suspensionis vel excommuni-

cationis astrictæ sacros susceperunt ordines, vel ministrarunt in illis, possis super irregularitate hujusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare. Datum Perusii Calend. Martii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA VII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Et possit absolvere ab excommunicatione statuta Gregorii papæ violantes.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm sicut accepimus felicis recordationis (a) G. papa prædecessor noster & bonæ memoriæ GUALA tituli S. Martini presbyter cardinalis, tunc in regno Franciæ apostolicæ sedis legatus, in nonnullis monasteriis tuæ legationis statuta quædam præceperint observari: decernentes eos qui contra illa venire præsumserint excommunicationis vinculo subjacere; ad instar felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut si quas religiosas personas inveneris hujusmodi sententiam incurrisse, ipsis absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiæ impertiri valeas: & si forsan sic ligatæ sacros susceperint ordines vel ministrarint in illis, cum eisdem super irregularitate hujusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare. Datum Perusii Calend. Martii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA VIII.

HÆc epistola data Calendis Martii, Pontificatus anno I. ejusdem est tenoris cum Urbani IV. epistola xxxv.

EPISTOLA IX.

Nobili viro Carolo comiti Provinciæ.

Arguit eum de damnis illatis ecclesiæ Astensi, monetque ut similia vitet.

Anno 1265 QUantò te Dominus donis præcipuis & bonis potioribus insignivit, tantò tibi est solertiùs vigilandum, ut & conscientiam tuam in omnibus illæsam custodias, & in gloriam tui nominis maculam non admittas. Cùm igitur super damnis & spoliationibus, quibus Astensem ecclesiam diceris afflixisse, clamor fit contra te validus apud nos, & in multis partibus Lombardiæ: nobilitatem tuam monendam duximus & hortandam, & in remissionem tibi peccaminum injungendum, quatinus Dei negotium in regno Siciliæ promoturus, in his & aliis sic tuæ consulas puritati, ne vel tui culpa fructum laboris impediat, vel infamia plurimos scandalizet, quibus magnum terrorem incuties, si tu, qui tamquam Ecclesiæ verus pugil ad ipsius defensionem assumeris, jura dictæ Ecclesiæ tibi vindicas sine causa.

EPISTOLA X.

Potestati, Capitaneo, & Ancianis prope Pisan. Spiritum consilii sanioris.

Laudat eos de proposito redeundi ad Ecclesiæ gremium.

LITTERAS vestras recepimus, & quæ lator earum pro vobis proposuit intelleximus plenius, & de pio vestro proposito gratulamur, quod acceptum habemus in germine, & profectò fiet acceptius, si ad (b) finem pervenerit consummatum. Sanè sicut de casu dolemus peccantium, sic volentibus surgere manum sumus promti porrigere (c) sublevantem. Quocirca discretionem vestram rogandam duximus & hortandam, quatinus dum tempus habetis, & (d) patrem vobis Dominus obtulit (e) sui quidem prædecessoris inferiorem meritis, sed (f) morum mansuetudine successorem, ut animi nostri gratiam, quam, nisi per vos steterit, invenire poteritis fructuosam, nullatenus refutetis. Verùm super prædecessorum nostrorum processibus revocandis petitiones vestras intempestivè nimis oblatas exaudire nequivimus, cùm id nec justitiam sapiat, nec nostram deceat honestatem. Sed si ad Ecclesiæ gremium via regia redieritis, quicquid contra vos actum injustè viderimus, amovebimus & rigorem justitiæ dulcore temperabimus pietatis. Datum Perusii VI. nonas Martii, Pontificatus nostri anno I. Anno 1265

EPISTOLA XI.

Nobilibus Urbis.

Laudat eos quod urbis defensorem eligerint Carolum Provinciæ comitem.

DEVOTIONEM & fidem quam ad Romanam Ecclesiam vestrorum progenitorum sinceritas in vos quodam hereditario jure transfudit, vestra probat strenuitas successivis operum testimoniis multo jam tempore roborata. Sanè inter omnia quæ ad honorem ipsius Urbis aggredi placuit, (g) illud quàm maximè reputamus, quòd in tantæ persecutionis instantia, (h) exterius hostibus debaccantibus, & in Urbe fortè latentibus, deffensionem Urbis & dilecti filii nobilis viri comitis Provinciæ in eadem potenter & viriliter assumsistis, quam nocturnis vigiliis diurnisque laboribus (i) prosequi vos opor- Anno 1265

(a) Gregorius papa IX. qui optima pro ordine S. Benedicti condidit statuta, quæ apud Mathæum Paridem extant, & in quibusdam bibliothecis manu exarata reperiuntur.
(b) Al. Fructum.
(c) Al.) Congaudemus.
(d) Al. Pacem.
(e) Al. Suis quidem prædecessoribus.
(f) Al. In omni mansuetudine.
(g) Al. Id quod maximum.
(h) Al. Externis.
(i) Al. Persequi.

(a) tuit, quibus multum compatimur, (a) quamvis finem propinquum ipſorum, divina annuente gratia, per præſentiam ejuſdem comitis expectemus. Ad id vero quod quæritis, ſi quod abſit, eum contingeret præfixo ſibi termino non venire, ſicque Urbem hoſtes intrarent, quod vobis daremur auxilium, reſiſtentiam aſſumentibus contra ipſos, veſtræ providentiæ reſpondemus, nos firmiter credere comitem infra terminum eſſe venturum. Quod ſi non eſſet, & hoſtibus pateret ad Urbem aditus, polliceri noluimus quod facere non poſſemus, cum enim ab eo ſperemus auxilium, atque habendum ſubſidium eccleſiarum Franciæ, & plurium aliorum eidem comiti præparavimus, nec circa nos habeamus militiam, nec pecuniam, nec ſciamus quo & quanto egeritis auxilio, nec etiam ad quod tempus, certum non poſſumus vobis dare reſponſum. Sed ex litteris quas ex dilecto filio magiſtro PETRO notario noſtro recepimus, indubitanter collegimus quod infra Dominicam proximam tam per legatum Franciæ, quàm per ipſum, ſic de omnibus quæ tangunt comitem & negotium inſtruemur, quod vobis & vicario fere ſimilia poſtulanti, dante Deo, poterimus certiùs reſpondere. Hoc tamen ſecure dicimus, quod his & aliis noſtris ac veſtris negotiis, ſi impotentia non nocuerit, noſtra deſidia non nocebit.

EPISTOLA XII.

V*Icario ſimilis paucis verbis mutatis.*

EPISTOLA XIII.

Vicario Urbis ſpiritum conſilii ſanioris.

Arguit eum de commiſſis in eccleſiam exceſſibus.

Anno 1265 SCRIPSIMUS tibi nuper ex ſinceræ compaſſionis affectu, mirari nos plurimum, quòd ſalutem tuam videris negligere, dum manum ad ea porrigis quæ cedunt in præjudicium eccleſiaſticæ libertatis, & à Chriſti corpore quæ eſt Eccleſia te præcidunt: Quo fit, ut non ſine cordis amaritudine mutato ſtylo tibi ſcribere compellamur, donec meliori fretus conſilio, viam eligas (b) ſalutarem. Pauci dies elapſi fuerant, ex quo ſanctam eccleſiam Lateranenſem effregeras, & audimus ſubſequenter, quod quemdam tenes presbyterum compeditum; & dum vincula tibi multiplicas, & animam tuam involvis durius, & majorem maculam in gloria tua ponis: quod quantum ſit à tui ſplendore generis alienum, facile videre poteris, ſi tuam originem (c) fidei contemplaris intuitu, & ex tuorum progenitorum actibus amplectendæ in omnibus honeſtatis tibi cernis neceſſitatem inductam. Ad ſatisfaciendum igitur de

A prædictis, & abſtinendum in poſterum à ſimilibus, te paterna ſollicitudine invitare volentes, litteris tuis breviter reſpondemus, quòd presbyterum quem retinere diceris, reſtitui nobis volumus, vel rectoribus noſtris in Urbe, noſtro cuſtodiendum nomine, cum nobis de ipſius exceſſu conſtiterit pro meritis recepturum. Sanè cùm noſtris expenſis Urbem deffendere nobili viro comiti Provinciæ minimè teneamur, ſed ad ipſum pertineat ejus deffenſio, cujus recepit regimen, & fructus percipit ac proventus, cur B nobis pro habenda pecunia totiens ſcribas & ſcripſeris non videmus; cum ſcire poſſis, & notum ſit omnibus, nos in (d) papali camera nec inveniſſe pecuniam, nec ad ea porrigere manus noſtras, quæ noſtram dedeceant honeſtatem. Negat petitam pecuniam. (d)

Debes iterum illud advertere, quod cum diebus proximis procuratori dicti comitis quinque millia librarum Turonenſium mutuari fecerimus, expreſsè diximus dilectis filiis Yſnardo, C Hugolino, Dionyſio (e) clerico, & Tancredo, quod ex tunc omnem ſpem obtinendæ à nobis pecuniæ tibi præſcindebamus & ipſis; de qua tamen pecunia tria millia librarum fuerunt aliquibus reſervata, & à nobis (f) interim novum mutuum petebatur. Unde ſcire te voluimus, quòd ad hoc non ſufficimus, & ſicut viris nobilibus embaſſatoribus tuis diximus, Romanam Eccleſiam pro ſubventione hujus nolumus obligare. Sed volentibus tibi credere decimam collectam in Francia pro certa quantitate pecuniæ libenter obligabimus; & tu videas, an id D credas comiti fore gratum, nec enim ipſius bene gerere vellemus negotium, ſi moleſte laturum ſubſidium hujuſcemodi crederemus. (e) (f)

Ad id demùm quod te mittendo filio tuo ſcripſiſti, devotionem tuam plurimum commendantes, tibi duximus reſpondendum, quòd ad præſens tibi parcere volumus, cùm nobis jam aliter ſufficienter duxerimus providendum.

EPISTOLA XIV.

E Capitaneo, Ancianis, conſulibus & collegio mercatorum Lucenſium Spiritum gratiæ ſalutaris.

Spem propinqui auxilii eis offert.

PIUM propoſitum, quod à Domino & in Domino concepiſtis, favore benevolo proſequentes, etſi nondum provenerit ad effectum, ad ſtabilitatem ejuſdem devotionem veſtram obnoxiùs invitamus, quod tanto gratius erit F Deo, cum (g) eodem auctore fuerit conſummatum, quanto (h) nobis nedum aliis videtur gravius poſt tanti temporis exhibita Deo ſervitia ad hoſtile Dominium tranſmigraſſe. Sanè licet ſtatus veſter, qualis eſt modo, nec ad momentum à nobis valeat approbari, quia Anno 1265 (g) (h)

(a) Ita codices mſſ. duo. Gemmericenſis vero ita legit *quamvis propinquum uxorum auxilium*. Lemovicenſis autem, *quamvis finem propinquum vobis auxilium*.
(b) *Al.* Tutiorem.
(c) *Al.* Fido. *Al.* Fideli,

(d) *Al.* Populi.
(e) *Al.* Clericis.
(f) *Al.* Iterum.
(g) *Al.* Eodem adjectore,
(h) *Al.* Vobis in ipſis.

tamen ſcimus anguſtias, quæ vos obſident, quibus etiam diu fuiſtis oppreſſi; ad præſens nolumus vos exponere diſcrimini; ſed ſpem vobis offerimus propinqui ſubſidii, quod cum in Januis fuerit, quid vobis agendum erit ſtatim curabimus intimare. Super aliis à veſtris nunciis nobis propoſitis, eis reſpondemus, quod litteris nolumus commendare, ſed ſuper his quæ vobis dixerint credatis eiſdem.

EPISTOLA XV.

Regi Navarræ illuſtri.

Concedit petitam pro fratre ſuo diſpenſationem.

Anno 1265 SI tu noſtro, fili cariſſime, prout ſcribis, congaudes honori; compati te volumus nihilominus oneri, quod noſtros adeo premit & aggravat humeros imbecilles, intrante prælationis aſcenſu, conſiderantibus nobis fideliter quod & quantum onus imminet, circa eum occurrere non queat quid delectat. Ille tamen nos recreat, qui creavit, & in illo conſolationem recepimus, qui ſperantes in ſe non deſerit; laſſo virtutem tribuens, & his qui non ſunt laſſi robur multiplicans, ab eccleſiæ naſcentis initiis mundi hujus infirma eligens, & per ea fortia ſubigens & confundens. Sanè tuæ ſerenitatis receptis litteris, quæ tuæ devotionis fervorem, quem ad nos & Romanam Eccleſiam habere te aſſeris, oſtendebant, capitulum noſtrum pro ſe verba facientem audivimus, & hiis quæ hoc tempore poterant expediri breve ſibi reſponſum dedimus, petitam diſpenſationem pro dilecto filio viro nobili fratre tuo abſolutam, tibi per proprium tuum nuntium remittentes, ad quam nos movit affectio ſpecialis, quam ad domum tuam habemus, optantes eam ex omni latere numeroſæ prolis acceſſione firmari. Tu vero, ſi pro fratre vigilas, prout decet, illam eidem eligas in uxorem, quæ Deo placeat, regnum Francorum diligat, atque tuum, & ſit de genere nobis & noſtris fratribus non ſuſpecto, ut exauditis in hiis precum tuarum primitiis, merearis pro tempore in ſimilibus vel majoribus exaudiri.

EPISTOLA XVI.

Reginæ Navarræ illuſtri.

Laudat ipſius erga eccleſiam affectum.

Anno 1265 TUÆ ſerenitatis apices multæ devotionis proferentes indicia gratanter accepimus, tibi meritò congaudentes, quòd paterna ſequens veſtigia, regis te filiam, ſicut eſſe conſtat origine, & moribus profiteris, & purgatiſſimi ſanguinis ſapiens, puritatem ad Eccleſiam matrem fidei veritatis magiſtram tuum (a) pium convertis affectum. Quas ergo congratulans noſtro ſtatui litteras applauſorias deſtinaſti, (b) gratiarum digna proſequimur actione, licet ibi (c) demonſtres inveniſſe lætitiam, ubi nos nobis haurimus lacrymas, dum & honorem ſuper merita nos recepiſſe dinoſcimus, & onus humeris noſtris impoſitum ſupra vires. Ceterum tuam ſinceritatem in Domino commendantes, ad ea quæ ſalutem tuam & domus tuæ reſpiciunt exaltationem ejuſdem apertos habemus oculos & cor promtum, largitorem bonorum omnium deprecantes, ut te tuumque virum ſuæ favore gratiæ proſequatur, copia liberorum honoret, & de præeminentia ſolii temporalis demùm ad gaudia transferat ſempiterna.

(a) *Al.* Piè.
(b) *Al.* Te gratiarum.
(c) *Al.* Te monſtres.

EPISTOLA XVII.

DAta VI. nonas Martii, Pontificatus anno I. ejuſdem eſt tenoris cum Urbani IV. epiſtola lj.*

EPISTOLA XVIII.

DAta eodem die & anno ejuſdem eſt tenoris cum Urbani IV. epiſtola XXXI.

EPISTOLA XIX.

DAta IV. nonas Martii, Pontificatus anno I. ejuſdem eſt tenoris cum Urbani IV. epiſtola xxxij.

EPISTOLA XX.

DAta eodem die & anno ejuſdem eſt tenoris cum Urbani IV. epiſtola xxiij.

EPISTOLA XXI.

Dilecto filio Petro de S. Ægidio.

Monet nepotemve, ne de ſua exaltatione extollatur, ne ſorori in nuptias altiorem gradum quærat, &c.

MULTIS de noſtra promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus qui certius immenſitatem oneris experimur, quod aliis gaudium, nobis metum ſubminiſtrat & fletum. Sanè ut ſcias qualiter his auditis debeas te habere. Scire te volumus, quod humilior debes eſſe: neque enim quod nos vehementer humiliat, debet noſtros extollere, maximè cum honor ſæculi momentaneus ſicut ros tranſeat matutinus. Nec ad nos te vel fratrem tuum, vel ex aliis noſtris aliquem venire volumus, ſine noſtro ſpeciali mandato; quia ſpe ſua fruſtratos, ſi ſecus venire præſumerent, oporteret redire confuſos. Sed nec in tuæ ſororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem, nec enim nos habere propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio ſimplicis militis deſponſaveris, in CCC. libris Turonenſibus tantum tibi promittimus ſubvenire. Et ſi altiora quæſieris, nec à nobis denarium ſperes unum. Et hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus, & tibi & matri ſolummodo notum eſſe. Illud etiam ſcias quod nullum nullamque de ſanguine noſtro ſub noſtræ ſublimationis obtentu inflari volumus: ſed tam MABILIAM quam CÆCILIAM illos viros habere

volumus, quos haberent si essemus in simplici clericatu. GILIAM visita, & dic ei quod locum non mutet, sed remaneat apud Suysam, & omnem maturitatem & habitus honestatem observet, & preces nobis pro aliquo non præsumat assumere. Nam & ei pro quo fierent essent inutiles, & ipsi quæ rogaret damnosæ. Et si forte per aliquos ex hac causa sibi munera offerantur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres. Non scribimus tibi nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis utuntur. Datum Perusii in festo Perpetuæ & Felicitatis.

EPISTOLA XXII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Carolum comitem de privilegiis Cisterciensium & aliorum turbatum sedare studeat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Quia Cistercienses, ac Templarii, & Hospitalarii, & quidam alii religiosi tuæ legationis, se, prout nosti, à præstatione decimæ ecclesiasticorum proventuum, quàm pro negotio regni Siciliæ colligis, per sedis apostolicæ privilegia excusantes, ac importunè nimis hac occasione clamantes, tuos super negotio ejusdem decimæ quoad ipsos conantur impedire processus: volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatinus, si contigerit dilectum filium nobilem virum CAROLUM Andegaviæ ac Provinciæ comitem scandalizari propter hoc forsitan vel turbari, tu comitem ipsum animes & confortes, dicendo eidem, quod nos, Deo auctore super hoc ordinare proponimus, quòd Ecclesiæ ac ipsius comitis honori melius viderimus expedire. Datum Perusii XVII. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut possit de rebus suis disponere.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Devotioni tuæ benignum impertientes ascensum, disponendi de rebus tuis habitis & habendis liberè plenam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Perusii XIV. calendas Aprilis, Pontificatus anno I.



EPISTOLA XXIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut possit dispensare à suspensione.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ut commissum tibi legationis officium eò melius exequi valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus; dispensandi prout expedire videris, cum clericis tam sæcularibus quàm regularibus tuæ legationis, qui suspensi pro eo quòd contra tenorem constitutionis felicis recordationis (a) J. papæ prædecessoris nostri, sine scriptis in aliquos promulgarunt excommunicationis sententiam, divinis se immiscuerunt officiis, vel sacros ordines susceperunt, plenam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Perusii XIV. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ejusdem argumenti.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ut commissum tibi legationis officium eò melius exequi valeas, quò majori fueris per nos auctaritate munitus, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut cum personis ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus tuæ legationis, qui suspensi pro eo quod pro alienis debitis se, seu proprias obligantes ecclesias suas, litteras vel instrumenta publica propriis munita sigillis dederunt, divinis se immiscuerunt officiis, vel sacros susceperunt ordines, dispenses, prout animarum suarum saluti videris expedire, injuncta eis pœnitentia salutari, & quòd in similibus de cetero non excedant. Datum Perusii XIV. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXVI.

Archidiacono Stampensi in ecclesia Senonensi.

Ut Simonem cardinalem S. Martini Turonensis thesaurarium molestantes per censuras ecclesiasticas compescat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio... Archidiacono Stampensi in ecclesia Senonensi salutem & apostolicam benedictionem. Anno 126

Dolentes bona quæ ad dilectum filium nostrum S. tituli S. Ceciliæ presbyterum cardinalem apostolicæ sedis legatum ratione præbendæ

(a) Innocentii IV.

&

& thesaurariæ quas in ecclesia S. Martini Turonensis obtinet, à malignorum incursibus [non] esse tuta, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus non permittas ipsum super eisdem donis contra tenorem privilegiorum, indulgentiarum, & gratiarum sibi à sede apostolica concessarum, ab aliquibus aliquatenus molestari: molestatores ejus, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint, à sede apostolica sit indultum. Datum Perusii XIV. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXVII.

Data XIII. calendas Aprilis, Pontificatus anno I. ejusdem est tenoris cum Urbani IV. epistola XXXVI.

EPISTOLA XXVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut quatuor nobilibus mulieribus possit permittere semel in anno ingressum monasteriorum ordinis Cisterciensis & S. Claræ.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali & apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Consuevit interdum apostolica sedes personas nobiles gratia prosequi & favore, ut Deo & eidem sedi reddantur exinde plus devotæ: propter hoc siquidem concedendi licentiam quatuor nobilibus mulieribus, quod earum quælibet cum tribus honestis mulieribus semel in anno durante tua legatione possint monasteria Cisterciensis & S. Claræ ordinum ejusdem legationis, causa devotionis intrare, non obstante ordinum ipsorum quibuslibet contrariis constitutionibus vel statutis, discretioni tuæ liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem, dummodo eædem nobiles in monasteriis eorumdem religiosorum aliquatenus non pernoctent. Datum Perusii XIII. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXIX.

Data XIII. calendas Aprilis, Pontificatus anno I. ejusdem est tenoris cum Urbani IV. epistola XLII.

EPISTOLA XXX.

Anno 1265 *EJUSDEM est tenoris cum Urbani papæ IV. epistola XLIII. sed in fine hæc adduntur:* Adjicientes quòd si juxta facultatem tibi traditam, aliquem vel aliquos in aliquibus ecclesiis instituendos duxeris, valeas quicquid contra institutionem hujusmodi attentatum fuerit decernere irritum & inane. Datum Perusii XIII. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXXI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Facultatem tribuit indulgentias concedendi in dedicationibus ecclesiarum.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ut eo efficacius commissum tibi ab apostolica sede negotium regni Siciliæ promovere valeas, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tuæ concedendi in dedicationibus ecclesiarum tuæ legationis, in translationibus quoque reliquiarum sanctorum, in solemnibus festivitatibus, si eisdem contigerit te personaliter interesse, nec non in solemnibus prædicationibus & congregationibus, quas te facere pro dicti negotii promotione contigerit, unius anni indulgentiam, sicut expedire videris, ad instar felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Perusii XIII. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXXII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut crucem prædicans possit indulgentias ad concionem accedentibus concedere. Anno 1265

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm tibi à sede apostolica sit injunctum, ut in terris tuæ legationis contra MANFREDUM quondam principem Tarentinum crucem prædices & facias prædicari, ut idem officium eò meliùs exequi valeas, quò magis convenientibus ad hujusmodi prædicationem esse poteris gratiosus: ut tu unius anni, illi verò quibus idem officium commiseris centum dierum indulgentias omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad vestras solemnes prædicationes accesserint, possitis concedere, plenam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Perusii XII. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.



EPISTOLA XXXIII.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ reginæ Angliæ illuſtri.

Miſſurum ſe in Angliam nuncium promittit.

Anno 1265 Cùm ſit nobis cordi negotium Angliæ, nec à noſtra memoria poſſit excidere indecens & probroſa depreſſio cariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris regis Angliæ viri tui, ac totius etiam domus ſuæ, nuncios tuos, quos ad noſtram præſentiam deſtinaſti, benignè recepimus & audivimus patienter, & auditis diligenter quæ coram nobis ac noſtris fratribus proponere curaverunt, legatum in Angliam proponimus deſtinare. Verùm ad memoriam reducentes contemtum, quem Anglici erga perſonam noſtram, dum eſſemus in minori officio conſtituti, per eorum opera pertinaciter oſtenderunt, decens æſtimavimus ad culmen ſedis apoſtolicæ ſublimati, expectare pauliſper, an nunc fortè ducti conſilio meliore, ſuis relictis erroribus, ad Eccleſiæ Romanæ redire voluerint unitatem, & apoſtolicis juſſionibus obedire. Tu ergo, filia cariſſima, dilationem hujuſmodi, quæ menſis unius ſpatium non excedit, prudenter & æquanimiter ſtudeas tolerare, illam de nobis gerens fiduciam, quod ſi eorum (a) inſolentiam viderimus indurari, talem ad eos perſonam curabimus mittere, qualem requirat (b) protervitas eorum. Datum Peruſii x. Calendas Aprilis anno I.

EPISTOLA XXXIV.

Simoni cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Permittit de decima comiti Provinciæ ſubſidium miniſtrare, ſi cum eo Siciliæ negotium felicem ſortiatur exitum.

Anno 1265 Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cùm dilecto filio nobili viro C. Andegaviæ ac Provinciæ comiti, cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis Francorum illuſtris germano, per venerabilem fratrem noſtrum B. archiepiſcopum Cuſentinum, & dilectum filium magiſtrum Petrum notarium noſtrum pro expeditione negotii quod inter ipſum & eccleſiam præ manibus agitur, certam formam de fratrum noſtrorum conſilio tranſmittamus. Nos ad accelerationem ejuſdem negotii attentiùs intendentes, volumus & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus ſi dictus comes formam acceptet eamdem, tu inſpecta negotii qualitate, & conſiderato ſtatu & neceſſitate ipſius comitis, ad proſecutionem ejuſdem negotii de decima eccleſiarum regni Franciæ ac Provinciæ ad hoc collecta, competens ſubſidium ſubminiſtres eidem ad ſedem apoſtolicam accedenti. Datum Peruſii VI. calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno I.

(a) *Al.* Inſolertiam.
(b) *Al.* Pravitas.

EPISTOLA XXXV.

Simoni cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Ut patentes & authenticas litteras de negotio Siciliæ à Comite Provinciæ requirat.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm ſecundùm tenorem definitionis nuper à nobis ſuper negotio regni Siciliæ dilecto filio nobili viro Carolo Andegaviæ ac Provinciæ comiti concedendi, de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu editæ, patentes & authenticæ litteræ ipſius comitis totum tenorem paginæ bullatæ ſuper definitione hujuſmodi continentes, ſint ab eodem comite ſuper acceptatione ordinationis à nobis factæ ſuper ſenatus articulo, quæ in ipſa pagina eſt inſerta, necnon & aliorum quæ in eadem habentur pagina, tibi vel alii perſonæ, quam ad hoc deputandam duxerimus, exhibendæ; noſque ipſum comitem requiramus, noſtris ei dantes litteris in mandatis, ut hujuſmodi ſuas patentes & authenticas litteras, prout in difinitione continetur eadem, tibi, ſi præſens fueris; alioquin dilecto filio magiſtro Petro notario noſtro, quem ad eum mittimus, noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine exhibeat & aſſignet; diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ab eodem comite hujuſmodi ſuas patentes & authenticas litteras requirere ac recipere vice noſtra procures, illaſque facias duplicari: ita quòd earum alteras ad nos mittas, reliquas verò noſtro & ipſius Eccleſiæ nomine deponas in aliquo tuto loco ad opus noſtrum & ejuſdem Eccleſiæ inibi fideliter conſervandas. Datum Peruſii VI. calendas Aprilis Pontificatus noſtri anno I.

EPISTOLA XXXVI.

Simoni cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Ut à comite Provinciæ ſuper negotio ſenatus Urbis duplices patentes litteras requirat de juramento ab ipſo præſtito.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ præsbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 126

Cùm in ordinatione, quam nuper de fratrum noſtrorum conſilio ſuper articulo ſenatus Urbis edidimus, contineatur expreſsè, ut nobilis vir.... comes Provinciæ ſuper certis capitulis in ordinatione ipſa expreſſis juramentum exhibeat in præſentia fide dignarum perſonarum, quarum

tres vel duæ ad minus sint pontificali præditæ dignitate; detque super juramento hujusmodi & promissione quam faciet suas patentes litteras, sigillis tam suo quàm hujusmodi duorum vel trium pontificum sigillatas, in quibus utique litteris nomina personarum, coram quibus hujusmodi juramentum præstabitur, exprimentur: quódque hujusmodi assignentur litteræ duplicatæ tibi, si præsens fueris, vel alii personæ quam ad hoc duxeris deputandam: Ecce nos prædictum comitem per nostras requirimus litteras, ut tibi, si præsens fueris, alioquin dilecto filio magistro PETRO notario nostro hujusmodi suas litteras duplicatas exhibeat & assignet. Ideóque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ab eodem comite hujusmodi suas duplicatas litteras requiras & recipias vice nostra: quarum alteras mittas ad nos, & reliquas nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine deponas in aliquo tuto loco ad opus nostrum & ipsius Ecclesiæ inibi fideliter conservandas. Datum Perusii v. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXXVII.

Nobili viro Carolo Andegaviæ & Provinciæ comiti.

Ut patentes litteras super negotio senatus Urbis Simoni cardinali & apostolicæ sedis legato concedat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro CAROLO Andegaviæ ac Provinciæ comiti salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm secundùm tenorem diffinitionis nuper à nobis super negotio regni Siciliæ tibi, auctore Deo, concedendi de fratrum nostrorum consilio & assensu editæ, tuæ patentes & authenticæ litteræ totum tenorem paginæ bullatæ super diffinitione hujusmodi continentes, sine à te super acceptatione ordinationis à nobis factæ super senatus articulo, quæ in ipsa pagina est inserta: nec non & aliorum quæ in eadem habentur pagina, dilecto filio nostro S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato, vel alii personæ, quam adhoc deputandam duxerimus exhibendæ; nobilitatem tuam affectuosè requirimus ac rogamus & hortamur attentè, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus hujusmodi tuas patentes & authenticas litteras, prout in diffinitione continetur eadem, prædicto cardinali, si præsens fuerit, alioquin dilecto filio magistro PETRO notario nostro, quem ad tuam præsentiam mittimus, Ecclesiæ Romanæ ac nostro nomine exhibeas & assignes. Datum Perusii v. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.



EPISTOLA XXXVIII.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut, si necessitas compellat, decimas à Cisterciensibus & aliis exigat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Quia Cistercienses ac Templarii & Hospitalarii & quidam alii religiosi tuæ legationis à præstatione decimæ ecclesiasticorum proventuum, quam pro negotio regni Siciliæ colligis, se per sedis apostolicæ privilegia excusantes, post te, sicut nosti, & post nos etiam, statim postquam cervicibus nostris fuit jugum apostolicæ servitutis impositum, importunè clamabant, se ac ecclesias, monasteria & alia loca eorum eximi à solutione ipsius decimæ postulantes; nos tibi meminimus nostris sub certa forma dedisse litteris in mandatis, ut ipsos occasione prædictæ decimæ nullatenus molestares; sed supersederes ejusdem collectioni decimæ quoad ipsos, donec duceremus super hoc aliter ordinandum. Verùm quia prædictum negotium regni Siciliæ videtur jam in consummatione consistere, volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatinus si contigerit ex hoc fortè, quod absit, dictum impediri negotium, ac præfatum scandalizari comitem & turbari, tu eisdem litteris nequaquam obstantibus, ejusdem decimæ negotium, quo ad religiosos prædictos, in eum statum auctoritate nostra reducas, in quo erat priusquàm à nobis litteræ hujusmodi emanarent. Datum Perusii III. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XXXIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Carolo comiti factum cum eo tractatum implenti subsidium de decima collectum tribuat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm in diffinitione ac ordinatione, quam super negotio regni Siciliæ in persona dilecti filii nobilis viri CAROLI Andegaviæ ac Provinciæ comitis sub certa forma, Deo favente, complendo, de fratrum nostrorum consilio & assensu nuper edidimus, decreverimus, quod eodem comite ordinationem à nobis factam super senatus articulo, quæ inserta est in nostris litteris super eisdem diffinitione & ordinatione confectis, nec non & alia quæ in eisdem continentur litteris acceptante, & super acceptione hujusmodi suas patentes & authenticas litteras totum tenorem earumdem litterarum nostrarum habentes, tibi vel alii personæ quam ad hoc deputandam duxerimus exhibente, ac

arripiente iter ad sedem apostolicam veniendi, A tu de proventibus decimæ quam collegisti vel colliges congruum eidem comiti subsidium largiaris, prout in prædictis nostris litteris plenius continetur, volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus congruum subsidium de hujusmodi ejusdem decimæ proventibus dicto comiti implenti præmissa, prout tua providentia statui prædicti negotii, & tam Ecclesiæ quàm ipsius comitis honore pensatis, expedire viderit, subministres: contradictores B per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Perusii III. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XL.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ad accelerandum Siciliæ negotium, decimam regi Francorum obligare permittit, si ille mutuum germano suo præstare voluerit.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Novit tua prudentia dilecto filio nobili viro C. Andegaviæ ac Provinciæ comiti grande regni Siciliæ negotium imminere. Novit quanta idem negotium acceleratione indigeat, quantos D sumtus exposcat: nec te latet, quòd collectio decimæ prosecutioni ejusdem negotii deputatæ majores, quàm accelerandæ procul dubio prosecutionis ejusdem qualitas exposcat, moras habet: quæ nisi contra eas per carissimum in Christo filium nostrum.... Regem Francorum illustrem ipsiúsque subventionis auxilium succurratur, possent contra prædictum negotium graviores, quàm forsitan creditur, difficultates ingerere, ac expensarum importabilium gravamina inculcare: propter quod regi eidem nostras sub certa forma litteras destinamus, ipsum E attentè rogantes, ut pecuniam usque ad quantitatem dictæ decimæ de ipsius proventibus rehabendam, quam sibi propter hoc volumus obligari, memorato comiti nomine mutui de regia liberalitate concedat, ad idem negotium celeriùs & commodiùs prosequendum. Ideóque discretioni tuæ obligandi decimam ipsam ejusque proventus præfato regi pro quantitate prædicta, si eamdem dicto comiti ad præmissa de tua voluntate duxerit mutuandam, plenam F ac liberam auctoritate præsentium concedimus potestatem. Datum Perusii II. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.



EPISTOLA XLI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut cum quinque personis possit dispensare super matrimonio in quarto consanguinitatis gradu contrahendo.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ut eò efficaciùs commissum tibi regni Siciliæ negotium promovere valeas, quo majori fueris auctoritate munitus; discretioni tuæ dispensandi cum quinque personis utriusque sexus tuæ legationis, etiamsi magnates fuerint, ut earum quælibet cum alia quarto sibi consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncta matrimonium licitè contrahere, vel si jam contraxit, in sic contracto liberè remanere valeat, impedimento hujusmodi non obstante, prout promotioni commissi tibi negotii expedire videris, plenam ad instar felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri concedimus auctoritate præsentium potestatem: ita quod personæ illæ cum quibus auctoritate apostolica jam forsitan dispensasti, in hujusmodi quinquenario numero computentur. Datum Perusii II. calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XLII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Gratam sibi fore ab ecclesiis Venesini præstationem decimæ pro Siciliæ negotio.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Olim felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster universis personis ecclesiasticis in regno Franciæ, comitatu Provinciæ, ac aliis certis locis & provinciis constitutis suis, sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut dilecto filio C. Andegaviæ ac Provinciæ comiti omnium proventuum ecclesiasticorum decimam in subsidium regni Siciliæ exhiberent. Verùm cum in Venesino, quod est Arelatensis provinciæ, aliquæ sint dioceses, quæ sicut nostris est auribus intimatum, nec in regno Franciæ, nec in comitatu Provinciæ, nec locis aliis, in quibus eidem comiti præfata decima est concessa consistunt, quorum prælati parati sunt in exhibitione hujusmodi decimarum suam metropolitanam ecclesiam imitari, dummodo id existere de nostræ cognoscerent beneplacito voluntatis; nos qui ad omnem felicem & utilem ejusdem regni Siciliæ negotii promotionem intendimus, nolentes quòd ob nostræ super hoc voluntatis ambiguum, utilitas hujusmodi retardari debeat negotio supradicto, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus earumdem diocesum ecclesiarum prælatis ex

parte nostra studeas intimare, beneplaciti nostri fore, immo id gratum gerimus & acceptum, quod eamdem metropolitanam ecclesiam in præstatione hujusmodi, si ad hoc ipsorum voluntates recesserint, imitentur. Datum Perusii II. Calendas Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XLIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Declarat ipsius legationem per obitum Urbani papæ non expirasse.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quòd cùm felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster tibi tam in regno Franciæ, quàm in quibusdam aliis partibus plenæ legationis officium duxerit committendum, nonnulli dubitationem sollicitam excitantes, dubitare se asserunt, an commissum tibi hujusmodi legationis officium post ejusdem prædecessoris obitum duraverit, vel illius fuerit potius morte finitum. Quare humiliter petebatur à nobis, ut dubitationem hujusmodi nostræ declarationis oraculo sopiremus. Nos igitur legatos quibus in provinciis certis, ut inibi evellant & dissipent, ædificent & plantent, committitur legationis officium, ad instar proconsulum ceterorumque provinciarum præsidum, quocumque speciali nomine censeatur, quibus certæ sunt decretæ provinciæ, quarum illis moderatio demandatur, ordinariam gerere dignitatem, & provinciarum sibi commissarum ordinarios reputantes, præsenti declaramus edicto, præfatum legationis officium à dicto tibi prædecessore commissum, nequaquam per ipsius obitum expirasse. Datum Perusii V. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XLIV.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Declarat ecclesias in Hannonia constitutas solvendæ decimæ esse astrictas.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster prælatos, capitula, collegia, & conventus, ceterasque personas ecclesiasticas, sæculares & regulares, exemtas & non exemtas, per terras ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem comitissam Flandriæ ratione dominii & feudorum suorum in Cameracensi & Tornacensi diœcesibus pertinentes, constitutas, inter alios regni Franciæ & quarumdam aliarum provinciarum prælatos & cleros per suas sub certa forma litteras requisivit, ut in subsidium negotii regni Siciliæ decimam omnium suorum A ecclesiasticorum proventuum exhiberent, te ad hoc executore per alias litteras deputato, prout in hujusmodi litteris plenius continetur. Præsentium igitur tenore scire te volumus, quòd nos non solum comitatum Flandriæ, sed etiam tam comitatum Hainoniæ quàm cetera loca, quæ ad prædictam comitissam ratione dominii & feudorum suorum pertinent, & sunt infra prædictas Cameracensem & Tornacensem diœceses constituta, sub hujusmodi terrarum ipsius comitissæ vocabulo intelligimus comprehendi. B Datum Perusii III. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XLV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut ad festinatum Urbi subsidium ferendum comitem Provinciæ inducat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei Anno 1265 C dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali & apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Quantum est de nostræ ac fratrum nostrorum incolumitate personarum, bene est nobis & eis per Dei gratiam: licèt tam noster quàm eorum animi nimia anxietate premantur, propter multiplices quas Ecclesia in diversis mundi partibus patitur molestias & pressuras, & specialiter ob subversionem status Urbis, quæ imminet ex hostium astuciis, nisi celeriter succurratur eidem. D Ideoque discretioni tuæ mandamus, quatinus dilectum filium nobilem virum CAROLUM comitem Provinciæ protinus efficaciter inducere non postponas, ut ad Urbem paratam excidio festinatum studeat subsidium destinare. Pecuniam verò quam in subsidium gentis ejusdem comitis, ad Urbis custodiam deputatæ, per mercatores nostros & alios fecimus mutuari, eisdem creditoribus de collecta vel colligenda decima sine omni difficultate persolvas. Datum Perusii XVIII. Calendas Maii Pontificatus nostri anno I.

E

EPISTOLA XLVI.

Regi Franciæ illustri.

Indulget ne latis aut ferendis ab eo sententiis astringatur.

NE generales sententiæ, quas interdum inevitabili necessitate cogente proferimus, Anno 1265 te involvant, vel in dubio (a) tuæ teneræ conscientiæ scrupulum perplexitatis immittant, (a) F tuam specialiter volentes honorare personam, tibi tenore præsentium indulgemus, ne latis à nobis vel ferendis sententiis generalibus astringaris, nisi de tua persona expressis nomine proprio & regia dignitate fiat mentio in eisdem: quam gratiam eatenus duximus extendendam, ut nec illi qui tuo mandato speciali circa ea paruerint, pro quibus dictæ sententiæ latæ

(a) *Al.* Tuæ menti.

(a) (b) sunt vel ferentur, (a) iisdem sententiis sint astricti. Datum Perusii XII. Calendas (b) Maii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA XLVI.

Dilecto filio magistro Petro notario nostro.

Ut rescribat quid cum comite, quid cum nuncio apostolico egerit in Provincia.

Anno 1265 HAbuisse te iter prosperum usque Januam intelleximus, & te inde profectum in Provinciam in VIII. die post pascha: cupientes sanè scire sæpe quid agas, quibusve negotiis occuperis, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus ubi & quando comitem invenisti, & an venerit in partem Provinciæ dilectus filius noster S. tituli S. Ceciliæ presbyter cardinalis apostolicæ sedis legatus, & quid egisti cum alterutro, vel utroque, & quid intendit facere idem comes, & qualiter ad veniendum se præparat, & qua via, nobis rescribere non postponas. Gens enim sua in Urbe est in magno discrimine, & nisi celeri succurratur auxilio, proculdubio amittetur. Unde te decet comitem, & plus ejus consilium stimulare, ut cito ad Urbem accedat. Nam si Romani contemtos se viderint, satis erunt & ipsi faciles ad contemtum, Et si Urbs ad inimicos se transferat, accumulantur pericula, accumulantur expensæ, & difficile redditur quod de plano poterit expediri. Sed & cardinali secreto loquaris de solvendis pecuniis, quas à diversis recepimus creditoribus, & vicario Urbis misimus ad salutem. Demum, quid de nostris familiaribus negotiis per ALPHANTUM nepotem nostrum, vel est actum, vel agitur, litteris tuis inserere non omittas, & omnia & singula quæ tuæ discretioni commisimus, diligentius exequaris, nobisque rerum exitum plena descriptione rescribe. Datum Perusii VII. calendas Maii anno I.

EPISTOLA XLVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legatio.

Ut Florentinis mercatoribus tria librarum miltia solvat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Cecilæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm pro expensarum defectu de casu & periculo negotii timeretur, quod pro dilecto filio nobili viro C. comite Provinciæ in Urbe agitur: nos, ipsius negotii necessitate urgente, à dilectis filiis Jacobo Ricomanni & Albertino Rota civibus & mercatoribus Florentinis, mutuantibus & numerantibus pro se & Bardo Lamberti Friscobaldi & aliis eorum sociis, ad instantiam nobilis viri Jacobi Gantelmi vicarii pro comite memorato in Urbe, & Dionysii procuratoris ipsius comitis, cùm ipsi aliàs non possent mutuum invenire, tria millia librarum Turonensium mutuo recepimus, eisdem mercatoribus vel eorum nuntio reddenti instrumentum, per quod Ecclesia Romana & camera nostra sunt super hoc obligatæ, infra proximum festum Assumtionis B. Mariæ apud Trecas, si erunt nundinæ, vel apud S. Genovefam Parisius solvendarum. Volentes igitur super his indemnitati mercatorum ipsorum, nostræ etiam & ejusdem ecclesiæ providere, discretioni tuæ per apostolicâ scripta mandamus, quatinus præfatis mercatoribus, vel eorum alteri, seu nuntio tibi prædictum instrumentum reddenti, de pecunia collectæ vel colligendæ decimæ, memoratam trium millium librarum summam facias ad liberationem nostram & ecclesiæ ac cameræ prædictarum sine dilatione cum integritate persolvi. De qua quidem solutione confici facias duo similia publica instrumenta, quorum unum penes te retinens, reliquum verò nobis per fidelem nuntium quantotius destinare procures. Datum Perusii VII. Calendas Maii Pontificatus nostri anno. I.

EPISTOLA XLIX.

Dilecto filio nobili viro Henrico carissimi in Christo filii nostri illustris regis Navarræ germano.

Concedit facultatem contrahendi matrimonium in quarto gradu consanguinitatis.

ETsi conjunctio copulæ conjugalis in quarto consanguinitatis & affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, Apostolicæ tamen sedis providentia rigorem mansuetudine (c) temperans, super his dispensat interdum, & quod negat juris severitas, de gratia benignitatis indulget; præsertim cum necessitas exigit, & causa rationabilis id exposcit. Nos igitur attendentes, quod carissimus in Christo filius noster illustris rex Navarræ frater tuus diu sine liberis fuerit, & te ac ipsum dumtaxat superstites habeat (d) tanta domus, quam siquidem numerosæ prolis accessu cuperemus ex omni latere stabiliri; tuis supplicationibus inclinati, ut liberius ac honestius ad majorem tui splendorem generis, tibi valeas conjugem sociare cum qualibet muliere nobili, filiabus nobilis viri SIMONIS Lycestriæ, & omnium adhærentium ei dumtaxat exceptis, si tibi quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncta fuerit, & aliud canonicum non obsistat, hac vice matrimonium contrahendi, dum tamen de carissimi in Christo filii nostri illustris regis Franciæ ac præfati regis Navarræ fratris tui consilio & assensu id facias, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo, &c. concessionis, &c. Si quis &c. Datum Perusii quinto Calendas Maii anno primo. Anno 1265 (c) (d)

(a) Al. Hujusmodi.
(b) Al. Trecensis codex habet *Martii*.

(c) Al. Reparans.
(d) Al. Ipsa domus.

EPISTOLA L.

Regi Navarræ illustri.

Mittit ei dispensationem pro fratre suo.

Anno 1265 SI tu nostro, filii carissime, prout scribis, congaudes honori, compati te volumus nihilominus oneri quod nostros adeo premit & aggravat humeros imbecilles, ut in tantæ prælationis ascensu considerantibus nobis fideliter, (a) quod & quantum oneris imminet, (a) citra Deum occurrere nequeat quod delectet. Ille tamen nos recreat qui creavit, & in illo consolationes recipimus, qui sperantes in se non deserit, lasso virtutem tribuens, & iis qui non sunt lassi robur multiplicans, ab ecclesiæ nascentis initiis mundi hujus infirma eligens, & per ea fortia subigens & confundens. Sanè tuæ serenitatis receptis litteris, quæ tuæ devotionis fervorem, quem ad nos & Romanam Ecclesiam habere te asseris, ostendebant, dilectum filium magistrum Petrum Bonam-diem capellanum nostrum pro te verba facientem audivimus, & in his quæ hoc tempore poterant expediri, breve tibi responsum dedimus, petitam dispensationem pro dilecto filio viro nobili fratre tuo absolutam tibi per proprium tuum nuncium remittentes, ad quam nos movit affectio specialis, quam ad domum tuam habemus, optantes eam ex omni latere numerosæ prolis accessione firmari. Tu verò si pro fratre vigilas, prout decet, illam eidem eligas in uxorem quæ Deo placeat, regnum Francorum diligat atque tuum, & sit de genere nobis & nostris fratribus non suspecto, ut exauditis in his precum tuarum primitiis, merearis pro tempore in similibus vel majoribus exaudiri.

EPISTOLA LI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mercatoribus Senensibus duo librarum millia solvat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Urgente necessitate negotii, quod pro nobili viro C. comite Provinciæ in Urbe agitur, cùm pro expensarum defectu de ipsius negotii casu & periculo timeretur; dilecti filii Bonaventura Bernardini, Raynerius Jacobi, & Franciscus Guidi cives & mercatores Senenses nobis & eidem comiti satagentes indefesso devotionis studio complacere, dilectis filiis magistro Dionysio clerico & procuratori, ac nobili viro Jacobo Gantelmi comitis ejusdem in Urbe Vicario præter septem millia, in quibus aliàs tum tempore felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, tum nostro, necessitatibus prædicti negotii gratuito mutuo subvenerunt, nuper reverentiæ nostræ obtentu ac in spe gratiæ ipsius comitis plenius obtinendæ duo millia librarum Turonensium nomine suo & sociorum suorum absque alicujus lucri commodo pro dicto comite liberaliter mutuarunt. Nos autem qui personam ejusdem comitis tamquam nobis in Christo carissimam sinceræ caritatis brachiis amplexamur, pati nolentes ut prædictum Urbis negotium, quod non sine ipsius comitis honoris detrimento casus periculum incurrebat, defectus hujusmodi occasione periret; quódque etiam mercatores ipsi damnum incurrerent, unde obtinere deberent favoris & gratiæ incrementa, cùm alias hujusmodi mutuum inveniri non posset, ad instantiam procuratoris & vicarii prædictorum, mercatoribus ipsis pro prædicta duorum millium librarum summa cameram nostram & Romanam Ecclesiam duximus obligandas. Quia igitur indecens & indignum existeret, si mercatoribus ipsis ex tua devotione dispendium immineret, vel Ecclesia ipsa in hac parte processu temporis inveniretur obnoxia calumniis & jacturis: nos volentes indemnitati tam mercatorum ipsorum, quàm ipsius Ecclesiæ providere; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfata duo millia librarum Turonensium Facio Juncte, Hugoni Jacobi, Jacobo Egidii, & Lotto Hugolini, sociisque prædictorum mercatorum, vel eorum uni præsentes tibi litteras deferenti, facias sine dilatione cum integritate persolvi, nec ab eisdem sociis seu socio mercatorum ipsorum instrumentum publicum, per quod prædictæ camera & Ecclesia eis super hoc obligatæ noscuntur, requiras vel requiri facias, maximè cùm nos instrumentum ipsum faciamus penes nostrum camerarium conservari. Ceterum de solutione hujusmodi pecuniæ confici facias duo similia publica instrumenta, quorum unum penes te retineas, reliquum verò nobis per fidelem nuncium quantotius distinare procures. Datum Perusii v. Calendas Maii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LII.

Archiepiscopo Tyrensi.

Ut ad collectionem centesimæ proventuum ecclesiasticorum procedat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Tyrensi salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster volens terræ sanctæ de opportuno subsidio providere, centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ ac civitatis & diocesis Cameracensis usque ad quinquennium eidem terræ pro ejus succursu de fratrum suorum consilio apostolica auctoritate concessit; te cujus sollicitudinem & vigilantiam pro ipsius terræ negotio experimento cognoverat, ad colligendam hujusmodi centesimam deputato, prout in ipsius prædecessoris litteris super hoc obtentis pleniùs continetur. Nos igitur ipsius terræ profectibus, ob illius

(a) Lemovicensis codex solus legit *circa eum*.

reverentiam, qui eam aspersione sui sanguinis rubricavit, ferventer intendere cupientes, fraternitati tuæ adinstar prædecessoris ipsius per apostolica scripta mandamus, quatinus ad colligendam prædictam centesimam in regno civitate & diocesi supradictis, sicut hactenus laudabiliter fecisse dignosceris, per te vel per alium seu alios procedas efficaciter juxta prædictarum ipsius prædecessoris continentiam litterarum. Datum Perusii v. Calendas Maii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LIII.

Archiepiscopo Tyrensi.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri EGIDIO Tyrensi archiepiscopo & dilecto filio nobili viro JOHANNI DE VALENCENIS Domino *Cahiphæ* salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm sedes apostolica diversa pecuniaria onera subsidia subventioni terræ sanctæ, &c. *ut in Urbani papæ IV. epistola LIV. pauculis verbis convenienter mutatis.* Datum Perusii IV. Calendas Maii Pontificatus nostri anno I.


EPISTOLA LIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mutuata à Florentinis mercatoribus summa solutionem Senensium non impediat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Præter illa septem millia quæ primò, & alia duo millia librarum Turonensium, quæ secundò nostri mercatores Senenses pro negotio, quod pro nobili viro C. comite Provinciæ in Urbe agitur, liberaliter mutuarunt. Nunc etiam quatuor millia librarum à mercatoribus Florentinis mutuo recepimus pro negotio antedicto, sicut in aliis litteris nostris, quas super solutione ipsius mutui facienda tibi dirigimus continetur. Ne verò occasione hujus mutui à dictis mercatoribus Florentinis facti prædictorum mercatorum Senensium debiti solutio retardetur, volumus quòd de prædictis novem millibus librarum Turonensium primò eisdem mercatoribus Senensibus satisfiat. Datum Perusii IV. calendas Maii Pontificatus nostri anno I.



EPISTOLA LV.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Florentinis & Perusinis mercatoribus libras mille de collecta decima persolvat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm pro expensarum defectu de casu & periculo negotii timeretur, quòd pro dilecto filio nobili viro C. comite Provinciæ in Urbe agitur, nos ipsius negotii necessitate urgente, à dilectis filiis Bindo Galigarii de Maccis, Circulo, Girardino, Bonino, & Argutio Oliverii civibus & mercatoribus Florentinis & Perusinis mutuantibus pro seipsis ad instantiam nobilis viri Jacobi Gantelmi vicarii pro comite memorato in Urbe, & Dionysii procuratoris ipsius comitis, cùm ipsi aliàs non possent mutuum invenire, mille libras Turonenses mutuò recepimus, eisdem mercatoribus vel eorum nuncio reddenti instrumentum, per quod Ecclesia Romana & camera nostra sunt super hoc obligatæ, infra proximum festum assumtionis B. Mariæ apud Trecas, si erunt nundinæ, vel apud S. Genovefam Parisius solvendarum. Volentes igitur super his indemnitati mercatorum ipsorum, nostræ etiam & ejusdem Ecclesiæ providere; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatis mercatoribus, vel eorum alteri seu nuncio tibi prædictum instrumentum reddenti, de pecunia collectæ vel colligendæ decimæ memoratam millium librarum summam facias ad liberationem nostram & Ecclesiæ ac cameræ prædictarum sine dilatione confici persolvi duo similia publica instrumenta, quorum unum penes te retineas, & reliquum verò nobis per fidelem nuncium quantocius destinare procures. Datum Perusii III. Calendas Maii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LVI.

Regi Franciæ illustri.

Paternum ei pandit affectum, monetque eum de tribus magni momenti negotiis.

ILla (a) solidæ dilectionis sinceritas, quam ad domum tuam habuimus priusquam notus facie nobis esses, ex quo postmodum tuæ familiaritatis gratiam obtinuimus, per gradus singulos incrementa (b) suscipiens, esse nos tui non finit immemores, immo nunc solito ferventior eò magis ac magis incenditur, quò mutatus amicus in patrem, affectione veteri non deposita, ad plura pariter & majora quàm antea novi nominis adjectione tenetur. Olim siquidem extitit nobis gratum, erat etiam & justum nominare te Dominum; pulcrum etiam, nam & verum, dicere te amicum, sed ad summi Pontificatus apicem sola Dei miseratione pro- Anno 1265 (a) (b)

(a) *Al.* Solitæ.
(b) *Al.* Suscipientes.

vecti,

vecti, dulciori te nomine Filium appellamus, ut adnexa dulcedo nomini dulcorem intimæ dilectionis oſtendat. Sane venientes ad noſtram præſentiam dilectum filium magiſtrum JOHANNEM de Trecis archidiaconum in eccleſia Bajocenſi, & Fratrum Rogerium priorem (*a*) Vallis viridis Carthuſienſis ordinis, tuæ nuncios celſitudinis læti recipimus, eo lætiores effecti, quò de tuo, tuæque domus regiæ ſtatu proſpera nuntiantes, de tam lætis rumoribus potuerunt nos reddere certiores, quorum petitiones quas tuo duxerunt nomine offerendas diligenter inſpeximus, & deliberatione præhabita, licet modica, tamen admodum neceſſaria, quæ te petere & nos decuit indulgere, liberaliter & benignè conceſſimus, nec repulimus aliqua quæ poſſemus ſine ſcrupulo conſcientiæ & aliorum ſcandalo conceſſiſſe, certam de tuæ magnitudinis circumſpectione fiduciam obtinentes, quod probroſum tibi non reputes, noſtræ ac tuæ honeſtatis intuitu, pati in aliquibus te repulſam, qui legiſſe te recolis & audiſſe Vas electionis præclarum apoſtolorum principis coapoſtolum non auditum petitione tertiò repetita.

Ad tuam demum memoriam verba duximus ſub compendio reducenda, quæ tecum familiariter pridie quàm Pariſius exiremus, habuimus circa tria, libertatem videlicet eccleſiaſticam conſervandam, & prælatorum ſcandala præſcindenda, qui de crebris ballivorum tuorum vexationibus & etiam tuæ curiæ querebantur, pacem etiam inter cariſſimam in Chriſto filiam noſtram tuam ſereniſſimam conjugem & dilectum filium virum nobilem comitem Provinciæ fratrem tuum amicabiliter & utiliter reformandam, necnon & ea ſalubriter complananda, quæ circa terram tuam & confinia terræ Provinciæ inter te & fratrem tuum eumdem diſſenſionis ſpiritum & materiam miniſtrabant: quæ ſiquidem tua ſerenitas cordi habeat, diligenter attendens, non ſolùm quid appareat, ſed quid lateat in eiſdem, & quæ, quot, & quanta, quorum, & quantorum diſpendia parare valeant in futurum, niſi fuerint à radice præciſa. Demùm ne tuam lateat celſitudinem ſtatus noſter, noſce te volumus exteriorem hominem perfrui ſanitate, ſed laborat interior, & affligitur, afflictiones intuens populi (*b*) chriſtiani, & ruentem in præceps (*c*) Francorum numerum infinitum, dum nec oppreſſis præſidium dare poſſumus, quod vellemus nec (*d*) præcipites ad exitium cohibere. In his tamen confugimus ad illius auxilium, quod continua orationum efflagitamus inſtantia, cui ſubeſt poſſe cum velit, cui nihil eſt impoſſibile, cui facile eſt de tribulationum anguſtiis potenter eripere, quos ſanguinis ſui commercio miſericorditer voluit liberare.

Illud ſcias quod in ſuſcepto regimine non honor nos erigit in ſuperbiam, quam onus importabile comitatur; nec diſſolvunt deliciæ, quas conflictus curarum eliminat; nec divitiæ ſibi ſubjiciunt, quas numquam nobis permiſimus dominari: immò quod læti referimus, quem ſervum habere nequeunt & (*e*) etiam comitem dedignantur. Super his tandem quæ circa blaſphemos & alia quæ divinum honorem reſpiciunt intimaſti, licet ſubito facere nequiverimus quod petebas, cito tamen propoſuimus quod acceptum Deo viderimus ordinare. Datum Peruſii octavo Idus Maii anno I.

EPISTOLA LVII.

Dilectis filiis A. Sanctorum Apoſtolorum preſbytero, R. S. Angeli, J. S. Nicolai in carcere Tulliano, & J. S. Mariæ in Coſmedim diaconis cardinalibus.

Prænuntiat eis proximum comitis adventum.

HAc die martis inter nonam & veſperas mercatores Lucani à ſuis ſociis in galeis comitis venientibus litteras receperunt ſcriptas caracteribus peregrinis, quas ex uſu legere didicerunt, & legerunt protinus coram nobis, inter cetera continentes, quod in craſtino Aſcenſionis Dominicæ comes cum octoginta lignis connumeratis parvis & magnis (*f*) venit ad portum Veneris ſummo mane, licet tempus habuiſſet adverſum. Unde juſtè eum citò præſumimus venturum ad Urbem, ſi temporis qualitas patiatur, & hoſtium non (*g*) obſtat occurſus, de quo ſcire non poſſumus veritatem, quam tamen quantum poſſumus exploramus, quibuſdam dicentibus, IV. tantum galeas Siciliæ viſas in mari, aliis ſuſurrantibus quod à Cajeta citra procedunt aliæ quinquaginta. Vos igitur quantumcumque, ſalva commoditate, poteritis, accelerate prudenter. Nam (*h*) maſnata Sabiniæ, quæ ſubito dicitur receſſiſſe, an ſe ſubito poſſit objicere viæ veſtræ, vel moliri vobis inſidias ignoramus. Confidimus tamen in Domino, cujus negotia proſequimini, quod ante vos ſemper Angelum ſuum mittet. Anno 1265

EPISTOLA LVIII.

Regi Franciæ illuſtri.

Queritur de gravaminibus illatis Narbonenſi Archiepiſcopo à Seneſcallo Carcaſſonenſi.

CAritas inſolubilis, quæ ad eccleſiæ Narbonenſis honorem & commodum (*i*) noſtram vertit ſollicitudinem inceſſanter, quotiens ejus ſtatum proſperum intelligimus, vultum & Anno 1265

(*a*) Vallis viridis monaſterium Carthuſienſis ordinis in ſuburbio Pariſienſi ab ipſo S. Ludovico fundatum.
(*b*) *Gemmet.* Romani.
(*c*) *Al.* Stratorum. *Al.* Stultorum.
(*d*) *Al.* Præcipitantes.
(*e*) *Al.* Etiam committere dedignantur.
(*f*) *Al.* Opibus venit.
(*g*) *Al.* Obſiſtat.
(*h*) *Maſnata* ſeu *Mainada* vulgo ſumitur pro familia. Sed hic militarem catervam, maxime prædonum & latrunculorum ſeu piratarum ſignificat. Quo ſenſu multoties ſumitur à ſcriptoribus infimæ latinitatis. Codex Trecenſis legit *Manaſta* Gemmeticenſis *manſueta* vitio aut dubium ſcriptoris.
(*i*) *Al.* Nos tranſvertit ſollicitudine.

animum (*a*) nostrum exhilarat; & cum ejus indebitas vexationes audimus, ad remedia debita cura pervigili properamus.

Sanè nuper ad aures nostras pervenit, venerabili fratre Narbonensi archiepiscopo insinuante, quod tuus in Carcassonæ partibus senescallus castrum (*b*) Quillani, & quamdam domum sitam in civitate Carcassonensi ab eo nititur vendicare; mandans etiam nihilominus, ut tabelliones suos in terra Minerbesii suæ diœcesis permittat conficere testamenta & (*c*) nuptialia documenta, cùm per notarios ejusdem archiepiscopi, & per nullum alium confici consueverunt, de antiqua & approbata consuetudine, & hactenus pacificè observata; quod etiam eumdem archiepiscopum alias multipliciter aggravat & molestat. Verùm cùm multi fuerint senescalli archiepiscopos ecclesiæ supradictæ totis viribus persecuti; hæc hactenus quæ eadem Narbonensis ecclesia longis retrò temporibus absque omni contradictione possidet, numquam in juris vel facti controversiam deduxerunt: & nunc iste quem credebamus majori ad Ecclesiam devotione vigere, pilum in ovo de perverso quærens consilio, consilia cogitat, quæ non poterit stabilire. Quocirca serenitatem tuam, quæ ecclesiarum concussoribus suæ clypeum protectionis opponere consuevit, hortandam duximus&rogandam, quatenus hoc fieri non permittens, dictum facias senescallum sua sorte contentum, ab ejusdem archiepiscopi molestatione desistere in præmissis, ne & tantæ ecclesiæ (*d*) perimatur justitia, & eodem archiepiscopo jura sua spirituali gladio deffendente, crescat materia quæstionis. Debes siquidem ecclesiam illam, fili carissime, favore prosequi speciali, cujus rectores tuis juribus defendendis & propulsandis injuriis potenter ac viriliter retroactis temporibus astiterunt, & quam in nostro (*e*) recessu tuæ gratiæ commendavimus, & nunc iterum commendamus. Datum Perusii VIII. Idus Maii anno I.

EPISTOLA LIX.

Dilecto filio nobili viro carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ in partibus Carcassonæ senescallo.

Ejusdem argumenti.

Anno 1265 ETsi generalis (*f*) ecclesiarum cura nostris humeris ex suscepto officio apostolicæ servitutis incumbat, ex favore tamen speciali & caritate insolubili quam habemus ad ecclesiam Narbonensem, cùm ipsius indebitas vexationes audimus, noster animus sauciatus ad remedia properat opportuna. Sanè ad nostram nuper audientiam, Venerabli fratre nostro Narbonensi archiepiscopo insinuante, pervenit, quòd tu, &c. *ut supra usque* juris controversiam deduxerunt, *verbis competenter mutatis*. Cùm igitur ab ejusdem Ecclesiæ injuriis tantò fortius te deceat abstinere, quantò magis eas nedum divinam verùm etiam præfati regis (*g*) noverimus offendere majestatem. Discretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attentè, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus super præmissis ab ejusdem archiepiscopi & ecclesiæ suæ vexatione & molestia conquiescas, quin immo ipsarum jura sic habere velis ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram propensius commendata, quod per tui favoris præsidium optata suscipere valeant auctore Domino incrementa. Datum Perusii V. (*h*) Idus Maii anno I.

EPISTOLA LX.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut de primiciis decimæ creditoribus satisfaciat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Secunda feria post Ascensionem Dominicam litteras tuas accepimus, processus tui seriem continentes, quem una cum dilecto filio magistro Petro notario nostro super negotio regni Siciliæ cum dilecto filio nobili viro comite Provinciæ prudenter & providè prosecutus, quæ tibi commissa fuerant efficaciter adimplesti; tuncque de comitis ejusdem adventu prorsus incerti, quem venerabilis frater noster archiepiscopus Cusentinus & dilectus filius Gaufridus de Bellomonte capellanus noster, & Guillelmus *de Playssi* clericus tuus prævenerant, de die in diem expectabamus eumdem, dilectis filiis nostris A. tituli SS. Apostolorum presbytero, R. sancti Angeli, J. sancti Nicolai in carcere Tulliano, & J. sanctæ Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus destinatis ad Urbem in occursum & jocundam receptionem ipsius. Sanè audivimus & sollicitè ponderavimus quæ nobis per eosdem Archiepiscopum, Gaufridum de Bellomonte & Guillelmum *de Playssi* tuum clericum intimasti, in quibus licet multa nobis occurrerint propter indispositum adventum comitis meritò formidanda; nos tamen de divina pietate confisi, principii debilis meliorem exitum expectantes, discretionem tuam, quam satis attentam credimus in hac parte, excitandam duximus ex affectu, ut circa decimam colligendam dies laboriosos, noctesque pro tempore ducas insomnes, cùm moram sapiat ipsa celeritas; & exactissima diligentia, dum negotii

(*a*) *Al.* Nostros.
(*b*) *Al.* Villam.
(*c*) *Trec.* imperiacia.
(*d*) *Al.* Prematur.
(*e*) Ipse siquidem Clemens fuerat archiepiscopus Narbonensis priusquam ad summum pontificatum eveheretur.
(*f*) *Al.* Ecclesiæ status.
(*g*) *Al.* Novimus.
(*h*) Ita quatuor codices, duo etiam legunt VI. *Idus Maii.*

ſtatus attenditur, magna remiſſio videatur. Apud nos ſiquidem difficilis admodum & ferè penitus facta eſt impoſſibilis pecuniarum inventio. Cauſantur etenim creditores quantitates innumeras & immenſas, quas ab Anglicis & Theutonicis recuperare non poſſunt: difficultatem inſuper viarum omnium, quas per terram malitia Lombardorum, & per aquam ipſius comitis promtæ manus ad bona tranſeuntium capienda videntur undique concluſiſſe: ſed & debita, quæ pro ejus amore contraximus, ſuo tempore non ſoluta terruerunt non leviter creditores eoſdem, ne quid velint ulterius credere, donec videant an poſſint credita rehabere. Quocirca diſcretioni tuæ, ſicut olim mandavimus, ecce nunc iterum præcipiendo mandamus, quatenus creditoribus noſtris, de quibus ſcripſimus tibi nuper, ſatisfacere non poſtponas de primiciis decimæ ſupradictæ. Nam quæ ab eis recepimus, gens ipſius comitis habuit, quæ ſi noſtro caruiſſet ſubſidio, & ſeipſam perdidiſſet & Urbem. Verùm nec per tuas, nec per dicti notarii noſtri litteras, nec per alium quemquam didicimus, quid ſit actum de decima exemtorum: circa quos eam debes habere cautelam, ut his quibus indulgentiæ apoſtolicæ ſuffragantur, jus ſuum non adimas. Sicut enim in tui adjumentum officii nuper frivolas appellationes caſſavimus; ſic juſtis ratione prævia deferemus, licet quantum poterimus, inoffenſa juſtitia, tuum deffendere propônamus honorem. Porrò nos ſcias & fratres noſtros ac tuos circa dictum negotium ſuſtinendum quibuſcumque modis ſcimus & poſſumus laborare: ſed niſi tuo vigili miniſterio relevemur, periculum imminet, quod ſcribi non expedit; cùm id tædeat cogitare. Demùm contemtum rebellium qui tuam prudentiam non immeritò provocarunt, de noſtro conſilio diſſimulabis ad præſens, ſi ad obedientiam tuam redierint, ne ſciſſuræ detur occaſio gravioris. Tempus enim veniet opportunum quo licebit eximere gladium in vaginam ex hac cauſa converſum. Non parcas nunciis, ſed ſæpius ſtatum tuum, cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis Francorum illuſtris, & regni, ac alia quæ noſtris auribus digna credideris nobis ſcribas. Datum Peruſii XIV. calendas Junii Pontificatus noſtri anno I.

EPISTOLA LXI.

Nobili viro Fortibrach de Romagnola ſpiritum conſilii ſanioris.

Promittit ei ſuam protectionem.

Anno 1265 SI parentum exempla ſequeris, qui ſedi Apoſtolicæ retroactis temporibus prudenter & fideliter adhæſerunt, viam ingrederis tuæ ſaluti & honori ſanguinis tui congruam, per quam tutus incedere poteris, & pes tuus in devium (a) non (a) impinget. Sanè ſalutem omnium ſitientes, ubi comitem adveniſſe noverimus, ſuper his ſibi ſcribere ſecreto curabimus, cum eidem aſſiſtere totis viribus proponamus; & in ipſius amicitiæ illos jungere in quibus credamus eumdem decipi non debere. De quorum numero te eſſe cenſentes, tuum in hac parte quæremus commodum & honorem; ſi te talem exhibere (b) volueris; ut in te ſtabile jacere poſſimus fundamentum. Datum Peruſii XIII. calendas Junii anno I. (b)

EPISTOLA LXII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali Ducatus Spoleti & Marchiæ Anchonenſi rectori ſedis apoſtolicæ legato.

De adventu comitis Provinciæ in Urbem.

DE adventu comitis Provinciæ prænuntios multos habuimus, & (c) hanc noviſſimè certitudinem, quòd quia infra feſtum Pentecoſtes, ſicut Romanis juraverat, Urbem intrare non poterat, anguſtia temporis obſiſtente, dedit ſe mari, & in craſtino Aſcenſionis Domini cum octoginta lignis connumeratis parvis cum magnis, in portu Veneris viſus fuerit, in cujus occurſum dilectos filios ... cardinales duximus deſtinandos, qui eum vel in Urbe (d) reperient, vel inibi expectabunt. Ipſe verò magnam militiam ſecum ducit, & militiæ partem aliam per Italiam vult tranſire. Cùm igitur in ejus auxilium, ex quo pendet noſtri negocii conſummatio, vires noſtras excedere nos oporteat, preces tuas ſuper addendis ſtipendiis ad præſens non poſſumus exaudire, nec timeas hoſtes tuos. Nam ſicut militia PETRI (e) DE VICO & alia quæ cum Annibaldenſibus Sabiniam jam invaſerat ad odorem adventus comitis receſſerunt; ſic potes confidere, quod in Marchia nulla (f) morabitur, cum MANFREDUS intra regnum ſuos colligat quantum poteſt. Sanè animare poteris Marchianos; ut inſtante collectione fructuum ſe deffendant. Venit enim tempus, ut credimus; quo & fidelibus benefacere & domare poterimus infideles. Anchonitanos remiſimus vacuos, nec aliud à nobis; quantumcumque ſint improbi, extorſerunt; niſi quòd tuis pareant monitis & mandatis, quæ juſta ſemper fore præſumimus & modeſta; & ſi quid eis imponeres aliud, ad nos tunc demum poterunt habere recurſum. Firmanos nondum audire potuimus, licet venerint; ſed firmos nos invenient, Domino concedente. Datum Peruſii (g) XIII. calendas Junii anno I.

Margin notes: Anno 1265 (c) (d) (e) (f) (g)



(a) Al. Impugnet.
(b) Al. Al. Noveris.
(c) Al. Hac die.
(d) Al. Recipiérent.
(e) Al. De Rico.
(f) Al. Morantur.
(g) Al. Trecenſis codex habet XII. Calendas.

EPISTOLA LXIII.

Illustri regi Cypri.

Dispensat cum eo ut matrimonium contrahere possit cum filia Johannis Domini Beriti.

Anno 1265 (a) ETsi conjunctio copulæ conjugalis, &c. *ut in quadam directa* (*a*) *germano regis Navarræ usque* id exposuit. Sanè cum te, fili carissime, qui in regno Cypri solus & in solidum heres existis, & nondum annos pubertatis, prout asseritur, (b) attigisti, cum iis (*b*) deceat jungere amicitias, qui tam potentia, quàm vicinia tibi regnoque tuo consilium & auxilium impertiri valeant opportuna; nos habentes præ oculis solùm Deum, cui placere quærimus, non hominibus, in hac parte tuæ necessitatis intuitu, sed & tui & Hierosolymitani regnorum utilitate pensata, quibus multum accrescere credimus, si ad mutuum impendendum subsidium efficacius obligentur, ut tibi cum una ex filiabus quondam viri nobilis JOHANNIS Domini Beriti quarto tibi consanguinitatis gradu conjunctis contrahere valeas licitè matrimonium, hujus impedimento non obstante, auctoritate præsentium duximus indulgendum. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Datum Perusii XII. calendas Junii anno anno I.

EPISTOLA LXIV.

Ad prælatos quorum in diocesi sunt fratres B. Mariæ de Monte Carmelo.

Ne fratribus iisdem sint molesti.

Anno 1265 VEnerabilibus fratribus Patriarchis, archiepiscopis & episcopis, in quorum civitatibus vel diœcesibus fratres ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo consistunt, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram pervenit, quod licet dilecti filii fratres ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli in omni patientia & humilitatis spiritu se nobis devotos & placidos studeant exhibere, mandatis nostris in omnibus quæ institutis ejusdem ordinis non obviant, promta devotione parendo, nihilque velint facere, per quod ecclesiis in quarum morantur parochiis aliquod præjudicium vel dispendium generetur; nihilominus tamen quidam vestrum fratres eosdem nimium comprimentes, ipsos in oratoriis sui ordinis in eorum civitatibus vel diocesibus constitutis divina celebrare officia pro suæ voluntatis arbitrio non permittunt, aliàs graves existentes eisdem plurimum & infesti: propter quod duxerunt ad apostolicæ sedis auxilium recurrendum. Cùm igitur indignum existat, ut iidem fratres eos molestos sentiant, qui ipsos suæ religionis obtentu tenentur in visceribus gerere caritatis. Nos circa religionis augmentum & animarum profectum vigiles inveniri volentes, fraternitati vestræ ad instar felicis recordationis ALEXANDRI papæ prædecessoris A nostri per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus quamdiu prædicti fratres mandatis nostris juxta præmissum modum devotè obedire curaverint, ab ipsorum molestiis & gravaminibus desistentes, ac subditos vestros ab ipsorum inquietatione penitus compescentes, permittatis ipsos, maximè cùm jam oratoria & collegia habeant in civitatibus & diocesibus vestris, prout decet viros religiosos approbati ordinis, divina officia in eisdem ora- B toriis liberè celebrare: ita ut fratres prædicti propter hoc ad nos recurrere ulterius non cogantur. Datum Perusii X. calendas Junii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LXV.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali ducatus Spoleti & Marchiæ Anchonensi rectori sedis apostolicæ legato.

C *De receptione comitis Provinciæ in Urbe & de carcere episcopi Forosimphronii.*

DIc Jovis ante Pentecosten dilectus filius comes Provinciæ venit ad S. Paulum, & in festi vigilia ad ecclesiam & palatium S. Petri receptus honorificè à Romanis cum gaudio ineffabili & in conspectu omnium gratiosus, ad quem de civitate confluunt (c) circumquaque alii cum muneribus, alii verò cum laudibus, & omnes suum obsequium ei liberaliter offerentes. Inter hæc autem populi votis celebribus occu- D patus, nondum sui processus ordinem nobiscum potuit diffinire: quod cùm fiet discretioni tuæ curabimus intimare. Anno 1265 (c)

Viæ sanè ad Urbem undique adeo sunt securæ, ut aggressores itinerum sepulti potius quam perterriti videantur. Verùm audita crudeli malitia, quam Forosimphronenses in viros nobiles GUIDONEM & fratres ejus transacta die Veneris consummarunt, episcopum Forosimphronensem vocavimus, quem stolida verba proferentem, custodiæ dedimus carcerali; & quia non potest currere apud nos liberè inquisitio contra E eum, si posses eum & securè recipere, & tenere securum, eum tibi libentissimè traderemus, ut contra eum inquireres, ubi posset suorum scelerum, quæ prorsus inficiatur ut innocens, veritas inveniri. Appellationes de quibus memoriale dedisti procedere liberè prohibemus, & ad te remittemus à tuis judicibus appellantes, dum tamen eos sine diffugiis facias expediri. Quod si per te non fieret, admittere cogeremur eosdem. Procede viriliter contra Forosimphronienses, & alios proditores, & terram aliam, quia F Deus benefaciet nobis & ipsis. Tempus enim propinquare credimus, quo de credentium finibus perfida debeat gens auferri. De mittendis paucis ambaxatoribus Marchiæ bonum credimus, quamquam non noceat aliquantulum retardari. Cum enim fratrum nostrorum, quos ad Urbem transmisimus, litteras receperimus, consilium tibi certius rescribemus. Datum Perusii VI. calendas Junii. anno I.

(*a*) Extat supra epistola 49.
(*b*) *Al.* Debeas.

(*c*) *Al.* De civitatibus.

EPISTOLA LXVI.

Archiepiscopo Hispalensi.

Quædam negotia ei committit cum rege Castellæ tractanda.

Anno 1265 CUm sit nobis cordi & olim fuerit, cariſſimum in Christo filium nostrum illustrem regem Castellæ & Legionis in regem Romanorum electum, multis donis insignibus à patre luminum prædotatum, à perditionis via retrahere, & ad iter dirigere salutare, hoc præcipuè tempore ad id credimus laborandum, quò eò purgatior debet incedere, quo graviora flagella sustinet, & inter dubios bellorum eventus debet esse paratior, ne in ejus lateat conscientia, quod divinæ possit offendere perspicacem intuitum majestatis. Hinc est quòd illam rapinam vilissimam tam damnabilem quam damnosam, cui, nescimus quo spiritu, tam ardenter incubuit, de tertia videlicet fabricabili, quam annis pluribus subtraxit ecclesiæ terræ suæ, volentes modis omnibus spoliatis earumdem rectoribus resignari, per clausas tibi litteras scribimus, quæ nequaquam credidimus patentibus inserendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus sicut sedis apostolicæ gratiam caram habes, prudenter negotieris cum ipso, & antequam litteras reducas in publicum, super decima tibi missas proponas ei simpliciter & secreto, (a) quòd cum peccato notorio & mortali, cum quo damna ecclesiarum continuè perseverant, petitam gratiam de subsidio ei facere, salva nostra honestate, non possumus, immo nec sine scrupulo conscientiæ, cum sit indecens & indignum, quod spoliatori subsidium conferant spoliati, & sic induces eumdem ad ea quæ, nobis tacentibus, facere teneretur: quis enim sapiens bellico se committit discrimini, cui conscientia bellum intestinum indicit? Quod si adhoc eum inducere non poteris, melius est supprimi litteram super decima impetratam, quàm post publicationem ejusdem executionem omitti. Rursum volumus & mandamus, ut cùm tibi visum fuerit opportunum familiariter conferas cum eodem, ut honesto modo à negotio Romanorum imperii discedere sibi placeat, ex quo multa subiit onera, nec aliquem reportavit honorem, nec est levis offensio Salvatoris (b) impeditum tenere negotium, ex quo fructus aliquis non speratur, tale tantumque præsertim, quo bene disposito, refloreret proculdubio status orbis, quo in sua desolatione manente, naufragatur ex parte maxima populus christianus. Nec agimus de adversario ejus præferendo, qui captivus ab alio detinetur; sed de tertio potius ad exaltationem fidei assumendo, cum nostra, prout juris est, providentia, quem timemus à principibus Alemanniæ contra Deum in sedis apostolicæ præjudicium, ipsiusque regis & adversarii contemtum, non tam eligi, quàm intrudi. Quidquid autem super his feceris vel inveneris, nobis rescribere sine moræ dispendio non postponas, cautè processurus in omnibus juxta peritiam, quam à Domino credimus tibi datam.

(a) *Al.* Quod ipso existenti in peccato notorio & mortali, in quo cum damno ecclesiarum perseverat.

EPISTOLA LXVII.

Dilecto filio (c) R. S. Angeli diacono cardinali.

Conqueritur de ipso, suspenditque processum M. cardinalis.

NEc nostrum nec tuum honorem sapiunt, nostro judicio, litteræ quas misisti, quibus fideles nominas manifestos Ecclesiæ proditores, & falsum esse credis, ut asseris, quod esse notorium communis relatio asseverat; nec illud, ut credimus, inserere debuisses, quod in terra, in qua totum tibi regimen competit, nulla per alium rectorem vel vicarium jurisdictio debeat exerceri, cum in eos qui nostram majestatem offendunt, nobis liceat & per nos & per alium apostolicæ sedis injurias vindicare: quamvis communes redditus, quos habemus alicubi, concesserimus cardinali, quem non in æqualitatem potestatis admittimus, sed emolumento potius temporali non sine honoris participio stabilimus. Sane ne tuis precibus, quæ ad gratiam declinabant, deesse totaliter videremur, dilecti filii nostri M. sanctæ MARIÆ in Porticu diaconi cardinalis patrimonii B. Petri rectoris suique vicarii processum suspendimus, usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, & interim ad civitatem Castellanam mittemus inquisituri super objectis plenius veritatem: quam si, prout notoria dicuntur, invenerimus; justè quod justum fuerit prosequemur, non rigori per omnia, sed æquitati potius inhæsuri. Illud quidem docentes subjungimus, quod qui tuo vel tuorum subsunt regimini, gravius ceteris nos offendunt; & ne longè petantur exempla, Cornetum, Spoletum, & Castellana civitas hoc testantur, ut de Petro de Vico & personis aliis singularibus taceamus, quæ quam graviter nos offenderint non ignoras. Datum Perusii (d) v. calendas Junii anno I. Anno 1265

EPISTOLA LXVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Caroli comitis in Urbem adventum scribit, & ut colligendæ decimæ vigilem se exhibeat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Nobilem virum CAROLUM Senatorem Urbis, Andegaviæ ac Provinciæ comitem ad Urbem venisse noveris pecunia carentem & equis: unde cùm nec persona comitis nec ne-

(b) *Al.* Negotium Romanæ ecclesiæ impedire.
(c) *Al.* Richardo.
(d) *Al.* xv. Calendas.

gotium quod agitur sit in tuto, nisi ei pecunia celeriter ministretur, circa decimam colligendam non oportet alicujus desidiæ vel negligentiæ somno torpere; sed prudentiam tuam ad hoc tota mente nocte dieque sollicitè vigilare, quòd idem comes pecuniam quantamcumque ex eadem decima colligi facies habeat tempestivè. Datum Perusii III. nonas Junii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LXIX.

Eidem.

Ut viginti librarum millia mercatoribus Senensibus solvat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius nobilis vir CAROLUS, filius claræ memoriæ regis Franciæ, senator Urbis; Andegaviæ & Provinciæ comes dilectum filium magistrum Dionysium de Essartis clericum suum ad præsentiam nostram transmittens, data sibi per suas litteras contrahendi mutuum nomine prædicti comitis usque ad summam viginti millium librarum Turonensium à quibuscumque mercatoribus Senensibus vel Florentinis, aut quibuslibet aliis, & obligandi propter hoc mercatoribus, cum quibus hujusmodi contraheret mutuum, decimam proventuum ecclesiasticorum pro negotio regni Siciliæ in regno Franciæ, ac quibusdam aliis certis terris, atque provinciis, civitatibus & diocesibus prædicto comiti ab apostolica sede concessam, plena & libera potestate, nobis suis litteris humiliter supplicavit; ut obligationi hujusmodi apostolicum præberemus assensum. Nos itaque prædicti comitis petitionibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuere cupientes, nostrumque super hoc benignè præbentes assensum, dilectum filium Bonaventuram Bernardini, Franciscum Guidi, & eorum socios cives & mercatores Senenses, qui ad personam nostram & Romanam Ecclesiam affectum gerunt benevolentiæ specialis, quique nobis & eidem Ecclesiæ in aliquo necessitatis articulo non desunt, sed student potius gratis devotisque obsequiis complacere, cum multarum instantia precum induximus, ut mutuum hujusmodi magistro concederent supradicto. Iidem igitur mercatores tam nostris quàm prædicti comitis votis ac beneplacitis obsequentes, prædicto magistro nomine præfati comitis viginti millia librarum Turonensium, eis usque ad festum B. Michaëlis proximo futurum persolvenda, liberaliter mutuarunt: idemque magister eis super hoc prædictam decimam obligavit, & nos hujusmodi obligationi nostrum præbentes assensum, nostra & Ecclesiæ Romanæ bona eisdem mercatoribus, si dictus comes in solutione pecuniæ prædictæ fortè cessaret, per dilectum A filium P. camerarium nostrum fecimus obligari, prout in instrumentis publicis super hoc confectis pleniùs continetur: quorum tenores sub bulla nostra tibi mittimus interclusos. Quia verò cupimus ut iidem mercatores de liberalitate sua commodum consequantur & fructum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus receptis præsentibus, Facio & Rostanno Juncte, Hugoni Jacobi, Lotto Hugolini, Jacobo Egidii & Gasconi Trapilicini B sociis Bonaventuræ & Francisci prædictorum, vel eorum uni de decima satisfacere incipiens, antedictam illam sociis assignes eisdem, & ab ipsius collectoribus in Remensi, Senonensi, Rotomagensi & Turonensi provinciis deputatis faciat integrè ac sine difficultate qualibet assignari: Ita quòd prædictis mercatoribus de præfatis viginti millibus librarum Turonensium ex prædicta decima antè festum prædictum vel saltem in festo ipso sit plenariè satisfactum. Et quidem expedit pro utilitate comitis, quòd præ- C dictis mercatoribus celeriter de præfata pecunia satisfiat, eo quòd ad ipsos intendit in brevi habere in simili casu recursum. Quicquid autem super his proposueris faciendum, nobis per latorem præsentium significare procures. Ceterùm quia prædicta instrumenta propter viarum pericula non possunt ad partes illas deferri, volumus ut de eo quod prædictis Facio & aliis aliorum alicui assignaveris & assignari feceris, refutationem & quittationem nostro & Ecclesiæ prædictæ ac ejusdem comitis nomine recipias, D prout videris expedire. Ad hæc super solutione facienda prælibatis mercatoribus de novem millibus librarum Turonensium, super qua aliàs tibi dereximus scripta nostra, nihil tibi scribimus, cùm credamus eis esse de ipsis tuæ sollicitudinis studio satisfactum. Illud autem attentè provideas, quod debita illa omnia pro quibus creditoribus comitis Ecclesiam esse constiterit seu apparuerit obligatam, expediantur quantocius, & creditores ipsi aliis omnibus in hujusmodi debitorum solutionibus præferantur. E Datum Perusii III. nonas Junii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LXX.

Abbati & conventui Majoris-monasterii.

Omnia eorum privilegia confirmat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati & conventui Majoris- Anno 1265 Ex autographo.
F monasterii Turonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, salutem & apostolicam benedictionem.

Devotionis vestræ precibus benignum impertientes assensum, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à regibus & principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas

juſtè ac pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominnm liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentes Dei & Beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Peruſii IV. Idus Junii Pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA LXXI.

Magiſtro & fratribus ordinis prædicatorum.

Ut poſſint in vacantibus eccleſiis, quibus viventibus epiſcopis gaudebant, uti facultatibus confeſſiones audiendi, &c.

Anno 1265 *Ex archivio fr. Prædicat. Toloſanorum.* CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis magiſtro & fratribus ordinis Prædicatorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Exigentibus veſtræ devotionis meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet vobis à nonnullis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis, audiendi confeſſiones ſubditorum ſuorum, necnon prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi, in ſuis civitatibus & diœceſibus licentia ſit conceſſa: quia tamen eiſdem prælatis decedentibus, uti licentia hujuſmodi, eccleſiis ſic vacantibus, dubitatis; nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna diligentia curaremus: veſtris igitur ſupplicationibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in hujuſmodi caſu poſſitis uti tamdiu liberè prædicta licencia, donec viduatis eccleſiis proviſum fuerit de paſtore. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Peruſii XVII. calendas Julii Pontificatus noſtri anno. I.

EPISTOLA LXXII.

Dilecto filio nobili viro comiti Provinciæ.

Quæritur de ſuo in palatium Lateranenſe ingreſſu.

Anno 1265 ETſi perſonam tuam ſinceræ ac teneræ caritatis brachiis amplectamur, ſilere tamen non poſſumus, cum commiſſæ nobis Eccleſiæ pericula imminentia intuemur; & malumus obſtare principiis, quàm poſt cauſam remedium

A quærere vulneratam. Attentaſti ſanè pro libito voluntatis, & forſitan ſine alicujus neceſſitatis intuitu, quod nullus principum devotorum hactenus attentavit, dum gens tua Lateranenſe palatium tuo mandato, ut dicitur, indecenter intravit: quamquam à quibuſdam dicatur, quod alicujus auctoritatem habuit, vel aſſenſum, cui nec de jure, nec de noſtro beneplacito poteſtas in hoc aliqua competebat; & liceat antea tuæ litteræ continerent, quod confidens de noſtra gratia facturus eras, quod tamen

B jam feceras; hoc ſcire te volumus, & pro certo tenere, quod numquam nobis placere poterit, ſenatorem Urbis, quantæcumque ſit celſitudinis, quantocumque favore ſit dignus, in alterutro palatiorum noſtrorum in Urbe moram trahere, cùm & futuro proſpicere velimus diſcrimini, & Eccleſiæ, cui præſidemus immeriti, præeminentiam ſingularem nolumus noſtro tempote dejici, per te maximè, quem ad ejus exaltationem vocavimus & honorem. Tu ergo, dilecte fili, hoc moleſtè non ferens,

C conſtitutus in Urbe, quæ tot abundat domibus ſpatioſis, ad locum alium conferre te ſatage, nec te dicas de domibus noſtris inhoneſtè dejectum; ſed potius honeſtati tuæ conſultum, ſi te noſtræ voluntati contemperas, quæ nec levi præcipitatur judicio, nec ad tuam declinat injuriam, utens ex cauſa tam neceſſaria jure ſuo, cùm nec tibi placere debeat pro tua utilitate tam modica, nos ingens & irreparabile ſubire diſcrimen. Demum ſuper eo quod quatuor fratribus committeremus negotium, quinto ab Urbe volente recedere, priuſquam id peteres

D feceramus; & quamvis noſtri in te reficerentur oculi: quia tamen excuſationem tuam intelleximus eſſe juſtam, quod tibi eſt utilius nobis acceptius eſſe debet. Datum Peruſii (*a*) XIV. calendas Julii anno I. (a)

EPISTOLA LXXIII.

Dilecto filio nobili viro (*b*) Sicardo Alemanni. (b)

E *Gratanter accepit veteris ejus affectionis indicia.*

TUæ devotionis litteras certa veteris affectionis indicia, quam ad noſtram perſonam ab olim habuiſſe dinoſceris perferentes, gratanter accepimus, & obſequii promtitudinem quam nobis pariter intuliſti. Sanè cùm tempora ſint turbata, & viæ ad noſtram præſentiam multis obſtaculis impeditæ, labori tuo parcimus, cui ſi noſtra neceſſitas id requireret, & oportunitas temporis hoc haberet, minime

F parceremus. Datum Peruſiii XII. calendas Julii anno primo. Anno 1265



(*a*) *Al.* XIII. Calendas Junii.
(*b*) *Tres. codex legit* Viſcardo *ſed refragantur omnes alii codices.*

A

EPISTOLA LXXIV.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori, apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de pluribus, sed præsertim de proditione episcopi Firmani.

Anno 1265 INter læta & tristia, quæ promiscuè nobis scribis, superabundans lætitia nos exhilarat, dum è cælo datur tibi victoria à Principe regum terræ, qui terribilis est apud omnes, non in exercitus multitudine, sed in sui virtute brachii deponit adversarios, spiritum miscens vertiginis in medio eorumdem. Multum siquidem de Recanato gaudemus, sed non minus de Firmani episcopi proditione detecta, quem, Domino concedente, ad extremum deducemus opprobrium pro suorum exigentia meritorum. Mitte igitur ad nos capellanum ejusdem episcopi, & tu sub fida custodia & firmis vinculis tene eum, tuam etiam auge (*a*) mainatam, & nos tibi Perusii de paupertate nostra faciemus quatuor millia librarum hujus monetæ tenuis assignari. Sanè te scire volumus, quod ambaxiatores Auximi & Montis-sancti aut malè intellexerunt quod diximus, aut tibi mendaciter retulerunt. Numquam enim te diximus aliquam habuisse pecuniam, sed hoc nos dixisse meminimus, quod cum nihil de Marchia haberemus, incessanter impendere & nihil recipere, erat nobis plus oneri quam honori. De treuga verò Recanatensi & aliorum, nisi tu aliter sentias, credimus expedire quod fiat. Datum Perusii XII. calendas Julii anno I.

EPISTOLA LXXV.

Dilecto filio R. sancti Angeli diacono cardinali.

Revocat eum ad collegium.

Anno 1265 QUatuor angulis domus Job altera Ecclesia sancta concutitur, & aggravatis rumoribus de Terræ sanctæ & Hispaniæ multiplicatis periculis ignoramus quid agere debeamus. Ut tamen quod in nobis est faciamus, discretionem tuam rogandam duximus & hortandam, quatinus, si sine personæ discrimine potest fieri, redeas ad collegium nobiscum coram Domino (*b*)portaturus & daturus consilium quod tibi magni consilii Angelus inspirabit. Quod si tibi salutis propriæ cernis imminere discrimen, super quo te tuæ relinquimus conscientiæ, malumus te carere in modicum quàm in longum. Tu tamen ita necessitati tuæ provideas, ut ea per Dei gratiam relevata, ad nostram reverti præsentiam, quàm cito celerius poteris, non omittas. Datum Perusii XI. calendas Julii anno I.

(*a*) Quid sit *mainata*, seu *manada* superius diximus: nimirum familia, seu armatorum copiæ. In Trecensi codice solo pro *mainatam* legitur *monetam*.

EPISTOLA LXXVI.

Ad fratres Prædicatores.

Ut intrantes ordinem possint à sententiis excommunicationis solvere.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistro & prioribus universis, ac eorum vices gerentibus, Ordinis fratrum Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265 *Ex ms. Patrum Prædicatorum Rotomagensium*

B

Cælestis amor patriæ mentes vestras sic allexisse prospicitur, ut hoc solum delectationi vobis tribuat, quod divinæ voluntati sit placitum, & salutem proferat animarum. Procedit ex hoc quod nos vestris piis petitionibus favorem largiri benevolum delectantes, maxime cum ex apostolici cura teneamur officii, circa religionis augmentum attenti & vigiles inveniri, vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut volentibus vestro aggregari collegio; qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationum sententiis à jure vel à judice promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficia, observata forma canonica, impertiri, & ipsos in fratres recipere, ac eos qui post assumtum habitum, professionem emissam recoluerunt se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam valeatis absolvere, & cum irregularitatibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis vel in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina præsumserint officia celebrare, vel ordines receperunt: ita tamen quod si aliqui ex eisdem hujusmodi sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant ut tenentur. Ceterum vestra discretio caute provideat, ut apostolicæ sedis, legatorum ipsius, & ordinariorum locorum in absolutionibus hujusmodi scandalum evitetur. Nulli ergo, &c. Datum Perusii X. calendas Julii Pontificatus nostri anno. I.

C

D

E

EPISTOLA LXXVII.

Venerabili fratri archiepiscopo Hispalensi.

Regi Castellæ concedit decimam conventuum ecclesiasticorum.

DEsiderantes carissimo in Christo filio nostro regi Castellæ ac Legionis illustri contra Saracenorum insidiosos insultus, qui malitiæ innatæ conceptum producentes in actum, captata opportunitate, terram regis ejusdem nuper invadere præsumserunt, remediis quibus possumus subvenire; tibi per nostras sub certa forma litteras duximus committendum, ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum, tam in subjectis regi eidem, quam in Portugalliæ regnis, servato tamen moderamine, quod tibi per alias exprimemus litteras, usque ad certum tempus colligere, ac ipsi regi assignare curares. Ut igitur moderamen hujusmodi tibi plenius inno- Anno 126[illegible]

F

(*b*) Videtur deesse *onus*, vel legendum cum uno codice colbertino *ploraturus* non *portaturus*.

tescat,

tescat, illud tibi præsentibus explicamus. Volumus itaque quod ante omnia (*a*) paterne memorato regi exponas, quod in animæ suæ dispendium & famæ nihilominus detrimentum, sicut olim in minori officio constituti, suæ consideratione salutis, & honoris obtentu, ei scripsisse meminimus, tertiam ecclesiasticorum proventuum recipit ad ecclesiarum fabricam deputatam, & ipsum solerter inducas quod tibi nomine nostro & ecclesiarum regnorum prædictorum expresse promittat, & litteras super hoc patentes exhibeat, quod exacto prædicto tempore ad colligendam præfatam decimam præfinito, tam ab ipsius decimæ, quam à præfatæ tertiæ perceptione omnino desistet, & ecclesias ac loca, de quorum proventibus decima ipsa percipitur, & ad quæ dicta tertia pertinet, super eisdem tertia& decima ex tunc nullatenus molestabit. Concedimus tamen quod post promissionem & litterarum accessionem, hujusmodi tertiam eamdem per totum idem tempus libere percipiat,& omnia quæ hactenus percepit ex illa, in instantis negotii subsidium licitè convertere valeat, nec ad ipsorum restitutionem aliam teneatur. Quod si promissionem hujusmodi tibi facere suasque dare litteras super illa vel grave vel indecens sibi dixerit vel crediderit, nihilominus ad decimæ collectionem procedas, & eam eidem assignes, sicut in alia littera, quam tibi mittimus, super ea plenius continetur: denunciaturus eidem, quod quæcumque de tertia fabricabili ultra tempus gratiæ sibi factæ percepit hactenus, malè retinet, & quæ percepit non sunt sua, nec etiam sua faciet quæ percipiet in futurum. Nec possumus non timere, quin hæc & similia multum possint, quod avertat Altissimus, suis profectibus adversari.

In præfato verò regno Portugalliæ te de collectione hujus decimæ nullatenus intromittas, si carissimo in Christo filio nostro regi Portugalliæ illustri ad præsens in eodem regno suo guerra contra Saracenos immineat, aut in proximo imminere visibiliter timeatur. Idem, si forte idem Rex Portugalliæ præfatum memorati regis Castellæ negotium assumat personaliter, ac eidem in hoc competens subsidium, prout ejusdem negotii qualitas exigit, & ipsum regem Portugalliæ decet impendat. Datum Perusii VIII. calendas Julii anno I.

EPISTOLA LXXVIII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali apostolicæ sedis legato ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori.

Ut Firmanum episcopum excommunicatum faciat denuntiari.

Anno 1265 DIscretioni tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus (*b*) J. episcopum Firmanum tamquam perjurum, inobedientem, & contumacem, ac ex his causis à nobis sententia excommunicationis innodatum per omnia loca tuæ legationis, in quibus expedire videris, facias solemniter nunciari. Datum Perusii (*c*) VIII. calendas Julii anno I.

EPISTOLA LXXIX.

Dilecto filio A. Basilicæ XII. Apostolorum Presbytero, R. S. Nicolai in carcere Tulliano & J. S. Mariæ de Cosmedim diacono cardinali.

Permittit eis Romæ remanere suis consiliis adjuturis comitem Provinciæ.

AFfectantes vos personaliter esse nobiscum, quia delectabilis plurimum nobis est vestra præsentia, & Ecclesiæ multipliciter fructuosa, pridem vobis scripsimus, ut negotio regni Siciliæ in persona dilecti filii nobilis viri C. Andegavensis ac Provinciæ comitis consummato, ad nos, cùm grandia & gravia nunc Sedi Apostolicæ immineant, ad comportandum unà nobiscum incumbentia nostræ debilitati universalis sollicitudinis onera, rediretis. Sed idem comes attendens vestram in Urbe moram esse sibi & suis ad magnum solatium & vigorem, & ad ipsius negotii adjutorium & profectum, penes nos institit & insistit; ut considerato suo (*d*) statu, cùm vos sibi sitis salubre consilium, favor validus, juvamen efficax, recta via, mandemus vobis, quod remaneatis in Urbe ipsa, & ad nos modo, ne tanto ipse destituatur auxiliis, & ne tot ei subtrahantur commoda, minimè redeatis. Pensatis igitur quantùm est Ecclesiæ utile, quod nobis præsentialiter assistatis, maxime pro difficilibus & arduis, in quibus vestrâ oculatâ circumspectione ac profunda industria nimium indigemus. Pensantes etiam quantum nunc expedit ipsum comitem vestra confortari & roborari præsentia, dictumque negotium vestro magisterio dirigi & disponi: & considerantes quod si ad vestrum intendimus reditum, de multa versus eumdem comitem duritia & inhumanitate notamur, multumque dicimur ipsi negotio derogare, & si fortè innuimus vel suggerimus vobis moram, videmur eidem sedi opportuna sibi detrahere consilia, magnumque inferre confluentibus ad ipsum undique negotiis nocumentum, & personas vestras exponere (*e*) flammineis Romani aëris ardoribus consuetis pro corruptionis suspitione vitari, deliberamus & eligimus in hac meditatione sic implicita & perplexa, quòd nullam in his vobis imponamus necessitatem, sed totum vestro arbitrio relinquamus, ut prospectis diligenter omnibus, sicut decet, ad moram vel reditum flectamini, sicut vultis. Vos itaque providè attendentes, quæ tam circa dictum comitem & suos, quàm circa ipsum negotium, quod plenè novistis, fuerint attendenda, & super his sollicitè conferentes, moremini vel revertamini pro vestræ bene placito voluntatis. Datum Perusii V. calendas Julii anno I.

(*a*) *Al.* Patens.
(*b*) *Al.* G.
(*c*) Trecensis codex legit IX *calendas*.

(*d*) *Al.* Motu.
(*e*) Trecensis codex legit *Flammivomis*.

EPISTOLA LXXX.

Dilecto filio nobili viro olivario de Terminis.

Laudat ipsius propositum ad terram Sanctam proficiscendi.

Anno 1265 (a) DE igne torris (a) exutus, terram sanctam sicut vir strenuus ab adolescentia tua bellator adiisti, ubi vitam tuam finire disponens, (b) vitæ (b) mercaris aditum melioris. Laudamus tuum, fili, propositum, & admisso subdimus calcar equo, tuam sinceritatem hortantes, quatinus illius sanguinem ante oculos mentis habens, qui tanto precio nos redemit, tuum pro ipso fundere, si res exigat, non formides, sicque crucis negotium prosequaris, ut in hujus vitæ miseria Christo cruci confixus, & suæ sis particeps passionis, & efficiaris in gloria socius Crucifixi. Datum Perusii IV. Calendas Julii anno I.

EPISTOLA LXXXI.

Dilecto filio M. S. Mariæ in Porticu diacono cardinali, patrimonii B. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de pluribus negotiis.

Anno 1265 CUm Tudertinis agere poteris, sicut videris expedire. Quod enim diximus de dissimulando in tempus, bonum credidimus; & quantum in nobis est, sententiam non mutamus. Sed quia tu conditiones civitatis & civium, tuæque potentiæ nosti melius, te tuæ dimitti- (c) mus libertati. Sane (c) Hortani à Bertoldo vicario tuo se male conqueruntur tractatos, & si vera sunt quæ dixerunt, non solum malè cum eis actum esse dinoscitur, sed etiam inhonestè. Petuntur etiam insuper ab eisdem fidejussores, quos parati sunt dare, ut dicunt, dum tamen vel in civitate recipiantur eorum, vel detur eis securus adventus ad vicarium, & reditus ab eodem, cùm suspicionem ingesserit, quod in (d) (d) concives inordinatè extitit attentatum. Unde discretionem tuam rogandam duximus & hortandam, quatinus cum omni dulcedine prosequaris justitiam, nec tuos ad libitum debacchari permittas, cùm interdum inordinatio modica magnum processum maculet, & longam rerum seriem particulare vitium decoloret, adhuc placet suspendi negotium Castellanum. Quem enim ad te mittere destinavimus, ex causa retinuimus, propter quorumdam nunciorum (e) eventum, sed cito per te transitum est (e) (f) factarus. Comitem (f) Anguilariæ lætanter & (g) cum honore recepimus, (g) præteritis compatientes angustiis, & de sua liberatione gavisi, quem & te diligere volumus, & ejusdem assistere commodis & honori. Datum Perusii II. calendas Julii anno I.

EPISTOLA LXXXII.

Castellanensi Potestati, consilio, & comitatui Spiritum consilii sanioris.

Mandat, ut idoneos mittant ministros ad faciendam treugam.

CUm nos diu per verba traxeritis fundamento carentia veritatis, experiri volentes, an adhuc obedire velitis, vobis districtè præcipiendo mandamus, quatinus infra diem Jovis proximam, vel saltem in ipsa, ad nostram præsentiam destinetis personam seu personas sufficienter instructas, ad treugam faciendam & firmandam idoneis cautionibus inter vos & viros nobiles Marchiones de Monte Misan. & alios exules vestræ civitatis: alioquin ex tunc contra vos, prout expedire viderimus, temporaliter & spiritualiter procedemus. Datum Perusii calendis Julii anno I. Anno 1265

EPISTOLA LXXXIII.

Dilecto filio GUIDONI titulo S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut ad capitulum Cisterciense se conferat lites inter patres abbates exortas compositurus.

INter dilectos filios abbates & fratres alios Cistercensis ordinis, gravi (h) dissensione suborta, quæ maculam non mediocrem in ejusdem ordinis gloria ponere videbatur, nos qui nuper in minori officio constituti eorumdem compatiebamur angustiis & scissuris, mox ut Dei disponente clementia, ad summi fuimus apostolatus apicem evocati, cor nostrum dedimus ad reformandum in ordine supradicto, in pacis vinculo spiritus unitatem, sicque periculis obviamus animarum, ut quæ priscis simpliciter observata temporibus modernorum subtilitas nube quadam dubietatis obvolverat, nostræ diffinitionis luculento tenore firmata, nec scrupulum ambiguitatis admittant, nec simplicibus oculis materiam offerant quæstionis. Licet autem circa diffinitores capituli generalis aliquid provide statuerimus, quæ dilectorum filiorum nostrorum Claravallensis & aliorum quorumdam abbatum, ut dicitur, animos turbaverunt: nos tamen, ut eorum desiderium impleamus, aliqua circa hæc ordinavimus, quæ viris providis & discretis, quos secundùm cor nostrum eligimus, aliqua duximus committenda, & in instanti capitulo generali explicanda, quæ pla- Anno 1265 (h)

(a) Al. Erutus.
(b) Al. Merearis.
(c) Al. Hortarii.
(d) Al. Consules.
(e) Al. Adventum.
(f) Al. Anglaviæ.
(g) Al. Præ ceteris.
(h) Hujus dissensionis causa dicitur in veteri mss. abbas Clarevallensis, qui cum Cisterciensem, ad quam aspirabat, infulam impetrare nequivisset, alios patres ad abbatis Cisterciensis midam auctoritatem concitavit.

care turbatos poterunt & satisfacere, nisi fallimur, quibuscumque quantumlibet importunis. Cum igitur & te ordo nutrierit, & in eo successivis proficiens incrementis (a) Pater fueris omnium aliorum, (b) discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus in remissionem tuorum peccaminum, ad instans proximè capitulum generale te conferens, juxta datam tibi à Domino peritiam, salutaria verba proponas ibidem, quæ pacem nutriant inter ipsos, & attentè provideas, ut processus totius capituli sit pacificus, & si qui fuerint cervicosi, vel in verba proruperint indecentia, liberè corripias inquietos, & si tibi restiterint insolenter, per censuras ecclesiæ, pœnas etiam depositionis ab officiis, si hoc videris expedire; compescendi eosdem auctoritate præsentium plenam & liberam tibi concedimus facultatem. Datum Perusii v. nonas Julii anno I.

EPISTOLA LXXXIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut præter novem librarum millia etiam viginti millia solvere non postponat Senensibus mercatoribus.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Miramur, nec immeritò, quòd cùm nos tibi expressè per nostras dederimus litteras in mandatis, ut novem millia librarum Turonensium, quarum dilecti filii Bonaventura Bernardini, Raynerius Jacobi, & Franciscus Guidi cives & mercatores Senenses partem de mandato felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, partem verò ad instantiam nostram procuratoribus carissimi in Christo filii nostri C. comitis Provinciæ, nunc Siciliæ ac Apuliæ regis illustris, pro necessitate negotii quod per eumdem regem agitur, liberaliter mutuarunt, & pro quibus ipsi decimam habent & Romanam Ecclesiam obligatas, de decima ipsa per te collecta vel colligenda solvere procurares, ac debitum ipsum omnibus aliis debitis in solutione præferres, tu mandato nostro, quod non decuit, voluntati tuæ postposito, tuas nostris, cùm tamen non æquiponderent, promissionibus anteponis, satisfacto quibus placuit, præfatis mercatoribus adhuc prædictam pecuniam solvere, sicut dicto Francisco referente accepimus, non curasti. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatæ pecuniæ summam, nec non viginti millia librarum Turonensium, pro quibus prædictæ decima & Ecclesia obligatæ noscuntur, sicut per alias litteras nostras mandavimus, solvere ulterius non retardes; sed solutionem hujusmodi ante alia omnia debita studeas quantocius expedire: ita quod commissi delictum per celeris satisfactionis diligentiam corrigatur, & iidem mercatores, qui per devotionis promtitudinem gratiam meruerunt, ex dilatione solutionis dispendium non incurrant, aut Ecclesia non cogatur jacturis vel calumniis subjacere: sciturus quòd licet dictas decimam & Ecclesiam; his & aliis mercatoribus pro dicto negotio, urgente multæ necessitatis instantia, hactenus fecerimus obligari; eas tamen, cùm decima ipsa sit eidem regi pro eodem negotio assignata, postquam de prædictis debitis fuerit mercatoribus satisfactum, de cetero non intendimus pro aliis hujusmodi negotii debitis obligari. Unde cùm negotium collectionis prædictæ decimæ, ex eo quod ex ipsa tota vis totusque processus ac profectus ipsius dependeant, desideret festinatum, omnis vigilantiæ omnisque sollicitudinis studium adhibeas circa eamdem decimam cum omni celeritate & festinantia colligendam, ac per litteras tuas nobis fideliter significare procures quid & quantum de præfata decima est collectum quantumque inde speretur habendum. Datum Perusii II. nonas Julii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA LXXXV.

Dilecto filio M. Veronensi electo.

Scribit ei quid pro sua libertate præstiterit obtinenda.

INter cetera quæ te reddunt Deo & hominibus commendabilem, illud non mediocriter est laudandum, quod sicut verus & constans filius, disciplinam Domini non abjiciens, portasti sine murmure virgam ejus, & sicut aurum in fornace probatum ad purum excoquitur, sic in tribulationis multiplicis conflatorio examinatus ad plenum, omni remota rubigine, teipsum Domino vas purissimum obtulisti. Sanè licet tibi superesset certissimus ex hujusmodi tentatione proventus, nos tamen tuis compassi languoribus & ærumnis, semper parati fuimus vias exquirere, quibus tuam possemus personam squalore carceralis custodiæ relevare: sed cùm nostrum ad hoc non (c) sufficiat studium, sicut ille placuit, in cujus manu sunt corda regum, Carissimus in Christo filius noster illustris rex Aragonum tuæ compatiens probitati, & in tua liberatione, quam impetrat, nobis placere desiderans, pro eadem feliciter (d) consummanda, misit dilectum filium archidiaconum Vicennensem in multis laboribus & expensis, qui sui jam fructum laboris obtinuit; si tamen caveris quod viro nobili M. quondam Principi Tarentino, nec in terra quam tenet in regno Siciliæ, ducatu Apuliæ, (e) & Capuæ principatu, nec

Anno 1265 — Laudat ejus in carcere patientiam.

(a) Guido enim fuerat abbas Cisterciensis vir eximiis meritis commendandus & ab Urbano papa IV. in purpuratorum collegio adlectus anno 1263.
(b) Al. Districte tibi.

(c) Al. Sufficeret.
(d) Al. Conservanda.
(e) Ita Trecensis codex, alii legunt *Campaniæ*.

in terris aliis ubicumque te cum armis opponas, A nec ducatum(*a*) nec capitaneatum masnatæ militum vel exercitus cujuscumque recipias contra ipsum. Nos igitur quia te tanti cordis & fidei esse credimus, quòd hæc sine nostra licentia forsitan non promitteres, discretioni tuæ per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna nostræ gratiæ in perpetuum amittendæ, districtè præcipiendo mandamus, quatenus juxta consilium præfati archidiaconi Vicen. pro tua liberatione complenda dictam cautionem exponere, additis & detractis quæ ipse duxerit vel dictaverit, & proprii juramenti religione firmare nec differas, nec postponas. Satis enim in armis parcere tibi possumus, in quorum exercitio sic te reddidit magnanimitas virtuosum, sic ostendit experientia diligentem, ut à modo tamquam miles emeritus, non ignavus, ad labores alios valeas reservari, nec marcere apud nos otio verearis cùm multi nobis casus immineant, sub diversis mundi climatibus: in quibus circumscriptis armorum fragoribus devotos nostros possumus exercere. Datum Perusii nonas Julii anno primo.

EPISTOLA LXXVI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Scribit regem Siciliæ regno investitum, & ut cito decimæ collectam ei mittat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Cecilæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Magnificet anima tua Dominum, qui negotium Ecclesiæ super regno Siciliæ, pro quo specialiter fuisti ab apostolica sede missus in Franciam, dignoscitur non sine tuo studio ex eo consummatum per gratiam Dei feliciter, quod idem regnum carissimo in Christo filio nostro CAROLO regi Siciliæ illustri de fratrum nostrorum consilio est collatum, ipso de eo solemniter investito. Cùm igitur idem rex adeo succursu militum & aliis subventionibus egeat, quod etiam ipsa celeritas est morosa, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus ad hoc totum illud quod collectum est vel colligetur de decima Ecclesiæ Romanæ pro negotio prædicto concessa, eidem regi vel procuratoribus suis, ejus nomine facias omni mora & occasione postpositis assignari, mercatoribus quibus pro eodem rege prædicta se obligavit Ecclesia, primitus de ipsa decima satisfacto, attentius provisurus ut circa collectionem ipsius decimæ, ex qua processus immo successus prædicti pendet negotii, sic sis sollicitus & attentus, quòd possis proinde apud Deum & homines non immerito commendari; & nos qui plusquam dici valeat id gratum & acceptum habebimus, te dignis in Domino laudibus attollamus. Datum Perusii nonis Julii Pontificatus nostri anno 1.

(*a*) *Al.* Vel capitulum.

EPISTOLA LXXXVII.

Ricco Bonaguide Nero Fornarii & Angelerio Bonelle Florentinis mercatoribus.

Ratum habet mutuum quatuor millium librarum.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ricco Bonaguide, Nero Fornarii & Angelerio Bonelle mercatoribus Florentinis salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm dilectus filius PETRUS camerarius noster archidiaconus Senonensis à Lottherio de Bonasce cive & mercatore Urbe-vetano mutuante suo & nostro nomine quatuor millia librarum Turonensium pro Ecclesia Romana de mandato nostro receperit nomine mutui, certis nobis loco & termino persolvenda, prout in publico instrumento inde confecto manu Noclerii Scriniarii de Urbe plenius continetur, nos quod ab ipso camerario factum est in hac parte ratum habentes & gratum, volumus inviolabiliter observari. Datum Perusii VII. Idus Julii Pontificatus nostri anno 1.

EPISTOLA LXXXVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mercatoribus Florentinis & Lotherio Bonesce civi Urbe-vetano quatuor millia librarum solvat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm urgente necessitate negotii carissimi in Christo filii nostri C. nunc Siciliæ regis illustris, dilectus filius PETRUS archidiaconus Senonensis camerarius noster à Lottherio Bonasce cive & mercatore Urbe-vetano mutuante pro se, Ricco Bonaguide, Nero Fornarii & Angelerio Bonelle mercatoribus Florentinis quatuor millia librarum Turonensium nomine Romanæ Ecclesiæ pro dicto negotio de mandato nostro receperit nomine mutui, certis sibi loco & termino persolvenda, ac eis propter hoc Romanam Ecclesiam & nostram cameram obligarit, sicut in instrumento venerabilis fratris R. Albanensis episcopi & dilectorum filiorum nostrorum G. S. Georgii ad Velum aureum, & J. SS. Cosmæ & Damiani diaconorum cardinalium confecto, eorumque ac camerarii prædicti signato sigillis plenius continetur: discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatam pecuniæ summam dictis mercatoribus, vel eorum uni, aut certo nuntio eorumdem instrumentum prædictum & papales tibi litteras deferenti, juxta ipsius instrumenti tenorem sine difficultate persolvas: ita quòd camera nostra vel ecclesia præfata ex dilatione solutionis dispendium non incurrat. Datum Perusii VI. Idus Julii Pontificatus nostri anno 1.

A Perusii v. Idus Julii anno primo.

EPISTOLA LXXXIX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Gaudet de regia ipsius dignitate, hortaturque ad omnes superandas difficultates.

Anno 1265 TUæ magnitudinis nobis litteræ per nostrum nuper nuncium assignatæ, regii nominis novum titulum & excellentiæ regalis (a) solii exterioribus oculis offerentes totum nostrum interiorem hominem tanto gaudio perfuderunt, ut levatis in cœlum manibus, dicere Domino cogeremur: *Confirma Deus hoc quod in nobis es operatus.* Sanè confidimus in eodem, cujus perfecta sunt opera, quod tuæ promotionis initia successu firmaturus optato, corroborabit in judicio & justitia regnum tuum, hostes sub pedibus tuis conteret, & tibi barbaras subjiciet nationes. Si igitur tam felicibus tuis auspiciis non tibi subito cuncta cedunt ad votum; si quæ forsan difficultates se ingerunt, numquam tuus dejiciatur animus, numquam tua langueat animositas, numquam tua (b) nutet soliditas, numquam concidat vultus tuus. Sic enim Dominus semper cum filiis agere consuevit, prius eis ostendens aspera, prius dura, ut eò gratior sit subjuncta prosperitas, quòd perplexior eam præcesserit difficultas. Veniunt quidam rumores prosperi de partibus transalpinis; (c) quorum licet auctoritatis mediocris videri possint æmulis relatores, multiplicatio fidem facit, & ex natura negotii redduntur credibilia testimonia eorumdem, una voce clamantium, quòd Francia tota se preparat, tota Provincia se accingit, quódque carissimus in Christo filius noster Rex Franciæ illustris frater tuus ad te gerens affectum, sed (d) ostendens effectum, pro te factus est prædicator, barones & alios ad tuum subsidium excitans & invitans, nec dubium quin suum adhibeat, ut efficacius exigat alienum. Nos autem inde Ecclesiam Dei sponsam multis sperantes honoribus sublimari, sicut primordiis tuæ promotionis adstitimus, sic & futuris profectibus ex affectu proponimus non deesse. Quod igitur postulasti de vicario in Campania novo creando, juxta tuum beneplacitum adimpletur, mutuum quæri fecimus quantum possumus, nostris & tuis interpositis prosenetis; quod quia quantum vellemus, hic non credimus posse inveniri, vide fili, quid in Urbe poteris reperire, ubi sunt plures abundantes in fæculo multas divitias obtinentes. Regi etiam fratri tuo scribimus, ut rogasti, nec pro negotio Terræ sanctæ, quod in summo periculo cernimus, quicquam facimus, quod in nostri tuique negotii vergere valeat detrimentum. De aliis quæ scripsisti, quod poterimus faciemus; & si vires beneplacito responderent, nihil nobis difficile quod tibi saltem utile videretur. Datum

(a) *Al.* Solium. (b) *Al.* Mutetur.

(c) *Al.* Qui licet auctoritatis mediocris videri possint, æmuli tamen relatores multiplicato fidem facit.

(d) *Al.* Excidens officium.

(e) *Al.* P. Giraudi.

EPISTOLA XC.

Dilecto filio M. sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali patrimonii sancti Petri in Tuscia rectori apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de variis negotiis.

DE nostrorum fratrum consilio, qui Perusii nobis assistunt, tuo etiam & aliorum absentium, viro nobili P. de Vico largæ sinum misericordiæ aperire volentes, transacta proxima die Veneris, Silvestri de Carbonagio procuratoris sui recepimus juramentum in forma, quam sub bulla nostra dilectus filius P. (e) Guimundi capellanus noster tibi offeret interclusam, quam eidem nobili & capellano præsentibus, testibus aliis nihilominus evocatis, aperies, & in forma subscripta procedes. Primò legetur eidem nobili procuratoris juramentum & fideliter exponetur, & ipse in manu tua idem faciet juramentum, & dabit fidejussores magis idoneos de contentis in eodem juramento (f) complendis & fideliter observandis, sub pœna trium millium marcarum, & de his recipies fidejussores magis idoneos quos habere poteris; & de numero tuo relinquimus arbitrio. Unam de (g) roquis suis ponet in manu tua nostro nomine, quam tu elegeris, quamdiu nobis placuerit à nobis tenendam, & his factis mittes eum ad nos per te nostro nomine ab excommunicationis vinculo absolutum, & per eumdem capellanum nostrum mittes nobis publicum instrumentum de hujusmodi securitate & processu tuo confectum. Scire autem te volumus, nostrum esse propositum dare ei mandata de abjurando MANFREDO quondam principe Tarentino, & omnes conventiones cum eo habitas, quas denunciabimus nullas esse, penitus abrumpendo: & quòd Ecclesiæ Romanæ nullo tempore se opponat, nec ejus inimicis scienter assistat, auxilium, consilium vel favorem impendat, & quòd nobis & successoribus nostris & Romanæ Ecclesiæ perpetuo sit fidelis, & ad hæc omnia successores suos astringat, & quod contra terram illam, de qua inter felicis recordationis URBANUM papam prædecessorem nostrum & ipsum (h) conquestio mota fuit, & dictum nostrum, cui se stare juraverit, expectans, nihil innovet, nullum pactum, nullam conventionem faciat cum quacumque persona, quibuscumqueve personis sine nostra licentia speciali, & quod jura B. Petri & nostra non impugnet in posterum: immo viriliter & ex fide deffendat, & si quæ similia, quæ ad fidelitatis consolidationem pertineant, fratres duxerint (i) admittenda. Sane providebimus eidem super pœnis & processibus inflictis vel habitis contra ipsum, & illas specialiter & generaliter, prout ei utilius (l) omne videbitur, prosequemur. De terra autem, quam dictus præ-

Anno 1265. De reconciliatione Petri de Vico.

(f) *Al.* Plene & fideliter observandis.

(g) Rogua seu roga est quædam navis species.

(h) *Al.* Quæstio.

(i) *Al.* Adnectanda.

(l) *Al.* Esse videbimus.

deceſſor noſter petiit, nihil definiemus, donec fratres adfuerint qui nunc abſunt. Indigemus enim ſpecialiter dilecti filii noſtri J. ſancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconi cardinalis conſilio ad illam materiam ordinandam, ſuper qua cum eo pluries habitus eſt tractatus. Sic tamen ordinabimus quod majori dominio penes Eccleſiam remanente, ipſe ſub honeſtis cautionibus terram ipſam cum utili dominio & pleno imperio ſibi & ſuis ſucceſſoribus retinebit. Credimus etiam ex hac ſuſpenſione ſibi parari reſponſum, tam ad interpellationem regis, quam ad Romanorum clamorem, ut ſecurè reſpon- B
» deat. Pendet lis coram papa & abſolvi non
» potui, donec ſuper ea juravi ſtare mandatis
» ejuſdem. Unde donec me expedierit, facere
» cum aliis nihil poſſum, ne ad duas partes
» involvar, ſed tamen dixit mihi papa quod
» reverſis ad ipſum fratribus, qui nunc abſunt,
» mandata ſua proferet ſuper illa; & tunc libe-
» riùs vobis potero reſpondere. Multi jam nobis obloquuntur, quod ad miſericordiam tendimus diſſolutam: ſed novit Altiſſimus quòd ex C fide procedimus, dantes aliquid, immo multum tempori & perſonis; nec eſt quod in hoc facto tantum nos terreat, quantum clamor illorum fidelium, qui in guerra ejuſdem vel membris truncati ſunt propriis, vel propinquos amiſerunt in bello, vel carceribus macerati redemtiones importabiles ſubierunt: quibus quid reſponderi valeat ignoramus, & ſi tua diſcretio videat aliquod in hac parte remedium, tam de hoc quàm de aliis quæ ad negotii inſtructionem pertinent, nos cura reddere certiores. Datum Peruſii v. D Idus Julii anno I.

EPISTOLA XCI.

Dilecto filio Fratri Petro priori S. Paſtoris Ciſtercienſis ordinis.

Ut Philippum de Marerio à vinculo excommunicationis abſolvat, eique crucem adverſus Manfredum & Saracenos tribuat.

Anno 1265 CUm in converſione peccantium jocundemur, quorum noſtri Salvatoris exemplo mortem non cupimus, sed ſalutem tuæ diſcretioni E committimus, per apoſtolica ſcripta mandantes, (a) quatenus viri nobilis PHILIPPI DE (a) MARERIO recipias juramentum de parendo mandatis noſtris, etiam à vinculo excommunicationis abſolvens, confeſſione ejus audita, à peccatis quæ tibi confeſſus fuerit nihilominus abſolvas eumdem, & in omnium delictorum ſuorum remiſſionem & ſatisfactionem plenariam, ſalva tamen reſtitutione eorum in quibus eſt obligatus, crucem ei ex parte noſtra propria manu tradas, F quam contra MANFREDUM quondam principem Tarentinum, Saracenos Luceriæ, & alios fautores ejuſdem facimus prædicari, & coram teſtibus fide dignis, qui celare ſciant & velint quæ viderint, de his confici facias publicum inſtrumentum, & per fidelem nuncium id nobis mittere non poſtponas, & ſi tibi crediderit expedire quod ad preſens publice crucem non ferat, mittat ad nos dilectum filium Martinum Judicem de Reate, per quem ſuam nobis explicet, & nos noſtram per eum eidem explicabimus voluntatem. Datum Peruſii v. Idus Julii anno I.

EPISTOLA XCII.

Nobili viro P. de (b) Marerio Spiritum conſilii ſanioris. (b)

Ut ſpiritum ſanctum ſanctiora afflantem non extinguat.

PEr dilectum filium Martinum Judicem de Reate de tuo propoſito aliqua intelleximus, quæ noſtrum animum magna lætitia perfuderunt. Quo circa hortandum te duximus & monendum, ut in te Dei ſpiritum non extinguas, ſed bonum tibi divinitus inſpiratum lætanter ſuſcipiens, & fideliter promovens, ad ejus obſequium te inclines, cui melius ſervire non poteris, quam ſi noſtris conſiliis acquieſcas, qui vicem ejus in terris gerimus, & ſine acceptione qualibet perſonarum illos diligimus, qui eum diligunt, nec quicquam volumus, niſi quod ei credimus acceptum. Et ſi viam noſtram ſecutus fueris, non ſolum tuæ ſalutem animæ procurabis, ſed & honorem ſtabilem ſtatus tui, & promotionem in melius, nobis dantibus opem & operam, fiducialiter poteris expectare. Datum Peruſii IV. Idus Julii anno I.

EPISTOLA XCIII.

Dilecto filio (c) Guidino Adillano juveni duci Sueviæ, præpoſito Wiſſegrandæ. (c)

Ipſum ad ſe conveniendum invitat.

CUm noſtris fratribus ſis ignotus, & ob multa quæ noſti, noſtra ſit tibi præſentia neceſſaria, expedire tibi non dubites, te ſine moræ diſpendio noſtris ac fratrum oculis præſentari. Nec enim præcipitari te volumus, ſed potius ſic tibi conſulere, ut animæ tuæ provideas, & domui poſſis diſponere, & cum tua, ſi tibi placuerit, reverti ad propria libertate. Id tamen tibi credimus neceſſarium, ut duabus viis terram ingredi non diſponas, ad rem certam alliges mentem tuam, & militiam illam (d) præcurras ad quam te Dominus quantum exterioribus liquet indiciis, multorum judicio præelegit. Datum Peruſii &c. (d)



(a) Al. De Marecio. Al. De Mareno.
(b) Al. De Moreio.

(c) Al. Vrandillano juveni duci Sleviæ. Al. Vv. Andillano juveni duci Sueviæ. (d) Al. Præferas.

EPISTOLA XCIV.

Dilectis filiis decanis & capellanis Ecclesiæ & provinciæ Remensis.

Eorum querimoniis respondet.

Anno 1265 DIlectum filium magistrum Petrum Ambianensis Ecclesiæ præcentorem, procuratorem vestrum, in nostra ac fratrum nostrorum præsentia constitutum, multa gravamina proponentem, quibus vehementer asseruit vos esse per sedem apostolicam oneratos, patienter audivimus, & intelleximus diligenter: quæ tamen sicut ab eodem fuerunt prudenter proposita non repetimus, cum satis ostendat responsio propositionis substantiam, licet in omnibus ejusdem ordinem non observet. Fatemur sanè Remensem ecclesiam & provinciam Romanæ Ecclesiæ non mediocriter caras esse, quin potius eas inter sibi carissimas reputasse, quas utique spectabilium excellentia prælatorum, ecclesiarum nobilitas & scientia (a) plurimorum, probata fides omnium, obsequiosa devotio singulorum, latitudo diocesum, temporalium eminentia principatuum, diversorum emolumenta proventuum, sublimes dudum adeo demonstrarunt, ut ambigere nulli liceat, de rore cœli & terræ pinguedine eas ab olim & hodie benedictionem à Domino, vel ut loquamur verius, benedictionum pluvias meruisse. Unde sanctissima sedes ista, cui licet immeriti præsidemus, præventis à Domino tot benedictionibus filiabus carissimis non invidens, sed congaudens, se semper, prout decuit, eis exhibuit favorabilem, in suis necessitatibus eis astitit, eas congruis exaltavit honoribus, & suis privilegiis communivit, Petri gladium in adversarios (b) eorum exercens, & tyrannorum rabiem ecclesiastica censura compescens. Hæc est sollicitudo pervigil mentis nostræ, hæc affectionis sinceritas, hæc caritatis sunt verba, hæc viscera pietatis, hæc stillicidia gratiarum, quibus affluens mater ad filias, dum incessanter eisdem suæ ministerium exhibet servitutis, si spiritualia seminans, metit pro tempore spicas aliquas temporalium, quod plerumque magis indicit necessitas, quàm voluntas; nec gravat, nec spoliat, nec dici debet à sapientibus onerosa. Ut autem ad species descendamus, quis redemtus sanguine Salvatoris, & in sortem ejus assumtus sub caracteris testimonio clericalis dicere debeat se gravatum, si juxta felicis memoriæ prædecessoris nostri Papæ URBANI providentiam, centesimam suorum proventuum in subsidium conferat Terræ sanctæ, quam sua Dominus in carne veniens honoravit præsentia corporali, in qua evangelica verba, tamquam vitæ perennis semina publicavit, quam sui moriens aspersione cruoris voluit consecrare, quanta tamen hunc (c) levem articulum difficultas obsederit, quot excursus sunt habiti, quot recessus, quot consilia refricata, vos nostis, & nunc, quod dolentes referimus, probat exitus melius quam vellemus. Si autem Domino aliter complaceret, Dei non hominum provisum fuisset consilio, ut Terræ dictæ pararetur auxilium, cujus vicinum imminebat exitium, illi notum qui novit omnia antequam fiant, cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Jam enim audisse vos credimus quæ nuper in ea contigit, stragem populi Christiani, subventiones castrorum, & hostilem potentiam, quæ solito acrius inardescens absorptis pluribus (d) non miratur, sperans quod totus populus noster transmarinus, quod absit, influat in os ejus. Additur tamen, & nobis objicitur: Si tolerabile videbatur, imponi clero centesimam, ex hac causa decima superveniens, quomodo non gravaret, cum levibus levia superaddita conjunctim onerent, quæ gravitare non poterant sigillatim? Sed hæc quæstio facilè solvetur, si rei gestæ tempus & ordo pensentur. Idem siquidem noster piæ memoriæ prædecessor Ecclesiæ sibi creditæ circumfluentes angustias & pressuras per dilectum filium nostrum S. titulo S. Ceciliæ presbyterum cardinalem legatum in Franciam destinatum, virum nobis utique non ignotum, nullaque ratione suspectum, probatæ conversationis & vitæ, multæque providentiæ ac industriæ familiariter nobis exposuit, viam etiam qua sibi consuli providebat per carissimi in Christo filii cardinalis ministerium, tunc minori dignitate fulgentis, nunc illustris regis Siciliæ, si tamen sibi daretur decima in subsidium expensarum, quarum immensitas necessaria ex conditione negotii poterat omnibus esse nota, nosque verbis ejusdem cardinalis auditis, sicut devoti filii nostris compatientes ærumnis, in dandam decimam in pleno consilio consensistis, vel aliis consentientibus tacuistis. Postquam tamen mortem nostri prædecessoris audistis, per errorem opinione concepta, quod ejusdem cardinalis legatio expirasset, ad appellationis inane præsidium convolastis. Jam quidem idem cardinalis in præsentia nostra, cùm tunc essemus in Francia in minori officio constituti, dicto CAROLO nunc regi Siciliæ Romanam Ecclesiam obligaverat sub oculis solis hujus, & carissimi in Christo filii nostri L. regis Franciæ (Ludovici) illustris, aliquorum etiam prælatorum, & idem CAROLUS periculis omnibus pro devotione Ecclesiæ liberaliter se exponens, se Romanæ Ecclesiæ obligaverat vice versa. Unde & nos ad officium apostolatus assumti, luce clarius intuentes, quod (e) nullus pœnitentiæ locus erat, nec quæ providè facta fuerant, poterant sine magno status nostri discrimine & (f) læsione fidelium, & perpetuo hujus sedis opprobrio retractari, per nostras mandavimus litteras integrè solvi decimam, factis & faciendis appellationibus non obstantibus, cùm nec aliud temporis & negotiorum conditio pateretur, latas autem sententias in rebelles, qui parere mallent humiliter quam perire, sine difficultate qualibet per car-

(a) *Al.* Personarum.
(b) *Al.* Erigens earum.
(c) *Al.* Brevem.
(d) *Al.* Nunc minatur.
(e) *Al.* Nulli.
(f) *Al.* Elusione.

dinalem eumdem voluimus, & nunc volumus relaxari, & super irregularitatibus, si quæ forsitan ex hac causa contractæ fuerant, dispensari. Quod autem de multiplicatione conquerimini transeuntium legatorum, excusant casus inevitabiles, & necessitates diversæ, sæpius quàm vellemus, in diversis provinciis emergentes, quibus consulere nos oportet, cum simus omnibus debitores, nec possunt transvolare legati, qui per vos transeunt, vel ad partes vestras ex necessaria causa divertunt, cùm tamen vobis non debeat esse oneri; præsertim transitus cardinalium, quorum vobis jocundus, ut credimus, est occursus, qui Ecclesiæ universali serviunt, & nobiscum super se positum orbem portant. De nobis autem dicimus confidenter, quod per vos transitum facientes, in nullius facie legimus, quod graves ei ad videndum essemus, & [a] ut loquamur liberius (a) si vobis gravamen intulimus, non minus affligebatur inferens patiente, cùm ibidem mora prolixior visa nobis tunc sterilis, mentem nostram acerrimè cruciaret. Ceterum procurationum onera quantum potuit hæc Ecclesia relevavit. Nam centesimæ [b] collectores (b) archiepiscopum Tyrensem de centesima jussit vivere, & missorum attenuavit numerum nunciorum, & ut brevius concludamus filiorum pro viribus indemnitati consulens, quamvis sibi ab æmulis non parcatur, parcit tamen universis & singulis, & devotis præcipuè quantum potest. Quocirca cùm unum corpus in Christo, & invicem membra simus, membra quidem viva per gratiam, non emortua, non sit vobis onerosum, nec pigrum, compati patientibus, & indigentibus fratribus subvenire, nedum piissimæ matri vestræ, quæ inserviens pietati non quæstui, quæ Dei sunt quærit assiduè, non quæ sua. Nos enim, ô filii prædilecti, licet ejus vicem geramus in terris, qui universorum est Dominus, cui nihil datur, aut redditur, nisi quod suum est, vestra spolia non inquirimus, nec vestris carnibus cupimus saturari, sed assumtum pro Deo negotium nec volumus interrumpere, nec valemus. Urget enim nos Christi caritas, zelus fidei, salus populi christiani, & cum ad omnia vires nostræ sufficere nequeant, temporalem subventionem à membris accipimus, à quibus non compassionem majorem exigimus, quàm ad eos, prout novit scrutator cordium, habeamus. Datum Perusii III Idus Julii anno I.

EPISTOLA XCV.

Scriptum fuit juxta prædictam formam in provincia Lugdunensi, adjecto quod infra sequitur.

Anno 1265 SOlvite igitur in pace decimam, solvite pariter & centesimam, omni diffugio, omni exceptione, omni contradictione & appellatione sublatis. Alioquin latas & ferendas sententias in rebelles, non ea qua jussimus facilitate

(a) *Al.* Si cui.
(b) Hic videtur aliquid deesse.

A dissolvi volumus, sed usque ad satisfactionem condignam cum debito rigore justitiæ inviolabiter observari præcipimus & mandamus: quod quidem à nobis petitum fuerat, ut certam aliquam pecuniæ quantitatem, vel pro tota provincia, vel pro diocesibus singulis recipere mandaremus, exaudire nequivimus, cùm ex hoc evidens dicto regi Siciliæ præjudicium pararetur, cui jam totam decimam dudum mandavimus assignari. De hoc tamen cum cardinali agendum est vobis, qui ad id forsitan inducere B poterit collectores.

EPISTOLA XCVI.

Carissimo in Christo filio Carolo illustri regi Siciliæ.

Ut Manfredo Tiburtinæ civitati insidianti occurrat.

GRavis & ex parte fidei (c) personæ insinuatione didicimus, quod quicquid MANFREDUS manifestus tuus & Ecclesiæ inimicus simulet sive fingat, ad hoc suam intentionem specialiter dirigit, & toto posse laborat, ut civitatem Tiburtinam obtineat, in qua dicuntur nonnulli existere proditores. Unde quia id in Ecclesiæ & tuum, nec non Campaniæ & maritimæ, omniumque fidelium circumadjacentium regionum gravissimum periculum redundaret, expedit omnino quod tanto discrimini cum festinantia occurratur. Tua igitur Excellentia super his, sublata qualibet mora provi-D deat, quod persecutoris in hac parte totaliter elidatur, & evacuetur intentio, & civitas ipsa in tua & ejusdem ecclesiæ fidelitate, ac devotione stabiliter præservetur. Datum Perusii (d) III. Idus Julii anno I. Anno 1265 (c) (d)

EPISTOLA XCVII.

Dilecto filio S. tituli Sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori, apostolicæ sedis legato. E

Ut sibi mittat clericum de Monte-sancto & articulos adversum Firmanum episcopum.

SUccedentibus prosperis congaudemus, maximè per quæ superbia deprimitur hostium, & corda fidelium roborantur, quod nuper accidit civitatis novæ perfidis per gentem tuam magnifice superatis. Sanè quia Firmanus episcopus (e) apud nos venit, ad cujus confusionem intendimus, quantum justitia patietur, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus clericum ejus in Monte-sancto detentum F ad nostram mittas præsentiam. Quod si fortè fieri nequit, per loca Firmanæ diocesis, quæ tibi obediunt, quære diligenter, & cautè cum religiosis & clericis quascumque litteras ejusdem Anno 1265 (e)

(c) *Al.* Per insinuationem.
(d) *Al.* IV. Idus.
(e) *Al.* Ad nos venit.

episcopi

episcopi missas ad eos occasione quacumque A poteris invenire nobis transmitte, ut ex comparatione ipsarum convincamus ejus mendacium, inverecundè negantis suam fuisse litteram proditoriam, quam dictus clericus deferebat. Sed & articulos nobis mittas de diversis ejus malitiis, proditionibus, sive dolis, super quibus eum interrogare possimus, & quas super eisdem probationes habeas indilate rescribas. Idem de Forosemproniano dicimus, licet contra ipsum plures articulos habeamus à Fratre M. &c. Datum Perusii II. Idus Julii anno I. B

EPISTOLA XCVIII.

Archiepiscopo Cusentino & episcopo Avinionensi.

Ut in Urbe comprehendi curent Ecclesiæ & comiti Provinciæ adversarios.

Anno 1165 CUm nonnulli filii Belial tam clerici quàm C laïci sub habitibus diversis accedere dicantur ad Urbem, in ejusdem Urbis subversionem, ac personæ dilecti filii nobilis viri C. comitis Provinciæ, senatoris Urbis, ejusque familiæ nocumentum; ne hujus iniquitatis ministri, prætextu ordinis clericalis, quo damnabiliter abutuntur, judicium ultionis evadant; capiendi tales seu faciendi capi, cujuscumque conditionis, ordinis vel dignitatis extiterint, ac faciendi eosdem in arto carcere, sicut expedire videritis, detineri, D necnon officiales seu familiarios ipsius comitis absolvendi hac vice juxta formam ecclesiæ ab excommunicationis sententia, si quam pro injectione manuum violenta in clericos, seu alias personas ecclesiasticas incurrerunt, vobis & utrique vestrum auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Perusii II. Idus Julii anno I.


EPISTOLA XCIX.

Episcopo Aretino.

E

Ut ecclesiæ hostibus nullum ferat auxilium.

Anno 1165 CUm hostes Ecclesiæ contra fideles nostros & terram in gravi multitudine parent exercitum, prout fertur, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus de Cortona & alia terra tua eisdem in armis vel victualibus, vel quibuslibet rebus aliis nullum impendi promittas auxilium vel favorem; cùm nedum ad ista, sed & ad resistendum eis- F dem, & juvandos fideles eosdem, si se offerret opportunitas quam speramus, viriliter ac potenter intendere te velimus. Datum Perusii II. Idus Julii anno I.



EPISTOLA C.

Dilecto filio M. sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali, patrimonii B. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.

Ne procedat adversus Ortanos & Tudertinos.

Anno 1165 CUm hostis erectis cornibus de die in diem Urbis partibus appropinquet, non expedit nostram turbari provinciam, nec causam præcipitii (*a*) verbis vel factis fidelibus ministrari. Ecce Tudertini miserunt nuper Ortanis auxilium, pollicentes plenius fieri (*b*) cùm requirerent. Narnienses & Spoletani, licet non miserint, obtulerunt, & ad id asserunt se paratos. Instat penes nos carissimus in Christo filius illustris rex Siciliæ, ut omnes has exactiones conquiescere faciamus. Quocirca imminentium contemplatione discriminum, & precibus ejusdem regis inducti, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus solum factum Cornetanorum prosequaris juxta traditam tibi formam, & cum omni mansuetudine, non tamen penitus dissoluta, contra Ortanos & Tudertinos ulterius non procedas, donec aliud mandaverimus: nec enim in hoc pendulo diu potest persistere principale negotium, quod si processerit ut speramus, sine arcu & gladio corrigi poterunt corrigenda. Nec te moveat quod preces regis à tuis forsan æmulis procurantur; nam & sine his, idem tibi per omnia, sic se rebus habentibus, mandaremus. Datum Perusii XVII. calendas Augusti anno I.

EPISTOLA CI.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti & Marchiæ Anchonitanæ rectori, apostolicæ sedis legato.

Ut bellum non inferat Urbinatibus.

Anno 1165 INtelleximus, & non (*c*) mediocriter fuimus admirati, si tamen dictis veritas suffragatur, quod Urbinatibus guerram paras; cùm tamen hoc tempore novæ guerræ non placeant, (*d*) & in via, præcipuè tam expectatæ militiæ, quam his ad curiam venientibus & ab eadem redeuntibus opportuna. Unde tuam discretionem hortamur, mandantes, quatenus, si ita est, mutato proposito convertas gladium in vaginam, ut detur aliquid tempori, & malignis subtrahatur occasio gravius malignandi.



(*a*) *Al.* Veris vel fictis.
(*b*) *Al.* Si requirerent.
(*c*) *Al.* Modicum.
(*d*) *Al.* Et injuriæ.

EPISTOLA CII.

(a) Dilectis filiis (a) potestati, capitaneo, & communi Urbinat.

Quod pro ipsis scripserit cardinali S. Martini.

Anno 1265 QUia ea de quibus scribitis ignoramus, dilecto filio nostro S. tituli S. Martini, &c. scribimus, ut si quid habeat adversum vos, id nobis scribere non postponat, à vestra interim molestatione desistens; discretionem vestram hortantes & monentes attentè, ac vobis per apostolica scripta mandantes, quatinus si eumdem in aliquo offendistis, humiliter & benignè satisfaciatis eidem. Si quid autem erit ambiguum, nos postquam ad nostram fuerit perlatum notitiam, salubre, favente Domino, consilium apponemus.

EPISTOLA CIII.

Dilecto filio M. sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali, patrimonii B. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.

MEtuimus quod tu & metuis, & quod æstimas suspicamur; & ideo regi scribimus, ut animositatis suæ progressum freno reprimat rationis, & dilectis filiis nostris cardinalibus in Urbe morantibus nostris damus litteris in mandatis, ut ad id eum inducant efficaciter, prout eis Dominus ministrabit. Excusamus apud eumdem Urbe-vetanorum angustias, Tuscanensium paupertatem, Perusinorum obligationem (b) ad Urbe-vetanos emissam, Vitterbiensium (b) & aliorum tepidorum subterfugia, sicut possumus coloramus, & ex istis concludimus non mirandum, si de terra Ecclesia minus habet auxilii quàm speraret: quod quanto erit exilius, tanto te minus decet ad Urbem accedere cum eodem. Datum Perusii xv. calendas Augusti anno I.

EPISTOLA CIV.

Quinque Cardinalibus qui sunt in Urbe.

Ne rex Carolus præcipiti impetu tam cito in hostes irruat.

CArissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris magnanimum laudaremus pro- (c) positum, si (c) prudente crederemus consilio solidatum. Sed in illa spiritualium enumeratione donorum, quam Propheta sapienter prosequitur, sex prima collocans per binarios, jungit consilio fortitudinem præmittens, dirigens ex se-

A quenti, ut alterius roborata suffragiis, nobilioribus honorentur effectibus, quæ societatis tam utilis emolumenta communicant invicem juvantia, sic plerumque vacua remanent & inania separata. Ecce scripsit rex per Provinciam se in hostis occursum iturum, si contingat eumdem (d) egredi fines regni. Quod si de vestro procedit assensu, miramur plurimum & dolemus simul, si vel nostra sententia nec requiritur, vel contemnitur requisita. Stupemus utique & confundimur, nec levi timore concutimur, dum prospicimus tantum negotium tanto exponi B discrimini sine causa. Si enim nullum expectaret à partibus transmontanis subsidium, si intima adversarii cogeret, color se aliquis excusationis offerret. Sed jam magnam militiam Albam venisse didicimus, & adjectione continua venientium cumulari, & tanta gens nec ad modicum expectabitur, cùm strenuus miles unicus per dies plurimos consueverit à quingentis militibus expectari? Demus regem cum suo exercitu proficisci, & illum adversarium ver Cellarum vel (e) Viconari fines attigisse cum suis bellatori- C bus, habet, ut fertur, locorum situs, ut pugnet si (f) voluerit, & si duxerit abstinendum, non est ad eum non sine magno periculo amissionis accessus. Si ergo standum est regi nostro, quis in solitudine tantam poterit multitudinem panibus saturare? Quis populum continere Romanum? Quin potius, vel paucis ad reditum acclamantibus, dictum facile multitudo sequitur, & puniri non poterit contumacia, & contemtum non parere impunita. Demum quæ verecundia regi nostro, si non exit ad hostem, D Urbis planitiem non (g) intrantem, cùm hoc fixum sit apud omnes, quod ad solam ostentationem accedit, & ut regem provocet ad egressum potius quàm congressum. Hoc enim magnum esset in ejus oculis, si videret à rege nostro in campis supervacuè fatigari Romanos: tunc enim sua dimissa militia, ad suas rediret de more solito voluptates. Quo circa discretionem vestram (h) rogandam duximus & hortandam per apostolica vobis scripta mandantes, E quatinus diligentius attendentes pondus negotii & sequelam, cum eodem rege, cui super his scribimus, collatione habita, eum moneatis & efficaciter inducatis, ne se ipsum præcipitet, & nos & universalem Ecclesiam huic exponat discrimini, sed saniore fretus consilio supervenienes expectans auxilium, suam patiatur audaciam fræno prudentiæ interim cohiberi. Datum Perusii xv. calendas Augusti anno I.

F



(a) *Al.* Duranti capitaneo.
(b) *Al.* Et similium.
(c) *Al.* Prudentiæ.
(d) *Al.* Aggredi.
(e) *Al.* Victovari.
(f) *Al.* Solverit.
(g) *Al.* Intrando.
(h) *Al.* Monendam.

EPISTOLA CV.

Illustri regi Franciæ.

Hortatur ut fratri suo regi Siciliæ subsidia conferat.

Anno 1265 AD serenitatis tuæ notitiam pertulit jam saltem fama celerior, qualiter Carissimus in Christo filius noster CAROLUS Siciliæ rex illustris germanus tuus volens, quod indicit sibi radicata sui generis bonitas, & laudabilis in eo nutritura confirmat, Romanis quidem se certo tempore venturum, ad eorum regimen personaliter assumendum, sub jurisjurandi religione promiserat servare promissum, ac desiderans tamquam benedictionis filius Ecclesiæ occurrere dispendiis contra inimicos ipsius, qui pro libito in ejus patrimonium grassabantur; nec hostis horrens insidias, nec vitans pericula maris (a) imminentia, sed sub Dei fiducia, & innatæ virtutis audacia, incerto se ventorum committens imperio, Romam sine pecunia & equis, cum decenti tamen comitiva pervenit. Verùm sicut Pharao contemtus surgit in scandalum, sic perditionis (b) nutricius, & iniquitatis alumnus MANFREDUS, quondam princeps Tarentinus, videns ipsius adventum, & prævidens exinde se præcipitio proximum, & debitæ ruinæ vicinum, ex eo spiritu nimis temerariæ præsumtionis assumto, quod idem rex suum præmissis ex causis iter accelerans venerat, equis, ut præmittitur, & pecunia immunitus, quodque militiæ regis ejusdem per eumdem M. variis impedimentis oppositis, via non patet, nisi forsitan in magna multitudine veniat, tunc præsertim cum auxilio Mediolanensium facile transitura, vires suas conflavit in unum, satagens præfatum regem, vel per repulsæ opprobrium, vel per conclusionis dispendium confundere in sinu Ecclesiæ matris suæ, ac ipsam Ecclesiam in eodem. Ecce, fili, satis clamat ad te facti istius qualitas, satis etiam fratris caritas interpellat. Amanti enim sufficit nunciare, sufficit ut noveris, tu, qui quos debes amare non deseris. Sufficit, ut firmiter credimus, immo pro certo supponimus, matri tam pio filio suas necessitates exponere. Sufficit fratri apud fratrem gerentem nihilominus erga se patris affectum talibus interpellare precibus, & ipsum ad succursus accelerandi remedium taliter provocare. Accendatur itaque zelus filii, fratris, & patris, nec in tanta necessitate affectio sic accumulata deficiat matri, filio, & germano: ad quod & nos ex intimo mentis affectu, quas possumus deprecatorias persuasiones & preces adjicimus, pietatem regiam monentes, hortantes, & obsecrantes in Domino JESU-CHRISTO, ac in remissione tibi peccaminum suadentes, quatinus prædicta, pia qua decet meditatione, considerans, memorato regi compatiaris, & nobis, ad subventionem ipsius & nostram modis, quos ad hoc utiles & efficaces fore putaveris, dexteram potentiæ regalis extendens. Et cùm particularis solutio decimæ in subsidium negotii, quod regi eidem imminet, deputatæ prosecutioni negotii ejusdem accelerationem omnimodam exigentis, omnino non congruat; sed multiplicandarum expensarum discrimina, & alia graviora pericula, quæ avertat Dominus comminentur; placeat excellentiæ regiæ usque ad vires ipsius decimæ, quæ tuam non possunt latere notitiam, mutuum præfato regi concedere, integre ac sine damno aliquo ex ipsa decima rehabendum, sicque piæ matris & cari fratris ac filii necessitati succurrendo, quasi in extremis necessitatibus & periculis occurrendo, non tam memorato regi & nobis, quàm illi præcipuè fœnerare pecuniam, à quo sperare debes te infallibilis promissionis centuplum, & æternæ vitæ possessionem, inæstimabile quidem interusurium recepturum. Datum Perusii xv. calendas Augusti anno I.

(a) Al. Innumera. (b) Al. Nuncius.

EPISTOLA CVI.

Dilecto filio (c) O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut nullos pacis tractatus in Anglia admittat.

BEnedictus Deus, qui vertiginis spiritum miscuit inter Anglicos, viam tibi præparans, quæ multis difficilis videbatur. Sic sic, fili, operatur Altissimus, sic de sui profunditate judicii negotia suscitans præfocata, superbos dejicit, erigit humiles in sublime, qui revelat profunda de tenebris, & abscondita producit in lucem. Ecce nunc tempus acceptabile, ut perditionis filius reveletur, non ad premendos populos, ut hactenus; sed ad suæ proditionis supplicia sustinenda. Curre igitur, fili carissime, propera quantum poteris, nec te nimis teneat soli natalis allectiva dilectio: tempus enim sine recuperatione prætervolat, & interdum hora plus die, & plus anno dies efficere consuevit. Cave verò cùm veneris ne dolosis tractatibus, sub prætextu mansuetudinis indiscretè falsæ pacis tractatus admittas, cùm nulla Deo placere possit vel nobis, nisi dictus vir pestilens cum tota sua progenie de regno Angliæ evellatur, & angeli satanæ digna factis recipiant, salva misericordia moderata. Statum tuum & commissi tibi negotii sæpe scribere non postponas. Benedicat te Deus, & dirigat iter tuum. MANFREDUS cum suo exercitu Saracenorum & aliorum infidelium venit Cellas, & si Urbi appropinquavit, quod non creditur, timemus de congressu cum carissimo in Christo filio rege nostro, qui in hoc animosior quàm vellemus, nulla potest ratione compesci. Datum Perusii XIV. calendas Augusti anno I. Anno 1265



(c) Ottobono.

EPISTOLA CVII.

Dilecto filio J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ne se committat itineri nisi sanitate restituta.

Anno 1265 QUi tuas nobis litteras præsentavit, nostrum exhilaravit animum, cum te fratresque tuos jam venisse Viterbium nunciavit. Quia tamen apertis litteris intelleximus quamdam te pati (a) discratiam, quæ tui continuationem itineris interrumpat, compassi fuimus patienti, & maluimus te ibidem usque ad plenam convalescentiam moram trahere, quàm cum aliquo tuæ sanitatis discrimine ad nostram præsentiam properare. Expecta igitur, fili carissime, beneficium sanitatis ibidem, quam divinæ benedictionis, & nostræ munere, absentes corpore, præsentes spiritu subarramus, missuri medicos quos volueris, si eorum consiliis posse te credas citius liberari. Datum Perusii XI. calendas Augusti anno primo.

EPISTOLA CVIII.

Archiepiscopo Narbonensi.

Conqueritur de ejus in coepiscopos sententiis.

Anno 1265 A Nostra non excidit, nec à tua credimus excidisse memoria, quanta te monuerimus diligentia, inter promotionis tuæ initia, cùm tunc minori officio fungeremur, omnia agere cum consilio, nihil ex levitate decernere, & ante mentis oculos illud sæpe revolvere, quòd inter munda animalia nullum recipitur nisi ruminet, & findat ungulam: quorum alterum ad deliberationis maturitatem, alterum ad discretionis vigorem noscitur pertinere. Sanè tu, pro ut dicitur, quod & dolentes accepimus, sic sententias tuas præcipitas, quod nec cum laïcis pacem habeas, nec cum fratribus & coepiscopis tuis, quam habere te convenit, unitatem. Quorum aliquibus, si semper tibi non respondent ad votum, cùm urgeat ad oppositum conscientia, improperare diceris, quod in nobis suam ponunt fiduciam, nec alium Deum habent. Nos verò non credimus in tuum prejudicium verbis istis. Si tamen vera sint, malè utique in ore tuo sonare poterant, cùm nullus in nobis idolatret, nec Deum nos reputet, quamquam Dei vicarium possit dicere confidenter, quod nemini ad injuriam debes objicere, sed noster in sede Narbonensis Ecclesiæ immediatus successor, tibi plus ceteris ad honorem & gloriam vendicare. Verum inter cetera mirati fuimus, quod venerabilem fratrem nostrum Tolosanum episcopum, de felicis recordationis prædecessoris nostri mandato à tuis & aliorum sententiis absolutum, cùm in tuam provinciam rediisset, nec citatum, nec monitum, ex causis ex quibus eum antea excommunicaveras, innodare denuo attentasti contra multorum consilia sapientium, quamvis apostolicæ sedi, cui singulariter subes, ut nosti, & nobis, qui immerito præsidemus eidem, deferre merito debuisses: propter quod ad nos redeuntem eumdem oportuit iterum absolvere ad cautelam, multis mirantibus, quòd hoc attentare volueris, juris ordine non servato. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus diligentèr attendens & suscepti gravitatem officii, & ecclesiæ quam gubernas honorem, necnon & provinciæ statum quæ abundat in sapientibus, qui satis discernunt facile, quid sit inter dextram & sinistram, sic facta tua ponderes, sic verba dispenses, ut tuum honorificetur ministerium, & in tuis legatur actibus quicquid decet pontificem, quicquid convenit sapienti, nec enim cujusquam insolentiam contra te mittere disponimus, sed omnes tibi subditos tibi volumus reverentiam plenam & debitam exhibere, contra illos, qui tibi contumaciter resisterent, nostra semper fulcire parati, quam habes jure ordinario potestatem. Datum Perusii XI. calendas augusti anno I.

(a) Discrasia est intemperies.

EPISTOLA CIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut 2932. libras mercatoribus solvat ex decima collecta.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Olim dilecti filii Teghia Jacobi de scala Florentina & Franciscus Guidi Senenses cives & mercatores dilecto filio Dionysio de Asartiis clerico, ac nobilibus viris Jacobo Gantelmi vicario Urbis, & Jordano de Turnutio procuratoribus dilecti filii nobilis viri CAROLI senatoris Urbis, Andegaviæ & Provinciæ comitis, habentibus ab ipso de mutuo contrahendo mandatum, prout in litteris ipsius comitis super hoc confectis evidenter apparet, mille trecentas & triginta duas libras Turonenses liberaliter mutuarunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Postmodum verò dilectus filius noster R. S. Angeli diaconus cardinalis suo proprio nomine duo millia librarum Proviniensium senatus valentia mille sexcentas libras Turonenses pro negotiis præfati comitis recipiens mutuo à mercatoribus supradictis, ea eidem Dionysio ad opus ipsius comitis assignavit. Sane idem comes cupiens de hujusmodi pecuniarum summis prænominatis mercatoribus satisfactionem plenariam exhiberi, obligandi propter hoc mercatoribus ipsis decimam proventuum ecclesiasticorum sibi in regno Franciæ, ac quibusdam aliis certis terris & locis pro negocio regni Siciliæ ab apostolica sede concessam, eidem Dionysio liberam tribuit per suas litteras potestatem. Idem verò Dionysius in dilecti filii P. Camerarii nostri præsentia constitutus, teneri eumdem comitem memoratis

mercatoribus in duobus millibus nongentis & triginta duabus libris Turonensibus recognoscens, ipsius comitis nomine promisit eisdem se ipsis prædicta duo millia nongentas & triginta duas libras usque ad festum B. Michaëlis proximo futurum Parisius soluturum, prout in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur. Nos itaque ad supplicationem dicti comitis nunc Siciliæ regis illustris, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus Thomasio Spiglati, Facio Juncte, Maineto Spine, Hugoni Jacobi sociis prædictorum mercatorum de præfatis duobus millibus nongentis & triginta duabus libris loco & termino constitutis ex prædicta decima satisfacere non postponas, & postmodum prædictas litteras & instrumentum confectum super mutuo contractuo per clericum & nobiles prædictos tibi restitui faciens, de prædictis duobus millibus nongentis & triginta duabus libris nomine cardinalis & comitis prædictorum, cùm instrumentum præfatum confectum super recognitione hujusmodi, quod propter viarum pericula securè non poterat ad partes illas deferri, penes prædictum camerarium remanserit, refutationem recipias sicut decet. Quicquid autem super præmissis duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum Perusii x. calendas Augusti Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CX.

Venerabilibus fratribus patriarchæ Jerosolymitano, archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis hospitalis S. Johannis & domus militiæ Templi Jerosolymitani magistris, nec non & nobilibus viris Gaufredo de Sarginis, & aliis universis baronibus regni Jerosolymitani.

Eorum erigit animos, promittitque auxilium ex parte regis Franciæ, & Marchionis Brandeburgensis.

Anno 1265 QUod permittente Domino iniquitatis filius post obtentam Cæsaream & (a) eversam obtinuit nihilominus Azotum, (b) captivatis ex Dei populo pluribus, & non paucis, ut fertur, occisis, prout per litteras vestras recepimus, nostrum & fratrum nostrorum animos ineffabili mœrore perfudit, cùm stragem populi christiani nec audire sine cordis amaritudine, nec auditam recolere sine cordis tristitia valeamus. Sane quia, non sufficit in tantæ necessitatis (c) articulis, lacrymis indulgere, quæ quamvis divinam impetrent indulgentiam, à propriis tamen viribus exercendis hominem non excusant, manum illico misimus ad remedia, illustrem regem filium nostrum in Christo carissimum & alios barones Franciæ, prout decuit, excitantes ad vestrum, immo potius Crucifixi subsidium, & nunc ad dilectum filium O. Marchionem Brandeburgensem mittimus, cui dudum Dominus inspiravit, ut ad idem opus viriliter se accingat, ad quod efficaciter animamus eumdem, & tam pium ejus propositum hactenus occultatum, pro cujus prosecutione aperta suum nuper ad nos miserat nuncium specialem, per nostra salubria monita promovemus, confidentes in nostri misericordia Redemptoris, quod in brevi videbitis ejus auxilium opportunum. Tu ergo, frater & vos carissimi filii, viriliter agite, nec dejiciantur animi, nec concidant vultus vestri. Nec enim abbreviata est manus Domini, ut salvare vos nequeat; nec auris ejus, ut non audiat, aggravata, nec vos terreat, si seditiones & prælia audieritis cismarina. Quamvis enim universis & singulis nos oporteat respondere; cordi tamen nostro ab olim infixum negotium transmarinum nulli alii potest cedere, sed suum sibi vindicans privilegium apud nos inter alia semper præcipuum judicatur. Datum Perusii VIII. calendas Augusti anno I.

(a) Codex Trecensis legit *Aversam*, quæ urbs est Campaniæ non Palæstinæ.

(b) *Al.* Captitatis.

(c) *Al.* Actibus.

EPISTOLA CXI.

Illustri regi Armeniæ.

Commendat ipsi ordinem S. Johannis Jerosolymitani.

QUanto te Dominus in populo Christiano amplioris regni solio voluit honorare, tanto erectum altius obligavit ad sui cultum nominis dilatandum, & inimicos fidei Christianæ pervigilis curæ studio deprimendos. Nosti sanè, fili carissime, quod cùm multa cordis amaritudine nuper accepimus, quàm (d) insolenter irruens in christicolas ille proditor, qui Soldanus Ægypti dicitur, Cæsaream violenter obtinuit & Azotum, effuso sanguine Christi militum, & nonnullis ex eis, quod est multis morte lugubrius, captivatis; propter quod inter damna communia Terræ sanctæ, specialiter Hospitaliorum S. Johannis gravius ceteris, ut audivimus, ordo percussus, magnam vel maximam conventus sui partem amisit, licet amissi dici non debeant, qui pro suæ fragilitatis modulo Crucifixo debitum reddentes obsequium, suæ biberunt calicem passionis. Verùm cùm tu speciali, ut credimus, affectione dilexeris ordinem memoratum, quod in diversis casibus reipsa diceris comprobasse, Serenitatem tuam hortandam duximus & rogandam, quatinus fratribus ejusdem ordinis, in tot & tantis angustiis constitutis, cum ab eis super hoc fueris requisitus, assistas efficacius consilio & auxilio opportunis; & licet pro eisdem specialiter te rogemus, nihilominus & pro omnibus te rogamus, qui in terra prædicta invocant nomen Christi: in remissione peccaminum suadentes, ut sic ad ipsos te habeas, ut dolere videaris injurias Crucifixi, & fraternæ caritatis illos

(d) *Al.* Insolenter.

jungi consortio, à quibus in catholicæ professione fidei non discordas. Datum Perusii VII. calendas Augusti anno primo.

EPISTOLA CXII.

Dilecto filio abbati & capitulo generali Cisterciensi.

Ut auctoritate sua corrigat quæ in professione fratrum de Calatrava sunt emendanda.

Anno 1265 CONquerente dilecto filio fratre JACOBO pro se & aliis ordinis Calatravæ clericis, nuper accepimus, quod licet olim pro statu ejusdem ordinis à felicis recordationis INNOCENTIO papa IV. prædecessore nostro inter cetera fuerit ordinatum, quod clerici ejusdem ordinis clericum priorem habeant sui ordinis, in cujus manu professionem faciant regularem, quod magistri tamen laïci ejusdem ordinis clericorum professionem recipiunt eorumdem, nec sustinent quod habeant priorem clericum, quamvis dilectus filius abbas Morimundi vestri ordinis ad domum Calatravam tres miserit monachos, unum priorem instituens, alium subpriorem, tertium socium eorumdem, quorum nullus professionem eorum recipit clericorum, nec ad recipiendum debet idoneus judicari, cùm non sint eorum ordinis, immo ab eisdem tam habitu quàm variis observantiis distinguantur. Unde cum dictus magistrorum abusus in recipiendis professionibus clericorum, non solum ordinationi obviet supradictæ, quin etiam ordinis clericalis multum detrahat honestati, petiit suo & aliorum clericorum ordinis ejusdem nomine, super his sibi per sedem apostolicam paterna sollicitudine provideri. Nos igitur attendentes, quod prout & idem frater J. ore proprio est confessus, & ejusdem prædecessoris nostri exprimit ordinatio, ordo dictus Calatravensis monasterio Morimundi vestri ordinis sub certa forma noscitur esse subjectus, licet à vobis tam habitu quam certis observantiis secernantur, eumdem fratrem ad vestræ discretionis providentiam duximus transmittendum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus quæ in eis contra sedis apostolicæ privilegia temere inveneritis attentata, tam vestra auctoritate, quàm nostra, de plano, & sine figura judicii in statum debitum reducentes, sic super his tam plene quàm celeriter (a) paci dictorum clericorum providere curetis, ut ipso vel aliis ad nos ex causa simili venientibus, iteratò committi non oporteat aliis extra ordinem, quod per vos maluimus salubriter & utiliter terminari, attentius provisuri, ne eumdem fratrem impediatis in aliquo, vel per alium vestri vel sui ordinis impediri sinatis, quominus hujus prosecutioni negotii, quod laudabili cœptum videtur proposito, liberè ac licenter intendat, donec per vos, ut diximus, vel vobis negligentibus per sedem apostolicam finis negotio imponatur. Datum Perusii VI. calendas Augusti anno I.

EPISTOLA CXIII.

Dilecto filio nobili viro G. Marchioni Montis-ferrati.

Scribit non posse ei petitum conferre subsidium.

ETsi pia mater Ecclesia suis congaudeat filiis, qui malorum nolentes inquinari contagiis, in suis regionibus fovent justitiam, pacemque defendunt, & personas ecclesiasticas reverentur, non tamen potest omnium onera temporaliter supportare, quamquam spiritali gladio malos coerceat ad justorum præsidium & quietem. Quod si sumtus in bellis (b) legitimis teneretur Ecclesia ministrare suæ sibi nequaquam sufficerent facultates, cum requirant expensas innumerabiles Hispania, Constantinopolis, Terra sancta, Prussia, Livonia, & multæ aliæ regiones, in quibus fidelium cum infidelibus fere continuus est conflictus. Ideoque mirari non debet tua, fili dilecte, nobilitas, si guerras Lombardiæ nostris humeris non imponimus. Nam imperii onera, ad quæ vix sufficit ipse imperator, ferre nulla ratione possemus, & præsertim hoc tempore, quo ea premimur paupertate, ut ipsis quotidianis & domesticis sumtibus minus plene respondere possimus. Cùm igitur inquietemur in patrimonio & in marchia ab hostibus nostris continuò, & fere totus sit orbis sub gladio, postulatum à te subsidium in militia vel pecunia tibi dare nos possumus, quod pro nostris necessitatibus non habemus, quod & tibi per dilectum filium abbatem Fructuariensem dudum præcepimus intimari. Non ergo ascribas injuriæ, si non facimus quod ex aliquo juris vinculo facere non tenemur; nec contemtui imputes, si ad gratiam non procedimus, ad quam nostra se his temporibus possibilitas non extendit. Datum Perusii (c) III. calendas Augusti anno I.

EPISTOLA CXIV.

Dilectis & fidelibus nostris Potestati, consilio, & communi Radicofanensi.

Promittit eis auxilium.

ANtiquæ fidei, quæ in progenitoribus vestris viguit, & per generationes singulas ad vos usque hereditario jure pervenit, semper memores, prout planè confidimus, perseverabitis in eadem, nec timere debetis millia populi circumdantis, cujus Dominus (d) dentes conteret, & in brevi potentiam enervabit. Viriliter igitur agite, & defenso murorum vestrorum ambitu, de rebus exterioribus non curetis. Indemnitati enim vestræ providebitur de bonis, Anno 1265

(a) Al. Parti. (b) Al. Terrenis. (c) Al. II. Calendas. (d) Al. Gentes.

dante Domino, Senensium perfidorum. Nos autem ad vestrum auxilium opem & operam dabimus efficacem, & celerem toto posse. Datum Perusii II. calendas Augusti anno I.

EPISTOLA CXV.

Dilecto filio M. sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali, patrimonii B. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.

Commendat ei Radicofanenses.

Anno 1265 EJulantibus coram nobis nuper nuntiis Radicofanensibus pro subsidio sibi dando, cum victualia sibi deesse clamarent, quingentas libras Perusinæ monetæ fecimus eis dari, dicentibus quod hostium non timebant adventum, si quinquaginta ballistarii adderentur eisdem ultra numerum quem decreveras destinandum. Nunc autem ad nos clamitant (a) iterato dicentes, quod ab hostibus sunt obsessi, & centum indigent ballistariis, & fortè super hoc alios nuncios ad te destinarunt. Cùm igitur tu, qui patrimonium nostrum regis, conditiones ejus melius scire possis, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus quicquid auxilii & consilii impendere eis poteris, necessitati potius consulens, quàm clamori respondens, ministrare nec differas, nec postponas, ne tam nobilis thesaurus Ecclesiæ negligi videatur, cum sit longè majoris prudentiæ, dudum acquisita deffendere, quàm nova quærere, vel acquirere; & injurias præsentes repellere, quàm præteritas vindicare. Datum Perusii II. calendas Augusti anno. I.

EPISTOLA CXVI.

Regi Siciliæ illustri.

Monet subsidium ei ferre non posse, & ut ad regem Franciæ recurrat.

Anno 1265 FRequens nos & assidua sollicitudo perturbat, qua non leviter angimur, dum communis statum negotii mente volvimus & revolvimus, imminentia videmus pericula, nec promta possumus invenire remedia, dum è vicino non suppetit possibilitas, & à remotis ingeritur difficultas. Illud quidem scire te volumus, quod ex animo laboravimus & continuè laboramus ad omnia quæ & vires valeant hostiles reprimere, & tuis adjicere cupitum incrementum; & qui aliter de nobis judicant, aut tamquam cæci palpitant imperitia, aut tamquam (b) filii diaboli ex conflata malitia mentiuntur. Non sunt hoc tempore sub latibulo vires nostræ, fideles non obediunt, licet (c) quidam debitum verbalis devotionis exsolvant, argumentum (d) circumvolant inimici, & multa credunt se facere, si ad aliud non porrigunt manus suas. Si quid tamen in eos statuere volumus ex imperio, terga vertere verbis duplicibus comminantur. Thesaurus apud nos nullus latet, nec nos eum multiplicare proponimus, illis modis quibus multi homines vellent. Vide partes orbis concussas, & scire poteris causas inopiæ. Anglia adversatur, Almannia vix obedit, Francia gemit & queritur, Hispania sibi non sufficit, Italia non subvenit, sed emungit, & unde potest Romanus Pontifex, si Deum timet vel reveretur homines, sibi vel aliis in militia vel pecunia subvenire? Hæc fuit ratio; fili carissime, quare fuit ad decimam laboratum, ut per alium hæc sedes faceret, quod per se facere non valebat. Quamvis noster piæ memoriæ prædecessor, tunc habens multa reposita, quæ in hæc tempora forsitan reservabat, coactus fuerit ante tempus universa consumere, quod dolentes referimus, sine fructu. Quocirca quia & tuam necessitatem audimus, & nostrum non possumus non sentire defectum, expectatione frustrati, quam de Franciæ partibus habebamus, venerabilem fratrem nostrum Avinionensem episcopum ad te mittimus cum litteris, quas dilectus filius noster S. Tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis nudius-tertius nobis misit, per quas & si multum videatur ei & aliis provisum negotium de quo agitur, nobis videtur contrarium, salvo consilio meliori. Voluimus sane quod per dilectum filium nostrum J. S. Nicolaï in carcere Tulliano diaconum cardinalem transitum faceret idem episcopus, & audito ejus consilio, dilectorum filiorum nostrorum A. basilicæ XII. apostolorum presbyteri, & R. S. Angeli diaconi cardinalis tecum audiret consilia. Nec enim omnibus communicare volumus, quia non omnium unus est animus, & defectuum publicatio posset parere detrimentum. Quod si nostrum requiris consilium, licet numquam in negotio aliquo major perplexitas nobis occurrerit; scribimus tamen nihilominus quod sentimus. Si procedit ordinatio quam littera continet cardinalis, nihil tibi exercitus proderit, si non habes, & interim negotium prosequeris, unde te & tuos valeas sustentare. Unde si ad utrumque non poterit cardinalis sufficere, scilicet ad stipendiandum exercitum, & suis sumtibus providendum, longe fuisset melius mitti pecuniam & exercitum in suis venturum sumtibus expectari, quam accelerationem ejusdem ea pecunia emere, quæ tibi pro expensis illorum quos habes & de terra tua expectas debuit destinari.

Necessarium igitur judicamus quod personas discretas duas mittas festinanter in Franciam ad carissimos in Christo filios nostros regem & comitem fratres tuos, nostrumque legatum, quæ defectus tuos & nostros exponant diligenter eisdem, ut quicquid sit de exercitu, quem sine pecunia nequis aliquatenus expectare, pecunia tibi sufficiens destinetur; & exprimas necessariam tibi summam. Nosque per easdem vel alias scribemus eisdem, ut te omnibus modis juvent, sperantes firmissimè, quod licet, prout

(a) Al. In tareto. (b) Duo codices legunt. Dii diaboli. (c) Al. Quoddam.

(d) Al. Auris circumvolat inimici. Al. Aurum circumvolat inimici.

A ab eodem accepimus cardinali, nostræ super hoc apud regem litteræ non profecerint, tamen ubi tuas angustias intellexerit, non poterit ejus pectus adeo fore saxeum, quin & fraterna caritas & necessitas imminens eum moveat ad tuæ subsidium indigentiæ in hoc casu. Consulimus nihilominus, quod tu interim, si qua habes mobilia in Provincia, vel illa vendas, necnon & tuos reditus ad annos aliquos des ad firmam, ut sic per omnem viam tibi consulas, & de contingentibus nihil omittas. Et si queritur quid nos subsidii impendemus, jam respondimus quod B non possumus, & si fortuna nobis pinguior arrideret, adjectis viribus voluntas libera non deesset. Super mutuo de quo tractas, & ecclesiarum possessionibus obligandis, fratres, licet bis contradixerint, consulimus iterato, & dilectum filium Meldensem archidiaconum retinuimus pro finali reportando responso. Ceterum scripsit nobis secretissimè legatus Franciæ, & id ipsum tibi scripsisse commemorat, motum contra te carissimi in Christo filii nostri illustris regis Fran- C ciæ fratris tui. Tu ergo considerans quid possit parere hic conceptus, da operam totis viribus (a) ad (a) pacandum ipsius animum, quod qualiter fieri posse credamus sine prejudicio juris tui, eidem Avenionensi episcopo duximus exprimendum, quamquam super omnibus supradictis tuam nobis non differas scribere voluntatem. Datum Perusii calendis Augusti anno 1.

EPISTOLA CXVII.

D

Archiepiscopo Cusentino.

Facultatem ei tribuit absolvendi ab excommunicatione redeuntes ad Ecclesiæ gremium, &c.

Anno 1265 EXcommunicatis pro auxilio vel favore M. quondam principis Tarentini ad Ecclesiæ reverti volentibus unitatem, cujuscumque nationis vel conditionis existant, nec non & illis qui in comitiva sunt vel erunt carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris, qui pro violenta E manuum injectione in clericos religiosasque personas in canonem latæ sententiæ inciderunt, absolutionis beneficium impendendi juxta formam quam tibi tradidimus, pro Romanis, dum tamen hujusmodi manuum injectorum excessus non fuerint adeo difficiles & enormes, quod iidem injuriatores ad sedem apostolicam sint necessario destinandi, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem; ita tamen quod pro qualitate personarum liceat tibi de solemnitate dictæ Ecclesiæ formam detrahere, juramenti F substantia non mutata. In civibus tamen Romanis nihil volumus de forma prætermitti. Datum Perusii calendis Augusti anno 1.



(a) *Al.* Placandum. (b) *Al.* S. Georgii.

EPISTOLA CXVIII.

Cardinalibus qui sunt in Urbe.

De obligandis ecclesiarum Urbis possessionibus ad ferendum regi Siciliæ auxilium.

POst recessum venerabilis fratris nostri Anno 1265 Avenionensis episcopi quem ad carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ præmisimus, consilium cum fratribus nostris ac vestris habuimus super Ecclesiarum Urbis possessionibus obligandis pro mutuo, quod sic & non aliter rex prædictus in Urbe poterat invenire, & ut ad finem consilii veniamus, non sine cordis amaritudine concesserunt, quod scimus & firmiter credimus, quod dictum mutuum infra terminum quo de decima solvi possit, obligemus pro rege usque ad centum millia librarum proventus & ecclesiarum possessiones, exceptis Ecclesiis Lateranensi, & S. Petri, & ecclesiis cardinalium, & manualibus eorumdem, & ecclesia (b) S. Gregorii, & hospitalibus: sed & in possessionibus ecclesiarum aliarum quas obligari permittunt, castra earum non intelligunt nec ipsas ecclesias, nec domos, in quibus eorum habitant servitores. Expressè etiam caveatur, quòd possessiones hac occasione hujus mutui obligandæ, pro nullo alio debito possint à creditoribus retineri, sive ab ipso comite, sive à Romana ecclesia aliquid aliud debeatur eisdem, immo soluto hoc debito præcise & absque omni dilatione & diffugio ipsi creditores eas reddere teneantur, & sit licitum ipsis ecclesiis seu earum œconomis auctoritate propria possessionem (c) recuperare ipsarum, & ipse rex & ejus curia ad juvandas ecclesias teneantur, immo ad omnem possessorem alium sine omni juris ordine amovendum. Et in hoc casu adjiciunt, quod à rege fiat omnis cautio, quæ convenienter poterit exigi ab eodem, quòd possessiones ipsas liberet infra terminum, & hæc omnia suo juramento confirmet. Et si, quod absit, hoc juramentum ad quod præcise tenebitur non impleret, & ob hoc dictas possessiones, vel aliquam earum contingeret à creditoribus occupari, teneatur nihilominus dictas ecclesias servare indemnes in omnibus, & easdem possessiones ipsis ecclesiis reddere liberatas, & in possessionem vacuam eas reducere earumdem, & deffendere reductas in ipsam. Quod si nulla nobis est spes, quod infra terminum dictum mutuum solvi debeat, & sic omnino per consequens possessiones ipsas ad manus pervenire oporteat Romanorum; sunt qui non consulunt, & sunt qui consulunt obligari. Et qui non consulunt, dicunt ita: si Romani possessiones occupant, (d) rehabendi imminet difficultas, ecclesiæ desertæ remanent, clericis vel monachis proventus solitos non habentibus, oritur Ecclesiæ scandalum: ad papam current miseri ut ab eo pascantur. Dicunt iterum: si procedit hoc mutuum, non diu durare poterit, nec per istud regis poterit satisfieri indigentiæ. Cum ergo consum-

(c) *Al.* Recipere. (d) *Al.* Recuperandi.

tum

tum fuerit, eadem erit regis necessitas, nec A quicquam ei crederent Romani, nisi eis ecclesiarum arces immo & nostræ propriæ obligentur, (a) & nunc prout tunc poterit perdurante necessitatis articulo allegare, sicque pacem numquam habebit Ecclesia, quæ idcirco providebit de decima, ut possit expensarum onera evitare. Qui verò consulunt simpliciter obligari, salva tamen restitutione prædicta, dicunt quod in necessitate hujusmodi excedendus est omnis modus, & sic providendum est regi, ut futurus eventus soli Domino reservetur, & si quid objicitur in contrarium, non solvunt aliter, nisi quod B tanta necessitas lege caret, in qua modus est modum penitus non servare, alioquin cadit negotium, ruit rex inclytus, & Romanam Ecclesiam in præcipitium secum trahit. Vivendum est igitur quantum licebit vivere, & futuris temporibus Dominus providebit. Inter hæc angimur, nec videmus consilium utile, cùm ex omni latere sint angustiæ, quamquam sit multis facile dicere, fiat, fiat, & papam solum sequatur exitus difficultas, & præter periculum conscien- C tiæ perpetua comitetur infamia, quod sit (b) Ecclesiæ dissipator. Vos igitur, carissimi filii, quibus Deus omnipotens & pater luminum intellectum tribuit luminosum, vestrum date consilium, quod & fratres (c) vestri nobiscum expectant. Vidistis enim litteram legati Franciæ fratris nostri, qui cum nos certos reddiderit, quod in tempus longum, nihil potest regi mittere pro expensis, si quid ei (d) consulendum imponimus, sufficienter remanet excusatus. Demum licet D discretus sit nuncius quem transmisimus, quia tamen verba sunt immobilia, quæ litteris commendantur, plenum & planum vestrum consilium nobis scribere nullatenus omittatis. Datum Perusii III. nonas Augusti anno I.

EPISTOLA CXIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Florentinis mercatoribus tria librarum millia persolvat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm dilectus filius P. archidiaconus Senonensis camerarius noster à Peregrino Sassinii cive Florentino, nomine Albertini Roce, Coppi Joseppi, & Puzini Amatoris, civium & mercatorum Florentinorum de ipsorum pecunia mutuante, tria millia librarum Turonensium pro necessitate negotii, quod per carissimum in Christo filium nostrum C. Siciliæ regem illustrem agitur, de mandato nostro receperit nomine mutui certis eis loco & termino persolvenda, ac propter hoc usque ad prædictam summam Romanam Ecclesiam, & cameram nostram, nec non decimam ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ eisdem mercatoribus obligarit, prout in instrumento publico per manus Noclerii Scriniarii de Urbe inde confecto plenius continetur; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictam summam pecuniæ mercatoribus ipsis, vel eorum aliquibus, aut uni, vel certo nuncio eorumdem, instrumentum ipsum tibi & præsentes ac alias ratificationis nostræ litteras deferenti, juxta ejusdem instrumenti tenorem sine difficultate persolvas: ita quòd ex dilatione solutionis camera nostra seu præfata Ecclesia dispendium non incurrat. Datum Perusii II. nonas Augusti, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CXX.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Significat ei anxietatem suam in subventione regi Siciliæ ministranda.

VISÆ tuæ litteræ, quas nuper recepimus, cùm post adventum carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris, multa de quibus facis mentionem, in eis (e) numquam viderimus, nostrum animum non mediocriter perturbarunt. Scripsisti siquidem inter cetera, quòd jam carissimi in Christo filii nostri... regis Franciæ illustris & aliorum magnorum quorumdam sequutus consilia, quibus indecens judicasti non acquiescere, cùm tibi nostrum propter temporis brevitatem requirere non liceret, ad milites stipendiandos (f) convertens decimam, in tantum processeras, quòd solutis debitis quibus in Provincia te astrinxeras, & illis quæ postmodum solvi mandavimus, in longum tempus nihil poteras comiti mittere pro expensis. Sane unde hæc providentia venerit ignoramus, & si forsan Spiritus Dei fuit, spiravit ubi voluit. Sed cùm E liceat atque libeat verum dicere, nescimus unde veniat, aut quo vadat. Prius enim fuerat cogitandum, & utiliter ordinandum, unde se rex Siciliæ equis instrueret, unde se & suos stipendiarios in victualibus sustentaret, unde in Lombardia amicos faceret, quæ sibi transitum præpararent, & his ritè compositis, de nova militia poterat cogitari, quæ si sine stipendiis citra pascha haberi non poterat, longè melius fuerat regem interim cum suis stabilire in suo statu, & ad tempus expectare gratuitos, quàm ad pro- F pinquiorem terminum dare stipendia, & regis alimonias in usum convertere alienum. Numquid enim de vento creditur posse vivere, cui omni die cum suis & Campanis, quos ad suum necessariò traxit obsequium, sunt necessariæ mille libræ Provisenornm & prout credimus Turonensium, & habet nihilominus magnam partem

(a) Al. Et quicquid nunc potest, tunc poterit perduranti necessitatis articulo allegari.
(b) Al. Ecclesia dissipata.
(c) Al. Nostri.
(d) Al. Solvendum.
(e) Al. Quam.
(f) Al. Converteras.

ſuorum, qui equis carent, ad quorum emtionem magna pecunia indigeret. Quod ſi dixeris te & alios credidiſſe, quod apud curiæ creditores ſufficiens mutuum inveniret, minus probabiliter hoc credebas. Tu enim in Francia mercatoribus tradere debuiſſes, quod ei in Urbe refunderent, cùm illi qui apud nos ſunt, nihil velint (*a*) credere niſi nobis, ſed nec nunc nobis, quia dubitant, ne in Francia recta ſolutio eis fiat, cùm necdum intellexerint factam eſſe, ſed quicquid hactenus (*b*) factum fuerit, quid fiet à modo? cùm creditores in longum terminum nihil credant, & tu ſcripſeris quod in longum tempus ei non poteris ſubvenire. Ecce in confectione præſentium perſecutor Eccleſiæ in multitudine gravi in finibus regni erat, & in Tuſcia grandem habebat exercitum, qui totum Eccleſiæ patrimonium tremere faciebat, quem ad Urbis viciniam evocaverat, ut ibi concurrerent cum eodem, & rex cum ſolis Romanis inveniebat mutuum centum millium librarum Proveſinorum non tamen aliter quàm ſi eis obligaremus poſſeſſiones eccleſiarum Urbis, ab eiſdem, ſi ſolutio eis in termino certo non fieret, auctoritate propria occupandas: & dum ad conſiſtorium inſtaremus, tuæ ſupervenerunt litteræ, quæ nobis antea perturbatis turbationem maximam addiderunt. Nam licet ante periculum timeremus, ſi modo quolibet ad Romanorum manus poſſeſſiones hujuſmodi devenirent, unum erat nobis ſolatium quòd decima (*c*) ſubveniret, & ante terminum tota pecunia ſolveretur, ſed ut tuas vidimus litteras, ſpe præciſa, dereliquit nos virtus noſtra: certificati enim quod ſolvi non poterat, neceſſe habuimus hoc inferre, quod poſſeſſiones à creditoribus occupandæ ad eccleſias non redirent de facili, & interim omnes illæ magnæ eccleſiæ ſuis obſequiis fraudarentur, cùm clerici quid comederent non haberent; & tamen tuas litteras Venerabilibus fratribus noſtris Tuſculano & Albanenſi epiſcopis cum multa cordis amaritudine oſtendentes, exhibere noluimus in communi, & adhuc pendet conſilium fratribus noſtris aliter & aliter ſentientibus; & ſi non fiat, regem oportet vel fame deficere vel aufugere; & ſi fiat, eccleſiarum periculum imminet, & ei ad tempus modicum providebitur, quo elapſo, eadem eum neceſſitas occupabit, ſed auxilium non inveniet iteratum. Vide igitur fili, quid faciendum ſit tibi, & à ſtipendiis manum retrahe, niſi tantum invenias mutuum, ut & ſolvendis ſtipendiis, & neceſſariis regis Siciliæ ſumtibus valeas ſubvenire: ſciturus quòd niſi tanta detur pecunia mercatoribus Franciæ, ut in regis obſequium eam faciant redundare, rex deficit, perit negotium, & nos cum eo cadimus quoad illud, nec remedium aliquod poſſumus adhibere, nec enim theſaurum habemus, nec acquirere volumus inhoneſtè, nec honeſtum credimus, quod multi licitum judicarent. Cum Pelavicino multipliciter attentato nihil (*d*) profuimus. Nam auro inebriatus Apuliæ, verba ſalutis non recipit, & tamen ne contemnere videretur, conditiones à nobis petiit contra Deum & omnem juſtitiam, quas, ſi nos caperet cum collegio non haberet. Mediolanenſes bene loquuntur, an bona cogitent, vel finaliter bona facient, Deus novit. Aggrediuntur enim nos petitionibus indecentibus, de quibus ut intelligas aliquas, unam eſſe noveris, quòd Mediolanenſem archiepiſcopum ad locum alium transferamus, ſubſtituamus Cumanum epiſcopum, vel ſaltem legatum per Italiam & Romaniolam & utramque Marchiam faciamus, quòd etiam omnia damna data eccleſiis, & executiones à clero factas remittamus eiſdem, proceſſus omnes prædeceſſoris noſtri contra eos in communi, vel in perſonas ſingulares, clericos vel laïcos habitos revocemus, & alia multa petunt non paris ponderis, ſed injuſtitiæ non minoris; quos cautè per verba ducimus, quia occaſiones videntur quærere, quaſi velint diſcedere ab amico. Dilectum filium noſtrum Ottobonum S. Adriani diaconum cardinalem, & venerabilem fratrem noſtrum patriarcham Antiochenſem rogavimus, & etiam arctius eiſdem injunximus, ut per terram Januenſem venturæ militiæ tranſitum obtinerent, & virum nobilem (*e*) Bernabo ad regis Siciliæ gratiam traherent & favorem; ſed reſponſum nullum recepimus ab eiſdem. Illud credimus, quod ſi quaſi iturus ultra mare navalis proceſſiſſet exercitus, Siciliam habuiſſet. Scribe nobis frequentius, ut tuo & negotii ſtatu cognito, tibi ſimiliter quæ apud nos fuerint certius reſcribamus. Datum Peruſii nonis Auguſti anno I.

EPISTOLA CXXI.

Epiſcopo Aretino.

Anno 1265

GAudium & exultatio cordi tuo debet accedere, dum evidenter intelligis cariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtris regis Siciliæ promtitudinem, qui te nec plene viſum nec cognitum, ad noſtrum teſtimonium, & te in ſui partem corporis, (*f*) propter te alios tam liberaliter, tam libenter admiſit. Quocirca fraternitatem tuam qua poſſumus attentione rogamus, tibi nihilominus ſub atteſtatione divini judicii præcipiendo mandantes, quatenus manum mittas ad fortia, utaris temporis opportunitate, quam tibi Dominus ſubminiſtrat. Nihil enim prudenti præterit otioſum, & ſi bene incœperis, ut ſperamus, exitus melior ſubſequetur. Nos autem qui de te plenius confidimus, ut debemus, hoc cupimus, hoc optamus, ut rex idem in noſtro teſtimonio veritatem inveniat tuis magnificis actibus comprobandam. Datum Peruſii VIII. Idus Auguſti anno I.



(*a*) *Al.* Tradere. (*b*) *Al.* deeſt factum.
(*c*) *Al.* Superveniret. (*d*) *Al.* Proficimus.
(*e*) *Al.* Barnabæ. *Al.* Bernardum.
(*f*) *Al.* Prope.

A

EPISTOLA CXXII.

Episcopo Aretino.

Judicem de Reatæ aliqua ei revelaturum ipsi mittit.

Anno 1265 VEnientem ad tuam præsentiam Martinum judicem de Reate audias patienter, & cum mansuetudine verba ejus suscipias de quadam tecum materia loquuturum, quæ poterit B esse perutilis, si prosperum sortiatur effectum, nec te tædeat audire plurimos: nihil enim deperit in hoc tibi, cùm his possis instrui, & de multis eligere, quod magis videris expedire.
(a) Datum Perusii (*a*) III. Idus Augusti anno. I.

EPISTOLA CXXIII.

(b) Episcopo (*b*) Bajocensi.

Ut in litigando cautum se præbeat.

C

Anno 1265 (c) AD scribendum fraternitati tuæ super negotio quod inter te & Robertum (*c*) Maltum vertitur, nulla nos personæ affectio impulit, sed dumtaxat zelus justitiæ & pacis aviditas, quam coepiscopos & fratres nostros tam ferventer quam providè vellemus amplecti, ut supervacaneis litibus non insisterent, nec de sua potentia confidentes, justitiam alienam opprimere sibi possibile judicarent. Nos sanè nec (d) laqueum tibi (*d*) mittere, nec scandalum in Ecclesia tua ponere volumus, sed te cautum sufficit reddidisse, ut sic tibi provideas in negotio, ne non sine tui honoris macula & sumtus amittas & causam, sciturus quod nec offendimur nec turbamur, si jus tuum juste prosequeris cum ea quæ decet Pontificem honestate.

D

EPISTOLA CXXIV.

Episcopo Atrebatensi.

Ut acceptas pro filio usurarii litteras contemnat.

E

Anno 1265 MIssas tuæ fraternitati litteras facultatis pro quodam, quem asseris magni filium usurarii, si de tuo fuerunt petitæ consilio, ea facilitate potes respuere, qua probasti: quod si (e) de tuo beneplacito earum (*e*) impetratio non processerit, nec in eis quicquam invenies, quod (f) tibi aliquam necessitatem (*f*) indicat, nec uti illis cogeris, quas nullo tempore acceptasti: Illud sanè scire te volumus, quod cum circa fœneratorum filios promovendos te copia reddat inopem, nec adjectione indigeat plenitudo, (g) ne dum si facultatem dederimus: (*g*) quoniam etsi pro tali vel talibus quantumcumque præcisum mandatum receperis, volumus quod non pareas, immo statim judices nos circumventos.

F



EPISTOLA CXXV.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori, apostolicæ sedis legato.

Scribit nullum se posse ei mittere subsidium.

LItteras tuas vidimus continentes, quòd Anno 1265 totam illam pecuniam, quam ex visceribus nostræ paupertatis avulsimus, in stipendia militum jam disperseras; quam tamen te credimus sic suis dispensaturum temporibus, ut eo posset subvenire negotio commodius, quo in tempus & tempora foret consultius distributa. Sane si redimere potest temporis brevitas, quod expectata prolixitas effecisset, hoc ipsum gratum tibi accipimus. Quòd si credis nos fontem habere pecuniæ, qui quasi semper scaturiens nequeat exhauriri, falleris, fili carissime, cùm nec manus se offerant largientium, nec nos extorsionibus intendamus. Ex nunc igitur scire te volumus, & in secreto tenere, quòd nisi sibi Marchia ipsa providerit, à nobis auxilium in pecunia vel militibus non habebit, suisque singulos relinquemus arbitriis, ut si fideles esse voluerint, stent pro fide: qui verò facilitate solita fieri fortè voluerint infideles, tempora præstolabimur, quibus eos possimus conterere, vel successoribus reservabimus conterendos.

Frustra igitur nobis scribes postulaturus subsidium, frustra consummationem negotii polliceberis, (*h*) cùm diu jam fuimus expectatione (h) decepti; frustra mensis vel mensium terminus proponetur, in quibus nullam invenimus veritatem: littus enim aravimus & aramus, & fructus terræ sterilis nolumus amplius expectare. Ceterum si in terra potes ordinare militiam, sicut in alia littera tibi scribimus, qua terra defendi valeat, & hostilis malitia profligari, tunc laudare poterimus Marchianos, qui tot sumtibus inutilibus nos & prædecessores nostros hactenus prægravarunt.

EPISTOLA CXXVI.

Regi Aragonum illustri.

Gratias agit pro missis muneribus, hortaturque ut cesset ab ecclesiarum vexatione.

MIssa nobis tuæ serenitatis pretiosa munera, Anno 1265 ipsa quidem materia, nec minus opere superante materiam, lætanter accepimus; quæ veteris amicitiæ renovantes memoriam, in tuo probant animo non elapsum, si quid ad tuam excellentiam devotionis habuimus cùm minori officio fungeremur. Sanè, fili carissime, cordi nostro à prima fere notitia semper infixus, ab intimæ brachiis caritatis excidere numquam apud nos poteris: tuum est vigilare, ut Deo placeas, cujus vices in terris gerimus, licet immeriti, & Ecclesiam sponsam suam, quam com-

(*a*) *Al.* IV. Idus. (*b*) *Al.* Linocensi. *Al.* Ruthenensi.
(*c*) *Al* In altum. *Trecensis vero codex legit* Martinum.
(*d*) *Al.* Injicere. (*e*) *Al.* Procuratio.
(*f*) *Al.* Inducat.
(*g*) *Al.* Quin etiamsi.
(*h*) *Al.* Cujus.

mercio proprii ſanguinis acquiſivit, habeas in honore, & ſicut per alias litteras latius tibi ſcribimus, à cleri & eccleſiarum oppreſſionibus reverenter abſtineas, quod omni noſtra monitione ceſſante facere te deceret. Porro debet illud advertere tua ſublimitas, quòd ſi per juris tramites ordinatè vellemus incedere, nullum tibi fuiſſet impendendum ſubſidium ab eccleſiis terræ tuæ, donec gravamina revocaſſes earum. Nos tamen acutius intuentes, quod obſequio vincitur animus generoſus, & facilius ducitur, quàm retrahatur, eo ipſo ad dilectionem earum te proſpeximus arctius obligari, quo durante injuriarum inſtantia gratioſior eſt ſubventio, quæ quantumlibet iſtis opportuna temporibus, ex his cauſis honeſtè poterat prorogari. Tuæ igitur conſulens honeſtati, noſtris pariter parces anguſtiis, ſi eccleſiis quarum juſtas querelas aure ſurda præterire non poſſumus, ſub ea libertate dimiſeris, quam & à jure obtinent, & retroactis temporibus à te & tuis anteceſſoribus habuerunt: ad quod te ſollicitamus precibus, in quo ſi, quod abſit, deficeres, id promtius ſequeremur, quod tuæ ſaluti crederemus expediens, quam quod tibi contra juſtitiam tuæ voluntatis motus aut impetus miniſtraret. Sic enim in quocumque ſtatu fuerimus, caros noſtros dileximus, ut iiſdem libentius utilia, quam placentia & moleſta dixerimus quàm damnoſa. Datum Peruſii Idus Auguſti anno I.

EPISTOLA CXXVII.

Dilecto filio M. Sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali patrimonii B. Petri in Tuſcia rectori, apoſtolicæ ſedis legato.

Certo ſe ſcire quæ ipſi ſcripſerat de ſubſidio Radicoſani, &c.

Anno 1265

EX tuarum ſerie litterarum interdum conjecimus, & dilecti filii magiſtri B. Languiſelli capellani noſtri relatione percepimus, quòd quotiens aliqua tibi ſcribimus ſuper ſtatu Provinciæ fluctuantis, ſuggerentibus æmulis nimis creduli, ſcribebamus aſperius quàm oporteat, falſis aliquorum narrationibus circumventi. Sanè minimè dubitamus, quin nobis promiſcuè vera ſuggerantur & falſa, ſed tardi ſumus plurimum ad credendum, ne tamen in ambiguo ſerpant diſcrimina ſcribere cogimur, quæ pertinere credimus ad cautelam. Et ideo quæ de ſubſidio Radicoſani, de expeditione celeri negotii Cornetani, de civitate Reatina à reatu perfidiæ præſervanda, diverſis temporibus tibi ſcripſimus, non tamquam ſuppoſitis quæ vere relata fuerant ſcribebamus, ſed ut factus inſtructior, qui melius ſcire poteras veritatem, & ad eam ſollicitè requirendam ex officio tenebaris, viam in omnibus præeligeres meliorem. Mentiti ſiquidem ſunt nobis Radicoſani dicentes, quod cùm eis ab initio miſiſſes aliquos in auxilium, tribus tantum exceptis aut quatuor, omnes receſſerant, adhuc ſtante exercitu contra ipſos. Mentiti etiam fuerant Cornetani, quod eoſdem per verba ducebas de die in diem procraſtinans, & eos dilationum multiplicatione fatigans. Quid ergo tibi ſcribere poteramus, niſi ſub verbis generalibus, ut tu, cui mentiri non poterant, faceres quod deceret, nec quicquam aliud tibi meminimus nos ſcripſiſſe. Ceterum ſi civitas Reatina inter duas aquas natare propoſuit, hoc ipſum æquanimius toleramus, quàm ſi in contemtus voraginem verteretur. Non enim patitur qualitas hujus temporis, ut frigidos tepidis præferamus. Sed hora veniet, dante Domino, nec tardabit, cùm reſponderi poterit meritis ſingulorum. Datum Peruſii XVIII. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXVIII.

Dilecto filio M. Sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali patrimonii B. Petri in Tuſcia rectori, apoſtolicæ ſedis legato.

Ut requirat à Petro de Vico reddi ſibi arcem Vici vel Bletæ.

Anno 1265

SAtis hactenus noſtrum ſuſpendit animum vir nobilis Petrus de Vico, qui juxta noſtri mandati tenorem nullam tibi reddidit adhuc arcem: quod ulterius diſſimulare nolentes, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ab eodem ſub debito præſtiti juramenti requiras, ut arcem Vici vel (a) Bletæ tibi reddat noſtro nomine expeditam & vacuam à ſuis hominibus, his ſolis quos tu ibi poſueris remanſuris in ea, nec aliquam de ſuis arcibus aliam acceptamus. Sive autem paruerit, ſive parere noluerit, plenam nobis reſcribi volumus veritatem, nec in hoc facto de ſtatu Provinciæ vel qualitate temporis diſputationem admittimus. Omnibus etenim his penſatis, iſtud decernimus faciendum. Datum Peruſii, *ut ſupra.*

EPISTOLA CXXIX.

Illuſtri regi Franciæ.

Ut corrigat exceſſus commiſſos in priorem de Olozanicis.

Anno 1265

AD aures noſtras, dilecte fili (b) Ranulpho Stephano canonico Nemauſenſi ordinis S. Auguſtini priore de (c) Olonzanicis referente, pervenit, quòd quàm plures homines caſtri Calvitionis Nemauſenſis dioceſis, Seneſcalliæ Bellicadri, maligno ſpiritu agitati, ad dictum prioratum de nocte hoſtiliter accedentes cum armis, eccleſiam & domum prioratus ejuſdem auſu ſacrilego debellantes, dictum priorem graviter vulneraverunt, & multis plagis impoſitis, ſemivivum relinquentes eumdem, bladum ipſius prioris, quod in ejuſdem

(a) *Al.* O'etæ (b) Codex Trecenſis legit *Stephano, Framnulfo.* (c) *Al.* Ozarani. *Al* Oſolannicis.

area invenerunt, igne apposito combusserunt, nec his contenti, in domos ejusdem ecclesiæ irruentes, pannos, utensilia, & res alias ceperunt, & secum nihilominus asportaverunt, eidem priori plura alia damna gravia inferentes. Licet igitur ballivi tui in illis partibus inquisiverint de præmissis, quia tamen ad correctionem eorum modo debito non processerunt, dictoque priori debita satisfactio non pervenit, cum tuam non deceat celsitudinem, tam graves excessus clausis oculis pertransire, Serenitatem tuam, quam in protegendis personis & juribus ecclesiasticis attentam novimus rogandam duximus attentius & hortandam, quatinus ad corrigendos excessus hujusmodi, citra mortem tamen & membri abscissionem, eam cures de solita justitia (a) diligentiam adhibere, quod dicti sacrilegi deinceps attentare similia non præsumant, & prædicto priori de tantis damnis & injuriis plenariè (b) satisfaciant. Datum Perusii (c) XVIII. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXX.

Dilecto filio J. S. Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali.

Anno 1265 ET processus & præcedentium zelum circa factum Vitterbiensium intelligimus sinceritate fulciri: de uno possumus dubitare an congruant tempori hi rigores, etiam multa mansuetudine temperati, cùm vicinus sit hostis, & circumvolet (d) aurum ejus, & sint homines modicæ fidei in contracta. Hæc tamen omnia tuæ & legati discretioni committimus ponderanda. Resumtis viribus tua frui præsentia plurimum affectamus. Salvet te Dominus, qui solus omnium est Salvator. Datum Perusii (e) XV. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXI.

Dilecto filio nobili viro Philippo de Monte-forti.

Promittit ei suum erga Siciliæ regem patrocinium.

Anno 1265 SI hactenus tibi non scripsimus, ne mireris, nec te credas ex hoc a nostra (f) solida gratia cecidisse: continua enim occupatio, & magna negotiorum instantia, quæ assiduè animum nostrum premunt, nos frequenter cogunt omittere, quod non essemus alias omissuri, illud autem volumus tuam nobilitatem tenere, quod eam ad te sinceram dilectionem gerimus, quam olim habuimus in minoribus constituti, & in his quæ tuo commodo cederent, & honori te prosequi favorabiliter intendentes, ad augendam tibi gratiam apud carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ opportunis temporibus intendemus. Datum Perusii (g) XIV. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXII.

Illustri regi Siciliæ.

Mittit ei formam sub qua creditoribus ecclesiæ possessiones possunt obligari.

TUis nunciis sæpe diximus, & per litteras tibi sæpius intimavimus, quòd tuis, ut vellemus, subvenire defectibus non valemus, & quotiens replicatur: Cadit ergo negotium, si non facitis; nos subjungere cogimur: Cadet Ecclesia, si quod postulatur implemus. Sane visa littera cardinalis, qui quæ prius scripserat, iterum nobis scripsit, firmiter asseverans quod in longum nihil potest tibi mittere pro expensis, quin immo venerabili fratri nostro Aquensi archiepiscopo & dilecto filio decano Meldensi mandavit, quod Provincialibus nihil mitteret, cùm non sufficeret ad stipendia militum Franciæ persolvenda, sicut per venerabilem fratrem Avinionensem episcopum tibi mandamus, à contrahendo mutuo manum totaliter retrahemus, sic nec nos super eo ulterius inquietes, nec enim destruere creditam nobis sedem, nec mentiri volumus creditoribus, quibus de nostro volumus & de tuo non possumus satisfacere, decima magni temporis jam exhausta. Verumtamen mittimus tibi formam, in qua pro te possessiones ecclesiarum Urbis, licet non omnium, poterunt obligari, de concordi fratrum consilio solidatam, & cum inveneris creditores ad mutuandum paratos, mittemus aliquos cum nostris litteris, qui forma servata possessiones hujusmodi poterunt obligare. Datum Perusii (h) XIII. calendas Septembris anno I. Anno 1265

EPISTOLA CXXXIII.

Dilecto filio J. S. Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali.

ANgit nos cogitatus assiduus de paupere statu nostro, cujus relevationem Deo committimus, pro cujus amore, & proximorum exemplo, nostram æquanimiter patimur paupertatem, & ab omni extorsionis & quæstus specie abstinemus. Sanè cùm ad diversas provincias, sicut nosti, quæ argentum & aurum mittere consueverunt, sint legati de nostro latere destinati, qui sic vices nostras in eisdem supplebunt, ut de nostra vel de nostrorum fratrum præsentia terrarum illarum homines parum curent, finitimas volumus, licet sint tenues, rehabere, & ideo dilectos filios nostros S. tituli S. Martini presbyterum & M. S. Mariæ in Porticu diaconum cardinalem ad nostrum proponimus revocare consilium, & jam militiam quærimus ad terras proprias, ut poterimus defen- Anno 1265

(a) Al. Justitiam. (b) Al satisfiat.
(c) Al. VIII. Trecensis vero *calendas Septembris*.
(d) Al. Legit *aures*, at præferenda videtur nostra lectio quam plures habent mss.
(e) Al. XVIII.
(f) Al. Solita.
(g) Al. XVIII. calendas.
(h) Al. XVIII.

dendas, donec regi Siciliæ meliorem exitum quam ostendat initium videamus. Hæc autem tibi prius intimanda decrevimus, & specialis familiaritatis obtentu, & ut leviter feras, si non facimus quod in nostro fecissemus ingressu, nisi captio comitis Anguilariæ nobis contrarium suasisset. Datum, *ut supra.*

EPISTOLA CXXXIV.

Carissimo in Christo filio C. illustri regi Siciliæ.

Licentiam adipiscendi possessionem regni Siciliæ ipsi elargitur.

Anno 1265 CUm in te claritate fidei, & devotionis sinceritate, quam tu & progenitores tui ad Apostolicam Sedem semper habuisse noscimini, præeminentia generis, strenuitate personæ, ceterisque donariis gratiarum, quibus te divinæ bonitatis affluentia honoravit, providæ considerationis lance pensatis, regnum Siciliæ, debita maturitate consilii, ac diligenti cum fratribus nostris deliberatione præhabitis, tibi ad honorem Dei & sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium fidelium Christi matris, ad tranquillitatem & pacem ejusdem regni, sub certis conditionibus inter nos & te habitis & firmatis, duxerimus conferendum, teque per vexillum investiri solemniter fecerimus de eodem: ingrediendi regnum prædictum vel partem, undecumque & qualitercumque melius poteris, & apprehendendi ac adipiscendi possessionem ipsius auctoritate tibi præsentium plenam & liberam licentiam elargimur. Datum Perusii (*a*) XIII. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXV.

Illustri regi Franciæ.

Exponit regis Siciliæ angustias, quid pro eo præstiterit, rogatque ut ei de pecunia subveniat.

Anno 1265 (*b*) ET temporis qualitas, & (*b*) perurgens nos cogit necessitas, tuam, fili carissime, magnitudinem excitare ad compatiendum Ecclesiæ matri tuæ, quam licet aliquibus retro temporibus nunc ex uno latere, nunc ex alio, vel bella finitima vel remota concusserint, jam, Domino permittente, quasi quatuor ventis cœli in maris medio confligentibus, undique concurrentia mala perturbant, & ad partem quamcumque se verterit, præter regnum tuum à Domino benedictum, quod pro sua pietate Dominus conservet, audit continuos ecclesiarum gemitus, oppressiones pauperum, scissuras principum, tumultus frementium populorum, videt corda calcari fidelium, & exaltari cornua impiorum. Sanè nuper ad ejusdem subsidium zelo devotionis accensus carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ, frater tuus cum multa celeritate deproperans de marinis periculis erutus, cum ea comitiva, quam ad manum tunc habere poterat, promtus animo, promtus fide, quoad alia (*c*) nimis imparatus, ut cernitur, urbem tandem Romanam intravit, & cùm crederet & speraret per celerem decimæ missionem suos è vestigio suppleri defectus; spe demum frustratus accepit, quod eidem, prout necesse fuerat, dilectus filius noster S. Tituli S. Ceciliæ presbyter cardinalis legatus à nostro latere destinatus in Franciam, nequaquam poterat subvenire, magna jam parte decimæ soluta tardius quàm deceret, & aliam in solutionem quàm plurium debitorum exhausta, & ejusdem residuo ad stipendia danda militibus, qui subsequi eum debeant, reservato. Ecce, sicut eidem scripsimus cardinali, visus fuit nobis & aliis ordo multum præposterus, ut adeo laboret exercitus, nudo principe derelicto, cùm esset certò certius eum non equos, non pecuniam detulisse, nec posse de vento vivere tot & tantos, nec creditores (*d*) ultroneos invenire, qui se velint hoc tempore ad mutuum dandum exponere, præsertim cùm audiant malè prioribus satisfactum. Quòd si quæritur quid nos facimus, scire tuam volumus excellentiam, quod fecimus hactenus supra vires, ei quærendo mutuum quod habere potuimus, & ut posset in Urbe plenius invenire, possessiones monasteriorum Urbis cum castris & villis, exceptis solis castrorum arcibus, ei permisimus in tantæ necessitatis articulo, non sine eorumdem monasteriorum discrimine, Romanis creditoribus obligare. Sed hæc penitus non sufficiunt, cùm sint expensæ maximæ, & in hujusmodi fœneraticiis pactionibus magnam partem sortis absorbeat fames insatiabilis creditorum. Angimur igitur & dicere cogimur quod regnum utinam non fuisset, pro quo peregrinari voluit tantus homo, si non aliter subvenitur eidem. Quidquid enim sibi conventum fuerat adimplevimus, & ultra pacta fecimus quod valuimus, nec possumus continuare quod cœpimus, cum jam notum sit creditoribus, quod eis nequit in Francia satisfieri, nec eis fuit, sicut debuit, satisfactum; qui tamen etsi debita recepissent, nollent ulterius viarum periculis se exponere, sed quod eis in Francia fuerit assignatum, in Urbe, prout asserunt, reddere sunt parati pro temporis interusurio modica quantitate contenti.

Moveant igitur te viscera pietatis ad fratrem, moveant & ad matrem, quam ut suæ, immo verius plusquam suæ, fratris afflictiones affligunt. Ipsa quidem perire non potest, & ad flagella multis assueta temporibus, etsi temporalibus nudaretur, suam haberet consolationem in sponso, qui crebris verberibus visitatam eam non deseret in æternum. Sed doleret absque remedio, si vir magnificus, vir insignis, suum & Ecclesiæ promovens ex fide negotium, confusionem, quod absit, reciperet, cum sit unum quod sapientis contristet animum, deficiens per inopiam vir bellator. Alias autem tibi nos scripsisse meminimus, hoc solum superesse consilii cernimus,

(*a*) *Al.* III. Calendas. (*b*) *Al.* Pungens.

(*c*) *Al.* Minus bene paratus. (*d*) *Al.* Ultraneos.

NOTA.

si eum adjuvare volueris in pecunia, de solutionibus imminentibus decimæ recepturus eamdem: quod ut facere tibi placeat, semel & iterum te rogavimus, & adhuc tuam regiam celsitudinem prece tertiò repetita rogamus, & id tibi quod credimus meritorium, in tuorum remissionem peccaminum suademus. Statum terræ, totiusque negotii dilectus filius P. lator præsentium, dapifer mensæ nostræ tibi plenius reserabit. Datum Perusii x. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXVI.

Dilecto filio S. Tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Suas & Ecclesiæ angustias ei exponit.

Anno 1265 TEnoris ejusdem diversas litteras tibi misimus, inter cetera continentes, quod nos attonitos (a) reddidisti, dum addendum robur exercitus ei quem diligis decrevisti, & unde viveret ipse vel ejus familia non curasti. (b) Ecce cameræ nostræ clericum tibi mittimus, qui totius statum negotii tibi narret explicitè, ut de implicitis taceamus, quæ tua prudentia facile poterit conglobare, particularibus circumstantiis evolutis. Sanè te scire volumus, quòd mox ut litteram tuam recepimus, quæ de illa librata providentia, & multis excocta consiliis disserebat, venerabili fratri nostro Avinionensi episcopo tunc in nostra præsentia constituto familiariter eam legimus, qui mandati carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ, quod de militibus stipendiandis fecerat, se nihil umquam scivisse penitus est confessus, & statim eum ad regem misimus, ut suorum discriminum providus contemplator, habito consilio nobis rescriberet per eumdem, quid proponeret, quid eligeret, ad quam mens ejus sententiam declinaret, & nihilominus ei scripsimus, quid nobis in hac materia tutius videretur; & cùm jam fere per mensem moram traxerit idem episcopus apud ipsum, nec recepimus litteram, nec responsum: immo multis mirantibus, vel divinum videtur expectare miraculum, vel in totum committere se fortunæ. Sed & de facto carissimi in Christo filii nostri illustris regis Franciæ atque suo circa partes (c) Bellicadri, quod nobis secretius intimasti, eidem scripsimus, & non curat, nos ei subvenire non possumus, & nostræ tenuitatem cameræ non attendens graviter indignatur, quamvis de omnibus quæ promiseras, unum ïota non fuerit incompletum. De privilegiatorum decimis ei dedimus optionem, vel quod juris expectaret eventum, si justis possent exceptionibus se tueri, vel ad vitandum periculum, illis manentibus liberis, Leodiensem & Virdunensem civitates & dioceses, & quod eidem dederat de Cameracensi & Tornacensi diocesibus obligaremus ad decimam ei dandam, & nullum potuimus habere responsum.

Persecutor magnum habet exercitum, & consumit pecuniam infinitam, & in ingressu ducatus nostri abstulit nobis Cassiam, & aliquantulum retrocessit, sed in finibus regni nobis propinquioribus commoratur. Ecce pro ipso possessiones ecclesiarum Urbis, exceptis S. Petri & S. Johannis Lateranensis & cardinalium ecclesiis & hospitalium & monialium, obligavimus usque ad centum millia librarum Provenien. si ea poterit invenire, & exponimus ecclesias magno periculo; tamen etsi inveniat, non sufficient, cum de eis jam debeat infra Urbem XL. ut dicitur, vel L. millia librarum Proveniensium, & usura detracta de summa totali, qualem voluerint habere Romani, ad quantitatem modicam totum residuum reducetur. Quocirca tua prudentia pervigil esse debet, nec omni vento circumferri doctrinæ. Fuisti quidem inconflatorio curiæ, ubi discere potuisti quomodo rerum initia mediaque cum finibus conferuntur, & utilitates & damna non perfunctoriè, sed cum magna deliberatione pensantur, & licet aliquando pro conditionis humanæ miseria error incidat in consiliis, licet rarò, nihil tamen omittitur quod humana solertia debeat providere. Illud teneas, quod & alias tibi scripsimus, quòd nisi pecuniam des in Francia mercatoribus eamdem in Italia assignandam, labore inani consumeris. Nec enim dabunt eam Italici mercatores recipiendam in Francia, nisi carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris habuerint litteras; nam super illas crederent confidenter. Aliqua tibi narrabit alia lator præsentium viva voce, cui fidem adhibeas, & quid feceris, quid possis facere, quid proponas, quod & quorum auxilium invenies, sine mora per eumdem rescribe. Datum Perusii (d) x. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXVII.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Scribit de pluribus quæ acciderant.

IN confectione præsentium sani eramus per Dei gratiam, cum nostris ac tuis fratribus ituri Assisium, & consecrata S. Claræ ecclesia, Perusium dante Domino redituri. Nec enim alibi possumus gradum figere, cum terræ aliæ patrimonii guerris intendant, vel victualibus non abundent. (e) Venerat MANFREDUS Ecclesiæ persecutor usque ad Cellas, & aliquandiu fuit ibi cum exercitu copioso, ad civitatem Tiburtinam anhelans, quam sperabat sibi proditionaliter reddi, in quo deficiens, inflexo per gyrum itinere, venit ad matricem, & eam obtinuit, & proditores nostri (f) Cassiani se reddiderunt eidem, cúmque ducatus planitiem in-

(a) Al. Dimisisti.
(b) Al. Ecce P. latorem præsentium ad te mittimus.
(c) Al. Bellicardi.
(d) Al. IX.
(e) Al. Venit.
(f) Al. Cussiani.

gredi minaretur, accepit de regno nuncium, A & quicquid ipse tulerit, quod nescimus, in regnum rediit festinanter, dimissa militia in Conari. Rex autem Siciliæ moratur in Urbe, cui necessitate cogente concessimus possessiones ecclesiarum Urbis pro mutuo, si id ibidem invenerit, obligare, ecclesiis S. Petri & Lateranensi & cardinalium, & monialium & hospitalium pauperum, & castrorum arcibus dumtaxat exceptis; sed an inveniat dictum mutuum ignoramus. Brixia reddi debuit Mediolanensibus,
(a) sed extitit per revelatores (a) consilii impedi- B tum. Unde superveniens Pelavicinus cum paucis,
(b) & paulatim (b) aggregans multitudinem copiosam, XIV. de majoribus Cremonam duxit cum familiis eorumdem. Senenses abstulerant Urbevetanis duo castra, & per biduum fuerunt ante Radicofanum, postea retrocesserunt, & audito quod rex Siciliæ misit Urbevetanis auxilium, recessere confusi, & Urbevetani castris recuperatis intraverunt terram Senensium usque ad VIII. milliaria prope civitatem, & magna præda abducta, & villis Campanis consumtis incendio C redierunt. Vitterbienses inquisitionem hæreticæ pravitatis malè seu pessimè tolerantes, seditionem fecerunt, rectore præsente; & facto conflictu inter partes, duo interfecti fuerunt. Transeuntem regis militiam juxta eos recipere noluerunt, & breviter si opportunitatem haberent, mala facerent graviora. Marchia satis volubilis nullum penitus habet statum. Ad Reatinam ecclesiam viduatam episcopum transtulimus Tiburtinum. Fame-gustanæ providimus de fratre Valasco, Fanensi de priore fratrum Prædicatorum Perusii, ecclesiæ de civitate Castelli de D abbate S. Severi. Apud nos alia non sunt nova. Scribe nobis omnia quæ scire nos expedit vel oportet. Datum Perusii VIII. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXVIII.

Episcopo Magalonensi.

Ut pacem inter Narbonensem archiepiscopum & Biterrensem antistitem componat. E

Anno 1265 CUm, sicut intelleximus, inter venerabiles fratres nostros archiepiscopum Narbo-
(c) nensem & episcopum (c) Biterrensem discordiam seminaverit humani generis inimicus; nos qui ex injuncto nobis apostolatus officio pacem desideramus omnibus & salutem, & his præcipuè quos affectu diligimus singulari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus partes tuas interponas ad pacem & con- F cordiam inter eos taliter reformandam, quod sicut eos diligimus, & ipsi nos diligunt versa vice, sic se invicem sincera in Domino diligant caritate. Datum Assisii II. calendas Septembris anno I.

EPISTOLA CXXXIX.

Carissimo in Christo filio regi Aragoniæ illustri.

Gratias ei agit de liberatione electi Veronensis, eique commendat archidiaconum Vicen.

DEvotionis tuæ promtitudinem, quam ad Anno 1265 Romanam Ecclesiam ostendisti, super liberatione dilecti filii MANFREDI Veronensis electi, quem MANFREDUS quondam Princeps Tarentinus persecutor Ecclesiæ detinebat, quam fieri procurasti, quò nihil nobis gratius facere poteras, dignis in Domino laudibus attollentes, magnitudinem tuam multarum gratiarum prosequimur actione. Quanto tamen studio & sudore, quanta sollicitudine, quanto discrimine, quantis etiam personæ periculis dilectus filius R. archidiaconus Vicen. cui onus hujusmodi injunxisti, super hoc laboravit, brevi non posset explicari sermone. Propter quod gratiam meruit apostolicam obtinere, & tua in ipso gratia, licet eum illam habere antea crederemus, debet exinde non modicum suscipere incrementum. Quocirca tuam rogamus serenitatem attentè, quatinus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, nec non & ejusdem archidiaconi merita, quem speciali volumus prosequi gratia & favore, sic specialiter habere velis commendatum eumdem, quod idem archidiaconus hujus nostræ intercessionis suffragium apud tuam celsitudinem sibi non in vacuum affuisse lætetur, & nos tibi proinde opportunis temporibus exponere teneamur apostolicæ benignitatis affectum; nec mireris quia moram traxit idem archidiaconus in istis partibus longiorem, cùm frequenter negotium ad eum statum devenerit, ut omni spe præcisa, videretur totaliter impeditum, propter quod ipsum ire oportuit sæpius, & redire. Datum Assisii (d) II. nonas Septembris anno I. (d)

EPISTOLA CXL.

Dilecto filio M. sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali, patrimonii S. Petri in Tuscia rectori, apostolicæ sedis legato.

Excusat se quod non possit facere quæ ab eo petierat.

SI ad omnem malitiam hostium compescen- Anno 1265 dam promta nobis esset militia, ex adverso promtus adesset animus ad eorum cornua confringenda; sed nec ad danda stipendia nunc sufficimus, nec carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ super dandis militibus duximus requirendum, quoniam si facultas adesset, à nobis potius adjuvari deceret, quamquam principaliter eum tangat facta Romanis injuria. Per consequens non possumus ergo facere quod petisti, nec necessitatem im- minere

(a) Al. Consilium. (b) Al. Congregans.

(c) Al. Rutenensem. (d) Al. Nonas.

minere videmus, quam si pandi contingeret, ab ipsa terra quærere subsidium: nos enim ad expediendum in ea sumus penitus imparati. Datum Assisii nonis Septembris anno I.

EPISTOLA CXLI.

Carissimo in Christo filio regi Castellæ & Legionis illustri.

Excusat se quod non potuerit concedere, quæ circa provisionem Toletanæ ecclesiæ postulabat.

Anno 1265 LÆta nobis tuæ lætitiæ præsentavit nuper indicia magnæ tuæ devotionis & fidei testis epistola quam misisti, magnum illud gaudium exprimens, quod ex nostræ promotionis rumoribus, prout scribere tibi placuit, concepisti, non mediocriter nihilominus nostro nomini congaudens pro B. Clementis martyris debita reverentia tuis dulciter insonans auribus, in cujus festo te, prout asseris, olim uterus maternus effudit, & annis pluribus revolutis recensita Sancti festivitas te & recordationis inclytæ patrem tuum multis ac magnis successibus honoravit. Sanè licet de tanto gaudio, quod se tuis (*a*) infudit visceribus, cùm nos supra meritum ad honorem & supra vires ad onera vocatos, ut credis, cælitus audivisti, assurgamus, ut tenemur, ad grates multorum: tamen grandium defectuum nobis conscii, qui terrorem nobis incutiunt & tremorem, quantæ solium celsitudinis ascenderimus, quantis etiam & quantis patribus successerimus intuentibus flendi potius quàm gaudendi materiam invenimus: nec tamen animus noster dejicitur, cui consolationis remedium ingerit inexhausta divinæ pietatis abyssus, quæ quos conformes suo invenit beneplacito, non sic (*b*) elevat ut allidat, immo potius opus imperfectionis abhorrens, sicut humiles erigit in sublime, sic & locum humilitatis propriæ conservantibus reverenter, manum non subtrahit adjutricem. Sub illius igitur confidentia, qui sperantes in se non deserit, ad fortia manum misimus, & ad gravia coaptavimus humeros imbecilles, & quod possibilitas nostra non obtinet, in eo nos posse confidimus, apud quem non est impossibile omne verbum.

Verùm totius populi christiani, cujus pondus impositum nobis novimus, compatientes angustiis & pressuris, eò tuis angimur gravius inter alias, quo profundius tangimur in eisdem. Quamobrem per diversos jam nuncios tuæ Serenitatis piis petitionibus intellectis, eos quanto celerius licuit expedivimus in his quæ vidimus opportuna negotio, & tuæ benivolentiæ desideriis grato concurrentes assensu, & si qua forsitan non admisimus, vel aliter quàm peterentur concessimus; sciat tua serenitas, non ex contemtu aliquo vel duritia, sed ex sano salubrique consilio processisse, cum nonnumquam ipsi legati principum suæ prudentiæ innitentes, petant ea quæ non expediunt etsi liceant, & interdum etiam quæ non licent: quibus utilius circa talia favor subtrahitur, quàm præstetur. Porro tui conservationem honoris, ejusdemque augmentum prosperum exoptantes, & ad ea quæ secundùm Deum tibi placuerunt exhibere nos promtos & faciles proponentes, prælia Domini & prosecutionem ipsorum juxta morem à tua domo regia jam præscriptum, Ecclesias insuper regni tui, jura, & libertates earum, tuæ mansuetudini commendamus, per viscera misericordiæ Dei nostri obsecrantes eamdem, quatinus sic te strenuè Christi pugilem, sic custodem populi sui vigilem, operum attestatione demonstres, ut cum hactenus in hac parte multos magnos alios reges viceris, nunc vincere satagas & te ipsum. Demum non miretur tua sublimitas, si circa provisionem Ecclesiæ Toletanæ juxta tuas litteras non processimus, quæ licet zelum tuum (*c*) exprimerent & affectum, quem diversis ex causis arduis & honestis ad ecclesiam habes eamdem; enervationem tamen justitiæ continebant, quam admittere nos non convenit, qui quàmvis legibus non ligemur humanis, lege adstringimur conscientiæ, quæ pendens electionis negotium inter duos, & secundùm juris canonici regulas marte suo procedens, à tertio superinducendo nos (*d*) retinuit, donec vel alter vel ambo decidant, vel unus de jure superior dici possit, & alter mediante justitia repellatur. Datum Assisii VIII. Idus Septembris anno I.

EPISTOLA CXLII.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut inquirat de statu monasterii Vizeliacensis, quod in spiritualibus & temporalibus graviter collapsum ferebatur.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Etsi nobis ex suscepti apostolatus officio ecclesiarum omnium cura immineat generalis, illis tamen quæ immediatè apostolicæ sedi subsunt, eò diligentiùs invigilare nos convenit, quò incolumitas status eàrum principaliter de manibus nostris exquiritur, & in nostrum redundat honorem. Sanè sicut dolentes audivimus & referimus; monasterium Virgiliacense ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, Ordinis S. Benedicti Æduensis diocesis in temporalibus graviter diminutum, & in spiritualibus enormiter deformatum, tantò premitur onere debitorum, quòd usurarum voragine omnes facultates ipsius penè penitus absorbente, idem monasterium irreparabili lapsui subjacens & ruinæ, vix post lapsum adjiciet ut resurgat. Super quo tanto gravius perturbamur, quantò idem monasterium tamquam hortus deliciarum

(*a*) *Al.* Effudit. (*b*) *Al.* Allevat. (*c*) *Al.* Non exprimerent. (*d*) *Al.* Trahit.

& paradisus Domini consuevit divitiarum affluentia conspectius abundare, & in spiritualibus quasi totum carismatum donis plenum sanctiùs & carius præfulgere. Volentes igitur de statu prædicti monasterii effici certiores, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus quod super his in illis partibus bonæ gravesque personæ sentiant, quid vulgaris opinio teneat, quid de abbate ac aliis ejusdem monasterii officialibus & monachis ibidem degentibus communis locutio protestetur, quidve de eis communiter & singulariter, & quorum malitia vel incuria & deliramentis dictum monasterium prædictis debitis aggravatur, & aliàs ad hujusmodi statum devenerit, communis fama proclamet, nobis non differas tuis litteris fideliter intimare, ut ex litterarum inspectione tuarum sufficienter instructi, provideamus super his prout secundùm Deum viderimus providendum. Datum Perusii III. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CXLIII.

Carolo regi Siciliæ illustri.

Regem cruce signatum contra Manfredum & omnes ejus terras sub sedis apostolicæ protectione suscipit.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio CAROLO illustri regi Siciliæ salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm tu, fili carissime, zelo fidei & devotionis accensus, assumto vivificæ crucis signaculo, contra MANFREDUM quondam principem Tarentinum, manifestum persecutorem Ecclesiæ, ac Sarracenos Luceriæ potenter & magnificè te accingas, nos tuis postulationibus favorabiliter annuentes, totam terram tuam, nec non & terras illorum qui tecum contra eosdem MANFREDUM & Sarracenos accesserint, quamdiu in prosecutione hujusmodi negotii fueris, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus: inhibentes districtiùs ne quis te aut alios prædictos contra hujusmodi nostræ protectionis tenorem in eisdem terris turbare, molestare, aut tibi vel illis violentiam inferre præsumat, & in omnes qui contra hanc nostram inhibitionem facere vel venire tentaverint, excommunicationis sententiam promulgamus. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ protectionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii II. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno I.



EPISTOLA CXLIV.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut prædicationi in subsidium negotii regni Siciliæ intendat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 126

Rationem quare prædicationi crucis supersederis, cùm tibi ad certum non fuerit commissa terminum, non videmus: ideóque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsius prædicationi in subsidium negotii regni Siciliæ intendas, juxta formam à sede apostolica tibi datam. Datum Perusii XVIII. calendas Octobris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CXLV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Indulgentias & varia privilegia concedit cruce signatis adversus Manfredum.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 126

De venenoso genere velut de radice colubri virulenta progenies MANFREDUS quondam princeps Tarentinus egressus, ab ineunte ætate paternis se conformans nequitiis, visus est quantum potuit paternam sævitiam superare, qui sicut impius in pessimis rebus exultans, gloriatus est esse ac dici Ecclesiæ persecutor, ad depressionem orthodoxæ fidei, enervationem juris ecclesiastici, & jugem turbationem Italiæ, prout patet per opera, damnabili progenitoris imitatione suspirans; in qua voluntate perfida non solùm perseverans, sed crescens quantum in eo est, profanavit sacra, religiosa fœdavit, destruxit ecclesias, afflixit viros ecclesiasticos, & alios tam nobiles quàm populares, & pupillis & viduis non pepercit, aliàs molitus totis viribus conceptum virus effundere, ac iniquitatem tam innatam quàm à patre propagatam in matrem Ecclesiam parturire, & ut ad suæ intentionis perfidiam posset pervenire faciliùs, Sarracenis & aliis inimicis Ecclesiæ in Christianorum dispendium speciali se amicitia copulavit. Idem quoque regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam pertinens, ut de aliis taceamus, invadens, ac regnicolas perfidia inhumana contractans, quantum ex ipsius regni opibus lædat Ecclesiam, turbet Italiam, & alias etiam remotas partes concutiat, non solùm vicinis est notum, sed ad extremos orbis angulos jam pervenit. Et licet Ecclesia tamquam pia mater longo tempore dissimulaverit ista, credens ut ille ad cor rediens pœnitentiam ageret de commissis: quia tamen de die in diem fiebat deterior, & pejora pejoribus cumulabat; quadam inevitabili necessitate oportuit nos pro Ecclesiæ defensione Athletam assumere ipsúmque erigere

ad illius protervaim retundendam: cujus rei causa carissimum in Christo filium nostrum Carolum regem Siciliæ illustrem, quem more progenitorum suorum apostolica sedes semper invenit ad beneplacita sua paratum, vocavimus ad hujusmodi negotium, eique prædictum regnum de fratrum nostrorum consilio duximus conferendum, firma spe fiduciaque tenentes, quòd per ipsius strenuitatem, fidelitatem, & potentiam, idem regnum optata pace fruetur, gaudebit Italia à bellis & turbationibus intestinis quiescens, imperii Romani status reformabitur, & terræ sanctæ in manu valida succurretur. Cùm igitur idem rex pro fidei catholicæ incremento, Ecclesiæ honore, bono statu totius Italiæ, ac optata quiete fidelium, zelo fidei & devotionis accensus, assumto crucis signaculo, contra prædictum Manfredum & Sarracenos Luceriæ accingat se viriliter ac potenter: nos attendentes quòd Christiani populi, & maximè Italiæ interest, ut tam salubre negotium, à cujus successu dependet plurium quàm credatur tranquillitas, in manu forti & robusta procedat; Italicos & alios fideles ad hoc salutare Jesu-Christi exercitus tyrocinium, non solum piis exhortationibus, sed etiam superabundantibus gratiis invocamus; & ut universi & singuli ad id eò libentiùs & animosiùs intendant, quò exinde dona spiritualia, quæ temporalibus præferenda sunt, perceperint potiora, nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa quam nobis Deus licet indignis ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui assumto crucis signaculo ad eumdem regem ituri, cum eo contra Manfredum & Sarracenos prædictos in propriis personis & expensis accesserint, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemus augmentum. Eis autem qui non in propriis personis hoc fecerint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, & illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, & eis qui quartam seu majorem partem proventuum & obventionum de redditibus suis pro hujusmodi negotio, collectoribus ad hoc deputatis seu deputandis erogaverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus & concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius negotii de bonis suis decimam vel aliam partem prædictis collectoribus ministrarint, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint opportunum, & qui pro eodem negotio auctoritate nostra prædicaverint verbum crucis. Volumus etiam cruce signatos & cruce signandos illo privilegio, eaque immunitate gaudere, quæ in generali crucesignatorum indulgentia sunt concessa. Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur adstricti; creditores ipsorum ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, de plano & absque solemni strepitu, veritate cognita, ecclesiastica præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum; eum ad restitutionem earum sub forma prædicta simili cogi animadversione mandamus. Judæos verò ad restituendas usuras, ea qua convenit præcipimus censura compelli, & donec illas remiserint, fidelium eis communio denegetur. Presbyteris autem & clericis qui assumto vel assumendo crucis signaculo pro prædicto negotio sunt personaliter profecturi, & clericis parochiales ecclesias non habentibus, qui fideliter tantum transmiserint, per bellatores idoneos quantum expenderent, si personaliter illuc irent, præsentium auctoritate concedimus, ut proventus beneficiorum suorum quæ perciperent tempore motionis vel missionis, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, integrè percipiant per triennium, ac si personaliter in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent residerent; & si necesse fuerit, per idem tempus vendere vel pignori valeant obligare: non obstante contraria ipsarum ecclesiarum consuetudine, vel statuto, juramento, vel confirmatione sedis apostolicæ, aut quacumque firmitate alia roboratis, vel litteris apostolicis, de quibus specialem & expressam oporteat in præsentibus fieri mentionem, seu etiam quod ipsorum aliqui de non impetrandis aliquibus indulgentiis vel non utendis impetratis aut concessis juramento præstito promiserunt; & tam cruce signatos quàm cruce signandos postquam receperint signum crucis, cum uxoribus familiis & omnibus bonis ipsorum sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, eisque nihilhominus indulgemus, ut extra suas dioceses auctoritate litterarum apostolicæ sedis vel legatorum ejus nequeant ad judicium evocari: statuentes ut bona ipsorum ex tunc integra maneant & quieta, donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur. Archiepiscopi verò, & episcopi diocesani eorumdem cruce signatorum, nec non & archidiaconi, & eorum officiales nostra freti auctoritate, non permittant prædictos crucesignatos contra protectionis & indulgentiæ nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari: molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Præterea volumus, & præsentium auctoritate concedimus, ut clerici & laïci crucesignati & crucesignandi decimas non ratione ecclesiarum pacificè detinentes, fructus earum hactenus perceptos in hujusmodi negotii subsidium convertere valeant per seipsos, vel prædictis collectoribus secura conscientia exhibere. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus per regnum Franciæ & alias terras tuæ legationis crucem prædices, & facias prædicari contra Manfredum & Sarracenos prædictos, & proponas & proponi facias per illos, quos ad hoc idoneos noveris, verbum crucis; eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et ut fideles Christi libentiùs & ferventiùs currant ad verbum Domini au-

diendum, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad tuam & illorum quibus id commiseris solemnem prædicationem accesserint in qualibet civitate, villa vel oppido, in qualibet convocatione seu statione, decem, vel viginti, seu triginta, vel quadraginta dierum indulgentiam, prout tu & illi quibus officium prædicationis committendum duxeris, largiaris, prout videris expedire. Ut autem nihil omnino desit ad commissum tibi officium exequendum; absolvendi juxta formam Ecclesiæ manuum injectores in clericos sæculares & personas religiosas, ac incendiarios, & excommunicatos pro decima vel vicesima deputata pacis & fidei ac terræ sanctæ negotio non soluta, nec non sacrilegos, sortilegos, & eos qui contra prohibitionem apostolicæ sedis vel legatorum ipsius sepulcrum Domini visitaverint, ac eos qui portaverunt ferrum, arma, lignamina, & merces prohibitas Sarracenis, vel aliàs contra Christianos dederint eis consilium, auxilium vel favorem, nec non clericos qui excommunicationis sententiam incurrerunt per legatos apostolicæ sedis in concubinarios promulgatam, & illos clericos in prælaturis, dignitatibus & personatibus constitutos, nec non presbyteros & religiosos quoslibet qui contra constitutionem Ecclesiæ, leges vel physicam audierint, ac dispensandi cum irregularibus quos præmissa occasione, vel pro eo quod fortè excommunicati vel suspensi, seu alias irregularitatem aliquam incurrerunt, dum tamen pro hujusmodi negotio recipiant signum crucis. *Reliqua desunt.*

EPISTOLA CXLVI.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Scribit se non posse subvenire regis Siciliæ necessitatibus, & ut eum Franciæ regi commendet.

Anno 1265 CONsiderato carissimi in Christo filii nostri illustris Siciliæ regis statu, si circa subventionem ejusdem in tempus, ut scripsisti, prolixum tua forsitan impotentia perseverat, quomodo possit subsistere, circumscripto divino miraculo, non videmus, nisi carissimus in Christo filius noster illustris rex Franciæ fratri suo subveniat, dando mutuum sibi de decima suo tempore (*a*) persolvendum. Quamvis autem super hoc sæpius ei scripserimus, nec fuerimus exauditi, nunc tamen eodem rege Siciliæ ob hanc causam ad ipsius præsentiam certos suos & speciales nuncios destinante, de eadem materia litteras innovamus, tuæ discretioni per apostolica scripta mandantes, quatinus per te facias quicquid poteris in prædictis, & nuncios ipsos dirigas in agendis. Vires enim nostræ deficiunt, & qui malè nobis sufficimus, aliis subvenire non possumus, ut vellemus. Datum Perusii XVII. calendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

(*a*) *Al.* Solvenda. (*b*) *Al.* Confirmari.

EPISTOLA CXLVII.

Episcopo Altissiodorensi.

Hortatur ut crucem cum rege Siciliæ sumere ac viriliter pro ipsius negotio laborare velit.

SI Ecclesiæ Dei compatiens, si carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ laboribus jam susceptis intendens, urgente stimulo pietatis, crucem velles recipere, & cum eodem rege tam salubriter quam feliciter laborare, nostrum multum lætificares animum, & tam regem quàm negotium regium promoveres. Dedit etenim tibi Dominus Spiritum sapientiæ, sed & linguam contulit eruditam, sensum tuum insuper multi jam temporis experientia solidavit, ut nihil tibi desit, in ulla gratia, qua tam pium negotium valeat promoveri. Quocirca fraternitatem tuam monendam duximus & hortandam, quatinus Deum habens præ oculis, & afflictis Romanæ Ecclesiæ atque regi tuæ viscera pietatis aperiens, in tuorum remissionem peccaminum teipsum Deo & cruci offeras in odoriferum holocaustum, & ad regem eumdem, prout tuam decet solertiam, sicut fidei pugil accedas: quod ut liberius & libentius exequaris, peregrinandi ex causa hujusmodi tibi concedimus facultatem. Anno 1265

EPISTOLA CXLVIII.

Dilecto filio O sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

De sua in Angliam legatione, de crucis prædicatione & quorumdam episcoporum absolutione.

LÆta nobis & tristia nunciasti: læta quidem, in regni nobilis Anglicani liberatione vicina, quam initiatam virorum sceleratorum occubitu tua speramus industria (*b*) consummari: sed mœrore perfusa, dum viros tanti sanguinis, quos exigentibus culpis propriis excommunicationis olim innodavimus sententia, nec Dei nec sui memores intelleximus decessisse. Sanè quod à te ex parte dilecti filii nobilis viri (*c*) E. carissimi in Christo filii nostri illustris regis Angliæ primogeniti petebatur, audivimus; quia tu magis ac melius scire potes quid deceat, quid expediat, de tua providentia firmam fiduciam obtinentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, si securum potes habere transitum, intres Angliam in nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, & ad regis stabilimentum & liberorum suorum, & regni, & (*d*) honorem ipsorum efficaciter & solerter intendas. Si quam inveneris resistentiam in eodem, quæ tibi probabiliter videatur durioribus indigere remediis, crucem prædica infra regnum, & indulgentias præbe juxta traditam tibi formam. Quod si regnum non potes ingredi, nec per regis vel filiorum potentiam tibi posse confidis aditum aperiri, prædica crucem, si expedire credideris Anno 1265

(*c*) Eduardi. (*d*) *Al.* Regimen.

in maritima cismarina, & in terris Angliæ ultra mare, & citra, ubi secure poteris prædicare; & si urget necessitas, etiam in regno Alemaniæ, quantum utile tibi videbitur, quamvis legationem non intres ejusdem. Sed & ad carissimum in Christo filium nostrum L. regem Franciæ illustrem recurras in omnibus confidenter, quem pro sua bonitate credimus solito promtiorem ad opem & consilium tibi super his omnibus impendenda. Ceterum quantamcumque obedientiam offerant, quantumcumque auxilium Londonensis, Wigorniensis, Lincolniensis, & Eliensis episcopi, ad absolutionem valeas procedere personarum, forma Ecclesiæ servata: sed nullius utilitatis intuitu, nullius potestatis obtentu gratiam aliquam eis facias; immò si, prout dicitur esse notorium, vel SIMONI quondam comiti Leycestriæ, vel suis complicibus adhæserunt, vel interdictum à nobis non
(a) servaverunt, suspensos ab officio & beneficio (a) nobis reserves animadversione debita puniendos, quod & de aliis fieri volumus, quorum
(b) hæc culpas pro (b) sua gravitate cognoveris; meruisse verum de recognoscendo dominio Romanæ Ecclesiæ & recuperandis ejusdem viribus, & spoliatis prælatis, clericis, & aliis restituendis canonicè, nullam tibi doctrinam tradimus, cùm id solùm commemorare sufficiat, ut locorum & temporum opportunitate servata, nec ex incuria facienda dimittas, nec collidentibus invicem se negotiis ea præcipiti festinatione confundas. Bene est nobis & tuis fratribus per Dei gratiam, sed venturam militiam & pecuniam anxiis animis expectamus. Datum
(c) Perusii (c) XIII. calendas Octobris anno I.

EPISTOLA CXLIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Petro de Cassiliaco mercatori Montis-pessulani libras mille persolvat.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Contrahendi mutuum usque ad quatuor millium librarum Turonensium summam, & obligandi propter hoc creditoribus decimam proventuum ecclesiasticorum carissimo in Christo filio nostro CAROLO illustri regi Siciliæ ab apostolica sede concessam, dilecto filio magistro PETRO notario nostro tunc in Provinciæ partibus constituto, & Ecclesiæ Romanæ, cujus erat nuncius, commissa sibi à nobis negotia prosequenti, per tuas sub certa forma tribuisti litteras facultatem, ex cujus beneficio facultatis notarius ipse à Petro de Cassillaco laïco mercatore de Monte-pessulano recepit mutuo mille librarum monetæ hujusmodi quantitatem, sicut eodem notario audivimus exponente. Quia igitur omnino intendimus, ut qualibet occasione A submota dicto mercatori de pecunia ipsa recepta mutuo satisfactio perveniat festinata; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus de his quæ ad te ratione hujusmodi decimæ provenerunt, præfato mercatori de pecunia eadem nec non damnis expensis interesse juxta pactiones & conventiones inter prædictos notarium & mercatorem contractus tempore habitas absque alicujus mora aut dilationis impedimento, usuris omnino cessantibus, satisfactionem exhibeas quæ debetur. Nos enim B qui te super hujusmodi debito indemnem omnino disponimus conservare; antedictas litteras, quæ portandæ per mare cum rebus notarii prælibati, nondum ad eumdem notarium pervenerunt, quàm citò notarius ipse illas habuerit, ad manus nostras recipere, ac eas usque ad tuum, præstante Domino, ad apostolicam sedem reditum conservare curabimus, in eodem tibi reditu tam libenter quàm liberaliter exhibendas. Instrumentum autem super mutuo memorato confectum à nominato mercatore tibi C facias exhiberi, ac de satisfactione hujusmodi, postquam illam duxeris impendendam, publicum prout expediens fuerit, quittationis, refutationis & finis confici facies documentum; ac instrumentum & documentum eadem penes te diligentius conservabis nobis in prædicto reditu deferenda. Datum Perusii XII. calendas Octobris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CL.

D Nobili viro B. Domino Baucii Potestati Mediolanensi spiritum consilii sanioris.

Se non posse eum absolvere.

AD confusionem tibi reputas quod salutationis verbum subtrahimus tibi pro nostris & regis negotiis, ut dicis, laboranti; sed Anno 1265 quod aliter scribere non valemus, non mentem tuam plusquam nostram offendit. Satis quidem expertus es hactenus, quod in tuis periculis E minimè delectamur; immo, ut nosti, cum te tam terræ quàm animæ tuæ discrimini videremus expositum, subvenimus, ut potuimus, & per Dei gratiam fructuose. Sane scire te volumus quod etsi nec Pelavicini fautor nec damnorum Ecclesiæ à clero Mediolanensi illatorum auctor extiteris; latæ tamen ex his causis sententiæ in Potestatem & alios qui eo tempore horum fuerunt auctores in te transeunt, qui eisdem in officio successisti, cùm nondum fuerit satisfactum, nec est à medico quærenda cura vulneris, ferro sagittæ vel lanceæ in vulnere F permanente. Verum si rebus aliter non dispositis te vellemus absolvere, vel dicere te non ligatum, nihil aliud esset hæc facere, quàm penitus jura confundere juris interpretem & auctorem. Non miretur itaque tua prudentia, si votis tuis, quæ si, graviter non repugnarent justitiæ, nostræ forent consona voluntati, non annuimus, ut desideras, cum id nostræ debitum honestatis

(a) Al. Non reserves. (b) Al. Tua. (c) Al. Calendis.



minimè patiatur. Venientibus autem ad nostram praesentiam ambaxatoribus Mediolanensium, speramus in Domino viam aliquam, si per eos non steterit, inveniri, ad ipsorum & tuam salutem efficaciter procurandam, quamvis nobis displiceat quod in hoc statu maneas etiam per momentum. Datum Perusii x. calendas Octobris anno I.

EPISTOLA CLI.

B

Carissimo in Christo C. regi Siciliae illustri.

Proponit ei archiepiscopum Cusentinum mittendum nuncium in Longobardiam.

Anno 1265 LOmbardiae statu tempestatibus multis exposito, & ab olim, quod dolentes referimus, pluribus lacerato scissuris, ad visitationem ejusdem mittere cogimur aliquem pacis angelum, qui prae oculis Deum habens zelo ferveat C animarum, & ea polleat sapientia, ut fideles in sua devotione firmare, & à damnabili pertinacia indevotos sciat, velit, & valeat revocare. Licet autem hoc dudum inhaeserit menti nostrae, hoc tamen tempore accelerandum credimus, quo te fidei prosequente negotium, multisque ad idem tuo jam accensis exemplo, militia nobilis de Galliarum partibus expectatur, per Lombardiae fines favente Domino transitura, quae legati ejusdem auxilio & consilio multum poterit adjuvari. Mittendum ergo decrevimus, si D acceptum habueris, venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cusentinum, quem ad suscipiendum hoc onus per litteras nostras inducimus, si de tuo fuerit beneplacito, reddendas eidem, & tu etiam tuis precibus eum inducere non postponas. Quod si tibi ejus missio non placuerit, vel quia alium utiliorem existimes, vel quia tuum ex hoc credens consilium nimis detruncatum, supprimes litteras quas ad eum dirigimus, & de alio cogitabimus, licet parum penuriam habeamus, & tempus labatur continuè, non sine discrimine, propter mutatio- E nem temporum & inconstantiam animorum. (a) Datum Perusii (a) IX. calendas Octobris anno primo.

EPISTOLA CLII.

Archiepiscopo Cusentino.

Mittit eum nuncium in Longobardia.

Anno 1265 LOmbardiae, &c. *ut in superiori usque* mittendum ergo... Ad hoc autem officium te frater F eligimus, te vocamus, nec recuses laborem tuae & multis utilem animabus, quarum sitire credimus te salutem. Nec te terreat magnitudo negotii, quod proponimus quibuscumque poterimus congruis & honestis remediis levigare, & in omnibus aderit tibi Dominus, & nos qui vicem ejus in terris gerimus assistemus. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta praecipiendo

A mandamus, quatinus in obedientiae meritum hoc suscipiens, ad nos venias iter tuum exinde versus easdem partes prospere directurus, & in occursu venientis militiae, consolatione tua laetificaturus eamdem (b) & salubri consilio directurus. Datum *ut supra*. (b)

EPISTOLA CLII.

Fundatio Collegiatae S. Urbani Trecensis ecclesiae.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis decano & canonicis ecclesiae sancti Urbani Trecensis, tam praesentibus quam futuris canonicè substituendis in perpetuum. Anno 1265 *Ex archivis S. Urbani Trecensis.*

Etsi universae orbis ecclesiae apostolicae sedi, quae disponente Domino super ipsas ordinariae potestatis obtinet principatum, subesse noscantur, aliquas tamen interdum de suae auctoritatis plenitudine sedes eadem specialiter sibi subditas, sic eas à cujuslibet alterius jurisdictione prorsus eripiens, ut nullum nisi solum Romanum Pontificem superiorem & dominum recognoscant, constituendo ipsas quodam singulari privilegio liberas penitus & exemtas. Unde felicis recordationis Urbanus papa praedecessor noster ad ecclesiam sancti Urbani Trecensis, quae in fundo sive solo suae paternae domus est, Ecclesiae Romanae constructa sumtibus & dotata, specialem gerens affectum, & volens, ut sicut ipsius predecessoris erga eam in dilectione abundabat gratia, sic exuberaret in opere circa ipsam, providit singularibus illam privilegiis plenisque libertatibus insignire, ut cum magis apostolico suffulta favore fuerit, eò amplius circa praefatam sedem devotione concrescat. Verum idem predecessor morte praeventus, quod super hoc in affectu gerebat perducere non potuit ad effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, nos hujusmodi ejusdem praedecessoris propositum attendentes, ac aliqua de iis quae praeordinaverat exequentes, praedictam sancti Urbani saecularem ecclesiam in jus & proprietatem B. Petri & praedictae sedis assumimus, & praesentis scripti privilegio communimus, ab omni jurisdictione, potestate ac dominio, tam episcopi Trecensis, & archiepiscopi Senonensis, qui pro tempore fuerint quam cujuslibet alterius praelati ceu ecclesiasticae personae, illam totaliter & perpetuo eximentes: ita quod nec idem episcopus & archiepiscopus, nec quaevis alia persona ecclesiastica eam, utpote prorsus exemtam, vel personas, ceu canonicos ipsius Ecclesiae, sive clericos ejus, qui continuè in divinis officiis servierint in eadem, aut servientes personarum & canonicorum praedictae ecclesiae, qui tamquam ipsorum familiares domestici eorum obsequiis morabuntur, interdicere, suspendere, vel excommunicare valeat, seu quomodocumque alias in praefatam ecclesiam & praedictos vel eorum aliquem, potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere: & si contra forte praesumtum fuerit, sit omninò vanum

(a) *Al.* XI. Calendas.

(b) *Al.* Quae sequuntur desunt in codice Trecensi.


irritum & inane. Porrò ut numerus personarum in eadem ecclesiâ Domino famulantium ipsius facultatibus proinde coaptetur, duodenarium canonicorum numerum cum decano, cantore, thesaurario, quos in hujusmodi numero computari volumus, in ecclesia prædicta præsentium auctoritate statuimus, & quod collatio præbendarum thesaurariæ & cantoriæ in ea pertineat ad decanum; præcipientes ut ecclesia ipsa prædicto numero sit contenta, & districtius inhibentes, ne aliquis in illa ultra numerum ipsum in canonicum admittatur absque speciali licentiâ sedis ejusdem, faciente plenam & expressam de statuto & inhibitione hujusmodi mentionem. Nos enim irritum & inane decernimus, si secus à quoquam fuerit attentatum.

Statuimus etiam ut decanus prædictæ ecclesiæ ab ejus canonicis eligatur, & præsentetur ipsius electio Romano Pontifici confirmanda per eum: sed nihilominus interim ante suam confirmationem, si concorditer electus fuerit, in spiritualibus & temporalibus, ne forte incurrat in his ecclesia ipsa dispendium, administret: sic tamen ut de rebus illius nihil penitus alienet. Verumtamen infra sex mensium spatium postquam electus fuerit à canonicis confirmatio electionis ejusmodi ab eodem Romano Pontifice postuletur. Quod si forte neglectum fuerit, ex tunc eisdem canonicis eligendi alium idoneum in decanum libera sit facultas. Decanus autem postquam confirmatus fuerit, successive ad omnes ordines statutis temporibus teneatur se facere promoveri, & ad continuam residentiam in eadem ecclesia faciendam, super quibus ipse in confirmatione sua præstet coram dicto Romano Pontifice, vel coram illo cui dictus Romanus Pontifex hoc, vel confirmationem hujusmodi commiserit, corporaliter juramentum, & nihilominus postquam redibit ad dictam ecclesiam (electionis suæ confirmatione obtentâ) super confirmatione sua & præstatione hujusmodi juramenti litteras testimoniales ipsius Romani Pontificis, vel illius cui dictus Romanus Pontifex confirmationem electionis suæ commiserit, capitulo ecclesiæ prædictæ reportet. Liceat autem sibi duobus mensibus annis singulis extra dictam ecclesiam pro suis negotiis moram facere, & si eum pro negotiis ejusdem ecclesiæ de licentia ipsius capituli interdum abesse contigerit, propter hoc absens minimè reputetur. Ordinamus quoque, ut tu fili, decane, & successores tui circa spiritualia prædictæ ecclesiæ, & habeatis plenam curam, & in illius personas, canonicos, clericos, & ministros, ac eorum servientes, sive clerici fuerint, sive laïci, tamquam vobis subditos spiritualem jurisdictionem, ita quod in eos censuram ecclesiasticam valeatis libere exercere, & nullus alius jurisdictionem & censuram hujusmodi sibi in prædictos quomodolibet vendicare præsumat. Sanè à vobis & successoribus vestris eligatur unus præpositus sive camerarius annuatim, qui omnium temporalium ejusdem ecclesiæ curam gerat, ac reditus & proventus ipsius colligi faciat, & conservet, distribuendo proportionaliter per eum inter canonicos & personas ecclesiæ memoratæ: ita quod decanus duas, thesaurarius vero & cantor, videlicet uterque eorum unam & dimidiam ex reditibus & proventibus hujusmodi percipient portiones, & ne prædicta ecclesia debitis obsequiis defraudetur, volumus & statuimus quod portio ex hujusmodi reditibus & proventibus assignetur tantum illis canonicis & personis, qui personalem residentiam fecerint, & interfuerint horis canonicis in ecclesiâ memoratâ, eâ servatâ formâ quod in singulis horis hujusmodi juxta taxationem prædictorum decani & capituli certum quid ex prædicta portione præsentibus assignetur. Absentes verò personæ, & canonici, & præsentes etiam, nisi pro tempore quo interfuerint horis prædictis, portionem non recipiant supradictam nisi forte absentes tali detineantur debilitate vel infirmitate, quod non possint in dicta ecclesia commode deservire, aut aliâ justa causâ & legitimâ excusentur. Sed & absentes de licentia prædictorum decani & capituli apud sedem apostolicam pro negotiis ipsius ecclesiæ, aut si in peregrinatione fuerint, vel in scholis: tunc, ac si essent præsentes, integre, suam percipiant portionem. Hujusmodi autem præpositus sive camerarius rationem administrationis suæ reddat in præsentia dictorum decani & capituli bis in anno. Et si facultates prædictæ ecclesiæ adeo excreverint, quod singulæ portiones summam annuam quinquaginta librarum Turonensium (qua singulos Canonicos dictæ ecclesiæ annuatim volumus esse contentos) possint excedere: illud quod superfuerit de hujusmodi summâ fideliter conservetur, in possessiones pro prædicta ecclesia, vel alias utilitates ipsius ecclesiæ per dictos decanum & capitulum totaliter convertendas. Ad hæc liceat vobis chrisma, & oleum sanctum, consecrationes altarium prædictæ ecclesiæ, ordinationes quoque clericorum vestrorum, qui ad ordines fuerint promovendi, petere ac recipere à quocunque malueritis catholico episcopo, gratiam & communionem apostolicæ sedis habente, qui nostrâ fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Quod si forte à Trecensi episcopo, qui erit pro tempore, hoc postulaveritis & receperitis, nihil omnino juris propter hoc, seu jurisdictionis, dominii, aut potestatis, idem episcopus vel ecclesia Trecensis in vobis sibi vendicet vel acquirat, nec ex eo materiam vel occasionem seu causam præscribendi aliquam contra vos possit sumere vel habere. Statuimus insuper ut in ipsa S. Urbani ecclesia fiat quotidie in missarum solemniis commemoratio de prædicto prædecessore, ipsius suppresso nomine, & pro Romano Pontifice, præter quam in præcipuis festivitatibus, oratio specialis: nec non pro Romanis Pontificibus defunctis missa ibi semel ad minus in hebdomada celebretur. Ad indicium autem hujusmodi perceptæ à sede apostolica libertatis, memorata ecclesia S. Urbani unum obolum aureum in festo Omnium Sanctorum persolvat nobis nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præ-

dictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus A possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed ea omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, præfatæ sedis auctoritate in omnibus semper salvâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ exemtionis, reservationis, constitutionis, ordinationis, prohibitionis & concessionis paginam, sciens contra eam temere B venire tentaverit, secundò tertióve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem Ecclesiæ jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud C districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
† Ego Stephanus Prænestinus episcopus.
† Ego Fr. Joannes Portuensis & S. Rufinæ episcopus.
† Ego Radulphus Albanensis episcopus.
† Ego Henricus Ostiensis & Velletrensis episcopus.
† Ego Ancherus tit. S. Praxedis presbyter cardinalis. D
† Ego Guillelmus tit. S. Marci presbyter cardinalis.
† Ego Fr. Ambaldus Basilicæ XII. Apostolorum presbyter cardinalis.
† Ego Octavianus S. Mariæ in Via-lata diaconus cardinalis.
† Ego Joannes S. Nicolaï in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.
† Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis. E
† Ego Gottifridus S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis.
† Ego Ubertus S. Eustachii diaconus cardinalis.
† Ego Jordanus SS. Cosmæ & Damiani diac. card.

Datum Perusii per manum magistri Michaëlis sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, octavo Calendas Octobris, Indictione viiij. Incarnationis Dominicæ Anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus vero Domini Cle- F mentis Papæ quarti anno primo.



EPISTOLA CLIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mercatoribus Florentinis quinque librarum millia solvat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm dilectus filius P. archidiaconus Senonensis camerarius noster ab Albertino Rote, Lotterio Ferucii, Coppe Joseppi, Apo Lamberti & Puncino Amatoris civibus & mercatoribus Florentinis quinque millia librarum Turonensium pro necessitatibus Ecclesiæ Romanæ de mandato nostro receperit nomine mutui certis eis loco & termino persolvenda, prout in instrumento publico manu Noclerii scriniarii confecto exinde plenius continetur: discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatam pecuniæ quantitatem de decima ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ mercatoribus ipsis, vel eorum aliquibus, aut uni, seu certo nuntio eorumdem prædictum instrumentum tibi cum præsentibus & aliis nostris litteris resignanti, juxta ipsius instrumenti tenorem sine difficultate persolvas. Datum Perusii v. calendas Octobris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CLV.

Ad Theobaldum regem Navarræ, Campaniæ & Briæ comitem.

Commendat ei ecclesiam Trecensem S. Urbani.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Illustri Regi Navarræ salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265 *Ex archivis S. Urbani Trecensis.*

Corde hilari meditantes quod pietatis operibus per Dei gratiam multipliciter es intentus, firmam & securam gerimus de tua serenitate fiduciam, ut quibuslibet tuæ terræ ecclesiis & personis ecclesiasticis, sed illis præcipue, quas ad Romanam Ecclesiam percipis immediatè spectare, obtentu ipsius Ecclesiæ matris tuæ, nostrique intuitu precaminis, benignus & benevolus opportuno tempore habearis. Sane felicis recordationis Urbanus Papa prædecessor noster ad ecclesiam sancti Urbani Trecensis, quæ in fundo seu solo suæ paternæ domus, Ecclesiæ Romanæ sumtibus constructa est & dotata, specialem dum viveret gerens affectum, & volens ut sicut sua circa eam abundabat affectio, sic exuberaret effectus operis erga illam, providit circa vitæ suæ dies ultimos singularibus ipsam privilegiis, plenisque libertatibus insignire, ut quo magis apostolico favore suffulta existeret, eo amplius circa præfatam sedem speciali

speciali devotione concresceret & ferveret. A Verum idem prædecessor morte præventus, quod super hoc gessit in animo; perducere non potuit ad effectum. Nos itaque tandem suum in hac parte propositum attendentes, ac aliqua de iis quæ idem super hoc præordinaverat, excerpentes; prædictam sancti Urbani ecclesiam in jus & proprietatem Beati Petri & prædictæ sedis assumsimus, eamque ab omni jurisdictione, potestate, & dominio, tàm diœcesani, quàm metropolitani loci, quàm cujuslibet alterius prælati, seu ecclesiasticæ personæ totaliter B & perpetuò duximus eximendam. Hinc est, fili carissime, quod nos dictam sancti Urbani ecclesiam cupientes statum tranquillum & pacificum, divinâ propitiante clementiâ, tuâque cooperante potentia, obtinere; magnitudinem tuam affectuosè rogandam duximus & monendam, in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut generatim ad supradictam ecclesiam sancti Urbani, pro divinâ & apostolicæ sedis, ac ejusdem sancti reverentiâ, oculum benignitatis dirigens, ipsam & personas ejus efficaciter com- C mendatas habeas, & jura ejusdem ecclesiæ manu teneas, & deffendas; ita quod prædicta ecclesia sancti Urbani, te protegente, possit in statum optatæ prosperitatis dirigi, & à læsionis incursu cujuslibet, Deo propitio, præservari. Ac nos qui hujusmodi preces tibi ex intimo cordis affectu dirigimus; excellentiæ tuæ proinde speciales gratias referamus. Datum Perusii II. Calendas Octobris Pontificatus nostri anno primo.

D

EPISTOLA CLVI.

Dilecto filio Potestati consilii & communi (a) Eugubino.

Robertum de Robertis eis concedit Potestatem.

Anno 1265 NUper nobis Assisii exeuntibus nuncios ac vestras litteras destinastis, inter cetera continentes, apud vos extitisse concorditer ordinatum, quod illum in Potestatem recipereretis E pro anno instante à Calendis Januarii inchoando sub certis conventionibus nobis missis, quem vestræ vellemus præficere civitati. Nos igitur, licet omnium civitatum rectores probatæ discretionis & fidei esse plurimum affectemus: illos tamen præcipue quos elegimus, ea cupimus sinceritate pollere, ut mundo corde & manibus innocentibus suum officium exercentes, & Deo placeant, & hominibus sint accepti. Ideóque deliberatione præhabita virum nobilem & fidelem & de domo fideli progenitum magnæ pru- F dentiæ & experientiæ longioris, dilectum filium Robertum de Robertis nunc Capitaneum Perusinum vobis in Potestatem concedimus ad annum prædictum, sub illis conventionibus vel conditionibus, quas scripsistis, & ne de illis valeat dubitari, eas ei tradidimus cum ipsis nostris litteris nullo addito vel etiam diminuto. Vestrum est ex nunc ejus adire præsentiam, & ab eodem exigere pacta debita, & eidem permittenda permittere vice versa. Sanè preces quas ab aliquibus vestrum recepimus pro persona alia concedenda venerunt aliquantulum nimis tardè, cum jam per interpositas personas verbum de hac materia fecissemus eidem, & ideo preces hujusmodi, honestate salva, nequivimus exaudire. Datum Perusii II. calendas Octobris anno I.

(a) Al. Eugalianensi.

EPISTOLA CLVII.

Eidem Roberto juxta eamdem formam.

EPISTOLA CLVIII.

Dilecto filio nobili viro Petro carissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragoniæ primogenito.

Laudat ejus in Sarracenos zelum, eique Ecclesiam commendat.

PErsuadet ingenita tibi nobilitas his rebus Anno 1265 intendere, illis studiis inhærere, quæ & gratiam tibi divinam impetrent, & laudem apud homines tuæ titulis probitatis acquirant. Hoc sane probat non levibus argumentis laudabilis illa constantia, qua fidei zelo succensus, dum circa partes Murciæ Sarracenorum audisses agmina congregata sanguinem sitientium populi Christiani, objecisti te perfidæ gentis insultibus, & infra civitatem eamdem adeo, prout fertur, eosdem artasti, quod victualium defectu compressi non possunt effugere manus tuas. In his igitur tuæ strenuitatis initiis grato tibi congratulantes applausu, nobilitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus bene cœpta pervigili cura continuans, magnanimitatis paternæ providus imitator, sic ad finem negotium perducas optatum; sic ubicumque potueris, pugil Christi cultum ejus, repressis crucis hostibus studeas propagare, ut in tuis processibus Dei lætifices civitatem, & ab omnium retributore bonorum beatitudinis æternæ præmium assequaris. Verum quia penes matrem fidelium fidei residet magisterium, & Ecclesiæ fideique negotia adeo sunt connexa, quod neutrum sine altero (b) poterit legitimè promoveri, (b) nobilitati tuæ consulimus, te rogamus, & hortamur attentè, quatenus Ecclesiam & personas ecclesiasticas semper habeas in honore, & sic in devotione hujusmodi tam solides juventutem, ut cum ætatis provectioris fueris, & curis majoribus occupatus, portes assueta suavius, & in tam piis actibus magis ac magis quotidie delecteris, statuens ante oculos mentis tuæ, quibus NOTA. hactenus incrementis profecerunt devoti principes, & ecclesiasticæ libertatis amici, quamque viliter & abjectè ceciderunt, qui viam

(b) Al. Potest.

aliam, immo potius devium sunt secuti. Nos sane sicut carissimum in Christo filium nostrum patrem tuum sincerè dileximus, sic & te teneræ brachiis dilectionis amplectimur, tuum in Domino desiderantes profectum, quia te credimus ad magna Deo placentia reservari. Datum Perusii II. calendas Octobris anno I.

EPISTOLA CLIX.

Dilecto filio nobili viro Jacobo carissimi in Christo filii nostri regis Aragoniæ illustris primogenito.

Ejusdem argumenti.

Anno 1265 PErsuadet ingenua, &c. *ut in præcedenti usque* probitatis acquirant. Ad hoc satis movere te possent exempla domestica à tuis retro progenitoribus, avis & proavis, continua temporum serie in carissimum in Christo filium nostrum patrem tuum feliciter derivata, qui præcedentium actus magnificos non tam prosequens, quàm accumulans; expulsis perfidis de suis finibus, divini cultus fidelissimus extitit ampliator, tibi tradens doctrinam operis efficaciorem longè quam verbi, ut & tu ad similia te coaptans catholicæ fidei pugil assiduus esse velis. Verum quia, &c. *ut supra in proxima usque ad finem.*

EPISTOLA CLX.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Hostiensi episcopo aliquod Angliæ beneficium det in commendam.

Anno 1265 GRandis caritatis affectus, quem ad personam Venerabilis fratris nostri H. episcopi Hostiensis & Velletrensis gerimus sæpe nobis cogitare de ipsius persona suadet, sæpe pro ejus commodis animum nostrum pulsat, & dum ejusdem episcopi genus & mores, probitatem & puritatem attendimus, inhonestum & absurdum etiam reputamus, ut dictus episcopus, qui est magnum & honorablile membrum Ecclesiæ, quemque inter alios, qui nobis in exequendo apostolatus officio & adjutores & cooperatores existunt, affectione magna prosequimur, ante conspectum nostrum egeat, & paupertate gravetur. Unde non indignè providemus relevare ipsius egentiam, & eidem in forma subscripta cclx marchas sterlingorum secundum communem æstimationem annuas in regno Angliæ assignare. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus affectum nostrum attendens diligentius in hac parte, unum vel duo beneficia in eodem regno vacantia, vel quam primum ad id facultas se obtulerit, quæ ad hæc congrua & sufficientia putaveris, sicut præbendæ vel personatus in ecclesiis cathedralibus vel aliis, seu parochiales ecclesiæ, ad cujuscumque collationem seu præsentationem spe-

A ctantes, prædicto episcopo seu procuratori suo ejus nomine auctoritate nostra studeas commendare, & in corporalem inducas possessionem, ac defendas inductum in ea: ita quod eadem beneficia per te ipsi auctoritate nostra commendanda, sic commendata per se vel per alium, quamdiu nobis placuerit, habeat & teneat, ac obventiones seu fructus & reditus eorum ad suam sustentationem percipiat, & faciat ipsos suos, non obstante si archiepiscopi, vel episcopi, vel quicumque alii prælati seu personæ, capi-
B tula, conventus, & quivis alius, sæculares vel regulares ipsius regni, cujuscumque dignitatis, conditionis, vel religionis existant, ad quorum collationem seu præsentationem prædicta beneficia pertinent, sint de mandato apostolicæ sedis vel legatorum ejus super simili vel alia provisione gravati; aut si eis à sede indultum existat eadem, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu ad provisionem alicujus compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hu-
C jusmodi, vel de religione ipsorum, vel ordine mentionem, seu qualibet alia indulgentia ejusdem sedis, vel privilegio cujuscumque tenoris existat, aut statuto juramento vel confirmatione sedis apostolicæ roborato, seu constitutione, seu contraria quavis consuetudine, de quibus vel eorum tenoribus de verbo ad verbum totaliter exprimendis oporteat in nostris litteris omnimodam fieri mentionem, & per quæ præsentium effectus impediri possit aliquatenus
D vel differri, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, contra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Perusii nonas Octobris anno I.

EPISTOLA CLXI.

Ad Fratres ordinis Prædicatorum.

Concedit indulgentias in festis Dedicationis, B. Mariæ, S. Dominici, & S. Petri Martyris.

E CLEMENS episcopus servus servorum Dei, Magistro & prioribus & universis fratribus Ordinis fratrum Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265 *Ex ms. FF. Prædicatorum Rotomagensium.*

Loca sanctorum omnium pia & promta devotione sunt à Christi fidelibus veneranda, ut dum Dei veneramur amicos, ipsi nos amicabiles Deo reddant, & illorum nobis vindicantes quodammodo patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cupientes igitur ut
F Ecclesiæ locorum vestrorum congruis honoribus frequententur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesias ipsas in dedicationibus ipsarum & anniversario dedicationum earum die, ac usque ad octo dies sequentes, nec non in B. Mariæ Virginis, sanctorum Dominici confessoris, & Petri martyris, ac etiam aliorum sanctorum, in quorum honore altaria majora in Ecclesiis ipsis sunt constructa, festivitatibus,

causa devotionis venerabiliter visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies indulgentiæ de injunctis sibi pœnitentiis, annis singulis misericorditer relaxamus. Datum Perusii v. Idus Octobris, Pontificatus nostrs anno I.

EPISTOLA CLXII.

In eodem modo pro Domino Octaviano de cccxxx. Marchis, ut supra episcopa clx. Datum Perusii XIII. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXIII.

Carissimæ in Christo filiæ reginæ Franciæ illustri.

Excusat se quod ei non miserit Berardum notarium.

Anno 1265 MIssionem dilecti filii magistri Berardi notarii nostri, cujus præsentia multum nobis est necessaria, subito facere non potuimus, cùm nec honestam causam missionis hujus post legatum à latere destinatum haberemus ad præsens, sicque visum aliquibus, quod ex hoc posset idem aliquatenus provocari legatus, præsertim cum apostolica sedes suos ad remota notarios mittere minime consueverit, sine certæ titulo potestatis, qui sibi dari non poterat, quin in aliquo videretur detractum alterius potestati. Cogitamus tamen, & viam inquirimus, per quam cum honore nostro, & sine alterius scandalo serenitatis tuæ beneplacitum impleatur. Datum Perusii XV. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXIV.

In eodem modo reginæ Angliæ.

EPISTOLA CLXV.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

De angustiis regis Siciliæ.

Anno 1265 ADversantes tibi sententiæ, quæ plerumque nostris influunt auribus, ambiguitatis non levem scrupulum frequenter ingerunt cordi nostro, & quia cordium latentes angulos non videmus, quorum solus est cognitor, conditor eorumdem, nunc falsa pro veris, nunc dubia pro certis recipimus, nec debemus improvidè de levitate notari, cùm non ad omnium moveamur eloquia, sed illorum quorum auctoritas, vel nobilitate juvatur originis, vel dignitatis eximiæ gravitate fulcitur. Hinc est, fili carissime, quod tuis litteris, quibus innuitur, quòd circa illa quæ tibi scripsimus, nimis creduli fortè fuerimus, breviter respondemus, quòd cùm & nobis & carissimo in Christo filio nostro C. il-

A lustri regi Siciliæ intimasses, quid de contractis debitis ordinaveras, quid de crucibus transferendis, quid de militibus stipendiandis decreveras, & nos mirati fuimus, & rex ipse quod sibi victum simplicem non habenti grandis exercitus pararetur, ipso quasi de vento victuro soli & incertæ derelicto fortunæ, adeo ut improvisum sibi, & subitum suum nobis mœrorem denuncians nobis scripserit, & per Venerabilem fratrem nostrum Avenionensem episcopum & dilectum filium G. cancellarium Bajocensem B protinus intimaverit, se quo se verteret ignorare, confusum reputans, quod dabatur militibus quod ad suam sustentationem debuerat destinari, nosque qui tunc paratum nuncium habebamus, scripsimus tibi quæ scripsimus, & tu scribis quod ejus mandato hæc facta fuerant: Ipse negat. Quocumque tamen abire res debeat, crescunt ejus defectus quotidie, & idipsum quod de mutuo centum millium librarum Turonensium in Urbe recipiendarum tractatum extitit, quamvis ecclesiarum bona, quæ in Urbe sunt, C pro eodem rege exposuerimus obliganda, jam deficit vel vacillat, jam Romani resiliunt creditores, nec bene confidimus, quod optatum tractatus hujusmodi sortiatur effectum. Salem Provinciæ (a) multis vocibus prædicatum in istis partibus non sentimus, & sicubi miserabilis est vita principis, apud ipsum quæratur, qui suum & suorum vestitum & victum in sudore vultus sui mendicat, in manus respiciens creditorum qui sanguinem ejus ebibunt, quod non valet duos denarios solido vendentes eidem, & nec D hoc ipsum occurrit liberè, sed cum multis blanditiis & humilioribus precibus quàm deceret, cum difficultate non modica reperitur. Nobis igitur stylo uno, sibi verò & suis altero non eadem sed opposita scriptitans, quem decipis? nos, vel te (b) potius, vel se ipsum? Id ad presens judicio tuo relinquimus, nec te manum jubemus retrahere à stipendiis, nec porrigere suademus ad danda. Quod carissimis in Christo filiis L. Franciæ & C. Siciliæ regibus ordinare placuerit, sit lex scripta. Nos autem in simpliE citate nostra vivemus, rerum felices exitus præstolantes, & quod poterimus eidem regi Siciliæ, subsidium & auxilium, & consilium impendemus, quamvis dato quod non oportet conclusio similis subsequatur. Verum vias quas nobis scripsisti de nova decima indicenda, & de quærendo in Anglia mutuo, multum difficiles & fratrum nostrorum proposito malè consonas arbitramur. Circa alia cogitabimus quid expediat, & quid deceat, & quod Deo credemus acceptius & utilius esse negotio eligemus.

F De privilegiatorum decimis, quorum nullum exemimus, immo scripsimus, quod nobis sufficit injuriam eis non fieri, si suis valeant privilegiis se tueri, novo responso non indiges. Exactionem quidem suspendimus ab initio, sed postmodum per dilectum filium magistrum P. notarium nostrum, litteras tibi misimus suspensionem hujusmodi revocantes, salvis tamen justis deffensionibus eorumdem. Ceterum & crucis

(a) Al. Multorum vocibus. (b) Al. Potiusne seipsum.

prædicationem continuari volumus, donec duxerimus aliud ordinandum. Tu verò tempus statue, quod pro tua prudentia duxeris statuendum. Ad animam humilem quam misisti, non est dandum modo responsum: nondum enim inter emeritos reputaris. Illud demum scire te volumus, quod nisi pecunia veniat, cadet negotium, nisi Deus miraculum operetur, & humani defectum consilii sua suppleat bonitate. De quotidianis ejusdem regis expensis non dubites, quin diebus singulis ad mille & cc. libras Turonenses, & plus frequenter ascendant. Quo ibunt cum major affuerit multitudo, non sine cordis amaritudine cogitamus, videntes quod tota decima primi anni in negotii solis præludiis
(a) expendatur. Datum Perusii (a) xiv. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXVI.

Dilecto filio R. sancti Angeli diacono cardinali.

Ipsius prudentiæ committit, an regi Siciliæ ipsius desideranti præsentiam, annuere debeat.

Anno 1265 A Carissimo in Christo filio nostro C. illustri rege Siciliæ preces obnixas accepimus, petentes ex affectu, ut tuam sibi concederemus præsentiam, hoc sibi tempore admodum necessariam: causam tamen necessitatis hujusmodi non expressit. Licet autem ex causa, loco, & tempore, ac aliis circumstantiis tam negotii quàm personæ, precum nunc dependeat exauditio, nunc repulsa; quia tamen regium volumus explorare secretum, tuæ totum discretioni committimus, ut tu fili, qui conscius es ministerii, scisque tuam præsentiam nostris consiliis opportunam, diligenter attendas, quæ sit regis utilitas, quæ necessitas; & si talem eam cogno-
(b) veris, quæ movere nos deberet (b) expresse, ejus, volumus te, si & tibi placuerit, satisfacere voluntati. Datum Perusii xii. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXVII.

(c) Dilecto filio nobili viro (c) Malatesti civi Ariminensi.

Congaudet ejus prosperis.

Anno 1265 TUas nuper tribulationes audivimus, &, prout decuit, compassi fuimus patienti: tuas postmodum consolationes audivimus, in eis tecum pariter consolati, dum ex fida relatione didicimus, te in civitate Ariminensi à dilectis filiis Potestate & civibus cum gaudio & honore receptum. Sicut igitur te ad pacem nuper facilem & tractabilem præbuisti, sic ad
(d) eam ex parte tua tenendam & in aliis (d) mittendam curam impendas pervigilem; nec injuriæ transactæ memineris, sed posteriorum

A oblitus, ad anteriora te conferas, & attendas non te tibi sed multis genitum, privatis commodis debere publica anteferre. Nos verò qui tuis semper profectibus congaudemus, ad ea quæ tui sunt commodi vel honoris, cum hæc hactenus actus tui meruerint, promtam habemus per omnia voluntatem. Datum Perusii vii. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXVIII.

B Dilecto filio S. Tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, Apostolicæ sedis legato.

Ut factam cum Ariminensi civitate pacem foveat.

QUod rex ille pacificus, qui viros pacificos Anno 1265
in speciales filios adoptavit, pacis eisdem statuens testamentum, Ariminensem civitatem nuper misericorditer voluit visitare, reddita
C pace discolis, unitate divisis, per tuas primo, deinde per dilectorum filiorum virorum nobilium TADDÆI, GUIDONIS GUERRÆ, & G. de Salvaticis comitum litteras insinuatione fideli recepimus, magno perfusi gaudio, magna consolatione refecti. Verùm quia quantumlibet videantur extincta facile pullulant odia (e) re- (e)
diviva, discretionem tuam hortandam duximus & rogandam, quatenus tam salubri concordiæ cunctis nostris fidelibus amplectendæ, quæ pro data tibi à Deo prudentia, & ab ejus vicario
D potestate, videris necessaria, adhibere non differas fulcimenta; cùm specialiter inter cetera officio sacerdotis incumbat infidelium cordibus ignem caritatis accensum, subministratis lignis, jugiter enutrire, quod prudenter implebis, si personaliter ad locum accedens, congratulationibus debitis, exhortationibus sedulis, & cautelis idoneis, transactionibus solidis, (f) & (f)
sicut videbitur opportunum mutuis parentelis, sic pacem firmaveris inter partes, ut quantum potest fieri, humani consilii providentiâ nulla
E remaneat justa suspicio recidivi, & confidas in Domino, quòd te quod tuum est exsequente, quod suum est faciet, sine quo facere nihil potes. Datum Perusii vii. calendas Novembris anno primo.

EPISTOLA CLXIX.

Dilecto filio nobili viro TADDÆO comiti Feltrensi Potestati Ariminensi.

F *Laudat eum de pace reddita Ariminensi civitati, hortaturque ut eam foveat.*

DEo gratias agimus, qui civitatem Arimi- Anno 1265
nensem sub tuo reformavit regimine, pace reddita civibus, quæ non solum in suum, sed etiam in totius provinciæ periculum vacillabat. Gaudemus, fili, de tanto munere Salvatoris, & tuæ congaudemus industriæ, qui zelo fidei, &

(a) Al. Calendas Novembris. (b) Al. Expressa.
(c) Al. Malatesti. (d) Al. Nutriendam.

(e) Al. Recidiva.
(f) Al. Et si tibi videbitur.

ad nostram ac Romanæ Ecclesiæ devotionem A accensus, pacis consilia prudenter ac fideliter iniisti, ut merito & in præsenti gaudium, & in futuro præmium assequaris. Verùm quia non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri; nobilitatem tuam rogandam duximus & hortandam in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus ad initiatam Deo gratam concordiam nutriendam, omnemque materiam recidivi discriminis amputandam, des opem & operam efficacem, ut in hoc tuo placeas redemtori, & nos qui personam tuam ac domum sinceræ brachiis caritatis amplectimur, ex hac B causâ diligere te propensius teneamur. Datum Perusii VII. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXX.

Dilecto filio Potestati & communi Ariminensi.

Laudat eos de facta pace. C

Anno 1265 QUantum Deo placeat pax, quantum in viris pacificis delectetur Veritas, aperit scripturarum testimonium perhibentium, quod Rex novus nascens ex Virgine, pacis edictum proposuit, angelorum præconiis promulgatum. Pacem relinquit discipulis moriturus, pacem resurgens à mortuis nunciavit. Nos sanè qui vices ejus in terris gerimus, & ipsius cupimus nos voluntati, quantùm nostra fragilitas patitur, conformare, sicut de læsa inter eos caritate D fuimus nec immerito conturbati, sic nuper rumoribus melioribus insonantibus, vos ad mutuam rediisse concordiam magna spiritus exultatione perfusi, Deo gratias immensas exsolvimus, qui plebem suam tam salubriter voluit visitare. Quocirca vestram, dilecti filii, devotionem & fidem in Domino commendantes, hortandos vos duximus & rogandos, quatinus omni rancore deposito, sicque funditus extirpato, ne qua radix amaritudinis sursum germinans, E inter vos aliquam valeat innovare scissuram, sitis omnes unanimes & concordes, ut uno spiritu in devotione sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ inconcussa soliditate firmati, valeatis, ut expedit, in pacis multitudine delectari, sic quod pacis Angeli vobis congaudeant, & nos qui vos sinceræ brachiis caritatis amplectimur, in vobis sicut in veris pacificis, & pacis filiis, delectabiliter gloriemur. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CLXXI. F

Dilecto filio abbati monasterii S. Benedicti de Nurcia & fratribus ejus.

Commendat ei fratres Minores.

Anno 1265 DIlectos filios Minores, quos trahebat devotio ad locum sibi in Nurcia obtinendum, de quo vitæ vir venerabilis gratia Benedictus & nomine, prout legitur, traxit originem, non ex hoc vobis reputare debetis infestos, cùm id sine vestra vellent injuria, nec erat verisimile, quod qui pro Deo reliquerant voluntarie propria, contra Deum appeterent aliena. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus sub nostra protectione securi, eos solitæ caritatis dulcedine prosequentes diligatis & honoretis eosdem, nec ab eis quicquam timeatis adversi, qui suæ contenti funiculis paupertatis, nec locum illum, nec alium sibi vindicare proponunt in juris præjudicium alieni. Datum Perusii III. calendas Novembris anno I.

EPISTOLA CLXXII.

Dilecto filio abbati monachorum Casæ Dei.

Ut graviter non ferat, quod cardinales de bonis monasteriorum vivant.

SI Romanæ statum Ecclesiæ multorumque fratrum nostrorum inopiam perspicaci consideratione notares, paupertati ipsorum compatereris, ut decet, & prout expedit congauderes, cùm compassionis materiam præbeat eorumdem necessitas, & causam gaudii subministret puritas manuum & sinceritas animorum, quæ apud eamdem ecclesiam, licet omni tempore fuerit, plus tamen solito toti mundo innotescit. Unde & te mirari non decuit, si fratrum volumus relevare hoc tempore indigentiam de bonis ecclesiarum & monasteriorum, pro quorum utilitate vigilant, ceteris dormientibus, fratres ipsi, qui de vento vivere nequeunt, nec manus porrigunt ad illicita, nec possunt de nostra quæ satis tenuis est camera sustentari. Licet autem Venerabili fratri nostro H. Ostiensi episcopo alibi providerimus, & ob hoc querimonia tua cesset, diu tamen parcere non proponimus, quin fratrum onera indigentium aliquorum tibi & aliis tolerabiliter partiamur, quod si æquanimiter tuleris, ad matrem tuam humanitatem te gerere comprobabis. Nos quidem, si de nostro possemus eis consulere, aliis libentissimè parceremus. Demùm scire te volumus, quod tui monasterii minuere non intendimus libertatem, quod sinceræ complectimur brachiis caritatis: sed ubi privilegia cernimus juri divino contraria & humano, licet eadem innovare nolimus, satis tamen nos reddimus gratiosos, si ea non adimimus quæ rationabiliter annullare possemus, & quamvis nostris prædecessoribus, prout honestas exigit, geramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparibus meritis & scientia nulla possent ratione placere. Datum Perusii III. calendas Novembris anno I.

Anno 1265



EPISTOLA CLXXIII.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro C. regi Siciliæ illuſtri.

De ipſius anguſtiis ei ſcribit & de nuncio ad eum mittendo.

Anno 1265 QUantum noſtrum tangat & angat animum neceſſitatum tuarum inſtantia, novit cordium perſcrutator, quarum dum altitudinem, longitudinem, & profundum inſpicimus, explicare neſcimus nec poſſumus, quo ſit ordine procedendum: & tamen quod in nobis eſt omittere nolumus, & humano deficiente conſilio, divinum auxilium cogimur invocare. Sanè ſi, quod abſit, militia tua non venerit, unde vivas ſub expectatione ejuſdem, quo ingenio Urbem tenere valeas, qua potentia impeditum ſemel militiæ tranſitum aperire, liquido non videmus: & ſi venerit, ut ſperatur, unde tantus exercitus valeat ſuſtentari, non minus judicamus obſcurum. Nos enim apud nos neceſſarium tibi mutuum invenire nequivimus; & apud fratres tuos cariſſimos in Chriſto filios noſtros inclytum regem Franciæ, & nobilem Pictavenſem comitem ternam repulſam invenimus ſuper tuo præſidio precibus tertiis repetitis. Sed & legatus Franciæ excitatus à nobis, ut mutuum magnum quæreret ſuper decimam, nobis reſcripſit, quod requiſitis epiſcopis, abbatibus, baronibus & mercatoribus, nihil prorſus invenerat, niſi quod à dilecto filio præfato comite Pictavenſi fratre tuo quatuor millia marcharum argenti, & quinque millia librarum Turonenſium ex mutui cauſa receperat in feſto Purificationis proximo perſolvenda, quæ tamen unde ſolveret neſciebat, niſi tunc apud eumdem comitem dilationis gratiam inveniret. Hoc autem non ſcribimus, ut tuam proſternamus conſtantiam, ſed ut diligentiam excitemus ad quærendum remedium opportunum, ne fortunæ ſolius eventibus committens, videaris improvidus, vel torpens otio, vel auxilium de cælo præſtolans, tentare Dominum judiceris. Quidnam fuit, fili cariſſime, pro tanto negotio contra noſtrum conſilium Meldenſem archidiaconum in Franciam deſtinare, cùm tibi (*a*) conſuluerimus (a) apertè, quod vel venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Cuſentinum vel Avinionenſem epiſcopum illuc mitteres? Legationi quidem non parum adjicit gravitatis ejus qui deſtinatur auctoritas, ut de prudentia & rerum experientia taceamus. Nec ſufficit te fidelem mittere, niſi mittas pariter & prudentem, non illa prudentia fragili, ex qua multis inaniter nomen prudentis imponitur, qui in magnis negotiis poſiti, eorum ingreſſum vel exitum non vident. Non tu talibus conſiliariis indiges, ſed ad regnorum potius gubernacula Regum lateribus debent aſſiſtere, NOTA. (b) qui ſcirent regere (*b*) ipſa regna. Et qui ſunt illi quos quærimus? illi utique qui nec minutis al-A liciuntur munuſculis, nec magnis muneribus excæcantur, ingenio naturali dotati, litterarum ſcientia prædìti, vel multa & grandia ſaltem experti, puro corde, puriſque manibus, non præcipites in conſilio, non inciviles in verbo, non ſomno, non otio, non crapulæ dediti, non impatientes conſortii. Sciunt, volunt, & audent ſuis Dominis bene conſulere, qui etiam impotentiam eorumdem, ſi non ſtatim ſatisfaciunt indigentibus; negligentiam vel du-B ritiam, ſi non ſemper, ut decet, vel recipiant venientes, vel reſpondeant aliqua poſtulantibus, curialiter noverint excuſare. Ne contemnas quod inſeruimus de audacia: numquam enim bonum conſiliarium habere poteris, quem non reddideris animoſum. Nam ſi timidum habere volueris, aut tibi blandiens te ſeducet, aut penitus fortè tacens abire te ſinet in tuæ præcipicium voluntatis. Ad hoc ergo conſulimus quod mittas alterum de duobus, archiepiſcopo ſcilicet & epiſcopo ſupradictis. Sed nos de epiſcopo C crederemus conſultius, cùm ſit tibi archiepiſcopus neceſſarius, quia regni melius conditiones intelligit, cui ſe regnicolæ familiarius exhibent & exponunt. Nos autem ſi hoc tibi placuerit, mittemus quem miſeris verbis veſtris & ſcripturis, tam ad regem & comitem ſupradictos, quam ad cardinales & prælatos ſufficienter inſtructum, & credimus ac ſperamus corda quantumlibet ſaxea ſic movere, ut & tuis compatiantur anguſtiis, & noſtris perſuaſionibus, noſtriſque neceſſitatibus acquieſcant in his & aliis quæ præfatus Cuſentinus archiepiſcopus D tibi dixerit, credas ei in cujus ore poſuimus verba noſtra. Datum Peruſii III. calendas Novembris anno I.

(*a*) *Al.* Conſuluiſſemus. (*b*) *Al.* Ipſi.

EPISTOLA CLXXIV.

Carolo regni Siciliæ illuſtri.

Infeudatio regni Siciliæ per Dominum papam Clementem IV. Domino Carolo S. Ludovici regis Franciæ fratri

E CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio CAROLO regi Siciliæ illuſtri Anno 1265 ſalutem & apoſtolicam benedictionem. *Ex mſ. S. Vincentii Biſuntini.*

Conſtituti ab eo per quem reges regnant & principes imperant, & qui ſolum habet in regno hominum poteſtatem ſuper gentes & regna, neceſſe habemus interdum regnis ipſis, & ſpecialiter quæ Romanæ Eccleſiæ juris & poteſtatis exiſtunt, cum fratribus noſtris ad pacem & juſtitiam populorum perpetua ſtabilitate diſpo-F nere, ac in eorum ſoliis ad regimen gentium ſubjectarum quos dignos credimus ſublimare; & quia inſtructi ab eo, qui ſpiritus angelos ſuos facit, ſuper hujuſmodi diſpoſitione regnorum nonnumquam aliquibus ex fratribus ipſis aliqua committimus peragenda, ut ea quæ ab ipſis fratribus ſuper illis cum maturitate debita rite ac provide ordinantur, eo ipſo quod conſtat ipſa de noſtra fieri juſſione, robur obtineant firmitatis: ne tamen vacillent in poſterum vel

cavillationi subjaceant, eo sunt fortius apostolico munimine roboranda. Quocirca majora, in quibus majus periculum formidatur, major est cautelæ discretio adhibenda. Sane porrecta nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod cum, regno Siciliæ & tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, quæ de prædicto Siciliæ regno esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem sedis apostolicæ, ad quam specialiter pertinet, plene ac libere devolutis, sedes ipsa obtentu devotionis, qua persona tua erga prædictam Romanam fulget Ecclesiam, & pro fidei puritate, qua Christianissimum genus tuum semper noscitur claruisse, perpenso consilio disposuerit ad laudem Dei & honorem & pacem ipsius Ecclesiæ & tranquillitatem & profectum fidelium regni ejusdem de regno ipso personam ac domum tuam regiam honorare, habitis diligentibus & diutinis inter te & sedem eamdem tractatibus de prædictis regno & terra in feudum tibi & tuis heredibus concedendis, nos ad finalem consummationem eorumdem tractatuum & negotii regni prædicti nostrum animum firmiter dirigentes, dilectis filiis nostris AMBALDO basilicæ duodecim apostolorum presbytero, RICHARDO S. Angeli, JOHANNI S. Nicolaï in carcere Tulliano & JACOBO S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus dedimus litteris in mandatis, ut juxta conditiones & formam tibi per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Cusentinum & dilectum filium magistrum PETRUM notarium nostrum præsentatas, (quas conditiones & formam & nostram super dicto negotio diffinitionem, aliaque ipsi opportuna negotio sub bulla nostra eisdem cardinalibus miseramus), ad plenariam executionem ejus negotii, & ad collationem & investituram tibi de prædicto regno auctoritate nostra faciendam efficaciter procedere procurarent, concessa eisdem per dictas litteras à nobis de ipsorum fratrum consilio & assensu procedendi ad consummationem, collationem, investituram hujusmodi plena & libera potestate. Qui considerantes ad diffinitionem prædictam à nobis super dicti regni negotio editam nostra & fratrum nostrorum subscriptionibus & bulla, nec non eorumdem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam, & etiam prædictas conditiones & formam per prædictos archiepiscopum & notarium tibi ex parte nostra novissime præsentatas, ac diligentius attendentes, quod ea quæ ante consummationem prædicti negotii tibi facienda & implenda incumbebant, & forma prædicta per te facta fuerant & etiam adimpleta, ad plenariam consummationem ejusdem negotii collationem & investituram faciendam tibi de regno & terris prædictis juxta præstitas conditiones & mandato nostro & potestate tibi super hoc tradita processerunt, tibique totum regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terræ prædictæ Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtionibus & pertinentiis suis per Romanum Pontificem distractis, vel in posterum distrahendis, quam sibi Ecclesia Romana usque ad tempus istud retinuisse & reservasse dignoscitur, & tunc etiam expresse retinuit, & ad suum dominium reservavit in feudum, perpetuo tuisque heredibus ex te legitimè descendentibus, prædictum consummando negotium, sub prædictis conditionibus tibi plenius expressis & expositis conferentes etiam & concedentes investierunt, & per vexillum ecclesiæ præsentialiter de eisdem à te vice nostra & prædictæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis juramento recepto, juxta formam in eisdem conditionibus comprehensam, receptione homagii, quod teneris nobis & dictæ Ecclesiæ reddere, nobis specialiter reservata, prout patentibus litteris dictorum cardinalium inde confectis & ipsorum sigillis pendentibus communitatis plenius continetur. Ut autem collatio seu concessio & investitura prædictæ sub prædictis forma & conditionibus expressis & appositis robur obtineant firmitatis perpetuæ, humiliter supplicasti, eas sub ipsis forma & conditionibus apostolicæ confirmationis munimine roborari. Nos igitur volentes tibi & heredibus tuis in posterum super his salubriter providere, tuis supplicationibus inclinati, collationem, concessionem, investituram prædictorum regni & terræ sub conditionibus & forma prædictis à prænominatis cardinalibus tibi & heredibus tuis factas, ac regnum ipsum ac totam terram prædictam tibi & prædictis heredibus ex certa scientia & fratrum nostrorum consilio & assensu auctoritate apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Ceterum quia in quibusdam articulis seu capitulis conditionum ipsarum expressius continetur, quod in certis casibus tu & tui heredes excommunicationum sententias incurratis, & dictum regnum & tuæ ac ipsorum heredum terræ sint ecclesiastico suppositæ interdicto: nos & nunc hujusmodi sententias videlicet excommunicationis in te ac eosdem heredes & interdicti in prædictum regnum, ac terras prædictas, si tui vel ipsorum culpa hujusmodi casus emerserint, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica promulgamus, tenorem prædictarum litterarum cardinalium eorumdem de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est.

Illustri & magnifico principi Domino CAROLO illustri regi Siciliæ, nato claræ memoriæ LUDOVICI regis Franciæ, miseratione divina fratres AMBALDUS Basilicæ XII. apostolorum presbyter, RICHARDUS S. Angeli, JOHANNES S. Nicolaï in carcere Tulliano, & JACOBUS S. Mariæ in Cosmedim diaconi cardinales ad perpetuam rei memoriam. Quoniam ad subsistentiam multorum & regimen præesse oportuit unum singulare principium, pro eo quod pluralitas in præsidentia scissuram induceret & solidam gubernaculi dirumperet firmitatem, præeminent singulis regnis & mundi provinciis singula regnantium solia, & singulæ principantium potestates: quia dum reges regnant, prospere imperant & populi regibus reverenter intendunt, hi humiliter subsunt, & illi

benigne præsunt, dum congruis præeunt jussibus & devotis isti animis obsecuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium animorum unitas, misericordia & veritas sibi obviant, ac justitia & pax se invicem amplectuntur. Ideo namque ex summo illo cælesti Rege, per quem singuli reges regnant & principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum regibus terrenis attributa est potestas, ut ipsi assumto dominandi officio judicent in æquitate populos & dirigant in terris subjectas sibi gentium nationes, quatinus sit voluntas eorum in executione justitiæ, ac meditatio in lege rectitudinis, & ob reverentiam sanctæ pacis. Sane regno Siciliæ & tota terra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, quæ de prædicto regno Siciliæ esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem sedis apostolicæ, ad quam specialiter pertinent, plene & libere devolutis, sede ipsa circa statum ejusdem regni sollicitè cogitante, illiusque regimen alicui catholico & devoto principi cupiente committere, qui ad laudem Dei, honorem & pacem Ecclesiæ, & tranquillitatem fidelium ipsius regni ejus solio præsideret, tandem quia persona vestra multa erga Romanam Ecclesiam devotione refulget, vestrumque christianissimum genus præcipuæ semper fidei claruit puritate, sedes ipsa consilio perpetuo disposuerit vos de regno ipso domumque vestram honorare, habitis igitur diligentibus diutinisque tractatibus inter eamdem sedem de prædictis regno & terra in feudum vobis vestrisque heredibus concedendis, demùm Sanctissimus Pater & Dominus noster, Dominus CLEMENS Sacro-sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontifex ad salutarem consummationem eorumdem tractatuum& negotii regni Siciliæ suum animum firmiter dirigens, suas transmisit nobis litteras in hac forma:

NOTA.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis AMBALDO Basilicæ XII. apostolorum presbytero, RICHARDO S. Angeli, JOHANNI S. Nicolaï in carcere Tulliano, & JACOBO S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus salutem & apostolicam benedictionem. Plene vos scire credimus conditiones & formam dilecto filio nostro CAROLO Andegavensi & Provinciæ comiti per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Cusentinum & dilectum filium magistrum PETRUM notarium nostrum super negotio regni Siciliæ ex parte nostra vobis novissime præsentatas, cum & nos illas necnon & nostram super negotio ipso definitionem & alia eidem opportuna negotio nuper vobis sub bulla nostra duxerimus destinanda. Volumus igitur, & de fratrum nostrorum consilio & assensu vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus ad plenariam consummationem ipsius negotii, & ad collationem & investituram de prædicto regno ipsi comiti faciendam auctoritate nostra juxta easdem conditiones & formam efficaciter procedatis. Nos enim procedendi ad consummationem, collationem, & investituram hujusmodi plenam & liberam de ipsorum fratrum consilio & assensu vobis concedimus auctoritatem: nobis tamen receptione homagii, quod per ipsum comitem sine interpretatione ministri volumus nobis opportuno tempore præsentialiter exhiberi, specialiter reservata: non obstante quod dictus comes ex forma diffinitionis hujusmodi tenebatur infra festum B. apostolorum Petri & Pauli ad nostram venire præsentiam, collationem & investituram easdem, & etiam ipsius consummationem negotii de nostris manibus recepturus. Datum Perusii XI. calendas Julii Pontificatus nostri anno I.

Nos itaque considerantes diffinitionem ab ipso summo pontifice editam super dicti regni negotio, & ejusdem Domini papæ & fratrum suorum subcriptionibus, ejusque bulla, & eorumdem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam ac formam & conditiones & per venerabilem patrem B. archiepiscopum Cusentinum & discretum virum magistrum PETRUM notarium ipsius summi pontificis super ipso negotio nobis ex parte ipsius summi pontificis novissime præsentatas, ac diligentius attendentes ea quæ ante consummationem prædicti negotii vobis facienda & implenda incumbebant ex forma prædicta per vos facta sunt & etiam adimpleta, ad plenariam consummationem ejusdem negotii, & ad collationem & investituram faciendam vobis de regno & terra prædictis, juxta prædictas conditiones & formam, ex mandato ipsius summi pontificis, & potestate tradita nobis, per supradictas litteras duximus procedendum.

Ad honorem igitur Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, & B. & gloriosæ semperque Virginis MARIÆ, Beatorum quoque apostolorum Petri & Pauli, nec non prædicti D. CLEMENTIS papæ IV. & sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ totum regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis, quam Romana Ecclesia hactenus sibi reservat, in feudum vobis vestrisque heredibus ex vobis legitimè, sicut infra dicitur, descendentibus sub infra scriptis conditionibus auctoritate & potestate nobis in hac parte concessa, dictum ejusdem regni negotium consummando concedimus atque conferimus, vosque de ipsis regno & terra per vexillum Ecclesiæ præsentialiter investimus, non obstante quod ex forma dictæ diffinitionis tenebamini infra instans Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ad ipsius summi pontificis personaliter præsentiam collationem & investituram easdem & totam ipsius negotii consummationem de suis manibus recepturi. Recipimus etiam vice ipsius summi pontificis & Ecclesiæ Romanæ juramentum fidelitatis à vobis secundum formam in eisdem contentam conditionibus & inferius annotatam, nec non & aliorum super quibus secundum tenorem conditionum ipsarum Romano Pontifici & prædictæ Ecclesiæ præstare tenemini juramenta, receptione homagii prædicto summo pontifici generaliter reservata. Omnes quoque concessiones communitatum

communitatum, baroniarum, feudorum, & aliorum quorumcumque bonorum & jurium factas in prædicto regno Siciliæ per quemdam FRIDERICUM, olim Romanorum imperatorem, & CONRADUM, & MANFREDUM natos ejus, ipsorum officiales, familiares, fautores, post depositionis sententiam in ipsum Fridericum per felicis recordationis dominum INNOCENTIUM papam IV. promulgatam in Lugdunensi concilio revocamus. Conditiones autem sunt hæ:

Conditiones novo regi Siciliæ impositæ.

1. Si in vestro & heredum vestrorum obitu legitimum, prout sequitur, heredem vos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit; regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem libere revertatur. Descendentes autem ex vobis & vestris heredibus Siciliæ regibus mares & feminæ in eodem regno succedent: sic tamen quod de liberis duobus maribus eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus, primogenitus; & de duabus feminis primogenita; & de mari & femina in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur. Si vero vos, quod absit, sine liberis ex vobis legitime descendentibus mori contigerit, possit vobis in regno & terra prædictis succedere dumtaxat nobilis vir ALPHONSUS comes Pictavensis germanus vester. Et si dictus ALPHONSUS vobis non supervixerit, possit vobis succedere unus ex filiis Domini LUDOVICI illustris regis Francorum, videlicet major natu post illum, qui succedit in regno Francorum. Et hæc gratia vel successio tam ex parte vestra, quam ex parte illorum erit tantummodo personalis: ita scilicet quod ad nullum filiorum vel heredum ipsius ALPHONSI, si Alphonsum ipsum præmori vobis contigerit, hujusmodi successio se extendet; sed hujus major natu succedat in regno Siciliæ & terra prædictis; similiter & nullus filiorum vel heredum ipsius majoris natu, si idem major natu vobis non supervixerit, hujusmodi successionem habebit, sed regnum Siciliæ & terra prædicta ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem libere devolventur. Si vero ALPHONSUM & majorem natu prædictos præmori vobis contigerit; nullus alius vobis sive liberis ex vobis legitime descendentibus in eisdem regno & terra succedit; sed liberum erit eidem Romanæ Ecclesiæ de ipsis regno & terra disponere, juxta suæ beneplacitum voluntatis. Si autem prædictos ALPHONSUM & majorem natu post successionem hujusmodi, aut eorum heredes, sine liberis ex ipsis legitime descendentibus mori contigerit, regnum Siciliæ & terra prædicta similiter ad eamdem Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertentur. Sed si aliquem de aliis successoribus vestris regem vel reginam Siciliæ sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, hæ personæ, videlicet regis vel reginæ sine prole legitima sui corporis descendentes, frater vel soror ac collaterales superiores, mares & feminæ, utpote patrui & avunculi, amitæ & materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus, quos vos habebitis ad præsens dum vixeritis, & qui post obitum forsitan ex eisdem orientur exceptis, collaterales etiam inferiores succedunt similiter mares & feminæ; utpote nepos & neptis ex fratre vel sorore & inferius usque ad eumdem tantummodo quartum gradum. Quod autem de feminabus rectæ lineæ & collateralium superius est expressum; intelligendum est tam de nuptis, quam de innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus & Romanæ Ecclesiæ devotis. Et sicut inter eas personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic in eodem gradu pluribus concurrentibus; priorem natu posteriori & marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem hujusmodi nulla superstite, regnum ipsum, ut præfertur, ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem libere revertatur. Quod si forte deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam in regno succedere, illa maritabitur personæ quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea, Romani tamen pontificis super hoc consilio requisito. Nec nubat nisi viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto. Et si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano pontifici contra ipsam ad privationem regni & terræ prædictorum, sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate femina ipsa constet, procedere, si hoc videbitur expedire. In regnum vero & terram prædictam nullus succedet qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

2. Adhuc tam vos quam viri in regno heredes regnum & terram prædictam nullatenus dividatis, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus in membris ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit.

3. Vos autem, nobis recipientibus vice prædicti Romani summi pontificis & Ecclesiæ Romanæ, præstabitis ad præsens juramentum fidelitatis reservata receptione homagii eidem summo pontifici juxta ipsius mandatum, & tam vos sibi, quam ejus successoribus canonicè intrantibus expressis eorum nominibus & ipsi Ecclesiæ, quam vestri in prædicto regno heredes sub propriis nominibus ligium homagium facietis, & dictum juramentum fidelitatis faciendo mentionem de præsenti instrumento seu litteris præstabitis in hunc modum: *Ego* CAROLUS *Dei gratia rex Siciliæ plenum & ligium homagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos vel in posterum distinguendos; ab hac hora in antea fidelis ero & obediens B. Petro & Domino meo Domino* CLEMENTI *Papæ IV. suisque successoribus canonice intrantibus & Sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se aut*

nuncios suos sive per litteras ad eorum damnum illud pro posse impediam, & si impedire non possum illud, eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quàm alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum ac recuperandum & recuperata manutendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones contentas in præsenti instrumento seu litteris plenarie super ipsorum regni & terræ concessionem confectis, & omnia & singula quæ continentur in eodem instrumento, seu litteris adimplebo & inviolabiliter observabo, nec umquam tempore ullo veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

Hujusmodi autem homagia vos & dicti heredes facere & juramentum fidelitatis præstare secundum formam præscriptam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini, & singulis ipsis successionibus & eidem Ecclesiæ Romanæ renovabitis tam ipsum homagium, quam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ vos vel heredes vestros vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hæc vobis locum tutum statuant & assignent; vel aliquem cardinalem ipsius ecclesiæ alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat destinare, vosque prædicto Summo Pontifici & Ecclesiæ in vestris nominibus manibus junctis ad præsens vos ad hæc specialiter obligantes, & tam vos singulis ejus successoribus quam vestri in dicto regno heredes præfato summo pontifici & singulis ejus successoribus ac prædictæ Ecclesiæ, quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabitis vos ad hæc specialiter obligantes, quod numquam per vos vel alios seu quocumque modo perjurabitis, ut eligamini vel nominemini in regem vel imperium Romanum, vel regem Teutoniæ, seu dominum Lombardiæ seu Tusciæ, vel majoris partis earumdem Lombardiæ vel Tusciæ. Et si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum, seu regnum Teutoniæ, aut ad dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earumdem de vobis celebrari contigerit; nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabitis, nec intromittetis vos ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romanorum, seu regni Teutoniæ aut Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis ipsarum, ad quodcumque horum nominati fueritis vel electi. Quod si vos vel aliqui vestrorum in regno sedentium heredum eodem, procurantibus vobis aut eis ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanorum, sive regnum Theotoniæ, aut dominium Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis earum electi vel nominati fueritis vel fuerint; si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii regni Romanorum seu regni Teutoniæ aut Lombardiæ seu Tusciæ seu majoris ipsarum partis regimine vos

A manifeste intromiseritis, vel intromiserint; eo ipso à jure regni Siciliæ & terræ prædictæ cadatis vel cadant ex toto, ipsaque prorsus amittatis & amittant, & eadem regnum & terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur. Si autem vos aut aliquis ex prædictis heredibus electioni vel nominationi factæ seu juri omnino renuncietis & renuncient, & quod de imperio seu aliquo alio præmissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos nullatenus B intromittatis & intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium post nominationem hujusmodi, tali electioni vel nominationi seu juri non renunciaveritis vel renunciaverint; vel de ipso imperio vel de aliquo præmissorum ad quod electi seu nominati fueritis, vel fuerint, vos intromiseritis vel intromiserint quoquo modo, ex hoc sitis & sint eisdem regno Siciliæ & terra & omni prorsus jure eorumdem privati; &, ut dictum est, eadem regnum & terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Si vero ad C vos vel in dicto regno heredes vestros non poterit commodè talis monitio provenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode nequeatis vel nequeant, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, monitio publica & solemnis: ita quod si infra VI. menses post illam non renunciaveritis seu renunciaverint, aut de imperio seu de aliquo alio prædictorum ad quæ vos vel dicti heredes electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos quolibet modo intromiseritis, vel intromiserint; ex hoc cadatis D vel cadant omni jure ipsorum regni & terræ, & regnum & terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur. Ceterum si contigerit aliquem ex vestris heredibus, qui deberent in prædictis regno Siciliæ & terra succedere, in regem vel imperium Romanorum seu in regem Teutoniæ vel dominium Lombardiæ seu Tusciæ sive majoris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorum regni Siciliæ & terræ nanciscatur & habeat, nec se de illorum cura seu dominio & regimine per se vel E per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Teutonico aut dominio Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit vel assumtus; & omni juri sibi in illo competenti omnino renunciet, & illorum regimen nec de jure, nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumturus: alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in regno Siciliæ & terra prædictis sibi competerent ipso facto, ita F quod eadem regnum Siciliæ & terra ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè devolvatur. Quod si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno & terra successerit, illa regi vel imperatori Romanorum seu in regnum & imperium electo, aut regi vel electo Teutoniæ aut domino Lombardiæ seu Tusciæ aut majoris partis earum seu electo ad earum dominium, numquam matrimonialiter copuletur; & si contrarium fecerit, eo ipso cadat à Siciliæ regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis

regno & terra Siciliæ ad eamdem Ecclesiam A devolutis. Si autem vos vel aliquis vestrum in regno heredes contra hoc veneritis vel venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe & reatu perjurii respersi & noti existatis vel existant. In hujusmodi quoque juramento vos addetis, & tam per vos quam vestros in dicto regno heredes addetur expresse, quod nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanorum, aut regnum Teutoniæ vel dominium Lombardiæ, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum, per vos vel per alium aut alios occupabitis, ca- B pietis, vel acquiretis, aut vobis alias quolibet modo vindicaveritis; & si secus feceritis secundum præscriptam formam pœnas similes incurratis. Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ sive Tusciæ, intelligitur scienter; si vero ignoranter, eam ad mandatum ecclesiæ dimittere teneamini, & si eam ad mandatum dimittatis, non incidatis in pœnam in isto articulo & in consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittatis, remaneat pœna prout est in hoc articulo & in similibus constituta. Quod si forte in po- C sterum regem Siciliæ contingat in imperatorem eligi, postquam fuerit regni Siciliæ possessionem adeptus, non transeat ad imperium; alioquin in pœnas incidat in hoc articulo vel aliis similibus comprehensas. Quod si regni possessione prædicti nondum habita seu obtenta, in imperatorem electus, transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem pontifex duxerit destinandum filium suum successurum in regno cujuscumque fuerit ætatis emancipet, & regno renunciet, D nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis nec ipsum filium ad servitium seu subsidium aliquod faciendum juramento vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel successoribus suis astringat, sicque factus filius sui juris, ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinus investiatur in regno, ad cujus regni successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat imperator existens. Sed si imperio & omnibus quæ pertinent ad imperium idem E pater renunciare voluerit, & regno tantum esse contentus, post renunciationem hujusmodi ad illius successionem libere admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice vel alio destinato ab eodem investituram recipiat regni ejusdem.

4. Quod si dictus filius ad regnum assumtus major annis XVIII. fuerit, libere administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quam regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneat, donec ipse impleverit supradictam ætatem, fructibus & obventionibus regni, ex F quibus sumtus necessarii faciendi pro ejusdem regni custodia deducantur regi conservandis eidem, & lucro alterius ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum possit sub observatione præmissa à patre ad imperium transeunte dimitti, de filia etiam duximus concedendum. Et si rex non habens filium in imperatorem electus, ad imperium transire voluerit, & de personis, quas supra diximus; liberis non extantibus, in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia præordinavimus observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis ipsis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patriæ potestatis.

5. Declaramus etiam, si illi regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, quæ juxta prædictam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ imperatori, dum ipse rex viveret, fuerat desponsata vel nupta, succedat in regno; & si regno sibi delato imperatori nupserit, cadat protinus ab eo, nisi vir ejus imperio prorsus renuntians, regno solummodo sit contentus; imperio autem casu repulsis filia & alia prædicta, ad personas ipsas servatis gradibus regnum perveniat, quas prænotavimus in regno posse succedere, si rege præmortuo filii non supersint. In secundo autem casu regnum ad Romanam Ecclesiam devolvatur, regnum quoque Siciliæ & terra prædicta imperio nullo modo subdentur, seu sibi nullo umquam tempore in eadem persona quolibet modo venient, & præcise super hoc articulo, tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones, cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex duxerit requirendum; cum intentionis sit Romanæ Ecclesiæ, ut regnum & terra prædicta nullo umquam tempore imperio uniatur, ut scilicet Romanus imperator & Siciliæ rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni & terræ cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem regni & terræ cum regno Romano, aut regno Theutoniæ, seu cum Lombardia, seu Tuscia, seu cum majori parte ipsarum Lombardiæ vel Tusciæ intelligimus, & volumus esse dictum.

6. Pro toto vero generali censu octo millia unciarum auri ad pondus ipsius regni in festo S. Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si vero vos vel vestri in dicto regno heredes quocumque termino non solveritis integre ipsum censum, & expectato per duos menses terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra sequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius ejusdem census vobis duxeritis consulendum; ita ut transactis eodem termino tertio & duobus mensibus proxime sequentibus, non sit de octo millibus hujusmodi prædicti termini ipsi Ecclesiæ integrè satisfactum; ab ipsis regno & terra ipsorumque jure cadatis ex toto, & regnum ipsum & terra ad Romanam Ecclesiam integre & libere revertatur. Si autem de censu octo millium unciarum hujusmodi prædicti termini inter dictos tertium terminum & sequentes duos menses plenarie satisfeceritis, nihilominus semper pro singulis octo millibus

unciarum singulorum terminorum, si solummodo in eorum solutione cessaveritis, vel ipsas non solveritis, pœnas similes incurretis, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

7. In quolibet etiam triennio dabitis vos & vestri in dicto regno heredes Romano Pontifici unum palefridum album pulcrum & bonum in recognitionem veri dominii eorumdem regni & terræ.

8. Adhuc priusquam prædictum regnum vel tantum de ipso acquisiveritis, vel adhibueritis quod etiamsi aliquæ ipsius regni civitates vel munitiones aut aliqua alia loca adhuc vobis rebellia fuerint, reputemini & possitis ipsius regni rex vel dominus reputari, solvetis Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcharum sterlingorum per infra scriptos terminos, scilicet quod infra sex menses postquam dictum regnum acquisiveritis, prout dictum est, solvetis eidem Ecclesiæ x. millia marcharum sterlingorum, & infra singulos sex menses successive sequentes solvetis singula x. millia, donec tota prædicta quinquaginta millium summa fuerit integrè persoluta. Quod si vos in hujusmodi terminis illa non solveritis; liberum erit Romano Pontifici contra vos pro singulis terminis ad pœnas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire. Quia vero, sicut in tractatu negotii actum extitit, tempore quo esset tractatus sive negotium consummandum, dominus Papa petitionem super remittendis vobis eisdem x. millibus marcharum factam crederet ex parte saltem aliqua, de qua vos teneri sibi ad gratiam deberetis, nolimus quod perpræfixionem hujusmodi aliquod in hoc vobis faciet vobis pergratiam de prædicta summa x. millium marcharum deducatur.

9. Quandocumque autem Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, asseruerit, vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, vos vel vestri in dicto regno heredes requisiti ab eo, in Urbem, in Campaniam, in Maritimam, in patrimonium B. Petri, Tusciam, ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmissam civitatem Beneventanam, ac ejus territorium & pertinentias, quæ remanebunt Ecclesiæ, & omnes terras alias ipsius Ecclesiæ per Italiam trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas vel tres ad minus in Ecclesiæ prædictæ obsequium & subsidium transmittetis, per tres menses integros in vestris vel dictorum in regno heredum sumtibus & stipendiis semel tantum in anno in servitio ejusdem Ecclesiæ maturaturos, mensibus ipsis à die quo iidem milites terram vestri dominii vel fines vestri districtus egressi fuerint, per vulgatas dietas & solitas computandis. Quod si maluerit Ecclesia eadem ingruenti necessitate, qua stetur verbo Romani Pontificis, ut dictum est, navali in mari exercitu prædicti milites, debita taxatione & recompensatione præhabita, in navale stolium commutetur.

A 10. Verum prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit, & in suum domanium & dominium cum omnibus juribus & pertinentiis reservavit, & totum tenementum civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, quos Romanus Pontifex quandocumque semel, cum sibi placuerit, bona fide distinguet, eidem Ecclesiæ & in ejus proprietate libere remanebit, nullo jure nobis, vel cujuscumque cuicumque alii de regno prædicto seu quolibet reservato. Distinctioni quoque per Romanum

B Pontificem semel faciendæ, ut dictum est, stabitis absque contradictione seu refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per apostolicas litteras apparebit.

11. Pro prædicta quoque civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponetis per septennium pro lignaminibus omnia nemora ipsorum regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportuna, puta lapides, avenam quæ Puteolana vocatur, cæmentum & similia, sine præjudicio juris singularum perso-

C narum ad unam dietam prope Beneventum.

12. Præstabitis etiam ipsis securitatem per totum regnum & terram prædictam, nisi in terra vestra de novo delinquant, propter quod ad vos de jure justitia pertinebit.

13. Privilegia insuper dictæ civitatis à regibus & principibus concessa illibata servabitis. Omnia statuta per FRIDERICUM olim Romanum imperatorem, seu quoscumque alios reges Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejusdem revocabitis in omnibus, & per omnia quæ liber-

D tatis fuerint ceteris regnicolis purificabitis illa, nec aliqua statuta seu aliquas leges condetis inposterum, per quæ dictæ civitati directe vel indirecte possit præjudicium generari, ac pro apostolicæ sedis & B. Bartholomæi patroni civitatis ejusdem reverentia, fidancias ab omnibus remitti facietis & remittetis eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas & terras excolere, ipsarumque fruges & fructum colligere, & easdem vineas ac terram

E vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione vel munere vel etiam datione. Vos autem & vestri in regno Siciliæ heredes in dicta civitate ac ejus territorio & pertinentiis quæ remanebunt in Ecclesia vel Urbe, seu Campania vel Maritima, seu in ducato Spoletano aut Marchia Anconitana, aut in Patrimonio B. Petri in Tuscia sive aliquibuscumque terris aut dominiis sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato aut conditione sive donatione, aut alio quocumque jure, vel titulo, seu contractu, nihil umquam

F vobis acquiretis vel vindicabitis, seu poteritis acquirere vel quolibet modo vindicare; & nihil umquam recipietis, habebitis, & retinebitis; seu poteritis recipere habere vel retinere, ac nullam potestariam, capitaneam vel rectoriam; nullum alium honorem, dignitatem, seu potestatem senatoriam, aliam administrationem vel commendam, nec quodcumque officium recipietis, seu recipere poteritis, habebitis, vel retinebitis, seu habere vel retinere poteritis in eisdem. Hoc

autem intelligimus de illis heredibus vestris qui vobis in eodem Siciliæ regno succedent. Nolumus enim quod delictum vobis in comitatibus & aliis terris vestris in pœnam heredis, qui est vobis successurus in regno aliquatenus extendatur. Ne vero hujusmodi alii heredes vestri contra ea, quæ continentur in isto articulo, forsan aliquo tempore venire præsumant, acquirendo vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo seu retinendo aliquid in terris in articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo, seu retinendo in eisdem terris potestariam seu capitaniam, vel aliquid aliud de his quæ articulo continentur eodem sic semper hoc duximus concedendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum heredum vestrorum nullo umquam tempore liceat sibi quicquam in eisdem terris acquirere vel vindicare, recipere, habere vel retinere potestariam, sive capitaniam vel rectoriam aut aliquid aliud ex his quæ, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio devolveretur; sed ab illo repellatur omnino, & nihilominus ille qui hujusmodi regni gubernacula possidet, Romano Pontifici contra eum patenter assistere teneatur. Si vero vos vel vestri in regno heredes prædictam Beneventanam civitatem, territorium, vel pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem earum, aut Campaniam, aut Maritimam, seu urbem aut ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, sive patrimonium B. Petri in Tuscia, aut alias quascumque terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas occupaveritis, vel occupari feceritis, aut molestari; & postquam super hoc à Romano Pontifice moniti vel requisiti fueritis, vel commode moneri aut requiri nequiveritis juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc tempore publice aut solemniter vos monuerit infra tres menses non restitueritis integre omnia occupata, eo ipso ab ejusdem regni Siciliæ & terræ jure cadatis totaliter. Ipsaque regnum & terram prorsus amittatis, & hæc ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Quod si etiam restitueritis occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneamini, alii quoque heredes vestri, videlicet qui vobis non succedent in regno, occupare vel facere occupari easdem terras Romanæ Ecclesiæ, vel molestare & molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent. Illi vero qui secus attentaverint, præmissas pœnas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti regni, si aliquando forte casu ejusdem successio devolvetur ad illas, nullatenus admittantur, incurrant; & rex Siciliæ qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

14. Sane omnibus ecclesiis tam cathedralibus quàm aliis regularibus & quibuslibet religiosis, sæcularibus, necnon omnibus prælatis & clericis, ac universis personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, & quibuslibet religionis locis plenarie dimittentur & restituentur integre omnia bona eorum immobilia à quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Mobilia vero quæ extant & poterunt inveniri simili modo restituentur eisdem. Hæc autem restitutio fiet absque contradictione vel difficultate qualibet, sicut nanciscemini prædictorum regni Siciliæ & terræ possessionem, hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni & terræ quæ vobis obediet restitutio ipsa fiet, ipsaque successive consummabitur, sicut eadem regnum & terra habebuntur. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à Romano Pontifice aliqui juris discreti, ad quorum mandatum & arbitrium jurium & rerum immobilium & mobilium quæ extant restitutio plenè fiat: ita quod de his de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano & absque strepitu judicii veritas diligentius inquiretur. Sufficit enim vocari Cam. seu Bailium, in cujus jurisdictione vel ballivia seu territorio bona, de quibus agetur, consistant, ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent.

15. Omnes insuper ecclesiæ tam cathedrales quam aliæ regulares & sæculares, nec non & omnes prælati & clerici, & omnes personæ ecclesiasticæ sæculares & religiosæ, & quæcumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post, assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in prædicto regno heredes semper manutenebitis & conservabitis & manuteneri facietis quod in omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in prædicto regno heredes semper manutenebitis & manuteneri facietis ab omnibus subditis vestris, dictæque ecclesiæ ac personæ utentur libere omnibus bonis & juribus suis, salvo vobis & vestris in regno heredibus jure patronatus in ecclesiis in tantum quantum vel antiqui reges Siciliæ hujusmodi jus patronatus in ipsis ecclesiis habuerint.

16. Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad sedem apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire sedem pro appellationum exequutionibus libere & absque aliqua inhibitione permittantur.

17. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica statuta permittunt, ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores antiquis illa Siciliæ regibus præstiterunt. Ab illis autem prælatis ecclesiasticis, qui temporalia sive regalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona tenent à Domino rege vel aliis dominis temporalibus, & qui hujusmodi ratione bonorum ab antiquo consueverunt regibus & ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut antiqua patiuntur canonica statuta impendantur, salva semper circa ecclesias cathedrales & alias regulares & sæculares, ac personas & loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis & ecclesiæ Romanæ jurisdictionibus ac auctoritate plenaria & libera potestate revocabitis, quæque omnes constitutiones seu leges per dictum FRIDERICUM vel per reges Siciliæ, seu per CONRADUM ipsius Friderici filium, aut MANFREDUM principem Tarentinum, qui de facto retinet ipsum regnum occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel conditiones aliquas edetis, aut etiam promulgabitis, per quæ juri aut ecclesiasticæ libertati derogetis.

18. Promittetis etiam quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorumdem regni & terræ in civili vel criminali causa convenietur coram judice sæculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes personæ ecclesiasticæ omnimodè erunt liberæ, & in nullo regi vel principi subjacebunt.

19. Nullas insuper tallias vel collectas imponetis ecclesiis, monasteriis, clericis & nostris ecclesiis vel rebus eorum, & in ecclesiis vacantibus, vos vel vestri in regno heredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, redditus & proventus, nullas obventiones, ac nulla prorsus alia percipietis ex iisdem, custodia earumdem ecclesiarum interim libere remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

20. Comites vero, barones, milites, & universi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ GUILLELMI II. Siciliæ regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

21. Omnes exsules regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducantur in regnum & prædictam terram. Ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutio plena fiet, in hujusmodi autem restitutione secundum prædictam formam in capite de bonis Ecclesiasticis tuendis contentam tam in notoriis quam in dubiis procedetur; omnesque captivos & obsides, qui tenentur in regno & terra prædictis, Romanos regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos & Lombardos, & illos de Marchia Tarvisina bona fide restituetis libertati pro posse.

22. Heredibus vero quondam RICARDI comitis Sorani germani felicis recordationis INNOCENTII papæ IV. jus quod in comitatu Sorano & aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus illud in aliis comitatibus & bonis, si qua eis in regno & terra prædictis à regibus & principibus concessa obtinent, erit salvum, nec per præsentem ipsorum regni & terræ cessionem comitatuum sic concessorum eorumdem cuique ad proprietatem seu possessionem præjudicium generetur, regio in his omnibus jure salvo.


23. Nullam etiam confœderationem vel pactionem, seu societatem cum aliquo imperatore, vel rege, vel principe, seu barone Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ facietis; & si feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Ecclesiæ revocare.

24. Habeatis autem mille ad minus Ultramontanorum militum comitivam: quorum quilibet equitaturas quatuor secum habebit. Habebitis etiam trecentos balistarios & tot alios bellatores, quod ad prosecutionem negotii fidei sufficere videtur, & usque ad annum à præsenti die computandum sic muniti cum tota vestra hujusmodi comitativa esse teneamini, & sitis extra fines comitatus Provinciæ versus Italiam vel in Italia, & ex tunc infra tres menses immediate sequentes esse teneamini, & sitis in terris contiguis regno Siciliæ, nisi forsitan in Italia hostium obstaculo impediamini vel occursu, quorum impugnationem & debellationem quamdiu taliter muniti perseveranter institeritis, intelligamini negotium prosequi, nec vobis tempus prædictum trium mensium currat. Quod si vos sic muniti usque ad hujusmodi annum non fueritis extra fines prædicti comitatus; vel si infra eosdem tres menses tali non præpediti obstaculo non fueritis in terris eisdem Siciliæ regno conterminis cum comitiva hujusmodi constituti, vel in quocumque casu prosecutionem negotii opportunam non impendentibus operam in eisdem terris conterminis dicto regno infra ipsos tres menses non fueritis sic muniti, liberum erit Romano Pontifici ac in potestate remanebit ipsius, dicere, pronunciare, vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum, vobis aut alio etiam quocumque cujus forsitan interesset non vocatis, & absque omni juris solemnitate, collationem, concessionem, investituram, vobis & heredibus vestris de regno & terra prædictis factas vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eas revocare, cassare, irritare, ac ipsas cassas & irritas nunciare.

25 Liberum quoque erit eidem Romano Pontifici hoc idem facere, si, quod absit, vel longa præpediti valetudine vel morte præventi dignum negotium juxta eamdem formam non assumseritis, vel assumtum non fueritis prosecuti, nisi forte talis persona & tam idonea juxta formam eamdem vices vestras vel vestrorum

A heredum in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficere & possit & debeat à Romana Ecclesia reputari. Quod si forte vos aliquo impedimento fueritis irretiti, & hoc significaveritis Romano Pontifici, in potestate remanebit ipsius dicere, pronunciare & approbare & proferre juxta formam in capitulo ipso contentam collationem, concessionem & investituram hujusmodi vobis & heredibus vestris factas de regno & terra prædictis vacuas omnino esse, nullumque valorem & robur habere ac eas revocare, cassare & irritare, & ipsas cassas & irritas nunciare, vel talem personam & totam idoneam B assumere vel admittere ad dictum negotium, quæ merito ab ipso sufficiens reputetur. Deinde omnes præmissas conditiones, quæ in persona vestra apponuntur, circa vestros etiam in dicto regno heredes & successores intelligimus & volumus esse dictas, salvis omnibus quæ circa alios heredes ordinata consistunt, prout superius est expressum.

26. Vos etiam dabitis privilegium vestrum domino Papæ ac Romanæ Ecclesiæ, ac bulla aurea bullatum, in quo proprio juramento fatebimini & cognoscetis expressè regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia & mera liberalitate sedis apostolicæ vobis vestrisque heredibus de novo fore concessa, vosque recepisse ac tenere regnum & terram hujusmodi à dicta Romana Ecclesia sub pactis & conditionibus supradictis. Ut autem prædicti negotii consummatio, & hæc nostra collatio, concessio & investitura, ac revocatio, ac alia præmissa illibata perpetuo maneant & inconcussam semper obtineant firmitatem, præsens instrumentum, seu præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas vobis duximus concedendas. Actum Romæ apud Lateranum in basilica S. Salvatoris, quæ appellatur Constantinaria, ante sacratissimum altare ipsius basilicæ IV. calendas Julii anno Domini MCCLXV. Pontificatus vero prædicti CLEMENTIS papæ IV. anno primo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii per manum magistri Michaëlis de Tholosa S. R. E. vice-cancellarii II. nonas Novembris indictione nona, Incarnationis Dominicæ MCCLXV. Pontificatus vero Domini Clementis papæ IV. anno primo.



EPISTOLA CLXXV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Mittit ei privilegium confirmationis & concessionis regni Siciliæ Carolo regi factæ sua manu subscribendum.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ecce mittimus tibi privilegium bulla nostra & fratrum nostrorum, qui nunc in curia sunt præsentes, subscriptionibus roboratum, carissimo in Christo filio nostro C. illustri regi Siciliæ super ipsius regni confirmatione ab apostolica sede concessum; discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatinus & tu ipse in privilegio subscribas eodem, eo non obstante quod C præter morem Romanæ Ecclesiæ & ordinem consuetum bullæ appensio subscriptionem fratrum plenariam anteccessit. Datum Perusii II. nonas Novembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CLXXVI.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut reformationi monasterii S. Bertini serio incumbat.

D

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

In vinea Domini Sabaoth licet insufficientibus meritis cultores positi & custodes, non possumus non turbari, cùm eam intelligimus in aliqua parte lædi; sed tunc profecto acerbiori dolore confodimur, cùm ubi speciosior esse E solet, ibi enormius deformatur, non sine vicinarum partium detrimento. Sanè ad aures nostras pervenit quod monasterium S. Bertini ordinis S. Benedicti Morinensis diocesis, cui olim Dominus in rore cæli & terræ pinguedine benedixit, & quod tamquam hortus deliciarum & paradisus Domini consuevit in spiritualibus sanctius reflorere, ac in temporalibus conspectius abundare, nunc per negligentiam vel malitiam potius tam... abbatis ipsius quàm aliarum personarum degentium in eodem, in utrisque adeo F est collapsum, majori parte monachorum ex eo expulsa, quod nisi celeriter succurratur, vix adjiciet ut resurgat. Cùm igitur instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, ne in his torpere aliqua negligentia videamus, nobisque ipsius monasterii deformatio possit aliquatenus imputari, si audita deformatione hujusmodi ad reformationem ipsius consilium quod poterimus non duxerimus apponendum: discretioni tuæ per apostolica scripta

mandamus, quatinus prædictum monasterium revocato ad illud conventu ejusdem, qui per diversa loca, sicut accepimus, est dispersus, per te vel per alios zelum Dei habentes, quos ad hoc idoneos videris, visitans, diligenter tam in capite quam in membris prudenter corrigas, & reformes ea quæ correctionis & reformationis officio noveris indigere: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante si prædictis abbati & conventui communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, aut extra certa loca trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, sive quavis alia dictæ sedis indulgentia, de qua cujusque toto tenore specialem & expressam oporteat in nostris litteris mentionem fieri, & per quam effectus præsentium quomodolibet impediri valeat vel differri. Datum Perusii III. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA CLXXVII.

Carissimo in Christo filio regi Siciliæ illustri.

Commendat ei Jacobinum civem Cremonensem exulem.

Anno 1265 DE viro nobili Jacobino cive quondam, sed dudum exule Cremonensi, fide digna recipimus testimonia, quod fidelis semper extiterit, & quia pro justitia stare voluit, & viam noluit iniquitatis amplecti, bonis omnibus spoliatus, & prolixo maceratus exilio, coactus est huc illuc discurrere vagabundus. Hinc est quod ad tuam præsentiam accedentem, licet causam ignoremus accessus, tuæ benevolentiæ duximus commendandum, attentius rogantes, quatinus eum benigne recipias, audias patienter, & si qua petenda duxerit, quæ tuam facere liceat vel expediat aut deceat magnitudinem, eum à tua gratia non repellas. Datum Perusii calendis Novembris anno I.

EPISTOLA CLXXVIII.

Dilecto filio Ermengaudo de Melgorio militi.

Suadet ei viduitatis statum.

Anno 1265 UXoris tuæ mortem audivimus, quam ei credimus fuisse felicem, cùm laudabiliter & bene vixerit, ideoque non potuit male mori. Tu ergo, fili, debitam consolationem recipiens, non te præcipites ad conjugium iteratum, donec tuum statum & totius domus tuæ considerans, quid agendum sit tibi videas inter moras. Nunc A in tuæ viduitatis recentia, multos in intimis cordis tui impulsus pateris, qui post deliberationem habitam conquiescent, & est melius repentinum propositum ad tempus suspendere, quàm post factum non sine levitatis macula pœnitere. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CLXXIX.

B Carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri.

Ut fratri suo compatiatur & subveniat populo christiano.

NUper tibi, fili carissime, per tuum specialem cursorem cum quo lator præsentium venerat, nostrum & Romanæ Ecclesiæ statum satis lucidè intimavimus, nec postmodum novum emersit aliquid, quod tibi scribere valeamus, cum multa pendeant ex adventu ultramontanæ militiæ, quam de die in diem nos & C fratres nostri suspensis animis cum universis hujus terræ fidelibus expectamus, sperantes firmiter quod & transitum liberum habeat, & ad regnum prosperum aditum in negotio pro quo venit, felici nequeat consummatione frustrari, dum tamen non desit pecunia necessaria, cui male respondet decima, sicut ex litteris nuper accepimus dilecti filii nostri S. tituli S. Ceciliæ presbyteri cardinalis. Tu ergo, Christianissime principum, fratri tuo compatere, subveni populo Christiano, & cùm in manu tua sit decima, D cujus pars maxima intra tui regni viscera concluditur, impende subsidium quod potes facere sine tua jactura. Datum Perusii II. Idus Novembris anno I. Anno 1265

EPISTOLA CLXXX.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

E *Scribit se cardinalium inopiæ providisse, & ut nullam gratiam faciat Vvigornensi, Londonensi, Lincolniensi & Eliensi episcopis.*

ULtramontanam nondum habemus militiam, quam tamen venturam in proximo præstolamur, cujus timor super omnes fideles Italiæ & regni præcipue ad quod properat jam adeo noscitur cecidisse, ut videantur manus hostium deficere ante pugnam, & genua tremore dissoluta. Bene est nobis & fratribus per Dei F gratiam, quamvis nec affluamus deliciis, nec divitiis abundemus. Propter fratrum inopiam, quam æquo animo tolerare non possumus, nuper decrevimus singulis fratribus indigentibus, si nihil omnino habeant, trecentas marcas redituum commendare, donec aliter sit provisum aliquid; sed minus habentibus eamdem quantitatem supplere; tantum vel plus possidentibus nihil dare: & ideo jam tibi scripsimus pro duobus ab hoc scripturi pro pluribus, licet non in tanta Anno 1265

tanta summa, ut credimus, sed minori. Tu ergo, fili carissime, labora, & injuncto negotio tam fideliter quàm instanter, & honorem matris tuæ considera. Illis tamen episcopis, de quibus tibi olim scripsimus, Wigorniensi, Londoniensi, Lincolniensi, & Eliensi, nullam prorsus facias gratiam, cùm in nullo magis possemus offendi, nisi quod ab excommunicationis vinculo, qua tenentur, possis eos absolvere juxta formam Ecclesiæ, quos tamen suspensos teneas, donec aliud nostrum mandatum recipias, quod videbis in proximo, Domino concedente. Datum Perusii II. Idus Novembris anno I.

EPISTOLA CLXXXI.

Carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri.

Scribit ei de angustiis regis Siciliæ fratris sui.

Anno 1265 CLamavimus, nec cessamus, immo potius quasi tuba vocem nostram exaltare compellimur, fidei christianæ naufragium, & Ecclesiæ sanctæ Dei, ac carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ perspicacibus oculis intuentes angustias, quibus volumus & voluimus, quamvis non valuerimus, ut vellemus, tam utiliter quam celeriter subvenire. Concessæ quidem decimæ dicto regi per regnum Franciæ & provincias aliquas adjacentes, vel malè ab ecclesiis persolutæ, vel à collectoribus minus diligenter exactæ, vel in usus alios quàm oportuisset expensæ. Diu subsidium expectatum nostrum & regis ipsius animos quantum spe recreaverat, tantum afflictione (a) perturbat. Sed in novissimo veritate comperta, spe nostra penitus frustratos nos vidimus, cùm anni primi decima jam fere totaliter dicatur assumta. Sanè, fili carissime, (b) scire tuam volumus excellentiam quid nos fecimus, fidem namque fratri tuo servavimus, conventiones singulas inter nos & ipsum initas implentes ad litteram tempore opportuno, & cùm ante ipsius adventum gentem quam tenebat in Urbe, procurassemus utiliter creditorum aliquorum auxilio sustentari, postquam venit rex idem diversis nos creditoribus obligavimus pro eodem, & cùm apud nos pecuniam sibi sufficientem invenire non possemus, possessiones majoris partis ecclesiarum Urbis usque ad centum millia librarum Turonensium pro eodem exposuimus obligandas Romanis, qui hæc & majora (c) spoponderant, si à nobis posset hæc liberalitas obtineri: & cùm ventum esset ad verum, vix ibidem XXX millia librarum habere potuit ex prædictis possessionibus obligatis aliquibus quæ ipsis creditoribus placuerunt. Cúmque ad nos denuò recurrisset, vocatis omnibus curiæ mercatoribus, ultra quatuordecim millia librarum Turonensium nón invenimus, & cum hæc omnia non sufficerent, vel ad victum quotidianum ejusdem vel ad contracta in Urbe debita persolvenda, iteratis ejus suspiriis provocati, nos liberaliter exposuimus ad nostram cameram specialiter creditoribus quibuscumque, & Ecclesiæ Romanæ bona generaliter obliganda, sed nec hoc sufficit, immo nec proficit, cùm sint magnæ ejus expensæ, magnaque debita, & cùm militia supervenerit, cujus felicem transitum præstolamur, oportebit eas tunc forsitan duplicari, nec potest ipse, nec nos mutuum invenire. Quod si fortè miraris illas magnas pecuniæ quantitates apud nos inveniri non posse, scire te volumus, quod eos terruit exploratus & (d) cognitus decimæ persolvendæ defectus, & quod est durius, ille magnus Ecclesiæ persecutor, ut pro certo relatum est nobis, in Urbe, qui nihil sitit aliud, auro sparso creditorum manus continuit, qui multa promiserant se facturos. Quid plura, nihil dolum vel fraudem sapiens incredibile est de illo, qui penes talium machinationum artifices enutritus, & (e) infectæ radicis sapit originem, & tales sibi congregat, qui quod ipse subtiliter concipit, instanter & sollicitè pertrahant ad effectum. Si igitur in adventu tam nobilis, tam gloriosi exercitus rex noster deficit in expensis, quid poterimus dicere, nisi quod navis in portu periit? Quid inimici clamabunt, nisi quod ecce vidimus hominem qui ædificare cœpit, nec potuit consummare? Non credimus molestè te ferre, si ex aggregatis clamoribus in tantæ necessitatis articulo interpellamus te totiens; sed si molestum etiam id tibi fore, quod non est verisimile, crederemus; tamen omittere non possemus, quin Ecclesiæ matris tuæ, tuique germani pericula nostrâ tibi describeremus epistolâ, ut aut nudata veritas te moveret, aut saltem nobis testantibus veritatem & suffragia opportuna quærentibus nihil nobis in hoc negotio Deus ad culpam, nihil homines ad infamiam imputarent. Quocirca tu, fili carissime, qui numquam pectus saxeum habuisti, qui misericordiæ visceribus affluens, nedum tuorum, quin etiam exterorum pio miserias animo sublevastis; respice matrem tuam & carnem tuam in fratre tam utili ne despexeris succurrere, sine damno cùm possis, (f) quoniam pro tali damnum negligere teneris. Procura modis omnibus ut de tua vel mutuanda pecunia Senensibus mercatoribus, qui sunt in Francia, tantum detur, quod in his partibus se possint effundere ad subsidium socii eorumdem, alioquin cogita quod cum magno dolore concludimus, ut pares reditum fratri tuo, sanumque recipias pariter & confusum, nosque mari & ventis expositos derelinques. Quod si feceris, illo nihilominus roborante, qui & isti & illis imperat, in spe & silentio expectabimus ejus auxilium, dorsum dabimus ad flagella, ire parati pro ipso, si res exegerit, in carcerem & in mortem. Demum quia non esset facile negotii singulas circumstantias epistolari brevitate concludere, mittimus ad tuæ Serenitatis præsentiam Venerabilem fratrem nostrum Avenionensem episcopum, quo nullus fidelius astitit fratri tuo, quo nemo novit

(a) Al. Turbarat. (b) Al. Te scire volumus. (c) Al. Ponderant. (d) Al. Cogitatus. (e) Al. Imperfectæ. (f) Al. Qui.

melius intima cordis ejus, quo nullus certius & constantius in mari & terra ejus communicavit angustiis & molestiis, qui quæ desunt epistolæ veridica narratione supplebit, cui fidem habere te volumus sicut nobis. Datum Perusii (a) xv. calendas Decembris anno I.

EPISTOLA CLXXXII.

Dilecto filio S. tituli sanctæ Ciciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Ejusdem argumenti.

Anno 1265 CLamavimus, &c. *ut supra usque* nec potuit consummare. Videat igitur tua discretio, in quo sumus periculo, quo urgetur discrimine rex Siciliæ noster filius, noster baculus senectutis. Videat diligenter quis rerum erit exitus, si deficiat in expensis, & per consequens in negotio rex præfatus. Audemus dicere, & scribere non veremus, quòd nihil nobis tristius esse potest, quod utinam hodie sanus & incolumis esset in Francia vel Provincia, si eum Dominus defecturum prævidit, cum longè melius vel potius minus malum, ratione prævia, censeremus, ipsum saltem ex hac peste salvari, nobis solis in carceris vel mortis laqueis derelictis, quàm pro fide ecclesiæ laborantem nobiscum non ad solatium, sed ad luctum pari damno confusionis perpetuæ, ut pejore transeamus, involvi. Quære ergò mutuum quod des Senensibus, illud regi in istis partibus per socios suos refusuris. Quære cum rege, quære cum fratre, quære cum prælatis, quære cum religiosis, quære cum burgensibus, quære cum usurariis, quære cum omnibus, et si decies repulsam passus fueris apud ipsos. Nos enim & carissimo in Christo filio nostro L. illustri regi Franciæ & dilecto filio comiti Pictaviæ ac prælatis & clero scribimus super istis, prout tibi venerabilis frater noster Avinionensis episcopus referabit, cum aliis quæ tangunt negotium, cui in omnibus fidem indubitatam habeas sicut nobis. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CLXXXIII.

Clero Gallicano.

Ejusdem argumenti.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, & aliis ecclesiarum prælatis, ac ecclesiasticis personis, religiosis, & aliis, eorumque capitulis & conventibus, exemtis & non exemtis ac universo clero in regno Franciæ constituto salutem & apostolicam benedictionem.

Clamavimus, &c. *ut in præcedenti usque* nec potuit consummare. *Deinde sequitur.* En dilectissimi fratres & filii, si qua sunt vobis viscera pietatis, larga se vestris ingerit animis compassionis materia, dum Romanam Ecclesiam matrem vestram, dum virum magnificum & illustrem, non sibi sed mundo genitum, præfatum regem Siciliæ in tantis auditis angustiis constitutos, cùm etiam totius populi christiani discrimina ex præmissis potestis colligere; cùm si, quod absit, inimicus Dei & catholicæ fidei persecutor Christi & nostro pugili, peccatis exigentibus, prævaleret, primis malitiæ suæ finibus non contentus, conatum suum ad majora porrigeret, quæ nondum vidit oculus, nec cujusquam auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Cùm igitur inter alia quæ sapientis contristant animum, vir bellator deficiens per inopiam numeretur, in tanta regis nostri, quam ex nobis supplere non possumus, indigentia, universitatem vestram monendam, hortandam duximus, & rogandam, & per aspersionem pretiosissimi Christi sanguinis obsecrandam, quatenus ad requisitionem dilecti filii nostri S. tituli S. Ceciliæ presbyteri cardinalis apostolicæ sedis legati duorum annorum instantium decimam promta liberalitate solvatis. Nos autem de divina pietate confisi, omnibus tam piæ exhortationi nostræ liberaliter acquiescentibus, illam indulgentiam ad plenum concedimus, quæ pro eodem negotio personaliter laborantibus indulgetur. Pro qua decima persolvenda, beneficia vestra ad annum vel biennium vel triennium, si res exigat, vobis liceat obligare. Datum Perusii xv. calendas Decembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CLXXXIV.

CLEMENS, &c. archiepiscopis, &c. ac universo clero per Lugdunensem, Viennensem, Ebredunensem, Tarentasiensem, Bisuntinam, Arelatensem, Aquensem, Burdegalensem & Auxitanam, nec non & Tornacensem, ac Cameracensem civitates & dioceses ac provincias constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Clamavimus, nec cessamus, &c. *ut in proxima præcedenti littera.*

EPISTOLA CLXXXV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut religiosos omnes ad solutionem decimæ compellat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

De religiosorum decima in subsidium regni Siciliæ persolvenda semel & iterum, & nisi fallimur, jam tertiò tibi scripsimus, & adhuc scribendum duximus, quod visis indulgentiis sin-

(a) *Al.* xvi. Calendas.

gulorum, qui dictam decimam solvere noluerunt, nisi per eas se tueri potuerint à decimæ præstatione prædictæ, ad solutionem ejusdem eos ecclesiastica censura compellas. Nos siquidem nullum exemimus, sed ab initio ab aliquibus eam exigi prohibuimus, donec aliud mandaremus: sperantes quòd carissimo in Christo filio nostro C. illustri regi Siciliæ per viam aliam satisfacere valeremus: sed cùm nullam invenire possemus, mandavimus in negotio, & mandamus, non obstante dicta prohibitione, procedi. In his igitur ea vigiles diligentia, ut eidem regi Siciliæ non supersit materia conquerendi. Datum Perusii XI. calendas Decembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CLXXXVI.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mentientes circa beneficii sui reditus, ut à solvenda decima se eximant beneficio ipso privet.

Anno 1265 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm à te de multorum tuæ legationis prælatorum assensu fuerit ordinatum, quòd habentes ecclesiastica beneficia, quæ valorem annui reditus quindecim librarum Turonensium non excedunt, à præstatione decimæ, quam carissimo in Christo filio nostro CAROLO illustri regi Siciliæ in subsidium assumti negotii dari jussimus, essent liberi & immunes: & aliqui, prout fertur, pinguiora beneficia obtinentes, nihil solvant vel solverint propriæ salutis obliti, se minus habere in redditibus mentientes; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus nostra fretus auctoritate constituas, ut quisquis veritate suppressa indebitam sibi in hac parte vindicaverit libertatem, nisi infra duos menses ex quo statutum hujusmodi publicaveris, plenè satisfecerit de subtractis, suo sit beneficio ipso jure privatus, quod alii postmodum conferendi tibi damus auctoritate præsentium liberam facultatem. Datum Perusii XI. calendas Decembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CLXXXVII.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

De solutione decimæ.

Anno 1265 DE religiosorum decima in subsidium regni Siciliæ persolvenda semel & iterum & nisi fallimur, jam tertiò tibi scripsimus, & adhuc scribendum sic duximus, quod visis indulgentiis singulorum, qui dictam decimam solvere noluerint, nisi per eas se tueri poterunt à decimæ præstatione prædictæ, ad solutionem ejusdem eos ecclesiastica censura compellas. Nos siquidem nullum exemimus, sed ab initio ab aliquibus eam exigi prohibuimus, donec aliud mandaremus, sperantes quod carissimo in Christo filio nostro C. illustri regi Siciliæ per viam aliam satisfacere valeremus; sed cum nullam invenire possemus, mandavimus in negotio, & mandamus, non obstante dicta prohibitione procedi. In his igitur ea vigiles diligentia, ut eidem regi Siciliæ non supersit materia conquerendi. Datum Perusii XI. calendas Decembris anno primo.

EPISTOLA CLXXXVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Nullum se exemisse à solvenda decima.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Ut negotium decimæ integrum sine diminutione procedat, noveris quòd nulli super hoc immunitatem concessimus, quamquam à pluribus instanter fuerimus requisiti. Licet autem non credamus, quòd à nobis aliquæ litteræ super immunitate hujusmodi emanarint, ut tamen aliquid cautelæ non desit: discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si super hoc aliquæ tibi fuerint ex parte nostra litteræ præsentatæ, ipsis supersedeas, donec à nobis super immunitate illius pro quo scribitur, alias receperis litteras facientes plenam de præsentibus mentionem. Datum Perusii VIII. calendas Decembris, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CLXXXIX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut Lucanorum Oratores benigne recipiat.

ACcedentes ad tuam præsentiam Lucanorum ambaxiatores benignè recipias, & audias patienter. Nescimus enim (a) an via remaneat libera post militiæ tuæ transitum, quem prosperum Deus faciat, eorum vestigia secuturis, vel à tuo exercitu ad sua pro tempore redituris. Non enim tibi sufficit transitus venientium, nisi viam aliquam habeant opportunam qui venire valeant & redire, nunc centum, nunc pauciores vel plures, prout occasio se obtulerit, cum magnus exercitus recedentium minoratur absentia, sic novorum egeat supplemento. Sanè quod id per Januam esset commodius ac liberius, & hi dicunt quod eis est facile, Januam etiam in hoc statu, quam contra nostrum beneplacitum habet, ad favorem tuum convertere consulimus, quod eos intelligas, & vias quas tibi monstrabunt diligenter scruteris, & Venerabili fratri nostro Avinionensi episcopo quæ tibi utilia videbuntur injungas; & si à te petierint aliqua- Anno 1265

(a) (b) *Al.* Quæ via.

tenus portabilia, non ea respuas, sed potius ad illa quæ proficere posse videris, etsi non sint prorsus perspicua, te coaptes, cùm ex hoc multa possent vitari contraria, & multa commoda procurari. Datum Perusii III. calendas Decembris anno I.

EPISTOLA CXC.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Londoniensem Wigorniensem, & Wintoniensem episcopos coram se citet.

Anno 1265 SUscepta legatione in Angliam, Walliam & Hyberniam, tunc in minori officio constituti, & injunctum nobis officium tam utiliter quàm humiliter exequi cupientes, præmissis ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem, prælatos & principes Angliæ litteris, quæ nostrum pacificum prænunciabant adventum, viros pacificos non invenimus, suam in illis partibus exercente tyrannidem illo tempore SIMONE (a) quondam Leycestriæ comite, cum aliis quos infecerat sub simulatæ specie pietatis, qui etiam nostris retentis litteris & suppressis, nostros detinuit nuncios, & à suis detineri permisit, & ne nobis posset esse ambiguum quicquid malignitatis conceperat contra Romanam Ecclesiam matrem suam, & Dominum suum regem, reginam & liberos eorumdem, ob quorum consilium & auxilium mittebamur, nobis per suas litteras intimavit suo & aliorum quos ad suum errorem traxerat communitas sigillis, quòd ad partes Angliæ nobis illo tempore aditus non daretur, verbis nonnullis adjectis, & in ore suorum positis nunciorum, quæ in ejusdem Ecclesiæ & personæ nostræ manifestam injuriam redundabant. Nos verò tam suam quàm sibi adhærentium & præcipuè prælatorum admirantes insaniam, eo prius & suis complicibus excommunicationis sententia innodatis, tam terris ipsorum quàm adhærentium ecclesiastico suppositis interdicto, cum magna difficultate potuimus obtinere, quod ad nostram venirent præsentiam aliqui prælati Angliæ, quorum ab initio petieramus occursum. Sed tandem Londoniensis, Wigorniensis, & Wintoniensis episcopi, cum aliquibus nobilibus laïcis, quos, ut fertur, ultor iniquitatum gladius nuper assumsit, comparuerunt Boloniæ coram nobis, quos benignè recepimus & audivimus patienter. Cùm autem mellitis eorum sermonibus fellis amaritudinem contegi sentiremus, subdolam recessus occasionem captantibus primo quidem Wintoniensi, deinde duobus aliis licentiam recedendi dedimus, & conductum, processibus nostris contra dictum SIMONEM & fautores ejus habitis, lectis prius eisdem & in scriptis ostensis & traditis, in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis, quam incurrerent ipso facto, præcipientes eisdem, quod nostras servarent sententias, & in suis diocesibus singuli facerent observari, & denunciarent aliis observandas. Sanè à nostra facie recedentes, & se prospere recipientes in Angliam, suæ salutis immemores præceptorum nostrorum non solum temerarii, sed etiam notorii transgressores, prophanare divina usurpata licentia præsumserunt, nec vitantes excommunicatos eosdem, nec interdictum à nobis positum observantes: verùm contemtum addentes contemtui, ex quo fuimus licet immeriti ad summi apicem pontificatus assumti, nec ad nostram venerunt præsentiam, nec nuncium, nec litteras transmiserunt; sed in sua perseverantes nequitia, corda sua adinstar lapidis indurarunt, velut incus malleatoris pertinacia solidata constricti. Nos igitur non personæ nostræ simpliciter, sed sedis apostolicæ dolentes injuriam, ut tenemur, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus dictos tres episcopos, si eorum copiam habere poteris, citare non differas, eis sub pœna depositionis, in quam incidant ipso facto, si citationi hujusmodi non paruerint, in virtute obedientiæ præcipiendo districtè, quatinus in Dominica qua cantabitur *Lætare Jerusalem* nostro se personaliter conspectui præsentare non postponant, pro meritis recepturi: eisdem aperte prædicens, quod si non venerint in termino supradicto, nos ex tunc contra eos ad pœnam prædictam, vel ad alias, vel ad illam vel illas, prout juri consonum esse viderimus, auctore Domino procedemus. Quod si tu (b) citeriorem eisdem terminum assignasti, quo in nostra præsentia compareant personaliter, illum in suo robore volumus permanere, nisi eum usque ad terminum quem præfigimus, ex causa duxeris prorogandum. Citationem autem cum die & forma & omnibus contingentibus hoc negotium, quæ in partibus illis erunt notoria, vel per facti evidentiam, vel per te fuerint inquisita, tuo consignata sigillo per fideles & diligentes nuncios non simul, sed divisim, cum omni cautela venturos nobis mittere non postponas. Datum Perusii III. calendas Decembris anno I.

EPISTOLA CXCI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut decem librarum millia Senensibus mercatoribus persolvat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem Anno 1265

Cùm dilectus filius magister PETRUS archidiaconus Senonensis camerarius noster de speciali mandato nostro à dilectis filiis Bonaventura Bernardini ac ejus sociis civibus & mercatoribus Senensibus decem millia librarum Turonensium nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine mutuo recepisset, eis certis loco & termino per-

(a) Al. Quodam.

(b) Al. Certiorem.

ſolvenda, ac propter hoc ipſis eamdem Eccleſiam & ipſius bona, nec non cameram noſtram ſpecialiter obligaſſet, prout in inſtrumento publico ſuper hoc confecto plenius continetur; tandem dictus camerarius pecuniam hujuſmodi venerabili fratri noſtro Avinionenſi epiſcopo, & aliis nunciis cariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLI illuſtris regis Siciliæ pro ipſius ac regni Siciliæ negotiis exhibere curavit, pro qua integrè perſolvenda eccleſiaſticorum proventuum decimam, quæ in regno Franciæ ac locis aliis pro prædicti regni Siciliæ negotio colligitur, dictus rex nobis & eidem Eccleſiæ obligavit, prout in ipſius regis litteris eſt expreſſum. Cùm igitur velimus, & etiam ejuſdem regis intentionis exiſtat, ut prædictis mercatoribus de pecunia ipſa plenariè ac ſine moræ diſpendio ſatisfiat, diſcretioni tuæ præſentium auctoritate mandamus, quatinus Hugoni Jacobi, Reſtauro Juncte, Jacobo Gilii, & Gaſco Trapillicini ſociis prædictorum mercatorum in Francia commorantibus de pecunia ipſa ex proventibus prædictæ decimæ ſine dilatione & difficultate qualibet ſatisfacere non poſtponas: ita quod ſollicitudinem tuam poſſimus exinde merito commendare. Ceterum cùm inſtrumentum prædictum penes camerarium præfatum remanſerit, pro eo quòd non poterat propter diſcrimina viarum ad partes illas ſecurè deferri, cùm mercatoribus de pecunia ſatisfeceris memorata, noſtro & prædictæ Eccleſiæ nomine ab illis refutationem & quitacionem recipies, prout videris expedire. Datum Peruſii II. calendas Decembris, Pontificatus noſtri anno I.

EPISTOLA CXCII.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Piſanos omni gratia indignos, ſi ſe emendaverint, benigne admiſſurum ſe promittit.

Anno 1265 ABſolutio civium Piſanorum dudum nobis, fili cariſſime, placuiſſet: tum quia ſalutem omnium cupimus animarum, tum quia tam (a) viatorum quàm ad curiam accedentium per hos tranſitus terra marique poſſet faciliùs expediri. Sane licet inter rebelles alios ipſi gravius & diutius Romanam Eccleſiam offenderint, & ingrati gratiæ ſibi factæ, ſua malè ſervaverint juramenta, nos tamen nunc miſericordiæ largo ſinu parati recipere redeuntes, hanc in eis invenimus contumaciam, quod nec pro eccleſia guerram facerent, nec MANFREDI gentes ab ingreſſu ſuorum finium, nec ſuas à regnicolarum commerciis & convictu aliquatenus cohiberent, ſicque terram duabus viis ingredi molientes, abſolutionis gratia ſe probarunt indignos, cùm duobus Dominis prorſus contrariis nemo ſervire valeat juxta ſententiam Salvatoris. Si ergo dilectus filius TANCREDUS miles tuus non plus inveverit quàm invenimus, nec nos ultra quàm obtulerimus faciemus. Malumus enim eos ſine culpa noſtra in præcipitio ſuo dimittere, quàm eiſdem peccandi concedere libertatem, quæ non ſolum Deum offenderet, ſed & noſtris fidelibus eſſet in ſcandalum & ſtuporem. Quod ſi dictus miles devotiores ſolito, quod non credimus, eos reperit, revertentes, ut decet, admittemus ad gratiam iteratam, & quamquam durum pluribus videatur abſque omni ſatisfactione recipi pertinaces, dabimus tamen tempori, dabimus & negotio, quod non eſſemus alias conceſſuri. Datum Peruſii VII. Idus Decembris anno I.

(a) Al. Tuorum.

EPISTOLA CXCIII.

Dilecto filio Gardiano & fratribus Minoribus Montisflaſconis.

Ut corpus Roſtagni de Alvenco apud eos ſepulti reddant alibi tumulandum.

DEvotionem dilecti filii HUGONIS SAGETI militis Arelatenſis & aliorum ſuæ cognationis militum annuentes, qui debito humanitatis affectu propinqui ſui ROSTAGNI de Alvernico commilitis, in Eccleſiæ Romanæ obſequio mortui, corpus apud vos tumulatum, ad majorum ſuorum ſepulcra transferre deſiderant, vobis per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus eidem militi in cariſſimi in Chriſto noſtri C. illuſtris regis Siciliæ exercitu militanti, dictum corpus ſine difficultate reddatis ad partes ſuas libere transferendum. Datum *Ut ſupra in proxima.* Anno 1265

EPISTOLA CXCIV.

Dilecto filio O. Sancti Adriani diacono cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Quod ccc. marchas argenti annuas cardinalibus aſſignaverit, & ut Hoſtienſi & B. Mariæ in Via lata cardinalius faciat provideri de aliquo beneficio.

IMportabilis fratrum penuria, quæ fonte liberalitatis ipſius, qui ad Romanam Eccleſiam de mundi diverſis partibus fluere conſuevit, pene vel quaſi penitus arefacto creſcit, nec ceſſat creſcere in immenſum, ad aliqua nos compellit, quæ ſi via nobis pateret alia vitaremus. Sanè cùm noſtra camera, quæ ſibi non ſufficit eiſdem ſubvenire non poſſit, nec ferrea ſint nobis viſcera, ut tales ac tantos fratres & filios vel ſpernere vel negligere valeamus, congregatis eiſdem in unum, nec invenientibus formam aliquam, qua communis poſſet inopia ſublevari, hoc tandem obtulimus, quod nihil habentibus in redditibus, ccc. Marchas argenti annuas ex commendatione noſtra ad noſtrum beneplacitum obtinendas aſſignaremus alicubi, & minus habentibus ſuppleremus. Quod cùm omnes cum gaudio ſuſcepiſſent, ut cor noſtrum poſuimus ad provincias, in quibus aſſignationes hujuſmodi faceremus, & jam tibi fili cariſſime, ſcripſimus pro duobus, & adhuc pro pluribus ſcribi oportebit, ſi tua legatio ſortiatur exitum quem optamus. Quod autem de beneplacito noſtro &

commendatione posuimus, ea intentione nos noveris id fecisse, ut nostræ liberalitates hujusmodi morte nostra claudantur, & alterum de duobus eveniat, ut vel substituendi nobis pontificis juxta morem ordinatione dilata, liberum sit prælatis provisiones fratribus à nobis factas in alias transferre personas, vel si Romanæ Ecclesiæ provideri celerius solito, Deo favente, contigerit factum nostrum eo sit gratius, quò fructuosius censeri poterit ex eventu. Vigilet igitur tua discretio, & fraterna fratribus affectione compatiens, immo Patri qui cum afflictis affligitur, & eorum cruciatibus cruciatur, satagas totis viribus, ut Venerabili fratri H. Ostiensi episcopo, & dilecto filio nostro O. sanctæ Mariæ in Via-lata diacono cardinali, sicut per nostras alias tibi litteras scripsimus, facias provideri, vitato scandalo quantumcumque poteris, (a) quod tamen nasci permittes (a) utilius, nisi prorsus intolerabile fuerit, quàm & nostrum mandatum eludas, & eos pro quibus scripsimus, in supremæ necessitatis articulo derelinquas. Demum de te conqueri cogimur, quod atramento & calamo nimis parcas, cum statum tuum & commissi tibi negotii ad quamcumque partem vergere videatur, sæpe nobis deberes scribere, de quo penitus nihil scimus, nisi quod advenæ nobis referunt in incerto, in confectione præsentium militia transmontana in subsidium veniens regis nostri, Mediolanum nondum transierat, sed erat in ejus finibus, quam de die in diem progressurum feliciter expectamus. Datum Perusii v. Idus Decembris anno I.

EPISTOLA CXCV.

Cariffimi in Christo filio nostro C. regi Siciliæ illustri.

Excusat se quod ad Urbem coronam ei impositurus accedere non possit.

Anno 1265 FErvens, fili carissime, desiderium, quod de patris obtinenda præsentia concepisti, negare non possumus, circumscriptis aliis (b) negotiis, laude dignum, quorum tibi subducit notitiam ipse tuæ devotionis (c) excessus, dum ad ea flectis intuitum, quæ tuo nunc judicas convenire proposito, & quid nobis & multis aliis, quorum statum nostra regit stabilitas, liceat vel expediat non attendis. Sane si cum patre contenderes, qui diligere vellet, & diligi pari passu, sed honorans se crederet aliquantulum amplius honorandum, ut sic aliquem obtineret de suæ potestatis auctoritate primatum, tibi facile responderet: non me subtraho, tu te retrahis, & paterna præsentia frustratum te quereris, quam honesto modo & debito non inquiris. Sed quid dicunt quos destinas? quid allegant? non licet, inquiunt, Domino nostro regi extra Urbem recipere regium diadema. Scandalum enim Romanis fieret, qui se dicerent in hac parte contemtos. O mira res! coronatio regis Siciliæ (d) nobis debetur, nec Urbi de consuetudine, vel de jure, & in scandalum laberentur ultronei, qui nullam injuriam patientur? Numquid sepulta est adeo pontificalis auctoritas, ut propter populares seipsam & suam curiam perturbare cogatur? Scias, fili, quod civitates & castra nobis possunt auferri, sed eripi numquam poterit nostræ defensio libertatis, cum etiam si vinculis teneremur, non esset verbum Domini alligatum. Ecce nos, sicut sæpe jam scripsimus, promti sumus & fuimus committere alii hoc officium, ne ipsorum offensam incurras, & licet decentius videretur quod à nobis coronam reciperes cominus constitutis, non sic sumus honoris avidi, quin malimus tuæ necessitati consulere, quam honorem nobis in hoc negotio cum tuo vel tuorum periculo reservare. Illud pro certo teneas, quod quidquid tuis instillent auribus qui sunt tecum, quicquid tibi suggerant, qui nobiscum, fixa est apud nos ista sententia, quod hoc tempore cum multorum præjudicio curiam non turbabimus, nec peccare nos credimus, si ad tempus præferimus orbem Urbi; quamvis eam præ ceteris orbis partibus caritatis sinceræ brachiis amplectamur. Si ergo veneris tu, tuus erit nobis & nostris fratribus gratus nimis & jocundus adventus; & tuo capiti coronam regiam imponemus. Quod si tuum adventum impediat necessitas vel voluntas, mittere tibi proponimus unum ex episcopis cardinalibus, duos presbyteros, & vel unum vel duos diaconos cardinales, & tu alium tecum habes, ut sic celeriter & celebriter coronatio tua fiat, & si tibi defuerit impositio manus nostræ, cordis appositio numquam deerit, Domino concedente, quod applicabimus ex affectu ad ea quæ tui respicient commodi vel honoris augmentum. Si verò de die vis habere consilium, valde crederemus honestum, quod in die Epiphaniæ Domini, quo tres illi reges sanctissimi Regem regum & Dominum honorarunt, regii diadematis honorem reciperes cum invocatione nominis excellentis Domini JESU-CHRISTI, qui sicut illos ad optatum finem itineris stella duce perduxit, sic te gratia sua præveniens, cursum tuum pacificè dirigat, & utiliter inchoandum negotium exitu meliore concludat. Quod si placent quæ scribimus, scribe cito, ne brevitas temporis intermedii ordinationem impediat tam salubrem. Quia vero nunc tibi grandia superveniunt, in hoc demum cautum te reddidimus, & in hoc volumus esse sollicitum, ut inter diversa, & interdum adversa consilia quæ implent, &, ut credimus, onerant (e) aures tuas, non te des facilem in partem alteram, nec quicquid molle senseris æstimes esse bonum. Nam à longis retro temporibus in domibus regum sunt, & easdem libenter inhabitant & frequentant hi, qui mollibus vestiuntur, supponentes pulvillos cubitis, & capitibus oleum infundentes: & nisi dirigente te Domino viros tecum habueris timoratos, qui nec capiantur munusculis, nec muneribus corrumpantur, grande tibi discrimen imminet, præsertim cum (f) contraria, suadentibus & volenti-

(a) *Al. deest* utilius. (b) *Al. Circonstantiis quarum.* (c) *Al.* Accessus.

(d) *Al.* Nec nobis. (e) *Al. deest* Aures tuas. (f) *Al.* Omnia.

bus placere vix possis; sed si tenueris viam regiam, non declinans ad dextram vel sinistram, si super inhæseris veritati, Deum solum habens præ oculis, & plusquam hominibus placere desiderans, si argutus fueris in consiliis, si fidelis extiteris in promissis, communis omnibus in judiciis, pronus ad dandum, pronior ad reddendum, ad votum tibi succedent omnia, & adulantium evades laqueos, & morsus detrahentium non timebis. Datum Perusii (a) XIII. calendas Januarii anno I.

EPISTOLA CXCVI.

Dilecto filio S. Tituli S. Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori, apostolicæ sedis legato.

De spoliatis Callensium mercatoribus, & de nobili Renaldo exule.

Anno 1265 ONerant (b) aures nostras clamores Callensium, qui contra nostri tenorem mandati à viro nobili RAYNALDO exule, vel ejus complicibus mercatores suos asserunt spoliatos, & sub certis cautionibus liberatos, præter alia damna varia sub nostræ protectionis fidei positis eisdem sæpius irrogata. Clamat à diverso RAYNALDUS potens plurimùm in clamorem se dudum jussum restitui, & nondum prout jussum fuerat restitutum, sed amicos suos postmodum spoliatos, quia quod tempore nostro contigit acriùs id prosequitur, & voces validas usque in cælum attollit. Inter hæc igitur hoc ordine credimus procedendum. In primis cautiones à mercatoribus datas facias relaxari, quod in nostram injuriam factum fuit. Mittas autem in civitatem Callensem, & causam expulsionis novorum exulum, quæ justa dicitur à quibusdam, diligenter inquiras per cives ibidem, & extra per alios, ut decebit. Si quid etiam Callenses objiciunt restitutioni RAYNALDI, id audias, & his omnibus de plano sine advocatorum strepitu indagatis, vel quod statuendum credideris statuas, vel si in aliquo dubitas, nobis acta remitte, & nostrum tibi consilium rescribemus. Illud scias quod de XV. (c) militibus impositis nuper Callensibus, eis V. duximus remittendos ad præsens, quod te æquanimiter ferre volumus, quod ex causa hoc fecimus, quam dante Domino cito scies. Datum Perusii (d) XI. calendas Januarii anno I.



EPISTOLA CXCVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De Lucanis an sibi sint utiles.

SI Lucanorum obsequiis indiges, satis possunt articuli temperari, qui ad plenam concordiam, prout asserunt, non venerunt. Ille verò quem præter eorumdem conscientiam, prout dictum, posuisti (e) novissime, quia præcedentium omnium vigorem evacuat, utpote quo manente cives eis non crederent, nec quicquam se fecisse putarent, si præmissis opemque tollentibus, favorem etiam ultimus prorsus tolleret, hoc posset moderamine dulcorari, ut infra annum secretum istud non exiret in publicum, nisi quod tibi vel nobis præveniendus terminus videretur, nam totius consummationem negotii vel tantæ partis, cui minor non posset resistere, dare terminum licet hoc tempore minus anno speremus; terret tamen homines propter ipsam incertitudinem & ambiguum futurorum eventum. Quod si quæris an Lucanos eosdem tibi vel necessarios, vel utiles judicemus; fixum non possumus dare responsum. Adhuc enim favorem Januensium, saltem ad transitum gentis tuæ liberum concedendum, tibi quam necessarium crederemus: nec enim partes Brixiæ transire poterit turma quælibet, ut transivit exercitus conglobatus, & si ad hoc posse pertingere te confidis, non Lucanis proculdubio indigeres: quòd si credis contrarium, dicere non audemus, quin ad hoc utiles tibi essent; nam ad quascumque partes remotas etiam confuderis adversarium, ab his qui eidem assisterent propius, longè liberius deseretur. Unde circa istum articulum subdividimus quæstionem. Aut enim statim regnum intendis ingredi, quod impossibile hoc tempore multi judicant; aut non vis, aut non potes, & si forsan & vis & potes ingredi, tota indiges gente tua: & si Lucanos recipis, prout postulant, fautorum tui adversarii magnam partem in Tuscorum negotiis occupabis. Si verò vel non vis, vel non potes, noster in nobis spiritus anxiatur collatione domestica perquirentibus, ubi gens tanta morabitur, & insuper unde vivet; & si casus iste contingeret (f) & pars bona mitteretur in Tusciam, & sufficientem victum acquireret, & cum hostis opprobrio tibi gloriam reportaret, & tui timorem culminis affluenter expanderet super regnum.

Super his ergo omnibus deliberandum est tibi, priusquam exercitus veniat (g) ut si dirigendus est aliter, non postquam ad te venerit, retrocedat, sed partim in Marchiam, partim in Tusciam, (h) vel totus in partem alteram destinetur, (i) quem infra Urbem gubernandam dimittes, si te ire contigerit ubi rursus & qualiter carissimam in Christo filiam nostram reginam

(a) Al. III. Calendas. (b) Al. Vulnerant.
(c) Al. XV. Millibus. Al. XXV. Militibus.
(d) Al. Calendas Januarii. (e) Al. Novissimum.
(g) Al. Et pars una.

(f) Al. Ut sit dirigendus aliter, ne postquam à te venerit retrocedat.
(h) Al. Vel potius.
(i) Al. Quomodo tunc Urbem gubernandam dimittes.

locabis, considerare te convenit. Unde etiam haberi pecunia poterit, in qua (a) multum deficimus, Senensibus mercatoribus parvum subsidium offerentibus. Si tamen Tuscia terreretur, credimus, & nobiscum hoc credunt plurimi, quod non dumtaxat mutuum, sed etiam redemtiones plurimæ offerentur. Porro si regnum poteris ingredi, similiter creditur quod ejus acquisitio successiva continuam opulentiam secum trahet. De Pisanis nullam habemus fiduciam, quod aliquid boni faciant, cùm multum facere judicent si non noceant. Demum cautum te reddidimus, fili carissime, ne illorum illectus consiliis, qui placentia tibi prædicant, & prædicunt, illos respuas qui tibi scienter & poterunt aperire, quid sit tibi in ingressu vel in progressu timendum. Audire quidem expedit hos & alios, & omnium dicta colligere, ut discernas quid cui sit merito præferendum. Reges enim Israël & Juda longe consultius Michæam mala prophetantem audissent, quam falsiloquos ut placerent semper prospera nuntiantes. Datum Perusii x. calendas Januarii anno I.

EPISTOLA CXCVIII.


Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut in diocesi Augustensi decimas colligi faciat.

Anno 1265

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm civitas Augustensis ejusque diocesis de provincia Tarentasiensi esse noscantur; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus in eisdem civitate ac diocesi decimam ecclesiasticorum proventuum ad opus carissimi in Christo filii nostri CAROLI regis Siciliæ illustris integrè, prout colligitur in aliis civitatibus & diocesibus ejusdem provinciæ, colligi facias pro tempore præterito & futuro, contradictores per censuram apostolicam compescendo, non obstante si aliquibus de partibus illis quòd excommunicari, suspendi vel interdici non valeant à sede apostolica sit indultum, & quavis alia ipsius sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam id impediri vel differri valeat, & de qua cujusque toto tenore plenam & expressam fieri oporteat in præsentibus mentionem, & constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Perusii x. calendas Januarii Pontificatus nostri anno I.



(a) Al. Male deficimus.

EPISTOLA CXCIX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De exercitu Ultramontano recipiendo.

Anno 1265

QUod per tuas à nobis litteras requisisti, feceramus ante receptionem illarum. Scripsimus enim, sed nunc scribimus nihilominus iteratò dilecto filio nostro S. tituli S. Martini, &c. ut per Marchiam de ultramontano exercitu venire volentes benigne recipiat; & tam victualia, quam alia eis ad ipsorum transitum necessaria faciens præparari, in omnibus quæ poterit, eos dirigere non postponat. Datum Perusii VIII. (b) calendas Januarii anno I.

EPISTOLA CC.

Agathensi, Bitterrensi, Lodovensi, Magalonensi episcopis.

Quod validior est operum attestatio quam clamoe verborum.

Anno 1265

VEstras nuper accepimus litteras, quarum tenore diligentius intellecto, flendum esse cum flentibus vidimus, qui libentius cum gaudentibus gauderemus. Sanè arduum negotium agimus, nec aditum habens facilem, nec exitum expeditum, & quamvis moræ periculum sit annexum; quia tamen in talibus validior est operum attestatio, quam verborum, cogimur expectare clamorem operis, & exagerare dilationis instantiam: monitiones & consilia, sicut accepimus, præmissuri, quæ vel fructum afferant quem optamus, vel saltem nobis viam aperiant aliter ad alia procedendi. Datum VII. calendas Januarii anno I.

EPISTOLA CCI.

Episcopo Bitterrensi.

Gratias agit pro muneribus.

Anno 1265

FRaternitatis tuæ litteras benigne recepimus, & quod offers, & alias obtulisti, quamvis sit supervacuum, cùm in te nostro tua noverimus esse nostra. Ob devotionis tamen judicium, & habemus & habuimus acceptum. Sanè in tuis (c) nolumus benedictionibus præveniri, sed quæ tibi dedit & dabit Dominus conservabis communicanda nobis pro tempore, cum id duxerimus requirendum. Statum autem nostrum & curiæ nostræ & alia quæ eidem injunximus dilectus filius S. de sancta Maria presbyter plenius tibi dicet. Datum *ut supra in proxima.*

(b) Al. VII. Calendas. Al. IX. Calendas.
(c) Al. Volumus.

EPISTOLA

A

EPISTOLA CCII.

Dilecto filio abbati monasterii Anianensis ordinis S. Benedicti Magalonensis diœcesis.

Gratias agit pro muneribus.

Anno 1265 DEvotionis tuæ munera, quæ nobis offerre curasti, licet remittenda crederimus ab initio, post deliberationem super hoc habitam, ne secunda provocareris repulsa, nobis placuit retinere, & eorumdem latorem nostris obsequiis implicare. Pro oblatis assurgentes ad grates, non solum munerum magnitudinem, quin etiam tuæ piæ compassionis effectum, quo statum nostrum respicere voluisti, benignis oculis intuentes. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCIII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ.

Mittit ad ejus coronationem Berardum notarium, cui aliqua dicenda commiserat.

Anno 1265 LItteras tuæ magnitudinis vidimus, & eisdem rationes insertas, quæ licet non multum urgeant, non tamen ad disputationem nos provocant; sed tuo contenti judicio eis potius cedendum duximus quam credendum. Mittimus ergo ad tuam coronationem quos possumus. Mittimus & cum eis virum consilii, virum profundi pectoris, probatæ fidei, & gravitatis exactæ, dilectum filium magistrum BERARDUM notarium & familiarem nostrum, qui tibi ex parte nostra secretò dicet aliqua quæ scripto nolumus commendare, de quo per omnia volumus te confidere, sicut & nos confidimus de eodem. Nec animum tuum in hac parte concutiant linguæ vipereæ susurronum si quæ forsitan in ejus innocentiam impegerint: nisi enim integritas cognita nobis esset, & specialiter circa regni negotium, in quo utiliter promovendo cura pervigili laboravit, nec ipsius (a) acceptare mandaremus obsequium, nec tibi commendaremus eumdem. Eum igitur pro nostra & sedis apostolicæ reverentia suisque meritis benignè recipiens, in his quæ tibi ex parte nostra dixerit, ei credas. Datum Perusii v. calendas Januarii anno I.

EPISTOLA CCIV.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ.

Anno 1265 IN scriptis litteris quas misisti super deliberatione habita de corona in die Epiphaniæ Domini tibi danda, per dilectum filium magistrum BERARDUM notarium, quem ad te mittimus, tam scripto quàm verbo citò proponimus respondere, hoc interim intimantes, quod quos paratos habere possumus, tibi mittimus fratres nostros. Datum *ut supra in proxima.*

(a) *Al.* Acceptaremus obsequium. *Al. vero* acceptum haberemus obsequium.

B

EPISTOLA CCV.

Dilecto filio Potestati, Consilio & Communi Cornetanensi.

Ne de familia Bertrandi judicis assumant capitaneum.

NOn sine magnæ temeritatis excessu Bertrandus judex, ut dicitur, carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ cum quibusdam aliis ad nos veniens, postulavit instanter, ut de ejus familia capitaneum vobis assumeretis hoc anno. Ideoque universitati vestræ sub debito fidelitatis, quâ nobis & Ecclesiæ Romanæ tenemini, & sub pœna mille marcharum argenti, strictè præcipiendo mandamus, quatinus id minime faciatis; & si forte fecistis, protinus revocetis; & si facere promisistis, promissionem hujusmodi, ad quam vos non teneri decernimus, non servetis: alioquin & per pœnam prædictam, & alias specialiter & temporaliter contra vos exigente justitia procedemus. Datum Perusii IV. calendas Januarii anno I. Anno 1265

C

EPISTOLA CCVI.

In eodem Tuscanensi.

D

EPISTOLA CCVII.

Item (b) Vetrallensi. Item Ortanensi. Item de Monte alto.

EPISTOLA CCVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut quingentas libras Senensibus mercatoribus solvat.

E

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1265

Cùm dilectus filius magister PETRUS archidiaconus Senonensis camerarius noster de speciali mandato nostro à dilecto filio Bonaventura Bernardini, ac ejus sociis civibus & mercatoribus Senensibus quingentas libras Turonenses nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine mutuo recepisset, eis certis loco & termino persolvendas; ac propter hoc ipsis eamdem Ecclesiam, & ipsius bona, necnon cameram nostram specialiter obligasset, prout in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur.

F

Tandem dictus camerarius pecuniam hujusmodi venerabili fratri nostro... Avinionensi episcopo & aliis nunciis carissimi in Christo filii nostri CAROLI illustris regis Siciliæ pro ipsius ac regni Siciliæ negotiis exhibere curavit, pro qua

(b) *Al.* Bitrallensi.

integrè persolvenda ecclesiasticorum proventuum decimam, quæ in regno Franciæ ac aliis locis pro prædicti regni Siciliæ negotio colligitur, dictus rex nobis & eidem Ecclesiæ obligavit, prout in ipsius regis litteris est expressum. Cùm igitur velimus, & etiam ejusdem regis intentionis existat, ut prædictis mercatoribus de pecunia ipsa plenariè & sine moræ dispendio satisfiat, discretioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatinus Hugoni Jacobi, Reustauro Juncte, Jacobo Gilii, Gasco Trapilicini sociis prædictorum mercatorum in Francia commorantibus, de pecunia ipsa ex proventibus dictæ decimæ sine dilatione ac difficultate qualibet satisfacere non postponas: ita quod sollicitudinem tuam possimus exinde merito commendare. Ceterum cùm instrumentum prædictum penes camerarium præfatum remanserit, pro eo quòd non poterat propter discrimina viarum ad partes illas securè deferri, cùm mercatoribus ipsis de pecunia satisfeceris memorata, nostro & prædictæ Ecclesiæ nomine ob illis refutationem & quittationem recipies prout videris expedire. Datum Perusii III. calendas Januarii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CCIX.

Dilecto filio G. tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Danica legatione contentus, alienam non ambiat.

Anno 1265 VIsis tuæ dilectionis litteris, de tua tuæque familiæ sospitate, & felici ad civitatem Coloniensem adventu, & gestis prospere in itinere læti fuimus, sed de petitione subjuncta nec leviter nec parum admirati. Nam cùm magnæ modestiæ virum semper prætuleris oculis intuentium, & armatum magnificè contra jacula paupertatis, non potuimus non admirari, quod de fratrum nostrorum consilio tibi & dilecto filio tituli S. Adriani diacono cardinali provincias Alemanniæ distributas, præter alias quas tibi dedimus, sorte tua tunc contentus, ut decuit, nunc ad illam portionem anhelas, cui dictus O. ingressus, ut fertur, Angliam, nunc incumbit: cùm tamen inter duos legatos, nec re conjunctos, nec verbo (a) jus non habeas accrescendi. Sanè cum nedum tot & tantæ provinciæ, quin etiam pauciores uni legato sufficiant, qui Dei quærat gloriam & non suam, qualem te judicant fratres tui, & adjectione non egeat plenitudo; petitionem tuam ad præsens non duximus admittendam: quod æquo portabis animo, nec injuriam tibi cedere reputabis, si Pauli reminisci volueris, cujus fuit repulsa petitio licet tertio repetita. Illud quidem te decet attendere, quod ad regnum Daciæ principaliter destinatus, ex quadam necessitate sortitus es alia, quæ ad regnum pertinent excellentius, nec oportet totam Germaniam adjici Dacorum negotio; quod sine tanto terrarum numero feliciter poterit expediri. Quod si debitam & optatam consummationem reciperet, non est in illa dispositione Teutonia, ut legato, sic se rebus habentibus, indigeret. Porrò quot & quantas Ecclesias perturbaverunt non tantum moræ, sed etiam transitus legatorum, nos utique scire cogimur, ad quos veniunt querimoniæ regionum propter quod facti pluribus odiosi, quantumcumque in his quæ ad nos pertinent agamus leviter cum eisdem, eos tamen placare non possumus, gravamina quæ ab aliis sentiunt in nos quodam perverso judicio detorquentes. Tu igitur ea tibi sufficere judicans, quæ tibi, ingresso alio partes illas quas postulas, suffecissent, & impositum tibi legationis officium ex zelo prosequens caritatis ad pacem regni Daciæ, & plenam reformationem ipsius studium tuum applica. In aliis nihilominus tuæ providentiæ debitum impleturus, illo tibi suam addente gratiam & continuè cumulante, qui Spiritu sapientiæ te replevit, & in Ecclesia sua sancta successivis bonorum gradibus sublimavit. Datum Perusii II. calendas Januarii anno I.

(a) Al. Jus non habeat loum accrescendi.

EPISTOLA CCX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Thesaurum Ecclesiæ pro eo se obligasse scribit, & ut caveat paratas sibi insidias.

QUamdiu super mutuo laboraverimus, ut tuis possit necessitatibus aliquatenus subveniri; & mercatoribus modicum offerentibus timeremus imminere defectum, cùm nec blanditiis, nec terroribus flecterentur; tandem assistente nobis & nos fideliter adjuvante dilecto filio nostro J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali, cum multis conatibus obtinuimus ab eisdem, quod si daremus pignora, majorem darent pecuniæ quantitatem: unde cum via nobis alia non pateret, vasa aurea & argentea cum pretiosis lapidibus, & generaliter totum thesaurum Ecclesiæ eisdem obligavimus præter morem, & cum tanta licet insolita cautione de quinquaginta millibus libris Turonensibus habendis non subito, neque simul, (b) sed satis prope, satisque continuè aliquam spem habemus. De majori verò pecunia nullam, quia nec pignora tantum valent. Cogita ergo, fili carissime, quid tuæ necessitati incumbat circa subventionem tuorum, qui tuo lateri hactenus astiterunt, & eorum qui veniunt, & qui Mediolani, vel alibi in Italia remanserunt, unde scilicet eis poterit satisfieri, unde & ubi poterunt sustentari; & si regnum ingrederis, unde pecunia tibi veniat, unde victualia te sequantur; & delibera nihilominus super aliis, quæ scripsimus tibi nuper. Illud scias quod tibi super omnia, si non fallimur est cavendum, ne gentem tantam in Urbe teneas cum Romanis. Vix enim possent diu cum eis sine jurgio con-

(b) Al. Neque satis prope continuè.

versari. Fatemur ignorantiam nostram, & impotentiam nostram non celamus, nec ad præmissa scimus dare consilium, nec auxilium valemus impendere quod vellemus: parati tamen facere quod poterimus. In defectu humanæ prudentiæ, illustrationis divinæ, quam non meruimus, de pura gratia beneficium expectamus. Venit demum ad nos secretissimus & pro meritis fide dignus, qui nobis dixit, quod acriores solito parantur insidiæ vitæ tuæ, quas parant illi quorum non vitas accessum. Conservet ergo te Dominus dissipans iniquorum consilia, tuque quod tuum est facere non omittas. Super aliis verò quæ per dilectum filium fratrem Arnulphum ordinis militiæ templi nobis intimare curasti, dilectus filius noster M. sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis tibi plenius respondebit. Datum Perusii II. calendas Januarii anno I.

EPISTOLA CCXI.

Archiepiscopo (a) Tyrensi apostolicæ sedis legato.

Ut Senenses, Florentinos & Italicos excommunicatos non absolvat.

Anno 1266

CUm Senenses præ ceteris Romanam molestent Ecclesiam, & carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ honorem impediant quantum possunt, paucis dumtaxat exceptis, qui testimonium suæ fidei per litteras nostras receperunt: indignum credimus, ut præsidio crucis gaudeant persecutores in nobis & Ecclesia crucifixi. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatinus nullum Senensem, Florentinum, vel Italicum alium excommunicationis sententia, quam contra persecutorem Ecclesiæ & fautores ejus tulimus, innodatum, sine nostro speciali mandato ab eadem absolvas, etsi etiam super hæc generalem à nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum aliquando perceperis potestatem. Si quos autem hactenus aliter absolvisti, sub receptæ crucis obtentu, vel oblati præsidii terræ sanctæ, eos protinus in pristinam reducas sententiam, nudatos privilegiis, quæ cruce-signatis favorabiliter sunt indulta; & eos ubi videris expedire excommunicatos facias nunciare, & ab omnibus jubeas artius evitari, donec à nobis vel alio cui expresse duxerimus injungendum absolutionis assequi beneficium mereantur. Datum Perusii calendis Januarii anno primo.



(a) Al. Turensi.

EPISTOLA CCXII.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Senensibus mercatoribus librarum millia sexaginta cum quingentis solvat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Cùm dilectus filius magister PETRUS archidiaconus Senonensis camerarius noster à dilecto filio Bonaventura Bernardini ejusque sociis civibus & mercatoribus Senensibus decem millia & quingentas libras Turonenses nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine pro negotio regni Siciliæ mutuo recepisset; nos tibi super satisfactione ipsis facienda de illis ex proventibus decimæ proventuum ecclesiasticorum carissimo in Christo filio nostro CAROLO regi Siciliæ illustri in regno Franciæ, & quibusdam aliis locis pro prædicto negotio ab apostolica sede concessæ, litteras nostras sub certa forma duximus dirigendas: postmodum verò dictus Bonaventura & Franciscus Guidi pro se & sociis suis, qui semper nobis & dicto regi exhibuerunt se in dicto negotio & aliis nostris necessitatibus liberales, nec umquam nobis vel eidem Ecclesiæ in aliquo necessitatis articulo defuerunt, attendentes quod de aliis pecuniarum summis quas nobis & eidem regi hactenus diversis temporibus occasione dicti negotii mutuarunt, per te illis fuit integrè satisfactum, super quo nobis & dicto regi grates multiplices retulerunt, nosque proinde tuam discretionem & sollicitudinem dignam laudibus commendamus, nobis quinquaginta millia librarum Turonensium pro negotio memorato nomine mutui liberaliter tradiderunt, quæ nuntiis dicti regis idem camerarius assignavit, eisdem mercatoribus de speciali mandato nostro illa promittens nos & ecclesiam Romanam certis loco & termino soluturos; propter hoc ipsis ejusdem Ecclesiæ bona & thesaurum nostrum specialiter obligavit. Licet autem dicti mercatores in mutuando nobis prædicta quinquaginta millia librarum promtum habuerunt animum & paratum: quia tamen aliorum tempestiva & benigna tua satisfactio debitorum in hoc eos reddidit promtiores, nos cupientes sicut hactenus sic & in posterum te in prædictæ ecclesiæ negotiis sollicitum invenire; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus receptis præsentibus, de proventibus prædictæ decimæ si quos habes, vel de pecunia, si qua à carissimo in Christo filio nostro... rege Franciæ illustri aut alia persona mutuo sit recepta prætextu negotii antedicti, in totum vel in partem prænominata decem millia & quinquagintas libras ac quinquaginta millia librarum nunc mutuata Hugoni & Raynerio Jacobi, Facio, Ristauro, & Guidoni Juncte, Jacobo Egidii, Gasconi Trapellicino, & Lottho

A Hugolini sociis prædictorum mercatorum in Francia commorantibus, vel eorum uni, postquam nostras apertas litteras super hoc receperis, sine difficultate qualibet solvere non postponas. Hoc autem tibi propter hoc scribimus, ut pecuniam quam de prædicta decima vel memorato mutuo recipere te continget, penes te ad liberationem nostram & Ecclesiæ Romanæ conserves: non obstante quod tibi nostras direximus litteras, ut quid de dicta decima perciperes, prædicti regis Siciliæ procuratoribus vel B nunciis assignares. Datum Perusii calendas Januarii Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CCXIII.

Dilecto filio Gaufrido de Bello-monte cancellario Bajocensi apostolicæ sedis legato.

Revocat eum à Longobardiæ legatione mittendum ad regem.

C

Anno 1266 LOmbardiæ status, si tamen instabilitas statum habet, & Ecclesiarum paupertas minimè patiuntur nostro ac fratrum nostrorum judicio legatum hoc tempore inibi conversari, cum nec victualia sibi suppetant, nec ejus mora videatur in aliquo fructuosa. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus; quatinus à suscepto legationis officio, quod gessisti fideliter & utiliter absolutus, ad nos redeas inde te translaturus ad regem suis instruendum consiliis, & obsequiis solitis adjuvandum. Datum Perusii III. nonas Januarii anno I.

D

EPISTOLA CCXIV.

Venerabili fratri R. episcopo Albanensi, & dilectis filiis A. titulo S. Praxedis presbytero, G. sancti Georgii ad Velum-aureum, & M. sanctæ Mariæ in Porticu diaconis cardinalibus, vel illis qui ex iis reperientur in Urbe.

E

Adversus Urbis vicarium.

Anno 1266 CUm quidam ex habitatoribus castri Asperæ, nostri & Romanæ Ecclesiæ proditores quemdam familiarem carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ in Potestatem elegerint, universitate castri ejusdem alium exigente, qui etiam hodie castri Potestariam obtinet antedicti, Urbis vicarius, prout dicitur, fideles nostros qui familiarem ejusdem voluerunt admittere, citat & multipliciter inquietat. Nos verò super hoc eidem regi scribimus, prout credimus expedire, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes, quatinus ad regem eumdem personaliter accedentes, eum efficaciter inducatis, ut eidem injungat vicario, ne procedat, alioquin omittere non poterimus, quin contra temere procedentem nos ratione prævia procedamus. Datum (a) Perusii (a) VII. Idus Januarii anno I.

F

(a) *Al.* VIII. Idus.

EPISTOLA CCXV.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De excessibus ab eo & ejus officialibus commissis.

SÆpe nobis, immo sæpissime, nec pauca Anno 1265 nobis, nec levia scandala suscitata diversis & perversis gentis tuæ processibus animum nostrum amaricant; nec mirari sufficimus, cur nobis hæc ingeras offendicula, qui dudum in minori, ne dicamus officio, quin etiam statu simplici constituti, tuum dileximus & (a) diligimus totis viribus honoris augmentum: prout (a) Deo placuit, ultra vires & meritum, ad majora provecti, cælo mutato non animo, continuæ caritatis instantia quod laudabiliter cœperamus, laudabilius fuimus prosecuti, & hoc adeo ut, teste conscientia, quid ultra facere potuerimus nec fecerimus ignoremus. Ecce, fili carissime, quot & quanta in terris nostris tuo nomine fuerint attentata te nescire nolumus, dum fere singula tuæ intimanda duxerimus magnitudini, quamvis forsan omnia nequiverimus molestiarum frequentiâ & missione litterarum inutili fatigati, & quotiens ista scribimus, tuo negas facta mandato, nihil tamen revocas, nec excessum punis mandantium, nec eos, quibus injusta sub tui nominis terrore mandantur, de voluntati tuæ contraria verbo vel litteris certioras. Quadam sanè distinctione nunc uteris, ut si tuis officialibus quis non pareat, offensum te reputes, an bene vel male præceperint non discusso: si vero Romanam offendunt Ecclesiam, dicis te minimè hoc mandasse, sed tuum in Urbe vicarium morem senatorum secutum, nihil novum asseris usurpasse, & æquanimiter nos ferre debere contendis in officialibus tuis, quod in Romanis qui pro tempore fuerunt senatoribus Romani Pontifices tolerarunt. Ad hoc autem, licet sit vera responsio, circa factum quod senatores Romani plura & pluries in terris ecclesiæ mandaverunt; non tamen paritum eis fuit, ut si forsan interdum aliqui pusillanimes paruerunt, numquam Romana consensit Ecclesia, sed viriliter contradixit. Ut tamen hæc leviter transeamus, scire te volumus, non ad hoc te vocatum, ut aliorum imiteris errores, non ut Ecclesiæ jus absorbeas; sed tuo jure contentus, & Romanam primo & principaliter, & alias consequenter deffendas Ecclesias. Unde si bene recolis quod ad id te specialiter jusjurandi vinculo astrinxisti, quod ejusdem Romanæ Ecclesiæ jura defendas, & in nullo diminuas vel perturbes; verùm nuper cum judex tuus quidam Mediolanensis BERTRANDUS diversas terras patrimonii peragrasset, & quidam alii circuissent Campaniam, ea mandantes quæ ad te minimè pertinebant, scripsisti nobis hoc de tuo nec processisse mandato, & quamvis hoc non sufficeret, succrescentibus tamen occupationibus aliis, oblivioni fere jam dederamus quod mentem nostram graviter perturbaverat, sed con-

(a) *Al.* Direximus.

tinuò nova querimonia supervenit, quod scilicet tuus in Urbe Vicarius fideles nostros de castro Asperæ in Sabinia inquietat, quia quemdam de tua familia nolunt admittere in rectorem, quem pauci ex eis nostri & Ecclesiæ proditores elegisse dicuntur, aliis non in ipsum, sed in alium dirigentibus vota sua, quem etiam jam receperunt.

Quo igitur pacto noster quiescet spiritus, dum totiens infestamur, & repetitis lacessiti molestiis oblivisci veterum non permittimur, quod novis cessantibus libentissime faceremus. Scias, fili carissime, nobis viam penitus aliam eligendam, & àmodo omittere non poterimus, quin tuorum officialium insolentiam spirituali gladio compescamus, & aliàs, prout expedire viderimus, resistamus eisdem, nec credas quod pro singulis excessibus eorum, cùm regnum intraveris, ad te nostros mittemus nuncios: Jam enim & hic & alibi ex tempore multo didicimus, quid prosint hujusmodi missiones. Quocirca Serenitatem tuam monendam duximus & hortandam, quatinus & illum qui pro regimine dicti castri contendit, quem etiamsi esset communiter electus, præesse dicto castro minimè pateremur, à petitione hujusmodi desistere jubeas, & tuum vicarium à processu, & sic tuam universis & singulis circa talia voluntatem aperias, ut ab inceptis desistant, & in futurum similia non attentent. Datum Perusii VII. Idus Januarii anno I.

EPISTOLA CCXVI.

Ad consules & universitatem Montis-pessulani.

Ut extra diocesim coram judice non possint evocari.

Anno 1266

Dilectis filiis consulibus & universitati hominum Montispessulani Magalonensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Sinceræ devotionis integritas & constantis fidei plenitudo de quibus velut obedientiæ filii retroactis studuistis temporibus, ac studetis assiduè sedi apostolicæ complacere, nostrum non indignè sollicitant animum, ut apostolica vos benevolentia prosequentes, personas vestras congruis foveamus favoribus, & specialis privilegio gratiæ muniamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, ut vos vel aliqui seu aliquis vestrûm extra Magalonensem diocesim super iis quæ infra eamdem habetis, aut super actionibus personalibus, dummodo infra diocesim ipsam parati extiteritis de vobis conquerentibus coram competenti judice justitiæ plenitudinem exhibere, non possitis ad judicium evocari per litteras sedis apostolicæ vel legatorum ejus impetratas, per quas nondum ad citationem partium sit processum, seu etiam impetrandas, cujuscumque tenoris existant, nisi eædem apostolicæ litteræ impetrandæ plenam & expressam de hac indulgentia fecerint mentionem, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii VI. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CCXVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut abbatem S. Polycarpi securum ad se remittat.

Anno 1266 (*)

Dilectum filium abbatem S. Polycarpi Narbonensis diocesis pro monasterii (a) Electensis negotiis in nostra curia constitutum, incidente tractatu de Petro de S. Columba milite, qui tuis adversariis astitit, ad tuam gratiam reducendo, tuam præsentiam adire præcepimus, & quod negotio hujuscemodi esset utile de tuo consilio promovere. Tu vero, ut audivimus, nec nobis, nec ipsius religioni deferens, eum fecisti cum tota ipsius familia personaliter detineri: quod quidem qua auctoritate tentaveris ignoramus. Quocirca Serenitatem monemus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eum & ejus familiam cum rebus ipsorum, qui sub nostræ securitatis fiducia ad te venerant, ad nos remittere non differas liberos & securos. Datum Perusii IV. Idus Januarii anno I.

EPISTOLA CCXVIII.

Archiepiscopo Cusentino.

Ut libertatem abbatis S. Polycarpi procuret. Anno 1266

Miramur plurimum te sustinere aliquatenus potuisse, quod dilectus filius abbas sancti Polycarpi Narbonensis diocesis, de nostro speciali mandato regiam adiens magnitudinem, personaliter captus fuerit & detentus, cùm tu conscius esses omnium quæ tractata fuerant per eumdem, nec scimus nec possumus æstimare unde venerit hæc præsumtio, ut sub nostra fiducia vel regis utilitate transmissus abbas præcipuè caperetur: qui sine excommunicationis vinculo capi non potuit, in quam utique capientes & capi mandantes pariter inciderunt, nullis litteris nostris obstantibus, si quæ forsitan emanarunt de suspectis clericis capiendis, quæ ad abbates majoresve prælatos minimè porriguntur: & si de illis, quod non credimus, facerent mentionem, eas penitus revocamus. Quia igitur male Polus carpitur ubi tam impudenter sanctus offenditur Polycarpus, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatinus visis litteris eumdem abbatem cum familia sua & rebus eorum, à quibuscumque detineantur personis, cujuscumque sint dignitatis, gradus, vel excellentiæ liberari procures, personas hujusmodi, ad liberationem eorum per censuras ecclesiæ, si oportuerit, appellatione postposita, compellendo; nonob-

(a) *Al.* Electense monasterium olim insigne ordinis S. Benedicti in diocesi Narbonensi in Cathedralem ecclesiam erexit Johannes XXII.

ſtante ſi cui vel aliquibus à ſede apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſunt per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, vel alia, quavis ejus ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, etiamſi de ipſius toto tenore in noſtris litteris plena & expreſſa mentio ſit habenda. Quod ſi forſitan tibi ad noſtram præſentiam accedenti inter Montem Flaſconem & Urbem, hæ litteræ fuerint aſſignatæ, protinus retrocedas, & mandatum noſtrum fideliter & viriliter exequaris. Datum Peruſii IV. Idus Januarii anno I.

EPISTOLA CCXIX.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Ut fidelibus & prudentibus utatur conſiliariis, & de querela regis Franciæ.

Anno 1266 PRofecturum ad bellum principem pacem decet in domo propria ſolidare, ne dum pugna domeſtica laceſſente diſtrahitur, minus ab exteris timeatur. Inter omnia ſanè prælia illud magis eſt intimum, id debet rectius dici inteſtinum, quod ſub Dei ſolius oculis conſcientiæ ſecretiſſimo ſinu geritur, quæ nunc rodit, nunc lacerat, nunc concutit, nunc proſternit, & alternis vicibus nunc ſuperior, nunc inferior quietem animi vel prorſus dejicit, vel perturbat. Ergo, fili cariſſime, cum jam (b) manum mittas ad fortia, contra fortem fortis & fortiter pugnaturus, vide prius quid domi agitur, & ſi forſan tumultum faciunt, ſi tibi movent prælium in eadem, non paucæ numero, ſed nec leves injuriæ; quas eccleſiis, quas baronibus, quas militibus, quas plebi, in terris tuis feciſſe diceris, & uſque ad Italiam perduxiſſe. Prius conſule te & tibi, & ne tuæ prudentiæ contra ſapientis conſilium innitaris; viris fidelibus & prudentibus & audacibus aperi veritatem, qui profecto velint & valeant, ſciant & audeant ſanum tibi dare conſilium, & cùm magna ſit differentia mentalis examinis ad forenſe judicium advocatorum, diffugiis non utaris, quibus tuæ ſalutis negotium nullo (c) credideris tempore committendum. Offert tibi Dominus in hoc tempore viros multa peritia præditos, multa fide pollentes, & ſpecialiter inter illos Venerabilem fratrem noſtrum Altiſſiodorenſem epiſcopum, & dilectum filium P. Cambellanum militem, qui te numquam decipient, nec ad tuum diſpendium tuam faciem verebuntur, quorum conſilio ſi te rexeris, nihil regiæ magnitudini diſperibit. Nam te regens & alios, & rectitudinis regulæ te ſubjiciens, regis nomen & meritum (d) rectius obtinebis. Verum inter cetera ad id tuam memoriam duximus reducendam, quod ſæpe ac ſæpius tuis auribus inculcavimus de querela cariſſimi in Chriſto filii L. regis illuſtris, quem Gabella, quam percipis de ſale terræ ipſius graviter ſcandalizat, ſerenitatem tuam rogantes & hortantes attentè, quatinus ſpecialiter ſuper illa ad tuam præſentiam accedentibus dilectis filiis P. Cambellano prædicto, & fratri Johanni de Manſo ordinis fratrum Minorum benignam præbeas audientiam, & ad ea quæ propoſuerint verbo taliter factoque reſpondeas, ut & tuam liberes animam, & fratris animum pacatum reddas pariter & placatum. Datum Peruſii III. Idus Januarii anno I.

(b) *Al.* Nitaris ad fortia.
(c) *Al.* Credas.
(d) *Al.* Totius.

EPISTOLA CCXX.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Ut Senenſibus aliquam militiam, ſi poſſit, ad tempus dimittat.

VExamur à Senenſibus & aliis extrinſecis fidelibus, & à noſtris ſimiliter Marchianis, ut tuam magnitudinem excitemus ad militiam aliquam dimittendam eis ad tempus, quæ, prout aſſerunt, cum eorum auxilio, & inimicos Dei confunderet, expeditis amicis eorumdem, obſequium tibi pinguius miniſtraret. Unde cum tu longè melius ſcias quid valeas & velis circa iſta, Serenitatem tuam duximus rogandam & hortandam, quatinus omnibus compenſatis, quod utilius eſſe credideris, exequaris. Etſi forſan habes aliquos, quibus plenè ad præſens nequeas de ſtipendiis reſpondere, dicunt aliqui, quod ſi equos & arma haberent, & victum apud eos acquirerent, & unde parare ſe poſſent plenius ad tua proſequenda negotia lucrarentur. In his autem & aliis tuas Dominus actiones aſpirando præveniat, & adjuvando ſalubriter proſequatur. Datum Peruſii III. Idus Januarii anno primo. Anno 1266

EPISTOLA CCXXI.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro C. regi Siciliæ illuſtri.

Ut Barralum Baucii dominum ſuo lateri adhærere cupientem, aut ducentis præfici militibus, ab officio Poteſtatis civitatis Mediolanenſis revocet.

LOngis attritos laboribus pro loco & tempore recreare volentibus, eo credimus procedendum ingenio, vel ut quietem præbeant poſt laborem, vel commutato laboris genere, laborantes continuè ſola releventur oneris novitate. Sanè dilectus filius vir nobilis Barralus Baucii Dominus, ſicut noſti, ſe totum & totaliter tuis dudum obſequiis deputans, ut tenetur, in civitatis Mediolanenſis regimine, tuo nuper beneplacito conſtitutus, licet credat civibus ſe acceptum, & ibidem ad tuæ ſerenitatis honorem fideliter egerit quicquid potuit; prudenter tamen conſiderans & attendens quod honeſtius eſſet ſibi tuam videre faciem & aſſiſtere tuo lateri, quam diutius inibi ſub Poteſtatis nomine commorari, tædio premitur & afficitur, cum àmodo tibi credat inutilem moram ſuam, niſi forſan illos CC. milites illuc mitteres, quas dicta civitas à te petit, quibus ſi eumdem præficeres, & neceſſaria non deeſſent, tuum ex animo promoveret honorem; quamquam longè Anno 1266

magis eligeret tuæ magnitudinis gloriosis interesse triumphis. Quocirca, fili carissime, quia tu nosti plenius industriam dicti nobilis, & prudentiam, quam tibi in præcipuis crederemus negotiis fructuosam, serenitatem tuam rogandam duximus ex affectu, quatinus ejus satisfaciens desiderio, parcas ei, nec eum ex tunc jubeas fungi officio Potestatis, sed in aliis eum exerceas, quæ tibi placeant, & nihilominus tibi prosint, nisi fortasse filii, quem tecum habes, contentus obsequio, patrem ad proxima duxeris remittendum, quod tamen an placeret eisdem penitus ignoramus. Datum Perusii II. Idus Januarii anno primo.

EPISTOLA CCXXII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Senensibus mercatoribus sexaginta millia librarum & quinquagintas solvat.

Anno 1266

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut proventus decimæ concessæ carissimo in Christo filio nostro CAROLO illustri regi Siciliæ pro regni Siciliæ negotio ab apostolica sede colligere sollicitè ac etiam conservare curares, ita quòd de ipsis sociis dilectorum filiorum Bonaventuræ Bernardini, & Francisci Guidi civium & mercatorum Senensium de debito quinquaginta millia librarum Turonensium, quod eramus contracturi cum eis, pro dicto negotio satisfieret, non obstante quod tibi per alias nostras scripseramus litteras, ut quicquid colligeres de dicta decima ejusdem regis procuratoribus assignares. Sanè postmodum dilectus filius magister Petrus archidiaconus Senonensis camerarius noster de speciali mandato nostro recepit mutuo à prædictis mercatoribus hujusmodi quinquaginta millia librarum Turonensium, eis usque ad festum resurrectionis dominicæ venturum proximo persolvendas, & propter hoc Romanam Ecclesiam ejusque bona, cameram & thesaurum nostrum consistentem in vasis aureis & argenteis, lapidibus pretiosis, crucibus, thuribulis, ornamentis, & rebus aliis obligavit, prout in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur, ac pecuniam hujusmodi fratri Arnulpho de Parisius ordinis militiæ templi & Miloni de Meldis clerico familiaribus procuratoribus & nunciis dicti regis ejus nomine pro negotio ipso & aliis ejusdem regis necessitatibus totaliter assignavit, dictusque rex decimam antedictam nobis & eidem Ecclesiæ pro dicta pecunia duxit specialiter obligandam. Cùm autem in multis & magnis obsequiis prædictorum mercatorum circa nos & prædictam Ecclesiam cognoverimus & agnoscamus fidei puritatem, sicut & tibi per facti evidentiam innotescit: nos dignum arbitrantes & congruum, ut ipsi quibus nos plurimum teneri fatemur, nullum inde incurrant dispendium unde præmium promerentur: discretionem tuam quanta possumus affectione requirimus, & rogamus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus attentè considerans quòd nos & prædictus rex sæpe mercatorum ipsorum suffragio indigemus, & quòd ipsi nobis dictóque regi liberaliter ac devotè subveniunt temporibus opportunis, de prædictis quinquaginta nec non de decem millibus & quingentis libris Turonensibus, quas alias dictus camerarius occasione dicti negotii nomine mutui recepit à mercatoribus memoratis, & super quibus nos tibi scripsisse meminimus, ex prædictis proventibus ipsius decimæ dilectis filiis Hugoni Jacobi, Faccio, Restauro, & Guidoni Juncte, Bartholomæo Henrici, Gasconi Trapilicino, Jacobo Ægidii, & Lotto Hugolini sociis prædictorum mercatorum in Francia commorantibus, vel eorum uni, non expectatis terminis, in totum vel in partem, nonobstantibus aliquibus aliis nostris litteris tibi directis, satisfacere non postponas, & ut eis citius satisfiat, universis collectoribus dictæ decimæ districtè præcipias, ut quicquid de ipsa percipient, prædictis sociis nostro & Ecclesiæ prædictæ nomine vel eorum alicui assignare procurent, nec interim procuratoribus, nuntiis, creditoribus, & specialiter Romanis sive aliis quibuscumque personis per litteras dicti regis, vel ad supplicationem seu suggestionem aliquorum prælatorum vel principum aliquid de dicta decima exhibeas vel assignes, quo usque prædictis mercatoribus de prælibatis debitis fuerit integraliter satisfactum; & nos & thesaurus noster ab ipsis fuerimus totaliter liberati. Scire quidem verè potes, quòd summa necessitas nos coëgit dictum obligare thesaurum, cùm in hoc nostram nos oportuerit universis detegere paupertatem. Ceterùm ab ipsis sociis nostro & Ecclesiæ prædictæ nomine de solutionibus quas ipsis facies, quittationem recipies competentem, nobis qui non modicum affectamus, ut prædictus thesaurus de mercatorum ipsorum manibus liberetur, sæpe sæpius rescripturus quicquid super his duxeris faciendum. Demum si, prout per venerabilem fratrem nostrum episcopum Avinionensem mandavimus, mutuum recipere in Francia vel alibi te contigerit, etiam de illo dictis te volumus satisfacere mercatoribus, si aliunde non posses. Quia verò pro necessitate regis ejusdem Romanis mercatoribus nostram cameram obligavimus in quinquaginta & quinque millibus librarum Turonensium & amplius, quas ad tardius citra festum S. Johannis Baptistæ persolvi modis omnibus oportebit; de his etiam persolvendis, prius Senensi debito persoluto, sic tibi, dilecte fili, provideas, ne Urbis ecclesiæ irreparabile damnum subeant, possessionibus earumdem à creditoribus occupatis: quod qualiter possis facere, scribas nobis lucidè & apertè, ut tuam impotentiam vel potentiam plenius agnoscentes, quid nobis agendum fuerit videamus. Datum Perusii XIV. calendas Februarii, Pontificatus nostri anno I.

EPISTOLA CCXXIII.

Carissimo in Christo filio Belæ regi Hungariæ illustri.

Rogat ut Timotheum Zagabriensem episcopum, cui hactenus adversarius fuit, episcopatu pacifice frui sinat.

Anno 1268 RErum providus omnium ordinator omnes homines lege propagandos communi ex similibus nasci seminibus, eodem cœlo contegi, similique gaudere spiraculo voluit, nudos in mundum ingredi, nudos egredi, pari ratione decrevit, non à servo distinguens liberum, non ab egeno divitem, non à rege plebeïum in omnibus supradictis, sed in terra multiplicatis hominibus, & eorum nonnullis voluntatis indomitæ motus agiles & effrænes libertati propriæ relinquentibus, aliis autem saniore consilio rationis imperio suas subdentibus voluntates, istos illis merito præfici sola persuasit honestas, sed necessitas etiam publica contulit anteferri, ut qui suis perfectius dominabantur animis expugnatoribus urbium, meliores exerceant in alios principatum, & repressis improborum excessibus, societatis humanæ fœdera sub jocundæ tranquillitatis præsidio (a) salvarentur. Non abnuimus, fili carissime, quin (b) alicubi, Domino permittente, potestatis usurpata præsumtio thronum aliquibus dederit principalem; sed illa, quam præmisimus, recta fuit occasio, immo causa rectissima, quos natura pares produxerat, sublimitatis fastigio & subjectionis obsequio discretionem discernendi quæ diversitas statuum nihil habet adversum, si subjectus se meritis imparem, & prælatus natura se confitetur & agnoscit æqualem. Sic igitur successivis temporibus propagata prælatio splendore morum à patribus acquisita populorum populari assensu, quem annosa consuetudo confirmavit in posteros derivata nobilitate laudabilem, & ab hominibus honorandam dedit originem, prædotavit effectum, ut ex nobilibus nascantur nobiles, & quod natura nescierat, usus hominum humano generi non mediocriter utilis superaddat, quæ res divinæ gratiæ non præscribit, quin parvis & magnis, servis & liberis pro suæ beneplacito voluntatis illabens, nunc hos, nunc illos erigat vel dejiciat juxta sui dispositionem arbitrii, quod non fallitur, licet ejus arcana nequeant ab omnibus comprehendi.

Sanè cùm venerabilem fratrem nostrum TIMOTHEUM Zagabriensem episcopum à felicis recordationis URBANO papa prædecessore nostro promotum, & ab ipso dum viveret, & à nobis qui eidem, licet immeriti, successisse dignoscimur, tuæ benevolentiæ commendatum adeo, prout ipsa se veritas exhibet, abhorrueris; nec precibus acquiescens, nec consiliis te coaptans, nec obtemperans monitis, nec mandatis obediens, eum duxeris admittendum, vel ab apostolica sede & ab eo nihilominus missum fratrem GALTERUM capellanum & pœnitentiarium episcopatus ejusdem permiseris pacifica possessione gaudere; mirati fuimus & miramur, & intenditur admiratio, dum attendimus ignorare te non debere Regem regum & Dominum dominantium, per quem ceteri reges regnant, sic regibus sæcularibus rerum regnum sæcularium concessisse, ut ad spiritualia disponenda manus suas, cum eisdem non competat, non extendant, sed illius hoc relinquatur judicio, qui vicem in terris obtinens Domini nostri JESU-CHRISTI, vel per se vel per alios in sollicitudinis partem admissos spiritualibus spiritualia comparans, ea spiritualiter administrat. Scimus equidem jam diversis temporibus tuos ad apostolicam sedem nuncios accessisse, & quod primi dixerant, refricabant sequentes, quorum unus, immo novissimus dilectus filius magister DEMETRIUS Strigoniensis archidiaconus in nostra nuper & nostrorum fratrum præsentia, à tua magnitudine sibi, ut asserebat, injuncta proposuit, qui nisi tuo proposuisset nomine, cùm sua non interesset in aliquo, vel nullam, vel modicam super eis audientiam habuisset: pro tua tamen reverentia patienter auditus, & sicut vir eloquens & peritus, pulchrè proponens turpia, & decenter inserens indecentia, personam episcopi multipliciter asserens contemtibilem, tum defectu consilii, tum originis vilitate, quin immo conditione servili, tum ex causis quibusdam aliis indignum tuo latere multiplici ratione conclusit; sed & magnatum regni tui litteras nobis reddidit, quas tamen legi publicè non permisimus, quia nec tuam nec alterius poterant causam instituere, sine juris suffragio, solam injuriam continentes. Verùm si retines quæ præmisimus, frustra certas de conditione personæ, cui suam Dominus infundere potest gratiam, & infundit cùm sibi placuit, qui non est personarum acceptor, sed nec ei posset obesse originalis servitus, etiamsi de ipsa constaret, quam dignitas episcopalis absorbuit, & elisit; nec injuriam lateri tuo faciet pauper assidens à dextris vel sinistris, si non assidentis originem, sed sacerdotii dignitatem attenderis, si reminisci volueris summi Regis, qui commensales & socios, operisque sui vicarios, & quod est amplius cohæredes in regno habere voluit pauperes piscatores. Demum si ad tui culminis gloriam tuæ providentiæ direxeris aciem, quis, quæsumus, honor est tibi, excellentiæ tantæ regem adversus pauperem dimicare, stipulam siccam persequi, & contra virum simplicem potentiam tuam ostendere? Leones scimus contra vermiculos non armari, ad passeres aquilas non volare; & tu vir atque princeps magnificus sudabis instantia ad unius dejectionem episcopi, cui quod objicis dato per omnia quod sit verum, imputare non potes, qui cùm seipsum non fecerit, sed à Domino factus fuerit, nec parentes eligere nobiles sibi potuit, nec peccavit si illos habuit quos Dominus ei dedit. Si qua tandem objicienda contra consecratum episcopum viderentur, prodeunte qui posset objicere, non esset ei deneganda possessio,

(a) Al. Conservat. (b) Al. Aliquando.

sio; sed ea sibi concessa primitus exinde forsan A esset de meritis inquirendum quantum justitia pateretur. Ceterùm si super hoc negotio variè tibi scripsimus, non mireris spiritualem quidem medicum nunc lenibus, ut decet, nunc asperis & juxta parabolam evangelicam vinum& oleum simul vel alternis vicibus infundere sauciati vulneribus, ut nec aspera nimis exasperent, nec lenia plusquam oporteat blandiantur. Si igitur, quod vix credimus, nec prædicti fratris GALTERII, nec venerabilis fratris nostri Strigoniensis archiepiscopi, cui seriò scripsimus, acquievisti B monitis salutaribus, excellentiam tuam per aspersionem sanguinis tui & omnium Redemtoris multiplicatis precibus obsecramus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatinus tua nunc saltem indignatio conquiescat, & eumdem episcopum admittens ad gratiam, rerum episcopalium & jurium possessionem eidem liberam cum fructibus facias assignari, ut & tuæ animæ provideas, & sedem apostolicam, quam in omnibus habuisti propitiam, non offendas. Scire quidem te volumus, quod illius inhærentes vestigiis, quantum scimus & possumus, C qui defendens christos suos, non reliquit eis nocere hominem, immo reges corripuit pro eisdem: omittere non poterimus, quin causam pauperis, qui relictus est Domino, prosequamur: nec te turbet aliquorum suggestio clericorum, qui, prout dicitur, episcopatum potius quàm episcopum insequentes, ad viventis successionem aspirant, quam profectò nobis viventibus per hanc viam, vel verius inviam non habebunt. Datum Perusii XII. calendas Februarii anno I. D

EPISTOLA CCXXIV.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Scribit Senenses ei præparasse pecuniam.

Anno 1266 NOn negamus, quam arguis, Senensium mercatorum desidiam, nec malitiam excusamus, sed potius & minis & terroribus frangimus, prout possumus, & continuis increpationibus perurgemus. Sanè congregaverunt, ut dicunt, pecuniam, quam parati invenient tui nuncii, quos expectant. Statum tuum & profectum negotii quod prosequeris, nobis frequenter non desinas intimare, nec te frangat laboris asperitas, quam divina consolatio levigat, & hac tibi gloria triumphali deposita, & reposita corona justitiæ in futurum. Datum.



EPISTOLA CCXXV.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Excusat se de impotentia majora subministrandi subsidia.

NEc montes nec fluvios habemus aureos, Anno 1266 nec tuo possumus desiderio satisfacere, & quantumcumque necessitas urgeat, nihil possumus ultra posse. Fecimus autem liberaliter quod potuimus, & quod poterimus commodè faciemus. Sed exhaustis jam viribus, & mercatoribus fatigatis, cur nos ulterius inquietes videre non possumus, nisi forsan requiras miraculum, ad quod nobis nequaquam merita suffragantur, ut in aurum terram vel lapides convertamus. Sanè frater ARNULFUS Templarius nostras tuæ magnitudini litteras præsentabit, quæ si tuæ necessitati non consulant, nostram saltem impotentiam excusabunt.

EPISTOLA CCXXVI.

Nobili viro M. quondam Principi Tarentino.

Scribit Carolum non venisse jus alienum invadere, sed ecclesiæ honorem promovere: Manfredum gratiam sprevisse, quam revocare non potest.

LEcta nuper littera, viri magis magniloqui Anno 1266 quàm magnifici stylum sapiens, nec favorem promeruit veritati contraria, nec timorem incutere potuit homini timorato. Dico autem hominem timoratum, qui singulariter Deum timet, de quo rectè quod scriptum est intelligitur, qui timet Dominum nihil trepidat. Sicut enim singulariter vult Dominus intelligi, sic etiam & timeri, ut quemadmodum nihil est diligendum nisi Deus, & quod est diligibile propter Deum; sic nec timendum est aliquid nisi Deus, & quod est formidabile propter ipsum. Unde etiam in evangelio docet homines non esse timendos, qui cum corpus occidunt, ultra non habent quid faciant. Illum solum docet esse timendum, qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Sanè veritati contrariam epistolam esse dixi, quia comparationes prosequitur odiosas, & quadam narratione profusa, nunc impotentiam, nunc superbiam, nunc alia imponit præter verum viro nobili, quem potentem & humilem nemo dubitat, & de potentissima & humilissima domo natum. Et si potentiæ probatio quæritur, videbit omnis oculus in processu negotii, non solum quid homo valeat, sed quid in homine possit Deus. Venit igitur CAROLUS Deo & hominibus totus carus. Olon enim totum significat lingua græca, non ut sibi jus rapiat alienum, sed ut Ecclesiæ jura prosequens, & honorem ejus promoveat, & suum pariter inquirat commodum juxta providentiam sibi factam ex indulgentia apostolicæ largitatis. Quod si viarum difficultas objicitur, si

terrarum marisque conclusio, si Saracenorum & excommunicatorum promiscua multitudo, si cujuslibet barbaræ nationis ammixtio; potens est Deus aperire conclusa, & colligata dissolvere, & in paucis multos subigere, qui de cœlo contra Sisaram dimicavit, qui hostes innumerabiles in manu fidelissimi Machabæi cum inermi & modica comitiva subegit, & ut præveniam objurgantes, si permisit Deus contrarium, datis in manus hostium isto scilicet Carolo cum fratribus & baronibus (*a*) regis Franciæ tempore retroacto, brevis est hujus objectionis solutio, quia Deus eos probare voluit, & captos casu flebili eventu jocundissimo subito liberavit: nec est sperandum hostibus, ut contingant similia, sed potius formidandum, immò potius obnixè tenendum quod omnium Dominus afflictionem non iteret, sed pro suo semel contritis nomine (*b*) sui reddat lætitiam salutaris: non enim irascetur Dominus in perpetuum, nec comminabitur in æternum. Verum sciat M. quod fuit tempus in quo gratiam repulit, cui parata per omnia videbatur, & quæ postmodum haberi non potuit tempore minus opportuno quæsita. Omnia siquidem tempus habent, sed tempus non habet omnia. Scriptum est enim *Tempore placito exaudivi te*, non est res integra, nec integrari possibilis. Jam in publicum prodiit fortis armatus, ad radicem posita est securis. Nunc mundi judicium imminet, ut foris ejici debeat princeps mundi, & si secus Deus disposuit, quod non creditur à fidelibus Dei, qui Dei sunt ad omnia parati flagella, quicquid ei placuerit æquanimiter tolerabitur. VILUIT enim terra his qui cælum animo concupiscunt. Unum scio quod qui Romanam regit Ecclesiam in Domino figens anchoram spei suæ, neminem vult decipere, nullius delectatur excidio, nec in sanguinis effusione lætatur, sed pacem sicut potest inquirit, & quam in se quæsitam invenire non potuit, in suo quærit opposito; sed coactus stabilitum siquidem à suo prædecessore negotium promovens, sicut debuit eumdem CAROLUM sublimavit in regem, quoniam sanctum & terribile nomen ejus & regio diademate dignum. Sed propter hoc hodie non dimitteret quin filios quantumlibet à salute propria elongatos ad sinum misericordiæ lætus exciperet, si juxta formam sacrorum canonum remedium postularent. Demum Dei negotium agitur, in cujus manu regnum est, immò omnia sunt jura regnorum. Ejus ergo judicium expectetur, & quod in ipsius oculis bonum erit, suscipiatur ab omnibus, & à singulis approbetur.

(a) Isaiæ 49. 8. (b)

EPISTOLA CCXXVII.

Familiaritas inferiorum vitanda, nec modica esse spernenda.

Anno 1266 (c)

SCribit piscator custodi carceri Tulliani: Verba sunt Juris-consulti (*c*) Mandatis adjicitur, ne præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant. Nam ex conversatione æqualis contemtus nascitur dignitatis, & ita summatim: ita jus reddi debet, ut auctoritatem suæ dignitatis augeat. Item Poeta dicit: *Principiis obsta, serò medicina paratur.* Et idem alibi: *Nam neglecta solent incendia sumere vires.* Et idem alibi: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Negotietur ergo circa ista vir prudens, nec judicet levia, quæ promtum habent transitum in exemplum, memor Ecclesiastici dicentis: *Qui spernit modica paulatim decidet*, & (*d*) dictum ad hoc aliter transferat intellectum. Vitasti grandia, cave ne obruaris arena. Circa hæc & majora verbis opus est potius quàm scriptura, & argumentosis apibus ad flores colligendos emissis, si vento quatiuntur aut imbribus non melius potest consuli, quam quod acceleratis passibus ad suum alveum revertantur. Sed in his omnibus cum particularium consideratio certa lege limitari non possit, negotiatoris prudentiæ plurima relinquentur.

Eccli. 19. 1. (d)

EPISTOLA CCXXVIII.

Dilecto filio Gaufredo de Bellomonte cancellario Bajocensi.

Raimundi Bertrandi hæretici relatibus non facile credendum.

PEr Raymundum Bertrandum hæreticum, prout credimus, & mendacem, qui nos suis aliis circumvenit mendaciis, quædam nobis nuper scripsisti, quæ licet in se ardua viderentur, nobis tamen ex vilitate nuncii viluerunt. Verùm si tibi aliunde constaret, quod in eis posses proficere, placeret nobis plurimum; sed in uno cavendum est, ne in fabulis Lombardorum intendens, te ipsorum involvas tractatibus, qui longas telas ordiri consueverunt hactenus & tunc demum succidere, cùm fructus aliquis (*e*) speratur. Datum Perusii (*f*) XI. calendas Februarii anno I. Anno 1266

(e) (f)

EPISTOLA CCXXIX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Commendat ei quosdam nobiles Avenionenses & Arelatenses.

QUia juxta sapientis sententiam firmatur clementiâ thronus regis; decet te, fili carissime, caritatis abundare visceribus, & præsertim ad illos, qui tibi fideliter obsequentes, semetipsos dederunt periculis, continuare parati quod cœperant, si paupertas extrema non premeret, quam non induxit incuria, non prodiga rerum consumtio, sed potius casualis eventus, Anno 1266

(*a*) *Al.* Regni Franciæ. (*b*) *Al.* Sui. (*c*) *Al.* Mandantis.

(*d*) *Al.* Dicti. (*e*) *Al.* Expectatur. *Al.* Spararetur. (*f*) *Al.* xv. Calendas.

qui nec vitari potuit, nec humano consilio provideri. Cum igitur quidam Avinionenses & Arelatenses boni & nobiles sint in Urbe, qui equis quos adduxerant vel morte sublatis, vel ob vitæ necessitatem distractis, res suas necessario vendiderunt, & hodie, ut didicimus, sua distrahunt vestimenta, Serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatinus eis compatiens, si, quod credimus, eis subvenire non potes, des saltem redeundi licentiam, ne cogantur cum suo & suorum opprobrio, tuæque majestatis injuria mendicare. Datum Perusii XIII. calendas (a) Martii (a) anno II.

EPISTOLA CCXXX.

Carissimo in Christo filio regi Aragoniæ illustri.

Recusat ejus solvere matrimonium.


Anno 1266 QUanto personam tuam affectu sinceriore diligimus, tanto familiarius te corripimus, illius sententiæ memores, qua monstratur patrem diligere filium quem salubriter corripit; & odire convincitur vice versa, qui corripiendo dissimulans parcit virgæ. Sanè cùm inter alios mundi principes, quos litteralis scientia non instruxit, te Dominus excellenter ingenio naturali dotaverit, & experientia multa didiceris, & libenter audieris sapientum sententias, & tenaci memoriæ commendaveris; miramur plurimum qua licentia, quo instinctu nobis petitionem obtuleris Deo contrariam, abominabilem angelis, & hominibus monstruosam. Non enim credere debuisti, quod verum matrimonium vellemus dissolvere, & conjunctionis illicitæ pollui participio ex consensu. Scire quidem ab olim te credimus, quod cùm nobilem mulierem TERISIAM per verba de futuro, prout tua littera continet, desponsasti, licet verum non fuerit matrimonium, sic tamen initiatum extitit, ut verum & consummatum fieret carnali copula subsequuta. Quos ergo Deus conjunxit, Dei vicarius quomodo separaret? Absit à nobis hoc scelus, ut leges Domini violemus, & ut hominibus placeamus, creatorem & redemtorem hominum offendamus. Quod si inter te & ipsam matrimonium nullum esset, istam quam superinducere tibi placuit, aut in uxorem aut in pellicem elegisti, si uxorem habere volebas, quam spuriam confiteris, & hanc in tua gloria ponere maculam minimè verebaris; numquam credere debuisti; quod ad tui culminis tam vile quam ignobile præcipitium impenderemus suffragium dispensando. Quod si tibi concubinatum ipsius elegeras, nec colorem habuit, nec saporem regia postulatio, cùm sperare non debeas auctorem fieri turpitudinis JESU-CHRISTI vicarium, omnia turpia detestantem. Si quæris forsitan quid tibi faciendum incumbat, cùm sine corporis tui periculo primæ cohabitare non possis: satis est in promtu responsio. Sustine manum Domini. Quod fortuitus casus induxit, culpæ non imputes patientis. An credis quod si omnes reginæ per mundi climata constitutæ leprosæ fierent, daremus regibus ob hanc causam licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Scias pro certo quod omnes & singuli paterentur repulsam, etiamsi domus regiæ nulla prole superstite in radice prorsus arescerent, & in ramis. Ea propter, fili carissime, Dominum habens præ oculis, & illum benignissimum regem Franciæ, cum quo tuam amicitiam copulasti, tibi statuens in exemplum, vide quantum in diebus tuis processeris, vide beneficia, quæ de manu Altissimi recepisti, vide crucem quam tuis humeris affixisti; vide bellorum discrimina, quibus te multum animosè committis, & ne addas incestui adulterium; cùm ex hoc & bona quæ agis tibi reddas sterilia, & iram Domini in die judicii thesaurises. Nec te dicas continere non posse. Nam dudum peremta est hæc querela. Quomodo enim justus & rectus Dominus indiceret omnibus ab illicito coïtu continentiam, si vel unus posset objicere præceptum impossibile non debere servari. Sed mos est omnium peccatorum, sicut dicit Beatus Jeronymus, ut ad sui excusationem erroris non posse ponant in causa, cùm sit nolle tantum in culpa. Justè igitur tuum in hac parte desiderium nolumus implere contra Deum, qui in licitis & honestis, cùm necessitas vel utilitas exigit, nos tibi reddimus favorabiles & benignos. Datum Perusii XIII. calendas Martii anno II.

EPISTOLA CCXXXI.

Carissimo in Christo filio regi Aragoniæ illustri.

Ei concedit decimas per triennium.

CUm, grassantibus in Hispanos christicolas perfidis Sarracenis, accensus zelo fidei pro negotio laboraveris & labores continuè Crucifixi, multis ob hoc oneratus expensis, quas bellicæ res desiderant, quæ nonnumquam regum thesauros exhauriunt, quantumcumque fuerint opulenti, volumus & concedimus, ut concessam tibi in ceteris regionibus decimam ad triennium, si tantum protraheretur negotium, habeas integrè per annum insistendo negotio, etiamsi ulterius minimè tenderetur, in omnibus aliis litterarum nostrarum forma servata, quas ad Venerabiles fratres nostros archiepiscopum Tarraconensem & episcopum Valentinum direximus super decima memorata. Datum Perusii *ut supra in proxima.* Anno 1266



(a) *Al.* Anno primo.

EPISTOLA CCXXXII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbitero cardinal Marchiæ Anconitanæ & ducatæ Spoleti rectori apostolicæ sedis legato.

Ipsius poscit suffragium de Manfredo principe Tarentino & Uberto Pelavicino, an pro contumacibus haberi debeant, &c.

Anno 1266 VIdisti pariter & audisti multos processus habitos prædecessorum nostrorum tempore, contra viros licet genere nobiles, tamen moribus pestilentes, M. quondam principem Tarentinum & UBERTUM PELAVICINUM Marchionem ejusdem socium & sequacem. Nos sanè, licet immeriti ad apicem apostolatus assumti, dictis processibus evolutis, quamvis eorumdem evidens contumacia multis solidata contemtibus, non tam humanitatis gratiam, quam vindictæ rigorem exposceret, experiri tamen volentes an fidei radix aliqua in dictis contumacibus remansisset, terminos eis dedimus competentes, in quibus se nostro conspectui per se vel per procuratores idoneos præsentarent, super hæreseos crimine, de quo dudum suspecti fuerant, justam sententiam audituri, nisi forsan infra eosdem terminos suam possent & vellent innocentiam congrua purgatione monstrare. Quod si velle & posse se dicerent, eisdem personaliter venientibus obtulimus securitatem plenariam ad nostram præsentiam accedentibus, morantibus inibi, & exinde recedentibus, & specialiter de carissimo in Christo filio nostro C. rege Siciliæ illustri, dum tamen eam requirerent tempore opportuno. Verùm in novissimo termino dicto M. præfixo, scilicet in festo Purificationis B. Virginis proximè jam transacto, vel infra eumdem terminum dictus M. non venit, sed misit duos procuratores ad offerendum purgationem, quam aliàs per se fecerat, & suam absentiam excusandam, & prædecessoris nostri processus per quasdam calumnias impugnandos, & tandem nobis ac nostris fratribus extitit manifestum, dictum M. in novam contumaciam incidisse; dictus vero UBERTUS in hujus initio quadragesimæ, termino peremtorio sibi dato, nec venit nec procuratorem misit, nec excusatorem simplicem, utpote contemtor notorius sedis hujusce. Cumque de ferenda contra eos sententia ageretur, & omnes concorditer dicerent, dictum UBERTUM posse & debere pro meritis velut hæreticum condemnari, cùm ex justis causis diu fuerit de hæretica pravitate suspectus, & forma generalis concilii servata fuerit contra ipsum; de M. cœperunt aliqui dubitare, an scilicet ex eo quod multo tempore claves Ecclesiæ contemserit, orta sit illa suspicio, de qua concilium loquitur generale. Unde variis varia sentientibus, aliis omnibus jam auditis, tuum consilium expectamus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatinus quod tibi videbitur nobis rescribere non postponas. His autem quæstionibus respondebis, an scilicet excusari possit M. absentia personalis propter hostem in januis constitutum, quem posset non hostem facere, si quod malè possidet bene dimitteret & consultè. Item si petierit ad se mitti cardinales, vel alios coram quibus purgare se debebat, an sit ei hæc gratia facienda. Item an ex his quæ acta sunt contra ipsum, te in curia existente, possit à modo condemnari. Item an expediat etiamsi liceret; & si licet & expediat, qualis sententia sit præferenda. Datum Perusii IX. calendas Martii anno secundo.

EPISTOLA CCXXXIII.

Carissimæ in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Arguit eum, quod plus æquo tribuat Marchianis, mandatque ut benignè recipiat Foro-Simpronienses.

AUdimus quotidie quæ non placent, vel si vera sunt, quia mala; vel si falsa sunt quia falsa; quæ tamen in dubio tibi scribimus, ut advertas quid te facere deceat & expediat, & quid nobis debeas respondere. Dicitur quidem nobis, quod sic te in manus aliquorum de Marchia contulisti, ut ex eorum arbitrio pendeat tui tota censura judicii: qui quos volunt occidunt & spoliant, vulnerant & affligunt, redemtiones ab eis recipiunt, nec prodest tui tutela præsidii, cui illi non deferunt, in quos volunt, & quantum & qualiter damnabili libertate grassantes. Sanè nuper tibi scripsimus, & nunc scribimus id expressius, quod fidelibus Marchianis nec in fidei suæ pretium, nec in suæ devotionis premium sanguinem dari volumus vicinorum, qui licet mali fuerint & rebelles, non sunt ab ipsis, sed à Romana Ecclesia puniendi, nec sub nostri favoris nomine procedentes ex odio fieri volumus ultiones. Quocirca dilectioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus hæc vel similia à nullo penitus attentari permittas, sed quos semel receperis, sic ab omnibus aliis tuearis, ac si semper in fide debita perstitissent, prout dictaverit æquitas apostolici censura judicii corrigendos. Demum volumus & mandamus, ut Foro-Simpronienses ad nos, sicut asserunt, redire paratos benigne recipias, & tam juramentis, quam aliis cautionibus, quas idoneas esse credideris, adstringas eos de mandatis nostris ac tuis plenariè adimplendis, nec propter Favenses, vel alios hoc dimittas; non quia jura Favensium, quibus sumus in gratia debitores, mutilari velimus, sed quia justo tramite debent persequi quod petere justè potuerunt, nolumus vel ad modicum salutem hominum qui converti desiderant, impedire. Ad nos ante miserant, sed ut tuum servaremus honorem, eos ad te duximus remittendos. Datum Perusii VI. Calendas Martii anno primo. Anno 1268

EPISTOLA CCXXXIV.

Ad definitores capituli generalis ordinis fratrum Prædicatorum.

Scribit eis de pluribus ordinis gloriam & disciplinam spectantibus.

Anno 1266 Ex MS. RP. Prædicatorum Tolos.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis diffinitoribus capituli generalis ordinis fratrum Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem.

Circa curam gregis dominici, vestri videlicet ordinis multiplicem decet sollicitudinem adhiberi, ne quidquam in eo reperiatur incongruum, seu cujusvis indecentiæ nota respersum, sed in omnibus circa ipsum splendor honestatis eluceat, quò in sui nitore delectetur Altissimus & ecclesia generalis exultet. Interest itaque nostra super his juxta commissum nobis ministerium sollicitè providere, sicque solertis diligentiæ studium impertiri, ut ad Dei laudem & gloriam, ad felicem statum ipsius ordinis, quæ ad eum pertinent salubriter dirigantur. Cum igitur nuper fuerint nobis quidam articuli recitati in plerisque dictum ordinem contingentes, illos fecimus præsentibus annotari, ut eis diligenter inspectis, quid honestius, quid utilius, quidve salubrius sit in illis agendum plenius & maturius discernere valeatis. Dicti autem articuli tales sunt, quod fratres ejusdem ordinis quos necessario deputari contigerit ad morandum in domibus prælatorum seu quorumcumque magnatum sint maturitate præditi, discretione præclari, moribus & vita probati, quorum conversatio laudabilis ædificet per exempla virtutum: & si qui sunt in hujusmodi domibus positi de quorum vita seu conversatione meritò dubitetur, vel eis contrarium forsan appareat, revocentur ad claustrum, & eorum loco magis idonei deputentur. Fratres quoque sine magistri licentia & urgentissima necessitate seu evidentissima causa & utili ad sedem apostolicam non accedant, nec se notabiliter ingerant curiis prælatorum. Adjicitur etiam, quod fratres cum teneantur in humilitatis spiritu se cunctis exhibere pacificos, ecclesiarum prælatos, in quorum civitatibus seu diocesibus commorantur, nullatenus scandalisent: sed potius circa eos se habeant reverenter. Præterea discreti fratres atque periti deputentur ad audiendum confessiones, & prædicationis officium exercendum, & à talibus ministeriis minus idonei retrahantur. Studium insuper in ordine vigeat, maximè Parisius, Bononiæ, ac in locis aliis ubi vigere consuevit studium generale: ibique de doctoribus & magistris, qui fuerint magis sufficientes & idonei, debeat provideri. Inter fratres cujuslibet provinciæ servetur honestas, sanctimonia, zelus animarum, correctio, disciplina, observantiarum norma regularium, & concordia unitatis. Ceterum circa recipiendos ad habitum regularem cautela diligens habeatur, ne insufficientes scientia vel moribus admittantur: ex quorum receptionibus ordo venire valeat in contemtum. Ad hoc discursus inutiles & familiaritates notabiles, ex quibus eidem ordini succrescere nota possit infamiæ, penitus evitentur. Ideóque discretionem vestram monemus & hortamur in Domino, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus super eisdem articulis existentes circumspecti, diligentes, & providi circa eos consulta deliberatione providere statuatis quod ad salubrem ejusdem ordinis statum videritis pertinere. Ita quod sit vobis ad commendationem & præmium, si digni fructus ex sollicitudine vestra perveniant, quam in hac parte paternis inducti monitis duxeritis adhibendam. Datum Perusii VI. Kalendas Martii Pontificatus nostri anno II. anno Domini MCCLXVI.

EPISTOLA CCXXXV.

Ad capitulum generale ordinis Prædicatorum.

Commendat eorum precibus ecclesiæ necessitates.

Anno 1266 Ex ms. RP. Prædicatorum Tolos.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis & capitulo generali salutem & apostolicam benedictionem.

Innuit sacræ lectionis eloquium, quod ordo vester, veri filii, urbem fortitudinis repræsentat, quam justa gens apertis portis ingreditur, custodiens veritatem: vobis enim justitiæ zona præcinctis, janua misericordiæ cælestis aperitur ad gratiam, dum summæ veritatis, quæ Christus est, mandata servatis, & eorum observantiam summopere custoditis, eumdem ordinem velut tabernaculum suum Altissimus & in eo sibi habitaculum præparavit, constituens lucem in populis viam salutis & gratiæ fidelibus ostensuram, qui quasi sol in Dei templo refulgens, & quasi cipressus in altitudinem se extollens respicientium eum mentes illuminat, & quietis umbraculum sub mundanæ miseriæ sarcina fatigatis. Hic est ager dominicus superioris benedictionis rore perfusus, requirens cultores industrios, pudicitiæ nitore præclaros, argumentosæ probitatis munere præditos, nullius inquinamenti labe respersos; ut militantes in terris triumphare mereantur in cælis, & currentes in solis studio beatitudinis æternæ bravium apprehendant. Hic est profectò fertilitatis ager fructus uberes proferens. Nam semina in ipso sparsa non pereunt, flores editi non arescunt, & tamen ex multiplicatis manipulis gramina gloriæ colliguntur. Propterea ordinem ipsum quem sic in domo Domini prælucere conspicimus, tenerrimè diligimus, & corde tenemus, paterna circa eum sollicitudine vigilantes, ut protegatur à noxiis, salubria semper suscipiat incrementa, & caritativæ pacis effluat ubertate. Ut ergo erga cultum divini nominis constituti, quid saluti animarum expediat, quid honori debeatur ecclesiæ, quidve præfati ordinis felix status exposcat, juxta vobis datam divinitus gratiam ex propriis diligentiis & intelligentiis

colligatis, debito tamen officii pastoralis inducimur, filiales affectus etiam patris & ejusdem ecclesiæ beneplacitis vestra in his studia se coaptent in eo promtioribus ad illa prosequenda studiis consurgentes, ad promissionis illius in cujus humilitatis obsequio securius percurratis. Ideoque universitatem vestram rogamus & obsecramus in domino JESU-CHRISTO, quatinus Verbum Domini, quod non est gerendum labiis alligatum, ex cujus operatione corda fidelium expiantur vitiis, & virtutibus muniuntur, prout desursum industriæ nostræ permittitur, in gentibus effundatis. Ceterum cum ecclesiam Dei variis in diversis partibus vexatam contumeliis, dirisque flagellis suorum persecutorum immanitate concussam, devotorum intercessionibus deceat adjuvari, sui sponsi misericordiam suppliciter imploretis, ut tempestuosa procellarum turbine quiescente, ad tranquilla tempora felicis auris serenitatis perveniat, & ab hostium formidine, Deo propitio, liberata respiret. Inter cetera vero convenit nostris insidere præcordiis, ut caritatis & unionis vestræ funiculus sicut alimento veræ pacis & inviolabilis concordiæ foveatur, qui nullam sui partem cujusvis debilitatis seu commotionis compulsus, quin potius illæsus & stabilis nullius corruptionis maculam habiturus perpetuo conservetur. Super quo sunt vobis in speculum & exemplar illius almi merita confessoris, qui prædictum ordinem instituit, institutum coluit, & cultum claritate beatitudinis illustravit. Profecto quæ vobis scribimus ex intimi affectus caritate procedunt, ut quanto laudabiliores & utiliores in domo Dei fructus feceritis, sub assumto ministerio servitutis, tanto magis matrem ecclesiam, quæ multipliciter in vobis exultat, devotio vestra lætificet, & plenius apud divinam clementiam vestris meritis præsentatis quod promissum est benedictionis filiis ad perennem gloriam præparetur. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCXXXVI.

Caroli regis Siciliæ ad Clementem papam IV.

Certum eum facit de victoria à se de Manfredo reportata.

Anno 1266 SAnctissimo in Christo Patri ac Domino suo C. divina providentia sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ & universalis Ecclesiæ Summo Pon- CAROLUS Dei gratia &c. cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.

Multum meis reputans successibus adjici, si Romana mater Ecclesia de felicibus filii processibus, in quibus sua causa provehitur, certa fiat. Ecce significo vobis ad gaudium, quod postquam MANFREDUS publicus hostis, victus olim apud S. Germanum, à Capua quoque, ubi se jactabat velle resistere, confusus abscessit, accepi quod idem hostis cum suarum reliquiis virium, quæ de S. Germano per fugam evaserant, profugus per terram Laboris se transtulit Beneventum. Ego autem meas (a) continuando dietas per (b) Aliphanos & Telesinos campos contra hostem ipsum, omisso itinere Capuæ, duxi in cælestis virtute præsidii procedendum: sicque factum est, quod die Veneris XXVI. præsentis mensis Februarii, quodam desiderio perveniendi citius Beneventum, meum meorumque animos stimulante ac viarum & passuum multorum difficultatibus & asperitatibus, quales vix transiveramus antea, superatis, ad montem quemdam perveni, unde subjectus & admodum patens campus ordinatas jam hostium acies ostendebat. Propter quod ego licet equos commilitonum meorum præ malitia & longitudine itineris cognoscerem plurimum fatigatos, & propterea ad sustinendum pondus prælii minus aptos; instructis tamen meis in illius nomine, cujus agebatur negotium, (c) aciebus, ex adverso ad pugnam processi, & quamvis per magnam horam fuerit utrimque pugnatum, cedentibus tamen divinæ potentiæ, non meis viribus, duabus prioribus hostium aciebus, omnes aliæ cùm non confiderent aggredientium posse impetum sustinere, se fugæ remedio commiserunt, factaque est in ipso prælio hostium tanta strages, quod celant campum oculis superjacentia corpora occisorum, nec tamen omnes fugientes fugæ (d) remedium salvos fecit, quin major pars fugientium in gladio nostrorum ipsos persequentium eò copiosius ceciderit, quò dispersiùs fugiendo, nec unus tuebatur alterum, nec eis locus ad quem fugerent apparebat. Magnum ergo numerum captivorum ad carcerem nostrum hujusmodi bellicus eventus adduxit, inter quos JORDANUS & BARTHOLOMÆUS dictus SIMPLEX, qui nomen sibi comitum hactenus (e) usurparant, eorumque fratres, nec non & (f) PERUSINUS de Florentia perfidissimus Gebellinæ factionis auctor in vinculis detinentur. De his qui de (g) primoribus partibus partis adversæ in prælio corruerunt, certam nondum habentes notitiam, nihil vobis exprimimus, propter festinam præsentium missionem, licet GALVANUS & (h) HENRISNETUS dicti comites mihi à pluribus asserantur in ipso prælio corruisse. De MANFREDO verò utrum ceciderit in conflictu, vel captus fuerit, vel evaserit, certum adhuc id non habetur. Dextrarius tamen armatus, cui insedisse dicitur, & quem habemus, sui casus affert non modicum argumentum. Hæc igitur quæ de manu Domini me suscepisse cognosco, ideo Beatitudini Vestræ denuncio, ut omnipotenti Deo, qui per ministerium meum Ecclesiæ causam prosequitur, devotas pro tanto triumpho gratias referentes, certam spem & fiduciam habeatis, quod eradicatis de regno Siciliæ scandalis & seminariis scandalorum, illud ad antiquam & consuetam devotionem Roma-

Gibellinæ factionis auctor.

(a) *Al.* Continuandas. (b) *Al.* Alefarcos.
(c) *Al.* Copiis. (d) *Al.* Refugium.
(e) *Al.* Usurpaverunt.
(f) *Al.* Petrus Asinus *Trecensis vero* pessimus.
(g) *Al.* Prioribus.
(h) *Al.* Hunrigertus. *Al.* Henriquetus. *Al.* Henrignetus.

næ Ecclesiæ plenè reducam, ad laudem & gloriam divini nominis, exaltationem & pacem ipsius Ecclesiæ, & incolarum ejusdem regni statum prosperum & tranquillum. (a) Data Benevente XXVII. Februarii, indictione VIII. Regni nostri anno I. A

EPISTOLA CCXXXVII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali in Marchia Anconitana & ducatu Spoleti rectori apostolicæ sedis legato. B

Ut quid sit rei de postulatis Marchianorum investigans sibi renunciet.

Anno 1266 NOsti, fili, quantum expenderit nostro & prædecessoris nostri temporibus Ecclesia Romana in volubili Marchia, quibusque fuerit oneribus aggravata. Quamobrem in hoc tempore acceptabili vigilandum est nobis & tibi, ut & nostra procuretur indemnitas, & malorum edometur audacia, & in paucis fidelibus quantumlibet modica fides nutriatur. Sanè postulantibus Marchianis, ut & perfidi punirentur, & fidelibus super damnis eis illatis provisio fieret, opportuna nostra fuit responsio, quòd sciremus prius per te conditionem provinciæ, culpasque delinquentium, & prout æquitas suaderet, nec misericordiam prorsus evacuans, nec justitiam usquequaque dissolvens, cum tuo & aliorum fratrum nostrorum consilio viam Deo acceptam & universis utilem sequeremur. Tu ergo quem experientia docuit, de negotii circumstantiis caute in omnibus ambulans, vide ne conditiones reversuris vel reversis concedas, quæ nostram contrahant libertatem, & cum universa diligenter appenderis, certiorabis nos de singulis, & nostram postmodum vel recipiens per epistolam vel per nuncium audiens voluntatem. Illud quidem placere non potest, quod ad beneplacitum Marchianorum, quantumcumque fideles fuerint, in puniendis procedatur excessibus; sed simpliciter redeuntes recipias absque pacto; nec permittas ab ipsis fidelibus in personis vel rebus damnificari reversos: sed nostrum in omnibus expectetur judicium circa ista, quod te tuo consilio præ omnibus aliis volumus & proponimus moderari. Datum Perusii (b) calendis Martii anno II. C D E



(a) Al. Plures mss. legunt *anno* II. sed mendosè, nisi annum regni Caroli secundum incipiant ab initio anni Incarnationis Dominicæ, non ab initio anni quo regno Siciliæ investitus est.

(b) Al. X. Calendas.

EPISTOLA CCXXXVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Mittit ei Caroli regis Siciliæ litteras de Victoria ab ipso in Manfredum reportata.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Offerimus in sacrificium laudis Altissimo vitulum labiorum, quòd ipse de suæ pietatis plenitudine, quæ merita supplicum excedit & vota, sanctam matrem Ecclesiam & fideles ejus ineffabilis oculo misericordiæ benignè respiciens, & in ipsa carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ immensitate supernæ virtutis exaltans, nuper eidem regi gloriosam dignatus est contra MANFREDUM quondam principem Tarentinum Ecclesiæ inimicum tribuere victoriam, non humanæ virtuti, sed divinæ dono clementiæ potius adscribendam. Ut igitur de qualitate negotii & serie veritatis pleniorem notitiam tua sinceritas comprehendat, tenorem litterarum quas super hoc III. calendas instantis mensis Martii ab eodem rege per suum nuntium specialem recepimus de verbo ad verbum notatum in cedula præsentibus interclusa, ut exultes plenius in Domino gaudiis, tibi duximus cum ingenti lætitia destinandum. Datum Perusii III. nonas Martii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCXXXIX.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato.

De regis victoria & aliis pluribus ipsi scribit.

QUod scripsisti, dilecte fili, de exactione pœnarum in octavam Paschæ qua te cum Marchianis habiturum generale colloquium polliceris, quo fructu vel fide scripseris ignoramus, quia nec aperis quid in eodem attendas facere parlamento. Sanè si prorsus est, aut esse creditur infructuosa dilatio, tempus perdere non est bonum. Quod si forsan eam utilem æstimas, bonum credimus quod nobis per litteras vel per nuncium utilitatem exponas, quamvis satis hoc dubium videatur radicitus amovisse felix victoria regis nostri, qui prostratis equis & turribus Pharaonis, captisque bellatorum capitibus vel peremtis, non solum quæ reperit in campo certaminis, sed etiam elata dudum per totam Italiam confregit cornua peccatorum. Tempus quidem imminet amodo ad eum qui te misit, triumpho jam habito, revertaris, quod adhuc tibi præcisè non scribimus: sed tamen volumus quod à vacantium & vacaturorum F

(a) beneficiorum (a) collationibus, & procurationibus exigendis ab Ecclesiis, quas non visitas, ex nunc abstineas, cùm sint pauperrimæ, & de multis oneribus conquerantur. Demum de nostris proditoribus, qui in civitate Firmanensi sibi præsidium elegerunt, breviter tibi scribimus, quod si jurare voluerint & dare castrorum suorum idoneas cautiones, eos recipias; quorum aliqui, prout dicitur, jam rediissent, nisi tui motum animi præsensissent; quod tamen non expedit hoc tempore, cùm omnes, quantumcumque fuerint hactenus cervicosi, ad mandata nostra venire oporteat, vel voluntarios vel invitos. Ceterum quæ superius super his scripsimus, à quibus te velimus abstinere, nulli communicasse nos noveris, sed secretius pandenda decrevimus, ut tibi liceat (b) illud ex
(b) compassione dimittere, quod teneris ex superioris voluntate vitare. Demùm à Perusio quàm citò poterimus recessuri, elegeramus nobis de fratrum consilio Vitterbii mansionem, sed (c)
(c) exaratis conditionibus & juratis, publicata postmodum regis victoria tam solemni, suspendimus nostrum propositum, cùm multis ex fratribus videatur eundum in Campania, quod cum fuerit solidatum, discretioni tuæ curabimus intimare. Datum Perusii II. nonas Martii anno II.

EPISTOLA CCXL.

Archiepiscopo Narbonensi & ejus suffraganeis.

Ut gratias Deo referant de reportata à Carolo rege in Manfredum victoria.

Anno 1266 MIssam de cælo victoriam carissimo in Christo filio nostro C. regi Siciliæ illustri, & in ipso Ecclesiæ sanctæ suæ, fraternitati vestræ ad exultationem & gaudium duximus intimandam. Cùm enim Rex idem & gloriosus ejus exercitus villam S. Germani, quæ inexpugnabilis credebatur, multis nobilibus & potentibus per suas turmas & acies ad ipsius defensionem dispositis, divina favente gratia, subactis hostibus, potenter intrassent, & multis Saracenis & aliis tam Teutonicis quam Lombardis occisis, versus Capuam properassent, ubi sibi præsidium elegisse M. audierant quondam Principem Tarentinum; idem M. eorum adventum intelligens & viciniam ægre sustinens, relicta
(d) Capua, se statim (d) transtulit Beneventum. Sanè Rex dictus eum persequens è vestigio, ad partes protinus Beneventanas se transtulit cum toto suo exercitu, viarum asperitate gravatus, & tandem sexta feria ante Dominicam quâ cantavit Ecclesia *Oculi mei ad Dominum*, exivit ei obviam dictus hostis in multitudine nobilium ac magnatum, equitum & peditum in multa superbia vexillis erectis, & prudenter dispositis aciebus, sicque facto utrimque congressu, juxta missæ introïtum ea die cantatum, signum in bonum fecit Dominus regi nostro, dans ei nobilem & felicem de inimico triumphum, in quo MANFREDUS idem cum GALVANO comite, multique alii milites & pedites, quorum numerus magnus dicitur, vitam malam morte pessima terminarunt, captis ibidem JORDANO & BARTHOLOMÆO comitibus, & fratribus ac nepotibus eorum, & multis aliis quorum nomina ignoramus. Persuademus igitur vobis non de strage tot hominum, non de sanguinis effusione gaudendum, sed de prostrata malorum superbia & exaltatione bonorum. Ex hoc enim spoliatæ restituuntur ecclesiæ, reducuntur exules innocentes, cadit perfidia, surgit fides, refloret Tuscia, tota demum Italia revivisit, levatur Achaia, Terra sancta respirat. Hujus igitur auctori victoriæ Deo vivo, qui tam misericorditer quàm potenter, tam magnificè quam benignè suam in hoc negotio respexit Ecclesiam, gratias agite, & levatis in cælum manibus, ei devotissimè supplicate, ut suæ dona continuans largitatis, cœptum tam honorificè suum & Ecclesiæ suæ negotium consummare dignetur, & gentem perfidam de credentium finibus auferat, & suis fidelibus barbaras subigat nationes. Ceterum præter commune gaudium, quod in istis successibus nobis offertur, ex honore Ecclesiæ matris vestræ, in hoc nihilominus vobis credimus esse lætandum, quod quicquid in hujus negotii contulisti subsidium tam salubriter quàm utiliter est expensum, ut nec de persoluta decima murmurare vos deceat, nec difficiles vos reddere oporteat in solvenda. Datum Perusii VIII. Idus Martii anno II.

EPISTOLA CCXLI.

Carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri.

Quod semper sit paratus justè postulata ei concedere.

HAnc in nobis, fili carissime, te volumus habere confidentiam, quod quæcumque à nobis petieris, ea semper maturitate liberabimus, ut quæ pia & utilia, & tuæ utilitati accommodata, & aliis non damnosa viderimus, tibi sine difficultate aliqua concedamus. Quod si perpenso judicio interdum aliqua non admittimus, certum habeas, quod ad id nostræ deliberationis calculus terminatur, ut plus nobis & tibi consulere id negando credamus, quàm si daremus liberè postulata, & si forsitan tibi contrarium videretur, non erubescas patris sequi judicium in hac parte, qui sincerè tuam diligit animam & honorem tuum & regni, suæque salutis non immemor, sic cupit gratiosus esse principibus, & tibi principaliter inter ipsos, ut principum Dominum non offendat, cujus solius judicio stat aut cadit. Verùm si quid tibi negatum videris, quod tuum mordeat animum, & in aliquam admirationem inducat, scribe nobis & plenam tibi reddemus de omnibus rationem. Datum Perusii VII. Idus Martii anno II. Anno 1266

(a) Al. Collectionibus. (b) Al. Velut.
(c) Al. Exjuratis. (d) Al. Contulit.

EPISTOLA

EPISTOLA CCXLII.

Nobili viro Barralo Domino Baucii, Potestati Mediolanensi Spiritum consilii sanioris.

Ut nuncium ad regem mittat optatam ab eo gratiam petiturum.

Anno 1266 CArissimo in Christo filio nostro C. regi Siciliæ illustri pro te nos dudum scripsisse noveris, ut vel te ad suam (a) vocaret præsentiam, vel militiæ illi præficeret quam Mediolanum mittere tenebatur, vel aliter sicut vellet disponeret, te à civitatis Mediolanensis regimine liberato: qui postmodum per suas nobis rescripsit litteras, quod procuremus dilectum filium nobilem virum PHILIPPUM DE MONTE-FORTI post te in civitate eadem fieri Potestatem, & sic tu liberè ad eumdem posses accedere in suo cum aliis obsequio permansurus. Nos vero diligentius attendentes minus plenè nobis responsum, quodque nobis non erat possibile, nec ad nos aliquatenus pertinebat talia procurare, noluimus tibi hactenus scribere, sperantes per alios aliquid melius obtinere, quod quia non possumus discretioni tuæ consulimus, quatenus his pensatis, quid tibi fuerit agendum diligenter attendas, tu super his nuncium proprium ei mittas, nunc enim post obtentum de hostibus tam insignem triumphum, nullo penitus resistente, contentus esse valeat paucioribus, dabit tibi fortasse licentiam, eo viso ad propria redeundi. Sic tibi scribimus, quia scire te credimus datam sibi de cœlo victoriam, in qua omnes ejus inimici cum capite sunt prostrati, in qua etiam tuus filius in prima acie cum PHILIPPO prædicto & Marescallo de Mirapice (b) Capitaneus honorem tuum & tui generis dicitur promovisse. Datum Perusii VI. Idus Martii anno II.

EPISTOLA CCXLIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Romanis mercatoribus quinque librarum millia & quingentas solvat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Attendentes quòd carissimus in Christo filius noster C. Siciliæ rex illustris de pecunia dilectorum filiorum Johannis *Toque* ac Johannis Calixti, suorumque sociorum civium & mercatorum Romanorum gratum in sua recepit opportunitate succursum, quódque propter hoc bona Ecclesiarum Urbis sub duris & gravibus conditionibus sunt eisdem mercatoribus obligata, decet & expedit attentam sollicitudinem adhiberi, ut ipsis creditoribus celeriter de suis A creditis satisfiat: tum quia ecclesiæ prædictæ, si satisfactionem retardari contingeret, gravissimis dispendiis subjacerent; & tum etiam quia rex præfatus apud nos per suas speciales litteras preces interposuit efficaces, ut pro satisfactione dictorum mercatorum, tam pro liberatione ipsarum ecclesiarum, quàm ut eos inveniat opportunis temporibus circa sua beneplacita promtiores, tibi scribere curaremus: ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus B de sex millibus librarum & quingentis libris Turonensibus quas memorati mercatores super possessionibus earumdem ecclesiarum mutuasse noscuntur, de proventibus decimæ dicto regi concessæ in statuto super hoc termino dictis mercatoribus debitam satisfactionem impendas: ita quòd in hac parte ipsius regis beneplacito satisfiat, & eædem ecclesiæ ab obligationis onere liberentur ab eisdem mercatoribus vel eorum procuratore plenum ad hoc mandatum habente; plenaria Ecclesiæ Romanæ C nomine de præmissis refutatione recepta, & facias super ipsa refutatione fieri publicum instrumentum; cassatis nihilominus & annullatis omnibus obligationibus factis & habitis, ac restitutis quibuslibet instrumentis & litteris, super eisdem debitis & obligationibus sub quavis forma & verborum conceptione confectis. Licet autem per quamdam importunam precum instantiam mercatorum Senensium tibi mandasse dicamur, ut eos aliis in debitorum satisfactione præferres; volumus tamen, hoc non obstante, jam dictos Johannem *Toque*, Johannem Callixti, & eorum D socios, ac alios etiam mercatores Romanos, quibus prædictarum ecclesiarum possessiones sunt pro hujusmodi debitis obligatæ; cùm in contractibus habitis tempore aliis sint priores, in debitorum eorumdem solutione ceteris anteponi, ut dicti regis beneplacitum impleatur, & maximè quòd dictarum ecclesiarum periculum evitetur. Datum Perusii V. Idus Martii Pontificatus nostri anno II.

E

EPISTOLA CCXLIV.

Dilecto filio nobili viro comiti Augi.

Annunciat ipsi gloriosum regis Caroli de hoste triumphum.

AD Carissimo nostro in Christo C. illustri rege Siciliæ nuper habitum de hoste triumphum, nobilitati tuæ duximus intimandum. Anno 1266 F Cum Rex idem capta villa S. Germani in manu potenti, victis ibidem multis comitibus, cum Sarracenis & Teutonicis, qui villam eamdem munierant, versus Beneventum, subactis locis mediis, processisset, tandem VI. feria ante Dominicam qua cantatur *oculi mei semper ad Dominum* cum hoste prædicto, M. scilicet quondam principe Tarentino campum intrans certaminis, felicem obtinuit, Domino favente, victoriam, ipso M. cum multis nobilibus ibidem peremto, multisque captis aliis & occisis. Nos igitur de

(a) *Al.* Revocaret. (b) *Al.* Capitaneum.

Divinæ gratiæ beneficiis, non de sanguinis effusione lætantes, tanti successus gloriam, cujus te facit participem sanguis regius, cujus generosa communio te decorat, eò libentius aperimus, quò te devotius in exaltatione Romanæ Ecclesiæ & ejusdem regis Siciliæ honori (a) victoriosè gaudere gaudemus; & nos quod in Hispaniæ partibus te accepimus carissimo in Christo filio nostro regi Castellæ illustri fideliter adstitisse, & nominis Christiani gloriam procurasse viriliter & promovisse feliciter cum eodem. Datum Perusii IV. Idus Martii anno II.

EPISTOLA CCXLV.

Dilecto filio nobili viro comiti Pictaviensi & Tholosano.

Decimam pro negotio terræ sanctæ ipsi dare recusat.

Anno 1266 PEr dilectos filios J. de Nantolio militem & Guichardum clericum tuum petitiones tuas audivimus & exaudivimus bono animo. Si quas autem repulimus aut suspendimus; scire debeas viam nos illam in omnibus elegisse, quam magis gratam Deo credidimus, nostroque statui & præsentis temporis conditioni opportunam. Sanè circa tuum subsidium pro negotio terræ sanctæ, nec videre potuimus, nec videmus, quod de decima ecclesiæ Gallicanæ provisio tibi fieri posset, ad quam prælati & clerus non invenirentur ultronei, nec esset expediens eos cogi, quibus ita deferimus, quos etiam pro inculcatis eisdem omnibus adeo supportamus, ut ad eorum beneficia obtinenda juxta prædecessorum nostrorum consuetudinem minimè procedamus. Quo fit ut molestè ferre non debeas, si pro tuis beneficiandis clericis ad præsens dare nolumus litteras postulatas, quod quidem præsenti tempori minimè congruebat: & si quid in hoc tuum mordicat animum, amore nostri id ferre te volumus patienter. Datum Perusii IV. Idus Martii anno II.

EPISTOLA CCXLVI.

Dilectis filiis Magistro & fratribus hospitalis S. Johannis Jerosolymitani.

Ferrandum priorem S. Ægidii apud se retinet.

Anno 1266 REgionum magna distantia, cui non parum adjicit immensa pelagi vastitas interjecta, vobis & aliis transmarinis multa de statu personarum occultat, quæ in his partibus conversantur: quo fit, ut plerumque scribere vos oporteat tamquam veritatis ignaros, quæ minimè scriberetis, si expeditum haberet & liberum ad vos veritas ipsa volatum. Sanè cum nuper ad nostrum pervenisset auditum, vos dilectum filium fratrem Ferrandum priorem S. Ægidii ad vestram præsentiam evocasse, nos diligentius attendentes moram ejus in prioratu prædicto fuisse & esse vobis & vestræ domui fructuosam, & expedire credentes eum in suis partibus remanere, procuraturum, sicut & hactenus, ordinis vestri negotia in administratione vestra præcipuè, quam patenter & laudabiliter ampliavit: considerantes insuper personæ suæ statum, qui laboris remissionem hujusmodi merebatur, eum duximus retinendum: præcipientes eidem in nostra præsentia constituto, quod ad suum regrediens prioratum, & in devotione solita perseverans, ad directionem eorum quæ ad passagium imminens pertinebant, nec non & alia sibi commissa negotia explicanda opem daret & operam efficacem. Vos igitur, ut benedictionis filii, paternum judicium amplectentes, excusatum habebatis eumdem, cujus industriæ fructum non modicum, sicut probastis pluries, sic & ad hoc dante Domino sentietis. Nos, qui personam ejus sinceræ caritatis brachiis amplectimur, ordinem vestrum, quem semper diliximus, personæ ipsius intuitu, si cara vobis fuerit, ut decuerit, magis ac magis favente Domino diligemus. *Datum ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCXLVII.

Dilecto filio Ferrando priori domus S. Ægidii hospitalis S. Johannis Jerosolymitani.

Remittit eum ad suum prioratum.

CUm dilecti filii magister & fratres hospitalis S. Joannis Jerosolymitani te ad suam, prout nuper accepimus, præsentiam evocassent, præcepto tibi dato in instantis mensis Augusti passagio transfretandi; nos diligentius attendentes moram tuam in commisso tibi prioratu fuisse & esse ordini tuo admodum fructuosam, & nobis & aliquibus necessariam; considerantes etiam personæ tuæ statum, qui laboris remissionem hujusmodi merebatur, te in nostra præsentia constitutum in cismarinis partibus duximus retinendum. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus ad prædictum rediens prioratum, & in devotione, cura, & sollicitudine solita perseverans, ad ipsius negotia utiliter promovenda adeo studiosè intendas, quod per tuum studium & ordo tuus in illis partibus auctore Domino suscipiat incrementum, & Dei ac sanctæ sedis apostolicæ gratiam perinde uberius merearis, nec transgressionis culpam vel notam timeas, à qua te penitus liberum esse volumus in hac parte, de plenitudine apostolicæ potestatis, cui cedit sicut & subjacet inferiorum auctoritas prælatorum. Datum Perusii II. Idus Martii anno II. Anno 1266



(a) *Al.* Victorioso.

EPISTOLA CCXLVIII.

Patriarchæ Jerosolymitano.

Ut possit dispensare super gradu consanguinitatis inter filiam regis Armeniæ & filium Balduini de Bilmo matrimonium contrahere volentes.

PRovidentia sedis apostolicæ magnitudinem excellentium personarum advertens, & attentè considerans quod eorum inclyta devotio favoris & gratiæ plenitudinem promeretur, dignum & congruum reputat, immo potius debitum arbitratur, eis gratiosè concedere, quod nonnumquam aliis interdixit, maximè cum speratur quod gratia quæ illis impenditur, ipsas Ecclesiæ Romanæ devotiores efficiat, & quod eorum obsequiosa devotio terræ sanctæ utilitatis efferat incrementum. Cùm itaque, sicut ex parte carissimi in Christo filii regis Armeniæ illustris, & dilecti filii nobilis viri Balduini de (a) Bilmo fuit propositum coram nobis, & dilecta in Christo filia puella nata regis ejusdem, & dilectus filius natus præfati B. consanguinitatis & affinitatis tertio & quarto gradibus invicem se contingant, nos eorumdem regis & nobilium precibus inclinati, fraternitati tuæ præsentium auctoritate committimus, ut si quod de gradibus eisdem proponitur veritate nitatur, & aliàs ejusdem terræ statui videris expedire, cum præfatis puella & nato, quod, impedimento hujusmodi nonobstante, possint ad invicem matrimonialiter copulari, auctoritate nostra dispenses. Datum Perusii XVI. Calendas Aprilis anno II.

EPISTOLA CCXLIX.

Dilecto filio Martini S. tituli S. Marchiæ Anconitanæ & Ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

De variis ipsi scribit negotiis.

Anno 1266 LIcet nuncii Firmanorum, si vera dicerent, justa petere viderentur; quia tamen nec eis, nec aliis in honoris tui præjudicium credimus, increpatos de factis præteritis, & in præsentibus non auditos, ad tuam prudentiam duximus remittendos. Sanè dicebant se quodam castro à te contra justitiam spoliatos, & quod eis mandata dederis sub pœnis gravibus, de quibusdam eorum nobilibus civibus expellendis, & quod Potestati eorum, qui de tuo beneplacito Firmanensis civitatis assumserat regimen, potestariam trium castrorum abstuleras, licet municipes eorumdem, quibus, ut asserunt, ex consuetudine competit, eum sibi in rectorem concorditer elegissent. Tu igitur in his omnibus diligenter attendens, quid liceat, deceat, & expediat, sic jura conserves Ecclesiæ, ut non A præjudices juribus alienis. Dictos autem nobiles licet dicantur pessimi proditores, ad mandata potes admittere cum idoneis cautionibus, & postquam idoneè caverint, si tranquillitati provinciæ videris expedire, eosdem punire poteris vel multare, & à tota provincia, vel parte ejusdem relegare perpetuò, vel ad tempus, prout tibi videbitur opportunum. Quia verò nuper scripsisti, quod tibi videbatur expediens condemnationes differri, donec indictum cum Marchianis tenueris parlamentum, nullatenus B te omittere volumus, quin (b) colligationes inter civitates & castra per barones factas casses & irrites, & sub multa gravissima inhibeas faciendas, & volumus quod vel ante parlamentum vel statim postea, unum de tuis judicibus nobis mittas, qui nobis aperiat contra quos & in quantum intendas procedere, ut nostro firmatus consilio, procedas in omnibus confidentius; & ut nos promtius eis silentium possimus imponere, qui processus tuos infringere C postea molirentur. Verùm potestatem & ambassiatores Camerinensium monuimus, ut episcopum suum recipiant, & honore debito prosequantur, discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus tu super hoc ipsum commune moneas; & si nostris ac tuis monitis obtemperare noluerint, ad id omnes & singulos ecclesiastica censura compellas. Ceterum ægrè ferimus plusquam credas, quod RAYNALDUS, in suis confidens clamoribus, in nostram evidentem injuriam, per ignem & gladium cives D Callenses molestare præsumit, & quamvis super hoc aliàs tibi scripserimus, tu tamen eum compescere noluisti. Ideóque volumus & mandamus, ut sic eum cohibeas, sic ejus frangas superbiam, ut & damna data restituat, & similia non attentet. Quod si te facere posse negas, cur majora attentes aggredi non videmus; & si potes, sed renuis, nostra tam patens offensio non satis tibi videtur esse cordi. Demum expresse statuas & edicas, ut nulla civitas, nulla privata persona, sine nostra vel tua licentia, E alteri guerram moveat, nullus sibi jus dicat, sed si quis ab alio injustum aliquid patitur, ad judiciarium recurrat ordinem, ad insolentium compescendum audaciam constitutum. Datum Perusii XV. calendas Aprilis anno II.

EPISTOLA CCL.

Ad archiepiscopum Bracharensem & ad episcopos Portugalliæ.

F *Ut festa SS. Dominici & Petri martyris solemniter celebrent.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Bracharensi, & episcopis per regnum Portugalliæ constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

De meritorum excellentia, quibus Beati

(a) Al. De Libnnio. Al. De Ibilino. Al. De Lisbuino.

(b) Al. Obligationes.

Dominicus confeſſor & Petrus martyr ordinis fratrum Prædicatorum claruerunt in hujus mundi tenebris ſub vitæ ſtudio innocentis, proceſſiſſe dignoſcitur, quod eos ſedes apoſtolica poſt felicem eorum obitum aſcripſit catalogo beatorum, feſta confeſſoris & martyris eorumdem celebrando ſolemniter annuatim ad illius gloriam & honorem, qui utrique ipſorum diverſis illuſtrato miraculis contulit præmia perpetuæ claritatis, ſicut ad generalem notitiam cunctorum Chriſti fidelium à multis annis præteritis perveniſſe credimus multis modis, & præcipue per ſupradictum ordinem, quem ſcilicet præfatus confeſſor, illectus amore cæleſtium, cum deſpectione omnimoda terrenorum per inſpirationis divinæ gratiam adinvenit; quemque memoratus martyr tamquam vir in divinæ legis meditatione ſedulus, & in operibus bonis aſſiduè ſtudioſus diligenter & conſtanter obſervans, tandem pro defenſione catholicæ fidei martyrii palmam meruit adipiſci. Cum itaque res tam celebris & ſolemnis vobis & ceteris fidelibus regni Portugalliæ non inculta vel incognita, ſed modis omnibus debeat eſſe reverenda, univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta firmiter præcipiendo mandantes, ac in remiſſione peccaminum injungentes, quatenus feſtum confeſſoris ejuſdem nonis Auguſti, ac ſolemnitatem præfati martyris III. Calendas Maii, diebus videlicet quibus iidem Sancti abſolutis mortis vinculis ad perennis vitæ delicias pervenerunt, celebretis annis ſingulis, & ab univerſis veſtris ſubditis præfati regni celebrari cum debita reverentia faciatis, ipſorum feſta in veſtris & illorum calendariis conſcribi nihilominus procurantes, ut id vobis de theſauris cæleſtibus eorum pia interceſſione perveniat, quod uterque ipſorum, præſtante Dei filio, percepiſſe dignoſcitur & poſſidere perpetuò gloriatur. Datum Perusii XIII. calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

EPISTOLA CCLI.

Dilecto filio tituli S. Ceciliæ preſbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Ut contractis pro Siciliæ negotio debitis ſolvendis omnem adhibeat diligentiam.

Anno 1266 EXcitati ab intimis, & anguſtæ ſollicitudinis inſtantia propulſati, ut negotium cariſſimi in Chriſto filii noſtri C. illuſtris regis Siciliæ, quod utique noſtrum eſt & ſanctæ matris Eccleſiæ, proſperum divina favente clementia ſortiretur effectum, dum inter ipſa naufragari videretur initia, defficientibus ob inopiam bellatoribus, & ipſo rege unde ſibi & ipſis ſuccurrerent non habente, maluimus nos exponere diſcrimini, quàm electum confundi pugilem & perire negotium, in quo tanto fuerat labore ſudatum: & ideo conſpicientes olim eumdem regem in illius neceſſitatis articulo conſtitutum, ut exhauſtus expenſis in ſuis proceſſibus, non proficere, ſed potius deficere videretur, decrevimus ipſum apoſtolici manu ſubſtentare præſidii, ut nec eum debilitari mente vel viribus, neque tantum negotium quod proſequendum aſſumſerat, contingeret in aliquo deperire. In ſubſidium itaque dicti regis à nonnullis mercatoribus & civibus Romanis diverſis & gravibus debitis, certis locis & terminis perſolvendis, prout urgens imminebat neceſſitas noſtra, per quoſdam nuncios ad hoc deputatos à nobis noſtra auctoritate contractis, cameram noſtram & bona ejuſdem Eccleſiæ, nec non & poſſeſſiones & jura quamplurium eccleſiarum, monaſteriorum, & aliarum domorum religioſarum Urbis, ſine quibus iidem contractus expediri non poterant, tolerantes potius illa, quàm eumdem regem vel ſtatum ejus periculo ſubjici, ſub ea forma fecimus creditoribus obligari; quod niſi prædicta debita fuerint eiſdem locis & terminis ſecundùm legem contractuum perſoluta, poſſeſſionem bonorum eccleſiarum & monaſteriorum eorumdem præfatis mercatoribus ſtatim elapſis terminis liceat occupare, certis aliis diris & duris conditionibus in detentionem dictorum bonorum & eorum onus adjectis, prout omnia patent publicis documentis. Rex autem præfatus hujuſmodi mutuum pro ſuis neceſſitatibus & ad ſuam utilitatem contrahi recognoſcens, & volens tam ejuſdem cameræ, quàm eccleſiarum, monaſteriorum & domorum earumdem indemnitati cavere, ſponte & expreſsè promiſit, cameram, & eccleſias, domos, & monaſteria præfata infra dictos liberare terminos ab eorumdem oneribus debitorum, & ad majorem cautelam præmiſſa omnia & ſingula præſtito ſuper hoc corporaliter per quemdam familiarem ipſius in animam ſuam, & ejus præſentia, de ſpeciali quoque mandato ſuo, juramento firmavit, nihilominus expreſsè conſentiens, ut nos in eum excommunicationis, & in omnes terras ſuas ferremus interdicti ſententias: ita quòd ſi non ſervaret hujuſmodi juramentum, & auctoritate apoſtolica monitus de prædictis non ſatisfaceret infra menſem, ipſo facto dictam excommunicationis ſententiam incurreret, & prædictæ terræ ſuæ interdicto eccleſiaſtico ſubjacerent. Cùm autem rebus proſperè ſuccedentibus, hoſte principali interemto, ejuſque lateribus omnibus, excepto Galvanno & comite camerario, qui ſe fugæ dedere præſidio, captis in prælio vel occiſis, vel (a) ſub regia poteſtate curvatis, jam ſine qualibet reſiſtentia ſit regni negotium expeditum, capiendis in proximo Sarracenis in Luceriæ civitate concluſis, ſupereſt ut & nobis & prædictis provideamus eccleſiis; quæ ſi ſemel in fauces caderent creditorum, eſſet nimis difficilis (b) ereptio earumdem. Ideóque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus providè penſans, & attenta meditatione conſiderans ſupradictum periculum, quod pluſquam valeamus exprimere formidamus, præſertim cùm præter damna eccleſia-

(a) *Al.* Vel pace facta, ſub regia poteſtate.
(b) *Al.* Exceptio.

rum enormia, nedum aliis, quin & nobis horribile videretur regem novum excommunicationis, & terras ejus interdicti sententiis alligari, ut de perjurio, quod est gravissimum, taceamus; in hoc studeas, hoc attendas, hoc postpositis universis negotiis prosequaris, in hoc tua sollicitudo versetur, tuique vigilent affectus & ferveant, ut non transeat dies, nec, quantùm in te fuerit, hora prætereat, quin præscriptis locis & terminis, de jam dictis debitis creditoribus integrè satisfiat: & si forsan, quod non credimus, de decima dicto regi concessa plena satisfactio provenire non poterit, contrahas omnino mutuum à prælatis tam cathedralium, quàm aliarum ecclesiarum regularium & sæcularium tuæ legationis; vel etiam à fœneratoribus, si non posses aliter pecuniam invenire, quia minus damnosè tolerari poterit, in hac parte pecuniale dispendium, quàm periculum quod ex prædictis conditionibus immineret. Ut autem de intentione nostra & totius negotii qualitate certior habearis, ecce formam contractuum, & receptas mutuo quantitates per latorem tibi præsentium distinamus, ut omnibus prudenter & diligenter inspectis ad executionem eorum quæ tuæ sinceritati mandantur, melius & efficacius habita plena super singulis instructione procedas. Nec te retrahat à præmissis, quod tibi scripsimus nuper de nostris Senensibus mercatoribus in L. millibus librarum Turonensium Romanis& omnibus aliis præferendis. Hoc enim intelleximus, nisi Romani ipsi vel alii sicut tempore, sic & jure fuerint, potiores, cùm intentionis nostræ non fuerit, quicquam statuere in præjudicium juris alieni. Verba demum multiplicare non expedit, sed scire te volumus, sic in isto discrimine nos ac fratres nostros & tuos esse perplexos, ut ecclesiarum multarum ruinæ nullum prorsus inveniamus remedium, nisi per tuam industriam prudenter & utiliter occurratur eidem. Datum Perusii XI. calendas Aprilis anno secundo.

EPISTOLA CCLII.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ipsi commendat F. de Baratio.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm dilectus filius Frater F. de Baratio prior domorum Hospitalis Jerosolymitani in Provincia, ex devotione sincera quam ad nos & Romanam gerit ecclesiam, & amicitia speciali quam olim ad personam nostram habuit, etiam dum eramus in minori constituti officio, nos nuper visitaverit præsentiam nostram personaliter adiens, licet tu, prout dicitur, citatione prævenisses eumdem; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsum habens pro nostra & apostolicæ sedis reverentia propensius commendatum, sententias quaslibet, si quas in eum, sive personas alias, vel ecclesias, aut domos Hospitalis ejusdem tuæ legationis, occasione decimæ carissimo in Christo filio nostro C. regi Siciliæ concessæ forsitan protulisti, absque difficultate relaxes, & super ipsius decimæ negotio, auditis suis privilegiis & excusationibus, statuas quod fuerit statuendum. Datum Perusii x. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCLIII.

Ad Priorem B. Mariæ de Tabulis.

Ut adversus fratres Montis-majoris abbate destitutos ulterius non procedat, donec pastorem sibi elegerint.

DIlecto filio priori sanctæ Mariæ de Tabulis de Monte-pessulano Magalonensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod cùm quidam cives & mercatores Florentini dilectos filios priorem & conventum monasterii Montis-majoris ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Benedicti Arelatensis diocesis, coram te auctoritate litterarum apostolicarum, ut dicitur, super debitis & rebus aliis convenissent in eodem monasterio abbatis regimine destituto, prædictos priorem & conventum prætextu dictarum litterarum, habitis contra eos diversis processibus, multiplici inquietatione vexasti. Cùm autem idem monasterium carens ad præsens legitimo defensore, gravia per hoc posset incurrere detrimenta; nos circa statum ejus prosperè conservandum, cùm ipsum monasterium paterno prosequamur affectu, & partes paternæ sollicitudinis apponentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quibuslibet excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis latis contra præfatos priorem & conventum seu dictum monasterium penitus relaxatis, processus habitos super principali suspendere, ac eidem negotio subsedere procures, donec præfato monasterio fuerit, quod erit in brevi, annuente Domino, de pastore provisum. Nos enim decrevimus irritum & inane, si secus extiterit attentatum. Datum Perusii IX. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCLIV.

Venerabili R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Causatur de excessibus ab exercitu Caroli regis apud Beneventum commissis, mandatque ut compellat eum ad restitutionem.

ANtequam à nobis proficisceris in regnum, mentem nostram non leviter perturbaverat vix credibilis, turpis tamen & exaggerata credulitas, quam malè christianus exercitus in Anno 1266

hac parte in civitatem effuderat Beneventi, nec possumus omnino silere, quod carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ, qui jura Romanæ Ecclesiæ se nuper promiserat servaturum, & proprio juramento firmaverat, si provide voluisset advertere, quid & quantum matri debebat & dominæ, civitatem prædictam in qua penitus nihil juris habet, quam in conventionum nostrarum principio prænotavimus singulariter nostram esse, non tam immaniter invasisset; nec potest illa ratione causari, in furore vel belli impetu factum esse, quod diebus octo perseverans ibidem, & momenta per singula (a) continuans, multorum boum & ovium Dominus, oviculam nostram unicam peregrinis suis apposuit & exposuit, proprio gregi parcens, ut aperte jam eum teneat illa Nathan prophetæ parabola, quam David regi proponens ab eodem extorsit sententiam, qua se ipsum rex nesciens condemnavit. O quàm malum ad futura passagium, si de factis in viridi facienda in arido præsumantur! O quàm detestandus cruce-signatorum excessus, qui data sibi de cælo victoria, manus nefarias innocentum sanguine cruentarunt, spoliis ecclesiarum & hominum nostrorum impleti, quæ in suarum perniciem detinent animarum. Quis enim nesciat Beneventanos ab olim FREDERICO quondam & ejus successoribus usque ad sanguinem restitisse, & omni tandem destitutos auxilio portasse in angaria usurpatum dominium eorumdem? Quod si MANFREDUS venerat Beneventum, & inde forsitan progressus in campum ex eis aliquos secum duxerat, quod tamen non poterit, prout fertur, de x. inveniri personis: constat omnibus quod muro carentes & (b) vallis, nec resistere poterant, nec audebant; & si rei fuissent, etiam non à non Domino, sed à nobis erant prævia ratione plectendi. Si bona fuerant publicanda, non regi, non aliis, quàm Romanæ Ecclesiæ poterant publicari. Unde, frater, quod scribimus, & apud te diligenter observa, nam non est abbreviata manus Domini, nec humanis judiciis alligata. Erigit enim & deprimit; & sicut exaltat humiles, sic & frangit cornua superborum: & si videbitur aliquibus quòd à nulla sit parte timendum, habet utique multas muscas, habet etiam apes aliquas, quibus si forsan sibilare voluerit, facile deducet in publicum quod humanæ considerationis oculis est occultum. Ecce dum hostis publicus gentem nostram assiduè (c) dehonorabat, Dei præstolabamur auxilium in silentio, & quæsitum pro nobis pugilem quot honoribus prævenerimus, quibus auxiliis fulciendum duxerimus, quale regnum & quantum ei dederimus, ipse nosti; & hæc est retributio quam recepimus in principio, mala quidem pejor & pessima, (d) premens innoxios, terrens devotos, & nostros lætificans inimicos. Quocirca quia principiis est obstandum; & ne vires sumant neglecta incendia, provide dilectum filium quem in civitate prædicta & districtu ipsius seu (e) territorio & pertinentiis nostrum vicarium constituimus, tuæ benivolentiæ quanto propensius possumus commendantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus consilio & auxilio eum prosequens opportunis, ipsum & jura nostra deffendas viriliter & potenter, & regem moneas specialiter, & omnes de exercitu in communi, ut his exceptis quæ in victu suo, vel equorum suorum, cùm essent Beneventi, consumserunt ibidem, cetera quæ extant tibi restituant nostro nomine, vel pretium si non extant, infra terminum quem eis duxeris statuendum: eis denuncians, quod nisi ad nostrum vel tuum arbitrium satisfecerint de ablatis, eos ad id per censuram ecclesiasticam, sicut expedire viderimus, compellemus. Datum Perusii VIII. calendas Aprilis, anno II.

2. Reg. 12. 4.

(a) Al. Comminuens. (b) Al. Vallatis. (c) Al. Devorabat. (d) Al. Præveniens. (e) Al. Tentorio.

EPISTOLA CCLV.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Florentinis mercatoribus quinque librarum millia persolvat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Quondam Albertinus Rota & socii sui cives & mercatores Florentini nobis quinque millia librarum Turonensium mutuarunt, eisque propter hoc Ecclesiam Romanam & cameram nostram fecimus obligari, sicut in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Unde cùm pecunia ipsa carissimo in Christo filio nostro C. Siciliæ regi illustri extiterit persoluta; volumus & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus prædicta quinque millia librarum Turonensium juxta continentiam litterarum dilecti filii P. archidiaconi Senonensis camerarii nostri, quas super hoc tibi specialiter destinat, cùm scribat negotii veritatem, absque difficultate persolvas, receptis prius ab eisdem sociis instrumento prædicto & litteris apostolicis confirmatoriis inde confectis, & de ipsis quinque millibus librarum refutatione solemni; ita quod Ecclesia & camera prædictæ ab hujusmodi obligationis onere liberentur. Datum Perusii VIII. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCLVI.

Dilecto filio Alphanto (f) de Terrascone militi.

Permittit ei ad se venire mox redituro.

PEremto MANFREDO, & adhærentibus ei partim occisis, partim receptis ad gratiam, carissimus in Christo filius noster illustris rex Siciliæ jam habet Apuliam, & in Siciliam misit Vicarium nobilem virum PHILIPPUM DE MONTE-FORTI, & Sarraceni (g) Luceriæ ci- Anno 1266

(f) Al. De Tuscia. (g) Al. Lucensem.

vitatem reddiderunt eidem cum omnibus armis suis, personas & omnes res suas ipsius beneplacito exponentes. Ad id autem quod postulas, ut demus tibi licentiam præsentiam nostram adeundi tibi taliter respondemus. Consideravimus quod tibi circa nos nullus est status, quia nullum habemus officium, quod tibi possimus committere, ut vellemus: nec est nostra curia militum, sed tantum clericorum; & si nos videre desideras, venire poteris protinus rediturus, & si qui aliud tibi scripserint minimè credas eis. Satis quidem deliberavimus in hac parte, & si aliter posset fieri, illud antea scripsissemus: sed nec ROSTANNUM ducere te oportet, si veneris; quia eum studere Bononiæ nolumus, cum ibidem nec ad nostrum honorem, nec ad suum posset aliquatenus sustentari. Unde melius judicamus, quod apud Montem-pessulanum incœptum studium prosequatur. Illud autem providere te volumus, quod si forsan ad nos veneris, & regem Siciliæ non adieris, offendetur; & si accesseris ad eum, vix erit quin aliquo negotio te involvat, & multa alia super his poteris cogitare, quæ scripto non duximus exprimenda. Per quam verò viam venire valeas ignoramus, cùm transitus Lombardiæ paucis & inermibus Provincialibus non sit tutus, eo quod multi de Lombardia & Tuscia, tam in (a) Lombardia quàm in Apuliæ prælio perierunt. De his autem quæ ab episcopo Avinionensi accipies, placet nobis eleemosynam fieri quam petisti filiæ Dulciæ de S. Georgio: si tamen ipsa filia votum non fecit, quod eam impediat ad matrimonium contrahendum. Demum consideratis omnibus supradictis, credimus esse consultius, quod accedere ad nos differas, donec apertius status terrarum sit pacificus, & videas aliquos de comprovincialibus tuis à regis exercitu redeuntes, per quos possis in omnibus plenius informari. Tuæ tamèn te relinquimus voluntati, qui si scires quæ & quanta à Pontifice Romanorum nepotibus exiguntur, citò nostris consiliis acquiesceres, maximè cùm nos noveris pompis hujusmodi non gaudere, quas si sequi volueris, non valebis; & si sequi nolueris, contemneris. Datum Perusii VIII. calendas Aprilis anno II.

EPISTOLA CCLVII.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Scribit ei reportatam à Carolo rege victoriam & felices ipsius successus.

Anno 1266 EXcitatus à somno Dominus mari & ventis imperavit, multis concussam fluctibus Petri naviculam pietatis osculo benigno respexit, & confractis cornibus impiorum, multos per erroris abductos invium, quibus dedisse videtur vexatio intellectum, ad Ecclesiæ gremium jam reduxit, & ut tibi omnia ad plenum liqueant, scire te volumus, quod cùm carissimus in Christo filius C. Siciliæ illustris castrum inexpugnabile, scilicet Roccam arcis in regni Siciliæ obtinuisset ingressu die Martis post *Esto mihi*, villam S. Germani invadens, quam CASERTANUS & JORDANUS comites cum multis Teutonicis & Lombardis & Saracenis munierant, manuali congressu violenter intravit, multis ex hostibus interemtis ibidem, capto MANFREDO dicto Lancea, & dictis comitibus effugatis. Exinde verò profectus, & continuato progressu terram acquirens, adiit Beneventum, quò se contulerat MANFREDUS quondam (b) princeps, Ecclesiæ persecutor, & tandem die Veneris ante *Oculi mei*, cùm utrimque procederent acies ordinatæ, commisso prælio, dictus MANFREDUS cecidit, & fere tria millia cum eodem, captis JORDANO & BARTHOLOMÆO comitibus & nepotibus eorumdem. Cumque comes camerarius cum ipsius Manfredi camera effugisset, postmodum ad cor rediens, cum ipsa camera regi se reddidit, sic reconciliatus eidem. Uxor verò MANFREDI cum liberis à Tranensibus infra castrum tenebatur inclusa, nec evadere poterat manus regis. Casertanus & Acerrarum comites pacem cum rege fecerunt. Sarraceni Luceriæ civitatem, personas & bona regis ejusdem beneplacito subjecerunt. Soli GALVANUS & CONRADUS DE ANTIOCHIA in Aprucio remanserunt, quærentes pacem, quam adhuc obtinere minimè potuerunt. Vir nobilis PHILIPPUS DE MONTE-FORTI vicarius missus est in Siciliam cum Venerabili fratre nostro archiepiscopo Cusentino, quem ad ecclesiam transtulimus Messanensem. Marchia nostra ad nos rediit, quia non invenit adversarium cui valeat O. adhærere. Florentini & Aretinenses ad mandata venerunt. Pisani etiam ad idem se offerunt certis modis, quos admittere nolumus nisi redeant absolutè. A Pelavicino recepimus nuncios, qui se nostris mandatis exponit, quem tamen recipere nondum volumus, quia de cautionibus disputamus. In fundo Sacci, quod ægrè ferimus, remanent Januenses periculosius ceteris, prout credimus, si diligentius advertatur, quanto possunt subjacere discrimini inter Provinciam & Apuliam constituti. Legatum autem in regnum misimus Venerabilem fratrem nostrum R. episcopum Albanensem. Hæc tibi, fili dilecte, scripsimus, ut matri tuæ congaudeas, quæ post multiplices tempestates recepta tranquillitate, lætatur in Domino, videns illabi desuper flumina pacis, videns cultum reparari divinum, ecclesias surgere, reduci exules innocentes, annum placabilem Domino inchoari, quem si divina largitas consummaverit, dici profectò poterit, jubilemus. Datum Perusii VIII. calendas Aprilis anno II.



(a) Al. Lombardiæ.

(b) Al. Principalis.



EPISTOLA CCLVIII.

Cariſſimo in Chriſto filio regi Caſtellæ & Legionum illuſtri in regem Romanorum electo.

Scribit in proviſione eccleſiæ Toletanæ facturum ſe quod Deo acceptius crediderit & ipſi utilius. Negat ipſi diſpenſationem pro matrimonio contrahendo, inter filium Balduini imperatoris Conſtantinopolitani & filiam ipſius.

Anno 1266 MIrari poſſumus, immo cogimur, quod tu, fili cariſſime, tantæ urbanitatis exiſtere diceris, ut injuſta petentibus pudeat te negare quod poſtulant, & dum plures diverſa deſiderant & adverſa, pro his preces porrigis & pro illis, quas ſicut impoſſibile eſt concurrere, ſic impoſſibile exaudiri. Hæc quidem probavimus his diebus, dum per tuæ Serenitatis litteras preces recepimus pro Venerabili fratre noſtro (a) epiſcopo (a) Gehennitenſe præficiendo eccleſiæ Toletanæ, & preces iterum pro dilecto filio S. nato cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis Aragonum illuſtris, quas pro utroque pluries inculcaſti, & cùm latores omnium litterarum ejus apud nos fidei velles eſſe, ut ſuper his quæ viva voce proponerent, crederemus eiſdem, qui pro uno inſtabant, dicebant te ſcripſiſſe pro altero non ex animo, ſed ex multa precum importunitate devictum; & qui ſtabant pro altero, ſimile per contrarium vice verſa dicebant. Sanè licet in eccleſiis ordinandis, non ad affectiones hominum, non ad preces noſtrum animum alligemus, dum tamen mentis noſtræ intuitum ad tuæ vertimus excellentiam magnitudinis, pro qua, ſi qua jam fecimus, plura libentius ſine noſtræ diſcrimine conſcientiæ faceremus; volumus, conſulimus, & rogamus, quatenus varietatem hujuſmodi, quæ non ſplendorem ſed maculam in gloria tua ponit, à te prorſus abjicias, & numquam alicui, ſed præſertim vicario JESU-CHRISTI pro illorum promotione ſupplices, quos non deſideras promoveri. Verùm circa (b) dictæ (b) promotionem eccleſiæ, quod acceptum Deo ipſique eccleſiæ ac regno tuo utile crediderimus, multorum meritis evolutis, qui & intra, & extra noſtram curiam noſtræ conſiderationi ſe offerunt, de fratrum noſtrorum conſilio faciemus. Ceterùm quia Patrum Sanctorum canones in ea ſunt ſoliditate fundati, ut ab eis nullatenus recedi deceat aut oporteat, niſi magna id ſuadeat utilitas, aut neceſſitas juſta compellat, quorum neutrum videre potuimus, in filiæ tuæ & cariſſimi in Chriſto filii noſtri B. imperatoris Conſtantinopolitani nati copula, pro qua noſtræ diſpenſationis gratia petebatur, ægrè non feras quod eam negavimus, quam nec Deo placere credidimus, nec tibi etiam expedire. Larga ſiquidem in hac materia retroactis facta temporibus diverſarum effuſio gratiarum multos reddidit ſub ſpe veniæ faciles ad inceſtum: tantum crimen eo levius, licet temere ju-

A dicantes, quo facilius ante conjunctionem vel poſtea diſpenſationis gratia poterat obtineri. Datum Peruſii II. calendas Aprilis, anno II.

(a) Al. Gehennuenſe. (b) Al. Proviſionem.

EPISTOLA CCLIX.

Simoni cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Ut decimas à Ciſtercienſibus non exigat.

B CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei Anno 1266 dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

De religioſorum decima in ſubſidium negotii regni Siciliæ perſolvenda pluries tibi ſcripſiſſe meminimus, & tandem inter cetera mandaviſſe, quod viſis indulgentiis ſingulorum qui dictam decimam ſolvere noluerunt, niſi per eas ſe poſſent ab ipſius decimæ præſtatione tueri, tu eos ad C præſtationem cenſura eccleſiaſtica coarctares. Sanè ſicut audivimus, dilectis filiis Ciſtercienſi, de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle, de Morimundo abbatibus Ciſtercienſis ordinis pro ſe ac toto eodem ordine coram te comparentibus, & exhibentibus varias indulgentias, & alias papales litteras, per quas allegabant ad ſolutionem prædictæ decimæ memoratum ordinem non teneri, tu juramentum ab eorum ſingulis, quod ipſi monaſteria ſua & ordinem prædictum alia privilegia & indulgentias habere D credebant, per quæ unà cum jam exhibitis ordinem & monaſteria ipſa defendere poterant à præſtatione decimæ ſupradictæ; quódque petitio qua inſiſtebant ad habendam dilationem ad oſtendendum privilegia & indulgentias hujuſmodi non procedebat ex malitia, recepiſti, & tandem ipſis uſque ad diem Martis proximum poſt inſtans feſtum B. Marci terminum peremtorium, prout petierant, aſſignaſti, ad habendum conſilium & deliberandum cum ſuis conventibus & coabbatibus ejuſdem ordinis in præ- E dictis, & ad comparendum in tua præſentia, necnon & producendum in jure alia privilegia, indulgentias & munimenta omnia, ſi qua forſan dicta monaſteria vel ordo ſuper prædictis haberent, & ſuper eiſdem immunitatem ſuam & ejuſdem ordinis, ſi eis competeret, oſtenſuri, ac audituri, & recepturi ſuper his quod duceres ordinandum. Verùm quia dextra Domini fecit virtutem, & dicti regni negotium jam feliciter expedivit, utpote cariſſimo in Chriſto filio noſtro CAROLO rege Siciliæ illuſtri, confectis viriliter hoſtibus, jam regnum prædictum totaliter F obtinente, nos ad ipſum ordinem ſuæ religionis obtentu piæ gerentes compaſſionis affectum, deliberavimus eidem regi per noſtras litteras ſuggerendum, ut Domini beneficia recognoſcens, & ob ipſius reverentiam neceſſitatibus locorum & perſonarum ordinis memorati compatiens, ad exactionem prædictæ decimæ quoad ipſa de cetero non inſiſtat. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad decimæ hujuſmodi exactionem, quantum ad perſonas

sonas & loca eadem, usque ad octavas festi B. Johannis Baptistæ venturi proximo non procedens, prædicta personas & loca propter hoc interim in aliquo non molestes. Datum Perusii III. nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno II.

A

EPISTOLA CCLX.

Dilecto filio nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tholosano.

Ut excessus in Vasionensem ecclesiam à ballivis suis commissos compescat.

Anno 1266 QUanto sinceriori personam tuam, suadentibus tuæ devotionis laudabilibus meritis, prosequimur in Domino caritate; tanto studiosius ab his te cupimus abstinere; quæ saluti tuæ vel famæ possint quomodolibet derogare. Sanè sicut ex parte venerabilis fratris nostri episcopi & dilectorum filiorum capituli Vasionensis, nostris est auribus intimatum, ipsi à nonnullis ballivis tuis illarum partium super suis & Ecclesiæ Vasionensis juribus, multas frequenter molestias & injurias patiuntur. Cùm igitur idem episcopus & capitulum multo graventur onere paupertatis, nec tuam magnitudinem deceat hujusmodi gravamina eis per tuos illata sub dissimulatione transire, qui eos debes potius ab oppressionibus aliorum tueri, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, quatenus ob reverentiam divini nominis, & apostolicæ sedis, ac nostram, necnon & tui honoris intuitu, prædictos episcopum & capitulum vel eorum ecclesiam in suis juribus, & specialiter super his, de quibus inter te & ipsos ordinavimus olim in minori officio constituti, non permittas à dictis ballivis, vel ab aliis subditis tuis aliquatenus molestari, preces nostras super his taliter impleturus, quod præfati episcopus & capitulum tuæ protectionis præsidium in hac parte sibi sentiant affuisse, & nos devotionis tuæ promtitudinem dignis exinde in Domino laudibus merito commendare possimus. Datum Perusii VIII. Idus Aprilis anno II.

EPISTOLA CCLXI.

Venerabili fratri R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De absolutione Conradi de Antiochia.

Anno 1266 INterpellati sæpius, ut absolutionem CONRADI DE ANTIOCHIA committere personis aliquibus dignaremur, neminem, etiam fratrem supplicantem audire voluimus, sed id tuæ prudentiæ duximus reservandum. Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus cùm idem CONRADUS noster fuit & Ecclesiæ instantissimus persecutor in Marchia, tu ab eodem sufficientem & idoneam suscipias cautionem de mandatis nostris plenariè observandis, & eidem certum præfigas terminum, quo se nostro vel personaliter vel per procuratorem idoneum conspectui repræsentet, mandata nostra auditurus humiliter, & fideliter impleturus. Sanè quia, ut nosti, captus olim in Marchia, apud Monticulum extitit, prout creditur, non sine corruptione aliqua liberatus, eum juramento adstrictum cum solo abbate sancti Johannis & auditore tuo & notario secretissimè requirere non omittas super modo liberationis ipsius, quorum consilio & conscientia, ope etiam extitit

B

liberatus, & apud quos inde exiens declinavit, & quid & quantum dedit aut promisit, & quibus pro sua liberatione complenda vel etiam procuranda, & specialiter an Ballonus civis Perusinus tunc rector Monticuli conscius fuerit liberationis ejusdem, & an aliquid inde habuit, vel ei promissum fuerit, & super hoc non solum cum eodem, sed & cum aliis qui cum eo erant, (a) & eum comitati sunt, veritatem inquiras; & quod inveneris sub sigillo tuo per fidelem nuncium nobis remittere non postponas. Datum Perusii IV. Idus Aprilis anno II. (a)

C

EPISTOLA CCLXII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De excessibus ab ipsius exercitu in civitatem Beneventanam commissis.

EX grandi ac gloriosa victoria tam apud S. Germanum quàm in campo Florido (b) prope civitatem Beneventanam cælitus tibi data enexplicabilis munus jocunditatis jampridem suscepimus. Quod quidem quodammodo minuit repentina turbatio ex ipsius subsecuta continuo excidio civitatis: ita quod ex ipsa risus conceptus victoria mixturam protinus mœroris accepit; & luctus gaudii extrema graviter occupavit. Cùm enim suffragante proculdubio Beato Bartholomæo, qui ejusdem civitatis patronus existit, de suis & tuis hostibus incredibiliter triumphasses; erat profectò ejus ecclesia regiis decoranda muneribus; erat & ipsa civitas honoranda, ut ubi regni Siciliæ bravium finaliter percepisti, tantæ vigerent victoriæ monimenta; & fieret triumphi fama perennis, in posteros tuæ largitatis munere prorogata, ad quod tuorum laudabilia provocare te poterant progenitorum exempla. Sed te in considerationem regiam id minimè deducente, in contrarium; quod dolentes referimus, præter spem hominum est res versa, ex eo quod tuorum etiam sacratis personis mucro non deferens, sed tam ipsarum quàm aliorum civium civitatis ejusdem, sine delectu sexus, ordinis, & ætatis inebriatus cruore, tamquam sui non coërcitus principis aliqua jussione, in vaginam non rediens, heu nimis exertus ad effusionem sanguinis innocentis, & quod ad cumulum tantæ transgressionis accedit, non cupiditatis, nec luxus tanta crudelitas execrabili caruit comitiva, cum dilectum Anno 1266 (b)

D

E

F

(a) Al. Et conjurati sunt. (b) Al. Dominico.

filium electum Beneventanum, monasteria, ecclesias, & civitatis ejusdem personas rebus propriis iidem tui prorsus nudare præsumserint, & virgines, proh dolor! rapere, prout fertur, flagitiosa; tamquam divinum non timerent judicium, libidine deflorandas, quodque indevotionis, & omnis irreverentiæ quodammodo fomentum habuisse videtur, ligneas sanctorum imagines ipsorum consideratione à Christi fidelibus venerandas, nec non & trabes, & alia ecclesiarum lignamina, aliorum lignorum tamquam positi juxta silvas non patientes defectum, heu! ignis incendio nequiter deputarunt: vasis & indumentis sacris divino cultui dedicatis manu subtractis avara: ita quod jam propter ipsorum defectum non possunt in ipsis missarum solemnia ecclesiis celebrari. Ecce qua Deo, qui tamquam bellator fortis ipsos victores tunc fecerat, gratitudine responderunt. Ecce quibus ipsum honoraverunt obsequiis, quibusve respexerunt impendiis, qui ipsos prostratis hostibus non absque grandi periculo incolumes præservavit. Non enim tantum civibus hactenus obfuit iniqui Cæsaris immanitas supradictis, quia etsi ad demolitionem ejusdem civitatis ipsius processerit edictum, ut aratrum passa, nec nomen, nec titulum resumeret civitatis: personis tamen ex humanitatis imperio censuit ignoscendum, eis octo dierum indulto spatio, ut quocumque vellent interim res suas sine mutilationis dispendio seu impedimento deferrent. Porro non talibus erat prosequenda dispendiis ejusdem devotio civitatis, quæ ad ejusdem regni perventurum fastigium te jamdudum ex intimis affectavit, innatam pectori tuo illam sperans clementiam, qua in Dei conspectu & hominum tui progenitores consueverant redolere. Sed quid? Etsi præmissorum consideratio te non movit, si ad misericordiam pietas te non flexit, cur saltem ad Ecclesiam Romanam non habuisti respectum? Defferens matri in filia, quæ ex omnibus ejusdem regni civitatibus ipsam sibi civitatem decrevit, tamquam præcipuam filiam reservandam, sicut in conventionibus inter te & ecclesiam ipsam initis, ad quarum observationem quanto potuimus artius te adstrinximus, plenius & expressius continetur. Sed utinam, sicut jam multi ex talibus judiciis seu auspiciis informati præsagiunt, istud eidem non officiat civitati, asserentes illud occasionem & causam ei pro firmo fuisse tantorum discriminis & jacturæ, quod sub tuo non erat dominio remansura, quod non levi firmare videtur judicio, cum in civitates & loca alia tui juris, non sic ira tuæ gentis exarsit, & ut demum propheticam resumamus parabolam: Tu multarum dominus ovium, quibus parcere voluisti, singularem nostram oviculam peregrinis tuis apponere & exponere minimè formidasti. Dicent fortè qui blandiri tibi voluerint, & quid egimus? Beneventum hostes receperat, inde prodierunt in campum. Quo pacto igitur eumdem cum hostibus calicem bibere non debebant? Sed elidit objectionem hujusmodi rei veritas omnibus manifesta. Urbs quidem patens & absque murorum ambitu Be-

A neventum hostilem militiam & malitiam nec intrantem repellere, nec ingressam poterat superare. Quid ergo meruit grex pusillus, si non repulit irruentem exercitum Manfredinum, cujus pars minima totam posset evertere civitatem? Sciunt omnes regnicolæ, sciunt & incolæ adjacentium regionum, quantum & qualiter hæc nostra civitas domui restitit magnifici pariter & malefici FREDERICI, quam nec potentia tanti principis frangere, nec blandimenta seducere, nec damna personarum & rerum à devotione apostolicæ sedis avertere potuerunt, B donec cives omnium auxilio & consilio destituti, attenuati fame gravissima, jugum ejus subire compulsi, diram ejus tyrannidem diu quidem, sed in angaria portaverunt. Non hoc, fili carissime, in exercitus impetu, non hoc in belli furore, quod etsi culpam non prorsus excluderet, tamen attenuaret excessus, dignoscitur esse factum: sed quasi consultò, & ex proposito ad id processisse convincitur malè libratum judicium invasorum, dùm moram ibidem te per dies octo continuam contrahente, interim non decrevet. C rit. Utinam aucta non fuerit, nec aliquam interruptionem receperit molestia tanti mali, quin immo quantò fuerit mora tua apud ipsos pro tractior, tanto perniciosior extitit ipsi terræ, quæ quidem non afficienda dispendiis, sed recreanda favoribus ex tunc merito fuerat, cum ipsius ecclesiæ Romanæ censeatur camera specialis, regiæ præsentia majestatis, ut fracto jugo & compede servitutis contrito, & in tuo jocundo adventu libertatis prosperitas, quam dudum optaverat arrisisset. Sed cur pro Deo, dum tanti D mali moles, te præsente, fidelibus nostris ingruerit, regius præco delituit? Cur prohibitionis edictum non processit in publicum, flagitiorum hujusmodi voce valida repressivum? Insultant igitur nostri & tui æmuli sumta materia ex præmissis, & dicunt: Ecce qualis ex tam aspero potest initio sperari prosecutio in futurum. Ecce qualem Ecclesia (a) eligit filium, qui matrem in his quæ amplius diligit taliter amaricare conatur, sicque congratulantur æmuli, turbantur amici, E & patris viscera tot concussa relatibus quatiuntur. Et tamen propter hoc erga te non omittimus, quæ sunt patris, immo benivolo mentis affectu sollicitè cogitamus, ut te quem præelegimus filium singularem & dextrum Ecclesiæ brachium, in ipsius necessitatibus advocandum, possimus in Dei timore pariter & amore, qui (b) mira in præsenti, ut te sublimem efficeret, operari dignatus est, conservare ad tui nominis gloriam, & illorum gaudium, qui tuam magnificentiam salubriter amplectuntur. Ut F igitur voce paterna per corporis aures suscepta, & in tuum animum salubriter inde deducta, nostris super hoc desideriis satisfiat, Serenitatem regiam rogamus & hortamur attentè, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus tuæ saluti consulens & honori, eidem civitati de damnis datis, ut præter conscientiam videantur esse illata, satisfieri facias condecenter, nec tantum prosperitate tua confidas, quin coram

(a) *Al.* Diligit. (b) *Al.* In nostra præsentia.

Deo, à quo bona cuncta procedunt, semper humilies temetipsum, & illius quem vicarium habet in terris monita, quæ tibi pro tua porrigantur salute adimpleas reverenter; sciturus quod sicut per Ecclesiæ auxilium honoris titulum accepisti, & nomine inter magnos suscepto, ad honoris gloriam es perductus, sic in prosecutione & conservatione ipsorum, quæ ab eadem Ecclesia obtines, ipsius Ecclesiæ fulcimento auxilii jugiter indigebis, & propterea ipsius non parvipendas correctiones & monita, præsertim cum his omnibus non tam suum quàm tuum intendat prosequi interesse, ac sive blandiendo insistat, sive disciplinam correctionis inferat, semper erga te actura sit quæ sunt matris. Datum II. Idus Aprilis anno II.


EPISTOLA CCLXIII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

Acta ab eo approbat.

Anno 1166

TAm memoriale quàm scripta cetera per tuos nuncios nobis oblata diligenter inspeximus. Sed an meritis plenè respondeant, tu magis scire potes, qui conditiones hominum & locorum in (a) schola experientiæ didicisti. Unum scias, quod æquanimius toleramus etiam in perversis misericordia emolliri rigorem, quam in austeritatis excessu culpas rebellium ex condigno puniri. Placet sane quod providè, prout credimus, ordinasti tam circa statuta quæ legimus, quam circa condemnationes universitatum & singularium personarum, in quarum exactione non simul aggredi multos te (b) decet, sed executioni dispensare prudenter, ne dispersus terror in plurimos colligationibus viam aperiat; & conglobatis rebellibus audaciam præbeat resistendi. Tu igitur vir consilii, vir providus, vir fidelis, procede prosperè, Deum semper habens præ oculis, & dum congruum tempus habes, nullomodo prætereat otiosum, sicque colligere, quæ justè poterunt haberi, procures, ut & nostra relevetur paupertas ex debito, & tuæ simul consulere valeamus. Verùm de privilegiis & libertatibus reddendis rebellibus, quibus pro meritis sunt privati, tenere te nolumus, quod tenendi sunt in suspenso donec id solverint in quo fuerint condemnati; & si humiliter obedierint, tunc demùm de tuo consilio quod æquum videbitur faciemus. De muris locorum certorum & turribus diruendis adhuc credimus differendum, non tamen omittendum in tempore opportuno. Datum Perusii II. Idus Aprilis anno II.




EPISTOLA CCLXIV.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Certum eum facit de Florentinorum reconciliatione.

Anno 1166

DUdum floruerat, sed effloruit postmodum civitas Florentina; nunc tamen per Dei gratiam reflorere desiderans; ut videtur, ab erroris invio rediens viam salutis aggreditur, cum super his pro quibus excommunicationis & interdicti sententias, contumacia exigente, sustinuerat moderata, nec non & super pace inter intrinsecos & extrinsecos reformanda, se nostris subjiciens beneplacitis & mandatis, datis cautionibus sufficientibus ex facilitate conveniendi idoneis & ex opulentia facultatum. Ecce, fili carissime, janua panditur ad salutem totius Tusciæ. Jam namque viam tenet eamdem Pistorium, eamdem Aretium, sed & Pisæ, si tamen idoneè cavere voluerint quod (c) probavimus, sed an facturi sint ignoramus. Hæc igitur tibi scribimus, ut congaudentibus nobis congaudeas de recuperatione gratissima tot pereuntium animarum, in quo tibi præcipuè credimus esse gaudendum, quod provisum ab ecclesia per tuum ministerium adimplendum populi christiani subsidium nuper initiatum in regno Siciliæ ad partes jam alias longè latèque diffunditur, fine, favente Domino, tam optato, quam debito consummandum; si victoriæ titulus non hominibus, sed (d) invincibili, prout decet, bonorum omnium ascribitur auctori. Sanè in his omnibus quæ facta sunt & continuè fiunt in Tuscia, providum promotorem & fidelem prosecutorem habuimus dilectum filium nostrum O. sanctæ Mariæ in Via-lata diaconum cardinalem, quem utique cum domo sua consanguineis & amicis tuæ benivolentiæ commendamus, paratum ad omnia quæ tuum & apostolicæ sedis respiciant commodum & honorem, quod profectò cognoscere poteris cùm id volueris experiri. Verùm non solum suos, sed & omnes cives & singulos civitatis ejusdem habeas commendatos, nec eos in tuis finibus patiaris offendi. Nos enim dilectis fidelibus nostris Guelfis Florentiæ & locorum aliorum confinium pacem quærimus fructuosam, de cujus consummatione felici per concordiam partium spem habemus, quam si, quod absit, nos frustrari contingeret, potestatem habemus ex nobis & voluntatem (e) accommodam potestati eam salubriter & utiliter faciendi. Datum Perusii Idus Aprilis anno II.



(a) Al. In sola experientia. (b) Al. Oportet.

(c) Al. Probabimus. (d) Al. Inenarrabili.
(e) Al. Accommodatam.

EPISTOLA CCLXV.

Dilecto filio S. tituli S. Martini diacono cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

Varias ei præscribit regulas quas in sua legatione sequi debeat.

Anno 1266 QUia linguis loquuntur variis Marchiani, quibus nostras & fratrum nostrorum aures eorum aliqui jam multis acclamationibus impleverunt; ex quibus perpendimus evidenter, quod qui via pari non ambulant, parem sibi finem præstituunt, & diversas habentes facies, caudas habent invicem colligatas. Aliqua tibi scribenda duximus, quæ prudentiæ nostram intentionem aperient, & te nihilominus dirigent in agendis. Quosdam siquidem ex eis invenimus, qui cùm bene se olim habuerint, & modernis tandem temporibus plura commiserint execranda, compensationis auxilio satagunt excusare commissa. Sunt & nonnulli, quibus nulla temporis ratio suffragatur, sicque petunt misericordiam invalescere, ut prostrata cadat justitia. Sunt & alii qui suas insolentias & excessus excusare nituntur ex defectu subsidii, & impotentia resistendi. Sunt & quidam qui diei pondus portaverunt & æstus, & in fidei suæ præmium quicquid habent de bonis Ecclesiæ sibi jure perpetuo reputant acquisitum. Nos sanè circa primos attendimus quod infidelitatis & fidei nulla recipitur compensatio, alioquin illa sententia Domini reproba videtur, per quam voce prophetica diffinivit virum justum se à sua justitia avertentem, sic æternæ supplicio mortis obnoxium, ut in oblivionem transeant omnes ejus justitiæ præcedentes. Inficiari tamen nolumus, quin cum tali agendum sit mitius, si de pœnæ judicio temporali agatur, nisi facti posterioris enormitas bene gestis in tantum præponderet, ut judex justius ad rigorem quàm ad clementiam moveatur. De secundis verò tenemus quod sanctæ memoriæ magnus doctor Ecclesiæ & in numero sanctorum non modicus prælatorum providus eruditor, edocuit scribens inter cetera, sicut nosti, quod disciplina vel misericordia destituetur, si una sine altera teneatur: nec decet repetere singula quæ adnectit sacræ scripturæ fidelissimis testimoniis roborata. Illos autem licet forsitan à tanto, non tamen à toto credimus excusabiles, vel in totum, quos in tertio nostræ distinctionis loco posuimus, cùm sit patens illa canonicæ veritatis auctoritas, qua cavetur melius esse omnia mala tolerare, quàm malo cuilibet consentire: quamvis multi excusationes in peccatis quærentes, ponere consueverunt in causa non posse, cùm sit verius in occasione non velle. Verùm de nostris fidelibus hoc concludimus, quod licet fecerant quod debuerunt, quia tamen non ab eis eam perfectionem exigimus, ut juxta Domini nostri JESU-CHRISTI doctrinam servos se debeant inutiles A reputare, dignos fatemur gratia, dignos præmio: sed de spoliis matris suæ ac Dominæ eos omnino non credimus (a) impinguandos, cum quibus satis agitur gratiosè, si eorum quæ multis temporibus perperam usurpata cum suarum animarum discrimine possederunt, dimissis fructibus jam perceptis, & occupationis injustæ nihilominus culpa remissa, ad Ecclesiæ nostrumque Dominium nuda possessio revertatur. (a)

His igitur instructus regulis, nostræque conscius voluntatis, procede viriliter & potenter, B justum te omnibus exhibens, misericordiam non omittens, judicem æquum omnibus, & cùm expedire id videris, bene meritis gratiosum. Ad hanc tamen gratiam inclinare te nolumus, ut apostolicæ sedis castra vel loca alia quibuscumque personis, quorumcumque meritorum obtentu concedas, vel etiam ab eis usurpata dimittas. Si qui tamen referunt controversiam, & de jure suo confidunt, tu sicut fidelis & prudens ex officio sine figura judicii, & cum omni mansuetudine de plano jus examina possidentium, C & decernens quod justum fuerit, habens præ oculis solum Deum. Demum si qui non juribus innituntur, sed viribus; & tu vires Ecclesiæ vice versa non differas (b) aperire: privans prius omnibus privilegiis contumaces, & utroque gladio jus nostrum prosequere, quod tanto tempore neglectum extitit vel ablatum. Nec te terreant clamores appellantium, sed nec munerum latores: quotquot enim ad nos excesserint proclamantes injustè, sicut vacui venerint, ita vacui revertentur: & si suas voluerint jactare D pecunias, eis utique eas dabunt, quorum preces, quorum præsidia sibi comperient non prodesse. (b)

EPISTOLA CCLXVI.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Terræ sanctæ subsidium prosequendum scribit.

QUi verbum olim abbreviatum fecerat super Anno 1266 E terram, abbreviato jam opere Siciliæ regni, negotium, quod multis impossibile, cunctis ferè difficile videbatur, feliciter & salubriter & utiliter expedivit, dato regno in manu carissimi in Christo filii nostri C. regis illustris cum peremti jam hostis uxore, liberis, & thesauro. Cùm sit à modo ad terræ sanctæ subsidium laborandum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus à crucis prædicatione desistens, prædicantes crucem in ejusdem terræ præsidium prosequaris, eisdem totiens auxilium F in consilium præbiturus, quotiens fueris requisitus, quibus nihilominus eos prævenias, cum id cognoveris opportunum. Datum Perusii XVIII. calendas Martii anno II.



(a) Al. Expurgandos. (b) Al. Experiri.

EPISTOLA CCLXVII.

Dilecto filio nobili viro comiti Pictaviensi & Tolosano.

Subsidia ei nulla administrare posse.

Anno 1266 NOvit Altissimus cujus oculis nota sunt omnia & aperta, quod satis anxiamur in nobis, quia viam invenire non possumus ad subsidium competens pro terræ sanctæ præsidio tuæ nobilitati, quam sincerè diligimus, ministrandum. Circumspeximus etenim regiones, nec invenimus ubi pedem figere valeamus. Nam Angliam regi suo multis attritam molestiis, exhaustam sumtibus, dudum decrevimus subvenire. Francia verò, ut nosti, pro regno Siciliæ triennali gravata est decima, nec gratuitas preces reciperet, nec præceptum si fieret, æquanimiter toleraret. Hispania suis regibus distributa, nec sibi nec eis sufficit. Alemannia variis lacerata scissuris languet & deficit; & cum magni sit supercilii, nec tibi, nec alii exteræ nationi aliquatenus subveniret. Inspeximus iterum congregatam pecuniam de centesimâ multipliciter esse distractam, & quibusdam certam partem pecuniæ jam solutam, aliis in tempore promissam, aliis sedi apostolicæ reservatam. Unde quid habeat in residuo ignoramus. Tu tamen cum carissimo in Christo filio nostro illustri rege Franciæ fratre tuo, & venerabili fratre nostro archiepiscopo Tyrensi diligenter inquiras, an inde tibi possit aliquod amminiculum ministrari; quod cùm scierimus, libentissimè faciemus quod Deo gratum & utile tibi videbimus, si proponis in brevi succurrere dictæ terræ, quam timemus vix posse subsistere, nisi sibi celerius succurratur. Non igitur nobis imputes, si tuis petitionibus non annuimus, quas sine gravi scandalo nequaquam exaudire possemus, quod utique probatione non indiget, cùm omnibus se exhibeat rei veritas manifesta. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCLXVIII.

Archiepiscopo Tyrensi.

Permittit ei ad Tyrensem se ecclesiam recipere.

Anno 1266 DUm labores intendimus quos subiisti, dum evolvimus onera quibus humeros subjecisti, ut terræ sanctæ necessitatibus subvenires, prout à felicis recordationis URBANO papa prædecessore nostro & à nobis postmodum receperas in mandatis, & tuis congaudemus profectibus, & fragilitati compatimur, quam licet ex primaria complexione contractam laborum succedentium aggravasset instantia: anxit tamen, ut tuæ prætendunt litteræ, quartana superveniens; quæ prout scribis, vires tuas exhauriens, te minus idoneum effecit ad ea quæ cœ-


A peris prosequenda. Sanè quia postulas tamquam emeritus à nobis liberaliter indulgeri, ut onere tanto deposito, ad Tyrensem possis ecclesiam remeare, diem ibi, si Deo placuerit, clausurus extremum: Nos tuis, ut decet, desideriis annuentes, fraternitati tuæ quod petis duximus indulgendum, tali tibi prius substituta persona, quæ ad exequendum tibi commissum officium, tam tibi, quàm carissimo in Christo filio nostro regi Franciæ illustri ad id idonea videatur: B quam cùm elegeris, nobis protinus scribas, & tibi datas indulgentias, quæ contingunt negotium nobis mittas, nosque protinus negotio providebimus de eadem; tu verò interim sicut poteris saltem per alios Dei negotium exequaris. Datum Perusii XVIII. calendas Maii anno II.

EPISTOLA CCLXIX.

Dilecto filio Ermengaudo de Melgorio militi.

C *Laudat in eo sæculi fugam.*

QUæris à nobis consilium, quod apud te rectius poteris invenire. Si enim Dominus inspiravit, relicto sæculo, vitæ frugem appetere melioris; Dei spiritum, sicut non possumus, sic nec volumus prohibere; præsertim cum filium habeas bene disciplinatum, ut credimus, qui tuæ sciet domui providere. Quod si proposito D non mutato sciscitaris ulterius, quem tibi ex fratrum Prædicatorum & Minorum ordinibus præeligendum credamus; id præcipuè conscientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu scire potes utriusque ordinis observantias, quæ non sunt pares in omnibus, & in diversis articulis excedentes sunt, & excessæ. Alteri quidem istorum ordinum lectus est durior, nuditas gravior, & ut nonnulli judicant, paupertas profundior: & alteri cibus parcior, longiora jejunia, &, ut quamplures asserunt, severior disciplina. Neutrum ergo neutri præferimus; sed in una & in E illa altissima paupertate fundatos ad unum tendere credimus, salutem scilicet animarum, & ideo sive hunc, sive illum elegeris, artam viam aggrederis, & per portam intrabis ad terram mellifluam & præ ceteris spatiosam. Unde hæc apud te pondera, hæc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quem tu speres melius portaturum. Sic uni conversatione adhæreas, ut amore ab altero non recedas. Frater enim Prædicator est reprobus, qui Minores non dilexit: & execrabilis frater Minor, qui vel odit F Prædicatorum ordinem vel contemnit. Datum Perusii XIII. calendas Maii anno II. Anno 1266



EPISTOLA CCLXX.

Dilecto filio Petro Raymbaldo de Carumbo.

Scribit ei à quo cingulum militiæ recipere debeat.

Anno 1266 JAm sero super tua militia, super quo scilicet cingulum militare recipias, nostrum consilium requisisti, & licet ab hujusmodi quæstionibus nostrum animum dudum averterimus, utpote posteriorum obliti, in anteriora protendimus, & majora; ne tamen reputes te contemtum, & jam penitus oblivioni traditum, tibi breviter respondemus, quod inter vicinos (a) nobiliores tibi crederemus utilius à domino Narbonensi recipere. Quod si in magnis ambulas, & ad regum aspiras palatia, quod magnæ prudentiæ non adscribimus; esset tibi consultius, ut putamus, ad illustrem regem Aragonum declinare. Ad nullum tamen nostras expectes litteras seu preces. Quæstam enim quam pro nobis non facimus, pro aliis quantumcumque nobis conjuncti fuerint, minimè faciemus. Datum Perusii XIII. calendas Maii anno. II.

EPISTOLA CCLXXI.

Episcopo Albanensi.

Ut inquirat de receptoribus auri Manfredini.

Anno 1266 STatum nostrum & fratrum prosperum per Dei gratiam esse noveris, & jam egressi Perusium venimus Urbem-veterem, citò, favente Domino, Vitterbium ingressuri, & si cum creditoribus nostris Romanis convenire poterimus, ad Urbem vita comite hieme proxima transferemur. Sanè quia utile multum est subditorum nostrorum non tam vultus quàm voluntates agnoscere, saltem exterioribus conjecturis; & carissimus in Christo filius noster CAROLUS illustris rex Siciliæ, prout fertur, in quaternis suis inveniat qui fuerunt in patrimonio & Tuscia & aliis Italiæ partibus auri Manfredini retractis temporibus receptores, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cum dilecto filio ROBERTO DE BARO super hæc familiariter conferas, & si quid invenire potueris, saltem de patrimonio nostri aut (b) Marchiæ nostræ hominibus, quid, quantum, & per cujus manus receperint rescribere non postponas. Verùm quod sæpe experti sumus eorum, qui pro eodem rege in Urbe morantur, improbitatem in nostros, ex quo præsumimus quod facile Beneventanos molestarent; volumus & mandamus, quatenus eorum quieti provideas, & à rege, suis ballivis, & justiciariis omnibus inhiberi procures, ne (c) quicquam sibi auctoritatis aut jurisdictionis, aut præcepti cujuslibet in eis usurpent, & tu nihilominus contrarium attentantes excommunicationis protinus mucrone percellas. Nam qui eos tetigerit, pupillam oculi nostri tangit, nec æquanimiter tolerabimus, si hoc nostrum modicum patrimonium contra tantarum conventionum fœdera molestetur. Dilectus filius noster J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconus cardinalis adhuc in renibus suis patitur, sed melius habens solito, subjacere discrimini non censetur. Datum apud Urbem-veterem VIII. calendas Maii anno II.

(a) Al. Nobis. (b) Al. Patriæ nostræ.
(c) Al. Quisquam.

EPISTOLA CCLXXII.

Episcopo Albanensi.

De inquisitione facienda de objectis Firmano episcopo.

NOsti super gravem infamiam dudum contra Firmanum exortam episcopum: qui tamen super universis & singulis, super quibus infamatus extitit, ponens mendacium, ut videtur, spem suam, negat omnia sigillatim. Unde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum comitibus & aliis familiaribus quondam M. principis Tarentini diligenter inquiras, an idem episcopus in curia fuerit personaliter dicti nobilis, & an nuncios vel litteras ei miserit, & quæ invenire potueris scribas nobis. Oneri enim est nobis, & multum turbabimur, si veritas de tali homine tanto tempore publicata ex solo probationum defectu succumbat, quem si possemus credere innocentem, dimitteremus cum gaudio absolutum. Datum apud Urbem-veterem VIII. calendas Maii anno II. Anno 1266

EPISTOLA CCLXXIII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

Ipsius prudentiæ relinquit quomodo se debeat gerere erga Anconitanos.

LIcet interdum materiam opus superet, in operibus tamen justitiæ sic videtur materiæ qualitas attendenda, ut intra reorum merita ex æquitatis interdum moderatione subsistat, potiusquam ultra conantibus liberis evagetur, nisi forsan multis grassantibus sit opus exemplo, & rigor in aliquibus inflexibilis ausum in aliis reprimat delinquendi. Harum autem varietatem causarum ille solus examinat plenius & discernit, qui sensibiliter palpat negotium, & corporaliter intuetur, quem experientia erudit, cui nulla doctrina similis, quibuscumque vivæ vocis vel mortuæ adminiculis adjuvetur. Tu ergo, dilecte fili, sicut alias tibi scripsimus, qui sensisti Anconitarum aculeos, qui probasti eorum insidias, longè potes procedere confidentius, quam nos tibi consulere, quid vel qualiter agere Anno 1266

debeas cum eisdem. Et idcirco tuæ prudentiæ te committimus, de quo planè confidimus, quod personarum & rerum circumstantiis evolutis, & servabis justitiam misericordia non contemta, & flectetur misericordia, non calcata justitia nec sepulta. Datum apud Montem Flasconis III. calendas Maii anno II.

A

EPISTOLA CCLXXIV.

Dilecto filio O. sanctæ Mariæ in Via-lata diacono cardinali.

B

Erga Guidonem Novelli paterna viscera non esse claudenda.

Anno 1266 LIcet comitem GUIDONEM NOVELLI ad mandata nondum duxerimus admittendum, qui gravius ceteris nos offendit, & illius hominis pestilentis, quem subduxit Deus de medio, principaliter vices gessit: quia tamen finaliter sinum paternæ non clausimus pietatis, credimus expedire, quod ex parte ipsius nihil fiat, quoad gratiam difficilius admittatur. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, prout honestius poteris, satagas & procures, ut filios Petri Tholomei, castra etiam quæ tenet in Lucanam diocesim ad imperium pertinentia in aliam viam non transferat, ut quæ suis non obtinet meritis, assequi valeat alienis adjutus. Datum Vitterbii II. calendas Maii anno II.

C

D

EPISTOLA CCLXXV.

Consulibus villæ Montipessulani.

Commendat eis Lucanos.

Anno 1266 DIlectis filiis consulibus villæ Montispessulani salutem & apostolicam benedictionem.

Clara devotio communis Lucanorum meruit ab antiquo, ut favorem apostolicum in suæ civitatis suorumque civium utilitatibus promovendis inveniat propitium, favorabilem & benignum, nec super eo quod hactenus colla sub persecutoris Ecclesiæ, qui tunc erat, jugo flexerunt, possunt rationabiliter inculpari, cùm ad hoc eos deduxerit extrema necessitas, non voluntas. Unde cùm ad mandata nostra & Ecclesiæ devotè rediverunt, nosque ipsos & civitatem eamdem, ac ipsorum bona sub nostra & ipsius Ecclesiæ protectione duxerimus admittenda; universitatem vestram rogamus & hortamur attentè, quatenus mercatores ipsius civitatis in terra & districtu Montispessulani tam in personis quàm in bonis eorum habeatis favorabiliter commendatos: ita quod dignoscentur sub vestræ defensionis præsidio confoveri, vestraque devotio possit exinde meritò commendari. Datum Vitterbii II. calendas Maii, Pontificatus nostri anno II.

E

F

EPISTOLA CCLXXVI.

Dilecto filio J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano apostolicæ sedis legato.

Ut sanitati conservandæ invigilet.

A Perusio venientes Vitterbium, cum de tuo statu requirimus, quem quanto desiderio fore prosperum multo tempore cupiamus, novit ille qui cordium non ignorat occulta; varia nobis referunt, non quod aliter de te sentiant hi & illi, sed quod tu medicis operantibus, tu fratribus assistentibus, tu pueris obsequentibus, & de tua convalescentia validè præsumentibus, licet in omnibus breve sentiant & consentiant, non assentis: & quamvis poëta scripserit, *Et sum quam medico notior ipse mihi*; ubi tamen exterius prominent manifestè, seque sensui efferunt proximæ sanitatis indicia, non oportet infirmum sic sequi propriæ æstimationis arbitrium, ut morbum adjuvet, naturamque debilitet, cùm plerique, dum æstimant, faciunt se infirmos. Tu ergo, fili carissime, diligenter advertens, quanta sit nobis tuisque fratribus, imo verius toti curiæ, tuarum communio passionum, tuam Domino prærordinanti salutem cooperator assistere: & quia, quod lætanter accepimus, in ipsis afflictionibus corporalibus propter Dominum hilarescis, gaudeas nihilominus, si ut ei diutius milites, Deus porrigat dies tuos, qui quamvis bonorum tuorum non egeat, eget utique ejus vicarius, indigent & cum ipso qui in partem suæ sollicitudinis sunt vocati, quam tu cum aliis prosequendo, & majus meritum in præsenti, & in futuro præmium assequaris. Vivificet te Dominus, conservet, fili carissime, diesque tuos in multa tempora producat, ad gloriam sui nominis & patris & fratrum gaudium & profectum Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Vitterbii VI. nonas Maii anno secundo. Anno 1266

EPISTOLA CCLXXVII.

Dilecto filiis consilio & communi Lucano.

Ut Guidonem Guerram suæ civitati præficiant.

QUàm fideliter, quàm constanter dilectus filius noster, nobilis vir GUIDO GUERRA comes Palatinus Tusciæ turbationum tempore se habuerit, quæ fideles Ecclesiæ multipliciter afflixerunt, cùm sit notum finitimis & remotis, nobis notius esse non potest: inter quos, sicut nostis, diutius conversatus, se nobiscum periculis multis exposuit, & honorem nostrum, ut credimus, quantum scivit & potuit procuravit. Sanè cùm ad rempublicam gubernandam illi sint aliis præferendi, quorum fides est cognita, quorum industria comprobata, universitatem vestram rogandam duximus & hortandam, quatenus eumdem nobilem, quem affectu sincerè prosequimur, ad civitatis vestræ regimen assu- Anno 1266

mere vobis placeat, qui & utilitati vestræ prospicere sciet & poterit, & in apostolicæ sedis gratia eò propensius conversare, quo in nostris & fratrum nostrorum oculis gratis obsequiis & continuis se magis reddidit gratiosum. Datum Vitterbii VIII. Idus Maii anno secundo. A

EPISTOLA CCLXXVIII.

Dilecto filio O. Sancti Adriani diacono, cardinali apostolicæ sedis legato.

De rebus Anglicis, & de felici successu Caroli Siciliæ regis.

Anno 1266 LItteras tuas pluries recepimus statum Angliæ describentes, & has novissimè, quæ multa circa eamdem dubia continebant, sed habebant interclusam cedulam, quæ concordiæ reformandæ inter regem & maris latrunculos spem aliquam præferebat. Sed & processus continebatur in littera quem habueras contra Londoniensem & Cicestrensem episcopos, contra duos alios post resurrectionem Dominicam processurus. Sanè confidimus in Domino & omnipotentia virtutis ejus, quod qui tibi hactenus astitit, non te deseret in futurum, & inchoatum feliciter reformationis terræ negotium (a) ad quam te misimus, licet tua satis amaro animo præsentia caruerimus, longè felicius consummabit. Numquam ergo te scandala terreant magna pondere, vel multa numero, si te causam non dante consurgant. Nam qui ventis & mari imperat, fulgura in pulverem faciens, & procellam in auram statuens, dabit quieta tempora sublato turbine, & tempestate repressa. Ecce apud nos illæ maris elationes mirabiles siluerunt, prostrata superbia, quæ cælum vertice tangere videbatur. Carissimus C. rex Siciliæ illustris tenet pacificè totum regnum, illius hominis pestilentis cadaver putridum, uxorem, liberos obtinens & thesaurum. Marchia ad nos rediit. Florentini, Pistorienses, Senenses & Pisani ad mandata venerunt. UBERTI PELAVICINI & Placentinorum habemus nuncios, & Cremonensium expectamus, qui volunt facere illud idem, & de Januensibus aliquam spem habemus. Alia tibi non scribimus expectantes (b) Theodisium, quem in proximo scripsisti venturum. Citationem carissimi in Christo filii nostri Richardi in regem Romanorum electi cum omni diligentia facias. Nam expedit modis omnibus imperii negotium terminari, cum multi laborent ad CORANDINUM præficiendum eidem, quod quanti posset esse discriminis ipse vides. Datum Vitterbii VIII. Idus Maii anno II.



(a) Al. Ad quod. (b) Al. Theodosium. Al. Thesium.

EPISTOLA CCLXXIX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Rogerium & Grimaldum exules ipsi commendat.

VEnerabilis frater noster patriarcha Hierosolymitanus ROGERIO & GRIMALDO regni exulibus nobilibus domicellis de conversatione laudabili in partibus transmarinis perhibens testimonium, nobis recommandavit eosdem, & ut tibi recommendaremus rogavit. Quocirca tuam rogamus sinceritatem attentè, quatenus indagata eorum origine & fide parentum pariter & ipsorum, cum personæ sint satis amabiles ex aspectu, eis te exhibeas favorabilem, quantum honestas & justitia patientur. Anno 1266

EPISTOLA CCLXXX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Archiepiscopum Salernitanum ipsi commendat.

ACcedentem ad tuam præsentiam Venerabilem fratrem nostrum M. Salernitanum archiepiscopum, natum in regno, probatum in cursu, scientia magna præditum, & morum honestate conspicuum pro nostra & sedis apostolicæ reverentia, benignè suscipiens, fidem ei indubitatam habeas super omnibus quæ ex parte nostra tibi duxerit proponenda. Anno 1266

EPISTOLA CCLXXXI.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Commendat ipsi Philippum de Marcerio.

DIlectus filius nobilis vir PHILIPPUS DE (c) MARCERIO tamquam Ecclesiæ Romanæ devotus & regiæ serenitati fidelis, à servitio MANFREDI quondam principis Tarentini persecutoris ejusdem Ecclesiæ se retraxit, & priusquam ad partes istas regalis exercitus pervenisset, idem nobilis super excommunicationis sententia, quâ prætextu dicti MANFREDI tenebatur astrictus, meruit per sedem apostolicam absolutionis beneficium obtinere, nec intelleximus quod postmodum recidivum passus extiterit, adhærendo dicto M. vel ei favorem aut auxilium impendendo. Unde cum ipse regia mandata facturus, ad præsentiam tuam, sicut asserit, venire disponat, & nonnullos habeat inimicos, à quibus sibi, cum potentes existant, expedit præcavere, celsitudinem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus de securo con- Anno 1266

(c) Al. De Macerio.

ductu

ductu provideri facias, & aliàs ipsum cum tuo se conspectui præsentabit, benignè recipias, & favore benevolo prosequaris; ita quod à tui aspectus serenitate lætatus, gaudeat regalem excellentiam sibi propitiam invenisse.

EPISTOLA CCLXXXII.

Dilecto filio vicario Urbis & Consilio generali.

Revocat etiam bene facta præter suam voluntatem à Guidone de Pileo.

Anno 1266 DIlectus filius GUIDO DE PILEO Suessionensis archidiaconus & patrimonii nostri rector, commissam sibi nuper provinciam visitans, in aliquibus municipiis ab eorumdem incolis fidelitatis, quam Romanæ debent Ecclesiæ, juramenta recepit, & ex zeli cujusdam fervore quodcumque aliud juramentum Romano populo vel cuilibet alii præstitissent, abjurare fecit eosdem. Licèt autem, si hoc ipsum quod fecerat ad judicii traheretur examen, posset justitia mediante defendi: nos tamen diligentius attendentes, quod à nobis receperat in mandatis, nihil prorsus insolitum aggredi sine nostra licentia speciali, illiúsque memores sanctionis, quæ non laudat industriam militis, qui rem fecit à duce prohibitam, quantumcumque rem bene gesserit, sic abjurationem hujusmodi ratam habere nolumus, immo ex causa prædicta eam duximus revocandam, eos qui eam fecerant quoad dictæ abjurationis articulum à juramento præstito absolventes. Datum Vitterbii IV. Idus Maii anno II.

EPISTOLA CCLXXXIII.

(a) Dilectis filiis fratribus Lotaringo & (a) Cathalano ordinis militiæ Virginis gloriosæ.

Ut civitatis Florentinæ regimen assumant.

Anno 1266 SI sæcularibus implicari negotiis abhorretis, qui quondam sæculo, sed nunc Domino militatis, laudamus propositum & religiosum commendamus affectum. Scire tamen vos volumus, quod religio non deseritur, sed fovetur, si ad ejus qui jubere potest imperium à mundanis tumultibus avulsus animus ad eosdem pro tempore non amandos, sed potius tolerandos, pro salute reducitur proximorum. Cum igitur civitas Florentina, quæ dudum peccatis exigentibus effloruerat, reflorere nostris temporibus videatur, ne, quod absit, novi flores emarceant ex defectu regiminis non suspecti, multorum judicio tam intrinsecis quàm extrinsecis civitatis ejusdem civibus utile videatur nostro regi consilio civitatem, nostraque saltem ad tempus aliquod providentia gubernari: discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatinus dictæ regimen civitatis assumentes, ad præsens in pace & justitia gubernetis eamdem, donec ei, quam ad antiquam, favente Domino disponimus unitatem, provi-

A deatur aliter, inter cives pace salubriter reformata. Datum Vitterbii IV. Idus Maii anno II.

EPISTOLA CCLXXXIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut factam canonice abbatis S. Genovefæ electionem confirmet.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero Anno 1266
B cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cunctas ecclesias, ad quarum sollicitudinem quotidiana nos urget instantia, & religiosas maximè, quæ potiori suffragio indigent, tenemur diligere juxta nostri officii debitum, ac fovere. Sed quamquam hujusmodi debitum ad singulas easdem ecclesias exsolvere cupiamus, ad monasterium tamen S. Genovefæ Parisiensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Augustini attentiùs nostræ mentis
C oculos dirigentes, in his quæ ipsius deposcit utilitas tantò propensiùs provisionis nostræ vigilantiam adhibemus, quantò artiùs illud nobis vicissitudo caritatis astringit. Nam præter id quod monasterii ejusdem, quod superiorem alium quàm Romanum non habet Pontificem, specialior imminet nobis cura, dum ingentis in personis ibidem degentibus sinceræ devotionis obsequia, quibus frequenter in nostram venientibus memoriam, personæ ipsæ nobis tunc in minori adhuc officio constitutis, & trahentibus
D ibi moram, ac insuper nostri contemplatione familiaribus nostris se multipliciter acceptabiles reddiderunt; honestatis quoque ipsius loci merita recta consideratione attendimus; dignum utique reputamus, ut amplis idem monasterium in sinu nostro favoribus foveamus, nec ab illius necessitatibus, prout nec debemus, etiam ullatenus avertamus faciem, quin secundùm quod loci & temporis suaserit qualitas, nostræque possibilitati à superna concessum fuerit clementia, eidem circa id de opportunæ subventionis
E remedio consulamus. Proinde sanè processit quod per obitum THEOBALDI abbatis præfati monasterii, qui apud sedem apostolicam, ad quam personaliter accesserat, per universæ carnis semitam de sæculi hujus nuper eductus fuit nequitia, monasterio eodem abbatis solatio destituto, licèt ad ipsius ordinationem possemus procedere, si prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigia sequeremur: suggerente tamen dilectionis affectu, quo dilectos filios priorem & conventum
F prædicti monasterii velut peculiares filios ipsumque monasterium complectimur: suadente præterea illa quæ de sinceritate ipsorum nobis consurgit fiducia, quòd ipsi videlicet qui personarum & loci conditionum habent notitiam, privatis, ut convenit, postpositis commodis ad publicum ipsius monasterii bonum, quod ex ejus procuratur provisione salubri, efficaciter intenderent, eis in hac parte benignè & favorabiliter deferentes, potestatem providendi præli-

(a) Al. Et Thainano.

bato monasterio de abbate, per electionem tamen canonicam, devotioni eorumdem prioris & conventus de mera gratia reservamus, ipsos rogantes, monentes attentius & hortantes, ac eis per nostras litteras nihilominus injungentes, ut ad unitatem & concordiam, divisione summota qualibet, suos animos præparantes, talem sibi eligant in abbatem, qui oneri hujusmodi congruat & honori. Cùm igitur monasterii præfati expensis & laboribus parcere cupiamus; tibi, cujus desideria circa fructuosam ipsius ordinationem monasterii cum nostris credimus votis concurrere, per apostolica scripta mandamus, quatinus si electionem quam de abbate inibi celebrari, tibique præsentari contigerit, inveneris de persona idonea canonicè celebratam, illam apostolica auctoritate confirmans, facias eidem obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, ac munus benedictionis impendi. Recepturus ab eo postmodum pro nobis & Romana Ecclesia fidelitatis solitæ juramentum juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin ea ritè cassata, rescribas nobis fideliter quidquid exinde duxeris faciendum ut eidem monasterio, cujus provisionem nobis duximus reservandam, providere de persona idonea salubriter, auctore Domino, valeamus: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Formam autem juramenti, quod ipse præstabit, de verbo ad verbum nobis per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Datum Viterbii III. Idus Maii Pontificatus nostri anno II.

FORMA JURAMENTI.

Ego abbas monasterii S. Genovefæ parisiensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Augustini ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo papæ Clementi, suisque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium verò quod mihi credituri sunt per se aut per nuncios suos sive per litteras ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina singulis bienniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones verò ad meum monasterium pertinentes non vendam, neque donabo, neque inpignorabo, neque de novo infeudabo, aut aliquo modo alienabo, inconsulto Romano pontifice. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta evangelia,

EPISTOLA CCLXXXV.

Dilectis filiis J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano, J. S. Mariæ in Cosmedim, M. S. Mariæ in Porticu diaconis cardinalibus.

Scribit eis de tribus quæ ab ipso petebat rex Siciliæ.

Anno 1268

Venientes ad nostram præsentiam solemnes nuncios carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris benignè recepimus, & audivimus diligenter; qui præmissis excusationibus de sua missione dilata, tria finaliter petierunt, quæ communi fratrum consilio indigere ratione multiplici videbantur. Primum fuit, ut cùm non tam ipsi, quam imposito sibi negotio, & Ecclesiæ Romanæ per consequens, esset omnimodis necessarium adhuc Urbis dominium ab eodem rege diutius obtineri, super hoc taliter provideremus eidem, ut sine perjurii, excommunicationis, & aliarum pœnarum discrimine posset de gratia speciali ad tempus aliquod obtinere senatum. Secundum fuit, ut de quinquaginta millibus marcharum, ad quorum se solutionem adstrinxit ei gratiam faceremus. Tertium, ut daremus ipsi consilium qualiter erga Saracenos Luceriæ se haberet. Cumque vestram causaremur absentiam, & ipsi è contrario moram intolerabilem allegarent, nos habita collatione cum fratribus, licet nihil fixum sine vobis respondere vellemus, quia tamen importunitate petentium urgebamur, circa primum articulum eis respondimus, quod via nobis provisionis hujus non patebat. Aut enim rex ipse sibi providerat, senatu, ut decuit, resignato; aut de hoc non curaverat. In primo casu, cùm senator esse desiisset, & senatum resumere, salvo juramento, non posset, nisi ei nostra prodesset delatio, etiamsi liceret resumere, esset denuo eligendus; & si eum eligi iteratò contingeret, juramentum quod de non resumendo præstiterat, obstaret eidem. Quod si nondum senatum dimiserat, & ex hoc in reatum perjurii, & sententiam excommunicationis inciderat, non fuisse quod fuerat minimè facere poteramus.

His autem auditis, concorditer adjecerunt, quod cùm ad nos de jure pertineret senatus, ipsum ad tempus secretò concederemus eidem. Ad quod respondimus, quod cùm Romanus populus in possessione jam sit, & dudum fuerit ordinandi senatum, à possessione hujusmodi, quantumlibet sit injusta, causa non cognita, nec interpellatione præmissa, dejicere non debebamus eumdem, nec nostram decebat, nec etiam regiam honestatem, pro Romanis eum tenere publicè, quod à nobis accepisset occultè, ut de periculis taceamus, quæ ex duplicitate hujusmodi tam nobis quam ipsi poterant provenire. Post verò ejusdem regis litteras nobis & nostris fratribus ostenderunt, quas ad populum Romanum destinabat, inter cetera continentes, quod cùm Romana Ecclesia ad se de jure dispositionem diceret pertinere senatus, nec scan-

dalizare matrem volebat, ſenatum reſignabat A eumdem, rogans ipſos, ne ipſi matrem ſcandalizarent, ſed hoc potius haberent acceptum. Et quamvis ſeries litterarum provocativa magis quàm repreſſiva ſcandali videretur, tamen per verba hujuſmodi ſuper reſignatione ſenatus, & ſuper inductione civium Romanorum, quam ipſe promiſerat, ad plenum ſatisfacere ſe credebat, quamvis dicti nuncii moram aliquam Romæ traxerint, & adhuc officiales regis in ſuis officiis perſeverent. Et nos nunciis patenter diximus, quod verbalis reſignatio, facto manente con- B trario, regem à pœnis & à periculis minimè liberabat. Scireque vos volumus, quod poſt reſignationem prædictam diverſas litteras nobis miſit, in quibus ſe more ſolito almæ Urbis ſenatorem appellat. De primo igitur articulo facto tranſitu ad ſequentes, ſub obtentu veſtri habendi conſilii, reſpondere diſtulimus; dilectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus tam ſuper iis quæ circa primum ſupplendum quàm ſuper his quæ in duobus aliis duxeritis conſuſilenda, quod vobis viſum fuerit per latorem C præſentium ſine moræ diſpendio reſcribatis. Expectant enim reſponſum nuncii, ut ſciant quid oporteat regem agere in præmiſſis. Datum Viterbii Idus Maii anno II.

EPISTOLA CCLXXXVI.

Dilecto filio abbati monaſterii S. Ægidii.

Ut reformationi monaſterii incumbat.

Anno 1266 SI vocationem tuam attenderis, ſi vocantis intuitum & affectum, grandem tibi proſpi- D cies neceſſitatem incumbere, ſic commiſſæ tibi regimen abbatiæ non ad oculum ſed ſincerè tractare, ut in abbatis officio nominis impleas intellectum, patrem te ſubjectis exhibens & paſtorem. Satis equidem hactenus luminoſus videri conſueveras, & notare magnos ac multos in monaſterio tuo deffectus circa monaſticæ diſciplinæ cenſuram. Nunc gradum altiorem adeptus, ne forſitan ea non videas quæ videbas, vel non videre te ſimules quæ vidiſti; nec te putes in certis articulis non judicari ab aliis, E in quo alios judicaſti, ſicque te decet in omnibus agere, ut & prudentibus nullam ſcandali miniſtres materiam, & ignorantiam facias obmuteſcere hominum imprudentium. Generaliter igitur religionem ſervabis, & ab aliis facies obſervari, diligentius proviſurus, ut qui ordinem voluntariè non tenuerunt, ſaltem ab ordine teneantur inviti. Semper tamen in corrigendis exceſſibus & juſtè miſericors, miſericorditer juſtus eris. In eccleſiæ tuæ ſuperiori parte, quæ caput eſt omnium platearum diſpergi lapides F ſanctuarii minimè patiaris; quod profectò contingeret, ſi tuos monachos illuc aſcendere ſine cauſa, ibi currere & diſcurrere, videri pariter & videre, nugis & fabulis, cachinnis & riſibus occupari permitteres: quod quantorum cauſa malorum extiterit, quantæ fuerit diffamationis origo, ſciunt qui confitentium examinant conſcientias, ſciunt qui audiunt mala quàm bona libentius publicantes, ut ſanè brevior ſit epiſtola, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis illis quos in tuo credideris monaſterio zelum veræ religionis habere, collige quæ videris cum eiſdem ad reformationem ejuſdem ſufficere. Collige nihilominus, conſtitutionibus legatorum inſpectis, quæ non ſine animarum periculo negliguntur, ſi qua ſunt ibi quæ non expediat obſervari, & cùm hæc omnia nobis miſeris, & ſtatuenda firmabimus, & quæ viderimus reſecanda, ne ſint in laqueum & ruinam, tollemus. Demum ad juſtitiam in villa tenendam communibus oculis vigila, nec te des in partem parti, ubi de jure tractabitur, præferendam; ſed ad omnium labora concordiam, & coge ſpirituali gladio renitentes. Illos tamen ſemper plus diligas, quos à Deo plus diligi, & plus Deum diligere (a) certis indiciis (a) æſtimabis. Quid plura? Imple tibi creditum miniſterium in honorem divini nominis, & ſui ſanctiſſimi confeſſoris & noſtrum, ut qui de tuis fratribus, tibi forſan non imparibus in honore, hac vice prætulimus, tuis actibus comprobantibus, noſtrum de vultu Domini prodiiſſe judicium gaudeamus. Pudet autem inſerere tam ſolemni materiæ, quam noſtro patrimonio longo jam tempore tuus fecit prædeceſſor injuriam: cùm tamen nec in monaſterium, nec in eum nos meminimus adeo deliquiſſe, ut nobiſcum pro meritis tam crudeliter ageretur, quod Judæo forma juſtitiæ non neganda ſæpe nobis extitit denegata. Videre tamen volumus quid tu facies, & ſi duxeris continuandam injuriam, remedium forſan durius, juſtum tamen per omnia apponemus, cùm jus noſtrum dare non deceat nos ingratis.

EPISTOLA CCLXXXVII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini preſbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apoſtolicæ ſedis legato.

Ut Rainaldum civitatem Callenſem moleſtantem compeſcat.

QUàm ſit impudens & imprudens vel exceſſus vel conatus illorum, qui illos qui Anno 1266 poſt lapſum ad matrem piiſſimam Romanam Eccleſiam revertuntur, auſu proprio vel concutiunt, vel moleſtant, nulli veniret in dubium, qui vigorem judiciarium idcirco in medio intelligeret conſtitutum, ne quis ſine judicio ſibi ſumeret ultionem. Sanè dilectus filius vir nobilis RAYNALDUS à civitate Callenſi exaſperatus, ab olim cives civitatis ejuſdem, poſtquam ad matris gremium redierunt, bonorum ſuorum incendiis & rapinis, cum nonnullis ſuis complicibus ſæpe fertur aggreſſus; ſuper quo, cum jam pluries tibi ſcripſimus, noſtræ tamen non extitit paritum voluntati. Cum igitur te non deceat, quod pro noſtra & Eccleſiæ Romanæ reverentia fieri vel ſervari mandamus, proſequi perfunctoriè, vel totaliter præterire, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus

(a) Al. Cunctis.

tam eidem RAYNALDO, quàm aliis districtè A præcipias, ne civitatem dictam aut cives auctoritate propria molestare præsumant, sed id patienter expectet, quod circa indemnitatem eorum justitia suadebit, quæ celerius poterit expediri, cùm factam inquisitionem pro ipso & sibi adhærentibus ad stateram reduxeris æquitatis, inquirendo similiter contra ipsum, ut utriusque partis excessibus, vel alterius innocentia plenius intellectis, vel pax fiat liberius, vel eò securius, quò & certius jus dicatur. Quod si tuis noluerint parere monitis vel mandatis, B pœna subjecta doceat in nostris injuriis te offendi, teque præsumtione damnabili laborantibus in aliorum præjudicium non blandiri.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

Carissimo in Christo filio nostro L. regi Francorum illustri.

Certum eum facit de prospero statu suo & Ecclesiæ, de Angliæ, Hispaniæ, Germaniæ & Terræ sanctæ periculis.

C

Anno 1266 QUod de statu nostro certificari desideras adscribentes præscriptæ hactenus caritati, acceptum habuimus & habemus, & serenitati tuæ breviter rescribentes, quod homo noster exterior, licet quotidie corrumpatur, satis tamen se habet melius quam meruit, juxta nostræ conditionem ætatis, quàm multis circumveniri decet incommodis, multisque molestiis atteri, cùm sit prope interitum quod senescit. Sanè homo noster interior inter diversa fluctuans, D nunc videns prospera, nunc adversa, trahitur & distrahitur, & angustiis multis premitur; sed in eo figit anchoram spei suæ, qui sperantes in se non deserit, & humano consilio destitutos, (a) cum prostrati putantur elevat, mœrentes (a) erigens sospitate. Ecce per Dei gratiam Sicilia rediviva nuper à mortuis resurrexit. Ecce Tuscia, ecce Pelavicinus marchio cum Cremonensibus & Placentinis, & aliis partis suæ nobilibus ad ecclesiæ rediere mandata: de quorum constantia licet tenuem afferat confidentiam status E præteritus eorumdem, quia tamen non est nostrum judicium de occultis, aperuimus cum gaudio gremium redeuntibus, & gaudentibus angelis de unius pœnitentia peccatoris, in conversione tot millium congaudemus. Verum in nobis hanc quantumlibet magnam lætitiam interrumpit periculosus status Angliæ, periculosus Hispaniæ, periculosus Germaniæ, periculosior Terræ sanctæ, sicque risus dolore miscetur; sicque extrema gaudii luctus occupat, ut flere libeat, gaudere vix liceat; quamquam alternis vicibus F tam lacrymis quam lætitiæ contingat & oporteat nos vacare. Ceterùm scire volumus tuam magnitudinem, quod quamvis regnum nobile, plenum deliciis & divitiis acquisierit frater tuus; timemus plurimùm ne segnius quam oporteat terram custodiat acquisitam. Multos enim abire permisit, quos fuisset expediens tenuisse, qui sicut teneri non poterant sine donis, sic libenter astitissent eidem feudis decentibus (b) honoranti. Nec credas quòd nostra defuerit admonitio, quam utique & per litteras ei misimus, & in ore posuimus magnorum & fidelium nunciorum. Tu igitur, fili carissime, ex præmissis potes colligere statum nostrum, quem sicut prosperum scire desideras, sic nos tuum, quem conservet Altissimus, & ad meliora promoveat nunc & in tempora longiora. Datum Viterbii XVIII. calendas Junii anno II.

EPISTOLA CCLXXXIX.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Hortatur ut in negotio quod suscepit perseveret.

DUm tuum ac tibi commissi negotii statum dubium per tuas litteras intelligimus, & relatu percipimus aliorum, mens nostra rapitur in diversa, & quid è duobus eligere deceat vel expediat dubitamus. Patet siquidem universis, quod hoc tempore terram deseri, quam eamdem reformaturus intrasti, nihil aliud esset penitus, nisi totum everti negotium, regem, reginam, ac liberos tradi morti, & ecclesiæ Romanæ feudum tam nobile sine spe qualibet recuperationis amitti. Rursum te satis pavidum, ut videtur, & in castrum receptio, quod inhabitas, attestatur; exponere mortis discrimini, vel confusionis extremæ, non paternum in nobis sapere videtur affectum, sed crudelitati potius adscriberetur à multis. Sanè si veritatem sequimur scripturarum, ubi persecutio gravis urget, si persona quæritur, dicimus persecutioni cedendum; si fides impetitur, si justitia impugnatur, non est fugæ captandum præsidium, sed veritas tunc instantius prædicanda, ne nautam arguat recto judicio deserta navis in tempore tempestatis. Quod si quis dixerit hanc inesse nautis prudentiam, ut naves deserant, quas salvari non posse perspiciunt, maluntque sine ipsis propriæ saluti consulere, quam cum ipsis pari discrimini subjacere: nobis superest hæc responsio, quod navis Simonis in hoc differt ab aliis, quod quantiscumque fluctibus agitata finale naufragium non formidat. Inter hæc igitur, tibi, fili, te ipsum committimus, ipse respice, ipse judica quid tibi faciendum immineat, quid vitandum; si terram deseris, & sinistrum, quod absit, emergat, tibi totum ab omnibus imputabitur. Sed qui omnia novit Deus, & in sua dispositione non fallitur, tecum aget, prout merueris, patiens & misericors, justus tamen. Si remanseris & profeceris, cedet tibi ad meritum, nobisque & tuis fratribus ad gloriam & honorem. Si manseris & defeceris, aderit tibi Deus, cùm te forsan consumtum putaveris, velut lucifer oriens exultabis. Demùm non te in partem alterutram moveant verba nostra contra propriam conscientiam: magis enim diligentia scribimus quam urgentia. Tu verò in igne positus, flammarum vim experientiæ magisterio melius scire potes quàm nos, qui longè positi ea forte confidentia de pres-

(a) Al. Erigit.

(b) Al. Honorati.

ſuris loquimur alienis, qua de jejunio diſputat venter plenus. Ceterùm illud ſcias quod ad omnes litteras, quas diverſis nobis temporibus deſtinaſti, plenè tibi reſpondimus: an ad manum tuam pervenerint ignoramus. Epiſcoporum
(a) autem (a) judicia ſuſpendemus, donec de ſtatu tuo & regni pleniorem certitudinem habeamus.
(b) Datum Viterbii XVII. calendas (b) Junii anno II.

EPISTOLA CCXC.

Præpoſito & capitulo Vcetienſi.

Sententiam olim ab eo latam & ordinationem factam ſuper collatione beneficiorum confirmat.

Anno 1266 *Ex tabulario Uticenſis capituli.*

DIlectis filiis præpoſito & capitulo Eccleſiæ Uticenſis ordinis S. Auguſtini ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent & illibata perſiſtere, & ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur, apoſtolico convenit præſidio communiri. Veſtra ſanè nobis exhibita petitio continebat, quod vacantibus archidiaconatu & præcentoria eccleſiæ Uticenſis, Venerabilis frater noſter epiſcopus Uticenſis archidiaconatum & præcentoriam hujuſmodi, vobis irrequiſitis, contulit pro ſuæ libito voluntatis. Negotio itaque collationis hujuſmodi per appellationem ad Narbonenſem curiam devoluto, tandem partes ordinationi noſtræ, dum adhuc Narbonenſi Eccleſiæ præeſſemus, ſuper hoc & ſuper declaratione ſeu determinatione ſub qua perſonatus & beneficia ipſius eccleſiæ Uticenſis forent in poſterum conferenda, ſe ſubmittere curaverunt. Nos autem tunc juribus partium plenè diſcuſſis, negotium ipſum per quamdam ordinationem acceptatam ab eiſdem partibus duximus terminandum, prout in inſtrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, ordinationem hujuſmodi ratam & firmam habentes, eam ex certa ſcientia auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tranſcriptum autem ipſius inſtrumenti ſumtum de patentibus litteris venerabilis fratris noſtri epiſcopi Nemauſenſis & R. archidiaconi Poſqueriarum [in] eccleſia Nemauſi ſignatis eorum ſigillis propriis, nobiſque ut olim eis mandavimus deſtinatis, de verbo
(c) ad verbum præſentibus (c) firmius annotari, quod tale eſt. ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, ſcilicet II. calendas Martii, regnante LUDOVICO rege Francorum. Notum ſit univerſis quòd cùm venerabilis pater BERTRANDUS Uticenſis epiſcopus vacante nuper archidiaconatu Uticenſis eccleſiæ per mortem Raymundi de Buxedone archidiaconi Uticenſis eccleſiæ, eumdem archidiaconatum vacantem Raymundo de Salve præcentori ejuſdem eccleſiæ, præcentoriam Raymundo de Bugarius priori S. Laurentii contuliſſet; Raymundus præpoſitus, Guillelmus ſacriſta & plures alii canonici Uticenſes collationes dictorum perſonatuum coram venerabili patre Domino GUIDONE Dei gratia ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopo, ad quem ſe ante collationem & poſtea legitimè appellaſſe dicebant, multipliciter impugnaverunt. Et cùm idem archiepiſcopus quæſtiones prædictas per appellationem ad eum delatas viro diſcreto Berengario ſacriſtæ Narbonenſi commiſiſſet examinandas, ſibi ſententia reſervata; placuit partibus viam eligere breviorem & ordinationi archiepiſcopi ejuſdem ſuper declaratione ſeu determinatione formæ, in qua perſonatus & beneficia Uticenſis eccleſiæ ſint in poſterum conferenda, ſe committere in hac forma, quam eidem per ſuas patentes litteras ſigillis epiſcopi [&] capituli communitas per ſuos ſolemnes nuncios deſtinaverunt. Tenor autem dictarum litterarum hic eſt. REVERENDO in Chriſto Patri ac Domino Dei gratia ſacro-ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopo B. eadem gratia Uticenſis epiſcopus & R. humilis Uticenſis præpoſitus ſalutem cum reverentia & honore. Vobis tamquam patri & Domino tenore præſentium notificamus, nos ad invicem conveniſſe, habito conſilio Uticenſis capituli & aſſenſu, quod quæſtionem archidiaconatus & præcentoriæ Uticenſis, quam habemus ad invicem, ponamus in manu veſtra terminandam de jure; quod & facimus ſub hac forma, videlicet quod à vobis, ſi placet, tam de facta ordinatione perſonatuum prædictorum, quàm de jure partium breviter & ſummatim, ſi vobis videbitur, cognito & diſcuſſo, facta ordinatio, ſi ſtare debet, de jure remaneat in ſuo robore firmitatis, alioquin per vos ſententialiter revocetur. Amotis verò per ſententiam illis quibus perſonatus prædicti collati ſunt, ſi fuerint amovendi, de jure ordinatio perſonatuum prædictorum & aliorum quæ ſequuntur hac vice reſideat in diſpoſitione legalitatis veſtræ, prout utilitati Uticenſis eccleſiæ videritis expedire, & quod poſtmodum inſpectis privilegiis & conſuetudine Uticenſis eccleſiæ diſponatur qualiter in futurum abſque contentione ordinatio perſonatuum eccleſiæ Uticenſis & adminiſtratio, ſeu prioratuum ad collationem Uticenſis præpoſiti pertinentium fieri debeat in eccleſia Uticenſi, ut ſic inter nos nulla poſſit de cetero quæſtio ſuboriri. Hinc eſt quod paternitati veſtræ reverendæ humiliter ſupplicamus quatenus quàm brevius & quàm citius poteritis, dignemini Uticenſem eccleſiam viſitare, causâ pacis faciendæ, ut ſic quæſtionibus præſentibus & futuris per vos finis debitus imponatur, & vitentur diſcrimina & expenſæ quæ proveniunt tota die, nec non ſtatus Uticenſis eccleſiæ, quæ prætextu quæſtionum prædictarum periclitatur admodum, per vos tamquam per patrem & dominum reformetur. Actum Ucetiæ anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo II. calendas Decembris. RECEPTIS autem litteris ſupradictis, idem archiepiſcopus paci conſulere cupiens Uticenſis eccleſiæ & quieti, & ad eamdem accedens perſonaliter, prædictis litteris lectis in præſentia

(a) Al. Negotio (b) Al. Julii.

(c) Forte fecimus.

dictorum episcopi & capituli Uticensis, & ab eisdem denuo approbatis, eosdem novis cautionibus super ordinatione ejusdem archiepiscopi observanda adstrinxit, sicut plenius continetur in instrumento per manum Bertrandi Bonhomme notarii confecto. Tandem idem archiepiscopus terminum peremtorium partibus assignavit, crastinum scilicet conversionis S. Pauli cum continuatione diei sequentis ad ejus ordinationem, mandatum & sententiam audiendum apud Narbonam. Quibus die & loco dictis episcopo, Raymundo de Salve & R. de Bagarius personaliter comparentibus, & pro præposito & capitulo & aliis contradictoribus procuratoribus eorumdem, idem archiepiscopus diem prorogans & diebus dies continuans venit Ucetiam prima die lunæ quadragesimæ, quam continuavit usque in crastinum. Cùm verò tractatu habito sigillatim cum partibus supradictis, archiepiscopus ad concordiam eos revocare non posset, eisdem partibus sententiam ferre postulantibus, dicta die, scilicet prima Martis quadragesimæ, ad decisionem negotii memorati processit, dictum suum seu ordinationem in præsentia partium prædictarum pronunciavit in hac forma: Nos Guido Dei gratia Sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus post potestatem nobis à Venerabili fratre nostro B. Uticensi episcopo, R. præposito & capitulo Uticensi, Raymundo de Salvis, & R. de Bagarius, ut dictum est superius, nobis datam, inquisitione præmissa diligenti super ordinatione archidiaconatus & præcentoriæ hac vice facta per eumdem fratrem nostrum Uticensem episcopum, in qua dictum R. de Salve creavit archidiaconum & R. de Bagarius præcentorem Ecclesiæ Uticensis, nec non super forma, quæ à longis retro temporibus observari in hujusmodi ordinationibus consuevit, inspectis etiam privilegiis à sede apostolica ecclesiæ memoratæ concessis, quæ ex usu contrario videntur abolita vel turbata, cùm in ordinatione prædicta dictus venerabilis frater noster episcopus Uticensis formam non servaverit hactenus observatam, nec juri communi nec privilegiis supradictis inhæserit, ordinationem eamdem de archidiaconatu dicto R. de Salve & præcentoria R. de Bagarius collatis non vitio personarum ipsarum, sed propter formam debitam non servatam, & aliquorum contemtum, decernimus irritam & inanem, & quatenus de facto processit, irritamus & revocamus eamdem. Ne verò in posterum super ordinationibus dignitatum vel personatuum, quorum collatio ad episcopum, & aliorum beneficiorum seu prioratuum quorum collatio ad præpositum in eadem ecclesia pertinet, propter formæ incertitudinem possit discordia suboriri, dicimus & disponimus, præcipimus & emendamus, quod ex nunc in perpetuum in collationibus antedictis hæc forma servetur. Quotiens archidiaconatum, sacristiam, vel præcentoriam in Uticensi ecclesia vacare contigerit, Uticensis episcopus præpositum Uticensem certificet, qua die statuat idem episcopus ad ordinationem procedere dignitatis sive personatus per quatuor dies ante; & idem præpositus vocet priores vicinos Uticenses canonicos infra sex leucas ab Ucetia constitutos, denunciatione missa ad prioratus eorum, quæ sola & unica sufficiat ad vocationem eorum, sive inveniantur, sive non inveniantur ibidem. Cùm verò dies venerit ab episcopo ad ordinationem præfixa, intret capitulum idem episcopus, fratribus in eodem ad sonum campanæ more solito congregatis, quibus proponat adventus sui causam, ordinationem scilicet imminentem, & postea surgat vocato præposito; surgant & alii qui personæ vocantur; & sic tam præpositus quàm ipsæ personæ, nullis vocatis aliis, secedant cum episcopo in dormitorium, nec aliquis alius eos sequatur, vel tractatibus eorum se ingerat non vocatus. Cùm autem intraverint dormitorium, ut est dictum, ante omnem tractatum alios tres vocent de fratribus, quos maturioris & sanioris crediderint esse consilii; & nihilominus priorem claustralem, qui pro tempore fuerit, & si quod absit de dictis tribus vocandis convenire non possent, vocent quatuor, duos scilicet quos episcopus & duos quos præpositus nominabunt, priore claustrali nihilominus advocato. Quibus congregatis in forma prædicta, proponat episcopus quid ei placuerit in personam vacantem, sicut ei bonum & honestum videbitur nominando. Et si per familiarem collationem convenire potuerit cum eisdem super certa persona, redeat ad capitulum, & secundùm concordiam cum eis habitam, vacantem conferat dignitatem seu etiam personatum. Quòd si forte, quod Deus avertat, hujusmodi familiaris collatio in dormitorio habita venire nequiverit ad concordiam, tunc idem episcopus præcipiat in virtute obedientiæ præposito & personis, & aliis vocatis ad consilium in forma prædicta, quod eidem de persona quam ipse dicet & credet ad dignitatem seu personatum vocantem idoneam .... & fidele consilium de pura conscientia, postpositis odio & amore; & si vel sic ei consentire noluerint, procedat ad ordinationem, ut prius. Si verò omnes dissenserint, vel pars major, laboret unâ die vel pluribus, ut eos revocet ad consensum. Quod si facere non potuerit, teneantur qui in contradictione perstiterint, causam sufficientem episcopo dicere in secreto, quæ eos retrahat à consensu. Et si episcopo suspicante calumniam vel timenti eodem requirenti juraverint, quod nec odio, nec favore cujusquam, sed ex conscientia potius, & propter utilitatem ecclesiæ se opponunt, non procedat episcopus, donec illa vel alia circa personam nominatam vel aliam postea nominandam partem majorem numero vel æqualem contradicentibus sua semper connumerata persona, illa tamen quam promovere intendit exclusa, trahere vel inducere potuerit ad consensum. Sive autem in primo tractatu, sive in sequentibus pars major consenserit, in forma prædicta liberè ad ordinationem procedat, nonobstantibus reclamationibus aliorum, etiamsi rationabiliter quicquam opponere videantur, cùm in hoc casu

sufficere decernamus requisitum esse ipsorum A consilium, nec expectandum assensum; sed etsi & præposito & personis omnibus episcopo consentientibus, alii plures numero dissentirent, in hoc casu præferri volumus dissentientium numero consentientium dignitatem. Verùm si in hoc casu superius posito, ubi scilicet vel omnes vel majorem partem contingeret nolle episcopo consentire, si forsan vel causam noluerit sufficientem exponere, vel post eam expressam jurare noluerit in forma quam duximus episcopo B requirenti, libere procedat ad ordinationem episcopus, omnimoda contradictione hujusmodi nonobstante. In omnibus tamen id diligenter observet, ut nulli personatum vel dignitatem conferat, qui non sit verè canonicus Uticensis in ecclesia Uticensi professus. Ceterùm in administrationibus aliis seu prioratibus à præposito conferendis hæc perpetuò forma servetur. Certificet episcopus præpositum de prioratu vacante, & de die ordinationis futuræ conveniat cum eodem, quam infra decem dies episcopus C sibi dixerit vel elegerit opportunam, ad quam vocet idem præpositus priores vicinos, quos supra diximus, & in forma eadem evocandos. Cum autem die præfixa cum episcopo & fratribus fuerit in capitulo, proponat præpositus coram omnibus, ut est moris, congregatis causam de prioratu scilicet conferendo: quo dicto surgat, & reverenter vocet episcopum: quo surgente, surgant similiter & personæ, & secedant in dormitorio cum eisdem & de numero postea vocando, collatione etiam familiari habenda, D consiliis etiam per ipsum præpositum requirendis, & aliis omnibus observandis in consensu vel dissensu omnium, vel partis majoris, vel æqualis, omnia & singula per præpositum observentur, quæ in collationibus dignitatum seu personatuum supra decrevimus per ipsum observari, his exceptis quod ubi jurandum fuerit, NOTA. episcopus pro sua reverentia non jurabit. Præceptum etiam in virtute obedientiæ de dando sano & fideli consilio non dabit præpositus, sed E episcopus à præposito requisitus; sed & sicut supra diximus consentientibus omnibus personis, episcopus in ordinatione dignitatum seu prioratuum, licet plures dissentiant, prælato numero dignitatum, sic dicimus in prioratibus si præposito episcopus & personæ consentiant. Illud autem addimus, quod quicumque canonicus de manu præpositi recipit prioratum, statim de manu episcopi recipere debet curam, juxta consuetudinem longis retro temporibus observatam. Quæ autem per episcopum in collatio- F nibus ad eum spectantibus & per præpositum in pertinentibus ad eumdem supra præcipimus observari, hæc eadem vices eorum gerentibus in præmissis, canonicis tamen ejusdem ecclesiæ decernimus observanda eisdem episcopo & præposito vel eorum altero in longa absentia constitutis, vel impedimento aliquo præpeditis. In his autem omnibus quæ perpetuò servari statuimus & mandamus, retinemus nobis potestatem interpretandi & declarandi, si quæ dubia apparuerint vel obscura, præcipientes tam dicto venerabili fratri nostro Uticensi episcopo, quàm præposito & capitulo in virtute præstiti juramenti, quod hanc formam expresso consensu roborent. Acta sunt hæc in capitulo Uticensi coram testibus infra scriptis, videlicet Petro de Lunello decano S. Ægidii, archidiacono Posqueriarum, magistro Bertrando Belin præcentore Agatensi, Magistro Petro Rostagno Gobi officiali Uticensi, Petro de Vicenobrio milite, Magistro Petro Gaucelini, Raymundo de Croso clerico, Ramone de Ucetia clerico, Magistro Raymundo Riotas, Magistro Petro de Marsanicis, Rostagno de Albanhaco jurisperito, Petro Bruni clerico, Magistro Nicolao de Fontahesio, & coram me Bertrando BONHOMME notario publico Domini archiepiscopi, qui hanc cartam scripsi & signavi. NULLI ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel si ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii VIII. calendas Junii Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA CCXCI. Anno 1268

Nobili viro Barralo Domino Baucii spiritum consilii sanioris.

Ut regis in fide perseveret.

PRo absolutione tua scribimus venerabili fratri nostro Albanensi episcopo apostolicæ sedis legato, quam cum receperis, ex tunc sicut cupis & cupimus, stylo poterimus scribere pulcriori. Sanè quia per fide dignos accepimus, quod carissimus in Christo filius noster C. rex illustris Siciliæ fixum habet propositum & immobile, te secum, tuo remisso filio, retinendi, scribendum ei non duximus, ut petisti. Non enim delectat nos multùm pati repulsam, licet eam nos apud nonnullos, quos multum honoravimus sæpius patiamur. Sed in regis ejusdem debes confidere bonitate, quod obsequiorum non immemor ex condignis præmiis compensabit. Tu verò prosequere quod cœpisti, & in ejus fide quam hactenus multorum operum testimonio comprobasti, cum ea diligentia persevera, ut tam tibi quàm tuis obnoxius suæ (a) nobilitatis obtentu erga te faciat quæ desideras, & decet regiæ præeminentiam majestatis. Illud sibi consulimus bona fide, quod à Lombardorum regimine, & omnium quos includit Italia, prorsus abstineas, nisi superioris imperium urgeat: Quod etiam si instaret, crederemus tibi consultum non contumaciter ei resistere; sed discrimen imminens multiplicatis precibus declinare. Datum Viterbii V. calendas Junii anno secundo.



(a) Al. Liberalitatis.

EPISTOLA CCXCII.

Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut absolvat à censuris Barralum dominum de Bauciis.

Anno 1266 NOta est nimis oppressio Mediolanensis ecclesiæ & archiepiscopi spoliatio, nota cleri gravamina cum multo præjudicio ecclesiasticæ libertatis, quæ in Mediolano sub UBERTO PELAVICINO incœpta, sub aliorum continuata regimine in diem hodiernam damnabiliter perseverant. Sanè cùm vir nobilis BARRALUS Dominus Baucii, licet horum malorum non auctor, successor tamen prædonum hujusmodi extiterit in regimine, sicque non pari culpa, sed pari cum eis sententia extitit involutus, volentem nunc saniore consilio, administratione, ut dicunt, deposita, suæ providere saluti, fraternitati tuæ committimus absolvendum, recepto ab eo juramento, litterisque patentibus, quod nostris parebit in omnibus, pro quibus excommunicationis incurrit sententiam, beneplacitis & mandatis, ad quæ audienda præfiges ei terminum competentem, quo se nostro conspectui personaliter repræsentet. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCXCIII.

Universis regni Galliæ nobilibus.

Infelici Terræ sanctæ statu exposito, hortatur, ut ad ipsius defensionem viriliter se accingant.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, comitibus, baronibus, ceterisque magnatibus, & aliis Christi fidelibus regni Franciæ cruce signatis in subsidium Terræ sanctæ, salutem & apostolicam benedictionem.

De partibus orientis tubæ terribilis his diebus horrendus clangor intonuit, tristia repetens, luctuosa commemorans, mœsta denuncians, & infesta promittens. Gravibus etenim subjecta periculis, & quasi fatali addicta discrimini Terra sancta clamat & ejulat se diutinis & immensis pressuris oppressam, enervatam viribus, exinanitam incolis, evacuatam opibus, ope desertam, & necessariæ defensionis auxilio destitutam. Lacrymabili recentium oppressionum commemoratione succinctè præmissa denunciat, quòd licet post strages fidelium varias multiplicatas in habitatores ipsius æstate præterita, post proditoriam occupationem Cesareæ metropolis Palæstinæ, post valde damnosam eversionem Arsurii, & destructionem aliorum locorum partium prædictarum, Babilonicæ persecutionis instantia remissa diebus aliquibus videretur, in remissione tamen hujusmodi persecutio eadem non otiosa, sed eò magis insidiosa & periculosa A delituit, quò interim collectis undique viribus & multiplicatis insidiis intensior quasi è vestigio insurrexit. Si quidem, prout habet litterarum nuper de terra illa missarum & nuntiorum exinde venientium infausta relatio, nefandissimus Soldanus Babiloniæ persecutionis & persecutorum christiani nominis dux & incitator infestus, necessariis bellatorum usibus medio tempore præparatis, uberius & ipsorum inæstimabili multitudine congregata, tempora solita & his in illis partibus apta præveniens, ex Ægypto B egressus instructior, & Neapolim Samariæ, præmissa magna exercitus sui parte, ad abolendum de terra illa christianum nomen & cultum, immo ad omnino exterminandum exinde modicum christianitatis residuum, ardenti suspirat desiderio, & proposito damnando festinat, tantò certior, nisi perversis ejus restiterit potentia divina conatibus, de suæ iniquitatis effectu, quantò ejusdem terræ præmissa conditio catholicorum mundi principum & aliorum fidelium non fulta suffragio, minorem sufficientis resistentiæ verisimilitudinem repromittit. C Quamquam enim in residuis christicolis, proh dolor! paucis admodum, quos ad defendendum terram ipsam cælestis inibi miseratio præparavit, voluntatis ad id promtitudo non desit, nec strenuitas aut virtus deficiat animorum, ipsorum tamen paucitas non creditur posse aliquo modo sufficere ad sustinendum tantæ multitudinis impetus & insultus. Ecce filii, quàm difficilibus est exposita terra sancta periculis, quàm parata irreparabilem prorsus ad casum: & profectò nisi vestro & D aliorum fidelium defensetur, aut manu teneatur auxilio, timendum proculdubio, nec immeritò est timendum, ne irreparabiliter corruat, & irrecuperabiliter in manus incidat immanium barbarorum. Ad vos itaque terra eadem oculos suos levat, de vobis potissimè sperat sibi auxilium proventurum. Ne igitur hujusmodi spe fraudata deficiat, & votum crucis assumtum à vobis votivo quod absit frustretur effectu, universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè, in remissionem vobis peccami- E num injungentes, quatinus ad redimendam hereditatem Dominicam, arbitrio, ut præmittitur, impiorum expositam, illius obtentu, qui pro redemtione humani generis in terra prædicta se crucis patibulo & mortis exposuit passioni, potenter & viriliter exurgentes, in proximo si præhabita super hoc præparatio id permittit; alioquin in passagio mensis Martii primò venturi, ad terram eamdem, inibi auctore Domino prosecuturi feliciter ad animarum vestrarum salutem ejusdem terræ negotium, omni occasione postposita transfretetis, ut ex impen- F dendo præsentialiter ipsi terræ vestro salutari auxilio eidem liberatio desiderata proveniat, vobisque laudis titulus in præsenti & in futuro retributio æternæ mercedis accrescat. Datum Viterbii v. calendas Junii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA

EPISTOLA CCXCIV.

Regi Navarræ illustri.

Ut terræ sanctæ per se & per alios succurrat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus, servus servorum Dei carissimo in Christo filio... regi Navarræ illustri salutem & apostolicam benedictionem.

De partibus orientis, &c. *ut supra in epistola præcedenti usque ad illa verba* in manus incidat immanium barbarorum. *Deinde sequitur.* Propter quod licèt nonnullos alios orbis terræ prædictæ litteris nostris hortemur: quia tamen tuum specialiter, Rex inclyte, orat & implorat auxilium causa Christi, Serenitatem regiam monemus, rogamus & obsecramus in Domino JESU-CHRISTO, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus ad redimendam hereditatem dominicam, arbitrio ut præmittitur, impiorum expositam, illius obtentu qui pro redemtione humani generis in terra prædicta se crucis patibulo & mortis exposuit passioni, potenter exurgens, terræ præfatæ, vel per te ipsum, si ad hoc paratus existas, vel aliàs aliquod efficaciter remedium celeris ac opportunæ subventionis impendas. Sic ceteros magnates & alios, illosque specialiter qui ad succurrendum terræ prædictæ vexillum crucis vivificæ assumserunt, salutaribusque persuasionibus, prout decuerit excellentiam regiam, & laudabili ad id inducturus exemplo, quod terra eadem tuo & ipsorum subsidio adjuta celeriter, nequaquam inimicorum immanitati succumbat; sed sic ad desideratam ipsius terræ liberationem tua & eorumdem accelerata subventio & exhibita in temporis opportunitate proficiat, quod vobis exinde titulus in præsenti & in futuro retributio æternæ salutis accrescat. Datum Viterbii v. cal. Junii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCXCV.

Episcopo Ebroïcensi.

Quod non debeat causari de gravamine.

Anno 1266 NOn te, nec alios ecclesiæ Gallicanæ prælatos nos gravasse meminimus, immo verius, nisi fallimur, plus eisdem detulimus, quàm à longis retro temporibus sit delatum. Sané interdum compellimur & te rogare & alios pro clericis benemeritis, nonnumquam ad instantiam venientium; quod præcipuè nobis contigit in occursu exercitus euntis in Apuliam & de Apulia redeuntis. Cogimur scribere etiam ignotis. Licèt autem preces Romani Pontificis apud sollicitudinis suæ participes habere debeant vim præcepti; is tamen cui scribitur, si forsan habet aliquid, quod scribentem movere debeat ad preces omnino tollendas, vel in tempus aliud differendas; debet hoc ipsum ei scribere reverenter, ut cesset omnis contemtus suspicio, à qua non penitus excusatur, si nec impleverit quod rogatur, nec ei cur distulerit duxerit intimandum. Tuam igitur commendantes prudentiam, gratum habuimus quod scripsisti, quodque nostro satis est conforme consilio plenè instructum te credimus, qualiter in hujusmodi deceat te (*a*) conversari. Datum Viterbii II. calendas Junii anno II.

EPISTOLA CCXCVI.

Dilecto filio (*b*) J. sancti Nicolaï in carcere Tullianensi diacono cardinali.

Gratulatur de recuperata sanitate, consulitque eum de regula Sororibus S. Claræ danda.

DE statu tuo audivimus prospera, expectantes quotidie meliora, de illius misericordia confidentes, qui opus imperfectionis non novit, & quoniam in sui dispositione non fallitur, sicut mortificat, sic vivificat; & sicut percutit, sic & medetur. Tu ergo à Domino ad salutem, non ad exitium verberatus, nosti, ut credimus, sugere mel de petra immensam colligens ex pœnarum acerbitate dulcedinem, quibus (*c*) assatus egisti gratias, contra Deum nec murmure nec querimonia resonante. Sanè in ipsa tuæ convalescentiæ novitate, ne membra tenera laboribus repentinis relabantur, cavendum est tibi plus solito, & quieti, ut credimus, opportunè propensiùs indulgere te convenit, cùm sit melius vires lassati corporis in domo propria cum domesticis experiri, quàm itineris laboriosi discrimini se committere, donec corporis partes omnes, illæ tamen præcipuè quæ gravius passæ fuerant plenè fuerint solidatæ. Verùm Sorores ordinis S. Claræ venerunt Viterbium pro multarum terrarum Sororibus, quarum mora in curia nec olim tibi placuit, nec hodie nobis placet. Sunt omnes in hoc proposito, quòd tuam regulam non recipiant, sed vel statum observent pristinum, vel si ille videtur dubius, vivendi formam quam habet dilecta in Christo filia Soror regis Franciæ, acceptabunt. Super quo intentionem tuam ad plenum nobis per tuas intimes litteras, aut si mavis, ad tuam eas mittemus præsentiam, ut celeriter eas expedias, tuâ ipsis saltem per alium expositâ voluntate, super quorum alterutra tuam scire volumus voluntatem. Datum Viterbii II. calendas Junii anno II.



(*a*) *Al.* Versari.
(*b*) *Al.* Johanni.
(*c*) *Al.* Accessatus.

EPISTOLA CCXCVII.

Dilecto filio abbati monasterii S. Johannis Angeliacensis.

Ut R. Albanensi episcopo fortiter collaboret futurus consolationis ipsius socius.

Anno 1266 STudium diligens & diligentia studiosa quibus te occupas in venerabilis fratris nostri R. Albanensis episcopi obsequiis, augent tibi gratiam, quam apud nos dudum ratione multiplici meruisti, in quo nobis eo servitur acceptius, quò eumdem sinceriùs exequi novimus, magni quidem meriti, sed non levis laboris officium, multis perplexum involucris, multis perplexitatibus involutum. Certus igitur quod si tribulationum es socius, in consolationibus emolumentum societatis habebis; collabora, sicut bene cœpisti, viro fideliter laboranti, & inter homines profundi pectoris constituto cura pervigili (*a*) suæ comes peregrinationis assiste, ne quod absit, involvi vicinorum astutiis, vel precibus aliunde transmissis sua frangi vel flecti valeat rectitudo. Si qua sanè quarumlibet personarum in repulsa precum hujusmodi formidanda videtur offensa, volumus quod securè nostrum obtendatur imperium, nostris totum humeris imponatur. Pauci siquidem ad eum venient interventus, qui à nobis (*b*) explicitè repulsi non fuerint, vel honestis & curialibus responsis elusi: unde totum una claudit responsio, quòd dandum rogantibus non crediderit, aut simpliciter deneget, aut ad nos saltem (*c*) explicitâ veritate remittat. Ex his enim quæ patimur satis novimus quanta illuc oporteat eum pati. Grata nobis tua fuerunt munera: sed non credas quod hactenus pigrum calamum excitaverunt ad scribendum; immo verius quæ palpamus quotidie nos sub compendio quæ præmisimus scribere compulerunt. Datum Viterbii nonis Junii anno II.

EPISTOLA CCXCVIII.

Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de pluribus.

Anno 1266 SI pro aliquibus tibi scribimus sapidiores litteras quàm oporteat, habet hoc stylus dictantium, non scribentis intentio: quamquam si bene recolimus, si quid habet excessus narratio, conclusio provida moderetur. Quod si forsan omissum fuerit, semper tua fraternitas fixum teneat, nostri numquam fuisse propositi, postquam tantum tribunal ascendimus, personas honorare reprobas, vel indignè pollicere dignitates indignis. Per hoc sanè soluta est quæstio de JACOBO monasterii de Wulturno, nescimus cujus precibus, præferendo, quem maluimus deprimi, quàm levari, si ejus merita hoc requirunt. Per hoc tollitur quod miraris de JOHANNE de PROCIDA, cui nullam recolimus gratiam nos fecisse, nisi quod ad fratrum nostrorum quorumdam instantiam, regi & tibi scripsimus satis, ut credimus temperatè. Cui quidem ad nostram præsentiam accedenti, pedes & tibias nostras ostendimus, sed recipere nobis non placuit quam dictaverat medicinam, & summo Medico nos committimus, qui nobiscum misericorditer nimis agens, non quantùm meruimus voluit nos torquere. Dictus autem magister Jo. dilecto filio nostro J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali adsistit, quem in convalescentia positum sanum citò speramus recipere, Domino concedente. Virum sanguinum comitem Acerrarum ad nos venire noluimus, non ut parceremus eidem, sed nobis potius, quia gravis nobis existeret ad videndum, & haberet vel sibi faceret aliquos amicos in curia, qui diabolo cras assisterent cum muneribus venienti. PETRUM SARRACENUM olim fratrem, nunc adversarium teneri facias in catenis. Illum quondam archidiaconum qui de nostro effugit carcere addicas carceri sempiterno. Nullius te preces moveant ad gratias Deo contrarias faciendas, non regis, non cardinalium, sed nec nostra quantumcumque præcisa mandata; nisi plenè credideris talem esse conditionem negotii, ut facti plenâ cognitâ veritate verisimile judicetur, nos ad talem misericordiam facilè inclinari. Libros quos remisisti recepimus, & tibi mittimus quem petisti. Ora pro nobis. Datum Viterbii nonas Junii anno II.

(*a*) *Al.* Sic comes. (*b*) *Al.* Implicitè.
(*c*) *Al.* Insinuate veritati.

EPISTOLA CCXCIX.

Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De indulgentiis & potestate absolvendi concessa laborantibus in regno Siciliæ.

AD exercitus christiani solatium hunc in regno Siciliæ profecturi, quibusdam fratribus laborantibus cum eodem, & dandi in sermonibus indulgentiam, & aliquos redeuntes ad Ecclesiæ gremium absolvendi, donec esset negotio delegato provisum, & ejusdem in regno haberetur præsentia, nos dedisse meminimus potestatem. Usurpatum igitur noveris quidquid post tuum in præfatum regnum ingressum dicti fratres in prædictis articulis attentaverunt, quorum simplicitati parcere poteris, vel punire stultitiam, si præsumtionem inveneris. Tuam tamen decet mansuetudinem in hoc dubio viam eligere tutiorem: sic tamen ut id eis inhibeas, cùm potestas eorum fuerit limitata, quam nunc etiam revocamus, salvâ gratiâ, quam his fecimus qui prædicant in præsentia carissimi in Christo filii nostri regis illustris Siciliæ, quam manere volumus illibatam. Datum *ut supra in proxima.* Anno 1266

A

EPISTOLA CCC.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Hortatur ad crucem pro Terræ sanctæ subsidio prædicandam.

Anno 1266. CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

De summis cælorum Dominus terram suæ nativitatis & passionis inspiciens, dum per singulos dies in illa variis provocatur injuriis, nec exsurgit populus quem ipse redemit ad vindicandum crucis opprobrium, ex eo præcipuè indignatione terribili commovetur, quod locus ille sanctissimus, ubi cæli Regem Virgo puerpera genuit, locus ubi poni meruit sepulcri dominici firmamentum, & quem resurgens Christus à mortuis resurrectionis suæ gloriâ multipliciter illustravit, coinquinatorum pedibus teritur, & alienarum subvertitur tympanide nationum; quodque suum patrimonium continuæ vexationis incitatur angustiis, & successivis dissidiis laceratur. Quò igitur filiorum lucis intentio tendere? circa quid eorum debent assiduè revolvi præcordia & sollicitudo versari, nisi quod illius terræ, quam in hereditatem suam Dei filius prælegit, abominationes expiare conentur, & potenti manu resistere polluentibus ipsam filiis tenebrarum? Hæc profectò dissimulari non debent, vel obtusis auribus præteriri, ne Redemtoris indago perspicua ingratitudinis vitio redemtos laborare comperiens, ab eis faciem iratus avertat, eosque velut indignos paternâ gratiâ derelinquat. Consurgant igitur strenui Galliæ præsules & athletæ Christi ad opus tam sanctum & laudabile virium suarum extrema conflantes, armentur protinus crucis galea contra illos qui sancta sanctorum coinquinant, & decorem ejus inficiunt. Consurgant in succursum ejus viriliter ad ulciscendum illius injuriam, qui in forma servi carnem nostræ mortalitatis indutus, crucis non metuit subire tormentum, ut mortem nostram moriendo destrueret, & vitam resurgendo fidelibus repararet. Cùm igitur de te, qui Deum diligis, & ad prosequendum ejus beneplacitum aspiras, quique multiplicibus donis virtutum præditus, laudabiliter proficis, ubi labores impendis, magnam in Domino fiduciam habeamus, ut in præsentis prosecutione negotii ferventer militans, illud efficacibus studiis & plenis debeas affectibus promovere; discretionem tuam rogamus & hortamur attentè, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatinus providè pensans quod in regno Siciliæ, ad cujus recuperationem Christi fideles olim mandavimus invitari, divinâ miseratione dies advenere salutis, & quod illud sub imperio carissimi in Christo filii nostri C. ejusdem regni regis illustris devotè consistit, miserabilem terræ prædictæ statum, multipliciter infidelium feritate collisum, Christi fidelibus tuæ legationis per te, cùm ad hoc commodè vacare poteris, seu per Ecclesiarum prælatos, vel alios viros religiosos & sæculares partium illarum, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, diligenter exponas, eisque proponas efficaciter verbum crucis, ac ipsos juxta datam tibi à Domino gratiam attentis inducas monitis, & sedulis prædicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter quod multò plus solito, sicut fide dignâ nuper quorumdam solemnium nuntiorum relatione didicimus, nunc indigeat præfata terra succursu, ad subventionem ejus promtis intendant animis, & viribus totis exsurgant, crucisque suscepto signaculo, illuc spiritualibus armis & materialibus præmuniti, de divina quoque sperantes potentia, cum festinatione procedant; & ut circa id eò libentiùs ac animosiùs intendant, quò exinde dona spiritualia, quæ temporalibus præferenda sunt, perceperint potiora: nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa quam nobis licèt immeritis ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributionem justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultates & qualitates suas viros idoneos destinaverint, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis aliquam portionem congruam ad arbitrium tuum miserint, vel aliàs consilium & auxilium impenderint opportunum. Volumus etiam crucesignatos & crucesignandos in dictæ terræ subsidium illo privilegio, illaque immunitate gaudere, quæ in generali crucesignatorum indulgentia continentur. Ut autem commissum tibi hujusmodi ministerium faciliùs & utiliùs exequi valeas, tibi & prædictis prælatis atque religiosis & sæcularibus, quos ad hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id quotienscumque & ubicumque videritis expedire, cleros & populos locorum in quibus vos proponere contigerit verbum crucis, ut processionaliter cùm devotione prædicationibus vestris intersint, & ad hujusmodi prædicationes ferias, sicut expedire videritis indicendi; concedendi quoque omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad convocationes & prædicationes easdem accesserint illas indulgentias, quæ in aliis apostolicis litteris super crucis prædicatione tibi traditis sunt expressæ, plenam tibi & aliis quibus hoc committendum duxeris, concedimus auctoritate præsentium potestatem. Taliter igitur tu & alii prædicti mandatum apostolicum super hoc exequi procuretis, quod palmam gloriæ, quæ bellum Dei gerentibus in retributionem

ab ipso impenditur, vestra devotio dignè consequi mereatur. Datum Viterbii VIII. Idus Junii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mille quingentas libras Laurentio Odonis Serroniani solvat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Laurentius Odonis Serroniani civis & mercator Romanus in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd ipse dilecto filio Jacobo canonico & custodi basilicæ principis apostolorum de Urbe habenti à nobis speciale mandatum nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine de mutuo contrahendo, ac eamdem Ecclesiam & cameram nostram necnon possessiones & bona tam ecclesiarum quàm monasteriorum & aliarum religiosarum domorum Urbis creditoribus obligandi, mille & quingentas libras Turonenses mutuavit eidem L. in festo Assumtionis B. Mariæ Virginis proxime futuro (a) Parisius persolvendas. Propter quod idem canonicus ei quasdam non modicas possessiones dictarum ecclesiarum Urbis sub certis conditionibus obligavit, prout in instrumento publico inde confecto, dicti canonici signato sigillo pleniùs dicitur contineri. Unde cùm eadem pecunia recepta fuerit & expensa pro negotio carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris, volumus & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus de decimis proventuum ecclesiasticorum regni Franciæ collectis vel colligendis nomine dicti regis, pecuniam eamdem præfato mercatori vel ejus procuratori suo nomine juxta ipsius instrumenti tenorem facias sine difficultate persolvi: ita quòd propter hoc ad nos iteratò recurrere non cogatur, & ecclesiæ prædictæ remaneant ab hujusmodi obligationum onere liberatæ. Prædictum verò instrumentum, & quæcumque alia super debito vel obligationibus confecta prædictis, & nihilominus refutationem solemnem de his omnibus ab ipso tibi facias exhiberi. Datum Viterbii V. Idus Junii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCII.

Anno 1266 *Eidem.*

DE mille septingentis libris Turonensibus à Johanne Pantaleonis de S. Angelo mutuatis, *ejusdem est tenoris cum præcedenti.*

(a) *Al. Forte.* Trecis vel Parisius, *ut in duabus sequentibus epistolis.*

EPISTOLA CCCIII.

Eidem.

DE quingentis libris à Leonardo Pauli Cuthii de Turre, totidem à Nicolao muto de Papazuris, & totidem à Luca Petri de Cicca mutuatis, *ejusdem est tenoris cum præcedente.* Anno 1266

EPISTOLA CCCIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut undecim librarum millia mercatoribus Florentinis solvere non negligat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Dilectus filius Barducius Friscobaldi & ejusdem socii mercatores Florentini nobis exponere curaverunt, quòd quondam Albertinus de Rota & Jacobus Riccomanni socii eorumdem undecim millia librarum Turonensium dilecto filio P. archidiacono Senonensi, camerario nostro, Ecclesiæ Romanæ nomine diversis eis terminis persolvenda, sub variis contractibus & diversis temporibus mutuarunt, prout in pluribus instrumentis inde confectis pleniùs dicitur contineri. Unde cùm eadem pecunia recepta fuerit & expensa pro negotio carissimi in Christo filii nostri C. Siciliæ regis illustris, nosque tibi dederimus nostris litteris in mandatis, ut cùm pro ipsa pecunia Ecclesiam Romanam & cameram nostram fecerimus dictis mercatoribus obligari, eam de decimis regni Franciæ collectis seu colligendis faceres eisdem mercatoribus sine difficultate persolvi, ut Ecclesia & camera prædictæ possent ab hujusmodi debitorum onere liberari: Tu, sicut accepimus, id facere hactenus omisisti, licèt solutionum termini sint elapsi, propter quod iidem mercatores ad nostram providentiam recurrerunt: Ideóque volumus, & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eisdem mercatoribus juxta tenorem eorumdem instrumentorum & litterarum apostolicarum super confirmatione obligationum hujusmodi præfatis mercatoribus concessarum satisfieri facias de debitis supradictis, prout aliàs in mandatis à nobis diceris recepisse: ita quòd ipsi propter hoc ad nos iteratò recurrere non cogantur, & Ecclesia & camera supradictæ non remaneant in his ampliùs obligatæ. Instrumenta verò & prædictas litteras apostolicas tam confirmatorias, quàm aliàs confecta super debitis eisdem, & nihilominus refutationem solemnem à prædictis mercatoribus tibi facias exhiberi. Datum Viterbii V. Idus Junii, Pontificatus nostri anno II.

Habetur in quaternis dilecti filii P. archidiaconi Senonensis camerarii nostri quòd ipse recepit à Jacobo Riccomanni, & quondam Albertino Rotæ civibus & mercatoribus Florentinis

eorumque sociis tria millia librarum Turonensium, de quibus per te sibi satisfactum esse iidem socii recognoscunt. Item ab eodem Albertino & Coppo Joseppi pro se & sociis suis mutuantibus recepit idem camerarius tria millia librarum Turonensium. Item recepit ab eodem Albertino quinque millia librarum Turonensium. Item eodem Albertino mortuo recepit à Jacobo quondam Riccomanni socio, ut dicebatur, ejusdem A. tria millia librarum Turonensium. Præsentem autem cedulam ad hoc fecimus præsentibus intercludi, ut tibi super his veritas plenius patefiat.

EPISTOLA CCCV.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

De remissione facienda Anconitanis & quibusdam aliis.

Anno 1266 SCripsimus tibi nuper de gratia limitata Anconitanis civibus, prout tibi videbitur, facienda. Sed quia plures murmurant (a) æstimantes agendum mitiùs cum eisdem, non tibi præcipimus quod remittas, sed remittendi alia v. millia concedimus facultatem, si dignum æstimaveris, & negotio videris expedire. In uno cavendum credimus, ne te mediatoribus in hac parte committas, qui te nesciente fortasse venderent, quod nostro mandato seu beneplacito libenter indulgeres. Sed & illud attendas, ne de jure transigas ANIBALDI, quod licèt sit minus quam prædicet, multa tamen petit, & magna, quæ non parum magnificant aliqui fratres nostri. De pœnis seu multis aliis quas locis aliquibus indixisti, placet nobis etiam in parte perfidorum consuli paupertati. Sanè CONRADUS de Antiochia per venerabilem fratrem R. episcopum Albanensem absolutus cavit idoneè apud eum de stando nostris beneplacitis & mandatis. Unde diligenter inquiras, quæ damna data nobis nostrisque fidelibus per eumdem magis notoria, magisque dicere possimus notabilia, ut ex his formare congrua valeamus mandata, quæ per ipsum episcopum Albanensem proferri faciamus in regno, & super his certiores nos reddere, quàm cito poteris, non omittas. Datum Viterbii (b) III. Idus Junii anno II.

EPISTOLA CCCVI.

Ad episcopum Calaguritanum.

Ut Theobaldum Navarræ regem & episcopum Pampelonensem, & ejus capitulum ad concordiam revocet.

Anno 1266 Ex Cartario Campaniæ. CLEMENS episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri episcopo Calaguritano salutem & apostolicam benedictionem.

Quantò carissimus in Christo filius noster illustris rex Navarræ comes Campaniæ, majoris apud Deum & Romanam Ecclesiam devotionis caritate præfulget, tantò potioribus attolli per eam favoribus promeretur. Propter quod dignum duximus, ut votis suis, in his præcipuè quæ ad augmentum cultus divini nominis pertinent, promtis effectibus annuamus. Sanè idem rex significare curavit, quod dudum inter claræ memoriæ regem Navarræ patrem suum primò ac eum postmodum ex una parte, & venerabilem fratrem nostrum episcopum & capitulum Pampilonense ex altera, super quibusdam castris, villis, & rebus aliis orta extitit materia quæstionis. Cùm autem nominatus rex cupiat, sicut asserit, super his amicabiliter cum episcopo & capitulo componere supradictis, à nobis humiliter petiit, ut ejus in hac parte desiderium benigno favore prosequi curaremus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partes super his ad concordiam secundùm datam tibi à Deo prudentiam studeas revocare. Quòd si fortè inter partes ipsas concordia nequiverit provenire, nobis celeriter causam impedimenti rescribas. Datum Viterbii III. Idus Junii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCVII.

Archiepiscopo Aquensi.

Ut Massiliam se conferat, & fratribus Minoribus à Prædicatoribus injuria affectis, satisfactionem fieri procuret.

PAupertatis altissimæ professoribus, & divinæ præconibus voluntatis eò parat subtiliores insidias humani generis inimicus, quò eosdem conspicit ceteris animosiùs spiritualem ingredi campum certaminis, à rerum temporalium sarcinis expeditos, scuto protectos fidei, & evangelicæ gladio prædicationis accinctos, & non suæ tantummodo prosequentes salutis negotium, quin etiam molas iniqui conterere, & de faucibus ejus prædam eripere satagentes. Hoc autem studium sibi elegisse noscuntur dilecti filii Minorum & Prædicatorum ordinis fratres, quos licèt ab invicem discernat habitus, & distinguat professio regularis, voto tamen consimili, pari cursu, finem istum sibi præstituunt, ut tam clerum quàm populum verbis ædificent & exemplis, & evulsis in agro Domini hæreticæ sentibus pravitatis pro tam piæ servitutis obsequio grande fœnus in præmium præstolantes, carnis demùm solutis vinculis, onereque deposito, justum & æquum judicem & propitium sibi sentiant & inveniant liberalem. Quantam sanè concordiam, quantam pacem, quàm profundæ, quàm solidæ vinculum caritatis esse deceat inter ipsos, & perfectio status indicat, & salubris propositi sancta conceptio, ejusdemque sedula persecutio, labor insuper, & finis operis manifestant: quo fit ut inter eos seminante discordiam hoste publico, colubro tortuoso, miserabili se committant discrimini, qui procul Anno 1266

(a) Al. Testimoniantes. (b) Al. Idus Junii.

dubio dæmonum adjutores, accensum ignem eorum studio tamquam lignis nutrientes injectis, inter eos exorta scandala verbo vel facto solidant. Illi verò præcipuè, qui ex altero dictorum ordinum vel utroque quod extinguere deberent incendium, fovere temere non verentur.

Hinc est, quod dolentes accepimus, in Provinciæ partibus dictos ordines ad illud devenisse dissidium, ut se lacessentes injuriis, invicem se mordere, invicem diffamare præsumant, eò usque prolapsa tanta temeritatis audacia, ut dilectum filium fratrem MAURINUM ordinis fratrum Minorum, inquisitorem in illis partibus hæreticæ pravitatis, fratres aliqui Prædicatores, ut fertur, Massiliæ publicè diffamaverint in multorum præsentia prælatorum, & fidelium multitudine inibi congregata, eidem fratri tamquam excommunicato persuaserint non parendum. Sed & alii ejusdem ordinis subsequenter, subprior scilicet domus prædictæ Massiliæ & frater JOHANNES GUIDONIS de conventu ejusdem contra eumdem inquisitorem, tunc apud sedem apostolicam constitutum, coram non suo judice apud Massiliam, & quod est durius, coram laïco testes duos iniquos presbyteros recipi procuraverunt, qui deponere præsumserunt falsò aliqua contra eum, super turbatione civium civitatis ejus, imò potius (a) aversione ipsorum à fide debita carissimo in Christo filio nostro C. regi Siciliæ illustri, & conversione damnabili ad persecutorem Ecclesiæ MANFREDUM olim principem Tarentinum ab eodem inquisitore prædictis civibus persuasis. Quæ si forent veritate subnixa, dictus frater MAURINUS non excommunicatus dumtaxat, sed & Dei ac noster proditor meritò censeretur. Ad hoc verò dilectus filius noster Fr. GUILLELMUS BERTRANDI ejusdem Minorum ordinis & coinquisitor fratris MAURINI prædicti, ex fraterna, ut dicitur, provocatus injuria, dictos cepit presbyteros, qui publicè sunt confessi, se falsa testimonia protulisse à dictis fratribus invitatos; & ideo fratres ipsos, qui testes hujusmodi recipi procuraverant, sui reputans perturbatores officii, & ad præsentiam suam evocans, ac juramento de veritate dicenda, prout credidit justum, astringens, super prædictis requisivit eosdem; & cùm ad quasdam interrogationes ipsum negotium suo judicio contingentes interrogati, nullum vellent dare responsum, eò quòd eas dicerent impertinentes, penitus ad prædictum officium sicut de peritorum consilio se habere dicebant, ipse frater G. ex hoc reputans eos contumaces, excommunicationis sententiam in eos protulit, judicans sapientum communicatis consiliis, prout asserit, & eamdem fecit Massiliæ publicari: quamquam iidem fratres prædicti eum, ut asserunt, appellatione legitimâ prævenissent. Propter quod ad sedem apostolicam venire compulsi, provideri sibi à nobis instanter & humiliter petierunt. Nos igitur attendentes quod licèt dicti fratres subprior & JOHANNES GUIDONIS graviter excessissent, appellationi tamen eorum, si legitima extitit, idem frater G. deferre, suadente justitiâ; & etiamsi non fuerit legitima, contra fratres illius ordinis non tam citò procedere, sed nos potius vel dilectum filium nostrum J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconum cardinalem consulere debuisset, dictos fratres, subpriorem videlicet & JOHANNEM absolvi fecimus ad cautelam.

Porro tot malorum materiam à radice præscindere cupientes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter ad civitatem Massiliam te conferens, in die festivo, clero & populo convocatis, coram omnibus auctoritate nostra decernas, omnibusque denuncies receptionem dictorum testium iniquorum contra dictum fratrem MAURINUM, non sine notabili pariter & damnabili temeritate præsumtam, nullius penitus extitisse momenti; sed & sequenti depositioni testium eorumdem contra dictos fratres Prædicatores, vel alios quos sui sceleris asserunt (b) conscios vel actores, nullam fidem penitus adhibendam, cùm evidenter appareat eos esse perjuros, qui suam turpitudinem propalantes, duo prorsus opposita deposuere jurati. Sed quo ad se in hoc iniquis testibus nocere nolumus, nisi quod beneficiis, si quæ habent, auctoritate nostra prives eosdem, & ad habenda redditos prorsus inhabiles, & perpetuò ab omni sacrorum ordinum executione suspensos, in aliquod monasterium acturos pœnitentiam eadem auctoritate detrudas; vel si tibi melius visum fuerit, ordinario suo pœnam carceris decennalis, nisi cum eis per sedem apostolicam misericorditer actum fuerit, portaturos. Dictos autem fratres subpriorem scilicet & Johannem, quibus pro suarum qualitate culparum injungi fecimus pœnitentiam salutarem, facias nihilominus te præsente, & aliis quos vocare volueris, in capitulo fratrum Minorum Massiliæ ad pedes eorum inquisitorum, vel alterius qui præsens fuerit, vel eisdem absentibus Gardiani, seu locum tenentis ipsius, cum humilitate prosterni & veniam petere de excessu.

Ceterùm ne similia præsumantur in posterum, & scissura dictorum ordinum augeatur, prohibemus omnino ne frater Prædicator contra fratrem Minorem, vel frater Minor contra fratrem Prædicatorem ex commisso vel committendo sibi in posterum inquisitionis officio hujusmodi, quantumcumque sciat aut æstimet eum reum, aliquâ ratione procedat, sed ejusdem superiori denunciet quod crediderit corrigendum, vel ad sedem apostolicam referat, si maluerit & viderit expedire. Et si secus fuerit attentatum, processum hujusmodi decrevimus non tenere. Ne tamen ex hoc detur malis audacia clam vel palam inquisitionis officium perturbandi, omnes fratres utriusque ordinis, qui scienter hoc fecerunt, ab omnium sacrorum ordinum executione suspendimus, & immediatum prælatum eorum similiter, si hoc sciens punire neglexerit, & si affectaverit ignorantiam, pœna simili teneatur.

(a) Al. Conversione. (b) Al. Consocios.

Volumus etiam & mandamus, quatenus ad A tuum præceptum frater BENEDICTUS ejusdem Prædicatorum ordinis, qui publicè os suum aperuit in prædicti fratris MAURINI non modicam contumeliam; quem ab objectis immunem in omnibus & per omnia reputamus, publicè coram cleri ac populi multitudine convocatâ, Massiliæ prostratus petat veniam ab eodem: & si idem frater M. absens fuerit, à dicto fratre G. Bertrandi coinquisitore ipsius, vel à te nostro nomine, si contigerit hos abesse, & B petitam veniam assequatur, confessione prius ibidem emissâ, quod in ipsum peccavit graviter, & quod eum pœnitet eorum quæ dixit, & quod quidquid aliquando inconsultè crediderit de eodem, nunc credit eum ab objectis fuisse & esse innoxium & immunem, cùm hoc à nobis audierit; & ad nostram suam velit & debeat conscientiam informare.

His autem satisfactionibus, quas dictis inquisitoribus ratione officii fieri voluimus, sic expletis, nihilominus dictis fratribus subpriori C videlicet & JOHANNI ac BENEDICTO præcipias, quod ad domum fratrum Minorum accedant; & in capitulo prostrati petant veniam ab eisdem; in quantum ordinem in ipsis fratribus offenderunt; & hæc omnia in tua præsentia compleantur. Quod si quis ex dictis fratribus tibi parere contemserit in prædictis, statim eum excommunicationis mucrone percellas. Quibus sic ritè peractis; utriusque ordinis fratribus constitutis ibidem in suorum remissionem peccatorum suadeas, & injungas; quod ad solitam D redeant unitatem, & tam ibi quàm alibi suis viribus ad reformationem civitatis intendant; inquisitionem adjuvent, & consilium ad promotionem ejusdem præbeant requisiti: scituri quod si, quod absit, super istis ad nos pervenerit iterata querela, ferent profectò qui rei fuerint onus sententiæ gravioris. Sed nec illud relinqui volumus impunitum, si tamen dicto veritas suffragatur, quod scilicet officialis venerabilis fratris nostri Massiliensis episcopi receptionem testium prædictorum personæ laïcæ contra fra- E trem sæpedictum MAURINUM dicitur commisisse, quod ex mero inquirens officio, si verum inveneris, suspensum ab officio & etiam beneficio, si quod habet, ab officialatu per eumdem episcopum indilatè jubeas amoveri, præfixo ei termino peremtorio & competenti, quo se nostro conspectui recepturus pro meritis repræsentet. Datum Viterbii II. Idus Junii anno secundo.

Eamdem Epistolam avenionensi & Carpentoratensi episcopis directam reperi in Tholosano fratrum Prædicatorum codice manuscripto. F



EPISTOLA CCCVIII.

Dilecto filio Magistro B. Languiselli archidiacono (a) Lantarensi in Ecclesia Tolosana capellano nostro. (a)

Mittit ei formulam sub qua reconciliari debeant Senenses.

A Longis retro temporibus vidimus in civitatibus & locis aliis ac populosis extolli aliquos supra merita, qui simplicium & fidelium animis immutatis quærunt quod sibi est utile, non quod multis, & confictis mendaciis ex ingenio pro republica stare se asserunt, cujus tamen utilitatem impediunt & impugnant. Hi sunt tauri quorum congregatio in variis populorum elata eos qui probati sunt argento nonnumquam excludit, dum & sibi ducatus illiciti auctoritatem arripiunt, & probatæ virtutis ad consortium justi regiminis non admittunt. Sanè si cives Senenses, quorum salutem quærimus, diligenter attenderent, quanto jam tempore tenebris involuti, à via veritatis erraverunt; quantùm Deum offenderint & Ecclesiam, piæ matri, sinum eis misericordiæ offerenti salubriter se committerent, nec illatis difficultatibus, & frivolis disputationum involucris vitæ suæ negotium impedirent. Quod itaque à cœcis ducibus seducti faciunt, qui ad ea nos aspirare confingunt, quæ numquam in nostrum animum ascenderunt; & cùm tibi pluries, ut audivimus, jam illuserint, contemtu nuncii non contenti, nobis etiam parare laqueum moliuntur. Verùm quia frustra rete jacitur ante oculos pennatorum, nec nos latent eorum astutiæ, qui plebem simplicem suis figmentis illiciunt & decipiunt, nolentes te ulteriùs verbis inanibus detineri; discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si ea complere valuerint & compleverint, quæ in forma sub bulla nostra quam tibi mittimus, continentur, rata manente absolutione; bonâ fide licet præpropere à te facta, cujus ex tunc apostolicâ supplemus auctoritate defectum: tam eis quam aliis, quos res tangit assignes terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentent, ut ad pacem inter eos celeriter reformandam, invocatâ Spiritus-sancti gratiâ procedamus. Quod si formam non acceptaverint supradictam, cui nec addi nec detrahi volumus unum iota, tu protinus, excusso pedum pulvere, ad nos redeas, ut apostolica benedictio ab eam nolentibus elongetur, & ad nos revertatur pax nostra; pacis ibidem filiis non inventis. Quo casu pristinas excommunicationis & interdicti sententias innovamus, quæ de facto ex abundanti gratiâ per te fuerant relaxatæ.

Anno 1266



(a) Al. Lancarensi.

FORMA SUPRADICTA.

Super quæstionibus Senensium intrinsecorum (a) & extrinsecorum cautio talis fiat. Syndicus communis seu universitatis Senensium promisit per stipulationem solemnem & sub pœna xx. millium marcharum argenti magistro Bernardo Languiselli, &c. ad hoc misso à domino CLEMENTE Papa IV. & ejusdem domini papæ nomine stipulanti, se & dictum commune seu universitatem ejusdem parituros & staturos universis mandatis & singulis ab eodem domino papa vel ab alio ejus mandato unâ vice vel pluribus proferendis, vel eidem universitati, seu ipsius rectoribus vel rectori per ejusdem domini papæ nuncios vel litteras intimandis super guerris & dissentionibus inter ipsos & sui comitatus ac districtus homines & fautores eorum ex una parte, & Senenses extrinsecos seu intrinsecos & fautores eorum ex altera dudum exortis, & super damnis & injuriis irrogatis invicem, seu datis, & generaliter super omnibus quæstionibus subortis ex guerris & dissentionibus supradictis. Dicta autem pœna totiens admittetur, quotiens contra dicta papæ mandata ex parte Senensium ventum fuerit seu factum, nisi infra mensem post monitionem ejusdem domini papæ eis missam, vel apud Romanam curiam in audientia publica satisfecerint competenter. Promittit etiam idem syndicus eidem Magistro B. nomine domini papæ stipulanti, quod ipse & dictum commune Senensium juxta ejusdem domini papæ beneplacitum treugam quam mandaverit, & pacem cùm præceperit, cum dictis suis adversariis facient & firmabunt. Et pro his omnibus complendis & observandis, & pro pœna prædicta solvenda, quotiens commissa fuerit, omnia bona præsentia & futura dicti communis eidem magistro B. nomine dicti papæ idem syndicus obligavit. Hoc acto expressè, quòd dicta pœna commissa semel vel pluries, & exacta mandata domini papæ, quæ tunc prolata fuerunt, in plena remaneant firmitate, & potestas alia proferendi penes ipsum remaneat illibata. Ad majorem autem omnium prædictorum firmitatem, idem syndicus hæc omnia & singula in suam & potestatis ac capitanei & aliorum officialium & omnium consiliariorum in generali consilio ad sonum campanæ more solito congregatorum, ipsis præsentibus & sigillatim mandantibus, tactis sacro-sanctis evangeliis juravit, & pro his omnibus observandis constituerunt se tales fidejussores & principales debitores, quisque in solidum: renuntiantes epistolæ divi Adriani, & constitutioni de duobus reis debendi, & beneficio quod fide jussoribus datur de principali prius conveniendo, & omni alii juris auxilio, quo se possent defendere vel vindicare contra prædicta, vel aliquid de prædictis. Dederunt etiam & concesserunt omnes & singuli, syndicus scilicet communis nomine, & fidejussores pro se & nomine proprio eidem magistro B. & per eum domino papæ prædicto plenam & liberam potestatem, si, quod absit, contingeret mandata ejusdem domini papæ non servari, & propter hoc pœnam in forma præscripta cum effectu committi, capiendi, & capta distrahendi, seu alienandi omnia bona eorum mobilia & se moventia, & jura, & nomina ubilibet constituta, & quibuscumque voluerit assignandi.

Actum est autem quod si Senenses extrinseci pro se & suis obligationem similem domino papæ non præstiterint infra mensem, cautiones intrinsecorum, quoad ea quæ tangunt extrinsecos, cassæ remaneant & inanes, de hoc fiant publica instrumenta.

Item, fiat publicum parlamentum, & juret syndicus quæ ad universitatem pertinent in animas singulorum, & fiant publica instrumenta.

Similis cautio fiat super guerra Urbeventanorum & Senensium, seu addantur hæ clausulæ (b) *addictum est autem expressè*. Quod si de castris vel villis, vel terris aliis, vel limitibus comitatuum sive districtuum quæstiones aliquæ sunt (c) inter ipsos ab antiquo seu guerram novissimam, de qua sopienda nunc agitur, parti alterutri competentes: de omnibus hujusmodi dominus papa partes debet audire de jure, & easdem concordiâ, si inter partes venire poterit, alioquin judicio terminare. De his autem castris, villis, aliis immobilibus quæ in guerra prædicta pars alterata occupavit, quæ quidem tempore motæ guerræ minimè possidebat, audito jure partium, sine figura judicii & de plano præcisè stabitur Domini papæ mandatis, sicut de aliis damnis datis.

(a) *Al. Deest* & extrinsecorum.

(b) *Al.* Actum est autem expresse. (c) *Al.* Super.

EPISTOLA CCCIX.

Simoni S. Ceciliæ presbytero cardinali.

Ut ecclesias & monasteria Urbis ab obligatione in negotio regni Siciliæ contracta solvere quantocius laboret.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Cùm Ecclesia Romana diversas pecuniarum summas ad opus carissimi in Christo filii nostri CAROLI regis Siciliæ illustris, cui eædem pecuniarum summæ pro negotio regni Siciliæ fuere traditæ, mutuò à quibusdam Romanis mercatoribus receperit, pro quibus possessiones ecclesiarum & monasteriorum Urbis pro magna illarum parte sunt mercatoribus ipsis specialiter obligatæ, ac in nostro habeatur beneplacito, ut Ecclesia eadem à debitis & obligationibus hujusmodi celeriter liberetur, volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ad hanc liberationem sollicitè procurandam intendens, præfatis mercatoribus instrumenta sive cartas vel litteras super eisdem confecta debitis restituentibus, ac refutationem finem & quietationem super debitis ipsis, prout opportu-

num

num fuerit, ac tuæ discretionis providentia expedire viderit, facientibus de prælibatis pecuniarum summis ex decima proventuum ecclesiasticorum, quæ pro negotio supradicto per te auctoritate apostolica colligitur; & si decima eadem non sufficeret, aliàs modis congruis quibuscumque poteris satisfactionem debitam & condignam absque difficultatis seu impedimenti vel tarditatis cujuslibet obice non differas exhibere. Datum Viterbii Idus Junii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCX.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Anxietatem suam de Senatoribus Urbis duobus aperit, & Pelavicini conversionem.

Anno 1266 ECce Roma suæ reddita libertati in sua conversa jam viscera nescit legem. Duo facti sunt senatores; prædones & fures intus & extra liberè debacchantur. Angimur enim ab eisdem; præcipuè propter debita quæ tu nosti, & pro quibus obligatæ possessiones ecclesiarum Urbis extiterunt; & nisi subvenias, ad casum labimur graviorem. Si qua ergo tibi compassio, si qua viscera pietatis, patri subveni, matri succurre, & de ore leonum nos libera rugientium. Succedent enim prosperè universa; si factum istud fuerit expeditum. PELAVICINUS cum Cremona, Placentia & nobilibus plurimis mandata nostra sine conditione qualibet juraverunt. Dilectus filius noster J. Sancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconus cardinalis (Johannes.) gravem & prolixum passus languorem, per Dei gratiam jam convaluit extra periculum constitutus. Datum Viterbii XVII. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXI.

Dilecto filio priori provinciali fratrum Prædicatorum Provinciæ vel ejus locum tenenti.

Scribit ei de excessibus à quibusdam ex suis in Maurinum ordinis Minorum inquisitorem commissis; & ut eos in alias provincias transferat.

Anno 1266 GRaves fratrum tuorum excessus, BENEDICTI scilicet, & subprioris domus ordinis tui Massiliensis & JOHANNIS GUIDONIS de conventu ejusdem, in fratrem MAURINUM de ordine fratrum Minorum inquisitorem hæreticæ pravitatis in certis regionibus diligenter & attentè discussimus: eò gravius tulimus, quò plurimam ministrarent materiam scandalorum. Quis enim admirari sufficiat BENEDICTUM prædictum in tam illicitam prorupisse licentiam, ut coram populo Massiliensi publicè convocato, sub prælatorum ac clericorum præsentia, dictum fratrem M. diversis affecerit contumeliis, A nec religioni deferens, nec officio, nec proprii etiam ordinis honestati? Quis postremò non stupeat prædictos alios duos fratres tam insolitæ præsumtionis audacia contra fratrem eumdem absentem, & à nullo citatum judice, testes procurasse produci super non levi crimine, sed gravissimo, coram laïco, nullamque penitus potestatem habente. Sanè quantò sincerius ordinem tuum diligimus, tantò duriùs perturbamur, cùm ab illis polluitur, qui profitentur eumdem. Quod si tu, sicut debueras, inter ipsa B temeritatis initia correxisses, profectò perdito nomine Babylonis, nec germen nec progenies, nec reliquiæ tam damnabiliter processissent; non fratres in fratres exacuissent ut gladios linguas suas, versi in cleri fabulam, derisum populi & contemtum. Unde licèt tribus prædictis fratribus tui ordinis injungi pœnitentiam salutarem fecerimus; volumus, & tibi in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus dictum fratrem BENEDICTUM in pro- C vinciam Franciæ, & duos alios in provinciam Narbonensem mittere non postponas, postquam illa compleverint, quæ eisdem per venerabilem fratrem nostrum Aquensem archiepiscopum injungentur; dictoque fratri BENEDICTO inhibeas, ne in partem aliquam tuæ provinciæ infra triennium veniat, dictisque duobus aliis fratribus, ne Narbonensem provinciam exeant infra idem terminum auctoritate districtius interdicas. Quod si tuum, imò nostrum interdictum hujusmodi violaverint; in eos ex nunc D excommunicationis sententiam promulgamus; quam tu eis cum exhibitione præsentium coram fratribus tuis decem ad minus insinues, sic singula quæ præmisimus peracturus, ne quod absit, te hactenus à negligentia non immunem de inobedientia quantò justius tantò severius arguamus. Datum Viterbii XVI. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXII.

E Carissimo in Christo (*a*) B. imperatori Constantinopolitano illustri. (a)

COmmune gaudium Deum amantium si te, ut asseris, propter Deum & in Deo lætificat, reddit te commendabilem in hac parte, quamvis olim notatus fueris, quod cum hoste pestifero M. nunc prostrato fœdus contraxeras amicitiæ, nec Deo, nec hominibus gratiosum. Sanè si spondeant nobiles, si potentes auxilium ad negotium (*b*) Romanæ Ecclesiæ, F divino muneri congaudemus, Dei clementiam deprecantes, ut illorum confirmet consilium ad sui exaltationem honoris. Nos enim illorum promovere propositum eo possumus confidentius, quò regni Siciliæ acquisitio ad inimicos Ecclesiæ prosternendos, ex omni latere (*c*) expeditius iter parat, licèt quod implicas de Teutoniæ Angliæque subsidiis locum hoc tempore

(*a*) Balduino. (*b*) *Al.* Romanum.
(*c*) *Al.* Expedientius.

sibi non vindicet, terris & adjacentibus intestinis periculis involutis. Sed speramus in Domino quod assumentibus dictum negotium ad honorem & gloriam sui nominis Deus manum non subtrahet adjutricem. Datum Viterbii XVI. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut collecta aut colligenda à defuncto Tyrensi archiepiscopo recipiat.

Anno 1266. CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus universa quæ bonæ memoriæ E. Tyrensis archiepiscopus pro subsidio terræ sanctæ collegerat vel colligere poterat, ubilibet constituta, & à quibuscumque personis debita exigas & recipias: detentores & debitores eorum per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstante si aliquibus à sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras dictæ sedis non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & alia qualibet ejusdem sedis indulgentia generali vel speciali, cuicumque personæ, ordini, vel dignitati etiam episcopali concessa, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam aut totaliter non insertam, effectus præsentium impediri valeat vel quomodolibet retardari. Datum Viterbii XVI. calendas Julii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCXIV.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut confirmet electionem abbatis de Evesham.

Anno 1266. OLim in minori officio constitutis post susceptam legationem in Angliam felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster suis nobis commisit litteris examinationem dilecti filii GUILLELMI de MALEBERGE in abbatem monasterii de Evesham ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis electi, ad confirmationem ejusdem, si personam ejus inveniremus idoneam ad hujus regimen abbatiæ. Sed præcluso nobis per Anglicos legationis ingressu, & obitu superveniente, mandatum explere nequivimus quod nobis injunctum extiterat ab eodem. Compatientes igitur ejusdem calamitatibus & pressuris, angustiis etiam & oneribus, quibus causis ex variis dicitur prægravari, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, A quatenus cùm electionis forma tamquam canonica ab eodem prædecessore nostro fuerit approbata, tu personam examinans, si sufficientem inveneris & idoneam, electionem de ipso factam auctoritate confirmans, munus ei facias benedictionis impendi, juramento ab eo recepto juxta formam quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam: alioquin eadem electione cassata, de persona idonea, si in ipso fuerit monasterio; aut si ibi reperta non fuerit, aliunde eidem monasterio studeas providere: B Forma autem juramenti quam ipse, &c. Datum Viterbii XIV. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXV.

Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De reconciliatione comitum Casertani & Acerrarum, de provisione ecclesiarum vacantium, deque clericis concubinariis.

Anno 1266. CAsertanum & Acerrarum comites vidimus C & recepimus, non ut comites, sed ut verè vel fictè conversos, quamquam de comite Casertano, propter matris devotæ consilium, opinio melior habeatur. Ammonitionem eis fecimus salutarem, sed nihil injunximus ex imperio, ignari si quid eis præcipere deberemus. Tua verò fraternitas animosè procedat, & personis ecclesiasticis ablata reddi faciat, nisi forsan amicabiliter convenerint cum eisdem, & ne oblivioni dederis venerabilem fratrem nostrum episcopum Aquinatum. Ammonitionem abbatis D sancti Petri de Ara gratam habuimus & ratam. Provide monasterio ejus, diffugio non obstante. De episcopis infelicibus, qui misericordiam nostram expectant, magnum macellum exigentibus, eorum demeritis in proximo faciemus. Provisionem in tua legatione vacantium ecclesiarum cathedralium, quarum numerum nobis scribes, nobis duximus reservandam. In vacaturis autem tam cathedralibus, quam aliis collegiatis ecclesiis, earumdem capitulis, & conventibus eligendi liberam reddimus facultatem, E nisi specialiter eam nobis duxeris reservandam. Sanè de clericis concubinariis, quorum premeris multitudine, certum tibi non possumus dare consilium: sed credimus expedire, quod aliquos & non paucos à beneficiis prorsus amoveas; illos præcipuè qui diutius & impudentius deliquerunt, & quorum pœna majoris esse terroris poterit & exempli: quos etiamsi dispensatione indigent, longa tenere te convenit expectatione suspensos; & cum aliis misericorditer agere poteris, sic tamen ut ecclesias non F retineant propter scandalum, in quibus publicè peccaverunt. Sed cum multas vacare oporteat per alternam translationem rectorum, prout tibi videbitur, consuli poterit talium paupertati. Porrò cum intellexerimus quod carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ, quem per litteras & per nuncios sæpe direximus in agendis, sua nimis prorogat parlamenta, non sine plurimorum dispendio, quorum petitiones variæ pariter protrahuntur, processus tuos sub

ſpe hujuſmodi ultra non protrahas, cùm perpendere ſatis valeas, quo propoſito ſeu quo fine oppreſſorum negotia protelentur. Demùm preces multas recipere, & à multis te credimus, & pro multis, quas ſi ſanè intelligas, uno loquendi genere ſatis potes, & debes credere pretioſas: ſed nullius tibi ſint pretii, ſicut Dei per gratiam caram habes & noſtram, & in tuam excuſationem prætendas id à nobis tibi prohibitum, ſi vereris faciem aliorum. Datum
(a) Viterbii (a) XII. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXVI.

Epiſcopo Belvacenſi.

Quod injuſtè queratur ſuper collatione præbendarum, gratias agit de collata nepoti ſuo.

Anno 1266 TUæ litteras faternitatis accepimus, genus mirabile querimoniæ continentes, tamquam te gravaverimus pro perſonis aliquibus preces porrigendo, nudas prorſus & ſimplices, cùm nec unam in tua eccleſia præbendam dederimus, nec litteras monitorias, nec executorias pro eadem. Sanè venit & rediit per nos ille glorioſus exercitus, quem ſic Dominus honoravit, ut elatam ad nubes ſuperbiam hoſtis publici in eorum manus proſterneret in momento; & ſi factum diligenter attenderes, deberes potius admirari, quod centum præbendas in diverſis eccleſiis cum litteris urgentiſſimis ad petitionem non dedimus redeuntium, quàm quod tibi preces porreximus pro duobus. Fateris nihilominus quod dediſti principibus, & de rogante conquereris, qui ſuum à te quærit & non tuum. Non ſic tecum, ut credimus, in hoc caſu prædeceſſores noſtri egiſſent, non ſic aget fortaſſe ſucceſſor. Sed moris eſt multis portare levius ex imperio procedentes, quàm in ſua ſimplicitate benivola precibus inſiſtentes, quamquam eas conditiones tacitè comitentur; ſi perſona videlicet pro qua ſcriptum fuerit id meruit; ſi Eccleſiæ id expoſcit utilitas, ſi jus alterius non offenditur, ſi profectò proviſio non tardatur. Verùm de præbenda noſtro, ut aſſeris, collata nepoti, fixum habemus, quod de noſtra actum non extitit conſcientia. Quod ſi facere legato placuit, ut licuit, res non magni favo-
(b) ris extitit, ſi (b) luctari contra juſtitiam voluiſti: ſed id ipſum ne parvipendere videamur, gratiarum proſequimur actione. Ceterùm tuas & tuæ preſſuras Eccleſiæ, quas ſcripſiſti, qua-
(c) rum (c) aliquid dudum novimus, diligenter evolvimus, & querelis generalibus expeditis, quas nobis dilectus filius archidiaconus Pariſienſis & JACOBUS Belvacenſis canonicus obtulerunt ſuper illis, quæ tuam ſingulariter tangunt & angunt eccleſiam, de fratrum noſtrorum conſilio omne remedium, quod honeſtè poterimus apponemus. Datum Viterbii x. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXVII.

Dilecto filio fratri Rogerio dicto (d) Baccon ordinis fratrum Minorum. (d)

Librum quemdam ſibi mitti mandat.

TUæ devotionis litteras gratanter recepimus, ſed & verba notavimus diligenter, Anno 1266
quæ ad explanationem earum dilectus filius G. dictus (e) BONECOR miles viva voce nobis (e)
propoſuit tam fideliter quàm prudenter. Sanè ut melius nobis liqueat quid intendas, volumus & tibi per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus, non obſtante præcepto prælati cujuſcumque contrario, vel tui ordinis conſtitutione quacumque, opus illud quod te dilecto filio RAYMUNDO DE LAUDUNO communicare rogavimus in minori officio conſtituti; ſcriptum de bona littera nobis mittere quàm citius poteris non omittas, & per tuas nobis declares litteras, quæ tibi videntur adhibenda remedia circa illa, quæ nuper occaſione tanti diſcriminis intimaſti, & hoc quantò ſecretius poteris facias indilatè. Datum Viterbii x. calendas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXVIII.

Epiſcopo Vicentino.

Hortatur ut in epiſcopatu perſeveret, gratiaſque agit de libro ſibi miſſo.

COnſideratis omnibus quæ ſcripſiſti, prout Anno 1266
in te variæ ſibi cogitationes (f) intercedunt, (f)
& in diverſa mens rapitur, conſultius tibi credimus inter maris elationes mutabiles fluctuanti
(g) inundationes ejus quaſi lac ſugere, & de (g)
cœlo auxilium præſtolari, quàm dimiſſo navis remigio eam ventis exponere cum tuorum diſcrimine ſubjectorum. Nec nos movet quod interdum tuo judicio littus aras, dum auditoribus prædicas obſtinatis. Hujuſmodi quidem (h) (h)
ſermo ab illa parabola multum diſcrepat, quæ profectum extollit ſeminis, & inſcio ſeminante creſcentis. Sic debes præſumere quod & proficit ſermo tuus, cùm eumdem (i) quemcumque (i)
judicas otioſum, qui tamen etſi in aliis non proficeret, tibi ſaltem fructum ſalutis acquirit, dum quodtuum eſt faciens, mereris præmium, de contingentibus nihil omittens. Librum verò quem nobis miſiſti lætanter recepimus: magnæ quidem inſtructionis eſt nobis, nec quicquam gratius mittere potuiſti. Hanc enim ab olim gratiam contulit nobis Dominus, ut ſemper ad-

(a) *Al.* XI. Calendas.
(b) *Al.* Luctari.
(c) *Al.* Aliquas.
(d) *Al.* Baton.
(e) Bonum-cor.
(f) *Al.* Succedunt.
(g) *Al.* Intonantes.
(h) *Al.* Sermonis veritas.
(i) *Al.* Quandocumque.

discere voluimus, semper nobis accepta fuerit A eruditio sapientum. Demum secretum tuum legimus, quod non credimus publicandum, nisi forsan id alicui vel aliquibus crederes profuturum, vel in mortis articulo, vel in vita, vel si publicè crederes expedire, juxta Moïsis & Johannis exemplum de te cautè quasi de alio loquereris. Carus es nobis, & parati ad ea quæ tibi prosint, nos tuis orationibus commendamus. Datum Viterbii x. calendas Julii anno secundo.


EPISTOLA CCCXIX.

Dilecto filio priori &... lectori fratrum Prædicatorum, Gardiano &... lectori fratrum Minorum in Monte-pessulano morantium.

Ut fratres suos invicem se mordentes compescant.

Anno 1266 ÆGrè ferimus, & amaro animo vobis admodum recensemus, quod à multis C nuper accepimus, quosdam scilicet ex vestris fratribus in tam illicitam prorupisse licentiam, ut invicem se occultè mordeant, & quod est gravius, etiam in sermonibus ad clerum habitis vel ad plebem verba effundere præsumserint detractoria in alterutrius vestrorum ordinum non levem infamiam, & certarum nihilominus personarum. Ut igitur extinguatur in posterum pravum seminarium tanti scandali, & inter vos fraterna caritas, prout decet, conservetur & D maneat illibata, discretioni vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus si quos ex utroque vel alterutro vestrorum ordinum fratres in Carcassonensi & Bellicadri Senescalliis, vel Provinciæ & Folcalqueriæ comitatibus, Arelatensi & Avinionensi civitatibus, & alibi in Arelatensi (a) provincia reos esse noveritis in prædictis, eos ad satisfaciendum personis & ordini quos verbo scandalizaverunt vel facto, eo modo quem honestiorem esse videritis efficaciter inducatis. Et E si quis ex eis ordinationi vestræ pertinaciter se opposuerint, exercendi in eos censuram ecclesiasticam, ipsorum ordinum vel alterius ipsorum privilegiis non obstantibus, tenore præsentium vobis concedimus facultatem. Datum Viterbii VIII. calendas Julii anno II.

F




EPISTOLA CCCXX.

Ad Theobaldum regem Navarræ.

Ut liberis Saraceni cujusdam baptizati bona restitui faciat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio THEOBALDO illustri regi Navarræ salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266 *Ex cartario compania.*

Dilecti filii Johannes clericus, Didacus, Sanctius, Petrus & Martinus laïci fratres, filii & heredes quondam Martini Sancii, sua nobis petitione monstrarunt, quod olim idem M. pater eorum, relicta Saracenorum perfidia, inter quos de nobilioribus terræ suæ originem traxerat, præsente claræ memoriæ rege Portugalliæ ac quinque militibus christianis, quos ab eo detentos in carcere libertati restituit, secundum formam Ecclesiæ extitit baptizatus, tradens christianis castra sua, quæ pacificè possidebat, & tandem ad regnum tuum se transferens, & in eo quamdam mulierem christianam matrimonialiter sibi copulans, procreavit decem filios ex eadem. Verum FORTUNIUS abbas sæcularis ecclesiæ S. Benedicti de Miranda ejusdem regni contra eumdem patrem ipsorum odio concitatus iniquo, cupiens bona confiscari ejusdem, ac falso confingens eum fore Saracenum, à Senescallo tuo capi procuravit eumdem, à quo ut confiteretur se Saracenum esse, tortoribus & cruciatibus traditus per annum & amplius, squallores carceris propter Deum sustinuit patienter, ipsumque præter id quod credens in hujusmodi mori tormentis petebat Eucharistiam & alia ecclesiastica Sacramenta, testimoniales quas habebat de suscepto baptismate litteræ ab hujusmodi angustiis nullatenus defenderunt, qui demum spoliatus ab ipso Senescallo bonis suis omnibus quæ in ipso regno habebat, evadens de carcere ad apostolicam sedem cum tribus ex eisdem filiis super hoc ejus providentiam imploraturus accessit: ubi sicut Domino placuit diem clausit extremum. Quia verò regum est proprium facere judicium & justitiam, ac defendere vi oppressos; Serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus, si ita est, & aliud rationabile non obsistat, facias dictis filiis & heredibus integrè restitui bona sua, non permittens eos, quantum in te fuerit, ab aliquibus tuæ ditioni subjectis indebita molestari. Datum Viterbii III. calendas Julii, Pontificatus nostri anno II.



(a) Al. Ecclesia.

EPISTOLA CCCXXI.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

Malatestæ quingentas libras Ravennenses dare secreto jubet, & quomodo se erga Anconitas gerere debeat.

Anno 1266 DIlecti filii nobilis *Malatestæ* & plurium aliorum de Marchia petitiones accepimus, sed eas nequivimus exaudire, cùm de comitatibus, castris, & terris ageretur, quæ nec danda, nec confirmanda duximus, fratrum concordi consilio repugnante. Verùm quia dictus nobilis familiariter nobis exposuit, gravatum se debitis & oneratum expensis, quæ per nos petiit aliquatenus relevari, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus quam primùm poteris, sexcentas libras Ravennenses des ei nostro nomine tam secretè, ut te & ipso dumtaxat consciis ad aures non transeat aliorum. Denique circa factum Anconitarum legem tibi non ponimus, sed videtur nobis & aliquibus conscientiam sanam habentibus, quod si ab eis decem millia librarum habueris, decet & expedit exactionem residui in suspenso manere, donec plenius videamus, quid futura pariant tempora, quæ ex causis latentibus adhuc credimus æstimanda suspecta. Datum Viterbii (*a*) IV. nonas Julii anno II. (a)

EPISTOLA CCCXXII.

Dilectis filiis fratribus Lotheringo & Cathalano ordinis militiæ Virginis gloriosæ rectoribus, consilio, & communi civitatis Florentinæ.

Providet eorum paupertati, mandatque ut Teutonicos à civitate expellant.

Anno 1266 CErtificati per litteras vestras de redituum paucitate, qui Florentinæ proveniunt civitati, discretionem vestram tenere volumus, de beneplacito nostro esse, quod pro vestris & vestrorum officialium ac ambaxiatorum expensis necessariis & honestis, ac castrorum & civitatis honesta custodia collectæ civibus interioribus imponantur, juxta vestræ prudentiæ moderamen: sed exterioribus in hoc tempore nihil volumus prorsus imponi, cùm satis aliàs sint afflicti. Sanè quia nec vestræ convenit honestati nostros & fidei inimicos in nostra necessitate teneri, dignosque supplicio ditari dispendiis, & infideles obsequiis fidelium honorari: universitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnes Teutonicos ibidem in armis morantes aut consuetos morari tamquam perfidos, & excommunicatos, & persecutores ecclesiæ manifestos licentiatis, & à vobis abjiciatis omnino: ita quod nec in civitate vestra remaneant, nec etiam in districtu, nec in vestris (*b*) dispendiis alibi ubicumque. Et (b) hæc vobis fratribus in virtute obedientiæ, & civibus in virtute præcipimus de parendo mandatis nostris præstiti juramenti, vestram in hoc (*c*) (c) providentiam non artantes, quominus per viros catholicos & fideles, ac communionem & gratiam apostolicæ sedis habentes, civitatem vestram faciatis, ut expedierit, custodiri. Datum Viterbii III. nonas Julii anno II.

(*a*) *Al.* Nonas Julii.
(*b*) *Al.* Stipendiis.

EPISTOLA CCCXXII.

Carissimo in Christo filio J. regi Aragonum illustri. Jacobo

Congratulatur ei de reportata victoria, hortaturque ad carnis victoriam à se adulteram repellendo.

DAtam tibi de cælo victoriam, quam tuis litteris & tui destinatione vexilli, nostris & fratrum nostrorum auribus simul & oculis injecisti, cum multa cordis exaltatione recepimus; & ei qui bella conterit, & cornua peccatorum confregit, grates debitas exsolventes, qui te suæ militiæ magistrum eligens, inimicos fidei Christianæ olim in tuis frontariis tua manu pessumdans, nunc in terris etiam alienis Murciam famosam satis inter alias civitatem tuâ curâ, tuâ industriâ, tuo studio, tuâ potestate perdomuit, & ad carissimi in Christo filii nostri illustris regis Castellæ dominium, à quo præsumta recesserant rebellione reduxit. Sanè quantò (*d*) victoriosior existis in præliis, tantò (d) humilior debes esse in ceteris, ut divino nomini soli debitam tibi gloriam non adscribas; quamquam in hac re gloriæ propriæ non deceat zelatorem, ut tecum pugnantem Dominum non impugnes, & qui hostes exteriores superas ab interioribus minimè supereris. Quid enim prodest reges in campo prosternere, & ab ancilla vel servo in domo viliter subjugari? Hæc scribimus, fili carissime, quia quod ægrè ferimus, tantorum victor hostium, à propria carne sic vinceris, ut divino timore postposito, illicitam tibi copulam non tuæ statuens mulieris, cum multorum scandalo circumducas (*e*) adulteram, & incestu cumulans adulterium, graviter oculos divinæ majestatis offendas. O quantam in tua gloria ponis maculam! O quantum sanguini tuo detrahis! Quantum honori derogas regiæ majestatis! Quanto te demum exponis discrimini vivens sub sorte misera, captivatus à muliercula, & velut bos ductus ad victimam trahi ad inferos te permittis! Quid tibi proderunt tuæ victoriæ? Quid trium- (e)

(*c*) *Al.* Vestram prudentiam non hortantes.
(*d*) *Al.* Virtuosior.
(*e*) *Al.* Adulterium.

phi? Quid sanguis regius? Quid potestas, si velut jumentum in terra fæcibus computrescas? Scito, quæsumus, & considera, quoniam advesperascit, & inclinata est à modo tibi dies, currisque cum ceteris ad finem inevitabilem, quem præfinivit Dominus omni carni. Nec te decet extrema polluere vitæ tuæ, quam nisi exitus honoraverit impollutus, ad regnum attingere numquam poteris, in quo nihil coinquinatum incurrit. Quocirca obtentu veteris amicitiæ, & paternæ compassionis affectu, serenitatem regiam monendam duximus & hortandam, quatenus ad cor rediens, te ipsum contra faciem tuam statuas, & quod inconsultè fecisti, consilio revocans saniori, mulierem mœcham abjicias, immo nequam, ut tam salubriter, quam (a) pudicè in bono compleas dies tuos, & de regno quod obtines temporali ad regni gloriam venias sempiterni. Datum Viterbii III. nonas Julii anno II.

EPISTOLA CCCXXIV.

Dilecto filio J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali.

De providendo custodiæ castri Collis-nigri, quod ipsius sororius & nepos olim obtinebant.

Anno 1266

DUdum tibi de subscripta materia scripsissemus, si fuisset expediens tuo statui tristia nunciari: sed quia credebamus contrarium, cum tuis egimus quod tecum rectius actum esset. Cùm enim ad nostrum pervenisset auditum, cives Romanos nobiles RICHARDUM PETRI, & PETRUM RICHARDI tuos sororium & nepotem carnis commune debitum exsolvisse, & propter hoc castrum Collis-nigri, quod ad vitam tantum habuerant, prout loci dicebant homines, ad Romanam Ecclesiam devolutum, nos timentes ne Romanorum audacia castrum dictum violenter intraret, unum ex nostris misimus capellanis, qui nostro nomine dicti castri possessionem accepit, nobis vel ei qui jus haberet in eo pacificè conservandum. Sanè postmodum intellectâ veritate negotii, quod dictus sororius tuus ritè condiderat testamentum, in quo animæ suæ consulens, jura Romanæ Ecclesiæ declaraverat, quæ diu fuerant occultata, quin à nobis possessio peteretur, nunc pro sorore tua quæ prægnans dicitur, nunc pro filia testatoris, nos demum ad petitionem dilecti filii nostri nobilis viri NEAPOLEONIS fratris tui in manu dilecti filii nostri J. sanctorum Cosmæ & Damiani diaconi cardinalis castrum dictum posuimus, quod utique posuissemus in tua sicut & tunc apertè diximus, si tibi tunc loqui de talibus licuisset. Nec credas contra jus aliquid nos fecisse. Vacantem enim possessionem accepimus, quam etiam si fuisset proprietas testatoris, donec nascatur posthumus, qui à patre dicitur institutus, vel quod absit, alium finem habeat, filiæ tradere minimè debebamus. Sed nec pro tua sorore petita fuerat legitimè, nec testamentum videre potuimus sæpius requisitum, ut ex ipso possemus instrui, quæ deberet provisio fieri prædicto posthumo seu matri. Cùm igitur minimè dubitemus quin tibi sit cordi & animæ defuncti consulere, & jura nostra quæ lacerata sunt in Sabinia conservare, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum testamentum quod scripsit Jo. Gregorii assignari tibi & nobis exhiberi procures, nosque de tuo consilio juxta etiam votum tuum de ipso castro & ejus pertinentiis taliter ordinabimus, quod nec tuo detrahetur honori, nec tua justitia deperibit. Datum Viterbii VIII. Idus Julii anno secundo.

(a) Al. Publice.

EPISTOLA CCCXXV.

Simoni Cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut mercatoribus de mutuo contracto facere satis invigilet.

Anno 1266

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Pluries nobis tuis litteris intimasti, quod nomina mercatorum Urbis, qui pro negotio carissimi in Christo filii nostri C. Siciliæ regis illustris sub nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine pecuniam mutuarunt, & quantitatem mutuatæ pecuniæ ignorabas. Volentes itaque super his te reddere certiorem, nomina & quantitates hujusmodi per singula tibi transmittimus in cedula præsentibus interclusa. Licèt postmodum à quibusdam aliis mercatoribus Romanis simile contraxerimus mutuum, pro quibus jam nostras, ut credimus, litteras recepisti. Præterea intelleximus quod illis mercatoribus Romanis, qui tibi instrumenta super eisdem confecta mutuis detulerunt, debitorum medietatem fecisti persolvi, & aliam medietatem sub certis conditionibus persolvere detulisti, prout in instrumento publico per manum Jacoppi Jacobi de Florentia inde confecto dicitur plenius contineri. Nos itaque solutionem hujusmodi factam illis mercatoribus, quorum nomina & quantitates debitorum in prædicta cedula continentur, ratam habentes, volumus & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus omnibus in cedula præfata contentis, quibus non est satisfactum, satisfacere non omittas, ut eis Ecclesia Romana, & alia loca ecclesiastica Urbis propter hoc non remaneant obligata: proviso quòd antequam eis satisfiat omnia instrumenta super debitis confecta prædictis, & nihilominus refutationem solemnem ab eisdem mercatoribus vel eorum idoneis procuratoribus tibi facias exhiberi. Datum Viterbii VI. Idus Julii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCXXVI.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato.

Ut erga Urbinates faciat quod juris fuerit, an apud Forum-Sempronii faciendæ sint munitiones ipsius relinquit judicio.

Anno 1266 PLusquàm multis placuerit, & forsan adhuc placeat tibi detulimus, & nihilominus scribis nobis quasi vir providus, ac si nostram timeas inconstantiam, quam tamen hactenus non probasti: immo verisimiliter æstimare potes & debes, quod qui clamores Anconitanorum, Firmanorum tonitrua, & aliorum plurium verba comminatoria non timuimus, ad vocem non movebimur Urbinatum. Fac ergo utiliter quicquid tibi faciendum incumbit, sub justitiæ tamen regula, cùm iratus fueris misericordiæ reminisceris. Nos enim pro te scribimus, sicut & stetimus, quantumcumque patietur honestas. De fortalitia apud Forosimphronium facienda tu magis scire potes quid deceat, quid expediat, & id tuæ committimus voluntati. Hoc dumtaxat attendas quod possit perfici & facta utiliter custodiri. Datum Viterbii (a) vi. Idus Julii anno II.

EPISTOLA CCCXXVII.

Dilecto filio abbati monasterii S. Johannis Angeliacensis.

De solvendo ipsius debito.

Anno 1266 SI melius æstimas Deo & ejus vicario complacere, quæ recta sunt consulendo, quàm aliorum favorem quærere, qui ut de circumstantiis non loquamur, ducuntur propriæ beneplacito voluntatis, facilè timorem abjicies, qui sine culpa tibi videtur incuti, & etiam sine causa, nec caret admiratione condigna, quod qui in talibus apud nos precibus nihil possunt, credunt in locis obtinere remotis, quod à nobis denegatur expresse: præsertim cùm sciant Venerabilem fratrem nostrum R. Albanensem episcopum ea nobis affectione conjunctum, ut patri debitam reverentiam non ignorans, sciat utique quid veteri debeatur amico, quid apostolicæ sedis honori, quæ si suos contemtus in hoc tempore vindicare neglexerit, multis dabit audaciam committendi similia vel pejora. Finem ergo loquendi recole. Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Verùm super tuo debito, de quo scribis, licèt olim spoponderimus quod scripsisti, mutavimus tamen sententiam, ut parati ad detrahendum aliqui nihil possint invenire quod mordeant in ejusdem fratris nostri processibus, nec maculam possint ponere in tantæ gloria puritatis. Faciemus ergo Franciscum quiescere, & datum tibi solutionis terminum prorogare. Quod si non faceret, debitum persolvemus; & idcirco non timeas juramentum. Tu verò cogita si de tui monasterii prioratibus vacaturis duobus aut tribus retinendis ad tempus tibi consuli bonum esset, vel legationis finem expecta, vel si forsan honestum aliquod emolumentum ob aliquorum reatum in eadem emergat, unde tibi valeat provideri: alioquin de nostro servare maluimus te indemnem, quàm legatum & ejus latera peracutis exponere dentibus æmulorum. Datum Viterbii v. Idus Julii anno II.

(a) Al. II. Idus Julii.

EPISTOLA CCCXXVIII.

Carissimæ in Christo filiæ M. reginæ Franciæ illustri.

Anno 1266 INter conditiones ceteras quibus viro magnifico, quem tu nosti, datus est nobilis principatus; illa pluribus fuit adstricta funiculis, quam tua Serenitas plus videtur habere suspectam. Unde scire te volumus, quod tanta diligentia, tantaque prudentia, circa illa extitit laboratum, quod nec tibi nec alii superest aliquid ex illa parte timendum. Quod autem de tua littera fecimus, si tibi videbitur, sic facias tu de nostra. Datum Viterbii III. Idus Julii anno II.

EPISTOLA CCCXXIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut nobili viro Thomæ de Cociaco ad terræ sanctæ defensionem se præparanti subsidium conferat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Clara merita dilecti filii nobilis viri THOMÆ DE COCIACO nostri & ecclesiæ Romanæ devoti nomen devotionis laudabilis & magnæ strenuitatis sibi vindicasse noscuntur. Et licèt vir semper famosæ bonitatis extiterit, in negotio tamen Ecclesiæ & carissimi in Christo filii nostri C. Siciliæ regis illustris, sic se reddidit famosum, promtum, & strenuum, quod de ipso multa laudabilia prædicantur, plura etiam quàm præsentibus enarrentur. Porro ut suæ devotionis claritas pleniùs elucescat, & ut crescat potius apud Deum suorum cumulus meritorum, proficisci disponit, sicut nobis exposuit, pro cultu Christiani nominis in subsidium terræ sanctæ. Verùm quia pro Ecclesiæ ac regis prædictorum negotio prosequendo magna, sicut asserit, subiit onera expensarum, seque gravibus debitis hac occasione subjecit, eratque prius, ut asserit, aliis gravibus debitis obligatus, foret ei difficile,

immò verius importabile, ultramarinum laborem aggredi, nisi necessario sibi contingeret auxilio provideri. Nos igitur qui circa dictæ terræ succursum intenta sollicitudine cogitamus, cum venerabili fratre nostro... episcopo Tusculano & dilecto filio nobili viro PETRO Camerlingo, qui qualitatum & conditionum dicti nobilis pleniorem dicuntur habere notitiam, collationem habentes, invenientes quod sicut de illorum consilio procedere videbatur, quod illi terræ per ejusdem nobilis præsentiam, annuente Domino, salubria poterunt commoda pervenire, nobilem eumdem ad exsequendum conceptum in hac parte propositum duximus paternis exhortationibus inducendum. Ideoque discretionem tuam rogamus & hortamur attentè, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus præmissis provida consideratione pensatis, eidem pro tam salubris executione propositi, de centesima & redemtione votorum collectis in regno Franciæ pro dictæ terræ subsidio, de consilio carissimi in Christo filii nostri... regis Francorum illustris, cui super hoc scribimus, congruè subvenire procures: ita quod hujusmodi subventionis defectu terra præfata non perdat tanti viri servitium: quin immo per ejus strenuitatis sollicitudinis & devotæ promtitudinis studium sperata commoda, divina faciente clementia, consequatur. Datum Viterbii II. Idus Julii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCXXX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Gaufrido Forrier cruce signato provideat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus, servus servorum Dei dilecto filio S. tituli sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Zelo devotionis accensus dilectus filius nobilir vir GAUFRIDUS dictus *Forrier* de Vernolio Andegavensis diocesis, prout ipse nobis exposuit, in terræ sanctæ subsidium cum uno milite, quem propriis secum ducet expensis, crucis assumto signaculo transfretare proponit. Nos igitur propositum ejus in hac parte laudabile commendantes, illudque favoribus apostolicis prosequentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem nobili parato hujusmodi propositum adimplere, de centesima redituum ecclesiasticorum regni Franciæ crucesignatis in subsidium prædictæ terræ concessa, juxta suæ nobilitatis decentiam, & secundùm quod expedire videris, de consilio carissimi in Christo filii nostri... Regis Francorum illustris ei provideas, vel facias per alium provideri, ut votum suum per hoc liberius & efficacius exsequatur. Datum Viterbii Idibus Julii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCXXXI.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Arnulfum capellanum suum ei commendat.

SIcut omnes quadam dulcedine natale solum allicere consuevit, sic & terret ad exteras & invisas præcipuè nationes translatio; nisi forsan cogat necessitas, quam plerumque sano consilio transfert vir sapiens in virtutem, & ubicumque sibi Deum adesse confidens patriam sibi judicat esse solum. Sanè dilectus filius ARNULPHUS capellanus noster, ad ea quæ nosti nuper familiariter invitatus à nobis, spiritum promtum habens, carnem autem infirmam, de nostri & dilecti nostri filii G. tituli S. (a) Marci presbyteri cardinalis, tuam adit præsentiam, ut videat quod offertur; cùm subjecta res oculis reddat fidelius testimonium, quàm dimissa per aures vel litteras se fraternitati finaliter, prout credimus & speramus, judicio pariter & consilio commissurus. Verùm quoniam ex condicto sic ad præsens recedit à nobis, ut si sibi terra non placeat, ad nos redeat gratiosus; sic & ipsum ad te transmittimus, ut si forsitan illuc duxeris retinendum, eum benignè promoveas, & promtum fulcire non desinas consilio & auxilio opportunis; & si reditum prælegerit, sicut cum nostra, sic & cum tua gratia revertatur. Datum Viterbii Idus Julii anno II.

EPISTOLA CCCXXXII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Totus in ejus effertur laudibus, suadetque ut fideles suos secum retineat, dimissosque revocet.

Anno 1266 FAvus paternæ dulcedinis erga te, quem anima nostra prædiligit, de labiorum nostrorum eloquio cum rore suavitatis emanet, dum ex intimo tibi propinamus affectu, quæ tuis inhærentia sensibus, delectationis augmentum præbeant, fructum salutis germinent, & regalem præeminentiam nominis suique magnificos titulos honoris extollant, de plenitudine quidem caritatis talis consurgit affectio, mentem patris instantia quotidiana sollicitans, ut amantissimum filium frequenti visitatione lætificet, ac eum assiduæ benedictionis aspersione fecundans; intenta, vigili & curiosa meditatione prævideat, quod laus ejus & gloria & apud Deum crescat, & in gentibus exaltetur; quod felix status suæ celsitudinis præservetur, quod

(a) Al. S. Martini.

Anno 1266 (a) Guillelmi.

eventus

eventus cautela aut futuros anticipet, ne felicitatis angusta tempora quicquid sub nubilo turbationis vel adversitatis angustet. Profectò, fili carissime, circa conservandam status tui gloriam non indignè pensamus. Tu enim es electus à Domino in sui populi defensionem. Tu gentibus quæ (*a*) ambulabant in tenebris serenitatem lucis secundum datam tibi divinitus gratiam reddidisti. Tu quies ecclesiæ, tu pax fidelium turmarum, securitas & tranquillitas regionum. O cum quanta mentis anxietate quæsivimus, quàm profundis cogitationibus nos, & nonnulli prædecessores nostri Romani pontifices cum fratribus nostris adhibuimus labores & studia, ut te nobis in adjutorem ipsius Ecclesiæ divina clementia largiretur, quod tuo studio ab innumeris, quibus subjacebat oppressionibus eadem ecclesia liberata sub gaudio libertatis (*b*) in Domino respiraret! Et quia summa providentia nostris desideriis condescendens, te nobis pia miseratione concessit, tibique contra hostes de victoria gloriosa providit, & regnum Siciliæ imperio tuo sic victoriosè subjecit, nos & universalis Ecclesia tamquam de multiplicium anxietate laborum ad optatæ quietis votiva solatia redeuntes, plenis in Deo nostro gaudiis exultamus; in hoc potissimè nostrorum plenitudinem cogitatuum effundentes, ut sublimia tui solii culmina magnifica semper incrementa suscipiant, nullius inquietudinis turbine perturbata. Videmus igitur multipliciter expedire, ut ad ipsius regni custodiam argumentosâ solertiâ diligenter intendas. Nam sicut in manu forti extitit (*c*) acquisitum, sic te non minus forti, sed fortiori decet sollicitè custodire: Ad quod (*d*) decet, & convenit multiplici ratione dextram regiæ liberalitatis extendi. Operatus est enim totum ex alto Deus, & præter communis opinionis judicium manum gratiæ cælestis aperiens, tibi & exercitui tuo, extremas quasi patientibus inopias & defectus, capite bellatorum prostrato, in tuis manibus dictum regnum tam nobile, & ejus opulentiam inæstimabilem cum multis magnatibus & eorum liberis ac uxoribus ac thesauris sub paucorum dierum brevitate conclusit; quadam infert tacita consequentia, ut effundi liberalius, discretionis tamen judicio, debeant, quæ Dei providentia simul ac subitò tibi concedenda decrevit. Est & aliud quod regum excellentia sicut divitiis affluit, sic ab ipsa requiritur, ut affluenti liberalitate dispenset suæ beneficia largitatis. Est nihilominus advertendum, quod in ipsius acquisitione regni, & tui prosecutione regiminis, licèt ad omnia te justè processisse credamus; tamen plurimos offendisti, plerique animo tibi sunt hostes & æmuli, qui devotum prætendentes aspectum, ad tuam offensam forsan insurgerent, si, quod absit, loci vel temporis opportunitas se offerret. Quid est igitur, quod talibus non pensatis, nonnullos ex defectu (*e*) decentium præmiorum abire de tua sequela permittis, quos utiles & valdè necessarios tuæ societati cognoscis? Numquid non merentur consolationis fieri participes, qui pœnarum & laborum tecum fuere consortes? Numquid tutum reputas, ut solus remaneas inter extremas nationes, ubi fortè plures habes occultos æmulos quàm amicos? Attende situm quam obtines regionis: an enim inter scorpiones nunc habites ignoramus. Sed si latera tua respexeris, hinc Saracenos, hinc Græcos, hinc civitates maritimas magni nominis, hinc Teutonicos, hinc multos barbaros circumjacere reperies, qui nec te possunt, nec tuam diligere nationem. Quæsumus igitur, ut cumulans tibi potentiam subjectorum tecum plurimos retinere studeas, de quorum probata fidelitate & strenuitate confidis, & etiam de aliis revoces quos strenuos & fideles, tibique devotos recedere permisisti, nec eisdem bona feuda ac pinguia distribuere verearis. Satis enim feliciter abdicantur, quæ residua majora conservant, ad quod tui sanguinis exempla te provocant, qui de terris quas acquisierant portiones non modicas his qui belli sudores pertulerant contulerunt, ne quivis defectus intercidat, quo in eodem regno multis parto laboribus aliquid in tuam contumeliam vel turbationem emergat, sed tamquam rex magnanimus ad Dei laudem & præfati regni munimen liberales manus aperias. Nam qui te provexit ad grandia, potens est ut tuum superexaltet solium, & efferat te ad sublimioris excellentiam dignitatis.

EPISTOLA CCCXXXIII.

Dilecto filio J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali.

De absolutione Neapoleonis & fratris ejus & commissis ipsi castris Mon. S. Pauli.

Venientes ad nostram præsentiam Ja. Neapolionis & fratrem ejus ac R. interfectorem quondam Busardi de consilio fratrum nostrorum absolvimus, juramentis eorum receptis, & fidejussoribus idoneis de nostris parendo mandatis super his pro quibus excommunicati erant & super offensis in nos & te in Sabinia commissis. Ad danda autem mandata non processimus nisi super castris Mon. sancti Pauli, quæ eidem reddi mandavimus. Super aliis autem si in adventum suum dilata fuerint, tuum dabis consilium, qui de multis scire poteris melius veritatem; & si antè danda fuerint, id nihilominus requiremus. Datum Viterbii XVII. calendas Augusti anno II. Anno 1268



(*a*) Al. Ambulant. (*b*) Al. Posset in Domino respirare. (*c*) Al. Exquisitum, (*d*) Al. Oportet & convenit. (*e*) Al. Decedentium.

EPISTOLA CCCXXXIV.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Ut amicabiliter cum fratre ſuo rege Francorum componat de gabella Rodani.

Anno 1266 QUantò cariſſimo in Chriſto filio noſtro regi Franciæ illuſtri germano tuo te novimus cariorem, teque multis ex cauſis eidem ad viciſſitudinem caritatis adſtrictum; tantò tibi propenſiùs credimus laborandum, ut inter te & ipſum omnem materiam ſcandali, omnem cauſam diſſenſionis abſcindas, in his præcipuè (a) quæ juri ſunt (*a*) conſona, quamquam ad alia quæ gratiam ſaperent facilem te reddere deberes. Novit ſanè tua ſerenitas, quotiens te litteris, quotiens vivâ voce, quotiens miniſterio bonorum & fidelium nunciorum excitandum duximus, ut quæſtionem gabellæ Rhodani multis ſuſpenſam tractatibus, ex qua proceſſerunt multa inepta, multúmque turbatus eſt animus fratris tui, per viam amicabilem ad finem perduci congruum procurares; quod quia factum non extitit, idem rex frater tuus ſatis ægrè ferre videtur, prout & litteræ nobis indicant aliquorum, & verba nihilominus fide digna. Nunc autem ſuos ad te deſtinat nuncios, qui ſuper hæc te conveniant reverenter, & quæ fratri debes inſuper à te petant, ſcilicet VIII. mil. marcharum argenti de dote ſibi cum cariſſima filia noſtra uxore ſua promiſſa, & alia ſeptem millia quæ tibi credidit ad bonæ memoriæ ſoceri tui debita perſolvenda. Quocirca tuam duximus excellentiam monendam pariter & rogandam, quatenus eorum nunciorum verba & patienter audiens, & benignè ſuſcipiens, non (b) turberis; ſed fraternæ gratiæ non (*b*) ingratus, & eorum quæ tibi liberaliter ultra mare donavit, memoriam ſemper habeas, & debita repetenti ſatisfacias nunc ſi potes; aut ſaltem ſic reſpondeas, ut placari tuo reſponſo debeat (c) potius quàm turbari. Datum Viterbii (*c*) XVII. calendas Auguſti anno II.

EPISTOLA CCCXXXV.

Ad S. Ludovicum regem Francorum.

Ei commendat abbatiam S. Ægidii.

Anno 1266 *Ex archivis S. Ægidii.* CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio regi Francorum illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Noſtram non præteriit memoriam, quod nobis villa S. Ægidii ortum dedit, & monaſterium inibi ſitum, dum conditionis noſtræ ſtatus circa minora verſabatur officia, nos multipliciter honoravit. Hoc enim affectum noſtrum A ſollicitat, ac nihilominus illius loci ſanctitas & honeſtas noſtrum inducit animum, ut ad monaſterium ipſum ſpecialis dilectionis conſiderationem habentes, illud internæ mentis aſpiciamus oculis, & ad ejus incrementa libenter in quibus expedit operam præbeamus. Licèt igitur regalis pietas ad divini cultum dedita nominis, circa bonorum jurium & libertatum conſervationem eccleſiaſticorum ſe promtam exhibeat & benignam, cunctique religioſi de tui favoris patrocinio gratulentur, nos tamen ſpem grandem ac plenam fiduciam obtinentes, ut cari noſtri, quos tibi B ſpecialiter commendamus, noſtri, obtentu te gratioſum amplius & favorabilem debeant invenire, pro dilectis filiis abbate & conventu monaſterii ſupradicti ſerenitatem regiam rogamus & hortamur attentè, & requirimus ex affectu, quatenur eoſdem abbatem & conventum, dictumque monaſterium habens, pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia, propenſiùs commendata, libertates & privilegia eis à progenitoribus tuis conceſſa, illis ſervare velis integra & illæſa, in manu, tenendis ac ab injuriis, jacturis & moleC ſtiis, protegendis ſuis bonis & juribus eis aliàs, quantum in te fuerit opportunum, favoris & conſilii auxilium impenſurus: ita quod ipſi abbas & conventus interceſſionem noſtram ſibi cognoſcant, ut optamus, utiliter affuiſſe, ac nos regali excellentiæ ſpeciales proinde gratias cum laudibus dignis rependere debeamus. Datum Viterbii XV. calendas auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

D

EPISTOLA CCCXXXVI.

Cariſſimo in Chriſto filio L. regi Siciliæ illuſtri.

Commendat ipſi fratres Cartuſienſes, ſed præſertim Pariſienſes quos fundaverat.

CArtuſienſis ordinis, cujus ſinceritas in ſua ſimplicitate non deficit, ſed quaſi lux ſpendens uſque ad diem perfectum creſcit, Domino Anno 1266 E promovente oblivíſci non poſſumus, & ex noſtro affectu alios æſtimantes, quem amamus tenerrimè amicis ſpecialibus commendamus. Hoc probavit tua ſerenitas, cùm minori fungeremur officio. Nam quotiens à te receſſimus, niſi fallimur, ultima verba noſtra recommendationem ejuſdem ordinis continebant. Aucta igitur in nobis ad eumdem dilectio pro eo ſcribere tuæ celſitudini nos compellit, quam (*d*) (d) attentiùs duximus deprecandam, quatenus toF tum ordinem, ſed ſpecialiter domum Vallis-viridis prope Pariſius, quam plantaſti, pro noſtra & ſedis apoſtolicæ reverentia, in tuorum remiſſione peccaminum, oculo pietatis reſpiciens, ſis eis benevolus & beneficus, & eiſdem defenſor aſſiſtas conſiliis & auxiliis opportunis. Datum Viterbii XV. calendas Auguſti anno II.

(*a*) *Al.* Contraria. *Al.* (*b*) Ignaris.
(*c*) *Al.* XV. Calendas.

(*d*) *Al.* Hactenus.

EPISTOLA CCCXXXVII.

Dilecto filio magistro Heliæ capellano nostro.

Ut cives Pisanos sub certis conditionibus ab excommunicatione & interdicto absolvat.

Anno 1266 AD nostram nuper accedentes præsentiam viros providos & discretos Gerardum Rubeum, Gerardum Vice-comitem judicem, Lambertucium (*a*) Armigoffi juris professorem, (*b*) Tempavellum judicem, Guidonem Paucíam, & Raynerium de sancto Cassiano judicem communis Pisanensis ambaxiatores seu nuncios recepimus; & licèt eisdem publicam obtulerimus audientiam, ipsi tamen privatâ contenti, nobis humiliter supplicarunt, ut sicut aliquæ Tusciæ civitates datis cautionibus competentibus de nostris parendo mandatis, gratiam absolutionis à nobis habuerant, sic in suas latas personas & terram excommunicationis & interdicti sententias faceremus misericorditer relaxari, quod à te obtinere nequiverant, ut dicebant, licèt juratorias & pignoratitias cautiones, quas exegeras ab eisdem tibi nostro nomine requirenti non sine magno gravamine præstitissent. Sanè tuis edocti litteris, eisdem respondimus, quod per eos & eorum concives steterat, quominus per tuum ministerium factum esset quod à nobis decreverant postulandum, cùm tu eos velles absolvere, ut à nobis receperas in mandatis. Sed apertè prædicebas eisdem quod si regnum forsitan (*c*) Turritanum vel alias Sardiniæ partes invaderent, eo ipso in pristinas relaberentur sententias; & ipsi absolutionem tuam, licèt pura non conditionalis existeret, cum hac tamen prædictione recipere noluerunt, de quo nobis per publicum constitit instrumentum. Tandem ipsis rem gestam sub alio tenore narrantibus, & finaliter postulantibus, ut nostram tibi scriberemus lucidè voluntatem, votis annuimus eorumdem, discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus si commune Pisanense & cives transferendi depositi, quod tu Pisis penes aliquas personas Ecclesiasticas collocasti, plenam tibi concesserint libertatem, ab excommunicationum sententiis juxta traditam per primas litteras tibi formam absolvas eosdem, & sententiam seu sententias interdicti in civitatem Pisanam & ejus districtum relaxes publicè & apertè, prædicens eis, quod si translationi prædicti depositi verbo vel facto se opposuerint, vel impedimentum quodcumque præstiterint, vel præstari per alios procuraverint, clam vel palam, vel cùm prohibere possint, non prohibuerint; in pristinas interdicti & excommunicationis sententias, ipsi & eorum civitates & districtus, eò ipso protinus relabentur. Idem erit per omnia si judicatum seu regnum (*d*) Turritanum invaserint, vel in eo Ecclesiæ Romanæ possessionem turbaverint, vel alias partes Sardiniæ, quas ab olim non possederint intraverint, animo possidendi, vel jus sibi vel auctoritatem aliquam in eadem sine apostolicæ sedis licentia acquirendi seu etiam obtinendi. Nos enim in eos & civitatem ac districtum ejusdem, si contra prædicta venerint, vel aliqua de prædictis, dictas interdicti & excommunicationis sententias tulimus, contra eos gravius processuri, si, quod absit, hoc exigat contumacia eorumdem, & si non humiliter obedierint, adeo benivolè laborabimus quæ ad pacem eorum pertinent & salutem. Datum Viterbii XIV. calendas Augusti anno II.

(*a*) *Al.* Arangoffi. (*b*) *Al.* Tebanullum.
(*c*) *Al.* Curritanum. *Al.* Turrianum. (*d*) *Al.* Curritanum.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali, Marchiæ Anconitanæ & ducatus Spoleti rectori, apostolicæ sedis legato.

Ipsius committit prudentiæ agenda cum Firmanis.

IN nostra præsentia constitutus Laurentius, Anno 1266 Teopoli civitatis Firmanensis potestas, multis propositis, in summa tria petiit attenuari, scilicet quantitatem quam petebas à civibus, & tam solutionis terminum, quàm alium quem eis dederas ad jura sua tuo exhibenda judicio prorogari; quo prout decuit, de fide veteri commendato, & de novis excessibus increpato, nihil à nobis habere potuit, nisi quod nostrum tibi beneplacitum scriberemus. Attendat igitur tua discretio pro conditione personarum & temporum, quid tibi cum eis videatur agendum, quod nobis utique melius scire potes. Firmani siquidem, licèt retroactis temporibus se interdum bene habuerint, istis tamen à felicis recordationis ALEXANDRO & URBANO prædecessoribus nostris, tamquam Romanæ proditores, & novissimæ factionis auctores expressè fuerunt, & publicæ excommunicationis vinculo innodati: quos si in gratia Anconitanis æquaveris; vide an justum reputetur aut æquum. Totum tamen prudentiæ tuæ committimus, quamquam in duobus terminis cum termino debito prorogandis, te possis reddere facilè gratiosum: Unum scias quòd nos cum venientibus ex his causis ad nullum finem venire volumus, ut & tuo provideamus honori, & ut eis negotiandi materiam apud nos auferamus, quàm si apud latera tua invenerint, & quod tu debes recipere alii deglutiverint, nimis ægrè feremus, laturi æquanimiter quod de tua liberalitate procedet. Datum Viterbii XI. calendas Augusti anno II.



EPISTOLA CCCXXXIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut prædicationi crucis per se aut per alium instet.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Quæ nobis per dilectum filium JOHANNEM DE VALENCENIS militem vel publica vel secreta scripsisti, diligenter inspeximus, post deliberationem aliquam de his tibi per proprium nostrum nuntium rescripturi. Interim autem per te & alios crucis negotium diligenter prosequere, quod tibi plenius committemus; sic tamen ut quando & quotiens tibi placuerit subducere possis humeros oneri, si te gravet: quod apud te volumus & præcipimus esse secretum. Nos verò te & Romanam Ecclesiam liberare satagas à Romanis. Datum Viterbii XI. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCXL.

Dilecto filio Guillelmo de Portu Jurisperito seniori.

Approbat quæ fecerit super nata in Rodano insula.

Anno 1266 QUæstionem de finibus inter vos & monasterium S. Ægidii super quadam insula nata in Rodano dudum exortam electus à dilectis filiis abbate & conventu ejusdem monasterii ex una parte, & Petri Reybaldi ex altera, arbitrator aut arbiter, loca tuis subjiciens oculis diceris decidisse. Licèt autem incerta locorum imaginatio & nova nomina (a) possessorum veritatis substantiam occultaverint: nos tamen de tua fide, quam dudum probavimus, præsumentes, firmiter credimus de te bono & æquo in omnibus & per omnia processisse: & ideo dictum tuum ex certa scientia approbantes, confirmavimus quod fecisti, & quod pro his tibi placuit laborare, devotionem tuam debitâ gratiarum actione prosequimur. Datum Viterbii VIII. calendas Augusti anno II.

EPISTOLA CCCXLI.

Dilecto filio J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali.

De inquisitionibus adversùs Rutenensem episcopum faciendis.

Anno 1266 ÆQuanimiter moram tulimus; quam traxisse Perusii noscitur venerabilis frater noster Rutinensis episcopus, sub tuæ, ut creditur, expectatione salutis, qua ex causa processum suspendimus contra ipsum inchoatum ibidem, non sine Ecclesiæ sibi creditæ discrimine pariter & jactura & continua oblocutione multorum. Sanè jam tibi reddita divinæ providentiæ munere sanitate, crescit contra nos obsequentium murmur, immo veriùs insultantium objurgatio manifesta, illâ ratione præsertim, quia contra Tholosanum episcopum procedi facimus incessanter, & contra istum quem detestabilis turpitudinis urgent indicia non procedimus, tamquam sit apud nos personarum acceptio, quam in aliis reprobamus. Quocirca nolentes imperfectum relinquere quod incœpimus, ad nostram præsentiam eum duximus per latorem præsentium advocandum, & præfigere ei terminum, quo coram examinatoribus testium seu inquisitoribus, quos in partibus suis dedimus, personaliter vel per procuratorem sufficienter instructum compareat, prout magis negotio crediderimus expedire. In hoc tamen gerimus tibi morem, quod si lectis præsentibus litteris differri aliquantulum tibi placuerit citationem ejusdem, quod tibi conscientia dictaverit in hac parte, sustinebimus patienter. Nam latorem istarum instruximus, quod litteras nostras alias dicto non reddat episcopo, donec tuam super hoc sentiat voluntatem. Tu verò, fili prædilecte, considera quid Deo gratius, quid suæ convenientius æstimes honestati. Datum Viterbii VII. calendas Augusti anno II.

(a) Al. Possessionum.

EPISTOLA CCCXLII.

Episcopo Rutenensi.

Ut coram se processum inquisitionis adversùs ipsum consummaturo infra die VIII. compareat.

CUm dilecti filii nostri J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconi cardinalis diu Perusii moram trahens desideratam à nobis expectaveris sanitatem, & jam Deus ipsum respiciens & optatæ saluti restituens, nos ac fratres nostros reddiderit lætiores; tempus esse credimus, ut ad nos venias, & propositum nostrum intelligas, & de inquisitionis processu contra te inchoatæ, quam ad finem quem Deus dederit, cupimus consummari. Ideoque fraternitati tuæ in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus infra dies VIII. post receptionem præsentium personaliter coram nobis compareas, nostrum super hoc beneplacitum auditurus. Datum *ut supra in proxima.* Anno 1266



A

EPISTOLA CCCXLIII.

Dilecto in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Consolatur eum de fuga Galvani, monet ut ad se redeuntibus affabilem se præstet.

Anno 1266 SI GALVANUS factus est transfuga, si de obside transierit in hostem, tua sinceritas non turbetur. Necesse est enim ut veniant scandala, sed væ illis qui faciunt. Absit autem ut illis sit quibus fiunt, parata forsitan videbatur ejus evasio, cum tua gratia (a) salutaris. Sed placuit cordium inspectori eum sic dimittere, ut suæ redditus libertati, iret volens in præcipitium, qui ad pacem ducebatur invitus. Hoc sanè & similia, si contigerint, sustine patienter, sperans semper ex tentatione proventum, dum tamen excessibus nec occasionem præstes, nec causam. De hoc enim te notant aliqui, quod eos qui voluntariè ad te redeunt, & tuæ gratiæ se committunt, capis subitò, eo ipso suspicionem ingerens audientibus, ne ad te veniant pœnam pro gratia (b) recepturi. Non hæc, fili carissime, decent principem: quin immo tantâ decet etiam inimicos redeuntes ad gratiam prosequi pietate, ut alii provocati, laudandæ bonitatis exemplo, se committere principi minimè vereantur. Sanè tuis receptis litteris, nuncium proprium ad civitatem misimus Reatinam; potestati & communi mandantes, quod GOLIOTUM & bona mobilia, quæ secum tulerat, arrestarent, & quid de ipsis vellemus fieri per nostras eis litteras mandaremus. Quem autem res exitum habitura sit ignoramus. In omni autem casu proponimus ea facere, quæ Romanæ Ecclesiæ jure salvo, (c) honori tuo crediderimus expedire. Datum Viterbii VI. calendas Augusti anno II.

EPISTOLA CCCXLIV.

R. Episcopo Albanensi.

Ut destitutos Abbates ad sua claustra remittat, monasterioque Capuano S. Mariæ provideat.

Anno 1266 ABbatis Florentini & coabbatum sui ordinis negotium, qui in abbatiis quas obtinent, jus penitus nullum habent, fraternitati tuæ committimus, ut eis primitus destitutis, ad sua loca reducas, aut transponas, aut remittas ad claustrum, sicut videris expedire. Monasterio etiam S. Mariæ de Capua providendi, vel de illa quam nominas, vel de aliqua persona idonea liberam tibi concedimus facultatem. Datum Viterbii VI. calendas Augusti anno secundo.



(a) Al. Solutaris. (b) Al. Subituri.

EPISTOLA CCCXLV.

Dilectis filiis Rectoribus & Communi Florentiæ.

Scribit in gratiam civium Florentinorum.

EX partibus concivium vestrorum quos in confinibus aliquamdiu tenuistis nobis extitit supplicatum, ut cùm ipsi nullum offenderint vel proponant offendere, & damna plurima sustinuerint sine culpa, negotiationes suas & negotia liberè prosequi non valentes, ingressu in civitatem & mora in eadem sibi diutius interdictis, cum eisdem misericorditer ageremus. Quocirca eorum precibus inclinati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus receptis idoneis cautionibus de nostris parendo mandatis, & civitate minimè perturbanda, eos ad sua domicilia tutè & liberè remittatis. Datum Viterbii VI. calendas Augusti anno secundo. Anno 1266

EPISTOLA CCCXLVI.

Dilecto filio Potestati & communi Reatinensi.

Ut Galiotum apud eos transfugam cum rebus suis detineant.

PEr carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ intelleximus, quòd Galiotus Galvani Lanceæ filius, cum argento & auro & mobilibus paternis aliis, à regno Siciliæ fugiens, ad vos nuper sub spe quadam securitatis habendæ transfugit. Quocirca vobis firmiter præcipiendo mandamus quatinus eumdem Galiotum & res prædictas, visis litteris, detinere nullatenus prætermittatis, facturi de ipsis, quod vobis duxerimus intimandum. Ut autem hæc fiant melius quò & certius, mittimus ad vos dilectum filium Raynaldum ostiarium nostrum, cui in his quæ ex parte nostra præceperit parere vos volumus & mandamus. Datum Viterbii VI. calendas Augusti anno secundo. Anno 1266

EPISTOLA CCCXLVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Mittit ad eum P. Cambellanum, ut ipsius utatur consilio.

DIlectum filium nostrum Gaufridum de Bello-monte capellanum nostrum, cancellarium Bajocensem, quem ad nostram destinasti præsentiam, diligenter audivimus, & super multis articulis differentem verba ejus pleno collegimus intellectu, qui responsiones Anno 1266

(c) Al. Bonorum tuorum.

nostras ad singulos, qui ad præsens certo claudi consilio poterunt, unà cum dilecto filio P. (a) Cambellano milite de nostro consilio ad tuam præsentiam redeunte, tibi poterit explicare. Veniunt etiam ad te nuncii carissimi in Christo filii germani tui L. regis Franciæ illustris, ad quos sicut in aliis litteris tibi scribimus te habebis. Sanè quia prædictum P. Cambellanum ab obsequio germani tui prædicti ad præsens retrahimus, & ad tuam induximus resumendum, serenitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, quatenus eo & aliis sapientibus qui tuo assistunt lateri, sic utaris, ut se juxta eorum recta consilia regnum tuum providè gubernante, & de fructu laboris proprii, & de tui honoris gaudeant incremento. Datum Viterbii III. calendas augusti anno II.

EPISTOLA CCCXLVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut in subsidium terræ sanctæ per se & alios prædicet, concessis cruce signatis indulgentiis.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

De summis cælorum Dominus terram suæ nativitatis & passionis aspiciens, dum per singulos dies in illa variis provocatur injuriis, nec exurgit populus quem ipse redemit ad vindicandum crucis opprobrium, ex eo præcipuè non immeritò addi ad dolorem vulnerum suorum reputat, quòd locus ille sanctissimus, in quo ipsum cæli regem Virgo puerpera genuit, continuæ vexationis laxatur angustiis, & successivis dissidiis laceratur, nunc in illum Sarracenica furente sævitia, nunc in eumdem furoris immanitate Tartarici sexui vel ætati parcere nescia sæviente. Ad hoc enim præcipuè filiorum lucis intentio tendere, circa id eorum debent assiduè revolvi præcordia, & sollicitudo versari, ut illius terræ, quam in hereditatem sibi Dei Filius prælegit, abominationes expiare conentur, & potenti manu resistere polluentibus ipsam filiis tenebrarum. Hæc profectò dissimulari non debent, vel obtusis auribus præteriri, ne Redemtor noster cuncta prævidens, falli nescius, ingratitudinis vitio redemtos laborare comperiens, ab eis faciem iratus avertat, eosque velut indignos paterna gratia derelinquat. Non sint igitur filii devotionis immemores, quòd ipse Christus in terra illa in forma servi carnem nostræ mortalitatis indutus, crucis non metuit subire tormentum, ut mortem nostram moriendo destrueret, & vitam resurgendo fidelibus repararet. Quæsumus diligenter attendant qualiter illa miserabilis regio depressa jacet diris angustiata flagellis, quódque in eam pestis Tartarica supervenit, cujus tantò potiùs nimirum futuri vicinique formidantur incursus, quantò graviùs ille sævus & damnabilis Tartarorum populus terram quam suæ subjicit servituti, intolerabilibus exactionibus opprimens, sic illius incolas torquet immaniter & affligit, quòd degentes sub eorum tyrannide libentiùs metas mortis eligerent, quàm sic vivendo tanta subire genera tormentorum. Exurgant itaque fidei zelatores ad deffensionem dictæ regionis ejusdem Redemtoris martyrio consecratæ, nec ad id tepescant eorum animi, sed ferventibus desideriis accendantur. Hoc enim ipse Dei Filius inter cetera sollicitudinis humanæ servitia gratissimum reputat, & ob id illa rependit præmia, quæ principaliter affectare debemus & petere, dum in valle positi præsentis miseriæ indulta nobis excurrimus tempora servitutis. Cùm igitur de te, quem habere credimus timorem Domini & amorem, quique multiplicibus donis virtutum præditus, laudabiliter scis & vales proficere ubi labores impendis, magnam in Domino fiduciam habeamus, sperantes ut in prosecutione præsentis negotii constanter militans, illud efficacibus studiis & plenis debeas affectibus promovere: discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatinus hujusmodi prædictæ terræ statum Christi fidelibus in regno Franciæ necnon in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi, & Virdunensi civitatibus & diocesibus, ac in quibuslibet partibus legationis tuæ per te, vel per alium, seu alios ecclesiarum prælatos & clericos religiosos & sæculares, cujuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, diligenter exponens, eisque proponens sollicitè verbum crucis, ipsos juxta datam tibi à Domino gratiam intentis inducas monitis, & sedulis prædicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter quantùm nunc indigeat ipsorum præfata terra succursu, ad subventionem ejus promtis intendant animis, & viribus totis exsurgant, crucisque suscepto signaculo, illuc spiritualibus armis & materialibus præmuniti, de divina quoque sperantes potentia cum festinatione procedant. Et ut circa id eò libentius & animosiùs intendant, quò exinde dona spiritualia temporalibus proculdubio præferenda perceperint potiora: nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, & illâ quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate; omnibus verè pœnitentibus & confessis qui hujusmodi laborem in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus: eis autem qui non propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultates & qualitates suas viros idoneos destinaverint, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis aliquam portionem

(a) Al. Cambello.

vel aliàs consilium & auxilium impenderint opportunum. Volumus etiam cruce signatos illo privilegio illaque immunitate gaudere, quæ in generali cruce signatorum indulgentia continentur. Ut autem commissum tibi hujusmodi ministerium faciliùs & utiliùs exequi valeas, tibi & prædictis quos in hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id quotiescumque & ubicumque videris expedire, cleros & populos locorum, in quibus te vel ipsos proponere contigerit verbum crucis, ut processionaliter cum devotione conveniant, & prædicationibus vestris intersint, cleros ipsos ad id si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compellendi, ac pro eisdem prædicationibus ferias, prout expedire videris, indicendi; concedendi quoque omnibus verè pœnitentibus & confessis qui ad easdem convocationes & prædicationes vestras accesserint, centum dierum indulgentiam plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem: non obstantibus, si aliquibus cujuscumque ordinis vel dignitatis existant, quod interdici, suspendi, vel excommunicari nequeant, à sede apostolica sit indultum, & quibuslibet indulgentiis, privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis vel obtinendis, per quæ prædicta impediri vel defraudari possint, & de quibus specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Taliter igitur tu & alii quibus hujusmodi prædicationis officium duxeris committendum, mandatum apostolicum super hoc exequi procuretis, quod palmam gloriæ quæ bellum Dei gerentibus in retributionem ab ipso rependitur, vestra devotio consequi mereatur. Datum Viterbii III. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Guidoni Flandriæ comiti ad transfretandum se accingenti viginti librarum millia distribui jubet.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Apostolicæ sedis ampla benignitas, quæ ad omnes Christi fideles generaliter affectum caritatis extendit, illos specialis gratiæ patrocinio confovere tenetur, quos circa divinum obsequium & christianitatis honorem invenit suo loco & tempore promtiores. Cùm igitur dilectus filius nobilis vir G. comes Flandriæ zelo fidei & devotionis accensus vivificæ crucis assumto signaculo proponat, sicut accepimus, in manu potenti & brachio extento in illius terræ subsidium, quam unigenitus Dei Filius Dominus JESUS-CHRISTUS pro redemtione humani generis proprio sanguine consecravit, ad vindicandam ipsius injuriam proficisci; nos devotionis suæ plenitudinem favore benivolo prosequentes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad opus ejusdem nobilis, ut prædictæ sedis fultus auxilio suum in hac parte propositum honorabiliùs deducere valeat ad effectum, de centesima proventuum ecclesiasticorum, quam olim sedes ipsa supradictæ terræ sanctæ subsidio deputavit, ac de redemtionibus votorum cruce-signatorum, necnon de legatis in subsidium dictæ terræ viginti millia librarum Turonensium in illis locis Cameracensis, Tornacensis, & Attrebatensis diocesum quæ sunt extra regnum Franciæ, si ex eis hujusmodi summa pecuniæ haberi valeat: alioquin quod de summa ipsa defuerit, in aliis locis extra regnum ipsum, in quibus tibi videbitur expedire, colligi facias; & dicto nobili, cùm se ad iter transmarinum accinxerit, integrè assignari: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Datum Viterbii III. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCL.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Collectionem centesimæ proventuum ecclesiasticorum ad subsidium terræ sanctæ ei committit.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Dudum felicis recordationis V. papa prædecessor noster centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ ac civitatis & diocesis Cameracensis usque ad quinquennium de fratrum suorum consilio terræ sanctæ pro ipsius succursu concessit, injuncto venerabilibus fratribus nostris... Archiepiscopo Rotomagensi & magistro ODONI DE LORRIACO episcopo, tunc canonico Bajocensi, primò, & postmodum bonæ memoriæ ÆGIDIO Tyrensi archiepiscopo per suas diversas litteras, ut hujusmodi centesimam annuatim usque ad prædictum quinquennium colligere procurarent. Cùm autem idem Tyrensis archiepiscopus viam sit universæ carnis ingressus, nos cupientes ut hujusmodi negotium felicem consequatur effectum, collectionem prædictæ centesimæ tam in prædictis regno, civitate & dioecesi pro tempore quod de dicto quinquennio superest, quàm in Metensi, Tullensi, Leodiensi & Virdunensi civitatibus & dioecesibus, pro tempore de quinquennio hujusmodi, quo ibi collecta non extitit, tibi decrevimus committendum. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus prædictam centesimam pro tempore quod de hujusmodi restat quinquennio per te colligas, vel per alium aut alios fideliter colligi facias, & in aliquo tuto loco deponas, expendendam postmodum in ipsius terræ succursum, prout tibi videbitur expedire: nonobstante si aliquibus à sede apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per

litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Datum Viterbii II. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ejusdem argumenti.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Quia pro firmo didicimus, quòd igne caritatis qua ducimur ad terræ sanctæ subsidium es accensus, sub certa forma tibi dedimus per nostras litteras in mandatis, quòd centesimam ecclesiasticorum proventuum, legata, obventiones, redemtiones votorum & omnia alia ad hujusmodi subsidium ipsius terræ sanctæ spectantia in terris tuæ legationis, necnon in Cameracensi, Leodiensi, Tullensi, Metensi & Virdunensi civitatibus & diocesibus integrè colligas, & quicquid de his contigerit colligi, deponere in aliquo tuto loco sub fide dignorum testimonio non omittas. Hinc est quod nos de tua circumspectione indubitatam fiduciam obtinentes, præsentium tibi auctoritate committimus, ut id in ejusdem terræ succursum, prout videris expedire, convertas. Datum Viterbii II. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut de bonis mobilibus archiepiscopi Tyrensis defuncti, nonnulla occasione seu prætextu procurationum ab eo collecta sibi assignari faciat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Licèt bonæ memoriæ Æ. Tyrensis archiepiscopus prosequendo negotium terræ sanctæ, prætextu suarum procurationum, ab ecclesiis regni Franciæ, antequam sedes apostolica concessionem super hoc illi factam pro relevandis ecclesiarum ipsarum gravaminibus revocasset, tantum percepisse dicatur, quod de hoc non solùm tunc & usque ad exitum vitæ suæ sustentari potuit; verùm etiam exinde non modica pecuniæ summa remansit: ipse tamen pro eo quod dicta sedes, facta revocatione hujusmodi, concessit eidem quod de proventibus & bonis ad dictam terram sanctam spectantibus posset vivere, plura de proventibus & bonis hujusmodi ex tunc pro suis expensis asseritur recepisse. Nos itaque continuis ejusdem terræ sanctæ necessitatibus paterno compatientes affectu, discretioni apostolica tuæ per scripta mandamus, quatinus de bonis mobilibus quæ idem archiepiscopus habuit in partibus cismarinis, non obstantibus quacumque ordinatione, dispositione, sive testamento contrariis, de his per archiepiscopum ipsum editis, aut litteris apostolicis super executione ipsorum obtentis, tantum tibi assignari facias, quantum supradictæ revocationis tempore præfato archiepiscopo, deductis expensis congruis anterioris temporis, de hujusmodi procurationibus inveneris remansisse, idque in ipsius terræ sanctæ succursum cum integritate convertas: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Datum Viterbii II. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLIII.

Decano Parisiensi.

Ut Odoni de Corpelay legatas in subsidium terræ sanctæ centum libras tradi faciat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio... decano Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Oddo de *Corpelay* miles crucesignatus Meldensis diocesis in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd quondam Johannes de *Caires*, miles executor testamenti quondam Simonis de *Rali* militis Senonensis patrui sui, eidem O. dummodo transfretaret in subsidium terræ sanctæ dare promisit centum libras Turonenses, quas ipse testator pro ipsius terræ subsidio in ultima voluntate legavit. Cùm autem idem O. votum crucis quo se astrinxerat in hujusmodi proficisci subsidium commutasset in servitium carissimi in Christo filii nostri C. Siciliæ regis illustris, seque ad ejusdem regis obsequium transtulisset, non fuit ei dicta pecunia persoluta. Unde cùm adhuc idem miles crucis assumto signaculo, sicut asseris, transfretare proponat, & tantò sit ei major gratia facienda, quantò promtius & ferventius se videtur exponere ad servitium Crucifixi: nos propter hoc facientes ei gratiam specialem, volumus & per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus dilectum filium magistrum Guillelmum de Rampillione archidiaconum Parisiensem, quem idem executor in executione ipsius testamenti dimisit, ut dicitur, loco sui, vel quemvis alium ejusdem testamenti executorem, quod easdem centum libras, si nondum sunt alii, juxta dispositionem ejusdem testatoris exhibitæ, præfato O. parato in prædictæ terræ subsidium proficisci, sine difficultate qualibet exhibere procuret, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ compellas, recepturus nihilominus ab eodem O. idoneas cautiones, quod ipse proficiscetur in dictæ terræ subsidium, vel restituet integraliter

integraliter pecuniam memoratam. Datum Viterbii II. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut cum rege conferat super subsidio Pictaviensi comiti tribuendo.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Sæpe & sæpius ex parte dilecti filii viri nobilis... comitis Pictaviensis nobis extitit supplicatum, ut eidem ad sui promotionem itineris, quod in terræ sanctæ subsidium juxta votum accelerare desiderat, subsidium ei competens præberemus: Nos autem, sicut aliàs ei scripsimus, nec in regno Franciæ possumus, multis præstationibus jam attrito; nec in Anglia, in qua decimam dedimus regi suo; nec in Hispania, quæ suis satis gravatur oneribus; nec in Germania, quæ male paret apostolicis jussionibus: & idcirco confundimur, quia viro tanto & quem tantum diligimus satisfacere non valemus. Videat igitur tua discretio & cum carissimo in Christo filio nostro... rege Francorum illustri conferat, an aliqua via pateat, per quam ei utiliter sine scandalo subvenire possimus, & rescribe quod senseris. Quicquid enim honestè poterimus pro ipso libentissimè faciemus. Datum Viterbii II. calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLV.

Dilecto filio nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano.

Excusat se de subsidii ipsi tribuendi impotentia.

Anno 1266 ERubescere nos fatemur, quia totiens requisiti quæ petis implere non possumus, cùm & favor personæ tuæ, quam sincerâ in Domino caritate diligimus, & necessitas terræ ad cujus subsidium te crucis assumto signaculo astrinxisti, ad largam tibi gratiam exhibendam instanter nos excitet & invitet. Sanè sicut aliàs tibi scripsimus, tui desiderii complementum, non apud nos voluntas impedit, sed potius impotentia, & impotentiæ proxima promto carens remedio difficultas, quæ facilè tua prudentia poterit invenire, si terrarum statum consideres, sicut aliàs per nostras tibi litteras nos meminimus declarasse. Verùm dilecto filio nostro S. titulo sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali, cui negotium crucis commisimus, super his scribimus, & si via tui subsidii per ipsum vel per alium nobis pateat opportuna; nihil nobis erit acceptius in hac parte, quàm ad ea intendere quæ ad tuæ magnitudinis cedant commodum & honorem. Datum Viterbii II. calendas Augusti anno II.

EPISTOLA CCCLVI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Gueldriæ comiti ad transfretandum se præparanti viginti librarum millia distribuat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Ad consequendam gloriam, quam Dei pietas se diligentibus repromisit, dilectus filius nobilis vir comes Guelrensis ferventer aspirans, crucis signaculum in subsidium terræ sanctæ, prout accepimus, reverenter assumsit: intendens illuc in primo futuro passagio à sede apostolica statuendo, Christo duce, honorificè proficisci. Quia verò nos merita ipsius nobilis tam præclara sollicitant, ut circa eum specialem exponamus benignitatis affectum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus de centesima ecclesiasticorum proventuum, legatis, obventionibus, votorum redemtionibus, & omnibus aliis ad ipsius terræ sanctæ succursum spectantibus, quæ in Coloniensi, Treverensi, & Maguntina provinciis, & aliis locis extra regnum, videlicet Franciæ, collecta sunt, vel etiam colligentur, & ad tuas manus pervenient, usque ad summam viginti millium librarum Turonensium tribuas seu tribui facias in suarum expensarum subsidium, cum se ad iter accinxerit transmarinum, maximè cùm, sicut accepimus, eidem nobili ab his qui hujusmodi prosequuntur negotium, firma spes facta fuerit de hujusmodi pecunia pro eodem subsidio consequendo: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Viterbii calendis Augusti, Pontificatus nostri anno II.



A

EPISTOLA CCCLVII.

Qua conceditur H. comiti Lucelburgensi summa quindecim millium librarum Turonensium, ejusdem est tenoris cum praecedenti.

EPISTOLA CCCLVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut detentores bonorum defuncti Ægidii archiepiscopi Tyrensis, per censuras ecclesiasticas ad restitutionem compellat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut ex insinuatione dilectorum filiorum ... Decani Pictaviensis, & Magistri Gaufridi de Fonte-Ebraudi archipresbyteri de Lugduno Pictavensis diocesis, & quorumdam aliorum fide dignorum accepimus, bonæ memoriæ Æ. Tyrensis archiepiscopus existens in partibus Franciæ pro negotio crucis, quæ prædicatur ibidem in subsidium terræ sanctæ, de bonis mobilibus quæ habebat in partibus cismarinis in ultima voluntate sua testamentum seu ordinationem providam condidit, ac dictos decanum & archipresbyterum executores hujusmodi testamenti sive ordinationis sub ea forma reliquit, ut illa secundùm consilium dilectorum filiorum Nicolaï de Montibus Minorum, & Adæ dicti Moven Prædicatorum ordinum fratrum debeant executioni mandare; sed hujusmodi executio pro eo non potest integrè adimpleri: quia nonnulli iniquitatis filii, quos iidem executores prorsus ignorant, multa de bonis hujusmodi malitiosè detinent occultata in propriæ salutis dispendium & plurium piorum locorum ac religiosarum personarum & pauperum, quibus ea ex testamento ipso sive ordinatione debentur, non modicum detrimentum. Quare dicti executores humiliter petebant à nobis, ut providere super hoc paternâ diligentiâ curaremus. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes hujusmodi occultos detentores bonorum ipsorum publicè in ecclesiis coram populo per te, vel per alium, aut alios, moneas diligenter, ut infra competentem terminum, quem ad hoc eis præfixeris, ea dictis executoribus integrè restituant & revelent: Alioquin ex tunc in eos, nisi infra alium terminum peremtorium competentem, quem ad id duxeris præfigendum, hujusmodi monitis parere curaverint, generalem feras excommunicationis sententiam, faciens eam ubi & quando expedire videris usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari. Datum Viterbii calendas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLIX.

Qua concedit comiti Juliacensi decem millia librarum Parisiensium ejusdem est tenoris cum epistola CCCLVII.

EPISTOLA CCCLX.


B *Qua concedit nobili viro Domino* de Heusalise *summam mille librarum Turonensium ejusdem est tenoris cum epistola CCCLVI.*

EPISTOLA CCCLIX.

Radulfo Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut in sua Siciliæ legatione patienter perseveret, &c.

C QUamvis tuis compatiamur laboribus, & inviti tuâ præsentiâ careamus: quia tamen regnum Siciliæ multis subjectum defectibus sine legato relinquere non possumus, nec raptorem tibi expedit substitui, tuis precibus condescendere, nostræque consolationi consulere non valemus. Porta igitur propter Christum angustias, & labores sustine, ne deficienti animo fatigeris, qui necdum usque ad sanguinem restitisti. Quod si de personarum, quas credis ad onera necessarias, paucitate conquereris, assume quos volueris, & idoneos esse credideris, sapientiâ, fide, famâ; nec turberis, si dum uni vacas negotio, aliqua suspenduntur. (a) Nec enim à te Deus opus requirit miraculi quod habet fieri in instanti; sed successivis operibus te astrinxit: nec te reum putaveris, dum vel utiliter unum agis, qui non omnia simul potes. Confortare in Domino, qui tibi astitit & assistit, nec in tempore malo te deseret, vacillantem consilio muniens, & auxilio roborans laborantem. Demum juxta nostrum consilium redit ad carissimum in Christo filium nostrum regem Siciliæ illustrem dilectus filius P. cambellanus, probaturus iterum quod probavit; & si littus arare se viderit, credimus quod in Franciam revertetur. Ecce venit ad nostram præsentiam dilectus filius Sancius, filius regis Aragonum, valde bene compositus, & in nostris ac fratrum nostrorum oculis gratiosus. Die Jovis instante Illustris viri imperatoris Constantinopolitani præstolamur adventum. Datum Viterbii IV. nonas Augusti anno II.



(a) *Al.* Nec enim à te Deus operas requirit invitari, quæ fiunt in instanti.

EPISTOLA CCCLXII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut regem Franciæ consulat de subsidio Petro comitis Britanniæ filio, ad terram sanctam transfretare se disponenti concedendo.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Volens, ut asserit, dilectus filius nobilis vir PETRUS filius nobilis viri comitis Britanniæ Domino reddere quod promisit, crucis signaculum pro terræ sanctæ subsidio assumendo, cum decenti bellatorum comitiva in ejusdem succursum disposuit proficisci. Ut autem faciliùs & efficaciùs exequi valeat votum suum, postulavit à nobis quod redemtiones votorum crucesignatorum in Turonensi, Andegavensi & Nannetensi civitatibus & diocesibus, ac legata in succursum ipsius terræ relicta, obventiones quoque à quibuscumque provenientes personis, senibus videlicet & clericis, valetudinariis, mulieribus & aliis inhabilibus ad pugnandum, & etiam nolentibus & non valentibus in hujusmodi proficisci succursum, necnon & quascumque alias obventiones ex causa quacumque provenientes ipsius terræ succursui deputatas, ac insuper de centesima ecclesiasticorum proventuum, quam felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster in regno Franciæ mandavit colligi pro terræ subsidio memoratæ, quinque millia librarum Turonensium per nostras concedere litteras curaremus. Quia igitur carissimus in Christo filius noster rex Francorum illustris ipsius terræ negotium intimo affectu complectitur, ipsumque specialiter comedit zelus ejus: discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus super hoc ejusdem regis requiras consilium, & in præmissis facias prout idem rex consuluerit, & ipsius terræ necessitas, cujus plenam ipsum regem credimus habere notitiam, suadebit. Datum Viterbii III. nonas Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLXIII.

Dilecto filio J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano & M. sanctæ Mariæ in Porticu diaconis cardinalibus.

Petit ab eis consilium an Sancio regis Aragonum filio Toletana cathedra sit concedenda.

Anno 1266 A Vestra non credimus excidisse memoria, quòd cùm olim de provisione ecclesiæ Toletanæ vestra & fratrum aliorum nostrorum audivissemus consilia, & aliquorum inclinarentur animi ad dilectum filium SANCTIUM natum regis illustris Aragonum eidem præficiendum ecclesiæ, multæque aliæ nominatæ personæ, nos tandem negotium in suspenso dimisimus, nec causam expressimus suspensionis hujus, sed habet hoc veritas Deo nota, quod dictum SANCTIUM non vocavimus, sed interim sicut potuimus inquisivimus, & statum & staturam ipsius, necnon scientiam & mores. Sanè cùm venerabilis frater noster Silvensis episcopus remearet ad propria, dictum Sancium extra regnum Castellæ ad nostram præsentiam properantem invenit, & de mandato carissimi in Christo filii nostri regis Castellæ illustris per litteras quas & nobis exhibuit, sibi facto, ad nos rediit cum eodem. Licèt autem de bonis ejus conditionibus quarum aliquæ se oculis exhibent, laudabile testimonium recepimus de eodem; quia tamen multos trahere poterat specialis affectio, multos retrahere timor sublimium personarum, omissis ceteris, litteras vobis mittimus dilecti filii nostri fratris (a) R. de Pennaforti præsentibus interclusas, quibus fides sincerior in quantum se vires earum porrigunt videretur habenda. Verùm magnus est in juvene defectus ætatis, quamvis magna sit moles corporis & venusta: ordinatè loquitur & grammaticè, sed non attigit illam scientiam quam exigeret dignitas de qua agitur. Suffragatur honestas in moribus, & exterior gravitas, quæ magis grandævum quàm juvenem repræsentat, ut a primæva videatur ætate (b) nostra vestigia comitatus. Auditis igitur fratrum, quos habemus nobis cum consiliis quæ duximus requirenda, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus per latorem præsentium rescribatis quid consulatis agendum, an scilicet dispensativè providendo de illo, an eo dimisso ad alium aliquem vestros oculos dirigatis. Instant enim canonici ejusdem Ecclesiæ discordes in aliis, sed in hoc concordantes, quod in omnem casum expedit consuli hoc modo vel alio, quæ à Rege Castellæ miserabiliter conculcatur. Datum Viterbii nonas Augusti anno II.

EPISTOLA CCCLXIV.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut episcopo Minorensi facta inquisitione, si nihil obstet, manus imponat.

AD nostram nuper audientiam dilectus filius Odo veniens, qui se dicit de Minorensi ecclesia à felicis recordationis URBANO papa prædecessore nostro fuisse provisum, ad te nostras litteras impetravit, hanc sententiam, nisi fallimur, continentes, ut eidem, qui propter MANFREDI potentiam ad ecclesiam dictam vel regimen venire non potuit consecrandus, non Anno 1266

(a) Raimundus de Pennaforti tertius ordinis fratrum Prædicatorum magister generalis, Gregorii papæ IX. pœnitentiarius, qui ex regibus Aragonum originem ducebat, cujus pietas cum scientia certabat.

(b) Al. De vestigio comitatus emisso nostra.

obstante constitutione à felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro contra electos edita negligentes, munus ei consecrationis impenderes, vel per alium impendi faceres, si hæc vera essent, & fautor Manfredi non extitit, & aliud canonicum non obstaret. Sanè tuis postea receptis litteris, cum iis quæ super crimine falsitatis dudum inventa fuerant contra ipsum, eum ad præsentiam nostram vocavimus, qui omnia contingentia dictum crimen sigillatim inficians, dixit ea contra se per bonæ memoriæ Salernitanum archiepiscopum, Dei & Ecclesiæ inimicum malitiosè confecta. Ad te igitur eum remittimus cum litteris & actis quæ miseras, qui negotii merita meliùs scire poteris, præfixo ei termino peremtorio toto scilicet hoc mense Augusto, infra quem tuo se conspectui repræsentet, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus quæcumque litterarum sit forma, quas à nobis obtinuit, sive in termino comparuerit, sive non, canonico impedimento cessante, tam super his quæ nobis asseruit, quæ nobis plurimum sunt suspecta, cùm & amicum Johannis de Procida extitisse se confessus fuerit coram nobis, & nihilominus suum prosequi in regno negotium asserat nequivisse, quam super dicto crimine falsitatis, & aliis quæ indaganda credideris; inquisità ex officio pleniùs veritate, per te vel alium, si tibi merita suffragantur, consecrationis munus ei impendas, vel exigente justitiâ eum prorsus amoveas ab ecclesia Minorensi: & si forsan juxta morem rebellium amotus duxerit appellandum, bona dictæ ecclesiæ & proventus facias sequestrari, appellatione hujusmodi non obstante, præfixo ei termino peremtorio competenti, quo se nostro conspectui personaliter repræsentet, quod dictabit justitia recepturus. Datum Viterbii VII. Idus Augusti anno II.

EPISTOLA CCCLXV.

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Suum ipsi scribit consilium super matrimonio contrahendo inter ipsius filium & comitis Sabaudiæ filiam.

Anno 1266 SI serenitati tuæ placet in arduis apostolicam sedem consulere, (quod & utinam hactenus placuisset,) tuam in hoc prudentiam plurimùm commendamus. Per illam enim quæ (a) te sincerè (a) diligit pleniùs dirigeris, nec errare poteris in judicio, quod ejus fuit assensu firmatum. Sanè super matrimonio de quo consulis inter dilectum filium Ja. natum tuum & dilectam filiam natam bonæ memoriæ comitis Sabaudiæ contrahendo, nihil aliud potius tibi respondere, nisi quod si conditio personarum attenditur, domus Sabaudiæ nobilis & antiqua mulieres produxit electas, quæ diversis jam regibus placuerunt. Et si ad hoc tuos verteris oculos, nihil invenies, si persona placuerit, quod tibi debeat displicere. Genus enim illud viros etiam habuit strenuos, & nunc habet, & ad terras finitimas & remotas suos palmites jam extendit. Verùm si quæris consilium, an jus habeat in comitatu puella; scire vel dicere præcisè non possumus, cùm jura feudorum partim ex imperialibus legibus, partim ex terrarum consuetudine in locis diversis à successione hujusmodi mulieres excludant. Sed ut factum attendamus ad verum, securè dicimus, quod etiamsi jus habeat, nisi forsan ex pacto ingressus pacificus tuo daretur filio, longus esset tractus judicii, & executio difficilior, quàm si velles manu armatâ prosequi, duos expenderes comitatus & finem non attingeres peroptatum. Hoc ergo videat, hoc discutiat, tam tua quàm filii circumspectio, ut circumscripto penitùs comitatu, si pacificè obtineri non possit, dos tibi placeat quæ offertur: quam si ambo duxeritis acceptandam, & persona conveniens invenitur, non occurrit in ceteris quod debeat reprobari. Quod si dos non complacuerit, nosti satis quod ex causa ejus incompleta conjugia pluries remanserunt. Datum Viterbii III. Idus Augusti anno secundo.

(a) Al. Addit.

EPISTOLA CCCLXVI.

In eadem forma Ja. ejusdem filio verbis competenter mutatis.

EPISTOLA CCCLXVII.

Venerabili fratri Patriarchæ Jerosolymitano, & dilectis filiis hospitalis & templi præceptoribus, ac viro nobili Gaufrido de Sarginis regis Jerosolymitani senescallo.

Consolatur eos de irruptione Soldani, eosque ex diversis orbis partibus auxilia sperare jubet.

SUccensa velut ignis impietas persecutoris Ecclesiæ crudelissimi, Soldani videlicet Babyloniæ, prout nobis epistolæ vestræ series patefecit, opportuna tempora non observans, conflatis viribus fines improvisus intravit, & tamquam rete jaciens in incertum, dum nescitur quem suæ nequitiæ finem præstituat, multos timore concutit, & omnes onerat expensis gravibus pro locorum custodia, quibus est meritò tam gravis multitudinis formidandus conventus. Sanè licèt post nostras querimonias totiens inculcatas, & spem datam subsidii ceteris, consolatores dicamur forsitan onerosi: tacere tamen non possumus, nec per singula momenta facere quæ temporum & locorum dispositor juxta leges singulis (b) inditas posuit in successu, (b) quo fit ut eorum in tristitia nonnumquam impediant vel suspendant promtas & fervidas suorum fidelium voluntates. Ecce regni Siciliæ tam preclaro negotio consummato, excreverunt Francorum animi ad terræ subsidium animati: parant

(b) Al. Judicans.

se ad procinctum itineris incessanter. Ecce de Germaniæ partibus Luceburgensis & Juliaci comites, Leodiensis episcopus, & barones quamplures crucis signum vivificæ suis humeris impresserunt. Crux prædicatur in Anglia, & paratur magnum subsidium ex eadem. Quid igitur facient cùm rumores audierint tam infaustos, quos utique significamus eisdem, ut tempora sibi præstituta præveniant, & ad dilecti filii nostri S. titulo S. Ceciliæ presbyteri cardinalis apostolicæ sedis legati monita & mandata mare transeant, tempestivi & periculis obvient imminentibus, ne neglecta, quod absit, incendia vires sumant. Profectò credimus homines tanti sanguinis, tanti zeli, quos parentum exempla provocant, quos perurget assidua prædicatio, quos impellit ipsa necessitas, sic sublatis moræ dispendiis animandos, ut ad ejus redimendas injurias properent, cujus sanguine sunt redemti. Quocirca sinceritatem vestram hortandam duximus & attentè monendam, quatinus recogitantes eum qui pro nobis tot & tanta sustinuit, non fatigemini deficientibus animis; sed de cælo pariter, & de terra præstolantes auxilium, stetis viriliter contra hostes, sperantes firmiter, & absque dubitatione tenentes, quod exsurget à somno desidiæ populus cismarinus, qui & vobis feliciter aggregatus non solùm quæsita tuebitur, sed etiam reddere poterit quæ dudum amissa fuerant, cultui Christiano. Datum Viterbii II. Idus Augusti anno II.

EPISTOLA CCCLXVIII.

Revocat quædam privilegia.

Anno 1266. *Ex autographo.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedes apostolica interdum quæ benignè concesserat, utilitate suadente, consultiùs revocat, per hoc non tam in suis actibus varia, quàm providentiæ suæ remedia subditorumque varietati ac necessitati coaptans. Probat hoc præsentis necessitas sanctionis, quæ illorum compescit audaciam, qui ad sui juris defensionem contra injuriosos immunitate per ipsius sedis indultâ muniti, quod ad tuitionem eis concessum fuerat, in aliorum molestias & injurias convertentes, suis indulgentiis & privilegiis multipliciter abutuntur. Sicut enim ad nos frequenti querela pervenit, pro eo quod sedes eadem personis diversis tam ecclesiasticis religiosis & aliis, quàm etiam laïcis quibusdam sine præfinitione temporis; aliis verò ad tempus sub formis variis indulsisse dicitur, quod interdici à quoquam vel excommunicari non possint, nec terræ ipsorum ecclesiastico interdicto supponi, personæ ipsæ de indultis hujusmodi confidentes, alios fidentiùs in suo jure molestant, & asserentes quod nec locorum ordinarii possunt in ipsos excommunicationis vel interdicti ferre sententiam, etiam ipsorum ordinariorum jurisdictionem contemnunt pariter & eludunt; sicque personarum ipsarum excessus remanent incorrecti, & nervus disrumpitur ecclesiasticæ disciplinæ. Nos itaque intendentes in hoc salubre remedium adhibere, omnes indulgentias & privilegia hujusmodi, quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel sæcularibus, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut status, sub quacumque verborum forma concessa illis: per quæ regibus & reginis eorumve filiis, necnon & religiosis quibusdam, non personarum tantùm, sed ordinum vel privilegiatorum locorum in hoc ratione habita, immunitas hujusmodi conceditur, dumtaxat exceptis: de fratrum nostrorum consilio ad ordinariorum sententias & processus edicto perpetuo prohibemus extendi: & si forsan quoad sententias & processus hujusmodi aliqua concessa inveniantur, expressè ad instar felicis recordationis ALEXANDRI papæ prædecessoris nostri, ea in quantum per ipsa ordinariorum judicum jurisdictio tangitur, penitus revocamus, nihilominus locorum diocesanis & quibusvis aliis ordinariis judicibus, & in suos subditos, prout ad eos pertinet, indulgentiis & privilegiis ipsis nequaquam obstantibus, jurisdictionem suam & censuram ecclesiasticam exercere liberè valeant, concedentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, revocationis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii Idibus Augusti, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCLXIX.

Episcopo Urbevetano.

Interdictum in Urbevetanos suspendit, arctiùs observandum si non emendaverint.

Anno 1266.

QUantò cives Urbevetani à transactis retrò longè temporibus apostolicæ sedi fideliùs adhæserunt, tantò graviùs ferimus cùm à via veritatis exorbitant, & ad nostra mandata salubria suos nolunt errores corrigere; sed præsumtâ quadam audaciâ volunt improvidè deffensare. Sanè licèt ex eo quod statuta quædam ediderant in ecclesiasticæ præjudicium veritatis, multi ex eis excommunicationis sententia sint ligati, & nihilominus ex causis aliis supposita civitas ecclesiastico fuerit interdicto, nec citati curaverint comparere, (quod dolentes referimus) salutis propriæ contemtores: nos tamen eos favore prosequi non cessavimus apostolico; sed ad pacem dandam eisdem, & concives eorum de domo carceris educendos, damus & dedimus opem & operam efficacem. Verùm ut cumulata gratia revelet oculos eorumdem, de Matris & Virginis meritis gloriosæ, quam cùm essemus inibi in minori officio constituti, per eos vidimus exterioribus saltem obsequiis honorari, ad honorem ejusdem in instanti festo Assumtionis ipsius & per dies VIII. sequentes

dictum suspendimus interdictum, fraternitati tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus nisi interim nostris satisfecerint beneplacitis, & de hoc tibi per litteras nostras constiterit, dictum ex tunc interdictum observes, & ab omnibus facias arctiùs observari, eis apertè denuncians, quòd si in sua perstiterint contumacia, circa eos spiritualiter & temporaliter graviùs procedemus. Datum Viterbii Idibus Augusti anno II.

EPISTOLA CCCLXX.

(a) Dilecto filio Fratri Raymundo dicto (a) Acbran ordinis fratrum Minorum.

Ut Johanni de Crusol qui admodum juvenis religionem ingredi promiserat, si stare nolit promissis, facultatem tribuat matrimonium contrahendi.

Anno 1266 SUâ nobis dilectus filius Jo. de *Crusol*, civis Montispessulani insinuatione monstravit, quòd cùm tertium decimum annum vel circiter ageret, quarto decimo non expleto, in duorum tui ordinis fratrum manibus sine voto promisit quòd eorum religionem intraret, ad quem animum non applicans, eam postmodum non intravit, nunc aspirans ad copulam conjugalem: sed ne dubius se exponat discrimini, petit à nobis humiliter ab hujus laqueis ambiguitatis absolvi. Sane licet vix sit intelligibile, quod promissionem hujusmodi fecerit sine voto, nisi forsitan, aut præcipiti mentis impetu, aut jocosè hujusmodi verba protulerit, quæ ex certa & provida intentione prolata proferentem efficaciter obligarent. Quia tamen ætatis legitimæ ad vovendum minimè videbatur; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus conscientiam ejus diligenter examinans, si narratis veritas suffragatur, salutaribus monitis, non sermonibus illectivis inducas eumdem, ut intret ordinem memoratum, vel alium si ad hoc suum potes animum informare. Alioquin eum suæ libertati committens, des ei in foro pœnitentiæ, nullis super hoc litteris dandis, licentiam matrimonium licitè contrahendi, nisi forsan ex ejusdem confessione tibi constiterit, quod post XIV. annos in proposito adeo se firmaverit, ut quod primæ promissioni deerat, ratihabitio solidaverit subsequuta. Datum Viterbii Idibus Augusti anno II.

EPISTOLA CCCLXXI.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De censu à rege Siciliæ solvendo, de vacantibus ecclesiis, & aliis nonnullis.

DUo nobis scripsisti, ad quæ stupere compellimur. Primùm quod non adverteret debere se censum tamquam oblitus rex termini, & quod est durius juramenti. Secundum, quod numquam credidit de quinquaginta marcarum millibus se aliquid soluturum. De censu igitur sciat tua fraternitas, quod tardè petita dilatio simpliciter extitit denegata, hoc salvo quod dictum fuit nunciis, quòd omnino solutio fieret infra mensem Augustum. Hic enim erit finis duorum mensium, & ex tunc si non solverit, excommunicatus remaneat ipso facto, à te & aliis omnino vitandus. Sanè de dictis quinquaginta millibus marcarum, ad quas sicut ad alia juramento tenetur, cùm major pars fratrum nostrorum in remittendis de toto dumtaxat quinque millibus conveniret; tandem cum magno conatu ad decem millia eos traximus, pro rata de solutionibus singulis detrahenda: ita videlicet quod sicut solutiones singulæ de decem millibus marcarum esse debebant, fient de VIII. millibus, factâ de tempore sibi gratiâ, ut scilicet à calendis Augusti proximè præteritis in sex menses fiat prima solutio, & exinde per similes terminos alios subsequenter. De remissione verò quam sibi esse factam asserit ab Episcopo Sabinensi & dilecto filio nostro S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali, per omnia verum dicit. Sed remissionis fuit hæc causa, quia plus impossibilis quàm difficilis videbatur tam festina negotii expeditio. Unde credebant meritò tantum durare negotium, quod non solum illa non petere, sed etiam alia superaddere oportet. Et cùm in conditionibus tractaretur de gratia facienda, ideo determinatum non extitit, quia dubius bellorum eventus & incerta protractio majorem vel minorem gratiam admittebat. Nunc autem præter spem omnium celeri fine habito, collectâ etiam ab ecclesiis decimâ tanti temporis, & de regno tot spoliis habitis, cur sibi judicet onerosum quod debet solvere, non videmus. Verùm pro censu nulla recipias pignora, sed nec censum posses recipere, cùm ex pacto persolvi debeat ubi sumus, nec mutare velimus infirmatis conditionibus unum iota, nec reciperemus pignora si nobis etiam mitterentur. Ceterùm consultationi tuæ de abbatibus nuper respondimus, & illi de restitutionibus faciendis; illi verò de suspensis episcopis, & vacantibus ecclesiis cathedralibus citò tibi per proprium nuncium respondebimus. De electis verò postquam regnum intrasti, ante nostram gratiam de restitutione electionum libera publicatam, volumus quòd omnes denuncies esse nullas. Si quos tamen electos inveneris, quos repute esse dignos, pensatâ qualitate locorum, providendi de ipsis ecclesiis, ad quas temere electi fuerant, tibi concedimus facultatem: quamvis autem civitas Accon à venerabili fratre nostro patriarcha Jerosolymitano & dilectis filiis magistris hospitalis & templi, non scribatur obsessa, nec periclitetur hoc tempore, quo navium instat accessus, quæ de diversis partibus in Septembri, dante Domino, inibi applicabunt; placet tamen omnibus, quòd crucem in regno prædices, & ab aliis facias prædicari. Datum Viterbii Idibus Augusti anno II.

(a) *Al.* Achem.

A

EPISTOLA CCCLXXIII.

Capitulo fratrum Prædicatorum.

Eorum se precibus commendat, hortatur ut dignum eligant ordinis magistrum, & ut circa sepulturas & testamenta moderati fiant.

Anno 1266 CÆlo mutato, non animo, devotionem, quam hactenus ad ordinem vestrum habuimus, fervore solito prosequentes, convenientibus vobis in unum fragilitatis nostræ memoriam commendamus, qui tantò pluribus indigemus suffragiis, quantò majoribus perturbamur molestiis, & oneribus subjacemus gravioribus, & curis amplioribus perurgemur. Detur ab omnibus aliquid & à singulis, prout ex corde suo quilibet destinavit, episcopo satis pauperi subsidia salutaria mendicanti, ut ad locum discretionis tertiò jam translatus, vestris demùm orationibus à periculis eruatur, & ad optatæ portum felicitatis attingat. Sanè cùm immineat de creando magistro tractatus, juxta morem laudabilem hactenus observatum, talem eligere studeatis, qui non solùm utilem ordini, sed & orbi se reddere voluerit, velit & valeat, prout negotiorum exposcit varietas, & etiam tanto magisterio reverendum, & ex humili ministerio gloriosum. Demùm cautos vos reddimus, ut circa vestræ religionis statum sollicitudine debitâ invigiletis, ne, quod absit, in vestra gloria macula valeat reperiri, quæ velut inæstimabili altitudinis & firmamentum multiplici syderum luce coruscans universam ecclesiam multis temporibus illustravit. Ad hæc autem scribenda nos monent diversarum ecclesiarum querelæ, quæ multis ex partibus ad nos veniunt, quia sciunt ordinem nos diligere familiariter, conquerentes quod sepulturis eisdem ablatis, ad extremam venerunt paupertatem, propter contentiones & lites quæ pro cadaveribus ipsis exeunt, dum mortuus clericis impetentibus & fratribus defendentibus trahitur & distrahitur, & inter manus distrahentium, quod est durius, impulsionibus mutuis, clamoribus, & convitiis caritas laceratur. Quid igitur vobis dicimus faciendum? Numquid vos cedere volumus juri vestro? Nolumus in hac parte præcipitare sententiam; sed sicut aliquando uni ex vobis scripsimus, utinam numquam volucres super cadavera descendissent! Utinam descendentes pater ordinis vester aut noster Abraham abegisset. Hoc sanè consulimus quod circa sepulturas & testamenta moderamen aliquod apponatis, quo vestra sinceritas fulciatur, & tam natis quàm nascituris scandalo occurratur. Ceterùm quia posset casus contingere, qui vestram nobis præsentiam exhiberet, scribimus pauciora, certi quod ex paucis multa colligere, sicut vobis est facile, sit & promtum. (a) (a)

(a) Hanc epistolam in solo reperimus codice Trecensi hic loci collocatam, quam à Clemente necdum pane scriptam existimamus, cum jam tertium obtineret episcopatum, scilicet anno 1265. quo in magistrum generalem ordinis prædicatorum electus est Jaonnes de Vercellis.

B

C

D

E

F

EPISTOLA CCCLXXIV.

Episcopo Cenomanensi.

Ut differat conferre præbendam Jo. de Mosnilio.

SIcut noster exultat animus, cum porrectæ pro personis idoneis preces nostræ tam apud te, quàm alios fratres optatum & debitum consequuntur effectum: sic æquanimiter toleramus, si certis interdum ex causis nunc probabilibus nunc necessariis, salvâ semper obedientiæ promtitudine suspenduntur. Nuper sanè pro dilecto filio Jo. de Mosnilio presbytero elemosynario carissimi in Christo filii nostri C. illustris Siciliæ regis, in Cenomanensi ecclesia recipiendo in canonicum & in fratrem, tibi & Cenomanensi capitulo, & præbenda ecclesiæ, si tunc vacabat, aut quamprimùm ad id se facultas offerret, per te, ad quem in ea præbendarum collatio pertinet, conferenda, preces nostras tibi dreximus & mandata; quæ tu effectui mancipare ideo distulisti, quia dilecto filio Magistro AMERICO de S. Aniano officiali tuo felicis recordationis URBANI papæ prædecessoris nostri, & GUILLELMO (a) Perribolæ socio tuo auctoritate nostrâ dudum in eadem receptis ecclesia per litteras facultatis indebitas, videbas evidens præjudicium generari. Sed & tertium P. de Glis in eadem receptum de tuo consensu dicebas auctoritate dilecti filii nostri S. tit. S. Ceciliæ presbyteri cardinalis apostolicæ sedis legati, quam à nobis habebat ex indulgentia speciali. Nos igitur tuam prudentiam in his omnibus commendantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ob causas prædictas dicti J. receptionem differas, per quam tribus prædictis vel eorum alicui, quos omnes in assecutione præbendarum suarum eidem volumus anteferri, nullum volumus præjudicium generari; sed nec aliis; sed qui auctoritate apostolicâ recepti sunt in eadem ecclesia; eidem Jo. exigente justitiâ præferendi. Datum Viterbii XII. calendas Septembris anno II. Anno 1266 (a)

EPISTOLA CCCLXXV.

CAROLI SICILIÆ REGIS

Ad Clementem papam IV.

De dilatione solutionis census debiti.

SAnctissimo in Christo Patri & Domino suo, Domino CLEMENTI divina providentiâ Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici CAROLUS Dei gratiâ rex Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Andegavi, Provinciæ & Forcalquerii comes, cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum. Anno 1266 *Ex Ms. S. Vincentii Bisuntini.*

(a) *Al.* Sibolæ,

Vestræ litteras Sanctitatis in hæc verba recepi: CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio CAROLO Siciliæ regi illustri salutem & apostolicam benedictionem. Habet hæc humana fragilitas, & primorum transgressione parentum ignorantiæ nebula, & irruentium multiplicatione phantasmatum involuta, ut dum de multis sollicita erga plurima procurabatur, omnium nequeat habere memoriam, & diversis dubitationum ambagibus fluctuare coacta, excusabiliter omittit aliqua, quæ ex certa scientia potius ne malitia damnabiliter præteriret. Sanè quamvis censum annuum octo millium unciarum auri ponderis regni Siciliæ nobis & Ecclesiæ Romanæ debitum solvendum in suo termino, festo videlicet principali B. Petri proximè jam transacto, nobis non solveris: quia tamen in solutione ipsius non ex malitia nec ex dolo cessasti, præsertim cùm plurimi tibi suaderent, quod regnum totaliter non es adeptus, in quo gravem patiebaris adhuc & pateris resistentiam, ad solutionem minimè tenebaris: propter quod & gravia quæ urgebant negotia de lapsu termini minùs sollicitus extitisti, & nihilominus ad cautelam venerabili fratri nostro Albanensi episcopo apostolicæ sedis legato sufficientia pignora ad valorem census ejusdem & ultrà liberaliter obtulisti: quæ ipse recipere noluit, sicut per ejus litteras nobis constitit, omissionem seu concessionem hujusmodi ad reatum vel notam perjurii tibi nolumus imputari; sed potiùs excusationibus tuis admissis, quas nobis tuis litteris intimasti, immunem te à perjurio nihilominus reputantes, quod nihil eo nomine tibi valeat objici seu impingi tenore præsentium declaramus. Ad hæc volentes, si nobis infra mensem Augusti non solveris dictum censum, hac vice tibi de gratia speciali dictæ solutionis terminum usque ad calendas Novembris proximas prorogamus: infra quas si non solveris dictum censum, in sententiam incidas excommunicationis. Per hanc autem datæ dilationis gratiam, conditionum sive conventionum dictarum tenorem in nulla volumus parte sua divelli, vel in aliqua immutari: immò tenore præsentium declaramus apertè, nostræ intentionis existere, & hoc insuper protestamur, quòd subsequentium solutionum dicti census annui termini in perpetuum in eodem festo principali B. Petri consistant; nihilhominus quoad pœnas contra tuam & hæredum tuorum in regno personas vestraque bona, si dictus census nobis nostrisque successoribus & ipsi Romanæ Ecclesiæ suo tempore minimè solveretur, in eisdem conventionibus ordinatis, & tam nostro quàm tuo consensu firmatis, statuta in eis tempora ab eodem festo volumus computari. Tu ergo fili carissime, diligenter attendens quod & qualiter nobis promiseris, tuæ semper salutis non immemor, atque famæ, gratiam apostolicam reverenter suscipias, & caveas in posterum, ne discrimini te exponens ab ejus corpore, cujus es membrum nobile, nullo, quod ægrè ferremus, tempore præcidaris. Datum Viterbii Pontificatus nostri anno II. Ego ergo, Pater Sanctissime, pro tanta gratia vobis & vestris fratribus ad gratiarum actiones inclinans, & omnibus & singulis supra contentis assentiens, sic ad vos & sanctissimam matrem meam Ecclesiam in his & aliis Dei fultis auxilio me habebo, quod devotionis meæ patentibus incrementis, in conspectu Dei & hominum reddar ipsius munere gratiosus. Datum apud Lacum-pensilem per manum Roberti de Maro regni nostri Siciliæ Prothonotarii primo Septembris indictione x. anno Domini MCCLXVI. Regni verò mei anno secundo feliciter.

EPISTOLA CCCLXXV.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de pluribus negotiis.

QUi exoculati aut aliàs mutilati, aut contumeliis, aut damnis affecti extra solum positi non fuerunt, jure exsules dici nequeunt: sed quia passi sunt, ut apparet omni exilio graviora, licèt ex verbis conditionum tenor eos attingere minimè videatur, satis tamen videtur in eis sententia comprehendi: quod tamen nec diffinire volumus, nec à te pro jure servari. Sed inducens regem, ut eis jura sua restituat, qui si audire noluerit, suæ conscientiæ relinquatur, salvâ tamen justitiâ, si eam duxerint, judiciario ordine requirenda. Anno 1266

JOHANNEM DE DOACO perfidum & gyrovagum, & prout creditur, furem, etiam insuper proditorem, alicubi detrudes in carcerem, donec pleniùs deliberatum fuerit de eodem.

De bonis quæ Rex receperit ab officialibus quondam MANFREDI, licèt nostra sint, & non sua, dissimulare te volumus, nec facias inde verbum.

Quæris quando restitutio electionum in regno fuerit publicata, quod tu utique scire debes: nos enim eam non publicavimus, sed eam per te jussimus publicari.

Monasterium sanctæ Trinitatis quod nominas non cognovimus, an sit illud quod monialibus Cistercienfis ordinis collatum extitit ignoramus: quicquid autem sit, tibi committimus ordinandum, si tamen litigiosum non est, prout Deo gratum credideris & acceptum.

(a) ALEFINUM electum minùs grammaticum ad episcopatum Quinque-vinc; si tamen vita ejus aliquatenus supplet defectum scientiæ, æquanimius præfici tolerabimus, quàm religiosum, qui plus præesse desideret, quàm prodesse, & non subesse plus appetat quàm præesse.

De concubinariis dudum tibi respondimus, tuæ providentiæ committentes: sic tamen, ut amotis aliquibus, dispenses cum aliquibus, morum emendationem considerans in his cum quibus fuerit dispensandum, quos non illis dimittes beneficiis, in quibus plebi fuerunt scandalo, sed ad alia transferens, prout videris expedire.

(a) *Al.* Aliesium.

Cum

Cum nato ex adulterio quamcumque sit bonæ indolis, extra religionem nolumus dispensari.

Procuratorem episcopi Squillacensis non vidimus; & si dictus episcopus litteras quas habere se jactat ostendere tibi nequiverit, certificati à te, quid agendum fuerit rescribemus.

BERTRANDUM Cusentinum canonicum ex tuo sanctificandum consortio, si tibi videtur utilis, tuis potes obsequiis applicare. Proponimus tibi mittere fratrem Marcum.

B Sororem comitis Camerarii non solum fieri nolumus abbatissam, quin etiam licentiari de regno mandamus. Et illud teneas incunctatum, quòd nostræ intentionis non est viduam vel aliam corruptam alicubi fieri abbatissam: quod vitium, ut audivimus, multum inolevit in regno.

Quod de abbate S. Johannis scripsisti, gratum habuimus & acceptum. De quondam Petri ad Aram, & (a) Canen. abbatibus satis scripsimus tibi cautè, nec proponimus tibi aliud scribere: quia sufficit quod scripsisti.

C Non eas Luceriam, sed mitte, si credideris proficere. Melius quidem in aliis ad præsens negotiis occuparis. ô quàm amarè nostrum pertulit animum, quod de archidiacono Agennensi scripsisti. Dum enim his similia frequenter audimus, renovatur quotidie dolor noster, & morimur, frater carissime, incessanter. Eum tamen ut sic possit evadere, invitum volumus facere correptorem. Magister ELIAS adhuc à Pisis non rediit. Quo reverso, nostram tibi scribemus quàm citiùs voluntatem. Brevibus clausulis & diffusis tibi rescribimus, quia multiplicata problemata hoc requirunt. Datum Viterbii II. nonas Septembris anno II.

EPISTOLA CCCLXXVI.


Carissimo in Christo filio nostro L. regi Francorum illustri.

Regem nullum jus habere in comitatu Melgoriensi.

Anno 1266 QUia quidam ex ignorantia, quidam ex certa malitia veritatem interdum sepeliunt, & interdum quibusdam coloribus adulterinis obducunt: ideo, fili carissime, rectè agis, si quotiens tibi dubia referuntur, quorum tibi expediat plenam habere notitiam, causam quam nescis diligentius investigas: quia sicut judicio cognita, sic incognita casu constant. Sanè tua nuper à nobis serenitas requisivit, quid de comitatu Melgoriensi, quem venerabilis frater noster Magalonensis episcopus possidet, sentiremus; cùm tuæ celsitudini sit suggestum, quod vel tibi, vel dilecto filio P. Poleti Domino Alesti vassallo tuo fiat injuria: ad quod tibi breviter respondemus, quod prout constat ex vetustissimis apostolicæ sedis documentis, comitatus prædictus feudum est Romanæ ecclesiæ censuale, quod justè tenuit, ut communiter dici-

A tur, aliquo tempore bonæ memoriæ BERTRANDUS comes abavus dicti P. sed & comites Tolosani justè ut ipsi dicebant, injustè, ut plurimi sentiebant, illud diversis temporibus tenuerunt. Verum cùm comes Tolosanus pater quondam comitis Tolosani proximè jam defuncti ex causis ad judicium apostolicum ratione fidei pertinentibus per felicis recordationis INNOCENTIUM papam, prædecessorem nostrum terris suis & honore privatus, suis meritis congruentem sententiam excepisset; bonæ memoriæ P. de Berruento subdiaconus & notarius prædecessoris ejusdem, tunc in illis partibus apostolicæ sedis legatus, comitatum prædictum, quod idem comes eo tempore possidebat, ad jus Romanæ Ecclesiæ sicut debuit revocavit, quod tempore procedente R. Peleti proavus dicti P. restitui sibi petiit à legato prædicto, qui nolens, sicut nec debuit eidem negare justitiam, auditore sibi concesso, G. tunc Magalonensem episcopum constituit ad jus Romanæ Ecclesiæ deffendendum; fuitque in eodem negotio eò usque processum, quod lite contestata fuit ex parte procuratoris exceptum quod idem comitatus libram auri debebat annuam Romanæ Ecclesiæ censualem, & erat de ipsius dominio, quam non solverat à multo tempore retroacto, quod idem actor fuit de plano confessus, & nihilominus ad probandum jus suum, quod fuerat à procuratore negatum testes produxit plurimos; sed quicquid in causa fuerit, remansit consilium indecisum. Sed tempore consequenti cùm videret Romana Ecclesia dictum R. intentionem suam in judicio non fundasse, quod etiamsi fecisset, sibi prodesse non poterat propter cessationem diutinam annui canonis non soluti, remque litigiosam non esse perpendens, quam sine speciali mandato legatus memoratus non potuit deducere in judicio, dicto prædecessori nostro placuit sæpedictum comitatum Magalonensi episcopo, & suis successoribus sub censu annuo in feudum concedere, sicque ipse & ejus prædecessor ex tunc pacificè possederunt, hoc salvo quod defunctus ultimò comes Tolosanus Melgorium, & quædam castra alia episcopo abstulit supradicto. Sed postmodum ad cor rediens, ei reddidit liberaliter atque libenter. Et hæc quidem, quæ de dicto legato præmisimus, facta noveris antequam recordationis inclytæ pater tuus Franciæ rex effectus negotium assumeret Albiensem: immo & antequam patre vivo, crucis sacræ suscepto caractere, civitatem adiens Tolosanam potenter ac viriliter eam obsidione vallasset. Nos autem qui dictum P. & prædecessores suos sincerè dileximus ab antiquo, hæc omnia sæpè revolvimus, & fideliter laboravimus in statu alio constituti, ut Magalonensis ecclesia eis aliquid daret, sed non potuimus obtinere. Nuper verò, ex quo licèt immeriti sedem conscendimus altiorem, ad ejusdem P. devotam instantiam venerabili fratri nostro episcopo Magalonensi dedimus potestatem aliquos ei reditus assignandi: ad quod itaque nos induxit ejusdem P. domusque suæ dilectio jam præscripta. Sed honor ejusdem epis-

(a) Al. F. Cavensi.



copi & utilitas, cui credebamus expediens, & scrupulum conscientiæ, si quis erat, redimere, & vulgi clamoribus satisfacere, omni juris necessitate cessante, & dictam domum satis sibi vicinam in sua gratia retinere. Quocirca, fili carissime, nemo tibi suadet præjudicium in his omnibus vel eorum aliquo tibi factum, nisi forsan ad id velint se committere, qui de sede apostolica malè sentiunt, ut inquirant quomodo Romana Ecclesia in regno Franciæ feuda habere potuerit, sicut aliquos interdum audivimus susurrantes: quibus dicimus quod habet utique hæc & alia, nec est aliquid quod impediat, cùm nec regnum cum regibus natum fuerit, nec à solis regibus acquisitum. Et si veteres legant historias de Narbonensis acquisitione provinciæ, personales labores invenient Romanorum Pontificum & sudores, qui non tam regum fuerunt socii in victoriis, quam reges nunc sequaces, nunc socios & habuerunt tamquam negotii (a) Narbonensis domini principales. Tuis ergo contentus juribus & regni latitudine, quod virtute mirificâ nostris temporibus Dominus ampliavit, dictum episcopum & in ipso Romanam Ecclesiam non perturbes, nec susurrationum somniis irriteris: qui quandoque loquentes placentia credulis auribus fel mellitum instillant, quod in te fieri posse non credimus, tuæ dudum constantiam circumspectionis experti. Ceterùm de moneta Miliarensi quam idem episcopus cudi facit, ut dicitur, in feudis Ecclesiæ, ei scribimus quod etiam juri contrarium arbitramur, & christianæ inconveniens honestati. Datum Viterbii (b) XVII. calendas Octobris anno II.

EPISTOLA CCCLXXVII.

Episcopo Magalonensi.

Nil ab eo timendum esse pro comitatu Melgorii; & ut monetas percutere cesset.

Anno 1266 IRritatus à susurronibus carissimus in Christo filius noster L. rex Franciæ illustris super Melgorii comitatu, quem in ejus præjudicium & injuriam à te possideri dicebant, prudenter & providè nos consuluit; cui plenam rescripsimus veritatem, qua & ipsum credimus fore contentum; & idcirco nullius concussionem aut minas timeas, nam qui te tanget, pupillam oculi nostri tanget. Nostrum enim in hac parte negotium agitur, & non tuum. Sanè de moneta (c) Miliarensi quam in tua diœcesi facis cudi, miramur plurimùm cujus hoc agis consilio; non quòd injuriam facis regi Franciæ, si in feudis non fabricatur ipsius; sed Regi gloriæ, extra cujus dominium, nec hoc potes, nec aliud operari. Quis enim catholicus monetam debet cudere cum titulo Machometi? Quis etiam licitè esse potest alienæ monetæ percussor? Cùm enim nulli liceat eam cudere, nisi cui vel summi pontificis, vel principis auctoritate conceditur quam nullus, inquam, sic effusè concedit, ut omnis generis monetam faceret, data auctoritas ad rem certam quonam pacto ad aliam extendetur? Si consuetudinem forsan allegas; in adulterino negotio te & prædecessores tuos accusas potius quàm excuses, cùm perversæ consuetudines dici debeant corruptelæ. Quod si, consuetudine, & jure cessantibus, lucro inhias; vide quantùm dedeceat excellentiæ pontificalis honorem negotiationem hujusmodi exercere, quam in inferioris gradus clericis reprobamus. Certè si venerabilem fratrem nostrum Agathesem episcopum in hac parte per te requireres, audires utique ab eodem quantùm ei dissuasimus ad opus simile provocato, cùm essemus in statu alio constituti. Hinc est quod fraternitati tuæ per apostolica scripta percipiendo mandamus, quatenùs si in regis feudis hoc facias, pareas prohibenti: Et si alibi, nihilominus omnino desistas, cùm & Deo & nobis displiceat, & sit tuæ contrarium honestati. Datum Viterbii (d) XVI. calendas Octobris anno II.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

Inquisitoribus contra Tolosanum episcopum deputatis.

De inquisitionibus contra & pro episcopo Tolosano faciendis.

QUerulas venerabilis fratris nostri episcopi Tolosani litteras nuper recepimus, inter cetera continentes, quod contra tantam multitudinem testium adversùs eum à nobis receptam, & ad bonam famam suam probandam, ad tam modicum artatur numerum, ut hoc solo defensio necessaria ei subtrahi videatur. Nec advertit quanta prærogativa gaudeat, qui testes potest reprobare productos, & contra suos (e) reprobatores alios non expectat, cùm nullus promotor inquisitionis appareat, nisi duxerimus aliter providendum. Sanè licèt istâ contentus gratiâ satis deberet in se quiescere, ut tamen aliquatenus ejus singultibus satisfiat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad reprobationem testium, quos inquisitione completâ, tam super infamia, quàm super criminum veritate recipitis contra ipsum, usque ad centum testes recipiatis pro ipso; si tamen tot duxerit producendos. Verùm super bona fama ipsius, quantùm ad fratricidii & simoniæ crimina tot recipi volumus, quot super infamia recepistis. Ceterùm quia nec pro ipso, nec contra ipsum impune volumus à veritate aliquos deviare, vobis districtè præcipiendo mandamus, ut omnes illos qui pro ipso vel contra ipsum deposuerint mendaciter, vel deponent, excommunicetis solemniter, & excommunicatos publicè nuncietis: & si sunt clerici, beneficiis suis ipso facto auctoritate nostrâ pri-

(a) Al. In Trecensi deest *Narbonensis.*
(b) Al. XVI. calendas.
(c) Al. Miliriacensi.
(d) Al. XVII. calendas.
(e) Al. Reprobatorios.

vetis, à qua excommunicationis sententia à nullo absolvi valeant sine nostro speciali mandato, cujuscumque specialis vel generalis potestatis obtentu, nisi forsan in mortis articulo, in quo si fuerint absoluti, & infra mensem, sanitate receptâ, vobis vel duobus vestrûm non aperuerint veritatem; ipso facto in eadem sententia relabantur. Quòd si vobis aperiendam duxerint, eam per manum conscriptam publicam nobis transmittere non tardetis. Quia verò tantus numerus testium infra tempus, quod per alias litteras vobis præfiximus, examinari non posset, vobis committimus, ut eo nonobstante tempore prorogetis, prout naturæ negotii videritis expedire. Datum Viterbii XII. calendas Octobris anno II.

EPISTOLA CCCLXXIX.

Carissimo in Christo filio L. Francorum regi illustri.

Ut in Aquarum-mortuarum portu possit villam ædificare, & ad id vectigal imponere.

Anno 1266 CUm in portu, qui Aquarum-mortuarum vulgariter appellatur, in Nemausensi diocesi, turrim dudum extruxeris opere sumtuoso, ut tam peregrini quàm etiam mercatores in terram sanctam exinde profecturi, cum rebus suis (a) salvi consistere valeant in eodem; nec eorum (b) possint ad plenum commoditas & securitas procurari, nisi locus fiat ex concursu inhabitantium populosus, interpellatus es pluries & à pluribus, ut audivimus, & rogatus ut ibidem competens loci spatium murorum ambitu claudi facias, infra quem possint incolæ domos constituere, quæ non solùm ab hostium eos reddant tutos incursibus, sed etiam à ventorum prosecutione deffendant, qui dum undique flatu libero locum pulsant, arenarum cumulis excrescentibus, inhabitabilem eum reddunt: & ne vel ex loci clausura, vel ejusdem custodia prægraveris; placet, ut dicitur, mercatoribus tam in Montepessulano, quàm in locis insignibus adjacentibus constitutis, quod de mercibus in eumdem portum per mare causâ mercimonii inducendis vel educendis, ex eo vectigal competens imponatur, à te & tuis posteris recipiendum ibidem. Sanè quamvis aliquibus videatur, quod tu tamquam rex in regno proprio hoc possis statuere cum evidenti venientium & transeuntium utilitate, vel potius necessitate pensatâ: ut tamen eò procedas tutiùs quò nostrum consultiùs super hoc requisisti consilium & assensum. Nos igitur qui loci situm & statum oculatâ fide cognovimus, & ab olim optavimus ibi fieri villam bonam pro commoditate multorum, præsertim cùm in mari mediterraneo nullum alium portum habeas regni tui peregrinis accommodum, qui præ ceteris fidei zelo succensi ad terræ sanctæ subsidium sæpiùs se accingunt, tuæ celsitudini tenore præsentium indulgemus, ut prælatis Narbonensis provinciæ & vicinis loco baronibus, Montispessulani consulibus, & locorum comitatibus adjacentium ad tuam vel illius, quem ad hoc illuc mittendum duxeris, evocatis præsentiam, de consilio illorum possis statuere, quod tam pio negotio videbitur opportunum, provisurus attentiùs, ut & moderatum vectigal imponatur ibidem, & futuris temporibus nequeat augmentari. Datum Viterbii XI. calendas Octobris anno III.

(a) Al. Salvis. (b) Al. Possit.

EPISTOLA CCCLXXX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Arguit eum de pluribus in ipso & suis emendandis.

CUm omnia quæ secundum ordinem fiunt, ex ipso ordine recipiant pulcritudinem & splendorem, decet te, fili carissime, in omnibus & per omnia ordinatè procedere, ne tu forsan, ad cujus pendet arbitrium ordinatio tanti regni, minùs justè quæras in subditis, quæ in te ipso nequiverint inveniri. Hæc est sanè nostri summa propositi, ut tuum studium excitemus ad tui stabilimentum honoris, & statum pacificum nationum tuo regimini subjectarum, cujus rei principium esse credimus & fixum ac solidum fundamentum, si te, tuos & tua, tam prudenter quàm providè duxeris ordinanda. Ad tuam autem ordinationem hoc pertinet, ut Deum timens ac diligens, nihil ex certa scientia in salutis tuæ dispendium teneas alienum. Quod si geris, prout debes, in votis; & canonicis Piniani, & monachis S. Victoris Massiliæ castra sua restitues, & Arelatensi eclesiæ jura sua similiter & Astensi: quæ omnia specialiter duximus exprimenda: quia nota sunt & notoria. Sed nihilominus de aliis quæ non ita novimus, omnino reddimus te sollicitum, de gabellis salis videlicet, quarum originem vidimus vitiosam: in his etiam, quæ veteres appellantur, ut de aliis taceamus, quæ tuo sunt tempore, sicut dicitur, in multorum præjudicium introducta. His est consequens quòd inhumanus diceris, & ad nullum afficeris, prout dicitur, amicitiâ, quod ex eo à multis præsumitur, quod tuos Provinciales tamquam eos in servos emeris ad onera supra vires adstrictos, & tibi fideliter obsecutos suis fraudas stipendiis, quorum multi perierunt inediâ, multi contra suæ nobilitatis & non minùs tuæ honorem in hospitalibus pauperum jacuerunt, multi te (c) pedites sunt secuti. Languet in carcere filius nobilis viri JORDANI DE INSULA Mediolani detentus. Languet Novariæ miles tuus SORDELLUS, qui emendus esset immeritus, nedum pro meritis redimendus, multique alii qui tibi in Italia servierunt, nudi & pauperes ad propria sunt reversi. Addimus juxta famam communem, quod homines regni tui etiam videre contemnis, & justitiam eorum procrastinas, & si quando à te, prout dicitur,

(c) Al. Tepide.

Anno 1266

Ecclesiis castra restituenda.

In ipso quæ reprehendenda.

quod rarò accidit, possint intrare, quibus si nec visibilis fueris, nec adibilis, si nec affabilis, nec amabilis, & eisdem volueris principari, profectò in manu gladium & in dorso loricam, & à latere præparatum exercitum habere te jugiter oportebit. Et quæ erit hæc vitæ species, nisi mortis imago miseræ suspectos semper habere subditos, & suspectum semper esse subjectis? Verùm his verbis, quæ si judicas aspera, rectiùs judicabis utilia, quæ te tamen magis prudentiâ quàm experientiâ addicere volumus & optamus, providentiæ tibi viam non claudimus, nec te credere omni spiritui suademus, nec vulgi te manibus exponi volumus attractandum; sed ad tuam instructionem sufficiat, quòd prudentium jam dudum legitur diffinitione provisum, ut qui præsunt provinciis & faciles ad (a) eundum se præbeant, & in familiaritatem ulteriorem subditos non admittant; sed sic eorum necessitatibus se coaptent, ut semper ingenio augeant dignitatem.

In iis quæ ejus lateri assistunt.

Nunc ad tuos disgredimur, illos scilicet, qui vel tuo assistunt lateri, vel ad terrarum tuarum regimen destinantur, & de istis communiter dicitur, quod tibi subtrahunt & tuis auferunt quidquid possunt, & tamen dicunt singuli: inquiratur quisnam hoc facit? & fortè non minùs clamitant magis rei. Nam & sigillatim interrogantibus apostolis Dominum post prolatam ab ipso de futuro traditore sententiam, numquid ego sum, Domine? fecit & ipse proditor inter ceteros quæstionem eamdem; & tamen universis clamantibus solus taces, & ignorantiam (b) detestabilem affectare videris, ubi de tuo periculo & damno agitur & tuorum. Quod si rapina hujusmodi excusabilis esse posset, hoc solum videtur ad excusationem prodesse, quod tu fures videris facere, quibus non reddis debita, nec assignata certa stipendia, sed hoc eos excusare non potest, quamvis te valeat de negligentia non mediocriter accusare.

In ejus consiliariis

Transeundum ad consilia quibus uteris. Ecce, ut fertur, publicè dantur tibi consilia à peritis, quæ cùm audieris, seorsum abiens, judicio subjicis imprudentium, & aut tuæ innitens prudentiæ, præfers omnibus id quod sentis, aut peritorum responsa ab illis sustines judicari, qui non intelligunt se vel illos. Hoc interdum vidimus in Provincia, & ideo in Apulia posse fieri non impossibile judicamus. Crede, fili carissime, jam nobis sæpè contingit in hac sede, cui licèt immeriti præsidemus, ut habitis fratrum nostrorum consiliis, quamquam contrarium crederemus utilius eorum tamen sententias sequebamur, ubi tale erat negotium, quod sine peccato fieri poterat vel omitti: & movebat nos ista ratio, quia temerarium censebamus tot prudentium judicio sententiam nostri capitis anteferre. Elige ergo, fili, consiliarios tibi non suspectos, & cùm suspectos habere cœperis non retineas, quia bellum continuum cogitationum invicem confligentium non evaderes; sed nullum habeas ex levi causa suspectum, quod utique communi judicio nationis est vitium Gallicanæ. Sunt enim aliqui quibus moris est, ut cùm audierint aliquos consulentes, secretâ confabulatione captatâ, dicant tibi vel aliis: Hoc verbum quod ille dixit, notastis Domine, propter hoc dictum fuit, & ii sunt pessimi detractores, Deo odibiles, verborum salubrium subdoli glossatores: sed quid fiet? Sunt regnicolæ in consilio, numquid erunt eo ipso suspecti? Audemus tibi dicere, quod sine eis bene regnum non reges, & in eis, & ex eis invenies, qui tuam felicitatem participant, & stante te subsistunt, quod avertat Dominus, caderent te cadente. Unde ergo suspicio est in talibus, si aliunde non surgat, quorum honor pendet ex tua gloria; quorum periculum à tuo nequit aliqua ratione disjungi?

In ipsius domo.

Nunc dimissis consiliariis ad domum tuam descendimus, quam adeo deordinatam in omnibus mundus clamat, ut tot in ea sint domini, quot sunt capita, quorum aliqui tibi sumunt & mutant officia prout volunt: alii tot simul se implicant quod nihil bene peragunt, dum ad multa festinant. Durum tibi fortè videbitur, quod de talibus taliter tibi scribimus: scias tamen quod curam non assumimus domus tuæ, sed dissipationem ipsius in tuum dispendium & infamiam, nec lætanter, nec libenter audimus. Vidimus enim aliquos laborantes hoc vitio, qui libentiùs multa perderent, quàm vel modica alia largirentur: nec est pejor aliqua prodigalitas quàm æquanimiter sustinere, ut à gartionibus furibusque consumatur, quod in usus honestos tam salubriter quàm utiliter posset & deberet expendi. Demùm sufficiat hoc scripsisse, & ut finis concordet principio, & tuos & tua sic ordina, quod & Deo cedat ad gloriam, tibi etiam ad commodum, tuis & ad gaudium & ad exemplum. Latori præsentium in his credas, quæ ex parte nostra duxerit proponenda. Datum Viterbii x. calendas Octobris anno II.

(a) Al. Ad eumdem. (b) Al. Delectabilem.

EPISTOLA CCCLXXXI.

Venerabili fratri Patriarchæ Hierosolymitano & dilectis filiis magistris Hospitalis & Templi, nobili viro Gaufrido de Serginis & aliis Christi fidelibus in transmarinis partibus in negotio fidei laborantibus.

Compatitur eorum tribulationibus.

Anno 1266

NEc aures surdæ, nec pectus saxeum, nec viscera nobis sunt ferrea, ut vel vestris lacrymosis clamoribus audientiam negaverimus, aut auditis doloribus compassionis affectum. Conscientiâ teste, scribimus, quod catholicos ubique principes excitavimus, & adhuc jugiter excitamus, ut effusi pro se sanguinis in suæ redemtionis pretium, non immemores, terræ sanctæ succurrant. Et quamvis multi dormiant vel dormitent, quamvis devotionem multi convertant in questum, & petant subsidia quæ habere non possunt: sunt tamen multi per Dei gratiam, qui ad id viriliter se accingunt,

& speramus quod plures erunt, cùm audierint tribulationum instantiam, quæ vexant vos acriùs quàm vellemus. Ad hoc toto studio laboramus, in hoc noctes insomnes ducimus & ducemus, ut maturum & commodum habeatis auxilium; & idcirco vestræ manus, dilectissimi filii, non deficiant, nec genua dissolvantur, sed æstimantes, ut decet, quod filiorum non possumus oblivisci, expectate paulisper donec magnum suffragium veniat, particularibus interim sustentandi: nec enim abbreviata est manus Domini, nec ipsius ratio consopita, qui vestrum periculum suum judicat, & in comparationem vestri discriminis alia omnia vilipendit. Datum Viterbii II. calendas Octobris anno II.

EPISTOLA CCCLXXXII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Non posse ei concedere petitas indulgentias.

Anno 1266 NEc colorem, habet aliquem nec saporem, quod pro juvandis filiis excommunicatissimi quondam Philippi Chonardi indulgentia detur quam postulas: quantumcumque Græci sint & fuerint odiosi, alioquin contra Saracenos adjuvantibus Tartaris, vel contra altertros ipsis Græcis indulgentia danda esset, quod nullus rectè sentiens crederet faciendum. Sanè si illi qui detinent insulam, de qua agitur, in tuis vel aliarum personarum bonarum manibus eam ponerent nomine nostrorum, vel carissimi in Christo filii B. imperatoris Constantinopolitani tenendam, salvo jure liberorum dictorum, si quod habent forsitan in eadem, & de hoc cautio competens haberetur; tunc militibus qui se offerunt ad auxilium, nec sunt ad terræ subsidium obligati, dicta indulgentia dari posset, quæ non est ita passim omnibus concedenda, ut quod statutum est in salutis remedium, in fabulam & ludibrium convertatur. His ergo pensatis intelligere potest tua prudentia, quo tibi sit ordine procedendum, præsertim cùm de damno vitando non certes, nec jus aliquod habeas in eodem. Datum Viterbii calendis Octobris anno secundo.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

Dilecto filio J. electo Remensi.

Arguit eum quod pecuniis inhiet, & ecclesiam Remensem obligaverit.

Anno 1266 IN odore tui sinceri nominis hactenus delectati, nuper tamen aliquibus intellectis, quæ à tua non modicùm nobilitate degenerant, non leviter fuimus perturbati, matri similes aliquatenus, quæ præstolans de conceptu lætitiam, peperisse demùm se reperit abortivum. Nosti, fili, quantam servavimus in regno tuo puritatem, quot & quibus modis occurrimus nostrum volentibus fermentare processum. Et tu, prout apud nos dicitur, non in angulis, sed in capite potiùs omnium platearum, cum aliquibus, qui Deum nesciunt, mercatus pariter & (a) merconatus effusâ pecuniâ, sed tuâ celebri famâ confusâ, tuum tam honorabile ministerium polluisti, & Remensem ecclesiam ultra omnia, quæ nobis nec sperantibus, nec avidè sitientibus fratrumque nostrorum obtulisti collegio, in x. millia librarum Turonensium obligasti. O si vera essent quæ dicuntur, quantò melius tibi foret, nec exceptum genibus, nec lactatum uberibus, post conceptum statim in utero periisse! Quidnam tibi valet prælatio purè data ab eo qui dare potuit, & ab aliis qui nihil poterant inquinata? Nec confidas si tecum fuerit per aliquem dispensatum, cùm super hoc nullus nostram obtinuerit specialiter, nec concessione generali receperit potestatem. Quo fit, ut dispensatio, si facta extitit, potius præsumta infructuosa fuerit, quam & nos coram Deo & angelis reprobamus. Ut igitur nostra super his conscientia serenetur, discretioni tuæ per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtissimè præcipiendo mandamus, quatenus si prædicta in totum vel in partem aliquam magnam vel modicam, veritate nituntur, nobis solùm per tuum secretum nuncium & fidelem rescribere non postponas, quid & quantum, & quibus dederis vel promiseris, vel promissum ab alio te sciente, vel inscio, postmodum ratum habueris, & quis eorum extiterit mediator sive in facto, seu ante factum, vel post factum; & ut tuo statui consulere valeamus, & in futuris negotiis hujus sanctæ sedis honorem melius conservare. Quod si in his ex certa scientia nobis celaveris veritatem, excommunicationis te vinculo innodamus, à qua per neminem absolvi valeas, nisi per Romanum Pontificem, vel alium de ipsius licentia speciali, præter quàm in mortis articulo; in quo si forsan absolutus, insperatam receperis sanitatem, & infra duos menses ea nobis superstitibus clarè scribere & apertè distuleris, in eamdem sententiam recidas ipso facto, sciturus nihilominus quod si te veritatem celante, eam per alios potuerimus invenire, te à nostra gratia penitus alienum de ore nostro & corde, non sine gravi mentis angustia removemus. Hæc autem secreta sint apud te nulli penitus revelanda, nisi ei quem noveris vel credideris id celare mysterium, & tuam salutem quærere ac honorem. Datum Viterbii nonis Octobris anno II.



(a) *Al.* Metatusque. *Al.* Et mecatus.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut personarum ecclesiæ Romanæ addictarum notitiam ipsi tribuat.

Anno 1266. CUm multùm nobis expediat bonarum habere notitiam personarum de regno Angliæ, quæ & Romanæ Ecclesiæ sunt devotæ, & in persecutionis instantia vel magis commendabiles vel magis excusabiles extiterint; sinceritatem tuam quantò cariùs possumus adjuramus, quatenus secretissimè sub tuo inclusa sigillo plurium nomina cum circumstantiis debitis, nobis mittas, ut si forsan nobis occurrant in viduatis ecclesiis, si quæ fuerint, de personis hujusmodi providere securiùs valeamus. In hac autem littera sigillum piscatoris agnosce. Datum Viterbii v. Idus Octobris anno II.

EPISTOLA CCCLXXXV.

Dilecto filio Guidoni de Alvernia præposito Insulensi Morinensis diocesis.

Ejus in archiepiscopum Viennensem postulationem etsi non rejecerit, tamen non admisisse, eò quòd plura indebitè beneficia obtineret, super quibus nihilhominus eum dispensat.

Anno 1266 (a) VAcante nuper ecclesiâ Viennensi & dilectis filiis ejusdem Viennensis & (a) Romanensis Ecclesiæ capitulis, ad quos pertinet archiepiscopi Viennensis electio, ad providendum viduatæ ecclesiæ de pastore pluries congregatis; tandem votis omnium qui legitimè vocati voluerunt & valuerunt commodè interesse, in dilectum filium PHILIPPUM Lugdunensem electum, ejusdem ecclesiæ Viennensis decanum unanimi voluntate transfusis, concesso ab omnibus & promisso quòd illum reciperent in pastorem, quem ipse duceret eligendum vel etiam postulandum; idem electus in te oculos suos dirigens, te adhuc in minoribus ordinibus constitutum vice suâ, & utriusque capituli nominans, in ejusdem ecclesiæ pastorem postulavit, & postulationem hujusmodi coram dictis capitulis primò, & postmodum coram clero & populo publicavit. Sanè dil. fil. (b) P. de Marianis & G. de Limonen. (c) Viennensis diocesis ac (d) Mallecius Veraceno Romanensis, dictorum capitulorum canonici & procuratores solemnes ad nostram destinati præsentiam, postulationem hujusmodi à nobis admitti, & te eisdem in Pastorem concedi humiliter & suppliciter petierunt. Verùm quod notum erat apud nos & in partibus tuis notorium, quòd tu plura beneficia ecclesiastica obtinebas, inter quæ præter præbendas, quas in diversis habebas ecclesiis, erat præpositura ecclesiæ Insulensis Morinensis diocesis, & archidiaconatus Ecclesiæ Morinensis, ac sæcularis abbatia S. Germani Claromontensis diocesis; sed & scholasticam Coloniensem olim tibi collatam acceptasse, & quamdam præposituram eidem annexam dicebaris aliquo tempore possedisse, quæ sine sedis apostolicæ indulgentia canonicè obtinere non poteras; inquisivimus an super his tecum fuisset per sedem dispensatum eamdem, & exhibito nobis sub sigillo dilecti filii off. quodam exemplo indulgentiæ tibi à felicis recordationis INNOCENTIO papa prædecessore nostro concesso patuit evidenter quod indulgentiæ dictæ vires ad tot beneficia, personatus, & dignitates nullâ poterant porrigi ratione, propter quod postulationem de te factam admittere non debuimus nec volumus, cùm in defectibus non reatibus sedes ista superveniat postulatis: eamdem tamen non reprobavimus, nec responsum dare volumus, sed ex causa teneri placuit totum negotium in suspenso. Ceterùm & tuæ saluti consulere, & à te impedimentum hujusmodi amovere volentes, ut beneficia quæ nunc possides cum dignitatibus, seu personatibus antedictis valeas retinere, necnon & quod fructus, quos ex eis hactenus percepisti, ob defectum dispensationis prædictæ restituere minimè tenearis, non obstante constitutione Lateranensis concilii, vel quavis aliâ, tenore præsentium indulgemus, dum tamen ea canonicè obtinueris, quæ obsequiis consuetis & debitis volumus non fraudari. Ut autem ad nostram gratiam pro loco & tempore reddaris habilior: discretioni tuæ per apostolica scripta firmiter & districtè præcipiendo mandamus, quatinus in ordinibus proximis in subdiaconatum te facias promoveri. Quod si canonico impedimento cessante distuleris, præsentem indulgentiam carere volumus & decrevimus robore firmitatis. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

Dilecto filio S. titulo S. Ceciliæ presbytero cardinali, &c.

Ut inscio rege decimam fratrum Prædicatorum solvat, quam ille relaxari petebat.

LItteras carissimi in Christo filii nostri L. illustris regis Franciæ nuper recepimus deprecantis, ut tuæ prudentiæ mandaremus, quod à fratribus Fontis-Bleaudi & S. Mauritii, nihil decimæ nomine sineres extorqueri. Sanè durum est nobis non annuere ejus precibus; sed longè durius occasionem dare carissimo in Christo filio nostro C. regi Siciliæ illustri, & nostris Anno 126

(a) Romanum antiqua ordinis nostri abbatia à S. Barnardo archiepiscopo Viennensi fundata, & à multis retrò sæculis in collegiatam ecclesiam conversa, cujus abbas est archiepiscopus Viennensis, sicut & S. Theuderii in diocesi Viennensi, unde mirum videri non debet, quod in electione Viennensis archiepiscopi canonici Romanenses vocem haberent.

(b) *Al.* P. De Marais. (c) *Al.* Lunonensi.

(d) *Al.* Mallenus.

fratribus obloquendi, quod de promissis eidem, A vel unum iota ex parte nostra minui videatur, cùm & terræ sanctæ necessitas & aliquarum personarum paupertas nostris adjectis precibus eum flectere potuerunt ad unum denarium personæ vel personis aliquibus dimittendum. Hæc autem signata sint apud te, cum & ejus duritiam, & quam passi sumus jam pluries repulsam in non mediocrem verecundiam, non expediat publicari. Sed tamen volumus & mandamus quòd explores secretiùs ad quam summam decima B fratrum Prædicatorum ascendit, & eam de nostro solvi facias, prædicto regi Franciæ penitus ignorante. Nos enim mercatoribus Senensibus Parisius commorantibus per eorum socios, qui apud nos sunt, mandari facimus, ut tibi liberè summam tradant pecuniæ, quam ab eis nostro nomine duxeris exigendam, & nos quam te recepisse ab eis per litteras tuas confiteberis, tamquam receptam à nobis in nostro computo quod habemus cum sociis eorumdem (a) recipi faciemus. Datum Viterbii (a) III. Idus C Octobris anno II.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

Dilecto filio O. sancti Adriani diaconi cardinalis apostolicæ sedis legato.

Ut acta inordinatè ab episcopo Wintoniensi in ipsius ecclesia reformet.

Anno 1266 INter cetera quæ JOHANNES Wintoniensis adhuc episcopus contra Deum dicitur perpetrasse, illud fertur esse notorium, quod Wintoniensis ecclesiæ statum omnino confundens, pro voto mutavit officia, destituit quos voluit & instituit. Cùm tamen id non ad ipsum, sed ad capitulum seu (b) conventum ejusdem ecclesiæ pertineret. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ex officio statum solitum ipsius ecclesiæ, quem ab ipso contra morem indebitè turbatum invenies, E seu mutatum per te vel per alium studeas reformare, episcopali in omnibus jure salvo, & si quid fuerit inquirendum constituas aliquam personam idoneam & juratam pro episcopo ab administratione suspenso, qui te vel illum, cui id commiseris, de juribus episcopalibus sciat vel valeat informare. Quæ siquidem lædi nolumus, sed illibata penitus conservari. Bona autem episcopalia sic custodiri facias ne pereant, nec ad manus veniant iniquorum, & de omnibus reddi tibi facias, quotiens id expedire videris, F rationem. Datum Viterbii II. Idus Octobris anno II.



EPISTOLA CCCLXXXVIII.

Venerabili fratri R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut episcopum Gravinensem denunciet depositum & degradatum, cum spe restitutionis aliquorum ordinum, si claustrum ingressus biennio post professionem religiose conversatus fuerit.

GRavinensem episcopum lapsum graviter & gravibus pœnis obnoxium, si coram M. quondam principe Tarentinensi post latas à prædecessoribus nostris sententias, missas prout dicitur, celebrasse & ejusdem oblationes recepisse, & pro eo orasse & orari publicè procurasse reperis; nihil aliud superest, nisi ut eum eductum de carcere, nostrâ auctoritate, clero & populo convocatis, denuncies depositionis & degradationis incurrisse sententiam ipso facto à felicis recordationis ALEXANDRO papa prædecessore nostro prolatam, & idcirco de nostro mandato pronuntiare te volumus eum esse omni honore pontificali & omnium sacrorum ordinum executione privatum, sine spe cujuslibet indulgentiæ, nisi fortè aliquam de religionibus artis intraverit, in qua si per biennium post professionem emissam laudabiliter fuerit conversatus, circa restitutionem ad aliquos sacros ordines vel ad omnes spem non duximus præcidendam. Quod si religionem hujusmodi non intraverit, injungas ei pœnitentiam salutarem, ingressum & moram civitatis & diocesis Gravinensis ei perpetuò interdicens. Si quos autem ex nunc in celebratione missarum hujusmodi inveneris alios ei similes, censurâ simili contra ipsos procedere, & ecclesiis à quibus amoti fuerint de personis idoneis providere, nullius obstante contradictione, non postponas. Nos enim decrevimus irritum & inane, si quid secus contingeret attentari. Datum Viterbii II. Idus Octobris anno II. Anno 1266

EPISTOLA CCCLXXXIX.

Venerabili fratri R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Respondet ei super restitutionis negotio.

CIrca restitutionis negotium à te & carissimo in Christo filio nostro rege Siciliæ illustri quæstioni propositæ respondemus, quòd licèt civili cautum sit sanctione, quòd adversùs id quod vi factum est nulla exceptio locum habeat, quia tamen per leve compendium in grave dispendium nonnullos vidimus imprudenter incidere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si fundatâ intentione agentium, in inquisitione quam facis exceptiones objici videris, quæ de jure non possent respui, si ordinariè actum esset, eadem manente figurâ pro-

(a) *Al.* VIII. Idus Octobris.
(b) *Al.* Hinc colliges Wintoniensem insignem in Anglia Cathedralem ecclesiam à monachis Benedictinis tempore Clementis adhuc fuisse possessam.

cessus, eas patienter admittas, licèt pauca valeant inveniri, quæ restitutionem impediant spoliati, sicque provideas ut per multa diffugia justa petentium non eludatur intentio; nec per negata defensionis suffragia cujusquam innocentia opprimatur. Datum Viterbii *ut supra.*

EPISTOLA CCCXC.

Carissimo in Christo filio regi Francorum illustri.

Lætitiam ei aperit de nunciorum adventu, & scriptas antea ad ipsum litteras revocat.

Anno 1266 SEcundo Idus Octobris dilectus filius G. archidiaconus Parisiensis ecclesiæ, & J. (a) de Valentinis dominus *Gaife*, tuas nobis litteras attulerunt, quæ quantum gaudium nobis attulerunt, novit ille qui cordium secreta rimatur, præsertim cum divino consilio factum fuerit, ut de finibus tam remotis nostra & tua concurrerint voluntates. Pœnitentes siquidem responsionis illius, quam tibi per alias litteras feceramus, (b) intimis cruciabamur angustiis, epistolam revocatoriam præsentibus interclusam manu propriâ scripseramus, parato jam nuntio ad easdem tibi sine aliqua dilatione mittendas. Hæsitaverat tamen animus, & aliquandiu missionem suspenderat, sed dictorum nunciorum adventus scrupulum dubitationis amovit, & protinus eas dedimus tuis nunciis per expeditiorem cursorem tuæ celsitudini præferendas. Age ergo viriliter, fili carissime, fili benedictionis & gratiæ, & post conceptum laudabilem (c) laudabilius pariens mittas manus ad fortia. Aderit enim tibi Dominus & ejusdem vicarius tuis invigilabit pro viribus commodo & honori. Datum Viterbii II. Idus Octobris.

EPISTOLA CCCXCI.

Dilecto filio S. Tituli S. Ceciliæ, &c.

Mittit ipsi pro Franciæ episcopis litteras.

Anno 1266 LIcèt carissimus in Christo filius noster rex Franciæ illustris signum crucis nondum susceperit, sicut nosti, quod sub spe nostri subsidii creditur suscepturus: discretioni tuæ tamen mittimus litteras ad prælatos & clerum Franciæ, quas servabis in tempore quo ejusdem regis intentio in effectum publicè exibit, & ex tunc convocatis illis ad quos litteræ diriguntur, nostrum eis affectum & intentionem exponas, & ad ea complenda quæ ipsis litteris continentur, amicabiliter & salubriter induces eosdem, & ab eis responsum exiges, quod & nobis cum omni celeritate transmittes, cùm scire valeas, quod in tanto negotio, quod Dei non hominis est censendum, dicto regi non possumus negare consilium & auxilium opportuna, quem personali libentius juvaremus præsentiâ, si dignitas status apostolici pateretur. Datum *ut supra.*

(a) *Al.* Cevalentinus. *Al.* Te Valentinus.
(b) Interim.
(c) Laudabiliorem.

EPISTOLA CCCXCII.

Dilecto filio S. tituli S. Martini, &c.

De Marchianis, Firmanis & Urbinatibus.

QUæ de statu nobis scripsisti Marchiæ pleno collegimus intellectu, nec magnam vim facimus in legatis, quos ad suum destinant idolum, adolescentem scilicet Corradinum, cujus statum ad plenum novimus, quem inteleximus eò usque prostratum, ut nec sibi consulere, nec suis cultoribus valeat subvenire. Hæc est sanè mira prorsus & stupenda vesania, ut stulti & miseri Marchiani vel alii suspicentur carissimum in Christo filium nostrum C. regem Siciliæ illustrem regnum plenissimè possidentem, uni puero nudo & pauperi facilè non posse resistere, qui prudentem & divitem possessorem in XXI. diebus regno simul & vitâ privavit. Si dicatur quòd digitus Dei fuit; & hoc dicimus & fatemur, & hunc affore regi nostro confidimus contra omnes qui regnum ipsius & Romanæ pacem Ecclesiæ perturbare nitentur. Frange ergo, si prævales, Firmanorum superbiam, & nihilominus satage ut Urbinatibus melius resistatur, qui collectis undique viribus contra fideles ecclesiæ nimis liberè debacchantur, & usque ad collem de Pegula stratas faciunt esse suspectas. Illud tamen concludimus quòd vel pacem habeas cum omnibus honorificam, vel guerram facias exequendo justitiam benevivam. Ceterum de PETRO DE COLUMBA milite, de quo aliàs tibi scripsimus, rescribe an tibi sit necessarius, & cum quot sociis, ne eumdem verbis inanibus teneamus. Datum Viterbii XVII. calendas Novembris anno II.

EPISTOLA CCCXCIII.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ, &c.

Arguit eum quod legationi præferat prædicationem.

CUm prædicandæ crucis officium tibi commisimus, intentionis nostræ fuisse noveris non prædicationi legationem, sed legationi prædicationem adnectere, quæ tibi videri poterat ob concurrentium negotiorum instantiam onerosa, subjunximus opportunum remedium, ut videlicet causam committeres aliis prædicandam. Hæc sanè fuit causa justissima quæ nos movit, ut juxta formam bonæ memoriæ Tyrensi archiepiscopo olim traditam reperta competentia mitteremus, non tuam in hac parte confusionem quærentes, quam te non meruisse fatemur; sed quod congruebat materiæ prosequentes, & illis eam concludentes limitibus, ut & negotii promotioni sufficeret, & in minorem personam caderet, te vices tuas alii committente. Anno 1266

mittente. Verùm nosti quod de novæ legationis officio committendo novus erat cum fratribus tractatus habendus, ad quem aditus non patebat nisi veniret in publicum, quia celare proponimus & debemus donec tempus se offerat opportunum: quod cùm venerit, & utinam non tardetur, annuente Domino, sic procedent omnia, quod nihil prorsus de contingentibus amittetur, quod ad promotionem negotii pertinet terræ sanctæ. Demùm quod aliquos murmurare scripsisti, quasi tuum sit finitum officium, regno Siciliæ acquisito, tuum animum non concutiat, cùm æquanimiter toleremus tua te more solito uti libera potestate infra terminum concessæ decimæ regi Siciliæ, nisi à nobis aliud recipias in mandatis. Datum Viterbii XVI. calendas Novembris anno II.

EPISTOLA CCCXCIV.

Dilecto filio magistro de Sancto amore.

Scribit ei de ipsius libro.

Anno 1266 SI circa veritatis indaginem elaboras, si cautelas Ecclesiæ colligis ex scripturis, dum tamen sobrius indagator existas, & activum evites scandalum, non te credimus arguendum, sed cavendum est tibi, ne vel præteritorum tuo (a) hæreat animo nimis tenax memoria, & sub doctrinæ specie detractoris colores insidias, vel illam objurgationem merearis audire, qua Paulum tetigit Festus dicens: *Te multæ litteræ faciunt insanire.* Sanè libellum novum (b) legere cœpimus quem misisti, qui licet interdum alias aliras (c) circinet, veterem tamen multum sapit, & eum excussus & discussus, licet coloratior in aliquo videatur, totam primi substantiam comprobabitur retinere. Verùm quia totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se ut lateat in lucis angelum transfigurat. Nos autem cùm nobis legerimus hoc opusculum, & aliis amatoribus veritatis & eamdem intelligentibus communicaverimus, tunc quod nobis videbitur tibi dabimus intimare. Sed quia res forsitan abibit in longum propter negotiorum instantiam, qui de mundi diversis partibus nos solito acrius inquietant, dilectum filium magistrum THOMAM supradicti præsentatorem operis ultra nolumus detinere. Datum Viterbii (d) XV. calendas Novembris anno II.



(a) *Al.* Exeat. *Al.* Habeat.
(b) *Al.* Evolvere. (c) *Al.* Continet.
(d) *Al.* XI. Calendas.

EPISTOLA CCCXCV.

Dilectis filiis fratribus civitatis Florentinæ regentibus, vel eorum alteri consilio, prioribus artium, & communi civitatis ejusdem.

Mandat ut Teutonicos expellant, & coram ipso compareant super objectis responsuri.

MUltis nos aliis occupatos negotiis vestrarum zelus compulit animarum, vos ad Ecclesiæ gremium, ab eodem propter multiplices & enormes excessus plurimùm elongatos, in lenitatis spiritu revocare, & aperto sinu latissimæ pietatis, præter juris formam & ordinem à diversis excommunicationum sententiis absolvi vos fecimus, relaxata nihilominus interdicti sententia in vestras civitatem & diocesim promulgata, quamquam causæ satis essent notoriæ, ob quas erant dictæ latæ sententiæ. Sic quia relaxationem earum, si scripti juris sequeremur angustias, satisfactio competens antecedere debuisset, sanè cùm firmam haberemus fiduciam, quod vos tantæ gratiæ non ingrati, præcipuè post juramenta præstita de nostris parendo mandatis, humiliter eadem cùm vobis innotescerent impleretis, mox tamen ut experiri voluimus facti exterioris judicio quem ad nos & Romanam Ecclesiam animum haberetis, invenimus rebellionem in limine. Nam cùm vobis per nostras litteras mandassemus, quòd sceleratos Theutonicos ejiceretis à vobis tamquam excommunicatos, & perfidos ac sedis apostolicæ inimicos, & dilectum filium JACOBUM DE COLLEMEDIO militem, quem vobis dedimus Potestatem per vestrum syndicum ad nostram missum præsentiam honoraretis salario competenti, & honestæ militum comitivæ provideretis in sumtibus, per quam posset civitatis vestræ statum pacificum conservare, nihil horum efficere voluistis, immo clariùs & apertiùs respondistis, quòd eà vel eorum aliquòd minimè faceretis. Quamvis autem de vestra contumacia satis liqueat ex prædictis, ut machinationes abditas taceamus ad præsens, quas postmodum contra Romanam Ecclesiam & carissimum in Christo filium C. regem Siciliæ in remotis & finitimis partibus attentastis, quia tamen ulteriorem volumus in his quæ ad Dei honorem pertinent processum aggredi, quod deposcit protervia, quid demùm inobedientia mereatur, universitatem vestram monendam duximus & hortandam, vobis sub debito præstiti juramenti districtè præcipiendo mandantes, quatenus infra decem dies à perceptione præsentium, dictis ejectis Theutonicis de civitate & dioceси supradictis, coram nobis compareatis per syndicum sufficienter instructum, ad audienda & fideliter adimplenda nostra mandata, quæ super articulis pro quibus generaliter vel specialiter excommunicati fuistis proferenda duximus, salvis aliis suo tempore proferendis: quam diem pro peremptorio vobis præfigimus

Dd

termino, tenore vobis denuntiantes præsentium, quod sive veneritis, sive non; in negotio prout nobis visum fuerit procedemus: vobis nihilominus districtius prohibentes, ne contra extrinsecos Florentinos vel alios in confiniis positos juris vel facti processum aliquem attentetis, donec in potestatem acceperitis militem supradictum penes quem solum in jure permanent & consistunt infra tempus quod ei dederimus vestræ regimen & jurisdictio civitatis.

EPISTOLA CCCXCVI.

R. Sancti Angeli diacono cardinali.

Ut cum Siciliæ rege conferat super subsidio terræ sanctæ tribuendo.

Anno 1266 AD tuam credimus pervenisse notitiam durum & asperum terræ sanctæ dispendium in accelerata captione Sapheti, cum multorum strage bonorum, & confusione non modica populi christiani. Cùm igitur post tot damna, quæ longa jam temporum series successivis adversitatibus in transmarinis partibus christianis influxit, non immeritò casus gravior timeatur, habito fratrum consilio, destinavimus & in Angliam & in Franciam & Germaniam, & alias nationes nuncios cum litteris excitatoriis mittere pro ejusdem terræ subsidio: discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus cum carissimo in Christo filio nostro C. illustri rege Siciliæ super his conferas & prudenter indages, quid sibi videretur agendum, quid etiam ipse posset & vellet facere, qui vicinior est negotio, & præ ceteris mundi principibus posset ei & celerius subvenire, & tam tuum quam suum consilium & propositi promtitudinem nobis rescribere non postponas. Datum Viterbii (a) XIV. calendas Novembris anno II.

EPISTOLA CCCXCVII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

De collectis pro Terræ sanctæ subsidio.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

Cùm negotium crucis in subsidium terræ sanctæ in regno, &c. *ut epistola sequenti usque ad illa verba* videris expedire. *Deinde* contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: nonobstante si aliquibus à sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem. Datum Viterbii XIV. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno II.

(a) *Al.* VIII. Calendas.

EPISTOLA CCCXCVIII.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut collectam in subsidium terræ sanctæ ad nutum & consilium regis Franciæ distribuat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Cùm negotium crucis in subsidium terræ sanctæ in regno Franciæ & quibusdam aliis partibus, terris, & locis tibi à sede apostolica sit commissum; nos volentes ut hujusmodi negotium felicem consequatur effectum, tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut centesimam omnium proventuum ecclesiasticorum ejusdem terræ subsidio à sede apostolica deputatam, redemtiones votorum crucesignatorum, legata relicta hujusmodi subsidio, necnon obventiones quascumque provenientes subsidio prædicto in regno & partibus, terris & locis hujusmodi per te vel per alium aut alios fideliter colligas, & convertas in hujusmodi subsidium, prout videris expedire. Quia verò carissimus in Christo filius noster, illustris Rex Franciæ hujusmodi negotii præcipuus promotor existit; volumus & præsentium tibi tenore mandamus, quatenus centesimam & alia prædicta de consilio ipsius regis in subsidium prædictum convertas. Datum Viterbii XIII calendas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA CCCXCIX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut cruce signatis terminum ad transfretandam constituat.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei dilecto filio S. tituli sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Cùm terra sancta, Christi repersa pretioso sanguine, diutius paganorum insultibus lacerata, continuo & festino auxilio Christi fidelium indigere noscatur: nos pio corde suis condolentes angustiis & pressuris, ferventi desiderio cupimus per potentiam eorumdem fidelium periculis ipsius terræ occurrere, suisque necessitatibus subvenire. Hinc est quod nos discretioni tuæ, cujus vota cum nostris super his in idipsum concurrere novimus, per apostolica scripta mandamus, quatinus crucesignatis & crucesignandis in regno Franciæ in supradictæ terræ sanctæ subsidium, necnon in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi, & Virdunensi civitatibus & diocesibus, ac in quibuslibet partibus tuæ legationis certum terminum ad transfretandum statuens, prout tibi videbitur expedire, illos

cujuscumque ordinis, dignitatis & potestatis fuerint, quod ad exequendum suum votum in ipsius terræ succursum, in hujusmodi termino se accingant, & per te vel alios, si necesse fuerit, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas: non obstante si aliquibus à sede apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd suspendi, vel interdici, aut excommunicari non possint per ipsius sedis litteras non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Viterbii XII. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCC.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut in collectione centesimæ vices suas alteri committere valeat.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Bonæ memoriæ ÆGIDIO Tyrensi archiepiscopo, cui collectio centesimæ pro terræ sanctæ subsidio in regno Franciæ ac Cameracensi civitate & dioecesi, prædicatio crucis tam in prædictis regno & dioecesi, quàm in Tullensi, Leodiensi, Metensi & Virdunensi civitatibus & dioecesibus, necnon & quædam alia circa hujusmodi negotium erant per litteras apostolicæ sedis commissa, viam universæ carnis ingresso; nos cupientes ut prædictum negotium felicem consequatur effectum; tibi, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, eadem omnia duximus committenda. Ut autem prædictum negotium possit faciliùs explicari, committendi vices tuas in toto vel in parte in omnibus pro eodem negotio tibi commissis in prædictis regno, civitatibus & dioecesibus, ceterisque terris & locis tuæ legationis alicui personæ idoneæ, quam ad totum negotium considerata qualitate ipsius duxeris eligendam: ita quod persona ipsa in prædictis omnibus per se vel per alium, aut alios possit procedere juxta traditam sibi formam, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Viterbii XII. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCCI.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut ei crucem prædicanti adsistentes indulgentiis alliciantur.

Anno 1266 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

A Cùm negotium crucis pro subsidio terræ sanctæ in regno Franciæ, & quibusdam aliis partibus tibi sub certa forma duxerimus committendum: nos volentes, ut Christi fideles ipsius regni & partium earumdem spiritualium largitione munerum ad assumendum hujusmodi negotium faciliùs inclinentur, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut cùm te propter hoc contigerit proponere verbum Dei, omnibus verè poenitentibus & confessis, qui ad tuam prædicationem accesserint, unum annum & quadra- B ginta dies de injunctis sibi poenitentiis misericorditer valeas relaxare. Datum Viterbii XI. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA CCCCII.

Dilecto filio O. sancti Adriani apostolicæ sedis legato.

C *Infelicem terræ sanctæ statum ei exponit, mandatque ut denuò Crucis prædicationi ferventius instet.*

CRucifixi negotium in verbo crucis infra fines tuæ legationis omnibus exponendum tuæ sollicitudini dudum commisimus: quod si forsitan credidisti intermittendum ad tempus, ecce Dominus clamore vicarii non contentus, clamat ipse clamore valido, clamat, inquam, tuba terribili, clamat verbis, clamat verberibus, quibus suam hereditatem atterens, terram il- Anno 1266 D lam, quam suo sanguine consecravit, notam sibi per omnia veritatem, ex nunc in publicam vult produci notitiam, an sit qui vicem suam doleat, an omnino derelinquant subditi sibi suas injurias vindicandas. Ecce, fili, Dominus omnium qui non multos ante jam dies Azotum & Cæsaream à Saracenis diripi suo justo judicio, licèt nobis occulto, permiserat, consequenter Sapheti castrum in manus tradi voluit eorumdem: dicemus voluit, an permisit? Casum novimus, sed cælestis abyssum judicii penetrare E non possumus. Et idcirco quod nescimus metuimus, & id plangimus quod videmus. Ecce nobile domus hospitalis Jerosolymitani collegium, annus præteritus centenario fratrum numero mutilatum hostiliter deformaverat. Ecce sequens domus Templi tam celebrem, tam famosam militiam datam in manus gladii, quasi prorsus redigit ad nihilum personarum substitutione nobilium necessariò raparandam, ut de equis & armis & castrorum instructionibus perditis taceamus, quæ inæstimabilis ferè pretii subtracta fidelibus, & fidei tam crudelibus inimicis abjecta jactura F duplici Christianæ religionis pugiles affecerunt. Clamat ergo Christi crux, clamat pretiosus sanguis crucifixi, clamat ipse qui denuò crucifigitur, & cùm paucos inveniat inculcatis clamoribus auditores, credimus non immeritò formidandum, ne & ipse clamantes non audiat, spernentes se spernat, & novissimè nesciat nescientes. Ea propter tuam prudentiam duximus excitandam per apostolica scripta tibi man-

dantes, quatenus, omni occasione postposita, per te & alios in legationis tuæ finibus novas prædices ignominias crucifixi, & ad ejus opprobria vindicanda fideles excites universos, cùm sit in perditionis discrimine terra sancta, quam si forsan, quod absit, perdi contingeret, ad recuperationem ejusdem aditus non pateret. Verùm cum ejusdem defensoribus ex parte maxima jam assumtis, ut ei sit necessarium promtum subsidium ad continuam sustentationem ejusdem, donec fiat passagium generale, procurare te volumus, ut de pecunia in partibus Anglicanis pro eadem collecta, per manus aliquorum fidelium Anglicorum quingentis peditibus balistariis ministrentur stipendia, qui instanti passagio Martii transeant ad terræ defensionem ejusdem: qui siquidem in Angliæ partibus non habentur idonei, circa partes Viennensis, Arelatensis, Narbonensis provinciarum poterunt inveniri. Ceterùm ad pacem Angliæ reformandam, ad quam fideliter laborasti, te necessitas ista provocet: sed & regem & suos excitet & moveat, adversarios omnes pulset, ut suarum injuriarum immemores, Redemtoris injurias prosequantur; cùm sit melius ante tempus occurrere, quàm tardatum quærere remedium post ruinam. Demùm quid super his facias vel possibile fieri judices, quod etiam subsidium possit dari laborare volentibus, nobis quàm cito poteris rescribere non postponas. Datum Viterbii (*a*) VIII. calendas Novembris anno II.

EPISTOLA CCCCIII.

(*b*) Dilecto filio Raymundo (*b*) Alfredi canonico Aniciensi.

Scribit ei super desiderio quod Bononiæ studendi habebat.

Anno 1266 QUod te scripsisti velle studere Bononiæ, nec reprobare possumus nec probare, cùm nomen studii sumtum propriè censeatur adeo favorabile, ut aures mulceat audientium, quibus offertur aliquis amator studii vel solo nomine studiosus, quamquam multotiens unum agatur & aliud simuletur. Sanè in dubiis præsumentes in dextram potius quàm sinistram, tuum propositum circa studium quod ab olim nutrivimus, commendamus. Sed an tuo proposito locus congruat ipse despice, cum sit ex insolentia modernorum supervacuis expensis obnoxius, ut necessarias omittamus, ad quas situs civitatis invitat, quæ in via publica constituta, multorum exhibet studentibus ibi præsentiam verecundam, non obsequentibus onerosam. Tuæ igitur te deliberationi committimus, ut vires tuas fideliter metiaris. Nec enim ut papæ nepos ibi vivere poteris; & si vixeris, ut RAYMUNDUS, forsan à pluribus contemneris. (NOTA.) Quod si adeo fortis es animi, ut contemnere scias & valeas te contemni, hic est gradus humilitatis sublimior, ad quem pauci te judicant ascendisse. Et si datum est tibi desuper, refer gratias largitori gratiarum benivolo: alioquin consultius tibi credimus alium locum eligere, proposito tam laudabili non mutato. Ne culpes nuncium de mora diutina, quem ideo detinuimus, ut per eum ordinationem Aniciensis Ecclesiæ committeremus. Sed tandem æstimavimus melius per alium eam destinari. Datum Viterbii IV. calendas Novembris anno II.

EPISTOLA CCCCIV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

De subsidio Terræ Sanctæ.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Dudum felicis recordationis V. papa prædecessor noster centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Franciæ ac civitatis & diocesis Cameracensis usque ad quinquennium de fratrum suorum consilio terræ sanctæ pro ipsius succursu concessit, injuncto venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Rothomagensi & magistro ODONI DE LORRIACO episcopo, tunc canonico Bajocensi primò, & postmodum bonæ memoriæ ÆGIDIO Tyrensi archiepiscopo per suas diversas litteras, ut hujusmodi centesimam annuatim usque ad prædictum quinquennium colligere procurarent. Cùm autem idem Tyrensis archiepiscopus viam sit universæ carnis ingressus, nos cupientes ut hujusmodi negotium felicem consequatur effectum, collectionem prædictæ centesimæ tam in prædictis regno, civitate & diocesi, ceterisque terris & locis tuæ legationis, &c. *prout in quadam supra scripta littera continetur.* (*c*) Datum Viterbii IV. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno II. (*c*)

EPISTOLA CCCCV.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut cedenti archiepiscopo Senonensi pensionem, aut cedere nolenti coadjutorem tribuat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1266

Venerabili fratre nostro G. archiepiscopo Senonensi gravi & incurabili, ut fertur, languore detento regimini Senonensis ecclesiæ multipliciter dicitur deperire; dum ipse pastorale nequit, ut expedit, officium exercere: super quo tam archiepiscopo quàm ecclesiæ gerimus debitæ compassionis affectum, cùm illius infirmitas, hujusque læsa conditio in alterutrius dispendium vergere dignoscantur. Unde cùm,

(*a*) *Al.* IX. Calendas. (*b*) De Engoyssoliis.

(*c*) *Al.* Ita in manuscripto.

sicut accepimus, idem archiepiscopus hoc prudenter advertens, intendat potius cedere, quàm velit ipsam ecclesiam sub suo regimine gubernari: nos utrique juxta sollicitudinis apostolicæ debitum providere volentes, ut ipse non ferat onus inutile, istaque tali prætextu detrimentum spiritualiter vel temporaliter non incurrat, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus archiepiscopus cedere sit paratus, cessionem ejus admittas, sibique de bonis archiepiscopatus Senonensis, facultatibus ejusdem provida consideratione pensatis, provisionem statuas competentem, unde cum decenti familia possit honorificè sustentari. Si autem cedere fortè noluerit, tu ei de consilio majorum capituli Senonensis, prout salva utilitate ipsius ecclesiæ sine scandalo archiepiscopi fieri poterit, aliquem providum & idoneum coadjutorem associes, per quem tam archiepiscopo, quàm ecclesiæ consulatur, adhibiturus prosecutionem celerem in præmissis, cùm nonnumquam tarditas in talibus sit damnosa, sicque circa negotium ipsum solita circumspectione provideas, quod nobis vel tibi nequeat quicquam reprehensionis impingi: quin immo per hoc eidem ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus, auctore Domino, proveniat incrementum. Datum Viterbii IV. nonas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA CCCCVI.

Dilecto filio nobili viro comiti Anguilariæ.

Quanta pro ipso sedes apostolica fecerit exponit, nec esse quod nova ab ea beneficia petat, quæ tamen sperare jubet.

Anno 1266 RECeptis litteris quas misisti, gratum habuimus, quod devotionis tuæ promtitudinem & constantiam ad nostrum obsequium obtulisti, nec abnuimus quod addiscere placuit, te in Ecclesiæ Romanæ servitio laborantem, in manus hostium non sine multis dispendiis incidisse. Licet autem ex his concludere visus fueris, expectare te satisfactionem hujusmodi damnorum à nobis; scire te volumus, quod inter damna quæ sustinuisse te quereris, Ecclesia non transivit indemnis. Nam cùm te carcer maceraret hostilis, nec vassallorum nec propinquorum tuorum posses potentia liberari, felicis recordationis URBANUS papa prædecessor noster pro te cameram suam exhauriens, dilectum filium M. sanctæ Mariæ in porticu diaconum cardinalem, qui tuæ liberationis zelator præcipuus existebat, liberaliter & effusè stipendians milites, magnas fecit expensas; quo incompleto negotio ab hac luce subtracto, eas diu continuavimus, nec easdem continuare destitimus, donec te pristinæ reddi fecimus libertati, quam ut assequeremur faciliùs, de jure sedis apostolicæ multa dimisimus, quæ non fuissent aliàs dimittenda. Hæc sanè si diligenter attendas, tam humiliter quàm prudenter inclinatus ad grates, petitionibus non insisteres, quæ nullum habent justitiæ fundamentum, quamquam sperare debeas, quod si in ecclesiæ devotione perstiteris, eam invenies gratiosam, prout tua requirent merita, & Romanis pro tempore Pontificibus offeret se facultas. Nos etiam tuæ fidei & nobilitatis intuitu, & dilectorum fratrum nostrorum J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano & M. sanctæ Mariæ in porticu diaconorum cardinalium, quorum es affinis obtentu, te sicut filium specialem in universis & singulis quæ tuum commodum & honorem respiciant, quantum cum Deo poterimus habere volumus commendatum. Datum Viterbii III. nonas Novembris anno II.

EPISTOLA CCCCXVII.

Carissimo in Christo filio regi Francorum illustri.

Scribit ei de terræ sanctæ subsidio, & ut pacem componat inter Barrensem & Luceburgensem comites.

LIcèt dilectum filium Petrum Cambellarium militem carissimo in Christo filio nostro illustri regi Siciliæ fratri tuo perutilem & necessarium videremus: quia tamen consideravimus ejus præsentiam fore magis in hoc tempore apud te fructuosam, ei ad reditum aspiranti facilè assensum præbuimus, ut sicut suum, sic & tuum in hoc negotio desiderium impleretur. Sanè super negotiis terræ sanctæ diffusè tractavimus cum eodem, qui & dicti fratris tui propositum & affectum erga terræ sanctæ subsidium, necnon & nostrum studium circa subventionem ejusdem serenitati tuæ diligenter exponet, & cum audieris, credimus expedire, quod ad sustentationem terræ ejusdem in passagio Martii cum legati subsidio elabores; ita videlicet quod balistarii pedites usque ad duo millia ad civitatem transeant Aconensem, & nos unà cum dicto rege Siciliæ, dante Domino, procurabimus quod (a) xxx. galeæ transeant dictam civitatem, & adjacentem maritimam contra soldani potentiam deffensuræ, nisi rumores quos de die in diem de illis partibus expectamus, aliter persuaserint succurrendum. Verùm quoniam inter dilectum filium nobilem virum Barrensem & Luceburgensem comites guerram intelligimus gravem (b) esse ortam, ad pacem inter eos celeriter reformandam dare te convenit operam efficacem, ad quod dictus P. Cambellanus sicut libenter sic & utiliter laborabit. Tu igitur, fili carissime, circa ea quæ scripsimus tibi nuper cogitans & recogitans, & Dei beneplacitum ex evidentibus conjecturis intelligens, quod acceptius Deo credideris ad effectum perducere non postponas. Datum Viterbii VI. Idus Novembris anno II.

(a) Al. xxv. Galeæ. (b) Al. Exortam.

EPISTOLA CCCCVIII.

Dilecto filio nobili viro A. comiti Pictavienfi & Tolofano.

Excufat fe quod fubfidium tribuere ipfi non potuerit, quod tamen fperare jubet.

Anno 1166 TUæ devotionis laudabilis cum inftantiffima terræ fanctæ neceffitate concurfus noftrum non leviter excitat defiderium, ut tuo quàm citius & commodius fieri poterit fatisfaciat. Sed femel & iterum tuæ nobilitati refcripfimus, ficut nofti, conditiones regnorum & ecclefiarum ftatum graviffimum, quæ licèt noftram nobis eripere nequeant libertatem, arctant tamen quodam honeftatis objectu, quæ nos monet cum multa modeftia poteftatis plenitudinem exercere, qua nos Dominus fic uti voluit, ut patrem magis, quàm dominum femper fapere videatur. Illud fanè fcire te volumus, quòd infra tempus, ut credimus, modicum, ipfa evidentia te docebit, cordi nobis effe, etiam te tacente, tuum procurari fubfidium fuo tempore. Sed funt aliqua quæ nos detinent in fufpenfo, quibus profectò pendentibus, pendet fubfidii tui qualitas cum eifdem, quorum cum certitudinem habuerimus, certiùs tibi poterimus refpondere. Tu ergo, dilecte fili, aliquantifper expecta, nec dormire nos credas in his quæ tuum refpiciunt commodum & honorem; cùm non fimus immemores gratiarum quas apud nobilitatem tuam invenimus in minori officio conftituti, tibi femper pro receptis obnoxii, & propter tuam promtitudinem nihilominus pro oblatis. Datum Viterbii Idibus Novembris anno II.

EPISTOLA CCCCIX.

Dilectis filiis Rectoribus, Capitaneis, Prioribus artium, & populo Florentino.

Laudat eorum zelum, promittitque miffurum fe capellanum qui eorum conftantiam corroboret.

Anno 1166 SI jam veftris temporibus refloruerit, quæ jam multis effloruit civitas Florentina, cor noftrum in Domino dilatabitur, cùm ex hoc & multarum falus pendeat animarum, & totius Tufciæ ftatus pacificus expectetur. Vobis fanè confilio opus eft, & non modica providentia, ut quod fupra noftri vires propofiti Dominus inchoavit, profequamini fapienter, & in omnibus fervantes modeftiam, inter vos pacis vinculum infolubile roboretis, & tamquam lapides angulares diverfos exterorum parietes, quantum bono modo poteritis in nobis connectere ftudeatis, & fi qui fuerint pertinaces, eorum frangere contumaciam cum favore noftro & illorum auxilio, qui fe noftris coaptaverint beneplacitis, facile nobis erit. Verùm veftris petitionibus annuentes, ad vos unum de noftris capellanis protinùs deftinabimus, qui fciat, velit, & valeat vice noftra veftram folidare conftantiam, veftramque dirigere civitatem, donec vobis miferimus, ficut aliàs ordinavimus, poteftatem. Datum Viterbii XII. calendas Decembris anno II.

EPISTOLA CCCCX.

Venerabili fratri epifcopo & dilecto filio capellano, ac univerfo clero Florentino.

Ut Eliæ Peleti fuo nomine mandatis pareant.

CUm dilectum filium magiftrum HELIAM PELETI capellanum noftrum, generalem caufarum noftri palatii auditorem, virum utique circumfpectum, & à nobis ac felicis recordationis URBANO papa prædeceffore noftro probatum, pro ftatu civitatis Florentinæ & circumadjacentis provinciæ reformando, ad partes illas duxerimus deftinandum, univerfitati veftræ per apoftolica fcripta mandamus, quatenus fuper his quibus ab eo requifiti fueritis, confilium & auxilium impendentes eidem, mandatis ejus devotè & humiliter pareatis, fcituri quòd fententias quas ipfe ritè tulerit in rebelles, ratas habebimus & faciemus, auctore Domino, ufque ad fatisfactionem condignam inviolabiliter obfervari. Datum Viterbii x. calendas Decembris anno II. Anno 1166

EPISTOLA CCCCXI.

Dilectis filiis univerfis civibus Florentinis intrinfecis & extrinfecis.

Ejufdem argumenti.

REformatione civitatis Florentiæ Dei potiùs digito quàm humano confilio tam falubriter quàm feliciter inchoata, ne per infolentiam aliquorum valeat perturbari, dilectum filium Magiftrum HELIAM PELETI capellanum noftrum, generalem caufarum noftri palatii auditorem, ad eamdem mifimus civitatem, ut quæ laudabili funt initiata principio, ejus providentiâ conferventur, & ad exitum veniant meliorem. Unde vobis diftrictè præcipiendo mandamus, quatenus civitatis ejufdem & diftrictus ipfius pacem turbare nullatenus præfumatis, & ejufdem capellani mandatis in omnibus pareatis. Nos enim pœnas & mulctas, &c. Datum, *ut fupra.* Anno 1166



EPISTOLA CCCCXII.

Dilectis filiis fratribus Lotharingo & Cathalano rectoribus civitatis & universis civibus Florentinis.

Ut mandatis Eliæ Peleti pareant. Licentiam etiam recedendi tribuit.

Anno 1266 VErbi memores, in quo vobis nuper spem dedimus, dilectum filium magistrum HELIAM PELETI capellanum nostrum, generalem causarum nostri palatii auditorem, virum utique circumspectum, à nobis & à prædecessore nostro probatum, ad vos duximus destinandum: cujus vos regi consilio ac censura, cujus in omnibus obedire præceptis volumus & mandamus, usque ad Potestatis, quam proximè vobis mittemus, adventum. Nos autem pœnas & mulctas quas rebellibus, si qui fuerint, duxerit indicendas, necnon & excommunicationum & interdicti sententias, quas tulerit in eosdem, usque ad satisfactionem, faciemus inviolabiliter observari. Sanè vobis, dilecti filii Lotharinge & Cathalane fratres, qui ex nostro mandato in Florentinæ civitatis regimine per tempus aliquod laborastis, petitam sæpe recedendi licentiam, ut vestro religioso proposito vacare liberiùs valeatis, tenore præsentium duximus concedendam. Datum Viterbii x. calendas Decembris anno II.

EPISTOLA CCCCXIII.

Dilecto filio nobili viro Jacobo de Collemedio.

Ipsum ad se vocat mittendum ad Florentinos.

Anno 1266 DIvina providentia reproborum curvante superbiam, freta nuper meliore consilio civitas Florentina viam sibi salutarem elegit, & electis pariter & (a) erectis personis communibus, quæ statum quærunt pacificum civitatis, qui eamdem diu turbaverant exierunt, & qui ejusdem regimen voluerunt & valuerunt per Dei gratiam retinere, mitti sibi potestatem à nobis humiliter petierunt. Nos igitur attendentes tempus nobis redditum opportunum, quo civitatem eamdem, & per ipsam totam pacificare Tusciam valeamus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus aliis negotiis sequestratis, omnique dilatione & occasione postpositis, ad nostram protinùs accedas præsentiam, inde Florentiam profecturus; & ut scias qualiter oporteat accedere, scias hanc esse rectorum consuetudinem, quòd secum duos vel tres adducant milites, & VI. judices, & XII. tabelliones; quibus omnibus sicut sibi & aliæ familiæ suæ de suo salario satisfacient, & duodecim habebunt alios servientes in armis ad diversa explenda mandata, quibus duodecim respondebitur à communi. Verùm licèt eo tempore, quo te vocandum duximus, decreverimus te solum in regimine remansurum; nunc populo suscitato tolerare nos convenit & decet, quod sit aliquis ibi populi capitaneus, sed fidelis & de parte ecclesiæ, & qui te in omnibus adjuvet, nec possit jurisdictionem tuam in aliquo enervare. Quocirca venias indilatè, cùm sit in mora periculum, & immineat grande negotium ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ, & utilitatem carissimi in Christo filii mei C. regis Siciliæ consummandum. Et qua die sis expectandus per latorem nobis præsentium clarè & apertè rescribere non postponas. Datum Viterbii IX. calendas Decembris anno II.

EPISTOLA CCCCXIV.

Dilecto filio S. (b) Toletano electo.

Increpat eum quod iniquis commerciis famam suam denigraverit, & suæ ecclesiæ facultates effuderit.

COgis nos, fili, de te dicere quæ nolumus credere præmaturè, qui post salubria nostra monita, post exhortationes arcanas, ut puritatem in omnibus conscientiæ conservares, dedisti te ad iniqua commercia, & de nostra recedens curia, honorem nostri non tantummodo tui nominis infecisti, cùm multorum opinio teneat & tenuerit in tuæ promotionis negotio sinceritatem debitam non servatam. Sanè dicis, ut dicitur, quod ex pacto per te vel alium inito, te sciente, nec dedisti quicquam alicui, nec te ad dandum in posterum obligasti. Quod si forsan veritatem haberet, quisnam eam posset imprimere cordibus auditorum, cùm sint notæ conditiones hominum, de quibus quæ hactenus sunt audita, certa præbent indicia de futuris. Verùm dicere possumus, quod non minus soldano Babiloniæ quàm eisdem ad (c) antedicta tenebaris: nec enim opus erat hominis, sed Dei potiùs per sui vicarii ministerium cum fratrum suorum consilio non emto, non vendito, sed ex conscientia promulgato. Post hanc verò turbationem, quam non levem æstimavimus, nec mediocrem, alia postmodum gravior supervenit. Nam cùm Montem-pessulanum venisses, & carissimus in Christo filius noster illustris rex Aragonum pater tuus (d) PETRUM RAYMBALDI fecisset militem, te eidem ad immensam summam pecuniæ dandam in certo termino per tuas litteras obligasti. Et quid gravius facere potuisti ad famam nostram violentis suspicionibus denigrandam? Numquid redditur pro bono malum, dum patri suam honestatem amanti, & quibus potest consiliis circa linguas maledicas deffendenti, parat ingratus filius sub obsequii colore laqueum, ut credamur sub cujusdam liberalitatis imagine, quod recipere nolumus, aliis facere ministrare. Quod si pater tuus excesserat patrimonii sui Dominus, numquid & tu ecclesiæ tuæ bona debebas effundere, quorum tibi creditur dispensatio, sed

(a) Al. Relictis. (b) Al. Tolosano electo. (c) Al. Antedata. Al. Antidona. (d) Al. Patrem tuum.

injusta consumtio denegatur? Da igitur Deo gloriam, & offensum non leviter nec immeritò placa patrem. Nos enim illi præcipimus sub amittendæ perpetuò gratiæ nostræ pœna, quod tibi litteras tuas restituat cancellatas, tibique in virtute obedientiæ districtius inhibemus ne pecuniam promissam persolvas, nec in fraudem promissionis hujusmodi quicquam facias vel attentes. Datum Viterbii v. calendas Decembris anno II.

EPISTOLA CCCCXV.

(a) Dilecto filio Armanno (a) Asturiensi electo.

Episcopatum quem recusabat acceptare jubet, eumque super defectibus, quos prætendebat, dispensat.

Anno 1166 CUm vacante Asturicensi Ecclesia & postulatione majoris partis capituli dilectum filium ejusdem archidiaconum postulantis de fratrum nostrorum consilio non admissa, de te multo tempore nobis noto, qui siquidem olim Parisius noster in domo fuisti socius & in scholis, eidem duxissemus providendum. Tu tandem nostra voluntate percepta, ad nostram præsentiam accessisti, petens humiliter ac instanter, ut cùm ab olim te totum dedisses studio, & jam satis ætate provectus ad laborem pontificalis officii non sufficiens, te ab hujusmodi onere relevare misericorditer dignaremur. Quod cùm à nobis obtinere non posses, nobis demùm humiliter revelasti, quod de sacerdote genitus & soluta, licèt dudum gratiam obtinueris apostolicam, quod ad sacros ordines promoveri, & ad ecclesiasticas posses dignitates assumi, super episcopali tamen tecum non fuerat dispensatum; sicque dictum episcopatum recipere, sicut non poteras, sic nec etiam ambiebas. Nos igitur nostrum nolentes eludi propositum, quod ex solida conscientia super tua promotione concedimus, magis etiam intendentes providere Ecclesiæ quàm personæ, ut defectu proposito nonobstante, ad episcopalem & archiepiscopalem assumi valeas dignitatem, tenore tibi præsentium indulgemus, in remissione tibi peccaminum injungentes, ut Asturiensis Ecclesiæ regimen mente prompta suscipiens, ad eamdem gubernandam accedas, quàm citiùs facultas se obtulerit in presbyterum promovendus & in episcopum consecrandus. Datum Viterbii VIII. Idus Decembris anno II.

EPISTOLA CCCCXVI.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Hortatur ut fidem datam à suo Marescallo Galvano promissam servet.

Anno 1166 EX tuis litteris intelligimus FREDICUM & GALVANUM fratres, quos in Calabria obsessos tenueras, Terracinam venisse, quorum alterum GALVANUM, scilicet cum rebus suis tibi restitui postulabas. Sanè post hujusmodi receptas litteras nobis novus nuncius supervenit, asserens inter cetera, quod dictos fratres à tua recedere rebellione volentes, tuus (b) inibi marescallus assecuravit cum omnibus mobilibus bonis suis, prout constat per rei evidentiam & publicum instrumentum, quos etiam in terræ tuæ galeis, sub tui securitate vexilli in portum (c) Terracinensem receperunt benignè, & visis prædictis indiciis, affidarunt, etsi nunc fortè causaris, quòd G. ad pacem recipere tuus non poterat marescallus, nec hoc ipsum discutere tuis civibus incumbebat. Ea propter, fili carissime, provide famæ tuæ. Jam enim tibi à nonnullis impingitur, quod nec tuo, nec tuorum conductui quisquam sine periculo se committit, dum quod fidei bonæ creditur, ad anfractus traducitur quæstionum. Nos tandem in prædicto negotio faciemus quod juri credimus consonum, & nostræ conveniens honestati. Datum Viterbii (d) XIX. calendas Januarii anno II.

EPISTOLA CCCCXVII.

Carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri.

Ut unam præbendam in ecclesia Remensi procuret G. S. Marci presbytero cardinali.

Anno 1165 LAtere tuam nolumus celsitudinem, quod dilecto filio J. Remensi electo de nostrorum fratrum consilio confirmato, nos dilectum filium nostrum G. tituli S. Marci presbyterum cardinalem favore volentes prosequi speciali, ordinationem ejus dedimus Laudun. & Rem. quas electus memoratus habuit præbendarum. Si tamen Remensis à confirmationis electi tempore, quod plurimi afferebant, ad collationem regiam sicut de jure sic de consuetudine non spectabat. Idem sanè cardinalis dictam præbendam contulit cuidam clerico tali digno, ut asserit, & majori, cum multa nos rogans instantia, ut te sollicitis precibus inducamus ad effectum hujusmodi, sine tuo in posterum præjudicio, tolerandum. Quod si tibi placuerit, nostras litteras dabimus de hoc efficaces; alioquin placeat saltem eidem omnino cedenti in favorem cardinalis ejusdem præbendam de novo concedere memoratam. Nos igitur qui jus tuum, si de consuetudine illud potes deffendere nec volumus nec voluimus perturbare, serenitatem tuam rogandam duximus, quatinus per alteram dictarum viarum desiderio satisfacias cardinalis & nostro. Quod si tibi non placet uti te jure tuo sine nostra & Romanæ Ecclesiæ injuria æquanimiter toleramus. Datum Viterbii XV. calendas Januarii anno II.

(a) *Al.* Hanc epistolam tamquam scriptam Bertrando Aurelianensi electo edidit Stephanus Balusius miscellaneorum tom. 6. pag. 438. Verùm quo anno scripta fuit Aurelianensis sedes non vacabat, sed eam occupabat Robertus de Curtenaco. Nostri autem codices manuscripti constanter legunt *Asturicensi*, uno excepto Colbertino. (b) *Al.* In aliis partibus. (c) *Al.* Terracinum. (d) *Al.* x. Calendas.

EPISTOLA

A

EPISTOLA CCCCXVIII.

(a) (a) Dilecto filio magistro B. &c.

De testibus audiendis in defensionem R. episcopi Tolosani.

Anno 1267 TUa nobis venerabilis frater noster R. Tholosanus episcopus insinuatione monstravit, quod cùm ad innocentiæ suæ præsidium tam super fama suæ integritatis, quàm reprobatione testium contra ipsum à nobis super ejus infamia, nec non & veritate criminum receptorum, testes aliquos produxisset, alios nihilominus producturus infra tres septimanas, ut dicitur, quæ sibi supererant de termino in nostris præfixo litteris: aliæ nostræ supervenerunt litteræ, quibus visis ad plures testes reprobatorios producendos eum admittere noluisti, cum numerum centenarium posterioribus contentum litteris implesset, sicque spe sua sine culpa frustratus, ut asserit, trium septimanarum tempus amisit, & ex causa hujusmodi XL. & VIII. testes remanent multum reprobi, quos ex causis certis & variis reprobare proponit, si audientia sibi detur, nobis humiliter supplicans, ut dictas tres septimanas amissas reddi jubeamus eidem. Licèt autem suspicione non careat processus episcopi, qui forsitan animosior creditur in hujusmodi, quia testes suos non sperat per alios reprobari; ne tamen corruat veritas in plateis, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vestrûm infra tres septimanas testes recipiatis ejusdem, quos contra singulos XLVIII. testes duxerit producendos, sic quod contra singulos tantummodo tres producat, & ne probi per reprobos reprobentur, volumus & mandamus quod ex officio post modum inquiratis, nullis datis articulis, cuicumque personæ cujuscumque conditionis, opinionis, & famæ ac fidei sint illi, quos idem episcopus ad suam famam probandam, vel ad reprobationem produxerit aliorum. Testes autem quos ad hoc necessarios credideris, cujuscumque sint status, dignitatis, aut ordinis, per censuram Ecclesiæ compellatis veritati testimonium perhibere, non obstante aliqua indulgentia, cuicumque personæ, dignitati, vel ordini ab apostolica sede concessa; per quam mandati nostri executio impediri posset aliquatenus, vel etiam retardari, & de qua cujuscumque toto tenore de verbo ad verbum in nostris esset litteris plena & expressa mentio facienda. Quicquid autem super his inveneritis, nobis sub vestris conclusum sigillis cum actis aliis mittere non tardetis. Quod si terminum aliquem eidem episcopo accedenti ad nostram præsentiam præfixistis, illum ut qualitas requiret negotii prorogetis. Datum Viterbii XV. calendas Januarii anno II.



(a) *Al.* Inquisitori Tolosano.

EPISTOLA CCCCXIX.

Dilecto filio S. tituli S. Martini presbytero cardinali Marchiæ & ducatus Spoleti rectori apostolicæ sedis legato.

De proditione Laurentii Teupoli.

PRodit in publicum dudum in latebris solidata proditio Laurentii Teupoli, qui nostrorum fidelium innocentium sanguinem sitiens, & quosdam pœnis pecuniariis, quosdam subversione domorum, quosdam impudenter affligens; inter alios, dilectum filium G. latorem præsentium, G. Cervicium ire mandavit ibidem à potestate Ternibii proditionaliter occidendum; si tamen ejus precibus pareretur. Hunc sanè virum subdolum, virum præ ceteris pestilentem vellemus comprimi, & de Marchiæ finibus exturbari. Et ut hoc nostrum desiderium impleatur, pacem utinam cum aliis facere, & ad ipsum cum Firmanis & aliis proditoribus eidem adhærentibus propellendum, totum tuum conferres studium, quibus nullum dignoscimus superesse præsidium. Sicut enim à partibus Alamanniæ frustra subsidium præstolatur, sic & apud nos à nemine juvari poterunt, sicut nec hactenus potuerunt. Quod si Deo placere desideras, si patris gratam curam habes; ad hoc, fili, labora, ut tanta militia conflatis viribus consternatur; & si tempus non suppetit, parentur interim necessaria, ne hora transeat otiosa. Demùm dicto G. cùm uxore & liberis exsulanti de aliquo officio providere te volumus, in quo possit utcumque transigere vitam suam, donec arrideant tempora meliora. Iterum & iterum discretioni tuæ præcipuum negotium commendamus. Datum Viterbii XI. calendas Januarii anno secundo. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXX.

Simoni cardinali apostolicæ sedis legato.

Exponit flebilem Terræ sanctæ statum hortaturque ad crucem prædicandam.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1267

Si Salvator humani generis, in cujus solo salus omnium consistit arbitrio, cuique reparandi collapsa, restaurandi disperdita, plena est in velle facultas, civitatem Jerusalem videns & prævidens ruituram flevisse scribitur super eam; Isaiæ 49. 8. quanta nobis plangendi ratio, quam gravis causa lamenti, qui vices, licèt insufficientibus meritis, gerentes illius, non solùm civitatis prædictæ desolationem deflemus antiquam, verùm etiam totius Terræ sanctæ ruinam, jam non tam futuram pertimescimus, quàm instantem, apertissimè sine desiderati & necessarii remedii sufficientia intuemur? Ut enim afflictiones innumeras, & immensas ejusdem terræ pressuras,

ac flagella gravissima in eam multis retrò multiplicata temporibus, per quæ jam dudum sufficientibus deficiens viribus & necessariis sumtibus, impar effecta, defensioni propriæ inhabilis reddebatur. Quamquam illa facti evidentia dissimulari non sinat, sub dissimulatione silentii transeamus, quo modo tam longis discriminibus guerrarum attrita, diutina bellorum vastitate confecta, & laborum diuturnitate laxata subsistere poterit contra superinductæ de novo tribulationis impetum, aut illius acerbitatem assiduam, & assiduitatem acerrimam sustinere? Quam putas igitur, fili, amaras movere potest ad lacrymas, ad quàm profunda suspiria provocare consideratio miserabilis status ejus, si nequitia instantis persecutoris attenditur, si persecutionis instantia qua decet attentione pensatur, si damna his quasi diebus eidem terræ illata, si accumulata vix adhuc elapso triennio discrimina in eamdem, si occupata inibi, si destructas civitates, munitiones, & castra; si maximè innumerabiles & horrendas fidelium cædes & strages; si tanta demùm christianitatis opprobria meditatio pia recenseat, & compassio debita meditetur, profectò furore in populum suum iratus videtur Altissimus, & hereditatem suam contemtui tradidisse, dum sic eos in manibus inimicorum concludi patitur, sic illos exterminari permittit, ut vix abstersis de ipsorum casu priori lacrymis, succedat asperior, & materiam non minoris amaritudinis ingerens, & causam continuandi mœroris inducens. Ecce etenim de hostili destructione castri *Saphet*, & inhumana trucidatione fidelium ipsius tunc defensioni vacantium, quasi nondum plenè divulgato rumore; supervenit de partibus eisdem infausta relatio lachrymosè denuncians, quod inter fratres hospitalis Jerosolimitani & inimicos fidei nefandissimos Agarenos congressu habito, de fratribus ipsis quadraginta & plures in gladio ceciderunt. Quid plura? suscitatus adversùs terram prædictam falsiloquus, impiissimus videlicèt Soldanus Babiloniæ christianitatis hostis, cunctis prædecessoribus suis infestior, illi superbè comminans, & sibi christianæ religionem fidei detestando publicè ante faciem contradicens, sic collegit adversùs eam furorem suum, sic in exterminationem ipsius conflatis undique viribus conatus suos tota intentione constringit, sic eam terribilibus oculis ab olim intuitus, in ipsam temporibus istis dentibus suis infremuit, quòd deletis pro magna parte christicolis in eisdem partibus bellum Christi gerentibus, reliquis longa & assidua infestatione guerrarum ope destitutis & opibus, quàm pluribus insuper eorum civitatibus, castris, & munitionibus aliis, nunc occupatis insidiis, nunc insultibus superatis, & nonnullis eorum exterminatis ad libitum; quibusdam verò ad majoris offensæ dispendium conservatis, & pro conservantium voto munitis, ut ad reliquorum exterminium facilius obtinendum, ipsis christicolis munitiones suæ in formidinem ponerentur, sicut litterarum missarum & nunciorum de partibus illis venientium habet

A assertio, nisi terræ prædictæ accelerandæ subventionis remedia suffragentur, nulla verisimilitudinis conjectura subsistit, quòd adversùs tam diræ persecutionis instantiam sic laxatæ, sic attritæ christianitatis ipsius viribus ulterius resistatur. Excitat itaque nostræ humilitatis officium urgens ejusdem terræ necessitas, angit ad christianitatis in ea residuum paterna compassio, ut eis quibus possimus remediis succurramus, quò interim alicujus saltem sustentationis subsidiis ministratis eisdem; subsistere

B valeant, & expectare sufficiant, ut convertatur & ignoscat Dominus, & generali divina concedente clementia procurato passagio, ab inimicorum incursibus Domini hereditas liberetur. Verùm licèt nos ad hoc paternus, quem ad terram illam gerimus, zelus afficiat: quia tamen nec ad subventionem hujusmodi sufficit cameræ nostræ tenuitas, quæ vires suas etiam sub dispensationis providæ moderamine vix ad quotidianos sumtus extendit; volumus, & præsentium tibi auctoritate mandamus, quatinus tanto

C ejusdem terræ discrimini debita pietate compatiens, de centesima ipsius terræ subsidio deputata, nec non de redemtionibus votorum crucesignatorum, obventionibus quoque ac legatis, & aliis ex quacumque causa dictæ terræ sanctæ debitis, in locis videlicèt legationis tuæ procures eidem in instanti passagio mensis Martii subventionem quantò uberiorem ipsius centesimæ & aliorum prædictorum collecta seu etiam colligenda quantitas patietur, sine tarditatis alicujus dispendio, quam non admittit ex-

D trema ejusdem terræ necessitas, exhiberi. Ceterùm licèt aliqui crucesignati ad terræ prædictæ succursum obtinuerint à nobis subventionem sibi de centesima & aliis prædictis concedi; scire tamen te volumus quod in concessionibus hujusmodi consultò adjecimus, quod si forsan impetrantes iter suum in terram prædictam differre contingeret, & interim terræ ipsius status exigeret, etiam quod sic concedebatur eisdem volebamus & volumus in succursum terræ prædictæ memoratæ converti. Unde si aliquid circa

E hoc à te petitum fuerit, facias tibi concessionis nostræ litteras exhiberi, ut ex earum inspectione colligas quid ipsis impetratoribus debeatur. Datum Viterbii II. calendas Januarii Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA CCCCXXI.

Dilectis fratribus Lotheringo & C. rectoribus (a) XXX. & VIII. personis communibus & universis civibus Florentinis.

F *Scribit ut ejiciant Teutonicos & nullam regiminis ordinationem faciant sine Guelforum consensu.*

PAcis bonum quod bona continet universa, quanto utilius & communius judicatur, Anno 1266 tanto sinceriùs est quærendum, & inventum attentius conservandum. Pacem autem illam dumtaxat dicimus, quæ non tantum in verbis & factis applausibus ostentatur, sed in cordibus radicata ipsa operum exhibitione monstratur.

(a) *Al.* XXXVI.

Alioquin illos notandos credimus non laudandos, quos describit sermo propheticus, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorumdem*, cùm pax vera illis solum promissa fuerit, qui bonæ per omnia voluntatis existunt. Sanè vestris & dilecti filii magistri HELIÆ capellani nostri, quem ad tempus pro bono statu servando palatio nostro subduximus, nuper receptis litteris continentibus inter exteros Gibellinos & Guelfos pacem esse paratam, tamquam pro negotio solidato, sed aliquatenus inchoato, ad horam exultavimus, expectantes quotidie meliora: & ne posset occasio suboriri recidivæ discordiæ inter partes, carissimo in Christo filio nostro C. illustri regi Siciliæ persuasimus & mandavimus, quòd in Guelforum subsidium milites nullos mitteret, quos profectò paraverat, sicut nobis per litteras suas intimarat. Nunc autem pro certo didicimus, quod GUIDO novellus Dei & Ecclesiæ pervigil inimicus multis excommunicationum sententiis irretitus, qui sibi adhærentibus Guibellinis, tenet illos Theutonicos excommunicatos & perfidos, quos tenebat cùm vobiscum Florentiæ moraretur, quod quale præferat pacis judicium satis est manifestum. Nolentes igitur exponere Guelfos discrimini, qui nobis & regi prædicto constanter & fideliter servierunt, vobis universis & singulis sub debito juramenti, quo nobis tenemini, per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ad relegandos de vestris finibus dictos Theutonicos maledictos, totis viribus detis opem & operam efficacem. Quod si factum infra VIII. dies à præsentium receptione non fuerit, solvemus vincula manus regiæ, mitti militiam procurabimus, quæ fidelibus in auxilio & infidelibus in excidio pro singulorum meritis Dei fulta præsidio respondebit. Demùm quia dilectus filius JACOBUS DE COLLEMEDIO, quem præficere vobis volumus potestatem, ex causis probabilibus oblatum sibi recusavit officium, nec pacem vestram credamus nomine pacis dignam, sub ejusdem debito juramenti vobis districtiùs inhibemus, ne ad novi ordinationem regiminis sine partis Guelforum procedatis assensu, vel si hoc vobis videtur difficile, mittatis ad nos personas sufficienter instructas, quarum consiliis informati, bonam vobis valeamus eligere potestatem. Quod si secùs acceptaveritis, id decrevimus irritum & inane, processuri ad alia, prout expedire viderimus, & vestra contumacia suadebit. Datum Viterbii VI. calendas Januarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut operam det efficacem ad matrimonium inter H. regis Castellæ filium & filiam Micalipi.

Anno 1267 UT ad matrimonium inter dilectum filium nobilem virum H. claræ memoriæ F. illustris regis Castellæ filium, & filiam viri nobilis (*a*) Micalipii contrahendum efficaciter laborares, nuper etiam per alias nostras litteras duximus Magnitudinem exhortandam. Quia verò hujusmodi matrimonium si consummatum fuerit, carissimo in Christo filio nostro imperatori Constantinopolitano illustri & dilecto filio viro nobili nato ejus, Ecclesiæ Romanæ ac toti populo christiano plurimum credimus fructuosum, serenitatem tuam iterato rogamus & hortamur, quatenus ad dicti consummationem matrimonii totis des viribus opem & operam efficacem. Datum Viterbii nonis Januarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXIII.

Dilecto filio nobili viro H. filio claræ memoriæ F. quondam regis Castellæ.

Avertit eum ab ingressu Sardiniæ, monetque se scripsisse regi Siciliæ pro ipsius matrimonio.

AD (*b*) tuæ claritatem originis attendentes, & illius devotionis fervorem quam ad Romanam habes Ecclesiam, tui promotionem honoris, quibus possumus studiis procuramus. Et quoniam ad regnum Sardiniæ tuos oculos direxisti, super quo cum N. milite Januensi longam satis collationem habuimus; scire te volumus, quod post recessum ipsius, inspecta pleniùs conditione negotii, multò tibi utilius judicamus id non aggredi, quod multis sumtibus indigeret, præsertim cum Pisanos haberes adversarios, qui positi è vicino & ingredientem impedire valerent, & ingressum continuè molestarent. Unde carissimo in Christo filio nostro C. illustri regi scripsimus, eumdem instantius exhortantes, ut ad matrimonium inter te & filiam viri nobilis (*c*) Micalipii contrahendum det operam efficacem: quod si contigerit consummari, non tibi soli, sed carissimis in Christo filiis nostris imperatori Constantinopolitano illustri & ejus filio esse poterit fructuosum, nobis etiam & toti populo Christiano. Datum Viterbii nonis Januarii anno II. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXXIV.

Carissimo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De abbatibus vitiosis amovendis & idoneis substituendis.

DE abbatibus Florinensis ordinis per alias litteras Fraternitati tuæ respondimus. Anno 1267
Nunc autem de illis de ordine S. Guillelmi, quos abbates appellas, & de aliis ordinis S. Benedicti, quos asseris vitiosum habuisse ingressum, tam amovendis quàm aliis substituendis eisdem, sive ante susceptam à te legationem monasteria illa vacaverint, sive postea, liberam tibi tenore præsentium, concedimus facultatem. Idem etiam per omnia dicimus de Neapolitanis abbatibus, qui in tuis manibus resignaverunt. Illud videat tua prudentia, ut quantum possibile fuerit

(*a*) *Al.* Micalicii. *Al.* Metatpsilii.
(*b*) *Al.* Ad tui claritatem ordinis. (*c*) Michelicii. *Al.* Mitalipsii.

bonæ præficiantur ubique personæ, cùm sit A & fuerit inter regnicolas magna (a) infectio prælatorum. Venerabilis frater noster, si tamen hoc habent ipsius merita, JACOBUS Sipontinus archiepiscopus juramento requisitus à camerario nostro, dixit se numquam in aliquo favisse MANFREDO præter quam in locutione, de quo multi mirantur. Tu ergo inquiras inquisitione plenaria & secreta sine juramento quid de hoc posset, si solemnis inquisitio fieret, inveniri, & scribe quod inveneris festinanter.

B

EPISTOLA CCCCXXV.

Venerabili fratri patriarchæ Constantinopolitano.

Deflet Terræ sanctæ afflictionem, quæritque opportunum ei subsidium.

Anno 1267 EX abysso divini judicii diuturnis retrò temporibus super sortem justorum virga pertransiit peccatorum, & in diversis jam regionibus infideles fidelibus prævalentes, captis castris & civitatibus, viris & mulieribus captivatis, loca quondam divino cultui mancipata nunc gentes obtinent, quæ nomen Domini non noverunt. Inter hæc sanè deplorandam credimus Terræ sanctæ miseriam, quam Soldani Babilonici rabies sic oppressit, ut ab illo relicta videatur aliquibus, qui eam suo sanguine consecravit, quod tamen nec recto judicio creditur, cum illius finaliter nequeat oblivisci, qui tot eam prævenit honoribus, quam etiam tam benignè nostris priscis temporibus sæpius visitavit, ut cùm consumta penitùs putaretur, oriretur ut lucifer, nec est abbreviata manus Domini, nec artata misericordia, cui subesse potest cùm velit, cui semper est proprium misereri. Anxiamur igitur animo circa terræ dictæ subsidium, ad quod populum Christianum pusillos cum majoribus excitamus, grande conquirentes auxilium, quo non solùm reprimi valeat impetus inimici, sed etiam virtus ejus usquequaque prosterni. Cùm tamen hoc tractatum (b) habeat & magnum desideret apparatum, juvandam credimus terram interim antedictam galearum subsidio competenti. Etiam carissimus in Christo filius noster C. Siciliæ rex illustris promisit nunciis in instanti passagio Martii galeas illuc xv. destinare, & nihilominus laboramus, ut de Provincia aliquas habeamus. Ceterùm dilecto filio duci & civibus Venetorum scribimus affectu quo possumus obsecrantes, ut & ipsi tamquam fidei pugiles mittant suas, ut per hujusmodi providentiam ad damnum fidelium viæ maris nequeant aggravari, & Soldanus per tale navigium in Ægypti partibus perturbatus, relinquere partes Syriæ compellatur. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam, in remissione tibi peccaminum injungentes, quatinus apud ducem & cives prædictos tam attentè, quàm sollicitè insistas, ut in his taliter audiant & exaudiant preces nostras, quod & à Deo præmium condignæ retributionis accipiant, & nos eis pro tam piæ devotionis obsequio ad grates uberes arctius obligemur. Sed & dilecto filio Guillelmo de Placentia capellano latori præsentium fidem indubitatam habeas in his quæ tibi ex parte nostra dixerit circa illa quæ contingunt negotium memoratum. Datum Viterbii II. Idus Januarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXVI.

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Monet infructuosam fore ipsius in Terræ sanctæ subsidium transfretationem, nisi incestuosam dimittat copulam Berengariæ.

TUæ serenitatis litteras recepimus inter alia continentes, quod ad transfretandum in terræ sanctæ subsidium pro vindicanda Crucifixi injuria te disponere proponebas; quod licèt cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quod illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans, in se ipsum iterum crucifigit. Ideo serenitati tuæ, sicut alias, sic & nunc iterato familiariter rogamus, monemus, & hortamur attentè, quatenus nobilem feminam BERENGARIAM, quam in carnale commercium, non absque nota incestus, & salutis tuæ discrimine, admisisti, à te prorsùs abjicias, nec ei ulteriùs copula commiscearis carnali. Aliàs enim complacere non poteris Crucifixo, nec injurias ejus redimere, si ab ejus injuriis ipse nolueris abstinere. Insuper autem scire te volumus, nisi nostris monitis acquieveris, nos te ad dimittendam eamdem per censuram ecclesiasticam compulsuros. Datum Viterbii XVII. calendas Februarii anno II. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXXVII.

Dilecto filio Capitaneo Guelforum.

De militia ipsis mittenda.

QUarta dies est hodie, ex quo ad carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ nuncium misimus specialem præcisè consulentes eidem, quod ad partes Tusciæ mittat militiam competentem: alioquin denuntiamus eidem, grave sibi periculum immnere, cui forsitan non valebit occurrere quando volet. Si ergo vultis quod nuncii reditus expectetur; Florentinis nihil scribemus ad præsens; & si creditis melius esse contrarium, rescribatis nobis, & statim præcipiemus eisdem, quod capitaneum prorsùs expellant, & unum de tribus advocent, qui in potestatem fuerant nominati. Quia verò centum boni Teutonici & fideles sunt apud (c) Aquasparcham, bene in equis & armis instructi; credimus quòd si eos haberetis vobiscum saltem ad unum mensem vel duos, inimici vestri plurimum terrerentur, & crederent Anno 1267

(a) Al. Interfectio. (b) Al. Exactum.

(c) Al. Asquam sparsam. Al. Aquam spertam.

contra se majora parari. Scire verò vos volumus, nobis esse familiariter intimatum; quòd citò vobis reditus in Florentiam offeretur. Sed tot erunt parati Senenses Teutonici, & Pisani cum vestris adversariis, quod vos omnes in ipso reditu, vel majorem partem vestrûm, quod Deus avertat, involverent. Et ideo volumus & consulimus, quod in verbis nostris, dilecti filii, columbina simplicitas simplicem comitem semper habeat prudentiam serpentinam. Datum Viterbii xv. calendas Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut redeuntes ad gremium Ecclesiæ Pisanos benignè suscipiat.

Anno 1167 LIcèt transeuntium mutatio temporum nostrum ex suo transitu non immutet judicium, mutat tamen affectum in melius conditio melior personarum, quo mutare in statum alterum meliora subsidia promerentur. C Sanè cives Pisani qui ab olim multa grata servitia nostris prædecessoribus exhibuerant, proximis retrò temporibus in arcum conversi perversum nuper Dei gratiâ à Domino visitati, ad Ecclesiæ gremium redierunt, ad cujus reverentiam, quantum exterioribus perpendere valemus indiciis, suæ parant & exhibent promtitudinem voluntatis. Cùm te igitur non deceat à tua gratia illos excludere, qui Romanam ecclesiam matrem tuam promtis volunt obsequiis honorare, tibique D carissimo nostro filio, quibus modis efficacius poterunt complacere, serenitatem tuam rogandam duximus & attentiùs exhortandam, quatinùs cives eosdem, quos non solum nobis & tibi utiles fore posse perspicimus, nec non & miseræ terræ sanctæ, quæ ab ipsis sustentatur quotidie, & speratur in posterum adjuvanda, nec abhorreas nec abjicias; sed ad tuum illos favorem admittens, te illis velis reddere favorabilem & benignum, nec ex illis temporibus occasiones assumas, E quæ tempora status possunt redimi studio melioris. Datum Viterbii IV. calendas Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXIX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

In gratiam Pisanorum.

Anno 1167 NUper edictum, prout accepimus, à tua serenitate processit, F ut omnes cives Pisani qui sunt in tuo regno vel districtu, cum omnibus mercimoniis & aliis bonis suis exeant, nec ultra proximas calendas Martii ibidem remanere præsumant. Cùm igitur ab ipsis civibus, qui, prout per exteriora perpendere indicia possumus, tam Ecclesiæ Romanæ, quàm tuo beneplacito modis quibus poterunt se coaptare proponunt, terra sancta quotidie sustentetur, & speretur in posterum adjuvari, & propter hoc

A non credamus expediens ipsos exturbari ad præsens: magnitudinem tuam rogandam duximus attentiùs & hortandam, quatenus si fortè prout per alias nostras litteras tibi scribimus, ad tuum favorem non vis eos admittere, quod nec nobis, nec tibi, nec etiam ipsius terræ sanctæ negotiis credimus expedire, præfixum saltem terminum, cùm citra illum tempus ad navigandum non consueverit aptum esse, in ulteriorem tibi placeat prorogare, quo dicti cives cum omnibus bonis suis liberiùs exire B valeant terram tuam, vel tecum interim concordare. Datum Viterbii III. calendas Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXX.

Dilecto filio M. ordinis fratrum minorum capellano nostro.

Ut quadriennales inducias, inter Pisanos & Lucanos firmari curet, & galeas à Pisanis saltem x. exigat.

MAndatum Pisanis dedimus de captivis Lucanis quos detinent, pace inter eos vel saltem treuga ad quadriennium firmata, reddendis. Anno 1167 Quod si neutrum procedere contingat, præcipimus eisdem ut illos restituant, quos extra suum districtum, Lucanis existentibus in Ecclesiæ Romanæ devotione, ceperunt. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si inter ipsos plenam pacem fieri non contigerit, interponas sollicitudinis tuæ partes ad treugam saltem firmandam ad quadriennium inter eos. Speramus enim in Domino, quod per hanc viam inter partes pax perpetua reformetur. Quia verò iidem Pisani Romanam Ecclesiam multipliciter offenderunt, volumus quod ex parte nostra injungas, ut eisdem certum galearum numerum, x. ad minus bene paratas mittant instanti mense Martii in subsidium Terræ sanctæ, nec ullam in hoc difficultatem ingerant, cùm sit hujusmodi satisfactio modica, consideratis eorum excessibus, quos in Romanam Ecclesiam commiserunt. Ex parte etiam nostra eisdem præcipias, quod pro nostra & apostolicæ sedis reverentia nullum onus datæ, seu collectæ captivis dictis imponant; quod si fecerint, pro certo teneant, quod de pignoribus, quæ ab eis recepimus, conservabimus (a) omnes captivos indemnes. Datum Viterbii III. nonas Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXI.

Dilecto filio Odoni Gualducii civi Pisano.

Hortatur ad promtum Terræ sanctæ subsidium.

DEvotionem quam ad Romanam Ecclesiam, & affectum quem ad Terram sanctam gerere diceris, Anno 1167 dignis in Domino laudibus commendantes, sinceritatem tuam rogamus & hortamur attentè, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus periculosum statum

(a) Al. Ipsos captivos.

dictæ terræ diligenter attendens, ad illius injuriam ulciscendam, qui pro te voluit crucifigi, labores non differas exponere personales, per nullum enim aliud obsequium magis Ecclesiæ Romanæ poteris complacere, quam si tibi complacuerit virtuosè in prædictæ terræ subsidium personaliter laborare, nosque te ex inde habebimus propensius commendatum. Datum Viterbii III. nonas Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXII.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Improbat collectas à rege factas.

Anno 1267 DE collecta quam in regno rex Siciliæ vel motu proprio vel suorum consilio fecit, tua sciat fraternitas quod sicut Deo displicet, sic & nobis. Et si quis tibi dixerit quod de nostra facta fuerit etiam conscientia, in caput suum illum noveris esse mentitum. Immò vagantibus in verbis regis nuntiis coram nobis, & quasi non quærendo quærentibus quid rex faciet? unde suis stipendiariis satisfaciet? Unde solvet ecclesiæ debita, si collectas non facit? Nos respondemus plus eorum intentioni quàm verbis, quod ad eas procedere sine suæ salutis discrimine (*a*) non valebat, sine hominum terræ consilio & assensu gratuito, non per aliquam (*b*) impressionem extorto. Unde quia nobiscum non colligit, verendum credimus ne dispergat. Multa quidem contra ipsum parantur alibi, & si regnum contra se provocat, & aliunde venerint adversarii, & quod est gravius, Deum sibi constituit adversarium, non immeritò formidamus, ne nos & se in extremam, quod absit, confusionem adducat. Nam quòd dicat se pauperem, quod recedere servientes de castris, quod necessitatem urgere; sibi imputet, qui se in hujusmodi necessitatem immersit, suas destruens (*c*) massarias de quibus vivere poterat abundanter. Hæc est enim vita regum Siciliæ. Et si hodie haberet Sardiniam, sic eum vivere oporteret. Sed quid ad Rumbum? Si pauper est qui terram magnam & reditus multos habet, (*d*) nonne de suo ad tempus reditu (*e*) obligando vel aurum & argentum, etiam lapides distrahendo sibi consulere deberet, non de spoliis alienis? Suæ tamen ad præsens conscientiæ relinquatur. Quod autem ab hominibus Ecclesiarum accipiat non sustineas, nec sub prætextu requisitionis ipsius baillivorum suorum frangere differas contumaciam. Nam hac via nervum dissolveres Ecclesiasticæ disciplinæ. Verum hominum suorum, quos citra promissionem spoliat, dissimulare potes injuriam, cùm nulla querimonia differatur, ad quam eos provocare non debes. Et si te ad ipsam venire contigerit, expedire tuæ quieti credimus quod ad nos remittas eamdem, ne quærentibus negando justitiam, ab ipsis qui modò te diligunt contemnaris. Has autem litteras (*f*) clam interclusas solus legito, postquam eas plenè collegeris comburendas. Græci sunt apud nos, quorum credentes expeditionem instare, tibique rescribere, diutiùs nuncium tuum tenuimus, & ideo moram ei non adscribas ad culpam. Datum Viterbii nonis Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Nihil ipsi concedere posse ecclesiasticæ libertati contrarium, nec probare ipsius ad sedem apostolicam adventum, sed nec injustas ipsius exactiones.

DUas tuæ magnitudinis litteras nuper recepimus, quarum primæ duos certos articulos, aliæ vero generalem habebant tenorem, finaliter concludentes quod venerabili fratri nostro Salernitano archiepiscopo & dilectis filiis P. de Monteforti & R. de Lavena super his quæ ex parte tua proponerent crederemus. Ad primas igitur respondemus, quamvis pleno te diligamus affectu, preces tuas exaudire non possumus, in his quæ vergunt in ecclesiarum injuriam, & ecclesiasticæ præjudicium libertatis. Unde cùm ab ecclesiarum hominibus exigere nihil valeas, omni conventione submotâ, nisi quod tibi jure scripto de consuetudine approbata (*g*) debere constaret eosdem, multò minus exigere (*h*) debes indebitum conventionibus tam expressis artatus. Quod si tuam intentionem aliquo jure vallari confidis, coram venerabili fratre nostro R. Albanensi episcopo apostolicæ sedis legato debes proponere familiariter & sine contentionis specie seu figura, & (*i*) interim ab exactione desistere, qui nec tuam justitiam minui, nec ecclesiarum jura permittet extingui. Quod si pravo ductus consilio, viam Deo & æquitati contrariam ingredi tibi placet, te quidem caritate paterna debemus corripere, non ipsum ab executione justitiæ prohibere. Illud enim pro certo volumus te tenere, quod in universis & singulis conventionum articulis, quas nobiscum valida sponsione firmasti, unum ïota nullatenus immutaremus: quod adeo apud nos & fratres nostros noveris esse fixum, ut non solum mutari non liceat, sed quod nec de mutandis eisdem vel ipsorum aliquo fratrum consilia sunt quærenda. Sanè ex commissa sibi credentia, tui nobis proposuerunt nuncii supradicti, quod iter jam arripueras ad nostram præsentiam, si de beneplacito nostro procederet, personaliter accessurus. Et cùm super hoc quid nobis placeret exquirerent, eis viva voce de consilio fratrum nostrorum respondimus, sed & tibi tenore præsentium intimamus, quod licèt multis sapientibus videatur te hoc tempore regnum tuum ad tempus vel modicum dimittere non debere, quibuscumque munitum præsidiis, quibus omni-

(*a*) *Al.* Non valet. (*b*) *Al.* Impressionem ex toto.

(*c*) *Al.* Massaria seu, ut loquuntur Itali, massaritia, seu massarum est prædium rusticum. Hujus vocis frequens occurrit mentio in chronico Casauriensi edito Spicilegii tom. 5.

(*d*) *Al.* Unde suos ad tempus reditus obligando.

(*e*) *Al.* Obligando & lapides.

(*f*) *Al.* F. alia. (*g*) *Al.* Deberet stare.

(*h*) *Al.* Debere. (*i*) *Al.* In terram.

bus tua prævalet personalis præsentia, propter hoc & quædam alia quæ ex his quæ præmisimus colligere satis potes, non judicant nobis tutum tibi consulere, quod ad nos venias hoc tempore, ex conceptu subito, & non satis; (a) prout eis videtur (a) excocto. Scire tamen tuam volumus excellentiam, quod si ex tuo arbitrio veneris, jocundo animo atque serena facie suscipiemus filium, sed non quemlibet, sed carissimum venientem, licèt ob ea quæ possent contingere, nec requirere, nec consulere audeamus adventum. Quia verò non patitur civitatis Viterbiensis angustia, si cum magna veneris multitudine, te & tuos recipi infra ejusdem ambitum, tibique non expedit venire cum paucis, decet ut prius nos certifices de adventu; quem si præcisè duxeris eligendum, cum tuorum qui apud nos remanent conscientia & consilio; parari tibi locum prout fieri poterit, faciemus.
NOTA. Scire tamen volumus; quòd cum Romani principes convenire consueverunt cum papa, expansis tentoriis morabantur in castris, & si illis instructus veneris convenientius poteris quod intendis explere. Sit tecum Dominus in hoc consilio & in omnibus factis tuis: tuum enim honorem & nostrum, quantum decet & expedit, satis appendimus æqua lance. Demùm super exactionibus quas facis in regno, quæ multorum exasperant animos; excusationibus tuis inspectis, blandiri tibi nolumus, nec dicere malum bonum, sed te tuæ relinquimus conscientiæ. Et si forsitan aliqui tui nuncii tibi dixerint quod ab eis super ista materia tuo nomine requisiti, non assensum expressum, sed quamdam patientiam dederamus; scias eos à veritate recedere in hac parte: numquam enim consensimus, nec præstitimus conniventiam, sed tunc diximus quod & nunc scribimus, te videlicet prælatis & baronibus & locorum communitatibus convocatis, tuæ necessitatis instantiam & utilitatem deffensionis eorum debere patienter exponere, & de ipsorum ordinare consensu, quale tibi à tuis impenderetur auxilium; quo contentus & (b) aliis tuis juribus, eos in sua dimitteres (b) libertate. Quod si tibi vis esse liberum quantum volueris, quando & quotiens tibi placuerit exigere ab eisdem; scire potes hanc amarissimæ speciem servitutis tuorum in te animos provocare, & hæc eadem satis expressimus dilecto filio nostro R. sancti Angeli diacono cardinali, cùm in regnum dirigeret iter suum. Datum Viterbii VIII. Idus Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

Carissimo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De monachis ipsi mittendis ad monasteriorum reformationem.

Anno 1267 VEnientes ad curiam monachos circumspicimus, & quos tibi possumus mittere non habentes, novos quotidie præstolamur. Tua tamen fraternitas pium suspendat propositum, si qui tibi boni occurrerint, de his prout tibi videbitur collapsis monasteriis providendi. Sanè duos invenimus bonos clericos de Alvernia, prudentes pariter & fideles prorsùs secundùm cor nostrum, & ad obediendum paratos, in jure peritos & exercitatos in causis, quos ad te volumus mittere, nescientes an mensæ tuæ patiatur angustia majorem numerum convivarum; quod si eisdem indiges & eis potes sufficere, scribe nobis & protinus transmittemus, quorum unus ab olim re nobis est notus & nomine; alter nostris experientia, vestris fama. Datum Viterbii VIII. Idus Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXV.

Magistro & prioribus provincialibus ordinis Prædicatorum.

Monialium ordinis S. Augustini eis curam committit.

DIlectis filiis magistro & prioribus provincialibus ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1267

Affectu sincero sic vestri ordinis decus & decorem diligimus, quod super omnibus spectantibus ad ipsius honestatem & vestrarum pacem mentium nos benignos & benevolos exhibemus. Sanè quamvis piæ memoriæ Romani Pontifices prædecessores nostri per suas litteras & mandata vobis seu quibusdam vestrûm diversa monialium seu sororum monasteria ordinis S. Augustini perpetuò regenda commisisse dicuntur: Nos tamen ita illarum utilitatibus volentes per vestrum ministerium provideri; quod cursus prædicationis, quam ex injuncto vobis officio diligentius exercetis, animarum curandis languoribus fructuosius concursu occupationum multiplicium nequeat retardari; præsentium auctoritate statuimus, ut moniales seu sorores hujusmodi vobis aut illis vestrûm, quibus sunt per eosdem prædecessores, ut prædictum est, commissæ, vel quæ per te fili magister, seu prædecessores qui fuerunt pro tempore, aut per capitula generalia prædicti ordinis sub vestra seu aliquorum ex vobis cura sine cujuspiam præjudicio sunt receptæ, hoc à vobis hujusmodi commissionis vel receptionis beneficio consequantur, videlicet quod ipsæ sub vestro magisterio & doctrina vestrorumque successorum, qui pro tempore fuerint in perpetuum debeant permanere, ipsas quoque ac earum monasteria vobis & eidem ordini ac successoribus auctoritate apostolica de novo committimus ad cautelam, ut animarum ipsarum sollicitudinem gerentes, & curas eisdem de constitutionibus vestri ordinis quæ ipsis competunt exhibentes, eadem monasteria seu moniales & sorores prædictas per vos vel alios ipsius ordinis vestri fratres, quos ad hoc idoneos esse noveritis, quotiens expedierit visitetis, corrigendo & reformando ibidem tam in capite quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio judicetis indigere. Instituatis autem nihilominus & destituatis monasteriorum hujusmodi priorissas,

(a) Al. Exequato. (b) Al. Potestate

ac circa easdem priorissas & moniales seu sorores ac monasteria prædicta commissos & familiares in ipsis monasteriis continuò degentes mutetis & ordinetis, prout secundùm Deum videritis expedire. Electio tamen priorissarum dictarum liberè ad conventus monasteriorum pertineat prædictorum, quarum confirmatio ad te, fili magister, ubique, & ad singulos vestrûm, filii priores, in vestra præsentia, vel ad eos quibus commiseritis, præcipuè pertinebit. Confessiones verò per vos vel fratres eosdem audiatis illarum, & ministretis ecclesiastica sacramenta. Verùm ne pro eo quod in aliquibus ex eisdem monasteriis fratres vestri ordinis residere continuò non tenentur, pro defectu sacerdotis possit eisdem monialibus seu sororibus detrimentum in spiritualibus imminere, ad confessiones earum in necessitatis articulo audiendas, & sacramenta hujusmodi ministranda deputetis aliquos discretos & providos capellanos, quos vobis deputare ac mutare liceat, prout vobis videbitur expedire, nonobstante aliqua contraria constitutione prædicti ordinis vestri, & quacumque apostolicæ sedis indulgentia concessa, vel in posterum concedenda, de qua in vestris litteris fieri debeat mentio specialis, vel quibusdam litteris felicis recordationis INNOCENTII papæ prædecessoris nostri, per quas vos ab illarum cura dicitur absolvisse, seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis, sive litteris apostolicis vobis aut ordini vestro seu monialibus & sororibus supradictis sub quacumque verborum forma in contrarium fortè obtentis, de quibus oporteat in præsentibus plenam & perpetuam seu de verbo ad verbum fieri mentionem. Nos enim nihilominus universas interdicti, suspensionis & excommunicationis sententias, quas in vos vel vestrûm aliquem, seu ipsius ordinis vestri fratres & loca vel moniales aut sorores easdem seu ipsarum monasteria, sive commissos præfatos occasione præmissorum, vel alicujus eorum per quemcumque, apostolica vel quavis auctoritate alia promulgari contigerit, irritas decernimus & inanes, ac in aliquo penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum, &c. Constitutiones, &c. Si quis autem. Datum Viterbii VIII. Idus Februarii Pontificatus anno II.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

Carissimo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de pluribus disciplinam tangentibus.

Anno 1267 ECclesiis regni vacantibus citò providere proponimus, quamvis tuo judicio nimis tardatum fuerit, dante causam dilationi hujusmodi multorum instantia, qui à nobis episcopatus petebant pro suis domesticis minus dignis. Et est nostræ intentionis aliquibus pastores præficere, aliis electiones suas reddere de tuo faciendas assensu. De Cassanensi ecclesia locuti fuimus magistro HELIÆ, & non placuit dilecto filio nostro Jo. S. Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali, cujus consilio se commisit. De matrimoniis contra statuta canonum celebratis nihil tibi rescribendum credimus, cùm sufficere (a) tibi debeat ea dirimere cum ordine, (b) cum, quo debebat, veritas fuerit patefacta. Nos enim in hujusmodi nolumus dispensare, nisi forsan evidenter causa nos moveat ad faciendam gratiam, quod est rarum. Minorensem A. electum dudum ad te remisimus, juxta merita judicandum: & si latitat, citatum solemniter inventum detine, reum condemna, ecclesiæ provide, prout videris expedire. (c) Arnaudum Monachum Gerarensem monasterio S. Facundi præficimus, (d) & recessit. (e) Episcopari nolumus Theobaldum qui dicitur Saracenus. Uniones episcopatuum quamvis valdè sint tenues, nostris non placent fratribus, quia multiplicatio cathedrarum sæpe apostolicæ sedi profuit, ut posset facile necessitate instante à prope magnam synodum congregare. De inconstante Constantino quondam archidiacono Nimocensi placet quod carcerem habeat, & adhuc habeatur in carcere: ita tamen quod nec fame nec frigore pereat, sed salva custodia vita sibi misera reservetur. Johannem (f) de Toacto potes dimittere satis hactenus maceratum. Ecclesiæ Lavellensi provideas de pastore, prout videris expedire. Cum clericis sæcularibus, qui ab intrusis scienter ordines receperunt, dispensandum non credimus, nisi religionem intraverint, vel sint aliàs valde boni. Quod si per ignorantiam, cum ipsis valeas dispensare. Cum religiosis autem & his qui religionem intrare voluerint, vel quos utiles aut necessarios suis Ecclesiis esse videris; sed & cum Castrensi episcopo, quem asseris boni nominis & honestum super ætatis defectu in littera suæ provisionis tacito valeas dispensare. Cum LOMBARDIA quondam etiam Marchionis Lanceæ filia volumus quod dispenses, & eam facias abbatissam, defectu natalium, si quis est, non obstante. Datum Viterbii (g) V. Idus Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Ipsum increpat de incestuoso ipsius adulterio.

QUi rectè diligit, sic ad amicum afficitur, ut eum diligat, & ejus vitia persequatur: nec amicitiæ certius est indicium; quàm persequi in amico quæ ipsius corpus & animam trahunt ad exterminium sempiternum. Numquid ergo tuæ magnificentiæ nostram subtrahimus gratiam, si peccatum tuum arguimus, quod contra Deum inverecundè committens, ob injuriam Creatoris pœnis sempiternis obnoxius, tuam nihilominus exeris & propalas infa- Anno 126[illegible]

(a) *Al.* Rescribenda credimus.
(b) *Al.* Cum quo debebit.
(c) *Al.* Arnaudum Maichum Gexarensem monachum sancti.
(d) *Al.* Et rejecit.

(e) *Al.* Episcopari volumus Theobaldum. *Sed omnes alii ms. constanter retinent* nolumus.
(f) *Al.* De Toaquo. *Al.* De Duaco.
(g) *Al.* VII. Idus. *Al.* Idus.

miam

miam toti mundo? Non est hoc, fili carissime, subtrahere gratiam, sed augere: quem enim filium pater diligit, hunc castigat, è contrario parcens virgæ pater filium odisse comprobatur. Sanè quod ad circumspiciendas remotas & finitimas regiones, & earum principes nos transmittis, in quibus dicis fieri quæ non facis, malè nostrum pacavit animum, cùm aliquantulum in hac parte pharisæi sententiam videaris amplexus, qui seipsum non sicut ceteros hominum esse jactans, justificare se voluit, alios contemnendo; cui tamen Dominus prætulit publicanum seipsum accusantem humiliter & alios non mordentem. Numquid æger si prudens fuerit, dicet medico, cur me curas? Quid ad tot infirmorum alibi laborantium medicinale studium non exerces? Nonne rectiùs ei dicet, gratias ago tibi, qui multis ægrotantibus curam mei specialem assumis? Scis autem quod licet à te incœpisse nos credas, jam ad plurimos misimus manum nostram principes & prælatos; quibus parcere non intendimus, ne silentio tam damnabili, quàm damnoso, eorum vitiis involvamur. Sed quid addis? Confiteris in quo jaces peccatum, sed procuras amotionem obstaculi; dum probare proponis te antequam cum nobili muliere TERESIA convenisses, ejusdem consanguineam in gradu tertio convenisse. Vide, fili, ne testes habeas, quales bonæ memoriæ comes Tolosanus produxit, ut à tua valeret amicitia separari. Quod si fortè præsumseris, in laqueum inestimabilem te involves; & si testes legitimi fuerint, excusabitur aliquatenus adulterium, & remanebit incestus. Adhuc adjicis, quod peccatum tuum potest per pœnitentiam dilui: quod concedimus, mœcha dimissa; sed quid facies interim semper servus manens diaboli, nullum habens cum Christo commercium, à sacramento corporis & sanguinis alienus? Quis certitudinem tibi dedit, ut possis cùm volueris confiteri. Eïa fili carissime, non tardes converti ad Dominum, & mulierem relinquere, quam in Dei contemtum ad tuum (a) contubernium admisisti. Alioquin scire te volumus, quod quantò sincerius te diligimus, tantò minus in salutis tuæ dispendium tuæ magnificentiæ blandiemur. Datum Viterbii v. Idus Februarii anno II.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

(b) J. Archiepiscopo Remensi.

Ut oppressam suam ecclesiam parsimonia relevet.

Anno 1267 FRaternitatis tuæ litteras lætantes recepimus, & licèt tua nobis placuerit excusatio, nihilominus erubescimus, quod ob nostrum & curiæ nostræ servitium tam enormiter tuam ecclesiam exhausisti. Satage, frater carissime, relevare sponsam tuam oppressam, parsimoniæ studio, salva tua in omnibus honestate, nec pompis sæculi delecteris, sed ad ædificationem animarum intendens, ad temporalia reformanda piam des operam consequenter, ut eisdem bene dispositis, spiritualibus eò plenius quo liberius valeas indulgere. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCXXXIX.

Dilectæ in Christo filiæ mulieri L. relictæ quondam Atreasbæ militis.

Novo ipsius matrimonio mittit benedictionem, liberorum curam ipsi commendat, & alia dat monita.

LItteras tuas vidimus, novum nobis conjugium nuntiantes: quod sua Dominus benedictione perfundat, & nos qui licèt immeriti vices ejus in terris gerimus nostram utique conjugii benedictionem transmittimus ad Dei gloriam & honorem. Tu verò, filia, quæ diu circa liberos laborasti, non te subtrahas eorumdem consilio, nam te dum vixeris indigebunt, qui licèt ab uberibus carnis tuæ dudum fuerint ablactati; cùm tamen multum sint teneri, adhuc proculdubio lactis indigent alimonia melioris. Assiste ergo salubribus monitis & consiliis melioribus, insta orationibus, jacta tuum in Domino cogitatum, vigilias & jejunia cum discretione prosequere. Confessorem elige quem volueris, cui damus audiendi confessionem tuam & à peccatis omnibus & ab excommunicationum sententiis absolvendi te auctoritate nostra plenam & liberam potestatem. Datum Viterbii III. Idus Februarii anno II. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXL.

Dilecto filio Nicolao capellano, &c.

Ut abbati Cassinensi in subsidium fidelium adversus Saracenos misso pecuniam tribuat.

ECce nostrum pulsavit auditum Sarracenorum Luceriæ præconcepta malitia, qua spiritu rebellionis præsumtæ partes regni sibi conterminas assidua, prout fertur, impugnatione concutiunt, insertis sibi quibusdam proditoribus solo nomine Christianis. Volentes igitur his malis occurrere, præsertim in carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris absentia, dilecto filio abbati Cassinensi viva voce præcepimus, ut acceptis secum ducentis militibus de Campania, illuc se conferat in subsidium Christi fidelium, & regni defensionem ejusdem. Quia verò propter viarum pericula pecuniam eis dare nequimus transferendam, discretioni tuæ, de qua fiduciam plenam gerimus, rogamus attentiùs, quatenus eidem abbati usque ad mille uncias auri, cùm à te eas petierit, subministres; quas ex nunc tradimus Bonaventuræ & ejus sociis mercatoribus & civibus Senensibus tuo nomine possidendas, & cui, ubi, & quando volueris assignandas. Hæc autem taliter implere studeas, ut negotium fidei quod habemus cordi, præ ceteris non tardetur. Datum Viterbii XV. calendas Martii anno II. Anno 1267

(a) Al. Concubinium.
(b) Johannis scilicet de Courtenay Roberti & Mathildis de Magduno filio.

EPISTOLA CCCCXLI.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit se ducentos milites adversus Saracenos de Luceria ducendos abbati Cassinensi commisisse, & regem absentem revocasse.

Anno 1267 AUditis rumoribus de Lucerianis, dilectum filium abbatem Cassinensem vocavimus in nostra præsentia constitutum; cui & fratri ejus archiepiscopo Neapolitano injunximus, ut ad te festinanter alter accederet; alter verò, abbas scilicet cc. milites de Campania in nostris stipendiis secum duceret, & cum eis ad tuam præsentiam se conferret, facturus quod eis duceres injungendum. Regem rursus nuntiis inculcatis per nostras litteras revocamus ad regnum, & speramus in Domino quòd hoc malum multorum erit bonorum occasio, quæ rectè non poterant aliter obtineri. Esto igitur constans, nec concidat vultus tuus, nec animus prosternatur. Omnia enim ad bonum venient exitum, ad laudem bonorum, & maleficorum vindictam. Datum Viterbii *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCXLII.

Dilecto filio Bertrando Albæ militi.

Ut per alios suâ cum rege Siciliæ promoveat.

Anno 1267 PEr Venerabilem fratrem nostrum Arelatensem archiepiscopum, vel per tuum sororium Marescallum (*a*) debes, fili, cum carissimo in Christo filio nostro C. illustri rege Siciliæ promovere quod per nos fieri postulabas, cùm nos non deceat super talibus regi scribere. Damus tamen tibi consilium, quod contra te eum non provoces, cujus semel amissa gratia de facili postea non habetur. Datum Viterbii vi. calendas Martii anno iii.

EPISTOLA CCCCXLIII.

Carissimo in Christo filio regi Siciliæ illustri.

De domibus, quas fratribus Prædicatoribus Capuæ & Salmonæ donaverat.

Anno 1267 GRaves admodum nostris omnibus, nec minus animo, tua credat serenitas, onerosas religionum pauperum contentiones & lites, quæ nonnullis suspicionem ingerunt, quod de multis multum contenderent, si multa licitè possiderent. Quæ quantum licuit circumcisè in illo modico, quod eisdem auferri fragilitatis humanæ necessitas non permisit, minus pacificè quàm vellemus, sese compati nostris temporibus, prout dicitur, incœperunt: quamquam in omni statu eas tenerrimè dilexerimus, & tandem ad majora provecti eis nos reddiderimus favorabiles & benignos. Sanè nobis per tuas litteras intimasti, quod cum Capuæ dilectis filiis fratribus Prædicatoribus locum quemdam restituendum duxeris, quem M. quondam Ecclesiæ persecutor eis abstulerat, dilecti filii fratres Minores in tua proposuerunt præsentia, quod locum eumdem dictis fratribus Prædicatoribus non licebat habere juxta nostræ provisionis indultum, cum ab ecclesia eorumdem trecentarum cannarum spatio non distaret: nec obstabat si forsan diceretur quod locum ipsum quem restitueras ante nostrum indultum fratres Prædicatores possederant, cum ab illo eum habuerint, qui nullum jus habuit conferendi. Adjecisti insuper in tuis litteris quod cùm in Sulmona eisdem fratribus Prædicatoribus locum qui capella & palatium regis dicitur, ab ipsorum fratrum Minorum ecclesia dicto spatio non distantem regia liberalitate contuleris, dicti fratres Minores postulant, ut revoces quod fecisti. Quia verò tua prudentia circumspecta, nos super his duxit, ut debuit, consulendos, consultationi tuæ breviter respondemus, quod donationem quam fratribus Prædicatoribus in Sulmona fecisti de rebus ad te jure regio pertinentibus, ratam volumus permanere, indulto hujusmodi non obstante. De his autem quæ Capuæ fratribus Prædicatoribus reddidisti, conqueri & contendere ad fratres Minores non pertinet, sed arbitrio tuo committimus, vel si tuæ placeat magnitudini, ibidem remaneant dicti fratres: alioquin quod à prædonibus habuerunt, tibi remaneat: ita tamen quod si semel sacer extitit dictus locus, nullatenus profanetur, sed divinis semper obsequiis maneat mancipatus. Datum Viterbii vi. Idus Martii anno iii.

EPISTOLA CCCCXLIV.

Dilecto filio S. titulo S. Ceciliæ, &c.

Ut possit admittere postulationem G. de Alvernia in archiepiscopum Viennensem.

VAcante ecclesia Viennensi per mortem bonæ memoriæ J. archiepiscopi ejusdem ecclesiæ, dilecti filii capitulum Viennense, dilectum filium G. de Alvernia præpositum Insulensem, tunc ad sacros ordines non promotum, in suum archiepiscopum & pastorem à nobis concorditer postularunt, prout nobis per litteras patuit eorumdem, & assertionem procuratorum ipsorum quos ad promotionem postulationis ejusdem ad nostram præsentiam destinarunt. Sanè licèt prædicta postulatio ex forma & tenore decreti nobis & nostris fratribus favore digna, si canonicum aliud non obsisteret, videretur: quia tamen idem postulatus plura beneficia videtur habere, quæ sine sedis apostolicæ gratia tenuisse non poterat nec tenere, postulationem eamdem non subitò duximus admittendam, & quamquam in hoc postea sit nobis adeo satisfactum, ut ei nec objici valeat non obesse; quia tamen in aliis tu melius scire potes quid expediat ecclesiæ memoratæ, quæ tali persona propter circumstantium principum & magnatum, qui ejusdem ecclesiæ oppido sunt infesti, malitiam multum Anno 1267 Guidonem

(*a*) *Al.* Debes illi cum.

dicitur indigere; discretioni tuæ de ipsorum fratrum consilio committimus, ut ipsius ecclesiæ utilitate & necessitate pensatis, auctoritate nostra, si videris expedire, postulationem admittens eamdem, de prædicto præposito Insulensi ecclesiæ memoratæ provideas & promotum, per singula ordinationum tempora successivè in episcopum per illos ex suffraganeis Viennensibus, quibus hoc duxeris committendum, eadem auctoritate facias consecrari. Quod si tibi forsan visum fuerat ex causis aliis non fore postulationem hujusmodi admittendam: quæ te ad istud moverint, nobis statim scribere non omittas, provisionem ejusdem ecclesiæ nobis hac vice reservans, & eidem capitulo interdicens ne procedant ad electionem postulatione quacumque. Nostra nihilominus auctoritate decernens irritum & inane, si quid secùs fuerit attentatum, administrationem bonorum & jurium archiepiscopalium personis idoneis de eodem capitulo in hoc casu committas, donec super his aliud duxerimus ordinandum. Datum Viterbii III. Idus Martii anno III.

EPISTOLA CCCCXLV.

Priori & conventui Silvinianensi.

Indulgentias concedit accedentibus ad translationem corporis S. Majoli.

Anno 1267 CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis priori & conventui monasterii Silviniacensis, Cluniacensis ordinis, Claromontensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Clara sanctorum merita, quibus catholicorum ecclesia conspectius rutilans, à sui primordio felicibus profecisse & jugiter proficere noscitur incrementis, à Christi fidelibus præcipua reverentia venerari, & fideles ipsos ad sedulam & solertem imitationem hujusmodi meritorum salubriter allicere cupientes, libenter eos spiritualium largitione munerum recreamus, quibus desideranter illecti, ad immarcessibilem sanctorum ipsorum gloriam obtinendam, laudabilibus exemplis & meritis perducantur. Cum itaque sicut ex vestrâ insinuatione accepimus, propter merita gloriosa sanctorum confessorum MAJOLI ET ODILONIS, quorum corpora in vestrâ ecclesiâ requiescunt, mirabilis Deus in sanctis suis, multa quotidie miracula operatur ibidem, propter quæ ad eamdem ecclesiam de diversis partibus, fidelium multitudine confluente, corpus prædicti S. Majoli ad alium locum ipsius ecclesiæ magis venerabilem, & decentem, intenditis cum debita veneratione transferri. Nos ut dictorum fidelium devotio spe desiderabilium præmiorum erga dictam ecclesiam augeatur, & ad hujusmodi translationis corporis dicti sancti solemnia, major populorum confluat multitudo: de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad dictam ecclesiam in die translationis sancti ejusdem accesserint, unum annum & quadraginta dies hac vice, illis autem, qui illic infra octo dies immediatè sequentes, & in anniversario die translationis ipsius venerabiliter & devotè accesserint, centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Viterbii secundo Idus Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

EPISTOLA CCCCXLVI.

Dilectis filiis capitaneo & patri Gelforum Florentinorum.

Commendat R. præpositum Florentinum.

LEvate capita vestra, quia redemtio vestra appropinquat, sitis tamen viri pacifici & in humilitatis spiritu divinæ gratiæ beneficium expectantes. Sanè dilectum Magistrum R. præpositum Ecclesiæ Florentinæ capellanum nostrum vestræ devotioni recommendantes obnixius, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus in his quibus vestro consilio indiguerit vel auxilio, vos eidem ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram tam fideliter quam viriliter assistatis. Datum Viterbii II. calendas Aprilis anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXLVII.

Dilecto filio Magistro B. præposito, &c.

Ut in rebus agendis prudenter se gerat.

TUæ prudentiæ diligentiam commendantes in omnibus, zeli tui fervorem providentiæ fræno reprimas, nec incipias aliquid quod te posse non æstimes (a) probabiliter consummare. Quod si tibi cessurum credis prosperè quod intendis, sic te decet in omnibus laborare, quod ordinis tui periculum non incurras. Verum illis quos credimus in tuis negotiis forè utiles (b) scribemus ut rogasti. Tu verò diligenter attende velut servus fidelis & prudens, quod amicorum sic utendum est opera, ut felix rerum exitus judicii præcipitio non turbetur. Tu tamen magis scire potes quid liceat, quid deceat, quid expediat; & idcirco, salvo statu intimo civitatis, quem nulla volumus nec velle te credimus ratione turbari, te in aliis tuæ prudentiæ duximus relinquendum. Datum Viterbii II. calendas Aprilis anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXLVIII.

Dilecto filio fratri Ar. priori provinciali Romanensis & priori fratrum Prædicatorum Florentiæ.

Ut possint absolvere ab excommunicatione eos qui non consenserunt receptioni capitanei Florentini.

CUm cives Florentini post juramenta de nostris mandatis implendis præstita, fidem Anno 1267

(a) Al. Probabiliter conservare. (b) Al. Scribimus.

A primam irritam facientes contra nostrum mandatum expressum per dilectum filium magistrum Eliam Capellanum nostrum inibi promulgatum, P. Bernardini civem Urbevetanensem in capitaneum nuper receperint, ob quam causam excommunicationis sententiam incurrerunt; discretioni vestræ committimus, quatinus vos vel alter vestrûm, omnes illos, qui suo juramento firmaverunt se capitanei receptionem ejusdem minimè procurasse, nec etiam procurantibus omnino voluntariè consensisse, à dicta excommunicationis sententia secundùm B formam ecclesiæ absolvatis. illos autem non omnino voluntarios intelligimus, qui timore potentiæ vicinorum receperunt eumdem, eum alias, si resistere potuissent, minimè recepturi. Eorum vero nomina quos absolveritis in scripturam fideliter redigatis, & nobis remittatis eamdem. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCXLIX.

C Ballivis, consulibus & communitati villæ Montispessullani.

Ne clericos exactionibus aut aliis indebitis processibus molestent.

Anno 1267

Ex tabulario domus communis Montispessulani.

Dilectis filiis bailivis consulibus & communitati villæ de Montepessulano Magalonensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

D Pervenit ad audientiam nostram, Venerabili fratre nostro Magalonensi episcopo intimante, quod ut deceret minimè attendentes, quod laïcis in personis vel bonis ecclesiasticis nulla est potestas attributa, clericos Magalonensis diocesis dugariis & parangariis & aliis exactionibus indebitis aggravatis, interdum quoque ipsos non sine sacrilegio ausu temerario, divino timore postposito & amore, capere & aliàs adversus eos procedere quandoque; insuper quod est gravius & intolerabilius, eos ad mortem E conamini condemnare. Quoniam igitur hujusmodi in derogationem evidentem cedunt ecclesiasticæ libertatis, quam tenemur pro viribus deffensare, universitatem vestram rogamus & hortamur attentè, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus inconsultos vestros ac indebitos in hac parte processus, prout convenit rationi, & idcirco pro nostra & apostolicæ sedis reverentia cohibentes, à clericorum ipsorum vexationibus & molestiis desistatis penitus F in præmissis: ita quod vestra devotio apostolicis, sicut dignè debet, beneplacitis reverenter obtemperans commendetur, nec nos qui libertati derogari prædictæ, vel damnum hoc nequaquam permittere volumus nec debemus, circa id provisionis modum excogitare alium compellamus. Datum Viterbii nonis Aprilis Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCL.

Dilectis filiis potestati, consilio, & universis civibus Florentinensibus.

Ut Siciliæ regem adversus Conradinum cum exercitu procedentem adjuvent.

Anno 1267

De radice colubri venenosus egressus regulus, suis jam inficit flatibus partes Tusciæ, viperarum genimina, viros utique pestilentes, & tam nostros quam vacantis imperii nec non & carissimi in Christo filii nostri C. Siciliæ regis inclyti proditores, suo concordes proposito, suæ voluntati conformes, ad diversas destinat civitates, ad viros nobiles, ad villas, & castrum transmittit; & per exquisita mendacia fimbrias suas magnificans, quosdam precibus, quosdam pretio à via nititur incessanter avertere veritatis. Hinc est quod tangimus quem notamus. Adolescens improvidus CONRADINUS FREDERICI nepos quondam principis Romanorum, tam à Deo quàm ab ejus vicario justo judicio reprobati, cujus organa sunt grandiloqua viri reprobi. G. novellus CONRADUS (*a*) Trincia & Conradus Capetia cum multis aliis, (*a*) qui nefandum hoc idolum in Tuscia moliuntur eligere, nec cessant, ut dicitur, clam & palam stipendiare Teutonicos, inire fœdera, conjurationes & pacta cum illis, qui pari scelere sunt polluti; quorum aliquis se vicarium ejus dicit, & in eam prolabuntur insaniam, ut & eum publicè regem nominent, & eumdem ad id induxerint, quod sigillo jam utens regio, regis Siciliæ sibi nomen usurpat. Sanè carissimus in Christo filius noster præfatus C. verus & unicus rex Siciliæ tantum opprobrium (*b*) sedem apostolicam, & suum æquanimiter ferre (*b*) non valens, citò vestram aditurus præsentiam; suæ partem præmittit militiæ ad hujus factionis auctores de (*c*) Tusciæ partibus expellendos, (*c*) & ut pacis exturbatores exturbet, & viros sobrios ac pacificos in multitudine pacis faciat delectari. Cum igitur idem rex tamquam pugil ecclesiæ singularis, in his omnibus nostra fretus auctoritate procedat, universitati vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatinus (*d*) sicut caram habetis nostram (*d*) gratiam, sic & ejus quos ad hoc destinat capitaneis consilium & auxilium in tam pio negotio impendatis. Regem enim eumdem è vestigio suam militiam secuturum in vestris partibus constituendum duximus (*e*) ad vestrum (*e*) beneplacitum paciarium generalem, ut dum vacat imperium, cujus tuitio ad eum pertinet, tam in vicino patrimonio nostro regno perversorum malitia nequeat lacerari, sed majores, mediocres & minores, propriis juribus, suique status honore contenti, alias discant potius justè & pie vivere quàm aliorum spoliis

(*a*) *Al.* Contritia & Cortandus Capetia.
(*b*) *Al.* Apud sedem apostolicam.

(*c*) *Al.* Tusciæ civitatibus expellendos.
(*d*) *Al.* Sicut coram habetis.
(*e*) *Al.* Ad nostrum beneplacitum vicarium generalem.

impinguari. Ceterum nullus timeat quod se faciat panciarium, quem paciarium nominamus; communem etenim cum omnibus esse volumus, qui vitam tranquillam eliget & quietam, & eidem obedient dum officio tali fungetur. Quod si malleus fuerit contumacium, non id nobis, non ei, sed ipsorum erit malitiis adscribendum. Datum Viterbii IV. Idus Aprilis anno tertio.

EPISTOLA CCCCLI.

Dilectis filiis potestati, capitaneo & ancianis populi Pisani.

Eorum de militia regis Siciliæ turbationem sedare conatur.

Anno 1267 TUrbatos vos fuisse scribitis in adventu militiæ carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ ab eodem in partes Tusciæ destinatæ; de nostra, ut asseritis, conniventia seu etiam voluntate, per quam dicitis terras aliquas deformatas; vel verius desolatas. Et cùm tantæ novitatis suspicio in discrimen totius provinciæ, amicorum nostrorum, (a) & vestrorum vergere videatur, vos exinde justo timore concepto, equis & armis & aliis necessariis gentem vestram instruitis, supplicantes ne vestrorum suggestio mentem nostram concutiat æmulorum, cùm hoc facere minimè proponatis in nostri vel regii derogationem honoris. Sanè perturbatum Herodem legimus & omnem Jerosolymam cum eodem, ortu Salvatoris audito, qui ante receptum tantæ novitatis judicium; Pilatum virum pessimum adjacenti provinciæ præsidentem, vel volens, vel dissimulans toleraverat; & vos quod pudet dicere, regis nostri catholici novam viciniam abhorretis, cùm MANFREDUM diaboli filium in ulteriorem familiaritatem admissum in vestrarum animarum perniciem olim duxeritis multipliciter honorandum? Verum ut vestris litteris, si non juxta scripturæ seriem, tamen ejus collecta sententia, responsum congruum refundamus, volumus vos advertere quam periculosè fundabatur in Tuscia perfidissima machinatio perditorum, quæ non in angulis delitescens, sed sub omnium oculis denudata, novum idolum jam expectat, CORRADINUM nominans sibi regem, castris imperii, immo cameris specialibus occupatis; & si illos amicos dicitis, scriptum esse noveritis, quod amicus stultorum similis efficitur eisdem. Si non illos amicorum nomine intelligitis, nescimus alios, qui per dictæ manum militiæ, status sui scripserint detrimentum; & hi quidem justè multorum judicio, quia factis digna recipiunt, digni recipere graviora. Quod fide nostra tacitè requiritis convenientia, vel prout adjicitis, voluntate; vestram prudentiam volumus non latere, quòd cùm ad regis supradicti notitiam pervenisset, quod fiebat in Tuscia, quorumque studiis aleretur, nobis secretius inA timavit quod contra omnes CONRADINI fautores, illuc mittere militiam proponeret, nisi nos aliud mandaremus, super hoc nostrum sibi postulans beneplacitum, operari. Quid ergo vos creditis fuisse nobis eo tempore respondendum? Numquid expediens fuit dicere ipsius nunciis, stet in pace, nec aliquo sibi provideat, donec pedes suorum hostium sint in regno. Ecce vobis providetis, ut scribitis; adhuc nemine vos tangente; & ipse tam crudeliter B imperitus & tactus, in regni nomen & titulum alio jam intruso, prohibendus erat à nobis inter ipsa malitiæ procedentis initia vires hostium enervare? Jam sui proditores & nostri apud Tuscos famæ celebris & magni nominis habebantur. Jam creatus erat vicarius inimicus à non ente, & verus & unicus rex Siciliæ dormire debuit, aut positis manibus sub acellis, tantæ nequitiæ, tantæ fraudis perniciosum exitum tacitus præstolari? Nos autem temporis & negotii circumstantiis evolutis, nec præcisè consu- C lere, nec omnino suadere volumus rem ambiguam, ne si forsitan sinistrum aliquid evenisset, nostræ posset imprudentiæ imputari. Sed nec ejus impedire propositum nobis placuit, ne manu malignantium roborata, regis damnum possit impingi. Suæ tamen eum relinquimus libertati, prædicentes pericula quæ utrimque poterant verisimiliter formidare. At si quæritis cur vobis aut aliis manifesta non fecimus, satis est in promtu responsio. Dicti namque regis arcanum nos cum ejus periculo minimè decuit publicare. Nec intelleximus nostram vel aliam D Tusciæ civitatem sibi ex aliquo privilegio vendicare, quod eamdem provinciam nulla debeat intrare militia, vobis aut aliis provincialibus inconsultis. Si verò vos vel alii privilegium hoc habentes, cur suppressum extiterit retroactis temporibus, cum militia plena Tusciam peragrabat, contra Deum & Romanæ Ecclesiæ & suorum subversionem fidelium non videmus. Et si dicitis quod de nostro fiebat assensu, vestram utique turpitudinem allegatis. Desinite E igitur turbari de Christianissimi regis excessibus, qui reformatum extimat quod esse creditis deformatum. Nos verò communibus oculis intuemur negotium, suam cuique, cum ad nos venerit, dante Deo, justitiam reddituri. Ad id quod ultimi de gentis nostræ instructione scribitis breviter respondentes, quod nec vobis prudentiæ viam claudimus, nec si cum impiis vos involverit, indemnitatem aliquam pollicemur. Si tamen, prout alias spopondistis, amicitiam regis quæritis, ad eam, prout vobis expediet, F acquirendam libenter dabimus opem & operam, & si Deo placuerit efficacem. Datum Viterbii VI. calendas Maii anno III.



(a) Al. Et omnium.

A

EPISTOLA CCCCLII.

Ad Superiores Monasteriorum.

Ne impuberes ad habitum religionis admittant.

Anno 1267 DIlectis filiis universis abbatibus & abbatissis, necnon prioribus & gardianis, ceterisque fratribus Prædicatorum & Minorum, & conventibus monasteriorum & aliorum locorum religiosorum de Montepessulano, & ejusdem suburbiis, Cisterciensis, Præmonstraten sis, seu cujuscumque alterius ordinis Magalonensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

In superni patris obsequio constituti, devotam habere tenemini considerationem ad ipsum, ut animarum salutem potius quàm temporalia commoda quærere vestra devotio dignoscatur. Sanè miramur & meritò, quod, sicut ad nostrum pervenit auditum, nonnumquam pueros & puellas impuberes, consideratione bonorum quæ habituræ essent, si in sæculo remanerent, trahitis ad suscipiendum habitum regularem, quod non omninò censetur honestum; sed videtur potiùs quædam simulata species honestatis. Ne igitur in his Deum contingat offendi, aut famæ vestræ religionis in aliquo derogari, nolumus, & auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne aliquorum filios familias vel alios impuberes tutores habentes absque voluntate parentum & tutorum suorum ad suscipiendum prædictum habitum in monasteriis vestris admittatis; ita quod exinde nequeatis rationabiliter ulterius reprehendi. Datum Viterbii v. calendas Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

EPISTOLA CCCCLIII.

Venerabili fratri Episcopo Magalonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Anno 1267 AD nostrum pervenit auditum, quod quidam Johannes Luciani de Montepessulano, de quibusdam suis possessionibus eo modo in ultima voluntate disposuit, ut illi qui possessiones obtinent easdem, lectum congruè paratum haberent, in quod deferrentur ad sepulturas corpora pauperum deffunctorum. Quidam verò licèt dictas possessiones detineant, tamen hujusmodi lectum juxta testatoris dispositionem exhibere contemnunt in suarum periculum animarum. Ideóque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, detentores possessionum earumdem, quod in hac parte prædictam dispositionem observent, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, per te vel per alium appellatione remota compellas. Datum Viterbii III. calendas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLIV.

Abbatissæ & conventui Montispessulani ordinis S. Claræ.

Indulgentias concedit earum ecclesiam in festo S. Damiani visitantibus.

DIlectis in Christo filiabus abbatissæ & conventui monasterii sancti Damiani de Montepessulano, ordinis S. Claræ, Magalonensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1267

B

Licèt is de cujus munere venit, ut sibi à fidelibus suis dignè ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ merita supplicum excedit & vota, bene servantibus multò majora tribuat quàm valeant promereri: nihilominus tamen cupientes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam illectoriis præmiis, & indulgentiis scilicèt & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia monasterii vestri in honorem S. Damiani constructa congruis honoribus frequentetur; omnibus Christi fidelibus jure pœnitentibus & confessis, qui eamdem ecclesiam per octo dies post ejusdem sancti festum immediatè sequentes annis singulis visitaverint reverenter, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Viterbii III. calendas Maii, Pontificatus nostri anno III.

C

D

EPISTOLA CCCCLV.

Dilectis filiis abbatibus, prioribus (*a*) archipresbyteris, &c.

E

Destinatum ad Urbem pro reliquiis inquirendis capellanum commendat.

ATtendentes sanctorum merita, quorum suffragiis indigemus, pro ipsorum reliquiis requirendis, Magistrum Bn. subdiaconum & capellanum nostrum ad Urbem, & partes circumadjacentes duximus destinandum, universitati vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus in his quæ circa illas à nobis ex parte nostra requisierit, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, erga ipsum sic favorabiles reddatis, quod nos id gratum habentes devotionem vestram proinde commendare possimus. Datum Viterbii (*b*) III. calendas Maii anno III.

F



(*a*) *Al.* Archiepiscopis. (*b*) *Al.* Calendas *Maii*.

EPISTOLA CCCCLVI.

Episcopo & capitulo Magalonensi.

Ne de glenis pauperum clerici decimas exigant.

Anno 1167 VEnerabili fratri episcopo & dilectis filiis capitulo Magalonensi salutem & apostolicam benedictionem.

In villa Montispessulani, sicut accepimus, sæpe contingit, quòd rectores & clerici ecclesiarum loci ejusdem ad extorquendum de glenis à pauperculis decimas notabiliter avidas interdum manus extendunt. Unde cùm hujusmodi decimæ in Christi cadere debeant portionem potiusquàm captandi lucrum sint totaliter extorquendæ; volumus & per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus super his decenter providere curetis, quòd justitia non lædatur, honestatis servetur debitum, nec pietatis officio derogetur. Datum Viterbii v. nonas Maii Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLVII.

Nemausensibus & Bitterrensibus civibus.

Ut ad constructionem pontis super fluvium Levi manus conferant adjutrices; elemosynas erogantibus indulgentias concedit.

Anno 1167 UNiversis Christi fidelibus in Magalonensi, Nemausensi, & Biterrensi civitatibus constitutis salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, prout in corpore gessimus sive bonum fuerit, sive malum recepturi, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligamus in cælis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cùm itaque sicut accepimus super fluvium Levi, ubi dictum *Vadum juvenale* in territorio de Montepessulano Magalonensis diocesis, quidam pons valde necessarius inceperit ædificari de novo structura operis sumtuosi, nec perfici commodè valeat, nisi super hoc per elemosynarum largitionem inibi manus auxilii porrigatur. Universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de donis vobis à Deo collatis pias ibidem elemosynas & grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus prædictum consummari valeat, & vos per hoc & alia bona quæ Domino inspirante feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire, nos de ejusdem omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus inde pœnitentibus & confessis, qui ad hoc manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus, præsentibus post triennium minimè valituris. Datum Viterbii IV. nonas Maii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLVIII.

Dilecto filio (*a*) Lugdunensi electo.

Increpatum de negligentia sacros ordines suscipiendi, mandat ut prælatum agat; aut episcopatui cedat.

NOsti quantum & quam pacificè sustinuimus negligentiæ tuæ defectum, qui dudum ad sacros ordines debuisses ascendere, & munere consecrationis obtento, intendere diligentiùs saluti crediti tibi gregis. Sanè quod tanta patientia prærogata, tot apostolicæ sedis gratiis inculcatis, ulterius pati nolumus animarum dispendia, quæ pastoris diu regimine caruerunt, non ex odio, sed ex vera dilectione processit, quàm sic ad te habere volumus, ut utilitatem multorum nudo tuo beneplacito præferamus. Cum igitur in duarum viarum capite dudum steteris, tempus est ut in altera te stabilias; nec ancipiti volvaris proposito, sed vel à modo prælatum impleas, vel Ecclesiæ Lugdunensi amplius non illudas. Nos verò suspensionis sententiam, quam in te olim tulimus, ad tempus prorogavimus ad preces venerabilis fratris nostri H. episcopi Ostiensis. Datum Viterbii III. nonas Maii anno III. Anno 1167

EPISTOLA CCCCLX.

Dilecto filio S. tituli S. Ciciliæ presbytero cardinali legato Franciæ.

Laudat eum quod executionem testamenti episcopi Belvacensis suspendisset, mandatque ut legata ab eo x. millia librarum in subsidium terræ sanctæ instruendis navibus impendat.

DE multorum admiratione miramur, qui rationis judicium non sequentes, sed legem sibi statuentes ad libitum contra tuam, ut dicitur, providentiam murmurarunt, quam commendare potiùs debuissent dum executionem testamenti bonæ memoriæ G. Belvacensis episcopi præcepisti suspendi, donec super ea responsum apostolicum habuisses. Sanè qui totiens audierunt, qui in suis legerunt codicibus, quibus sit finibus tam prælatis quam clericis limitata potestas de suis (*b*) peculiis in supremæ voluntatis judicio disponendi, quid objicere tibi valeant non invenient. Qui si forsitan adjuvare consuetudine se voluerint, an sit rationabilis deberent inspicere, an rectiùs Anno 1167

Guillelmi de gressibus.

(*a*) Philippus à Sabaudia ex Valentinensi electo Lugdunensis etiam electus est anno. 1254. diuque episcopatus nullo suscepto sacro ordine diutissime tenuit, sed tandem utrumque reliquit factus Sabaudiæ comes: & ducta Alcide Burgundiæ comitissa, ex qua nullis liberis procreatis, defunctus est 1285. apud Altamcumbam ordinis Cisterciensis monasterium sepultus.

(*b*) *Al.* Ecclesiis.

corruptela dicenda, ut cuidam hujusmodi A obtentu contra sanctiones canonicas non sua distribuere, legare liceat aliena. Verum nihil ad præsens super hoc diffinire volentes, de speciali gratia ejusdem episcopi voluntatem, quam nobis acceptabilem faciunt testatoris devotio, & tot congesta opera pietatis, plenè volumus executioni mandari. Tu verò de illis x. millibus Turon. quæ subsidio terræ sanctæ reliquit, cum aliis adminiculis quæ occurrerunt, galeas institutas in ejusdem succursum celerius destinandas. (a) Datum Viterbii (a) nonis Madii anno III.

EPISTOLA CCCCLX.

Consulibus & universitati Montispessulani.

Ut pro privatorum delictis non possint interdicto supponi.

Anno 1167

DIlectis filiis consulibus & universitati villæ C Montispessulani Magalonensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Quanto pleniori studio sedem apostolicam vestra devotio reveretur, tantò benigniùs & favorabilius nos in iis quæ dignè cupitis exaudimus. Lecta coram nobis siquidem vestra petitio continebat, quod sæpe contingit pro privatarum personarum villæ Montispessulani Magalonensis diocesis delictis, non solum in ipsas privatas personas, quæ nec ejusdem villæ dominium obtinent, nec ullum gerunt publicæ D administrationis officium in eadem, ob earum delictum seu contumaciam suspensionis vel excommunicationis sententias promulgari: unde etiam præfatam villam supponi ecclesiastico interdicto in aliorum gravamen, qui delicti hujusmodi fautores seu participes non existunt, nec alias culpabiles in prædictis; super quo salubre adhiberi remedium per apostolicæ sedis providentiam humiliter postulastis. Nos igitur attendentes, quod illos pœna tenere non debet, quos à culpa reddit innocentia excusatos, ne pro delicto vel contumacia hujusmodi pri- E vatarum personarum memorata villa ecclesiastico interdicto supponi valeat, dummodo tam vos quàm loci dominus non sitis in prædictis culpabiles; seu negligentes, vel remissi in exhibenda super eisdem justitia, auctoritate præsentium districtè inhibemus: quod si contra factum fuerit; vos ad observationem interdicti hujusmodi non teneri, præsentibus post triennium minimè valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis & constitutionis infringere, vel ei ausu F temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii nonis Maii, Pontificatus nostri anno III.



(a) *Al.* II. Nonas.

EPISTOLA CCCCLXI.

Dilecto filio G. tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Laudato ipsius zelo, eum à legatione revocat.

MUlta nobis de Dacia, non pauca de Germania referuntur, quæ mentem nostram non levi, sed mediocri ratione concutiunt, quæ te ferre molestius (b) æstimamus, qui cernis co- B minùs & palpas jugiter multo tempore jam expertus ferocitatem gentium, quæ in suis erroribus plusquàm eis expediat solidatæ, nec increpationem recipiunt, nec salutem. Sanè cùm tibi Dominus cor docibile dederit ab infantia, & ex domo Dei proficiens, doctus à Domino plures docueris vacillantes, plurimos confirmaverit manus tua; materiæ vitium non artificis æstimamus, sinon quantum conceperas apud illos ad quos missus exstiteras profecisti. Nam & ille qui quandoque pugnavit ad bestias, sibi semper proficiens proficere voluit; sed non valuit apud omnes: ei tamen non defuit approbati laboris meritum, qui ex fide negotium prosequens, quod susceperat peragendum, fecit quod potuit, de contingentibus nihil omittens. Tempus igitur arbitrantes à tuis laboribus requiescendi, ad eum qui te misit à modo revertaris. Discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus tua, ut poteris, commoditate servata, ad nostram præsentiam accedere non postponas, unà cum tuis fratribus quotidiana apostolicæ sedis onera portaturus, quæ causis variis confluentibus, sic nos angunt, ut moram tuam in curia longè magis credamus utilem, & longè pluribus fructuosam. Datum Viterbii VIII. Idus Maii anno III.

Anno 1167 (b)

EPISTOLA CCCCLXII.

Carissimo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei quæ Siciliæ regi dederit monita, Francorum regem cum multis nobilibus cruce-signatum fuisse, ac se aliquibus ecclesiis providisse.

NUncium tuum tenuimus, ut moræ fructum quem carissimus in Christo filius noster C. rex Siciliæ illustris in nostra fecit curia rescribere tibi certius valeamus. Sciat autem tua fraternitas, quod intellectis ab olim pluribus, quæ in status tui discrimine vergere videbantur, eumdem monuimus diligenter, ut & nobis & sibi providens, ea consultiùs emendaret; alioquin eversionis periculum non immeritò poterat formidare; inter quæ expressimus ea, sibi verbo commendantes & scripto, ut videlicet ad restitutiones injunctas sibi, vel in posterum indicendas facilem & benevolum se præberet, justitiam faceret in regno servari, officialibus certa salaria constitueret, ultra illa Anno 1167.

(b) *Al.* Excusamus.

quicquam

recipientes juxta ipsorum merita seu demerita in aliorum puniret exemplum, stipendiariis debita solveret, ab eisdem regnicolas concuti non permitteret, domum suam disponeret, officiales singulos officiis suis uti sineret, nec promiscuis actibus usum confunderet eorumdem, singulis suis quæstum sub æquo moderamine limitaret, sapientium consiliis acquiesceret, suæ prudentiæ non innitens, expensis inutilibus parceret, temporibus competentibus super eis rationem audiret, adibilem & affabilem pro loco & tempore subditis & legatis ad eum venientibus se præberet, prælatis quos ad suum vocabat consilium certa vadia constitueret, libertatem ecclesiasticam tam ecclesiis quàm ecclesiarum hominibus conservaret, jura suorum libera esse sineret, nisi forsan personarum suspicio aliud suaderet, à collectis indebitis & albergis omninò abstineret, probis demum militibus & fidelibus servientibus terras daret, qui servire tenerentur eidem eò fidelius & instantius, quò non ejus dumtaxat, sed suum negotium prosequi tenerentur. Hæc & alia ei diximus, non sub tali epilogo, sed intelligibiliter & diffusè; ad quæ omnia brevè respondens, proficere sibi suisque poterit, si fecerit quod spopondit. Sanè circa restitutiones, quæ nimis dilatæ sunt, faciendas, non ut tuo derogemus honori, sed ut onera relevemus, certas personas citra Farum duximus destinandas; & tu interim in Sicilia facias quod incumbit. Scire rursum te volumus, quòd in die Annunciationis Dominicæ carissimus in Christo filius L. rex Francorum illustris cum tribus filiis suis, P. J. & P. crucem assumsit, & cum eo Atrebatensis, Britanniæ, Flandriæ, Augi & quidam alii Comites, Barones, & milites alii in magno numero, qui per Dei gratiam de die in diem augetur. Tempus autem passagii nondum scitur; sed subsidium militum ad terræ sanctæ sustentationem interim destinatur. Prædictus rex Siciliæ potestariam Florentiæ & quarumdam aliarum terrarum in Tuscia usque ad calendas Januarii; & inde usque ad VI. annos recepit, & jam multum depressa est potentia Gibellina. (a) Bethlemitanum episcopum quondam ad ecclesiam Cusentinam transtulimus. (b) N. Remensem canonicum in Tranensem, in Acherotinam fratrem Laurentium, Petrum Romani seu de Surrentino capellanum nostrum posuimus in Sorana; ad montis regalis ecclesiam Corinthiensem duximus transferendum, nec de nostra disputes conscientia, quia sana fuit & integra in hac parte, sicut ex altera inclusa præsentibus tibi fieri poterit manifestum. Super ecclesia Cassinensi tuæ satisfaciemus voluntati, & de quibusdam aliis tibi scribemus id quod credimus expedire. Datum Viterbii (c) VI. Idus Maii anno III.



(a) *Al.* Beteamitanum.
(b) *Ita omnes mss. uno excepto Colbertino, qui legit* N. Tarsensem episcopum in Tranensem. (c) *Al.* VII. Idus. *Al.* VIII. Idus.

EPISTOLA CCCCLXIII.

Episcopo Lincolniensi.

Increpat eum quod regis secreta pandat, mandatque ut pacem procuraturus ad suam revertatur ecclesiam.

SUadente dilecto filio nostro O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato; deliberandum duxeramus circa tuum negotium, quid Deo placeat, quid requirat justitia, quidque demùm misericordia patiatur. Sed ægrè non immeritò ferimus, si veritatem habent, quæ relata sunt nobis, quod videlicet in Franciam veniens cum carissimi in Christo filii nostri illustris regis Anglorum hostibus conventicula frequentare non times, & ejusdem regis secreta pandere non vereris; dasque eisdem de tuis aliquos, per quos possint in Anglia, quæ per se nequeunt, seminare. Non hæc facta misericordiam postulantis, sed in se potius severitatem judicis provocantis. Quonam pacto illos familiares habeas, quos à corpore præcisos Ecclesiæ non ignoras? Quomodo picem tangere valeas & ab ea non infici non videmus? Licèt autem persuasum sit nobis, quod sicut in Franciam, sic ad nostram venire præsentiam sine magna difficultate valeres: tuo tamen adhuc parcere labori volentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus à malo & à spe mali, prout decet & expedit, abstinens in præmissis, sine moræ diffugio ad ecclesiam propriam revertaris, desque quam poteris opem & operam ad honorem regis & regni statum pacificum procurandum. Datum Viterbii V. Idus Maii anno III. Anno 1267.

EPISTOLA CCCCLXIV.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Suspensum se habere Lincolnensis episcopi negotium; regem Siciliæ Tusciam intrasse scribit.

VEnerabilis fratris nostri Lincolnensis tenebimus in suspenso negotium, donec Londoniensis, Vintoniensis, Cicestrensis episcoporum negotia fine debito terminemus; quod sine causa non faciemus; sed ut dissimilium conditionum personis inferamus diversa stipendia meritorum. Sanè noveris carissimum in Christo filium nostrum C. regem Siciliæ illustrem venisse Viterbium, & ibidem super multis articulis magnum nobiscum habuisse tractatum, cujus finem tibi non possumus indicare, donec certior habeatur. Intravit tamen Tusciam & Florentiam, atque Pratum. Assumserunt eumdem in potestatem usque ad calendas Januarii, & inde ad VI. annos. Idemque Pistorium faciet. Magna verò de CORRADINO finguntur, quæ licèt non omninò velimus contemnere, nullam tamen in eis invenimus adhuc Anno 1267.

substantiam veritatis. Datum *ut supra in proxima*.

EPISTOLA CCCCLXV.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Permittit ei ut Maliensi & Cassinensi ecclesiis pastores provideat.

Anno 1267 DE fraternitatis tuæ providentia, quam ab olim probavimus, certis indiciis plenius confidentes, tenore præsentium concedimus & committimus (*a*) Maliensi & Cassinensi ecclesiis cathedralibus de personis quas idoneas æstimaveris providere auctoritate valeas in episcopos & pastores, & eis quas præfeceris munus consecrationis impendi, in possessionem ecclesiarum ipsarum per te vel per alium eadem auctoritate inducturus easdem & tuiturus inductas. Datum Viterbii (*b*) Idibus Madii anno tertio.

EPISTOLA CCCCLXVI.

Dilectis filiis universis Ecclesiæ Romanæ fidelibus per Ducatum Spoletanum & Anconitanam Marchiam constitutis.

Detegit eis Firmanorum proditiones.

Anno 1267 NOn vos decipiant Firmanorum mendacia, non L. dicti Theopoli, qui cæcus dux cæcorum effectus, eos secum traxit ad foveam, in profundo malorum veniens cum eisdem. Simulator quidem & callidus idem ductor, verusque seductor carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ circumveniens, se admitti ad ejus consilium procuravit, cujus fraudem ipsi regi deteximus, ut consultius à se abjiciat hominem pestilentem & apostolicæ sedis ac nostrum capitalem ac publicum inimicum: qui nobis, prout debuit, tam benignè quàm devotè respondit, quod personam hujusmodi nobis justa ratione suspectam indignam familiaritate regia judicabat. Nos igitur tam ipsum L. quàm Firmanos Romanæ Ecclesiæ pessimos proditores apertè dicimus, & manifestè testamur nostros publicos inimicos, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ad dilecti filii nostri S. tituli S. Martini presbyteri cardinalis apostolicæ sedis legati mandatum, sicut viri potentes & fideles Ecclesiæ filii, in eosdem viriliter insurgatis, quorum bona mobilia, dum in sua perstiterint contumacia, vobis exponimus auctoritate apostolica, eorum qui eadem occupaverunt usibus & dominio applicanda. Personarum tamen (*c*) mutilationem aut cædem nec quærimus nec appetimus, quarum vitia sic persequimur, ut salutem animarum & corporum in ipsius persecutionis instantia sitiamus. Datum *ut supra*.

(*a*) *Al.* Massanensi. *Al.* Malcensi. *Al.* Maltensi.
(*b*) *Al.* vi. Idus. (*c*) *Al.* Multitudini.

EPISTOLA CCCCLXVII.

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Proponit ei matrimonium contrahendum inter filiam suam, & H. filium regis Castellæ, hortaturque ad transfretandum in terræ sanctæ subsidium.

ESse in curia nostra noveris dilectum filium H. filium claræ memoriæ F. regis Castellæ illustris, quem carissimus in Christo filius noster C. rex Siciliæ illustris, sub spe tenet vel in terra sua vel juxta (*d*) providendi eidem, quamquam nobis esset acceptius, quòd à laribus propriis non se penitus elongaret. Anno 1267 Sanè super ea quæ magnificentia tua scripsit, locuti fuimus ei secretiùs, quod cum multa gratiarum actione suscipiens, non reputavit id adeo validum ut à rege Siciliæ multa sibi spondente sub incerto spei propositæ crederet recedendum: quia tamen, ut credimus, non fiet subitò quod à rege promittitur eidem, H. prudens & strenuus ad natale solum esset revocandus omninò, nec est aliquis quem melius filiam tuam deceat, ut videtur. Cogita fili carissime, negotiari prudenter, & illam pro te & carissimo in Christo filio nostro rege Castellæ illustri procura mittere certitudinem, quæ eumdem possit allicere & ad propria revocare. Verùm dudum audivimus quem & quantum affectum habes ad subsidium Terræ sanctæ, ad quem carissimus in Christo filius noster illustris rex Francorum intendens, signum crucis vivificæ cum tuo genero & filiis aliis duobus assumsit, multum desiderans te habere consortem. Sed & nos plurimum idem affectamus, quia nullus utilius, prout credimus, transfretaret. Sed dum orbem undique circumspicimus, unde tibi subsidium competens ministremus, invenire non possumus. Levandam siquidem vicesimam redituum ecclesiasticorum decrevimus de terris populi christiani in cismarinis partibus constitutis, exceptis Angliæ, Franciæ, Hispaniæ, & Hungariæ regnis, quæ aliis sunt prægravata. Nec scimus, an in terris aliis nostrum propositum assequamur; tum quia guerris variis affliguntur, tum quia si barones eorum cruce signari contigerit, eos præferri in terris propriis circa subventionem hujusmodi personis exteris oportebit. Quocirca tua sciat sinceritas quod certum promittere non possumus, sed si nobis occurreret, vel aliquatenus eveniret, id libentissimè faceremus. Datum Viterbii Idibus Maii anno III.



(*d*) *Al.* Providebit.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

Venerabili fratri Patriarchæ Hierosolymitano apostolicæ sedis legato, & dilectis filiis hospitalibus, & Templi sacræ militiæ Teutonicorum magistris, nobili viro de Serginis, & aliis Christi fidelibus ac defensoribus Terræ sanctæ.

Ut regi Armeniæ ferant auxilium.

Anno 1267 CUm carissimus in Christo filius noster rex illustris Armeniæ, Domino permittente, qui quotquot recipit filios corrigit & castigat, per Babilonici furorem exercitus attritus graviter fuerit & oppressus, & sit eò digniùs in suis necessitatibus adjuvandus, quò ad nostram tuitionem se reddidit hactenus promtiorem: vestram devotionem hortandam duximus & attentius obsecrandam, quatinus salva terrarum vestrarum custodia, omne consilium & auxilium quod poteritis impendatis eidem, ad terram suam, si opus fuerit, & tam ei quàm dilecto principi Antiocheno ad civitatem Antiochenam contra inimicos fidei deffendendam. Datum Viterbii XVI. calendas Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXIX.

(a) Viro magnifico (a) P. imperatori Græcorum illustri viam agnoscere veritatis.

Hortatur ut ad ecclesiæ gremium rediens, Terræ sanctæ ferat subsidium.

Anno 1267 SI pressuris compateris Terræ sanctæ, si carissimi in Christo filii nostri regis illustris Armeniæ, prout scribis, damna deploras; tuum in hac parte commendamus affectum; quem propensius utique laudaremus, si affectui responderet effectus. Ecce siquidem si ex animo crucis persequeris inimicos, tempus imminet satis proposito tuo congruum. Jam quidem carissimus in Christo filius noster L. rex Francorum illustris cum filio primogenito & duobus sequentibus crucis se caractere insignivit cum multis comitibus & baronibus, militibus & plebeis. Et ne tantum negotium perfunctoriè prosequi videatur, illud duxit longo præsidio fulciendum, tres filios jam adultos, sed multum juvenes secum ducens; ut si divina forsan ordinatio ex eis aliquem in præsenti peregrinatione subtraxerit, supersint alii qui velint & valeant rem inceptam feliciter cursu prospero consummare. Sanè totum occidentalem populum excitamus, qui tam nostris hortationibus, quàm Francorum provocatus exemplis, ad opus simile se accingit. Si ipsis ex uno latere impugnantibus Agarenos, tu ex altero certare volueris contra ipsos, ex propinquo jam poterunt inimici crucis & fidei, sectæ suæ pestiferæ præstolari ruinam. Quod si dicis te timere Latinorum incursum, si terram quam possides, ducto tecum exercitu, nudam relinqueres, & quasi penitus immunitam, non est longè quærenda responsio. Nam in te est terrorem hujusmodi à radice præscindere, si ad Romanæ Ecclesiæ rediens unitatem, ejus consiliis salutaribus acquiescens, proferendis rigore justitiæ temperato mandatis humiliter obedire volueris. Nec tuæ potest excusationi proficere, quod scripsisti prælatis scilicet & clero, non tibi vel tuo populo impingendum, si nobis obedientia debita non impenditur ab eisdem; cùm certò certius habeatur quod tu in prælatos & clerum longè majorem quàm deceat obtines potestatem, quibus etiam contra Deum & omnem justitiam in errore hujusmodi credere non deberes, sed eosdem tamquam schismaticos evitare, si coercere adeo non valeres. Ceterùm cùm tenore præsentium, quem postremum misisti magnitudinis tuæ legatum tibi remittimus satis celeriter expeditum. Primum autem apocrisiarium Logothetam virum providum & prudentem, invitum non tenuimus, sed (b) ultroneum & nostros apocrisarios expectantem quos in brevi cum ipso ad tuam celsitudinem transmittemus. Datum Viterbii XVI. calendas Junii anno III. (b)

(a) Michaëli Palæologo, qui tunc Græcorum imperium à latinis recuperaverat. Codex Colbertinus hanc epistolam inscribit, *Petro imperatori*, &c.

(b) *Al.* Ystrionem.

EPISTOLA CCCCLXX.

Carissimo in Christo filio regi Armeniæ illustri.

Ipsius calamitatibus compatitur, atque auxilium ex parte præsertim regis Franciæ promittit.

INjunctæ nos excitat servitutis officium, doctrina nos ammonet apostolica, ut ex paternæ compassionis affectu infirmemur cum infirmantibus, & cum scandalisatis uramur, quod in tuis calamitatibus, fili carissime, nuper plusquam vellemus experti, salvo tamen in omnibus divinæ beneplacito voluntatis, cui nos decet nostram in omnibus conformare. Casu (c) liberorum tuorum, excidio tuæ gentis, ac depopulatione auditis in multa cordis amaritudine, regiæ majestati compassi, damnaque tua, totius populi christiani jacturam recto judicio deputantes, flendum credimus esse cum flentibus, consolationis divinæ benivolum expectantes solatium, qui post tempestatem tranquillum facit, & post mœrorem & lacrymas exultationem infundit. Scimus quidem quod & tota profitetur ecclesia, etiam te transmarinum Latinum populum ex variis nationibus inibi congregatum, diversis pro tempore liberásse præsidiis, te civitatis Antiochensis civibus in suis necessitatibus astitisse, te crucis hostibus viribus restitisse, ceteris omnibus nationibus Francorum amicitias prætulisse, te sedis apostolicæ preces & monita seu mandata cum omni reverentia suscepisse. Quis (c)

(c) Quippe unus liberorum necatus, alter fuerat captus, ac tota ipsius ditio vastata.

igitur præstolari non debeat ejus tibi misericordiam affuturam, qui super te tot & tanta flagella multiplicans, tuam voluit examinare constantiam, ut eò purior exeas de fornace, quò flamma fueris acerbiore purgatus. Sanè tuis & totius Terræ sanctæ pressuris, quas tuæ continent litteræ magnitudinis, intellectis, reges & principes & totum populum cismarinum ea qua decuit diligentia paternis monitis excitavimus ad vindicandas injurias Crucifixi & ecclesiæ, per Dei gratiam excitationis nostræ primitias fecit Dominus & exhibuit gloriosas: nam in festo Annunciationis Dominicæ jam transacto carissimus in Christo filius noster & Regi regum omnium devotissimus L. rex Francorum illustris (a) crucis humiliter accepit signaculum, & ejus primogenitus ac duo sequentes filii cum eodem, & alii multi in ipsa hora cum ipso, quorum tibi nomina mittimus in quadam sedula præsentibus litteris interclusa; qui se omnes ea die ad sui Redemtoris opprobria redimenda, viriliter ac potenter armarunt, qua in mundum venire voluit Dei filius homo factus & homines redemturus. Verùm post tot magnos & strenuos, quos ad crucis obsequium peperit dies illa, dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato crucem in regno Francorum prædicante, fit in regno (b) commotio generalis. Certatim barones occurrunt, milites & plebeis, & jam exsurgit magna pars Alamanniæ, jam consurgent & aliæ regiones exemplis tam sublimibus provocatæ. Quem enim non commoveat regis Francorum exemplum, qui laborum & sumtuum, quibus extitit in Terræ sanctæ finibus prægravatus, quasi prorsus oblitus, nunc novus & recens athleta, Domini campum intrat certaminis, & ne forsitan pugnaturus credatur ad horam, filios ducit? Crede, fili, non humani, sed divini consilii opus est, quod audis. Jam quidem aliorum regum intentionem audivimus, qui ad idem totis viribus aspirant, infra breve tempus conceptum, ut credimus, & speramus, pium propositum opere completuri. Leva igitur ad cælum oculos, auxilium imminens patienter exspecta, particulari subsidio interim distinando, quo terra valeat sustentari. Nec te tuosve terreat malè solida Babilonici Soldani superbia, quam ad tempus ascendere permisit Dominus, ut elatum allideret gravius; & fidelem populum humiliari voluit, ut gloriosius exaltaret. Demum apocrisiarios tuos benignè recepimus, & tuæ devotionis munera gratiarum actione prosequimur, tuis petitionibus quantum licuit & decuit exauditis. Datum Viterbii *ut supra.*



EPISTOLA CCCCLXXI.

Dilecto filio S. Tituli S. Ceciliæ, &c.

Novam ei in Franciam legationem tribuit, pluraque ei de Terræ sanctæ negotio, & de rebus Italiæ scribit.

Licèt tua præsentia multùm nobis esset accepta, & Romanæ Ecclesiæ pro negotiis emergentibus admodum fructuosa: quia tamen crucis negotium universis & singulis aliis servus debet præponere Crucifixi, novam tibi legationem, ob causam hujuscemodi in regno Francorum duximus concedendam, figentes ancoram spei nostræ in omnium Redemtore, de cujus bonitate præsumimus, quod sicut liberationem regni Siciliæ per tuum ministerium adjuvit plurimum, & adjutum feliciter consummavit; sic & istud quantiscumque prolixitatibus involutum, ad sui gloriam nominis attinget fortiter, suaviterque disponet. Sanè dilectum filium G. in Parisiensi ecclesia archidiaconum, & H. de Consentiis militem carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francorum Marescallum, suos ac tuos nuncios benignè recepimus, diligenter audivimus, & gratiosè remittimus expeditos, tantam eidem regi in regno suo, & in quibusdam regionibus adjacentibus gratiam facientes, ut aut nihil supersit, aut parum quod aliis facere valeamus. Illud autem tuam prudentiam scire volumus, quod in nostrum non cadit animum de perpenso processisse judicio, tot regis filios & maximè primogenitum crucis caractere insigniri, & quamvis aliàs audierimus ad oppositum rationes, vel omnino decipimur, vel nihil habent penitus rationis. Verum nobis ac tuis fratribus in confectione præsentium erat bene. Rex verò Siciliæ carissimus in Christo filius noster nobiscum est Viterbii, quem vacante imperio capitaneum Tusciæ proponimus constituere. Etiam Florentini, Lucani, Pistorenses, & quædam alia loca celebria eumdem Potestatem usque ad calendas Januarii, & inde ad vi. annos continuos elegerunt, & per eum hodie gubernantur; & quamvis Senenses hæsitent; missa tamen militia procul dubio domabuntur. Multa nobis de Conradino dicuntur, cui locus qui parabatur in Tuscia tenendus, prout credimus, erit exclusus. Civitates Lombardiæ pacem fecerunt ad invicem nostris nunciis mediantibus, sola Papia excepta, sed speratur in proximo quod ab aliis non discordet. Ceterum & regem Siciliæ pauperem esse noveris, & inordinatè consumere bona sua, quem diligere cupimus, quantum possumus, cùm ad id caritas nos compellat, & imminentis cautela discriminis nos invitet, cujus utique non immeritò formidamus eventum, cùm sit onerosus

Anno 1267

(a) Huc spectare videntur ea quæ de S. Ludovico Francorum rege legi in veteri cartario Ecclesiæ Parisiensis in hæc verba.
Anno Domini mcclxix. mense Martio pridie Idus die Veneris post dominicam qua cantatur *Reminiscere* Ludovicus rex Franciæ arripuit iter ad partes transmarinas de S. Dionysio, & ibi accepit peram & baculum peregrinationis suæ, quos benedixit & tradidit sibi in ecclesia S. Dionysii Radulfus episcopus Albanensis, tunc apostolicæ sedis legatus in Francia & partibus transmarinis. Die verò sabbati in crastino Idus Martii, accepit licentiam in ultimo suo recessu in ecclesia Parisiensi, & venit ad dictam ecclesiam de domibus suis Parisiensibus discalciatus, & dominus Petrus filius suus similiter cum eo nudus pedes. Dominus Philippus primogenitus suus, & dominus Robertus comes Attrebatensis, & quamplures alii non discalciati venerunt cum eo.

(b) *Al.* Sermo generalis.

ecclesiis & regnicolis universis, & quod dolentes referimus, nec suis, nec exteris gratiosus: ad terram verò sanctam in verbis generalibus maximum zelum habet; sed cùm venitur ad spem, nihil certum habere possumus ab eodem, nec de galeis mittendis vult facere quod spopondit, & idcirco timemus plurimum ne pauca bene peragat, dum ad multa festinat. Hæc autem omnia clausa teneas, nec divulges, si tamen non notoria esse possunt. Datum Viterbii x. calendas Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXII.

Ad abbatem Nantensem.

In gratiam monasterii Bonævallis.

Anno 1267 *Ex schedis Colbertinis.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati Nantensi Ruthenensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Obviare malitiis perversorum, & quieti religiosarum consulere personarum pastorali sollicitudine commonemur, ut & illorum peccandi refrænetur audacia, & ipsæ eo devotius quo quietius Domino valeant famulari. Cum itaque dilecti filii abbas & conventus monasterii Bonævallis Cisterciensis ordinis Ruthenensis diocesis à nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, multiplices patiantur molestias & jacturas; nos volentes & eorumdem abbatis & conventus providere quieti, & molestantium malitiis obviare, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem abbati & conventui præsidio defensionis assisteris, non permittas ipsos contra indulta privilegiorum apostolicæ sedis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; attentius provisurus, ne de his quæ causæ cognitionem exigunt, vel quæ indulta hujusmodi non contingunt, te ullatenus intromittas. Nos enim, si secus præsumseris, tam præsentes litteras, quam etiam processum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere juribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter ac fideliter exsequaris, ut ejus fines quomodolibet non excedas, præsentibus post triennium minime valituris. Datum Viterbii nono calendas Junii, Pontificatus nostri anno tertio.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

Dilecto filio S. Tituli S. Martini, &c.

De abbate Farfensi & de Conradino.

Anno 1267

NUllas litteras tibi mittimus quæ suo careant condimento: ut ex ipsarum serie manifestè possis advertere, quia sic aliis volumus jura servare, quod jus nostrum & Romanæ Ecclesiæ semper maneat inconcussum, & idcirco non cogeris ea facere, quæ dilectus, & utinam diligendus, filius abbas Farfensis per

A mendacium impetravit. Sanè volumus quod cùm poteris diligenter inquiras quod alienavit (a) in Marchia, & qualiter inveniri valeat, & inventum rescribere non postponas. Demum nos & fratres nostros turbat non leviter, quod licèt sæpius mandaverimus, contra nostrum manifestissimum proditorem CONRADUM TRINCII nihil fecisti. Unde quanto arctius possumus discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad demolitionem bonorum ipsius absque omni dilatione procedas. B Datum Viterbii VIII. calendas Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXIV.

Episcopo Ucetiensi.

De collatione vacantium beneficiorum.

Anno 1267 *Ex archivis Aniciensis Ecclesiæ.*

VEnerabili fratri episcopo Uticensi salutem & apostolicam benedictionem.

Honore illo tuam favorabilem prævenire personam intendimus, unde benefaciendi & grati- C ficandi aliis tibi possibilitas tribuatur. Hinc est quod devotionis tuæ supplicationibus inclinati, conferendi personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus & dignitates cum cura & sine cura, quæ in tua civitate & dioceſi tanto tempore vacaverunt, quòd illorum collatio est ad sedem apostolicam juxta Lateranensis statuta concilii legitimè devoluta, (si tamen beneficia eadem aliàs ad donationem tuam pertineant, & de illis non mandaverimus alicui alii specialiter provideri), inducendi quoque personas eas- D dem in corporalem possessionem beneficiorum ipsorum, & inductas defendendi, necnon contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus si aliquibus à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas quæ de hoc indulto plenam & expressam non fecerint mentionem, aut quavis alia præfatæ sedis indulgentia, de qua in nostris litteris specialis & expressa mentio sit habenda, sive per quam E id impediri valeat quomodolibet aut defferri, fraternitati tuæ plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Viterbii VIII. calendas Junii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLXXV.

Ad capitulum generale ordinis fratrum Prædicatorum.

F *Eorum se commendat precibus.*

Anno 1267 *Ex ms. RR. PP. Prædicatorum Tolosanorum.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistro & fratribus ordinis Prædicatorum Bononiæ convenientibus in capitulo generali salutem & apostolicam benedictionem.

Ille summus & mirabilis opifex, cujus mira & proculdubio admiranda sunt opera, qui suam ædificavit ecclesiam super Petram, & ne um-

(a) *Al.* Marchio.

quam fides ejus deficeret exoravit, illave solida firmitate stabiliens, eam non solum ad ornatus decentiam, sed ad exigentiam inexpugnabilis firmitatis ordinum & religionum diversitate munivit, ut sic varietate circumdata, & sicut turris David cum propugnaculis ædificata fortissimis, ex qua mille clypei pendeant, omnis fortium armatura, horum eadem ecclesia fulta suffragiis, quasi bellatorum stipata cuneis, & velut castrorum acies ordinata, terribilis, secura cum hoste transgreditur, & non solum ad confutandas spirituum malignorum insidias, & insidiosos repellendos insultus, sed ad apertos ascendentium ex adverso impetus superandos imperterrita & immota consistit. Sanè quo magis inter ceteros belligeros sacri vestri ordinis professores ab ordinis ipsius exordio congressibus hujusmodi vacaverunt instantius, & efficacius institerunt, atque ipsorum suffragia imbecillitati nostræ desideramus & confidimus utilius suffragari; tanto adhæsit eidem ordini anima nostra ferventius, & ad conservandam integritatem prosperi status ejus ardentius aspiramus. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè, in remissionem vobis peccatorum injungentes, quatenus in hoc salubri congregationis vestræ capitulo illis vacetis unanimiter, & concorditer intendatis, per quæ saluti animarum vestrarum & aliorum possitis vacare salubrius, & illibatam famam vestram & ejusdem ordinis conservare. Ceterum licèt speremus indubie, quod vos caritatis igne in ara cordium vestrorum ardente succensi, paternum affectum quem ad vos & eumdem ordinem gerimus attendentes, patri gratam filialis dilectionis vicissitudinem rependatis; vestrarum orationum nos frequenti opitulatione juvantes: nihilominus tamen ne tam caram nobis gratiam negligere videamur, earum pro nobis frequentiam humiliter imploramus, instanter petimus, ut sic nos assiduis suæ caritatis velut Abisaï Sunamitis adolescentula virgo vestra immaculata religio foveat, quod in nobis quod nec senis David vires accingimus, debitus prosequendi suscepti fervor officii, nullo umquam tempore frigescat. Datum Viterbii vi. calendas Junii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

Archiepiscopo Hispalensi.

De decimis proventuum ecclesiasticorum pro rege Castellæ & Legionis colligendis.

Anno 1267 SIcut tua fraternitas non ignorat, anno primo quo fuimus ad summi gradum Pontificatus assumti, carissimo in Christo filio nostro regi Castellæ & Legionis illustri ecclesiasticorum proventuum regnorum suorum & Portugalliæ sub certo moderamine decimam duximus concedendam, per te vel alios, quibus velles committere, colligendam, & assignandam eidem. Datur tibi per alias nostras litteras in mandatis, quod ante omnia paternè memorato regi exponeres, quomodo in animæ suæ dispendium & famæ nihilominus non modicum detrimentum, sicut olim in minori officio constituti suæ consideratione salutis & honoris obtentu ei scripsisse meminimus, tertiam eorumdem ecclesiasticorum proventuum recipit ad ecclesiarum fabricam deputatam, & ipsum solerter inducens, quod tibi nomine nostro & ecclesiarum regnorum prædictorum expressè promitteret, & patentes litteras super hoc exhiberet, quod exacto tempore ad colligendam præfatam decimam præfinito, tam ipsius decimæ quàm à præfatæ tertiæ perceptione omnino desisteret, & ecclesias ac loca de quorum proventibus decima illius ipsa percipitur, ad quæ dicta tertia pertinet, super eisdem tertia & decima ex tunc nullatenus molestaret. Concessimus tamen quod post provisionem & litterarum concessionem hujusmodi tertiam eamdem per totum idem tempus liberè perciperet, & omnia quæ perceperat ex illa in instantis tunc negotii subsidium licitè posset convertere, nec ad ipsorum restitutionem aliam teneretur. Tu verò, prout ex parte regis ejusdem accepimus, in collectione prædictæ decimæ minimè processisti, causam tamen quare cessaveris ignoramus, & idcirco per alias nostras litteras tibi scribimus ut procedas juxta priorum continentiam litterarum. Sed ne credat rex idem, quod ultra finem primi triennii fabricales litteras de nostro percipere possit assensu, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus nisi suas det tibi patentes litteras, tot numero, ut singulis archiepiscopis regnorum suorum singulas valeas assignare, de decimis fabricalibus supradictis post triennii dicti finem dimittendis omnino, & à se vel à suis successoribus nullo tempore percipiendis ulterius; in exactione prædictæ decimæ non procedas. Sed nec hujusmodi litteris ab ipso rege, habitis in regno Portugalliæ te de collectione hujus decimæ aliquatenus intromittas, si carissimo in Christo filio nostro regi Portugalliæ illustri ad præsens cum eodem regno suo guerra contra Sarracenos immineat, aut in proximo imminere visibiliter timeatur; vel si fortè præfatus rex Portugalliæ præfatum memorati regis Castellæ negotium assumat personaliter, eidem in hoc competens subsidium, prout ejusdem negotii qualitas exigit, & ipsum regem Portugalliæ decet, impendat. Datum Viterbii calendis Junii anno III.

EPISTOLA CCCCXXVII.

Statuta à Clemente papa IV. pro ecclesia Aniciensi condita.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter ceteras sollicitudines quibus animus noster jugiter ad diversa trahitur, frequenter ad statum Aniciensis ecclesiæ vertimus apostolicæ considerationis intuitum, & multiplex ratio nos invitat, ut ad ipsam specialis affectionis animum habeamus. Non enim sumus, nec esse Anno 1267. *Ex archivis Aniciensis ecclesiæ.*

debemus immemores, quòd in illa dudum honoris incrementa suscepimus, in ea promoti fuimus ad episcopalis (a) apicem dignitatis, apud illam aliqua tempora ætatis nostræ percurrimus, ut inde faciente Domino, cùm gradatim habuerimus ad altiora progressum, respiciamus eamdem ecclesiam more patris ut filiam, & in mente nostra ferventi desiderio geritur, ut ecclesia ipsa spiritualiter & temporaliter augmentetur, ac in omnibus prosperè dirigatur. Porrò quia consuetudines & conditiones ejus agnovimus, & ibidem aliqua vidimus, quæ decentiorem modum in observantiis exigebant, cordi nobis admodum extitit, ut utile &..... consilium apponere curaremus. Verùm cùm dilecti filii capitulum ejusdem ecclesiæ venerabili fratri nostro Aniciensi episcopo commisissent, ut vice ipsorum statueret, ordinaret & faceret, quæ ad conservandum & reformandum prosperum & honestum ipsius ecclesiæ statum competerent, & cognosceret pertinere; ac idem episcopus & tres ecclesiæ præfatæ canonici, quos ipsi sibi super hoc adjunxit, de ipsius capituli voluntate, prout eis visum extitit, super aliquibus providissent, nos illa quæ sub certis videbantur ordinasse capitulis præsentata nobis diligenti examinatione discussimus, & eis juxta studium apostolicæ providentiæ limæ correctionis expositis quamplura solerter adjecimus, & quædam exindè jussimus resecanda. Consideratis autem omnibus quæ circa præmissa fore prævidimus attendenda, statuta quædam & ordinationes edidimus in forma annotatas, quæ in prædicta ecclesia jubemus & volumus perpetuis temporibus observari.

Canonici semel saltem hora in choro intersint quotidie.

I. Quare de apostolicæ plenitudine potestatis statuimus & ordinamus quod quilibet canonicus Aniciensis ecclesiæ, & in dignitate seu personatu quolibet constitutus, chorum ipsius ecclesiæ semel ad minus in die ingredi teneatur; & ibidem alicui horæ canonicæ interesse diei; & quod de cetero de illis quatuor solidis Podiensis monetæ, qui pro libratione claustri consueverant singulis canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo; reliqui verò duo solidi ratione illius horæ cui interfuerit, librentur unicuique. Quod si non interfuerit, nequaquam percipiat, & loco quotidianarum distributionum, quæ dari solent in horis, in posterum habeantur. Hoc autem salvo quod in theologia nunc & in posterum studentibus, quantum ad hos duos solidos, nullum præjudicium generetur: quos etiam percipiat qui præsens in civitate Aniciensi aliqua hora diei per absentiam, vel per aliam justam causam forsitan impeditus, ipsum chorum ingredi non valebit.

Similiter & clerici, & bis in hebdomada matutinis.

II. *Item*, Quòd quilibet clericus ejusdem ecclesiæ semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare, & alicui horæ canonicæ, in qua etiam distributiones infra scriptæ non fient, & bis in hebdomada matutinis officiis interesse; alias ipsa die qua defecerit, vel proxima qua post defectum hujusmodi clericis primum librabitur, superpellicii ipso facto sit libratione privatus. Eo salvo, quòd vicariis canonicis pauperibus & clericulis inferius est statutum.

Vicarii & capellani & pauperes canonici singulis horis diurnis.

III. *Item*, Quod omnes vicarii & capellani capellarum & canonici pauperes ejusdem ecclesiæ singulis horis diurnis intersint, cùm ad hoc sint specialiter deputati, præsertim toti missæ, horæ primæ, & ipsi * primæ horæ nonæ & vesperis & completorio; & ter ad minus in hebdomada intersint matutinis. Et si defuerint in una horarum prædictarum, in media libratione superpellicii ipso facto; in duabus vel pluribus, tota libratione diei ejusdem vel proximæ, in qua post defectum hujusmodi primum librabitur priventur, nisi infirmitate impediti fuerint, vel alia justa causa. Omnes etiam prædicti teneantur ibidem ad residentiam personalem.

*f. tertiæ. * f. sextæ.*

Clericuli horis omnibus intersint.

IV. *Item*, Clericuli omnibus horis intersint; & si duabus horis diurnis vel nocturnis defecerint, priventur libratione superpellicii ipsa die. Et si succentor negligens fuerit circa correctionem eorum, die illa qua ipsos non correxerit negligentes, claustri libratione puniatur. Et si legitimè monitus in negligentia hujusmodi perseveraverit; amoveatur ab officio succentoris per capitulum memoratum.

Canonici pauperes.

V. *Item*, Quod canonici pauperes circa officiandam ecclesiam & sepulturam canonicorum majorum ipsius ecclesiæ se habeant ex antiqua observantia sicut debent: si defecerint per se vel per vicarium minimè serviendo, amittant duodecim denarios Viennenses, quos recipiat departiendos eis qui hujusmodi officium pro eis fecerint illa die, nisi justa & necessaria causa extiterint impediti.

Officiatores ante finem classi chorum intrent. (b)

VI. *Item*, Quod officiatores, quibus officium chori injungitur in principio matutinarum & vesperarum ante finem classi, & in principio introïtus missæ, chorum ipsum teneantur intrare: ita ut illi cui officium committeretur, nisi tunc intraverit, vel in officio hujusmodi defecerit, si præsens est canonicus in medio claustri, libratione superpellicii puniatur diei ejusdem, vel illius in qua librari contigerit, quæ librationes supplenti officium hujusmodi deputentur.

VII. *Item*, Quod in missa majori clerici vel canonici existentes in choro sedere minimè incipiant ante epistolam, nisi ultima ipsius missæ oratione completa.

Canonici bis in hebdomada matutinis intersint.

VIII. *Item*, Quod quilibet sive canonicus, sive clericus vel in dignitate qualibet constitutus, bis in septimana ad minus teneatur interesse scilicèt matutinis, processioni, & missæ defunctorum: alias in libratione superpellicii diei sabbati septimanæ ejusdem vel sequentis diei, in qua primum librabitur, si fortè ipsa die sabbati librari non contigerit, puniatur; nisi absentia, infirmitate, vel alia justa causa valeat excusari.

(a) Ex Archidiacono Aniciensis episcopus electus est anno 1259. factus anno sequenti archiepiscopus Narbonensis, postea Cardinalis, ac tandem summus Pontifex.

(b) Classus est signum ad officium, quod cum omnibus campanis pulsatur.

Clerici sint in ecclesia decem.

IX. *Item*, Quòd sit certus numerus clericorum in ipsa ecclesia, scilicèt decem, ultra quem numerum præcentor sine consensu capituli à modo nullum ponat sive introducat in ecclesia memorata.

Clericuli ante annum XX. non admittendi.

X. *Item*, Quòd idem præcentor aliquem clericulum non possit facere, seu clargastrum donec vigesimum annum attingat, nisi alias talis arbitrio capituli appareret, quod merito deberet fieri ante tempus prædictum, nec etiam aliquem clericulum faciat seu introducat de novo postquam tempus attigerit memoratum, & nisi sufficiens idoneus examinatus prius in officio ecclesiæ sit inventus.

Distributiones.

XI. *Item*, Quòd ad distributiones: illis omnibus portantibus in dicta ecclesia superpellicium, qui horis canonicis in præfato choro interierint, faciendas assignet episcopus ipsius ecclesiæ centum libras Viennenses censuales, vel semel centum libras Viennenses pro se & successoribus suis solvere teneatur.

Potationes & arca clericorum.

XII. *Item*, Quòd potationes & archa clericorum chori servitio deputentur, prout alias cùm fiebant distributiones hujusmodi factum fuit: ita quòd capitulum ipsius ecclesiæ faciat valere dictas potationes seu beuvendas quinquaginta libras Viennenses: Clerici verò alias quinquaginta libras Viennenses archam prædictam supplendo, si quid defuerit de summis præfatis.

Clerici portantes superpellicium.

XIII. *Item*, Quòd quilibet clericus portans nunc & etiam in futurum superpellicium in ecclesia memorata, non habens aliud officium vel beneficium ibidem præter superpellicium, teneatur assignare infra sex annos decem solidos Podiales debitales, vel solvere decem libras Podienses pro emendis reditibus ad servitium dicti chori, & interim donec assignaverit, solvat quindecim solidos Podienses annuatim.

Dignitates seu personatus.

XIV. *Item*, Quòd tam in dignitatibus seu personatibus constituti, quàm canonici & alii clerici, qui ultra superpellicium aliquod officium seu beneficium in ipsa habent ecclesia, viginti solidos Podienses infra sex annos singuli teneantur in reditibus assignare, vel solvere viginti libras Podienses pro reditibus emendis exinde, & interim donec assignaverint vel solverint dictos viginti solidos annuatim persolvant. Quæ omnia tam de his qui nunc sunt, quàm de his qui in posterum fuerint canonici vel clerici in ipsa ecclesia, vel etiam dignitates inibi seu personatus habentes volumus observari.

Magister hospitalis.

XV. *Item*, Quòd magister hospitalis ejusdem loci, qui nunc est, & quilibet qui in posterum pro tempore fuerit, ultra id quod ut simplex clericus dare tenetur ratione magisterii, decem solidos Podienses det ad idem servitium annuatim.

XVI. *Item*, Quòd quilibet clericus seu clericulus, qui ex nunc seu in futurum superpellicium de novo portabit, & quilibet qui in canonicum ejusdem ecclesiæ fuerit receptus, vel dignitatem seu personatum adeptus, nihil percipiat de librationibus superpellicii vel præbendæ, prima libratione dumtaxat excepta, donec ad idem servitium centum solidos Viennenses clericus, canonicus verò sive fuerit dignitatem seu personatum adeptus, solverit decem libras: quas summas prædictorum quilibet solvere sit adstrictus.

Duodenarii his qui missæ, matutinis & vesperis interfuerint distribuendi.

XVII. *Item*, Quòd de præfata pecunia ad ipsius chori servitium deputata singulis canonicis clericis, clericulis, ac in dignitate seu personatu quolibet constitutis, qui in ipso choro singulis interierint officiis matutinis dentur duodenarii Podienses, & tantumdem his qui interierint missæ majori: illis etiam qui vesperis interierint distribuatur tantumdem.

Distributionum cura duobus assignanda.

XVIII. *Item*, Quòd annuatim tempore quo creantur bajuli clericorum, recipiendi & distribuendi dictos denarios, & rationem reddendi cura duobus viris idoneis à capitulo & ipsis clericis committatur, præstito ab eis personaliter juramento, prout ab aliis clericorum bajulis fieri consuevit, de prædictis fideliter adimplendis.

XIX. Quòd ad distributiones solis canonicis & constitutis in dignitate seu personatu etiam faciendas, ipsorum cuilibet, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, ratione præbendæ, necnon & succentori ejusdem ecclesiæ infra quinque annos assignent viginti solidos Podienses censuales, vel viginti libras Podienses pro reditibus emendis persolvant, interim nihilominus donec assignaverint vel solverint, ipsos viginti solidos annis singulis soluturi.

XX. *Item*, Quòd tertia pars eorum omnium, quæ absentes & residentiam minimè facientes de ecclesia seu bonis ipsius ecclesiæ qualiacumque annuatim percipiunt, servitio chori pro emendis reditibus ad dictas distributiones faciendas canonicis deputetur: absens verò quantum ad hoc intelligatur, qui per sex menses continuos in dicta ecclesia minimè residebit, nisi studii, peregrinationis, infirmitatis, vel alia justa causa fuerit impeditus: & hæc etiam omnia intelligantur tam de canonicis, quàm de aliis, dignitates, personatus, officia, pensiones, terras, vel ecclesias in ipsa ecclesia, vel ejus ratione habentibus ubicumque, & tam de præsentibus quàm futuris.

Dignitates quid solvere debeant ad faciendas distributiones.

XXI. *Item*, Quòd dignitates seu personatus, officia, terras, seu pensiones habentes in ipsa ecclesia, vel ratione ejusdem, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, in sui ratione ultra ea quæ ut canonici & clerici tenentur facere, prout superius continetur, decanus scilicèt præpositus, & abbas, seu ipsorum quilibet ad faciendas distributiones easdem, solvant viginti libras Viennenses, & in posterum solvere teneantur. Abbas verò S. Petri de Turre quindecim, abbas S. Evodii decem, præcentor decem, thesaurarius decem libras, foris decanus major centum solidos: minor verò foris decanus quinquaginta solidos, cellararius quinquaginta solidos, Sescalcus quinquaginta solidos, punctuarius quindecim solidos, magister scholarum quinquaginta solidos, marglarius decem solidos, thuribularius decem solidos, sacrista altaris crucis decem solidos, sacrista altaris Dei & S. Jacobi viginti

viginti [illegible]dos. Terrarii autem ipsius ecclesiæ seu pen[illegible]s habentes, quicumque sint vel fuerint in futurum, sive canonici simplices, sive personatus & officia obtinentes, dent annuatim centesimam partem omnium redituum, quos ratione ipsius ecclesiæ percipiunt, hoc salvo nihilominus, quod de absentibus superius est statutum.

Fructus vacantium beneficiorum chori servitio assignandi.

XXII. *Item*, Quòd fructus præbendarum, dignitatum & personatuum, abbatiis dumtaxat exceptis, beneficiorum & officiorum quorumlibet ejusdem ecclesiæ, necnon ecclesiarum & terrarum, ad cujuscumque collationem pertineant, ex quo vacaverint, scilicèt primi anni à vacationis tempore computandi, & quamdiu vacaverint, si ultra annum vacare contigerit, chori servitio pro emendis reditibus deputentur, ad distributiones faciendas eisdem: ita quod ipsorum canonicorum bajulus, vel quem ipsum capitulum ad hoc elegerit, recipiendi & distribuendi canonicis dictos denarios curam gerat, & rationem reddendi, ut superius est expressum, hoc salvo quod in eo quod de ipsarum præbendarum vacantium fructibus consuevit ab antiquo recipere, ex hoc nullum præjudicium generetur.

Distributiones facienda his qui matutinis, missis & vesperis intersunt.

XXIII. *Item*, Quòd de dicta pecunia distributionibus faciendis canonicis, & in dignitatibus seu personatibus constitutis, ut dictum est superius, deputata, singulis canonicis & in dignitatibus seu personatibus constitutis, qui interfuerint matutinis officiis singulis diebus Dominicis, Mercurii & Veneris, dentur ultra prædicta sex denarii Podienses: his verò qui majori missæ interfuerint quatuor, illis etiam qui vesperis interfuerint tantumdem, illi insuper tantumdem habeant, qui quandocumque toti missæ B. Virginis interfuerint horæ primæ.

Distributio quando facienda.

XXIV. *Item*, Quòd eædem distributiones dandæ in missa, prout superius continetur, nec canonicis nec clericis dentur, nec aliis quibuslibet, donec ipsius missæ *Agnus Dei* fuerit decantatum. Et si antea inde exierit aliquis ex eisdem absque causa rationabili, nec postea ad eamdem missam redierit, de distributionibus missæ ejusdem aliquam non recipiat portionem.

Distributiones augendæ si reditus augeatur.

XXV. *Item*, Quòd si pecunias dictarum distributionum faciendarum vel solis canonicis & in dignitate seu personatu constitutis, vel etiam clericis in ipsa ecclesia superpellicium portantibus universis, ut supra dictum est, aut etiam reditus contingeret in posterum augmentari, distributiones etiam prout commodius fieri poterit augmententur.

Distributio officium facientis.

XXVI. *Item*, Quòd canonicus officians in choro prædicto qualibet vice percipiat sex denarios Podienses, clericus vero canonici supplens defectum, vel etiam aliàs officians, quatuor habeat de communibus distributionibus supradictis.

Præbendæ sacerdotales diaconales & subdiaconales.

XXVII. *Item*, Quòd in ipsa ecclesia duæ præbendæ proximè inibi vacaturæ, postquam illi qui jam in canonicos recepti ibidem præbendas fuerint assecuti, sint sacerdotales & hebdomadales, ultra illas quatuor quæ sunt & esse debent sacerdotales in ea, & præbendam etiam, quam tenebat ibidem jamdudum Guillelmus de Monte-revello senior, quæ sacerdotalis extitit ab antiquo; sive etiam sex diaconales præbendæ, illa quam tenet ibidem Petrus Aspasii, quæ diaconalis extitit inclusa, & sex subdiaconales, quas habentes officium per se vel per concanonicum diebus solemnibus & IX. lectionum festis serviendo majori altari adimpleant, prout à succentore ordinabitur juxta ordinem vicis suæ, & ibidem residentiam faciant personalem.

XXVIII. *Item*, Quòd subdiaconis & diaconis canonicis prædictis ipsi altari majori servientibus, clericuli subdiaconi, & clerici diaconi, qui assistere in ipso officio tenentur eisdem, recipiant quod consueverunt recipere ab antiquo.

XXIX. *Item*, Quod ipsi diaconi & subdiaconi canonici supradicti de dictis distributionibus duodecim denarios Podienses percipiant diebus singulis quibus dictum exercebunt officium, præter alias distributiones præfatas.

XXX. *Item*, Quòd ipsi diaconi & subdiaconi canonici qui in officio suo prædicto per se vel concanonicum non deservierint, illa die in media libratione claustri, vel quàm primum librabitur puniantur: quæ libratio supplenti defectum ejus in officio hujusmodi deputetur.

Diaconi & subdiaconi in suo officio non servientes puniendi.

Capitulum ad campana pulsum.

XXXI. *Item*, Quòd quandocumque canonicos dictæ ecclesiæ & dignitates seu personatus habentes super capituli tractatibus contigerit in ipso capitulo convenire in unum, pulsetur tribus vicibus campana ad hæc specialiter ab ipso capitulo deputanda, prout in aliis Galliæ ecclesiis observatur. Post cujus pulsationem tertiam, in his quæ præsentes expediri consueverunt, vel possunt ab illis qui convenerint, procedatur, aliorum absentia nonobstante, & valeant quæ facta fuerint ab eisdem.

Ter in hebdomada congregandum.

XXXII. *Item*, Quòd ter ad minus in hebdomada, diebus scilicèt Lunæ Mercurii & Veneris, ipsi canonici & dignitates seu personatus habentes in capitulo conveniant, de negotiis ac de utilitate ecclesiæ tractaturi: ita quòd post horæ primæ exitum ter vel quater tantummodo pulsetur ad januam, post cujus tertiam pulsationem vel quartam, succentore sine dilatione ad eam, sicut moris est, cum processione eunte, ipsa campana tunc incontinenti pulsetur, & ab illis, sicut dictum est, qui venient procedatur.

In quo prævaleat major & sanior pars.

XXXIII. *Item*, Quòd in ipsis tractatibus & negotiis, sicut juris communis esse dignoscitur, stetur majori & saniori parti ipsius capituli, partis nonobstante minus rationabili contradictione minoris, seu quod contrarium ibidem servatum est hactenus per abusum: ita tamen quòd voluntas canonicorum ipsorum non singulariter extra capitulum, sed in capitulo ipso communiter saltem, & officiorum quorumlibet collatio à modo palam & non occultè in ipso fiat capitulo ab his ad quos spectat ordinatio eorumdem.

De residentia & hospitiis.

XXXIV. *Item*, Quòd dignitates seu personatus, officia, terras, vel pensiones habentes nunc, vel etiam in posterum habituri, teneantur ibidem residentiam facere personalem, & tenere hospi-

tia, scilicèt decanus, præpositus & abbas, seu ipsorum quilibet ad minus cum sex clericis superpellicium portantibus, vel canonicis ecclesiæ memoratæ, quorum librationes percipiant sicut hactenus fieri consuevit. Abbas autem S. Petri de Turre cum quatuor, Abbas S. Evodii cum tribus; thesaurarius verò & præcentor, unusquisque eorum cum tribus; quilibet verò canonicus habens quadraginta libras Viennenses in reditibus qualitercumque ab ipsa ecclesia, vel de bonis ejusdem ultra suam præbendam cum duobus, nisi absens fuerit idem canonicus causâ studiorum. Quòd si quis in dignitate vel personatu constitutus de terris ipsius ecclesiæ dictas quadraginta libras haberet, ratione * eorum, clericorum etiam numerum teneatur augere, ultra illum quem tenebantur habere ratione dignitatis ipsius.

** F. earum.*

Beneficiorum pluralitas damnata.

xxxv. *Item*, Quòd si quis canonicus habens nunc vel habiturus in posterum terras ejusdem ecclesiæ, dignitatem ibidem adeptus fuerit vel personatum, ipso jure vacent terræ ipsæ prædictæ.

xxxvi. *Item*, Quòd nullus clericus in civitate Aniciensi præfata duas possit canonicas seu præbendas habere, scilicèt in majori ecclesia & in collegiatarum aliqua aliarum; sed vacet ipso jure prima postquam secundam fuerit assecutus: his tamen exceptis qui jam sunt in utraque recepti.

Capellani.

xxxvii. *Item*, Quòd nullus à modo constituatur ad serviendum capellæ vel altaribus ejusdem ecclesiæ, nisi sit ipsius ecclesiæ clericus, qui teneatur chori servitio interesse.

Superpellicium quibus non concedendum.

xxxviii. *Item*, Quòd nulli in ipsa ecclesia superpellicium concedatur, nisi de legitimo matrimonio, bonæ famæ, sanus corpore, videlicet membrorum non patiens maculam, vel læsionem enormem, vel alias morbo incurabili non laborans, & conversationis existat honestæ, nec aliquam religionem ingressus, habens etiam unde possit commodè sustentari; alias dum residens fuerit, providere qui ipsum introduxerit egenium teneatur eidem.

Quibus datur fidei juramentum præstent.

xxxix. *Item*, Quòd quilibet clericus cui à modo superpellicium concedetur, juret capitulo ipsius ecclesiæ fidelitatem servare, & tam jura ipsius ecclesiæ bona fide defendere, quàm universitatem etiam clericorum ipsorum.

xl. *Item*, Quòd quilibet clericus ipsius ecclesiæ bona ejusdem ecclesiæ & clericorum ipsius pro posse defendere teneatur, nec contra tam consilium vel auxilium audeat impertiri. Quòd si legitimè monitus contra fecerit, superpellicio spolietur.

xli. *Item*, Quòd nullus canonicus vel clericus quicumque ipsius ecclesiæ contra concanonicum vel conclericum pro extraneis præstet publicè consilium vel juvamen.

Magister scholarum sit canonicus.

xlii. *Item*, Quòd Magister scholarum ejusdem ecclesiæ quicumque pro tempore fuerit, à modo sit ejusdem ecclesiæ canonicus, & quòd præbendam percipiat, juxta suæ receptionis ordinem sibi debitum, sine tamen eorum præjudicio, qui jam recepti expectant præbendas vacaturas ibidem, qui legere in facultate theologica, & facere personalem continuam residentiam, necnon tenere hospitium ad minus cum tribus clericis ipsius ecclesiæ inibi teneatur: ita quod interim etiam antequam præbendam fuerit assecutus, distributiones chori, sicut unus ex aliis canonicis habeat: quindecim tamen denariis Podiensibus, quos de libratione claustri ab antiquo consuevit recipere computatis, ad quas distributiones sicut & alii canonici teneantur conferre, ut superius est expressum. Si verò idem magister absque præfati licentia capituli se voluntariè absentavit, fructus scholastriæ amittat, quamdiu absens fuerit, qui tunc & etiam cùm ipsam scholastriam vacare contigerit, & cum ceteris bonis ipsius successori debeant fideliter & absque diminutione qualibet conservari. Quod si per capitulum legitimè monitus, absens non redierit; per ipsum capitulum amoveatur omnino, & alii idoneo conferatur. Eidem autem scholastriæ de terris ipsius ecclesiæ ad collationem decani spectantibus usque ad annuum valorem quinquaginta librarum Viennensium consuetis canonicis ejusdem conferri, si vacaret ad præsens, vel quàm primum ad id offerret se facultas, nonobstante si pro aliis superassignandis seu conferendis * terras hujusmodi deximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate præsentium præjudicium generari, per episcopum ejusdem ecclesiæ volumus & præcipimus auctoritate apostolica assignari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: ita quòd collatio scholastriæ ejusdem, quæ nunc ad decanum Aniciensis ecclesiæ cum certo canonicorum numero pertinet, concedi cum consensu ipsius capituli vel majoris vel sanioris partis in ipso facienda capitulo, prout in ipsorum canonicorum creationibus consuevit fieri, pertineat ad eamdem.

** F. terris*

Clerici recipiendi examinandi.

xliii. *Item*, Quòd clerici, qui à modo portabunt superpellicium in ecclesia memorata, examinentur prius an sint idonei in legendo & cantando officio ecclesiæ per aliquem virum discretum ad hoc per ipsum capitulum deputandum. Aliter non introducantur, illis tamen exceptis, de quibus ipsi capitulo aliàs videbitur expedire.

Canonici cum celebratur officium extra chorum non sint.

xliv. *Item*, Quòd nullus canonicus clericus vel etiam in dignitate seu personatu quolibet constitutus; cùm divina officia in choro ipsius ecclesiæ cantabuntur, in plano seu platea ejusdem ecclesiæ extra chorum ipsius, à choro scilicèt seu altari crucis versus majus altare, nisi fortè transeundi necessitate vel peregrinorum occasione, stare, ire audeat, vel sedere, vel nisi in capellis vel subtus altare Dei ecclesiæ memoratæ.

Diffamati ab altaris officio expellendi.

xlv. *Item*, Quòd si qui publici concubinarii, vel lucra exercentes inventi fuerint inhonesta, vel si qui servitio altaris seu custodiæ deputati, prædicti de incontinentiæ vitio fuerint diffamati ab altaris servitio & ecclesiæ expellantur.

Modestia in choro.

xlvi. *Item*, Quòd omnes tam canonici quam clerici quicumque prædictæ ecclesiæ in choro, cùm divina officia celebrabuntur, in stando &

sedendo honestè se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem & corpus honestum ostendant.

Et extra chorum.

XLVII *Item*, Quòd extra chorum infra ipsam ecclesiam nullus clamare, rixari, seu inverecundè ad invicem vel cum mulieribus, seu aliis inhonestis personis confabulari audeat, nec per viam currere, seu currendo transire.

Stabularii & albergarii.

XLVIII. *Item*, Quòd stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil à modo percipiant in his quæ altaribus ecclesiæ offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos ducant, nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando maximè inducant, seu attrahant ad ipsius ecclesiæ altaria vel capellas.

Cum ecclesiæ habitu extra ecclesiam non standum.

XLIX. *Item*, Quòd nec canonici nec clerici quilibet cum habitu ecclesiæ claustri limites transgredi præsumant, nec per claustrum seu villam sine cappa vel mantello extra hospitium incedant, nec publicè per villam canonicus sine clerico, vel alia honesta persona, nec clericus sine socio, nec ibi in carreria seu platea publica, sine competenti habitu stare seu sedere præsumat.

De habitu canonicorum.

L. *Item*, Quòd nullus canonicus vel clericus quilibet sine capa vel mantello argando seu tabardo per civitatem Aniciensem audeat equitare, nec manticam seu torseriam post se deferre.

LI. *Item*, Quòd portantes de novo à modo superpellicium in ipsa ecclesia habeant raubam novam ad minus, scilicèt superpellicium & cappam ecclesiæ, si ibidem voluerint residere.

LII. *Item*, Quòd ipsi clerici vel canonici cum habitu ecclesiæ palam non deferant chirothecas, nec caligis albis utantur, nec supertunicalia scissa seu partita à latere deferant, nec cappas quarum capucia alterius coloris existat, nec cum capellis seu coffiis lineis apparentibus incedant ibidem.

Tabernæ non frequentent.

LIII. *Item*, Quòd à modo canonicus, vel clericus aliquis ipsius ecclesiæ Aniciensis tabernas non intret, nec domos eis contiguas, causâ in eis potandi seu comedendi, & maximè mense Augusti juxta abusum antiquum.

Nec choreas

LIV. *Item*, Caligis rubeis maximè tempore paschali pannis de serico transgulatis seu reatis à modo non utantur, nec anulos publicè deferant, nec choreas cum laïcis aut mulieribus intrare præsumant.

LV. *Item*, Quod ille qui institutus est ad pulsandas campanas campanilis majoris ecclesiæ memoratæ, novas etiam teneatur pulsare campanas horis debitis & diebus, juxta ipsius ecclesiæ observantiam & arbitrium duorum honestorum virorum, quos ad hoc dictum capitulum duxerit deputandos, ipsorum nihilominus arbitrio, si circa hoc negligens aut rebellis extiterit, puniendus.

LVI. *Item*, Quòd librationes superpellicii ipsius ecclesiæ quas amittent canonici vel clerici, quilibet ejusdem, vel alii in dignitatibus constituti incidentes in pœnam, juxta ordinationem præmissam, chori servitio deputentur, recipiendæ per illos quibus cura recipiendi denA rios dictis deputatis distributionibus committetur. Librationes verò claustri quas amittent canonici, vel in personatibus constituti, ipsorum specialibus distributionibus applicentur.

LVII. *Item*, Quòd quicumque sive canonicus, sive clericus, vel in dignitate seu personatu quolibet constitutus in pœnam amissionis librationis claustri, vel superpellicii in toto vel in parte incidens juxta ordinationem præsentem, eam ex certa scientia receperit, seu recipi fecerit, vel B recepto pro ipso ab alio libratoribus non restituerit quàm primùm, habebit certificatus super hoc facultatem, ex tunc per mensem ab ingressu ecclesiæ & perceptione librationis superpellicii, sit ipso facto suspensus; nisi legitimè monitus restituerit, omni beneficio ipsius ecclesiæ spolietur.

Decanus eligendus sit in sacris.

LVIII. Prætereà statuimus & auctoritate apostolica ordinamus, quod nullus nisi constitutus in sacris in decanum dictæ ecclesiæ possit à modo eligi seu assumi, nec aliter alicui de ipso decaC natu apostolica seu quavis auctoritate alia valeat provideri, decernentes quod secus actum fuerit non valere.

Dignitates ad sacros ordines promoveantur.

LIX. *Item*, Quòd tam idem decanus quàm præpositus ejusdem ecclesiæ in sacerdotes: abbates verò sæculares in diaconos; habentes officia scilicèt præcentor, & thesaurarius, foris decani in subdiaconos, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, sine dilationis medio statutis temporibus se faciant promoveri, alioquin quousque adimpleverint, dignitatibus, officiis, & D beneficiis hujusmodi, eo ipso, penitus sint suspensi. Quod si suspensionem hujusmodi per sex menses sustinuerint, ipsis eos esse privatos volumus, ex ex tunc vacare decernentes omnino per eos, ad quos spectat illorum ordinatio seu collatio liberè ordinanda aut etiam conferenda.

Ad electionem episcopi non vocandi in sacris non constituti.

LX. *Item*, Quòd nullus canonicus major viginti-quinque annis, postquam per quinquiennium canonicus extiterit ecclesiæ supradictæ, sede Aniciensi vacante, ab ipso capitulo ubiE cumque fuerit, ad electionem vocetur episcopi, nisi ad sacros ordines promotus, nec ex hoc possit dicere se contemtum. Ad eam tamen veniens admittatur.

Cura canonicorum quibus commissa.

LXI. *Item*, Sanè cùm super cura canonicorum ipsorum ac constitutorum in personatibus seu dignitatibus quibuscumque, nec non clericorum quorumlibet & familiarum ipsorum orta fuerat dubitatio longis temporibus retroactis: adeo ut ex hoc error quidam non absque animarum ipsorum periculo procedere videretur, F statuimus ut decanus ipsius ecclesiæ, qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum omnium, necnon aliorum quæ ad hospitale B. MARIÆ ejusdem loci prædiorum pertinent habeat, quam per se & alios, quos ad hæc idoneos noverit, & illa tantummodo quæ ad forum pœnitentiale pertinent exerceat; videlicet confessiones audiendo, & pœnitentias injungendo, ad ea quæ judicialem indaginem, jurisdictionem seu correctionem alias exigunt, potestatem suam minimè extensurus. Episcopus verò Aniciensis

ipsius decani curam juxta hunc modum, qui eidem decano circa prædictos traditur, gerere debet & habere. Magister verò hospitalis pauperum prædictorum qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum pauperum ac donatorum hospitalis ejusdem & aliorum habeat, quam à decano recipiendam prædicto per se & alios idoneos, de quibus secundùm Deum viderit expedire, valeat exercere.

Magister scholarum & abbas Casa-Dei statuta faciant observare.

LXII. Ceterum quia parum prodesset statuisse præmissa, nisi conatibus contrariis præsumentium obvietur; ordinamus & volumus, quod magister scholarum præfatus, & dilectus filius abbas monasterii Casæ-Dei ordinis S. Benedicti Claromontensis diœcesis, qui pro tempore fuerint, vel alter eorum per se vel alios seu alium requisiti super hoc, possint & debeant ad prædicta omnia & singula inviolabiliter observanda per censuram ecclesiasticam, & pœnas etiam alias moderatas auctoritate nostra contradictores cogere quoslibet ac rebelles, quod fideliter exsequendum eisdem in virtute obedientiæ injungimus, & districtè præcipimus & mandamus.

Cura temporalium vacantis episcopatus duobus committenda.

LXIII. Ordinamus insuper, quod quandocumque in posterum sedem contigerit Aniciensem vacare, dictum Aniciense capitulum duos vel tres de ipso collegio viros idoneos & omni suspicione carentes sine moræ dispendio assumere teneatur, quibus ab ipso cura administrandi bona universa episcopatus ipsius quamdiu vacaverit committatur: ita tamen quod illi, qui ad onus hujusmodi assumentur, sine dilatione qualibet de bonis ipsis mobilibus inventarium facere teneantur, ac interdicto eis cujuslibet alienationis genere, de conservando & defendendo fideliter bona & jura episcopatus, & etiam de tenendo seu exercendo justitiam per se vel per alios, necnon de reddenda administrationis suæ futuro episcopo ratione, cum restitutione bonorum, quæ deductis necessariis expensis ad eos pervenerint, sub obligatione bonorum suorum promittant eidem capitulo recipienti pro eodem episcopo, præstito super hoc ab eis ad sancta Dei evangelia corporaliter juramento: super quibus omnibus confici volumus publicum instrumentum. Quam etiam rationem, si ipsam sedem diutius vacare forsitan, quod absit, contigerit; teneantur ipsi capitulo reddere de sex mensibus in sex menses. Ad suscipiendum autem officium hujusmodi per subtractionem beneficiorum, quæ ab ipsa obtinebunt ecclesia, possit & debeat idem capitulum compellere quoslibet refractores.

Prædicta autem omnia statuimus observanda, non obstantibus aliquibus aliis consuetudinibus vel statutis ejusdem ecclesiæ hactenus observatis, seu quibuscumque privilegiis vel indulgentiis ab apostolica sede quibuscumque personis, locis, dignitatibus, vel ordinibus generaliter vel specialiter, sub quacumque verborum forma concessis, aut etiam concedendis, per quæ nullum contra præmissa volumus obstaculum interponi, seu si aliquibus communiter & divisim ab eadem sede indultum existat, vel contingat in posterum indulgeri, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia dictæ sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus præsentium possit quomodolibet impediri, & de qua in eis fieri debeat mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat ordinationes & statuta prædicta seu eorum aliquod infringere, vel ipsis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii IV. nonas Junii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

Carissimo in Christo filio illustri regi Castellæ & Legionum in regem Romanorum electo.

Agit de ipsius coronatione.

QUantò divinæ gratiæ potioribus donis abundas, quantò regnis pluribus præsidens locum obtines celsiorem, tantò plus tuæ convenit excellentiæ, quæ assumis negotia eâ circumspectione discutere, ea maturitate librare, ut nihil in eis lateat, nihil promineat, quod justitiam non redoleat, quod exactam non sapiat gravitatem. Sanè dudum in regem Romanorum electus à felicis recordationis URBANO papa prædecessore nostro petisti, quod & ab ejus, ut dicitur, prædecessoribus petieris, ad coronam imperii te vocari; & procuratore tuo petitionem eamdem coram nobis semel & iterum refricante, fuit ex adverso propositum, quod per saltum promoveri volebas, qui nondum recepta (a) Coloniæ regni Romanorum corona requirebas prope venerandum imperii diadema. Licèt ad objectionem hujusmodi, ut de aliis taceamus, responsum multiplex tui tibi dederint sapientes: nos tamen quos juris veritas & facti tranquillitas non latebant, per aliam divertimus viam, ut tunc melius consuleremus honori, & negotio, prout decuit, ordinato, præfiximus terminum peremtorium, quo tuus & adversarii tui procuratores se nostro conspectui repræsentent, interim diebus & terminis assignatis suos articulos probaturi. Verùm urgente nos stimulo caritatis, qua te, Deo teste, diligimus ex affectu, dilectum filium R. *de Orabazan* capellanum nostrum & nostræ conscium voluntatis, ad te duximus transmittendum, in cujus ore verba nostra secreta posuimus, quæ tibi referet viva voce. Ejus fidem dudum probavimus, & industriam, cui te credere volumus incunc-

Anno 1267

(a)

(a) Olim triplex fiebat imperatoris coronatio. In prima quæ Aquisgrani celebrabatur argentea corona ab archiepiscopo Coloniensi imponebatur, in secunda Modoetiæ ferrea, in tertia Romæ aurea à summo Pontifice, qua de re vide quæ scripsimus in lib. 3. de antiquis ecclesiæ ritibus cap. 9. p. 144.

tanter. Ejus igitur verbum, tu fili cariſſime, diligenter conſiderans, quid liceat, quid deceat, quid expediat, tuum nobis citò reſcribere non poſtponas beneplacitum. Nec enim imperii quæſtionem nimis hactenus indecenter & damnosè dilatam tenere poſſumus amplius in ſuſpenſo; cum ſit ejus dilatio cum Eccleſiæ Romanæ jactura, & totius diſcrimine populi chriſtiani. Datum Viterbii (c) nonis Junii anno III.

(*)

EPISTOLA CCCCLXXIX.

Dilecto filio nobili viro Ar. Capocii capitaneo urbis Romæ.

Dolet de Urbis rebellione, ad quam ſedandam duos mittit antiſtites.

Anno 1267 LItteras tuas nuper recepimus ortam rebellionem in Urbe contra te continentes, & quod lator litterarum ipſarum aliqua nobis diceret, quibus nos credere poſtulabas: qui tamen noſtram non vidit faciem, nec quicquam viva voce vel ſcripto nobis alter nunciavit. Sanè de tua & Urbis perturbatione dolentes, cujus nec ſumus, nec fuimus, ſicut quidam mentiuntur, auctores, ſicut omnes ſincere brachiis caritatis amplectimur, pacem omnium totis viſceribus affectamus. Ideoque venerabiles fratres noſtros Cuſentinum archiepiſcopum & epiſcopum Spoletanum ad eamdem fideliter procurandam duximus deſtinandos, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes, & nihilominus conſulentes, quod tamquam vir pacificus & modeſtus, memor ſemper devotionis illius quam domus tua ad Eccleſiam Romanam habuit, noſtris in hac parte beneplacitis te coaptes, qui commune bonum inquirimus, & omnium volumus gratam eſſe concordiam. Et ſic Urbem ex animo cupimus gubernari, quod vigore manente juſtitiæ ſtatus debitus univerſis & ſingulis conſervetur. Demùm ſuper his & aliis quæ dicti archiepiſcopus & epiſcopus tibi dicent, eis te volumus fidem indubitatam habere. Datum Viterbii VII. Idus Julii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXX.

Cariſſimo in Chriſto filio illuſtri regi Caſtellæ.

Non poſſe ejus præſentia frui, & quam cito ei reliquias tranſmiſſurum.

Anno 1267 LIcèt gratiſſima nobis eſſet loco & tempore opportunis tuæ præſentia magnitudinis: quia tamen partes Italiæ ſine magno diſcrimine impræſentiarum relinquere non poſſemus, nec tuum, nec noſtrum poſſumus deſiderium adimplere: ſubeſt tamen & alia ratio, quam tibi per noſtrum ſpecialem nuncium intimamus. Neſcimus tamen quid lateat in divino conſilio ſuper rerum eventibus futurorum, qui forſitan neceſſitatem ingerent tam te, quàm alios mundi principes ad honorem divini nominis congregandi. Multa quidem ſtatus orbis præfert indicia commotionum inſtantium, de quibus nihil certum pronunciare poſſumus, cùm ea Pater omnium in ſua poſuerit poteſtate. Verùm reliquias quas petiſti non habebamus nobiſcum, & idcirco colligi facimus excellentiæ tuæ quàm citò poterimus tranſmittendas. Datum Viterbii V. Idus Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXI.

Ad Theobaldum regem Navarræ.

Concedit ei per triennium decimam proventuum eccleſiaſticorum in regno Navarræ.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio TH. regi Navarræ illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1267 *Ex cartario campania.*

In ſpiritu pietatis mentem tuam ad Chriſtum, fili cariſſime, conſcendiſſe percepimus. Nam dum in terris corpore militas, cæleſtem militiam ad quam ſuſpiras animo contemplaris. Hic profecto labores complecteris, ut ibi quietis perpetuitate læteris. Hic etiam indefeſſum te pugilem exhibes, ut ibi percepto gloriæ præmio veluti magnificus triumphator exultes. Tu quidem Terræ-ſanctæ preſſuras oculo clementis propitiationis advertens, & nunc ipſam ſolito diutius affligi conſpiciens, quam manus Agarenorum impia uſque ad intima lacerat & enervat, motus erga eam internæ compaſſionis affectu, & ad vindicandam Redemtoris injuriam, qui terram eamdem in proprium ſibi patrimonium præelegit, tamquam princeps victorioſus exſurgens, ut miſerearis illius regionis oppreſſæ, cujus miſerendi tempus adveniſſe ſperatur, crucis ſignaculum cum copioſa tuorum fidelium tam baronum quam militum & aliorum multitudine recepiſti, perſonaliter illuc in brevi, dante Deo, profecturus. Super quo laudes & gratias Altiſſimo, qui hoc tibi dinoſcitur inſpiraſſe referimus, ejuſque clementiam, ut votum tuum dignetur pro favore proſequi ſuppliciter exoramus. Quod autem hujuſmodi votum eò plenius & efficacius implere valeas, quò manum apoſtolicæ poteſtatis magis tibi ſenſeris adjutricem, decimam redituum & proventuum eccleſiaſticorum regni Navarræ per triennium inchoandum immediate poſt finitum tempus ad ſolvendum in dioceſi Pampilonenſi decimam cariſſimo in Chriſto filio illuſtri regi Aragonum deputatam, illis proventibus & reditibus qui ad loca quævis hoſpitalis S. Johannis, ac domorum militiæ Templi Jeroſolymitani, & S. Mariæ Teutonicorum, ſive ad eccleſiaſticas perſonas ſigno crucis aſſumto in primo generali paſſagio in prædictæ terræ ſubſidium profecturas, quas

(c) *Al.* III. Nonas.

ab hujusmodi præstatione decimæ, à tempore A susceptæ crucis ipsius haberi volumus excusatas, pertinent, dumtaxat exceptis. Redemtionesquoque tam crucis quam aliorum votorum, nec non legata in dictæ terræ subsidium ibidem relicta, subventiones etiam faciendas ab illis de prædicto regno, qui signo crucis assumto, non in personis propriis votum suum exitierint exequi, sed de bonis propriis aliquam exhibere voluerint pecuniæ quantitatem: quibus juxta largitatem subsidii & devotionis affectum peccatorum suorum veniam & salutis pollicemur B augmentum, tibi de fratrum nostrorum consilio præsentium auctoritate concedimus, secundum providentiam tuam in præfatæ terræ subsidium convertenda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se novit incursurum. Datum Viterbii v. Idus Junii, Pontificatus nostri anno III. C

EPISTOLA CCCCLXXXII.

Ad eumdem.

Eum & sua suorumque sub sedis apostolicæ protectione suscipit.

Anno 1167 Ex cartario Campaniæ.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio TH. regi Navarræ D illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Aspiciens Terræ-sanctæ pressuras, quam manus Agarenorum impia solito durius lacerat, immaniter affligit, in ejusdem subsidium tamquam princeps catholicus zelo fidei & devotionis accensus vivificæ crucis signaculum assumsisti. Nos itaque volentes ut votum tuum eo ferventius exequaris, quo præsidia sedis apostolicæ tibi adesse perceperis promtiora, personas tuam & illorum quos tecum duxeris, cum fa- E miliis, regno Navarræ, Campaniæ & Briæ comitatibus, castris, terris, villis, possessionibus & ceteris bonis mobilibus & immobilibus, quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus: districtius inhibentes ne quis in præmissis vel eorum aliquo vos offendere, perturbare, seu quolibet modo molestare præsumat; ac nihilominus statuentes ut ea omnia sine læsione ac diminutione qualibet integra maneant & quieta, donec de F vestro reditu vel obitu certissime cognoscatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & B. Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii v. Idus Junii Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

Ad prælatos & personas ecclesiasticas regni Navarræ.

Ut regi concessam decimam liberaliter, & sine difficultate solvant.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris & aliis ecclesiarum prælatis, necnon capitulis, collegiis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, per regnum Navarræ constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1167 Ex cartario Campaniæ.

Quiescere videmus interdum commotiones fluctuum, circa marium tempestates, & dissensionum fluctuationes nonnumquam silere conspicimus in negotiis terrenorum: illis aëris data temperie, istis animorum concordia restituta. Sed proh dolor! statui miserabili Terræ-sanctæ diutius depressæ, languoribus gravissimis diu lacessitæ, jacturis & varietate multiplicis cruciatus afflictæ, nondum advenit expectata serenitas, & mentes fidelium gentis potissimum cismarinæ tamquam illius regionis oblitæ compati sibi juxta pietatis debitum in tantis & tam diris, tamque prolixis afflictionibus aspernantur. Heu præclara Salvatoris hereditas pretiosissimi sanguinis ejus profluvio consecrata, pedibus abominabilium nationum conculcari conspiceris, hostilium incursuum insatiabili feritate deprimeris & derelinqueris non adjuta! Numquid meruisse probaris quod cari tui tua tormenta dissimulent, erga te ferrea gestent viscera, sicque te miserabiliter perire permittant? Meruit hoc ille Unigenitus Dominus JESUS-CHRISTUS, quod eadem hereditas, in qua pro nostra redemtione crucifigi voluit, & mortis subire periculum, defensionis non debeat invenire præsidium à redemtis? Profecto silere non possumus & veremur, quod dum ipse Christus crucifigendus iterum quæritur, qui licet in se denuò mori nequeat, pati se fatetur in suis quos Agarenorum impietas rigore carceris macerat, mole famis attenuat, incessanter obsidionibus artat, & plurimos eorum ultimis tradit suppliciis, nec exsurgit populus quem redimit ad tantum ejus opprobrium vindicandum, ab eisdem redemtis faciem iratus avertet, comperiens illos ingratitudinis vitio laborare. Hoc autem carissimus in Christo filius noster TH. rex Navarræ illustris prudenter advertens, divino excitatus Spiritu, terræ præfatæ negotium duxit, assumto vivificæ crucis signaculo, noviter assumendum, in ipsius terræ subsidium, tum baronum, militum aliorumque suorum fidelium multitudine copiosa brevi, dante Domino, profecturus. Hic est princeps verè catholicus, Deo peramabilis

& dignis laudibus extollendus, qui gestans Redemtorem suum in cordis visceribus figuratum, non parcit in Christi servitio sibi nec suis, pensans quod Pater æternus pro nostræ salvationis præmio Filio proprio non pepercit. Credentes itaque congruum, immò dignissimum reputantes ut idem rex in tanti prosecutione negotii apostolicis & nostris præsidiis adjuvetur; decimam redituum & proventuum ecclesiasticorum regni Navarræ, per triennium inchoandum immediatè post finitum tempus ad solvendum in dioecesi Pampilionensi decimam carissimo in Christo filio nostro illustri regi Aragonum deputatam, illis proventibus & reditibus ad loca quævis hospitalis S. Johannis ac domorum militiæ Templi Jerosolymitani & S. Mariæ Theutonicorum, sive ad ecclesiasticas personas ligno crucis assumto in primo generali passagio in prædictæ terræ subsidium profecturas, quas ab hujusmodi præstatione decimæ à tempore susceptæ crucis ipsius haberi volumus excusatas, pertinent, dumtaxat exceptis: redemtiones quoque tam crucis quam aliorum votorum, necnon legata in dictæ terræ subsidium ibidem relicta, subventiones etiam faciendas ab illis de prædicto regno, qui signo crucis assumto non in personis propriis votum suum exsiterint exsecuti; sed de bonis propriis aliquam exhibere voluerint pecuniæ quantitatem: quibus juxta largitatem subsidii & devotionis affectum peccatorum suorum veniam salutis pollicemur augmentum, eidem regi de consilio fratrum nostrorum concessimus secundum providentiam suam in præfatæ terræ subsidium convertenda. Quocirca proposito vestris oculis pretiosissimo sanguine crucifixi, per aspersionem obsecramus ipsius; vestram in Domino caritatem nihilominus monentes ac intimis affectibus exhortantes, quatenus erga dictum regem manus vestras liberaliter extendatis, & ad dandam ei hujusmodi decimam juxta concessionis nostræ tenorem promtum & facilem præbeatis assensum, ut ex hoc Regis æterni gratiam, apostolicæ sedis favorem, & christianissimi principis vestri benevolentiam promereri plenius vestra devotio mereatur. Datum Viterbii v. Idus Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

Dilecto filio magistro ordinis Fratrum Prædicatorum.

Petit ab eo aliquos ex suis fratribus ad Græcos redire cupientes ad Ecclesiæ gremium mittendos, eosque de vera fide instruendos.

Anno 1267

QUantum & quotiens, quot etiam ministerio sapientum Romana Ecclesia laboraverit ad Græcorum indomita colla domanda, scissamque ab eisdem Domini tunicam inconsutilem reparandam, nec te nec fratres ordinis tui latuit, quorum aliqui non sine laboribus personalibus, non sine vitæ propriæ discrimine, injunctam sibi per sedem apostolicam in opere tam laudabili sollicitudinem exsecuti, nihil tamen de contingentibus, prout creditur, omiserunt. Licèt autem multo labore sudatum fuerit circa ipsos, nec, quod dolentes referimus, sit eorum rubigo consumta: quia tamen ex quibusdam indiciis, quæ per litteras & legatos insinuant, ad salubrem videntur reditum anhelare: nos probare si ex Deo sint spiritus cupientes, suæ professione fidei, quam miserunt, acceptá, quam in multis erroneam & in multis invenimus diminutam; nuper eis in scriptis misimus quæ cum tota latina etiam firmiter credimus, & simpliciter confitemur; promittentes eisdem, quod temporis opportunitate captata, apocrisarios nostros mittemus eisdem, de ea quæ in nobis est fide & spe juxta verbum apostolorum principis paratos reddere rationem. Verùm cùm sit cordi nobis ad hoc mittere homines qui testamenti scientia polleant utriusque, & ingenio nihilhominus prædití naturali, nec sint in gestibus incompositi, nec in responsione præcipites, sed exacta potius gravitate sciant in tempore proferre sermonem, & eorum jactantiam, quorum scientia multum est tenuis, æquanimiter tolerare; discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ex fratribus tuis tui ordinis, quos ad hoc magis idoneos juxta dictas circumstantias esse noveris, ad nos mittere sine moræ dispendio non omittas; quibus hujus prosecutionem negotii tutè committere valeamus; ut si Deo placuerit, per eorum industriam Græci dudum per invium aberrantes viam modò veritatis agnoscant, & profitentes agnitam, ad sedis apostolicæ redeant unitatem; vel eorum detectis fraudibus & mendaciis, manus nostras servemus innoxias, ne à nobis nunc vel in posterum eorumdem sanguis à Domino requiratur. Demùm ne credas ex his quæ tibi scribimus quamdam tibi necessitatem indici discutiendi per totum ordinem fratrum merita, & ex universis tres eligere ad hujusmodi ministerium potiores. Sed scire te volumus, nobis sufficere de illis quos tecum habes, vel infra fines Italiæ ad hoc credis idoneos, illos eligere. Non enim Græci ad disputationem se offerunt, sed paratos se dicunt inoffensam sibi percipere veritatem, suntque apud nos rationes illorum, quibus suum errorem fulciunt baculis arundineis innitentes. Datum Viterbii v. Idus Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXV.

Dilecto filio nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano.

Promittit ei pecuniarum subsidium in Terræ-sanctæ auxilium.

NOta nobis à multo tempore tuæ devotionis sinceritas, sed & illa compassio quam ad Terræ-sanctæ miserandas angustias ha- Anno 1267

buisse dignosceris, in cujus subsidium licèt olim personaliter laboraveris, adhuc tamen instantius laborare proponis, efficacius nos invitant, ut cum ad ejusdem Terræ-sanctæ succursum cum decenti ac nobili comitiva tuis tecum profectum stipendiis te accingas, cum facultas nobis occurrerit de tantarum relevatione expensarum & onerum gratum tibi subsidium offeramus. Verùm cùm ad partes diversas legatos mittere proponamus, quorum incumbet officio tertiam ecclesiasticorum, redditūum colligere portionem, de qua speramus supradictæ terræ grande satis subsidium proventurum, de eodem, cùm primùm collectum fuerit, dari tibi, favente Domino, xxx. millia librarum Turonensium faciemus. Datum Viterbii IV. Idus Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

Dilecto filio nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano.

De subsidio ei destinato.

Anno 1267

CRucis subsidia quæ possunt in regno Francorum variis rationibus provenire, carissimo in Christo filio nostro germano tuo illustri regi Francorum dedimus, terris tuis quas in eodem regno obtines in hujus gratia de tuo comprehensis assensu, licèt nostri fuisset propositi eas tuo succursui reservare. Nihil autem ad manum habentes, quod tibi dare manualiter valemus, fecimus quod potuimus; quod ut secretius propter concursum petentium teneatur, factam super hoc litteram in manu dulcissimi filii nostri J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconi cardinalis posuimus, ne nobis subductis de medio possit gratia deperire. Accipe ergo quod offerimus ex affectu quo sincera caritate diligimus, & sicut vir strenuus & magnificus votum crucis prosequere. Jam agnosce, prius tamen terris tuis ex ordine visitatis, & tuis ac socii fore factis plenius emendatis. Immolantium enim ex iniquo vota non probat Altissimus, nec prodest corporis exercitium dum premit animum sua mole peccatum. Datum Viterbii II. Idus Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

Dilecto filio R. Seguini de Melgario.

Prorogat terminum transitus sui in Terram-sanctam.

Anno 1267

CUm ex mandato Venerabilis fratris nostri Magalonensis episcopi te ad partes Acconenses transferre in instanti passagio sub juramenti debito tenearis, quia tuæ paupertati compatimur, transitus tui terminum usque ad carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francorum & aliorum crucesignatorum generale passagium tibi de speciali gratia prorogamus. Datum Viterbii Idibus Junii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

Venerabili fratri episcopo Avinionensi & dilecto filio nobili viro decano Domino (a) Uteriæ germano ejus.

Ut pacem inter duos dissidentes componant.

Anno 1267

LIcèt pacis consilia generaliter nobis placeant, ad quam omnes libenter inducimus, qui pacis filii esse volunt; illos tamen quos diligimus specialius ad eamdem monemus attentius, & efficacius invitamus. Quocirca cùm, sicut nosti, inter nos & dilectum filium P. Raymbaldi nobiscum ex uno latere, & dilectum filium virum nobilem Odiaconetum Montis-Albani ex altero dissensio longa fuerit; prudentiam vestram rogamus & monemus attentè per apostolica scripta mandantes, quatenus juxta dilectorum filiorum fratris Raymundi de Medallis Prædicatorum ordinis, & C. de Melgorio militis consilium, ad pacem habendam cum eo vos promtos & faciles habeatis, ut ex hoc & vestrarum animarum salutem (b) & cum divina gratia nostram vobis benevolentiam augeatis. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

Dilecto filio nobili viro (c) Baudono Domino Castri-novi.

Ut cum uxore sua cohabitet, eamque honore prosequatur.

Anno 1267

MUlta nobis in tuis occurrunt actibus admiranda, nam nec ad liberos nec ad fratres te, ut deceret, hactenus habuisti, nec ad sociam thori tui nobilem utique mulierem & à te multipliciter honorandam, tuæ vel suæ nobilitati deffers, prout lex divina requirit, & tuum insuper deceret honorem. Quocirca tuam discretionem rogandam duximus & hortandam, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus eam ad tuam cohabitationem reducas, & eamdem maritali affectione pertractans, infirmiori vasculo debitum impartiaris honorem. Alioquin ad id, vel si expedire viderimus, ad dotem restituendam eidem te per censuram ecclesiasticam compellemus. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCXC.

Carissimo in Christo filio regi Castellæ & Legionis in regem Romanorum electo.

Mittit ei excerpta ex Registro Innocentii Papæ III. de coronatione Ottonis & Philippi de imperio contendentium.

Anno 1267

POst claræ memoriæ H. quondam Rom. imperatoris decessum, votis principum ad quos electio pertinebat divisis, quidam eorum

(a) *Al.* Vætiæ.
(b) *Al.* Et cum gratia nostra vobis benevolentiam augeatis.
(c) *Al.* Randono.

nobilem

nobilem virum PHILIPPUM quondam ejusdem imperatoris fratrem, ducem Sueviæ: alii OTTONEM quondam filium H. ducis Saxoniæ in Romanos reges in magna & periculosa discordia nominarunt: quorum uterque fecit se in regem à diversis, & in diversis tam locis quàm temporibus coronari, & ambo per suos seu electorum suorum solemnes nuncios à felicis recordationis INNOCENTIO Papa III. prædecessore nostro petierunt imperii diadema. Diu igitur quæstione pendente & utrosque non solum juribus, sed & viribus contra alterum confligente, idem prædecessor noster multa scripsit super dicto negotio, sicut homo qui multa legerat, & suorum prædecessorum scripta revolverat, multorumque suffultus fuerat in hac parte consilio sapientum. Ex quibus aliqua quæ ex ejus regestis collegimus tibi duximus transmittenda, ut ex eis instructus plenius, rectius tuæ consulas celsitudini, & fidelius ponderes quid circa imperium petere possis aut debeas, juris & facti pariter ignorantia relegata. Cum enim esset alter ex dictis nobilibus OTTO, scilicèt à Coloniensi archiepiscopo Aquisgrani: alter verò, PHILIPPUS videlicèt in loco alio per Tarentasiensem archiepiscopum coronatus; idem INNOCENTIUS super diversis articulis negotium contingentibus nunc respondens scribentibus, nunc eosdem præveniens, multas decentes epistolas edidit, tam facti certitudine, quàm juris firmitate vallatas. Unde archiepiscopis & episcopis & aliis ecclesiarum prælatis, potestatibus, consulibus & rectoribus, marchionibus, & comitibus & aliis nobilibus Lombardiæ sic scribit: *Novit scrutator renum & cordium Dominus* JESUS-CHRISTUS, &c. Et infra: *Postquam à nobis unctio, consecratio, coronatio postulantur, sicut utraque pars à nobis sæpius postulavit, &c* Et in eisdem litteris de PHILIPPO sic loquitur: *Præterea idem dux nec ubi debuit coronam & unctionem accepit: memoratus verò rex, Otto scilicèt, & ubi debuit, videlicèt Aquisgrani, & à quo debuit, scilicèt à venerabili fratre nostro, Coloniensi archiepiscopo recepit utrumque, quod ad Colonicum archiepiscopum hæc pertinent.* Idem scripsit Trevirensi archiepiscopo in hunc modum: *Cùm venerabilis frater noster Tarentasiensis archiepiscopus, qui quod fieri sibi nollet, aliis non debuit irrogare, mirum satis duximus & molestum, quòd falcem in messem alterius mittere non expavit, & sibi alienum temeritate propria usurpare.* Et infra: *Cùm etiam dubium non existat coronationem regum Alamannorum ad venerabilem fratrem Coloniensem archiepiscopum pertinere, nec ipse deliquerit, quare sua meruit dignitate privari; tum si etiam deliquisset, per eumdem Tarentasiensem archiepiscopum suo non erit jure privandus, cujus ipse jurisdictioni minimè subjacebat, ipse maturitate pontificali neglecta, nec considerans quæ* (a) *debebat, nobilem virum* PHIL. *ducem Sueviæ, in regem temere coronavit, &c.* Petitioni verò ejusdem PHILIPPI porrectæ per electores ipsius, sic idem prædecessor respondet: *Litteræ quæ nobis fuerunt ex parte quorumdam vestrûm per dilectum filium P. Judicem Placentinum nuper oblatæ, &c.* Infra: *Cùm autem imperialis corona sit à Romano Pontifice concedenda, & ritè prius electo in principem & post in regem legitime coronato, talem secundum antiquam & approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendam vocabimus, & his de more perfectis, quæ ad coronationem principis exiguntur, eam sibi favente Domino solemniter conferemus.* Idem Innocentius Coloniensi archiepiscopo ita scripsit: *Ex uno eodemque negotio te nobis & nos tibi credimus obligatos, &c.* Et infra. *Cum apostolica sedes illum imperatorem debeat coronare, qui ritè fuerit coronatus in regem, &c.* Idem universis tam ecclesiasticis quàm sæcularibus principibus: *Quantum ex imperii divisione dispendium, &c.* Et infra: *Cum & negotium imperii ad nos principaliter pertinere noscatur; principaliter quidem, quia per Rom. Ecclesiam fuit à Græcia pro ipsius specialiter defensione translatum: finaliter autem quoniam etsi ab alio regni coronam recipiat, à nobis tamen coronam imperii recipit imperator.* Qualiter autem OTTONIS coronatio facta fuerit Aquisgrani, idem Innocentius scribit archiepiscopo Moguntinensi, eidemque Sabiniensi episcopo sic dicens: *Sollicitanda in devotione sedis apostolicæ fides tua, &c.* Et infra: *Noveris igitur, immo jam nosti, quod post H. quondam imperatoris decessum vota se principum diviserunt; quòd quidam eorum* OTTONEM *H. quondam ducis Saxoniæ filium; quidam vero* PHILIPPUM *quondam fratrem dicti H. imperatoris nominarunt in regem. Venerabilis autem frater noster Coloniensis archiepiscopus, & alii qui in nominatione prædicti O. favorem præstiterant, & assensum, congregato exercitu obsederunt pariter Aquisgram; & eo capto, prædicto O. in sede posito Augustali dictus archiepiscopus regni coronam imposuit, sicut ad ipsum de jure dicitur pertinere.* Multa quidem & alia sunt; poterant de Regesto, sed hoc sufficere posse credimus ad tuum & prudentum tuorum consilia dirigenda. Tua verò sublimitas sic deliberet, ut undique circumspiciens rerum exitus, prudenter & fideliter metiatur, cùm dilatum diu negotium sic disponere intendamus, ut per nos vel per successores nostros initio præstito, finem possit accipere Deo gratum & necessarium toti mundo. Datum Viterbii (b) XIV. calendas Junii anno III.

EPISTOLA CCCCXCI.

Dilecto filio abbati Psalmodiensi.

Ut optimum equum capellano suo in Hispaniam misso donet.

Anno 1267

CUm dilectum filium R. de Mahazan capellanum nostrum ad partes Hispaniæ, pro quibusdam arduis negotiis nostris & Ecclesiæ Romanæ destinemus: discretioni tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus cùm per eum vel certum ejus nuncium fueris requisitus, unum bonum equum, expeditum, fortem, quo idem R. sit contentus, sibi pro nostra & apostolicæ sedis reverentia tra-

(a) *Al.* Debeat.

(b) *Al.* XVIII. Calendas.

dere non postponas, recuperandum, si reduxerit eum salvum, alioquin de ipsius pretio tibi ad plenum satisfieri faciemus. Datum *ut supra.*

Eodem modo abbati S. Ægidii. Item abbati S. Andreæ Avinionensis diocesis. Item abbati Massiliensi. Item priori S. Saturnini de Portu.

EPISTOLA CCCCXCII.

Carissimo in Christo filio regi Castellæ in regem Romanorum electo.

Sedat eum super rumoribus falsis de collato imperio Carolo regi Siciliæ.

Anno 1267 QUia lingua tertia multos commovet, multos dejicit; & quæ pio fuerunt proposito, prava nonnumquam & subdola falsitatis admixtione pervertit; ex his quæ juxta nos intelleximus attentata, posse pejora subsequi in terris remotioribus præsumentes, ut tua præmunita sinceritas aurem mendaciis non accommodet, eorum quæ gessimus, & eorum quæ habuimus & habemus veram & simplicem puritatem tibi tenore præsentium duximus propalandas. Sciat igitur tua sublimitas, quod cùm sublato de medio MANFREDO quondam Dei persecutore & nostro, filii Satanæ familiares ipsius in Tusciæ & Lombardiæ partibus se videntes acephalos, CONRADINI nomen invocare cœpissent, jam Tusci quemdam proditorem Ecclesiæ tamquam ejus vicarium erexissent: nos videntes discrimen in limine, pacem per Tusciam jurari mandavimus, & carissimum in Christo filium C. regem illustrem Siciliæ, non imperii sicut quidam mentiuntur in contrarium, sed pacis constituimus servatorem: quem ad hoc eò magis idoneum esse credimus, quò in partibus illis factus erat robustior, Florentinis, Pistoriensibus (*a*) Pracensibus & quibusdam aliis in Potestatem assumtus. Sanè similia à nostris prædecessoribus facta legimus, quæ non solum vacante imperio legitimè possunt fieri, sed etiam fluctuante. Cautionem tamen ab eo recepimus quod imperio ordinato, datum sibi deponat officium infra mensem. Hæc autem ideo tibi scribimus, ne veritatis immutator occultus vel publicus, quicquam in tuum vel alterius præjudicium in hac parte nos mentiens ordinasse tuam possit prudentiam perturbare. Datum Viterbii XVII. calendas Julii anno III.

EPISTOLA CCCCXCIII.

Potestati, consilio & communi Mantuano spiritum consilii sanioris.

Hortatur eos ut sedi apostolicæ inhæreant, nec diutius latas in ipsos sententias ferant.

Anno 1267 QUia memores illius devotionis antiquæ, quam dudum ad Romanam habuistis ecclesiam, omni studio laborantes, ad machinationes hostium elidendas, quas ipsi contra nos & carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Siciliæ moliuntur; solicitudinem vestram Domino commendamus, universitatem vestram rogantes attentius & hortantes, ut sicut olim, sic adhuc continuè ad eà quæ ad honorem & exaltationem ecclesiæ cedere videritis, laboretis. Speramus enim firmiter, quòd per hoc in sua pace disponit Dominus actus nostros. Super his autem quæ vestræ litteræ continebant, nos unà cum rege prædicto, auxiliante Domino, opportunum consilium apponemus. Illud sanè nostrum pungit animum, quòd sententias in vos latas tamdiu in vestrarum sustinuistis periculum animarum. Ideo discretionem vestram attentè duximus adhortandam, quatenus sic vos nostris & Ecclesiæ beneplacitis ac mandatis coaptare curetis, quod vos tamquam benedictionis filios favore benivolo prosequi paterna sollicitudine meritò debeamus, cùm hoc ipsum non mediocriter vobis valeat esse molestum, quoniam in ipso litterarum exordio, quas pro tempore vobis mittimus, apostolicæ benedictionis eulogia cum salute vobis scribere non valemus. Datum Viterbii (*b*) IX. calendas Julii anno III.

EPISTOLA CCCCXCIV.

Dilecto filio nobili viro S. comiti Tusciæ Palatin.

Damna ipsi illata fore reparanda, si regi soli adhærere velit.

Anno 1267 SI quæ tibi data sunt damna in Tusciæ finibus, ut scripsistis, nec de nostro mandato, nec etiam simplici conscientia noveris irrogata. Nos enim in Tusciam nullam militiam destinavimus, sed carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ pacis in illis partibus fecimus servatorem, ad illorum reprimendam malitiam, qui contra nos & ipsum cornua jam erexerunt, nomen pueri CONRADINI pueriliter invocantes. Si igitur pacem jurare volueris, regi fideliter adhærere, nos libenter scribemus eidem, quod ad suam gratiam te recipiat, & non solùm te in posterum non offendat, sed de dammis quæ illata tibi contra justitiam esse dicis, prout bonum & æquum videbitur, satisfiat. Quòd si melius esse volueris, ut nec prosis nec noceas dicto regi, sitque terra tua communis omnibus tam devotis quàm infidelibus, tam inimicis quàm & amicis, in hoc tibi non possumus condescendere nec regem inclinare possemus. Tua ergo discretio sapienter advertat, quid tibi fuerit eligendum: si enim fidem habebas, de qua à viris religiosis plurimùm commendaris, non utique stabis in verbis, sed eamdem probabis carni & sanguini Domini, cujus negotium agitur, ubicumque pax rectè quæritur, anteponens, quæ per suum oppositum licitè procuratur, cum insolentia continuantium id exposcit. Datum Viterbii III. calendas Julii anno III.



(*a*) *Al.* Præjacentibus.

(*b*) *Al.* VIII. Calendas.

EPISTOLA CCCCXCV.

Episcopo Avinionensi.

Quatuor ei proponit personas ipsius loco Avinionensi, ecclesiæ præficiendas.

Anno 1267 QUatuor tibi personas scribimus, in quarum altera Avinionensi præficienda Ecclesiæ, si in tuam translationem ad Valentinam consenseris, te volumus consentire, si in eam consenserint deputandi ab Avinionensi capitulo electores, quibus in nullam ex eis consentire volentibus, tu unam præficias ex eisdem, juxta traditam per alias litteras tibi formam. Personæ autem quatuor prædictæ sunt hæ: R. Archidiaconus Nemausensis prior ecclesiæ Posqueriarum, B. de Gardiis canonicus Nemausensis; (a) Magister P. (a) Gaucelini Massiliensis canonicus, Magister R. de Nemauso philosophicus & capellanus noster, Massiliensis præpositus. Quas prout tuæ fraternitati videbitur vel simul, vel sigillatim electoribus nominabis, & si non fuerint faciles ad consensum, finaliter melius fore videbitur simul eas nominare eisdem, ut ex eis eligant alterum quem utiliorem suæ ecclesiæ æstimabunt. Datum Viterbii II. Nonas Julii anno III.

EPISTOLA CCCCXCVI.

Episcopo Avinionensi.

De Archidiacono Nemausensi non præficiendo ecclesiæ Avinionensi nisi consentiant electores.

Anno 1267 LIcèt inter personas quas tibi scripsimus dilectum filium archidiaconum Nemausensem consanguineum tuum inseruerimus; ea tamen intentione id fecimus, ut si electores in eum consenserint, possis & tu, si tua sustinet conscientia, consentire. Eis autem dissentientibus, auctoritate nostra eum nolumus præfici; cùm antiquam ejus infamiam timeamus, & quantumcumque diligamus eumdem; honori nostro expedire non credimus quod ex officio eum demus. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCXCVII.

Episcopo Avinionensi.

Ut ecclesiam Valentinensem ad quam eum transfert sollicitè gubernet.

Anno 1267 CUm in jure peritus existas, duplex esse divortium non ignoras, quorum alterum Bona gratia satis dulci satis venusto nomine nuncupatur. Te igitur ad Valentinam ecclesiam transeuntem, & sic à prima sponsa, Avinionensi scilicèt, divertente curam habe de bono nomine, nec ecclesiam spolies, quàm dimittes, ne & conscientiæ tuæ laqueis involvaris, & irritam faciens fidem primam, recedas cum infamia, Deo pariter & nobis offensis. Cùm autem ad ecclesiam te transtuleris memoratam, licèt negligentem te nolumus temporalia: adverte tamen quanto jam tempore in eadem & sua diœcesi spiritualia sint neglecta. Et idcirco sicut caram nostram gratiam habes; inter sæculares clericos sæculariter non victurus, sic eorum infirmitatibus condescendas, quòd tui ordinis non præcipites honestatem. Habet siquidem illa natio stultitiæ comitem levitatem. Habet enim in vestibus, sellis, & frenis indecenter excessum, & in choreis & cantibus, ludibriis & cachinnis aut nullum aut debile frenum habet; quæ omnia sine hypocrisi detestaberis, & in habitu circumcisus & gestu; liberalis in mensa tam domesticis quàm extraneis; pauperibus & afflictis affabilis & compatiens, sic ecclesiam tibi traditam gubernabis; quod Deo cedat ad gloriam, tibi ad meritum, subditis ad exemplum, nobis autem ad gaudium, ut semper placeat, numquam autem pœniteat hominem nos fecisse. Ademarum consanguineum tuum diligenter observa, ne gravatus recalcitret, vel contemtus remurmuret, vel superbiat dominari permissus. Circa quæ providè disponenda certam regulam tibi dare non possumus; quæ nunc arte, nunc juribus, & interdum melius viribus procurantur. Demùm super negotio castri Cristæ tua debet esse intentio, ut si jus deficit, pax quæratur, cum semper fugienda sit guerra; vitandumque ligium sine justo ac solido fundamento. Datum Viterbii nonas Julii anno III

EPISTOLA CCCCXCVIII.

Dilecto filio nobili viro Ademaro de Pictavia comiti Valentinensi.

Ut episcopum Valentinum honore prosequatur.

LAudabili desiderio satisfecimus; dum ecclesiæ Valentinæ providimus de persona provida & discreta, & tui sanguinis propinquitate conjuncta. Tuam sinceritatem monendam duximus & hortandam, per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus & episcopum & ecclesiam fide pura, & devota prosequaris reverentia, sic ipsorum beneplacitis te coaptes, quod vitæ præmium merearis æternæ, & nos qui te dudum dileximus, ad ea quæ tui erant honoris & commodi artius obligemur. Datum Viterbii nonis Julii anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCXCIX.


Ad Fratres ordinis Prædicatorum.

Confirmat eorum breviarium.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistro & fratribus ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1267 *Ex ms. R.P. Prædicatorum Rotomagensium.*

Consurgit in nobis spiritualis multitudo lætitiæ, quando personas deditas divino cultui concordi qualitate virtutum cernimus fœderari, & hoc in votis habere potissimum, ut ad divini honorem nominis in eis ita vigeat sanctæ studium unitatis, quod status earum sit firma pace

(a) *Al.* Tantelini *Al* Galcelmi.



ac devotione tranquilla prædītus, & super his quæ regularis requirit honestas semper appareat salubriter ordinatus, occurrente hinc inde gratulandi materia, dum in personis hujusmodi sic una splendet fides mentium & pietas actionum, ut hoc de ipsarum religione famosa possit assumi præconium, quod in se decus habeat perfectæ pulcritudinis, & prorsus ab omni macula decentissime sit immunis. Jocundo siquidem spiritu petitionis vestræ seriem audivimus, continentem quod cum præclarus ordo vester à mari usque ad mare jam per Christi gratiam suos palmites extendisset, propter varias provinciarum consuetudines contingebat divinum officium in ordine ipso uniformiter non servari. Quapropter vos tamquam ministri Dei mites & humiles ac saluberrimæ unitatis sincerissimi amatores, laudabiliter meditando quod hujusmodi prætextu differentiæ aliquid affectibus sanctis opponitur, vel fortè scandali gravis occasio in ordine ipso poterat evenire; dilecto filio fratri UMBERTO quondam magistro ejusdem ordinis concorditer commissum est, ut ipse prædictum officium ad illam uniformitatem reduceret, quam universitas fratrum ipsius ordinis per orbis terræ latitudinem reverenter & humiliter observaret. Verum cum tandem prædictus frater officium ipsum juxta commissionem hujusmodi prudenter ordinaverit, & decenter, vos in tribus capitulis generalibus prædicti ordinis ex tunc immediate sequentibus, diligenti deliberatione præhabita, statuistis, ut ordinatio hujusmodi per universas partes ipsius ordinis debeat observari. Quare humiliter petebatis à nobis, ut per hoc apostolici muniminis firmitatem adjicere dignáremur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ordinationem eamdem, sicut provide facta est, ratam & firmam habentes, eam in domibus vestris propriis dumtaxat observari auctoritate apostolica statuimus, confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne aliquis sine speciali licentia sedis apostolicæ circa prædictum officium, contra confirmationis & constitutionis nostræ ac ordinationis prædictæ tenorem aliquid immutare præsumat. Nulli ergo, &c. Datum Viterbii nonis Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

EPISTOLA CCCCC.

Archiepiscopo Remensi.

De expensis à cardinali S. Martini pro negotio Remensi factis.

Anno 1167 QUeritur inter suos domesticos dilectus filius noster G. tituli S. Martini presbyteri cardinalis de gravamine expensarum, quas in Remensis prosecutione negotii asserit se fecisse. Sanè licèt super refusionem eorum, nullam spem ei vel alii dederimus, quia tamen id honori tuo credimus convenire, fraternitati tuæ consulimus te obnixè rogantes, quatinus in hac parte sic eum respicias, ut eidem qui erga te obsequiosum se præbuit, non videaris ingratus, nec causare potes ignorantiam cum apud te sit procurator ipsius in eodem negotio, per quem de sumtuum quantitate, pro majori saltem parte, ut credimus, scire poteris veritatem, & quæ nosse non poteris tua liberalitate supplere. Datum Viterbii IV. Idus Julii anno III.

EPISTOLA CCCCCI.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali, &c.

Ut archiepiscopo Senonensi det coadjutorem.

SI languente venerabili fratre nostro Senonensi archiepiscopo ipsa languet Senonensis ecclesia: si prædonibus jacet exposita, datisque temporalibus bonis in prædam, spiritualia negliguntur, justè populus murmurat, justè clerus voces exaggerat, justè provincia tota suspirat, justè nos querimur, cùm in nostrum cedat dispendium gravamen omnium subditorum. Sanè nec cor est nobis saxeum, nec viscera gestamus ferrea, ut non compatiamur archiepiscopo, quem manus Domini tetigit pro suæ beneplacito voluntatis: compatimur utique, nec de pœnis aliorum ridemus, qui de nobis, quid Deo placeat ignoramus; sed ad ejus pertinere salutem, vel ad consolationem proficere suæ lapsum ecclesiæ, cùm tam longo, tamque continuo detrimento nec credere possumus, nec ulterius defectum ejus volumus tolerare. Quocirca ne de bonis ejusdem ecclesiæ satietur illorum ingluvies, qui eam devorant, prout dicitur, ore toto; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus omni dilatione postposita, omni occasione semota, coadjutorem providum & fidelem des eidem archiepiscopo, qui & ejus necessitatibus consulat, ac proventus & reditus cum omnibus bonis & juribus ipsius ecclesiæ diligentia conservet exacta, nisi forsan idem archiepiscopus cedendum duxerit sine mora. Quo in casu tu ejusdem cessione recepta, ei congruam (a) provisionem assignes. Sic tibi super hoc aliàs direxisse nos credimus scripta nostra, nec te retrahat aut retardet ab istius executione mandati difficultas aliqua, quam circa decimam carissimo in Christo filio nostro regi Siciliæ illustri concessam timeas imminere. Nam si ventum quemlibet observaveris, semper metues seminare; & si nubes consideraveris, numquam metes. Hæc igitur quæ sub divini contestatione judicii tibi scribimus, quod nobis & tibi, si negligentes fuerimus, erit merito formidandum, cùm ea studeas celeritate complere, ne de nostris vel tuis manibus ecclesiæ tantæ subversio, cum provinciæ suæ jactura, in adventu supremi judicis requiratur. Quid autem inde feceris vel facere disposueris, nobis rescribere non omittas. Datum *ut supra*.



(a) *Al.* F. Pensionem.

EPISTOLA CCCCCII.

Cariſſimo epiſcopo Albanenſi apoſtolicæ ſedis legato.

De tranſlatione epiſcopi Gabulenſis.

Anno 1267 NE ulterius importabili paupertate prematur, & incertæ mendicitatis aduratur opprobrio venerabilis frater noſter Gabulenſis epiſcopus; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eum auctoritate noſtrâ à vinculo quo eccleſiæ Gabulenſi tenetur abſolvens, ad eccleſiam transferas Potentivam, quæ ſic vacare dicitur, ut ejus ſit ad nos ordinatio ſeu proviſio devoluta; faciens eidem à ſuis ſubditis debitam obedientiam & reverentiam exhiberi contra, &c. Datum Viterbii II. Idus Julii anno III.

EPISTOLA CCCCCXIII.

Dilecto filio fratri Thomæ de Acquino ordinis fratrum Prædicatorum.

Ut duos fratres concedat epiſcopo Gabulenſi.

Anno 1267 CUm ſit bonum pariter & jocundum habitare fratres in unum, & omnem alium ſibi ſimilem diligere; nos venerabilis fratris noſtri epiſcopi Gabulani conceptum, quo ad ſui ordinis fratres efficitur, quorum cupit conſortio recreari, favore benevolo proſequentes, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus duos fratres tui ordinis, unum ſcilicet clericum & alterum laicum eidem aſſignes, qui eumdem aſſocient; ſalva majorum ſuorum in ordine obedientia, eidem obediant & intendant.

EPISTOLA CCCCCIV.

Cariſſimo in Chriſto C. regi Siciliæ illuſtri.

Regi egregia dat monita.

Anno 1267 URget nos Chriſti caritas, urget nos illa ſpecialis affectio, quam ad tui gerimus conſervationem honoris, aliqua tibi ſcribere quæ & vivæ vocis ſuffragio memoriæ tuæ commendavimus: quibus lectis & plenius intellectis, & quieti regni tui provideas, periculis imminentibus eò otiùs quo prudentius via gradiens æquitatis occurras. Sanè tibi ſummopere credimus expedire, ut mortalis philoſophi ſequens conſilium, tribus temporibus te diſpenſes: præterita quidem recolens, præſentia ordinans, futura præcavens, ſicut vir providus & in omnibus circumſpectus. Si præterita recolis, ſemper eris ante Deum humilior, & ferventiùs efficieris ad regnum tot ſudoribus, tanto diſcrimine, non humano conſilio, ſed divina virtute quæſitum. Si hoc ſæpe mente pertractas, Romanæ Eccleſiæ matri tuæ ſemper eris devotior; quæ te fidei pugilem eligens, honoravit ſublimius, honorabilius ſublimavit. Ad ordinationem verò præſentium pertinet principaliter, quòd te primum, ac deinceps ordines domum tuam & regnum; & te quidem, ut Deum diligas, & ejus honorifices ſacerdotes, tuo jure contentus, nec capias nec retineas aliena, teque tuis adibilem præbeas quotiens opus fuerit, tutela tui corporis, loci ac temporis opportunitate ſervatis. Domum autem ſic ordina, ut habeas bona latera, viros ſapientes, providos & fideles, te ex animo diligentes, nec ſibi invicem invidentes, ſed nec tantæ neceſſitudinis vinculo colligatos, ut plures perſonæ numero unicam repræſentent. Sint diſtincta ſingulorum officia. Sciat quiſque quid ſibi faciendum incumbat, & promiſcuis actibus non turbetur. Sit in tua domo religioſus aliquis vel miles affabilis, vel afflictis compatiens, cui ſpecialiter committatur, ut illis quos audire nequiveris vel nolueris benignè reſpondeat, & ipſorum petitiones vel verbo tibi referat, vel in ſcriptis aſſignet. Ad quarum expeditionem celerem quò fieri poterit congruentius per te vel alios prima ratione procedas. Sit tibi honeſta familia & urbana, quæ venientes benignè ſuſcipiat, & quos admittere pro temporis qualitate non poterit, ſine contumelia cum honeſta excuſatione repellat.

Legationes principum & civitatum pro honore tuo, quantùm & vos decebit, honores, & à tuis jubeas honorari, ut nomen tuum apud exteros & domeſticos clarius & celebrius habeatur. Sigillo tuo certam legem impone, ut tollatur infamia de horrendis exactionibus eo nomine ſæpe factis, quibus ſimiles nullus audivit; quod quicumque habuerit, à te diſtrictè ſub juramenti debito recipiat in mandatis, quòd citò, prout poterit, ſatisfaciat litteras expectantibus, cum interdum ipſa dilatio ſolum quæſtum ſapere videatur. Sedeant in domo tua, cùm tu ipſe vacare non poteris, omni die juridico, aliqui ſapientes, qui ea quæ poterunt expedire, ibidem expediant; & ea quæ tantum pondus habebunt, tibi renuncient, vel forma expeditionis detur, ut ad ſuos judices remittantur. Conquerentes de te vel tuis officialibus patienter audias, citiùs quàm alios illos expedias, nec conviciis afficias, nec comminationibus deterreri permittas. Si prælatos de tuo parlamento feceris, ad certa parlamenta veniant annuatim, quibus certa vadia conſtituas, cum nec eccleſias ſuas deſerere dici debeat, nec in tuo ſervitio ſuis ſtipendiis militare. Nec omittimus quòd circa tuæ domus expenſas vigilantior eſſe debes, aut aliquam perſonam maturam habeas & honeſtam, quæ videat & provideat, quod nec ex minima parcitate tuo quicquam honori depereat, nec ex defectu debitæ providentiæ bona tua à garcionibus & guloſis hominibus, aut aliis perſonis turpibus conſumantur. Nec te pudeat de receptis & expenſis certis temporibus rationem audire, cùm & hoc ſit tibi perutile, & ad hoc etiam omnium magnatum provoceris exemplis; & nihilominus rationales habeas non levis opinionis homines, ſed exploratæ fidei & gravitatis exactæ.

Ad ordinationem autem regni tui ſpectare

videtur, quod judiciarios & judices bonos habeas, puras habentes manus, & quod eos publicè juramento astringas; quod scilicèt sine personarum & rationum acceptione jus reddant, ab omnium munere seu dono abstineant, exceptis esculentis & poculentis quorum summa in mense auri unciam non excedat, nec aliquatenus in eorum juramentis adjicias quod sine tua licentia non recipiant. Est enim hæc conditio suspectissima, & in bonorum auribus non bene sonat; & habeant singuli certa salaria, quibus maneant omnino contenti, ut liberè fiat justitia; magistratus in suo officio non impedias, nec incepta coram eis negotia ad audientiam tuam revoces ad instantiam aliquorum, nisi magna & evidens causa urgeat; sed lites suo cursu procedant, & gravati, si viderint expedire appellent.

Occasionales inquisitiones, quæ nihil aliud quàm quæstum sapiunt, fieri non permittas; quarum exemplum ponimus in his, quas audivimus factas in regno contra possessores equorum vel pecorum, quibus imponitur equos illos vel pecora fuisse MANFREDI: quod cùm probari nequeat, eis indicitur probandi necessitas, unde eos habuerint. Aliis imponitur quòd cum eo fuerunt in bello, quod cum probari nequeat, indicitur probandi necessitas, ubi erant in die belli. Hæc & his similia dicta sunt nobis damnabilia pariter & damnosa nullatenus toleranda.
(a) Capi homines qui satis dare (a) poterunt non permittas, nisi quantum in casibus specialibus id jura permittunt. Innocentem autem pro nocente capi, quantumcumque sit sanguine & affinitate nocenti conjunctus, non toleres; nisi ad hoc pacto proprio fuerit obligatus. Cogi personas honestas ad recipiendum hospites omnino prohibeas, nisi forsan in loco fueris ubi domus stabulariorum non sufficiunt genti tuæ, & tunc illis defferas quibus debet honor propensior exhiberi.

Matrimonia esse libera debeant, filias militum qui nec sunt comites, nec barones, nec castrorum fortium possessores, & similiter burgensium & aliarum privatarum personarum, & à parentibus superstitibus liberè nuptui tradere finas, & parente vel parentibus sublatis de medio, nubant liberè suo motu vel suorum consilio amicorum. Sed & de filiabus comitum & baronum viventium sustinere debes, quòd eas cum pecunia tradant nuptui quibus voluerint, qui tibi non debeant esse suspecti. Si verò cum terris eas maritare voluerint; decens est ut tuus requiratur assensus, quem negare non debes, nisi personæ suspicio suadeat contrarium evidenter. Orphanæ autem filiæ comitum & baronum amicorum suorum consilio & tuo maritentur assensu: sic tamen quòd hac occasione non cogas eas hominibus nubere, quibus eas non deceat copulari. Tutelas impuberum testamentariis legitimisve tutoribus contra jura non auferas, nec consuetudinem in hac parte tyrannorum observes, quam felices reges Siciliæ nullo tempore tenuisse dicuntur; in qua duplex versatur iniquitas, dum tutores suo jure privantur, & impuberes quibus ratio nulla redditur, bonorum suorum fructibus spoliantur. Collectas ab ecclesiis vel monasteriis vel domibus aliis religiosis aut quibuscumque personis ecclesiasticis sæcularibus aut regularibus, aut de rebus, aut bonis earum numquam exigas. An verò ab ecclesiarum hominibus seu vasallis, in quibus habent jurisdictionem ordinariam & tu merum imperium; mediante justitia vel interveniente concordia decidetur. Verum etiam ut officiales tui & consiliarii à muneribus abstineant, metu pœnæ, quos à malo non revocaverit timor Dei. Consulimus tibi, quod quisquis contra fecerit; cum infamia ab officio in quo erit privetur, idem vel aliud in regno tuo nullo tempore habiturus: dans verò munera tertia parte bonorum mobilium denudetur, aut ad tempus aut in perpetuum relegetur. Et ut hæc celari non possint, fiat frequens inquisitio per personas religiosas, non amantes pecuniam contra ipsos. Quia verò scandalum magnum est in regno tuo de collectis quas hoc anno levasti, consulimus tibi, quòd vocatis baronibus & prælatis & personis egregiis civitatum & locorum salubrium, tractetur forma competens, ut sciatur in quibus casibus in tuis vel alienis hominibus collectas levare valeas; & speramus quod tibi utilis & terræ portabilis poterit inveniri, ad quod peragendum legatus esse poterit fructuosus.

(a) Al. F. Non poterunt.

EPISTOLA CCCCCV.

Dilecto filio abbati monasterii Montis-majoris Arelatensis diocesis.

De eleemosynis ad corpus S. Antonii factis.

CUm villa S. Antonii sit principalis ecclesia seu (b) prioratus S. Antonii ad tuum monasterium pertinens; cujus quidem prioratus tu rector existis, in quo corpus sancti requiescit, quod frequentat peregrinantium multitudo, sit & in villa eadem domus magni nominis, quæ hospitale vel Eleemosyna S. Antonii appellatur, in qua domus & fratres ejusdem illos recipiunt, qui morbo quem ignem S. Antonii vulgus appellat, miserabiliter laborantes ad ejusdem sancti limina visitanda spe salutis veniunt obtinendæ. Quæsivisti à nobis utrum legata quæ beato Antonio vel ibi vel alibi relinquuntur, necnon promissiones, & vota quæ sancto fiunt eidem, dictæ ecclesiæ seu prioratui in qua sunt sancti ejusdem corpus pariter & altare; an ipsi hospitali seu Eleemosynæ, ubi recepti pauperes ejusdem sancti precibus, cujus prius altare visitant, miraculosè curantur, licèt ibi ejusdem sancti non sit corpus nec altare, debeant assignari. Nos igitur consultationi tuæ breviter respondentes ex recta & propria assi-

Anno 1267 (b)

(b) Iste prioratus in insignem abbatiam auctoritate Bonifacii papæ VIII. conversus est caput ordinis S. Antonii in diocesi Viennensi, à jurisdictione abbatis, Montis-majoris omnino segregatus.

gnatione verborum, si legantis, promittentis, voventis voluntas, alia non appareat in assecutione legatorum, promissorum & votorum hujusmodi, ecclesiam ipsam dictæ Eleemosynæ dicimus præferendam. Datum Viterbii XVI. calendas Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCVI.

Dilecto filio priori Prædicatorum & Gardiano fratrum minorum Belvacensium.

Ut electum Belvacensem à censuris ad cautelam absolvant.

Anno 1267 (a) CUm Ecclesiæ Belvacensi dilectum filium (a) R. decanum ejusdem juxta votum apostoli concesserimus in episcopum & pastorem, prout nobis aliqui postea nunciarunt, quidam conservatores carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ & suorum; qui sæpe suo abutuntur officio, sicut dicitur, eum vel excommunicaverunt vel in nostram incidisse sententiam publicaverunt. Nos nolentes eidem electo ex hoc aliquod impedimentum afferri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel alter vestrum eumdem electum tam à nostra, si, quod non credimus, in eam incidit, quàm ab illorum ad cautelam absolvatis sententia. Nos autem si quod electioni de ipso factæ, vel confirmationi nostræ, seu provisioni securè ex hac causa parabatur obstaculum, illud tollimus & penitus abolemus de nostræ plenitudine potestatis.

EPISTOLA CCCCCVI.

Carissimo in Christo filio Jacobo regi Aragonum illustri.

De regno Sardiniæ.

Anno 1267 TArdè nimis tua misit serenitas dilectum filium Majoricensem archidiaconum & Vicensem capellanum nostrum. Jam enim cum duobus tractatus processerat super regno Sardiniæ (b) Carissimo in Christo filio nostro C. rege Siciliæ illustri, & dilecto filio nobili viro (c) H. fratre carissimi in Christo filii nostri regis Castellæ illustris. Est alia tarditas in negotio, quoniam inter moras illam partem amisimus, judicatum videlicet Turritanum, per quem dare poteramus ingressum ei qui conveniret nobiscum. Unde tuam magnitudinem non lateat, quod nec tibi illud concedere possemus, nec ad præsens id dabimus alterutri de prædictis; sed tenebimus in suspenso negotium, donec aliud videamus: malentes ad tempus perdere quod jamdudum perdidimus, quàm inter personas nobiles grave scandalum suscitare. Verum de ejusdem archidiaconi quem misisti negligentia nulla tibi superest quærimonia, cùm de improbitate ejusdem & instantia nimia nos conqueri potius valeamus, quam semper continuat, sui desiderii exitum meliorem expectans. Datum Viterbii x. Calendas Augusti anno III.

In eodem modo Jacobo filio suo verbis competenter mutatis.

(a) Reginaldum de Nantolio, de quo Jacobus de Vitriaco libro 3. Historiæ occidentalis & Matthæus Paris. in Historia Anglicana.

(b) *Al.* Carissimo scilicèt in Christo filio nostro H. fratre, &c.

(c) *Al.* Heliæ.

EPISTOLA CCCCCVIII.

Dilecto filio nobili viro P. nato claræ memoriæ F. regis Castellæ & Legionum illustris, Urbis Senatori, consilio etiam, & communi Urbis ejusdem.

De concordia inter ipsum & regem Siciliæ.

QUàm sit orbi & Urbi utilis, quamque Deo pariter & hominibus esse debeat & possit accepta vestra cum carissimo in Christo filio nostro C. rege Siciliæ firma concordia, persuasione non indiget ut probetur. Ipsa enim se veritas exhibet, ipsa aperientibus oculos se ostendit. Quocirca cùm aliqua audierimus quæ inter ipsum & vos possent non modicum scandalum suscitare; quibus inter ipsa decet initia obviari, dilectum filium B. can. Basilicæ S. Petri capellanum nostrum ad vos duximus destinandum, cui super his quæ ex parte nostra dixerit indubitanter credatis, sicque paternis beneplacitis coaptetis, quod pacis & concordiæ viri probemini zelatores, quibus nihil Deo gratius, nihil ad reipublicæ vestræ statum utilius esse potest. Datum Viterbii VII. calendas Augusti anno tertio. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCIX.

Archiepiscopo Cantuariensi.

Ut apostolicæ sedis legato in negotiis regni collaboret.

LIcèt tibi negare justitiam non velimus, satis tamen amarè gerimus, regno præcipuè perturbato, si nudæ voluntatis arbitrio dilecti filii nostri O. sancti Adriani diaconi cardinalis apostolicæ sedis legati justos niteris impedire processus; cujus te debes, quantum honestè poteris, beneplacitis coaptare, & eidem assistere in angustiis, quibus premitur pro salute publica, nec pericula veritus, nec labores. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus nostram in ipso personam intuens, & eidem reverenter obediens laboranti collaborare studeas & compati patienti, & sic ad regni negotia, quæ legatus ex fide prosequitur memoratus, humeros applicare non cesses, ut à nobis & ipso pro meritis valeas commendari. Sanè licèt beneficia, quæ dilectus filius (d) P. frater tuus nunc comes Burgundiæ, tunc verò Lugdunensis electus in tua diocesi obtinebat, dudum, nostræ collationi reservaverimus de- Anno 1267 (d)

(d) *Al.* Scilicèt Philippus à Sabaudia ad quem extat epistola nostri Clementis.

cernentes irritum & inane, si quid super, ipsis per te vel alium contingeret attentari, nos tamen de altero quod majoris valoris dicitur alicui bonæ personæ de tuo libenter provideremus consilio, quæ linguam Anglicæ nationis haberet, & esse posset utilis animabus. Datum Viterbii VII. calendas Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCX.

Episcopo Claramontis.

Increpat eum quod grangiam Obasinensis monasterii retineat.

Anno 1267 SÆpe mirati fuimus, cùm minori officio fungeremur, multorum studia prælatorum attentissimè contemplantes, qui suis sedibus opulentis&pinguibus non contenti,religiosorum prioratus & grangias nunc blanditiis, terroribus nuncsubrepticiisapostolicæ sedis indultis,sibidari ad temporis certum spatium,vel quo advivent procurabant; de bonis pauperum, quæ ab olim fidelium commendanda danda devotio usibus aliis deputaverat, suam ingluviem satiantes. An verò in eorum te numero ponere debeamus, hæsitare nos cogunt fratrum & sororum de (a) Obasina clamor assiduus & querela continua, quarum unam grangiam ab abbate dumtaxat eorum obtinuisse diceris, non interveniente conventus assensu, quam etiam multipliciter dissipas, aliqua ad ipsam grangiam pertinentia (b) emens ab aliis, & tuis vel tuorum usibus applicans, sub hujus emtionis obtentu. Quocirca cùm hæc quæ diximus, si eis veritas suffragatur, tanto magis nostrum amaricent animum, quantò sincerius te diligimus, quantòque Pontificalis gravitatis honori, sed & tuæ religionis proposito gravius adversantur; fraternitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes: quatenus Deum habens præ oculis, non negligens famam tuam; si hæc ita se habent, sic te ipsum emendare procures, ne cogente justitia, ictus sentias mallei durioris. In his enim tibi parcere non possemus, si ad nos super his querelam devenire contingeret iteratam. Datum Viterbii VII. calendas Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCXI.

Dilecto filio O. sancti Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut certum eum faciat de beneficiis quæ Philippus electus Lugdunensis in Anglia possidebat.

Anno 1267 CUm ab olim dilectum filium P. tunc Lugdunensem electum, nunc Burgundiæ comitem, si certis terminis, quos tunc sibi præfiximus ad sacros ordines, & demum ad sacerdotium non ascenderet, beneficiis omnibus, dignitatibus, & personalibus privaverimus excepta prælatione ecclesiæ Lugdunensis, collationi nostræ eadem reservantes. Decernentes insuper irritum & inane, si quid per quamcumque personam super eis contingeret attentari, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus nos quàm citius poteritis certificari procures quæ beneficia idem Ph. ad præsentationem non pertinentia laïcorum in Anglia possidebat. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCCXII.

Vicario nostro in Urbe.

Scribit se regem Siciliæ in Tuscia constituisse pacis restauratorem, atque excommunicasse omnes pacis inimicos.

Anno 1267 A Fidelibus & devotis ecclesiæ, quos in partibus Tusciæ duræ jugum tribulationis (c) oppresserat, carissimus in Christo filius noster rex illustris Siciliæ C. in eorum vocatus auxilium, & primum à civibus Florentinis, de hinc ab aliis civibus & locis celebribus in rectorem ad tempus assumtus, suam illuc misit militiam, ut cornua confringeret superborum, & potentibus de sede depositis humiles exaltaret. Nos sanè datam nobis opportunitatem de cælo protinus attendentes & sperantes obnixius per eum salutem Tusciæ dari posse, per quàm dum olim regeretur à perfidis, hostes Ecclesiæ fuerant roborati, multi fidelium bonis propriis spoliati, multi macerati carceribus, multi in exsilium dati, multi more bidentium cæsi gladiis, multi membris aliquibus mutilati; nostros in ipsum direximus oculos, & jam ex parte pacis turbatoribus exturbatis, & erectis cornibus devotorum, intelligentes regiæ celsitudinis brachium confirmatum, eidem regi de fratrum nostrorum consilio pacis tutelam in Tusciæ finibus, quæ vacanti subsunt imperio, duximus committendam, eumdem inibi paciarium statuentes, data sibi sub certa forma plenaria potestate, omnes illos qui pacem jurare nollent, aut juratam violare præsumerent, comprehendi. Cùm igitur rex idem, sicut Ecclesiæ fidelis filius devotissimus, onus hujus officii assumsisset, & nedum eum benevolis, sed etiam cum his qui pacem oderant vellet esse pacificus: quia tamen in locis aliquibus pacis filios non invenit, attentè considerans, & prudenter attendens, quod juxta sanctorum sententias, pax tantum est bonum, ut per suum licitè quæratur contrarium, si nequeat aliter obtineri; subegit aliquos manu valida, & nonnullos obsidione vallavit, illuc se conferens personaliter, ut non solum utilius, quin etiam citius & humanius captum tantum negotium consummetur. Ne igitur aliquorum insana temeritas pacis angelum, Christi pugilem memoratum perversis pariter & adversis audeat impedire conatibus, sicut dudum omnes qui regnum ejus & terras adjacentes eidem perturbare præsumserint, excommunicationis mucrone percutimus, sic & nunc in omnes qui in

(a) Obazina insigne monasterium duplex, virorum unum, alterum feminarum, utrumque ordinis Cisterciensis in dioceſi Lemovicensi fundatum à S. Stephano abbate, cujus vitam habes in Miscellaneis Baluz. tom. 4.

(b) *Al.* Eruens.

(c) *Al.* Oppressit.

in dictis Tusciæ finibus ei seu genti suæ se opposuerint, vel opponentibus consilium opemve præstiterint, excommunicationis sententiam promulgamus, locos quibus se opponentes eidem recepti fuerint, ecclesiasticis interdictis supponentes, Fraternitati tuæ in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus ut hæc per Urbis ecclesias publices aut per alios facias publicari.

In eodem modo prælatis in Tuscia & in Romaniola & Lombardia constitutis. Datum Viterbii v. calendas Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCXIII.

Episcopo Senensi.

Permittit ei ut ad Senenses se recipiat, aut in Sabinia episcopale officium exerceat.

Anno 1267 SI natalis aëris intemperies tibi licèt indigenæ non pepercit, minus siquidem miramur; sed non minus pietate suggerente compatimur, si domesticam tuam familiam molestavit, densis Urbis vaporibus insuetam. Sanè cùm Senenses se penitus nescientes in erroris deciderint labirinthum, & tot nostris ingrati gratiis mala malis accumulant, clerum spoliant, opprimunt innocentes; quid apud eos facias aut proficias, si illuc ieris, non videmus. Dati enim in sensum reprobum, ut videtur, Domini & hominum reverentiam abjecerunt, ne doctrinam sanam recipiant, doctrinis variis & peregrinis abducti. Verùm tuæ committimus providentiæ viam tuam, ut si vel eorum vocatio te invitat, vel inspiratio secretorum ammonet, ut aberrantem visites gregem tuum, eas ad illos; vel si, quod probabilius creditur, posse te prodesse diffidis, intres Sabiniam, & ibidem exerceas episcopale officium vice nostra, tua semper opportunitate servata, donec vires resumas ad plenum. Quod si nec illa tibi terra placuerit, elige quem malueris aërem, ubi saltem ad tempus valeas cum familia respirare. Si Sabiniam tibi elegeris, ab omnibus & in omnibus tibi facias de nostris juribus responderi: Quid autem ex prædictis elegeris, nobis rescribere non omittas. Datum Viterbii (a) III. calendas Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCXIV.

Dilectis filiis universis baronibus & nobilibus, potestatibus & rectoribus, capitaneis, consulibus, comitatibus, & universitatibus civitatum, castrorum & villarum per patrimonium B. Petri in Tuscia constitutis nostris & Ecclesiæ Romanæ rectoribus.

Ut H. Urbis Senatori non pareant.

Anno 1267 NIhil justitiæ dissonum, nihil contrarium æquitati videtur. Nuper devotioni vestræ scripsimus, cùm ad nostrum perveniret auditum, quod nobilis vir H. senator Urbis, vobis & vestrûm aliquibus direxerat litteras, & nuncios speciales, multa vobis sub certis pœnis præcipiens, quæ in grave Ecclesiæ Romanæ præjudicium verumque dispendium redundabant. Nos siquidem his auditis, qui sic omnibus jura servari volumus, ut nostra minimè negligamus, & eidem super hoc aperuimus per litteras nostras mentem nostram, & vobis universis & singulis sub debito fidelitatis, quo Ecclesiæ præfatæ tenemini, & sub pœnis per nostrum vobis arbitrium inferendis districtè præcipiendo mandavimus, & nunc etiam iterato mandamus, quatinus mandatis hujus, si qua vobis per senatorem eumdem jam facta fuerant, vel similibus, si in posterum vobis fierent, minimè pareatis; & si forsitan non omnino his verbis usi fuimus, hanc fuisse intentionem nostram minimè dubitetis, quam ex forma litterarum priorum satis committere poteratis. Datum Viterbii *ut supra proxima.*

In eodem modo per Sabiniam constitutis.

EPISTOLA CCCCCXV.

Dilecto filio Magistro Heliæ Peleti capellano nostro canonico Belvacensi.

Ut tam in castra Podii Boniti, quam apud Pisanos & Senenses pacem stabilire studeat.

SI filius noster carissimus in Christo C. rex illustris Siciliæ paciarius constitutus à nobis Anno 1267
in Tusciæ finibus subjectis imperio nunc vacanti, pacis inibi generaliter filios invenisset; super omnes utique tam pax nostra requiesceret, quam sua, sed obsistentibus ejus proposito viris dyscolis, qui viam pacis minime cognoverunt, ecce quod dolentes referimus, factus aliquibus in crudelem, ferro compellimur mederi vulneribus, quæ fomento non sentiunt medicinam. Sanè nos qui justitiam, cujus pax opus est, sic diligimus, ut etiam ipsis pietatis paternæ viscera non claudamus, te cujus fidem dudum probavimus & industriam, ad dictas partes duximus destinandum, per apostolica scripta tibi firmiter præcipiendo mandantes, quatenus tam homines castri Podii Boniti, quod à gente prædicti regis esse obsessum dicitur, quam Pisanos, perfidosque Senenses, & omnes rebelles alios, finium eorumdem, ad dicti regis obedientiam in officio quod eidem commisimus salutaribus monitis diligenter & prudenter inducas, ipsumque regem reddas eis placabilem. Qui saniori forte consilio tuis monitis acquieverint, sic eorum securitati provideas, salva semper in omnibus moderatæ justitiæ disciplina, quod tam gravi tempestate sedata, illa pars Tusciæ, quæ tot malis dedit originem, quæ tot ecclesiæ suisque fidelibus scandala suscitavit, nunc saltem domita per eumdem, in pulcritudine pacis sedeat in tabernaculis fiduciæ & requie opulenta; eos verò qui in suis fæcibus quiescentes obtemperare tibi noluerint, post insinuatam eis sententiam, quam in eos tulimus, qui dictum regem in commisso sibi per nos officio perversis & adversis conatibus tentaverunt impedire, necnon & omnes qui hoc consilium vel opem

(a) *Al.* x. Calendas.

dederint, excommunicatos terrasque in quibus recepti fuerint ecclesiastico interdicto suppositas denuntiare publicè non omittas. Datum Viterbii II. nonas Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCXVI.

(a) (a) Dilecto filio Magistro Heliæ Peleti capellano nostro canonico Belvacensi.

Missum in Tusciam jubet emendare quæ Siciliæ regem possint offendere.

Anno 1267 CUm te ad partes Tusciæ nunc vacanti imperio subjectas destinemus, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si in terra dilecti filii nostri O. sanctæ Mariæ in Via-lata diaconi cardinalis, postquam carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ partes Tusciæ gens intravit, aliqua commissa dicuntur aut dicerentur dum ibi fueris, ex quibus rex idem aut sui reputare possint aut debeant se offensos, tu super his ex officio de plano & sine spiritu ac figura judicii veritatem inquirens, ad plenum ea facias emendari: aut si casus tibi nimis difficilis visus fuerit, nos confestim consulere non postponas, responsum nostrum protinus habiturus. Non tamen fingas difficile quod non erit, ne non tam consilium quàm subterfugium quærere videaris. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCCXVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut victorem se potius quam ultorem exhibeat, nec ullum officium exerceat in terra O. cardinalis.

Anno 1267 CUm firmetur clementia thronus regis, decet te, fili carissime, Deum semper habere præ oculis, cujus geris negotium, viris pacificis pacem nutriens, & eam offerens indevotis. Sanè quamvis tantum sit pacis bonum, ut per suum licitè quæratur contrarium, si forte aliter nequeat obtineri: quia tamen imitari te convenit illum pro viribus, qui cum irascitur, semper minimè recordatur; serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus in tuis actibus & tuorum crudelitatem evitans, victorem potius impleas, quàm ultorem; & quieti provinciæ consulens, diligi magis eligas quàm timeri; eo semper adhibito moderamine, ut nec terror (b) errorem habeat, nec dissoluta pariat mansuetudo contemtum. Sanè licèt in Tusciæ finibus te paciarium constituimus generalem, mirari non debes aliquatenus aut turbari, si forsan aliquid speciale statuimus in terra dilecti filii nostri O. sanctæ Mariæ in Via-lata diaconi cardinalis, qui cum sit nobile corporis nostri membrum, non eadem cum aliis est censura tractandus. Ad terram igitur ejus, quam fuisse & fore tibi spondet pacificam, commissum tibi non extendas officium, si quæ contra te vel tuos facta dicuntur inibi, vel dicentur; ecce mittimus dilectum filium magistrum H. Peleti capellanum nostrum canonicum Belvacensem, qui veritatem inquiret, & emendanda faciet emendari; in difficilioribus, si emerserint nostrum consilium petiturus, qui etiam super his nostrum propositum tibi plenius denudabit, cui te credere volumus tamquam nobis. Cardinalis quidem injuriam æquo animo tolerare minimè valeremus, quo offenso seu læso, & nos & fratres nostri per consequens læderemur. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCCXVIII.

Carissimo in Christo filio C. Regi Siciliæ illustri.

Contra Senatorem.

SÆpe cogimur scribere senatori, quod seductus consilio aliquorum, & aliorum excitatus impulsibus, tentat plurima, quæ in nostrorum actuum videntur cedere præjudicium & gravamen. Licèt autem verba verbis reddiderit, & jam substiterit in aliquibus & in aliis pertransierit perfunctoriè; nos tamen solis adhuc comminationibus insistentes, non processimus contra ipsum, cùm nec occasio se præbuerit importabilis, nec in cœptis perseveraturus credatur, à multis sapientibus, prout dicitur, increpatus. Verùm ad id quod ultimo tuis receptis litteris de occupatis, (c) Rota & Castro in regni tui finibus scripsimus, nondum ejus responsum habuimus; id, mox ut venerit, tuæ cum ipsius litteris magnitudini transmissuri. Demùm stantes suspensis auribus cum multitudine copiosa fidelium obsidionis, qua tot vallasti perfidos, felicem equidem, sed humanum expectamus eventum, ex quo pendet hostium tuorum confusio; non illorum dumtaxat, quos inibi conclusisti, sed ubilibet consistentium; quorum utique, si quos obsides obtinueris, frangentur animi, cadent manus, genua dissolventur. Confidimus autem in Domino, quod qui te suum ministrum inter catholicos principes elegit, ad impiorum superbiam emendandam, in hoc negotio te non deseret, sed inceptum feliciter longè feliciùs conservabit. Datum Viterbii Idibus Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCXIX.

Dilecto filio Magistro Heliæ Peleti capellano nostro canonico Belvacensi.

Ut faciat revocare comitem Hugolinum Ecclesiæ Romanæ infestum.

QUas ex nostro speciali mandato inhibitiones Pisanis feceris de Sardiniæ finibus non intrandis, cum commissa tibi magna negotia prosequens moram traheres apud eos, à tua non credimus excidisse memoria; sed jam suæ salutis immemores, in arcum pravum, prout dicitur, Anno 1267

(a) *Al.* In Trecensi codice reperitur inscriptio *eadem* ab aliis prætermissa.

(b) *Al.* Honorem. F. horrorem.

(c) *Al.* Recta.

sunt commissi. Nam comes HUGOLINUS eorum civis non minimus in manu valida judicatum Turritanum seu regnum invasit cum Tuscio Ruffo & aliis perfidis, Ecclesiæ Romanæ fideles infestans, secum habens in isto scelere adjutores, de communis Pisani speciali mandato, Pisanos omnes qui à Sardinia moram trahunt, prout dilectus filius Magister G. Gellonis capellanus noster, quem dudum in illis partibus nostrum vicarium constituimus, nobis scripsit. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem moneas, & eisdem districtè nostra fretus auctoritate præcipias, quatenus sine moræ dispendio revocent dictum comitem, & per ipsum vel alios sui districtus vel alterius dictum regnum & specialiter homines Cassari non infestent, & de damnis eis & aliis nostris fidelibus irrogatis satisfaciant indilatè, alioquin sententiis ratis manentibus, in quas incidisse creduntur, omittere non poterimus, quin contra ipsos acrius exigente justitia procedamus. Datum Viterbii Idibus Augusti anno III.

EPISTOLA CCCCCXX.

Viro illustri & magnifico principi in gente nobili Tartarorum Elchani Apacha in præsenti gratiam Creatoris, & in futuro gloriam obtinere.

Ei gratulatur quod Christianæ fidei sit addictus, ac Dei protectionem ei pollicetur.

Anno 1267. NUper virum nobilem tuæ magnitudinis nuncium benignè recepimus, & ab eo super tuo nomine quasdam recepimus litteras, & quæ nobis per interpretem exponere voluit, intelleximus diligenter. Sanè licet litteras quas exhibuit nullus de his qui erant in nostra curia legere nobis scivit, nec tu, sicut alias feceras, in lingua latina scripseras nobis quicquam, solum verbis illius qui eas attulit oportuit nos intendere, & juxta qualitatem illarum tuæ magnificentiæ respondere. In primis igitur gratias agimus Domino Deo nostro bonorum omnium largitori, qui tui cordis illuminavit oculos, ut eumdem agnosceres, & ejus Filium unigenitum pro salute humani generis crucifixum humiliter adorares, & crucis suæ vexillum reverenter honorares. Ecce gaudes, ut asseris, de victoria quam habuimus in regno Siciliæ, cujus MANFREDUS filius FREDERICI quondam imperatoris Romani temerarius occupator, per manum validam carissimi in Christo filii nostri C. cui regnum idem concessimus, in bello campestri regno cecidit privatus & vita, cum perfidorum Saracenorum multitudine copiosa. Ecce reges Franciæ & Navarræ cum multis comitibus, baronibus, & militibus, & aliis infinitis, Terræ-sanctæ negotium assumentes, crucis insigniti caractere, contra crucis & fidei inimicos se viriliter præparant & potenter. Jamque de regionibus aliis multi magni & parvi eorum provocantur exemplo, ut Christi nomen totis & exaltent viribus & potentiam Saracenorum, sectam etiam, & nomen extingant. Verùm super his quæ scripsisti, quod videlicet simul cum tuo socero adjuvare Latinos intendis, grates tibi referimus copiosas: quo tamen nostri venire proponant itinere tibi rescribere non possumus, regibus inconsultis; sed eisdem significabimus tuum & soceri tui consilium, ut melius deliberare valeant quid eis videatur agendum, & super his per certum nuncium tuam magnificentiam possumus reddere certiorem. Sta igitur, Princeps magne, in salubri proposito, nam sperare debes in Domino, quod si bene ei servieris, tuum firmabit solium & multipliciter exaltabit. Sua est potentia, suum est regnum, in manu ejus sunt omnia corda regum: quos vult humiliat, & quos vult exaltat, ejus nutu universa reguntur, nec est qui valeat ejus resistere voluntati. Datum Viterbii anno III.

EPISTOLA CCCCCXXI.

Archiepiscopo Ravennensi apostolicæ sedis legato.

Firmam de Deo spem habens, ejus se committit voluntati.

DE adventu juvenis CONRADINI multa dudum audivimus, quæ sicut hactenus æstimavimus, sic & probavimus esse falsa. Sanè tuam laudamus prudentiam, quia nobis quæ recipis scribere non omittas, quod & continuare te volumus, cum ad nostram instructionem utilia, & ad exercitationem fidelium videantur quàm plurimum opportuna. Nos verò Dei nos beneplacito conformantes, æquanimiter ferre proponimus quicquam ei placuerit: non sic tamen ut tentantes eumdem imminentibus rerum eventibus nos absque providentia committemus; sed facturi quicquid poterimus, ut Ecclesiæ status pacificus conservetur. Si consistant adversum nos castra, quantumcumque sint valida, non timebimus; & si exurgat adversus nos prælium, sperabimus in hoc ipso. Tua igitur circumspecta fraternitas onus impositæ legationis exsequens, sic instet, sic vigilet, sic laboret in omnibus, ut in terris tuæ gubernationi commissis & fidelium fulciatur devotio, & marcescat improbitas perfidorum. Datum Viterbii (a) XVII. calendas Septembris anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCXXII.

Bertrando Tholosanæ ecclesiæ præposito.

Quæstionem inter abbatem Fuxensem & Rogerium comitem Fuxensem terminandam committit.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Bertrando præposito ecclesiæ Tholosanæ salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1267 Ex archivis ecclesiæ Tolosanæ.

Dudum inter dilectos filios abbatem & conventum monasterii Fuxensis ordinis S. Augustini ex parte una, & quondam ROGERIUM comitem Fuxensem & vicecomitem Castriboni Tholo-

(a) Al. XV. Calendas.

sanensis diocesis ex altera, super mutuis spoliationibus seu disaisiamentis ac damnis hinc inde datis, & nonnullis possessionibus & diversis aliis quæstionum articulis, orta materia quæstionis: tandem partes in nos, dum adhuc regimini Narbonensis ecclesiæ præessemus, sicut in judicem consenserunt, & de mutuis spoliationibus, disaisimentis acdamnis hujusmodi per nos&personas idoneas de plano & sine strepitu judiciali ex officio nostro per modum inquisitionis veritatem inquirere,& secundum quod invenerimus, h... inter partes difinire possemus. Super præmissis verò possessorium contingentibus partes ipsæ appellationis beneficio renunciaverunt expresse: super hæc autem quæ ad petitorium pertinent, mutuas petitiones partium audientes definiremus, justitia mediante, hoc excepto quod quæstio castri de Fuxo sub ordinatione hujusmodi non veniret, de faciendis & complendis dicto & sententia nostris, præstito ab utraque parte corporaliter juramento: ita tamen quod juramentum ipsum neutræ parti obstaret, quin in quæstionibus judicii petitorii posset in confessis à jure casibus appellari; prout in publico instrumento confecto exinde plenius dicitur contineri. Licèt igitur nos tunc hujusmodi compromisso recepto, in eodem negotio duxerimus aliquamdiu procedendum: quia tamen in collegium sanctæ Romanæ Ecclesiæ processu temporis admissi fuimus, & tandem ad regimen apostolicæ dignitatis assumti, hujusmodi negotium per nos non extitit sententialiter terminatum: volentes itaque quod negotium ipsum, quod adhuc inter eosdem abbatem & conventum ex parte una, & dilectum filium nobilem virum ROGERIUM BERNARDUM natum & heredem prædicti comitis ex altera vertitur, finem debitum sortiatur: discretioni tuæ, de consensu partium, per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, in prædicto negotio, servato tamen processu olim habito coram nobis, de plano sine judiciali strepitu procedens, illud debito fine decidas; faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari; proviso ne in terram nobilis prædicti, aut in Fuxensem vel Castriboni universitates excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi à nobis super hoc mandatum receperint speciale. Testes autem qui fuerint nominati, si de gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Actum Viterbii XIV. calendas Septembris, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCCXXIII.

Dilectis filiis potestati, consilio & communi Cornetanensi.

Ut Senatori & populo Romano non pareant.

Anno 1267

LIcèt dilecti filii nobilis vir senator & populus Romanus, quorum jura nolumus intervertere, sic jure suo deberent esse contenti, quod non invaderent alienum; quia tamen, prout accepimus, in terra Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem sibi temerè usurpantes, à nobis, & aliis nostris & ejusdem Ecclesiæ Romanæ fidelibus multa exigunt in nostram injuriam & nostræ præjudicium libertatis. Vobis universis & singulis sub debito fidelitatis, quo nobis & Ecclesiæ ipsi tenemini, & sub pœna v. millium marcarum auri & amissionis omnium privilegiorum & libertatum, quæ à sede apostolica ullo tempore habuistis, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus venientibus ipsis vel nunciis eorumdem in hujusmodi minimè pareatis; sed nec eis contra nos vel carissimum in Christo filium nostrum C. regem Siciliæ illustrem, vel quascumque terras nostras consilium & auxilium vel favorem aliquem impendatis, alioquin & in pœnas incidatis ipso facto. Datum Viterbii XIII. calendas Septembris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXIV.

Episcopo Senensi.

Ut Senenses ad Romanæ Ecclesiæ gratiam studeat revocare.

Anno 1267

CUm potens sit Dominus de lapidibus filios Abrahæ suscitare, si à suis erroribus tuum populum revocaret, cum sanctis angelis super tot peccatoribus agentibus pœnitentiam gauderemus. Quocirca cùm ad eos de nostra properes licentia speciali, fraternitatem tuam rogandam duximus & hortandam in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus materna viscera cum paternis verberibus eis exhibens, ad nostram & Romanæ Ecclesiæ gratiam eos reducere studeas, ut melioribus intenti studiis in pace pectoris pacem temporis valeant obtinere. Nos enim eis ad cor humiliter revertentibus, quantumcumque nobis illuserint, quantumcumque se in præceps dederint, parati sumus pandere sinum mellifluæ pietatis. Datum Viterbii XIII. calendas Septembris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXV.

Carissimo in Christo filio nostro regi Siciliæ illustri.

Differt solutionem census annui.

Anno 1267

COmpatiuntur tibi fratres; & tamen suam aliqui paupertatem causantur, ut non sit eis facile successivis dilationibus spe certi debiti defraudari. Sanè quia tuæ prospicimus necessitudinis instantiam, votis tuis ad præsens annuimus, nolentes incurrere te perjurium, si eumdem censum in calendis Septembris proximis vel antè non solveris, dum tamen si interim solvere illum opportunè nequiveris, saltem infra festum S. Michaëlis proximè veniens illum solvas. Ulteriorem autem dilationem non expectes, tenens certissimè quod prorsus deficeres in eodem. Datum Viterbii XIII. calendas Septembris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXVI.

Regi Francorum illuſtri.

Collatam ipſius auctoritate in eccleſia Remenſi præbendam juri regio nolle præjudicare.

Anno 1267 (a) CUm filius noſter (a) G. titulò S. Marci preſbyter cardinalis, auctoritate noſtra ſibi à nobis oraculo vivæ vocis commiſſa, præbendam quæ in Remenſi eccleſia per promotionem ve- (b) nerabilis fratris noſtri (b) J. archiepiſcopi Remenſis tunc canonici ejuſdem eccleſiæ olim dignoſcitur vacaſſe, dilecto filio magiſtro Johanni de Villauſico Remenſi canonico contuliſſet; nos collationem hujuſmodi ratam habentes & firmam, eam auctoritate apoſtolica duximus confirmandam, certo ſuper hoc per noſtras litteras executore conceſſo, qui eumdem magiſtrum in poſſeſſionem ipſius præbendæ auctoritate litterarum dictarum dicitur induxiſſe. Verùm quia tu ea ratione, videlicèt quòd vacantes conferre in eccleſia ipſa præbendas, à tempore quo eamdem eccleſiam paſtoris regimine contingit deſtitui, donec ſubſtitutus illi archiepiſcopus, ex regulis juris, hujuſmodi collationem in præjudicium tuum aſſeris factam. Nos qui à cujuſcumque de puſillis quantumcumque minimis ſcandalo abſtinere intendimus, te quem pro tuis clariſſimis meritis internæ complectimur brachio caritatis, ſuper hoc ſcandalizare nolentes, dilecto filio Dionyſio canonico ejuſdem eccleſiæ damus ſub certa forma noſtris litteris in mandatis, ut à dicto magiſtro Johanne conſignationem ipſius præbendæ liberam auctoritate noſtra recipere non omittat. Verùm cùm eidem Dionyſio per alias noſtras litteras injungamus, ut ab eodem magiſtro Johanne juxta priorum litterarum noſtrarum tenorem libera ipſius præbendæ conſignatione recepta, eam vacantem poſtmodum præfato magiſtro Johanni auctoritate noſtra per ſe vel per alium conferat & aſſignet, ac eum in poſſeſſionem illius inducat, & defendat inductum, contradictores, perſona tua excepta, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo; nos quod per præmiſſa uſui, quo in præfata eccleſia circa collationem præbendarum ipſarum uteris, præjudicare nolumus, nec etiam intendimus, has litteras noſtras in teſtimonium ſublimitati regiæ duximus concedendas. Datum Viterbii Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno III.

EPISTOLA CCCCCXXVII.

Venerabili fratri Bertrando archiepiſcopo Arelatenſi.

Permittit ei ut Crux coram eo deferatur in Provincia Arelatenſi.

Anno 1167 Ex Pontif. Arelat. ...xii in ...ertrando AD rememorandum ſacramentum Dominicæ paſſionis, quæ fuit noſtra redemtio, mortis noſtræ deſtructio, & vitæ reparatio ſalutaris, crucem quam ipſe Redemtor nos redimen-

(a) Guillelmus. (b) Johannes de Corternaco.

A do ſubiit, gerimus figuratam interius, & in crucifixi memoriam devotis mentibus exterius adoramus. Illius quoque mirificæ crucis ſignum Romani Pontifices velut Chriſti vicarii habent ſuis greſſibus (c) præmium, ut in eis ſignum (c) cum ſignato concordet, ac (d) ejus vices gerunt (d) in terris, veſtigia proſequi (e) dignoſcant. Licèt (e) igitur deferendæ crucis dignitas ſolis eiſdem Pontificibus convenire noſcatur, dignum tamen duximus ut Arelatenſem eccleſiam, quam propter laudabilia ſuorum qui fuerunt pro tem- B pore merita prælatorum, grandium honorum conſpicimus titulis inſignitam hujuſmodi, apoſtolicæ dignitatis participem faciamus. Quare ad tui & ipſius eccleſiæ decoris augmentum, tam tibi quàm tuis ſucceſſoribus in perpetuum faciendi coram vobis deferri crucem per Arelatenſem provinciam ex præſenti privilegio; quo prædictam eccleſiam de ſpeciali gratia præſignimus, plenam præſentium auctoritate concedimus facultatem. Datum... Pontificatus noſtri anno III.

C

EPISTOLA CCCCCXXVIII.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ preſbytero cardinali.

Appellationem ad ipſum Remenſis, Senonenſis & Rotomagenſis eccleſiarum ſe non admiſiſſe.

UT os ſuum omnis opilet iniquitas, & ſer- Anno 1167 D monibus veritatis detrahere non præſumat, his qui præſunt non mediocriter pro loco & tempore credimus expedire, imprudentium hominum ignorantiam ſic obſtruere; ſed impudentium multo magis audaciam ſic reprimere, ut à voce tonitrui formidantes, ſua ſe pluſquàm licet, decet, aut expedit erecti in ſuam demùm reſiliat parvitatem, ad quam ſi ſano conſilio tam humiliter quàm fideliter ſe inclinaverint, aperiendum eis benivolæ ſinum miſericordiæ non negamus. Sanè nuper recepimus dilecto- E rum filiorum decanorum & capitulorum Remenſis, Senonenſis & Rothomagenſis eccleſiarum & ſuffraganeorum ſuorum procuratores & litteras voce nobis & ſcripto plurima proponentes, quæ ſupplicatione hujuſmodi claudebantur, cùm cariſſimus in Chriſto filius noſter L. rex Francorum illuſtris decimam vel aliquam eccleſiaſticorum beneficiorum in Francia portionem pro Terræ-ſanctæ ſubſidio à nobis petere diceretur, in ſupplicatione hujuſmodi nos taliter haberemus, quod ſancta mater Eccleſia tem- F poribus noſtris de variis oppreſſionibus reſpiraret, ad pacem & ad tranquillitatem reſurgerent; hanc ſuam concluſionem in ſuarum ſerie litterarum multis prius inſtruxerant argumentis, quorum quædam in dubiis, quædam in falſis, quædam in prorſus impertinentibus fundabantur. Verum dicti procuratores litterarum narratione ſimplici non contenti, ſubjunxerunt ex-

(c) F. Prævium. (d) F. Cujus.
(e) F. Dignoſcantur.

A pressius aliqua, quæ conceptam malitiam detegerunt, inter cetera verba blasphemiæ proponentes, quod si decimam concederemus petitam, mallent dicta capitula excommunicationum sustinere sententias, quàm in hoc casu nostris obedire mandatis, cùm apud ipsos communiter diceretur, quod non cessaret exactio tributorum. Nos igitur insolentiam contemtorum meritò contemnentes, litteras litteris, & verbis verba reddidimus, supplicationem ipsorum, quam jam gratia nostra regi facta prævenerat repellentes, & appellationem à te interpositam, quia supplicationes eorum non admiseras, prout asserunt, reprobantes, cùm sit nostrum immobile fixumque propositum dictam gratiam exsecutioni mandare, non obstante appellationis cujuslibet vel contradictionis objectu. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, & in tuorum remissionem tibi peccaminum injungimus, quatenus juxta traditam tibi formam in prædicto procedens negotio, ad collectionem decimæ supradictæ, per te & alios, prout expedire cognoveris, procedas viriliter & instanter, non obstantibus appellationibus interpositis, vel interponendis imposterum, privilegiis, vel indulgentiis, seu litteris quibuscumque impetratis vel impetrandis, cujuscumque tenoris existant, etiamsi in eis contineatur expresse, vel in jure sit cautum, quòd eis apostolicæ litteræ non præjudicent, nisi de ipsorum tenore de verbo in verbum, vel aliqua religione, vel ordine, vel loci ullius nomine vel personæ, quacumque alia circumstantia, fiat in eis mentio specialis, vel aliqua exceptione seu defensione quacumque, per quam exactio dictæ decimæ impediri valeat vel differri: contra Ecclesiæ rebelles, cujuscumque conditionis vel dignitatis, etiam episcopalis, aut archiepiscopalis existant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo: non obstante si aliquibus à sede apostolica est indultum, quod excommunicari, interdici nequeant, aut suspendi, &c. Datum Viterbii XVIII. calendas Octobris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXIX.

Dilecto filio Magistro Heliæ Peleti canonico Belvacensi.

Facultatem ei tribuit mutuum contrahendi pro ecclesia.

Anno 1267 DE prudentia tua plenius confidentes, recipiendi mutuum usque ad XXX. millia librarum Turonensium nomine Romanæ Ecclesiæ simul aut divisim aut separatim à mercatoribus, aut quibuscumque, ac propter hoc cameram nostram & bona ejusdem ecclesiæ ipsis mercatoribus obligandi, necnon promittendi eisdem quod in locis & terminis quæ cum eis ordinanda duxeris, pecuniam sibi quam mutuò ab illis receperis, aut confessus fueris recepisse, cum (*a*) expensis damnis & interesse, (*a*) quæ illis promiseris, si in solutione statutis per te eis locis & terminis cessaretur, solvi cum integritate plenariè faciemus; quodque ratum habebimus, quicquid super his duxeris faciendum, discretioni tuæ de fratrum nostrorum consilio auctoritate præsentium plenam concedimus facultatem; statuentes quod pecuniam ipsam fore conversam in utilitatem nostram & ipsius Ecclesiæ Romanæ prætextu, alicujus constitutionis canonicæ vel civilis, memoratis mercatoribus probandi necessitas non incumbat.
B Datum Viterbii XVII. (*b*) calendas Octobris anno III. (*b*)

(*a*) F. Expensa damno.

(*b*) *Al.* XVI. Calendas.

EPISTOLA CCCCCXXX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Causatur de ipsius officialibus.

C NOva de CONRADINI adventu, quantumcumque crebrescant, citò casura credimus, sicut & hactenus ceciderunt. Verùm si venerit in Italiam, quod non credimus, nullatenus expedit quòd ei occurras, nec à regno tanto terrarum spatio segregatus tuis hostibus aggrediendi quæ timent audaciam præbeas opportunam. Et hoc sentiunt apud nos qui te diligunt universi. Sanè cùm regnum tuum pessimè laceretur à tuis, tuæ adscribitur culpæ, quod eis indigens, existentibus tuis officiis furibus & latronibus opulentis, qui ea in regno D tuo faciunt, quæ Deus sustinere non poterit, contra quem nullo potes consilio te munire. Ibi enim officiales raptus & adulteria, prout à viris religiosis accepimus fide dignis, cum variis exactionibus & rapinis exercere in publico non verentur. Et cùm totiens super his fueris increpatus, nec ea correxeris aut punieris; profectò vitiis pollutus remanes alienis. Quis ergo tuam plangere poterit paupertatem, qui de regno non potes, aut nescis vivere, de quo vir E nobilis FREDERICUS Romanorum olim imperator, ut nosti, majores te sumtus faciens in immensum se suosque ditabat, & insuper Lombardiam & Tusciam, & utramque Marchiam & Alamanniam satiabat. Verùm non speres in nostra curia mutuum invenire. Si tamen hostis tuus prædictus in potestate venerit formidanda, fratres nostri, ut credimus & speramus, consentient quod pro quærenda tibi pecunia quam petisti, demus potestatem alicui Romanam Ecclesiam obligandi, receptis à te magnis & ar- F duis cautionibus pro eadem Ecclesia indemni servanda. Datum *ut supra*.

Anno 1267



EPISTOLA CCCCCXXXI.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Mittit ei litteras ab Albanenſi epiſcopo acceptas.

Anno 1267

Litteras venerabilis fratris noſtri Albanenſis epiſcopi apoſtolicæ ſedis legati recepimus, continentes interclusas quaſdam alias litteras dilecti filii nobilis viri Fulconis de Podio-Ricarii vicarii tui in Sicilia, quas interclusas præſentibus tibi duximus deſtinandas, ut, earum inſpecto tenore, deliberes ac provideas circa dictarum continentiam litterarum, prout videris expedire. Datum Viterbii (a) XVII. calendas Octobris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXXII.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Significat ei hoſtes in Siciliam intraſſe, nec debere Lombardiam penetrare.

Anno 1267

Non libentius ſed lætantius blanda quàm aſpera nuntiamus, cùm illis pro tempore arridente blanditiæ ſperni valeant, & in aliis imminentes anguſtiæ nec ad horam providentiæ dilationem admittant. Sanè navim quamdam pro certo comperimus de Sicilia venientem appuliſſe Neapolim, & qui in ea venerunt Neapolitani fideles tui narrant de Tunicii partibus hoſtes tuos intraſſe Siciliam, in caſtro receptos quod dicitur Achium, & inde ad Agrigentinam civitatem vocatos, ad quam tamen utrum tranſierint, ignoratur. Et dicitur quod in eis erant CCC. Teutonici & C. Latini milites, & C. cum arcubus Saraceni: an à tergo majorem expectarent comitivam neſciebatur; ſed certum eſt quod contra eos tota Sicilia procedebat. Turbati ſunt regnicolæ circa Farum in mutuo, & exactionibus aliis pluſquàm credere velis aut valeas. Utinam magis crederes & plenius ſcire velles. Nullo quidem poteris juvari conſilio, nullo fulcieris auxilio, ſi tu ipſe qui te Domini pugilem confiteris, ipſum in ſuis eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis, viduis, orphanis, aliis membris ſuis impugnas. De his autem omnibus ſcribit tuæ, prout credimus, magnitudini venerabilis frater noſter Albanenſis epiſcopus. Venturus eſt in proximo frater Amalricus de Rupe, per quem ſuper his omnibus ſcire poteris veritatem. Illud verò iteratò concludimus, quod & ſcripſimus tibi nuper, ut ad Lombardiam intrandam nullatenus te involvas, ne ad interiora progrediens, & poſteriorum oblitus, quod avertat Dominus, non proficias, ſed deficias in utriſque. De urbe adhuc non habemus, niſi quod paulatim multiplicantur milites apud Sutrinum, & Senator magnas machinas imponi facit turribus, quaſi magnum aliquid tentaturus, an ſint iſta terroris præſidia, an aliquid ſibi arbitretur poſſibile penitus ignoramus. Demùm quamvis de tuis aliqui nobis ſcripſerint, & etiam tui nuncii dixerint, quod parandum eſſet in Urbe diſſidium: ſcias tamen poſt collationes diverſas, nos adhuc nullum aditum inveniſſe. Pars enim non confidit de parte, & ambæ timent Senatorem ut fulgur, nec juxta ſe potentiam magnam conſpiciunt, per quam poſſent expeditè juvari; quam etiamſi viderent, non eſſent ea contenti; niſi eiſdem pecuniæ puteus inexhauribilis pararetur. Quicquid autem ſcribimus, finaliter credimus, quod ſi te Dei beneplacito coaptaveris, in te & tuis corrigens quæ tam Dei quam hominum oculos offendunt, benefaciet tibi Dominus. Alioquin non credimus, quod dolentes referimus, in tua noſtraque negotia eo curſu poſſe procedere, quo cœperunt. Datum Viterbii XV. calendas Octobris.

(a) Al. XII. Calendas.

EPISTOLA CCCCCXXXIII.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ preſbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Reſpondet ipſius dubiis ſuper poſtulatione eccleſiæ Viennenſis.

Super dubiis, quæ in negotio Viennenſis Eccleſiæ tibi ſcribis & aſſeris occurriſſe, quæ ſine noſtra decidere conſcientia noluiſti, tuam prudentiam commendamus; non quaſi ad hujuſmodi & majora luculentius explicanda defectum aliquem patiaris; ſed quia mandati quod à nobis receperas, ſi quid forſan ambiguum continebat, nullus rectius nobis poterat, nullus ſecurius verba diſcutere, & eorum mentem excutere, & excuſſum diſcretioni tuæ planius quò & plenius intimare. Sanè rectè de nobis ſentiunt, qui noſtræ intentionis aſſerunt non fuiſſe quod admitteretur poſtulatio alicujus quem excommunicatum fuiſſe conſtaret, eo tempore quo fuerat poſtulatus. Nec poſſumus intelligere quid ad credendum oppoſitum aliquorum animos inclinaverit, cum in litteris quas tibi direximus excommunicationis mentio nulla penitus habeatur, ſed inobedientiæ parcebatur, ſi poſtulati procuratores, quibus injuncta fuerat ſolutio decimæ quam debebant, facta non extitit tempore competenti, ut ſi culpam domini de ſuis bene procuratoribus ſentientis, eorum negligentia excuſari non poterat, attenuare tamen videbatur in tantum, ut digna venia videretur. Quod ſi præter hujuſmodi notam inobedientiæ excommunicationis obſtaculum gravius ſupervenit, adhuc tamen, ſi dolo caruit poſtulatus, procuratorum ſe fidei committens, ſi perſonarum conditio hoc habebat, ut eiſdem committere meritò ſe deberet, licèt expers culpæ non fuerit, qui negotiari cautius non curavit, adhuc tamen novam gratiam ei facimus, ad quam dictum non extendebatur Anno 1267

rescriptum, ut si probaverit vel juraverit, se prædictis procuratoribus solutionem prædictæ decimæ ante adventum termini injunxisse, & postulationis suæ tempore credidisse, per eosdem procuratores extitisse solutam tempore præstituto, & ut scivit contrarium restitutione celeri sibi providisse, & absolutionis privilegium impetrasse: tu si canonicum aliquod non obsistat, & aliàs ad Viennensis ecclesiæ regimen inveneris eum idoneum, auctoritate nostra, postulatione cassata, ipsi ecclesiæ de eodem provideas ex nostra plenitudine potestatis. Illud autem obesse nolumus, quod aliquorum spiritum perturbavit, quod scilicèt dilectis filiis venerabili capitulo de futuri pastoris electione tractantibus, unus ex eis in hæc vel æquipollentia verba prorupit: Quid quæritis de archiepiscopo? Inter nos habemus bonum GUIDONEM scilicèt DE ALVERNIA, quem sigillatim protinus approbarunt omnes, & singuli pariter in unum: qui tamen postmodum in eumdem consentiens, in hoc se petiit honorari, ut daretur sibi potestas ab omnibus eligendi sibi pastorem ecclesiæ supradictæ, & ipse GUIDONEM postularet eumdem: cui dicta potestas concessa dicitur, & dicto G. providisse nulla de concessione hujusmodi habita mentione, quamquam omnium esset intentio, quòd de illo & non de alio provideretur eisdem. Verùm si omnes qui simul in unum quasi per aspirationem consenserant, illam formam voluissent assumere, ut in unam convenirent personam, quæ consensus, singulares, eorum una pronunciatione communis electionis exprimeret, & hoc in publico fieret, non in angulis, & antequam ad alia diverteretur negotia, quis hoc diceret viciosum? Hoc quippe in electionibus & compromissarii faciunt, qui cùm in unam personam eligendam conveniunt, uni ex seipsis tribuunt potestatem illam, & nullam aliam eligendi. Cur ergò, quod licet compromissariis sic concordibus, toti capitulo in sua concordia non licebit? Ceterùm quod diximus hoc obesse nos nolle, nec diffiniendo protulimus, nec jus etiam statuendo: sed si quis & hic defectus extitit, supplendum eum duximus & supplemus. Tu ergo sicut fidelis & prudens prædictæ ecclesiæ compatiens, procede viriliter in negotio juxta prius & nunc etiam traditam tibi formam, Deum semper habens præ oculis, cujus utique peculiare negotium agitur, quotiens de pontificis electione tractatur. Datum Viterbii XIII. calendas Octobris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXXIV.

Dilecto filio nobili viro P. Romani proconsuli Romanorum.

Ut memor gratiarum acceptarum fidelem erga Romanam ecclesiam se semper exhibeat.

Anno 1267 A Tua non credimus excidisse memoria, post offensas non modicas nec paucas, quibus unicam matrem tuam Ecclesiam Romanam molestaveras, quàm gratiosè, quàm plenè, A quàm celeriter, quàm jocundè te ad gremium redeuntem ejusdem cum omni mansuetudine receperimus; nec tibi grave vel asperum quicquam injunximus, quamvis ad nostra facienda mandata ante absolutionem obtentam juramento astrictus fueris, quo & adhuc obligatus existis. Non oblivioni tradimus quàm generaliter, quàm effusè & tua nobis obtuleris absolutus, spondens & vehementer affirmans, quod à devotione materna ac nostra nulla posses in posterum ratione divelli. Tuæ igitur incumbit B prudentiæ, ut eorum non immemor, quæ per manum Romanæ Ecclesiæ domum tuam multipliciter impugnarunt, & gratiæ per nos postea tibi factæ, necnon & obligationis qua permanes illigatus; sic ad nos & matrem tuam te in omnibus gerere, ne videaris ingratus filius, & indignus, obtentis gratiis, & inhabilis ad futuras. Nec quæras pilum in ore seu nodum in cyrpo, ex causis frivolis contra fideles nostros colligens argumenta. Scimus enim quis dixit: *Occasiones quærit qui vult recedere ab amico*; sed ambula in Prov. 18. 1. C veritate nobiscum, nullius enim justitiam vel absorbere cupimus, vel in modico mutilare; sed æquanimiter ferre non possumus, quod nobis omnino contemtis, justitiam nemini denegantibus, terra nostra hostiliter invadatur. Datum Viterbii XI. calendas Octobris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXXV.

Dilecto filio abbati monasterii S. Ægidii ad D Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Benedicti Nemausensis diocesis.

Eorum privilegia & in villam S. Ægidii jurisdictionem confirmat.

CUm de villa S. Ægidii ad tuum monasterium pertinente traxisse noscamur originem, in Anno 1267 qua nos tam longa, quam ibidem habuimus, conversatio, quam familiaris & crebra privilegiorum tuorum inspectio nos ignorare non E sinunt, quod in villa eadem & ejus districtu in clerum & populum exercendi censuram ecclesiasticam habeas & habueris, tuique prædecessores habuerunt hactenus plenariam potestatem, quam & tibi tuisque successoribus nihilominus duximus concedendam exercendi eamdem in omnes qui in dictis villa & ejus territorio seu districtu delinquerint seu contraxerint, vel rei ratione in ejusdem villa aut territorio consistentis, ad tuum judicium fuerint F evocati, cujuscumque conditionis aut religionis seu ordinis vel etiam dignitatis extiterint, episcopali dumtaxat, quoad delicta & contractus excepta, auctoritate præsentium plenam & liberam vobis concedimus facultatem; non obstantibus privilegiis aut indulgentiis quibuscumque, religionibus aut personis religiosis vel sæcularibus ab apostolica sede concessis, seu etiam concedendis, cujuscumque tenoris existant, etiamsi in eis, de ipsis religionibus, vel ordinibus, aut personarum nominibus, aut alia qualibet

libet circumstantia, aut ipsorum privilegiorum seu indulgentiarum tenore in totum vel in partem etiam de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem: salva tamen, quod ad privilegiatos & exemtos attinet, moderatione seu declaratione felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri, cui superaddendum duximus in hac parte, ut occasione nostræ liberalitatis hujusmodi generalis, in exemtis seu privilegiatis personis ad delicta quæ ad correctionem pertinent regularem manus vestras minimè porrigatis, ut puta si prælatis suis non obedirent, si habuerint proprium, si citra raptum seu violentiam carnis lubricum passi fuerint, quæ cum suis filiabus majoribus eis relinquere volumus corrigenda. Nam & civili cautum legimus sanctione, quod licèt militum delicta coram ad provinciæ præsidis pertineant notionem, militaria tamen magistri militum judicio relinquentur. Nulli ergo, &c. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCCCCXXXVI.

Dilecto filio nobili viro A. comiti Pictaviensi & Tolosano.

Majora ipsi spondere non posse.

Anno 1267 CUm ad ipsum quod tibi dare proponimus, in promtu non habeamus, nec adhuc nobis liqueat qua via super eo vestrorum actuum desideria compleamus, quomodo majora tibi aut alii spondeamus, nulla ratione videmus. Quamvis enim lata sit nobis benefaciendi voluntas, arctant Ecclesiarum miseriæ facultatem, quarum ubique gemitus & suspiria nostras aures quotidie inquietant. Ab his ergo quæ scribimus non recedemus, nec de plurimis scribere volumus in incertum, cum semper quando facultas aderit tibi & aliis benemeritis benefacere valeamus. Datum Viterbii (*a*) VII. calendas Octobris anno III.

EPISTOLA CCCCCXXXVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut H. regis Castellæ filii pecuniam sibi concreditam restituat.

Anno 1267 COnquestus est nobis dilectus filius nobilis vir H. natus claræ memoriæ F. regis Castellæ Senator Urbis, quod super quadam pecuniæ summa apud te deposita injuriaris eidem. Unde cùm non te deceat rem suam detinere contra voluntatem ipsius, celsitudinem tuam rogamus & hortamur attentè, quatinus provideas super hujus restitutione depositi, quod tuæ famæ per hoc in aliquo non decrescat, nec ei remaneat de te materia conquerendi, sciturus quod eidem in hac parte suam querimoniam prosequenti, negare non poterimus justitiæ complementum. Datum Viterbii (*b*) VI. calendas Octobris anno III.

(*a*) *Al.* Calendas. (*b*) *Al.* VIII. Calendas.

EPISTOLA CCCCCXXXVIII.

Dilecto filio G. de Medio Bladi militi regni Siciliæ citra Farum capitaneo generali.

De captione patriarchæ Aquilegiensis à comite Goricensi, & de inquisitione facienda in Feltrensem episcopum, qui captioni consenserat.

Anno 12.. HOrrendum facinus & sacrilegium detestabile, quod comes Goricensis in venerabilis fratris nostri G. patriarchæ Aquilegiensis captione commisit, multos meritò perturbavit, auditum nostrum tamen ac nostrorum fratrum præcipuè, quos eò gravius ex hac causa vulneravit dolor in intimis, quo præter excellentiam dignitatis, habent hæc (*a*) temporalia dicti merita patriarchæ, qui tam apud sedem apostolicam commorans, quàm ad varia destinatus officia, de bono proficiens semper in melius, sibi multipliciter comparavit, propter quod eidem factam injuriam nobis ipsis vindicavimus illatam, nec tam crudeliter tangi potuit, quin in eo nos pariter tangeremur. Addit sanè super nostrum dolorem vulnerum nuper ad nos missa delatio de venerabili fratre nostro Feltrensi episcopo, qui non solum hujus tam scelestæ conscius factionis, quin etiam vel intentor vel actor dicitur ab aliquibus extitisse. Quod si veritatem haberet, tantò damnabilius esset in ipso, quantò idem Aquilegiensis ecclesiæ suffraganeus, & patriarchæ prædicto juramento duplici fidelitatis adstrictus, multisque præventus honoribus & beneficiis ab eodem, timore Dei postposito, & honoris sacerdotalis gloria maculata, fracto jugo, ruptisque vinculis, in patrem & dominum graviùs & enormiùs impegisset. Verùm licèt idem episcopus hæc ab æmulis sibi dicat imposita, qui confictis mendaciis ejus innocentiam opprimere moliuntur, de his tamen in partibus Foro-julii dicitur apud bonos & graves publicè infamatus, & non levis surgere contra ipsum ex eo suspicio, quod duos ex suis fratribus captioni memorati patriarchæ interfuisse non neget, quamvis dicat ignorantes venisse, nec ad ipsam opem vel operam præstitisse. Sed objicitur ex adverso, quod non possunt per ignorantiam excusari, qui non solùm capi viderant, sed etiam comitem associaverunt eumdem usque ad castrum Goricii, Patriarcham ipsum perducentem captivum: quos post scelus hujusmodi dictus episcopus in suis domibus receptasse dicitur, sicut prius; & post captionem multa verba dixisse, per quæ apertiùs indicabat, sibi quod factum fuerat placuisse. Necnon & de ipso asseritur, quod liberationem Patriarchæ non est veritus impedire: quod tamen memoratus episcopus inficitur omnino. Nos igitur qui judicium nostrum impendere, & justitiam ponere volumus in mensura, cùm in tanto negotio nihil agi deceat perfunctoriè, sed exacta sit diligentia providendum, ne vel veritas occultata nocentem liberet, vel divulgata falsitas obruat innocentem; fraternitati vestræ per

(*a*) *Al.* Spiritualia.

A apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus ad partes Foro-Julii personaliter accedentes in locis, in quibus expedire videritis, super articulis, quos una cum interrogatoriis ab eodem episcopo nobis datis sub bulla nostra vobis mittimus interclusas, veritatem diligentissimè perquiratis, & inquisitam nobis remittere per nuncium proprium, quantò poteritis citiùs nullatenus omittatis. Contra, &c. Testes, &c. Datum Viterbii anno III.

B

EPISTOLA CCCCCXXXIX.

Carissimo in Christo regi Bohemiæ illustri.

Gratias agit de procurata Aquilegiensis patriarchæ libertate, hortaturque ne fœdus ineat cum hostibus Ecclesiæ.

Anno 1267 EXcellentiæ tuæ dudum probata devotio, quam ad Romanam geris Ecclesiam, & ad personas ecclesiasticas in necessitatibus eorum- C dem ostendis, eo nuper judicio manifestius claruit, quod capto nuper venerabili fratre nostro patriarcha Aquilegiense, te ad procurandam liberationem ipsius, promtum nobis per tuas litteras obtulisti; & ne tam piam & humilem suspensionem occupatio quævis suspenderet, per te & venerabilem fratrem nostrum N. Salisburgensem archiepiscopum nepotem tuum absolutionem ejusdem efficaciter procurasti, priusquam super oblatis nostrum posses habere responsum. Quocirca de provisione tam grata & D ejus adimpletione tam prospera grates tibi quamplurimas referentes, serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus, sicut hactenus, sic in posterum in devotionis instantia perseverans, de bono semper procedas in melius, ut à Rege regum & Domino dominantium in præsenti gratiam & in futuro gloriam consequaris. Et nos qui licèt immeriti vices ejus in terris gerimus, ad ea quæ tui sunt commodi & honoris accensi, tuis semper crescentibus meritis vehementius animemur. Verum licèt E pacem amare nos deceat, si comitem habeat veritatem: quia tamen sub pacis specie multa sæpe pati contraria procuratur; magnitudinem regiam attentam reddimus, & cautam esse volumus ac rogamus, ne cum inimicis ecclesiæ fœdus ineas, nec amicitiâ iis qui sunt contra Deum conjungaris: salvo tamen in omnibus caritatis affectu, quem ipsis etiam inimicis præcepit Dominus exhiberi; sciens quod hujusmodi fœdera multorum merita denigrasse dicuntur, quorum opera Deo placuerant, ob hoc solum F à Domino reprobata. Datum Viterbii II. calendas Octobris anno III.

EPISTOLA CCCCCXL.

Parisiensi episcopo.

De immunditiis à circuitu ecclesiæ Meldensis removendis.

Anno 1267 *Ex Archivis Ecclesiæ Meldensis.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri episcopo Parisiensi S. & A.B.

Sua nobis dilecti filii decanus & capitulum Meldense petitione monstrarunt, quod in circuitu Meldensis ecclesiæ multæ immunditiæ & turpitudines committuntur, quæ horribiles sunt visui, & per eas in illis partibus grave scandalum generatur. Cum autem iidem decanus & capitulum circa muros ipsos in eorum territorio quamdam clausuram facere velint, ad hujusmodi turpitudines & immunditias evitandas, præpositi & ballivi & nonnulli alii homines civitatis Meldensis, qui decorem domus Domini non diligunt, quominus ipsi decanus & capitulum hujusmodi clausuram facere possint, quamquam ex hoc nullum alicui præjudicium generetur; contra justitiam impedire præsumunt. Quare dicti decanus & capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut dictos præpositos & ballivos & homines compesci ab impedimento hujusmodi faceremus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas: faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, proviso ne in universitatem Meldensem excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi à nobis super hoc mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura similiter, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Viterbii II. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCCXLI.

Dilectis filiis fratri Ph. de Euglis Hospitalis Jerosolymitani, & aliis ejusdem ordinis fratribus in regno Siciliæ constitutis.

Hortatur ut arma sumant adversus regis Siciliæ hostes.

LIcèt vestri ordinis habeat observantia contra solos arma vos sumere Saracenos, quia Anno 1267 tamen parum à Saracenis differunt, immò aliqui sunt deteriores eisdem, carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ proditores, qui primò ad Saracenos Tunicii transfugerunt, & inde postmodum ingressi Siciliam cum incredulæ gentis auxilio, quietem provinciæ perturbarunt, se Deo & Romanæ Ecclesiæ ac ipsi regi proditionaliter opponentes, impugnandi eos cum armis viriliter & potenter, in ecclesiæ & ejusdem regis subsidium, nullo privilegio sedis apostolicæ, nullaque constitutione vel observantia seu consuetudine vestræ religionis obstantibus, plenam vobis & liberam tenore præsentium concedimus facultatem: & laborem quem pro tam pio negotio assumendum duxeritis, in remissionem vobis proficere peccaminum volumus, præsentibus post annum minimè valituris. Datum Viterbii Idibus Octobris anno III.



A

EPISTOLA CCCCCXLII.

Dilecto filio G. de Medio Bladi militi regni Siciliæ citra Farum capitaneo generali.

De morte filiæ regis Siciliæ.

Anno 1267 TUam commendamus prudentiam quia sicut læta, sic tristia nobis nuncias, quia scire nonnumquam expediat hæc ut illa. Sanè licèt de transitu talis ac tantæ filiæ tum propter B carissimum in Christo filium nostrum C. regem Siciliæ illustrem, tum propter communes eorum liberos, inoffenso divino beneplacito, doleamus; in his tamen consolationem recepimus, quia plenè confidimus, quòd quæ tam piè, tam laudabiliter vixerat, vitam invenerit meliorem. In his ergo quæ ad ejus suffragia pertinebunt intenti, eidem regi consolatores mittimus magnos viros, qui dolorem ipsius (a) leniant, de cujus speramus constantia, quod quantumcumque in casu asperè dolendum videat, gaudendum in Domino minimè dubitabit. C

EPISTOLA CCCCCXLIII.

Episcopo Biterrensi.

Ut latam in vicarium comitis Tolosani sententiam excommunicationis ob deprædatam episcopi domum confirmet.

D

Anno 1267 *Ex Archivis ecclesiæ Tolosanæ.* CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Biterrensi salutem & apostolicam benedictionem.

Significavit nobis venerabilis frater noster episcopus Tolosanus, quod cùm fama volante in illis partibus mendaciter diceretur, quod ipse viam fuerat universæ carnis ingressus, Vicarius in Tolosa dilecti filii nobilis viri... comitis Tolosani, prætextu regalium, quæ in bonis episcopatus Tolosani, eidem comiti indebitè vendicare contendit, domos, cameras episcopales E temerario ausu intrare, ac bona ipsius episcopi ibidem inventa nequiter occupare præsumsit: certis tandem custodibus ad præmissarum domorum bonorum & camerarum custodiam deputatis. Verùm cum hujusmodi præsumtionis excessus, adeo esset notorius, quod nulla posset tergiversatione celari... officialis Tolosanus in dictum vicarium & omnes dantes, & super hoc auxilium & favorem, canonica monitione præmissa, excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit. Quare dictus episcopus F nobis humiliter supplicavit, ut sententiam ipsam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observare. Datum Viterbii XIII. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno III.

(a) *Al.* Levigent.

EPISTOLA CCCCCXLIV.

Dilecto filio fratri Amalrico de Rupe magistro domorum militiæ templi in Francia.

Ipsius erga regem Siciliæ affectum laudat.

INtelleximus quod tu carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris necessitati attendens, ac gerens ad eum piæ compassionis affectum, domus militiæ templi in magistratu Franciæ tuæ gubernationi commissas nonnullis mercatoribus obligare proponis pro quibusdam pecuniarum summis, certis eis terminis persolvendis: quas idem rex pro suis necessitatibus intendit mutuò recipere ab eisdem. Nos igitur tam pium in hac parte tuum propositum gratum & acceptum habentes, devotionem tuam in Domino commendamus, nihilominus dantes tibi faciendi obligationem hujusmodi plenam auctoritate præsentium potestatem. Obligationem autem quam dictus rex tibi faciet de te & dictis domibus super hoc indemnibus conservandis, cùm eam videbimus sigillo regio communitam, confirmatione sedis apostolicæ curabimus roborare. Datum Viterbii X. calendas Novembris anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCXLV.

Carissimo in Christo filio regi Castellæ & Legionum illustri, in regem Romanorum electo.

Gratulatur de victoria in regem Granatæ reportata.

DE tuis successibus in omnibus & per omnia gratulantes, in his gaudium majus cepimus, in quibus & tuæ Celsitudinis honorem promoves temporalem, & quod majus est & jocundius, incrementis proficiens, subactis hostibus fidei, christiani nominis cultum amplias & dilatas honorem. Hæc quidem nobis tua nuper declaravit epistola, qua nobis intimare curasti, qualiter auctore Domino, detestabilis ille proditor subdolus inimicus rex Granatæ suam cervicem ferream tuo tandem submisit imperio, & speratur quòd reliquiæ barbarorum rebellium in brevi simile facere compellantur. Benedicamus igitur Deum, qui tuo laudabili ministerio ecclesiam suam respiciens, bella conterit, fidei comprimit adversarios in Hispaniæ partibus, tam benevolè favorem victoriæ ad partes alias, cum in oculis ejus acceptum fuerit, extensurus. Sanè super his quæ scripsisti circa factum imperii, in quo videris conqueri de brevitate finalis termini, & incertis auditoribus testium deputatis, tuam scire volumus magnitudinem, nos omnia hæc propenso statuisse judicio. Loca enim quæ & quot petiit, tuo procuratori dedimus ad probandum: quamquam tunc nullus crederet audientium, quod in tot locis probationes haberes, & jam ad singula misimus personas providas & discretas, quæ Anno 1267

testes audient, qui eis fuerint præsentati, quæ profecto copiam sui facient, & suam præsentiam in locis publicis exhibebunt, ne procuratores partium, si affuerint, in incerto vagentur: nec brevem debes causari terminum, qui ferè anni spatium comprehendit, si pericula mundi circumspicis, si scissuras imperii, si detrimenta continua, si confusionem Italiæ, si Theotoniæ scandala, si ecclesiarum discrimina, si cetera tam in genere quam in specie perscrutaris, quæ ex pace pendent imperii vel scissura. Verùm circa hæc paucis agimus, quia per dilectum filium nostrum R. de Massano capellanum nostrum plurima tibi scripsimus, & eidem dicenda commisimus; quæ te super universis & singulis reddere poterunt certiorem. Datum Viterbii x. calendas Novembris anno III.

EPISTOLA CCCCCXLVI.

Dilecto filio G. titulo S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut citius ad sedem apostolicam revertatur.

Anno 1267 DUdum tibi sub certa forma scripsimus, quod & nobis videbatur expediens, & tuo consonum desiderio, ut rediturus ad requiem post laborem, ad nostram præsentiam te conferres, quod tamen ex causis credimus tibi magis quàm nobis cognitis distulisti. Sanè cogimur in instantis necessitatis articulo ad partes Alemanniæ generalem destinare legatum, nec id ulterius differre possumus, existente in januis semine reguli CORRADINO, qui Tridentum veniens & transire desiderans ad (a) Veronam, tempestatis magnæ materiam jam in Italiæ finibus concitavit. Quapropter discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus honori tuo consulens, adventum legati venturi prævenias, cùm longe sit honestius eum tibi succedere redeunti, quàm te eidem cedere venienti. Datum Viterbii VII. calendas Novembris anno III.

EPISTOLA CCCCCXLVII.

Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De monialibus supra vires facultatum numerum sororum multiplicantibus, & de providendo Casertanæ & Minorensi ecclesiis.

Anno 1267 DE tuo reditu in Siciliam, cum magis scire potes, quia terræ vicinior, quid expediat; idcirco tuæ prudentiæ te committimus, sic te volentes providere negotio, quòd provideas & personæ, nec inutiliter discrimini te exponas. Dari autem ecclesias monialibus, quæ supra vires facultatum suarum numerum sororum multiplicant, nostræ intentionis nec extitit nec existit. Sed si pro monialibus tibi scripsimus de Guilleto, quæ de suis se asserunt facultatibus sustentari non posse, invitandi sunt circumquaque fideles ad subventionem earum, & moniales per alia ejusdem ordinis monasteria dispergendæ, eisque numerus præfigendus, ad quem si semel redierint, eum ulterius non excedant. Confessionem Eunichii commisisse Casertanæ penes nos esse non novimus, & quid super ea responderi debeat ignoramus; nec nos scienter tali commisimus administrationem ecclesiæ Casertanæ; sed volumus quod, non obstante commissione hujusmodi, ad provisionem ejusdem ecclesiæ procedere non postponas. Idem dicimus de Minorensi ecclesia cum qui se pro electo gerebat, citatus, ut asserit, coram te noluerit comparere, & satis postea fuerit expectatus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCCCCXLVIII.

Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De promovendis ad episcopatum commendatis sibi à rege fratribus Minoribus, & de rebus Tusciæ.

INquietamur incessanter à rege pro fratre P. de Corneliaco & Olivario Minorum ordinis cathedrandis, & inculcanter nuncii & supplicationes exaggerantur in mensem; nec reciperent qualescumque ecclesias, sed opulentas expectant. Rescribat nobis tua fraternitas ubi eos collocare possemus. Rex adhuc est in Tuscia, CORRADINUS Tridenti, ubi crescit ejus societas; & timemus ne crescat amplius, quia ejus avunculi duces Bavariæ cum rege Bohemiæ pacem habent, sicut rex ipsemet nobis scripsit. Mediolanenses autem cum parte sua veniunt Brixiam in manu valida, qui ad certamen se offerunt cum eodem, nec creditur quod invitis eisdem intrare valeat Lombardiam. Datum *ut supra*. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCXLIX.

Archiepiscopo Narbonensi.

Arguit ejus dicta de Sacramento Eucharistiæ.

QUantò sincerius personam tuam diligimus, tantò graviùs perturbamur, cùm ad nos ea de te proveniunt, quæ tui non decent officii gravitatem, præsertim cùm instantius in tui vergunt periculum honoris. Sanè familiariter tibi scribimus, illo dumtaxat consorte, qui præsentem exaravit scripturam, ad nostrum provenisse nuper auditum, quòd tu in nostra nuper existens curia, cuidam magno viro tecum de sacramento altaris conferenti dixisti (b) Corpus Domini nostri JESU-CHRISTI sacratissimum essentialiter in altari non esse, sed tantum sicut signatum sub signo: & hanc celebrem esse opinionem Parisius adjecisti. Repsit autem hic sermo latenter inter aliquos divulgatus, & ad nos demùm postremò perveniens, scandalizavit nos plurimum, nec facile nobis extitit cre- Anno 1267

(a) *Al.* Neronam.

(b) His litteris acceptis Narbonensis archiepiscopus impositam sibi calumniam professus est, misitque ad Clementem apologeticum de fide sua libellum, quem hic habes infra.

dere talia te dixisse, quæ hæresim continent manifestam, & illius sacramenti derogant veritati, in quo fides eo negotiatur utilius, quo sensum superat, intellectum captivat, & suis legibus subjicit rationem. Ea propter tuæ fraternitati consulimus, ut non plus sapias quàm oporteat, non imponas Parisiensibus quod non sentiunt; sed fatearis humiliter, & firmiter teneas quod communiter tenet Ecclesia, quod sancti docent & prædicant, sub speciebus scilicet panis & vini, post sacra verba juxta ritum ecclesiæ ore sacerdotis prolata, esse verè, realiter, & essentialiter corpus & sanguinem Domini nostri JESU-CHRISTI, licèt localiter sit in cœlo. Et si forsitan habes memoriam cui vel quibus asserueris, id scripto vel verbo revoces, ne de te malè sentiant, qui malè judicant de tam insigni mysterio te sentire. Datum Viterbii v. calendas Novembris anno III.

EPISTOLA CCCCCL.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Ut marescalli servitia pro meritis recompenset.

Anno 1267 CUm dilectus filius J. marescallus tuus tibi fideliter & instanter servierit, pro honore tuo multis periculis corpus suum exponens, nec quicquam grave reputans quod utile tibi crederet vel etiam acceptum; decet tuam, ut credimus, excellentiam, ejus laboribus respondere pro meritis, & devotum militem favore prosequi gratioso. Quocirca magnificentiam tuam rogandam duximus & hortandam; quatenus vel de castro de *Trues*, de quo totiens tractatum est tecum, vel de castro Misonis in Provincia, vel alio, quod & dantem & accipientem deceat, taliter ei providere procures, quod & honori proprio satisfaciat, & idem miles recepisse se gaudeat fidelis obsequii tam prolixa continuatione proventum. Datum Viterbii VIII. Idus Novembris anno III.

EPISTOLA CCCCCLI.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Dispensat ipsius liberos de matrimonio in quarto affinitatis gradu contrahendo.

Anno 1267 ETsi conjunctio copulæ conjugalis in quarto consanguinitatis & affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, apostolicæ tamen sedis providentia rigorem mansuetudine temperans super his dispensat interdum, & quod negat juris severitas, de gratia benignitatis indulget, præsertim cùm necessitas exigit, & causa rationabilis id exposcit. Cupientes igitur statum tuum ex omni latere stabiliri, & ut liberos tuos utriusque sexus quibusvis personis matrimonialiter valeas copulare, etiamsi quarto affinitatis vel consanguinitatis gradu invicem se contingant, dummodo aliquod canonicum non obsistat, auctoritate tibi præsentium duximus indulgendum. Nulli ergo, &c. nostræ constitutionis, &c. Si quis, &c. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCCCCLII.

Dilecto filio abbati & conventui monasterii S. Ægidii, &c.

Mittit eis S. Georgii brachium.

AD decus & decorem monasterii vestri & devotionem peregrinorum & fidelium augendam, qui B. Ægidii limina visitant & in posterum visitabunt, pretiosas reliquias vobis mittimus, brachium S. Georgii cum duobus candelabris, quæ in processionibus vestris solemniter cum cereis facibus idem brachium antecedant; statuentes ut quicumque dictas reliquias extrahere inde tentaverit, anathemati sempiterno subjaceat ipso facto. Datum Viterbii VII. Idus Novembris anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCLIII.

Episcopo Vercellensi.

Absolutum ab irregularitate commendat Tarentasiensem archiepiscopum, muniaque episcopalia exercere permittit.

CUm ex causis diversis rerum exitus malè considerans excommunicationis & suspensionis sententias incurrisses, & nihilominus divina celebrans & exercens episcopale officium, magno te exposuisses discrimini, tandem in nostra fratrumque nostrorum præsentia constitutus, in primis errorem tuum humiliter confitens, in quem te jurisperitorum consilia traxerant minus sana, nostram misericordiam non judicium postulasti. Nos igitur attendentes quod in Ecclesiæ generali negotio te laudabiliter habuisti, & Vercellensem specialiter civitatem in devotione Romanæ Ecclesiæ direxisti, secundùm formam Ecclesiæ munus tibi fecimus absolutionis impendi, & super irregularitate contracta, quoad sacerdotale officium exercendum, tecum dispensavimus liberaliter & benignè, tibique sub debito præstiti juramenti dedimus in mandatis, quod venerabilem fratrem nostrum Tarentasiensem archiepiscopum, & si quos irreverenter offenderas, vel alios ad sedem apostolicam accedentes, vel ab eadem ad propria remeantes per te vel alium non præsumas, nec in tuis dioecesi & civitate (a) permittas ab illis quibus possis resistere molestari, quodque nuncios hujus sedis & litteras benignè recipias, & quæ tibi mandata fuerint, fideliter exequaris, Anno 1267

(a) Al. Dimittas.

nec quicquam facias aut procures, quominus A ad te liberè vel securè valeant pervenire: & si impendirentur per alios, impedimentum amoveas toto posse, quodque in octava festivitatis Annunciationis Dominicæ proximè ventura personaliter coram nobis compareas, mandatis nostris aliàs pariturus, nostramque sententiam, si quam dandam duxerimus, auditurus. Interim autem tibi de speciali gratia indulgemus, quod confirmandos chrismate valeas & clericos ordinare, chrisma conficere, tenere synodum, & in magnis festivitatibus, necnon & pro defunctis, ubi ad funus præsens fueris evocatus, in pontificalibus celebrare. Tu igitur in his fideliter observandis te taliter habere procures, ut ad largioris misericordiæ tibi gratiam exhibendam tuis meritis inducamur. Datum Viterbii IV. Idus Novembris (a) anno III.

EPISTOLA CCCCLIV.

Dilecto filio nobili viro H. nato claræ memoriæ C F. regis Castellæ & Legionum Senatori Urbis Romæ.

Super ea quæ scripserat promtum pollicetur responsum.

Anno 1267 TUas pridie litteras & earumdem latores benignè recepimus, & quæ tuo nomine proponere voluerunt pleno collegimus intellectu, quibus voce respondimus, & tuæ nobilitati tenore præsentium respondemus, quod cum super tractatu quem nosti ad carissimum filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ nuncium miserimus virum prudentem & providum magistrum B. Languiselli archidiaconum Lautaresii in ecclesia Tolosana domesticum nostrum, & nostræ conscium voluntatis; donec redierit, tibi præcisum & certum non possumus dare responsum. In ejus verò reditu, quem celerem expectamus, cùm eidem injunxerimus quòd se verbis non fineret detineri, certius tibi poterimus respondere, & cùm ad te mentem benivolam habeamus, utile tibi credimus, quod ejusdem nuncii regressum expectes. Nam quodcumque nobis verbum attulerit, facilè videre poterimus, an rex expeditionem vel ad dilationem intendat, & in utroque casu responsionem habebis à nobis quam habere debebis acceptam. Datum Viterbii Idibus Novembris anno III.

EPISTOLA CCCCLV.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut Infanti Castellæ de collecta decima solvat à rege Siciliæ ei debita.

Anno 1267 CUm carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ pecunia nunc indigeat, & maximè pro debito solvendo, quo tenetur dilecto filio nobili viro Infanti H. nato claræ memoriæ regis Castellæ, quod eidem dudum debuisset solvisse; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus de dicto debito usque ad summam quam in ejusdem regis Siciliæ litteris videris contineri, procuratoribus seu nunciis ejusdem Infantis, de collecta jam in tua legatione decima, eidem regi debita, vel etiam colligenda tam promtè, tam celeriter facias satisfieri, quòd Infans idem & procuratores ipsius expensis & laboribus pro repetitione ejusdem debiti ulterius non graventur, nec inter eosdem Regem & Infantem scandalum aliquod B valeat suscitari. Datum *ut supra*.

(a) *Al.* Anno IV.

EPISTOLA CCCCLVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Adversus Henricum regis Castellæ filium Urbis senatorem.

NOvi & diri vulneris aculeus nos tangit & pungit intrinsecus, & in nobis quasi uni- Anno 1267 C versalis Ecclesiæ corporis interiora rimatur, dum nos reperientes in electis filiis & personis sublimibus pravitatem, & ab hoste non expectato vulnera perferentes, ex jam attentandæ contra nos & eamdem ecclesiam tantæ temeritatis initiis (b) deterioris & nequioris successionis dispendia (c) verisimiliter formidamus. Ex manifestis siquidem indiciis & evidentibus argumentis non solum colligimus & liquido intuemur, sed quodammodo sensibiliter experimur, quod nobilis vir H. carissimi in Christo D filii nostri regis Castellæ illustris germanus, senator Urbis, mansuetudinis regalis oblitus & generosos & solitos mores ex assumtione officii corrumpens, contra eamdem ecclesiam matrem suam non leviter excessisse videtur, dum ipse in senatoris assumtus officium, contra Ecclesiam ipsam, ejusdem devotos, ad ipsius Ecclesiæ terram nostro quasi subjectam conspectui, manus (d) quasi occupatrices extendens, & bona fidelium absque miseratione devastans; & GALVANUM LANCEAM in Urbem cum armatis, expanso CORRADINI vexillo, inducens, se puE blicùm prædictæ Ecclesiæ & carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ hostem, ac manifestum ejusdem Corradini se fautorem exhibuit, & luculentis operibus publicavit: dumque nobiles viros dil. fil. Neapolionem & Matthæum fratres, Angelum Malabranca, Johannem Sabelli, Petrum Stephani, Ricardum Petri Ambaldi germanos & consanguineos dilectorum filiorum R. sancti Angeli, J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano, J. sanctæ Mariæ in Cosmedim, & M. sanctæ Mariæ in Porticu F diaconorum cardinalium, non ut in eos tamquam facinorosos animadverteret, vel etiam delinquentes, non ut honori vel suo regimini provideret, sed ut contra eamdem Ecclesiam prædictumque regem Siciliæ suos amaros (e) pavidosque conceptus in eosdem nobiles protervus pareret, & impetuosos ac iracundos fluctus, quibus contra prædictam Ecclesiam & eumdem

Henricus.

(b) *Al.* Deterioribus. (c) *Al.* Universaliter. (d) *Al.* *Deest* quasi. (e) *Al.* Nudosque.

A Siciliæ regem altiori indagatione & nequiorum odio intumescens effertur, inducere super illos de tam numeroso Romano populo, eos quasi ipsius Ecclesiæ devotiores, & prædilectos filios, & dilecti regis Siciliæ præcipuos amatores præeligens; & ut ipsorum submotis obstaculis, liberior ei insæviendi in fideles reliquos facultas pateret, & præarriperet fortiores, injuriose cepit, & carceri mancipavit, in gravem & intolerabilem nostram & apostolicæ sedis injuriam & subversionem Romani populi libertatis. B Nos igitur ad subvertendos tam animosos & inconsultos præcipitesque dicti H. processus, tantò animosiori virtute consurgimus, & propensius provocamur, quantò per hoc dictum H. in fidelium perniciem, ad continuanda hujus inceptæ suæ indignationis studia conspicimus aspirare, ipsius temerariis conatibus obviare volentes, ac si impiam manum ejus contra nos aggravari contigerit, eumque ira graviori succendi, ipsorum nobilium gravaminibus remediis occurrere opportunis, prædictos cardinales fratres, ac nepotes eorum, ipsorumque C familias, ac vassallos, castra, domos, ceteraque ipsorum mobilia & immobilia bona & jura sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, ipsosque & premissa omnia ab omni jurisdictione, jussione, imperio, obedientia & potestate prædicti Senatoris, vicarii, & officialium ejus, ac communis Urbis eodem H. inibi præsidente, ipsiusque officialium vel ministrorum, donec nobis & Romanæ Ecclesiæ, & dictis ejus fidelibus satisfecerint, penitus eximentes; & omnia statuta, D ordinationes, monitiones, citationes, omnesque condemnationes, pœnas, & banna, publicationes bonorum, ceterosque processus, quæ per dictos H. commune, vicarios, judices, aut ministros eorum, quocumque nomine censeantur, aut prædictorum seu alterius eorum auctoritate seu mandato contra prædictos cardinales fratres, & nepotes eorum, ipsorumque familias aut vassallos, aut ipsorum aliqua castra, domos, bona, & jura quomodolibet fieri, vel promulgari contigerit, seu haberi, apostolica auctoritate cassamus, & nullius decernimus existere E firmitatis. Eadem auctoritate statuentes dictum H. & commune, omnesque qui eis vel eorum alteri contra hujusmodi nostrum decretum auxilium, consilium præstiterint, vel favorem; si prædictos cardinales, fratres, aut nepotes, ipsorum vel eorum aliquem hujusmodi prætextu incurrere aliqua detrimenta seu damna contigerit, ad plenam satisfactionem præstandam, ipsosque servandos prorsùs indemnes in solidum & præcisè teneri, non obstantibus quibuscumque statutis, consuetudinibus, vel ordinatio- F nibus, juramento, vel quacumque alia firmitate vallatis, nec non & juramentis, cautionibus, obligationibus quibuscumque, seu pœnis à prædictis, vel ipsorum aliquo præstitis vel exhibitis, seu eorum fidejussoribus, à quibus tam ipsos quam fidejussores prædictos duximus absolvendos. Datum Viterbii xvi. calendas Decembris anno iii.

EPISTOLA CCCCCLVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri,

Duo unciarum auri millia de regis census ibi soluta fuisse agnoscit.

Dilectus filius P. Farinelli clericus tuus ad nostram præsentiam accedens, duo millia unciarum auri, quæ de censu regis Siciliæ à te debito in solutione proximè præterita nobis remanserant persolvenda, & de quibus usque in præsentem diem tibi concesseramus inducias dil. fil. archid. Senonensi camerario nostro ex parte tua juxta nostrum beneplacitum & mandatum nomine nostro persolvit. Ideoque camerarius litteras suas super hoc clerico præfato concessit, nos quoque nihilominus solutionem hujusmodi ratam habemus, & de prædictis duobus millibus unciarum nobis dicimus esse satisfactum. Datum Viterbii (*a*) xiv. calendas Decembris anno iii. Anno 1267 (*a*)

EPISTOLA CCCCCLVIII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De his quæ fecit Senator in Urbe.

Quod in Urbe accidit scripsimus tibi nuper, licet autem Senator ut liberaret quos cepit à cardinalibus fuerit requisitus, eos tamen noluit liberare, donec videret quem haberet exitum tractatus quem nosti. Ideoque serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus dilectum filium magistrum R. Languiselli capellanum nostrum, quem ad te misimus, non teneas diutius, sed eum remittas quàm citius. Datum Viterbii xii. calendas Decembris anno tertio. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCLIX.

Dilecto filio S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato.

Reditum ei permittit, informatque eum de sua & Italiæ statu.

Cum & nobis tua præsentia, quam Romanæ Ecclesiæ multum utilem esse novimus, plurimùm sit accepta, & negotium regni Angliæ nimis tenerum, si te cito eidem subtraxeris, pati posset naufragium repentinum, quid tibi ad reditum spiranti respondendum sit ignoramus. Laborasti siquidem satis diu, & te Dominus in tuis laboribus honestavit, & humano judicio complevit eosdem, nisi forsitan Anglicanæ gentis mobilitas, quod timetur, iteratò surgat in scandala solita levitate. Sanè quia tu melius scire potes, quid te deceat, quid expediat regno Angliæ, quid Ecclesiæ matri tuæ, te tuæ pru- Anno 1267

(*a*) *Al.* xvi. Calendas.

dentiæ duximus & committimus, & in tua ponimus libertate, moram pariter & recessum: sperantes quod rem sic temperes, ut & tuæ personæ periculo, ipsius terræ naufragio, temporis opportunitate servata, remediis obvies opportunis. Quod si, prout nobis est intimatum, legationem exiens, beati Jacobi limina visitandi petis licentiam, eam tibi concedimus liberaliter & benignè; aut si fortasse de tuis pensatis viribus executio voti gravat, ad nos redeas recta via, & tibi providebimus, voto in melius commutato. Quod si in omnibus modis illuc eundum duxeris, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus statum ecclesiarum Hispaniæ, qui multum collapsus est, diligenter inquiras, ut super eo in tuo reditu, quem prosperum Deus faciat, nos possis reddere certiores. De statu nostro noveris quod corporis sospitate gaudemus, angustiis variis circumscripti. Rex Siciliæ diu fuit in Tuscia, & adhuc in obsidione Podii Boniti detinetur, Potestas factus Florentiæ, Pistorii, Lucæ & aliarum quarumdam terrarum, & à nobis paciarius Tusciæ constitutus, adversantibus eidem Senensibus & Pisanis, & multis & pluribus Guibellinis, cum quibus Romani societatem inire disponunt cum Senatore suo H. regis Castellæ filio, qui (a) Sicerinum nobis abstulit & (b) Vetrallam vastavit exterius, & in Urbe cepit viros Neapoliensem & Matthæum fratres, Angelum Malabranca, & Johannem Sabelli, P. Stephani, & Richardum Petri Ambaldi, quorum aliquos de nocte extrahens transtulit Monticellum, multique alii magni in suis castris morantur, nec ad eum volunt accedere de se simile formidantes. Nos quantum possumus guerram fugimus Romanorum, sed timemus ne & nos & regem Siciliæ cum eisdem finaliter malè concordare possimus. CORRADINUS est Veronæ cum LUDOVICO duce Bavariæ & comite Tirolensi & modica militum comitiva, sed habet totam Lombardiam, præter Papiam, & Marchiam Tervisinam contrarias, & credimus quòd cum confusione recedet, si Lombardi stabiles perseverant. Pars magna Siciliæ rebellavit cum quibusdam, quorum factus est capitaneus FREDERICUS regis Castellæ filius de Tunicio veniens cum eisdem. Sicut fuerit voluntas Dei in cælo, fiat. Sic in Deo confidimus, & quod est hominis faciemus, orationes nobis congregat devotorum. Nam illis plurimum indigemus. Datum Viterbii (c) IX. calendas Decembris anno III.

EPISTOLA CCCCCLX.

Dilecto filio nobili viro Barallo domino Baucii Regis Siciliæ majori justitiario.

Scribit se de fidelitate ipsius spem certam habere.

Anno 1267 NOn sine cordis amaritudine cogimur tibi scribere quod dudum utique scripsissemus, si fidem subitò dedissemus auditis; sed jam totiens inculcatis rumoribus, tacere non possumus quod mirabiliter abhorremus. Jam pluries de Marchia per diversos scriptum est nobis, quòd LAUR. (d) TEPULI noster & Romanæ Ecclesiæ pestilentissimus inimicus in Potestatem se fecit eligi denuò Firmanorum, tuis ostensis litteris continentibus quòd securè hoc faceret, nec regem in hoc formidaret. Sanè si nobis guerram faceret totus mundus, te numquam habere speramus inimicum, cui semper fuimus gratiosi, cui cor nostrum in omnibus aperuimus, tuis compassi molestiis & profectibus congaudentes. Habemus etiam unum malum rei hujus indicium, quia cùm pluries de Aprutinis conquesti fuimus, qui Firmanis favebant, quamvis regis & tuum responsum habuimus multum plenum, non tamen nobis profuit, immò in damno nostro jugiter perseverant. Ubi igitur fides, ubi devotio, si jam nobis illi deficiunt, quibus facimus quicquid possumus? Novos certè faciemus amicos à veteribus derelicti, & accidat quod accidere poterit, quia suam Deus Ecclesiam non relinquet. Datum Viterbii IX. calendas Decembris anno III.

EPISTOLA CCCCCLXI.

Dilectis filiis rectoribus Romanensis fraternitatis.

Mittit ei sententiam in Conradinum, & alios ab eos latam Romæ promulgandam.

MIttimus vobis per latorem præsentium sententias quas in octavis B. Martini tulimus contra CORRADINUM quondam FREDERICI Romani imperatoris nepotem, Pisanos, & Senenses & fautores eorum; discretioni vestræ in virtute obedientiæ per apostolica scripta mandantes, quatenus in B. Petri & aliis Urbis ecclesiis, quibus hujusmodi publicatio fieri consuevit, per vos vel alios publicetis easdem, & quos per eas ligavimus, singulis diebus dominicis & festivis pulsatis campanis & candelis extinctis, excommunicatos denuncietis, aut denunciari per alios faciatis. Datum Viterbii VI. calendas Decembris anno III. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCLXII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Mittit ei Vulteranum presbyterum.

DIlectum filium archipresbyterum Vulteranum, capellanum nostrum, qui de terrarum istarum & personarum conditionibus multa novit, in quo confidere bene possumus, ad tuæ magnitudinis destinamus præsentiam; qui specialiter super his, quæ negotium Urbis contingunt plenius poterit te instruere, cui credas in his quæ ex parte nostra duxerit proponenda. Datum Viterbii *ut supra*. Anno 1267

(a) *Al.* Surium.
(b) *Al.* Varallan.
(c) *Al.* Calendis.
(d) *Al.* Theupili.

EPISTOLA

EPISTOLA CCCCCLXIII.

Cariſſimo in Chriſtô filio C. regi Siciliæ illuſtri.

De exceſſibus à Senatore in Urbe commiſſis.

Anno 1267 QUod in Urbe contingit ſcripſimus tibi nuper, injuriam ſcilicèt viris nobilibus conſanguineis,&amicis dilectorum filiorum noſtrorum J. S. Nicolaï in carcere Tulliano, J. ſanctæ Mariæ in Coſmedim, M. ſanctæ Mariæ in Porticu diaconorumcardinalium ,ipſorum captionem perSenatorem illatam; qua Senator ipſe poſtmodum non contentus,uxores&familias nobilium eorumdem, domus ſuas exire compulit, & tam illas quàm Eccleſiam S. Petri & domum noſtram, quam ibidem habemus propria temeritate occupans, Teutonicis & aliis Eccleſiæ inimicis munivit, & prout humano poteſt perpendi judicio, facere deteriora proponit. Ideoque venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Tyrenſem ad tuæ celſitudinis præſentiam duximus deſtinandum, cui in his quæ circa præmiſſa ex parte noſtra tibi dixerit, fidem indubitatam habere procures. Datum *ut ſupra.*

EPISTOLA CCCCCLXIV.

Dilectis filiis abbati & conventui monaſterii Cluniacenſis.

Hortatur eos ut fratres Minores in villa Cariloci ſedem figere permittant.

Anno 1267 ORta dudum inter vos & dilectos filios priorem & conventum Cariloci ex una parte, & dilectum filium miniſtrum & fratres Minores Burgundiæ ex altera, occaſione domus cujuſdam, quam in villa Cariloci acquiſierant, in qua ſibi manſionem elegerant, pro ſalute fidelium quibus inibi poſſe multum proficere ſe credebant, vobis & dictis monachis Cariloci verbis ſimul & factis opponentibus vos eiſdem, gravis materia quæſtionis: pro hujuſmodi tollenda diſcordia, olim multa à felicis recordationis ALEXANDRO & URBANO Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris diverſa & ſub formis diverſis noſcuntur emanaſſe reſcripta. Sed & cariſſimus in Chriſto filius noſter L. Rex Francorum illuſtris, & plures alii magni viri plurimum laborarunt: nos inſuper, cùm minori fungeremur officio, ad hoc dedimus opem & operam quas potuimus; ſed pax hactenus nulla potuit inveniri. Sanè dilecto filio noſtro abbate Cluniacenſi&Fratrum Minorum Burgundiæ procuratoribus in noſtra præſentia conſtitutis, ſuſtinere noluimus inter eos ordinari judicium, ſed ex noſtro dumtaxat officio indulgentias & reſcripta quibus poterant ſe juvare nobis fecimus exhiberi, quibus diligenter inſpectis, quamvis magnum favorem exprimerent, quem ad fratrum Minorum ordinem apoſtolica ſedes habuit, cujus judicio ſpecialiter regitur totus ordo: nos nihilominus advertentes quod & vos eſtis Romanæ Eccleſiæ filii ſpeciales, procedendum duximus ad contentionem hujuſmodi finaliter dirimendam. Sed volumus quod ſuperſedeant dicti fratres à prædicti proſecutione negotii, donec aliquid nobis placuerit ordinare. Cùm igitur iidem noſtris per omnia beneplacitis æquanimiter ſe coaptent, devotioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus & vos ad eos de caritatis viſceribus affluentes, & deliberetis nobiſcum quid magis vos deceat, quid & vobis magis expediat: an benivole fratres admittere certis pactis adhibitis; an ſedis apoſtolicæ præſtolari cenſuram, quæ peculiari gregi ſuo compatiens multò forſan tempore ſuſtinere non poterit ſuorum ſcandala puſillorum. Datum Viterbii II. Idus Decembris anno III.

EPISTOLA CCCCCLXV.

R. epiſcopo Albanenſi apoſtolicæ ſedis legato.

Approbat quoſdam ex fratrum Minorum ordine ad epiſcopatum ab eo provectos.

LIcet noſtris tibi dederimus litteris in mandatis, ut fratres Minores, qui poſt conſtitutionem ad apoſtolica ſede ſuper hoc editam, eſſent ad archiepiſcopatus vel epiſcopatus aut alias dignitates abſque generalis miniſtri ordinis eorum vel provincialium, qui fuerint pro tempore, licentia & conſenſu, aut prædictæ ſedis ſpeciali mandato in tua legatione promovendi & promoti ad nos ab officio & beneficio mittere procurares ſuſpenſos. Quia tamen venerabilem fratrem noſtrum MARCUM epiſcopum Caſſanenſem, qui abſque miniſtri ſui licentia & mandato tuo conſenſerat, confirmaſti, & tam ipſum, quàm venerabiles fratres noſtros Philippum Caſertinum & Æſculanum epiſcopos, de Caſertinæ & Æſculanæ eccleſiis provideas, feciſti in epiſcopos conſecrari; fraternitati tuæ in hac parte defferre & eorum eccleſiis providere volentes; quod per te actum eſt ſuper his circa illos ratum habemus & firmum, ac robur firmitatis volumus obtinere defectum, ſi quis in præmiſſis extitit, ſupplentes de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, conſtitutione prædicta quantum ad fratres alios in ſuo robore duratura. Anno 1267

EPISTOLA CCCCCLXVI.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Mittit ei litteras ab ipſius conſanguineo ad Urbevetanos miſſas, hortatur ut in ſuum redeat regnum.

EXiit jam in publicum conſanguinei tui conceptio, qui ſe jam Tuſciæ capitaneum generalem appellat, ſicut tibi monſtrabit exemplar litterarum, quas miſit Urbevetanis civibus, quod tuæ magnitudini mittimus præſentibus incluſum. Expectat autem de Tuſcia milites, Anno 1267

cum quibus, prout dicitur, apponat aggredi regnum tuum, quod tamen nec omnino credere possumus, nec nimis volumus abhorrere. Verùm in omnem casum tibi credimus expedire, quòd relicta ad præsens Tuscia sub illa ordinatione quam ei dare poteris, ad regni tui visitationem accedas, & prout credimus & speramus apud nos multa audies quæ tibi poterunt complacere. Quod si tuum adventum distuleris, adversus Perusium vel Assisium transferre nos curiam oportebit, quod tamen nolumus publicari. Datum Viterbii XIX. calendas Januarii anno III.

EPISTOLA CCCCCLXVII.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De mittendis ad regem Aragonum.

Anno 1267 (a) SI mittendum putas juxta nostrum consilium ad regem Aragonum fratrem G. (*a*) *de Tornenx* ordinis prædicatorum, vel alium, vel alios quos volueris, nobis rescribe nomina mittendorum, ut eosdem nostris munire litteris valeamus. Nos enim fratrem prædictum retinendum duximus ex hac causa, donec tuas super hoc litteras videamus. Est tamen tua præsentia magis grata, quam pro tua necessitate & tuorum cum magno desiderio præstolamur. Datum Viterbii XVI. calendas Januarii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA CCCCCLXVIII.

Carissimo in Christo filio C. regis Siciliæ illustri.

Suadet ei secundum cum filia regis Aragonum matrimonium, ac de rebus Urbis ei scribit.

Anno 1267 ET venerabilem fratrem nostrum Tirensem archiepiscopum & dilectum filium fratrem (b) G. (*b*) *de Tornenx* ordinis Prædicatorum, & magistrum B. Languiselli archidiaconum Lutaresii in ecclesia Tolosana patienter audivimus super omnibus quæ nobis singuli super his quæ eis injuncta fuerant ex parte tua, proponere voluerunt: ad quæ sic tibi duximus respondendum. Scimus satis eo modo quo talia sciri possunt, expedire tibi & tuo statui, quàm citò poteris, & se congruens facultas obtulerit, ad secundas nuptias convolare; & sicut aliàs tibi scripsimus, non videmus matrimonium tibi conveniens, nisi cum filia carissimi in Christo filii nostri regis Aragonum illustris, aut filia Marchionis Brandeburgensis, quem nuper audivimus decessisse: de qua tamen cujus ætatis sit aut staturæ, multoque minus cujus hactenus educationis extiterit ignoramus: & finaliter si aliæ consonant circumstantiæ, melius & utilius fœdus hujusmodi nuptiale cum prædicta regis Aragonum filia judicamus, ad quod tractandum nuncius unus

(*a*) *Al.* De Tovenx. *Al.* de Conenx. *Al.* De Tongiis.
(*b*) *Al.* De Tovens. *Al.* De Conenx.

A non sufficit, quoniam multi possunt casus fortuiti impedire. Ideo videtur nobis congruum quod duo mittantur, quorum unus sit frater G. prædictus, & dabis ei socium quem volueris, & libenter tibi juxta desiderium tuum offeremus ALPHANTEM nepotem nostrum, sed multum est debilis, quoniam quartana sua magis crudeliter quàm fideliter comitatur: sperat tamen quod infra Epiphaniam Domini, si contrarium aliquod non emerserit, valeat proficisci.

B Sanè de facto Urbis & nobilium subsidio Romanorum, scire te volumus quod negotium tuum agitur. Jam quidem sicut per litteras Senatoris eorum evidenter apparet, tecum intraverunt in campum. Dum enim ipse capitaneum se dicit Tusciæ generalem, & tu vicarium te dicis imperii & Tusciæ paciarium esse; necessarium esse cernimus, ut aut tu ipse, aut quod esset decentius tibi subsit, aut alteruter cedat, cùm ambo eidem præesse provinciæ non possitis. Audis etiam quod Senenses pariter & C Pisanos confœderatos Romanis asserit, & eos partem alteram Urbis vocat, an ista te tangant, an angant, quid etiam sequi valeat ex prædictis tecum prudenter pertracta. Nos enim minimè dubitamus, quin hæc omnia diligenter appensa in status tui præjudicium sint conflata, quia in omnibus tuis tractatibus, semper aliquid ferventer inquiris, quod ad tuum respiciat commodum speciale. Scias, fili, quod si potes senatum Urbis acquirere ad tempus competens, tolerabimus, juramento quod super hoc præstiD teris, usque ad certum terminum nonobstante. Et idcirco versus nos propera, & omnia dante Domino ad statum optimum deducentur. Nos enim donec tuum audierimus finalem responsum, milites quos misisti esse facimus otiosos, ne te forsitan guerris involvant, quæ tibi postmodum displicent, quibus tamen utemur, si magna necessitas id exposcat. Datum Viterbii XVI. calendas Januarii anno III.

E

EPISTOLA CCCCCLXIX.

Dilecto filio nobili viro Infanti H. claræ memoriæ F. illustris regis Castellæ filio, Senatori Urbis.

Arguit eum quod duabus viis ambulet, & Galvanum ecclesiæ hostem in Urbem admiserit.

DIsplicet nobis, & debet meritò displicere, Anno 1267 quod duabus viis incedis, & interdum te F dilecto filio nostro J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diacono cardinali videris confidere, quem ad tuum commodum & honorem vigilantem invenimus plus forsitan quàm deceret. Et nunc scribis quod ad ejus instantiam carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ excitavimus, quod ad terram comitis Angulariæ D. milites (*c*) mitteret, (c) quod utique non est verum. Nec enim per

(*c*) *Al.* Duceret.

ipsum rogati fuimus, nec est factum: quamvis hæc & alia possent fieri, si negotiorum conditio id exigeret: quod tamen utinam numquam erit. Non ergo te decet imponere tanto viro duplicitatis maculam, quem inter fratres nostros ac suos veracem semper invenimus & sincerum. Sanè de receptione GALVANI proditoris notorii & perjuri, nec te competenter excusas, nec prudenter minaris, quod ipsum quæres & alium, quem dicti regis noveris inimicum. Malè quidem fecisti recipiendo ipsum in Urbe cum vexillo CORRADINI explicito, & pejus facies, si eumdem receperis iterum, vel vocaveris, & debes credere quod qui cum MANFREDO regni tam nobilis eo tempore possessore regi nostro nequivit resistere, malè juvare te poterit, si contra regem negotium duxeris assumendum. Quid tibi adversarium sine causa constituis, te Tusciæ capitaneum in tuis litteris inscribendo, quas Urbevetanis & Tudertinis satis improvidè destinasti? Ecce quibus te consiliis, ecce quibus te involvis negotiis, & ad ingressum facilè non quantum expedit contemplaris egressum: cum tamen virum deceat sapientem metiri rerum exitus & præsertim in rebus bellicis, quarum quidem eventus est dubius, & in omnibus judicatur consultius prudentiæ se committere quàm fortunæ. Ad cor ergo tuum revertere, & ecclesiæ matri tuæ subjice caput tuum, qua duce proficere poteris, qua offensa non poteris prosperari. Datum Viterbii XIV. calendas Januarii anno III.

EPISTOLA CCCCCLXX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Trevirensem archiepiscopum ab officio & beneficio suspendit.

Anno 1267 QUia rectitudinis plures ducit in devium, plures à patrum terminis trahit in exterminium effrons malitia prælatorum, qui de sua præsumentes potentia, dum peccandi sibi pro libito vindicant libertatem, à subditorum animis Dei prorsus timorem abigunt, qui non esse timendum æstimant quod à suis vident pastoribus non timeri. Verus ergo vicarius JESU-CHRISTI, cui cura debet esse in omnibus, cum sit datus à Deo super cunctis ecclesiis speculator, licèt in tanta nequeat multitudine populi christiani singulorum vultus agnoscere, debet saltem diligenter attendere & fideliter indagare præsentium famam & vitam, ne cùm tandem ad manum venerit munerantis, ab eo grex perditus requiratur, tamquam qui gregem ipse perdiderit, & ab ejus custodia furem vel mercenarium non amovit.

Hinc est quod felicis memoriæ prædecessor noster URBANUS, cùm ad ejus pervenisset auditum, quod HENRICUS Treverensis electus, pallio non obtento, in suis litteris archiepiscopum se nominare præsumens, in Rheni flumine thelonium sive pedagium proprio motu instituerat, hoc ipso ligatus excommunicationis sententia, divina celebrabat officia; immò quantum erat in ipso potius profanabat, erat insuper simonia, perjurio, sacrilegio, homicidio & aliis criminibus irretitus, bona Trevirensis ecclesiæ dilapidans & consumens; inquisitiones super præmissis omnibus primùm venerabilibus fratribus nostris Wangiensi & Spirensi episcopis, & dilecto filio abbati de Rodequira Præmonstratensis ordinis sub certa forma commisit, quorum processus sibi exhibitos prædecessor idem reputans defectivos, idem negotium fratribus Rullo & Rorito ordinis fratrum Minorum iterato commisit: qui licèt diu juxta datam sibi peritiam, magis fortè fideliter quàm prudenter in negotio laborassent: quia tamen juris apices in omnibus non attenderant; nos eorumdem processum nobis exhibitum de fratrum nostrorum consilio justitia cassavimus exigente, prædicentes eidem electo tunc in nostra præsentia constituto, quod inquisitionem contra ipsum ab eodem prædecessore commissam, per nos vel alios, prout videremus expediens, prosequi volebamus. Cumque postmodum sub certis articulis sibi traditis respondisset, nunc à nobis, nunc ab aliis, quibus hoc interdum commisimus, requisitus, à nonnullis Treverensis Ecclesiæ canonicis sæpe excitati, ut responsiones ipsius discuteremus ad plenum, cùm per eas, ut firmiter asserebant, ab ejusdem jugo pestifero dicta posset ecclesia liberari: Sanè licèt id distulerimus multo tempore, negotiorum undique diffluentium impediti concursu, responsiones tandem colligentes eisdem & excusationes ab eodem oblatas, tam super articulum de rescripto prædecessoris nostri contentis, quàm super aliis quæ postmodum nostro tempore emerserunt, collationem cum fratribus nostris habuimus diligentem.

Et quidem ut omisso quod se non habens pallium archiepiscopum nominaverat: quod licèt esset erroneum, simplicitati vel errori scriptoris poterat imputari, à theloneo quod imposuisse dicitur sumamus initium; ex confessione liquet ipsius quod uno illud anno magno vendiderat pretio, & perceperat: quod utique novum esse non potest ambigi, nisi concessione seu privilegio principis, aut continuata perceptione à tempore cujus non extdet memoria, valeat excusari. Quod si novi pedagii fuit impositor, latas dudum contra tales à Romanis pontificibus & annis singulis innovatas sententias non evasit, nec juvare se poterat, ut videtur, litteris bonæ memoriæ H. tituli S. Sabinæ presbyteri cardinalis, à quo vel cujus auctoritate fuerat absolutus, qui licèt sedis apostolicæ pœnitentiarius generalis existeret, & à sententiis posset absolvere generalibus, si non obstaret: ab hac tamen nequivit absolvere, cùm super eam facta esset per nostrum prædecessorem, ut diximus, certis personis commissio specialis, pro qua etiam mandabatur citari, ut veniret ad curiam pro meritis recepturus, cùm nec generalis legatus in causis commissis alii specialiter quicquam possit, & in omni jure generali per spe-

Trevirensis electus inexcusabilis quod theloneum imposuerit.

cialem derogetur. Sed nec absolutio fratris Martini pœnitentiarii minoris eidem utilis videbatur, ratione consilii, non obstante, quod ejus littera continebat, se de dicti prædecessoris nostri speciali mandato ab omni eum excommunicationis sententia absolvisse, cum de mandato non constet: & si constaret, hujusmodi generalitas illam specialem sententiam non includeret, de qua non extitit cogitatum, nisi de speciali commissione prædicta facta fuisset mentio in mandato. Sed nec ad istam sententiam de qua agimus absolutio potest extendi, super qua absolventis intentio minimè ferebatur, cùm prorsùs incredibile, quin etiam detestabile videatur, ut ligatus pro certa pecuniæ quantitate, quam papali debebat cameræ, & à tali absolutus sententia, nisi prædictam pecuniam certa die non solveret, non in illam solummodo, sed in alias relaberetur sententias, sicut habet series litteræ fratris Martini prædicti. Unde rectus non patitur intellectus, quod de aliis sententiis senserit, quàm de illis quæ eum fortasse pluries olim ob dictam pecuniam, quam soluturum juraverat, prout dicitur, fuerant promulgatæ. Ex quo potest concludi ulteriùs, quòd nec ab illis extitit absolutus, si de aliis tacuit, cùm talis absolutio prodesse nequeat, cùm obreptitia sit censenda. Quam etiam veritatem intelligens nullatenus exhibere deberet. Quod verò ad defensionem dicebatur ipsius, latam contra impositores sententiam eum non tangere, cum prædecessor ipsius dictum pedagium percepisset, & sic non ipse impositor dici poterat, sed impositoris successor, satis validè & ad ejus defensionem sufficiens aliqui reputabant, cùm nec nominis dicatur impositor, quicumque nominat alium suo nomine, sed qui primus imposuit ipsum nomen. Ad quod poterat responderi, quod de factis licitis & illicitis non est dandum judicium uniforme. Quæ enim licitè prædecessor obtinuit, quodam jure continuo ad ejus transeunt successorem: unde & una persona à talibus æstimatur. Ubi verò de illicitis agitur seu delictis, decessorem cum successore non unam personam dicimus, sed capita post singulorum inspicimus qui delinquunt. Et idcircò promissoris qui vim promisit non facere, (*a*) vis alia dicitur quàm heredis, nec est propriè continuitas in illicitis. Unde vitiosa possessio alteri, vel ei altera non accedit. Sanè quotquot succedunt novum ponentes pedagium, cùm scelus proprium prosequantur, impositores utique sunt censendi. Nam in Machabæorum historiis de filiis legitimis Alexandri, quod imposuerunt sibi diademata ipsi & filii eorumdem post ipsos. Quod profectò sic debes intelligi, quod cum in regnis per violentiam occupatis, jus aliquod non haberent, novam singuli committebant injuriam, & ideo singuli sibi diademata imponebant. Hoc etiam satis approbat canon antiquus, qui episcopis prohibet ex usu etiam gravamen seu servitium imponere subditis, evidenter insinuans, quod præcedens usus illicitus prosequentem usum hujusmodi impositorem non prohibet nominari. Civili autem cautum est sanctione quod licèt exercitor pro magistri delicto, quem non ipse sed alius præposuerat, teneatur interdum ignorans; si tamen scit & patitur ipse, adeo imposuisse videtur, ut secundum communem & celebrem intellectum, non quasi pro imposito alio teneatur, sed potius à seipso Si ergo, ut dicit, percipiebat novum pedagium prædecessoris, successor utique qui scivit & passus est percipi, imposuisse dicendus est veriùs quàm impositum percepisse.

(*a*) *Al.* Jus in alia dicitur.

Secundò videbatur electus perniciosè fuisse negligens, cùm per VI. annos & amplius in pallii, quod instanter petere debuisset, petitione cessasset: & hoc ipso jure juxta sacrorum canonum sanctiones dignitate commissa carere debebat, qui licèt felicis recordationis Urbani & Alexandri temporibus prædecessorum nostrorum, se id petisse per suos nuncios speciales assereret, addens quòd etiam vacante Ecclesia id petierat à collegio cardinalium; confessus est tamen, quòd nostro tempore non petierat, quia à fratribus nostris aliquibus ei dictum extiterat, ut dicebat, quod contra ipsum, inquisitione pendente, nullomodo daretur eidem. Quod pallium petere neglexerit.

Tertiò videbatur inexcusabilis, qui prout confessus est coram nobis, PH. (*b*) quondam Metensem episcopum confirmavit & consecrari mandavit, quem negare non poterat pati intolerabilem in litterarum defectum, cùm id esset in partibus illis notorium, nec eum latere poterat, qui decanus Metensis Ecclesiæ fuerat multo tempore, in qua idem PH. erat canonicus cum eodem. Nec sufficere videbatur ad excusationem ipsius, quòd non ipse examinaverat, sed examinandum commiserat personis probis & discretis: cùm patenter indigni examinandi non sint, sed limine potius repellendi. Nec excusat negotiorum instantia quam allegat, cùm ipsius defectum tam patulum, quamvis plenariè sibi notum deprehendere facile etiam in transcursu potuisset, & aliis in judicio publicare. Quanti similiter reatus existat indignos ecclesiis privilegiatis præficere satis indicat generale concilium, dum testatur nihil magis ecclesiis Dei officere: ex quo sequitur nihil superioribus arctius evitandum, nihil in transgressoribus acriùs puniendum. Quod Metensem episcopum confirmaverit & consecraverit. (*b*)

Quartò verò reperiebatur culpabilis, quia cùm per VI. annos & amplius sacerdos fuerit, nec unam missam, prout habet ejus confessio, celebravit: quod quàm gravis sit culpæ, satis indicat generale concilium, quod tam graviter illos arguit ac etiam puniendos ostendit, qui non celebrant ter vel quater in anno. Et quod dixit ab initio se excusans quia pallium non habuerat, frivolum esse liquet, cùm ante receptum pallium, licèt quædam pontificalia non debuerit exercere, licitè tamen & liberè poterat celebrare. Sed non prodest quod addidit, quod habuerit conscientiam aliquantulum scrupulosam, quia eo peccavit graviùs, quòd salutari remedio sibi non providit. Quod Missam per annos sex non celebraverit.

(*b*) Philippus *de Florenges* ex S. Arnulfi genealogia ortus, qui postea abdicare coactus fuit.

Quod consecrante episcopum consecrator extiterit.

Quinto constabat per confessionem ipsius, quod piæ memoriæ prædecessori nostro URBANO altare quoddam in Urbe-veteri consecrante, ipse inter episcopos alios assistentes eidem unà cum eis consecrationis peregit officium; quod sibi videbatur inhibitum, pallio nondum habito, cùm non sit ratio cur cum alio debeat alibi consecrare, qui in sua non existens diœcesi vel provincia præsumere talia non deberet.

Quod fuerit perjurus.

Sexto reus perjurii videbatur, quod per publicum instrumentum sigillo roboratum ejusdem evidentius apparebat, quòd certam quantitatem argenti in transacto jam diu termino quibusdam Senensibus mercatoribus solvere debuisset, quibus adeo satisfacere non curavit: quod etiam eisdem conquerentibus coram nobis, contendere quàm cedere maluit, cum eis litem in judicio contestatus, ad sui defensionem proposuit quod contractus hujusmodi extitit simulatus, conditionalis etiam, & non purus, facti processum in hunc modum proponens. Dixit siquidem quod licèt dictum contineat instrumentum se fuisse confessum, quod sexcentas marcas acceperat, nec spe futuræ munerationis sibi faciendæ istud confessus fuerat, immò cum alio tractatum habuerat, quod à rege RICHARDO XII. millia marcarum argenti sibi dari efficaciter procuraret, quæ prædecessori nostro idem rex dare voluerat; & si hoc, ut prædictum est, ille cum quo tractaverat procuraret, tunc idem electus sexcentas marcas dare debebat ei per manus mercatorum dictorum, & ideo se dictis mercatoribus alligavit in sexcentis marcis prædictis, quas tamen nec ipsi mercatores dare illi tertio, nec ipse electus mercatoribus tenebatur, donec essent præmissa per illum tertium efficaciter procurata. Verùm continetur in instrumento prædicto quod si marcas prædictas in termino præfixo non solveret, nec pallium, nec consecrationem peteret, nec reciperet, donec esset prædicta quantitas persoluta, & ad prædicta complenda juramento prædicto proprio se astrinxit. Ex his autem grandis objectio contra eum insurgere videbatur. Nam si quæ asserit non probaverit, cùm stare oporteat instrumento, convincitur de perjurio manifestè. Si vero probaverit quod proponit, commisisse videtur evidentissime simoniam, quam committi testantur canones, si detur vel promittatur seu recipiatur pecunia, ut spirituale quid fiat. Cùm igitur iste receperit mutuum sub conditione saltem, ut dictum est, & donec solvisset, ad non recipiendam consecrationem, & pallium non petendum se juramento constrixerit, censendus est Simoniacus, ut videtur: nec proderit si dicatur, quod defecit conditio, & idcirco contractus est habendus pro infecto. Nam in contractibus conditionalibus & potest suspendi obligatio, & purè simonia committi, sicut in usurariis judicamus. Nam & qui promittit pecuniam, si ecclesia sibi det, & qui promittit usuram, si fortè non solvat certa die, reus est criminis, etiamsi conditio non existat. Nec est in casu hujusmodi simonia solius intentionis quæ debetur per pecuniam; cùm sit intentio non occulta, sed certis pactionibus denudata.

Quod abbatem & monachos per suum capitaneum incarcerari fiverit.

Septimo dicebatur quòd excommunicationem incurrerat, quia abbatem S. Michaëlis & duos ejus monachos sacerdotes in castro ejus captivos nec liberaverat, nec procuraverat liberari. Ad quod responderat se fecisse quod poterat, quia officialis Treverensis & priori fratrum Prædicatorum & Gardiano fratrum Minorum in Confluentia mandaverat, quod monerent eum qui castrum tenebat, ut eos redderet, alioquin denunciarent excommunicatum eum, & comminarentur eidem quod feudis quæ à Treverensi tenebat ecclesia privaretur. Ex his verò suam malitiam satis detegere videbatur. Nec enim fideliter fecerat quæ facere debuisset. Nam licèt habeat communis opinio, quod dictus abbas, quem ipse reputat inimicum, captus fuerit saltem in favorem ipsius, & ipse electus plus non fecerit; cùm tamen excommunicationem exequi per alium potuisset, & excommunicasse & excommunicationis aggravasse sententiam multis modis, non caret scrupulo societatis occultæ, tam manifesto facinori desinens obviare.

His igitur & aliis quæ ad præsens discuti poterant diligenter inspectis, licèt multis prudentibus videtur, quod nos contra memoratum electum procedere gravius valeremus, quia cùm aliqua de facto proposuit, quæ eum in aliquo forsitan relevarent; ut eò justiùs quò & certius in negotio procedamus, ad aliquam infra certum probandi terminum eum admittere proponentes, prout requiret justitia & æquitas suadebit, ne in ipsius manibus Treverensis ecclesia interim naufragetur, ab officio & beneficio eum suspendimus, summam aliquam taxaturi, quæ eidem ad prosequutionem negotii de reditibus sæpefatæ Treverensis ecclesiæ ministretur, per eos quibus administrationem ejusdem ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus committemus, potestatem nobis plenam & integram reservantes ex eisdem, de quibus jam liquet contra eumdem electum nullis aliis probationibus aut processibus inspectis, quando & quotiens nobis expedire videbitur ad alia procedendi etiam graviora allegationibus juris ejusdem juxta factum de quo constiterit audientia minimè deneganda. Datum Viterbii XIV. calendas Januarii anno III.

EPISTOLA CCCCLXXI.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

Contra duces Bavariæ processurum se promittit. De litteris regis Bohemiæ & consanguinei ipsius.

Anno 1267.

CONtra duces Bavariæ suo libenter tempore non sicut petis, sed sicut expedit & mos habet Romanæ Ecclesiæ procedemus. Malè quidem cuncta ministrat impetus, & majori soliditate fundantur, quæ congruum tenent ordinem in fornace deliberationis excocta. Nostrum

sanè lætificaverunt animum carissimi in Christo filii nostri regis Bohemiæ illustris litteræ, quarum nobis exemplum misisti, quem magnitudinem tuam decet ea benivolentia prosequi, ut in tua devotione firmatus, à te nequeat quavis occasione divelli. Mittimus autem tibi litteras præsentibus interclusas, quas à consanguineo tuo recepimus; & nihilominus scire te volumus, quod prout nuper à fide dignis recepimus. Multa tibi mala parantur in regno, ad cujus visitationem te nuper monuimus, & iteratò monemus, non immeritò formidantes, ne dum quæris lucrum in aliis, damnum in propriis patiaris. Datum Viterbii XII. calendas Januarii anno III.

EPISTOLA CCCCCLXXII.

Dilecto filio nobili viro filio claræ memoriæ, &c. Senatori Urbis.

De excessibus à Gibellinis in Hispanos, & ab eo in Romanam ecclesiam commissis.

Anno 1267 HOrrendum nimis & detestabile facinus, quod in gentem tuam, & specialiter carissimi in Christo filii nostri regis Castellæ inclyti germani tui solemnes nuncios Guibellini Tusciæ, quorum tamen desideras amicitias, commiserunt, ad tuam credimus pervenisse notitiam; per quos bonæ memoriæ Silven is episcopus cum multis aliis est occisus, decanus Salamanticensis unus de nunciis vulneratus & captus, & plures alii cum eodem tam vivis quàm mortuis, bonis omnibus spoliati. Et licèt mala sint opera, quæ præmisimus, & non sine quàm maximo dolore narrando: ex his tamen, ut credimus, posses instrui, quorum & qualium societatem appetis, qui dati utique in sensum reprobum, nec Deum timent, nec hominem reverentur. Nec est ullatenus dubitandum quin eosdem sua peccata teneant, ut vel Dei vel hominis gladium non evadant, nisi quod magis placeret, dignos pœnitentiæ fructus agant. Sanè quia dicti episcopus & decanus pro negotiis arduis fratris tui & pro factis imperii specialiter ad nostram præsentiam mittebantur, bene facies si ad deliberationem intenderis captivorum & litterarum recuperationem, quas secum portabant; & cum eas recuperaveris, redde nobis vicem, & mitte sicut & nos mittimus tibi. Tandem miramur plurimum quod necdum nostris satiatus injuriis, domos nostras ad sanctum Petrum detines, quod cum quondam carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ sub amoris nostri fiducia attentasset, sustinere noluimus: quod ut nobis molestum aspexit, mox exivit. (a) Sutrinum adhuc detines, & in Rispanipano & Vicerelano publicorum itinerum aggressores, qui exenia victualium, licèt non magni pretii, quæ nobis nuper mittebantur ad festum, violenter latoribus abstulerunt. Adhuc nostras litteras non habuimus, quas tui (b) Tuterii rapuerunt. Adhuc tenes Romanos nobiles, in quo dilectos filios nostros cardinales Romanæ ecclesiæ graviter & acerrime scandalisas, nec illatis damnis contentus, minaris addere graviora. Porrò nec sic Romanam Ecclesiam subiges, quæ licèt in filiorum suorum offensa non mediocriter offendatur, numquam tamen hujusmodi se subjiciet servituti, ut pro suorum redemtione fidelium suum dare vel perdere patrimonium compellatur. Cum ergo videas manifestè, quòd hac via non proficis, immò deficis, & peccatis gravibus animam tuam illaqueas, nobilitatem tuam rogandam duximus & ammonendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus & satisfacias de commissis & à committendis abstineas: & si hactenus contra te non processimus quantum licuit; non idcircò superbias, immo nostris humilius beneplacitis te coaptes. Diu quidem omittere non poterimus, si tua exegerit contumacia, quin saltem spiritualem gladium exeremus, qui nec imperatoribus, nec regibus, nec principibus aliis, eorum meritis exigentibus, parcere consuevit. Super his autem omnibus responsionem per tuas & latorem præsentium nobis mittas. Datum Viterbii V. calendas Januarii anno III.

(a) *Al.* Saccum. (b) *Al.* Curterii.

EPISTOLA CCCCCLXXIII.

Dilecto filio nobili viro filio claræ memoriæ, &c. Senatori Urbis.

Ut desistat à persecutione cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.

CUr tam acriter & tam durè contra dilectum filium nostrum J. sancti Nicolaï in carcere Tulliano diaconum cardinalem tua nobilitas moveatur videre non possumus, cùm nullus eò certius, nullus instantius ad tuum laboraverit commodum & honorem, donec mala pro bonis recipiens, in suis fratribus & amicis à te fuerit tam graviter sauciatus; sed nec postea destitit eadem prosequi, donec ipsius nunciis ad tuam præsentiam accedentibus satis incurialiter aditum denegasti. Imponis autem nunc eis plurima quæ tibi relata per alios nimis credulus pro veris recipis: cùm tamen sit scriptum, quod non omni spiritui est credendum; tuque, ut verum dicamus, multos homines maligni spiritus tecum habes, qui si eis credis, tuum perverterent animum, & sub amoris specie tibi gravius quàm nunc videas scandalum suscitabunt. Parce igitur persequi cardinalem prædictum, quem tamquam specialem Ecclesiæ filium, immò nobile membrum ejus non potes tangere, nobis & aliis fratribus nostris intactis, cùm in Domino corpus unum & invicem singuli membra simus. Quod autem nobis de tuo & tuæ militiæ versus Sutrinenses prænunciasti, adventum habere non possumus non suspectum, cùm ratio sit tenuis quam prætendis. Quocumque tamen ieris, Deum time, quem si quæris offendere, ut cœpisti, semper habeas in memoria Anno 1267

quantum potest qui & suos confundit adversarios in præsenti & potestatem habet corpus & animam mittere in gehennam. Verùm ipse cor tuum illustret, ut viam veritatis agnoscas, tuam temere salutem non negligas, in qua tibi ipsi crudelis, quod dolentes referimus, conjurasse videris. Datum Viterbii III. calendas Januarii anno tertio.

EPISTOLA CCCCCLXXIV.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

De decimis pro terræ sanctæ negotio.

Anno 1268 TErræ sanctæ miseria, quam audivimus quotidie gravioribus subjacere periculis, promtis eget subsidiis, quæ augeri deceret potius quam arte qualibet defalcari. Sanè quia, quod pudet scribere, multorum corda adeo sunt ferrea, quod illius vicem dolere nesciunt, qui dolores nostros sua pietate portavit, & vellemus omnes in pace solvere crucifixo quod pro ejus negotio duximus imponendum ecclesiis; placet nobis quod prælatis & aliis, quos præcipuè tangit negotium, convocatis, eis nostrum insinues intellectum; quod scilicèt de decima jam concessa juxta nostræ concessionis tenorem eximi nequeunt quotidianæ distributiones, sicut nec alias exemtæ fuerunt, cùm pro eodem terræ sanctæ negotio ad tempus extitit decima assignata, quamvis in decima data regi Siciliæ secùs fuerit: quia sic extitit inter te & prælatos libera voluntate conductum. Ceterum si prælatis placuerit, & aliis qui tanguntur præcipuè in hoc facto datam à nobis decimam ad tres annos prorogari in quartum; placet nobis quod prorogationem hujusmodi auctoritate nostra facias, & ad quatuor annos illam inducas, infra quos de quotidianis distributionibus nihil præstent, & universis qui fideliter & libenter solvent dictam decimam, illam suorum indulgentiam peccatorum eadem auctoritate concedas, quam habent pro eodem negotio personaliter laborantes, similemque gratiam illis facias, quos ad vicesimam colligavimus, & ipsi pro quatuor annis nostro ac tuo beneplacito se coaptent. Datum Viterbii Idibus Januarii anno III.

EPISTOLA CCCCCLXXV.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato.

Ut inquirat de sibi legatis.

Anno 1268 INquirere te volumus per abbatis & canonicorum Boloniæ juramenta de relictis nobis à J. Manselli vestibus veritatem, & in eos qui eas celaverint vel fraudem nobis fecerint in hac parte, vel consenserint facientibus excommunicationis ferre sententiam, à solo Romano Pontifice relaxandam, & tam calicem quàm vestes prædictas cùm eas habueris simul vel separatim nobis mittere non omittas, nisi tibi persona occurrerit cui merito committenda videatur. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCCCCLXXVI.

Dilecto filio R. Martini civis Montispessulani.

Dehortatur eum à secundo matrimonio contrahendo.

ADhuc fluctuas, ut audivimus, adhuc navigas in interitum, licèt tibi luce clarius pateat, quibus sit laqueis involuta in te conjugalis anxietas, prout satis experientiæ magisterio didicisti. Anno 1268 Hanc profectò soliditatem non habent ipsæ feræ vel volucres, sed nec pisces, ut libenter ad laqueos redeant, quos vel semel feliciter evaserunt. Quid ergo faciendum est homini qui rationis imperio regitur, si ratione carentia nudæ quodam æstimationis intuitu periculosa vitant itinera, vias eligunt tutiores? Dices forsitan, & quid faciam? Soboles non est mihi, unus sum & secundum non habeo; si sic morior, nomen meum & patris, & domus meæ gloria à radice succisa pariter interibunt. Audi nunc, fili, & fidelia suscipe verba patris. Si repetis matrimonium, unde certus efficieris quod prolem suscites ex uxore? Unde scies quod diu vivere valeat suscitata? Unde scies quod futura sit utilis ejus vita? Multi quidem in conjugio steriles in hoc ipso graves patiuntur molestias dum ignorant an sibi, an suis debeant imputare conjugibus, an fortè peccatis propriis, an divinæ misericordiæ quod præoptatæ sobolis spe frustrantur. Et hoc ipse, ne longè petantur exempla, probasti; sed nec omnes qui habent filios sunt securi, cùm sit sententia sapientis, *quod sit meliùs sine liberis mori, quàm relinquere filios sceleratos.* Unde & quidam peritissimus ita dixit: *melius heres eligitur, quàm necessario relinquatur.* Ipse tandem conjugii Dominus institutor viam aliam eminentiorem ostendens, eunuchis utique qui ejusdem custodiunt sabbata sua, propria voluntate viam eligunt continentiæ, nomen melius à filiis & à filiabus promittit. Addes forsitan quod lubricum carnis times. Ad quod aliud tibi non possumus respondere, nisi quod vires tuas fideliter metiaris, quamquam nulli, ut credimus, sis in parte hac suspectus. Adjuvabit enim te Dominus continere volentem. Quod si omnino diceres, te carnis stimulis superari, tunc ab illa doctoris gentium recedere non possumus sententia, qua melius esse, quàm uri, nubere judicavit. Sed quoniam hoc in te locum firmiter credimus non habere, devotionem tuam hortandam duximus & rogandam, quatenus divino beneplacito te committens, in sortem ejus transeas ascribendus sine moræ diffugio clericali militiæ; in quam Deo servire poteris, tibi proficere, & esse pluribus fructuosus, quod & nobis cedet ad gaudium, qui te semper dileximus; & si statum ipsum elegeris, affectu pariter & effectu longè fer-

ventius & tenerius diligemus. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CCCCCLXXVII.

Archiepiscopi Narbonensis ad Clementem papam.

Purgat se à calumnia sibi inflicta de fide Eucharistiæ.

Anno 1268 REm horrendam, summè detestabilem hæresim manifestè continentem pio motu sancta vestra paternitas suo devoto filio decenter scripsit, nos dixisse cuidam magno viro, dum olim essemus in Romana curia conferendo cum eodem, adjicientibus nobis Parisius celebrem esse opinionem Corpus Christi non essentialiter & verè esse in altari, sed sicut signatum in signo, prout repsit postmodum latenter sermo ad nostram audientiam pervenit. Quod si memores essemus non dixisse, aut forsan lingua labente dixissemus, studeremus revocare quod nequaquam cogitavimus, nec os nostrum polluimus errore tanto, vel minore in aliqua facultate testimonio Parisiensium doctorum. Quod si quis vellet in dicti falsi impositione contra nos persistere, promtos nos inveniet in mortem & in vitam ire. Sed, Pater sanctissime, narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex vestra & nostra tenet, immò verbum iniquum constituerunt adversum me tam imprudenter quam irreverenter, non parcentes pontificali, quàm fortè desiderant, dignitati; sed in præfati dicti insaniam stimulati à Satana inciderunt transcendentes, qui Dei virtutem juxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradixerunt, ut Magister Lombardus recitat in principio decimæ distinctionis quarti Sententiarum, asserentes in altari non esse corpus Christi vel ejus sanguinem, nec substantiam panis & vini in substantiam carnis & sanguinis converti, sed ita Christum dixisse *Hoc est corpus meum*, sicut dicit Apostolus ad Corinthios *Petra autem erat Christus*; dixerunt ibi esse corpus tantum in sacramento, id est in signo, & solum in signo à nobis manducari. Et hæc prima hæresis facta est in discipulis Christi dicentis: *Nisi manducaveritis carnem & sanguinem, non habebitis vitam æternam.* Dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potes eum audire?* abierunt retrò, instruente Christo illos duodecim, qui remanserunt, & dicente: *Spiritus est qui vivificat, caro verò non prodest quicquam. Verba quæ loquor vobis, Spiritus & vita sunt*, quia sacramentum quod vobis commendavi spiritualiter intellectum vivificabit. Vobis caro non prodest quicquam, hoc est idem corpus de quo Eusebius ait: Hoc corpus assumtum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat ut die cœnæ sacramentum Corporis & Sanguinis consecraret & commendaret nobis, ut coleretur jugiter per mysterium qui semel offerebatur in pretium. Forma dicta à Domino consecratione verbi cælestis, quod corpus sit consecratum, seu caro Christi interiorem hominem reficit spiritualiter & saginat. Non tamen lateat, Pater Sancte, quod vos scire nullatenus dubitamus quod quatuor modis dicitur sumi. Primò similitudine, ut species panis & vini, & hoc impropriè. Secundo materialis caro Christi crucifixi & lanceata, quæ prius de Virgine sumta est, & sic propriè accipitur. Tertio ipsa Ecclesia vel ejus unitas mystica. Quarto ipsa caro Christi spiritualis, quæ verè cibus est: quam carnem qui manducant spiritualiter, veritatem carnis & sanguinis Domini sumere: quia ipsam efficientiam ipsorum peccatorum remissionem habent, pro qua sic oratur cùm dicitur: *Perficiant, quæsumus Domine, tua sacramenta quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.* Id est prædictam efficientiam & etiam verum corpus Christi, quod sic sumitur, quod verisimile est in altari, ut etiam dicit D. Augustinus visibiliter in cælo, quia in forma humana, sed in altari invisibiliter in formâ humana quod sub speciebus panis & vini operitur, ubicumque in altari celebretur integrum est, non per partes discerptum, ut illi dixerunt, qui retrò abierunt. Verus ergò Deus & verus homo in hoc est sacramento, quod est Corpus Christi plenum gratia & divina majestate, realiter veritatem & naturam in se continens consecratione panis in corpus & vini in sanguinem substantialiter conversum vi verbi divini & secreta potestate creaturam mutantis in memoriam Dominicæ passionis, sicut per Spiritum-sanctum, ut ait Augustinus, vera caro sine coïtu creata est in aula virginali. Secundo sumtum est de Virgine in cruce lanceatum crucifixum idem numero post resurrexit, & in cælum ascendit. Ut enim ait Gregorius, quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo sanctissimo Christi mysterio angelorum choros adesse, summa & ima associari: ut in eodem momento substantia panis & vini in Corpus Christi seu totam substantiam conversum mirabiliter & immutatum, quod est cæleste in cælum rapitur ministerio angelorum corpus Christi consociandum, quod ante oculos sacerdotis in altari videtur, sub speciebus videlicèt panis & vini esse verè, non ut asserunt hæresis publicæ falsi Christi discipuli, ut signatum solum in signo vel sub signo, à veritatis tramite & orthodoxæ fidei Catholicæ recedentes per errorem. Ut igitur fides habeat meritum, & non esset horror carnis & sanguinis, nec ridiculum à paganis, nec sub humana specie sumitur, sed sub speciebus sacramentalibus panis & vini. Unde dicit Hilarius, propter quod non est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed spiritualis virtus sacramenti, id est, non est ibi in ulla repræsentatione, quæ humanis sensibus subjici valeat repræsentari. Vera tamen substantia & quantitas corporis Christi & virtus sacramenti spiritualis videlicèt, uniens cum corpore mystico, secundum quod dicit Hugo de S. Victore. Sed de his hactenus, quia mysterium fidei credi salubriter potest, investigari autem quandoque salubriter non potest: voluntati ejus atque potentiæ salubre atque mirabile hoc sacramentum & supra naturam penitus adscribatur,

batur, ſed Deus hujus ſæculi operatur in illis diffidentiæ filiis, qui non rationi voluntatem ſubjiciunt : inſipientia verba contra nos callidè coaptare nituntur, non veri ſed placiti rationem ſectantes, quos iniqua voluntas, non intelligentiæ veritas incitat, dum ad fabuloſam calumniam ſe convertunt, loquentes mendaciter hypocriſim, quia in verbis eorum pietas, quam amiſit conſcientia prædicando, Narbonenſis dioceſis illius tempore hinc inde diſcerpitur, malè regitur. Idiota prælatus eſt, impudenterque per multa media ſagaci diligentia ſerpunt, & ſe latenter ingerunt, ut locum habeat ſequens relatio prælationis ambitæ in animæ ſuæ periculum : quod nequaquam avertunt ambitionis
(a) deſiderio, velante (a) oculum rationis verborum mendacio, piam fidei ſanctitatem in eo in quo eſt denigrare molientes, ſine fide contra veritatem fidei, quæ in nobis eſt à ſacro fontis baptiſmate, culpabiliter bellant, quam poſtmodum Pariſienſe ſtudium clarius confirmavit, excuſſa prorſus à nobis illa damnabili & exſecrabili hæreſi, quam nobis imponunt, virus ſuæ nequitiæ in nos transferendo, in electorum gloria maculam ponentes. Si autem apoſtolicam
(b) (b) bibulam invenirent & lucernam veritatis, ſi quam ſibi placitam in nobis Deus miſericorditer exaltavit, quæ paternitati veſtræ ab initio bene complacuit, immò benignè & efficaciter promovit, & nos cum multa cordis amaritudine jurgio jugiter expoſuit. Nec tamen patienter ſuſtinere deberemus quod dicitur in proverbiis: *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, ut in gaudio ejus miſceatur extraneus* Abſit ergo, Pater ſanctiſſime, quod contra Dominicæ fidei profeſſionem per vipereæ doctrinæ fraudulentiam in aliquo infidelitatis aut ſacrorum fermentationi vel ſatanæ aditum pandamus, ut à ſanctorum patrum veſtigio atque ſanctæ matris Eccleſiæ diſcedamus limitibus & veſtris. Hæc manus noſtra rudi calamo conſcripſit per veſtram ſententiam præeminentemque ſapientiam corrigenda ſuis ſententiis aut verbis. Sanctitatem veſtram conſervet Dei filius in longitudine dierum. Amen.

EPISTOLA CCCCCLXXIX.

Dilecto filio nobili viro Al. comiti Pictavenſi & Toloſano.

Commendat ipſi Jordanum de Inſula.

Anno 1268 EA quam de te habuimus, dum minori fungeremur officio, notitiam, firmam fiduciam imprimit cordi noſtro, ut ad ea potiſſimum quæ divinum beneplacitum, tuum & ſedis apoſtolicæ reſpiciunt honorem, promtus & facilis habearis. Cum igitur dilectus filius nobilis vir Jordanus de Inſula fidelis tuus in ſervitio cariſſimi in Chriſto filii noſtri C. illuſtris regis Siciliæ fratris tui contra hoſtes Dei & Eccleſiæ ac regis ejuſdem laudabiliter ſe habuerit hactenus, & adhuc in eo laudabilius perſeveret, nobilitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus eum pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia, ac ejuſdem regis intuitu, necnon & ipſius nobilis meritorum obtentu, habens propenſius commendatum, te ſibi exhibeas pro loco & tempore in tuo favore munificum & in cunctis opportunitatibus gratioſum, ita quod tam ipſe quàm alii ejus exemplo per virtuoſos actus dignis in Domino proficiant incrementis, & nos devotionis tuæ promptitudinem uberius providè commendare poſſimus.

EPISTOLA CCCCCLXXX.

Epiſcopo Albanenſi apoſtolicæ ſedis legato.

Ut epiſcopatibus modici valoris provideat, & de aliquibus fratribus Minoribus promovendis.

LIcet de quibuſdam epiſcopatibus nobis ſcripſeris, quod valorem xxx. unciarum auri excedunt, quantum plus valeant non ſcripſiſti. Et idcircò quæ perſonæ quærendæ ſunt ad earum regimen ignoramus. Si ergo modicus eſt exceſſus, provideat eis tua fraternitas, prout viderit expedire, ſciaſque quòd nobis frequenter extitit ſupplicatum pro fratre PHILIPPO Minore, qui diu lector fuit in ordine, & miniſter, ut dicitur, provincialis in regno, & in prædicationibus plurimum gratioſus. Da ei locum ſi potes, & nos iterum inſtrue quid de fratre P. de Corneliaco facere debeamus. Ad abbatias de quibus nobis ſcripſiſti regendas bonos quæremus monachos, ſi eos poſſumus invenire. Datum Viterbii XIX. calendas Februarii anno III. Anno 1268

EPISTOLA CCCCCLXXXI.

Epiſcopo Albanenſi apoſtolicæ ſedis legato.

Ut ad ſe accedat cum rex Siciliam intraverit.

QUia multa tibi habemus dicere, quæ ſcriptis nolumus commendare, volumus quod poſtquam cariſſimus in Chriſto filius noſter rex Siciliæ regnum ſuum intraverit, ad nos venias perſonaliter, tua tamen legatione manente, & ibidem dimiſſo vicario, qui abſentiam tuam ſuppleat, donec redieris ad eamdem. Datum *ut ſupra*. Anno 1268

EPISTOLA CCCCCLXXXII.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ preſbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Conſolatur eum de caſu & infortunio, eique de Italiæ ſtatu ſcribit.

EQuum tuum nuper audivimus cecidiſſe, & in caſu te læſum in tibia, quod non leviter nos turbavit : in hoc tamen gaviſos quod qui te lædi permiſit, collidi noluit, ſed ſuppoſuit manum ſuam. Omne igitur gaudium, cùm in varias incideris tentationes exiſtima, & eaſdem tam- Anno 1268

(a) *Al.* Officium. (b) *Unus codex colbertinus legit* epiſtolam.

quam solemnes nuncios summi regis lætanter excipe; quos nec vacuos, nec sine honore dimittas: quod utique facies, si disciplinam Domini non abjiciens, agensque gratias inter verbera patrem intelligas verberantem, qui filium illum quem diligit ad internecionem non percutit, sed potius ad salutem. Nos sanè sanctarum orationibus personarum juvari te apud Dominum faciemus, quibus nostras licèt eisdem inferiores immiscebimus, in te sanitatem optantes hominis utriusque. Tu verò cùm receperis corporis sanitatem, per tuas litteras patrem lætifica, audire de te prospera cupientem. De statu Italiæ noveris eum non mediocriter esse turbatum. Adhuc Corradinus, Ludovicus dux Bavariæ, & comes Tirolensis cum pluribus aliis sunt Veronæ, & cum finitimas civitates allicere sibi nequeant, intendunt venire Papiam si possunt. Quod si poterunt, timetur probabiliter ne grandis concussio subsequatur. Rex noster obtento per pacem Castro Podii Boniti, licèt à nobis fuerit revocatus, ut damnis occurreret regni, & potissimè in Sicilia, cujus partem magnam amisit, in tantum in Pisanos exarsit, quod eorum fines depopulans, regnum proprium videtur penitus oblivioni dedisse; quod multum nobis displicet, & utinam ejus intentio felicem exitum sortiatur. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCCLXXXIII.

Carissimo in Christo filio regi Francorum illustri.

Scribit ei de pluribus negotiis.

Anno 1268 QUæ per filium dilectum R. priorem Vallis-viridis juxta Parisius Cartusiensis ordinis tua nobis sublimitas intimavit, diligenter audita pleno collegimus intellectu: ad quæ taliter respondemus, quòd de passagio est depositum, licèt protractio sit in terræ sanctæ discrimine; tolerandum est tamen, & carebit periculo si terra interim providè sustentetur. Sanè dilectus filius vir nobilis Eduardus carissimi in Christo filii nostri illustris regis Angliæ primogenitus nuper petiit à nobis consilium de voto crucis, ad quod erat dispositus, emittendo, petens auxilium, ut ejusdem propositum (a) laudaremus; ad quod urgente conscientia non sinè magna deliberatione respondimus, quòd cùm pax Angliæ multum sit tenera, & amaricati multorum animi proni credantur & faciles ad malitiæ veteris recidivum, patrem senem dimittere inter tales minimè tutum putabamus; sed nec à nobis auxilium expectare poterat quod petebat, cum subjecta quatuor oneribus Anglicana ecclesia, quintum commodè nequeat expectare. Primum fuit quod in schismate suscitato prælati singuli importabiles portaverunt expensas. Secundum quod prædonibus, nemine cohibente, grassantibus, extiterunt omnes Ecclesiæ spoliatæ. Tertium quod cum in partibus (b) ultramarinis, exercitum contra se dirigi formidarent, famosis regni baronibus de proventibus ecclesiasticis decimam concesserunt. Quartum quòd nos in prædicti pœnam excessus, cùm essemus ad apicem apostolatus assumti, aliam decimam dari mandavimus regi suo. Verùm de collectis ab olim in illis partibus pro subsidio terræ sanctæ, quantum possent ascendere, & an inde competenter juvari posset, erat nobis incognitum; sed hoc melius scire poterat per legatum. Ad hæc autem dicenda, ut diximus, conscientia tibi facere vim noluit, nos coëgit, & forsitan aliud dixissemus. Quantum ad primum articulum, de cruce scilicet assumenda, si tibi consulere valeremus, quod te & tuos firmis astringens cautionibus de juvanda fideliter domo Angliæ, si filio tecum prosequente negotium, in regno Angliæ, guerra (c) nova domui moveretur eidem. Sed de hoc, quia tibi non credebamus expediens, nullam omnino fecimus mentionem. Claræ memoriæ B. illustris regina Siciliæ an testata decesserit vel intestata nescimus; sed faciemus secretius inquiri per venerabilem fratrem nostrum R. episcopum Albanensem, & quicquid invenerimus, illud scies. Porrò de quæstionibus quas habes cum carissimo in Christo filio nostro C. illustri rege Siciliæ, credebamus tibi responsum, necnon & de decima regni Siciliæ per dilectum filium Gaufridum de Bellomonte cancellarium Bajocensem. Nam nobis rex idem condixerat in Viterbio de certis responsionibus tuæ magnitudini faciendis, quæ licèt ad unguem expositæ non essent, satis tamen poterant tolerari. Sed quoniam à nostra recedens memoria diu distulit emittere, potuit mutare consilium, variare responsum, super quo eum, cùm de Tuscia venerit, alloquemur. Ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Aragonum legatum mittere cardinalem, nec decet, nec expedit, quia tenuis esset legatio & angusta, nec regnorum suorum decima ad x. millia, prout dicitur, librarum ascendit. Paratus tamen rex esset ad transitum, si pecunia non deesset. Dudum autem in Alamanniam misissemus, sed ad quærendam personam idoneam laboramus, quam expedit talem esse, quæ te & fratrem diligat, sciat, velit & valeat, elusis Corradini conatibus, honorem Ecclesiæ ad bonum statum imperii promovere, & insuper viris illustribus de imperio contendentibus nulla ratione suspecta; purum habeat animum, puras manus, & quod hic deest, sub sigillo tibi scribimus piscatoris. De quotidianis distributionibus & indulgentia danda solventibus fideliter decimam legato Franciæ respondemus, de clericis conjugatis juribus contenti jam scriptis, nihil adhuc duximus innovandam: quamquam pluries inter fratres de hoc movimus quæstionem. Demùm si gratiam tibi & primogenito tuo factam in evidens præjudicium prælatorum, de qua nobis pluries sunt conquesti, ad alios filios & nepotes extendere nolumus, tua serenitas non miretur. Minuenda sunt enim scandala non augenda, quod dolentes referimus, (d) de te & tuis conquerunter plures ecclesiæ regni tui, pro

(a) F. Laudavimus. (b) *Al.* Cismarinis.

(c) *Al.* Longa. (d) *In Trecensi codice deest*, de te & tuis.

quibus sæpius tibi scripsimus, non audivimus A aliquid emendatum. Quid ergo est aliud, ut Deo magis quàm homini complaceamus, prælatis Ecclesiæ arma suæ defensionis auferre, quàm inermes eos exponere spoliandos senescallis, præpositis, & bedellis, etiam viris aliis pestilentibus, qui nec Deum timent, nec hominem reverentur. Scimus quod cum hæc fiunt, dicitur, quod hæc credimus de tua conscientia non procedere: sed quid prodest quod de tua non exeunt conscientia, & in tuam venire scientiam non sinuntur? Quid si super his litteræ B pluries inculcatæ tuæ sunt celsitudini vel tuis consiliariis onerosæ, scire te volumus quod propter hæc desistere non proponimus ab incepto, quia parum te diligunt, qui palliationes quærunt in talibus, tuque minus, si quod absit, salubris exhortationis impatiens magistros prurientes auribus coacervas. De comitissa Leycestriæ & ejus liberis scias, fili carissime, quod eisdem in justitia non deerimus, nec defuimus; & illustris rex Angliæ nostri propositi non ignarus, suum habuit & habet contra eos in nostra C curia defensorem; sed quiescere potuit hactenus, pro eis nemine comparente. Æquanimiter porta quod scribimus de locis aliquibus seu personis à decima eximendis. Quod ad nostram secretam litteram respondisti gratum habuimus & acceptum. Datum Viterbii XIX. calendas Februarii anno III.

EPISTOLA CCCCCLXXXIV.

Rectoribus, consilio, & Universitati civitatis (a) Castelli spiritum consilii sanioris.

Ut pro excessibus satisfaciant.

Anno 1268. CUm & nos & Romanam Ecclesiam multipliciter offenderitis, sic vobis consulimus graves vestros excessus congrua satisfactione redimere, quàm accumulatis offensis, pœnis nos gravioribus obligare. Vobis universis & singulis, sub debito juramenti, quo nobis & Ecclesiæ Romanæ tenemini, & pœna mille marcarum, salva semper impositione majoris, si facti qualitas hoc exegerit per apostolicam sedem, districtè præcipiendo mandamus, quatenus ad (b) diruendas domos seu alia bona dissipanda, quæ quondam (c) HUGUICHIO vester conscius, miserabili nuper sorte peremtus, mortis suæ tempore detinebat, manus vestras extendere minimè præsumatis: alioquin omittere non poterimus, quin contra vos & vestra temporaliter & spiritualiter quantum expedire viderimus procedamus. Tamen quia bona eadem cum dictis domibus pro Romana vindicamus Ecclesia, cumque dilectus filius noster O. sanctæ Mariæ in Via-lata diaconus cardinalis ea firmiter asserit esse sua, nostroque incumbit officio tam nostra quam ejusdem cardinalis, si qua sunt, jura defensionis nostræ præsidio communire, &c. Datum Viterbii XVII. calendas Februarii anno III.

(a) Al. Castellæ. (b) Al. Dirigendas. (c) Al. Hugonetus.

EPISTOLA CCCCCLXXXV.

Dilecto filio nobili viro Jacobino Rubeo civi Pavinensi.

Potestatem Firmanensem non posse ei concedere.

IN terris fidelium si tibi forsitan regimen offerretur, tuo multùm congauderemus honori, cum te tuamque domum nobis & Ecclesiæ Romanæ devotam & fidelem in omnibus arbitremur. Sanè cùm civitas Firmanensis super omnes alias terras nostra infidelitate sit plena, nec jus habeat potestatem creandi, quo semper per sententiam est privata, sitque locus suppositus interdicto, & cives insuper excommunicationis sententia innodati; in hoc tibi favere non possumus, ut de nostro beneplacito in tuæ salutis interitum paris excommunicationis laqueis te imprudenter involvas, reprobatum eorum officium assumendo ut reprobatum. Si enim tibi talem daremus assensum, & peccati essemus auctores, & jus quo sunt justè privati reddere videremur eisdem, quod utique non intendimus: immò quicquid inde accedere possit aut debeat, procedemus, favente Domino, gravius contra ipsos. Datum *ut supra in proxima.* Anno 1268

EPISTOLA CCCCCLXXXVI.

D Venerabili fratri episcopo Cumanensi & dilectis filiis nobilibus viris germanis ejusdem.

Facta Brixiæ emendare promittit.

CUm inter Ecclesiæ Romanæ devotos, quos Italiæ spatia continent, domus vestra favoris præcipui communi judicio possit & debeat gloriari; si quid Brixiæ factum fuit, quod ambiguâ relatione didicimus; vestro statui vel honori contrarium, id nobis noveritis displicere. E Verum quia variis varia referentibus, rei gestæ plenam notitiam non habemus, venerabilem fratrem nostrum G. Bethleemitanum episcopum vobis nostrumque fidelem amicum ad partes illas duximus destinandum, qui venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Ravennacensem apostolicæ sedis legatum excitet; sed & ipse quod poterit (d) faciat ad scissuram prædictam ad honorem divini nominis & utilitatem totius provinciæ cum nostro beneplacito reparandam, F & ea rediens nobis nuntiet quæ nos reddant & teneant lætiores. Ipsi autem episcopo super his quæ vobis ex parte nostra dixerit, fidem vos volumus indubitatam habere. Datum Viterbii (e) XIII. calendas Februarii anno III. Anno 1268



(d) Al. Faciet. (e) Al. XVI. Calendas.

EPISTOLA CCCCCLXXXVII.

Archiepiscopo Ravennacensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei mittere se episcopum Bethleemitanum ad Brixiæ scissuram reparandam.

Anno 1268 VAriis varia referentibus de scissura quam nuper ambigua relatione didicimus Brixiæ contigisse, multum nobis noveris displicere, si quid factum fuerit, quod statui deroget vel honori dil. fil. nobil. vir. de Turre, quorum domus inter alios Ecclesiæ Romanæ devotos, quos Italia, continet devotionis fervore præcipuo potest & debet communi judicio gloriari. Verùm quia rei gestæ plenam notitiam non habemus, venerabilem fratrem nostrum G. Bethleemitanum episcopum ad partes illas duximus destinandum, ut & tuam sollicitudinem excitet; sed & ipse quod poterit faciat ad scissuram ad honorem divini nominis & utilitatem totius provinciæ reparandam, ut ad nostram præsentiam rediens ea nobis valeat nunciare, quæ nos reddere debeant lætiores. In his verò quæ tibi ex parte nostra dixerit, sibi fidem indubitatam volumus te habere. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCCLXXXVIII.

Dilectis filiis universis civibus Brixen. per quos nunc civitas regitur.

Anno 1268 DE discretione & puritate animi venerabilis fratris nostri Bethleemitani episcopi plenam in Domino fiduciam obtinentes, eum ad partes vestras duximus destinandum, per quem quædam vobis duximus proponenda, super quibus eidem fidem indubitatam volumus vos habere. Datum *ut supra.*

In eodem modo dilecto filio nobili viro (a) *Tayono de Minervia.*

EPISTOLA CCCCCLXXXIX.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

De pace facta regem inter & Pisanos.

Anno 1268 SCripsit nobis dilectus filius J. de Braisilva carissimi in Christo filii C. illustris regis Siciliæ marescallus, quod Pisani cum eodem rege pacem fecerunt post damna intolerabilia quæ sunt passi, quæ multum est honorabilis ipsi regi, quæ vicinorum eidem adversantium fregit cornua, quæ CORRADINUM recedere faciet, quæ Romanum contineat senatorem, quæ Siculos etiam proditores spe frustratos subsidii extrema, prout credimus, desperatione confundet. Sanè quia dictum est nobis quod claræ memoriæ B. illustris regina Siciliæ condidit testamentum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus id secretò ac diligenter explores, & si copiam ejusdem habere potueris quo quomodo, vel alias discere veritatem, id nobis quanto secretiùs poteris nec omittas nec differas intimare. Sed & illa quæ de Beneventano electo reperies nobis mittas, cùm apud nos instetur assiduè pro expeditione ipsius, quam distulimus & differimus per te instrui cupientes. Datum Viterbii (b) XI. calendas Februarii anno III.

EPISTOLA CCCCCXC.

Episcopo Claromontensi.

Postulationem de ipso factam ad Lugdunensem archiepiscopatum non posse admittere.

LIcèt tuæ fraternitatis honorem ab olim dilexerimus, & quò sincerius possumus diligamus: sic tamen eum quærimus, ut Deus omnium honoretur in omnibus, ipsius honor præcipuus omnibus aliis præferatur. Sanè cùm ad nostrum pervenisset auditum, quod ad Lugdunensem Ecclesiam fueris postulatus, gavisi fuimus, cùm eidem posses esse plurimum fructuosus. Sed cùm formam postulationis audivimus & processum, cessavit gaudium, nec putavimus promovendum negotium carens solido fundamento, immò potius erubuimus, & confestim nos dedimus ad viam aliam peragendam, qua & facta postulatione de tua persona & electione de.... Decano Lugdunensi omissis, præficeremus tertium Lugdunensi ecclesiæ supradictæ. Verùm scire te volumus dilectum filium magistrum G. (c) Rollandi archidiaconum Rutinensem in hoc debitam observasse cautelam, quòd tuo nomine nihil petiit vel proposuit, sed nec etiam nomine fratris tui, qui te postulaverat, quicquam dixit quod ambitionis tuæ notam quoquo prætendere videretur indicio; sed simpliciter factum narrans ad id suam intentionem direxit, ut & conscientiæ tuæ puritas innotesceret, & germanus innocens haberetur, & quod factum fuerat de decano excogitata, ut dicebat, malitia cassaretur. Tene igitur in omni patientia locum tuum, nec à nobis reputes te despectum, quem ex toto corde diligimus, & hoc ipsum ad majoris favoris specialis indicium in thesauro cordis tui consignes, quod & tuæ justitiæ non detraximus, & nostræ satisfecimus honestati. Demùm dictum archidiaconum Ruthinensem, quod si alias haberes ignotum, pro sua diligentia præsenti negotio habere te convenit multipliciter commendatum, in tuorum catalogo devotorum confidenter adscribas, cùm in dicto negotio de contingentibus nihil omittens, decenter laboraverit & fideliter pro eodem. Datum *ut supra in proxima.*

(a) *Al.* Taleno de Minervio.

(b) *Al.* XV. Calendas. (c) *Al.* Jocardi.

A

EPISTOLA CCCCCXCI.

Dilecto filio nobili viro Gastoni vicecomiti Biarnensi.

De matrimonio Henrici filii regis Castellæ tractando.

Anno 1268 INtelleximus quod vir magnificus cariſſimus in Chriſto filius rex Caſtellæ & Legionis illuſtris, germanum ſuum H. nunc ſenatorem Urbis reconcilians ſibi, terram ei competentem conſignat. Tu igitur ſcire potes, an tibi placeat, circa fœdus matrimonii contrahendum, cum eodem habere tractatum, de quo aliàs tibi ſcripſimus, an ad aliam magis partem inclines, de qua nobis etiam tu ſcripſiſti, ut ex eis tua voluntate percepta, quid tibi fuerit & utilius
(a) & acceptius eligatur. Datum Viterbii (a) VIII. calendas Februarii anno III.

B

EPISTOLA CCCCCXCII.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Interceptas Teutonicorum litteras ei mittit.

Anno 1268 PRo ſedanda diſcordia Lombardiæ ad partes illas venerabilem fratrem noſtrum G. Bethleemitanum epiſcopum, quem nobilibus viris de Turre & toti negotio fore credimus utilem deſtinamus. Nos ſanè tuum ad regnum Siciliæ certis ex cauſis deſiderantes adventum, litterarum tranſcriptum, quas Teutonici, qui ſunt Senis, tuo conſanguineo ſenatori Galvano & inimicis aliis deſtinabant, tibi mittimus præſentibus incluſas, ut eo inſpecto plenius deliberare valeas, quod tibi ſuper his, quæ ipſæ videntur tangere litteræ, ſit agendum. Datum *ut ſupra.*

C

EPISTOLA CCCCCXCIII.

Dilectis filiis poteſtati, conſilio & communi Cremonenſi.

Epiſcopum Bethleemitanum eis deſtinatum ad pacem reformandam mittit.

Anno 1268 DEvotionem veſtram, prout decet, in Domino commendantes quàm multipliciter
(b) comprobatam, nunc ex eo certiſſimis (b) probatis indiciis quod divulſos fideles Eccleſiæ plangitis & in priſtinam reduci petitis unitatem. Ut veſtro veſtrorumque pariter deſiderio ſatisfiat, venerabilem fratrem noſtrum Bethleemitanum epiſcopum ad partes veſtras duximus deſtinandum, non ut in aliquo derogemus venerabilis fratris noſtri Philippi archiepiſcopi Ravennacenſis apoſtolicæ ſedis legati officio, ſeu etiam poteſtati, ſed ut miſſio ſpecialis noſtrum expreſſius affectum indicet, quem habemus ad pacem Eccleſiæ & ſuorum fidelium conſervandum. Quocirca ſinceritatem veſtram rogandam duximus & hortandam, quatenus eumdem Bethleemitanum epiſcopum favore debito proſequentes, unà cum memorato legato, qui noſtram apud vos repræſentant perſonam, ad ea quæ pacis ſunt, juxta datam vobis à Deo peritiam dirigatis & efficaciter adjuvetis, ut à ſcintilla ignis augeri nequeat, & veſtræ ſtatus provinciæ, quam præveniſſe Dominus in benedictionibus creditur, novis diſſentionibus non turbetur. Datum Viterbii VIII. calendas Februarii anno III.

D

EPISTOLA CCCCCXCIV.

Dilectis filiis poteſtati, conſilio & communi Cremonenſi.

Ejuſdem argumenti.

MIſſum nobis ex parte veſtra Fredericum latorem præſentium diligenter audivimus, qui prudenter quæ ſibi fuerant injuncta proponens, de his quæ contingunt negotium nihil omiſit. Sanè jam inſcius ipſius adventus, paraveramus venerabilem fratrem noſtrum Bethleemitanum epiſcopum, quem in Lombardia mittimus, pro factis de quibus ſcribitis promovendis, firmam in Domino gerentes fiduciam, quod auctoritate venerabilis fratris noſtri archiepiſcopi Ravennacenſis apoſtolicæ ſedis legati præambula, idem epiſcopus tam fideliter quàm utiliter cum noſtro & fidelium aliorum auxilio laborabit. Datum *ut ſupra.* Anno 1268

E

EPISTOLA CCCCCXCV.

Dilecto filio nobili viro Amato de Amatis poteſtati mercandiæ Cremonenſis.

Commendat ei Bethleemitanum epiſcopum in Longobardiam miſſum.

IN devotione dudum Eccleſiæ educatus, & ex devotis parentibus trahens originem, ammonitioni frequenti non indiges, ut quæſitos tibi ab olim condignæ laudis titulos ſinceræ fidei proſecutione confirmes, in quos ſic tuum æſtimamus propoſitum ſolidatum, ut nec deſcendens pluvia, nec flumina venientia, nec etiam venti flantes, conſcientiæ tuæ domum poſſint evertere, ſupra firmam petram ab antiquo fundatam. Verùm quia nihil nocet admiſſo ſubdere calcar equo, tuam induſtriam tenore præſentium duximus excitandam, & affectu paterno dulciter exhortandam, quatenus ad unitatem & pacem civitatis Cremonenſis conſervandam unà cum dilecto filio R. (c) Secci poteſtate Cremonenſi, de quo multum confidimus, des opem ſedulam & ſtudium indefeſſum, & nihilominus Venerabili fratri noſtro Bethleemitano epiſcopo, quem ad Lombardiam ad certa negotia mittimus, in his quæ tibi dixerit credas, & eidem conſilium & auxilium, cùm ab eo fueris requiſitus, impendas, ut ex hoc Deo placeas, & Anno 1268

F

(c)

(a) *Al.* IX. Calendas.

(b) *Al.* Prolatis.

(c) *Al.* Scoti.

apostolicæ sedis gratiam, quam te dudum meruisse cognovimus, amplius merearis. Datum *ut supra in proxima.*

A

EPISTOLA CCCCCXCVI.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut præficiat abbatem monasterio S. Trinitatis de Venusio.

Anno 1268 PLacet nobis, quod priorem Montispilosi monasterio S. Trinitatis de Venusio, sicut videtur idoneus, juxta temporis & patriæ qualitatem præficias in abbatem, licèt juvenis videatur, cùm ætatem supplere valeat in eo commendabilis, prout fertur, discretio præmatura. Datum Viterbii VII. calendas Februarii anno III.

B

EPISTOLA CCCCCXCVII.

Carissimo in Christo filio Jacobo regi Aragonum illustri.

Calamitates terræ sanctæ peccatis christianorum adscribit, sperans nihilominus de Dei misericordia.

Anno 1268 TErræ sanctæ miserias successivis relationibus plenius agnoscentes, timemus nec immeritò, ne dilata subsidia cismarina tantum hostibus spatium tribuant debaccandi, quòd vix relinquatur remedium post ruinam, nisi Deus misericorditer plebem suam respiciens, processus hostium impedierit, vel eosdem elevari permiserit ut allidat. Non hæc habent, fili carissime, quod dolentes referimus, populi merita christiani, cui nulla noceret adversitas, si nulla dominaretur iniquitas; sed in tot mundi partibus in semetipsum dividitur, tot peccatis inficitur, tot involvitur fraudibus, tanta demùm indevotione dissolvitur, ut à Domino derelictus, ab inimicis etiam contemnatur. Verùm quià non obliviscitur Dominus misereri, qui in tanta peccantium multitudine multa sibi virorum millia reservavit, quos arcano suo consilio tamquam vasa misericordiæ præordinavit ad vitam, in ipsius bonitatem confidimus, quod illorum ministerio quos elegit dabit nomini suo gloriam, & hostili fracta potentia, fidei suæ cultum latius propagabit. O quanto gaudio repleremur, si tuæ magnitudini videremus suppetere facultatem, cui talem adesse cernimus voluntatem; nihil tibi solidum, nihil fixum tuæ benivolentiæ ad hoc possumus polliceri; sed fideliter laboramus, ut & nostrum & tuum desiderium impleatur. Ad hoc super his quæ de viro nobili H. Urbis senatore scripsisti, tua sumus responsione contenti: sanum enim habuisti consilium, quod si modò cognoscas (cognosces utique certius ex eventu) & audiens interim quæ venerabilis frater noster Elnensis episcopus tibi dicet, ne sis negligens circa tuum honorem quærendum, cùm tempus se offerat opportunum. Datum *ut supra in proxima.*

EPISTOLA CCCCCXCVIII.

Dilecto filio nobili viro H. claræ memoriæ, &c. Urbis Senatori.

Ne se facilem præbeat credendis rumoribus.

CUm novissimas tuas litteras recepimus, jam fratres Alf. & L. Caltranenses recesserant, quibus timentibus ubi timendum non erat, eisdem dedimus litteras de conductu; & unum de nostra familia, qui eosdem venerabili fratri nostro Aretino episcopo repræsentet; cui eos per nostras litteras efficaciter commendamus, per amicos suos usque ad locum in quo se tutos reputent perducendos. Non ergo sis nimis credulus, sicut & ipsi fuerunt, multa enim dicuntur quæ nullam continent veritatem, & qui citò credit, levis in corde in sacra pagina judicatur. Datum Viterbii IV. calendas Februarii anno III. Anno 1268

C

EPISTOLA CCCCCXCIX.

Dilecto filio abbati monasterii S. Ægidii.

Ut filii P. Guillelmi de Monte-pesato studio vacantis expensis provideat.

CUm dilectum filium natum quondam P. Guillelmi de Monte-pesato monachum tuum docilem, bonæ indolis esse, quod gaudentes accepimus, audierimus; patris merita contemplantes, qui tuo monasterio fidelis extitit & devotus, nosterque fuit, dum vixit, familiaris amicus; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus taliter ei provideas, quod in studio possit proficere, nec ab eodem expensis deficientibus retrahatur. Datum Viterbii III. calendas Februarii anno III. Anno 1268

D

EPISTOLA DC.

Dilecto filio G. dicto (a) Bota civi Massiliensi. (a)

Certum eum facit de sua dilectione.

E

TUam dudum dilectionem experti, quam erga nos multis indiciis comprobasti, cùm minori fungeremur officio; scias illam à nostra numquam excidisse memoria, sed & nostra circa te numquam tepuit, immò eò sincerius te diligimus ad majora provecti, quò nunc habemus, quem amicum retroactis temporibus habebamus. Quocirca super bonis quæ de manu Domini recipis, & eidem vice versa refundis; plurimum gratulantes, discretionem tuam rogandam duximus & hortandam, quatinus more solito ad pietatis opera te exercens, de bono in melius incessanter proficias, ut de nostra dilectione securus, ab eo diligi, cujus licèt immeriti vices gerimus, merearis. Datum *ut supra in proxima.* Anno 1268

F



(a) *Al.* Rota.

EPISTOLA DCI.

Cariſſimo in Chriſto filio regi Angliæ illuſtri.

De cauſa comitiſſæ Leiceſtriæ.

Anno 1268 DIlecti filii Boneti clerici ac procuratoris tui prudentiam & induſtriam meritò commendantes, eum tibi cenſemus amabilem & favore benivolo carius amplectendum. Sanè petitiones quas tuo nomine nobis obtulit, diligenter inſpeximus, reſpondentes ad ſingulas, prout Deo gratius eſſe credidimus, tuis quantum potuimus votis ac deſideriis annuentes. Verùm ſuper eo quod te, fili cariſſime, reputabas gravatum, quia dilectam in Chriſto filiam nobilem comitiſſam Leyceſtriæ de tua celſitudine conquerentem in noſtra curia volebamus audiri ad reſpondendum termino tibi dato, breviter reſpondemus, quòd ſic jura noſtra ſervare volumus, ut tua nullatenus invadamus; ſed donec liqueat ex forma petitionis quam offert, an ad forum noſtrum pertineat ejus cauſa, aures ei claudere non valemus: quam tamen liberè remittemus, ſi ipſa negotium proſequente, ex parte tua quicquid rationabile proponatur, per quod forum noſtrum mediante juſtitia valeas declinare. Datum Viterbii VII. Idus Februarii anno III.

EPISTOLA DCII.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

Ut duci & comiti Venetiarum navem mercibus onuſtam vi ventorum in Calabriam pulſam reddi faciat.

Anno 1268 JUri divino conſonat & humano, & naturalis æquitas perſuadet, fideles quoſlibet, & præcipuè principes Chriſtianos quoſlibet, afflictis compati, condolere dolentibus, & miſeris miſereri. Cùm igitur nuper ex parte dilectorum filiorum ducis & comitis Venetiarum nobis fuerit intimatum, quòd quædam eorum (a) tareda multis onuſta mercibus, capta prius à Januenſibus, & vi ventorum poſtmodum ad fines tracta Calabriæ, paſſa fuerit ibidem naufragium, & jam merces per Dei gratiam in poteſtatem venerunt gentis tuæ, ſerenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus merces ipſas, quas ſine ſalutis diſcrimine retinere non poſſes, eidem reddi jubeas & liberaliter aſſignari. Datum *ut ſupra in proxima.*

(a) Ex hoc loco patet Taredam ſeu Taretam aliud nihil eſſe quam navem onerariam, quam Tartanam vulgò appellant.

EPISTOLA DCII.

Cariſſimo in Chriſto filio C. regi Siciliæ illuſtri.

An melius ſit ei hoſti occurrere, an ad regnum ſuum reverti.

SUper tribus deliberaſſe te novimus, nec ſic in partem aliquam inclinatum, quin velis & valeas, ſi res exigat, mutare conſilium, quod tam fixum ac ſolidum eſſe nequit rebus bellicis, quin id oporteat ſemel & ſæpius pro locorum & temporum differentia variari. Sunt quidem aliqui qui te provocant ad eundum in hoſtis imprudentis occurſum; ſed non cogitant quæ requirant impendia, quæ diſcrimina ſecum trahat (b) involutio cum Lombardis, à regni finibus elongatio, & poſtremo prolixitas ipſa negotii, & multorum incertitudo caſuum, qui nullo poſſunt conſilio provideri. Sunt qui putant quòd melius ſis in Tuſcia, inter regnum tuum medius & Lombardos, ut ad partem alterutram poſſis facilè te convertere, ſi neceſſitas idem requirat. Nobis verò viſum eſt hactenus, ſicut pluries tibi ſcripſimus, quod in regno tuo eſſes utilius, ubi cornua multorum frangeres, & ingreſſos inimicos expelleres, te & tuos equis & armis inſtrueres, & finitimos ac remotos ampliori terrore concuteres, ſi terram tuam pacificè poſſideres. Quamvis autem nobis placuerit, quod audito hoſtis adventu, tuum in regnum reditum ſuſpendiſti, ut obſequentium ora clauderes, qui te fortè fugere dicerent, ad propria providè redeuntem: niſi tamen Papiæ fixerat ille gradum, & à te ſatis expectatus non venerit, quin ad regnum tuum redire valeas, ſine nota confuſionis cujuſlibet non videmus, dimiſſa tamen Tuſcis militia, quæ in eis primos hoſtis intrantis impetus ad tempus valeat ſuſtinere, donec tu regno tuo pacato, & reſumtis ibidem viribus, ad Tuſcos redeas, ſi viſum fuerit expedire, & poſſet eſſe quod interim Romam poſſes ad tuum obſequium inclinare: quod ſi fieret, ad tuorum dejectionem hoſtium tuumque cederet commodum & honorem. Etſi quid circa hoc in Tuſciæ partibus occupatò fuerit attentatum, det Deus bonum exitum; ſiniſtrum enim plurimum formidamus. Quia tua ſerenitas melius ſcire poteſt pro locorum conditionibus & illarum cum quibus militas perſonarum, quid te deceat facere, quid expediat, nihil certum volumus diffinire, niſi plenius nos inſtruxeris ſuper his quæ nobis ſunt dubia, tibi nota. Nos autem in ambiguo poſiti, nec nos volentes novis bellis involvere cum Romanis, ad terræ noſtræ defenſionem dabimus operam quam poterimus; & ſi, quod abſit, regnum invadi contigerit in Apulia, conſilium & auxilium quod poterimus dabimus genti tuæ. Datum Viterbii VII. Idus Februarii anno III.

(b) *Al.* Involutis.

EPISTOLA DCIII.

Dilecto filio nobili viro H. &c. Urbis senatori.

Ut sua potestate modestè utatur.

Anno 1168 DIsplicet nobis plurimum quod contra fratres nostros, quos sincerè diligimus, tantum odium concepisti, qui cùm te numquam nocuerunt, à te gravissimè sunt offensi. Sanè quod de comite Angulariæ nobis scribis, scire te volumus nobis esse prorsus ignotum: nam nec B patienter ferremus quod in certis terris nostris quemquam offenderet, nec ei terram nostram dum innoxius fuerit honestè possumus inhibere. Tu ergo tuæ nobilitatis honorem attendens, utere omni modestia potestate quam habes: non enim est hereditarium, nec supra petram solidam est fundatum, cum ex multorum pendeat voluntatibus, quas juxta sui libertatem arbitrii frequenter vidimus & audivimus variari. Sed si justitiæ cultor extiteris, si acceptor non C fueris personarum, si ab injuriis omnium abstinueris, tua patientia poterit solidari: sine his autem nedum impulsus ab aliis corrues; immò nec stare poteris nemine impellente. Datum Viterbii v. Idus Februarii anno III.

EPISTOLA DCIV.

Dilecto filio nobili viro Manfredo & Monello marchionibus Malæ-spinæ.

Respondet eorum petitionibus.

D

Anno 1268 VEstras petitiones audivimus per dilectos filios O. sanctæ Mariæ in Via-lata & V. S. Eustachii diaconos cardinales diligenter expositas; ad quarum primam, de jure videlicet dilectæ in Christo filiæ matris vestræ, vobis breviter respondemus, quod parati sumus in nostra curia pacificè & benignè procuratorem suum audire. Nam tantum negotium Romanæ Ecclesiæ contingens patrimonium extra curiam committere non debemus, ne prædecessorum E nostrorum morem laudabilem infringamus. Sanè quod secundò petistis committi vobis in terra Sardiniæ vicariam exaudire nequivimus; cùm nec nos terram possideamus in pace; nec, si possideremus ad plenum eamdem, conveniens videretur, quòd nos nostros constitueremus vicarios, qui pro parte non modicâ petitores estis ejusdem. Scire tamen vos volumus quod & jus vestrum servare per omnia vobis voluimus, & tam vestræ quam vestrorum majorum devotionis intuitu in quibus honestè poterimus honorare. Datum *ut supra in proxima.* F

EPISTOLA DCV.

R. Episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut crucem prædicet adversus Sarracenos Luceriæ.

Anno 1268 SArraceni Luceriæ, quam non meruerunt, apud carissimum in Christo filium C. illustrem regem Siciliæ, præter spem omnium gra- A tiam assecuti, nunc in arcum pravum conversi, rebellionis, prout dicitur, spiritum conceperunt, quod non sine justo Dei judicio credimus toleratum, ut in similibus rex ipse sit cautior, & novum eorumdem delictum vetera faciat recenseri. Sanè cùm eorum malitiis & infidelium aliorum qui adhærent eisdem sit modis omnibus obviandum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus contra eos & falsos christianos eorum complices seu consortes crucem prædices, & per alios quos ad hoc idoneos reputaveris facias prædicari eam, omnibus qui crucem ob hanc causam receperint, indulgentiam largiturus, quæ pro terræ sanctæ subsidio laborantibus indulgetur, juxta distinctionem laboris & meriti in consilio generali contentam. Quod si eam per te vel alios prædicasti vel prædicaveris priusquam ad te litteræ præsentes pervenerint; quicquid per te super ea vel dandis indulgentiis illis est vel fuerit ordinatum, niti perpetua volumus firmitate; nec in aliquo trepides, immò solito sis constantior. Nunc est enim mundi judicium, nunc revelabuntur cogitationes, nunc granum in regno purgabitur, & à palea secernetur. Nec enim Ecclesiæ & regi resistere in longum poterunt infideles. Datum Viterbii II. Idus Februarii anno III.

EPISTOLA DCVI.

Carissimo in Christo filio regi Bohemiæ illustri.

Scribit ei de Corradini in Italiam conatibus.

ECce, fili carissime pandere tibi cogimur Anno 1268 conatus fatuos adolescentis stolidi CORRADINI, qui vocatus à perfidis, in Italiam proficiscens primò venit Veronam, & inde contulit se Papiam, nitens subvertere, prout fertur, opus nobile quod in diebus nostris voluit Dominus operari, carissimum scilicet in Christo filium nostrum C. regem Siciliæ illustrem mirabiliter promovens & sublimans. Sanè tua non credat sublimitas, quod eumdem prævalere posse credamus: sed hæc tibi scribenda duximus, ut & ejus scias stultitiam, & tuorum insaniam vicinorum ducum Bavariæ, qui puero puerilius sentientes, ductum eum ad Ligures, potiusve seductum in hoc periculo dimiserunt, quodam sibi custode dimisso, qui ducem Austriæ se appellat, Ceterum quia de tua bonitate confidimus, sinceritatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus hæc, quæ parat infidelium machinatio contra matrem suam sanctam Romanam Ecclesiam tibi displiceant, & prudenter intelligas & benignè recipias quæ tibi dilectus filius Augustinus clericus tuus & nuncius ex parte nostra duxerit proponenda. Datum Viterbii III. calendas Martii anno IV.

EPISTOLA DCVII.

Episcopo Lismorensi.

De collectis pro terræ sanctæ negotio.

Anno 1268 TErræ sanctæ negotium eo semper favore prosequimur, ut quæ in ipsius deputata subsidium nosse possumus, in usus alios convertere seu transferre nullo tempore proponamus. Tuam sanè diligentiam commendantes, quam in quærendis & eidem negotio reservandis quæ in Hibernia debebantur juxta nostri mandati tenorem habueras, sicut nobis per tuas litteras intimasti, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus dilecto filio nostro O. S. Adriani diacono cardinali apostolicæ sedis legato respondeas de collectis, & colliges nihilominus colligenda, ut ejusdem terræ sanctæ necessitatibus valeat subveniri, quæ carissimi in Christo filii nostri Regis illustris & aliorum baronum Franciæ generale passagium malè poterit expectare, nisi opportunis subsidiis interim fulciatur. Demùm super eo quod nobis de juvandis cruce-signatis Hiberniæ significare curasti, ipsi legato nostram scribimus voluntatem. Datum Viterbii III. calendas Martii anno IV.

EPISTOLA DCVIII.

Carissimo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de Corradino, de rebus Italiæ & ecclesiarum diversarum.

[An]no 1268 CORRADINUM noveris Papiæ cum gente non magna, nec bene instructa, multaque paupertate deprehensa, nec potest procedere, cùm non audeat; nec retrocedere, cùm via sibi non pateat; sed ibi sicut potest in dolore & angustia transit vitam suam, desertus ab avunculo duce Bavariæ & à Vitrico comite, Triburiensi, dimissus cuidam nobili, qui ducem Austriæ se appellat, licet nec passum pedis teneat in ducatu, quem in solidum possidet filius noster in Christo carissimus Bohemiæ rex illustris. Rex noster hactenus revocari non potuit à nobis requisitus, à Lombardis revocatus, ut Papiam obsideat, quod eidem quantum potuimus dissuasimus, & credimus quod plus eos retrahet defectus sumtuum, quàm nostra dissuasio, quamvis sana. Verùm vastatis locis pluribus Pisanorum, & damnis inæstimabilibus eis datis, & castris pluribus occupatis; castrum, prout dicitur (a) Mulceronis obsedit ad instantiam Lucanorum, quod infra paucos dies creditur obtenturus: & habet Marchiones Malæ-spinæ & (b) Pontremulum, & sic CORRADINO non patet transitus ad Pisanos, quo sic obstructo, regem credimus ad regnum prosperè rediturum. Nos autem misimus dilectum filium nostrum abbatem Casinensem ad partes Campaniæ pro stipendiandis cc. militibus in capitanei vel auxilium, vel prout tua fraternitas duxerit ordinandum. Machinationes verò GALVANI & JOHANNIS (c) de Marerio nos non latent, quibus ut possumus obviamus, lata sententia excommunicationis in omnes qui regnum invaserint, & si fuerit sub nostro & Romanæ Ecclesiæ dominio temporali, eos tamquam reos læsæ majestatis damnavimus, de omnibus terris Ecclesiæ in perpetuum relegatos, bonorum omnium amissione, & expositione corporum citra mortem & membri mutilationem mulctatos. Senator Urbis quamvis de rege nostro sine ratione queratur, regnum invadere non intendit, immo scimus per aliquos nobiles se ab hujusmodi temeritate retraxisse, quo tamen in hac parte ducantur spiritu ignoramus; & ideo nihil diminui volumus de cautela. Ecclesiæ Surrentinæ præfecimus fratrem P. de Corneliaco. De aliis nondum deliberavimus. Sunt enim apud nos plurimi, qui nos incessanter infestant pro suis familiaribus cathedrandis, quorum intentio satis patet. Sed nos tibi mittemus aliquos, quibus cum bona conscientia poteris providere. Dilectus filius legatus Franciæ de equo cecidit, fractaque tibia languet aliquantulum; quæ consolidata ad plenum per Dei gratiam restitutus est sanitati. Obiit apud nos Wintoniensis episcopus, cui Vigorniensem substituimus, magistrum scilicet NICOLAUM, quem vidisti Parisius regentem, nisi fallimur, in theologiæ facultate, & fratrem P. de Confluentia præfecimus Corinthiensi ecclesiæ, & Colinbriensem episcopum ad Ecclesiam Compostellanam transtulimus, & adhuc multæ Ecclesiæ ordinandæ supersunt, ad quas paratos cernimus pauperum religionum professores longè avidiùs quàm vellemus. Scribemus alia cùm evenerint in bonum publicum, favente Domino, successum. De transcripto testimonii quod nobis misisti in publicum sermo non veniat. Scandalizaretur enim forsitan rex, si sciret, & notarius puniretur. Datum Viterbii VI. nonas Martii anno IV.

EPISTOLA DCIX.

Episcopo Wintoniensi.

De ejus ad Wintoniensem episcopatum translatione.

DUm pensaremus de provisione Wintonensis ecclesiæ, quæ per mortem quondam J. Wintonensis episcopi, pastoris, erat regimine destituta, direximus confidenter ad personam tuam considerationis intuitum, & sperantes quod per tuæ celsitudinis studium poterat salubriter dirigi & utiliter gubernari, te ipsi Ecclesiæ præfecimus in episcopum & pastorem, licèt præteritorum memoria nobis contrarium suggerere potuisset. Nosti enim, quod olim, dum minori officio constituti legationem suscepissemus in Angliam, te specialiter in appellationibus contra nos & processus nostros frivolè interpositis cum aliis prælatis illarum partium invenimus non sine conspiratione deliquisse. Hoc autem Anno 1268

(a) Al. Muleronis. (b) Al. Pontem tremulum. (c) Al. De Laterio.

A impedimenti causam tibi non præstitit, quin voluerimus & honorare tuam personam,& etiam ipsius ecclesiæ commodo providere. Nemo sanè blandiatur, aut sibi tamquam tui fuerit procurator honoris, nec hujusmodi capiaris mendaciis, cum habentes præ oculis solum Deum, te ad dictam ecclesiam transferendum duxerimus, ut Romanæ Ecclesiæ matri tuæ tantò quidem obsequaris humiliùs, quantò ab eadem merueras venerari. Quare fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentè, per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus sic consultè in omnibus te gerere studeas, & sic providè ad quæque salubria dirigaris, scilicet quòd gratiam apostolicæ sedis & nostram tua circumspectio mereatur, nec in posterum ex tuis eveniat actibus, unde reminisci culpæ præteritæ debeamus. Datum *ut supra.* B

EPISTOLA DCX.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri. C

Nunciat illi mortem Mariæ filiæ regis Aragonum.

Anno 1268 POst recessum fratris G. *de Torneux*, quidam venit de Aragonia clericus satis notus, nobis nuncians viva voce claræ memoriæ MARIAM filiam carissimi in Christo filii nostri regis illustris Aragonensis naturæ debitum solvisse, D cujus obsequiis interfuisse dicit, quæ tam patre quàm fratribus longè agentibus, congregatis prælatis & baronibus in urbe fuit Cæsaraugustana sepulta. Datum Viterbii VI. Idus Martii anno IV.

EPISTOLA DCXI.

Dilecto filio G. de Medio-bladi capitaneo regni Siciliæ citra Farum.

Scripsisse in ejus favorem abbati Sancti Salvatoris. E

Anno 1268 DIlecto filio abbati S. Salvatoris nostris mandamus litteris, ut castra sua diligenter custodiens, inimicis regis, quos hostes Ecclesiæ confitemur, nullum aditum, nullum consilium, vel auxilium, seu favorem impendat, gentique tuæ se præbeat favorabilem & benignum & opportunum, prout poterit, adjutorem. Sanè de castris Johannis de Marerio scire te volumus, quia licèt sint in imperio, sub nostræ F tamen defensionis præsidio, favore, vel gratia non consistunt, dum regis inimicis adhærent. Datum *ut supra.*



EPISTOLA DCXII.

Carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri.

Scribit ei in gratiam archiepiscopi Senonensis.

CElsitudo regia, sicut credimus, non ignorat, quod venerabilis frater noster archiepiscopus Senonensis ab olim felicis recordationis URBANI prædecessoris nostri, & postmodum camerarius noster existens, adeo feliciter nobis & Ecclesiæ Romanæ servivit, quod quàmplurimum circa ipsum afficimur, & eum in caritatis visceribus præ dilectione portamus. Dignè igitur ipsum plena benivolentia prosequentes regalem magnificentiam paterno rogamus & exhortamur affectu, quatenus eumdem archiepiscopum, pro quo mentem nostram tibi fiducialiter aperimus, & ecclesiam suam habeas favorabiliter commendatos, sic eos sub regii favoris gratia confovendo, quod nostro tuum in hoc specialiter conformare beneplacitum dignoscaris. Quidquid enim sibi feceris gratiæ vel honoris, nobis reputabimus fore factum. Si verò, prout aliquis dicitur retulisse, dictus archiepiscopus tibi super eo delatus extiterit, quòd aliquod impedimentum contra te in negotio decimæ præstitisset; profectò scire te volumus delationem ejus non habere suffragium veritatis, cùm ipsum tam tui quàm tuorum honoris & commodi percepimus intimum zelatorem. Et ideo tantum virum habeat circa talia tua magnificentia, quæsumus, excusatum. Datum Viterbii V. Idus Martii anno IV. Anno 1268

EPISTOLA DCXIII

Archiepiscopo Senonensi.

Ut regi declaret archidiaconatum Senonensem à Papa conferendum esse.

EX parte carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris nobis extitit supplicatum, Anno 1268 ut super collatione archidiaconatus Senonensis, quem obtinebat electus, jus suum conservaremus eidem. Nos verò qui beneficia quæ in curia vacare contingit nostræ dudum collationi reservasse dignoscimur, decernentes irritum & inane quicquid per alium super eis contingeret impetrari, archidiaconatum eumdem te consecrato vacantem conferre liberè poteramus; sed sicut eidem regi antea scripseramus, collationem distulimus, donec ipsum vidisses, & eidem jus nostrum plenius ostendisses. Licèt autem cordi sit in omnibus & per omnia jura regia conservare; quia tamen nostrum negligere nolumus, in his maximè quæ salutem respiciunt animarum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus viso rege, & jure nostro, quod multum est liquidum, ei plenius patefacto, dictum archidiaconatum auctoritate nostra vel magistro AIMERICO præcentori conferre ullatenus non omittas, nisi forsan ex parte regis ejusdem audiveris aliquid quod

te moveat ad collationem hujusmodi differendam: in quo casu processum tuum & dilationis causam nobis rescribere non omittas. Ceterum si, prout dicitur, quod non credimus, idem rex nobis non defferens, sicut nos ei detulimus, archidiaconatum cuipiam contulit memoratum, suspendas ab officio & beneficio possessorem, præfixo eidem termino peremtoriè duorum mensium, quo se nostro conspectui personaliter repræsentet. Quod si nondum possessionem apprehendit ejusdem; aut eidem renunciet, aut citatus veniat, ut est dictum, pariter & suspensus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCXIV.

Dilecto filio G. de Medio-bladi, &c.

Corradinum ad extremas redactum esse angustias.

Anno 1268 LItteras tuas, quas nobis per latorem præsentium cum interclusis duabus aliis transmisisti, læti recepimus; quas & carissimo in Christo filio nostro regi Siciliæ illustri mittemus, per quem inimicorum cornua confringentur. CORRADINUS Papiæ somniat egestate depressus, & gentem habens modicam, vilem etiam, nec armis instructam, quem, si venire vellet, parva satis impediret militia, cum castra in via posita, in manu regia jam sint data. Pascat igitur GALVANUS Siculos suis mendaciis, pascat & quivis alius. Cito quidem mendaces & perfidi subvertentur, & procedet liberè veritas, & impii in tenebris conticescent. Datum Viterbii (*a*) XVII. calendas Aprilis anno IV.

EPISTOLA DCXV.

Ad Theobaldum Navarræ regem.

Commendat ei electum Pampelonensem.

Anno 1268 *Ex cartario Campania.* CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio regi Navarræ illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Ad hoc sollicitudo nostra invigilat, & curâ habetur propensior, ut viduatis ecclesiis possit de prælatis utiliter provideri: quia tunc dominicus grex rectè dirigitur, & in saluberrimis pascuis commoratur, si præsidentes ei pastores vitam exornant moribus honestatis, & plebem sibi creditam ad salutem erudiunt ipsam reficiendo pabulo verbi Dei. Sanè Pampilionensis ecclesia pastoris solatio destituta, major pars capituli ejusdem ecclesiæ dilectum filium PELEGRINUM archidiaconum mensæ in ipsa ecclesia in Pampilionensem episcopum concorditer elegerunt. Sed hujusmodi electionis negotio per appellationem ad sedem apostolicam legitime devoluto, nos in negotio ipso dilectum filium nostrum R. sancti Angeli diaconum cardinalem dedimus partibus auditorem. Comparentibus itaque dilectis filiis Petro Sancii clerico procuratore eligentium archidiaconum memoratum, qui electionis hujusmodi prosequebatur negotium, ac Raimundo Guillelmi, Johanne Petri canonicis dictæ ecclesiæ, qui se ipsi electioni pro se dumtaxat opponebant, coram cardinali prædicto, oblatoque libello, ac lite in causa hujusmodi coram eo legitime contestata etiam de veritate dicenda præstito à partibus juramento, factisque positionibus, & ad quasdam earum responsionibus subsecutis, tandem Raymundus & Johannes prædicti proposuerunt contra archidiaconum ipsum, quod tantum patiebatur in litteratura defectum, quod penitus erat inhabilis ad obtinendam pontificalis apicis dignitatem. Propter quod nos ipsum archidiaconum ad nostram fecimus præsentiam evocari. Prædicto itaque archidiacono in nostra præsentia constituto, quidam clerici asserentes se procuratores esse quorumdam canonicorum & personarum prædictæ ecclesiæ ipsorum nomine, super hoc de novo se opposuerunt archidiacono memorato. Unde dictus archidiaconus diligenter attendens, quod præfata ecclesia, propter vacationem diuturnam poterat in spiritualibus & temporalibus incurrere detrimentum, juri quod sibi ex electione hujusmodi fuerat acquisitum, cessit in manibus nostris spontanea voluntate, nobis humiliter supplicans, ut de persona idonea provideremus eidem. Nos igitur profectibus ipsius sollicitè cogitantes, & ne ipsa Pampilionensis ecclesia ex iteratæ dissensionis dispendio pateretur enorme discrimen, de tali eidem persona providere volentes, quæ subditis verbo proficeret & exemplo, de dilecto filio ANDENAGOGO archidiacono Toletano capellano nostro, viro utique scientia prædito, honestate morum & conversatione laudabili commendato, de fratrum nostrorum consilio eidem Pampilionensi ecclesiæ duximus providendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod sæpe dictam ecclesiam auctore Domino, salubriter gubernabit. Quocirca celsitudinem regiam rogamus & hortamur attentè, quatenus electum ipsum ad commissam sibi divina & apostolica auctoritate providentia prædictam Pampilionensem ecclesiam cum gratiæ nostræ plenitudine accedentem habens propensius commendatum, sibi & eidem ecclesiæ favorabilem & benevolum te impendas: ita quod exinde tibi Deum reddas propitium, & sedem apostolicam in tuis beneplacitis promtiorem. Datum Viterbii XVI. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCXVI.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut abbatem de Puzalia ad aliam ipsi convenientem transferat abbatiam.

CUm dilectus filius Ar. abbas monasterii (*b*) de Puzalia Sabinensis diocesis dudum prædecessorum nostrorum & nostro tempore com- Anno 1268

(*a*) *Al.* XVI. Calendas. (*b*) *Al.* Pusilla, *Al.* Puralia.

missa sibi in illis partibus Ecclesiæ Romanæ negotia utiliter administrans, fidele semper eis obsequium præbuerit & devotum: nunc autem propter malitiam temporis in monasterio suo non possit proficere, prout animæ saluti & ejusdem utilitati monasterii expediret: nos attendentes quod qui fidelis invenitur, in pace debet constitui supra multa, eum ad te duximus destinandum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus aliquam abbatiam de nunc vacantibus infra tuam legationem, quam sibi magis convenire videris, transferre procures, contra, &c. Datum Viterbii XII. calendas Aprilis anno IV.

EPISTOLA DCXVII.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut abbatem S. Theodori de Trebis episcopum ordinet.

Anno 1268 DIlecti filii Bartholomæi abbatis S. Theodori de Trebis capellani nostri fidelitatem & industriam attendentes, quod in commissis sibi & dilecto filio magistro B. de Castaneto capellano nostro collega suo in Lombardia, Ecclesiæ Romanæ negotiis plenè probavimus, qui talentum sibi creditum multiplicatum mirabiliter reportavit, eum ad te duximus destinandum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus eum quem propter suam conversationem laudabilem, litterarum scientiam competentem, & alia ipsius merita probitatis, & quia eum firmiter credimus zelum animarum habere, dignum pontificali reputamus honore, in aliqua tuæ legationis ecclesia cathedrali de nunc vacantibus, quæ plus quieta & Campaniæ sit vicinior, in episcopum præficias & pastorem, &c. Datum, *ut supra*.

EPISTOLA DCXVIII.

Anno 1268 DIlecto filio provisori pauperum magistrorum & ipsis magistris in theologica facultate studentibus in vice ad portas ante palatium de Terminis Parisiensibus sub communi vita degentibus salutem & apostolicam benedictionem.

Eorum approbat institutum.

Suadente vobis gratia bonitatis, quæ sacræ paginæ cupitis muniri dogmatibus, & in his alios erudire, in unum convenistis, & vivendi commercium, & commune vobis habitaculum elegistis. Volentes itaque vobis & statui vestro apostolicum exhibere favorem, convictum, aliàs conventum, cohabitationem vestros duximus approbandos, jure venerabilis fratris nostri Parisiensis episcopi semper salvo: inhibentes ne quis domos, possessiones, & alia bona vestra, quæ in præsenti possidetis, aut in futurum habere poteritis, ipsa occupare præsumat. Nihilominus quoque statuimus, ut te filio provisore obeunte, nullus in locum tuum per fraudis astutiam apponatur, nisi quem loci archidiaconus, cancellarius Parisiensis, ac magistri Parisius actu regentes in theologica facultate, nec non decretistarum & medicorum decani, rector universitatis Parisiensis, procuratores quatuor nationum communiter, vel major pars eorum duxerit deputandum & apponendum. Item quod provisor in congregatione vestra pauperes magistros & idoneos qui rexerunt in artibus, de quacumque sint natione, possint admittere, & exinde minus idoneos amovere, qui & de dictorum magistrorum receptis & expensis annis singulis archidiacono, cancellario & aliis supradictis vel aliquibus ex ipsis, vel majori parte ipsorum, qui ad hæc extiterint deputati, teneantur reddere rationem. Archidiaconus insuper, cancellarius, & alii memorati, seu major pars eorum provisorem quem duxerint statuendum (*a*) admovere valeant, prout viderint faciendum, &c. X. calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCXIX.

Episcopo Magalonensi.

Ut XL. libras Terræ-sanctæ subsidio destinatas collectoribus decimæ consignet.

CUm sicut intelleximus, dilectus filius Pontius Armandi rector ecclesiæ de (*b*) Monte-aureo Uticensis diocesis de mandato tuo penes Jo. Columberii Campsorem de Monte-pessulo deposuerit XL. libras Turonenses, quas idem rector juxta mandatum nostrum dare in Terræ-sanctæ subsidium tenebatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi XL. libras à dicto Campsore aut alio quolibet, qui eas penes se habuerit, recipias, easque collectoribus decimæ carissimo in Christo filio nostro L. illustri regi Franciæ pro dictæ Terræ-sanctæ subsidio concessæ non differas assignare, contra, &c. rescripturus nobis per tuas patentes litteras quidquid duxeris faciendum. Datum Viterbii II. Idus Aprilis anno IV. Anno 1268

EPISTOLA DCXX.

Carissimo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Scribit ei de Corradino.

QUarta feria ante festum pascalis hebdomadæ regem læti suscepimus, qui apud nos adhuc moratur regnum suum proximè intraturus. CORRADINUS autem in die cœnæ Domini in Pisanorum navigiis Pisas intravit, quingentos, ut fertur, milites secum habens, nec ausus fuit Pisas venire per terram, cùm rex noster loca media inter Papiam & Pisas ad Anno 1268

(*a*) F. Amovere. (*b*) *Al.* De monte Arenoso.

suam traxerit voluntatem. Quo autem exinde A idem CORRADINUS sit iturus adhuc scire non possumus, quibusdam asserentibus cum navigio venturum ad Urbem, aliis existimantibus quod intret aliquam partem regni; aliis verò dicentibus quod intrabit Siciliam, se suis ibi fautoribus adjuncturus. Sanè vix scire possumus quod Urbs eum recipiat, vel quod regni locum aliquem circa Farum audeat ingredi cum tam modica comitiva, nisi sit aliqua tractata proditio, cujus indicia non habemus. Si tamen intraret Siciliam, ubi fortè nocere plus posset propter populi levitatem, è contrario posset ibi facilius comprehendi. Quocumque tamen ierit, regem habebit ad talos, qui super omnia desiderat ejus occursum. Verum placet nobis quod princeps & alii qui sunt Fogiæ & alibi contra Luceriam (a) parcant (a) aggressibus, regem suum infra quindenam, ut credimus, habituri, qui Saracenos & alios perfidos exterminabit, veniens de regno suo scandala sublaturus, qui cum toto exercitu feria secunda post pascha de manu nostra, & illorum quibus commisimus, recepit vivificæ crucis signum: quod si malitiam Campanorum, de qua tibi scripsimus non vidisti; non miretur tua fraternitas; nam ex cogitata fraude impedimentum ejus extitit in Campania procuratum, prout dilectus filius abbas Montis Casini tibi plenius enarrabit. Confortare igitur, frater carissime, alios consolare, nec audita te moveant, cito enim videbis & audies Dei magnalia, quæ mirabiliter operabitur in erectione fidelium, & depressione novissima damnatorum. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCXXI.

Dilecto filio abbati Monasterii S. Johannis Angeliacensis.

Ejus laboribus congaudet.

Anno 1268 BOnorum laborum gloriosus est fructus, & idcirco non tam compati quàm congaudere tuis laboribus debemus, in quibus & apostolicæ sedis gratiam promereris, & æternæ beatitudinis præmium cum fiducia præstolaris. Persiste igitur in inceptis. Jam enim auxilium est in promtu, prout plenius hoc intelliges ex litteris, quas venerabili fratri nostro Albanensi episcopo destinamus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCXXII.

Episcopo Reatinensi.

Anno 1268 FRaternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nostrum depositum apud te & dilectum filium abbatem Casinensem monasterii assignatum, eidem tradas præsentes tibi litteras assignanti. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCXXIII.

Carissimo in Christo filio L. regi Francorum illustri.

Respondet ad plura ab eo postulata.

VEnientes ad præsentiam nostram dilectos Anno 1268 filios fratrem JOHANNEM de Manso ordinis fratrum Minorum primò, & postmodum B HENRICUM de (b) Consentiis marescallum (b) tuum diligenter audivimus, & quæ tuo proposuerunt nomine pleno collegimus intellectu. Jam sanè super singulis, nisi fallimur, responsum acceperas, quod nunc repetimus, ut patenter intelligas, an super eis aliquid desit. Ad primum quidem articulum de dilectis filiis J. comite Nivernensi & P. natis tuis, ac R. Atrebatensi comite à nullo excommunicandis ex causa quacumque, dudum tibi respondimus, vel tuis nunciis, quod gravis est petitio, quæ C ordinariorum jurisdictionem absorbet, nec umquam tibi vel alii dari debuit, quamvis tibi (c) concessa fuerit illo dumtaxat obtentu, quia (c) sedes apostolica de te specialiter bene præsumens, non te facilè credidit ea committere, propter quæ justè valeas anathematis sententia, licèt medicinali, feriri, & sicut aliàs tibi scripsimus, indulgentias tales dare nihil aliud est, quàm prælatos inermes exponere principum aggressionibus. Sunt enim & reges alii ac inferiores barones, qui à nobis petentes similia, D non absque scandalo sunt repulsi, quos licèt tibi credamus meritis impares, malè tamen sonat hæc excusatio in auribus eorumdem, ut scilicet in depressionem eorum tuæ laudis titulos attollamus. Non enim omnibus omnia verò placent: sed nec prælati libenter hæc audiunt, ut de tua potius innocentia, quàm eorum prudentia ac modestia præsumamus. Habes autem legatum tuum tecum, habes archiepiscopos bonos viros, per quos potest oppressis consuli, & inferiorum excessus censura debita castigari. E Quare nec tuam petere magnitudinem, nec nostram concedere decet providentiam, quod illorum jurisdictionem evacuat, qui nobiscum onus portant officii pastoralis, quorum multum honori detrahitur, si de tribus adolescentibus quantumcumque sint bonæ indolis præsumatur, quod majori discretione polleant in vitandis excessionibus, quàm exactæ gravitatis pontifices in eisdem pro tempore corrigendis.

Quod secundò super Cisterciensium decima requisisti, dudum fuerat expeditum, cum super F ea dilecto filio nostro S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato, prout antè petieras, scripsissemus.

Quod tertiò de captivis Gajetanæ domus petiisti, placet nobis multum, ad quorum liberationem intendimus, sicut possumus, nec speramus eosdem nisi in manu valida dimittendos, sed in Deo confidimus, quod consanguinei tui

(a) *Al.* Aggressionibus.

(b) *Al.* De Solertiis.

(c) Istud privilegium S. Ludovico concessit Alexander papa IV. dato diplomate pontificatus sui anno 2. edito Spicilegii tom. 6. pag. 486.

tyrannidi Romani cives in patientia solita citò A colla subducent.

Quarto loco patienter audivimus quæ carissimum in Christo filium nostrum C. illustrem regem Siciliæ contingebant, super quibus dilectus filius frater Jo. de Manso nostrum tibi referet viva voce responsum.

(a) Quintò verò pro (a) Ægidia paupere muliere venerabili fratri nostro P. Senonensi archiepiscopo scribimus bono modo. Quamvis enim religionem, quam non habemus ut deceret, in nobis, in aliis diligamus; religiones B tamen multiplicare volentibus non favemus.

Ultimò de legatis duobus tibi plenè respondimus, & nunc maximè per dilectum filium magistrum B. de Castaneto capellanum & subdiaconum nostrum, per quem etiam nosse potes quare legatio in Teutoniam tantum fuerat prorogata. Demùm de blasphemiis & pœnis blasphemantium deliberare volumus, ut respondere certius valeamus. Datum Viterbii XVII. calendas Maii anno IV.

C

EPISTOLA DCXXIV.

Episcopo Senonensi.

Quod possit satisfacere desiderio Ægidiæ pauperis domum religiosam ædificari cupientis.

Anno 1268 (b) A Carissimo in Christo filio nostro regi Francorum illustri fuimus requisiti pro (b) Ægidia D paupere muliere parrochiana tua, ut eidem volenti domum religiosam construere, apostolicum dignaremur impertiri favorem. Nos verò qui religionum multiplicationem nequaquam amplectimur, aures nostras hactenus petitioni regiæ noluimus aperire; sed nunc tuæ duximus prudentiæ committendum, quatenus quantum cum Deo poteris, sine juris præjudicio alieni, vitato scandalo, honesto desiderio prædictæ satisfacias mulieris: & si quod tibi dubium circa illud occurrerit, si consilio nostro indiges, rescribere nobis poteris responsum. Datum *ut* E *supra.*

EPISTOLA DCXXV.

Carissimo in Christo filio C. Regi Siciliæ illustri.

Constituit eum imperii vicarium in Tuscia.

Anno 1268 A Multo tempore scissuris variis provinciam Tusciæ laceratam ad pacem reducere cupientes; te, cujus in majoribus longè negotiis F fidem probavimus & industriam, in ipsius Tusciæ finibus Romano subjectis imperio, dudum constituimus Paciarium; sed cum pacis filios in diversis civitatibus & locis earum partium non inveneris, immò potius turbatores, ne officii commissi tenuitas nostrum possit propositum & tuum impedire processum, nos qui fluctuantis imperii curam gerimus, te vicarium ipsius imperii in dictis partibus constituimus generalem. Confortare igitur, fili carissime, & esto robustus, & sic stude quod injungitur exequi, ut qui pacem diligunt, pacem habeant, & qui eam turbare voluerint, ejus beneficio careant, damnaque propria culpa senserint, non utique nobis aut tibi, sed temerariis suis ausibus adscripturi. Datum Viterbii XV. calendas Martii anno IV.

EPISTOLA DCXXVI.

Universis Christi fidelibus in Tusciæ partibus Romano subjectis imperio constitutis.

Ejusdem argumenti.

A Multo tempore, &c. *usque* constituimus Anno 1268 generalem *verbis prudenter mutatis.* Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus in prædictum regem sicut ejusdem imperii in illis finibus generalem vicarium intendentes, tam ei quàm ipsius vicem gerentibus fideliter & devotè pareatis. Nos enim tam multas quas (c) induxerint, quàm processus eorum habitos in (c) rebelles ratos habebimus, & usque ad satisfactionem condignam faciemus inviolabiliter observari. Datum *ut supra.*

EPISTOLA DCXXVII.

Dilectæ filiæ in Christo nobili mulieri Isabellæ, carissimi in Christo filii nostri illustris regis Franciæ germanæ.

De capite S. Pauli.

SCias, filia, apostolorum capita Romæ in- Anno 1268 dubitanter haberi, quæ felicis recordationis GREGORIUS Papa IX. prædecessor noster de Sanctis Sanctorum suis manibus extrahens, Romano populo patenter exhibuit, & in locum suum restituit cum debita reverentia præsentibus & scientibus universis. Quod si forsitan caput B. Pauli apostoli apud te esse putes, depone conscientiam, ne fallaris, nec proponas scandalum matri tuæ Ecclesiæ Romanæ, quæ deceptionem hujusmodi non posset æquanimiter tolerare. Si verò Græci aliquo tempore se illud habere dixerunt, ne mireris. Nam odio Latinos habentes facilè tibi formaverunt mendacium, qui de fide mentiri catholica, quod est majus, minimè dubitarunt. Bene igitur facies, si quod habes dilecto filio nostro S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato nomine nostro reddideris, nobis per eumdem mittendum: ne si ad alias manus devenerit, possit inde cum erroris periculo scandalum suscitari. Datum Viterbii XIII. calendas Maii anno IV.



(a) *Al.* Edigia. (b) *Al.* Edigia.

(c) *Al.* Indixerint.

EPISTOLA DCXXVIII.

Dilecto filio nobili viro comiti Pictavensi.

De subsidio ei præstando.

Anno 1268 Dilectum filium fratrem Philippum ordinis fratrum Minorum, quem ad nostram destinasti præsentiam benignè recepimus, & super his quæ ex parte tua coram proposuit nobis, audivimus patienter, & petitiones quas nobis tuo nomine obtulit liberaliter admisimus, quantum nostram honestatem decuit. Sanè super tui subsidio passagii tua noscat nobilitas, quod nihil certum tibi ad præsens possumus respondere, donec legatum in Alamanniam destinemus. Sed tunc auxiliante Domino, poterimus inde necessitati tuæ consulere. Datum Viterbii v. calendas Maii anno IV.

EPISTOLA DCXXIX.

Dilecto filio decano & capitulo ecclesiæ Insulensis Tornacensis diœcesis.

Ut possint præpositum sibi instituere.

Anno 1268 Vestræ compatientes ecclesiæ longis retrò temporibus in manum datæ juvenum, qui neglectis spiritualibus, prout dicitur, malè satis temporalia tractaverunt, providendi de persona idonea, in præpositum assumenda, quæ sit in sacris ordinibus & ætatis legitimæ ac scientiæ competentis, auctoritate præsentium vobis concedimus facultatem. Quod si nostra forsitan abusi gratia secus facere præsumseritis, ad irritum esse decernimus & inane. Datum Viterbii IV. calendas Maii anno IV.

EPISTOLA DCXXX.

Carissimo in Christo episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Regem in suum regnum proficisci, & ei salutaria dedisse monita scribit.

Anno 1268 Exivit heri Viterbio filius noster in Christo carissimus C. rex Siciliæ illustris in regnum dirigens iter suum, ad Sarracenorum Luceriæ & aliorum perfidorum exterminium animatus, cui inter cetera illud duximus specialiter injungendum, quod in restitutionibus faciendis non se reddat difficilem, cùm ad eas sit artissimè obligatus; sed & multa in fratrum nostrorum præsentia ei diximus, quæ ad plenam ordinationem domus suæ & regni pertinent: quæ si, prout speratur, impleverit, honor erit Dei, & pax ejus ac omnium subditorum. Subacta verò Luceria, bonum credimus, te relicto in regno vicario, prout aliàs tibi scripsimus, ad nostram præsentiam properare, legationis officio non deposito, ut super his quæ nosti tecum familiariter conferamus, & tuam, ut optamus, faciem videamus. Datum Viterbii calendis Maii anno quarto.

EPISTOLA DCXXXI.

Dilectæ filiæ (a) Alviciæ relictæ Guillelmi Bulbonensis militis.

Neptem consolatur de morte viri sui, eamque à secundis nuptiis dehortatur.

Anno 1268 Ad compassionem nos excitant erga te, filia, flagella Domini, quæ tibi pro suæ beneplacito voluntatis inflixit, quæ tamen si prudenter & æquanimiter tuleris, prodesse tibi poterunt ad salutem. Vivente siquidem viro tuo, cujus te Deus subjecerat pro lege matrimonii potestati, te vidimus patientem incommoda, ad quorum relevationem operam dedimus, & suasionibus pluribus te prævenimus; sed nec profecimus ut voluimus, aut quia Deus noluit, aut quia tu nostris consiliis acquiescere noluisti: sed à lege viri soluta, plura, ut dicitur, pertulisti cogitationibus variis perturbata: adeo quod, ut fertur, ad secundum interdum conjugium aspirasti, quod miserabile judicavimus, quod non tam veritas, quàm quoddam somnium videbatur, cùm ad illud non sis idonea, nec tibi sit utile virili denuò jugo subjici, status tui qualitate pensata, quod in tantum notum est nobis, ut nos credere non oporteat assertionibus alienis. Sanè quia per tuas litteras frequenter recepimus de germano tuo querelas, eumdem super his allocuti, & ipsius duritiam, si fuisset verum quod scripseras, durius increpantes, ab eodem accepimus quod circa te misericordem se semper exhibet & exhibuit ac benignum, nec de bonorum tuorum fructibus aliquid tibi subtrahit. Immo placet eidem quod ipsos habeas, & in tuam utilitatem convertas, quamvis bona ipse ne pereant tibi semper studuerit conservare. Cùm sit ergo vir prudens, & juxta vires suas tuis velit necessitatibus subvenire, tibi bona fide consulimus, & tamquam nepti dilectæ mandamus, quatenus te ipsius regas consilio, nec te ipsam improvidæ cogitatione perturbes. Nos enim ei præcepimus quod fragilitati tuæ benevolè condescendat, si nostram gratiam caram habet: sed & tibi sub eadem comminatione præcepimus, quod tu ipsi reverentiam exhibens ut majori, in statu quem Dominus tibi dedit in paterna domo vivas pacifica, humilis, & quieta, & memor bonæ memoriæ matris tuæ, quæ inter amaritudines & immunditias hujus sæculi impolluto calle pertransiens, & Deo placuit quem elegit, & mundo nihilominus quem contemsit. Nos autem dilecto filio & capellano nostro magistro N. rectori ecclesiæ Castri Volubricæ nostris damus litteris in mandatis, ut sive ex parte ipsius, sive ex parte tua mandatum nostrum fuerit violatum, nobis plenam rescribere non differat veritatem, ut contra culpabilem gravius procedamus. Datum *ut supra*.

(a) *Al.* Alaisiæ.

EPISTOLA DCXXXII.

Dilecto filio magistro N. rectori ecclesiæ Volubricæ capellano nostro.

Scribit in gratiam neptis suæ, quæ se gravatam à fratre querebatur.

Anno 1268 AFflictis compati nos oportet, illis tamen præcipuè quos tetigit manus Domini, cujus inscrutabilia sunt judicia, cujus nemo potest resistere voluntati. Sanè (a) ALAZACIA neptis nostra relicta G. *de Bulbon* militis, ex ægritudine quadam quam habuit, rationis usu non modicùm hebetato, in quamdam venerat insipientiam, antequam nostram Provinciam exiremus, quod à quibusdam suis conceptibus nec minis nec blanditiis poterat cohiberi. Nam & nos in utrisque defecimus, sed damnare noluimus nostris consiliis acquiescere non valentem potius quàm nolentem. Verùm sæpe nobis per suas litteras deferentem quod ALPHANTUS germanus ipsius eidem erat & fuerat inhumanus, nunc per nostras consolamur, comminatione subjecta, quod sive ipsa in non credendo fratri qui major est ea, sive frater in ejus gravamine vel neglectu culpabilis fuerit, contra delinquentem gravius procedemus: cujus rei te conscium esse volumus & nobis rescribere veritatem. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam visitans aliquando, scias statum & defectum ipsius; & arguas ejus duritiam cum modestia, ne forsitan exasperata graviter gravius excandescat. Videas etiam & scire velis, qualiter fratres & domus ejus se habeant ad eamdem, & quantum poteris sedes eos, & finaliter quod inveneris nobis rescribere non omittas. Datum Viterbii *ut supra*.

EPISTOLA DCXXXIII.

Dilecto filio P. Rambaldi & G. uxori ejus.

Anno 1268 SCripsimus vobis nuper, nec occurrit aliud quod scribamus, nisi quod Dominum timeatis, & mandata ejus fideliter observetis, qui eum timentibus nihil deest necessarium ad salutem. Statum autem nostrum ALPHANTUS nepos noster lator præsentium vobis dicet. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCXXXIV.

In eodem modo dilectæ filiæ Ceciliæ Fulcodiæ plurali in singulari mutato.

EPISTOLA DCXXXV.

Dilecto filio nobili viro JOHANNI AMBALDO proconsuli Romanorum.

De excessibus Romæ commissis.

Anno 1268 AB antiquis retrò temporibus Urbs Romana contumaces sibi subjiciens nationes,

(a) *Al.* Alaicia.

A & regum plurium balteis dissolutis, in superbiam posita, sanctorum apostolorum demùm honorata præsentia, & eorumdem sanguine consecrata, illum excellentiæ gradum attigit, ut in ea prælationis duplicis, sacerdotii scilicet & imperii collocata fastigio, corporali spatio minor orbe, major dignitate, cuilibet non tam jure quàm suis viribus antea præfuisset; ex tunc tamen titulo meliori prælata, pontificalis honorem cathedræ divinæ beneplacito voluntatis obtinuit, & imperialis excellentiæ gloriam quam demeruerat non amisit. B Non hoc sanè illius temporis debebatur hominibus sanguinis effusoribus innocentis; sed ille cujus oculis nuda sunt omnia, fidelem populum & catholicum in eadem pro tempore nasciturum præviderat, qui sanctorum honoraret reliquias, subjectionis debitæ reverentiam successoribus apostolorum impenderet, dotaret, & ditaret ecclesias, & ministros enutriret earum per terras suæ ditioni subjectas, cultum divini numinis ampliaret: quod probavit felicissimus rerum exitus ex illius C ordinatione procedens, qui in sua dispositione non fallitur, dum tales multo tempore genuit Roma filios, tales educavit alumnos, qui præmissis & aliis pietatis operibus jugiter insistentes, orbis climata bonitatis suæ radiis illustraret. Hinc est si quidem quod non leviter nos conturbat, non mediocris nostrum vel fratrum nostrorum animos perpungit doloris aculeus, quod in Urbe tam clari nominis obscuratum videtur aurum, & color optimus immutatus, dum in ipsa mutatis legibus, & juris fœdere dispensato, D spoliantur ecclesiæ, rapiuntur deposita, malè tractantur clerici, carceri mancipantur: quæ quamvis sapientibus displicere credamus, magnam tamen in sua gloria ponunt maculam, qui peccatis alienis communicant, dum ea fieri patiuntur. Quid enim superest, nisi ut ipsa Veronica cum apostolorum capitibus transportetur, & Urbs tanto spoliata thesauro, confusionis induta diploïde, hanc in æternum quod lugeat, & à tantis dilapsa divitiis non adjiciat in perpetuum ut resurgat. E Ecce tibi & aliis Urbis nobilibus Urbs ipsa relinquitur. Contestamur omnibus fusum pro cunctis sanguinem crucifixi: proponimus sanctorum pignora inibi constituta, quorum sedes ausu sacrilego invaduntur, quorum violatur securitas, quorum ministri viriliter conculcantur. Requirat hoc Deus ab omnibus qui dissimulant, & qui ejus injurias non defendunt. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, ac per aspersionem Dominici sanguinis adjuvandam, quatinus ante mentis reducens oculos tam honores quàm F commoda, quæ domus tua per Romanam recepit Ecclesiam, tantis ejus occurras opprobriis, tantis periculis obvies; alioquin cùm non sit artior solito manus Domini, per viam aliam laborabitur, & tu semper inexcusabilis remanebis. Datum Viterbii v. nonas Maii anno quarto.

In eodem modo P. Proconsuli Romanorum.

EPISTOLA DCXXXVI.

Dilecto filio O. Veronensi electo ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori.

Firmanis si redire ad gremium ecclesiæ voluerint promittit conductum.

Anno 1168 QUantumcumque profundè peccaverint insolentes Firmani; quia tamen ad nos volunt accedere sub conductu, nos eorum nunciis seu sindicis, si parati veniant nostris stare mandatis, ad nostrum parere arbitrium, absolutè conductum dedimus, & recipiemus eosdem. Quod si nobis illuserint, sicut hactenus, erit culpa illorum gravior suo tempore ferienda: nunc quidem à rege militiam habere non possumus, cùm magnam in Lombardia, majorem in Tuscia, magnam in Urbis finibus, & magnam in Siciliam sit missurus. Expedito tamen facto Luceriæ, credimus quod habere possemus. Illud scias quod tædet nos plurimum expendere semper in Marchia, in qua modicum aut nullum invenimus fidei fundamentum. In prædicanda verò cruce supersedeas, si videris expedire. Datum Viterbiæ IV. nonas Maii anno IV.

EPISTOLA DCXXXVII.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Confirmat ejus sententiam, quâ electionem Petri de Romana in Liciensem episcopum nullam declaraverat, mandatque ut eidem ecclesiæ provideat.

Anno 1168 VAcante Liciensi ecclesia, & ejusdem canonicis duodecim numero, per viam scrutinii sibi providere volentibus de pastore, scrutatoribus tandem duobus de collegio ipso datis, & perfecto scrutinio, & postmodum publicato, evidenter apparuit quod quinque in Petrum de Romana canonicum ejusdem ecclesiæ consenserant, quinque in Guillelmum de Ecclesia postulandum, Petrus verò de Romana Basilium nominavit, & in his finibus subsistens, collatione non habita, nec aliqua in communi electione vel postulatione secuta, processu tandem eorum hujusmodi per procuratores tibi, ut eis placuit, præsentato, fuit à te nomine eorum petitum, ut electionem de dicto P. de Romana factam tamquam canonicam confirmares: tu verò licèt quoddam monstraretur decretum, à quodam conscriptum notario, qui scrutinio non interfuerat, sed quod ei à canonicis dictum fuerat imprudenter redegerat in scripturam, quod electionem de dicto P. factam sonare seu sapere videbatur veritatem: tamen per ipsius Petri & aliorum juramenta comperta patuit manifestè nullam electionem factam fuisse de ipso. Et quia quod factum non fuerat, non poterat confirmari, tu eumdem P. nullum jus ex electione hujusmodi habuisse tua sententia declarasti, à qua dicti canonici appellarunt. Ipsorum igitur procuratore in nostra præsentia constituto, & processum hujusmodi ac tuam nobis sententiam exhibente, nos eorumdem stultitiam admirati, malè eos appellasse, & te bene pronunciasse cognovimus, tuam sententiam de fratrum nostrorum consilio confirmantes, fraternitati tuæ nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus eidem Ecclesiæ de persona idonea provideas auctoritate nostra in episcopum & pastorem, & à subditis suis facias obedientiam debitam ac reverentiam exhiberi, contra &c. Datum Viterbii v. Idus Maii anno quarto.

EPISTOLA DCXXXVIII.

R. episcopo Albanensi apostolicæ sedis legato.

Ut regi bene consulat.

REgis frui præsentia jam te credimus, quam ferventer tibi & non immeritò sitiebas. Anno 1168 Utere ergo illo ad divini cultus honorem, & ejusdem sollicita celsitudinem ad domum suam ordinandam & regnum, ad succurrendum Siculis, ad regni fines Urbi proximos subacta licentia revisendos. Ad hæc enim vigilant inimici, ut cum CORRADINO, si poterunt, conglobati in regnum irruant, si resistentiam non invenerint quam formident. Datum Viterbii *ut supra.*

EPISTOLA DCXXXIX.

Abbati & conventui Crassensis monasterii.

Privilegia eis à Jacobo Aragonum rege concessa confirmat.

DIlectis filiis abbati & conventui monasterii Anno 1168 *Ex libro viridi servato in archivis monasterii Crassensis.* Crassensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti Carcassonensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Devotionis vestræ merita nos inducunt, ut quod à nobis suppliciter petitis, ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo possumus, favorabiliter admittamus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod carissimus in Christo filius noster JACOBUS rex Aragonum illustris vos & monasterium vestrum, cum castris, villis, & locis omnibus ad monasterium vestrum spectantibus, sitis in districtu regis ejusdem, cum hominibus etiam & mulieribus in castris, villis & locis hujusmodi habitantibus & habitaturis, ac omnibus aliis bonis vestris & hominum prædictorum sub sua custodia & protectione recipiens devotioni vestræ concessit, quòd vos & successores & officiales vestri justitias civiles & criminales, & temporalem jurisdictionem omnimodam in castris, villis & locis prædictis exercere plenè & liberè valeatis, & quòd aliquis bajulus seu vicarius dicti regis non

possit, nec debeat ab hominibus in castris & A villis sive locis eisdem habitantibus vel habitaturis homagium seu fidelitatem aliquam recipere: quinimmò præfatos homines absolvit ab omni homagio, si quod fecerant aliquibus officialibus dicti regis: quasdam alias libertates vobis & prædictis hominibus nihilominus concedendo, prout in diversis litteris inde confectis ejusdem regis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem rege provide factum est, ratum & firmum habentes, illud auctori- B tate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenores dictarum litterarum de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, quæ tales sunt: NOVERINT universi quod nos JACOBUS Dei gratia rex Aragonum, Majoricarum & Valentiæ, comes Barchinonæ & Urgelli, & Dominus Montispessulani, præcipimus & constituimus in nostra protectione & custodia, commenda, & nostro guidatico speciali vos venerabilem & dilectum nostrum REMUNDUM & per eumdem abbatem C monasterii Crassensis, & vestrum monasterium cum castris, villis & locis omnibus ad ipsum monasterium pertinentibus & pertinere debentibus, & ejus monachis & aliis quibuslibet hominibus & feminis in dicto monasterio, & in castris villis & locis prædictis habitantibus & habitaturis, & omnibus aliis bonis vestris & monasterii prædicti, & omnium prædictorum ubique habitis & habendis, eundo, stando, & redeundo per omnia loca regnorum, terrarum, & dominationis nostræ: ita quod nullus sit ausus vos vel prædictum monasterium, vel monachos, D vel homines prædictos aut feminas, vel aliquid de prædictis alicubi invadere, capere, detinere, impedire, marchare, vel pignorare, culpa, crimine vel debito aliquo, nisi vos vel successores vestri vel dicti monachi aut homines seu fœminæ debitores vel fidejussores fuerint manifesti; nec in iis casibus, nisi in vobis vel dictis monachis & hominibus feminis fatigua prius invecta fuerit & directa. Concedimus etiam & indulgemus per nos & nostros vobis prædictis abbati & successoribus vestris, & dicto monas- E terio vestro in perpetuum, quod aliqui vel vicarii vel bajuli, vel locum nostrum tenentes seu nuncii curiæ nostræ non possint vel debeant umquam de cetero distringere vos, vel aliquem hominem vestrum, vel aliquid de rebus vestris, vel dicti monasterii, vel castrorum, villarum & locorum prædictorum ad vestrum monasterium pertinentium, ad jus faciendum vel firmandum pro aliqua querimonia civili vel criminali, nisi prius in nobis manifesta fatiga juris inventa fuerit cum denunciatione legitima præ- F cedente. Volentes etiam & concedentes quòd vos & successores vestri vel officiales vestri exerceatis, possitis exercere in omnibus castris vestris, villis, & locis vestri monasterii, omnes justitias & jurisdictiones civiles & criminales liberè atque plenè, & quod aliquis bajulus noster seu vicarius de cetero non possit vel debeat ab hominibus in aliquibus castris & locis prædictis vestri monasterii habitantibus vel habitaturis, homagium fidelitatis accipere, seu fidelitatem aliquam nomine homagii, absolventes dictos homines omnes & singulos ab omni homagio, si quod fecerunt aliquibus officialibus nostris vel locum nostrum tenentibus ratione fidelitatis: ita quod de dicto homagio in aliquo minimè teneantur. Hoc tamen retento, quod si homines nostri fatigam juris in vobis vel vestris officialibus invenerint; homines vestri de quibus nostri homines conquerentur, teneantur venire in posse nostri vel vicariorum nostrorum, & in nostro vel eorum posse firmare & facere eis justitiæ complementum. Mandamus igitur vicariis, bajulis, & universis aliis officialibus, & subditis nostris præsentibus & futuris, quod hoc guidaticum nostrum, & omnia & singula supradicta à nobis concessa firma habeant & observent, & contra ea non veniant, nec aliquem venire permittant aliquo modo vel aliqua ratione. Quicumque autem contra venerit, iram & indignationem nostram, & pœnam quingentorum marabotinorum se noverit incursurum, damno illato plenariè restituto. Datum apud Perpinianum octavo Idus Januarii anno Domini mccliij. Signum JACOBI Dei gratia regis Ara- 1253.
gonum, Majoricarum & Valentiæ, comitis Barchinoniæ & Urgelli, & Domini Montispessulani. Testes sunt Bernardus de Anglaria, Gancerandus de Pinos, Bu Aug de Serra longa, R. de Termino, Asurdus, Signum Petri Andreæ, qui mandato Domini regis hæc scribi feci loco, die, & anno præfixis. JACOBUS Dei gratia rex Aragonum Majoricarum & Valentiæ, comes Barchinonæ & Urgelli, & Dominus Montispessulani fidelibus suis bajulis & vicariis Perpiniani, Rossilionis & Confluentis salutem & gratiam. Noveritis nos confirmasse abbati Crassensi cartam quam ei fecimus super justitiis civilibus & criminalibus, ut in eadem carta plenius continetur. Unde mandamus vobis firmiter, quatenus prædictam cartam concessionis dicto abbati in omnibus observetis, & faciatis in omnibus firmiter observari. Et si aliquis vel aliqui ex dictis justitiis aliquid noviter perceperint contra tenorem dictæ cartæ, illud totum eidem abbati restitui faciatis. Hæc autem ratione aliqua non mutetis. Datum in Montepessulano IV. Idus Novembris anno Domini mcclxvj. 1266.
JACOBUS Dei gratia rex Aragonum, Majoricarum & Valentiæ, comes Barchinonæ & Urgelli, & Dominus Montispessulani, fidelibus suis vicariis, & universis aliis officialibus & subditis nostris, ad quos præsentes pervenerint salutem & gratiam. Sciatis nos vidisse cartam quam abbas monasterii Crassensis & dictum monasterium habent à nobis super justitiis civilibus & criminalibus exercendis, per quam abbatem seu officiales suos, in castris, villis, & locis ipsius monasterii, & prout in dicta carta quam inde à nobis habent plenius continetur. Unde facimus vobis scire, quòd nos intelligimus, quod dictus abbas dicti monasterii & officiales villarum & locorum ejusdem possint ratione dictæ cartæ truncare manus & pedes, & alia membra

mutilare, & suspendere in castris, villis monasterii antedicti: mandantes vobis quatenus super hoc nullum eis impedimentum vel contradictionem faciatis, nec fieri permittatis, dummodo contra cartam prædictam non exerceant justitias antedictas, & hoc non mutetis. Datum in Montepessulano XIV. calendas Februarii anno
1266. Domini MCCLXVI. NULLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii II. Idus Maii, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCXL.

Archiepiscopo Ravennatensi apostolicæ sedis legato.

Quod pudere debeat Longobardos, quod Corradinum territi transire permiserint.

Anno 1268 EA te credimus industria præditum, & ea devotione firmatum; ut impediendis inimicorum nostrorum processibus nihil omittens de contingentibus, commissum tibi legationis officium prudenter ac fideliter prosequaris. Sanè si Lombardos puduerat CORRADINO perditionis filio de Verona venienti Papiam nullum obstaculum præstitisse: longè magis pudere nunc potest à te monitos & vocatos transeuntem ejus militiam per viscera Lombardiæ, ne dum, ut tu volueras, impedisse; sed nec etiam terruisse. Hæc tamen ad eorum reprehensionem non scribimus, quos Romanæ Ecclesiæ matri suæ credimus esse devotos, sed eorum verecundiam ægrè ferimus, & hostium insolentiam de sua gloriantium probitate, quam ex eo sibi vindicare dicuntur, quod viros longè meliores plus terrore quàm gladio, prout asserunt, subegerunt. Verùm quamvis in manu Domini rerum sit exitus futurorum; credimus tamen firmiter & speramus triumphum de perfidis inimicis Ecclesiæ aliis reservatum; sed tam ipsis quam ceteris Christi fidelibus profuturum. Tua ergo fraternitas vigilem curam habeat de provincia confortanda. Audins enim, Domino concedente, quæ tibi placere potuerunt, & universis qui Deum diligunt & honorem Ecclesiæ complacebunt. Demùm statum tuum & fidelium civitatum sæpe nobis rescribere non postponas. Datum Viterbii Idibus Maii anno quarto.

EPISTOLA DCXLI.

Dilecto filio Giraudo Longo potestati Urbisveteris.

Suam ipsi promittit dilectionem.

Anno 1268 LIcèt nobis facie non sis notus: quia tamen certa recepimus testimonia, quod ex domo fideli prodiens, Dominum & Ecclesiam longo tempore dilexisti; diligere te proponimus in devotione solita persistentem. Sanè quamvis dilectum filium Bartholomæum Quirinum capellanum nostrum caritatis sinceræ brachiis amplectamur, & ejusdem, quantum cum Deo possumus, sciamus honorem: quia tamen universis & singulis suscepta servitus nos in justitia efficit debitores, indiscussum negotium nuda voluntate decidere, salva conscientia, non valemus: tamen vias quærimus & quæremus, per quas ipsum negotium ad utilitatem ecclesiæ Castellanæ tam celeriter quàm utiliter terminetur. Datum *ut supra.*

EPISTOLA DCXLII.

Carissimo in Christo filio regi Siciliæ illustri.

Prorogat tempus solutionis census annui apostolicæ sedi à rege debiti.

CUm existens imperii in Tuscia (*a*) vicarius multum subieris onera expensarum; ac nunc regnum tuum ingressus, longè plura cogaris expendere, ad peccatorum cornua confringenda, qui contra te, cùm agebas in remotis, suum temerè supercilium erexerunt; nobis humiliter supplicasti, ut solutionem census VIII. millium unciarum auri, quæ in instanti festo apostolorum Petri & Pauli solvere nobis & Ecclesiæ Romanæ teneris, prorogare in tempus ulterius dignaremur. Nos igitur tuis compatientes laboribus & oneribus, ac etiam volentes tibi gratiam facere specialem, solutionis prædictæ terminum usque ad instans festum S. Michaëlis archangeli, hac vice de fratrum nostrorum consilio duximus prorogandum, ut ex hoc in posterum solutionis annuæ terminus non mutetur, sed in festo eorumdem apostolorum fiat solutio annis singulis sub pœnis conventis, sicut in conventionibus inter nos & te habitis plenius continetur: & tu nihilominus pœnis tenearis eisdem, si in prædicto festo S. Michaëlis non solveris, quibus, cessante hac gratia, si in proximo festo ipsorum apostolorum non solveres, tenebaris: In hoc tamen attentum te reddimus, & sine præjudicio concessæ gratiæ volumus esse cautum. Quod si medio tempore, succedentibus prosperis, prorogatum volueris terminum prævenire, nostræ & fratrum necessitati consulere & beneplacito satisfacere non omittas. Datum Viterbii XV. calendas Junii anno IV. Anno 1268 (*a*)

EPISTOLA DCXLIII.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis & dilectis filiis abbatibus, prioribus & aliis ecclesiarum prælatis, eorumque capellanis & conventibus exemtis & non exemtis in regno Siciliæ constitutis.

Ut publica instrumenta quibus regis jura stabiliantur eidem regi tradant.

SIcut regiæ defensionis præsidio & quietius vivitis & jura vestra plenius obtinetis, sic Anno 1268

(*a*) *Al. Deest* Vicarius.

vos decet ex mutuo caritatis officio, regem ipsum in suis juribus obtinendis illis promtius adjuvare suffragiis, quæ nec vobis præjudicent, nec ecclesiam gravent, aut minuant libertatem. Quocirca cùm sit nostris auribus intimatum, quod apud vos vel vestrûm aliquos sunt instrumenta publica & alia documenta, quibus rex idem plurimum juvaretur in suis juribus assequendis, vobis universis ac singulis per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus eadem apud vos secreto scrutinio perquirentes, si qua talia inveneritis, quæ cum ipsius commodo & sine Ecclesiarum vestrarum periculo exhibere possitis, eorum ei copiam faciatis. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCXLIV.

Carissimo in Christo filio regi Siciliæ illustri.

De matrimonio contrahendo inter ipsum aut alterum ex ejus natis & filiam comitis Glovernæ.

Anno 1268 EX parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris ISABELLÆ DE CLARA comitissæ Montis-ferrati nobis extitit supplicatum, ut ad matrimonium inter te & dilectam in Christo filiam nobilem mulierem MARGARITAM, dilecti filii nobilis viri G. comitis Glovernæ sororem, speciosam puellam, cum qua dos magna offertur in pecunia, partes nostras interponere curaremus. Quod si non potest fieri, quia jam fortè cum alia contraxisti, vel contrahere ordinasti, saltem ad filium majorem cum alia minore dicti comitis & comitissæ sorore, si posset fieri: alioquin ad tuum minorem cum ejusdem comitis filia matrimonialiter copulandos, opem & operam præberemus. Hæc autem tuæ celsitudini duximus intimanda, ut pleniori deliberatione habita, quid tibi super his sit agendum, rescribas nobis quàm citò poteris tuæ beneplacitum voluntatis: ita quod eidem comitissæ certum dare valeamus responsum. Datum Viterbii *ut supra*.

EPISTOLA DCXLV.

Abbati & conventui S. Dionysii.

Indulgentias ecclesiam S. Dionysii in ipsius sancti festis, in dedicatione & parasceve visitantibus indulget.

Anno 1268 DIlectis filiis abbati & conventui monasterii S. Dionysii in Francia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Parisiensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Licèt is de cujus munere venit, ut sibi à fidelibus dignè ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multò majora retribuit quàm valeant promereri. Nihilominus tamen cupientes reddere Domino populum acceptabilem, Christi fideles ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis præmiis, indulgentiis scilicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Affectantes igitur ut ecclesia monasterii vestri congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ecclesiam ipsam in beatorum Martyrum S. Dionysii & sociorum ejus ac inventionis eorumdem festivitatibus, nec non in dedicationis ejusdem ecclesiæ ac parasceve diebus, ac usque ad octo dies post festivitatem ipsam Martyrum prædictorum, in quibus illuc, ut dicitur, reverenter solet confluere populi multitudo, devotè ac venerabiliter visitaverint annuatim, unum annum & quadraginta dies, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii x. calendas Junii, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCXLVI.

Abbati sancti Dionysii.

Tribuit ei facultatem indulgentias concedendi ad solemnes ejus prædicationem & missam accedentibus.

DIlecto filio abbati monasterii S. Dionysii in Francia ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Parisiensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1268

Grata sinceræ devotionis obsequia, qua tu ac degentes in monasterio tuo regularis ordinis professores, nobis qui dum minori fungeremur officio ad monasterium ipsum aliquando declinavimus, ac ibidem moram contraximus aliquam, promtis placere affectibus studuistis, suscipientes in bonum, illa dignè notavimus ac memoriæ duximus commendanda. Præter hæc autem personam tuam variis virtutum muneribus tribuente Domino insignitam fore novimus & dotatam, dictumque monasterium non habens superiorem alium quàm Romanum Pontificem, multæ nobilitatis titulis ac magnæ privilegio dignitatis conspicimus coruscare, ibidemque religionis cultum vigere laudabiliter & servari. Quibus ex causis, quas rationabiles reputamus, locum illum ac servientes inibi Deo viros prærogativa benevolentiæ prosequimur & favoris, ac non immeritò inducimur, ut idem monasterium in te specialium gratiarum largitionibus honoremus. Ut igitur Christi fideles ad audiendum in ecclesia præfati monasterii divinum officium & suscipiendum inibi pabulum verbi Dei, ecclesiam ipsam eò adeant libentius quo exinde dona se consequi perceperint potiora, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad solemnes prædicationes tuas, ad missarum solemnia, quæ in dicta ecclesia in festis solemnibus te contigerit celebrare, accesserint, & ea reverenter audiverint & devotè, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxandi, plenam & liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Viterbii x. calendas Junii, Pontificatus nostri anno IV.

A

EPISTOLA DCXLVII.

Abbati & conventui S. Dionysii.

Ecclesias de Sergiaco, de Caillanel, & de Vallibus eis confirmat.

Anno 1268 DIlectis filiis abbati & conventui monasterii S. Dionysii in Francia, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Parisiensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

B

Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos ac prædecessores vestri de Sergiaco S. Johannis, & S. Mariæ de Caillanel prope Calvum-montem, ac S. Mariæ de Vallibus parochiales ecclesias ad vestrum monasterium pleno jure spectantes, Rotomagensis & Pictaviensis diocesum, per sexaginta annorum spatium & amplius ad manus vestras quietè & pacificè tenuistis. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati; ut veris existentibus supradictis, ecclesias ipsas, sicut illas justè hactenus, sic & in posterum ad manus ipsas retinere valeatis, vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii x. calendas Junii, Pontificatus nostri anno IV.

C

EPISTOLA DCXLVIII.

Abbati sancti Dionysii.

Facultatem primam tonsuram conferendi monasterii sui manumissis ei tribuit.

Anno 1268 DIlecto filio abbati S. Dionysii in Francia, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Parisiensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Suadente tuorum gratia meritorum te honoris prævenire volentes munere speciali, devotionis tuæ precibus inclinati, ut personis litteratis clericali militiæ adscribendis, qui monasterio tuo servili conditione tenentur, postquam eædem legitimè fuerint manumissæ ac traditæ libertati, de tui consensu conventus primam possis conferre tonsuram, dummodo tibi ab episcopo secundùm morem præficiendorum abbatum manus impositio facta esse noscatur, & te constet existere sacerdotem, tibi personaliter auctoritate præsentium duximus concedendum. Nulli ergo, &c. Datum Viterbii VIII. calendas Junii, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCXLIX.

Dilecto filio Ysnardo Ugolino militi vicario illustris regis Siciliæ in civitate Florentina.

Commendat ejus pro rege solertiam.

LItteris tuis diligenter inspectis, tuam prudentiam in his vigilem, quæ ad bonum statum Ecclesiæ & carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ pertinent, & de tanta commendamus solertia, & ad studium indefessum in similibus & majoribus paternis monitis excitamus. Sanè cùm rex idem contra Saracenos Luceriæ suam direxit aciem, & relicta parte militiæ in Urbis finibus, aliam miserit in Siciliam, quod multiplicet eam in Tuscia ei consulere non audemus, sed speramus quotidie certos audire rumores, quibus Saraceni prædicti vel violenter subacti, vel per pacem ejecti de regno in perpetuum nuncientur: ut tunc ei sit liberum mittere quos voluerit ad hostes alibi prosternendos. Tu ergo interim cum dilecto filio J. Marescallo ejusdem, & aliis ejus fidelibus diligenter prosequere quod cœpisti. Confidimus enim in Domino, quod citò tibi poterimus intimare quod cupis ad hostium exterminium, fidelium gaudium & honorem. Datum Viterbii v. calendas Junii anno IV. Anno 1268

D

EPISTOLA DCL.


Dilecto filio Hugoni dicto Staqua capitaneo Aquilæ.

Laudat & excitat ejus zelum erga regem.

LItteras tuas vidimus, sollicitam diligentiam, quam in custodia terræ geris, quam tibi carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ tibi credidit, nec non & promtitudinem quam ad repressionem hostium habuisti plurimùm commendantes. Scias autem quod CORRADINUS est Pisis, Lucanos velle aggredi jactans, ut noceat, vel fortè simulans, ut dum illuc contra eum inceditur, versus Urbem liberius gradiatur. Sanè dilectus filius J. Marescallus & comites in Tusciæ partibus agunt prosperè, sicque CORRADINUM prædictum detinent occupatum, quod in quadam perplexitate moratur, cùm dimittere Pisanos non audeat, nec eisdem ut vellet, valeat suffragari. Tu ergo utiliter facta regis prosequere. Nam in Deo confidimus, cujus negotium rex prosequitur, quòd subacta Luceria, sine difficultate poterit cornua frangere superborum. Datum Viterbii IV. calendas Junii anno IV. Anno 1268

E

F



EPISTOLA DCLI.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ reginæ Franciæ illuſtri.

De juramento à rege Siciliæ in Provincia exacto.

Anno 1268 TUrbavit plurimos cariſſimus in Chriſto filius noſter C. rex Siciliæ illuſtris in exacto per totam Provinciam juramento, quod ad ſuam ſecuritatem reſpiciens, in aliorum præjudicium viſus eſt pluribus exegiſſe, nec potuimus invenire, licèt ſatis exactè quæſierimus, quorum conſilio id fecerit; ſed à ſuis habuiſſe dicitur juriſtis, quod in terris Provinciæ obtinet uſumfructum, quem ſibi ſatagens confirmare, prælatorum atque nobilium habere voluit juramenta, ut nedum ab aliis, ſed nec à liberis ſuis poſſet vivens moleſtiam ſuſtinere. Sanè nullus à nobis petiit confirmationes terrarum, nec hoc ipſum quod ſcripſimus per eum novimus, ſed relatu communi ad noſtrum pervenit auditum, nec tuam decet timere magnitudinem à nobis poſſe aliquid per eum vel alium obtineri in præjudicium juris tui, quod eſſet utinam ita declaratum, ut inter te & ipſum, tuos & ſuos poſteros quæſtionis nulla materia penitus remaneret. Datum Viterbii II. calendas Junii anno IV.

EPISTOLA DCLII.

Cariſſimo in Chriſto filio regi Aragonum illuſtri.

De licentiis dandis doctoribus.

Anno 1268 COntra venerabilem fratrem noſtrum Magalonenſem epiſcopum, quem in minori conſtitutum officio dilexiſſe non modicum videbaris, rancorem aliquem tuam magnitudinem concepiſſe litterarum inſpecta ſeries, quas ex parte tua nuper recepimus, manifeſtat, inter cetera continentium, quòd epiſcopus memoratus in evidens præjudicium juris tui, in G. Seguerii & omnes auditores ipſius excommunicationis ſententiam tulerat, cui licentiam dederas in Monte-peſſulano jura docendi civilia, cum ad hoc tibi videretur idoneus & juris in eadem facultate prudentibus, quorum conſilia requiſiſti, & idcirco petebas ab eodem epiſcopo latas ſententias ſine difficultate qualibet relaxari. Sanè quia via judicii non patebat ad tuum deſiderium adimplendum; ſæpedicto epiſcopo non præſente, nec citato vel ab homine, vel à jure, nec judicibus committi negotium credebamus expediens, cum nec etiam id poſtulares, aliqua regiæ celſitudini familiariter duximus perſtringenda, quibus plenius inſtrui valeas ad ea quæ te decet eligenda. De licentiandis quidem doctoribus in ſcientiarum variis facultatibus aliud canonica jura diffiniunt, aliud principum ſanctiones; ſed & ipſæ conſuetudines pro diverſitate dioceſum aut locorum in hujuſmodi dandis licentiis variantur. Verùm ex Synodo papæ EUGENII canon præcipit ab univerſis epiſcopis omnem curam habendam, ut magiſtri & doctores conſtituantur, qui ſtudia litterarum, liberalium artium dogmata aſſiduè doceant: quia in his maximè divina manifeſtantur atque mandata declarantur. Lex autem humana decernit ſimiliter civilis ſapientiæ profeſſores magiſtralem aſcendere cathedram non debere, donec ab ordine decurionum fuerint approbati: Pro tempore tamen loquitur, quo cenſura Eccleſiæ non vigebat, quo etiam matrimoniales cauſæ per laïcos tractabantur. Porrò caſus novus à te propoſitus ex ipſius qualitate negotii dubitationem recipere non videtur, ſi purgatis oculis veritas attendatur. Conſtat enim Magalonenſem epiſcopum à longiſſimis retrò temporibus dediſſe licentias in aliis facultatibus, conſueta forma ſervata; & ſi dare non conſuevit in iſta, quia nec etiam petebatur, nec petendi erat occaſio, ubi nec ſtudentium vel docentium numerus exigebat, quod in aliis eſt ſervatum, & in iſta videtur ſervandum, ſic & hodie ſervaretur, ſi quis vellet legere Arithmeticam, quæ nullo forſitan ibi lecta fuit tempore. Nam quòd dicitur, quod præſcripſit aliquibus juribus epiſcopalibus, cetera quibus præſcribens uſus non eſt, remanent prorſus non præſcripta, in rebus diverſi generis obſervamus. Sed ſi una eccleſia parochialis alterius præſcripſerit decimam per tempus legitimum de frumento & ordeo, eam percipiens; ſi poſtea milium ſeminetur, vel fortaſſe legumen, quod nullo ibi tempore fuit ſeminatum, æque de illis percipiet decimam, ſicut de aliis, cum ſit ejuſdem generis, licèt alterius ſpeciei. Et quidem genus iſtæ communicant, licèt differant ſpecie aliquatenus facultates. Sed & cancellarius caput ſtudentium poſt epiſcopum, in quacumque legat vel doceat facultate, ab epiſcopo ordinatur. Unde idem epiſcopus eſt caput ſtudii principale. Demùm de dilecto filio B. de Caſtaneto capellano noſtro, ſcire te volumus, quòd cùm minori fungeremur officio, de felicis memoriæ URBANI papæ prædeceſſoris noſtri ſpeciali mandato, in aula ejuſdem epiſcopi, doctorum & ſcholarium multitudine convocata, nos ei licentiam dedimus, & librum tradidimus ſolita ſolemnitate ſervata. Quocirca ſi aliud ad jus tuum pertinens non occurrit, nullam tibi factam injuriam intelligimus. Quod ſi novum aliquid intimetur, prompti ſumus regium jus defendere, & quidquid idem epiſcopus injuſtè fecerit revocare. Datum Viterbii II. calendas Junii anno quarto.

EPISTOLA DCLIII.

Cariſſimo in Chriſto filio regi Francorum illuſtri.

De decimis.

PEtierat tua ſerenitas, & à dilecto filio noſtro S. tituli S. Ceciliæ preſbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato nobis ſcriptum extiterat, quod ad cleri tollendum ſcandalum, quotidianas diſtributiones à decima permanere vellemus immunes, ſi tamen dati tibi triennii decimæ Anno 126[illegible]

anni quarti præstatio jungeretur: quòd cùm nuper eo modo quo fuerat postulatum à nobis liberaliter fuisset indultum; per dilectum filium magistrum G. de Nova-villa petisti annum quartum adjici, & decimam distributionum earumdem persolvi: super quo plurimùm admirati, quia præter tuæ consuetudinem bonitatis hæc variatio videbatur, petitionem hujusmodi noluimus exaudire. Non enim expedit Gallicanæ ecclesiæ successive tot scandala inferre, cùm amarè ferant & tulerint id ipsum, quod de decima præordinavimus triennali. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCLIV.

Venerabilibus fratribus suffraganeis & dilecto filio capitulo Terraconensis ecclesiæ.

Ut ad electionem episcopi circa calendas Augusti non procedant.

Anno 1268 CUm ad aures nostras pervenerit bonæ memoriæ Terraconensem archiepiscopum naturæ debitum exsolvisse, universitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus ad providendum eidem ecclesiæ de pastore circa proximas calendas Augusti nullatenus procedatis. Nos enim ex nunc decernimus irritum & inane sequi, quicquid per vos vel vestrûm aliquos secus fuerit attentatum. Sanè non ista scribimus, ut ex tunc vestram velimus eripere libertatem; sed quoniam indecens arbitramur, ut illis ejusdem ecclesiæ canonicis absentia sua noceat, qui pro ipsius statu nobis humiliter intimando ad nos accesserunt pro salubri remedio procurando. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCLV.

Dilectis filiis præposito, archidiacono, & aliis ecclesiæ Terraconensis canonicis universis.

Ut securius procedant in episcopi electione eos à censuris absolvit.

Anno 1268 CUm sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, occasione discordiæ inter bonæ memoriæ archiepiscopum Terraconensem ex parte una & vos ex altera dudum exortæ, tam per eumdem archiepiscopum, quàm per officialem ipsius seu alios ipsorum auctoritate vel mandato, quàm etiam per delegatos apostolicæ sedis, vel subdelegatos ab eis diversis temporibus ex causis variis ab ipsius discordiæ fomite directè vel indirectè descendentibus, seu pro quibusvis Terraconensis ecclesiæ negotiis, quæstionibus, seu causis, nunc generaliter, nunc verò in quorumdam vestrûm personas specialiter, nec non & participantes eisdem fuerint excommunicationis, suspensionis, interdicti sententiæ promulgatæ, ac nonnulli læsam habent conscientiam similes sententias incurrisse, pro eo forsitan quod decimam carissimo in Christo filio nostro J. regi Aragonum illustri à sede apostolica concessam, in præfixis ad hæc terminis non solverunt, nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ad vestras conscientias serenandas, & ut ad securius providendum vestræ ecclesiæ viduatæ pastore procedere valeatis, ab omnibus & singulis prædictis, & generaliter ab aliis quibuslibet sententiis à canone sive ab homine promulgatis, vos omnes & singulos de apostolicæ plenitudine potestatis absolvimus, easque penitus relaxamus, vobiscum super irregularitatibus, si quas eisdem ligati sententiis divina officia celebrando vel immiscendo vos illis, aut in vestris ordinibus ministrando, hactenus contraxistis, misericorditer dispensantes. Hanc verò generalem absolutionem & dispensationem eum volumus obtinere vigorem, ac si de singulis prædictis sententiis fieret in præsentibus mentio specialis. Volumus autem ut infra mensem postquam electio vel postulatio in vestra ecclesia fuerit celebrata, solvatis prædictam decimam, damna & injuriam passis satisfaciatis competenter, si fortè interim non fuerit satisfactum. Alioquin ipso facto in pristinas sententias noveritis vos reductos. Nulli ergo, &c. nostræ absolutionis & dispensationis, &c. Datum Viterbii VII. Idus Junii anno IV.

EPISTOLA DCLVI.

Magistro & prioribus ordinis Prædicatorum.

Ut fratres ad episcopatos assumti, libros ante consecrationem suis prioribus resignent. Anno 1268

DIlectis filiis Magistro & universis prioribus & fratribus ordinis Prædicatorum, salutem & apostolicam benedictionem.

Providentia laudabilis & salubris in cunctis vestris habere debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei & hominum habeatis. Cùm itaque, sicut asseritis, contingat interdum, quod illi ex vobis qui de ordine vestro ad archiepiscopatus & episcopatus & alias prælaturas ecclesiasticas assumuntur, non considerantes quòd ex professione in ipso emissa ordine nihil habeant proprium, quod sibi specialiter valeant obtinere, libros & alia quæ apud eos hujusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare, secumque portare præsumant in propriæ salutis dispendium & dicti ordinis non modicum detrimentum. Nos præsumtioni hujusmodi volentes salubriter refragari, universis fratribus dicti ordinis, ad hujusmodi archiepiscopatus, episcopatus, & prælaturas de cetero assumendis, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquo modo recipiant antequam libros & bona contingentia ordinem memoratum, quæ apud eos tempore suæ promotionis habere contigerit, prioribus & conventibus, de quibus assumti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem priores de consensu ipsorum conventuum usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipso ab executione pontificalis ministerii noverint se suspensos. Inter hujusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos & illas cartulas vel membranas in quibus dicti fratres

certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt. Nulli ergo, &c. Datum Viterbii v. Idus Junii, Pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLA DCLVII.

Dilecto filio archidiacono Barchinonensi.

Ut à beneficiis amoveat non legitime institutos ab archiepiscopo Terraconensi.

Anno 1268

AD nostrum pervenit auditum quod bonæ memoriæ B. Terraconensis archiepiscopus, dum vivebat, nonnullas dignitates, personatus, administrationes, & officia quæ in ecclesia Terraconensi tanto vocaverunt tempore, quòd earum collatio erat ad sedem apostolicam secundùm statutum Lateranensis concilii legitimè devoluta, personis diversis auctoritate propria duxerat de facto pro suæ voluntatis libito conferenda: quæ quidem personæ talium collationum prætextu dignitates & alia supradicta illicitè detinent occupata, non sine suarum periculo animarum. Volentes itaque super hæc apostolica sollicitudine providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si de plano & absque judicii strepitu constiterit ita esse, collationibus eisdem penitus revocatis, quoslibet tales per alium seu alios à dignitatibus administrationibus & officiis amoveas supradictis. Contra, &c. Invocato, &c. *usque ad mentionem*, &c. Datum Viterbii Idibus Junii anno IV.

EPISTOLA DCLVIII.

Dilectis filiis præposito & capitulo ecclesiæ Terraconensis.

Ut exclusis novitiis ad electionem episcopi possint procedere.

Anno 1268

CUm ecclesia vestra vacare dicatur ad præsens, sitque de futuro pontifice à vobis electio celebranda, volumus & per apostolica scripta vobis mandamus, quatenus ad electionem vel postulationem pastoris, novitiis vestris qui nondum professionem ibidem fecerunt tacitè vel expressè, hac vice ad electionem vel postulationem hujusmodi non admissis, contradictione qualibet non obstante, liberè procedatis. Datum *ut supra.*

EPISTOLA DCLIX.

Carissimo in Christo filio L. regi Francorum illustri.

De archidiaconatu Senonensi.

Anno 1268

IN archidiaconatus Senonensis negotio nobiscum curialius agere tua, fili carissime, circumspecta prudentia potuisset; nec peccabimus si dixerimus debuisset: cùm pro jure salvando regio, si quod erat vel esse poterat, viam nobis placuisset eligere generosam, quam acceptam te habere decuisset, cùm de illorum numero credaris, qui suam fortitudinem legem justitiæ esse volunt. Sanè nullus manus nostras ligaverat, nemo linguam, quin nos statim venerabili fratri nostro P. Senonensi archiepiscopo consecrato, archidiaconatum conferre liberè potuissemus ejusdem, quem etiam poteramus conferre infra tempus de consecrandis episcopis à canone diffinitum ex apostolicæ plenitudine potestatis, sed neutro istorum usi, tuæ benevolentiæ morem gessimus, nec humilitatis nostræ fructum alium reportamus, nisi quod efficaciter docti sumus, cùm se facultas obtulerit in similibus, inoffensa semper justitia, cautius nos habere. Tu ergo, fili carissime, diligenti meditatione pensabis, an bene feceris, an patri benevolo vicem dignam rependeris, quod defendi posse non credimus, nisi sacrorum canonum fundamenta totaliter à radicibus evellantur. Nos autem cum adversario, quem nobis constituere voluisti, jus nostrum prout expedire viderimus prosequemur. Datum *ut supra.*

EPISTOLA DCLX.

Dilecto filio magistro Girardo de Ramplion canonico Senonensi.

Ut archidiaconatus Senonensis fructus non percipiat, donec se ejus conspectui repræsentet.

CUm archidiaconatus major Senonensis ecclesiæ in curia nostra vacaverit, venerabili fratre nostro P. Senonensi archidiacono in Senonensem archiepiscopum consecrato, in quo, prout audivimus, jus asseris te habere; per apostolica tibi scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus possessionem ejus, vel aliquid pertinens ad eumdem, per te vel alium, clam vel palam, nec recipias nec attingas, nec te de ipso aliquatenus intromittas, donec te nostro conspectui personaliter præsentaveris, tuam nobis justitiam ostensurus. Quod si secus egeris, ipso facto, sententiam excommunicationis incurras, privatus omnibus ecclesiasticis beneficiis, inhabilis nihilominus maneas ad habenda. Si verò possessionem ejusdem es nactus, sub eadem forma tibi scribimus, quod dimittas; & nisi feceris, eisdem sententia excommunicationis & pœnis aliis maneas involutus. Datum *ut supra.* Anno 1268

EPISTOLA DCLXI.

Dilectis filiis officiali & magistro Heliæ de Carturco canonicis Parisiensibus.

Ut litteras suas coram testibus tradant Gerardo de Ramplion canonico Senonensi.

DIscretioni vestræ in virtute obedientiæ per apostolica scripta mandamus, quatenus magistrum Gerardum *de Ramplion* Senonensem canonicum ad vestram evocantes præsentiam, & venire per censuram Ecclesiasticam compellentes, litteras quas dirigimus ad eumdem, quas & vobis sub bulla nostra interclusas, sub bonarum Anno 1268

bonarum & gravium testimonio personarum legatis, & lectas tradatis eidem, & si copiam alicujus vestri scrinarii habueritis, dilectione & traditione hujusmodi faciatis fieri publicum instrumentum. Alioquin in testimonium rei gestæ vestras nobis patentes litteras transmittatis. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCLXII.

Dilecto filio Ma. Veronensi electo, ducatus Spoleti & Marchiæ Anconitanæ rectori.

De Marchianorum infidelitate & perfidia.

Anno 1268 LItterarum tuarum series satis indicat, quod ab olim credimus, nos videlicet aut fideles in Marchia non habere, aut raros, ut eos non expediat numerari: quæ enim major perfidia, quàm quod eos in Castri Leonis negotio Deum & Romanam ecclesiam, nos & te & tuos certum est prodidisse? Utinam dies veniat, quam cum summo desiderio præstolamur, ut talem eorum cervicibus præponamus, qui colla ferrea simili jugo comprimat, & de tot proditoribus quam meruerunt faciat ultionem. Demùm possessiones omnes dicti castri applica fisco nostro, & an expensis levibus ibi posset aliquod conveniens palatium construi, & homines illuc reduci qui non essent suspecti. Videmus enim quid Firmani facient; videbimus etiam exitum CORRADINI & Senatoris antequam quidquid (a) arduum attentemus. Datum Viterbii (*a*) Idibus Junii anno IV.

EPISTOLA DCLXIII.

Dilectis filiis potestati, capitaneo, consilio, civibus Perusinis.

Eos adversus Corradinum mittendos vocat.

Anno 1268 DIversis diversa narrantibus, sed finaliter in hanc unam sententiam concordantibus, quòd CORRADINUS à viris perfidis inductus in Tuscia, & exinde traducendus ad Urbem, juxta nos transitum est facturus. Licèt ad ejus impediendum transitum nequeamus habere militiam numerosam: placuit tamen nobis de nostris & Ecclesiæ fidelioribus aliquos habere nobiscum, quorum gratissimo ministerio ceteros fideles Ecclesiæ roboremus. Et ideo vos vocavimus quorum fidem præ ceteris & modernis & antiquis temporibus novimus approbatam. Nec extra contractam mittere vos intendimus; sed vestro potius consilio dirigi & præsentia recreari. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCLXIV.

(b) Dilecto filio fratri (*b*) de Rocelene ordinis fratrum Minorum.

Anno 1268 NOn intendimus guerram Romanis facere ex abrupto, licèt multum deliquerint, & matrem suam offenderint insolenter, sed quia magna viderentur imminere negotia, dilectos filios Perusinos vocavimus, ut eorum fulciamur consiliis & præsentia recreemur. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCLXV.

Carissimo in Christo filio C. regi Siciliæ illustri.

De Tusciæ subsidio.

MIttunt ad te Tusci pro militari subsidio, Anno 1268 pro quibus tibi scribere cogimur, sed tu nosti quid tibi liceat, quid deceat, quid expediat. Idcirco statu tuo pensato, sic eis respondeas, quod nec tuum periculum, nec ipsorum corda formidolosa perturbes. Datum *ut supra*.

EPISTOLA DCLXVI.

Carissimo in Christo filio L. regi Francorum illustri.

Scribit ei in gratiam episcopi Vivariensis.

CRedit mundus, & nos dudum probavi- Anno 1268 mus, quod ex certa scientia nullum deprimis, nullum gravas; sed non omnia scire potes quæ aguntur in finibus regni tui. Sed nec factis ipsis auditis, quo pondere, qua mensura sint facta, seu recta nosce vales indagine. Et idcirco multa plerumque transeunt incorrecta, vel quia ad magnitudinis tuæ præsentiam, obsistentibus civibus, veritas non permittitur ingredi, vel ingressa non invenit per quem tibi, qui eam diligis, valeat aperiri. Hæc constantiùs scribimus, quæ interdum oculis nostris vidimus, & eumdem defectum in nostra curia sæpius experimur, & ex nobis intelligimus quæ sunt proximi, te & alios principes ad condignam sollicitudinem potius excitantes, quàm in eis omissionem aut negligentiam arguentes, cùm nos nullo possimus ingenio huic morbo plenum antidotum reperire: nec præcisè damnamus in aliis quæ in nobis usquequaque non cernimus emendatum. Sanè Vivariensis episcopus & ecclesia querelas nobis suspiriis & clamoribus intimarunt, quod à tuis officialibus miserabiliter opprimuntur: qui cùm soli, ut asserunt, subsunt imperio, ad judicium evocantur ab eis, & ipsorum vassalli similiter; & si non venerint, mulctantur, etiam pignorantur, & in civilibus & criminalibus judicantur. De his autem quæ novimus, Serenitati tuæ duximus intimandum, fines quidem imperii discretos à finibus regni tui in nulla scriptura vidimus, & eosdem distringere nesciremus, quamvis audierimus ab antiquis, quod in locis aliquibus distinguntur per flumina, in aliquibus per provincias, in aliquibus per dioceses, hæc penitus ignoramus. In hac tamen specialiter quæstione circa regni tui principium cum Peregrinus (*c*) Lacimarius esset (c) Bellicadri Senescallus, & cùm bonæ memoriæ

(*a*) *Al.* v. Idus. (*b*) *Al.* De Otalive.

(*c*) *Al.* Latinianus.

BREMUNDO tunc Vivarienſi epiſcopo multas in hac cauſa haberet diſſenſiones: nos tunc in ſtatu alio conſtituti, unà cum quodam Raymundo de Variaco milite de communi conſenſu partium Vivarium ivimus, & tam in epiſcopi quàm in capituli nobis apertis (*a*) oculis archivis, omnia eorumdem privilegia vidimus, quæ quidem erant imperialia, nec unum invenimus inter illa, quæ à multis retrò temporibus non indicabant dictam eccleſiam cum ſuis juribus ad imperium pertinere: ſed & vetera nobis oſtenderunt vexilla imperialia, quibus epiſcopus Vivarienſis pro tempore uſus fuerat, nec quicquam aliud receptis juramentis aliquibus, potuimus invenire. Quod cum Seneſcallo renunciaſſemus eidem, retentis paucis feudis, quæ ſibi fecerat tuo nomine recognoſci, ſubſtitit patienter. Quocirca celſitudinem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus dictis epiſcopo & eccleſiæ manſuetudini regia deferens, nunc præſertim dum vacat imperium, eos non permittas indebitè moleſtari; cum in tuis regeſtis ut credimus invenire non poſſis, quòd epiſcopi retroactis temporibus tuum dominium recognoverunt, & eiſdem imperatoribus ſubfuiſſe certo certius habeatur. Porrò ſi jus tuum ad ipſos extenditur, quod nullo voluimus tempore nec vellemus in poſterum mutilari, rectius juribus recuperari poſſe quàm viribus minimè dubitamus. Datum *ut ſupra*.

EPISTOLA DCLXVII.

O. Sancti Adriani diacono cardinali apoſtolicæ ſedis legato.

Ut Caſtellæ regem ad ferendum terræ ſanctæ auxilium excitet.

Anno 1268 TErra ſancta diris aſſiduè vexata moleſtiis, & intolerabilibus oppreſſa jacturis, (*b*) paratioribus ſolito præſidiis indiget, quæ à Chriſti fidelibus ſine intermiſſione clamoris pro remedio expectatæ reſpirationis implorat. Unde cùm ſicut accepimus cariſſimus in Chriſto filius noſter rex Caſtellæ ac Legionis illuſtris ad terram eamdem ſuper ejuſdem anguſtiis gerat piæ compaſſionis affectum, & ad juvandum illam ſe diſponere videatur; volumus & per apoſtolica ſcripta tibi mandamus, quatenus ſi contingat te, prout intelleximus, adire partes Hiſpaniæ, ac ad eumdem regem in tui proſecutione itineris, pervenire; ipſum ad ſuccurrendum eidem terræ juxta tibi datam à Deo prudentiam ſtudio efficacis exhortationis, inducas. Quod ſi fortè non habueris tranſitum per eumdem, aliquibus prælatis illarum partium, de quibus videris expedire, committas, ut ipſum regem excitare ſollicitè, ac prudenter animare procurent, quod dictæ terræ negotium ſive perſonaliter, ſive aliàs peroptativa velit ſtudia promovere. Datum Viterbii x. calendas Julii anno IV.

(*a*) *Al.* F, Omnibus.
(*b*) *Al.* Potioribus.

EPISTOLA DCLXVIII.

Conſulibus Montis-peſſulani.

De lectis defunctorum corporibus ad ſepulturam deferendis deſtinatis.

DIlectis filiis conſulibus Montis-peſſulani, Magalonenſis diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1268

Sicut pernicioſa conſuetudo, ne in privilegiorum jus à reprobis aſſumatur, velut corruptela peſtifera eſt celeriter abolenda; ſic laudabilis & honeſta, quæ ad animarum profectum & eccleſiarum provenit incrementum, inviolabiliter eſt ſervanda, cum illa inolita corruptelam indicat, & iſta ſervata honeſtati conſulat & ſaluti. Sanè ſua nobis dilectus filius prior ſancti Firmini Montis-peſſulani Magalonenſis diœceſis petitione monſtravit, quod licèt de antiqua & approbata conſuetudine ſit obtentum, ut corpora defunctorum, quorum ad hoc ſuppetunt facultates, in lectis propriis deferuntur ad cimiterium ipſius Eccleſiæ tumulanda, & quod eidem eccleſiæ de cujus parrochia pro majori parte homines loci exiſtunt, lecti hujuſmodi dimittuntur; ad audientiam tamen noſtram perlato, quod quondam Johannes Lucianus laïcus loci prædicti de quibuſdam ſuis poſſeſſionibus & maximè in ſua diſpoſuiſſet voluntate ultima, ut illi qui poſſeſſiones obtinerent eaſdem, lectum congruè paratum haberent ad deferendum ad ſepulturas corpora pauperum defunctorum, & quod quidam licèt poſſeſſiones detinerent prædictas, hujuſmodi tamen lectum habere juxta diſpoſitionem teſtatoris ejuſdem pro ſuo libito contemnebant in ſuarum periculum animarum; venerabili fratri noſtro Magalonenſi epiſcopo noſtris dedimus litteris in mandatis, ut ſi eſſet ita, detentores poſſeſſionum ipſarum, quòd in hac parte diſpoſitionem ſervarent eamdem, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, ſicut juſtum foret, per ſe vel per alium, appellatione poſtpoſita, coarctaret. Porrò vos ex hoc occaſionem indebitè aſſumentes, non requiſito eodem epiſcopo, ſed abſque auctoritate ipſius, detentores prædictarum poſſeſſionum quemdam lectum facere computaſtis, in quo, prædicto priore invito ac penitus renuente, non ſolum pauperum, quorum pauperibus deferendis congruus eſt & decens lectus in eadem eccleſia deputatus, ſed etiam aliorum corpora mortuorum qui commodè lectos habere de propriis bonis poſſunt facitis ſepelienda portari, in ipſius prioris & dictæ eccleſiæ præjudicium & gravamen. Quare cum per hoc conſuetudo probabilis pia devotione fidelium introducta, ſub ſimulatæ ſpecie pietatis penitus infringatur, & dicta eccleſia jure ſibi per eamdem conſuetudinem acquiſito indebitè defraudetur, idem prior nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ſuper hoc ſibi & dictæ eccleſiæ paterna ſolicitudine curaremus. Cùm igitur intentionis noſtræ non fuerit, ut prædictarum litterarum noſtrarum prætextu, conſuetudo ſalubris, quæ à ſola devotione

fidelium sumsit initium, aboleatur de ecclesia memorata, eique per hoc præjudicium generetur, quin potius volentes eamdem consuetudinem pietate continua fortius roborare, prudentiam vestram rogandam, monendam duximus attentius & hortandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus proinde attendentes, quod valens ad omnia pietas promissionem vitæ quæ nunc est obtinet & futuræ, quodque meritò sibi damnationem inducit, qui pias consuetudines de ecclesiis nititur abrogare, prædictam consuetudinem, prout pia devotione fidelium introducta dignoscitur, observetis, & faciatis ab aliis observari, præfatis priori & ecclesiæ S. Firmini de damnis eis ex hoc illatis satisfactionem congruam exhibendo, & deinceps similia nullatenus attentando: ita quòd exinde divinam evitetis offensam, & dictus prior justam de vobis non habeat materiam conquerendi, nosque super hoc eidem ecclesiæ providere non cogamur. Datum Viterbii VII. calendas Julii, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCLXIX.

Dilectis filiis nobili viro Guidoni Guerræ comiti Tusciæ Palatinæ, Hysnardo Hugolino regio vicario, consilio, & communi civitatis Florentinæ.

Consolatur eos de casu Tusciæ, excitatque ad resistendum hosti.

Anno 1268 DE casu flebili qui nuper in Tuscia contigit genti carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris, de quo accepimus vos tristari, licèt nobis & aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus sit dolendum, non tamen est doloribus, sed contra hostes fortiùs & animosiùs insistendum. Non ergo ex hoc concidant vultus vestri, aut animi prosternantur; sed tamquam viri perfectæ fidei & virtutis, assumto fortitudinis spiritu, hostibus viriliter resistatis. Nos sanè dilectum filium G. Senescallum Provinciæ, quem ad vos cum militia remitti petitis, ad præsens remittere non valemus, cùm jam Viterbium venerit, ubi expectat beneplacitum dicti regis, cui per nostros bonos nuncios ipsum negotium & Tusciæ periculum duximus intimanda. Speramus in Domino quod rex ipse impendet in brevi super his consilium & auxilium opportuna. Datum Viterbii IV. nonas Julii anno IV.

EPISTOLA DCLXX.

(a) Dilecto filio Jacobo nato quondam (a) Diusalvi civi Senensi.

Judicatus & Tabellionatus officium ipsi confert.

Anno 1268 CUm æmula juris alieni cupiditas novas quotidie pariat quæstiones, ne immortales existerent & vitam litigantium superarent, congrua fuit deliberatione provisum, ut certæ personæ adjudicatus sumerentur officium, per quos ortæ lites fine debito sopirentur, sed & ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam præsentium & memoriam futurorum manu publica notarentur. Hinc est quod prædicta judicatus & tabellionatus officia cum potestate dandi tutores & curatores & decreta interponendi, alimenta decernendi, testes recipiendi, & publicandi instrumenta, acta & protocolla exemplandi, necnon & auctoritatem præstandi, emancipare, manumittere, adoptare volentibus, ad quæ fuisti repertus idoneus, tibi duximus concedendum, ut illa prudenter & fideliter exequaris, & ad te cùm necesse fuerit, in omnibus quæ ad officia ipsa pertinent recurratur. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c. Datum Viterbii nonis Julii anno IV.

(a) Al. Dicti Salvi.

EPISTOLA DCLXXI.

Magistro & fratribus ordinis Prædicatorum & Generali ministro & fratribus ordinis Minorum.

Ut privilegia fratrum Prædicatorum & Minorum episcopi, & alii prælati interpretari non possint. Anno 1268

ORdinis vestri sacra religio, sub qua virtutum Domino in humilitate spiritus laudabiliter deservistis, promeretur, ut nos ipsum ordinem sincera diligentes in Domino caritate, illa vobis libenti animo concedamus, per quæ materia submota gravaminis, status vestri tranquillitas procuretur. Sanè transmissa nobis conquestione monstratis, quod nonnulli archiepiscopi & episcopi & alii ecclesiarum prælati vestris libertatibus derogantes, indulgentias seu privilegia vobis ab apostolica sede concessa interpretari, & ad suum intellectum trahere moliuntur, quamquam intellectum ipsum verba indulgentiarum & privilegiorum hujusmodi exprimere videantur, ac vos juxta ipsorum interpretationem privilegia ipsa servare compellunt in vestrum non modicum præjudicium & gravamen. Quia verò super hoc apostolicæ provisionis remedium implorastis, nos vestris supplicationibus annuentes, ne præfati archiepiscopi & prælati alii prædicta privilegia & indulgentias, sive clara quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, de cetero interpretari præsumant, auctoritate præsentium districtius inhibemus: volentes ut cùm ejus sit interpretari, cujus est condere, interpretatio super hujuscemodi dubiis & obscuris dictæ sedis judicio requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Viterbii nonis Julii, Pontificatus nostri anno IV.



EPISTOLA DCLXXII.

Dilectis filiis potestati consilio & communi civitatis Florentinæ.

Eorum constantiam laudat & excitat.

Anno 1268 QUia sicut per vestras accepimus litteras, nonobstante casu flebili qui nuper genti carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ in Tuscia contigit, vos nihilominus in fide & devotione Ecclesiæ ac regis ejusdem unanimiter permanetis; devotionem vestram in Domino commendantes, universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attentè, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in fide & devotione hujusmodi eò fidelius & constantius persistatis, quo in casu graviori probata majori favore digna poterit meritò reputari. Nos autem super absolutione vestris civibus impendenda, ab excommunicationis sententia qua tenentur pro salario, quod dilecto filio nobili viro Jacobo de Collemedio debetur, dilecto filio fratri Guillelmo *de Tonneux* ordinis fratrum Prædicatorum per nostras litteras sub certa forma committimus vices nostras. Datum Viterbii VIII. Idus Julii anno IV.

EPISTOLA DCLXXIII.

Fratri Guillelmo de Tonneux.

Ut nonnullos cives Florentinos ab excommunicationis vinculo solvat.

Anno 1268 CUm nonnulli cives Florentini, ratione salarii, quod dilecto filio nobili viro Jacobo de Collemedio debetur, excommunicationis sint vinculo innodati; nos animarum ipsarum sitientes salutem, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem civibus vel dictum salarium solventibus, vel de ipso in competenti termino persolvendo præstantibus tibi bonas fidejussorias per mercatores videlicet curiæ cautiones, ab hujusmodi excommunicatione juxta formam ecclesiæ beneficium absolutionis impendas. Datum Viterbii VIII. Idus Julii anno IV.

EPISTOLA DCLXXIV.

Regi Siciliæ.

Ut B. reginæ corpus apud fratres Hospitalis Jerosolymitani sepeliri faciat.

Anno 1268 CUm ultimæ decedentium voluntates sint omnino inviolabiliter observandæ & inter illas ordinatio claræ memoriæ B. reginæ Siciliæ illustris uxoris tuæ tibi specialiter debeat esse A cordi, quæ propter specialem affectum, quem ad domum fratrum hospitalis sancti Jo. Hierosolymitani, in qua corpus bonæ memoriæ R. comitis Provinciæ patris sui jacet tumulatum, gerebat, corpus suum cum eo ibidem pariter tumulandum elegit; serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus intuitu pietatis, & ob memoriam dilectionis, quam ad eam habebas, hujusmodi voluntatem ipsius executioni facias demandari, cum fratres prædicti parati sint corpus ejus recipere, & cum reverentia & B honore juxta ordinationem ipsius facere sepeliri. Datum Viterbii v. Idus Julii anno IV.

EPISTOLA DCLXXV.

Potestati & consilio & communi Assisinati.

Excusat se quod suam eis militiam non remiserit.

CUm eveniat juxta nos transitus CORRADINI intra diem Lunæ vel diem Martis proximam, prout creditur, consummandus, patienter ferat vestra devotio, si adhuc vestros milites retinemus. Indecens enim credimus, si eos remitteremus incompleto negotio, qui nobis hactenus fideliter astiterunt. Consummato verò ipso negotio, eos ad vos cum gratiarum actionibus remittemus. Datum Viterbii Idibus Julii anno IV. Anno 1268

C

D EPISTOLA DCLXXVI.

Archidiacono Luxoviensi in ecclesia Bisuntina, & decano S. Stephani Trecensis.


Ut Trecenses S. Mariæ moniales quæ archiepiscopum Tyrensem cimeterium canonicis sancti Urbani benedicere volentem impedierunt, ad satisfactionem compellant.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis archidiacono de Luxovio in ecclesia Bisuntina, & decano ecclesiæ S. Stephani Trecensis, capellanis nostris, salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1268

E

Quamvis nos, volentes quod ecclesia S. Urbani Trecensis, quæ fundata de bonis Romanæ ecclesiæ, juris & proprietatis B. Petri existit, congruis attollatur honoribus, venerabilibus fratribus nostris episcopo Autissiodorensi primò, & postmodum Tyrensi archiepiscopo, se tunc ad partes Franciæ conferenti sub certa forma dederimus nostris litteris in mandatis, ut apud F ecclesiam S. Urbani ad opus canonicorum & clericorum ipsius ecclesiæ, suorumque familiarium decedentium cimiterium benedicerent: tamen abbatissa & nonnullæ de monialibus monasterii S. MARIÆ Trecensis ordinis S. Benedicti cum pluribus armatis hominibus, sicut dilecti filii decanus & capitulum ipsius ecclesiæ S. Urbani nobis significare curarunt, adversus

dictum archiepiscopum volentem exequi apostolicum in hac parte mandatum, clausa porta ipsius ecclesiæ, insurgere præsumserunt, eum dictam ecclesiam ingredi non sinentes: & quamvis idem archiepiscopus illas monuerit diligenter, eisque sub excommunicationis pœna mandaverit, ut ipsam ecclesiam prædictam ejusque portam aperiri permitterent: ipsæ tamen excessus excessibus cumulantes, eum ne illam intraret ad hujusmodi mandatum apostolicum exequendum, manibus injectis in ipsum, timore Dei postposito, temere violentis nequiter repulerunt. Postmodum vero eodem archiepiscopo illuc pro ipsius executione mandati redire volente, se moniales ipsas, illi super hoc in strata publica exponentes, ne ad dictam rediret ecclesiam manuum injectione similiter retraxerunt, firmiter asserentes, quod sicut prius impedirent: præsertim cum dictæ abbatissæ & conventus ejusdem monasterii, ex eo vocem appellationis ad sedem apostolicam se dicerent emisisse, quod eis pro domibus, reditibus, censibus, juribus, jurisdictionibus, & rebus aliis, quarum prætextu fuit inter partes orta materia quæstionis, juxta tenorem quarumdam litterarum nostrarum certis directarum personis, recompensatio non erat impensa, quæque personæ ipsæ in quas ab utraque parte super recompensatione hujusmodi compromissum fuerat super hoc, pronunciationem aliquam non tulissent. Quæ si facta fuisset, dictus decanus & capitulum erant plenariè adimplere parati: quare iidem decanus & capitulum humiliter petebant à nobis, ut cum hujusmodi clericos & laïcos prorsus ignorent, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus clericos & laïcos in iis assistentes abbatissæ & monialibus memoratis, quorum dicti decanus & capitulum non habent notitiam, publice in ecclesiis coram populo auctoritate nostra per vos aut alium moneatis, ut infra quindecim dies post monitionem hujusmodi plenariè satisfaciant de præmissis, alioquin ex tunc in eis nisi infra terminum alium competentem, quem ad hoc ipsis peremtorie præfixeritis, hujusmodi monitioni efficaciter parere curaverint, generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per omnia loca in quibus expedire videritis, faciatis solemniter publicari. Datum Viterbii Idibus Julii, Pontificatus nostri anno IV.



EPISTOLA DCLXXVII.

Episcopo Aretino.

Commendat ei Odonem de Cortona, quem gravibus negotiis destinat.

Cum dilectum filium nobilem virum ODONEM de Cortona nostrum & Ecclesiæ Romanæ, ac carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ devotum, pro facto dilecti filii BERTRANDI de *Albe* militis, de quo scripsimus tibi nuper, quem intelleximus captum in nemoribus detineri, & pro quibusdam aliis nostris negotiis destinemus; fraternitatem tuam ea qua possumus affectione rogamus, quatenus ob reverentiam sedis apostolicæ ac nostram super his negotiis & aliis quæ sibi per dilectum filium nobilem virum Guillelmum (a) Estandardi Senescallum Provinciæ sunt injuncta, eidem impendas, & per tuos impendi facias consilium & auxilium opportuna: ita quod nos exinde tuæ devotionis promtitudinem, quam in aliis probavimus, commendare uberius merito valeamus. Datum Viterbii XVI. calendas Augusti anno quarto. Anno 1268

Potestati, capitulo, consilio & communi Aretiæ in eumdem modum.

EPISTOLA DCLXXVIII.

Dilecto filio Cinthio Remensi canonico.

Laudat ipsius in Ecclesiam Romanam affectum.

Devotionis indicia, quæ nobis tam per litteras quam per nuncium ostendisti, in his quæ Romanæ ecclesiæ honorem respiciunt, gratanter accepimus; licèt etiam antea certam gereremus fiduciam, quod eo zelo in talibus ferveas, ut sub eadem debeas honorari. Quocirca scire te volumus, quod te sicut filium specialem sinceræ caritatis brachiis amplectimur, & affectum quem ad te gerimus tuis exigentibus meritis ostendemus libentius per effectum. Datum Viterbii XIV. calendas Augusti anno IV. Anno 1268

EPISTOLA DCLXXIX.

Fratri G. de Toneux ordinis Prædicatorum.

Ipsum ad se accersit.

In virtute obedientiæ per apostolica scripta tibi præcipiendo mandamus, quatenus post receptionem præsentium, si hora hoc patitur, ipsa die immediatè sequenti iter ad nos veniendi arripias, ad nos venias, & continuatis diebus tuam nobis exhibere præsentiam non postponas, cavens sub ordinis tui periculo, ne quid novi facias fierive consentias circa Florentinæ statum aut regimen civitatis, donec ore ad os nobis locutus fueris, & ad plenum nobis narraveris, Anno 1268

(a) *Al.* Stardi. *Al.* Eustardi.

quæ pro bono statu civitatis ejusdem æstimas A facienda, & sic à nobis instructus regredi valeas ad ea quæ utilia fuerint exequenda.

EPISTOLA DCLXXX.

Dilecto in Christo nobili viro Henrico Domino Soliaci.

Scribit in gratiam comitis Vindocinensis.

Anno 1268 JUxta nostrum & tuum consilium ac mandatum dilectus filius nobilis vir B. comes (a) Vindocinensis saisinam castri (a) *de Tron.* in manu carissimi in Christo filii nostri L. regis Francorum illustris posuit, qui eamdem bajulo in Andegavia carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris ejusdem nomine assignavit, sub spe conventionis implendæ, juxta tractatum super hoc habitum, quem tu nosti. Quia verò non expedit dictum comitem de nostro tuoque consilio detrimentum aliquod reportare; discretionem tuam ex affectu rogandam duximus & hortandam, quatenus viam cogites, per quam possit consuli comiti supradicto, cùm impedire videatur negotium superveniens captio marescalli: Et cùm super his nobis scripseris, scribemus dicto regi Siciliæ, prout viderimus expedire. Quod si nulla superest via, oportebit per viam aliam dicto comiti provideri. Datum Viterbii (b) (b) v. calendas Augusti anno IV.

EPISTOLA DCLXXXI.

Dilecto filio archipresbytero S. Germani.

Ut quamdam auri summam abbati Casinensi faciat assignari.

Anno 1268 CUm quadringintæ & quinquaginta unciæ auri penes quosdam mercatores de S. Germano depositæ dicantur in emtionem possessionum ad opus Cassinensis monasterii convertendæ: & nunc propter urgentem necessitatem dilecto filio abbati ejusdem monasterii expediat assignari easdem; dilectorum filiorum conventus ipsius monasterii supplicationibus inclinati; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictam auri summam eidem abbati, pro incumbentibus necessitatibus, per dictos mercatores facias assignari contra, &c. non obstante juramento à dictis mercatoribus præstito, quod nulli personæ dictum aurum dabunt vel resignabunt, nisi illis quibus contractus emtionis hujusmodi fuerat celebratus. Datum *ut supra.*

EPISTOLA DCLXXXII.

Abbati monasterii Cassinensis.

Ejusdem argumenti.

Anno 1268 CUm quadringentas & quinquaginta uncias auri, quæ penes quosdam mercatores de S. Germano depositæ dicuntur in emtionem possessionum ad opus tui monasterii convertendæ; nunc propter necessitatem urgentem dilectorum filiorum conventus ejusdem monasterii precibus inclinati, à dictis mercatoribus tibi assignari mandamus. Quare discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus taliter providere procures, quòd de redditibus seu proventibus dicti conventus penes dictos mercatores hujus auri quantitas reducatur in emtionem possessionum juxta formam depositi B convertenda. Datum Viterbii v. calendas Augusti anno IV.

EPISTOLA DCLXXXIII.

Ysnardo Ugoleno regio vicario in Florentia.

REIationibus variis apud nos rumor increbuit, quod tu cum nobili viro comite Anno 1268 GUIDONE GUERRÆ, fratre GUILLELMO de Tonneux nuncio nostro & quibusdam aliis tractatus C varios tolerasti super his quæ ad Florentinæ pertinent regimen civitatis sub boni specie, in carissimi in Christo filii nostri C. regis Siciliæ illustris præjudicium & dispendium immutandis. Quia verò per eumdem fratrem G. quem ad nostram præsentiam personaliter evocamus, super eis reddi volumus certiores; discretioni tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus in eisdem usque ad fratris D ejusdem reditum nec procedas, nec procedi per alios aliqua ratione permittas, cùm sufficere tibi debeat, si ipsa tolerantia, quam nobis & eodem rege penitus inconsultis tractatibus talia præstitisti, transire valeat impunita: quamvis vix credere valeamus, quod ex certa scientia quicquam feceris fierive consenseris contra eum Datum IV. cal.

In eadem forma dicto comiti in Tuscia Palaino. Datum in omnibus Viterbii IV. calendas Augusti anno IV.

E

EPISTOLA DCLXXXIV.

Dilectis filiis potestati, capitaneo, anciariis, consilio & communi Bononiensi.

Ut militibus ad regem confugientibus spoliatis sua restitui faciant.

CUm nuper dilecti filii Ricanus de (c) Liura Anno 1268 & Amatus de (d) Sanhon milites ac Pontius (c) (e) de Monte Catino armiger miserabilem casum, F qui in partibus Tusciæ genti carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ contigit, bonis suis spoliati omnibus evasissent, & per civitatis vestræ districtum ad regem properarent eumdem, nonnulli regis ipsius & Ecclesiæ inimici eos infra ipsum districtum ceperunt, ac bonis quæ ab amicis suis postmodum acquisierant spoliarunt. Adhuc duos ex eis nihilominus

(a) *Al.* de Mrou. (b) *Al.* VI. Calendas.

(c) *Al.* VIII. Calendas. (d) *Al.* Pira. (e) *Al.* De Sauchon.

detinent carceri mancipatos: quod quantum A in nostram injuriam & Ecclesiæ ac regis ejusdem vergat opprobrium, discretionem vestram credimus non latere. Ideóque universitatem vestram rogamus & hortamur attentè, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus cum afflictis non sit addenda afflictio, sed eorum potius miseriæ miserandum, & captivos hujusmodi pristinæ libertati, & tam ipsorum quàm tertii, qui apud vos dicitur suum procuratorem habere, bona quibus in districtu spoliati fuerunt integraliter restitui faciatis, devotionis prompti- B tudinem, quam ad Ecclesiam & regem credimus vos habere, sic in his per exhibitionem operis ostendentes, quòd eam dignis exinde in Domino laudibus merito commendare possimus. Datum Viterbii II. calendas Augusti anno quarto.

EPISTOLA DCLXXXV.

IN *eodem modo capitaneo Guelphorum Bononiensium usque* ad miserandum, ad libertatem C hujusmodi captivorum, & faciendam fieri restitutionem bonorum, quibus tam ipsi quàm tertius qui in civitate prædicta suum dicitur habere procuratorem in dicto districtu spoliati fuerunt, promta sollicitudine per te & alios Ecclesiæ fideles intendas, devotionis, &c.

EPISTOLA DCLXXXVI.

Dilecto filio S. tituli S. Ceciliæ presbytero cardinali apostolicæ sedis legato. D

De multis negotiis.

Anno 1268 QUæ de Meldensi, Montis-martyrum & Virgiliacensi negotiis nobis scripsisti, grata habuimus & habemus. Jotrensem verò electam etsi jus non deficeret, ex quo probatio deficit, cassare cogeris juxta traditam tibi formam. De monasterio Altivillaris nostram tibi bis aperuimus voluntatem. Absolvendi autem illos de regno Franciæ, qui perturbatione carissimi, &c. E regis illustris & regi Angliæ latas dudum à nobis sententias incurrerunt, tibi concedimus facultatem, quibus juxta vires, & prout videris expedire, competentem satisfactionem injungas cessuram in subsidium terræ sanctæ. Datum Viterbii II. calendas Augusti anno IV.

EPISTOLA DCLXXXVII.

Malatestæ.

Anno 1268 SI propter malitiam temporis, quam in brevi F finiri speramus, credis à novitatibus abstinendum, abstinere credimus esse bonum. Si tamen inevitabile vides in dilatione periculum; scribimus rectori Marchiæ, quod tecum conferat super illo, & te ac tuos adjuvet sicut & quantum viderit expedire.

EPISTOLA DCLXXXVIII.

Veronensi electo vel ejus locum tenentibus.

Commendat ei Malatestam.

SUper his, quæ dilectus filius vir nobilis Anno 1268 Malatesta de Verole tibi per se vel per litteras de statu Romaniolæ intimabit, benignè ipsum audias, & collatione cum eo habita, in dando ei auxilio & consilio, sicut & quantùm videris expedire, sollicitudinem ad honorem Ecclesiæ habeas diligenter. Datum Viterbii VIII. Idus Augusti anno IV.

EPISTOLA DCLXXXIX.

Ad Theobaldum regem Navarræ.

Ut Francorum regi suggerat & consulat, ut in eos qui impia in Deum sacramenta proferebant animadvertat.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio regi Navarræ Anno 1268 *Ex cartario Campaniæ.* illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Ad tenenda memoriter & gratiarum actionibus debitis prosequenda, divinæ beneficia largitatis, non solum testimonia scripturarum, sed eorum nos excitant pondus, numerus & mensura: ad quæ licèt nostræ cognitionis infirmitas pleno numquam attendat intuitu, videt tamen & percipit in ænigmate, sentit insuper ex suorum defectuum necessariis & continuis supplementis, ad quæ sibi non sufficit Dei munere non ad vitam nec ad horam sibi subduci modicam sui manum benevoli Conditoris: quam si semel subtraheret vel retraheret, sicut originaliter universæ processerunt ex nihilo creaturæ, sic & in nihilum nedum vergerent, sed redirent. Sanè licèt in omnibus, quæ præmisimus, aliquatenus nos illustret nostræ lumen intelligentiæ concreatum, ea tamen fidei magisterio plenius intelligimus, quo deficiens in seipso sustentatur & regitur intellectus, & ut fiat liberior captivatur ad credenda quæ supra se conspicit, pariter & suspiranda tam humiliter quam utiliter se coaptat, quæ utique suæ modulum capacitatis excederent, si subducto vehiculo fidei libertati propriæ redderetur. Ceterum præter alia divinæ munera pietatis, quæ vel ipsa creatione recepimus, vel assidua gubernatione sentimus, illud nostræ tenacius debet inhærere memoriæ, quod in catholicæ fidei professione didicimus factum, scilicet propter homines Deum hominem ad illius nos eminentiam dignitatis sua misericordia sublevasse, ut nostræ factus humanitatis particeps, nos pius miseros & abjectos suæ participes divinitatis efficeret, & regni sui, si nostra scelera non impediant, coheredes. Qui profectò visus in terris, & homo cum hominibus conversatus, velut gigas ad currendam viam exultans, nec stetit, nec pertransiit otiosus: immò pauper & in labori-

bus à ſua permanens juventute, minis, flagellis, ſputis, conviciis laceſſitus, & diverſis ſaturatus opprobriis, morte demùm turpiſſima condemnatus in cruce moriens, pretioſiſſimo ſuo ſanguine nos redemit. Quantum igitur & ſub quanto diſcrimine majeſtatem ipſius offendant, qui ejuſdem humanitatem deſpiciunt, tam amabilem quam inſignem omnibus neceſſariam, omnibus fructuoſam, ſua ſatis cuilibet conſcientia manifeſtat. De quorum numero notabiliter ſunt cenſendi, qui pollutis & nefariis labiis membratim lacerantes eumdem, nunc per caput, nunc verò per oculos, nunc per cetera membra jurantes, multis interdum contumelioſis injuriis interjectis, Dei Filio qui in ſua ſimplex eſſentia Patri permanens coæternus, membrorum compoſitionem in ſe ipſo non noverat, donec ea pro nobis aſſumſit, blaſphemantes improperant ad injuriam, quod ad hominum gloriam & honorem ſua mera benignitate ſuſcipiens, in ſe homine totam maſſam humani generis honoravit. Sunt & alii qui de Virgine glorioſiſſima juramenta ſimilia compingentes, & his etiam non contenti, verbis turpibus de eadem exquiſitas blaſphemias evomentes: ſed & ſanctos alios variis laceſſentes injuriis, Dei timore poſtpoſito, linguas indomitas & effrenes in eas audent impingere: contumelias quas nedum cogitare ſeu promere, quin etiam audire cedit fidelibus in horrorem. Porrò ſunt aliqui qui ponentes ſpem ſuam mendacium, & excuſationes in peccatis quærentes, in terris aliquibus, ex abuſu conſuetudinis quam non laudant, linguæ lubrico hæc aſcribunt, cui dicunt facilius ignoſcendum cum immunis maneat animus, prout aſſerunt, à contemtu. Quibus dicimus è diverſo, quod ex abundantia cordis os loquitur, & de corde prodire blaſphemias, ſicut & mala cetera, quæ ipſe Dominus ore ſuo ſanctiſſimo prædicavit. Et ne conſuetudinis tam damnabilis clypeo ſe defendant; verba Hieronymi diligenter intelligant, ſic dicentis: Qui negligunt oris maledicti conſuetudinem reſerare; etiamſi non corde maledicant, tamen immunditiam labiorum ſecundum Iſaïæ verbum & inquinamenta oris incurrunt. Hæc ſignanter præſentibus duximus inſerenda, quia novimus iſtud vitium regni Franciæ partem non modicam multis adeo jam temporibus infeciſſe, ut ex uſu quodam nefario pauca inibi loquantur homines, juramentis hujuſmodi non adjectis. Quod in regno tam nobili, cui Dominus benedixit, tanto magis notabilem ponit maculam, quantò devotionis & fidei gratiam pleniorem, & celebrius teſtimonium noſcitur habuiſſe. Ecce, fili cariſſime, ſi ſcripturam ſacram revolveris, alienigenam regem invenies idolis ſervientem, gravem tamen in illos promulgantem ſententiam, qui Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago blaſphemarent. Ecce legimus principem Romanorum, qui vetuſtas leges enucleans, legum ſtudia ſuſcitavit, in blaſphemos hujuſmodi graviter fulminaſſe. Sed fatemur quod in pœnis hujuſmodi tam acerbis eorumdem veſtigiis cariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem Francorum illuſtrem non deceat (a) inhærere. Sed aliæ poterunt reperiri citra membri mutilationem & mortem, quæ à dictis blaſphemiis temerarios homines poterunt cohibere. Quocirca ſerenitatem tuam monendam duximus & hortandam, quatenus tuam reputans tui Redemtoris injuriam, prædicto regi Francorum conſulas & ſuadeas quod ad regnum ſuum ab hac labe purgandum ſalubriter ſtatuat, de ſuorum conſilio procerum, quod ad Dei honorem & gloriam viderit ſtatuendum. Datum Viterbii II. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno IV.

EPISTOLA DCXC.

Caroli regis Siciliæ ad Clementem Papam IV.

Annunciat ei victoriam ab ipſo de Corradino reportatam.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino ſuo C. divina providentia Sacro-ſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici Carolus Dei gratia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ; Andegaviæ, Provinciæ, Folcalquerii comes cum omni reverentia & honore pedum oſculamina devotorum. Anno 1268

Expectatam diutius & deſideratam à cunctis fidelibus orbis terræ lætitiam, vobis, Clementiſſime Pater, & Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri meæ, tamquam ſuavitatis (b) incenſum humiliter offerens, ſupplico ut ſurgens pater & comedens de venatione filii ſui, exſolvat gratias debitas Altiſſimo, & tam pater quam mater à ſuis deinceps laboribus conquieſcat. Noveritis igitur quod manu Domini, quæ mei tutrix eſt & patrona juſtitiæ, meos feliciter & ſalubriter dirigente proceſſus, poſtquam Corradinus ejuſque ſequaces regni mei finibus propinquarunt, quærentes foramina per quæ poſſent latenter ingredi, ſeque conjungere Saracenis. Ego ipſos de paſſu in paſſum per tres dies totidemque noctes ſequens & perſequens, tandem pro certo percepto quod dicti hoſtes per (c) Tittui partes ingreſſi ſperabant per (d) Marciana rura deſcendere, & pervenire Sulmonam quodque inter (e) Scultulæ & Curti montes in quadam planitie ſua infelicia caſtra defixerant, die Mercurii octava videlicet Aſſumtionis B. Virginis, de cujus (f) potiſſimè ſperabam auxilio, de pratis (g) Ovinuli ſecus lacum Fuchini & villam (h) ad necem aciebus inſtructis, divina me gratia comitante, demùm procedens ad quemdam collem prope Albam, qui per duo parva milliaria diſtabat ab hoſtibus, ex quo campus Palesinus

(a) Jam leges ſeveriſſimas in blaſphemos tulerat S. Ludovicus Francorum rex, quibus ignito ferro linguas blaſphemantes perforari mandavit. Hanc fortè ſeveritatem cum nonnulli ægrè ferrent, huic epiſtolæ Clementis occaſionem dederunt, qua probat in blaſphemos animadverti, non quidem morte aut membrorum mutilatione, ſed aliis pœnis.

(b) *Al.* Incenſam. (c) *Al.* Ticleri

(d) *Al.* Marcitana. (e) *Al.* Sculculæ & Caurthii.

(f) *Al.* Potentiſſimæ. (g) *Al.* Omnuli.

(h) *Al.* Avizani. *Al.* Avecini. *Al.* Luceriæ.

lestinus se explicat, iter meum prosequendo perveni, & hostium exinde castra prospiciens, quia gens mea & equi potissimè erant præ labore nimio fatigati, deliberavi & jussi castrametari in eodem colle exercitum christianum. Hostes verò videntes vexilla mea, castrorum suorum appropinquare terminis, dictique exercitus formidantes aggressum, de castris suis in campum cum omnibus eorum copiis exiverunt, aspicientes gentem meam ad prælium præparatam, cum magna confusione, meis post eos clamantibus, ad loca de quibus exiverant sunt reversi. Sequenti autem die orto jam sole hostes de locis ipsis recedentes, cœperunt prosequi ultra flumen quod inter utrumque decurrebat exercitum, infaustis eorum auspiciis iter suum, quod ego diligenter advertens, statim in prædicti campi (a) Palestini planiciem aciebus distinctis, & ordinatis ad prælium, in divini nominis virtute descendi, procedens maturis gressibus ex adverso: & cum crederem (b) eos ulterius processuros, ipsi castra super ripam fluminis prope villam Pontium, suis tamen aciebus nullatenus dissolutis, præter spem meam & meorum omnium posuerunt; & intuentes quod & meus similiter castrametabatur exercitus, (c) demùm flumen subitò cum magno impetu trajecerunt. Ego verò de divino præsidio vestrarumque orationum confisus auxilio, invocato Christi nomine, irrui celeriter & viriliter in eosdem. Et postquam fuit acerrimè utrimque pugnatum, majori parte hostium in ore gladii trucidata, reliqui licèt pauci sustinere mei molem exercitus non valentes, se fugæ præsidio commiserunt; quos mei festinis gressibus insequentes, pro magna parte per montes & nemora peremerunt. Facta est itaque hostium tanta strages, quod illa quæ in agro Beneventano de aliis Ecclesiæ persecutoribus facta fuit, hujus respectu valde modica reputatur. De CORRADINO autem & HENRICO Senatore nobis utrum in bello ceciderint, an per fugam evaserint, nulla in confectione præsentium, quæ statim post victoriam scriptæ fuerunt, haberi potuit certitudo. Verùm equus, cui dictus senator insedebat, à nostris, cum sine sessore fugeret, captus fuit. Lætetur igitur mater Ecclesia, & pro tanto triumpho cælitus ei per suorum pugilum ministerium clementer indulto, in jubilum supernæ laudis assurgat: quoniam jam dedisse videtur omnipotens Dominus finem suis vexationibus, eamque de avidis persecutorum suorum faucibus liberasse. Datum in Campo Palestino XXIII. die Augusti XI. Indictione, anno IV.

EPISTOLA DCXCI.

Regi Siciliæ.

Commendat regis Franciæ nuncios ad Venetos.

Anno 1268. CUm carissimus in Christo filius noster L. rex Franciæ illustris ad Venetos mittat nuncios speciales ad tractandum super his quæ ad suum & baronum Franciæ passagium pertinent transmarinum, qui post tractatum hujusmodi sunt inde Brundusium profecturi, ad ordinandum de his quæ ipsi passagio fuerint opportuna; Serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus civibus Brundusinis & aliis regionis illius des tuis districtè litteris in mandatis, ut in venditione navium, victualium, & aliorum quæ ad dictum passagium necessaria fuerint, erga dictos nuncios sic se reddant liberales & benignos, quod propter defectum eorum rex inde suum mutare passagium nulla ratione cogatur; sed ad id per eorum benevolentiam potius animari. Datum Viterbii XVIII. calendas Septembris anno IV.

EPISTOLA DCXCII.

Dilectis filiis potestati consilio & communi Reatino.

Increpat eos quod fusos à Carolo rege hostes apud se receperint.

ÆGrè ferimus, si veritas suffragatur relatibus, quod inimicos Ecclesiæ capitales à filio nostro in Christo carissimo C. rege Siciliæ illustri, Domino favente, confusos per fines vestros, ut dicitur, liberè transire permitittis; id vobis ad plenæ libertatis arbitrium ascribentes, quod indevotionis vos arguit, & reos probat fidei violatæ. Si enim Romanæ Ecclesiæ dominium non abjicitis nec negatis, sicut utique cum bona conscientia non potestis: unde vobis, quæsumus, liberum esse potest tutum illis præbere transitum, quos in evidens exterminium matris vestræ ac dominæ conglobatos cum CORRADINO & H. nobilibus genere, sed moribus degeneribus novistis publicè processisse? Verè quidem dicere possemus, quòd si veri filii fuissetis, ac condidisset vos amor paternus pariter & maternus, ut ad defensionem juris nostri, quod habemus in regno, nullo vos invitante, opem & operam dedissetis. Quod si vobis placuerit facere, qua fronte fugientes hostes nostros recipere valeatis, salva fide quam nobis debetis, nulla possumus ratione videre. Quocirca universitati vestræ districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnes qui in vestro reperientur districtu, & alios qui supervenerint, detineatis captivos: alioquin eos de vestris manibus requiremus: & si damnum propter hoc aliunde senseritis, vobis jam poterit imputari. Datum Viterbii VII. calendas Septembris anno quarto.



(a) Al. Palentini. (b) Al consultius. (c) Al. Dictum.

EPISTOLA DCXCIII.

Dilecto filio nobili viro Malatestæ de Veriolo, comiti Tadæo de Monte Feltro.

Annunciat eis Caroli regis de hostibus victoriam.

Anno 1268 AD divinæ gloriam majestatis carissimi in Christo filii nostri C. illustris regis Siciliæ litteras in hac die prope nonam recepimus in hæc verba *Sanctissimo, &c.* Vos igitur tamquam Ecclesiæ devotissimos filios ad grates Altissimo referendas & gratulandum nobis & Romanæ Ecclesiæ matri vestræ, prout decet & expedit, invitantes, devotionem vestram monendam duximus & hortandam, quatinus diligentius attendentes quo favore, qua gratia sit tantus pugil fidei prosequendus, tam nostri quàm sui participes gaudii insolitæ devotionis constantia vos firmetis, cùm ex hoc cuncta vobis prospera sperare debeatis meritò, & eos qui rebelles esse voluerint, utique dante Domino conterendos, nisi, quod cupimus, errori veteri prorsus abjecto, matri suæ didicerint obedire. Datum Viterbii VII. calendas Septembris anno IV.

EPISTOLA DCXCIV.

(a) Abbati (a) S. Savini de Firmo.

Gratias agit de sollicitudine ejus.

Anno 1268. LItteras tuas vidimus, & ea quæ ad nostram memoriam excitandum scripsisti, pleno collegimus intellectu. Verùm quia carissimo in Christo filio nostro C. regi Siciliæ illustri, Dominus dedit nuper de suis & Ecclesiæ inimicis triumphum, quæ tunc temporis ignorabas, videre poteris quod ea quæ scripsisti intendere non oportet, quæ tibi necessaria videbantur; in hoc tamen quod nos sollicitos reddidisti, tuam prudentiam plurimum in Domino commendantes. Datum Viterbii IV. calendas Septembris anno IV.

EPISTOLA DCXCV.

Venerabili fratri H. Ostiensi & Velletrensi episcopo.

Corradinum & alios teneri in vinculis à rege Siciliæ.

Anno 1268 INfirmitati tuæ paterno compatimur affectu, promti, si quid ad salutem tibi possumus, operari. Illud autem scire te volumus, quod sicut per dilecti filii nostri J. SS. Cosmæ & Damiani diaconi cardinalis & aliorum multorum fide dignorum litteras accepimus, Carissimus in Christo filius noster C. illustris rex Siciliæ CORRADINUM & ducem Austriæ GALVANUM & GALIOTUM ejus filium cum HENRICO quondam senatore Urbis & CORRADO de Antiocha tenet carceri mancipatos: & jam rex ipse Pe-

(a) Al. S. Martini.

A nostram venerat, Urbem in proximo ingressurus. Datum Viterbii XVIII. calendas Octobris anno quarto.

EPISTOLA DCXCVI.

Regi Siciliæ illustri.

Ut oratorem marchionis Estensis benigne recipiat.

CUm vir nobilis dilectus filius marchio Estensis & progenitores ejusdem Ecclesiæ Anno 1268 B Romanæ fideles extiterint & devoti, & ipse tuæ magnitudini paratus sit obsequi, & hactenus obsequiosus fuerit genti tuæ; serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus venientem ad tuam præsentiam ambaxiatorem ipsius providum & discretum, pro quodam comitatu, in quo idem marchio habere jus dicitur, repetendo, pro reverentia sedis apostolicæ & nostra benigne recipias, patienter audias, & tam favorabiliter, quàm celeriter ad Dominum suum remittas cum gaudio expedi- C tum, & ut idem nobilis de devoto fiat devotior & fidelis Ecclesiæ, ceterique tui ac tuorum amici ad tua se reddant obsequia promtiores.

EPISTOLA DCXCVII.

Abbati Apamiensi.

Nullam ei præscripsisse formam in tractatu cum rege faciendo.

D LIcèt filio nostro carissimo illustri L. Francorum regi scripserimus, quòd improbi videbatur consilii petitio circa pacta quæ à te quærebantur in compositione inter ipsum & monasterium tuum tractata, tibi tamen nullam formam scripsimus, vel tradimus, in qua finem poneres cum eodem. Si igitur cùm eo non processisti tantum, ut non liceat retrahere tibi pedem, & tu cum aliis, sicut per litteras dilecti filii viri nobilis GASTON vice-comitis (b) Vearnensis, nuper accepimus, potes utilius convenire; minus te reputabimus sapientem, nisi quod Ec- E clesiæ tuæ commodius videris, inoffenso rege, duxeris acceptandum: quem offendi debere non credimus, si eo quæ leviora fuerant totiens recusante, utilitati tuæ prospexeris, ductus consilio meliori. De nobis noveris quod acceptius semper habebimus quicquid decentius & securius erit ecclesiæ memoratæ. Datum Viterbii XVI. calendas Octobris anno IV. Anno 1268 (b)

F

EPISTOLA DCXCVIII.

Lamfranquino Malezæ & Lucerto civibus Januensibus.

De procurando libero itinere regis Franciæ.

SCire vos volumus quod Veneti nuntiis filii nostri carissimi illustris Francorum regis de-

(b) Id est Bearnensis, quippe Vvascones & proximæ nationes, unde oriundus erat Clemens, B. litteram loquendo sæpius convertunt in V.

derunt responsum, quòd cùm eis nullam poterant conventionem facere, timentes ne soldanus Babiloniæ quicquid habebant in Alexandria occuparet. Unde consulimus & mandamus, quod curetis ad eumdem regem solemnes nuntios destinari, ut vobiscum passagium suum faciat, & exponatis vos ei tam liberaliter quòd vestrum obsequium debeat acceptare. Datum Viterbii xv. calendas Octobris anno iv.

EPISTOLA DCXCIX.

Veronensi electo.

Anno 1268 SI audita regis victoria & eo viso rediisses in Marchiam, & cum militia quam collegeras inimicos Ecclesiæ impugnasses, pluribus placuisses. Nos tamen non arguimus quod fecisti; sed cur nos consulis? Quid agendum sit tibi, à modo non videmus, cùm Marchia te desideret, nec stipendiarios tenere debeas ultra stipendia constituta. Datum Viterbii xiv. calendas Octobris anno iv.

EPISTOLA DCC.

Regi Siciliæ illustri.

Commendat ei Guidonem Guerram Tusciæ comitem.

Anno 1268 DIlectum filium Guidonem Guerra comitem Tusciæ Palatinæ, qui tibi tam fideliter quàm utiliter multo servivit tempore, tuæ benevolentiæ duximus commendandum, ut in suis justis petitionibus exauditus, & de impensis obsequiis gaudeat, & ad impendenda vehementius animetur. Quod si forsitan in Florentia rectorem Italicum, prout à te citò petetur, instituere proposueris; credunt multi quod eo non posses ponere meliorem: quin etiam si majorem locum in Tuscia sibi committeres, creditur quod in illo melius se haberet. Super his igitur in quot ei tenearis considerans, sed & quantum possit esse in posterum, sicut hactenus extitit fructuosus, te taliter habeas ad eumdem, quod & tuam deceat magnitudinem, & ipsius devotio tuæ beneficiis largitatis infusa, in amorem tui culminis promtis & humilibus desideriis incalescat. Datum Viterbii x. calendas Octobris anno quarto.

EPISTOLA DCCI.

Regi Franciæ.

Gratias agit pro exhibita monasterio S. Ægidii gratia.

Anno 1268 NAtalis soli memores, nuper tuæ benevolentiæ scripsimus, ut tam monasterium S. Ægidii quàm villam ejus benè tractantes, & super appellatione quam à lata per senescallum Bellicardi contra eos sententia interposuerant, earumdem justitiam clementer audires. Sanè tua benignitas latius se extendens, non solùm

A justitiam non negavit, non solùm non distulit; quin potius debitum universum dicitur remisisse. Nos igitur tantæ gratiæ promtitudinem gratius amplectentes, licèt hæc & multa sanctissimo confessori Ægidio pro Dei & sui reverentia debeantur; quia preces quas interjecimus tuum credimus animum ad favoris hujus affluentiam excitasse: tibi proinde ad gratiarum uberrimas actiones assurgimus, monasterium idem & villam Serenitati regiæ denuò commendantes, ut te eis exhibeas sine tua & aliorum injuria favorabilem & benignum, & id ipsum tuis pro tempore ballivis injungas. Datum Viterbii III. nonas Octobris anno IV.

B

EPISTOLA DCCII.

Regi Siciliæ.

Quod non possit matrimonii fœdus cum filia regis Bohemiæ inire.

C

MArtinum habitu saltem templarium, quem in Alamanniam mittere decrevisti, petentem à nobis eundi licentiam exaudire noluimus, sed ad suum magistrum, qui tunc erat Viterbii, pro petenda licentia transmisimus, quam habuit protinus ab eodem, licèt longè maluisset obtinuisse à nobis, ut aliqua sibi esset occasio jugum ordinis declinandi. Sanè dudum ab illustri rege Bohemiæ super his quæ requiris responsum certum habuimus, quod non multum nobis fuit acceptum, cùm responderit eo tempore quod de filia jam se aliis obligaverat, sed habere poterat adhuc liberos, quibus habitis, locus esset inter te & ipsum, tuis & suis liberis fœdera solidandi. Si igitur nostrum & tuum honorem attendis, sufficere tibi potest, si tu tuum Martinum miseris, & nos nostro Martino parcemus, quem utrumque mittere, nihil aliud esset quàm confusionem duplicem reportare. Fecit quidem tunc noster pœnitentiarius frater noster Martinus quod potuit, & non sine personæ periculo multis functus laboribus, fructumque voluit sed non valuit reportare. Datum Viterbii II. Idus Octobris anno IV. Anno 1268

D

E

EPISTOLA DCCIV.

Archiepiscopo Surrentino.

Ut à sententia excommunicationis absolvat Aversanos Corradinum secutos.

F

CUm civitas Aversana, quæ à suo se domino imprudenter averterat, ad eumdem prout dicitur, providè sit reversa; fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si est ita, & personas, imposita pœnitentia salutari, à sententiis excommunicationis, quas pro favore CORRADINI & regni turbatione incurrerant, juxta formas absolvas, & sententiam interdicti relaxes. Datum Viterbii II. Idibus Octobris anno quarto. Anno 1268

EPISTOLA DCCIV.

Ad Theobaldum regem Navarræ & Campaniæ comitem.

Ut canonicis S. Urbani litteras de acquirendis pro ecclesia sua possessionibus, quas detinebat, restituat.

Anno 1268 CLEMENS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio illustri regi Navarræ salutem & apostolicam benedictionem.

Illustribus & præsertim regia dignitate præditis illa vigere debet constantia firmitatis, ut quicquid ab eis consultè conceditur, perpetuis temporibus firmum ac stabile habeatur: sed tunc præcipuè quando ipsi ad ea perficienda suum piè inclinant animum, per quæ non solum humanæ laudis præconium eis provenit; sed & nominis claritas ac benedictionis perpetuæ incrementum. Ex affectione siquidem pura, quæ inter te & felicis recordationis URBANUM papam prædecessorem nostrum, dum fuit sub nostræ mortalitatis habitu, mutuò viguisse creditur, & devotione nimirum, quam ad Romanam Ecclesiam teneris habere processit, quod inductus apostolicis precibus per litteras concessisti liberalitate regia & affabilitate benigna, ut in tuo feudo seu dominio ad opus ecclesiæ S. Urbani Trecensis, quam dictus prædecessor in solo domus paternæ fundari decrevit, & canonicorum ipsius ecclesiæ usque ad certam quantitatem possessiones & reditus emi possent. Cujus concessionis virtute, quod ad regiam redundabat famam & gloriam, jam aliquam partem redituum & possessionum hujusmodi se in dicto dominio acquisivisse gaudebant canonici memorati. Sed ecce, sicut mirantes audivimus, quamquam credere vix possumus, aurum tuæ intentionis piissimæ ac illius sinceritatis, quam ad dictum prædecessorem tua sublimitas habuisse cernitur, obscuratum esse videtur, & color optimus nimis subitò immutatus, dum nescitur cujus consilio, an proprio vel forsan alieno, hujusmodi benignæ concessionis litteras regii præconii contentivas, quas Johannes Gailiæ canonicus Trecensis olim procurator ipsius ecclesiæ, sibi nomine dictorum decani & capituli commendatas, tibi fraudulenter asseritur tradidisse, detines: immò quod est gravius interdum illas, quæ tamen à tot fide dignis inspectæ creduntur, quod vix poterunt absorberi, cassasse ac lacerasse in excusationem detentionis hujusmodi, quod numquam in cor tanti principis ascendere debuit, diceris protulisse, baillivo tuo Trecensi domos, possessiones, & bona, quæ in eodem dominio ex prædicta concessione acquisita fuerant pro ipsa ecclesia, excepta quadam grangia, nomine tuo faciente saisiri; sicque pia dispositio prædecessoris ejusdem, qui dum vixit internæ brachio caritatis te prosecutus extitit, circa eamdem ecclesiam habita defraudatur; ac nobis, qui affectum ipsius prædecessoris in hac parte habitum deducere cupimus, quantum ex alto conceditur ad effectum, gravis irrogatur injuria; Romana Ecclesia mater tua, de cujus bonis illa fundamentum accepit, offenditur; ac honori regio, saluti & famæ non modicum derogatur. Rogamus itaque Celsitudinem Regiam & hortamur attentè, paterno consilio suadentes, quatenus circa dictam ecclesiam S. Urbani tam pro divina reverentia, quam pro ipsius prædecessoris memoria, & nostræ personæ intuitu, illum affectum benevolum, quem prius ad illam videbaris habere, continuans; præfatis canonicis liberaliter litteras, si extant, restituas memoratas: alioquin novas illis similes priorisque tenoris regali dextera largiaris, domorum, redituum & bonorum omnium ipsius ecclesiæ quæ taliter facit baillivus ipse saisiri, faciendo saisinam penitus amoveri, & ecclesiam in eorum tranquilla possessione dimitti, ac permittendo possessiones & reditus usque ad quantitatem promissam ad opus ipsius ecclesiæ comparari: preces nostras & salubre consilium in hac parte taliter impleturus, quod pateat per effectum operis te velle vacare actibus virtuosis, nosque qui te ex intimo cordis affectu diligimus, regali magnificentiæ speciales proinde gratias referamus. Alias autem cum non sit deferendum homini contra Deum, quantumcumque regiam honorare magnitudinem proponamus, connniventibus non poterimus pertransire oculis, quin subveniamus eidem ecclesiæ S. Urbani de condigno præsidio apostolicæ potestatis. Non ergo, fili carissime, nostrum provoces in hac parte animum, cum te inter ceteros mundi principes, sincera diligamus in Domino caritate. Datum Viterbii VII. calendas Novembris, Pontificatus nostri anno IV.

EPISTOLA DCCV.

Dilecto filio Cinthio rectori, consilio & communi Cornetano.

Ut victualia ad curiam suam mitti non prohibeant.

NOn est nobis credibile Urbis vicarium vobis inhibuisse, ne ad nostram curiam victualia deferatis. Quod si fecit miramur plurimum, universitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus ipsius mandatis super his minimè pareatis. Volumus tamen ut quantum, salva vestra, quamdiu Viterbii fuerimus, & nostra commoditate, poteritis, dilectis filiis Romanis civibus auxilium in victualibus præbeatis. Datum Viterbii VII. calendas Novembris anno IV. Anno 1268

EPISTOLA DCCVI.

Regi Siciliæ.

Ut nihil dubii aggrediatur ante ducis Burgundiæ adventum.

LItteras dilectorum filiorum viri nobilis ducis Burgundiæ & magistri G. cancellarii Bajocensis recepimus, per quas petunt, ut te Anno 1268

efficaciter inducamus, ne ſine ipſis & nobilium militum cum eis venientium comitiva, Saracenis appropinques. Credunt ſiquidem tui ſtatus ignari, quod magnum tibi diſcrimen immineat in hac parte. Nos igitur licèt per tuas litteras acceperimus quod felicem victoriam, quam tuus camerarius nuper habuit, Agarenis occiſis in magno numero, & reſiduis in fugam converſis; tuæ tamen conſulimus magnitudini, quod ſi quid aggredi moliris, quod eventus dubii videatur, dicti ducis ſatisfacias deſiderio, ut tutius impleas quod deſideras, & tui ſe participes eſſe honoris tam ipſe quàm alii qui cum eodem venerunt glorientur. In his autem quæ carent grandi diſcrimine, non decet te aliquem expectare. Datum Viterbii v. calendas Novembris anno IV.

EPISTOLA DCCVII.

Dilecto filio magiſtro ordinis Hoſpitalis Hieroſolymitani.

Commendat ei P. de Bellovicino.

Anno 1268 LIcèt fratres tuos caros omnes habere debeas, illos tamen ſpecialis amplecti te convenit brachiis caritatis, qui majoribus meritis adjuvantur, & ſedis apoſtolicæ gratiam non mediocrem meruerunt. Cùm igitur dilectus filius frater P. de Bello-vicino in officio cubicularii nobis fideliter & honeſtè ſerviverit, & in locis ſibi commiſſis à ſuis majoribus ſic ſe geſſerit, ut & nobis & tibi debeat eſſe gratus, eum tuæ prudentiæ ſpecialiter duximus commendandum, devotioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus pro noſtra & ſedis apoſtolicæ reverentia, ejus ſic curam habeas, ſic ei ad ejus promotionem intendas, quod & ipſius ſtudium ſemper in melius promoveatur, & nos exinde tibi ad plenioris favoris gratiam teneamur. Datum Viterbii IV. calendas Novembris anno IV.

EPISTOLA DCCVIII.

Fratri Philippo de Ægris ordinis hoſpitalis Jeroſolimitani.

Ut poſſit cum rege Siciliæ uſque ad paſcha remanere.

Anno 1268 LIcet dilectus filius magiſter & fratres hoſpitalis Jeroſolimitani ultra & circa mare poſiti de te graviter, quod utique nobis diſplicet, conquerantur; quia tamen filius noſter cariſſimus in Chriſto C. rex Siciliæ illuſtris tuam dicit ſibi præſentiam in Sicilia neceſſariam, datum tibi terminum uſque ad paſcha duximus prorogandum, niſi forſan interim eſſet inſula reformata, vel idem rex tale & tantum miſiſſet ſubſidium, ut ſecure poſſis ad ordinis tui negotia remanere. Datum Viterbii IV. calendas Novembris anno IV.

(a) Al. Producto tempore. (b) Al. Feltrano.

EPISTOLA DCCIX.

Regi Siciliæ.

Laudat fidelitatem comitis Thadæi & Malateſtæ de Veriolo, eoſque regi commendat.

NOta fides & probata devotio dilectorum filiorum virorum nobilium comitis TADÆI & Malateſtæ de Verolo, quam ſemper uniformiter ad Romanam habuerunt eccleſiam, in tua demùm (a) producit tempora, ſic à longis retroactis temporibus, ut ſicut matrem ſic & te filium ſpecialem puris mentibus proſecuti, genti tuæ ferventer aſtiterint & ſervierint affluenter, nec perſonis parcentes, nec rebus: ſed ſeipſos totaliter in tuis obſequiis exponentes. Sanè civitatem Ariminenſem & quaſdam alias in devotione hujuſmodi cum amicis ſuis, ut poſſunt, retinent & conſervant non ſine laboribus & periculis, quæ eiſdem ab infidelibus ingeruntur, & præſertim à Guidone de Monte (b) Felitano, qui Urbis vicarius extitit inurbanus, & cum Urbinatibus ſtratam publicam inſolenter impediens, multis viris fidelibus & penitus innocentibus in rebus nocuit & perſonis. Quocirca Serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus eos ad tuam præſentiam accedentes benignè recipias, amicabiliter audias, & eis inſuper etiam in prolixis ſermonibus, ſi eis uſi fuerint, amorem geras: ſed & quod propoſuerint ad impendendum eis conſilium & auxilium per viam quæ videbitur melior, favorabilem te eiſdem exhibeas & benignum. Romaniola ſiquidem ad conventiones quas habuiſti nobiſcum te aſtringere aliquatenus non videtur, & juvare commodè eos poteris, (c) Bononienſibus non offenſis. Sed & de celeri expeditione eorum ſpecialiter te rogamus, ne languere facias viros amabiles te ſequendo: qui licèt ſint nobiles, in mobilibus quæ libenter diſtribuuntur non abundant, juvandi potius dignis muneribus, quam ſumtibus ſupervacuis onerandi. Datum Viterbii III. calendas Novembris anno IV.

EPISTOLA DCCX.

J. SS. Coſmæ & Damiani diacono cardinali. (d)

Ut partes ſuas interponat in componenda controverſia inter epiſcopum Anagnienſem & Rainaldum Rubeum.

SI qua eſt inter venerabilem fratrem noſtrum Anagnienſem epiſcopum & dilectum filium Raynaldum Rubeum controverſia, ad pacem inter eos firmandam partes tuas viriliter interponas. Sed & ſcire te volumus cum Raynaldo prædicto, qui ſe offert ad ea quæ habet in caſtro de Titulis commutanda nobiſcum, vel nobis

(c) Al. Bene meritis. (d) Al. A.

vendenda, si malucrimus, quam in utraque via A poteris invenire, ut ad nos rediens finale verbum referas, ne citationis prolixitas nobis sit oneri, quam æquanimiter non ferremus. Datum Viterbii VIII. Idus Novembris anno IV.

EPISTOLA DCCXI.

Caroli Siciliæ regis ad Gregorium X. Papam.

De solutione census pro regno Siciliæ.

Anno 1268 *Ex Bisuntino S Vincentii ms.*

SAnctissimo in Christo Patri & Domino suo Domino Gregorio divina providentia sacro-sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo pontifici, Carolus Dei gratia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, almæ Urbis senator, Andegaviæ, Provinciæ, & Forcalquerii comes, Romani imperii per sanctam Romanam Ecclesiam in Tuscia vicarius generalis, devota pedum oscula beatorum

Diu est, clementissime Pater, quod perquisivi & indagavi sollicitè de tempore, quo vos de ultramarinis partibus recedentes, iter arriperetis ad partes Italiæ feliciter redeuntes, certificari desiderans, si apud aliquam civitatem in hujusmodi reditu moram aliquam disponeretis contrahere, ut certus atque securus clementiæ vestræ octo millia unciarum auri, censum annuum, in quo Ecclesiæ Romanæ ratione regni Siciliæ teneor, cum devotione & obedientia debita destinarem. Misi etiam jamdiu Jacobum de Gancelmo dilectum militem familiarem & fidelem ad vestram præsentiam, expresse injungens, ut me super præmissis, nec non & si per mare vel per terram essetis ad easdem partes Italiæ redituri, quam citiùs posset certificare curaret; & licèt idem Jacobus, considerato tempore quo à me recessit, potuerit, ut mihi videtur, me super his certum efficere, B nondum per eumdem Jacobum vel per aliquem alium scire potui de præmissis veritatem. Quapropter statim vestræ sanctitati supplico, quatenus benignè attendentes, si placet hujusmodi super mei negotii puritatem, mihi mandare dignemini, apud quem locum vultis quod vobis eumdem censum transmittam, habentes meam devotionem & obedientiam super eo quod censum ipsum in statuto termino, secundùm pacta C & conventiones inter eamdem Ecclesiam & me habita non transmuto, de consueta benignitate sedis apostolicæ excusatam, mihique apostolicas litteras ad hujusmodi excusationes meas necessarias concedentes: ita quod propter hoc pactorum & conventionum ipsarum transgressor non reputes, ac ex inde pœnam aliquam non incurram. Ego enim censum ipsum, quem vobis à me debitum prædicto termino transmisissem, si certus fuissem de loco apud quem potuissem illum misisse, jam in certo loco feci deponi, D vobis juxta vestræ voluntatis beneplacitum, cum filialis devotionis promtitudine celeriter transmittendum. Datum Neapoli anno Domini MCCLXXV. die XI. Julii, indictione III. regni mei anno decimo.





JOHANNIS
PAPÆ XXII.
PROCESSUS VARII
ADVERSUS LUDOVICUM BAVARUM IMPERATOREM ET EJUS ASSECLAS.

Ex ms. illustrissimi episcopi Montis-pessulani.

ADMONITIO PRÆVIA.

DEFUNCTO *anno* 1313. *Henrico VII. imperatore in Italia, quò cum exercitu adversus Robertum Apuliæ regem iter direxerat, altero post anno cum Francofurtum ad electionem novi Romanorum regis, qui ipsi succederet in imperio, convenissent principes penes quos jus eligendi residebat, vota sua duas in partes contulerunt. Petrus Moguntinensis archiepiscopus, Balduinus Trivirensis item archiepiscopus, Wolmarus marchio Brandeburgensis & Johannes rex Bohemiæ Ludovicum comitem Palatinum Rheni, ducemque Bavariæ in Romanorum regem elegerunt. Econtrario autem Henricus archiepiscopus Coloniensis, Rudolphus dux Saxoniæ, & Rudolphus comes Palatinus Rheni fraterque Ludovici Bavariæ ducis, suffragia sua in Fredericum Austriæ ducem converterunt. At qui nomine Wolmari marchionis Brandeburgensis absentis calculum suum Ludovico attribuit, Nicolaus Bookius miles, id per fraudem & contra marchionis mentem fecisse insimulatus est. Quippe Wolmarus votum suum Frederico conferri voluisse dicitur. Hinc nata immanis inter eos discordia, cum uterque electum se proclamaret ac pro electo se gereret. Ludovicum Balduinus Trevirensis archiepiscopus Aquisgrani, Fredericum Bonnæ Henricus Coloniensis argenteo diademate decoravit, primus qui non potuit, secundus ubi non debuit. Vacabat interim sedes apostolica, quam defuncto Clemente V.* 20. *Aprilis* 1314. *non ascendit Johannes xxij. nisi* 17. *Augusti* 1316. *quo Lugduni canonicè à cardinalibus electus est. Igitur uterque armis potius quam jure electionem propugnare visus est. Victoria non uno in conflictu penes Ludovicum cessit, qui etiam commisso prælio* Muldoff *inter &* Otinghen *in Bavaria Fredericum captum juri suo renunciare coëgit: id quod ad annum* 1323. *refert Johannes* Trithemius. *Cum autem summum pontificatum adeptus esset Johannes xxij. directis ad eum nunciis contendentium uterque electionis suæ atque adeo inaugurationis confirmationem ab eo postulavit. Verum cum in electione discordiam intervenisse animadvertisset Johannes, confirmatione dilata, utrique diem dixit, ut quidquid juris vel facti*

quisque pro se adduceret, à sede apostolica examinaretur, penes quam supremam in imperatores potestatem esse existimabat. Hanc procrastinationem ægrè tulit Ludovicus, gubernatores & vicarios in urbibus & provinciis Italiæ præposuit, ac per omnia se gessit ut imperatorem. His mirum in modum exacerbatus Johannes omnes Vicariatum Romani imperii in Italia usurpantes absque licentia sedis apostolicæ diris addixit, ac ne tale aliquid attentarent sub excommunicationis pœna prohibuit. Pontificis censuram sprevit Ludovicus, qui imperii potestatem non à papa, sed à solo Deo esse existimabat. Hinc graviori percussus ulcere Johannes, ne sedis apostolicæ jura sic pessumdata relinqueret; adversus imperatorem procedendum duxit, ac ni resipisceret eumdem ab imperio deturbare sibi proposuit. His minis nihil motus Ludovicus, sed audacior factus, jam sibi non minus adversus papam quam adversus Fridericum decertandum esse credidit. Rebus ita turbatis, Johannes ad Ludovici depositionem se accinxit, Ludovicus nefandissimo schismate alium sibi constituit pontificem fratrem Petrum de Corbario Ordinis Minorum quem Nicolaum cognominavit. Interim varios tam adversus Ludovicum, quam adversus sequaces processus fecit Johannes papa, varios adversus Johannem itidem Ludovicus. Hos Johannis xxij. processus cum in vetustissimo codice illustrissimi Joachimi de Colbert *episcopi Montis-pessulani reperissem, luce publica haudquaquam indignos existimavi. Ex his tamen nonnullos jam editos apud Odoricum Rainaldum & Abrahamum Bzovium reperies, verum aliquando magna sui parte truncatos. At cum hujusmodi processuum collectio unum aliquod historiæ corpus efficiat, ne qua vel levissima sui parte truncaretur, auctores mihi fuere amici mei, ut omnes nihilominus hic promulgarem.*

INDEX PROCESSUUM.

Processus contra usurpantes vicariatum imperii eo vacante. Si Fratrum & coepiscoporum nostrorum & aliorum quorumlibet.

Quod Bavarus desistat favere hæreticis & ecclesiæ rebellibus, & dimittat administrationem imperii, donec per Romanam Ecclesiam approbetur. Attendentes quoddam errori, &c.

Prorogatur declaratio pœnarum præcedentis processus contra Bavarum ad supplicationem nunciorum suorum. Dudum VIII. videlicet Idus mensis Octobris.

Denuntiatur excommunicatus Bavarus, quia non deseruit administrationem imperii, nec à fautoria resiliit hæreticorum & ecclesiæ Romanæ rebellium. Urget nos caritas sponsæ Christi.

Privatur Bavarus jure regni & imperii. Sicut ad curam.

Privatur Bavarus ducatu Bavariæ & feudis Ecclesiæ, & declaratur fautor hæreticorum, citaturque super diversis criminibus sententiam auditurus. Divinis exemplis.

Citatur Bavarus auditurus sententiam super hæresi. Quia juxta doctrinam.

Monetur Bavarus quod exeat Lombardiam. Ad speculatoris.

Citatur filius Bavari super usurpatione marchionatus Brandeburgensis. Olim contra Ludovicum.

Item executoria ipsius.

Privantur Marsilius & Johannes, ac excommunicati nunciantur & suspensi prælati ceteri Bavaro adhærentes. Dudum propter notorios.

Judicatur hæreticus Bavarus, & inhibetur generaliter & quibusdam communitatibus nominatim ne faveant sibi. Dudum volentes certis dubiis.

Judicantur hæretici Marsilius & Johannes. Licèt juxta doctrinam.

Mandatur prædicatio crucis, & datur impugnantibus Bavarum & sequaces ejus indulgentia plena. Ad publicam notitiam.

Processus alius indulgentiæ contra Bavarum magis succinctus. Ad tuam.

Mandantur communitates, quibus erat nominatim inhibitum, ne adhærerent Bavaro, denuntiari in pœnas & sententias incurrisse. Graves & detestandos.

Decernuntur irrita coronatio Bavari & alia circa ipsum & sequaces ejus præsumta. Dudum per facti evidentiam.

Monentur Romani quod expellant de Urbe Bavarum & sequaces ejus. Quamquam nobis.

Citatur Castrucius Lucanus Tyrannus super crimine hæresis sententias auditurus. Inter curas.

Privatur episcopatu Jacobus olim episcopus Castellanus. Dudum fama.

Indulgentia orantibus pro statu pacifico Ecclesiæ catholicæ. Discipulorum Christi.

Deponitur ab officio Michaël olim Generalis Minorum, & tam ipse quam Bonagratia & Okam pro contumacia excommunicantur. Dudum ad nostri apostolatus.

Processus contra mordentes constitutiones apostolicas. Quia nonnumquam.

Processus contra fratres Minores Saonenses super violatione interdicti apostolici in civitate Saonensi. Super nonnullis dignum prorsus.

Pronunciatur hæreticus & Schismaticus Petrus de Corbario. Adversus hominem illum.

Pronunciatur hæreticus Bavarus, quia tenet damnatam hæresim per constitutionem Cum inter. Ad communem notitiam.

Committitur archiepiscopo Mediolanensi, & ejus suffraganeis, & quibusdam abbatibus prædicatio crucis contra Bavarum in forma prima cum aliquibus specialitatibus additis. Ad publicam notitiam.

Declaratur

Declaratur hæreticus & schismaticus Michaël olim Minorum generalis minister. Ad nostri apostolatus.

Inhibetur ne quis Bavari vicariatum suscipiat, nec pro talibus se gerentibus intendat. Dudum perversis.

Johannes de Claromonte declaratur fautor hæreticorum, & privatur comitatu Moach & terris quas habebat in Sicilia & privilegiis apostolicis & imperialibus, & citatur super hæresi. Crescit facilè.

Citatur Bertholdus de Niffen super crimine hæresis, de quo propter fautoriam Bavari reddidit se suspectum. Cùm olim Bertholdus.

Pronunciatur Bertholdus de Niffen, & alii duo fautores hæreticorum, & irritantur quæ pro Bavaro egerunt in partibus Lombardiæ. Vineæ Domini.

Privantur Minores Saonenses privilegiis, &c. propter fautoriam Michaëlis olim generalis ministri. Ad nostri.

Responsio super tractatu pacis Bavari facta nunciis regis Bohemiæ & archiepiscopi Treverensis & Ducum Austriæ. Regiæ.

Recognitio & confessio eorum facta per fratrem Petrum de Corbario. Sicut de his.

Denuntiatur Bavarus aliis narratis processibus, in excommunicationis sententiam incidisse, ac pœnas in eis contentas incurrisse, & cassantur omnia per ipsum concessa vel donata, & præsertim quædam citatio per eum facta, & inhibetur universis prælatis nobilibus & aliis ne compareant, vel sibi in aliquo dicta die pareant, &c. Ad communem notitiam.

Privantur mendicantes Bavaro adhærentes privilegiis suis, circa sepulturas & aliis à sede apostolica concessis. Ad communem omnium.

Citantur super hæresi Guillelmus Okam, Bonagratia, & Henricus de Chalen ordinis fratrum Minorum cum certis protestationibus. Dudum sicut.

Citatur super eodem Bertholdus de Niffen. Dudum ad publicam.

Citatur iterato Jacobus episcopus Castellanus super eodem. Ad notitiam.

Citatur Johannes de Claromonte auditurus sententiam super crimine hæresis. Ad notitiam.

PROCESSUS

Contra usurpantes Vicariatum Romani imperii.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Si fratrum & coepiscoporum nostrorum & aliorum quorumlibet jura illibata servari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, & ad id libenter nostræ sollicitudinis studium adhibemus, multò fortius equidem pro nostris & Romanæ Ecclesiæ sponsæ nostræ juribus & honoribus conservandis ex injuncto nobis officii debito, apostolicæ provisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris usurpationis injuriam subeant, aut detrimentum cujusvis derogationis incurrant. Sanè in nostram & fratrum nostrorum deductum est, fama divulgante, notitiam, quod licèt de jure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcussè servatum, quod vacante imperio, sicut & nunc per obitum quondam HENRICI Romanorum imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum pontificem, cui in persona B. Petri terreni simul & cælestis imperii jura Deus ipse commisit, jurisdictio imperii prædicti devolvitur, ac illam absque alterius participio durante vacatione hujusmodi, per se vel per alium seu alios exercet in eodem imperio pleno jure: nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis & dignitatis fastigium illicitæ ambientes, in nostrum & sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ, quantum in eis est, præjudicium evidens, ac diminutionem honoris & juris, vicariatus seu alterius cujuscumque nomen officii, quod ipso imperatore vivente ex ipsius fortè commissione gerebant in certis terris, territoriis sive locis post decessum ipsius absque nostra vel apostolicæ sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi, & nonnulli etiam de novo assumere quod non gesserunt anteà temerariis ausibus præsumserunt: quo vel quibus adhuc non verentur abuti, ac sub ejus vel eorum colore multa facere & fecisse noscantur, quæ in nostram & Ecclesiæ prædictæ injuriam apertè redundant, non abhorrentes pro his variis involvi criminibus, nec divinæ majestatis formidantes offensam. Quia igitur error cui non resistitur approbari videtur, & latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit. Nos volentes nostris & ecclesiæ sponsæ nostræ juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis ac scandalis quæ ex usurpativâ retentione seu assumtione hujusmodi orta sunt hactenus, & quæ proculdubio se possent in antea suboriri, celeriter obviare, necnon periculis animarum hujusmodi retinentium & usurpantium nomina, & eis abutentium, ut præfertur, salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus sub excommunicationis pœna omnes & singulos cujuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant, etiamsi patriarchali, vel quavis alia superiori, aut pontificali vel regia, seu alia quacumque præfulgeant dignitate, qui post vacationem imperii absque nostra vel sedis prædictæ licentia, hujusmodi vicarii seu cujusvis alterius officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, seu assumserunt, & retinent, & sub talis denominationis pallio abusi sunt, & abutuntur potestate, vel jurisdictione quacumque, seu ejus exercitio publicè vel occultè, quatenus de cetero à denominatione hujusmodi aut nominis usurpatione seu retentione prædicti vel cujuscumque alterius, necnon usu, potestate, vel exercitio supradictis prorsus abstineant & omnino desistant. Inhibentes insuper sub pœna prædicta omnibus & singulis patriarchis, & prælatis, etiam aliis superioribus, & inferioribus, ac regibus, civitatibus, communitatibus, universitatibus, capitaneis, potestatibus, rectoribus, comitibus, vice-comitibus, baronibus & omnibus

aliis cujuscumque sint dignitatis, conditionis, A aut status, ne prædictos hujusmodi nomen vicarii, seu aliud quodlibet in eodem imperio retinentes, ut præfertur, aut usurpantes illicitè, vel eorum aliquem sub denominatione vel titulo hujusmodi nominum, seu procuratores, commissarios, judices, aut vices eorum gerentes, quocumque colore quæsito recipiant vel admittant, nec ut vicariis seu vicario aut officialibus imperii pareant vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant, nec in his B eis vel ei quomodolibet præstent auxilium, consilium vel favorem, alioquin in omnes & singulos patriarchas, prælatos, etiam superiores & inferiores, reges & ceteros denominatione prædicta, ut præmissum est, abutentes, ac illius prætextu assumentes quæcumque officia, potestates, jurisdictiones ac eorum exercitia, & in recipientes eos ut vicarios vel officiales imperii aut commissarios eorum, ut talium, & in parentes seu obedientes eis ut talibus, aut C præstantes in hoc sibi auxilium, consilium, vel favorem, nisi infra duorum mensium spatium à die datæ præsentium numerandum penitus resipuerint, vel se licentia sedis apostolicæ super hoc ostenderint communitos, excommunicationis in singulares personas & in terras & loca ipsorum, & quaslibet communitates, universitates, civitates, aut villas, interdicti sententias de fratrum nostrorum consilio publicè promulgamus, contra eos nihilominus spiritaliter & temporaliter gravius processuri, prout inobe- D dientia eorum exegerit, qualitas facti suaserit, & videbimus expedire. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos qui hujusmodi vicariatus nomen usurpantibus juramento fidelitatis tenentur astricti, à juramento hujusmodi quantum ad hoc de potestatis plenitudine absolventes, auctoritate apostolica firmiter inhibemus eisdem, ne talibus ut vicariis vel officialibus imperii aliquatenus pareant vel intendant. Et insuper omnes pactiones, obligationes & confœderationes & colligationes à E quibuscumque super hoc quomodolibet initas juramento vel quacumque alia firmitate vallatas, omnino dissolvimus, juribus vacuamus, irritamus, & quatenus de pacto processerint revocamus, ac hujusmodi & quælibet alia juramenta à quibuslibet super his præstita, per quæ posset in prædictis nostris & ecclesiæ prædictæ juribus derogari, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus. Ceterum ut hujusmodi processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes F eumdem in ecclesia Avenionensi appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod omnes & singuli quos processus ipse contingit & contingere potest, nullam postea possint excusationem prætendere, quod eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum vel occultum quod tam potenter omnibus publicatur. Actum Avinioni in domo episcopali II. calendas Aprilis.

PRIMUS PROCESSUS

Contra Bavarum quod resiliat à fautoria hæreticorum & rebellium Ecclesiæ, ut deserat administrare ac vocare se regem, donec per Ecclesiam approbetur.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Attendentes quod dum errori non resistitur, is ad quem resistere pertinet, illi ut cumque præsumitur consentire, quodque plerumque justitiæ opprimitur veritas, si defensionis opportunæ illi beneficium subtrahitur. Profectò nec errori damnabili consentire per resistentiæ negligentiam volumus, neque pati ob defectum opportunæ deffensionis præsidii justitiam opprimi sponsæ Christi. Dudum siquidem per obitum claræ memoriæ HENRICI Romanorum imperatoris imperio Romano vacante, principes ecclesiastici ac sæculares, ad quos translato ab olim per sedem apostolicam prædicto imperio de Græcis in personam magnifici CAROLI in Germanos, futuri Romani regis in imperatorem postmodum promovendi electio pertinebat, votis eorum in diversa divisis, duos, sicut dicitur, in discordia elegerunt: quibusdam eorum in dilectum filium magnificum virum LUDOVICUM Bavariæ, quibusdam verò in dilectum filium FREDERICUM Austriæ duces, nominando & eligendo ipsos in Romanos reges, dirigentibus discorditer vota sua. Verùm præfatus LUDOVICUS à nobis, ad quem suæ electionis hujusmodi sicut præmittitur, in discordia celebratæ, ac personæ ipsius examinatio, approbatio, & admissio: repulsio quoque & reprobatio noscitur pertinere, electione prædicta nequaquam admissa, nec ejus approbata persona, sicut notoria fama notoriat, & publica facti evidentia manifestat, non quærens, ut deberet, per ostium ad hujusmodi regni vel imperii conscendere dignitatis fastigium; sed potius aliunde, nescimus quo ductus spiritu, vel verius seductus consilio, præfati Romani regni nomen sibi & titulum regium usurpavit: quamvis priusquam alterutrius eorum per sedem apostolicam fuisset approbata vel reprobata persona, neutri electorum ipsorum assumere licuit nomen & titulum prælibatum, cùm nec interim Romani reges existant, sed in reges electi, nec sint habendi pro regibus, nec reges etiam nominandi. Idem etiam LUDOVICUS eumdem præsumto titulo non contentus, administrationem jurium regni & imperii prædictorum in gravem Dei offensam, & contemtum ac manifestam injuriam Romanæ Ecclesiæ matris suæ, ad quam ejusdem vacationis imperii regimen, sicut & impræsentiarum vacat, pertinere dignoscitur, necnon & plurimorum scandalum, & rei turbationem & læsionem publicæ, ac suæ animæ detrimentum prosilire, seque illi immiscere irreverenter ac indebitè

præsumsit hactenus & præsumit: exigendo & recipiendo sub præfato titulo regio fidelitatis in Alamanniæ & nonnullis Italiæ partibus tam à personis ecclesiasticis, quàm sæcularibus vassallis imperii per se & alios juramenta, ac de dignitatibus, honoribus & officiis ad ejusdem Romani regni seu imperii dispositionem spectantibus pro suo libito disponendo, sicut his proximis diebus præteritis de marchionatu Magdeburgensi quem .... primogenito suo de facto publice contulit, ordinavit: necnon alia plurima exercendo, quæ ad ejusdem Romani regni & imperii regimen non est dubium pertinere. Ejusdem insuper Ecclesiæ Romanæ, sicut Galeatio de vice-comitibus & ejus fratribus, quamvis sint de crimine hæresis à suis competentibus judicibus exigente justitia per diffinitivam sententiam condemnati, & nonnullis aliis præfatæ Ecclesiæ rebellibus se exhibere fautorem & defensorem contra dictam Ecclesiam, prosequentem adversus eosdem rebelles jura imperii & negotium fidei ipsius, in gravem divinæ majestatis injuriam, contemtum ejusdem Ecclesiæ, & animæ suæ perniciem non est veritus nec veretur. Nos itaque tam temerariis ausibus, ne mos tam perniciosus invalescat in posterum, obviare, ac prout apostolatus nostri spectat officium, justitiam sponsæ Christi in hac parte deffendere, dictumque LUDOVICUM à tam periculoso erroris devio ad veritatis callem reducere cupientes, ac considerantes quòd ad ejus præsentiam ad proponendum coram eo præsentialiter, per quæ posset & deberet retrahi à prædictis, nequaquam tutus patet accessus, quodque in præmissis formidatur, quod mora periculum, & dissimulatio damnum forent proculdubio allaturæ ad providendum super præmissis excessibus & obviandum eisdem, subscriptum modum de fratrum nostrorum consilio ac ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine eligentes, præfatum LUDOVICUM præsente fidelium multitudine copiosa; præsentium tenore monemus, eidem sub virtute sanctæ obedientiæ ac excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu hujusmodi monitioni nostræ paruerit, incurrere volumus ipso facto; auctoritate apostolica nihilominus injungentes, ut infra trium mensium spatium à data præsentium computandum, quos ei de eorumdem fratrum nostrorum consilio pro peremtorio termino assignamus, ab administratione, fautoria, & defensione prædictis, prorsus abstineat ac desistat, administrationem ipsam per se, vel alium, seu alios, non resumiturus ulterius, nisi tunc demùm cum, & si electionem suam hujusmodi, quæ de ipso dicitur celebrata, ac personam ejusdem, per sedem apostolicam approbari contigerit & admitti; quodque gesta per eum post præsumtum ab eo titulum memoratum circa præmissa, quatenus processere de facto, cum de jure non teneant, velut ab ipso cui jus faciendi non competebat, nec competit, attentata, curet infra prædictum terminum quantum patietur possibilitas, realiter revocare apertè: per præsentium seriem intimantes eidem, quod si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis, negligens fuerit vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in qua propter præmissos excessus notorios incidisse noscitur vel incidet in futurum, & alias quantum suadebit justitia, ejus non obstante absentia, procedemus. Universis insuper patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis personis ecclesiasticis quibuscumque sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipso facto, nisi post præscriptum terminum infra scriptæ inhibitioni nostræ efficaciter studuerint obedire; & tam ipsis quàm omnibus & singulis civitatibus, comitatibus & universitatibus, necnon personis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existant, etiamsi regali aut alia quacumque dignitate præfulgeant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum quæ ab Ecclesia vel imperio obtinent, districtius inhibemus, ne prædicto LUDOVICO in præmissis vel aliis regni seu imperii tangentibus regimen tamquam regi seu in regem Romanorum electo, nisi & quousque dictam electionem ac personam ipsius per sedem eamdem approbari contigerit, vel admitti, in aliquo pareant seu intendant: ne ve eidem in quibuscumque ad regimen prælibatum spectantibus præbeant auxilium, consilium vel favorem: non obstante, si ipsi vel eorum aliqui ad hoc se dicto LUDOVICO ut regi seu in regem Romanorum electo astrixerint per fidelitatis vel alterius cujuslibet generis juramenta: quæ quidem cùm præstita fuerint ei cui minimè præstari debuerunt, nec servari sine æternæ salutis valeant detrimento, præstantes eadem non astringunt: quæ nihilominus ad cautelam auctoritate apostolica relaxamus, illaque cassa & irrita nunciantes, decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus observanda. Seu si præfato LUDOVICO vel quibusvis aliis communiter vel divisim per litteras sedis ejusdem foret sub quacumque verborum forma vel expressione concessum, vel concederetur in posterum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possint: quas contra præsentem processum nostrum in nullo eis volumus suffragari; sed ipsas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex præmissis autem nos nequaquam intendimus nec volumus obligare, quin ad publicationem dictarum pœnarum & alias contra dictum LUDOVICUM possimus pendente hujusmodi dilatione procedere, prout justum fuerit, & nobis visum fuerit expedire. Ut autem hujusmodi processus noster ad ipsius LUDOVICI & aliorum quorum interest communem notitiam deducatur; cartas sive membranas processum continentes eumdem in Avinionensi ecclesia appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus ejusdem Ecclesiæ faciemus; quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ut idem

LUDOVICUS & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit vel quod ignoraverint eumdem, cùm non sit verisimile quod ad ipsos remaneret incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem & apostolica auctoritate decernimus, quod hujusmodi processus eumdem LUDOVICUM & alios supradictos apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset: constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione in palatio episcopali VIII. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno octavo.

SECUNDUS PROCESSUS

Ad supplicationem nunciorum Bavari differtur declaratio pœnarum & sententiarum quas incurrit ipse Bavarus favendo rebellibus, & administrationem ac titulum regia non deserendo juxta priorem processum.

Anno 1324

JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Dudum, VIII. videlicet Idus Octobris proximò præteriti contra magnificum virum LUDOVICUM ducem Bavariæ, pro eo quod post electiones tam de eo quàm de magnifico viro FREDERICO duce Austriæ in Romanorum reges electis in discordia celebratas, graves quin immò plurimum præjudiciales excessus contra Deum & Sanctam Romanam Ecclesiam temerè & notoriè perpetrarat, & perpetrare continuè præsumebat quemdam processum, convocata adhoc præsente multitudine fidelium copiosa, de fratrum nostrorum consilio duximus faciendum, & ut ad ejusdem LUDOVICI & aliorum quorum intererat communem & certam notitiam deferretur, patentes litteras bulla nostra munitas, processum continentes eumdem, fecimus in ostiis ecclesiæ Avinionensis affigi, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicarent, ut idem Ludovicus & alii quos processus hujusmodi contingebat, nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenisset, vel quòd ignorassent eumdem. Cujus processus tenor noscitur esse talis. JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Attendentes quòd dum errori non resistitur, &c. *usque in finem superioris processus de verbo ad verbum.* Postmodum verò dilecti filii, fratres Albertus *de Stratzburch* magnus præceptor ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolymitani per Alamaniam, nec non magister Ernestus *de Sebech*, archidiaconus Herbipolensis, & magister Henricus de Throno canonicus Pragensis ejusdem ducis Bavariæ nuncii, & in discordia, ut prædicitur, in regem Romanorum electi, ad sedem apostolicam venientes, ac coram nobis & eisdem fratribus IV. nonas præsentis mensis Januarii constituti, quamdam litteram patentem seu apertam, quodam sigillo ceræ albæ sigillatam, in cujus sigilli circumferentiis erat scriptum *Ludovicus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus*, ac in eodem sigillo erat quædam imago regia sedens in solio regiæ majestatis, tenens in manu dextra unam virgam, seu baculum, in summitate cujus erat una crux, & in manu sinistra unum pomum, in quo erat desuper una crux, exhibere curarunt, ac subsequenter II. nonas mensis ejusdem iidem nuntii coram nobis & eisdem fratribus in consistorio constituti, exhibuerunt quamdam supplicationem in pergameno conscriptam, cujus quidem litteræ tenor de verbo ad verbum talis est. « Nos LUDOVICUS Dei gratia Romanorum rex semper Augustus ad universorum quorum interest notitiam volumus pervenire, quod religiosos & honorabiles viros fratrem Albertum *de Siratzburch* magnum præceptorem ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolymitani per Alamanniam, nec non magistrum Ernestum *de Sebech* archidiaconum Herbipolensem, & magistrum Henricum de Throno canonicum Pragensem, familiares & secretarios nostros dilectos, exhibitores præsentium, nostros veros & in solidum procuratores legitimos & nuncios speciales fecimus & ordinavimus in his scriptis, ad inquirendum & sciendum apud Romanam curiam, an quidam processus nos, causas, & jura nostra contingentes per Sanctissimum in Christo Patrem & dominum nostrum dominum JOHANNEM divina providentia Summum Pontificem nuper in eadem curia, ut refertur, habiti sint & facti: quos nondum certa insinuatione & relatione constat in nostram notitiam devenisse. Et hoc comperto ad repræsentandum se in ejusdem domini nostri summi pontificis præsentia, petendum, & recipiendum nomine nostro ab eo cum reverentia & devotione dilationem termini competentis, in quo per solemnes procuratores & nuntios nostros sufficienter instructos in tam arduo negotio super expressis & contentis in ipsis processibus, ut dicitur, nos causas & jura nostra de jure possimus deffendere, & de justitia adjuvare, nostramque innocentiam declarare, maximè cum terminus, qui dicitur in eisdem processibus constitutus, ad tam arduum negotium, ex quo ad nos potuit pervenire arctus nimirum sit & brevis: dantes dictis procuratoribus & nuntiis nostris, & cuilibet eorum in solidum in præmissis & circa præmissa, & eorum quodlibet, plenam & liberam tenore præsentium facultatem. In cujus rei testimonium præsentes conscribi, & sigillo majestatis nostræ jussimus communiri. Datum apud *Noremberch* II. Idus Novembris anno Domini MCCCXXIIJ. regni verò nostri anno nono. » *Item* supplicationis prædictæ series de verbo ad verbum talis est. « PATER SANCTIS-

SIME ad mandatum S. V. in scriptis posuimus A ad quid venimus, & quid à S. V. petere debeamus. Dicimus igitur ex parte Domini nostri filii vestri, quod licèt paucis diebus elapsis ab aliquibus murmuraretur, & absque ulla tamen insinuatione certa referretur apud dictum dominum nostrum processus aliquos esse factos à S. V. ipsum ac jura sua & statum suum graviter contingentes: tamen Dominus noster prædictus nullatenus credere poterat, nec credebat, immò æstimabat æmulorum suorum esse figmenta, nec etiam verisimile reputabat, quod B sancta Romana Ecclesia taliter processisset, cùm numquam antea super his fuerit monitus vel citatus: ad cautelam tamen nos misit ad inquirendum & investigandum utrum contra ipsum, ut præmittitur processus aliqui facti essent; & si inveniremus eos esse factos, quod supplicaremus S. V. ut salvo in omnibus jure suo, daretis terminum aliquem competentem & decentem, inspecta locorum distantia, & maximè negotii arduitate considerata, infra quem domino nostro prædicto processus hujusmodi veritatem C referre possemus, ut ipse sibi ac juribus suis ipsum tangentibus de consilio suorum principum & procerum valeat super his, prout tenetur & debet, salubriter providere, & de informando S. V. plenius circa dictum processum & ipsum contingentia de ostendenda justitia sua, ac etiam innocentia sua circa dictum processum & ipsum contingentia, prout sibi videbitur expedire: necnon de reformando in statum debitum, si forsan in aliquibus excessisset. Igitur, Pater Sanctissime, cum invenerimus processus hujusmodi esse factos, supplicamus S. V. ex parte domini D nostri præfati humiliter & devotè, ut salvo in omnibus jure suo, terminum competentem, prout præmittitur, dare & concedere dignemini, cum dictus dominus noster intendat quantum in ipso est tamquam devotus filius, S. V. paternitatem & sanctam Ecclesiam, ut matrem revereri, & ipsam filiali obedientia pro posse adjuvare, defendere, & tueri. Terminum petimus sex mensibus longiorem. Nos igitur supra littera & prædicatione prædictis cum eisdem fratribus deliberatione præhabita diligenti, eosdem E nuncios VII. Idus ejusdem mensis Januarii coram nobis fecimus evocari, ac eisdem in nostra & dictorum fratrum præsentia in consistorio constitutis, taliter duximus præloquendum. Vidimus litteram patentem & supplicationem prædictas, quas in nostra & fratrum nostrorum præsentia exhibere curastis, & contenta in eis intelleximus diligenter, ac super illis cum eisdem fratribus deliberatione præhabita diligenti, attendentes, & ad majorem reducentes devotionem quam præfatus dux Bavariæ per alios nun- F cios suos ad præsentiam nostram hactenus destinatos, ejus litteras de credentia deferentes ad nos & sæpefatam Romanam Ecclesiam se gerere asserebat, & quod inter alia nonnumquam nobis obtulerat per nonnullos & nuntiis supradictis se paratum in Ecclesiæ prædictæ & nostrum obsequium contra rebelles Ecclesiæ ad partes accedere Lombardiæ, miramur quàm plurimum, & causa nobis justæ admirationis ingeritur, quomodo sic subitò nulla per nos data sibi occasione vel causa, in virum alterum sit mutatus: ipse namque in contemtum nostrum & magnam injuriam S. Matris Ecclesiæ se regem Romanorum intitulat, cùm de electo in discordia in Romanorum regem, sicut iste fuisse dicitur, à nullo sit in dubium revocandum, quòd ante approbationem seu admissionem electionis suæ per sedem apostolicam habitam, non debet tali nomine vel titulo appellari, quod utique dudum cùm de intitulatione duorum electorum in reges Romanorum controversia incidisset, per sedem eamdem auditis allegationibus partium in casu simili decretum extitit, deliberatione cum fratribus tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus præhabita diligenti: ac insuper dux prædictus Galeatio de Vice-comitibus ejusque fratribus de Mediolano rebellibus ejusdem Ecclesiæ, ac de hæresi per eorum competentes judices condemnatis, favere hactenus contra præfatam Ecclesiam non exponit, nec adhuc sicut audivimus à fautoria destitit eorumdem. A Ferrariensibus etiam, videlicet RAYNOLDO & OPIZONE natis dilecti filii nobilis viri ILDEBRANDI marchionis Estensis de labe pravitatis hæreticæ similiter condemnatis, ac rebellibus Ecclesiæ memoratæ ratione civitatis Ferrariensis fidelitatem & homagium præsumsit recipere, ipsisque favorem, consilium, & auxilium impendere, in nostrum & ejusdem Ecclesiæ magnum contemtum atque dispendium & præjudicium manifestum, cùm dictam civitatem Ferrariensem ejusque districtum ad plenum jus atque dominium & proprietatem ejusdem Romanæ Ecclesiæ pertinere noscatur. Administrationi etiam imperii se indebitè ac irreverenter immiscuit, donando de bonis ipsius, homagia recipiendo, & alia indebitè attentando, cùm tamen hujusmodi administratio, imperio prædicto vacante, prout ad præsens vacare dignoscitur, ad sedem pertineat memoratam, sicut hoc jure patet, consuetudine declaratur, & Romani Pontifices prædecessores nostri in casu vacationis imperii jure hujusmodi usi sunt, velut ad eos pertinente indubiè; sicut etiam nonnullis exemplis evidentibus patet. Nam felicis recordationis CLEMENS papa IV. prædecessor noster tempore suo existentibus duobus in Romanos reges electis, claræ memoriæ CAROLUM regem Siciliæ in Tuscia vicarium generalem constituit, qui prædictum officium exercuit diligenter. Similiter piæ memoriæ CLEMENS papa V. prædecessor noster in provinciis Lombardiæ & Tusciæ carissimum in Christo filium nostrum ROBERTUM regem Siciliæ illustrem vicarium ordinavit, cujus juris possessione vel quasi præfatus dux Bavariæ quantum in eo est, nos & dictam Ecclesiam indebitè ac præsumtuosè nimium spoliare conatur. Si igitur prædicta, nec non verba in dictis littera & supplicatione per vos exhibitis posita, quæ magis sunt ad turbationem irritantia, quàm ad mansuetudinem mentem intelligentis provocantia, vellemus attendere diligenter, nullum

vobis responsum dare utique deberemus, tamen A memores devotionis præteritæ dicti ducis, vobis præfatis nunciis de dictorum fratrum consilio breviter respondemus quòd cùm processus noster prædictus contra dictum ducem Bavariæ & electum ut prædicitur, factus ritè sit, & super notorio habitus, terminumque competentem contineat, infra quem ad ejus deduci, nisi per ipsum steterit, notitiam potuerit, ac à præsumtis per ipsum temerè etiam resilire, ipsaque quantum erat sibi possibile revocare, quorum neutrum constat ipsum fecisse per exhibita, sed B potius quod intendat illa, ut dicta scriptura asserit, excusare, ac de jure quod utique electo faciendi præmissa nequaquam competat, nec potest competere, se velle docere asserat, intendens per consequens excessus suos notorios minus providè defensare, non intendimus aliquid innovare ipsum tollendo, vel suspendendo, vel quoad impediendum effectum sententiarum in eo latarum, terminum, dilationem, & prorogationem aliquam concedendo: immò volumus eum quoad omnia contenta in ipso & C eorum effectu in suo pleno vigore atque robore permanere. Verum quia in dicto processu nos eidem apertè duximus intimandum quod si in præmissis in dicto processu contentis per omnia infra præfixum sibi ad terminum exequendis foret negligens, vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos excessus notorios inciderat vel incideret in futurum, & alias quantum suaderet justitia procederemus, ejus absentia non obstante, intendimus usque ad duos menses à data D præsentium computandos à publicatione pœnarum & processibus hujusmodi, ac ab aggravatione supersedere processus ejusdem, infra quos certificari possimus quid per eumdem circa præmissa extiterit reformatum. Per hoc tamen nos nolumus, nec intendimus nos aliquatenus obligare quin etiam eorumdem duorum mensium pendente termino, ad aggravationes dicti processus & alia possimus procedere contra ipsum, si & prout nobis pro conservatione virium & honoris ejusdem Ecclesiæ viderimus expedire. E Hanc igitur responsionem nostram providimus præsentibus annotandam, ut nullus eidem addere vel detrahere fortè præsumat, vel fingere quòd præmissorum obviet veritati. Et ut eadem responsio non solum ad ipsius ducis, sed ad communem omnium notitiam deducatur, litteras nostras bulla nostra munitas responsionem continentes eamdem in ejusdem Ecclesiæ Avenionensis appendi vel affingi ostiis faciemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam F nostræ responsionis, voluntatis & intentionis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Avenioni VII. Idus Januarii Pontificatus nostri anno VIII.



TERTIUS PROCESSUS.

Sententiæ excommunicationis latæ in dictum ducem Bavariæ discorditer electum in regem Romanorum.

Denunciatur excommunicatus Bavarus, quia primo processui de abjiciendo regium titulum, & resiliendo à fautoria rebellium Ecclesiæ non obedivit.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

Urget nos caritas sponsæ Christi, ut ejus jura volentibus præsumtuosis ausibus ac reprobis usurpare conatibus curemus opportunis remediis obviare. Angit insuper suscepti cura regiminis, ut quos timor Dei à violentiis & injuriis sponsæ præfatæ non retrahit, salutaris disciplinæ vigore retrahere satagamus. Hoc profectò dudum ad nostram & fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium fama divulgante deducto ad notitiam, quod nonnulli potestatis & dignitatis fastigium illicitè ambientes, vicariatus seu cujuscumque alterius nomen officii assumserant, seu assumebant in imperio quod tunc vacabat, sicut adhuc vacare dignoscitur, illudque absque nostra seu apostolicæ sedis petita licentia vel obtenta sibi retinere, seu de novo assumere temerariis ausibus præsumserant & etiam præsumebant, multaque sub ejus colore faciebant & fecerant, quæ in nostram & Ecclesiæ sponsæ Christi, ad quam regimen vacantis imperii pertinet, gravem injuriam & enorme præjudicium redundabant, ob zelum ejusdem Ecclesiæ nos inquietos, & in mirum anxios adeo reddiderunt, ut contra omnes & singulos, cujuscumque status, præeminentiæ, dignitatis aut conditionis existerent, etiamsi patriarchali vel quavis alia superiori aut pontificali, seu quacumque alia dignitate fulgerent, qui post dicti vacationem imperii absque licentia dictæ sedis hujusmodi vicariatus, seu cujuscumque alterius officii nomen sibi ubilibet usurparant, seu usurparent vel retinerent, & sub tali denominatione abusi erant seu abuterentur potestate vel jurisdictione quacumque, seu ejus exercitio publicè vel occultè, nisi infra duorum mensium spatium à data litterarum nostrarum super præmissis confectarum numerandum, à prædictis omnibus penitus desisterent & cessarent, vel licentia sedis ejusdem se super hoc munitos ostenderent II. calendas mensis Aprilis, Pontificatus nostri anno I. processus publicos continentes monitiones, prohibitiones, ac excommunicationis & interdicti sententias de eorumdem fratrum consilio faceremus. Et ut iidem processus ad communem omnium notitiam devenirent, cartas, sive membranas processus continentes eosdem in majoris ecclesiæ Avenionensis ostiis seu superliminaribus appendi fecimus & affigi. Hæc insuper his proximis die-

bus præteritis, videlicet VIII. Idus mensis Octobris proximè jam elapsi specialiter contra magnificum virum LUDOVICUM ducem Bavariæ in discordia in regem Romanorum electum, promovendum in imperatorem futurum, qui nullis privilegiis nullaque licentia sedis prædictæ, vel aliis munimentis legitimis, ex quibus sibi quomodolibet prædicta licerent, infra dictorum duorum mensium spatium seu postea per eum exhibitis vel ostensis, nec ejus electione admissa, nec approbata persona, sibi nomen regis Romanorum indebitè usurpavit, ac administrationem dictorum regni & imperii in ejusdem Ecclesiæ manifestam injuriam, plurimorumque scandalum, suæ & aliorum animarum periculum præsumtuosè ac perniciosè nimium se ingessit, nec non præfatæ Ecclesiæ rebellibus, sicut Galeatio de Vicecomitibus & ejus fratribus, quamvis essent de crimine hæresis per definitivam sententiam à suis competentibus judicibus, exigente justitia, condemnati, & nonnullis aliis perfidis Dei & Ecclesiæ prædictæ hostibus, se fautorem & defensorem exhibuerat contra dictam Ecclesiam, & adhuc exhibebat, procedere de eorumdem fratrum consilio compulerunt, ipsumque propter præmissos excessus per edictum publicum præsente multitudine fidelium copiosa monuimus, ei in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu hujusmodi monitioni pareret, incurrere voluimus ipso facto, auctoritate apostolica districtius injungentes, ut infra trium mensium spatium à data litterarum nostrarum super hoc confectarum computandum, quod ei de ipsorum fratrum consilio pro peremtorio termino duximus assignandum, ab administratione fautoria & defensione hujusmodi penitus abstineret, administrationem ipsam per se vel alium seu alios nullatenus resumturus, nisi si & quando electionem suam hujusmodi quæ de ipso celebrata dicitur, ac personam ipsius per sedem apostolicam approbari contingeret & admitti, quodque gesta per eum post resumtum ab eo memoratum titulum circa præmissa, quatenus processere de facto, cùm de jure non teneant, nec tenerent, velut ab eo cui jus non competebat, nec competit eadem faciendi, attentata, curaret infra dictum terminum, quantum sibi foret possibile, realiter revocare: apertè sibi nihilominus intimantes, quod si in præmissis per eum infra dictum terminum exequendis, negligens existeret vel remissus; nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos excessus notorios incidisse noscebatur, vel incideret in futurum, & aliàs quantum suaderet justitia procederemus, ejus absentia non obstante. Universis insuper Patriarchis, archiepiscopis & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere voluimus ipso facto, nisi infra dictum terminum hujusmodi nostræ inhibitioni efficaciter obedirent, & tam ipsis quàm omnibus & singulis civitatibus & comitatibus ac universitatibus, necnon personis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existerent, etiamsi regali, aut alia quacumque dignitate fulgerent, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum quæ ab Ecclesia vel imperio quomodolibet obtinerent, districtius duximus inhibendum, ne prædicto LUDOVICO in præmissis vel aliis regni seu imperii tangentibus regimen, tamquam regi seu in regem Romanorum electo, nisi & quousque dictam electionem & personam ipsius per sedem eamdem approbari contingeret & admitti, parerent in aliquo, seu intenderent quovis modo: neve eidem in quibuscumque ad regimen prælibatum spectantibus præberent consilium, auxilium vel favorem: non obstante si ipsi vel eorum aliqui se ad hoc dicto LUDOVICO ut regi seu in regem Romanorum electo astrinxissent per fidelitatis vel alterius cujuslibet generis juramenta: quæ cùm præstita fuissent, ei cui minimè præstari debuerant, nec præstantes ad eorum astringebant observantiam, nec astringant: quæ nihilominus ad cautelam auctoritate prædicta duximus relaxanda: seu si præfato electo vel quibuscumque aliis per litteras sedis ejusdem foret sub quacumque verborum forma vel expressione concessum, vel concederetur in posterum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possent, quas contra processum nostrum prædictum in nullo volumus suffragari. Voluimus insuper & apostolica auctoritate decrevimus quod dictus processus eumdem electum & alios supradictos apprehenderet & arctaret, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset: constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante. Et ut idem processus ad ejusdem electi & aliorum quorum interesset communem deduceretur notitiam, cartas sive membranas processum continentes eumdem in ostiis ejusdem Avenionensis ecclesiæ appendi fecimus seu affigi, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicarent, ut dictus electus & alii quos idem contingebat processus, nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenisset, vel quod ignorassent eumdem, cùm non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod esset tam patenter omnibus publicatum. Post hæc autem dilecti filii ALBERTUS de Siratzbruch magnus præceptor ordinis Hospitalis S. Johannis Jerosolymitani per Alamanniam, nec non magister ERNESTUS de Sebech archidiaconus Herbipolensis, & HENRICUS de Throno canonicus Pragensis ad sedem apostolicam personaliter venientes, ac coram nobis & eisdem fratribus nostris infra dictum terminum, videlicet IV. nonas mensis Januarii proximè præteriti, ejusdem LUDOVICI procuratorio nomine comparentes, super hujusmodi procuratione quamdam patentem litteram ejusdem LUDOVICI, ut asserebant, sigillo ceræ albæ sigillatam, in

cujus sigilli circumferentiis erat scriptum, LUDOVICUS *Dei gratia Romanorum rex semper Augustus*: ac in eodem sigillo erat sculpta quædam imago regia sedens in solio regio tenens in manu dextra sceptrum regale, in cujus summitate erat una crux, & in manu sinistra unum pomum, in quo similiter erat desuper quædam crux, exhibere curarunt. Quæ quidem littera in prima linea sic incipit: Nos LUDOVICUS *Dei gratia Romanorum rex semper Augustus. Ad universorum quorum interest notitiam volumus pervenire*, & continuatur in secunda, *quod religiosos & honorabiles fratres Albertum de Siratzburch magnum præceptorem ordinis Hospitalis S. Johannis Jerosolymitani.* Nona vero linea ejusdem litteræ incipit *Summi*, & decima quinta *tatem*, & in XVI. incipit *Nurembergh*, & finit *nostri*, & in ultima linea sunt duæ dictiones tantum, videlicet *anno nono*. Subsequenter verò II. videlicet nonas mensis ejusdem dicti procuratores coram nobis & eisdem fratribus exhibuerunt in consistorio quamdam supplicationem in scriptis specialiter continentem, per nos eorum domino aliquem competentem terminum & decentem indulgeri. Qua supplicatione diligentius intellecta, de ipsorum fratrum consilio duximus breviter respondendum, quòd cùm dictus processus noster contra dictum ducem ac electum ritè & super notorio esset factus, competentemque terminum contineret, infra quem ad ejusdem ducis seu electi, nisi per eum stetisset, deduci notitiam potuisset; & ipse à temerè præsumtis per eum resilire, ipsaque quantum erat sibi possibile potuerat revocare, non intendimus dictum processum tollere vel suspendere, vel quoad impediendum effectum sententiarum in eo latarum terminum prorogare: immo volebamus eum quoad omnia contenta in ipso & ipsorum effectum in suo pleno vigore atque robore permanere: hoc tamen salvo, quod intendebamus usque ad duos menses à data litterarum nostrarum confectarum super hoc computandos, à publicatione pœnarum, quas idem electus propter excessus prædictos incurrerat, & ab aggravatione processus hujusmodi abstinere, prout in litteris nostris inde confectis, quas, ut processus contentus in eis ad ipsius electi & omnium communem notitiam deveniret, in ejusdem Avinionensis ecclesiæ ostiis appendi similiter fecimus & affigi, plenius continetur. Quam quidem dilationem dicti procuratores cum gratiarum actionibus acceptarunt. Sanè quamvis præfati electi in non parendo prædictis nostris monitionibus & mandatis inobedientia pertinax, nec infra secundum terminum sibi super hujuscemodi dilatione concessum comparendo coram nobis per se vel procuratorem legitimum, nec etiam postea de benignitate sedis apostolicæ diebus pluribus expectati contemtus evidens exigant, scandalum quoque, pericula plurima, quæ profectò præmissorum dissimulatio, & impunitas, vel dilata justitia probabiliter comminantur, desiderent super præmissis contra dictum electum de remedio celeri per optimam & rigorosam justi-

A tiam provideri: Nos tamen adhuc volentes cum eodem electo uti potius mansuetudine quàm rigore, ac probare utrum mansuetudinis nostræ benignitas, ipsum à tam periculoso devio valeat, quod desideriis intensis appetimus revocare, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica per infra scriptum modum duximus ordinandum: videlicet quod ad publicationem sententiæ excommunicationis per nos, ut præmittitur, promulgatæ, in qua idem electus propter suam in præmissis inobedientiam & con-
B temtum incidisse dignoscitur, procedentes, ab aliarum pœnarum publicatione, in quas similiter incidit, supersedeamus ad præsens. Ideóque præfatum electum de ipsorum fratrum consilio, auctoritate apostolica, in prædictam excommunicationis sententiam incidisse, præsente hac multitudine copiosa fidelium, declaramus, ipsumque prædicta excommunicationis sententia innodatum, & velut excommunicatum, præter casus exceptos, evitandum ab omnibus
C nunciamus: eumque nihilominus astante prædicta multitudine copiosa fidelium per hoc præsens edictum publicum solenniter auctoritate prædicta monemus sibi auctoritate apostolica sub pœna privationis omnis juris, si quod sibi ex sua electione prædicta, quæ de ipso dicitur celebrata, vel ad regnum & imperium Romanum quoquomodo competit & posset competere, quam, si monitioni & mandato hujusmodi efficaciter non parebit, eum incurrere volumus ipso facto, districtius injungentes, ut infra trium mensium spatium à data præsen-
D tium in antea computandum, se regem Romanorum non intituletur, non denominet, nec describat, nec per alios faciat quantum in eo fuerit tali intitulari titulo, vel etiam nominari ab intitulatione & denominatione regali hujusmodi per eum indebitè usurpata, ac administratione regni & imperii prædictorum, & rerum ac jurium eorumdem denominationem, intitulationem & administrationem prædictas non resumturus ulterius, nisi si & quando personam ipsius & electionem quæ de ipso celebrata fuisse di-
E citur, per sedem eamdem approbari contigerit & admitti. A fautoria quoque & defensione tam dictorum hæreticorum Mediolanensium rebellium Dei & Ecclesiæ, quam Ferrariensium, videlicet RAYNALDI & OPIZONIS filiorum dilecti filii nobilis viri ILDEBRANDINI marchionis, qui quidem filii sunt de labe pravitatis hæreticæ condemnati, ac rebelles Ecclesiæ memoratæ, eorumque fautorum, valitorum, & sequacium prorsus abstinere procuret. Fidelitati
F etiam & homagio, quæ ratione civitatis Ferrariensis, quæ ipsius Romanæ Ecclesiæ pleni juris & proprietatis existit, præsumsit recipere ab eisdem, in nostrum & ejusdem Ecclesiæ magnum contemtum atque dispendium & præjudicium manifestum, publicè & omnino renunciet, illaque à se prorsus abjiciat, quasi numquam sibi præstita extitissent, nec ratione illorum aliquid penitus juris usurpet in civitate Ferrariensi prædicta ejusque districtu, vel civibus, aut districtualibus eorumdem; sed potius prædicta

prædicta omnia usurpata, præsumta & attentata, per ipsum sub denominatione & intitulatione prædictis, seu colore vel occasione ipsorum curet effectualiter infra dictum terminum, prout sibi possibile fuerit, solemniter ac publicè revocare ac parere in omnibus prædictis nostris monitis, inhibitionibus, & mandatis: nec non & ad ejusdem Ecclesiæ redire gremium studeat, satisfactionem debitam impensurus de offensionibus & injuriis supradictis, ac nihilominus infra dictum terminum quod prædicta omnia revocaverit, ac paruerit in eisdem omnibus hujusmodi nostris monitionibus, inhibitionibus, & mandatis plenariè cum effectu: nos per authenticas litteras vel instrumentum publicum certificare procuret, ac insuper infra dictum terminum per se vel procuratorem seu procuratores idoneos compareat coram nobis super dictis excessibus, offensionibus & injuriis, ac super pœna privationis juris, si quod sibi competit vel competiit ad regnum seu imperium supradicta, declaranda vel inferenda, necnon & pœnis aliis quibus excessus ac inobedientia & contemtus prædicti, eumdem electum obnoxium reddiderunt, diffinitivam sententiam, & beneplacitum quantum officium nostrum patitur auditurus, ac alias facturus & recepturus quod justitia suadebit. Hujusmodi verò terminum eidem electo de dictorum fratrum consilio ad præmissa & præmissorum singula peremtorium esse volumus, & pro peremtorio assignamus, apertiùs prædicentes eidem, quod nos ad præmissa conjunctim vel divisim, si neque venerit neque miserit, procedemus prout expedire viderimus, ejus absentia non obstante. Universos quoque patriarchas, archiepiscopos & episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, qui parere forsitan neglexerint nostris prædictis monitionibus, inhibitionibus, & præceptis, eidem duci tamquam regi seu in regem Romanorum electo parendo, obediendo, vel intendendo seu præstando quomodolibet per se vel alium seu alios auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè, auctoritate prædicta de ipsorum fratrum consilio declaramus, pœnam suspensionis ab officio & beneficio contra eos promulgatam in dictis nostris processibus incurrisse. Rursus eosdem patriarchas, archiepiscopos & episcopos, aliasque personas ecclesiasticas præsentium auctoritate monemus, tam sub excommunicationis, quam ipsos & eorum singulos contra inhibitionem monitionem ac mandata nostra hujusmodi temerè venientes, incurrere volumus ipso facto, quàm sub privationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis, ad quarum etiam inflictionem, contra non parentes procedemus, sicut viderimus expedire. Eisque districtius injungimus & etiam inhibemus expresse, ne ipsi vel eorum aliqui præfato duci tamquam regi seu in regem Romanorum electo in quibuscumque regni seu imperii prædictorum regimen seu administrationem tangentibus pareant, adhæreant quomodolibet, vel intendant, nec eidem per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, super prædictis præstent auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate prædicta decernentes, eosdem perinde ligari prædictis sententiis & astringi, ac si propriis eorum nominibus nominati essent specialiter & expresse; eis nihilominus prædicentes, quod contra eos ad privationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, nec non privilegiorum, & inhabilitationis ac pœnas alias procedemus, si contra monitionem, inhibitionem, & præcepta hujusmodi facere præsumserint vel venire. Et licèt contra civitates, communitates, universitates, & singulares personas alias, quæ in prædictis vel circa ea forsitan deliquerint, contra monitionem & inhibitionem nostram prædictas temerè veniendo, ad debitam impositionem pœnarum propter hoc fuisset meritò procedendum, tamen de apostolicæ sedis gratia adhuc providimus expectandum. Ideoque omnibus & singulis civitatibus, communitatibus, universitatibus, & personis singularibus quibuscumque, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existant, etiamsi regali aut alia dignitate quacumque præfulgeant, in virtute obedientiæ & sub excommunicationis in singulares personas, & interdicti in civitates, terras, & loca ipsorum, ac communitates & universitates prædictas, quas eas si contrarium fecerint incurrere volumus ipso facto: nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinent, pœnis & sententiis injungimus, ac districtius inhibemus, ne præfato electo in prædictis vel aliis dictorum regni seu imperii regimen vel administrationem quoquomodo tangentibus, tamquam regi seu in regem Romanorum electo, nisi si & cum dictam electionem ipsius admitti, ejusque personam per prædictam sedem apostolicam approbari contigerit, in aliquo pareant vel intendant, nec in præmissis vel ea quomodolibet tangentibus eidem adhæreant, aut præstent per se vel alium seu alios auxilium, consilium, vel favorem: alioquin contra eos vel illos ex eis qui contrarium attentare præsumserint, ad illationem harum pœnarum & alias procedemus, prout fuerit opportunum: nonobstantibus fidelitatis & quibusvis juramentis, per quæ ipsi vel eorum aliqui se dicto electo quomodolibet astrinxissent: ad quorum observantiam, cùm præstita fuerint ei cui minimè præstari debuerant, præstantes eadem nullatenus astringuntur: quæ nos etiam ad cautelam auctoritate apostolica duximus relaxanda: seu quibusvis privilegiis & indulgentiis præfato electo, aut quibusvis aliis, communiter & divisim, sub quacumque forma vel expressione verborum, ab eadem sede concessis, quæ sibi vel eorum alicui contra præsentem & alium processum nostrum super his habitum in nullo volumus suffragari. Confœderationes quoque, pactiones, & societates, si quæ inter ipsum & electum & quascumque civitates, communitates, universitates, aut singulares personas, cu-

jusćumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel status, etiamsi patriarchali aut alia superiori, pontificali vel regali, seu quavis alia præfulgeant dignitate, super prædictis vel ea tangentibus factæ seu initæ fuerint, sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectione, & juramentorum præstatione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallatæ, utpote in divinæ majestatis offensam, ac contra jura & honorem sanctæ matris Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ & periculum animarum præsumtas, decernimus nullas, cassas, irritas, & inanes, ac nullius existere firmitatis, & eas quatenus processere de facto revocamus, cassamus, irritamus, dissolvimus, & omnino viribus vacuamus. Juramenta insuper super hoc præstita de apostolicæ potestatis plenitudine relaxamus, omnes & singulos, qui confœderationes, pactiones, & societates hujusmodi cum dicto electo contra processus hujusmodi, post dictum terminum præsumserint observare, prædictas excommunicationis ac alias pœnas & sententias incurrere volumus ipso facto, contra eos gravius spiritualiter & temporaliter processuri, prout viderimus expedire. Ceterum prædictas suspensionum, excommunicationum & interdicti sententias sic firmiter, sicque inviolabiliter volumus observari, quòd absolvendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi tantum in mortis articulo, tam omnibus pœnitentiariis nostris, quàm quibuscumque aliis confessoribus generalibus vel specialibus, seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum, ubilibet consistentium, etiamsi eis à nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma absolvendi à sententiis hominis vel canonis, seu eas relaxandi, generalis vel specialis sit, vel fuerit concessa facultas, adimimus potestatem, absolutionem hujusmodi soli Romano pontifici reservantes. Quod si fortè eos vel eorum aliquem in prædicto mortis articulo absolvi contingeret, nisi sanitate recepta sedi apostolicæ, quàm primum commodè poterunt, se præsentaverint satisfacturi de præmissis juxta mandatum Romani pontificis, ipso facto in prædictam excommunicationis sententiam relabantur. Et ut præsens processus ad ejusdem electi & aliorum quorum interest communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem, in ejusdem Avenionensis ecclesiæ ostiis appendi vel affigi faciemus: quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt, ut prædictus electus & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerit, vel ignoraverint eumdem, cùm non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Ceterum volumus & auctoritate apostolica decernimus, quòd dictus processus præfatum electum & alios supradictos apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset: constitutione quacumque per prædecessores

A nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante, cùm ad ejusdem electi præsentiam pro eodem processu publicando & insinuando securus accessus non pateat, nec posset commodè singulorum quos tangit auribus inculcari. Datum Avinioni x. calendas Aprilis anno VIII.

QUARTUS PROCESSUS

B Privationis juris, si quod duci Bavariæ discorditer in regem Romanorum electo competiit, seu competebat in regno eodem.

Privatur Bavarus jure regni & imperii.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Sicut ad curam periti medici pertinet adhibere fomenta fortia cùm levia non prodesse cognoscit: sic profectò præsidentis officio congruit, cùm ad correctionem perversorum C inflictas pœnas non sufficere percipit, ut adjiciat graviores. Hinc per Psalmistam in chamo & freno maxillas illius constringere Dominus præcipit, qui ad suum præsidem, ejus non obediendo salutaribus monitis, appropinquare contemnit. Hæc utique circa personam viri magnifici LUDOVICI ducis Bavariæ in discordia in regem Romanorum electi nos servasse declarant evidentius quæ sequuntur.

D Dudum siquidem quod dictus dux Bavariæ in discordia in regem Romanorum promovendum in imperatorem electus discordi electione hujusmodi, per Ecclesiam Romanam, ad cujus examen personæ electi in regem Romanorum in imperatorem assumendi approbatio, & electionis admissio pertinet, electione hujusmodi non admissa, nec ejus approbata persona, nomen regis Romanorum indebitè usurpaverat, ac regni Romani & imperii administrationi se in ejusdem Ecclesiæ manifestam injuriam, plurimorum scandalum, E suæ & aliorum multorum animarum periculum, ac etiam contra processus nostros adversus talia præsumentes, excommunicationis & alias diversas spirituales & temporales pœnas & sententias continentes, factos antea & publicatos, nimis præsumtuosè & periculosè ingesserat, exigendo videlicet & recipiendo sub præfato titulo regio fidelitatis in Alemanniæ & nonnullis Italiæ partibus, tam à personis ecclesiasticis quàm sæcularibus vassallis imperii per se & alios juramenta, ac de dignitatibus, honoribus, & officiis ad ejusdem F Romani regni seu imperii dispositionem spectantibus pro suo libito disponendo, sicut diebus præteritis de marchionatu Brandeburgensi, quem primogenito suo de facto publicè contulit, ordinavit, & alia plurima exercendo, quæ ad ejusdem Romani regni & imperii regimen non est dubium pertinere. Nec non Ecclesiæ memoratæ rebellibus, sicut GALEATIO de Vicecomitibus ejusque fratribus de crimine hæresis à suis competentibus judicibus, exigente justitia, sententialiter & publicè condemnatis,

ac nonnullis aliis perfidis Dei & Ecclesiæ prædictæ hostibus, se contra ipsam defensorem exhibuerat & fautorem, & alia gravia commiserat: quæ nec non & alia plura quæ circa præmissa temerè præsumserat attentare, adeo erant notoria, quod nulla tergiversatione celari poterant, nec dissimulationis neglectu irreprehensibiliter incorrecta relinqui, certos processus per quos ipsum à deviis hujusmodi ad veritatis & justitiæ semitam reducere credebamus, de fratrum nostrorum consilio diversis temporibus fecimus contra eum. Primò namque, videlicet VIII. Idus mensis Octobris proximè jam elapsi, ipsum per edictum publicum præsente fidelium multitudine copiosa monuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu hujusmodi monitioni pareret, incurrere voluimus ipso facto, auctoritate apostolica, districtius sibi duximus injungendum, ut infra trium mensium spatium à die prædicta in antea computandum, quos ei ad hoc de ipsorum fratrum consilio pro peremtorio termino duximus assignandos, ab administratione, fautoria & defensione prædictis, penitus abstinere, administrationem ipsam per se vel alium seu alios nullatenus resumturus, nisi tunc demùm cum etsi electionem suam hujusmodi ac personam ipsius per sedem apostolicam approbari contingeret & admitti, quodque gesta per eum post resumtum ab eo memoratum titulum circa præmissa, quatenus de facto processerant, tùm de jure, velut ab eo cui jus non competebat eadem faciendi præsumta nullomodo tenerent, infra dictum terminum, quantum sibi foret possibile realiter revocaret. Apertè sibi nihilominus intimantes, quod si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens existeret vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter notorios memoratos excessus inciderat vel incideret in futurum, & alias quantum suaderet justitia procederemus, ejus absentia non obstante. Universis insuper patriarchis, archiepiscopis & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere voluimus ipso facto, nisi infra dictum terminum hujusmodi nostræ inhibitioni efficaciter obedirent: & tam ipsis quàm omnibus & singulis civitatibus, communitatibus, universitatibus, nec non personis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existerent, etiamsi regali aut alia quacumque dignitate fulgerent, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum, quæ ab Ecclesia vel imperio quomodolibet obtinerent, districtius duximus inhibendum, ne prædicto LUDOVICO in præmissis vel aliis regni seu imperii tangentibus regimen, tamquam regi seu in regem Romanorum electo, nisi & quousque dictam electionem & personam ipsius per sedem apostolicam approbari contingeret & admitti,

A parerent in aliquo seu intenderent quovis modo: neve eidem circa præmissa præberent auxilium, consilium, vel favorem. Qua dilatione pendente, dilecti filii ALBERTUS de Siratzburch magnus præceptor ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolymitani per Alamanniam, nec non magister ERNESTURP de Sebech archidiaconus Herbipolensis, & HENRICUS de Throno canonicus Pragensis ad sedem apostolicam personaliter venientes coram nobis & fratribus nostris videlicet IV. nonas mensis Januarii proximè B præteriti, ejusdem LUDOVICI procuratorio nomine comparere curarunt, fidemque de suo procuratorio facientes per quasdam patentes litteras ipsius electi, ut asserebant & prima facie apparebat, communitas sigillo: in cujus quidem sigilli circumferentiis legebatur: *Ludovicus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus. Ad universorum, &c.* Et subsequenter II. nonas mensis ejusdem procuratores ipsi in consistorio supplicarunt, per nos dicto eorum domino aliquem super præmissis competentem terminum indulgeri. Nos verò super hoc cum eisdem fra- C tribus diligenti deliberatione præhabita, & de ipsorum consilio, eisdem procuratoribus duximus respondendum, quòd quia dictus noster processus ad omnia & singula in ipso contenta sufficientem terminum continebat, ipsum in aliquo tollere vel suspendere nolebamus; sed illo in suo totali effectu atque robore permanente, non intendebamus usque ad duos menses tunc immediatè sequentes ad publicationem pœnarum, quas idem electus per excessus prædictos incurrerat, procedere, seu nostrum contra ipsum processum quomodolibet aggravare, D prout hæc in litteris nostris inde confectis plenius continebantur. Quam quidem dilationem dicti procuratores cum gratiarum actionibus acceptarunt: infra quos quidem duos menses præfatus electus nec per se coram nobis comparuit, nec aliquis alius pro eodem. Quamvis autem ejusdem electi, in non parendo nostris monitionibus & mandatis inobedientia pertinax, & ipsius infra prædictum secundum terminum, & postea etiam diebus pluribus expectati, coram nobis per se vel procuratorem le- E gitimum minimè comparentis, contemtus evidens ac scandalum & pericula plurima, quæ præmissorum dissimulatio & impunitas nec dilata justitia probabiliter minabantur, omnino exigerent super præmissis contra eumdem electum de remedio celeri mediante justitia provideri. Nos tamen experiri volentes utrum per viam mansuetudinis eum possemus à tam periculoso devio revocare, à publicatione seu impositione pœnarum, quibus se propterea obno- F xium reddiderat, præter excommunicationis sententiam per nos in eum, nisi nostris pareret monitionibus, ut præmittitur, promulgatam, contra ipsum de eorumdem fratrum consilio X. calendas Aprilis proximi præteriti astante multitudine copiosa fidelium declaravimus incurrisse, pro tunc duximus abstinendum. Sanè adhuc per adjectionem pœnarum aliarum cùm prædictam excommunicationis pœnam non suf-

ficere videremus, ipsum à tam periculoso devio revocare volentes, dicta die de fratrum eorumdem consilio, ipsum per nostrum edictum publicum solemniter auctoritate prædicta monuimus, sibique sub pœna privationis omnis juris, si quod ei ex sua electione prædicta ad dicta regnum & imperium competebat, quam si monitioni & mandato hujusmodi efficaciter non pareret, eum incurrere voluimus ipso facto, districtius ei duximus injungendum, ut infra trium mensium spatium, à dicta die in antea computandum, ab intitulatione & denominatione regali ejusmodi per eum indebitè usurpatis & ab administratione regni & imperii prædictorum ac rerum & jurium eorumdem penitus abstineret, se regem Romanorum non intitulando vel denominando, nec describendo ulterius, nec per se nec per alios quantum in eo foret, tali intitulari vel describi titulo seu nomine faciendo denominationem, intitulationem & administrationem prædictorum non resumturus ulterius, nisi si & quando electionem prædictam & personam ipsius per eamdem sedem approbari contingeret & admitti. A fautoria quoque & defensione tam dictorum hæreticorum Mediolanensium rebellium Dei & Ecclesiæ, quàm Ferrariensium, videlicet RAYNALDI & OPIZONIS olim Marchionum Estensium, de hæresi similiter condemnatorum ac rebellium Ecclesiæ supradictæ ipsorumque fautorum, valitorum, & sequacium omnino desisteret: nec non fidelitati & homagio, quæ ratione civitatis Ferrariensis ad plenum jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentis præsumserit, de facto ab eisdem recipere in nostrum & ejusdem Ecclesiæ magnum contemtum atque dispendium, & præjudicium manifestum, renunciaret omnino & publicè, ac à se illa prorsus abjiceret, quasi sibi numquam præstita extitissent; nec ratione illorum in civitate prædicta ejusque districtu, vel civibus ac districtualibus eorumdem aliquid juris præsumeret usurpare, sed potius prædicta omnia usurpata, præsumta & attentata per ipsum sub denominatione & intitulatione prædictis, seu colore vel occasione ipsorum curaret infra dictum terminum, prout foret sibi possibile, solemniter & publicè revocare, ac parere in omnibus prædictis nostris monitionibus & mandatis, ad ejusdem Ecclesiæ rediret gremium, de offensionibus & injuriis supradictis satisfactionem debitam impensurus. Et insuper postquam prædicta omnia revocasset, & paruisset in illis effectualiter & plenariè nostris monitionibus, inhibitionibus, & mandatis, nos de his omnibus infra prædictum terminum per litteras authenticas vel instrumenta publica certificare curaret, & nihilominus compareret infra eumdem terminum per se vel procuratorem seu procuratores idoneos coram nobis super prædictis excessibus, offensionibus & injuriis, & super pœna prævaricationis juris si quod sibi competebat vel competierat ad regnum seu imperium supradicta declaranda seu inferenda, nec non & pœnis aliis quibus excessus, inobedientia, & contem-

A tus prædicti eum obnoxium reddiderant, diffinitivam sententiam & nostrum beneplacitum, quantum nostrum pateretur officium auditurus, & aliàs facturus & recepturus quod justitia suaderet. Quem quidem terminum eidem electo de dictorum fratrum consilio ad præmissa & præmissorum singula peremtorium esse voluimus, & pro peremtorio duximus assignandum: eidem apertiùs prædicentes, nos ad præmissa conjunctim vel divisim, si neque veniret, neque

B mitteret, processuros, prout expedire videremus, ejus absentia non obstante. Præterea universos patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, ceterasque personas ecclesiasticas, quæ parere forsitan neglexerant nostris monitionibus, inhibitionibus, & præceptis contentis in processibus supradictis, eidem duci tamquam regi seu in regem Romanorum electo parendo vel obediendo, aut præstando per se vel per alium seu alios auxilium, consilium, vel favorem publicè vel occultè, incurrisse pœnam suspensionis ab

C officio & beneficio in eisdem promulgatam processibus de dictorum fratrum consilio declarantes eosdem monuimus, eisque tam sub excommunicationis, quam ipsos dictis monitionibus & inhibitionibus non parentes incurrere voluimus ipso facto, quàm sub privationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis, ad quarum inflictionem contra non parentes nos infallibiliter processuros prædiximus, prout expediens nobis videretur, districtiùs duximus injungen-

D dum, ac etiam inhibendum, ne ipsi vel eorum aliqui præfato duci tamquam regi vel in regem Romanorum electo super his quæ ad regnum vel imperium supradicta, aut eorum regimen & administrationem pertinent, quovis modo parerent, adhærerent, vel intercederent, seu præstarent per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, consilium, auxilium, vel favorem. Quibus pœnis & sententiis adeo ipsos ligari & astringi voluimus & decrevimus, ac si propriis eorum nominibus

E nominati fuissent specialiter & expressè. Et licèt contra civitates, communitates, universitates & singulares personas, quæ in prædictis & circa ea forsan deliquerant, ad debitam impositionem pœnarum fuisset meritò procedendum, de benignitate tamen sedis apostolicæ illas amplius expectantes, omnibus & singulis civitatibus, communitatibus, universitatibus, & personis singularibus cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existerent, etiamsi regali aut alia qualicumque dignitate

F fulgerent, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis in singulares personas, & interdicti in civitates, terras, & loca ipsorum, ac communitates & universitates prædictas, quas illas si contrafacerent incurrere voluimus eo ipso, nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum, quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, pœnis & sententiis injunximus districtiùs inhibendo, ne prædicto electo in præmissis vel circa ea

tamquam regi vel in regem Romanorum electo, A nisi si & cum electionem suam admitti, & personam suam per eamdem sedem approbari contingeret & admitti, parerent, vel intenderent, aut adhærerent, seu procurarent per se vel alium seu alios quoquo modo auxilium, consilium vel favorem: Nos ad illationem pœnarum hujusmodi & aliarum contra eos vel illos ex eis qui contrarium attentare præsumserint processuros sicut opportunum existeret, prædicentes, nonobstantibus fidelitatis & quibusvis B aliis juramentis, per quæ ipsi vel eorum aliqui dicto electo se quomodolibet astrinxissent, ad quorum observantiam veluti præstitorum ei cui minimè præstari debuerunt, jurantes hujusmodi nullatenus arctabuntur, quæ nos etiam ad cautelam in præfatis nostris processibus auctoritate apostolica duximus relaxanda: seu quibusvis aliis privilegiis & indulgentiis apostolicis sub quacumque forma verborum eidem electo, vel quibusvis aliis concessis, quæ sibi vel eorum C alicui contra processus nostros præfatos seu eorum aliquem noluimus in aliquo suffragari. Confœderationes quoque, pactiones & societates, si quæ inter ipsum electum & quascumque civitates, communitates & universitates, ac singulares personas, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel status, etiamsi patriarchali, vel superiori, aut regali, seu quavis alia dignitate fulgerent, super prædictis vel ea tangentibus factæ seu initæ fuerant, sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi D pœnarum adjectione, juramentorum protestatione, vel quacumque fuerant alia firmitate vallatæ, utpote in divinæ majestatis offensam, ac contra jura & honorem sanctæ matris Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ, & periculum animarum præsumentes, decrevimus nullas, cassas, irritas & inanes, ac nullius existere firmitatis; easque, quatenus de facto processerant, revocavimus, cassavimus, irritavimus, dissolvimus, & omninò viribus duximus vacuandas. Juramenta insuper super hoc præ- E stita relaxavimus de apostolicæ plenitudine potestatis. Omnes etiam illos & singulos, qui confœderationes, pactiones, & societates hujusmodi dicto electo contra processus hujusmodi post dictum terminum præsumerent observare, prædictas pœnas & sententias incurrere voluimus ipso facto, contra eos graviùs spiritualiter & temporaliter processuri, prout nobis expediens videretur. Ceterum prædictas suspensionis & excommunicationum ac interdicti sententias sic volumus inviolabiliter observari, quòd absolvendi ab eis, vel relaxandi easdem, nisi tan- F tùm in mortis articulo, tam omnibus pœnitentiariis nostris, quam quibuscumque aliis confessoribus generalibus vel specialibus, seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium, etiamsi eis à nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma absolvendi à sententiis hominis vel canonis, seu eas relaxandi generalis vel specialis facultas concessa fuisset, vel concederetur in posterum, ademimus potestatem, absolutionem & relaxationem hujusmodi soli Romano Pontifici reservantes. Quòd si forsan eos vel eorum aliquem in prædicto mortis articulo absolvi contingeret, nisi sanitate recepta sedi apostolicæ quamprimùm possent commodè se repræsentare curarent, satisfacturi de præmissis juxta mandatum Romani Pontificis, in prædictam excommunicationis sententiam reciderent ipso facto. Et ut præfati processus nostri ad ejusdem electi & aliorum quorum intererat communem notitiam devenirent, cartas sive membranas processus continentes eosdem, temporibus quibus facti fuerunt in Avenionensis Ecclesiæ ostiis appendi fecimus seu affigi, quæ ipso processus suoque sonoro præconio & patulo indicio prædicarent, ut prædictus electus & alii quos processus ipsi tangebant, nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos minimè pervenissent, vel quòd ignorassent eosdem, cùm non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter esset omnibus publicatum. Eosdem quoque faciendo processus auctoritate apostolica decrevimus, quòd processus ipsi præfatum electum & alios supradictos apprehenderent & arctarent, ac si eisdem personaliter publicati & insinuati solemniter extitissent, constitutione quacumque apostolica in contrarium edita non obstante, cum ad ejusdem electi præsentiam pro ipsis processibus publicandis & insinuandis eidem securus non pateret accessus, nec possent commodè singulorum quæ tangebant auribus inculcari.

Verum quia infra præfatum terminum mensium spatium eidem Ludovico ad deponendum titulum regium, & ab administratione regni & fautoria hæreticorum & rebellium prædictorum penitus abstinendum, nec non realiter & cum effectu quæcumque de facto cùm non potuisset de jure tamquam rex Romanorum gesserat quantum sibi foret possibile revocandum, nobisque & Ecclesiæ satisfaciendum de injuriis, offensis, & gravaminibus per præmissa nobis & eidem Ecclesiæ temerè irrogatis, ac de præmissis per authenticas litteras vel publicum instrumentum nos certiores reddendum, & hoc sub pœna privationis omnis juris, si quod ei ex sua electione prædicta ad dicta regnum & imperium competebat seu competierat, quam nisi præmissis pareret efficaciter, eum ipso facto incurrere voluimus, prout superiùs pleniùs continetur. Nec non & super dictis excessibus & injuriis, ac super pœna privationis prædicta declaranda seu inferenda, & pœnis aliis quibus excessus & inobedientia ac contemtus prædicti obnoxium eum reddiderunt, diffinitivam sententiam & nostrum beneplacitum audiendum, quantum nostrum pateretur officium, per nos peremtoriè assignatum, idem LUDOVICUS nec per se comparuerit, nec alius pro eodem, nec quidem prædicta impleverit infra prædictum terminum, cùm nec ea curaverit adimplere, sed potius pejora studuerit cumulare, nos per authenticas litteras vel instrumenta publica reddiderit certiores, licèt tunc meritò potuissemus contra

ipsum procedere, ejus proterva contumacia exigente; de benignitate tamen sedis apostolicæ ac de fratrum prædictorum consilio, ipsum usque ad diem præsentem hora consistorii duximus exspectandum. Cum itaque nec comparuerit, nec adhuc ipse compareat, nec aliquis alius pro eodem, de fratrum eorumdem consilio præfatum electum reputamus & declaramus meritò contumacem, ejusque contumaciam, tam non comparendo, quàm non etiam acquiescendo nostris superiùs expressatis salutaribus monitis & mandatis, continuatam auctamque considerantes attentè, ne deinceps plures trahat in sui erroris devium, ad quod sua tota ferri videtur intentio, & ne de tanta contumacia glorietur, si justitia ulteriùs differatur, omninò nos tam temerariis ausibus, tam periculosis excessibus, tamque obstinatæ malitiæ electi præfati otiùs cupientes occurrere, ne serò medicina ipsis procedentibus ulteriùs præparetur; attendentes quòd ad excessus hujusmodi perpetrandos gloria tituli regii quem sibi temerè usurpavit, incentivum sibi tribuit, ac in ipsis perseverandi fundamentum periculosè nimium subministrat. Hanc ad Dei honorem & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac totius Catholici populi quietem & pacem, ejusdemque electi salutem, prout & justitia exigit, amputare volentes, de fratrum ipsorum consilio, memoratum electum qui propter excessus notorios, contemtus quoque, ac superadditas obstinatas contumacias supradictas, tam in non comparendo sibi præfixis terminis, quàm in non parendo nostris salutaribus præceptis & monitis supradictis, prædictis regno & imperio reddidit multipliciter se indignum; quique propter suam perpetuam ambitionem & superbam proterviam à Deo ne regnet vel imperet est abjectus: ipsum Ludovicum Ducem Bavariæ omni jure, si quod sibi ex electione sua prædicta competere seu competiisse poterat, à Domino privatum denuntiamus & ostendimus, nosque ipsum jure præfato sententiando privatum declaramus & privamus, nihilominus ad cautelam, de benignitate sedis Apostolicæ & eorumdem fratrum consilio, supersedentes ad præsens à pœnis aliis quibus excessus prædicti ipsum reddiderunt obnoxium, cùm ad illas infligendas vel declarandas inflictas possemus procedere juxta tenorem nostrorum prædictorum processuum justitia mediante. Reservantes nobis procedendi ad pœnas ipsas infligendas seu inflictas declarandas conjunctim vel divisim, prout negotii qualitas exigit, ejusdemque LUDOVICI obedientia vel inobedientia suadebit & expedire viderimus plenariam potestatem.

Rursus universos patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, & eorum singulos, qui contra inhibitionem, monitionem & mandata nostra prædicta Ludovico præfato tamquam regi seu in regem Romanorum electo, in quibuscumque regni seu imperii regimen seu administrationem tangentibus paruerunt, vel adhæserunt quomodolibet, aut per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, super prædictis præstiterunt eidem auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate prædicta de ipsorum fratrum consilio declaramus pœnas suspensionis ab officio, ac excommunicationis sententias contra tales promulgatas in dictis nostris processibus incurrisse. Civitates autem, communitates, universitates, ac singulares personas illarum quæ in prædictis vel circa ea forsitan deliquerunt, contra monitiones & inhibitiones nostras prædictas, dicto Ludovico tamquam regi seu in regem Romanorum electo parendo, obediendo, vel eidem in præmissis parendo, per se vel per alium seu alios auxilium, consilium, vel favorem publicè vel occultè præstando, auctoritate prædicta de ipsorum fratrum consilio declaramus, civitates, communitates, & universitates prædictas interdicti, singulares verò personas excommunicationis sententiis subjacere.

Et quia si deinceps præfatus LUDOVICUS se regem Romanorum seu electum intitulare præsumeret, seu administrationi regni vel imperii se ingerere attentaret, ejus excessus & contumacia graviores existerent quàm ante præfatam nostram sententiam extitissent: Idcirco præsente hac fidelium multitudine copiosa, LUDOVICUM præfatum per hoc nostrum edictum publicum monemus, eidem nihilominus auctoritate apostolica districtiùs injungentes sub pœnis excommunicationis ac privationis feudorum quæ ab Ecclesia Romana vel aliis seu imperio obtinet, nec non & privilegiorum quorumcumque à sede apostolica vel Romanis imperatoribus eidem vel suis prædecessoribus, quatenus ejus commodum tangerent quomodolibet concessorum, ne deinceps se regem Romanorum vel electum intituletur, nec administrationi regni sui & imperii se immisceat seu ingerat quoquo modo. A fautoria quoque prædicta desistat realiter, nec illam ulteriùs reassumat, & quæ gessit vel fecit sub colore prædicti tituli regii temerè usurpati revocet, quantum erit sibi possibile, cum de jure non tenuerint, velut attentata ab illo cui jus non competiit faciendi, quæ & nos in nostris processibus aliis revocavimus, quatenus de facto processerint, ipsa cassa, nulla, & irrita declaramus. Quas pœnas & earum quamlibet ipsum incurrere volumus ipso facto, si præmissa contemserit contumaciter adimplere. Ipsumque nihilominùs citamus per hoc edictum publicum, ut Kalendarum Octobrium venturarum proxima vel sequenti die non feriata, si dies Kalendarum ipsarum fuerit feriata, quam sibi peremtoriam de eorum fratrum consilio assignamus, per se vel per procuratorem idoneum compareat coram nobis, sub pœnis aliis quibus excessus prædicti ipsum reddiderunt obnoxium, sententiam auditurus, & aliud facturus quod justitia suadebit. Prædicentes eidem quòd sive venerit, seu miserit, sive non venerit neque miserit, nos ad sententiam prædictam conjunctim vel divisim, prout expedire viderimus, absque citatione alia procedemus. Universis præterea Christi fidelibus cujuscumque conditionis, præeminentiæ, sive status existant, etiamsi dignitate patriarchali, pontificali, aut

alia superiori vel inferiori, seu etiam regali forsitan decorentur, nec non & aliis personis ecclesiasticis, sæcularibus, vel regularibus cujuscumque religionis aut ordinis, ducibus quoque, marchionibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, universitatibus civitatum, castrorum, ceterorumque locorum, & specialiter universis incolis & habitatoribus eorumdem regni & imperii Romanorum inhibemus & mandamus expresse, ne eidem Ludovico super his quæ ad administrationem regni vel imperii prædictorum pertinent, quoquo modo assistant, pareant, seu intendant, aut præstent eidem consilium, auxilium vel favorem, per se vel alium, publicè vel occultè, quacumque occasione quæsita, etiam prætextu alicujus hommagii, vel cujuscumque colligationis, confœderationis, societatis, seu cujusvis conventionis, aut ligæ contractæ antea, vel in posterum contrahendæ, etiamsi colligationes, confœderationes, societates & conventiones hujusmodi & alia supradicta, pœnarum adjectione, litterarum vel juramenti, seu cujuslibet alterius essent vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, societates, conventiones, ceteraque hujusmodi præmissa, quoad hæc de plenitudine dissolvimus potestatis. Juramenta super illis præstita, pœnasque propterea præmissas penitus relaxantes, ac universos & singulos qui eas contraxerant, se ad observantiam earumdem quantumcumque solemniter astringendo, ab ipsarum in præmissis observatione penitus absolventes. Specialiter autem incolis & habitatoribus eorumdem regni & imperii prohibemus expresse, ne dicto Ludovico vel alii pro eo, de redditibus, obventionibus, sive juribus regalibus, vel imperialibus, seu ratione regni vel imperii prædictorum aut dominii cujusvis per eum usurpati, in illis respondeant, vel aliam impendere sub quocumque velamine satisfactionem attentent. Alioquin omnes singulares personas cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis: terras verò & loca ipsorum nec non civitates, castra, villas, & loca quæcumque alia ubilibet constituta, & universitates ipsorum, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præsumerent, interdicti sententiis, quas ex nunc proferimus, decernimus subjacere. Non obstantibus quibusvis privilegiis & indulgentiis apostolicis præfato Ludovico seu quibusvis personis religiosis & sæcularibus ac aliis tam ecclesiasticis quàm mundanis, cujuscumque præeminentiæ, status, dignitatis, vel conditionis existant, etiamsi patriarchali vel majori, seu regali, aut alia quacumque præfulgeant dignitate: aut universitatibus, communitatibus, civitatibus, & locis aliis, communiter vel divisim, sub quacumque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis vel in posterum concedendis, etiamsi de illis totoque tenore ipsorum de verbo ad verbum specialiter & expresse oporteat fieri mentionem, quæ sibi vel eorum alicui contra præsentem processum vel aliqua contenta in ipso, in nullo volumus suffragari. Quæ quidem privilegia & indulgentias omninò quoad hæc volumus & decernimus viribus vacuari. Apertiùs nihilominùs prædicentes, quòd adversus hujusmodi præsumtores, & specialiter contra prælatos, religiosos, & alias ecclesiasticas personas, nec non marchiones, duces, comites, barones, incolas, habitatores, civitates, castra, villas, loca, & universitates ipsorum ad infligendum pœnas contra tales in præfatis nostris processibus contentas & comminatas, seu declarandum inflictas, videlicet privationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum, personarum ecclesiasticarum ipsarum, privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium earumdem personarum ecclesiasticarum, etiam civitatum, castrorum, villarum, & locorum, universitatum quoque ipsorum ac feudorum quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis obtinent, & alias spiritualiter & temporaliter quando & sicut facti qualitas suadebit, aut expediens putabimus, absque citatione aut monitione alia procedere curabimus, divina gratia præeunte. Porrò cùm nostri Salvatoris exemplo conversionem peccantium, quorum non perditionem sed salutem quærimus, affectemus, universas & singulas personas ecclesiasticas & mundanas, cujuscumque præeminentiæ, ordinis, dignitatis, conditionis aut status, & communitates quæ forsan præfato Ludovico tamquam regi seu in regem Romanorum electo, adhærendo, obediendo, & intendendo, seu consilium, auxilium, vel favorem præstando, directè vel indirectè, publicè vel occultè, in his quæ ad regimen seu administrationem pertinent regni seu imperii prædictorum, vel aliud quidquam contra tenorem dictorum processuum temerè attentando, pœnas & sententias contentas in eisdem processibus propterea incurrissent, per hoc edictum publicum monemus & hortamur in Domino, ut infra dictas Kal. Octobris à prædictis adhæsione, obedientia, consilio, auxilio, & favore resilientes & resipiscentes omninò, non parituri vel adhæsuri eidem ulteriùs quomodolibet in præmissis, ad gremium & mandata sanctæ matris Ecclesiæ cum effectu & sine cujuscumque fictionis velamine redire procurent, quo casu per opportunæ absolutionis remedium, illorum cupientes benignè providere saluti, metropolitanis eorum absolvendi eosdem à memoratis pœnis & sententiis, recepta primitùs ab ipsis resipiscentibus cautione juratoria de ulteriùs non parendo contra dictos processus, & sententiam hujusmodi præfato Ludovico, nec præstando super prædictis auxilium, consilium, vel favorem; plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus tamen quòd super absolutionibus & cautionum receptionibus prædictarum metropolitani præfati duo confici faciant publica vel authentica munimenta, quorum altero penès se retento, reliquum nobis fideliter mittere, nosque de illis per suas patentes litteras certiores efficere non omittant. Si verò aliquem vel aliquos taliter absolutos, forsan, quod absit, continget in errores pristinos vel

aliquem eorumdem relabi contra processus & sententiam memoratos, & contenta in eis, temerariis ausibus veniendo, illos in easdem pœnas & sententias recidere decernimus ipso facto, à quibus postquam, ut præmittitur, recidissent, per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi dumtaxat in mortis articulo, liberari nequeant vel absolvi. Adimentes tam prædictis metropolitanis, quàm quibusvis aliis, juxta prohibitionem præcedentium nostrorum processuum omnimodam super hoc potestatem. Licèt autem ex præsumtuosis & indebitis usurpationibus, injuriis, inobedientiis, culpis, & excessibus prædicti Ludovici, quadam necessitate compulsi fuerimus procedere taliter contra eum, nequaquam tamen nostræ intentionis extitit, nec existit, juri principum ecclesiasticorum vel sæcularium ad quos electio Romani regis in futurum imperatorem promovendi spectare noscitur, per processus nostros, seu aliqua contenta in eis, in aliquo derogare; immò illud omninò eis illibatum volumus reservari.

Ut autem processus noster hujusmodi ac omnia & singula in eodem contenta, ad præfati Ludovici, & omnium aliorum quorum interest, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in Ecclesiæ Romanæ appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut idem Ludovicus & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem & apostolica auctoritate decernimus, quòd hujusmodi processus præfatum Ludovicum & alios quos contingere dinoscitur apprehendat & artet, ac si eisdem personaliter & singulariter publicatus & intimatus solemniter extitisset: constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Datum Avenione v. Id. Julii, Pontificatus nostri anno octavo.

QUINTUS PROCESSUS.

Privationis Ducatus Bavariæ, & omnis juris si quod ei in eodem Ducatu competebat, & omnium feudorum Ecclesiasticorum & Imperialium.

Privatur Bavarus Ducatu Bavariæ ac feudis Ecclesiasticis & Imperialibus, ac declaratur fautor hæreticorum, citaturque super diversis criminibus sententiam auditurus.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Divinis exemplis informamur, ut perversorum continuata nequitia, pœnas pœnis curemus adjicere, ut sic saltem ipsos à suæ vesaniæ ausibus & proterva contumacia retrahere satagamus. Hæc utique utilitas publica postulat, cujus interesse noscitur, ne per impunitatem excessuum ad similia invitentur aliqui, ac per eamdem fiant qui nequam fuerant nequiores. Sanè dudum ad nostri apostolatus auditum, fama seu potius infamia divulgante, perducto, quòd LUDOVICO de Bavaria, qui in regem Romanorum ab una parte principum, ad quos dicti regis electio pertinet, in discordia dicebatur electus, ejus electione à nobis, ad quem electionis hujusmodi ac personæ electi examinatio, approbatio, & admissio, repulsio quoque & reprobatio noscitur pertinere, nequaquam admissa, nec ejus approbata persona, non quærens, ut deberet, per ostium ad hujusmodi regni seu imperii conscendere dignitatis fastigium, sed potiùs aliunde, nomen sibi & titulum regium in nostrum & Ecclesiæ Romanæ contemtum & præjudicium, temerè usurpavit, administrationi jurium regni & imperii prædictorum se ingerere, in gravem Dei offensam ac manifestam injuriam sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris suæ, ad quam ejusdem imperii regimen, vacationis ejusdem tempore, sicut & tunc vacabat, & impræsentiarum vacat, pertinere dinoscitur, nec non & plurimorum scandalum, turbationem & læsionem reipublicæ, ac suæ detrimentum animæ, se præsumserat indebitè immiscere, exigendo & recipiendo sub præfato titulo regio fidelitatis in Alamanniæ & nonnullis Italiæ partibus, tam à personis Ecclesiasticis quàm sæcularibus, vassallis imperii, per se & alios juramenta, ac de dignitatibus, honoribus, & officiis ad ejusdem Romani regni sui imperii dispositionem spectantibus, pro suo libito disponendo, sicut patet de marchionatu Brandeburgensi, quem suo primogenito de facto offerre præsumsit; nec non & alia plurima exercendo, quæ ad ejusdem Romani regni & imperii non est dubium pertinere. Et insuper intellecto quod idem LUDOVICUS GALEATIO de Vicecomitibus de Mediolano & ejus fratribus de crimine hæresis à suis competentibus judicibus, exigente justitia, per diffinitivam sententiam condemnatis, nec non & nonnullis aliis Ecclesiæ Romanæ rebellibus, se fautorem & defensorem contra dictam Ecclesiam exhibebat. Nos tam temerariis ausibus obviare, dictumque LUDOVICUM à tam periculoso erroris devio ad veritatis callem reducere cupientes, considerantesque quòd ad ejus præsentiam, ad sibi proponendum præsentialiter per quæ posset & deberet à prædictis retrahi, nequaquam tutus patebat accessus, quódque circa præmissa formidabatur probabiliter fore mora periculum, & damnum dissimulatio allaturæ, ad providendum & obviandum malis hujusmodi, de fratrum nostrorum consilio & ex certa scientia ac de apostolicæ plenitudine potestatis, præfatum LUDOVICUM, præsente fidelium multitudine copiosa, monuimus, eidem sub virtute sanctæ obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu hujusmodi monitioni nostræ pareret, incurrere voluimus ipso facto, eidem auctoritate apostolica

lica nihilominus injungentes, ut infra trium mensium spatium, à die monitionis hujusmodi computandum, quos ei de eorumdem fratrum consilio pro peremtorio termino duximus assignandos, ab administratione, fautoria & defensione prorsus desisteret supradictis, administrationem ipsam per se vel alium nequaquam resumturus ulteriùs, nisi tunc demum cum etsi electionem ejus, quæ de ipso celebrata dicebatur, & persona ejusdem per sedem apostolicam approbari contingeret & admitti; quodque gesta per eum sub prædicto regio titulo in præmissis, quatenus de facto processerant, cum non tenerent de jure, velut ab ipso cui jus faciendi minimè competebat, nec competere poterat, attentata curaret infra prædictum terminum, quantum pateretur possibilitas, realiter revocare, eidem apertiùs intimantes quòd si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis foret negligens vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos notorios excessus inciderat, vel infra præfatum incideret terminum & aliàs, procederemus quantum suaderet justitia, ejus absentia non obstante. Qua dilatione pendente, ALBERTUS de Siratzburch tunc magnus præceptor ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolimitani per Alamanniam, nec non dilecti filii magister ERNESTURP de Sebech archidiaconus Herbipolensis, ac HENRICUS de Trono canonicus Pragensis, ejusdem Ludovici procuratores procuratorio nomine coram nobis & fratribus nostris comparere curarunt, fidem de suo procuratorio facientes per quasdam patentes literas ipsius Ludovici, ut asserebant & prima facie apparebat, communitas sigillo. In cujus quidem sigilli circumferentiis erat scriptum, *Ludovicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus*: & consequenter procuratores ipsi nobis & fratribus nostris constitutis in consistorio supplicarunt, per nos dicto eorum Domino sex mensium super prædictis terminum indulgeri. Nos verò super hæc cum eisdem fratribus diligenti deliberatione præhabita, & de consilio eorumdem, eisdem procuratoribus duximus taliter proloquendum. Attendentes & ad memoriam reducentes devotionem quam præfatus Ludovicus per alios nuncios suos ad præsentiam nostram hactenus destinatos ejus literas de credentia deferentes, ad nos & sæpè fatam Romanam Ecclesiam se gerere asserebat, quodque inter alia nobis obtulerat per nonnullos ex nunciis supradictis se paratum in Ecclesiæ & nostrum obsequium contra rebelles ipsius Ecclesiæ, ad partes accedere Lombardiæ, mirabamurque plurimum, quomodo se subito, nulla per nos sibi data occasione vel causa, esset in virum alterum transmutatus, cùm ipse in contemtum nostrum & magnam injuriam sanctæ matris Ecclesiæ se regem intitularet Romanorum, quia de electo in discordia in Romanorum regem, sicut ipse dicebatur fuisse, à nullo foret in dubium revocandum, quod ante approbationem seu admissionem electionis suæ per sedem apostolicam habitam, non debeat tali nomine vel titulo nuncupari, quod utique dudum cùm de intitulatione duorum electorum in reges Romanorum controversia incidisset, per sedem eamdem auditis allegationibus partium, & deliberatione cum tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus præhabita diligenti, decretum extiterit regem illorum neutrum, quousque alterutrius electio admissa existeret, appellandum. Quodque LUDOVICUS prædicto Ludovico de Vice-comitibus ejusque fratribus de Mediolano, aliisque hæreticis & rebellibus dictæ Ecclesiæ superiùs nominatis hactenus contra præfatam Ecclesiam fuerat, & alia contra ipsam Ecclesiam commiserat superiùs expressata; administrationi verò imperii se indebitè præsumserat immiscere, homagia tam in Alemania, quam in Italia; à Vassallis imperii recipiendo temerè, & alia indebitè attentando: cum tamen, imperio vacante prædicto, prout tunc vacabat, & adhuc vacare dinoscitur, ad sedem hujusmodi administratio pertineat memoratam, quo jure prædecessores nostri usi fuerant sicut exempla sequentia manifestant. Felicis namque recordationis CLEMENS papa IV. prædecessor noster, cùm suo tempore duo existerent in reges Romanos electi, claræ memoriæ CAROLUM regem Siciliæ imperii vicarium constituit generalem, qui prædictum officium exercuerat diligenter. Similiter piæ memoriæ CLEMENS papa V. prædecessor noster in provinciis Lombardiæ & Tusciæ carissimum in Christo filium nostrum ROBERTUM regem Siciliæ illustrem vicarium ordinarat; cujus possessione vel quasi præfatus Ludovicus, quantum in eo erat, nos conabatur & dictam Ecclesiam indebitè spoliare. Si igitur prædicta, nec non & verba in dictis litera & supplicatione ipsorum posita, quæ magis erant ad turbationem irritantia, quam ad mansuetudinem inductiva, vellemus attendere diligenter, ejus nuntiis responsum aliquod non daremus, sed memores devotionis præteritæ Ludovici prædicti, eisdem procuratoribus & nuntiis de dictorum fratrum consilio breviter duximus respondendum, quod cum processus noster prædictus contra dictum LUDOVICUM ritè factus existeret, & super notorio habitus, terminum quem competentem continet, infra quem ad ejus deduci, nisi per ipsum stetit, notitiam potuerit, ac à præsumtis per eum temerè etiam resilire, ipsaque quantum erat sibi possibile revocare, quorum neutrum constet ipsum per exhibita complevisse; circa edictum prædictum non intendebamus aliquid innovare, ipsum tollendo vel suspendendo, vel quoad impediendum effectum sententiarum in eo latarum terminum, dilationem vel prorogationem aliquam concedendo; immo volebamus eum quoad omnia contenta in ipso & ipsorum effectu in suo pleno vigore atque robore permanere. Verum quia in dicto processu nos eidem apertè duximus intimandum, quod si in præmissis in dicto processu contentis, per omnia infra præfixum sibi ad hoc terminum exequendis, foret negligens vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos excessus no-

torios inciderat, vel incideret in futurum, & alias quantum suaderet justitia procederemus, ejus absentia non obstante; intendebamus usque ad duos menses à die responsionis prædictæ computandos, à publicatione pœnarum, & processibus hujusmodi, ac ab aggravatione supersedere processus ejusdem, intra quos certificari possemus quid per eumdem circa præmissa existeret reformatum. Quam quidem dilationem dicti procuratores & nuntii LUDOVICI prædicti cum gratiarum actionibus acceptarunt. Et ut eadem responsio non solùm ad ipsius Ludovici, B sed ad omnium communem notitiam perveniret, litteras nostras bulla nostra munitas, responsionem continentes eamdem, in Ecclesiæ Romanæ ostiis appendi fecimus & affigi. Et licet infra duos menses prædictos LUDOVICUS præfatus per se nequaquam comparuerit coram nobis, nec aliquis alius pro eodem, nec postea diutiùs expectatus: propter quod evidens ejusdem LUDOVICI in non comparendo contemtus & inobedientia pertinax in non parendo nostris monitionibus & mandatis, ac scandala C & pericula plurima, quæ præmissorum impunitas & dilata justitia probabiliter minabantur, super præmissis exigerent contra eumdem de remedio celeri, mediante justitia, provideri: Nos tamen adhuc experiri volentes utrum per viam mansuetudinis ipsum possemus à tam periculoso devio revocare, à publicatione seu impositione pœnarum quibus se propterea obnoxium fecerat, præterquam excommunicationis sententiæ per nos in eum, nisi nostris pareret monitionibus, ut præmittitur, promulgatæ, du- D ximus abstinendum. Quam quidem excommunicationis sententiam eumdem LUDOVICUM, de eorumdem fratrum consilio, astante multitudine copiosa fidelium, declaravimus incurrisse, & nihilominus cum prædictam excommunicationis pœnam non sufficere videremus, ipsum per adjectionem pœnarum aliarum à tam perniciosо devio revocare volentes, dicta die de fratrum eorumdem consilio ipsum Ludovicum per nostrum edictum publicum solemniter monuimus, & auctoritate prædicta sibi sub pœna E privationis omnis juris, si quod ei ex sua electione prædicta, ad dicta regnum & imperium competebat, quam si monitioni & mandato hujusmodi efficaciter non pareret, eum incurrere voluimus ipso facto, eidem districtiùs duximus injungendum, ut infra trium mensium spatium à dicta die in antea computandum, ab intitulatione & denominatione regali hujusmodi per eum indebitè usurpatis, & administratione regni & imperii prædictorum, ac rerum & ju- F rium eorumdem penitùs abstineret, se regem Romanorum non intulando, nec denominando, nec describendo ulteriùs, nec per se nec per alios, quantum in eo foret tali intitulari vel describi titulo seu nomine, faciendo denominationem & intitulationem prædictas, & administrationem prædictam non usurpaturus ulteriùs, nisi si & quando electionem prædictam & personam ipsius per eamdem sedem approbari contingeret & admitti. A fautoria quoque & defensione tam dictorum hæreticorum Mediolanensium, quàm Ferrariensium, videlicet RAYNALDI & OPIZONIS olim marchionum Estensium, de hæresi similiter damnatorum, rebellium Dei & Ecclesiæ supradictæ, abstineret omninò, nec non & fidelitati & homagio, quæ ratione civitatis Ferrariensis ad plenum jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentis præsumserat, de facto recipere ab eisdem prorsus renuntiaret & publicè, ac à se illa abjiceret quasi sibi numquam præstita extitissent, nec ratione illorum in civitate prædicta ejusque districtu, vel civibus ac districtualibus eorumdem, aliquid sibi juris præsumeret usurpare, sed potius prædicta omnia usurpata, præsumta, & per ipsum sub denominatione & intitulatione prædictis, seu colore vel occasione ipsorum quomodolibet attentata, curaret infra dictum terminum prout sibi foret possibile solemniter ac publicè revocare, ac parere prædictis nostris monitionibus & mandatis, ac ad ejusdem Ecclesiæ redire gremium, de offensionibus & injuriis supradictis satisfactionem debitam impensurus, nosque de his omnibus infra prædictum terminum per litteras authenticas vel instrumenta publica curaret certiores reddere. Et nihilominus infra eumdem terminum per se coram nobis vel procuratorem seu procuratores idoneos compareat super prædictis excessibus, offensionibus, & injuriis, ac super pœna privationis juris, si quod sibi competebat vel competierat ad regnum seu imperium supradicta, declaranda seu etiam infligenda, nec non & super pœnis aliis quibus excessus, inobedientia & contemtus prædicti obnoxium ipsum reddiderant, diffinitivam sententiam & nostrum beneplacitum, quantum nostrum pateretur officium, auditurus, & aliud facturus & recepturus quod justitia suaderet. Quem quidem terminum eidem de dictorum fratrum consilio ad præmissa & præmissorum singula peremtorium esse voluimus, & eumdem sibi pro peremtorio duximus assignandum, eidem apertiùs prædicentes, nos ad præmissa conjunctim vel divisim, si nec veniret nec mitteret, prout videremus expediens, ejusdem non obstante absentia, processuros. Et ut præfati processus nostri ad ejusdem LUDOVICI & aliorum quorum intererat communem notitiam devenirent, cartas sive membranas processus continentes eosdem, in Avenionensis Ecclesiæ ostiis appendi fecimus seu affigi, quæ ipsos processus suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut prædictus LUDOVICUS & alii quos processus ipsi contingebant nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos minimè pervenissent, vel quòd ignorassent eosdem, cùm non esset verisimile, quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter esset omnibus publicatum. Eosdem quoque faciendo processus decrevimus auctoritate apostolica, quòd ipsi processus præfatum LUDOVICUM & alios supradictos apprehenderent & arctarent, ac si eisdem personaliter publicati & insinuati solemniter extitissent, constitutione quacumque apostolica in contrarium edita non

obstante, cum ad ejusdem Ludovici præsentiam pro ipsis processibus publicandis & insinuandis eisdem securus non pateret accessus, nec possent commodè singulorum quos tangebant auribus inculcari. Verum quia infra præfatum trium mensium spatium eidem Ludovico ad deponendum titulum regium, & faciendum alia supradicta per nos peremtorium assignatum, idem LUDOVICUS nec per se comparuerit, nec alius pro eodem, neque prædicta impleverit infra prædictum terminum, cùm nec ea curaverit adimplere, sed illis potius pejora studuerit cumulare, nec nos per authenticas literas vel instrumenta publica reddiderit certiores, licet tunc meritò potuissemus contra ipsum procedere, ejus perpetua contumacia exigente, de benignitate tamen sedis apostolicæ ac de fratrum prædictorum consilio usque ad diem v. videlicet Idus Julii, Pontificatus nostri anno octavo hora consistorii duximus exspectandum. Cumque nec infra prædictum terminum, nec post usque ad dictam diem & hora consistorii de clementia sedis apostolicæ expectatus comparuisset ipse, nec alius pro eodem, nec tunc etiam compareret, de fratrum eorumdem consilio, eumdem LUDOVICUM reputavimus & declaravimus meritò contumacem, ejusque contumacia tam in non comparendo, quàm in non acquiescendo nostris superiùs expressatis salutaribus monitis & mandatis..., contumaciam auctamque considerantes attentè, ne deinceps plures traheret in sui erroris devium, ad quod sua tota ferri videbatur intentio, & ne de tanta gloriaretur contumacia, si justitia ulteriùs differretur omninò, nos tam temerariis ausibus, tam periculosis excessibus, tamque obstinatæ malitiæ LUDOVICI præfati otiùs cupientes occurrere, ne serò medicina ipsis procedentibus ulteriùs pararetur; attendentes quòd ad excessus hujusmodi perpetrandos gloria tituli regii, quem sibi temerè usurparat, incentivum tribuebat eidem, ac in ipsis perseverandi fundamentum periculosè nimium ministrabat: hanc ad Dei honorem & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac totius catholici populi quietam pacem, ejusdemque LUDOVICI salutem prout exigebat justitia amputare volentes, de fratrum ipsorum consilio memoratum LUDOVICUM, qui propter excessus notorios, contemtus quoque, ac superadditas obstinatas contumacias supradictas, tam in non comparendo sibi præfixis terminis, quàm in non parendo nostris salutaribus præceptis & monitis supradictis, regno & imperio prædictis reddidit multipliciter se indignum, quique propter suam protervam ambitionem & superbam protervìam, à Deo ne regnaret vel imperaret erat abjectus, ipsum LUDOVICUM omni jure, si quod sibi ex electione sua prædicta competeret seu competiisse poterat, à Domino privatum denuntiavimus & ostendimus, nosque ipsum jure præfato sententiando privatum declaravimus & privavimus: nihilominus ad cautelam de benignitate sedis apostolicæ & eorumdem fratrum consilio supersedentes pro tunc à pœnis aliis, quibus excessus prædicti reddiderunt ipsum obnoxium, cùm ad illas infligendas vel declarandas inflictas potuissemus procedere juxta tenorem nostrorum processuum, justitia exigente, reservantes nobis procedendi ad pœnas ipsas infligendas seu inflictas declarandas conjunctim vel divisim, prout negotii qualitas exegerit, ejusdemque Ludovici obedientia vel inobedientia suaderet, & expediens videremus, plenariam potestatem. Et quia si deinceps idem Ludovicus se regem Romanorum seu electum intitulare præsumeret, seu administrationi regni vel imperii se ingerere attentaret, ejus excessus & contumacia graviores existerent, quàm ante nostram sententiam extitissent. Idcirco præsente multitudine fidelium copiosa, LUDOVICUM præfatum per nostrum edictum publicum monuimus, eidem nihilominus auctoritate apostolica districtiùs injungentes, sub pœnis excommunicationis ac privationis feudorum, quæ ab Ecclesia Romana vel aliis, seu imperio obtinebat, nec non & privilegiorum quorumcumque à sede apostolica vel Romanis imperatoribus eidem vel suis prædecessoribus, quatenus ejus commodum tangerent, quomodolibet concessorum, ne deinceps se regem Romanorum vel electum intitulare præsumeret, nec administrationi regni sui vel imperii se immisceret seu ingereret quoquo modo; à fautoria quoque prædicta desisteret realiter, nec eam ulteriùs reassumeret, ac quæ gerebat vel gesserat sub colore prædicti tituli regii temerè usurpati revocaret, quantum esset sibi possibile, cùm de jure non tenuissent, velut attentata ab illo cui jus non competierat faciendi, quæ & nos quatenus de facto processerant, cassa, nulla, & irrita nuntiantes, ea nihilominùs cassamus, annullamus & irritamus, ac cassa, nulla, & irrita duximus relaxanda. Quas pœnas & earum quamlibet ipsum incurrere voluimus ipso facto, si præmissa contemnet contumaciter adimplere, ipsumque nihilominus citavimus per nostrum edictum publicum ut Kal. Octobris tunc venturi proximo vel sequenti die non feriata, si dies Kalendarum ipsarum existeret feriata, quam sibi peremtoriam de eorumdem fratrum consilio assignavimus, per se vel per procuratorem compareret idoneum coram nobis, super pœnis aliis quibus excessus prædicti reddebant ipsum obnoxium, auditurus sententiam, & facturus aliàs quod justitia suaderet: prædicentes eidem, quòd sive veniret aut mitteret, vel non veniret nec mitteret, nos ad prædictam sententiam conjunctim vel divisim absque citatione procederemus alias prout expedire videremus in eodem processu; adjicientes expressè, quod licet ex præsumtuosis & indebitis usurpationibus, injuriis, inobedientiis, culpis, & excessibus prædicti Ludovici quadam necessitate compulsi fuissemus procedere taliter contra eum, nequaquam nostræ intentionis seu propositi existebat, juri principum ecclesiasticorum & sæcularium ad quos electio Romanorum regis in futurum in imperatorem promovendi noscebatur spectare, per processus nostros seu aliqua contenta in eis in aliquo derogare, immò illud omninò

illibatum eis volumus reservari. Et ut processus noster, ac omnia & singula in eodem contenta ad præfati Ludovici & omnium aliorum quorum interesset communem deduceretur notitiam, cartas sive membranas processum continentes eumdem in Ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus fecimus; quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut idem LUDOVICUS & alii quos processus ipse contingeret, nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenisset, vel quòd ignorassent eumdem, cùm non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus existeret publicatum. Volumus autem, & auctoritate apostolica decrevimus, quòd processus ipse præfatum Ludovicum & alios quos tangere noscebatur, apprehenderet & arctaret, ac si eisdem personaliter & singulariter publicatus & intimatus solemniter extitisset, constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Et quia memoratus LUDOVICUS nec tantis nec talibus remediis acquiescens, à prædictis, videlicet usu regalis tituli, administrationis immixtione regni Romanorum & imperii, fautoria hæreticorum de Mediolano RAYNALDI & OPIZONIS dudum marchionum Estensium prædictorum, nec non & aliorum rebellium sanctæ matris Ecclesiæ noluit abstinere, sed ea contumaciùs prosequens, & de sui perversi obstinatione propositi glorians, manifestiora circa præmissa exhibere non erubuit solito argumenta, sicut convocatio prædictorum hæreticorum de Mediolano & de Ferraria, & universaliter omnium rebellium Ecclesiæ in partibus Italiæ, per ipsum facta novissimè in Tridento, tractatusque diutiùs habitus cum eisdem quomodo posset Lombardiam ingredi in dictorum hæreticorum & aliorum rebellium Ecclesiæ præsidium & tutelam, ac ut regni & imperii administrationem posset exercere pleniùs, & devotos sanctæ Ecclesiæ prægravare, immò exterminare liberiùs, evidentiùs manifestant, nec non & quod divinis officiis audiendis, non absque contemtu clavium se ingerit, & in locis interdicto Ecclesiastico suppositis sic ligatus, aliosque ad non servandum Ecclesiasticum interdictum, velut in profundum malorum perductus, inducere ac nonnumquam compellere non veretur, quotidie per amplius in continuatione seu contumacia intumescens. Ne igitur ulteriùs glorietur vir tam reprobus, suæ perversitatis opera absque condignis saltem in partem meritorum stipendiis præteriri: nos propter ejusdem LUDOVICI excessus detestabiles & culpas horrendas, injustitias & injurias tanto continuatas & auctas tempore, cum præmissa sint adeò notoria, quod nequeant aliqua tergiversatione celari, præsente hac multitudine copiosa fidelium, contra eum cogente conscientia & justitia exigente, de fratrum nostrorum consilio procedentes, ipsumque reputantes & declarantes meritò contumacem, denunciamus & declaramus ipsum LUDOVICUM privatum feudis omnibus, quæ à Romana Ecclesia, vel Ecclesiis aliis, seu ab imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, & omni jure quod in eodem ducatu, seu ejus continuatione vel causa sibi competebat seu competere poterat quoquo modo, exponendis vel concedendis catholicis, si pro ut & quando, ac quibus, vel de quibus sedes apostolica duxerit ordinandum, principalis domini jure salvo, nec non & omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus sibi seu ejus prædecessoribus indultis, quatenus ipsum contingere poterant, vel quomodolibet contingebant, ipsumque privamus omnibus & singulis supradictis, vassallos quoque ipsius à juramento fidelitatis, & quolibet fidelitatis vinculo, & homagio, expressiùs nuntiantes eos absolutos. Et quia excommunicatus pro fautoria hæreticorum excommunicationis sententiam sustinuit per biennium & ultra animo indurato, idcirco declaramus præfatum LUDOVICUM fore manifestum hæreticorum fautorem, ipsumque pœnas omnes à canonibus inflictas talibus incurrisse. Rursus eumdem LUDOVICUM per præsens edictum publicum monemus tam sub excommunicationis, quàm aliis spiritualibus & temporalibus pœnis; contra fautores & defensores hæreticorum per sacros canones impositis & inflictis, quas ipsum nisi monitioni nostræ hujusmodi paruerit cum effectu, incurrere voluimus ipso facto, ut à fautoria, defensione & adhæsione dictorum hæreticorum, eorumque fautorum, sequacium & valitorum desistat penitùs, eis, vel eorum aliquibus de cetero quamdiu in sua perfidia & extra gratiam prædictæ sedis & communionem fidelium perstiterint, nullatenus adhæsurus, nec eos defensurus, vel eisdem præstiturus per se vel alium seu alios directè vel indirectè, publicè vel occultè auxilium, consilium vel favorem, nec se regem Romanorum seu ducem Bavariæ intitulet vel appellet, nec se intitulari faciat vel etiam appellari, ab administratione quoque regni vel imperii Romani & ducatus Bavariæ, ac rerum & jurium abstineat eorumdem, illa ulteriùs nullatenus resumturus. Et nihilominus ipsum per idem edictum de dictorum fratrum consilio citamus peremtoriè, ut infra Kalendas Octobris proximè futuras, quem terminum sibi pro peremtorio assignamus, apostolico conspectui se præsentet, super pœnis aliis quibus excessus omnes prædicti eumdem obnoxium reddiderunt, sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suadebit: expressiùs intimantes eidem, quod sive infra prædictum terminum comparuerit sive non, nos super prædictis quæ adeò notoria sunt quod non possunt aliqua tergiversatione celari, sicut suadebit justitia, & expedire videbimus, procedemus, ejus absentia non obstante. Præterea universis Christi fidelibus cujuscumque conditionis, præeminentiæ, dignitatis aut status existant, etiamsi dignitate patriarchali, pontificali, aut alia superiori vel inferiori, seu etiam regali præemineant, nec non & aliis quibuscumque personis ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus cujus-

cumque religionis seu ordinis, ducibus quoque, A marchionibus, comitibus, baronibus, ac universitatibus, & communitatibus civitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum quorumlibet inhibemus & mandamus expresse, ne præfato Ludovico super iis quæ ad administrationem regni vel imperii seu ducatus prædictorum pertinent quoquo modo, assistant, pareant, seu intendant, aut præstent eidem per se vel alium seu alios auxilium, consilium, vel favorem; nec sibi tamquam regi seu duci Bavariæ pareant in aliquo, seu intendant quacumque B occasione vel causa, etiam prætextu homagii, aut fidelitatis, vel cujuslibet alterius præstiti juramenti, aut cujusvis colligationis, confœderationis, societatis, pactionis seu conventionis aut ligæ contractarum vel contrahendarum in posterum: quæ omnia cassamus, annullamus & irritamus, cassa & irrita nuntiamus, & pœnas ac juramenta prædicta, si qua super his intervenerint, relaxamus. Alioquin omnes singulares personas, cujuscumque sint præeminentiæ, con- C ditionis & status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis; in terras verò & loca eorum, nec non civitates, castra, villas & loca quæcumque alia ubilibet constituta, & universitates ipsorum, quæ inhibitiones hujusmodi præterire propria temeritate præsumerent, interdicti sententiis, quas & nunc proferimus, & ex tunc volumus & decernimus subjacere, præter alias pœnas in processibus nostris prædictis aliàs habitis, ut superius continetur, contentas, & contra tales inflictas, quas in sui roboris effi- D cacia volumus perdurare, easque innovamus, ac ratas & gratas habemus, ac de dictorum fratrum consilio ratas & firmas volumus & decernimus permanere, quarum absolutionem vel relaxationem soli Romano pontifici, sicut alias reservavimus, in prædictis processibus reservamus. Ut autem processus hujusmodi ad ejusdem Ludovici & aliorum quorum interest communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in prædictæ Avenionensis Ecclesiæ appendi vel affigi E ostiis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut prædictus LUDOVICUS & alii, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Ceterum volumus & auctoritate apostolica decernimus, quòd dictus processus præfatum Ludovicum & alios supradictos apprehen- F dat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus & intimatus solemniter extitisset; constitutione quacumque per Romanos pontifices prædecessores nostros in contrarium edita non obstante: cum pro eodem publicando & insinuando processu ad ejusdem Ludovici præsentiam securus accessus non pateat, nec possit commodè singulorum quos contingit auribus inculcari. Datum Avenione III. nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

Citatur Bavarus ad audiendum sententiam super crimine hæresis.

JOHANNES Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Quia juxta doctrinam Apostoli, peccantes publicè sunt publicè arguendi, publicæque utilitatis intersit ut peccata nocentium deducantur in publicam notionem: idcirco nonnullos excessus graves, & offensas exsecrabiles, quas LUDOVICUS de Bavaria in discordia dudum, ut fertur, in regem Romanorum electus, divino timore ac humano pudore calcatis, committere non expavit, sicut & fama notoriat publica, & multarum personarum sublimium relatione, non absque turbatione percepimus animi, multitudine fidelium, cum ad ipsum non sit tutus accessus, per quem ad eum redargutio nostra perveniat, referimus cum dolore, per quos vehementer præsumitur, immo conatur potiùs clavium Ecclesiæ sanctæ contemtor existere, & labe respersus hæreticæ pravitatis. Licet enim nos dudum de fratrum nostrorum consilio, deliberatione prius tam cum ipsis quam cum numerosa prælatorum & doctorum theologiæ ac utriusque juris multitudine diligenti præhabita, duxerimus declarandum, quod assertio qua pertinaciter asseritur quod Christo & apostolis in his quæ ipsos habuisse sacra scriptura recolit, jus illis utendi seu ea consumendi, non competierit; nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu potuisse facere supponit apertè, cùm talis assertio evidenter includat usum & gesta præmissorum non justa, quod de Christo sentire nefas noscitur, scripturæ sacræ contrarium ac doctrinæ Catholicæ obvium, erronea & hæretica est censenda. Ipse tamen velut datus in sensum reprobum contra prædictam declarationem, præsumtione temeraria, immò potius insania exsecranda, ausus est facta mentione expressa de constitutione prædicta contrarium asserere publicè, ac in ejus præsentia per alios, ut plures secum in erroris devium traheret, facere publicari, & etiam in sua insania ad plurium deducerentur notitiam & manifestiùs appareret, libellum quemdam sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa & erronea, prædictam continentem hæresim, videlicet quod immo Christo & apostolis in rebus quas habuerunt nullum jus competiit, sed tantummodò usus facti, hoc adjecto, quod dicere contrarium hæreticum est censendum. In quo quidem libello expressè asserit in multorum præsentia se jurasse præmissa, & omnia alia in dicto libello contenta se credere esse vera, per certos nuncios ad diversas civitates & principes transmisit Alemaniæ & Italiæ, & aliarum partium, nec non & ad tyrannos hæreticos partium prædictarum; libellum illum poni faciens in locis publicis, & exponi publicè, ut haberet de tanta & tali insania plures testes: ex quibus evidenter convincitur ipsum asseruisse, verum esse pertinaciter

quod indicavit hæreticum constitutio antedicta, Ac hæreticum quod dicta constitutio ordinavit. adhuc cumulans mala malis, sicut dudum ad nostri apostolatus auditum multorum fide dignorum tam literalis perduxit insinuatio quàm verbalis, duos viros nequam perditionis filios & maledictionis alumnos, quorum unus MARSILIUM de Padua, & alter JOHANNEM de Janduno se faciunt nominari, qui in Parisius studio annis pluribus à veritate suum avertentes auditum, ad fabulas sua duxerant studia, sicut rei probat exitus, convertenda; quique dum in eodem studio, cum in eo catholici principis auctoritas vigeat, ac studium ipsum orthodoxorum theologorum & canonistarum copia sit munitum, vesaniæ suæ virus effundere non auderent, LUDOVICUM prædictum, quem suis demeritis exigentibus velut hæreticorum fautorem & persecutorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac plurium atrocium aliorum excessuum patratorem, de fratrum ipsorum consilio privavimus jure, si quod ei ex electione prædicta fuerat acquisitum, gressus suos properavit dirigere, sibique librum quemdam quem composuerant, erroribus profectò non vacuum, sed plenum hæresibus variis, sicut fide dignorum multorum catholicorum habet assertio, qui librum ipsum examinaverunt in multis articulis, præsentarunt, offerentes se paratos contenta in eodem defendere, ac docere, quod & facere publicè dicto LUDOVICO præsente ausu temerario pluries præsumserunt, sicut habet fama publica, & præmissorum insinuatio hoc fore notorium in illis partibus manifestat. Et licet nonnulli viri catholici sacris literis eruditi, eidem LUDOVICO exposuerint doctrinam illam hæreticam, ipsosque velut hæreticos puniendos, periculosumque sibi fore dixerint tales ad familiaritatem suam admittere, aut in terris suæ ditioni subditis sustinere: ipse tamen velut credens illorum hæreses, ipsos in familiares suos retinuit, & adhuc cum eo erat MARSILIUS in Tridento prædictus, ipsosque erroneos manifestissimos & damnatos publicare permisit: ex quibus se fautorem & defensorem hæreticorum, immo credentem eorum hæreses, arguit vehementer. Adhuc diversis ligatus excommunicationum sententiis, in locis etiam interdictis, divina facit nonnumquam contra rectorum & religiosorum voluntatem & beneplacitum celebrari, immo potius quantum in eo est prophanari, illisque interesse non metuens alios ad celebrandum in locis interdictis, excommunicatis & interdictis præsentibus, inducere ac compellere non omittit. Rursus, ut se manifestaret evidentiùs canonum contemtorem, filio suo secundò genito quandam puellam nobilem eidem filio in gradu consanguinitatis prohibito attinentem, contra interdicta canonum, in uxorem quantum in eo fuit, dedit, dictumque matrimonium, immò potius incestuosam copulam, inter eos solemnisari fecit in Ecclesia publicè interdicto ecclesiastico supposita, dispensatione super hoc non obtenta. Nos igitur in prædictis læsionem fidei, ac injurias Christi, patrum quoque sanctorum contemtus & probra, nec non & præsentium scandala, & varia posterorum pericula attendentes, ac tantis malis occurrere cupientes salubriter, licet justitia exigente possemus ad sententiam super præmissis proferendam procedere contra ipsum, cum adeo noscantur quod nequeant tergiversatione aliqua occultari: volentes tamen adhuc de benignitate apostolica exspectare, si dimissis præfatis erroribus ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ, & viam redire voluerit veritatis, de fratrum prædictorum consilio ipsum citamus, præsente hac multitudine fidelium, per hoc edictum publicum, ut infra Kalendas Octobris proximas personaliter compareat coram nobis, super præmissis facturus quod rationis fuerit, & sententiam auditurus: quem terminum eidem de prædictorum fratrum consilio peremtorium assignamus. Prædicentes eidem quod sive venerit sive non venerit, ad proferendum sententiam & alias super omnibus præmissis & singulis conjunctim vel divisim absque citatione alia, prout expedire viderimus, & persuadebit justitia, procedemus. Ut autem processus noster, *& cetera ut supra*. Prædictum insuper citandi modum eligendum decrevimus, cum ut prædicitur ad dicti Ludovici præsentiam propter viarum pericula & alia discrimina varia tutus minimè pateret accessus. Volentes ac auctoritate apostolica & de potestatis plenitudine decernentes, ut perinde processus noster citationis hujusmodi eumdem Ludovicum apprehendat & arctet, ac si eidem insinuatus personaliter, & alia solemnitas extitisset, constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante. Datum *ut sup. proxim.*

Monetur Bavarus quod exeat Lombardiam.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ad speculatoris officium noscitur pertinere, illis quos per iter devium currere conspicit, ut gressus suos attentè considerent pedesque suos ab illo convertere nequaquam differant, nuntiare; illis quoque quibus per impios parari periculum percipit, tenetur illud pandere, ut providentiæ studium sibi contra illud valeant præcavere, & ut hoc vitare possint innocentes, debet ipse etiam opportuna remedia adhibere. Cum igitur in notionem publicam per facti evidentiam sit deductum, quod vir ille venumdatus ut faciat malum, LUDOVICUM dicimus, qui dudum erat dux Bavariæ, & rex Romanorum in discordia dicebatur electus, quique suis exigentibus demeritis, utroque, videlicet ducatu, & jure, si quod ei ex electione hujusmodi acquisitum fuerat, est privatus, adeo sit ambitionis igne succensus, quòd vias non cessans quærere, per quas de facto saltem, cùm de jure nequeat, ad imperialis possit conscendere solium dignitatis, hæreticos de Mediolano & de Ferraria, aliosque rebelles Ecclesiæ sanctæ Dei in partibus Italiæ constitutos, his diebus præteritis in Tridento ad suum consilium convocavit: in quo

A ad nostram & fidelium sanctæ matris Ecclesiæ in partibus Italiæ, & præcipuè carissimi in Christo filii nostri R. regis Siciliæ illustris, & regni prædicti, ad nos & Romanam Ecclesiam jure directi dominii pertinentis, quodque à nobis & eadem Ecclesia Romana in feudum rex idem obtinet, & pro quo noster & Ecclesiæ Romanæ vassallus existit, turbationem & scandalum aspirantes iniisse dicuntur consilium pessimum; & ordinata in eodem consilio pactis & juramentis illicitis firmavisse, & ut conceptus suos iniquos possint in partu producere rebelles & hæretici B supradicti jam ipsum LUDOVICUM datum in sensum reprobum in Lombardiam ad sui, ut speramus in Domino, confusionem perpetuam deduxerunt, ut sic mutuò se juvantes, rebelles ipsi sub umbra culminis per eum indebitè usurpandi possint in suis rebellionibus & hæresibus perseverare liberè, ac devotos Ecclesiæ de finibus illarum partium effugere, ipseque LUDOVICUS illorum fultus potentia, nomen regium quod usurpat indebitè retinere valeat, ac nomen imperiale similiter promtiùs usurpare. Ad quæ C exequenda sua iniqua studia congerunt, ac vires & potentias conglobare non cessant, non attendentes quod exercituum Dominus reproborum novit infatuare consilia, ac etiam dissipare. Ut igitur in hac parte utcumque saltem partes nostri officii exequamur, præsente hac multitudine fidelium copiosa, LUDOVICUM ipsum ac rebelles & hæreticos supradictos, quorum conversionem & salutem paterno more desiderantes appetimus, per hoc publicum commonemus D edictum, & in Domino exhortamur, ut à tam periculoso devio curent pedes suos retrahere, ac in hac valle miseriæ sic ipsos in viam veritatis & pacis convertere studeant, quod post hujus vitæ transitum immarcessibilis coronam gloriæ feliciter assequi mereantur. Et ut tam LUDOVICI & aliorum prædictorum perversis conceptibus, tam gravibus malorum initiis, tantisve periculis acceleratis remediis obviemus, ne tam horrenda principia invalescant, sed suo potius præfocentur in ortu, per nostrum edictum publicum, præ- E sente hac multitudine fidelium copiosa, eumdem LUDOVICUM monemus, eidem nihilominùs districtiùs injungentes, sub pœna anathematis & pœnis aliis à jure quomodocumque seu constitutionibus nostris inflictis seu comminatis iis qui titulum regium falso temeritate propria ausi sunt usurpare, aut se administrationi imperii immiscere, quæ ipso vacante imperio sicut & nunc vacat ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, ipsam Ecclesiam in eadem administratione ausu temerario perturbando, immò quantum in eis est spoliando, aut his qui hære- F ticis aut Romanæ Ecclesiæ rebellibus præsumunt contra Ecclesiam impendere consilium, auxilium, vel favorem, quasque infligunt jura iis qui guerram movere præsumunt indebitè, pacemque gratam cunctis mortalibus perturbare, & quas imponunt pro maleficiis quæ consueverunt subsequi ex prædictis, quas omnes & singulas præter mortis & mutilationis membrorum supplicium, ipsum si huic nostræ monitioni

præsumserit temerè non parere, incurrere volumus ipso facto, quatenùs infra duorum mensium spatium numerandorum à data præsentium, deponat nomen regium, seque regem Romanorum non intitulet ulteriùs, nec denominet, nec describat, nec per alios faciat quantum in eo fuerit intitulari titulo vel etiam nominari, ac sigillum curet abjicere ubi talis titulus est descriptus, ipsum nequaquam ulterius nec simile resumturus, nec administrationi ejusdem regni seu imperii & jurium eorumdem nullo modo se immisceat: privilegia, immunitates, feuda, bona vel jura quæcumque in eisdem regno vel imperio aut eorum parte aliqua concedendo, vel tamquam rex Romanorum vel imperator quicquam tentet agere, cùm jus hoc sibi non competat faciendi, neque dominium vel subjectionem aliquam in quascumque personas singulares aut terras ipsarum, vel potestariam, seu quamcumque rectoriam seu officium, quocùmque nomine censeantur, in civitate aliqua, vel quovis loco alio, maxime in urbe Romæ, seu in ipso regno Siciliæ, vel terris aliis Romanæ Ecclesiæ subditis, aut alicujus partis Italiæ, vel cum hæreticis & Ecclesiæ rebellibus prædictis, assumere non attentet. Insuper contra Ecclesiam societatem sive aliquam confœderationem non contrahat, vel observet qualitercumque contractam: eidem sub iisdem pœnis nihilominus injungentes, ut infra duorum mensium spatium à data præsentium numerandum, de tota Italia exeat, nequaquam ulteriùs quousque ad obedientiam & gratiam Ecclesiæ Romanæ redierit reversurus, quodque sub titulo regio vel imperiali nequaquam præsumat aliquem vel aliquos ad partes aliquas præsertim Italiæ destinare. Universis quoque patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac aliis personis ecclesiasticis quibuscumque, sub virtute obedientiæ & pœnis suspensionis ob officio & beneficio, quam eas incurrere volumus ipso facto, nisi infra scriptæ inhibitioni nostræ efficaciter studuerint obedire: nec non omnibus & singulis civitatibus, communitatibus, & universitatibus, ac personis aliis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existant, etiamsi imperiali seu regali, vel alia quacumque dignitate præfulgeant, & specialiter hæreticis & rebellibus supradictis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum quas ipsos incurrere volumus ipso facto, si nostris renuerint obedire monitionibus & mandatis, nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum, quæ ab Ecclesia vel imperio obtinent, inhibemus, ne LUDOVICO ipsi in præmissis pareant, faveant, vel intendant eidem circa regni seu imperii regimen, vel administrationem eorum contingentia, favendo, vel etiam assistendo, privilegia, immunitates, feuda, vel jura quæcumque in eisdem regno vel imperio ab eodem recipiendo dominium vel subjectionem aliquam tam regi seu in regem Romanorum electo vel imperatori recognoscendo vel impendendo, terras, potestarias,

rectorias, seu alia officia quocumque censeantur nomine in civitate aliqua vel quovis loco alio, maximè in urbe Romæ, seu in regno Siciliæ, vel terris aliis Romanæ Ecclesiæ subditis aut alicujus partis Italiæ supradictis, ab ipso vel sub ejus nomine recipiendo, vel etiam exercendo, societatem quoque seu confœderationem aliquam cum eo contra Ecclesiam nequaquam contrahant vel observent, nec consentiant contrahendæ, nec retinendo ipsum seu fovendo quomodocumque vel qualitercumque in Italia eidem faveant, assistant, aut præstent auxilium cum armis vel sine armis, consilium vel favorem, publicè vel occultè. A quibus quidem excommunicationis & interdicti sententiis nullus, nisi dumtaxat Romanus Pontifex, præterquam in mortis articulo, pretextu cujusvis auctoritatis seu privilegii, generaliter seu specialiter, sub quavis forma verborum concessa eis, absolvere valeant, vel etiam liberare. Quod si forte aliquem vel aliquos de prædictis in dictæ mortis articulo absolvi contingeret, nisi sanitate recepta sedi apostolicæ quamprimùm commodè poterint se præsentent, satisfacturi de præmissis juxta mandatum Romani pontificis, in prædictam relabantur excommunicationis sententiam ipso facto: apertè nihilominus prædicentes, quod contra prælatos & personas ecclesiasticas alias supradictas ad depositionem, privationem & inhabilitationem prælationum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum suorum ecclesiasticorum quorumcumque: contra civitates verò, communitates, universitates, collegia, castra, loca, seu villas, & personas singulares quascumque, cujusque præeminentiæ, dignitatis, status vel conditionis extiterint, etiamsi imperiali, regali, vel alia dignitate quacumque præfulgeant, quæ contra inhibitionem, monitionem, aut mandata nostra hujusmodi directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumserint temerè aliquid attentare, ad privationem privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum, quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, & alios procedere conjunctim vel divisim intendimus absque citatione alia, prout facti qualitas exiget, sicut & quando viderimus expedire. Non obstante si prædictis aut LUDOVICO præfato, seu quibusvis aliis per literas apostolicas foret sub quacumque forma verborum vel expressione concessum, vel concederetur in posterum, quod excummunicari, suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possint per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibusvis aliis privilegiis, constitutionibus seu indultis, quod contra processum nostrum hujusmodi eis vel eorum alicui nolumus suffragari, sed ipsa quoad hæc viribus volumus penitus vacuari. Ceterum colligationes, confœderationes, pactiones, societates, & ligas contra præmissa vel præmissorum aliqua factas vel initas, inter quoscumque sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectione, juramentorum præstatione, vel quacumque firmitate vallatæ fuerint, utpote in divinæ majestatis offensam, ac contra jura & honorem sanctæ matris Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ & periculum animarum præsumtas, decernimus cassas, nullas, irritas & inanes, ac nullius existere firmitatis, & eas quatenus processere de facto revocamus, cassamus, irritamus, dissolvimus, & omninò viribus vacuamus. Juramenta quoque super hoc præstita de apostolicæ potestatis plenitudine relaxamus. Omnes & singulos, qui confœderationes, pactiones & societates hujusmodi cum dicto LUDOVICO contra processus hujusmodi post dictum terminum præsumserint observare, prædictas excommunicationis ac alias pœnas & sententias incurrere volumus ipso facto. Et ut processus noster hujusmodi ad ejusdem Ludovici & aliorum prædictorum, ceterorumque quorum interest vel interesse potest, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in portis Avenionensis Ecclesiæ appendi vel affigi faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut prædictus LUDOVICUS & alii quos ipse processus contingit, nullam possint excusationem prætendere quòd ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem & apostolica auctoritate decernimus, quod dictus processus præfatum Ludovicum & alios supradictos apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset. Constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante, cùm ad ejusdem Ludovici præsentiam pro eodem processu publicando & insinuando securus accessus non pateat, nec possit commodè singulorum quos tangit auribus inculcari. Datum Avenione v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

SEXTUS PROCESSUS.

Contra Ludovicum de Bavaria primogenitum Bavari, ac Ulricum & Guicherum Comites de Lundolbe.

Citatur filius Bavari super usurpatione marchionatus Brandeburgensis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Olim contra Ludovicum de Bavaria certos processus diversis temporibus habuimus, in quibus inter cetera continetur, quod deducto ad nostri apostolatus auditum, præfatum Ludovicum qui in regem Romanorum in discordia dicebatur electus, electione hujusmodi per nos, ad quos & Romanam Ecclesiam electionis & personæ cujuscumque in regem Romanorum electi examinatio, approbatio, & reprobatio seu repulsio pertinere

tinere noscitur, nequaquam admissa, nec ejus approbata persona, usurpando nomen & titulum regium indebitè se administrationi jurium regni & imperii ambitiosè ac periculosè nimium ingessisse, de dignitatibus ad regnum & imperium prædicta pertinentibus, disponendo, sicut de marchionatu Brandeburgensi, quem LUDOVICO primogenito suo infra annos pubertatis constituto, non providendo dignitati, sed personæ potius, præsumserat de facto conferre. Nos eumdem LUDOVICUM per edictum publicum sub excommunicationis pœna, quam ipsum nisi B cum effectu monitioni pareret ejusmodi, incurrere voluimus ipso facto, monendum duximus, & eidem districtiùs injungendum, ut præmissa quæ sic improvidè gesserat de facto, cum de jure non posset, curaret infra dictum sibi præfixum terminum revocare, quæ nos etiam cassa, nulla, & irrita esse tamquam per illum attentata, cui jus ea faciendi minimè competebat, declaravimus, atque nulla, illaque cassavimus, irritavimus, & anullavimus nihilominùs ad cautelam. C Idcirco, &c. *ut supra pag. 678. Processu v.* A fautoria, &c. *pag. eadem.* Et insuper monuimus omnes & singulos tam clericos quàm laïcos cujuscumque forent præeminentiæ, conditionis & status, etiamsi pontificali vel imperiali seu quavis alia dignitate fulgerent ecclesiastica vel mundana: nec non communitates & universitates civitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum quorumcumque, nè præfato LUDOVICO super iis quæ ad administrationem regni vel imperii prædictorum pertinent parerent vel intenderent quoquo modo, nec sibi quoad hoc D præstarent auxilium, consilium, vel favorem, & hoc sub pœna excommunicationis, quam contrarium facientes incurrere voluimus ipso facto, ac aliis pœnis & sententiis in prædictis processibus inflictis seu comminatis, & specialiter privationis feudorum & privilegiorum apostolicorum & imperialium, ad quas infligendas nos prout videremus expediens, eisdem duximus absque monitione & citatione alia processuros. Verum quia, sicut fama publica notoriat, nobilis vir LUDOVICUS dicti Ludovici de Bavaria E primogenitus, ac ULRICUS & GUICHERUS Comites de Lundolbe dicti Ludovici primogeniti pro gubernatoribus seu administratoribus se gerentes, præfato Ludovico de Bavaria excommunicato, Dei & Ecclesiæ rebelli & hosti, ac de fautoria hæreticorum sententialiter condemnato, adhæserunt, super prædictis quæ ad administrationem regni & imperii pertinent, ac præstiterunt & præstant eidem contra tenorem dictorum processuum, auxilium, consilium F & favorem, sibi tamquam regi seu in regem Romanorum electo, parendo, & obediendo, ac usurpando quantum in eis est marchionatum prædictum, prætextu temerariæ collationis jam dictæ: quæ omnia sic fore noscuntur notoria, quod nulla possint tergiversatione celari. Nos licet contra eumdem primogenitum ad declarandum ipsum in sententias prædictas contra tales in dictis processibus promulgatas & alias pœnas eorumdem processuum incurrisse, justè

A procedere valeremus, tamen propter ipsius ætatem teneram ab his de benignitate apostolica supersedentes ad præsens, præfatos Ulricum & Guicherum pro administratoribus seu gubernatoribus dicti primogeniti se gerentes, in eamdem excommunicationis sententiam incidisse, ipsosque tamquam excommunicatos, præter casus exceptos à jure, fore vitandos ab omnibus, de eorumdem fratrum consilio declaramus. Et insuper per hoc edictum publicum præsente multitudine copiosa fidelium, eosdem primogenitum, ULRICUM & GUICHERUM se gerentes pro gubernatoribus & administratoribus ipsius monemus, eisdemque sub excommunicationis, quam ipsos & eorum quemlibet monitioni hujusmodi forsitan non parentes, incurrere voluimus ipso facto, ac privationis feudorum, bonorum, honorum & jurium ac privilegiorum quorumcumque quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio obtinent, pœnis & sententiis, mandamus expressè, ut ab occupatione dicti marchionatus, ac jurium & pertinentiarum ipsius, & quavis molestatione prælatorum & personarum ecclesiasticarum, nec non nobilium & aliorum quorumlibet incolarum prædicti marchionatus, cessent penitùs & desistant, ipsosque citamus peremtoriè, ut infra quatuor mensium spatium à data præsentium numerandum, quos eis pro peremtorio termino de ipsorum fratrum consilio præfigimus ac etiam assignamus, apostolico conspectui ipse videlicet LUDOVICUS primogenitus per se vel alium, alii verò duo personaliter se præsentent, super prædictis facturi & recepturi, ac sententiam audituri prout justitia suadebit. Eisdem nihilominus prædicentes quòd sive infra prædictum terminum comparuerint sive non, nos contra ipsos & eorum quemlibet ad declarationem inflictionum dictarum & aliarum pœnarum contentarum in prædictis processibus, prout & sicut expedire videbimus, absque monitione & citatione alia procedemus, eorum absentia non obstante. Et insuper omnibus & singulis tam clericis quam laïcis cujuscumque præeminentiæ, dignitatis & conditionis existant, etiamsi pontificali vel regali, seu quacumque alia ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, nec non communitatibus seu universitatibus, civitatibus, castris & locis, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in communitates, universitates, civitates, castra & loca prædicta, pœnis & sententiis mandamus & inhibemus expressè, ne præfato primogenito tamquam marchioni, aut præfatis Ulrico & Guichero ut gubernatoribus seu administratoribus ipsius super aliquibus dictum marchionatum tangentibus, assistant, adhæreant, seu intendant, vel præstent quomodolibet per se vel per alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, auxilium, consilium, vel favorem; nec non de reditibus, proventibus, obventionibus, jurisdictionibus & dominiis ejusdem marchionatus vel alicujus partis ipsius respondeant quoquo modo. Contrarium facientes, personas singulares excommunicationis, univer-

sitates vero, communitates, civitates, castra & A loca interdicti sententiis subjacere volumus & decernimus ipso facto. Ut autem processus noster hujusmodi ad dictorum LUDOVICI primogeniti, ac ULRICI & GUICHERI & aliorum quos tangit, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem appendi seu affigi in ecclesiæ Avenionensis ostiis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quod ipsi vel alii, quos processus B ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quòd ad eos idem processus non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, quia non est verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Ceterum volumus, & auctoritate apostolica decernimus, quòd processus noster hujusmodi adeo præfatos primogenitum, Ulricum & Guicherum ac alios omnes & singulos, quos tangere noscitur, apprehendat & arctet, ac si C eisdem insinuatus personaliter ac publicatus solemniter extitisset, quacumque constitutione à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium edita non obstante. Datum Avenione v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

Executoria dicti processus judicibus missa.

NUper contra nobilem virum LUDOVICUM D primogenitum LUDOVICI olim ducis Bavariæ, ac ULRICUM & GUICHERUM comites de Lundolwe, pro administratoribus seu gubernatoribus dicti primogeniti se gerentes, certum processum habuimus, cujus tenor sequitur in hunc modum. JOHANNES episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Olim contra, &c. *Ponatur totus tenor usque in finem.* Ut autem dictus processus & contenta in eo cunctis plenius patefiant fidelibus, volentes ipsum in diversis mundi partibus solemniter publicari, dis- E cretioni vestræ in virtute sanctæ obedientiæ per apostolica scripta districtiùs præcipiendo mandamus, processum eumdem cujus tenorem vobis præsentibus insertum mittimus, & contenta in illo, per vos vel alium seu alios in locis illarum partium, de quibus vobis expediens videbitur publicare solemniter procuretis, vulgarisando nihilominus contenta in eisdem processibus, ut meliùs intelligantur ab omnibus tunc præsentibus in publicatione præfata, reddituri etiam de publicatione hujusmodi per instrumenta pu- F blica principium & finem præsentium continentia, nos infra præfixum in eisdem processibus terminum, certiores. Datum Avenione Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.



PROCESSUS

Habiti contra nonnullos prælatos & alias personas ecclesiasticas adhærentes & obedientes Bavaro.

Privantur Marsilius & Johannes cum duobus aliis, & excommunicati ac suspensi ceteri prælati adhærentes Bavaro nuntiantur.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum propter notorios excessus detestabiles, ac culpas enormes, contumacias quoque diutius continuatas & auctas LUDOVICI dudum ducis Bavariæ & in regem Romanorum in discordiâ, ut dicebatur, electi, quos in Dei contemtum, nostrum & Ecclesiæ Romanæ præjudicium, regis Romanorum assumendo titulum, seque administrationi dicti regni & Romani imperii, ejus electione per nos, ad quos electionis in regem Romanorum assumendum in imperatorem, de aliquo celebratæ, ac personæ electi examinatio, admissio, & approbatio, ac reprobatio & repulsio pertinet, nequaquam admissa, perpetrare præsumserit, nec non & propter excessus alios varios detestabiles & enormes per eumdem Ludovicum contra Deum, nos, & dictam Ecclesiam perpetratos, diversos contra ipsum processus cogente conscientia & justitia exigente fecimus, eidem pœnas comminando diversas, & successivè infligendo eidem aliquas, prout ejus continuata nequitia & aucta contumacia exigebant, prout in dictis nostris processibus, quos promulgavimus præsente fidelium multitudine copiosa, quosque in portis Avenionensis ecclesiæ affigi fecimus, pleniùs continetur. In quibus quidem processibus nos considerantes attentè, quòd si LUDOVICO prædicto catholicorum virorum subtraherentur suffragia, posset faciliùs à tam obstinata malitia & periculoso devio revocari, in præfatis processibus habitis contra ipsum, diversos processus tam contra personas ecclesiasticas in dignitatibus ecclesiasticis constitutas, quàm alias personas ecclesiasticas cujuscumque status vel conditionis existerent, fecimus, in quibus diversæ pœnæ eisdem comminatæ fuerunt, si nostris non parerent super hoc monitionibus & mandatis, & aliquas juxta ipsarum continuatam & auctam contumaciam, præsente multitudine fidelium copiosa, infliximus, sicut sequentia manifestant. In primis quidem cum nos de fratrum nostrorum consilio præfatum LUDOVICUM per edictum publicum monuissemus præsente multitudine fidelium copiosa, eidem sub virtute sanctæ obedientiæ ac excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu nostris pareret monitionibus, incurrere voluimus ipso facto, auctoritate apostolica districtiùs injungentes, ut infra trium mensium spatium ex tunc in antea computandorum, quos sibi de eorumdem fratrum consilio pro peremtorio termino duximus præfigen-

dos, ab administratione regni seu imperii, ac nomine & intitulatione regis Romanorum per eum, ut prædictum est, indebitè usurpatis desisteret, illas non resumturus ulteriùs, nisi si & quando personam ipsius, & electionem quæ de ipso celebrata dicebatur in discordia, approbari contingeret & admitti, nec non & quod à fautoria hæreticorum aliorumque rebellium Ecclesiæ abstineret omninò. Universis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipso facto, nisi infra dictum terminum hujusmodi nostræ inhibitioni efficaciter obedirent, in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis districtiùs duximus inhibendum, ne prædicto LUDOVICO tamquam regi seu in regem Romanorum electo, nisi & quousque dictam electionem & personam ipsius per sedem eamdem approbari contingeret & admitti, in tangentibus regni seu imperii regimen parerent in aliquo, seu intenderent quovis modo, neve eidem circa præmissa præberent auxilium, consilium vel favorem. Quam quidem pœnam suspensionis ab officio & beneficio patriarchas, archiepiscopos & episcopos, ceterasque personas ecclesiasticas supradictas, quæ parere forsitan neglexerant nostris monitionibus, inhibitionibus & præceptis contentis in processibus supradictis, eidem Ludovico tamquam regi seu in regem Romanorum electo, parendo vel obediendo, aut præstando per se vel per alium seu alios auxilium, consilium, vel favorem, publicè vel occultè, de dictorum fratrum consilio, subsequenter per alios processus post dictos tres menses & plures alios, videlicet x. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo, præsente multitudine copiosa fidelium, declaravimus incurrisse. Eosdem nec non universos alios patriarchas, archiepiscopos & episcopos, ac alias quascumque personas ecclesiasticas, eadem præsente multitudine copiosa fidelium, monentes nihilominùs, & eisdem tam sub excommunicationis, quam ipsos dictis monitionibus & inhibitionibus non parentes incurrere volumus ipso facto, quàm sub privationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis, ad quarum inflictionem contra non parentes nos infallibiliter processuros prædiximus, prout nobis expediens videretur, districtiùs injungentes ac etiam inhibentes, ne ipsi vel eorum aliqui præfato Ludovico tamquam regi vel in regem Romanorum electo super iis quæ ad regnum vel imperium supradicta, aut eorum regimen ac administrationem pertinerent quovis modo, parerent, adhærerent, vel intenderent, seu præstarent per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, auxilium, consilium vel favorem. Quibus pœnis & sententiis adeò ipsos ligari & astringi voluimus & decrevimus, ac si propriis eorum nominibus nominati fuissent specialiter & expresse. Non obstantibus quibusvis fidelitatis & aliis juramentis, per quæ ipsi vel eorum aliqui dicto LUDOVICO se quomodolibet astrinxissent, ad quorum observantiam veluti præstitorum, cui minimè præstari debuerant, jurantes hujusmodi nullatenus arctabantur, quæ nos etiam ad cautelam in nostris præfatis processibus auctoritate apostolica duximus relaxanda: seu quibusvis aliis privilegiis & indulgentiis apostolicis sub quacumque forma vel expressione verborum eidem LUDOVICO vel quibusvis aliis concessis, quæ sibi vel eorum alicui contra processus nostros præfatos vel eorum aliquem noluimus in aliquo suffragari. Verum quia infra præfatum trium mensium spatium tam eidem Ludovico ad deponendum titulum regium & ab administratione regni penitùs abstinendum, nec non & ad alia nonnulla faciendum quæ in dictis processibus pleniùs continentur, quàm dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis & personis aliis ecclesiasticis, ad ea quæ sunt expressa superiùs, idem Ludovicus nec per se comparuisset, nec alius pro eodem, nec alia curasset contenta in nostris processibus infra prædictum terminum adimplere, & nonnulli prælati & personæ aliæ ecclesiasticæ contemsissent parere prædictis nostris monitionibus & mandatis, licet tunc potuissemus contra ipsum LUDOVICUM, & prælatos ac personas supradictas processisse meritò, eorum proterva contumacia exigente; de benignitate tamen sedis apostolicæ, & de prædictorum fratrum consilio, ipsum LUDOVICUM usque ad diem videlicet v Idus Julii, Pontificatus nostri anno 8. hora consistorii duximus exspectandum. Cumque nec comparuisset hactenus, nec tunc etiam ipse Ludovicus compareret, nec aliquis alius pro eodem, nec prælati ipsi ac personæ ecclesiasticæ prædictis nostris monitionibus paruissent, de fratrum eorumdem consilio contra dictum Ludovicum processimus, ut in processu nostro super hoc habito pleniùs continetur. Universos autem patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, aliasque personas ecclesiasticas & earum singulas, qui contra inhibitionem, monitionem & mandata nostra prædicta LUDOVICO præfato tamquam regi vel in regem Romanorum electo in quibuscumque regni seu imperii regimen seu administrationem tangentibus, paruerant vel adhæserant quomodolibet, aut per se vel alios directè vel indirectè, publicè vel occultè, super prædictis præstiterant eidem auxilium, consilium vel favorem, auctoritate prædicta de ipsorum fratrum consilio declaravimus pœnas suspensionis ab officio & beneficio, ac excommunicationis sententias contra tales promulgatas in dictis nostris processibus incurrisse. Universis insuper personis ecclesiasticis, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, seu status existerent, etiamsi dignitate patriarchali, pontificali, aut alia superiori vel inferiori fulgerent, nec non & aliis personis ecclesiasticis sæcularibus vel regularibus cujuscumque religionis aut ordinis, & specialiter incolis & habitatoribus eorumdem regni & imperii Romani inhibuimus, & mandavimus expresse, ne eidem Ludovico super iis quæ ad regni seu imperii prædictorum administrationem pertinent, quoquo modo assisterent,

parerent, seu intenderent, aut præstarent eidem auxilium, consilium vel favorem, per se vel alium seu alios, publicè vel occultè, quacumque occasione quæsita, neve Ludovico eidem vel alii pro eo de reditibus vel obventionibus, sive juribus regalibus vel imperialibus, seu ratione regni vel imperii prædictorum, aut dominii cujusvis per eum usurpati, in illis responderent, vel aliam satisfactionem sub quocumque velamine impendere attentarent. Alioquin personas ipsas cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status existerent, quæ prædictas inhibitiones vel earum aliquam præterire præsumerent, excommunicationis sententiæ, quam extunc protulimus, decrevimus subjacere. Non obstantibus quibuscumque privilegiis & indulgentiis apostolicis præfato Ludovico, seu personis ipsis communiter vel divisim, sub quacumque forma vel expressione verborum, ab eadem sede concessis, vel in posterum concedendis, etiamsi de illis totoque tenore ipsorum de verbo ad verbum specialiter & expresse oporteret in nostris literis fieri mentionem, quæ sibi vel eorum alicui contra processum nostrum eumdem vel aliqua contenta in ipso, in nullo voluimus suffragari. Quæ quidem privilegia & indulgentias omninò quoad hæc voluimus & decrevimus viribus vacuari. Apertiùs nihilominus prædicentes, quod adversus hujusmodi præsumtores, prælatos, religiosos, & alias ecclesiasticas personas prædictas, ad infligendum pœnas contra tales in præfatis nostris processibus contentas & comminatas, seu declarandum inflictas, videlicet privationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum & alias spiritualiter, quando & sicut facti suaderet qualitas, aut putaremus expediens, absque citatione & monitione alia curaremus procedere, divina gratia præeunte. Confœderationes quoque, pactiones, & societates, si quæ inter ipsum Ludovicum & personas prædictas super præmissis vel ea tangentibus factæ seu initæ, sub quacumque forma vel expressione verborum, etiam pœnarum adjectione, juramentorum præstatione, vel quacumque alia firmitate vallatæ fuissent, utpote in divinæ majestatis offensam, ac contra jura & honorem sanctæ matris Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ, & periculum animarum præsumtæ, decrevimus nullas, cassas, irritas & inanes, & nullius existere firmitatis, eas quatenus de facto processerant revocavimus, cassavimus, irritavimus, dissolvimus, & omninò viribus duximus vacuandas. Juramenta insuper super hoc præstita relaxavimus de apostolicæ plenitudine potestatis. Omnes etiam illos & singulos qui confœderationes & societates hujusmodi cura dicto Ludovico contra processus eosdem post dictum terminum præsumerent observare, prædictas pœnas & sententias incurrere voluimus ipso facto, contra eos spiritualiter & temporaliter graviùs processuri prout nobis expediens videretur. Ceterùm prædictas suspensionis & excommunicationis sententias sic voluimus inviolabiliter observari, quòd absolvendi ab eis vel

A relaxandi easdem, nisi tantùm in mortis articulo, tam omnibus pœnitentiariis nostris, quàm quibuscumque aliis confessoribus generalibus vel specialibus seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium, etiamsi eas à nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacumque forma verborum absolvendi à sententiis hominis vel canonis, seu eas relaxandi, generalis vel specialis facultas concessa fuisset vel concederetur in posterum, ademimus, potestatem,
B absolutionem & relaxationem hujusmodi soli Romano pontifici reservantes. Quòd si forsan eos vel eorum aliquem in prædicto mortis articulo absolvi contingeret, nisi sanitate recepta sedi apostolicæ, quamprimùm possent commodè, se repræsentare curarent, satisfacturi de prædictis, juxta mandatum Romani pontificis, in prædictam excommunicationis sententiam reciderent ipso facto. Ut autem processus nostri prædicti ad ejusdem Ludovici & aliorum quo-
C rum intererat communem notitiam devenirent, cartas seu membranas processus continentes eosdem in Avenionensis ecclesiæ ostiis appendi temporibus quibus facti fuerunt fecimus seu affigi, quæ ipsos processus & in eis contenta suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut idem LUDOVICUS & alii quos tangebant processus prædicti nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos minimè pervenissent, vel quòd ignorassent eosdem, cùm non esset verisimile quoad ipsos remanere in-
D cognitum vel occultum, quod tam patenter existeret omnibus publicatum. Eosdem quoque faciendo processus decrevimus, quod ipsi præfatum LUDOVICUM & alios supradictos comprehenderent & arctarent, ac si eisdem extitissent insinuati personaliter & solemniter publicati, constitutione quacumque apostolica in contrarium edita non obstante. Sanè cum nonnulli prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ & specialiter EMOCHO Spirensis, & GEBEHARDUS Eystetensis episcopi, nec non HERMANNUS
E dictus *Humele* de *Lechtemberch* scholasticus ecclesiæ Spirensis, & HENRICUS de *Gumdevvinchen* præceptor hospitalis sanctæ Mariæ Theotonicorum, per Alemanniam, & RUDGERUS de *Amberg* præpositus ecclesiæ sanctæ Catharinæ in *Openheym* Moguntinæ diœcesis, & MARSILIUS DE PADUA, ac JOHANNES DE JANDUNO tamquam acceptorum beneficiorum immemores & ingrati, terga non faciem vertentes Ecclesiæ, ac fidelitatem quam tenentur eidem in perfidiam non absque animarum sua-
F rum periculis & plurimorum scandalis commutare non verentes, præfatis nostris processibus & contentis in eis obedire temerariis ausibus contemserint, præfato Ludovico adhærendo post publicationem eorumdem processuum, ac super iis quæ ad regni seu imperii Romani regimen pertinent, parendo & obediendo, & eum pro rege tenendo, sibique tamquam regi reverentiam exhibendo, & aliter assistendo, & præstando eidem contra tenorem dictorum processuum auxilium, consilium & favorem, eos-

demque processus publicare contumaciter dicti prælati videlicet omittendo, & nihilominus eodem, LUDOVICO sicut prædicitur, diversis excommunicationum sententiis innodato præsente, & in locis etiam ecclesiastico suppositis interdicto, ipsorum videlicet aliqui divina celebrare, seu potiùs quantum in eis est prophanare officia, non sine divinæ majestatis contumelia, & contemtu clavium præsumserint sæpiùs, & præsumant, sicut fama publica notoriat, & rei evidentia manifestat. Prædicti etiam MARSILIUS & JOHANNES tam præfato Ludovico, quàm pluribus aliis damnatos hæreses & errores publicare, prædicare, ac dogmatisare damnabiliter præsumserint. Quæ omnia adeò sunt notoria, quod nulla possint tergiversatione celari. Nos nolentes excessus horribiles, & inobedientias & contumacias execrandas hujusmodi absque correctione debita præterire, ne obedientes ipsi de sua valeant malitia, ex eisdem horrendis excessibus gloriari, episcopos ac personas ecclesiasticas superiùs nominatas & omnes alios & singulos tam prælatos quàm alios cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis & status, etiamsi pontificali vel quavis alia præemineant dignitate, qui dictis processibus parere, sicut præmittitur, præsumserunt, suspensionis ab officio & beneficio, & excommunicationis sententias contra tales in eisdem processibus promulgatas, declaramus de dictorum fratrum consilio incurrisse, ipsosque tamquam excommunicatos fore, præter casus expressos in jure, ab omnibus evitandos. Præfatosque HERMANNUM scholasticum, ac HENRICUM præceptorem, & RUDIGERUM præpositum dictæ Ecclesiæ in *Openheym*, ac MARSILIUM & JOHANNEM omnibus beneficiis ecclesiasticis, etiam dignitatibus, personatibus, & officiis, cum cura vel sine cura, quæ ubilibet obtinent, quibus propter excessus prædictos notorios, ac contemtus, contumacias & inobedientias supradictos, se reddiderunt indignos, sententiando privamus. Et licet contra dictos episcopos ad privationem dignitatum possemus procedere propter prædictos eorum excessus notorios, justitia exigente, nos tamen justitiam ipsam volentes oleo misericordiæ temperare, & agere mitiùs cum eisdem, ipsos episcopos per hoc edictum publicum hac præsente multitudine copiosa fidelium, nec non dictos scholasticum, præceptorem, præpositum, ac MARSILIUM & JOHANNEM citamus peremtoriè, ut infra quatuor mensium spatium, quod eis & eorum cuilibet de dictorum fratrum consilio pro peremtorio termino præfigimus, ac etiam assignamus, apostolico conspectui personaliter se præsentent, super prædictis excessibus & delictis, ut præfertur, notoriis justam dante Domino sententiam audituri, ac responsuri, facturi & recepturi quod justitia suadebit, ac mandatis & beneplacitis apostolicis humiliter parituri, eisdem apertiùs prædicentes, quod sive infra prædictum terminum coram nobis comparuerint, sive non, nos ad privationem dignitatum prædictorum episcoporum & aliarum personarum ecclesiasticarum nominatarum superiùs inhabilitationem, alias pœnas de quibus expedire videbimus, absque monitione & citatione alia procedemus, eorum absentia non obstante. Non intendentes nos astringere quoquo modo, quominus contra prælatos & alias personas ecclesiasticas inobedientes quomodolibet in hac parte singulariter & nominatim, conjunctim vel divisim, super prædictis & ea tangentibus procedere, quando & quotiens nobis expedire videbitur, valeamus. Processus autem omnes prædictos tam contra dictum LUDOVICUM quam contra alias personas ecclesiasticas & mundanas, cujuscumque status, conditionis aut dignitatis existant, etiamsi pontificali vel imperiali, seu regali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, de eorumdem fratrum consilio, ratos esse decrevimus, eosque ratificamus, & approbamus expresse, volentes nihilominus ac etiam decernentes citationem prædictam, etiamsi termini prædicti præfixio in tempore forsitan caderet feriato, perinde valere, suumque debere sortiri effectum, ac si tempus feriatum non existeret, quacumque constitutione super hoc in contrarium edita non obstante. Ut autem processus noster hujusmodi & omnia contenta in ipso ad prædictorum episcoporum & aliorum tam nominatorum superiùs quàm aliorum, quos tangere dinoscuntur, communem notitiam deducantur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in majoris ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut ipsi episcopi & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Ceterum volumus & auctoritate apostolica decernimus, quod idem processus episcopos & alios citatos prædictos apprehendat & arctet, ac si eis insinuatus personaliter & publicatus solemniter extitisset, constitutione quacumque per Romanos pontifices prædecessores nostros in contrarium edita non obstante. Datum Avenione v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

Judicatur hæreticus Bavarus, & inhibetur universis, & nominatim certis communitatibus, ne sibi faveant in aliquo vel adhæreant.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum volentes certis dubiis, quæ inter nonnullos viros vertebantur scholasticos, finem dare, de fratrum nostrorum consilio duximus declarandum, quòd pertinaciter affirmare quòd redemtori nostro & Domino Jesu-Christo ejusque apostolis, in his quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi seu consumendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus

habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi: quæ ipsos tamen de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit apertè, cum talis assertio ipsorum usum & gesta evidenter includeret, in præmissis non justa; quod utique de usu, gestis seu factis Redemtoris nostri Dei filii sentire nefas est, scripturæ sacræ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum, assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorumdem consilio, deinceps erroneam fore censendam & hæreticam duximus declarandam. Ac subsequenter cum ad nostram notitiam fama publica perduxisset, quòd nonnullorum mentes dicebatur pater mendacii adeo excæcasse, quod ausu nefando ac petulantia improba ausi fuerant defendere publicè damnatam per constitutionem nostram prædictam hæresim ac etiam approbare: videlicet quod Christus & ejus apostoli in his quæ habuisse leguntur tantùm habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti. Ex quo si verum esset sequeretur usum Christi fuisse non justum, quod profectò blasphemiam continet, & est Catholicæ fidei inimicum, cùm hoc de pertinaci animositate ac erronea non esset dubium processisse, omnes & singulos qui verbo ac scripto per se vel alium seu alios talia præsumserant publicè, ipsos quoque qui eos instruxerant in talibus, & ut præmissa facerent docuerunt, in hæresim damnatam incidisse, ac evitandos fore ut hæreticos, de fratrum nostrorum consilio, per nostram constitutionem aliam, quæ incipit, *Quia quorumdam*, duximus declarandos, prout in eisdem constitutionibus pleniùs continetur. Sanè cùm fama publica, nec non & insinuatio tam verbalis quàm litteralis plurium sublimium personarum ad nostrum perduxisset auditum, quod Ludovicus de Bavaria in discordia dudum in regem Romanorum, ut dicebatur, electus, velut in reprobum sensum datus, contra prædictam declarationem temerè præsumserat, facta mentione expressa de constitutione prædicta *cum inter*, contrarium asserere publicè, ac in ejus præsentia per alios, ut plures in sui erroris devium traheret, facere publicari. Et ut sua insania in plurium notitiam perveniret, libellum quemdam sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa & erronea, prædictam continentem hæresim, videlicet quod Christo & apostolis in rebus quas habuerant, nullum jus competiit, sed tantummodò usus facti. Insuper hoc adjecto, quod dicere contrarium hæreticum est censendum, prout etiam nos & plures ex fratribus nostris in diversis libellis prædicti Ludovici ejus sigillo pendenti sigillatis, vidimus contineri, per certos nuntios ad diversos, civitates & principes Alemanniæ & Italiæ & aliarum partium, nec non & ad tyrannos & hæreticos partium prædictarum, curaverat transmittere libellum, ipsum affigi faciens in locis publicis, & exponi publicè, ut haberet de tanta & tali insania plures testes, ex quibus evidentiùs apparebat ipsum asseruisse pertinaciter esse catholicum, quod dicta constitutio hæreticum judicavit, ac fore hæreticum quod dicta constitutio

A catholicum declaravit, præcipuè cum in eodem affirmaret libello, se in plurium præsentia jurasse, præmissa omnia contenta in eodem libello se credere esse vera. Et insuper cumulans mala malis, duos viros nequam perditionis filios, ac maledictionis alumnos, quorum unus Marsilium de Padua, & alter Johannem de Janduno, se faciunt nominari, ad eumdem Ludovicum, quem suis demeritis exigentibus, velut hæreticorum fautorem; & persecutorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac plurium atrocium aliorum excessuum patratorem, de fratrum ipsorum pronun-
B ciaveramus consilio, jure si quod sibi ex electione prædicta fuerat acquisitum, gressus suos propere dirigentes, sibi librum quemdam erroribus plenum, & variis hæresibus non vacuum, sicut multorum fide dignorum Catholicorum habebat assertio, præsentarant; quos errores & hæreses in terra ipsius Ludovici & in ejus præsentia docere sæpiùs præsumserant publicè, sicut habebat insinuatio eorumdem. Quodque licet nonnulli viri Catholici, sacris litteris eruditi, eidem Ludovico dicerent doctrinam illam hæ-
C reticam, ipsosque Marsilium & Johannem fore velut hæreticos pronuntiandos, periculosumque sibi fore tales ad sui familiaritatem admittere, aut in terris suæ ditioni subditis sustinere, ipse tamen non acquiescens eorum salutaribus monitis, velut credens illorum hæreses, ipsos in suos familiares retinuerat, errores prædictos ac hæreses publicè dogmatisare permittens: adhuc quod diversis ligatus excommunicationum sententiis in locis interdictis divina faciebat, etiam nonnumquam contra rectorum ecclesiarum & religiosorum voluntatem & beneplacitum, ex-
D communicatis & interdictis præsentibus celebrari, immo quantum in eo erat potius prophanari: ex quibus vehementer præsumebatur, immò convincebatur potius, clavium Ecclesiæ sanctæ Dei evidenter contemtor existere, ac labe respersus hæreticæ pravitatis. Nos attendentes quòd juxta doctrinam Apostoli peccantes publice sunt publicè arguendi, ac utilitati publicæ expedire peccata nocentium deduci in publicam notionem, cùm ad ipsum non esset tutus accessus, per quem nostra posset ad eum
E redargutio per nuntios vel litteras pervenire, excessus ipsos multitudini tunc adstantium fidelium, non absque dolore ingenti animi referendos duximus, ut sic saltem ad ejus notitiam nostra posset circa excessus ipsos reprehensio pervenire. Et licet justitia exigente tunc possemus ad sententiam super præmissis proferendam procedere contra ipsum, cùm adeò præmissa forent notoria, quod nequirent tergiversatione aliqua occultari: volentes tamen adhuc de be-
F nignitate aliqua exspectare, an dimissis præfatis erroribus, ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ & viam vellet se convertere veritatis, de fratrum eorumdem consilio tertio nonas Aprilis proximè prædicti per edictum publicum citavimus præsente fidelium multitudine copiosa, ut infra Kalendas Octobris ex tunc proximè subsequentis coram nobis personaliter compareret, facturus super præmissis quod suaderet ratio, &

sententiam auditurus; quem terminum eidem de fratrum præmissorum consilio peremtorium duximus assignandum, prædicentes publicè quod sive veniret, sive non veniret, ad proferendum sententiam procederemus, & aliàs super omnibus prædictis & singulis, conjunctim vel divisim, prout videremus expediens & justitia suaderet. Et ut processus noster prædictus ac omnia & singula in eodem contenta ad præfati Ludovici & omnium aliorum quorum intererat communem deduceretur notitiam, cartas sive membranas processum continentes eumdem in ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut idem Ludovicus & alii quos processus ipse tangebat, nullam possent excusationem prætendere quod ad eos non pervenerat vel quod ignorassent eumdem, cum non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod publicabatur omnibus tam patenter. Prædictum insuper citandi modum decernentes eligere, cum ut prædicitur ad dicti Ludovici præsentiam, propter viarum pericula & alia discrimina varia, tutus minimè pateret accessus, volentes & auctoritate apostolica de potestatis plenitudine decernentes, ut perinde processus dictæ citationis eumdem Ludovicum apprehenderet & arctaret, ac si eidem insinuatus personaliter & aliàs publicatus solemniter extitisset, constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanis pontificibus in contrarium edita non obstante. Sanè cum dictus Ludovicus, quem ut prædicitur jure, si quod sibi ex electione prædicta acquisitum fuerat, privaveramus justitia exigente, ac subsequenter ejus aucta contumacia feudis omnibus quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, & omni jure quod in eodem aut ejus occasione vel causa sibi competebat, seu competere poterat quoquo modo. Nec non & omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus sibi seu ejus prædecessoribus, quatenus ipsum tangere poterant, indultis, justo privaveramus judicio, quemque pro fautoria hæreticorum excommunicationis innodatum sententia, quam per biennium & ulterius indurato sustinuerat, sicut & adhuc sustinet animo, declaraveramus manifestum hæreticorum fautorem, & pœnas omnes à canonibus inflictas talibus incurrisse, prout hæc pleniùs in nostris processibus contra ipsum habitis continentur, infra præfixum sibi prædictum terminum jam elapsum comparere per se vel alium non curarat, ipsum usque in crastinum hora consistorii duximus de fratrum nostrorum consilio exspectandum. Et quia nec tunc comparuit, nec alius pro eodem, de fratrum eorumdem consilio reputavimus & declaravimus contumacem. Et licet tunc cùm præmissa adeo essent notoria, quòd nulla poterant tergiversatione celari, contra ipsum ad sententiam possemus procedere exigente justitia proferendam, ipsum tamen de benignitate apostolica usque ad præsentem diem hora consistorii de

A eorumdem fratrum consilio duximus exspectandum. Et quoniam nec hac die hora jam dicta comparuit, nec comparet adhuc, nec aliquis pro eodem, nec ad correctionem prædictorum se disponit in aliquo, sed velut in profundum malorum perductus, mala malis superaddere, offensasque offensis cumulare, ac iram Dei contra se provocare, fidelesque verbis & operibus persequi non omittit. Nos in prædictis læsionem fidei, patrum quoque sanctorum con- B temtum & probra, nec non & præsentium scandala, variaque posterorum pericula attendentes, tantisque malis & periculis obviare salubriter cupientes, cùm præmissa adeò sint notoria, quòd nequeant tergiversatione aliquâ occultari, præsente hac multitudine fidelium copiosa, ipsum reputantes & declarantes meritò contumacem, Dei nomine invocato, de fratrum eorumdem consilio, ipsum fore hæreticum declaramus, ipsasque assertiones per dictam constitutionem hæreticas, ut prædicitur, decla- C ratas, & scripturas quascumque continentes easdem, nec non & ipsum Ludovicum velut hæreticum reprobamus & sententialiter condemnamus. Si quis autem doctrinam seu assertiones prædictas defendere vel approbare præsumserit, cujuscumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut status existat, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur. Et nihilominùs ipsum Ludovicum bonis omnibus mobilibus & immobilibus, juribus, jurisdictionibus, & quibuscumque aliis ubicumque sint, & quibuscumque nominibus censeantur, & specialiter comitatu D palatinatus Rheni, & omni jure ratione vel occasione illius, vel alio quovis modo ad eumdem Ludovicum pertinentibus, habendi vocem in electione regis Romanorum in Imperatorem promovendi, seu in electione hujusmodi aliquem ad prædicta regnum vel imperium eligendi seu quomodolibet nominandi, privatum fore decernimus & privamus, exponendis vel concedendis catholicis, si, prout, & quando, ac quibus, vel de quibus sedes apostolica ordinandum duxerit, jure principalis dominii semper salvo, vassallos quoque ipsius, & quascumque alias tam eccle- E siasticas quàm seculares personas, nec non communitates, universitates, ac civitates, castra, terras, ac villas quæ sibi fidelitatis vel aliis quibuscumque juramentis tenentur astricti, prorsus ab illis absolvimus, ac quascumque colligationes, confœderationes, societates, pactiones, & ligas, per quoscumque cum eodem contractas vel initas, etiamsi juramentis, pœnis, vel aliis quibusvis firmitatibus essent innixæ, quatenus favorem aut commodum ipsius con- F cernerent, de potestatis plenitudine penitus dissolvimus, ac pœnas adjectas, & juramenta super præstita relaxamus. Decernentes quasvis personas singulares, ac communitates, universitates, castra, villas, terras & oppida nequaquam teneri de cetero ad observationem earum vel cujuslibet earumdem. Universis & singulis etiam prælatis & personis ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, vel conditionis existant,

etiamsi patriarchali, pontificali, aut majori seu inferiori præfulgeant dignitate, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus, & qui aliquo titulo se præmissorum intitulant, licèt jus non habeant in eisdem, ac communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris & villis, & specialiter Mediolanensi, Sagonensi, Cumanensi, Vercellensi, Pargamensi, Laudenensi, Cremonensi, Aretinensi, Novariensi, Papiensi, Mantuanæ, Ferrariensi, Veronensi, Lucanensi, & aliis quibuscumque inhibemus & mandamus expresse, ne prædicto Ludovico de hæresi, ut præmittitur, condemnato, adhærere, communicare, participare vel favere, quomodocumque, directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumant, nec eidem portent, mittant, portari vel mitti faciant, aut procurent granum, vinum, aut quæcumque victualia, pannos, ligna, ferrum, arma, seu quævis mercimonia, pecuniam, vel quicquid aliud quod posset in ipsius utilitatem vel commodum redundare, ne societates, confœderationes, colligationes, pactiones, aut ligas quascumque cum eodem initas vel contractas præsertim in ejus favorem, auxilium vel utilitatem, observent. Alioquin personas quascumque singulares excommunicationis; universitates verò, communitates & collegia, quæ postquam videlicet processus noster hujusmodi ad eorum pervenerit notitiam, vel pervenisse probabiliter potuerit, aut per ipsos steterit quominus pervenerit ad eosdem, in hac parte offenderent quovis modo, nec non terras & loca quorumcumque circa prædicta delinquentium, interdicti sententiis, & generaliter pœnis omnibus quibus fautores & defensores hæreticorum & adhærentes eisdem subjiciuntur à jure vel quibusvis constitutionibus, volumus & decernimus subjacere. Apertiùs prædicentes eisdem, nos ad earumdem pœnarum declarationem & executionem contra delinquentes hujusmodi processuros specialiter, si, & quando, & quoties videbimus expedire. Non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facta plena & expressa ac de verbo ad verbum de indulgentiis hujusmodi mentione, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibusvis personis, locis vel ordinibus, sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiamsi de illis esset specialis & expressa, & de verbo ad verbum in præsentibus mentio facienda, per quæ nullum contra præmissa vel præmissorum aliquod volumus afferri suffragium vel obstaculum interponi. Ceterum processus tam contra dictum Ludovicum quàm fautores & adhærentes ipsius per nos habitos, de fratrum eorumdem consilio, ratos existere decernimus, eosque ratificamus, & ex certa scientia etiam approbamus. Ut autem sententia & processus præsentes hujusmodi ad dicti Ludovici & aliorum quorum interest communem notitiam deducantur, cartas sive membranas, sententiam & processus continentes eosdem in ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsos sententiam & processus suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quod dictus Ludovicus & alii quos contingere dinoscuntur, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerint, vel quòd ignorarint eosdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione x. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Judicantur hæretici Marsilius de Padua, & Johannes de Janduno.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Licet juxta doctrinam Apostoli ob id esse hæreses sit necesse, ut fiant qui probati sunt apertius manifesti; quia tamen juxta doctrinam ejusdem Apostoli hæreticorum sermo ut cancer serpere, id est, à parvo ad majus paulatim tendere consuevit, necesse est ut talibus, eorumque perversis dogmatibus sic celeriter occurratur, quod tam perniciosus morbus neglectus inter initia vires sumere nequeat, sed potius præfocentur in ortu. Sanè dudum ad nostram audientiam relatione tam verbali quàm litterali plurium sublimium ac fidelium personarum, nec non fama publica notoriante perducto, quod duo viri nequam perditionis filii, & maledictionis alumni, quorum unus Marsilium de Padua, & alter Johannem de Janduno se faciunt nominari, quemdam librum composuerant, multa falsa, erronea & hæretica continentem, quodque ipsos errores & hæreses in ducatu & terris Bavariæ Ludovico de Bavaria excommunicato, Dei & Ecclesiæ, fideique Catholicæ persecutore manifesto & hoste crudeli, suisque horrendis excessibus & gravibus culpis exigentibus, jure, si quod ei ex electione discordi quæ de ipso celebrata dicebatur, ad regnum Romanum vel imperium competebat, justo privato judicio, eisdem Marsilio & Johanni favente super his ac etiam adhærente, dogmatisare publicè præsumebant. Quibus licet nonnulli Catholici se pro defensione fidei opponentes, ostendissent apertè quòd illa doctrina erat erronea & hæretica, velut contraria evangelicæ & apostolicæ veritati, & ut à tali doctrina desisterent suasissent eisdem, ipsique eorum nollent acquiescere monitis, sed in publicandis suis erroribus perdurarent: tandem tam præfati quàm plures prælati, nec non & alii viri Catholici tam perniciosas hæreses inter Catholicos dogmatisari publicè indecens & periculosum nimium reputantes, nobis certos articulos excerptos de libro prædicto, curaverunt nonnulli mittere, ac per se ipsos aliqui præsentare, supplicantes attentiùs, ut super præmissis curaremus sanctæ Dei Ecclesiæ

Ecclesiæ de opportuno remedio providere. De quibus articulis subscriptos duximus præsentibus annotandos. Et licet tam cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, quàm cum multis archiepiscopis & episcopis aliisque Ecclesiarum prælatis, nec non & cum pluribus sacræ Theologiæ magistris, ac utriusque juris professoribus, deliberationem super ipsis articulis præhabuimus diligentem, ex quorum deliberatione apertè convincitur quòd errores articulorum ipsorum sint adeò manifesti, quòd quicquid ad eorum manifestationem adjicitur, frustra adjici videatur, & quasi sol facibus adjuvari: ut tamen minùs periti promtiùs illos percipere valeant & vitare quædam ad ipsos declarandos errores perfunctoriè satis, de fratrum eorumdem consilio præsentibus duximus inserenda. In primis itaque isti viri reprobi dogmatisare præsumunt, quòd illud quod dè Christo legitur in evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumtum ex ore piscis, illis qui petebant didragma solvere jussit, hoc fecit non condescensivè & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus: quod utique doctrinæ contradicit evangelicæ, nostrique sententiæ salvatoris. Cùm enim sicut in eodem evangelio legitur Christus interrogasset Petrum, à quibus reges terræ accipiunt tributum vel censum, à filiis suis an ab alienis, & Petrus respondisset quòd ab alienis, ex hoc concludens Christus filios regum esse liberos, dixit, ergo liberi sunt filii. Constat autem Christum secundum carnem fuisse David filium juxta testimonium angeli sic dicentis, Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, &c. & per consequens quòd ipse à solutione tributi vel census erat prorsùs immunis. Hoc etiam ex hoc patet quod statim subjunxit: Ut autem non scandalisemus eos, vade & da staterem pro me & pro te eis; ubi evidenter patet quod non ut astrictus, sed ut evitaret scandalum, staterem tributi exactoribus jussit solvi. Ex prædicto autem dicto suo nituntur concludere præfati viri reprobi, quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt imperatori & ea potest occupare velut sua. Videntur enim supponere, quòd ex hoc quod Christus tributum solvit, ex debito res temporales ejus imperatori subessent, & per consequens quòd res Ecclesiæ temporales sunt imperatori subjectæ, & eas possit recipere velut suas. Quæ quidem conclusio nullatenùs ex præmissis sequitur, nec sequi potest etiam apparenter. Cùm enim liqueat ex prædictis Christum fuisse à solutione tributi vel census liberum & immunem, & staterem non solvisse ex debito, sed ut aliorum scandalum evitaret, nullo modo potest concludi quod res Christi quales sunt res Ecclesiæ subsint imperatori. Præterea etiamsi Christus staterem solvisset ex debito, impertinenter concluderetur ex eo, quod res Christi quales sunt res Ecclesiæ subessent imperatori, cùm Christus non pro rebus, sed pro persona staterem solverit antedictum: quod patet ex eo quod illum jussit solvi pro se & Petro modo prædicto, non pro rebus suis & bonis. Unde non sequitur quod ex eo quod persona est tributaria, tributaria sint & bona, immò qui pro persona tenetur solvere, habere potest bona libera, & è contrario. Et quia hæc patent falsa, etiam per jura imperialia manifestè, supersedemus super hoc pleniùs allegare. Secundo isti filii Belial dogmatisare præsumunt quod beatus Petrus apostolus non plus auctoritatis habuit quàm alii apostoli habuerint, nec aliorum apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem vicarium suum fecit, quod est totum contrarium evangelicæ & apostolicæ veritati. Quod enim Christus vicarium suum beatum Petrum constituerit, patet. Constat etiam quod Christus pastoris officium gessit in terris. Hinc est quod in Johanne se vocat pastorem, dicens: Ego sum pastor bonus, &c. Liquet etiam quod curam gregis sui ante ascensionem beato Petro generalem commisit, quando sibi illud Johannis dixit: Simon Johannis diligis me? pasce oves meas, pasce agnos meos. Unde cum pastor gregis dominici, scilicet Christus, curam ejusdem gregis beato Petro commiserit, quin eum quoad curam gregis suum vicarium fecit, nullus debet in dubium revocare. Hoc ille imperator Christianissimus Constantinus testatus est dicens: Beatus Petrus videtur in terris vicarius Dei filii constitutus. Ex hoc enim sequitur evidenter, quòd Petrus caput universalis Ecclesiæ potest dici juxta morem illum sacræ scripturæ quo rector alicujus multitudinis dicitur esse caput. Unde legitur in Joële: Congregabuntur filii Juda & filii Israël, & ponent sibi caput unum, id est, rectorem. Constat autem quòd beatus Petrus eo ipso quod Christus sibi commisit curam dominici gregis, ipsum ejusdem gregis videtur constituisse rectorem, & per consequens caput. Fatemur tamen cum Apostolo quòd Christus Ecclesiæ est verum caput & principale, sub quo tamen Petrus dicitur caput secundùm modum prædictum, secundùm quem modum sub Christo capite, & Petro, multa capita particularia possunt dici, sicut patriarcha fidelium patriarchatus sui, & archiepiscopus achiepiscopatus, & episcopus episcopatus sui. Sic videmus quod licet Christus sit Ecclesiæ principale & primarium fundamentum, juxta illud Apostoli, Fundamentum autem nemo potest ponere præter illud quod positum est, quod est Christus Jesus. Et alibi loquens gentilibus conversis dixit: Vos estis cives sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu, id est, quod fundamentum est Christus Jesus: tamen etiam apostoli dicuntur fundamentum, juxta illud psalmi: Fundamenta ejus, id est, Ecclesiæ, in montibus sanctis. Et secundum hunc modum Christus videtur Petrum prædixisse futurum Ecclesiæ fundamentum, cùm dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Unde sicut Christus dicitur Sanctus sanctorum, Rex regum, & Dominus dominantium; sic similitudinariè Petrus pastor pastorum, &

caput capitum, & fundamentum fundamentorum Ecclesiæ potest dici. Sic igitur ex prædictis patet quòd Christus secundùm prædictum modum caput est Ecclesiæ & vocatur, & hoc videtur Christus in impositione nominis designasse. Dixit enim sibi sicut legitur in Johanne: Tu vocaberis Cephas. Cephas autem Græcè, interpretatur Caput latinè. Unde Constantinus imperator de Romana Ecclesia loquens, dicit: quòd principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutus est Romæ. Justinianus quoque in quadam epistola Johanni papæ missa testatur hoc dicens: Non patimur quidquam quod ad ecclesiam pertineat, quamvis manifestum & indubitatum sit quod innovetur, ut non hoc V. S. quæ caput est ecclesiarum omnium innotescat. Etiam alibi sic dicitur: Summi pontificatus apicem apud Romanam ecclesiam esse, ipsamque fore sacerdotii, fontem nemo est qui dubitet, id est, qui debeat dubitare. Ludovicus autem imperator beatum Petrum apostolorum principem vocat. Quod autem beatus Petrus plusquam alii apostoli habuerit auctoritatis, ex prædictis etiam concluditur evidenter. Certum est enim quòd major est auctoritas pastoris quàm gregis. Petrus autem totius gregis dominici generalis constitutus est pastor, ut probatum est superiùs: quod de nullo alio apostolo potest dici. Præterea constat quod major est non limitata auctoritas limitatâ: omnes autem ali apostoli receperunt limitatam potestatem sive super verum corpus Christi conficiendum, sumendum, & aliis ministrandum: quæ quidem auctoritas seu potestas fuit in cœna Domini omnibus apostolis attributa, & etiam illa quam post resurrectionem Dominus super corpus mysticum dedit illis dicens: Quorum remiseritis peccata remissa sunt, & quorum retinueritis retenta sunt: sive etiam in ascensione, quando dixit: Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, &c. Petro autem sine limitatione aliqua commisit curam dominici gregis, cùm sibi dixit, Pasce oves meas, pasce agnos meos. Item sibi soli, ita quod nulli alii singulariter dixit, Tibi dabo claves regni cœlorum. Et, Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis. Hoc etiam in sancto Lucæ Evangelio Jesus videtur satis congruè designasse, ubi loquens Petro & aliis dixit, Duc in altum, & laxate retia in capturam. Soli enim Petro dixit, & nulli alii, Duc in altum, significans quod ad ipsum solum pertinet in altum, id est, in profundum disputationum fidei dubia definire. Sibi autem & aliis dixit, Laxate retia in capturam; quia omnes apostolos constituit hujusmodi piscatores, juxta illud quod in sancto evangelio Marci dicit Christus, Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Hoc quoque, scilicet, quod Petrus plus ceteris apostolis receperit auctoritatis apparet ex multis quæ Jesus sibi & de ipso aliis dixit, nec non ex multis quæ ipsum post Ascensionem Domini dixisse & fecisse scriptura sacra testatur. Ex prædictis itaque patet quod Petrus à Christo fuit vicarius constitutus, quando sibi totius dominici gregis curam commisit, & per consequens rector & caput gregis ipsius constitutus est & vocatus. Ex quibus sequitur, quod sibi à Christo amplior quàm aliis apostolis attributa fuit auctoritas & potestas. Hinc est quòd Clemens ejus Petri successor & discipulus dixit, Nec inter ipsos apostolos par fuit institutio, sed omnibus præfuit unus, scilicet Petrus. Tertiò, isti filii Belial asserere non verentur quòd ad imperatorem spectat papam instituere & destituere, ac punire: quæ utique omni juri obviant & repugnant. De primo quidem post Christum Novi Testamenti summo pontifice, scilicet Petro, patet quod non ab imperatore temporali seu terreno, constitutus papa fuerit, sed à Christo dicente sibi soli, Pasce oves meas, pasce agnos meos: per quæ verba ipsum suum vicarium generalem constituit, ut patet ex prædictis. Adhuc de illis summis pontificibus qui fuerunt ante Constantinum magnum imperatorem, quòd ipsorum institutio ad imperatores non pertinuerit, satis liquet volenti acquiescere veritati. Cùm enim ferè omnes imperatores illius temporis fuerint idololatræ, ac fidei Catholicæ & orthodoxorum pontificum persecutores atrocissimi, adeo quod omnes ferè à beato Petro inclusivè usque ad beatum Silvestrum effecerunt martyres, quod ad eos papæ institutio potuerit pertinere nullo modo utique credi debet. Nec de ipso Constantino usque ad suam conversionem ad fidem Catholicam, quod ad eum papæ institutio pertinuerit, dici potest: nec post conversionem ad fidem catholicam hæc assequi potuit, cùm per eam papæ filius ac discipulus effectus fuerit & subjectus. Præterea cum imperator ipse post susceptum baptismum inconveniens reputaverit & injustum, quod ubi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti institutum fuerat, videlicet Romæ, illic imperator terrenus potestatem haberet. Ideoque sedem imperialem Silvestro papæ cesserit, & ad partes orientales imperii & regni transtulerit potestatem, multò fortius injustum & inconveniens est censendum, quod ad ipsum imperatorem papæ potuerit institutio pertinere. Et idem patet dicendum esse de Græcis imperatoribus, qui sibi in imperio successerunt. Quod autem ad imperatores Latinos non pertinuerit nec pertineat institutio supradicta, patet. Imperium enim per papam à Græcis translatum est in Latinos, nec plus juris in ipsos, quam apud Græcos existeret, papam ipsum transferentem legimus transtulisse. Græcis autem imperatoribus, ut ex prædictis patet, talis non pertinebat institutio, quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et si dicatur quod papæ institutio ad Latinos imperatores pertinet ex concessione postea ipsis facta per summum pontificem, vel summos pontifices, est dicendum, quod nulla concessio facta per papam aliquem imperatori seu imperatoribus, debet intelligi quod ipsi imperatores papam possent instituere seu eligere; sed quod possent institutioni summi pontificis ac electioni

interesse. Et quod sic concessiones illæ intelligi debeant, patet satis ex eo quod in quodam capitulo legitur, ubi sic dicit: Verum quia imperatores quandoque modum suum ignorantes, non in numero consentientium, sed potius distribuentium, immò exterminantium esse voluerunt, &c. *Item* querimonia nuntiorum Ludovici imperatoris, quibus in urbe præsentibus electio de papa Adriano secundo ipsis non vocatis, extitit celebrata, hoc similiter probat. Conquerebantur enim dicentes, quod cum præsentes essent, non fuerant invitati, nec obstante meruerunt electioni futuri præsulis interesse. Adhuc quia nonnulli imperatores illo privilegio abusi fuerant, & frequenter in hæreticorum prolapsi perfidiam, catholicæ matris Ecclesiæ unitatem fuerant impugnare conati, statuta sanctorum patrum contra eos facta, ut se electioni papæ non ingererent, prodierunt, ac ut anathematis innodaretur vinculo quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret. Nonnulli quoque imperatores ducti religiosæ mentis affectu, ex abundanti supradicto renuntiaverunt privilegio, ut patet ex tenore canonum super hoc conditorum, per quos & non alios probatur concessio antedicta. Præterea legant homines isti pestiferi historias approbatas, & ostendant quis umquam catholicus papa ab imperatore institutus fuerit; profecto credimus quod nullum poterunt invenire: nec dubium, si ad eos talis pertinuisset institutio, quin potestate usi fuissent hujusmodi, & quin in historiis de institutione tali mentio haberetur. Dicere autem quòd papæ destitutio seu punitio ad imperatorem pertineat est erroneum & insanum. Quomodo enim ad imperatorem pertinebit papæ destitutio, cùm ejus institutio ad eum non pertineat, ut ex prædictis patet? Inde enim, etiam secundum jura imperialia, privatio debet procedere, unde datio noscitur processisse. Præterea quomodo imperator principem clericorum destituere poterit, vel punire, cùm etiam secundum imperiales leges, id in simplici clerico nequeat exercere. Audiant insuper isti homines perfidi quid circa hoc nonnulli Catholici principes senserunt, & quid duxerint sanciendum. Theodosius quidem & Arcadius imperatores catholici expressè sanxerunt, quod nullus episcoporum sive eorum qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad ordinariorum sive extraordinariorum judicium pertrahantur: habent enim illi suos judices, nec quicquam eis cum legibus est commune. *Item* imperator Constantinus cum querelam clericorum quorumdam coram se deferendam conspiceret, dixit, Vos à nemine laïcorum judicari potestis, qui Dei solius estis judicio reservati. Et si dicatur, si solius Dei judicio reservantur, ergo nec à judicibus ecclesiasticis poterunt judicari: dicendum quod immo, ipsi quidem pontifices, vicarii (licet differenter) sunt Christi, quia papa universalis velut vocatus in potestatis plenitudinem, alii verò particulares, velut illi qui in partem sollicitudinis sunt vocati. Unde à Deo videntur judicari, quia ab eo judicantur potiùs quàm ab ipsis; cum ille cujus auctoritate fit, facere videatur: & propter hoc imperator prædictus signanter dixit, à nemine laïcorum. *Item* Theodosius imperator cum Romæ concilium convocasset, ut sanctum concilium judicaret de his quæ papæ Symmacho ab adversariis dicebantur impingi, certi episcopi qui convenerant imperatori dixerunt, quod ad illum qui impetebatur, scilicet papam, pertinebat concilium convocare, quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum, deinde secuta jussione Domini, conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in ecclesiis tradidit potestatem, nec ante minoris subjacuisse judicio antistitem dictæ sedis. Quo audito imperator prædictus Deo inspirante respondit: synodalis esse arbitrii in tanto negotio sequenda præscribere, ac ad se nihil præter reverentiam de ecclesiasticis negotiis asseruit pertinere episcopis. Et etiam principes Christianos solitum est capita subdere, non de eorum capitibus judicare. Hinc est quod Innocentius papa Arcadium imperatorem excommunicavit, quia consentit ut à sua sede sanctus Johannes Chrysostomus pelleretur. Plures quoque summos pontifices legimus imperatores pro suis excessibus imperiali dignitate privasse. Beatus quoque Ambrosius licet Ecclesiæ universalis non esset pontifex, Theodosium magnum imperatorem excommunicans, eidem ingressum ecclesiæ interdixit. Ad hujusmodi autem erroris sui fulcimentum, scilicet quod ad imperatorem pertineat papam destituere & punire, id quod in sanctis Evangeliis legitur de Pilato, scilicet quod Christum crucifixerit, præsumunt inducere, asserentes ipsum Pilatum tamquam Christi ordinarium crucifixisse ipsum tamquam sibi subjectum, quod habet duplicem intellectum. Aut enim intelligunt Pilatum Christum crucifixisse de jure, aut de facto. Si de jure, hoc obviat veritati: de jure enim quis de crimine puniri non potest, nisi qui deliquerit, verè vel interpretativè; vel qui convictus fuerit deliquisse. Christus autem secundum veritatem non deliquit, quia innocens fuit manibus & mundo corde, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et hoc ipse Pilatus fuit expressè testatus. Cum enim ipsum Judæis tradidit crucifigendum, dixit: Mundus sum à sanguine justi hujus. *Item* nec fuit deliquisse convictus, quod idem pluries est testatus. Cùm enim Judæi instarent quod crucifigeret eum, in uno loco dixit: Quid enim mali fecit? quasi dicat, nihil invenio eum fecisse mali. Et alibi pluries eisdem Judæis instantibus quòd crucifigeret illum, dixit: Ego nullam in eo invenio causam mortis, quare ipsum de jure non potuit punire. Si autem intelligant quod de facto & injustè punivit eum innocentem, sicut & veritas se habet, tunc ex hoc non possunt concludere aliud, nisi quod imperator papam de facto potest interficere & injustè: quod utique non solùm de imperatore concedimus, sed etiam de privato; sicut & plures imperatores à privatis personis, & summos pontifices à non suis judicibus, sicut omnes

martyres, legimus interemtos. Quartò, dicunt isti vaniloqui, immò falsiloqui, quòd omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt ex institutione Christi auctoritatis & jurisdictionis æqualis: quod autem unus plus alio habeat, hoc est secundum quod imperator concedit uni vel alii plus & minus, & sicut concessit alicui sic potest etiam illud revocare: quæ utique doctrinæ sacræ obviant & hæreticam sapiunt pravitatem. Quod enim sacerdotum simplicium & non simplicium ex ipsa institutione Christi non existat æqualis potestas, patet tam in his quæ fuerunt in Testamento veteri, quàm in his quæ fuerunt in Novo. In veteri siquidem Testamento per Moysen ex præcepto Domini Aaron in summum pontificem, filii verò ejus uncti fuerunt in simplices sacerdotes; quorum potestas ut patet inæqualis extitit, quia ex simplicibus sacerdotibus velut ad superioris auctoritatis & potestatis honorem, ad pontificium sunt assumti: tuncque licebant quædam pontifici, ut sancta sanctorum ingredi, quæ non licebant simplici sacerdoti. In novo verò Testamento pontificum & simplicium sacerdotum, ab ipso Christo ex eo assumsisse videtur exordium, quod duodecim apostolos, quorum typum gerunt pontifices, ac septuaginta duos discipulos instituit, quorum typum gerunt simplices sacerdotes. Constat autem ex multis, quæ de ipsis in sanctis leguntur evangeliis, quod apostolorum & discipulorum auctoritas dispar fuit. Adhuc quod potestas aliorum quorumcumque sacerdotum potestati papæ par non sit nec æqualis, patet evidentiùs ex prædictis; quod aliorum episcoporum, scilicet patriarcharum, archiepiscoporum, & episcoporum par potestas, nec sit, nec fuerit, patet. Inferioris siquidem potestas superioris non est par potestati. Constat autem patriarchas esse superiores respectu archiepiscoporum, & archiepiscopos respectu episcoporum, & episcopos respectu simplicium sacerdotum. Et si dicant isti homines reprobi quod istorum episcoporum distinctio ab imperatore processit, non à Christo; dicimus quod immò processit à Christo. Ille enim cujus auctoritate fit aliquid, illud fecisse videtur. Beatus autem Petrus Christi vicarius & gregis dominici caput, attendens quod aucto grege sine ipsius augmentatione custodiæ, gregi non poterat salubriter provideri, auctum gregem post ascensionem Domini considerans & aucturum ampliùs prævidens in futurum, gradus prædictarum potestatum instituit & distinxit. Quare cùm auctoritate Christi prædicta distinctio facta fuerit, Christo debet ascribi. Hanc autem potestatem daturam Ecclesiæ psalmista diu ante prædixerat dicens: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram: ubi patres Ecclesiæ vocat apostolos, & filios Ecclesiæ fideles, per apostolos ipsos conversos. Ubi satis apertè Ecclesiæ, id est ejus pastori attributa potestas intelligitur instituendi diversos gradus principum, cùm expedire perciperet Ecclesiæ sanctæ Dei. Audiant insuper perversi isti homines quid Justinianus

A imperator Catholicus super hoc dixit. Cum enim circa gradus prædictos episcoporum, eorumque superioritatem & subjectionem constituisset, aliqua subjunxit dicens: Nos hoc secundùm sacrarum regularum explanationem, apostolicamque traditionem constituimus. Ex quibus colligitur evidenter non ab imperatore distinctionem & auctoritatem pontificum originaliter & principaliter, sed ab auctoritate apostolica processisse, imperatoremque ut illa servarentur meliùs juxta statuta apostolica eadem B statuisse. Considerent etiam quæ & quanta ex his, si vera essent, inconvenientia sequerentur. Sequeretur utique quod usque ad tempus Constantini nulla potestas esse potuerit in Ecclesia sancta Dei, cùm illo tempore imperatores ferè omnes gentiles fuerint & persecutores Ecclesiæ ac prælatorum ejusdem, de quibus dici non potest, quod prælatis Ecclesiæ potestatem concesserint aliquam, ut ex prædictis patet. Ex prædictis insuper sequeretur, quod universalis C Ecclesia, quæ Spiritu-sancto regitur, erret & erraverit ipsos honorando pro sanctis: quod est utique contra id quod Christus discipulis in ascensione sua, ut in sancto evangelio Mathæi legitur, promisit dicens: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Secundum enim istos diaboli filios pro illo tempore, vera Christi promissio non fuisset, nec aliquis illorum pontificum qui à paganis fuerunt eo tempore interfecti, sancti fuerunt, nec pro sanctis honorari deberent. Hoc quoque est expressè D contra illum articulum: Unam, sanctam & apostolicam ecclesiam, quia secundum eos nec sancta fuit pro illo tempore, nec potuit dici sancta. Utrum autem in omnibus apostolis, ac in simplicibus & non simplicibus sacerdotibus fuerit ordinis potestas æqualis, dicimus quod quantum ad ordinis dignitatem, pares sunt & fuerunt. Æque enim sacerdos quilibet sacerdotalem caracterem ritè & secundùm formam Ecclesiæ ordinatus, potestas autem ipsius ordinis, par quoad sacramentum altaris omninò non existit, nec extitit simplicis & non simplicis sacerdo- E tis, quod patet, quia potestas ligabilis illi quæ ligari vel suspendi nequit, nequaquam par potest dici. Constat autem quod papa ligare potest aliorum sacerdotum & suspendere potestatem, sic, quòd licitè uti dicta potestate non poterunt, licet effectus subsequatur si usi fuerint, & ipsi sunt ex hoc meritò puniendi. Nullus autem aliorum sacerdotum potestatem papæ ligare vel suspendere potest, quod etiam de aliis superioribus & inferioribus patet. Ex quo sequitur evidenter, quòd potestas etiam ordinis superioris F & inferioris sacerdotum, omninò par judicari non potest. Concedimus tamen quod sine prohibitione aliqua minores usi fuerint hujusmodi ordinis potestate, puta hostiam consecrando, par sequitur effectus: æque enim prolatis verbis illis: Hoc est corpus meum, &c. à simplici sacerdote fit transsubstantiatio panis in corpus Christi, sicut si ea superior protulisset: quod ex eo contingere noscitur, quia unus & idem est sacerdos interior, videlicet Christus, qui pro-

latis verbis prædictis à sacerdote quolibet, non consecrans, transsubstantiationem hujusmodi facit. Et ideo non est mirum, si par effectus sequi debeat verbis prædictis à quocumque sacerdote prolatis, cùm unus & idem auctor hujusmodi esse noscitur effectus. Adhuc isti blasphemi dicunt quòd tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator. Quod utique doctrinæ evangelicæ noscitur obviare. Constat enim quòd à Christo, Petro, & in persona Petri, Ecclesiæ, potestas coactiva concessa, vel saltem permissa extitit. Quæ quidem permissio fuit postea adimpleta cum sibi Christus dixit: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Ligantur enim non solùm voluntarii, sed inviti. Adhuc constat, sicut ibi legitur in Mathæo, quòd si aliquis alii damnum indebitè dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem à Christo sibi concessam ipsum ad hoc per excommunicationis sententiam compellere potest; quæ quidem potestas est utique coactiva. Circa quod est advertendum quòd cùm excommunicatio major nedum excommunicatum à perceptione sacramentorum removeat, sed etiam à communione fidelium ipsum excommunicatum excludat, quòd corporalis etiam à Christo coactio Ecclesiæ est permissa, cum etiam secundum imperiales leges gravius reputetur inter homines conversari, ipsorumque privari suffragio, quàm ab hominibus separari. Ex quo sequitur potestatem coactivam non ab imperatore terreno, sed ab ipso Christo fuisse originaliter Ecclesiam consecutam. Præterea beatus Petrus post ascensionem Domini in personam Ananiæ & Saphiræ uxoris suæ, sine imperiali concessione aliqua, hac usus est potestate, in quos, quia de pretio agri Deo oblati fraudaverant, mortis sententiam promulgavit: quæ quidem sententia non processit de ipsorum conjugum voluntate. *Item* beatus Paulus Elymas magum, Sergium Paulum à fide quærentem avertere, ad tempus luce temporali privavit. Illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit satanæ, ut ejus spiritus salvus esset. *Item* Corinthiis scribens idem Apostolus dixit: Quid vultis? in virga ad vos veniam, an in caritate, & spiritu mansuetudinis? In quo satis expressè coactivam potestatem supposuit se habere. *Item* scribens eisdem, dixit: Arma, inquit, militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, id est à Deo concessa, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Et sequitur: Et in promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Ex quibus patet Paulum non ab imperatore, sed à Deo habuisse potestatem etiam coactivam, cujus contrarium blasphemi præsumunt dicere supradicti. Rursus advertant isti nequam homines, quomodo audent dicere, quòd ab imperatore terreno Ecclesiarum prælati coactivam, vel aliam receperint originaliter potestatem. Cùm, ut supra dictum est, imperatores usque ad Constantinum magnum ferè omnes pagani fuerint ac idololatræ, & persecutores, immò exterminatores quantum fuit in eis Ecclesiæ sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam vel aliam potestatem concederent, utique nullus sapiens hoc credere debet. Et quia, ne tantorum auctores & doctores errorum plures in ipsorum errorum pertraherent devium, ipsique propter impunitatis audaciam nequaquam fierent nequiores, licet nos cum eorum excessus adeo forent notorii, quod nulla poterant tergiversatione celari, tunc possemus procedere ad sententiam contra eos, de benignitate tamen apostolica, quæ conversionem desiderat perversorum, nos ipsos Marsilium & Johannem, & quemlibet ipsorum, de fratrum eorumdem consilio v. Idus Aprilis proximè præteriti, die videlicet dominicæ cœnæ per edictum citavimus publicum, præsente multitudine fidelium copiosa, ut infra quatuor mensium tunc proximè subsequentium spatium, quos eis & eorum cuilibet de eorumdem fratrum consilio pro peremtorio termino præfiximus & assignavimus, apostolico conspectui se personaliter præsentarent, super prædictis excessibus & delictis, ut præfertur, notoriis, justam dante Domino sententiam audituri ac responsuri & facturi quod justitia suaderet, eisdem apertius prædicentes quòd sive infra prædictum terminum coram nobis comparerent, sive non, nos ad prædicta absque monitione & citatione alia procederemus, prout videremus expediens, eorum absentia non obstante. Volentes tunc nihilominus & etiam decernentes citationem prædictam, etiamsi termini supradicti præfixio in tempore forsitan caderet feriato, perinde valere, suumque effectum sortiri debere, ac si tempus feriatum non existeret, quacumque constitutione super hoc in contrarium edita non obstante. Et ut ad ipsorum & aliorum quos tangebant, notitiam communem deducerentur prædicta, cartas sive membranas processum continentes eumdem in majoris ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabant, ut ipsi & alii quos processus ipse tangebat nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenisset, vel quòd ignorassent eumdem, cùm non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod publicabatur omnibus tam patenter. Volumus etiam auctoritate apostolica decernentes, quod idem processus prædictos citatos apprehenderet & arctaret, quia ad eos moram trahentes cum dicto Ludovico tutus non patebat accessus, ac si eis insinuatus personaliter ac publicatus solemniter extitisset, constitutione quacumque per Romanos pontifices prædecessores nostros in contrarium edita non obstante. Cùm autem præfati Marsilius & Johannes citati, ut prædicitur, nec aliquis eorumdem in præmisso præfixo sibi termino comparere non curaverint, nec aliquis pro eisdem, nos ipsos & eorum quemlibet de fratrum prædictorum consilio reputavimus & decrevimus

meritò contumaces. Et licet tunc eorum contumacia exigente potuissemus, cùm eorum essent excessus, ut præfertur, adeò notorii, quòd non poterant aliqua tergiversatione celari, ad sententiam & alias rationabiliter contra ipsos procedere & quemlibet eorumdem, de benignitate tamen apostolica, quæ conversionem peccatorum desiderat, ipsos decrevimus usque ad nostrum beneplacitum exspectandos. Quocirca contra ipsos procedere usque ad diem præsentem de eorumdem fratrum consilio duximus differendum. Sanè considerantes attentè quòd prædicti Marsilius & Johannes ad redeundum ad sinum Ecclesiæ se non præparant, sed potius ut in sui erroris devium alios pertrahant elaborent; nec non ad memoriam reducentes quod dudum cùm hostis humani generis ad impugnandum sinceritatem fidei, hæreticorum fallaciam subinduceret fraudulentam, sancti patres prædecessores nostri contra ipsos viriliter insurgentes eorum prava dogmata cum suis auctoribus condemnarunt, sicut patet de Ario & Manichæo, Nestorio, & Dioscoro ejusque complicibus, & pluribus aliis quos cum suis hæresibus justissima sententia condemnarunt, ac volentes eorumdem patrum vestigiis inhærere, & insuper attendentes probabiliter formidari quòd in præmissis mora periculum, & damnum dissimulatio forent procul dubio allaturæ, non intendentes eos ulteriùs exspectare, sed reputantes ac decernentes potius contumaces. Ad laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, consolationemque fidelium, & fidei catholicæ firmamentum de fratrum nostrorum consilio, Dei nomine invocato, articulos prædictos, videlicet quòd id quod legitur de Christo in Evangelio beati Mathæi, quòd ipse solvit tributum Cæsari quando staterem sumtum ex ore piscis illis qui petebant didragma jussit dari, hoc fecit non condescensivè & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. *Item* quod beatus Petrus apostolus non fuit plus caput Ecclesiæ quàm quilibet aliorum apostolorum, nec habuit plus auctoritatis quàm habuerunt alii apostoli, & quòd Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem fecit vicarium suum. Rursus quòd ad imperatorem spectat corrigere papam & punire, ac instituere & destituere. Adhuc quòd omnes sacerdotes, sive sit papa, sive archiepiscopus, sive episcopus, sive sacerdos simplex, quicumque sint æqualis auctoritatis & jurisdictionis ex institutione Christi; sed quod unus habeat plus alio, hoc est secundum quod imperator concessit plus vel minus, & sicut concessit revocare potest. Ultimò quòd papa vel tota Ecclesia simul sumta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator daret eis auctoritatem, velut sacræ scripturæ contrarios & fidei catholicæ inimicos, hæreticos seu hæreticales & erroneos, ac prædictos Marsilium & Johannem hæreticos, immò hæresiarchas fore manifestos & notorios sententialiter declaramus; articulosque ac librum prædictos, nec non & quamcumque aliam scripturam continentem eosdem. Prædictos quoque Marsilium & Johannem ut hæreticos manifestos & notorios, immò ut hæresiarchas potius reprobamus & sententialiter condemnamus. Si quis autem doctrinam prædictam defendere vel approbare præsumserit, cujuscumque sit dignitatis, conditionis aut status, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur. Præterea universis & singulis Christi fidelibus districtiùs inhibemus, ne prædictos Marsilium & Johannem hæreticos & de hæresi ut præmittitur, finaliter condemnatos, aut eorum alterum receptare, defendere, fovere, aut eis quomodolibet adhærere, seu præstare per se vel alium seu alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè, auxilium, consilium vel favorem præsumat; sed eos evitent potiùs ut hæreticos manifestos, ipsosque, quos fidelibus capiendos exponimus, zelo fidei persequantur, & capiant ubicumque ipsos reperire poterunt, ac Ecclesiæ captos assignent & restituant animadversione debita puniendos. Nos autem adversus quoscumque dictorum hæreticorum receptatores, defensores, fautores, credentes, adhærentes, aut eis præstantes quomodolibet auxilium, consilium vel favorem, processuros, prout rationis fuerit & expedire videbimus, apertiùs prædicentes. Ut autem sententia & processus hujusmodi ad eorumdem Marsilii & Johannis, & aliorum omnium quorum interest communem notitiam deducantur, cartas sive membranas sententiam & processus continentes eosdem, in majoris ecclesiæ Avenionensis appendi & affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsos processum & sententiam suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quod ipsi & alii quos contingere dinoscuntur, nullam possint excusationem prætendere quòd ad eos non pervenerint, vel quòd ignoraverint eosdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione x. Kalendas Novembris anno duodecimo.

PROCESSUS MAJOR

Indulgentiæ ac prædicationis crucis, contra Bavarum & sequaces.

DILECTO filio JOHANNI S. Theodori diacono cardinali, apostolicæ sedis legato. Ad publicam notitiam non ambigimus pervenisse, quomodo nos dudum volentes certis dubiis, quæ inter nonnullos viros vertebantur scholasticos finem dare; de fratrum nostrorum consilio duximus declarandum, quod pertinaciter affirmare, quod Redemtori nostro Domino JESU-CHRISTO, ejusque apostolis, in his quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi seu consumendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi; quod tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit apertè, cùm talis assertio ipsorum usum & gesta evi-

denter includeret in præmissis, non juxta quod utique de usu, gestis seu factis Redemtoris nostri Dei filii sentire nefas, sacræ scripturæ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum, assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorumdem consilio, deinceps erroneam fore censendam & hæreticam duximus declarandam. Nec non & quomodo subsequenter cùm ad nostram notitiam fama publica perduxisset, quòd nonnullorum mentes dicebatur pater mendacii adeò excæcasse, quod ausu nefando aut petulantia improba ausi fuerant defendere publicè damnatam per constitutionem nostram prædictam hæresim ac etiam approbare: videlicet, quòd Christus & ejus apostoli in his quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti: ex quo, si verum esset, sequeretur usum Christi non fuisse justum, quod profectò blasphemiam continet, & esset fidei catholicæ inimicum, cùm hoc de pertinaci animositate erronea non esset dubium processisse. Omnes & singulos qui verbo & scripto, per se vel alium seu alios talia præsumserant publicè, ipsosque qui eos instruxerant in talibus, & ut præmissa facerent docuerunt, in damnatam incidisse hæresim, ac evitandos fore ut hæreticos, de fratrum prædictorum consilio per nostram constitutionem aliam, quæ incipit: *Quia quorumdam* duximus declarandos: prout hæc in eisdem constitutionibus pleniùs continentur. Quodque cùm fama publica, nec non & insinuatio tam verbalis quàm litteralis plurium sublimium personarum, ad nostrum perduxisset auditum, quod LUDOVICUS de Bavaria in discordia dudum in regem Romanorum, ut dicebatur, electus, velut in reprobum sensum datus, excessus plures graves committere præsumserat, ex quibus vehementer præsumebatur, immò potius convincebatur apertè clavium sanctæ matris Ecclesiæ evidenter contemtor existere, ac labe respersus hæreticæ pravitatis, utpote quia contra prædictam declarationem factam per constitutionem *Cum inter*, expressa intentione de ipsa habita, contrarium asserere publicè præsumserunt temerè, ac in ejus præsentia per alios, ut plures in sui erroris devium traheret, facere publicari. Et ut sua insania in plurium notitiam deveniret, libellum quemdam, sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa & erronea prædictam hæresim continentem, videlicet quòd Christo & apostolis ejus in rebus quas habuerunt, nullum jus competiit, sed tantummodò usus facti. Adjecto insuper per eumdem quòd dicere contrarium hæreticum est censendum, prout nos etiam & plures ex nostris fratribus in diversis libellis prædicti Ludovici pendenti sigillo ipsius sigillatis, vidimus contineri, per certos nuncios ad diversas civitates & principes Alemanniæ & Italiæ aliorumque partium, nec non & ad tyrannos & hæreticos partium Italiæ transmiserat, libellum ipsum faciens in locis publicis affigi & exponi publicè, ut haberet de tali & tanta insania plures testes. Ex quibus evidentiùs apparebat, ipsum asseruisse pertinaciter esse

A catholicum quod dicta constitutio hæreticum judicavit, ac fore hæreticum quod dicta constitutio catholicum declaravit, præcipuè cùm in eodem affirmaret libello se jurasse in plurium præsentia omnia contenta in eodem libello se credere esse vera. Et insuper LUDOVICUS præfatus cumulans mala malis, duos viros nequam perditionis filios & iniquitatis alumnos, quorum unus MARSILIUM de Padua, & alter JOHANNEM de Janduno se faciunt nominari, qui ad eumdem Ludovicum, quem suis demeB ritis exigentibus velut hæreticorum fautorem, & persecutorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pluriumque aliorum atrocium excessuum patratorem de fratrum prædictorum consilio privaveramus jure, si quod sibi ex electione prædicta fuerat acquisitum, gressus suos propere dirigentes, sibi librum quamdam erroribus plenum, & variis hæresibus non vacuum, sicut multorum catholicorum habebat assertio, præsentarunt: Quos errores & hæreses in terra ipsius Ludovici, ac in ipsius præsentia docere sæpiùs, sicut C habebat eorumdem insinuatio, præsumserant publicè, quamvis nonnulli viri catholici sacris litteris eruditi eidem Ludovico dicerent doctrinam illam esse hæreticam, prædictosque MARSILIUM & JOHANNEM fore tamquam hæreticos puniendos, periculosumque sibi existere tales ad sui familiaritatem admittere, aut in terris suæ ditioni subditis sustinere. Ipse verò non acquiescens eorum salutaribus monitis, velut credens prædictos errores & hæreses, ipsos in suos familiares retinuerat, eosdem errores D & hæreses publicè dogmatisare permittens: ut adhuc quod ligatus diversis excommunicationum sententiis in locis ecclesiastico suppositis interdicto divina faciebat etiam nonnumquam contra rectorum ecclesiarum & religiosorum voluntatem & beneplacitum, excommunicatis & interdictis præsentibus celebrari, immò quantum in eo erat potius prophanari, ipsos sub pœna mortis in locis variis ut hæc facerent compellendo. Nos autem attendentes, quòd juxta doctrinam Apostoli arguendi sunt publicè, E qui peccare publicè non formidant, utilitatique reipublicæ peccata nocentium deduci in notionem publicam expedire, cùm ad præfatum Ludovicum non esset tutus accessus, per quem nostra posset ad eum redargutio per nuntios vel litteras pervenire, ipsos excessus multitudini tunc astantium fidelium, non absque dolore ingenti animi duximus referendos, ut sic saltem ad eum circa excessus hujusmodi nostra reprehensio perveniret. Et licet tunc justitia exigente possemus super prædictis, quæ adeo F erant notoria, quòd nulla tergiversatione celari poterant, ad proferendam sententiam procedere contra eum, de benignitate tamen apostolica volentes ampliùs exspectare, an ipse præfatis dimissis erroribus ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ, ac viam se vellet convertere veritatis, ipsum de fratrum prædictorum consilio tertio nonas Aprilis proximi præteriti per edictum publicum præsente fidelium eorumdem multitudine copiosa citavimus, ut infra

Kalendas Octobris ex tunc proximè subsequentis coram nobis personaliter compareret, super prædictis facturus quod suaderet ratio ac sententiam auditurus, præfatum eidem terminum de fratrum eorumdem consilio peremtorium assignantes, apertiùs etiam prædicentes, quòd sive compareret sive non, ad prædictam proferendam sententiam procederemus, & alias super prædictis omnibus & singulis conjunctim vel divisim, prout videremus expediens & justitia suaderet.

Cùmque præfatus LUDOVICUS, qui ut prædicitur jure, si quod sibi ex electione prædicta fuerat acquisitum, ac subsequenter ejus aucta contumacia feudis omnibus quæ à Romana vel quibusvis Ecclesiis aliis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, ac omni jure ad ipsum in eo, aut ejus occasione vel causa sibi quomodolibet competenti, nec non & omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus, ei aut prædecessoribus suis concessis, quatinùs ipsius tangere poterant commodum, justo privatus extiterat judicio: quique etiam pro fautoria hæreticorum innodatus excommunicationis sententia, quam per biennium & ultra indurato sustinuerat, sicut & tunc sustinebat animo, manifestus hæreticorum fautor declaratus fuerat, & pœnas omnes à canonibus inflictas talibus incurrisse, prout in processibus contra eum habitis pleniùs continetur, infra prædictum præfixum sibi terminum comparere per se vel alium non curavit, nec etiam postea, de mansuetudine sedis apostolicæ diebus pluribus exspectatus, nos eumdem reputavimus de eorumdem fratrum consilio contumacem. Et quoniam nec se ad correctionem prædictorum disponere in aliquo non curaret, sed velut in profundum malorum perductus, mala malis superaddere, offensasque cumulare offensis, & iram Dei contra se jugiter provocare, ac fideles verbis & operibus persequi non cessabat: Nos læsionem fidei, patrum quoque sanctorum contemtus & probra, nec non & præsentium scandala, variaque posterorum pericula super his attendentes, obviareque tantis malis & periculis salubriter cupientes, cùm essent præmissa sic notoria quòd nequibant tergiversatione aliqua occultari, Dei nomine invocato, de fratrum eorumdem consilio, præsenteque fidelium multitudine copiosa, præfatum LUDOVICUM fore hæreticum declaravimus, ac prædictas assertiones per dictam constitutionem hæreticas declaratas, & scripturas quascumque continentes easdem, nec non & ipsum Ludovicum velut hæreticum reprobamus, & sententialiter duximus condamnandum. Volentes ut si quis doctrinam seu assertiones prædictas defendere præsumeret, vel etiam approbare, cujuscumque dignitatis, ordinis, conditionis, aut status existeret, tamquam hæreticus deberet ab omnibus confutari. Ne itaque tot & tantorum facinorum in divinæ majestatis offensam, & ejusdem Romanæ Ecclesiæ matris omnium fidelium contumeliam & contemtum, fideique catholicæ, ac utilitatis reipublicæ detrimentum, nequiter patratorum, in succedentia temporum sæcula sine correctione debita in multorum perniciem memoria differatur, nec idem LUDOVICUS qui pertinaciter in suis prædictis erroribus & hæresibus persistere, ac excessus excessibus, & injurias injuriis cumulare, pacemque Dei & Ecclesiæ perturbare, continuè non veretur, ac inter Christicolas schismata, dissentiones & scandala, præcipuè in urbe Romana, & in regno Siciliæ citra Farum, quod ad Romanam Ecclesiam jure directi dominii noscitur pertinere, & pro eo carissimus in Christo filius noster ROBERTUS rex Siciliæ illustris existit vassallus Ecclesiæ antedictæ, nititur periculosè nimium suscitare, suos pravos & damnandos conceptus, per quos cultum ejusdem fidei catholicæ, sine qua nemo Deum videre poterit, depravare quantum est in ipso poterit, in partum possit producere, sed potiùs dextera Domini faciente virtutem, obsistatur eidem viriliter & sui damnandi executio propositi elidatur, opportunis providere remediis cupientes, quia in his Dei & ejusdem Catholicæ fidei causam agi conspicimus, illam devotè prosequentibus, decrevimus etiam spiritualibus auxiliis assistendum, ut causam ipsam eò ferventiùs prosequamur, quo tutius hujusmodi prosecutionis eventum poterunt experiri. Itaque nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui dictum Ludovicum, ejusque complices, fautores, & receptatores, quamdiu extra dictæ sedis gratiam extiterint, in personis & sumtibus propriis; nec non & his qui in personis propriis, alienis tamen sumtibus, expugnabunt, & super hoc per annum incipiendum à die de quo tu duxeris ordinandum, continuum vel interpolatum infra biennium ex tunc complendum proximò, laborabunt, Ecclesiæ sequendo vexillum, tam clericis quam laïcis; & eis insuper qui suis dumtaxat expensis juxta quantitates & facultates suas destinabunt idoneos bellatores per dictum tempus moraturos & bellaturos ibidem, illam concedimus veniam peccatorum, quæ concedi per eamdem sedem proficiscentibus in Terræ sanctæ subsidium consuevit.

Et in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eos autem qui non per annum integrum, sed per ipsius anni partem in hujusmodi Dei servitio laborabunt, juxta qualitatem laboris & devotionis affectum, participes esse volumus indulgentiæ supradictæ. Quòd si forsan illorum aliquos post iter arreptum in persecutione dicti negotii ex hac luce migrare contigerit, vel interim negotium ipsum congrua terminatione compleri, eos integrè participes esse volumus indulgentiæ memoratæ. Hujus autem remissionis volumus esse participes juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad expugnationem prædicti LUDOVICI ac sequacium & fautorum ipsius de bonis suis congruè ministrabunt. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios hujusmodi concessionem nostram in ecclesiis & locis tuæ legationis, quando

quando & quoties expedire videris solemniter publicans & exponens, nihilominus ut melius & clarius intelligatur ab omnibus in vulgari, fideles instantius & efficacius per verbum prædicationis & aliter, prout expediens extiterit, inducere non postponas, ut suscipientes cum reverentia signum crucis, ipsumque suis humeris & cordibus affigentes, ad persequendum causam Dei hujusmodi viriliter se accingant. Nobis quicquid super prædictis feceris per tuas litteras vel instrumenta publica, principium & finem præsentium continentia, fideliter rescripturus. Ceterum quia nostræ intentionis existit, ut pecuniarum subsidium, quod super prædictis à fidelibus exhiberi contigerit, dispensandum in usus prædictos, diligenter & fideliter conservetur: volumus ut in singulis cathedralibus, collegiatis, & parochialibus ecclesiis civitatum & diœceseon tuæ legationis prædictæ, quibus videris expedire, in tutis & accommodis locis, singulas arcas seu truncos suffossos & cavatos bene firmatos & clausos tribus ferreis ferraturis, quæ cum tribus dissimilibus aperiantur clavibus & claudantur, in quibus hujusmodi subsidium recondatur, constitui facias, prælatorum in suis civitatibus & diœcesibus sumtibus & expensis: ita quòd singuli prælatorum ipsorum unam de ipsis clavibus arcarum seu truncorum prædictorum, quos videlicet in majoribus, ut prædicitur, ecclesiis suarum civitatum contigerit constitui, custodiant & conservent: alia verò per capitula seu rectores ecclesiarum ipsarum, & reliqua per priorem Prædicatorum, seu gardianum Minorum fratrum ordinum, vel alium quem ipsi prælati ad hoc in singulis ecclesiis locorum ipsorum in quibus fratres prædicti non essent forsitan, deputandum duxerit, conserventur. Aliorum verò arcarum seu truncorum, quos in ecclesiis suarum diœceseon ad hoc constitui contigerit, capitula seu rectores ecclesiarum ipsarum custodiant unam clavem, alia verò per priorem seu gardianum prædictorum ordinum vel religiosum aliquem, seu sacerdotem sæcularem bonæ opinionis & famæ, quem ad hoc in singulis eisdem ecclesiis illorum, scilicet locorum in quibus dicti fratres non essent, duxerint assumendum, similiter conservetur. Quodque hujusmodi pecuniarum subsidium tuo nuntio seu nuntiis, quem vel quos ad hoc deputaveris, quoties prædicti prælati ab eo vel ab eis requisiti fuerint, prædictis arcis seu truncis in eorum apertis præsentia, integraliter assignetur, confectis nihilominùs de qualibet assignatione pecuniæ dicti subsidii, præfatis nuntio seu nuntiis assignandæ, duplicibus litteris consimilibus, assignantium ac nuntii seu nuntiorum prædictorum sigillis munitis, quarum altera penes prælatos ipsos retenta, reliqua per fidelem nuntium ad nostram cameram transmittatur. Præterea volumus tuæque prudentiæ concedimus facultatem, præmissa omnia in regno & terris dicti regis Siciliæ citra Farum per te vel alium seu alios, sicut superius exprimitur, exequendi, contradictores autoritate nostra appellatione postposita compescendo. Datum Avenione XII. Kalendis Februarii anno duodecimo.

PROCESSUS MINOR

Indulgentiæ impugnantibus Bavarum concessæ.

Eidem Legato.

AD tuam notitiam aliorumque fidelium illarum partium non est dubium pervenisse, qualiter nos contra LUDOVICUM olim ducem Bavariæ, suis detestantibus excessibus adversus Deum & sacrosanctam Ecclesiam sponsam suam, fidemque catholicam commissis enormiter, ejusdemque Ludovici culpis gravibus, rebellionibus, inobedientiis ac contumaciis continuatis & exauctis exigentibus, diversos processus, diversis temporibus, de fratrum nostrorum consilio, & cum nonnullis prælatis aliisque literatis viris in sacra scriptura & utroque jure peritis, deliberatione præhabita diligenti, præsenteque fidelium multitudine copiosa habuimus, per quos ipsum excommunicatum, & jure, si quod sibi ex electione quæ de ipso in regem Romanorum promovendum in imperatorem fuisse celebrata dicebatur in discordia, competebat, ac omnibus privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus, nec non ducatu Bavariæ ac comitatu Palatino Rheni, aliisque feudis, honoribus & bonis, quæ à Romana aut quibusvis aliis ecclesiis vel imperio obtinebat, privavimus, justitia exigente, ipsumque præmissis privatum, ac fautorem esse hæreticorum, & tandem quia in hæresim evidenter repertus extitit incidisse, ipsum ut hæreticum duximus finaliter de prædictorum fratrum consilio condemnandum, sicut in eisdem processibus gradatim & successivè cum magna deliberatione digestis & habitis, hæc & alia pleniùs & fusiùs continentur. Sanè quia LUDOVICUS præfatus tamquam aversus à Deo & obstinatus in malum, cor ostendens impœnitens, eligensque perire potiùs quàm salvari, suos excessus atrocissimos, & errores perniciosos & exsecrandos discontinuare, horribilesque alios cumulare, ac pejora prioribus contra Deum & Ecclesiam ac fideles committere, pacem turbare, schisma inducere in Ecclesia sancta Dei, fidemque orthodoxam quantum in eo est subvertere, divina in omnibus retrojecta reverentia non veretur. Et insuper ad offendendum & invadendum ut hostis prophanus & impius urbem inclytam, & terras citra Farum regni Siciliæ ad eamdem Ecclesiam jure directi dominii pertinentem, (quod quidem regnum cum terris eisdem, carissimus in Christo filius noster ROBERTUS rex Siciliæ illustris à nobis & eadem Ecclesia tamquam vassallus tenet in feudum,) aliasque terras Ecclesiæ iniquis machinationibus & temerariis ac præsumtuosis ausibus se disponit. Nos sicut per processus prædictos præfati LUDOVICI, & hæreticorum, ac rebellium sibi adhærentium perversis actibus; ne præfatam Ecclesiam tam in Urbe quàm

regno prædicto, terra utique ipsius peculiari Ecclesiæ, quàm etiam alibi læderent, putavimus salubriter obviandum, sic eorum malitiis, & in hac parte conatibus damnandis obsistere volentibus, causamque Dei devotè prosequentibus contra eos spiritualibus auxiliis decrevimus assistendum, ut causam ipsam eò ferventius prosequamur, quo securius eventum prosecutionis hujusmodi poterunt experiri. Ideoque nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christi fidelibus qui contra dictum B LUDOVICUM, aliosque hæreticos & rebelles ac fautores suos, Ecclesiæ ac regi memoratis astiterint, si eos vel eorum aliquem propterea in generali vel quovis particulari maritimo seu terrestri conflictu, aut ex vulneribus in illis eisdem illatis, mori contigerit, illam peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam indulgemus, quæ concedi transfretantibus in Terræ-sanctæ subsidium consuevit. Quam etiam veniam eos assequi volumus, quos post iter arreptum ad causam hujusmodi prosequendam, ab hac luce C migrare contigerit, in eodem itinere constitutos. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus præsentes litteras & contenta in eis, in locis tuæ legationis, de quibus expedire videris, sublato cujuslibet moræ dispendio, publices & facias per alios publicari. Hoc idem fieri faciens in regno & terris citra Farum regis prædicti per prælatos & personas ecclesiasticas ibidem constitutos, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Datum *ut supra in proxima.* D

In eodem modo BERTRANDO electo Ostiensi, apostolicæ sedis legato, *demta clausula ultima quæ incipit*: Hoc idem fieri faciens in regno & terris citra Farum.

Contra Pisanos & alias communitates, quibus ne adhærerent Bavaro, nec subsidia præstarent inhibitum fuerat, quod declarentur pœnas incurrisse.

DIlecto filio JOHANNI sancti Theodori diacono cardinali, apostolicæ sedis legato. E

Graves & detestandos excessus LUDOVICI de Bavaria in regem Romanorum discorditer, ut dicebatur, electi, contra Romanam & universalem Ecclesiam, ac statum reipublicæ, cunctorumque fidelium, damnabili præsumtione commissos, sic facti evidentia & diversorum processuum per nos habitorum propterea de fratrum nostrorum consilio contra eum, F frequens & repetita publicatio divulgavit, ut ad omnium communem notitiam potuerint pervenire, nec opus esse credimus illos singulariter diffusa & morosa commemoratione repetere, sed quadam illorum generali & succincta epilogatione præmissa, sufficere aliqua explicitè recensere, per quæ justitia & mansuetudo sanctæ matris Ecclesiæ evidenter eluceat, & cunctis clariùs innotescat. Sanè dudum propter ipsius

A LUDOVICI excessus, injustitias, injurias, & contumelias, atque culpas, præmissis monitionibus, inductionibus & exhortationibus erga eum, ut dimissis errorum deviis rediret ad callem & semitam veritatis: quæ propter ejus obstinatam nequitiam nullos habuerunt effectus; subsecutis etiam citationibus solemnibus cum dierum & temporum competentibus intervallis, post manifestas ejus contumacias pertinaces, de dictorum fratrum consilio, omni jure privavimus, si quod ei ex electione hujusmodi fuerat acquisitum. Et subsequenter excrescentibus ejus contumaciis & offensis ipsum feudis omnibus, quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, & omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus sibi seu ejus prædecessoribus concessis, quatenus ejus commodum concernebant, justo judicio privavimus, eumque nihilominus utpotè publicum hæreticorum fautorem & persecutorem atrocem Ecclesiæ sanctæ Dei, declaravimus fautorem hæreticorum existere manifestum, pœnasque talibus inflictas à canonibus incurrisse, ipsumque mala malis jugiter aggregantem, & pejora pejoribus continuè committentem, post expectationes diutinas, quibus ex misericordia sedis apostolicæ emendationem expectabamus ipsius, cùm ipse ex patientia dictæ sedis signa neglexerit correctionis ostendere, sed continuè per aggregationem malorum deteriora prioribus acervaret, ex quorum patratione læsionem fidei, divinorum præceptorum contemtum, matris Ecclesiæ scandala, variaque futura pericula diligentius intuentes, considerantes insuper quòd ipse duos viros pestilentes & reprobos, quinimmò hæreticos manifestos, utpote dogmatisantes doctrinam hæreticam adversus catholicam veritatem, videlicet MARSILIUM de Padua & JOHANNEM de Janduno, ac libellum per eos editum manifestos errores & hæreses continentem, receperat, dictosque Marsilium & Johannem in consortium suæ familiaritatis admittens, velut credens & publicus fautor eorum, publicè dogmatisandi præfatas hæreses, defensionem & licentiam exhibebat, & adhuc amplius, quamvis foret diversis excommunicationum sententiis innodatus, divina faciebat officia in locis etiam ecclesiastico interdicto suppositis, interdictis & excommunicatis præsentibus, celebrari, contra voluntatem religiosorum & rectorum ecclesiarum, quibus nisi celebrarent vel celebrari permitterent, mortis vel alia terribilia inferre supplicia minabatur, ex quibus se clavium Ecclesiæ contemtorem existere, & labe respersum hæreticæ pravitatis ostendebat: cum præmissa adeò essent notoria, quòd nulla possent tergiversatione celari, ac præmissa nihilominus contra eum per edictum publicum peremtoria citatione solemni, præsente fidelium multitudine copiosa, ut certo coram nobis termino compareret super præmissis sententiam auditurus, & facturus quod justitia suaderet; cum in prædicto termino, & post exspectatus diutiùs, comparere coram nobis contumaciter non curaret, eumdem LUDOVICUM de prædictorum

fratrum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, fore hæreticum declaravimus, ipsum velut hæreticum reprobantes, & similiter de hæresi condemnantes, eum bonis omnibus mobilibus & immobilibus, juribus & jurisdictionibus, & quibuscumque aliis ubicumque forent, & quibuscumque nominibus censerentur, & specialiter comitatu Palatino Rheni, & omni jure habendi vocem in electione regis Romanorum, decernendo fore privatum, & eum privando nihilominus ad cautelam. Vassallos quoque ipsius, & quascumque alias tam ecclesiasticas quam sæculares personas, nec non communitates & universitates, civitates, castra, terras & villas, quæ sibi fidelitatis vel aliis quibuscumque juramentis tenerentur astricti, à vinculo illorum absolvimus, & quascumque colligationes, confœderationes & societates unitas vel contractas per quoscumque cum eo, etiamsi juramentis, pœnis, vel aliis firmitatibus essent vallatæ, auctoritate apostolica duximus penitùs dissolvendas. Universis & singulis personis ecclesiasticis & sæcularibus & regularibus, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, vel conditionis, aut ordinis existerent, etiamsi patriarchali, pontificali, aut majori seu inferiori dignitate fulgerent, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus quibuscumque, quique aliquo se præmissorum titulo intitulant, etiamsi jus non habeant in eisdem, ac communitatibus, universitatibus castrorum & civitatum, & villarum, specialiter Mediolanensis, Saonensis, Cumanensis, Vercellensis, Pargamensis, Laudenensis, Cremonensis, Archinensis, Novariensis, Papiensis, Mutinensis, Ferrariensis, Veronensis, Lucanensis; & aliis quibuscumque districtiùs inhibentes & mandantes expresse, ne præfato LUDOVICO de hæresi condemnato adhærere, participare, communicare vel favere quoquo modo, directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumerent, nec eidem portarent vel mitterent, seu portari vel mitti facerent aut procurarent frumentum, vinum, aut quæcumque victualia, pannos, ligna, ferrum, arma, seu quævis mercimonia, pecuniam vel quicquid aliud quod possit in ejus utilitatem vel commodum redundare. Nec societates, vel confœderationes, obligationes, pactiones, aut ligas quascumque cum ipso initas vel contractas, præsertim in ejus favorem, utilitatem, vel auxilium præsumerent observare. Alioquin personas quascumque singulares contrarium præsumentes, excommunicationis; universitates verò, communitates & collegia, quæ postquam processus noster olim super præmissis habitus ad eorum notitiam perveniret, vel per eos staret, quominus pervenire valeret; nec non terras & loca quorumlibet circa prædicta delinquentium interdicti sententiis, & generaliter pœnis omnibus, quibus fautores & defensores hæreticorum subjiciuntur à jure vel aliis constitutionibus quibuscumque, voluimus & decrevimus subjacere. Eis apertiùs prædicendo, quòd nos ad hujusmodi pœnarum declarationem & executionem contra taliter delinquentes procederemus, si, quando, & quoties nobis expediens videretur, sicut in processibus nostris super præmissis solemniter habitis pleniùs continetur. Cùm autem civitas Pisana, quam dictus LUDOVICUS tamquam obstinatus in malum & prorsus aversus à Deo, pejora coacervare prioribus & aggregare excessus excessibus non formidans, post prædictas condemnationes & sententias præsumtione damnabili occupavit: Et tam prænominatæ superiùs quàm nonnullæ aliæ civitates & loca, eorumque communitates, universitates, & singulares personæ tam ecclesiasticæ quàm mundanæ, prædictas pœnas & sententias ac alias in dictis contentas processibus, in prædictos fautores, defensores, receptatores, & adjutores hæreticorum, & eis quomodolibet adhærentes, inflictas, incurrere minimè formidantes, dicto LUDOVICO adhærere, communicare, participare, auxilia, consilia, & favores impendere, frumenta, vina, aliaque victualia, pannos, ligna, ferrum, arma, merces, pecuniam, & alia quæ in dicti Ludovici ac complicum, fautorum, & valitorum ipsius favorem, auxilium & commodum convertuntur, portare seu mittere, aut portari seu mitti facere, seu procurare præsumserint hactenus & præsumant, sicut habet veridica relatio plurimorum, in propriæ famæ dispendium, & suarum perniciem animarum. Nos eorumdem præsumtorum in hac parte ausus cohibere, suarumque animarum obviare periculis cupientes, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ne prætextu cujuslibet ignorantiæ super præmissis se quis valeat excusare, inhibitionem, mandatum & alia omnia & singula supradicta in singulis Ecclesiis atque locis tuæ legationis, de quibus expedire videris, per te vel alium seu alios publicans, singulares personas quascumque ecclesiasticas & sæculares, nec non communitates & universitates, monere si expediat, etiam per publicæ propositionis edictum, & efficaciter inducere studeas, ut ab adhæsione & participatione, consilio, auxilio, & favore, aliisque prædictis desistant, & deinceps desistere & abstinere procurent, eidem LUDOVICO nec non prænominatis, & aliis civitatibus, castris, villis, seu locis quibuscumque dicto Ludovico obedientibus, vel parentibus seu faventibus, participare, communicare, vel favere, vel aliqua commercia exercere, vendendo vel emendo, vel quemcumque contractum ineundo cum eis, directè vel indirectè, publicè vel occultè, nisi in casibus à jure permissis, quoquo modo præsumant, nec eisdem per terram vel mare portent vel mittant, seu portari vel mitti faciant aut procurent frumenta, vina, aut quæcumque, pannos, & ligna, ferrum, arma, seu quævis mercimonia, pecuniam vel quicquid aliud quod posset in ejusdem LUDOVICI vel prænominatorum & aliarum civitatum, castrorum, villarum & aliorum quorumcumque locorum dicto Ludovico obedientium seu parentium, ac universitatum & communitatum seu singularium

personarum ipsorum utilitatem vel commodum redundare, quinimmò parendo efficaciter mandato & inhibitioni prædictis, sibi consulto studeant præcavere, ne pœnas & sententias prædictas incurrant. Alioquin personas singulares hujusmodi ecclesiasticas & sæculares, ac universitates & communitates in prædictis præmissis vel circa ea quomodolibet delinquentes, omnes videlicet generaliter, nec non & eos de quibus tibi simpliciter, summariè, & de plano, deliquisse vel commisisse circa & contra præmissa constiterit, singulariter & nominatim in prædictas pœnas & sententias incurrerint supradictas, ad denuntiationem & executionem, ac aggravationem earum procedas sicut videris expedire. Processus tuos habendos super his in formam publicam redigi faciendo, nosque per instrumenta publica processuum ipsorum tenores continentia certificando de illis, & aliis quæ gesseris in hac parte. Datum Avenione quarto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

In eodem modo legato Lombarbiæ de verbo ad verbum.

In eodem modo patriarchæ Gradensi & suffraganeis, demto illo verbo aggravationem.
In eodem modo archiepiscopo Jannensi & suffraganeis.
In eodem modo archiepiscopo Mediolanensi & suffraganeis.
In eodem modo archiepiscopo Pisano & suffraganeis.
In eodem modo archiepiscopo Capuano adjecta clausula: per regnum & terras Siciliæ citra Farum.

Decernuntur irrita coronatio Bavari, & alia circa ipsum & sequaces præsumta in urbe.

AD certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Dudum per facti evidentiam deducto in publicam notionem, quòd LUDOVICUS olim dux Bavariæ, ac in regem Romanorum, in discordia tamen, ut dicebatur, electus, quique suis exigentibus demeritis, utroque, videlicet ducatu & jure, si quod ei ex electione hujusmodi fuerat acquisitum, privatus extiterat justitia exigente, adeo erat igne ambitionis succensus, quod vias non cessans quærere per quas de facto saltem, cùm de jure nequiret, ad imperialis posset conscendere solium dignitatis, hæreticos aliosque rebelles sanctæ Dei Ecclesiæ in partibus Italiæ constitutos, illis diebus in Tridento ad suum consilium convocavit, in quo prædicti cum eodem LUDOVICO convenientes in unum contra sanctam Dei Ecclesiam, nos, & fideles ejusdem in partibus Italiæ, & præcipuè contra carissimum filium nostrum ROBERTUM regem Siciliæ illustrem, ac regnum prædictum, ad Romanam Ecclesiam jure directi A dominii pertinens, & quod à nobis & Romana Ecclesia in feudum idem rex obtinuisse noscitur, & pro eo noster & Romanæ Ecclesiæ vassallus existit, diversa iniisse consilia dicebatur, illaque pactis & juramentis illicitis firmavisse, quodque ut conceptus suos iniquos hujusmodi in partum possent perducere promtius, jam in Lombardiam LUDOVICUM prædictum deduxerunt rebelles & hæretici supradicti, ut mutuò se juvantes rebelles ipsi sub umbra culminis per eumdem Ludovicum indebitè usurpati, possent in B suis perseverare rebellionibus & hæresibus liberè, ac devotos Ecclesiæ de finibus illarum partium effugare; dictusque LUDOVICUS eorum fultus potentia, nomen regium, quod indebitè usurpaverat, retinere posset liberiùs, ac imperiale nomen similiter usurpare. Nos tantis malis occurrere cupientes, cum ad eos tutus non pateret accessus, præsente fidelium multitudine copiosa, LUDOVICUM ipsum, ac hæreticos, & rebelles supradictos, quorum conversionem & C salutem paterno amore desideranter appetebamus, per publicum edictum, licet absentes commonere curavimus, & in Domino exhortari, ut à tam periculoso devio pedes suos studerent retrahere, ac in hac valle miseriæ sic in viam convertere veritatis & pacis, quod post hujus vitæ transitum immarcessibilis coronam gloriæ feliciter assequi mererentur. Et ut tam LUDOVICI quàm aliorum prædictorum perversis occurremus conceptibus, eumdem Ludovicum licet absentem, per nostrum edictum publicum, præsente fidelium multitudine copiosa, monuimus eidem D nihilominus sub anathematis & pœnis aliis à jure quocumque seu constitutionibus nostris inflictis seu comminatis, his qui titulum regium vel imperiale, falsò, temeritate propria ausi sunt usurpare, aut se administrationi imperii immiscere, quæ, ipso vacante sicut & nunc vacat, ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, ipsam Ecclesiam in eadem administratione ausu temerario perturbando, vel etiam quantum in eis est spoliando, aut iis qui hæreticis & Ecclesiæ Romanæ rebellibus præsumunt contra Ecclesiam impendere consilium, auxi- E lium, vel favorem, quasque infligunt jura his qui guerram movere præsumunt indebitè, pacemque gratam cunctis mortalibus perturbare, quasque imponunt pro maleficiis quæ consueverunt subsequi ex prædictis, quas omnes & singulas, præter mortis & mutilationis membrorum supplicium, ipsum si prædictæ monitioni præsumeret temerè non parere, ipso facto voluimus incurrisse, eidem districtiùs injungentes, ut infra duorum mensium spatium à data litterarum nostrarum numerandorum nomen de- F poneret regium, seque regem Romanorum non intitularet ulteriùs, nec per alios faceret, quantum in eo esset, intitulari tali titulo, vel etiam nominari, sigillumque curaret abjicere ubi talis conscriptus esset titulus, nequaquam ipsum ulterius nec simile resumturus, nec administrationem regni seu imperii, aut jurium eorumdem se ullo modo immiscere præsumeret; privilegia, immunitates, feuda, bona, seu jura

quæcumque ad eadem regnum seu imperium pertinentia concedendo; nec tamquam rex Romanorum vel imperator quicquam tentaret agere, cùm jus hoc sibi non competeret faciendi. Dominium quoque vel subjectionem in quascumque personas singulares vel terras ipsarum, vel potestariam seu quamcumque rectoriam, sive officium quocumque nomine censeantur, in civitate aliqua, vel quovis loco alio, maximè in urbe Romana, seu in ipso regno Siciliæ assumere attentaret; eidem nihilominus injungentes, ne contra Ecclesiam societatem seu confœderationem aliquam contraheret, nec observaret qualitercumque contractam. Nec non ut infra duorum mensium spatium numerandum à data litterarum nostrarum de tota exiret Italia, nequaquam ulteriùs quousque ad obedientiam & gratiam Romanæ rediisset Ecclesiæ, reversurus. Quodque sub titulo regio vel imperiali non præsumeret aliquem vel aliquos ad partes aliquas præsertim Italiæ destinare. Universis quoque patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & aliis personis ecclesiasticis quibuscumque sub virtute obedientiæ, & pœnis suspensionis ab officio & beneficio, quas ipsos incurrere volumus ipso facto, nisi ipsa infra scriptæ monitioni nostræ efficaciter obedire studerent. Nec non omnibus & singulis civitatibus, communitatibus, & universitatibus, ac personis aliis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existerent, etiamsi regali seu imperiali, vel alia quacumque dignitate fulgerent, ac specialiter hæreticis & rebellibus supradictis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœnis excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, quas ipsos incurrere volumus ipso facto, si nostris renuerent obedire monitionibus & mandatis; nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum quæ ab Ecclesia vel imperio obtinebant, expressè duximus inhibendum, ne Ludovico ipsi in præmissis parerent, faverent, vel intenderent eidem, circa regni seu imperii regimen vel administrationem eorum contingentia, favendo vel etiam assistendo. Privilegia, immunitates, feuda, vel jura quæcumque in eisdem regno vel imperio ab eodem recipiendo dominium vel subjectionem aliquam tamquam regi seu in regem Romanorum electo vel imperatori recognoscendo vel impendendo, terras, potestarias, rectorias, seu alia officia quocumque censeantur nomine in civitate aliqua vel quovis loco alio, maximè in urbe Romana seu in regno Siciliæ, vel terris aliis Romanæ Ecclesiæ subditis, aut alicujus partis Italiæ supradictis ab ipso vel sub ejus nomine recipiendo vel etiam exercendo. Societatem quoque seu confœderationem aliquam cum eo contra Ecclesiam nequaquam contraherent, nec contractam per eum, seu cum eo foverent vel observarent, nec consentirent etiam contrahendæ, nec retinendo ipsum seu fovendo quomodocumque vel qualitercumque in Italia eidem faverent, assisterent, aut præstarent auxilium cum armis vel sine armis, consilium vel

A favorem publicè vel occultè. A quibus quidem excommunicationis & interdicti sententiis nullus nisi dumtaxat Romanus Pontifex, præterquam in mortis articulo, prætextu cujusvis auctoritatis seu privilegii generaliter vel specialiter sub quavis forma verborum concessi, eas valeret absolvere, vel etiam liberare. Quod si fortè aliquem vel aliquos de prædictis in dicto mortis articulo absolvi contingeret, nisi, sanitate recepta, sedi apostolicæ quam primùm B commodè possent se præsentare curarent, satisfacturi de præmissis juxta mandatum Romani Pontificis, in prædictam relaberentur excommunicationis sententiam ipso facto. Apertè nihilominus prædicentes quòd contra prælatos & personas alias ecclesiasticas supradictas, ad depositionem, privationem, & inhabilitationem prælationum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum suorum ecclesiasticorum quorumcumque: contra civitates verò, communitates, universitates, collegia, castra, loca seu villas, C & personas singulares quascumque, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status vel conditionis existerent, etiamsi imperiali, regali vel alia dignitate quacumque fulgerent, quæ contra inhibitionem, monitionem & mandata nostra hujusmodi, directè vel indirectè, publicè vel occultè, præsumerent temerè aliquid attentare, ad privationem privilegiorum apostolicorum & imperialium, ac feudorum quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, & alias procedere conjunctim vel divi- D sim, intendebamus absque citatione alia, prout facti exigeret qualitas, sicut & quando expediens videremus, nonobstante supradictis, aut Ludovico præfato seu quibusvis aliis per litteras apostolicas foret sub quacumque forma verborum vel expressione concessum vel concederetur in posterum quòd excommunicari, suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possent per litteras sedis ejusdem non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto E hujusmodi mentionem, & quibusvis aliis privilegiis, constitutionibus seu indultis, quæ contra processum nostrum hujusmodi eis vel eorum alicui nolumus suffragari, sed ipsa quoad hæc viribus volumus penitus vacuari. Ceterùm colligationes, confœderationes, pactiones, societates, ac ligas contra præmissa vel præmissorum aliquod factas vel initas inter quoscumque, sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectione, juramentorum præstatione, vel quacumque firmitate vallatæ fuissent, utpote in divinæ majestatis offensam, F ac contra jura & honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ, & periculum animarum præsumtas, decrevimus nullas, cassas, irritas, & inanes, ac nullius existere firmitatis, & eas quatenus de facto præcesserant revocavimus, cassavimus, irritavimus, dissolvimus, & omnino duximus viribus vacuandas. Juramenta quoque super hoc præstita de apostolicæ potestatis plenitudine relaxavimus, omnes & singulos qui confœderationes, pactiones & societates hujusmodi cum

dicto Ludovico contra processus hujusmodi post dictum terminum præsumerent observare, prædictas excommunicationis & alias pœnas & sententias incurrere voluimus ipso facto. Et ut processus noster prædictus ad ejusdem LUDOVICI & aliorum prædictorum ceterorumque quorum intererat vel interesse poterat communem notitiam deveniret, cartas sive membranas processum continentes eumdem in portis Avenionensis ecclesiæ appendi vel affigi fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut prædictus Ludovicus & alii quos processus ipse tangebat nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenisset, vel quòd ignorassent eumdem, cùm non esset verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod publicabatur omnibus tam patenter. Voluimus autem, & auctoritate apostolica decrevimus, quod dictus processus præfatum LUDOVICUM & alios supradictos apprehenderet & arctaret, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset, constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita nonobstante, cum ad ejusdem Ludovici præsentiam pro eodem processu publicando & insinuando securus non pateret accessus, nec posset commodè singulorum quos tangebat auribus inculcari. Sanè quia LUDOVICUS prædictus, quod dolentes referimus, timore divino ac humano pudore procul abjectis, tamquam in profundum devenerit peccatorum, irritare regem Regum & Dominum dominantium non formidans, nostris spretis salutaribus monitis, ac pœnis in contemtum deductis, conceptus suos perversos prosequens, Mediolanumque veniens, hæreticorum ac fautorum ipsorum caterva vallatus, in eadem civitate de hæreticorum manibus, indignus & inhabilis ab indignis coronam assumere ferream, quam veri electi in reges Romanorum & admissi per sedem apostolicam consueverunt recipere, non expavit: ac exinde versus civitatem Pisanam infelices gressus suos dirigens, & eam ingrediens, ac in ea per plures dies moram trahens, cives ejusdem ac ecclesias & personas ecclesiasticas multipliciter aggravavit, & immaniter aggravare non cessat. Et exinde ad civitatem Lucanam accedens, CRASTRUTIUM de Interminellis, virum utique diversarum excommunicationum sententiis innodatum, qui civitatem ipsam detinebat tyrannicè occupatam, ac de fautoria hæreticorum per suos competentes judices condemnatum, ducem Lucanum de facto, cùm nec jus faciendi sibi competeret, nec ipse CASTRUTIUS esset capax hujusmodi dignitatis, nec alterius, publicè ordinavit. Qui quidem CASTRUTIUS, Lucanum se ducem nominans, terras Lucanas, ut dux, administrare cœpit indebitè & injustè. Ac etiam inde Pisas rediens, & versus Urbem dirigens gressus suos, in eadem à certis civibus dictæ Urbis deputatis, ut fertur, à populo coronam imperialem de facto recipere, cùm ad illam non esset idoneus, nec ipsi populo, etiamsi verus in regem

A Romanorum electus per sedem apostolicam approbatus existeret, jus ipsam competeret conferendi. Inunctionem quoque, immò veriùs exsecrationem, à quodam schismatico recipere non expavit. Dominium insuper, senatum seu regimen civitatis ejusdem, eidem LUDOVICO tamquam regi seu imperatori usque ad annum donavit & concessit, seu ad illud eumdem Ludovicum assumsit populus ante dictus: ipseque Ludovicus assumtioni seu concessioni consentiens antedictæ, ipsum per se vel alium exercuit

B vel exercere præsumit, non attendens quod felicis recordationis NICOLAUS papa tertius prædecessor noster per constitutionem suam, quæ incipit, *fundamenta*, districtiùs interdixit, quòd nullus imperator, vel rex Romanorum, aut alius imperator vel rex, princeps, marchio, dux, vel comes, in senatorem, capitaneum, patritium, aut rectorem, vel ad ejusdem Urbis regimen seu officium nominetur, eligatur, seu etiam aliter assumatur, absque licentia sedis apostolicæ speciali, per ipsius speciales litteras

C concessionem hujusmodi exprimentes. Decernens nominationem, electionem, & assumtionem in contrarium attentatas nullas esse, ac ipsas carere omni robore firmitatis; & non solum nominatores, electores, & assumtores, verumetiam nominatos, electos, si hujusmodi nominationi, electioni seu assumtioni consentirent, aut se de ipsis intromittere quomodolibet attentarent: intendentes quoque & obedientes eisdem, & in hoc dantes ipsis nominatoribus,

D electoribus, assumtoribus, ac nominatis, electis vel assumtis auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè; cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis aut status existerent, sententiam excommunicationis incurrerent eo ipso, à qua præterquam in mortis articulo absolvi non possent, nisi per summum pontificem, vel ipsius petita & obtenta licentia speciali; ac nihilominùs ipsos nominatos, electos seu assumtos si contra constitutionem prædictam hujusmodi nominationi, electioni vel assumtioni con-

E sentire præsumerent, aut se ingererent quoquo modo, eorumque posteros in perpetuum omnibus feudis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus & gratiis, quas à prædicta seu aliis tenerent ecclesiis, censuit esse privatos. Ita quod illi ad quos eorum collatio, concessio, seu dispositio pertineret, resumendi ea, retinendi, concedendi, seu conferendi aliis, aut de ipsis disponendi, prout pertineret ad eos, haberet liberam facultatem. Et insuper idem prædecessor noster mandata, præcepta, ordinationes & sta-

F tuta quælibet, quæ fecissent, omnes quoque sententias quas tulissent, & quicquid penitùs in contractibus & obligationibus, seu quibuscumque aliis, Urbis nomine, vel tamquam senatores, capitanei, patritii, aut rectores vel officiales ipsius egissent, irrita prorsus & vacua nuntiavit. Decrevit insuper prædecessor præfatus judices & tabelliones, qui super præmissis aut eorum aliquibus contra dictæ constitutionis edictum patrocinari vel instrumenta conficere fortè præsumerent, judicatus & tabellionatus officiis esse

privatos. Ne igitur de tanta pertinacia & contemtu Ludovicus prædictus valeat gloriari, nec tam nefandorum factorum perversitas transeat præsumtoribus in exemplum. cùm præmissa sint adeò notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari. Nos de fratrum nostrorum consilio declaramus ipsum prædictam anathematis & pœnas alias incurrisse, contentas in nostris processibus & constitutione prædictis. Et nihilominus quicquid circa ipsum Ludovicum per inunctionem seu potius exsecrationem & coronationes quas in Mediolano & in Urbe prædictis de facto recipere, seu veriùs usurpare, præsumsit, quas utique constat nullas esse, velut ab illo receptas qui prorsus indignus erat & inhabilis, & ab illis collatas quibus nequaquam jus impendendi talia competebat, cassas, nullas & irritas declaramus, ac ipsas in quantum de facto præcesserunt cassamus & irritamus, ac viribus penitùs vacuamus, ac insuper quælibet mandata, præcepta, ordinationes, & statuta ab ipso sub ducali vel comitali postquam illis privatus extitit, nec non regali, imperiali seu senatoris vel rectoris dictæ Urbis titulo, data sive facta, omnesque sententias & confirmationes, innovationes seu approbationes, nec non & renovationes privilegiorum, seu cassationes eorum, ab ipso anno ante coronationem & inunctionem seu exsecrationem prædictas, vel post in Urbe prædicta vel alibi ubicumque contra quascumque communitates seu universitates ac personas quascumque ecclesiasticas vel mundanas cujuscumque status vel conditionis existerent, etiamsi regali dignitate pollerent, & specialiter contra prædictum regem Siciliæ, regnum seu terras ejusdem per se vel alium promulgatas seu factas, & quicquid penitùs in contractibus & obligationibus, donationibus, privilegiorum concessionibus, vel alia qualitercumque tamquam dux, comes, rex, vel imperator seu Urbis senator, dominus, rector, vel administrator ubicumque egerit, vel illum contingeret agere in futurum, ex nunc vacua, cassa, nulla & irrita nuntiamus, illaque nihilominus quatenùs de facto processerunt, cassamus & irritamus ac viribus vacuamus. Et specialiter ordinationem dicti Castrutii in ducem Lucanum cassam, nullam, & irritam declaramus, ac ipsam quatenus de facto processit cassamus, irritamus, & prorsus viribus vacuamus. Et quia idem Castrutius dux factus de facto, ut prædicitur, senatoris in Urbe recepit dignitatem seu officium, ac comitis Palatini, ipsaque exercuit publicè ac notoriè contra constitutionem prædecessoris nostri prædicti, declaramus juxta ejusdem constitutionis tenorem, electionem, nominationem seu assumtionem ejusdem ad dictum senatoris officium & comitatus prædicti nullas esse, ipsasque carere omni robore firmitatis, & quatenus præcessere de facto, cassas, nullas, & irritas nuntiamus, ac eumdem Castrutium in excommunicationis sententiam declaramus, & tam ipsum quàm ejus posteros in alias pœnas contentas in constitutione prædicta juxta tenorem ipsius & continentiam incidisse: ac insuper quælibet mandata, præcepta, ordinationes & statuta ab eodem Castrutio dicta sive facta, omnesque sententias ab eodem senatorio nomine, ducali, vel comitali, seu quovis alio in Urbe prædicta, vel alibi ubicumque contra quascumque communitates vel universitates ac personas quascumque ecclesiasticas vel mundanas, per se vel alium promulgatas, & quævis alia quæ tamquam dux, comes, vel senator egerit, vel contingeret eum agere in futurum, ex nunc vacua, cassa, nulla & irrita nuntiamus, illaque nihilominus quatenus processere de facto cassamus, irritamus & omnino viribus vacuamus. Quamquam enim dictus Ludovicus nec dux, nec comes, nec rex, nec imperator, nec præfatus Castrutius dux nec comes existant; quia tamen se gerunt pro talibus, eisque prædicta in Urbe, sicut præmittitur, ut talibus sunt concessa, & ipsi eadem receperunt ut tales, non minus quam si tales existerent, debent tam ipsi quàm concedentes pœnas incurrere supradictas. Rursus quia nonnulli episcopi coronationi & exsecrationi dicti Ludovici causa honorandi eumdem, ei assistendo & favendo interfuisse dicuntur, de eorumdem fratrum consilio declaramus eos in excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio pœnas & sententias incidisse, ipsosque excommunicatos & suspensos ab officio & beneficio nuntiamus, ac eos ab omni episcopali dignitate & sacerdotali officio, suisque episcopatibus & dignitatibus de eorumdem fratrum consilio deponimus & privamus, & reddimus nihilominus ad quascumque dignitates seu beneficia ecclesiastica obtinenda inhabiles & indignos. Alios autem prælatos & personas ecclesiasticas, qui contra inhibitiones & mandata prædicta eidem Ludovico adhæserunt, astiterunt, vel faverunt, excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio pœnas & sententias per processus nostros talibus inflictas incurrisse declaramus, ipsosque excommunicatos & suspensos, propterea nuntiamus, ad privationis depositionis & inhabilitationis, ac alias pœnas & sententias, absque citatione vel monitione alia processuri, prout eorum inobedientia exigeret & viderimus expedire. Universis quoque patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque in virtute obedientiæ, ac excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio, quas non parendo ipso facto incurrant, nec non privationis, depositionis, inhabilitationis prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis; & insuper omnibus & singulis civitatibus, terris & locis, ac universitatibus, communitatibus & personis aliis quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existant, etiamsi imperiali, regali vel alia quacumque præemineant dignitate, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in civitates, terras, loca, eorumque communitates & universitates, quas nisi mandatis & monitionibus nostris paruerint, eos incurrere volumus ipso facto, nec non privationis privilegiorum

quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum & bonorum, quæ ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis vel imperio obtinent, pœnis & sententiis, mandamus & inhibemus expresse, ne prædicto LUDOVICO tamquam duci vel comiti, regi seu imperatori, nec eidem CASTRUTIO tamquam duci, comiti, vel senatori pareant, obediant, vel intendant: nec eidem LUDOVICO tamquam duci, comiti, regi seu imperatori, recognoscendo vel recipiendo terras, potestarias, rectorias seu alia officia quocumque nomine censeantur, in civitate vel loco aliquo adhæreant quoquo modo; nec aliquam societatem, ligam, vel confœderationem cum ipso contra Ecclesiam contrahant, vel contractam observent, nec consentiant etiam contrahendæ, nec eidem faveant, assistant, seu præstent cum armis, vel sine armis auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè, à quibus quidem pœnis & sententiis per alium quàm per Romanum pontificem nullum posse volumus, nisi dumtaxat in mortis articulo liberari. Eisdem & eorum singulis apertiùs nihilominùs prædicentes quod ad inflictionem, publicationem, executionem & aggravationem dictarum pœnarum conjunctim vel divisim, prout delinquentium excessuum enormitas exegerit & expedire videbimus, absque citatione vel monitione alia, si, & quando, & quoties opportunum cognoverimus, procedemus. Nonobstantibus quibuscumque privilegiis, constitutionibus, seu indultis, quæ contra processum nostrum hujusmodi nulli suffragari volumus, sed ea quoad hæc potius viribus vacuamus. Colligationes autem, pactiones, societates & ligas contra præmissa vel præmissorum aliqua factas, vel initas inter quoscumque sub quacumque forma, vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectione, juramentorum præstatione, vel quacumque alia fuerint firmitate vallatæ, utpote in divinæ majestatis offensam, & contra honorem sanctæ matris Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ, animarumque periculum præsumtas, cassas, nullas, irritas, ac inanes, nulliusque firmitatis existere declaramus, ipsas quatenus processerunt de facto, & juramenta super hoc præstita nihilominus relaxantes, dissolventes, & penitus viribus vacuantes. Ceterum præsentem processum ad Romanum populum extendi non intendimus, cum quoad ipsos duxerimus alium specialiter ordinandum. Et ut præsens processus noster ad prædictorum LUDOVICI, CASTRUTII & aliorum quos tangit, seu quorum interest vel interesse poterit in futurum, ad communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in Avenionensis Ecclesiæ ostiis faciemus appendi, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut præfati Ludovicus, Castrutius & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod

A tam patenter omnibus publicatur. Volentes nihilominus & auctoritate apostolica decernentes, quod dictus processus eosdem LUDOVICUM & CASTRUTIUM, ac alios supradictos apprehendat & arctet; ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset, quacumque constitutione per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante; cùm ad eorumdem præsentiam pro eodem processu publicando & insinuando securus accessus non pateat, nec posset commodè
B singulorum auribus quos tangere dinoscitur inculcari. Datum Avenione secundo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno duodecimo.

PROCESSUS

Contra Romanos; quòd expellant Bavarum & sequaces ab Urbe.

C AD futuram rei memoriam. Quamquam nobis molestum meritò sit & grave aliquid proponere publicè, per quod Romanus populus, peculiares Ecclesiæ Romanæ filii, pandantur in suam gloriam maculam posuisse: ad hoc tamen cogimur, tum quia ipsorum caremus præsentia, tum quia taciturnitas talium tam nobis quam ipsis esset periculum allatura. Sane dudum ad publicam notionem processus diversos & sententias contra LUDOVICUM olim ducem Bavariæ, & in discordia, sicut ferebatur, in regem Ro-
D manorum electum, in curia ipsos publicando fidelium præsente multitudine copiosâ, quorum cartas seu membranas processus ipsos & sententias continentes, ecclesiæ Avenionensis affigi ostiis faciendo, ipsos quoque qui ad omnes archiepiscopos & eorum suffraganeis transmittendos, duximus deducendos; per quos utique clarè patet, nos in ipsum LUDOVICUM primo excommunicationis sententiam, ejus variis & enormibus excessibus & contumacia exigentibus protulisse. Subsequenter autem contumacia ejus aucta, multiplicatisque excessibus variis,
E ipsum à jure, si quod sibi ex electione prædicta quæsitum fuerat, privavisse. Et cùm contumacius agere ac excessus superaddere non cessaret, ipsum privare curavimus ducatu prædicto Bavariæ, & omnibus privilegiis tam apostolicis quàm imperialibus & feudis, quæ à Romana seu aliis ecclesiis obtinebat. Et quia nec sic ad viam rediit veritatis, sed potius perversis intendens dogmatibus, viros hæreticos & erroneos ad suum admittens consortium, se ostendat hæreticum manifestè, citatusque ut super his ve-
F niret auditurus sententiam, & facturus quod justitia suaderet, cùm illa adeo essent notoria, quod non poterant tergiversatione aliqua occultari: ipse tamen malè sibi conscius comparere contemsit, propter quod cùm nec postea compareret, diutiùs expectatus, nec alius pro eodem, eumdem hæreticum declaravimus, ipsum velut hæreticum reprobantes, & sententialiter condemnantes, prout præmissa in nostris processibus fusius continentur. Deducto quoque dudum

dudum per facti evidentiam in publicam notionem, quòd LUDOVICUS olim dux Bavariæ, ac in regem Romanorum in discordia tamen, ut dicebatur, electus, quique suis exigentibus demeritis, utroque, videlicet ducatu & jure, si quod ei ex electione hujusmodi acquisitum fuerat, privatus extiterat justitia exigente. Et adeo erat igne ambitionis succensus, quod vias non cessans quærere per quas de facto saltem, cum de jure nequiret, ad imperialis posset conscendere solium dignitatis, hæreticos aliosque rebelles sanctæ Dei Ecclesiæ in partibus Italiæ constitutos, illis diebus in Tridento ad suum consilium convocarat, in quo prædicti cum eodem LUDOVICO convenientes in unum contra sanctam Dei Ecclesiam; nos & fideles ejusdem in partibus Italiæ, & præcipuè contra carissimum in Christo filium nostrum ROBERTUM regem Siciliæ illustrem ac regnum prædictum ad Romanam Ecclesiam jure directi dominii pertinens, & quod à nobis & Romana Ecclesia in feudum idem rex obtinere noscitur, & pro eo noster & Romanæ Ecclesiæ existit, diversa iniisse dicebantur consilia, illaque pactis & juramentis illicitis firmavisse. Quodque ut conceptus suos iniquos hujusmodi in partum possent producere promtiùs, jam in Lombardiam LUDOVICUM prædictum deduxerant rebelles, & hæretici supradicti, ut mutuò se juvantes rebelles ipsi sub umbra culminis per eumdem Ludovicum indebitè usurpandi, possent in suis perseverare rebellionibus & hæresibus liberè, ac devotos Ecclesiæ de finibus illarum partium effugare, dictusque LUDOVICUS eorum fultus potentia, nomen regium quod indebitè usurpaverat, retinere posset liberiùs, ac imperiale nomen similiter usurpare. Nos tantis malis occurrere cupientes, cùm ad eos tutus non pateret accessus, præsente multitudine fidelium copiosa, LUDOVICUM ipsum ac rebelles & hæreticos supradictos, quorum conversionem & salutem paterno more desideranter appetebamus & appetimus, per publicum edictum licet absentes commonere curavimus, & in Domino exhortari, ut à tam periculoso devio pedes suos studerent retrahere, ac in hac valle miseriæ sic ipsos in viam convertere veritatis & pacis, quod post hujus vitæ transitum immarcessibilem coronam gloriæ feliciter assequi mererentur. Et ut tam LUDOVICI quam aliorum prædictorum perversis occurreremus conceptibus, eumdem LUDOVICUM licet absentem per nostrum edictum publicum, præsente multitudine fidelium copiosa monuimus, eidem nihilominus sub anathematis & pœnis aliis à jure quocumque seu constitutionibus nostris inflictis seu comminatis, iis qui titulum regium vel imperialem falso temeritate propria ausi sunt usurpare, aut se administrationi imperii immiscere, quæ ipso vacante, sicut ex nunc vacat, ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, ipsam Ecclesiam in eadem administratione ausu temerario perturbando, vel etiam quantum in eis est spoliando; aut his qui hæreticis aut Ecclesiæ Romanæ rebellibus præsumunt contra Ecclesiam impendere consilium, auxilium vel favorem, quasque infligunt jura iis qui guerram movere præsumunt indebitè, pacemque gratam cunctis mortalibus perturbare, quasque imponunt pro maleficiis quæ consueverunt subsequi ex prædictis. Quas omnes & singulas præter mortis & mutilationis membrorum supplicium se dictæ monitioni præsumeret temerè non parere, ipso facto voluimus incurrere: districtiùs injungentes, ut infra duorum mensium spatium à data litterarum nostrarum numerandorum, nomen deponeret regium, seque regem Romanorum non intitularet ulteriùs, nec per alios faceret quantum in eo esset tali intitulari titulo, vel etiam nominari: sigillumque curaret adjicere, ubi talis conscriptus esset titulus, nequaquam ulterius nec simile resumturus, nec administrationi eorumdem regni seu imperii aut jurium earumdem se ullo modo immiscere præsumeret; privilegia, immunitates, feuda, bona, seu jura quæcumque ad eadem regnum seu imperium pertinentia concedendo, nec tamquam rex Romanorum vel imperator quicquam tentaret agere, cum jus hoc sibi nequaquam competeret faciendi. Dominium quoque vel subjectionem in quascumque personas singulares vel terras ipsarum, vel potestariam, seu quamcumque rectoriam sive officium quocumque nomine censeantur in civitate aliqua, vel quovis loco alio, maximè in urbe Romana, seu in ipso regno Siciliæ assumere non tentaret; eidem nihilominus injungentes, ne contra Ecclesiam societatem sive confœderationem aliquam contraheret, nec observaret qualitercumque contractam, nec non ut infra duorum mensium spatium numerandum à data litterarum nostrarum, de tota exiret Italia, nequaquam ulteriùs, quousque ad obedientiam & gratiam Romanæ rediisset Ecclesiæ, reversurus: quodque sub titulo regio vel imperiali non præsumeret aliquem vel aliquos ad partes aliquas, præsertim Italiæ, destinare. Universis quoque patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac aliis personis ecclesiasticis quibuscumque sub virtute obedientiæ & pœnis suspensionis ab officio & beneficio, quam ipsos incurrere voluimus ipso facto, nisi infra scriptæ inhibitioni nostræ efficaciter obedire studerent: nec non omnibus & singulis civitatibus, communitatibus & universitatibus, ac personis aliis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existerent, etiamsi imperiali, seu regali, vel alia quacumque dignitate fulgerent, & specialiter hæreticis & rebellibus supradictis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, quas ipsos incurrere voluimus ipso facto, si nostris obedire renuerent monitionibus & mandatis: nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, quæ ab Ecclesia vel imperio obtinerent, inhibuimus, ne LUDOVICO prædicto in præmissis parerent, faverent, vel intenderent circa regni seu imperii regimen vel administrationem eorum contingentia favendo vel etiam

assistendo. Privilegia, immunitates, feuda, vel jura quæcumque in eisdem regno vel imperio ab eodem recipiendo, dominium vel subjectionem aliquam tamquam regi seu in regem Romanorum electo vel imperatori recognoscendo, terras vel potestarias, rectorias seu alia officia quocumque nomine censerentur in civitate aliqua vel quovis loco alio, maximè in urbe Romana, seu in regno vel terris aliis Romanæ Ecclesiæ subditis, aut alicujus partis Italiæ supradictis, ab ipso vel sub ejus nomine recipiendo vel etiam exercendo: societatem quoque seu confœderationem aliquam cum eo contra Ecclesiam nequaquam contraherent, nec contractam per eum, seu cum eo faverent vel observarent, nec consentirent etiam contrahendæ, nec retinendo ipsum, seu favendo quomodocumque, vel qualitercumque in Italia eidem faverent, assisterent aut præstarent auxilium cum armis vel sine armis, consilium vel favorem, publicè vel occultè. A quibus quidem excommunicationis & interdicti sententiis nullus nisi dumtaxat Romanus pontifex, præter quam in mortis articulo, prætextu cujusvis auctoritatis seu privilegii quibusvis generaliter vel specialiter sub quavis forma verborum concessi, eas valeret absolvere vel etiam liberare. Quod si fortè aliquem vel aliquos de prædictis in dicto mortis articulo absolvi contingeret, nisi sanitate recepta sedi apostolicæ quamprimum commodè possent, se præsentarent satisfacturi de præmissis juxta mandatum Romani pontificis, in prædictam relaberentur excommunicationis sententiam eo ipso. Apertè nihilominùs prædicentes eisdem, quòd contra prælatos & personas alias ecclesiasticas supradictas ad depositionem, privationem, & inhabilitationem prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum quorumcumque suorum ecclesiasticorum: contra civitates verò, communitates, universitates, collegia, castra, loca, seu villas, ac personas singulares quascumque, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existerent, etiamsi imperiali, regali vel alia dignitate quacumque fulgerent, quæ contra inhibitionem ac mandata nostra hujusmodi, directè vel indirectè, publicè vel occultè, præsumerent temerè aliquid attentare, ad privationem privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium ac feudorum quæ à Romana vel aliis Ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, & alias procedere, conjunctim vel divisim, intendebamus, absque citatione alia, prout facti qualitas exigeret, sicut & quando expediens videremus. Non obstantibus si prædictis aut LUDOVICO præfato seu quibusvis aliis per litteras apostolicas foret, sub quacumque forma verborum vel expressione concessum, vel concederetur in posterum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possent, per litteras sedis ejusdem non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & quibusvis aliis privilegiis, constitutionibus seu indultis, quæ contra processum nostrum hujusmodi, eis vel eorum alicui noluimus suffragari, sed ipsa potius quoad hæc viribus voluimus penitùs vacuari. Ceterùm colligationes, confœderationes, pactiones, societates, ac ligas contra præmissa vel præmissorum aliqua factas vel initas inter quoscumque, sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectione, juramentorum præstatione, vel quacumque firmitate vallatæ fuissent, utpote in divinæ majestatis offensam, ac contra jura & honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac in damnum & præjudicium reipublicæ, & periculum animarum præsumtas, decrevimus nullas, cassas, irritas & inanes, ac nullius existere firmitatis, ac eas quatenus processere de facto revocavimus, cassavimus, irritavimus, dissolvimus, & omninò viribus duximus vacuandas. Juramenta quoque super hoc præstita de apostolicæ potestatis plenitudine relaxamus, omnes & singulos qui confœderationes, pactiones, & societates hujusmodi cum dicto LUDOVICO contra processus hujusmodi post dictum terminum præsumerent observare, prædictas excommunicationis ac alias pœnas & sententias incurrere voluimus ipso facto. Et ut processus noster hujusmodi ad ejusdem LUDOVICI & aliorum prædictorum, ceterorumque quorum intererat vel interesse poterat communem deduceretur notitiam, cartas sive membranas processum continentes eumdem in portis Avenionensis ecclesiæ appendi vel affigi fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut prædictus LUDOVICUS, & alii quos processus ipse tangebat, nullam possent excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenisset, vel quod ignorassent eumdem, cum non esset verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuerat publicatum. Voluimus autem & auctoritate apostolica decrevimus, quod dictus processus præfatum LUDOVICUM & alios supradictos apprehenderet & arctaret, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset. Constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante, cùm ad ejusdem Ludovici præsentiam pro eodem processu publicando & insinuando securus non pateret accessus, nec posset commodè singulorum quos tangebat auribus inculcari. Licet autem processus prædicti in Urbe fuerint publicati, tamen populus ante dictus præfatum LUDOVICUM, hostem Dei, & Ecclesiæ persecutorem infestum, demoliri vineam Domini Sabaoth satagentem, stipatum viris apostatis & hæreticis, ac nonnullis de fautoria, & aliquibus de hæresi condemnatis, de mense Januarii proximè præterito in eadem Urbe recipere, ipsius capiti coronam imperialem per cunctos concives suos imponi facere; licet hoc etiam si verus in regem Romanorum electus, & per sedem apostolicam admissus & approbatus etiam existeret, ad ipsorum nequaquam pertineret officium, præsumserunt; nec his contenti, sed cumulantes potius mala malis, contra constitutionem felicis re-

cordationis NICOLAI papæ tertii prædeceſſoris noſtri in Urbis ejuſdem favorem providè promulgatam, quæ incipit: *Fundamenta*, eidem LUDOVICO dictæ Urbis annale dominium, ſenatum, vel regimen, ſicut facti evidentia præmiſſa notoriat, conceſſerunt: non attendentes quod conceſſionem hujuſmodi, ac prædictorum aſſumtionem idem prædeceſſor nullam decrevit exiſtere, ac omni robore firmitatis carere; quodque aſſumtores & aſſumtus conſentiens aſſumtioni hujuſmodi, necnon intendentes & obedientes eidem, & in hoc dantes ipſis aſſumtoribus ſeu aſſumto auxilium, conſilium vel favorem, publicè vel occultè, cujuſcumque dignitatis vel præeminentiæ, conditionis vel ſtatus exiſterent, excommunicationis ſententiam incurrerent eo ipſo. Et inſuper prædicti populus MARSILIUM de Padua, & JOHANNEM de Janduno viros utique peſtiferos, reprobatos, & de hæreſi ſententialiter & publicè condemnatos, doctrinas hæreticales, reprobatas & condemnatas dogmatiſantes, publicè prædicantes, in Urbe receperunt prædicta, hæreticorum prædictorum prædicationes & dogmatiſationes nefarias audiendo, eiſque parendo in ſuarum animarum periculum conſilium & favorem. Et quamvis exceſſuum prædictorum gravitas & enormitas ſuaderent, ut ad tantarum temeritatum audaciam corrigendam, ad executionem pœnarum in conſtitutione prædicta, noſtriſque proceſſibus, & juribus aliis pro præmiſſis inflictarum, rigidè procedere deberemus, paterna tamen pietas quæ conſilium capi pro filiis poſtulat, & adhuc eorumdem populi correctio debeat poſtulari, cum ipſorum magna pars perverſis fuiſſe ſuper prædictis ſeducta conſiliis aſſeratur: & magna pars cleri & nobilium nec conſenſerint, ſicut audivimus, nec conſentiant perverſis ac reprobis actibus ſupradictis. Præfatum itaque populum & ſingulares perſonas ipſius, præſente hac fidelium multitudine copioſa exhortamur in Domino & monemus, eiſdem nihilominus ſub excommunicationis in perſonas ſingulares, & in ipſum populum interdicti pœnis & ſententiis, quas non obſtantibus privilegiis quibuſvis eiſdem ſub quacumque forma verborum indultis, ipſos & eorum ſingulos qui noſtris mandatis hujuſmodi quomodolibet inobedientes extiterint, incurrere volumus ipſo facto, diſtrictiùs injungentes, ut conſiderantes attentè prædeceſſorum ſuorum in fide ac devotione Eccleſiæ conſtantiam, quantumque præmiſſa derogent famæ ſuæ & ſuam obfuſcent gloriam, nec non quantis ſe periculis expoſuerint per præmiſſa, quantumque divinam offenderent majeſtatem, de tantis exceſſibus reſipiſcant, ac dimiſſo devio quod ducit ad mortem, infra Kalendas Julii proximè futuri, ad devotionem redire Eccleſiæ non omittant: eoſdem inſuper exhortantes & monentes, contra præfatum LUDOVICUM excommunicatum, & de hæreſi ut prædicitur condemnatum, tamquam Dei hoſtem, Eccleſiæ Romanæ rebellem, & abominandum deſolationis idolum abhorrendo, ejuſque ſemitas quæ ſequa-

A ces earum ducunt in præcipitium, ſummoperè declinando, ab eadem Urbe ipſiuſque diſtrictu, quantum in eis erit, expellere & ejicere ſtudeant; nec eidem tamquam duci, regi vel imperatori, ſenatori, rectori, ſeu domino pareant, obediant, faveant, vel intendant in Urbe vel extra, quavis occaſione vel cauſa, quin potius ſubtracto ſibi quovis commercio, ſubſidio, & auxilio, exinde viriliter eliminare procurent, eidem in poſterum quamdiu extra communionem fidelium & gratiam Romanæ Eccleſiæ B fuerit, ſicut nunc exiſtere dinoſcitur, nullatenus adhæſuri. Non obſtantibus quibuſcumque conventionibus, colligationibus, ſocietatibus, vel pactionibus factis cum ipſo forſitan vel initis, etiamſi pœnis, obligationibus, juramentis, aut quibuſvis aliis firmitatibus exiſterent roboratæ, quas velut contra bonum pacis, & in detrimentum reipublicæ, divinæque majeſtatis offenſam, ac noſtris proceſſibus, monitionibus ſalubribus, & mandatis obvias, præſumtas temerariis auſibus & initas, caſſas, nullas, & irritas C nuntiamus, eaſque caſſamus & irritamus ſicut proceſſerunt de facto, nihilominus ad cautelam pœnas adjectas, & juramenta ſuper hoc præſtita, cùm ea vinculum iniquitatis eſſe non debeant, etiam relaxantes. Per hunc autem proceſſum noſtris aliis contra dictum LUDOVICUM ejuſque complices & fautores proceſſibus diverſis temporibus habitis præjudicare non intendimus, nec volumus in aliquo, ſed eos potius & eorum ſingulos volumus in ſuo robore perdurare; nec noſtræ intentionis exiſtit, quòd D propter aliqua in præſenti proceſſu contenta, divina celebrari durante interdicto eccleſiaſtico in Urbe jam dicta aliqui de Urbe ipſa participare cum eodem Ludovico & aliis excommunicatis valeant licitè, niſi prout & quantum permittunt canonicæ ſanctiones. Et ut proceſſus noſter hujuſmodi ad eorumdem populi & aliorum quorum intereſt vel intereſſe poteſt communem notitiam deducatur, cartas ſive membranas proceſſum continentes eumdem in eccleſiæ Avenionenſis appendi vel affigi oſtiis fa- E ciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut ipſi & alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cùm non ſit veriſimile quoad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volentes inſuper & auctoritate apoſtolica decernentes, quod dictus proceſſus ipſos & alios quos contingit adeo apprehendat & arctet, ac ſi eiſdem publicatus per- F ſonaliter & inſinuatus ſolemniter extitiſſet, conſtitutione quacumque prædeceſſorum noſtrorum Romanorum pontificum in contrarium edita non obſtante, cùm pro ipſo publicando & inſinuando ad eos tutus acceſſus non pateat, nec poſſet commodè ſingulorum auribus inculcari. Datum Avenione ſecundo Kalendas Aprilis anno duodecimo.

Citatio Castrutii de fautoria hæreticorum damnati.

AD futuram rei memoriam. Inter curas innumeras quibus ex debito pastoralis officii jugiter anxiamur, illa nimirum nos angit potissimè, ut adversus eos qui vineam Domini sabaoth demoliri tamquam vulpeculæ suis execrandis factionibus satagunt, prout secundum Deum commodè possumus, procedamus. Sanè dudum ad dilecti filii Accursii Florentini de ordine fratrum Minorum inquisitoris hæreticæ pravitatis in provincia Tusciæ auctoritate apostolica deputati audientiam, publica insinuatione producto, quod Castrutius Geri de Intiminellis, ex eo quod olim ad Dei & sacro-sanctæ Ecclesiæ sponsæ suæ injurias & offensas aspirans, civitate Lucana, quæ tunc in devotione ipsius Ecclesiæ persistebat, per sævam ipsius Castrutii tyrannidem, occupata, unà cum suis complicibus thesaurum Romanæ Ecclesiæ, qui de Perusio ad eamdem civitatem Lucanam de mandato felicis recordationis CLEMENTIS Papæ quinti prædecessoris nostri portatus, in sacristia Ecclesiæ sancti Affrodiani Lucanensis tunc temporis servabatur, inde violenter rapuit, & secum nequiter asportavit, excommunicationis per eumdem prædecessorem sententiam incurrerat promulgatam. Et insuper quod impediens idem CASTRUTIUS, ne processus nostri contra LUDOVICUM olim ducem Bavariæ, suis gravibus culpis exigentibus & detestandis excessibus ab ipso commissis, habiti, juxta mandatum nostrum, in civitate publicarentur prædicta, excommunicationis etiam sententiæ, aliisque pœnis gravibus subjacebat, & alia plura enormia scelera commiserat, ex quibus plures & diversas excommunicationum & alias spiritales & temporales pœnas & sententias contra patratores scelerum eorumdem promulgatas, eum non erat dubium incurrisse. Nec non quod LIPPACIO de Auximo & aliis de Marchia Anconitana hæreticis, ac GALEATIO de Vicecomitibus, ejusque fratribus, de hæresi per suos competentes judices sententialiter & publicè condemnatis, postquam sententiæ hujusmodi fuerant solemniter in illis & diversis aliis mundi partibus publicatæ, ac hæreticorum prædictorum fautoribus adhæserat & faverat, eisdemque contra Deum & Ecclesiam fidemque catholicam præstiterat auxilium, consilium & favorem. Quodque prædictus CASTRUTIUS, etiam quondam MATHÆO de Vicecomitibus patri dictorum Galeatii & fratrum suorum de hæresi similiter condemnato, antequam infelicissimæ mortis persolvisset occasum, faverat, postquam prædicti Galeatius ejusque fratres fuerunt, ut prædicitur, de hæresi condemnati, & expositi cum omnibus bonis suis fidelibus capiendi, ac nonnulli fideles assumto contra eos vivificæ signo crucis, ad eosdem hæreticos capiendos cum exercitu Ecclesiæ, aliqua suburbia civitatis Mediolanensis intraverant, ubi dicti hæretici mora-A bantur, ad civitatem prædictam Mediolanensem, ut hæreticos prædictos à pœnis debitis liberaret, & ne à fidelibus capi possent, & subdi Ecclesiæ disciplinæ, missa multitudine hominum armatorum prohibere præsumsit nequiter, ac etiam impedivit ne funus dicti MATHÆI hæretici apprehendi vel inveniri posset ignis incendio concremandum. Qui quidem homines armati una cum dictis hæreticis, eorumque damnato exercitu, fideles & cruce-signatos ac exercitum Ecclesiæ, qui in burgo Modoëtiæ Mediolanensis diœcesis se recollegerant, hostiliter B impugnarunt burgum obsedendo prædictum: propter quæ dictus CASTRUTIUS tamquam fautor hæreticorum publicè ac legitimè per suos competentes judices condemnatus extiterat, & ut talis excommunicationis sententia innodatus. Rursus quòd prædictas excommunicationum sententias per annum, & ultra tunc animo indurato sustinuerat & sustinebat in suæ damnationis cumulum pertinaci, ex quibus vehementer C suspectum de crimine hæresis se reddebat. Præfatus inquisitor tam ex fautoria, adhæsione, auxiliis, & consiliis supradictis, quàm ex damnabili ejusdem Castrutii contumacia, & prædictarum excommunicationum contemtu, scrupulo non carentibus hæreticæ pravitatis, communicato sibi plurium utriusque juris peritorum consilio, habens & reputans meritò dictum CASTRUTIUM de hæresi vehementer suspectum, & malè de clavibus Ecclesiæ sentientem, nec valens juxta sui officii debitum tanta & talia D in divinæ majestatis offensam & læsionem fidei catholicæ per ipsum CASTRUTIUM temerè attentata, conniventibus oculis pertransire, contra eumdem Castrutium, tamquam contra vehementer de hæresi suspectum procedens & inquirens, ac procedere & inquirere intendens, eum per publici propositionem edicti, cum persona, domicilia vel loca ipsius tutè adiri non possent, citavit, requisivit & monuit, eidemque sub excommunicationis pœna quam in ipsum nisi cum effectu pareret citationi, requisitioni, E ac monitioni & mandato suis hujusmodi, promulgavit canonicè, duxit districtiùs injungendum, ut certis competentibus loco & termino, quem terminum sibi assignavit pro peremtorio, coram ipso personaliter compareret, de fide ac super inquisitione & articulis inquisitionis prædictæ debitè responsurus. Et licèt locus per eumdem inquisitorem dicto Castrutio assignatus, eidem Castrutio vicinus, propinquus existeret & securus, ad omnem tamen exceptionem tollendam & malitiam convincendam dilectus filius noster F JOHANNES sancti Theodori Diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis legatus, & nobilis vir CAROLUS carissimi in Christo filii nostri ROBERTI regis Siciliæ illustris primogenitus, dux Calabriæ, civitatis & districtus Florentini dominus temporalis, ac commune Florentinum securitatis pro dicto Castrutio ad prælatos & personas ecclesiasticas ac principes & nobiles, communitates & universitates earum partium, patentes litteras affixas in locis publicis concesserunt, sicut in processibus per dictum inquisito-

rem super prædictis habitis plenius continetur. A Sanè præfatus CASTRUTIUS tamquam sibi malè de fide conscius, infra dictum terminum, vel in eodem termino comparere per se vel per alium coram eodem inquisitore, licet per ipsum exspectatus diutiùs, non curavit. Quamobrem inquisitor præfatus, qui dicti CASTRUTII animam, si coram ipso compareret, & ab erroribus resiliret prædictis ad gremium reversurus Ecclesiæ, lucrifacere Domino intendebat, duritia & contumacia ejusdem Castrutii, & aliis B præmissis consideratis attente, declaravit & decrevit memoratum CASTRUTIUM contumacem, subterfugientem, & de fide respondere contumaciter recusantem, ipsumque pro dicta per eumdem inquisitorem lata excommunicationis sententia fore innodatum, & eum fecit in diversis partium Ecclesiis excommunicatum publicè nuntiari. Nos autem præfati CASTRUTII qui de fautoria hæreticorum sicut præmittitur condemnatus per dictam per eumdem inquisitorem ratione dictæ contumaciæ promul- C gatam excommunicationis sententiam, per annum & ultra & alias per multa tempora sustinuit, & adhuc animo sustinet indurato, claves Ecclesiæ damnabiliter contemnendo, & de crimine hæresis vehementer reddit & reddidit se suspectum, excessus, errores, contumacias & contemtus prædictos in divinæ majestatis offensam, sanctæ matris Ecclesiæ contumeliam, & fidei læsionem catholicæ redundantes, nolentes sicut etiam nec debemus præterire sub conniventia incorrectos, præsertim cum prædicta sint D adeo notoria, quod nulla possint tergiversatione celari, per præsens edictum publicum, cùm idem CASTRUTIUS adiri tutè nequeat, præsente hac multitudine fidelium copiosa, de consilio fratrum nostrorum, citamus eumdem ut infra Kalendas Junii proximè futuri personaliter compareat coram nobis sub crimine hæresis, de qua, sicut præmittitur, reddit & reddidit se suspectum, sententiam si commodè fieri poterit auditurus, ac facturus, & recepturus quod E justitia suadebit. Quem quidem terminum sibi peremtorium de dictorum fratrum consilio præfigimus & etiam assignamus: apertiùs prædicentes eidem quòd sive infra dictum terminum aut in eo comparuerit, sive non comparuerit coram nobis, nos ad prædictam proferendam sententiam, & alias contra ipsum prout rationis fuerit & expedire videbimus, absque citatione alia procedemus. Et ut hujusmodi citationis edictum & alia supradicta ad ipsius Castrutii, & aliorum quorum interest notitiam deducatur: præsentes litteras ostiis Avenionensis F ecclesiæ faciemus affigi, quæ præmissa suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut idem Castrutius nullam possit excusationem prætendere, quod ad eum non pervenerit, vel quod ignoravit eadem, cùm non sit verisimile quoad ipsum remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volentes & auctoritate apostolica decernentes, quod dictæ citationis edictum adeo dictum Castrutium apprehendat & arctet, ac si sibi dicta citatio fuisset personaliter & solemniter intimata, quacumque constitutione per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante, cum ad ipsum tutus accessus non pateat ut præfertur. Datum Avenione secundo Kalendas Aprilis, anno duodecimo.

Privatio & citatio Jacobi olim Episcopi Castellani.

AD futuram rei memoriam. Dudum fama publica divulgante, ac multarum assertione sublimium personarum deducto ad nostri apostolatus auditum, quod JACOBUS olim ordinatus episcopus Castellanus, cura dimissa gregis sibi commissi Dominici, ad civitatem Pisanam se conferens, LUDOVICO de Bavaria excommunicato & suis demeritis exigentibus jure, si quod sibi ex electione quæ de ipso celebrata fuisse in discordia dicebatur ad regnum Romanum vel imperium forsitan competebat, & subsequenter suis auctis excessibus omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus ac feudis, & bonis quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio quomodolibet obtinebat, præsertim ducatu Bavariæ, ac omni jure quod ad eum ratione illius pertinere poterat justo privato judicio, hæreticorumque declarato fautore, ac demum de hæresi sententialiter & publicè condemnato, spretis processibus per nos habitis & sententiis tam à nobis, quam à jure promulgatis, pœnisque inflictis adversus adhærentes, faventes, aut præstantes dicto Ludovico auxilium, consilium, vel favorem, adhæserat, vel adhærebat, ac faverat damnabiliter & favebat. Nos nolentes tantæ temeritatis audaciam oculis conniventibus pertransire, præfatum JACOBUM episcopum tam in ecclesia Castellana, quam domibus episcopalibus in quibus ipse consuevit morari, cùm nesciretur ubi esset ipse tunc, vel ad ipsum cum dicto LUDOVICO conversantem tutus non pateret accessus, per publici propositionem edicti citari per nostras certi tenoris litteras fecimus, ut certo jam elapso termino coram nobis personaliter compareret responsurus, facturus & recepturus super prædictis quod justitia suaderet. De qua quidem citatione nobis per litteras & instrumenta confecta super hoc plena extitit facta fides. Cumque præfatus JACOBUS in eodem termino, vel etiam postea diutius exspectatus, comparere per se vel per alium non curarit, nos ipsum reputantes & decernentes meritò contumacem, eum excommunicationis sententia propter contumaciam hujusmodi innodamus. Sanè quia ipse cum eodem LUDOVICO in obsidione civitatis Pisanæ, & in ipsa civitate post ipsius occupationem tyrannicam interfuit, eidem LUDOVICO, suisque complicibus & fautoribus adhærendo, & præstando auxilium, consilium & favorem, ac deinde cum eo seu ipsum sequendo accessit ad Urbem circa coronationem & inunctionem, seu potius & verius execratio-

nem ipsius Ludovici eidem assistendo, eumque honorando, & tamquam datus in sensum reprobum, & ingratus Romanæ Ecclesiæ, quæ ipsum Jacobum ad dignitatem episcopalem promoverat, in præmissis mala malis cumulare & adhærere continuè non verendo. Nos cum præmissa sint adeo notoria, quod non possint aliqua tergiversatione celari, declaramus & pronuntiamus eumdem Jacobum prædictas excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio pœnas & sententias incurrisse. Et nihilominus ad privationis, depositionis, & inhabilitationis pœnas, ad quas infligendas nos contra prælatos & personas ecclesiasticas quæ dicto Ludovico adhærere, favere, ac assistere contra tenorem processuum nostrorum præsumerent, absque citatione alia prædiximus processuros, eumdem Jacobum, qui post dictorum publicationem processuum præmissa committere, sicut rei evidentia notoriat, non expavit, ab omni episcopali dignitate, ac episcopatu Castellano, & sacerdotali officio privamus, de fratrum nostrorum consilio, & ad quascumque dignitates seu beneficia ecclesiastica obtinenda reddimus inhabilem & indignum. Et insuper quia de hæresis, schismatis, aliisque diversis per præmissa criminibus reddidit vehementiùs se suspectum, eumdem per edictum nostrum publicum, cum ipse in sequela dicti Ludovici & complicum suorum existens, adiri nequeat commodè personaliter, nec ad ipsum pateat tutus accessus, præsente hac multitudine copiosa fidelium, de consilio fratrum prædictorum citamus, ut infra Kalendas Julii proximè futuri apostolico conspectui personaliter se præsentet, super fautoria hæreticorum, & hæresis ac schismatis aliisque criminibus, quibus se respersisse noscitur ex prædictis, sententiam si commodè fieri poterit auditurus ac facturus & recepturus quod justitia suadebit. Quem quidem terminum ad præmissa peremtorium eidem præfigimus de dictorum fratrum consilio ac etiam assignamus: apertiùs prædicentes eidem quod sive infra dictum terminum vel in eo comparuerit, sive non comparuerit coram nobis, nos ad ferendum sententiam hujusmodi & alias contra ipsum, prout rationis fuerit & expedire videbimus, absque citatione alia procedemus. Et ut citationis edictum hujusmodi & alia supradicta ad ejusdem Jacobi & aliorum quorum interest notitiam deducatur, præsentes litteras ostiis Avenionensis ecclesiæ faciemus affigi, quæ citationem ipsam & alia in eis contenta suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt: cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volentes nihilominùs & auctoritate apostolica decernentes, quod dictæ citationis edictum adeo dictum Jacobum apprehendat & arctet, ac si sibi dicta citatio fuisset præsentialiter intimata, quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante, cum ad eumdem Jacobum tutus accessus non pateat ut præfertur. Datum Avenione secundo Kalendas Aprilis, anno duodecimo.

Nota indulgentiæ super statu totius universalis Ecclesiæ.

Indulgentia orantibus pro statu pacifico Catholicæ Ecclesiæ.

Ad perpetuam rei memoriam. Discipulorum Christi gesta nos instruunt, ut in pelago hujus mundi procella surgente, ad divinum confugium recurrere debeamus, illi quidem commotione maris adeò grandi facta, ut fluctus naviculam quam Jesum sequentes intraverunt, operirent, ipsum dormientem vocibus excitarunt supplicibus, & adversus ingruentes tempestatis impetus, ab eo salutis præsidium postularunt. Cum itaque catholicam Ecclesiam quæ congregationem fidelium comprehendit, videamus, quod dolentes referimus, pacis æmuli, zizaniorumque satoris malitia procurante, discordiarum flatibus concitatam, eorumque fluctus adeò elevatos, quod quasi operiant ipsam totam: hæreticos insuper Ecclesiam ipsam cernamus, ac schismaticos impugnare ferociter, ac ut inconsutilem Domini tunicam scindant multipliciter laborare, cum fratrum nostrorum deliberatione præhabita diligenti, expediens, immò necessarium potiùs existimamus, ut ad illum qui ad dexteram Patris residet in excelsis, qui caput est congregationis ejusdem, cuique potestas omnis tam in cælo quàm in terra noscitur tradita, eique venti & maria obediunt & obsecundant, levemus cum manibus corda nostra, ipsumque devotis pulsantes precibus apud eum sedulis orationibus insistamus, ut insurgentes præmissæ fremitus tempestatis, quæ quidem universorum Christicolarum regna concutit, subditos in dominos fidelitatis violato fœdere erigit, hæreticis, schismaticis ac rebellibus Ecclesiæ sanctæ Dei insurgendi contra ipsam, ejusque jura usurpandi, insania damnabili ausum pandit, flatus cessare fluctusque prædictos quiescere sua faciat omnipotenti virtute, cordaque hæreticorum, schismaticorum aliorumque rebellium ad Dei & Ecclesiæ unitatem & devotionem inclinet & habilitet, vel si forsan in præmissis pertinaciter intendant persistere, ipsorum elidat superbiam, eorumque obstinatam malitiam suæ virtute dexteræ conterat & prosternat, corda quoque subditorum ad eorum superiores, ac ipsorum superiorum convertat ad subditos, ipsosque diffidentes in concordiæ unitate conciliet & confirmet, sicque det ipsis superioribus præsidere, quòd sic regant & dirigant quod eorum regimen cedat subditis ad salutem perpetuam & quietem & pacem, nobisque ipse cujus providentia in sui dispositione non fallitur, modos & vias aperiat per quos hæc ut in votis gerimus, possimus efficaciter promovere. Et quia in missarum solemniis ad Deum consueverunt preces effundi devotiùs, de eorumdem fratrum consilio ordinamus, quòd in singulis missarum celebrationibus, post dictum à

celebrante, *Pater noster*, responsioneque secuta, antequam in missa ulteriùs procedatur, illud canticum, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, totum cum *Gloria Patri*, à religiosis, clericis, & aliis litteratis præsentibus cum devotione dicatur: & post dicantur *Kyrie eleyson*, *Christe eleyson*, *Kyrie eleison*, & *Pater noster*. Post quæ isti versiculi subsequentur: *Domine salvos fac reges, & exaudi nos in die qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos & extolle illos usque in æternum. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces benignus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Hostium nostrorum quæsumus, Domine, elide superbiam, eorumque contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Dicat celebrans consequenter. Nos enim Christi fideles ad exequendum supradicta promtiùs donis volentes spiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confessis tam ipsis celebrantibus, & eis assistentibus observantibus supradicta, quàm aliis preces tunc devotas Deo fundentibus pro præmissis, diebus & missis singulis quibus hoc fecerint, viginti dies de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Datum Avenione undecimo Kalendas Julii, anno duodecimo.

Contra Generalem olim Fratrum Minorum.

AD futuram rei memoriam. Dudum ad nostri apostolatus auditum fide dignorum relatione perducto, quòd MICHAËL DE CESENA tunc ordinis fratrum Minorum generalis minister, anno videlicet præterito per totam Quadragesimam & amplius in Urbe moram trahens, nonnulla nefanda cunctis catholicis, contra nos & Ecclesiam sanctam Dei subdolè in favorem hæreticorum & rebellium ejusdem Ecclesiæ procurabat. Nos ut valeret obviari præmissis salubriùs, eumdem Michaëlem, quod infra certum sibi præfixum terminum coram nobis compareret personaliter, per nostras certi tenoris litteras duximus evocandum. Ipse autem receptis litteris hujusmodi, se confingens infirmum, & impetratis tam à carissimo in Christo filio nostro ROBERTO rege Siciliæ illustri, quàm à dilectis filiis communi Perusino, & quibusdam aliis, excusatoriis ad nos super hoc litteris, suppressa, sicut postmodum evidenter claruit, veritate, comparere, tamquam sibi de præmissis malè conscius, in præfixo termino non curavit, sed eodem diu elapso termino, per terras rebellium Ecclesiæ transeundo, ad nostram veniens præsentiam, & in nostra curia residens, cum diabolico exagitatus spiritu, nesciret à suis pravis & damnandis conceptibus desistere, nedum præmissa continuare nefanda, sed pejora & horribiliora prioribus, eisdem adhærendo nihilominùs hæreticis & rebellibus, ac parando contra nos & ipsam Ecclesiam auxilia, consilia & favores, fratresque prædicti ordinis sui primi propositi & operum damnabiliter fovendo, exaltando, & ad status ejusdem ordinis promovendo, & alios zelatores honoris Dei & Ecclesiæ multipliciter deprimendo, committere continuè, sicut fama seu veriùs infamia publica, pluriumque bonorum virorum supradicti ordinis, & aliorum fide dignorum insinuatione & assertione percepimus, non expavit. Cumque hujusmodi detestanda facinora in divinæ majestatis offensam & Ecclesiæ læsionem enormem & fidei, præterire silentio, salva conscientia, nequiremus, eidem Michaëli ad nostram propter hoc præsentiam tunc specialiter evocato, præsentibusque venerabili fratre nostro BERTRANDO episcopo Tusculano, & dilectis filiis Raymundo de Lados procuratore generali, & Petro de Prado ministro provinciæ sancti Francisci, ac Laurentio de Coalho baccalario conventus Fratrum Avenionensium, prælibati ordinis, præmissa curavimus explicare. Prædicentes eidem quod super illis intendebamus inquirere pleniùs veritatem. Et quia brevis mora temporis nequaquam ad hæc sufficere videbatur, Nos eidem Michaëli, quem, licet propter præmissa posset rationabiliter carcerali mancipari custodiæ, tractare propter sui honorem ordinis mitiùs volumus, sub excommunicationis ac depositionis ab officio, & inhabilitationis ad quoscumque honores, dignitates, gradus, & status ecclesiasticos pœnis & sententiis, quas omnes & singulas ipsum incurrere volumus ipso facto, si nostræ inhabilitationi non pareret effectualiter districtius duximus inhibendum, ne de civitate Avenionensi, ubi cum nostra curia residemus, recedere absque nostra speciali licentia quomodolibet attentaret. Postmodum verò præfatus Michaël, audita intrusione quæ de quodam sui ordinis prædicti, per illum iniquitatis filium LUDOVICUM de Bavaria, Dei, & ejusdem Ecclesiæ manifestum persecutorem & hostem, ac de hæresi sententialiter condemnatum, patrata in Urbe prædicta dicitur, ad quam ipse Michaël pro persona sua nequiter aspirasse dicitur, ac etiam aspirare: intellectoque quod quædam armata galea, quam ipse sibi per dictum Ludovicum mitti procuraverat, sicut patronus ejusdem galeæ affirmavit; postmodum ad portum de Aquis mortuis applicarat, prædictis inhibitione ac pœnis & sententiis in contemtum deductis, nocturno tempore latenter & furtivè de civitate prædicta recessit, & associatis sibi quibusdam suæ iniquitatis complicibus, inter quos erant duo nequam viri, videlicet BONAGRATIA de ordine prædicto, qui suis excessibus & delictis exigentibus in eadem curia arrestatus, ad sancta Dei evangelia juraverat se de ipsa curia minimè sine nostra speciali licentia recessurum; & quidam Anglicus vocatus GUILLELMUS OKAM ordinis prælibati, contra quem ratione multarum opinionum erronearum & hæreticalium, quas ipse scripserat & dogmati-

ſaverat, pendebat in eadem curia inquiſitio auctoritate noſtra diu eſt jam incepta, & propter hoc erat, ne abſque noſtra licentia de curia memorata diſcederet, arreſtatus, ad portum ſupradictum deveniens, ſeque reddens cum dictis complicibus fugitivum, primò quamdam navem ſeu cotam, ac deinde galeam ſupradictam conſcendit. Nos autem eorumdem MICHAËLIS & complicum fuga, non abſque magnæ admirationis & turbationis materia intellecta, venerabilem fratrem noſtrum P. epiſcopum Portuenſem pro ipſis revocandis à deviis hujuſ- B modi ad dictum portum unà cum nonnullis aliis duximus deſtinandum. Qui quamvis eos moneri prout melius potuit fecerit & requiri ac citari, nihilominus ut ad curiam memoratam redirent, ſeque coram nobis præſentarent perſonaliter, facturi ſuper prædictis quod juſtitia ſuaderet, præfatus Michaël tamquam obſtinatus in malum & in reprobum ſenſum datus, pro ſe ſuiſque complicibus pertinaciter & irreverenter reſpondit, ſe ad noſtram nullatenus reverſurum præſentiam, ſed ad dictos intruſum & LUDOVICUM potiùs acceſſurum. Nos etiam eumdem Michaelem in audientia noſtra publica citari ſuper prædictis fecimus & vocari. Cumque præfati Michaël & complices de civitate Avenionenſi prædicta, ubi cum noſtra curia reſidemus, abſque noſtra licentia receſſerint, nec requiſiti & citati ſicut præmittitur redire voluerint, contumaces & fugitivos, ac hoſtes Dei & Eccleſiæ fideique Catholicæ, præſertim cùm ad hæreticos, rebelles & ſchiſmaticos ire ſicut præfertur diſpoſuerint, ſe manifeſtè reddentes. Nos cum fratrum noſtrorum deliberatione ſuper his præhabita diligenti, de ipſorum conſilio, præfatos MICHAËLEM, BONAGRATIAM & GUILLELMUM reputamus meritò contumaces, ipſoſque ratione contumaciæ hujuſmodi excommunicationis ſententia innodamus. Et inſuper dictum Michaëlem prædictas excommunicationis, depoſitionis, & inhabilitationis pœnas & ſententias per nos contra eum promulgatas incurriſſe, ac ipſum excommunicatum & depoſitum ab officio, & inhabilem ad quoſcumque honores, dignitates, gradus & ſtatus eccleſiaſticos, ad quævis beneficia eccleſiaſtica obtinenda exiſtere, de dictorum fratrum conſilio declaramus, tam contra ipſum quàm dictos complices, & eorum fautores, eiſque adhærentes ſuper prædictis & ea tangentibus, ſi, quando, & quoties nobis videbitur, nos proceſſuros ulterius prædicentes. Ut autem præſens proceſſus noſter ad communem omnium notitiam deducatur, cartas ſive membranas proceſſum continentes eumdem, in majoris eccleſiæ Avenionenſis affigi vel appendi oſtiis faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quòd prænominati Michaël & complices ejus ac alii quorum intereſt, nullam poſſint excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos proceſſus hujuſmodi non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, cùm non ſit veriſimile quoad ipſos remanere incognitum vel occultum quod A tam patenter fuerit omnibus publicatum. Datum Avenione octavo Idus Junii, anno duodecimo.

Contra mordentes conſtitutiones.

VEnerabilibus fratribus archiepiſcopo Terraconenſi ejuſque ſuffraganeis, ac dilectis filiis inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in provincia Terraconenſi auctoritate apoſtolica deputatis. B Quia nonnumquam unius impunitas, dum ſpe impunitatis ad alios prorogatur, ad culpam nonnullos provocat & invitat, ſæpe delinquentibus tyrannicè parcitur, & in eos miſericorditer deſævitur. Sanè licet dudum quod pertinaciter affirmare, quod Redemtori noſtro JESU-CHRISTO ejuſque apoſtolis in his quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi ſeu donandi jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi: quæ tamen C ipſos de præmiſſis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit apertè, cùm talis aſſertio ipſorum uſum & geſta evidenter includat in præmiſſis non juſta: quod utique de uſu, geſtis ſeu factis ejuſdem Redemtoris noſtri Dei filii ſentire nefas eſt, ſcripturæ ſacræ contrarium & doctrinæ apoſtolicæ inimicum: deliberatione tam cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalibus, quàm cum multis archiepiſcopis, & epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis, nec non & cum pluribus ſacræ Theologiæ magiſtris, & utriuſque D juris profeſſoribus præhabita diligenti, ac de eorumdem fratrum conſilio, aſſertionem prædictam pertinacem, deinceps erroneam fore cenſendam meritò & hæreticam per nos fuerit declaratum. Subſequenter quoque ad audientiam noſtram perducto, quod quorumdam mentes ſic pater mendacii dicebatur excœcaſſe, quòd auſu nefando ac petulantia improba auſi fuerant defendere publicè præfatam damnatam hæreſim, ac etiam approbare; videlicet, quod Chriſtus & ejus apoſtoli in his quæ habuiſſe E leguntur, tantùm habuerant abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti: ex quo ſi verum eſſet ſequeretur uſum Chriſti fuiſſe non juſtum, quod profectò blaſphemiam continebat, & erat catholicæ fidei inimicum; cùm hoc de pertinaci animoſitate & erronea non eſſet dubium proceſſiſſe, omnes & ſingulos qui verbo & ſcripto per ſe vel alium ſeu alios publicè talia præſumſerunt, in damnatam hæreſim, ac tales ut hæreticos evitandos fore, de eorumdem fratrum conſilio declarandum duximus: decernentes F quod ſi quis prædictam hæreſim deinceps ſcienter verbo vel ſcripto defendere vel approbare præſumeret, ab omnibus deberet tamquam hæreticus evitari. Adhuc tamen ſicut multorum inſinuatio ad noſtrum perduxit auditum, nonnulli in reprobum ſenſum dati, præcipuè quidam religioſi habitu, ſed revera hæretici, & ab unitate Eccleſiæ catholicæ ſeparati, præfatam hæreſim approbare præſumunt, ac defendere

dere & dogmatisare, ut alios in sui errorem pertrahant, non verentur. Ne igitur homines sic perfidi, sic reprobi, suæ glorientur perversitatis opera sine condignis meritorum stipendiis præteriri, sicque super tantæ temeritatis excessu illius disciplinæ exercenda severitas, per quam & tanti devoti Deo, ejusque sanctæ Ecclesiæ reddantur & humiles, ac deliquisse pœniteat pestilentes, ad devotorum quoque cedat solatium quòd vindictam viderint perfidorum; omnes & singulos qui postquam constitutiones nostræ super prædictis editæ ad eorum pervenerint, vel per eos stetit quominùs pervenirent notitiam, prædictam hæresim, ut præmittitur, condemnatam ausi fuerint defendere ac approbare, seu eam dogmatisare, & qui de cetero talia publicè vel occultè præsumserint attentare, hæreticos declaramus, sicut & per constitutionem quæ incipit, *Quia quorumdam*, duximus declarandos. Et quia indignum est, ut ejus à qua se obedientia subtrahunt, quamquam impugnare temere satagunt, privilegiis perfruantur, ipsos omnibus & singulis tam exemtionis quàm aliis quibuscumque privilegiis & gratiis, libertatibus & immunitatibus, tam ordinibus suis quàm personis & locis ipsorum sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, auctoritate apostolica omninò privamus, & præter pœnas alias contra talia præsumentes inflictas, quibus ipsos subjacere volumus, privatos perpetuò, ac ordinariorum locorum jurisdictioni ordinariæ quoad causas omnes & alia omnia decernimus manere subjectos. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus in virtute sanctæ obedientiæ districtiùs injungendo, quatenus singulis diebus dominicis & festivis de quibus videritis expedire, tales excommunicatos, hæreticos & schismaticos ac ut, prædicitur, eisdem privilegiis, gratiis, libertatibus, & immunitatibus privatos, vos fratres archiepiscope & suffraganei, faciatis in ecclesiis vestrarum civitatum & diœceseon publicè nuntiari: ac vos, vestrique vicegerentes, vestra ordinaria, & vos fili inquisitores apostolica auctoritate, adversus eos quos in præmissis vel circa ea summariè, simpliciter & de plano in eisdem civitatibus & diœcesibus repereritis deliquisse, tamquam contra hæreticos & schismaticos, ad captionem, inquisitionem, & correctionem, ac punitionem juxta sanctiones canonicas adeò diligenter procedere studeatis, quòd extirpatis de finibus vestris hæresibus hujusmodi, catholica fides illibata remaneat in hac parte, vosque divinæ ac sedis ejusdem gratiam valeatis uberiùs promereri. Nonobstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis, per quæ vestra vel alicujus vestrûm jurisdictio posset super his vel ea tangentibus quomodolibet impediri, aut ipsi delinquentes, seu eorum aliqui in aliquo se juvare valerent, etiamsi de illis esset in præsentibus specialis & expressa; ac de verbo ad verbum mentio facienda; quæ quoad hæc ex superabundanti penitùs revocamus. Porrò nostræ intentionis existit, quod per præmissa, dictis ordinibus aut fratribus eorumdem, qui à prædictis hæresibus ipsarumque defensione, approbatione, dogmatisatione, ac instructione innocentes fuerint & immunes, eorumque privilegiis, gratiis, immunitatibus, & libertatibus nullatenùs derogetur. Datum Avenione sexto Idus Augusti, anno duodecimo.

Eodem modo scribitur archiepiscopo Cæsar-Augustano & inquisitoribus, &c.

Pronuntiantur Bertoldus de Nyffen, & alii duo fautores hæreticorum; & irritantur quæ pro Bavaro egerunt in partibus Lombardiæ.

JOHANNES Episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Vineæ Domini Sabbaoth licet immeriti divina gerentes permissione sollicitudinem atque curam, providere & agere circumspectiùs nos oportet, ut non solum prætergredientes catholicæ fidei semitam, & prævaricationem addentes in eamdem vineam valeant demoliri, sed etiam favores & auxilia ministrantes eisdem, tamquam degeneres propagines noti fiant, & à veris fidei cultoribus evitentur. Sanè quia licet dudum GALEATIUS, LUCHINUS, MARCUS, JOHANNES, & STEPHANUS, fratres filii damnatæ memoriæ MATHÆI de Vicecomitibus de Mediolano, de labe pravitatis hæreticæ convicti fuerunt legitimè, & per competentes judices sententialiter condemnati, ac processus & sententiæ hujusmodi condemnationis tam in Lombardiæ, quàm in aliis diversis partibus solemniter publicati, multique catholicæ fidei professores, non solum de circumvicinis, sed etiam de aliis partibus contra dictos hæreticos in expugnationem eorum arma sumserunt, qui cum exercitu Ecclesiæ accesserunt, BERTHOLDUS de *Marsteron*, dictus *Nyffen* & BERTHOLDUS de *Groyspach* & FRIDERICUS de *Truendingen*, qui se magnifici viri LUDOVICI ducis Bavariæ in regem Romanorum electi, quem regem nominant Romanorum, ambaxiatores & nuntios fore dicebant, dictusque Bertholdus de *Marsteron* ejusdem electi in illis partibus pro vicario se gerebat publicè, dictis Galeatio & fratribus favorem multiplicem impendebant; eosdemque hæreticos velut complices & fautores eorum defendere nequiter præsumebant; ordinationes per civitates Lombardiæ ac mandata & præcepta ex parte ejusdem electi sub pœnis gravibus facientes in dictorum hæreticorum favorem & auxilium manifestum, gentes etiam armigeras per unum ex eis, videlicet præfatum Bertholdum de *Marsteron*, Mediolanum mittendo adversus exercitum fidelium ejusdem Ecclesiæ contra dictos hæreticos congregatum, dicti Bertholdus de *Marsteron*, & alter Bertholdus & Fridericus per competentes judices, quibus legitimè constitit de præmissis sententialiter judicati, pronuntiati, & declarati fuerant fore fautores & defensores hæreticorum supradictorum, ac propter fautoriam hujusmodi excommunicationis sententiæ & perpetuæ in-

famiæ subjacere, omnesque pœnas reales & personales, spirituales & temporales contra fautores hæreticorum editas incurrisse, prout in processibus & sententia super his habitis & prolata contra eos plenius continetur. Ut autem excessus hujusmodi ipsorum Bertholdi de *Marsteron*, & Bertholdi de *Groyspach*, ac Frederici, & sententia contra ipsos promulgata in publicam notitiam deducantur, eosdem fuisse & esse fautores, complices & defensores dictorum hæreticorum publicos & notorios; ac propterea excommunicationis sententiæ & perpetuæ infamiæ subjacere, omnesque alias pœnas reales & personales, spirituales & temporales contra fautores, complices & defensores hæreticorum editas incurrisse, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica nuntiamus & publicamus, præsente hac multitudine fidelium copiosa. Ceterum quia multorum insinuatio fide digna ad apostolatus nostri perduxit auditum, quod idem Bertholdus de *Marsteron* dictus de *Nyffen* post & contra processus nostros super his habitos, & in illis partibus solemniter publicatos, velut vicarius, ut prædicitur, in partibus Italiæ electi prædicti, quem regem nominat Romanorum, gentes armigeras & exercitum congregavit & congregat de diversis civitatibus, castris, locis, & terris in dictorum Galeatii & fratrum suorum favorem, præsidium & juvamen contra exercitum fidelium Ecclesiæ memoratæ, contra præfatos hæreticos, eorumque fautores & defensores per ipsam Ecclesiam ordinatum, & quòd cum gentibus illis non absque hæreticorum prædictorum fautoria notoria & sequela, ejusdem Ecclesiæ gentes invasit & bellum movit, & exercuit & exercet contra eas: nec his contentus ad frangendum vota fidelium præsumsit & præsumit facere mandata communitatibus & personis singularibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum illarum partium sub gravibus pœnis, ne ipse & gentes ipsarum ad exercitum fidelium Ecclesiæ conveniant, vel eisdem inhæreant, aut sequantur eos, seu assistant eisdem. Et tamquam vicarius ejusdem electi communitatibus civitatum, castrorum & locorum prædictorum obedientibus sibi privilegia dudum concessa eisdem de facto innovat & confirmat, aliaque eis de novo concedit. Privilegia verò dictis communitatibus in devotione ejusdem Ecclesiæ consistentibus, sibique minimè obedientibus concessa de facto revocat, adimit & annullat, pœnas etiam fidelibus eisdem infligit, ipsos condemnat & punit, rerum & famæ jactura, quamquam nullam faciendi prædicta habeat quomodolibet potestatem: propter quod tantæ præsumtioni & usurpationi, prout ad apostolatus nostri spectat officium, occurrere intendentes, eumdem Bertholdum de *Nyffen* per publicum præsentis processus edictum de ipsorum fratrum consilio monemus, & sub excommunicationis & privationis privilegiorum & feudorum quæ à Romana vel aliis quibuscumque tenet Ecclesiis, pœnis & sententiis, quas eum ipso facto incurrere volumus, si monitioni & mandato hujusmodi non parebitur, districtiùs

A injungentes ut infra duorum mensium spatium, quod sibi pro peremtorio termino assignamus, præmissa omnia & singula quatenus ad illa de facto processit, eatenùs quantum in ipso erit & possibile fuerit, ipsa de facto studeat revocare, similia proprio, vel ejusdem vicariatus, vel alio quocumque vocabulo seu colore quæsito, nullatenùs in posterum præsumturus, quin immò à fautoria, defensione, omnique adhæsione dictorum hæreticorum & rebellium, ac prædicto præsumto & usurpato vicariatus officio, & quo-
B libet exercitio ejusdem officii infra dictum terminum omninò desistat, nec se de illis per se vel per alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, aliquatenus intromittat. Nosque nihilominùs prædicta omnia & singula per dictum Bertholdum de *Nyffen* sub ejusdem nominis vocabulo vel alio quovis modo præsumta vel attentata auctoritate prædicta revocamus, cassamus & annullamus, irritamus & viribus vacuamus, ac cassa, vacua & irrita nun-
C ciamus, & nullius existere decernimus firmitatis: Mandamus nihilominus universis & singulis patriarchis, archiepiscopis & episcopis, ac aliis ecclesiarum prælatis; nec non ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus & nobilibus, universitatibus quoque & communitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum, ac aliis personis singularibus quibusqumque, cujuscumque status, conditionis, vel dignitatis existant, sub excommunicationis in personas earum, & interdicti in communitates, universi-
D tates, civitates, castra, & loca prædicta, pœnis & sententiis, quas ex nunc in ipsos ferimus, & eos nisi infra duorum mensium spatium à data præsentium computandorum hujusmodi monitioni & mandato nostris parere curaverint cum effectu, incurrere volumus ipso facto, ut dicto Bartholdo de *Marsteron* seu de *Nyffen* tamquam vicario, ut præmittitur, vel alii super præmissis vel similibus in nullo pareant vel intendant: processibus aliis quibuscumque per nos seu per dilectum filium nostrum BERTRANDUM tituli sancti Marcelli presbyterum cardinalem apostolicæ
E sedis legatum, vel alios judices competentes habitis tam contra dictum Bartholdum de *Marsteron* quàm alios, & parentes eisdem in suo robore duraturis. Ut autem processus hujusmodi ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum hujusmodi continentes in majoris Ecclesiæ Avenionensis appendi seu affigi ostiis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut dictus Bertholdus & quicumque alii quos processus ipse con-
F tingit, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare quod ad eos processus hujusmodi non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuerit publicatum. Datum Avenione secundo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

Privantur Minores Saonenses, privilegiis, &c. propter fautoriam Michaëlis de Cesana olim generalis Ministri.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad nostri apostolatus audientiam dudum multorum fide digna relatione perducto, quòd filius ille gehennæ MICHAËL de Cesana olim fratrum ordinis Minorum generalis minister, tam in Urbe ubi per totam quadragesimam tunc præteritam & amplius moram traxerat, quàm nonnullis Italiæ partibus horribilia multa & factiones detestandas diversas cum hæreticis & hostibus Ecclesiæ sanctæ Dei fecerat & inierat, & inire continuè, sicut abominanda facta sua subsecuta postmodum manifestarunt evidentiùs, satagebat, aliaque nonnulla tam in ordine quàm extra non erubescebat committere, quæ in divinæ majestatis offensam, nostram & apostolicæ sedis contumeliam, ac fidelium & devotorum Ecclesiæ jacturam notabilem, dictorumque hæreticorum & hostium favorem non modicum redundant. Nos his obviare salubriter cupientes, præfatum MICHAËLEM propter hoc ad nostram præsentiam duximus per nostras certi tenoris litteras evocandum. Demum verò ipso in nostra præsentia personaliter constituto, nos venerabili fratre nostro BERTRANDO episcopo Tusculano & quibusdam aliis personis notabilibus ordinis ejusdem præsentibus, eidem causam suæ vocationis exposuimus, & sibi quæ de præmissis volebamus veritatem inquirere duximus intimandum: ipsum nihilominus quamvis, suis excessibus exigentibus justè posset & deberet carcerali mancipari custodiæ, libertati suæ propter honorem dicti ordinis relinquentes, injuncto tamen eidem per nos sub virtute obedientiæ, ac excommunicationis, & depositionis à ministeriatu suo, & inhabilitatis perpetuæ ad quodlibet officium & beneficium ecclesiasticum obtinendum, pœnis & sententiis, quas ipsum si contrà faceret incurrere voluimus ipso facto, ne de Romana curia recedere quomodolibet præsumeret absque nostra licentia speciali. Ipse verò tamquam malè sibi de prædictis conscius, mandatis, inhibitionibus & pœnis prædictis contemtis damnabiliter, se furtivè, latenter, ac de nocte cum quibusdam suis complicibus reddidit de dicta curia fugitivum, pœnas incurrendo prædictas, sicut etiam eas per nos postmodum declaratum de fratrum nostrorum consilio extitit incurrisse. Rursus idem MICHAËL post fugam hujusmodi ad Pisanam civitatem, quæ per rebelles & inimicos Dei & Ecclesiæ tyrannicè destinebatur, sicut adhuc detinetur, se conferens, & ibi cum dictis inimicis & rebellibus moram trahens, custodi, gardiano, & conventui prædicti ordinis Minorum Saonensium per suas non absque infamia multa dedit litteras in mandatis, ut interdictum, cui civitas Saonensis certis causis auctoritate apostolica subjacebat, sicut adhuc noscitur subjacere,

A quodque tam per cathedralem quàm per alias religiosorum & sæcularium dictæ civitatis Ecclesias & personas ecclesiasticas fuerat usque tunc reverenter & debitè observatum, nullatenùs ulteriùs observarent: talia etiam eisdem litteris asserens & affirmans, per quæ manifestum hæreticum & schismaticum se ostendit. Cùm itaque fratres & conventus prædicti Saonenses, cæci cæcum sequentes ad præcipitium, seque gravibus pœnis & criminibus involvere non verentes, litteris & mandatis tam iniquis,
B àc juri & rationi obviis, & à tam reprobo & insano homine contra Deum & suam sanctam Ecclesiam emanatis, paruissent damnabiliter celebrando alta voce, seu potiùs quantum in eis erat profanando, divina officia campanâ pulsata, Ecclesiæque suæ apertis januis, interdictum hujusmodi, sicut fama seu infamia prædicat publica, & rei notoriabat evidentia, temerè violassent, in excommunicationis & varias pœnas alias inflictas contra tales à canonibus incurrendo. Nos licet tunc possemus
C acriùs super tam gravibus & enormibus excessibus procedere contra eos, more tamen patris benivoli conversionem eorum à tam periculosis deviis ad veritatis semitam exspectantes, ipsos & eorum singulos, ac fautores & parantes eisdem in præmissis auxilium, consilium vel favorem, monuimus & in Domino fuimus exhortati, eisque nihilominus & eorum singulis sub virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis privationis omnium privilegiorum eis per sedem apostolicam concessorum, seu circa prædicandi
D officium, vel confessiones audiendi, aut ad sepulturam recipiendi eorum corpora qui apud eos eligerent sepulturam, sive circa quæcumque alia eidem ordini sub quacumque forma verborum indulta, nec non & sub pœnis omnibus quæ contra committentes talia, seu eis circa illa parantes auxilium, consilium, vel favorem à canonibus infliguntur seu ordinantur infligi, quas omnes & singulas tam conventum loci prædicti in perpetuum, & singulares personas ejusdem loci & conventus, & alias quæ ut præ-
E dicti fieret interdicti violatio consenserunt, seu dederunt auxilium, consilium & favorem, si prædictis monitionibus & mandatis non parerent, incurrere voluimus ipso facto, districtiùs duximus injungendum, ut infra festum assumtionis Beatæ Mariæ Virginis dominæ nostræ, tunc proximè instans efficaciter & reverenter ad prædicti observationem interdicti redirent, illudque observarent inviolabiliter, donec per sedem apostolicam foret aliud super hoc ordi-
F natum, ac de illius violatione & ceteris per ipsos in prædictis commissis excessibus, nobis satisfactionem congruam exhiberent. Alioquin conventum civitatis ejusdem Saonensis & fratres omnes & singulos prælibati ordinis, qui præfatis nostris non parerent exhortationibus, monitis & mandatis, ex tunc privavimus & privatos denuntiavimus omnibus & singulis privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus quibuscumque dicto ordini ejusque professoribus per eamdem sedem sub quacumque verborum

forma concessis, eos incidisse in omnes pœnas contra committentes præmissa, vel aliquod præmissorum inflictas per sacros canones seu ordinatas infligi, pronuntiandum duximus ac etiam declarandum: nec nostræ intentionis extitit per dilationem prædictam, licentiam aliquam fratribus prædictis super aliquibus concedere, quæ ipsis agere interdicto durante hujusmodi non liceret. Et ut idem processus noster super prædictis habitus ad communem omnium deduceretur notitiam, cartas sive membranas processum continentes eumdem, ostiis seu superliminaribus Avenionensis ecclesiæ appendi fecimus & affigi. Sanè quia licet aliqui fratres singulares conventus Saonensis prædicti ordinis ab eodem recedentes conventu, & à devio divertentes prædicto, ad nostra & Ecclesiæ humiliter redierunt gremium & mandata, conventus tamen & reliqui fratres ipsius tamquam in malum obstinati, & in profundum peccatorum demissi, perdurantes in suis prædictis erroribus, dicto MICHAELI & aliis hæreticis & schismaticis eorumque fautoribus & sequacibus damnabiliter adhærentes, & parantes auxilium, consilium & favorem, infra dictum terminum, vel etiam postea parere non curaverint prædictis exhortationibus salubribus, monitionibus & mandatis, sed præmissis, per quæ sibi perditionis adimebatur laqueus & via parabatur salutis, tamquam in sensum dati reprobum obturantes aures suas, prædictos detestandos excessus continuare, illisque deteriores & horribiliores adjicere præsumserunt hactenus in damnationis suæ cumulum & præsumunt. Nos nolentes, sicut etiam nec debemus, quod tam detestanda facinora in Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI opprobrium, Ecclesiæ suæ sanctæ contumeliam & contemtum, ac fidei & fidelium grande scandalum per conventum & fratres prædictos commissa, in succedentia temporum sæcula transeunt sine recordatione punitionis debitæ, prædictos conventum & fratres, qui ad obedientiam nostram & Ecclesiæ ac gremium & mandata redire hactenus non curaverunt, omnibus privilegiis per prædictam sedem apostolicam eisdem indultis, sive circa prædicandi officium, vel confessiones audiendi, aut ad sepulturam recipiendi corpora illorum, qui apud eos elegerint sepeliri, sive circa quæcumque alia eidem ordini sub quacumque forma verborum indulta fore privatos, ac irregularitatis & alias pœnas prædictas & sententias incurrisse, pronuntiamus ac etiam declaramus, eosque privamus nihilominus dictis privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus ad cautelam. Universis fidelibus, clericis, & laïcis cujuscumque conditionis, status, ordinis, vel dignitatis existant, mandantes tenore præsentium & sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, districtius inhibentes ne ad conventum ac fratres inobedientes prædictos pro sepulturis, confessionibus, & prædicationibus, aut aliis supradictis recurrere seu adhærere, vel ipsos adire quoquo modo præsumant. Ut autem processus noster hujusmodi ad eorumdem conventus & fratrum ac aliorum omnium quos tangit seu tangere poterit in futurum, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem ostiis seu superliminaribus Avenionensis ecclesiæ appendi fecimus & affigi, ut nullam possint excusationem prætendere quod ad eos non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione decimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno tertio-decimo.

PROCESSUS

Contra Minores Fratres Saonenses.

VEnerabili fratri Archiepiscopo Januensi. Super nonnullis gravibus & horrendis excessibus per Fratres conventus ordinis Minorum Saonensium adversus Deum & Ecclesiam sanctam suam damnanda præsumtione commissis, certum processum pridem de fratrum nostrorum consilio habuimus contra eos, cujus tenor dinoscitur esse talis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Dignum prorsus arbitramur & debitum, ut ii quos ut peculiares filios enutrivit pia mater Ecclesia, cùm eam spreverint, in illam suæ temeritatis cornua erigentes, sic à suis compescantur insolentiis, & de commissis puniantur excessibus, quod & in ipsis dedecus culpæ per decorem ordinetur justitiæ, & in aliis audacia committendi similia, pœnæ formidine refrænetur. Sanè dudum ad audientiam apostolatus nostri multorum fide dignorum relatione perducto, quòd vir ille pestilens MICHAEL de Cesana ordinis Fratrum Minorum tunc generalis minister, tam Romæ, ubi per totam Quadragesimam tunc præteritam & ultra moram traxerat, quàm in aliis Italiæ partibus multa commiserat, pluresque factiones cum hæreticis & hostibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ manifestis inierat, & inire satagebat continuè, prout ejus facta detestabilia subsecuta evidentiùs manifestant, multaque alia tam in ordine, quam extra non erubescebat committere, quæ in divinæ majestatis offensam, nostrum & apostolicæ sedis contemtum, fidelium & devotorum Ecclesiæ jacturam notabilem, ac in hæreticorum & hostium prædictorum favorem non modicum redundabant. Nos eum propterea per nostras certi tenoris litteras ad nostram duximus præsentiam evocandum, ipsoque coram nobis personaliter constituto, sub venerabilis fratris nostri B. episcopi Tusculani, & quarumdam aliarum notabilium personarum præfati ordinis præsentia, causam suæ prædictæ vocationis sibi duximus exponendam, insinuantes eidem quòd de præmissis volebamus informari pleniùs & inquirere veritatem. Et licet enormitas excessuum requireret prædictorum ut tradi deberet custodiæ carcerali. Nos tamen

honori ordinis deferre volentes, injuncto sibi A sub virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis & depositionis à ministeriatu suo, & inhabilitationis perpetuæ ad quodlibet officium & beneficium ecclesiasticum obtinendum, quod de Romana curia nullo modo recedere præsumeret absque nostra licentia speciali: quas pœnas & earum quamlibet ipsum incurrere volumus, si contrafaceret, ipso facto, ipsum pristinæ reliquimus libertati. Ipse verò tamquam sibi malè conscius de præmissis, spretis præceptis nostris, B & pœnis superiùs annotatis, ad fugæ ignominiosæ remedium transiliens impudenter, cum quibusdam suis in hac parte complicibus furtivè ac sine nostra licentia de curia memorata recessit, sic pœnas eum incurrisse prædictas non extitit dubium, sicut & nos postea de fratrum nostrorum consilio sententialiter duximus declarandum. Adhuc cum dudum civitas Saonensis certis & justis causis auctoritate apostolica supposita fuisset, sicut adhuc supposita noscitur ecclesiastico interdicto, C quod tam per cathedralem Ecclesiam quàm per alias sæculares & religiosorum conventus civitatis ejusdem servatum reverenter ut debuit fuerat, & eo tempore servabatur, præfatus Michaël post fugam dictam ad civitatem Pisanam, quæ tyrannicè ab inimicis & rebellibus Ecclesiæ detinetur, se personaliter transferens, & inibi cum dictis rebellibus moram trahens, velut datus in sensum reprobum, & venumdatus ut faciat malum, in tantam prorupit infamiam, quòd custodi, gardiano & conventui D Saonensi per suas dedit litteras in mandatis, quòd interdictum proprium nullò modo ulteriùs observarent, talia interserens in præfatis litteris, & affirmans per quæ proculdubio manifestum hæreticum & schismaticum se ostendit. Fratres verò conventus prædicti cæcum sequentes ad præcipitium, seque criminibus variis ac pœnis gravibus involventes, mandatum hujusmodi tam juri quàm rationi obvium, hominisque tam reprobi & amentis exequentes, sicut publica fama factique evidentia notoriant, apertis Ecclesiæ E suæ januis, pulsata campana alta voce divina celebrantes, immò potiùs prophanantes officia, violare prædictum interdictum temerè præsumserunt. Ex quibus non est dubium ipsos pœnas excommunicationis & alias varias inflictas per sacros canones contra committentes talia, incurrisse. Licet autem, ne tam facti perversi perversitas ceteris transeat in exemplum, tam in conventum quàm in personas singulares ejusdem, quæ in præmissis præbuerunt assensum, vel consilium aut favorem, esset severitas potius F quàm misericordia exercenda. Nos tamen more pii patris conversionem illorum à tam periculoso devio ad veritatis semitam affectantes, de fratrum nostrorum consilio, ipsos & eorum quemlibet, ac fautores, præbentesque eis in præmissis auxilium, consilium vel favorem, exhortamur in Domino & monemus, eis nihilominus & eorum singulis sub virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis omnium privilegiorum eis per sedem apostolicam indultorum sive circa prædicandi officium, vel confessiones audiendi, aut ad sepulturam recipiendi eorum corpora qui apud eos elegerint sepeliri, sive circa quæcumque alia dicto ordini sub quacumque forma verborum indulta: nec non & sub pœnis omnibus quæ contra committentes talia, seu eis dantes circa illa auxilium, consilium, vel favorem per sacros infliguntur canones vel ordinantur infligi. Quas omnes & singulas tam conventum loci prædicti in perpetuum, & singulares personas ejusdem conventus, & alias quæ ut prædicta violatio interdicti fieret consenserunt, seu dederunt auxilium, consilium vel favorem, si nostris monitis & mandatis non paruerint, incurrere volumus ipso facto: videlicet, quod infra instans festum assumtionis Dominæ nostræ efficaciter & realiter ad observantiam præfati redeant interdicti, illudque observent donec per sedem apostolicam aliud super hoc fuerit ordinatum; ac de illius violatione & ceteris per ipsos commissis excessibus in prædictis, nobis satisfactionem exhibeant competentem: alioquin de fratrum eorumdem consilio, nos conventum prædictæ civitatis Saonæ, ac fratres omnes ac singulos qui præfatis nostris non paruerint exhortationibus & mandatis, ex nunc prout ex tunc privamus ac privatos denuntiamus omnibus & singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, & immunitatibus quibuscumque dicto ordini ejusque professoribus per sedem apostolicam sub quacumque verborum forma concessis, eosque incidisse in omnes pœnas contra committentes præmissa, vel aliquod eorumdem inflictas per sacros canones seu ordinatas infligi, pronuntiamus similiter & etiam declaramus. Per dilationem autem hujusmodi non intendimus ipsis licentiam aliqualiter impartiri aliqua exercere interim quæ ipsis per interdictum hujusmodi interdicta noscuntur. Ut autem processus noster hujusmodi ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem, ecclesiæ Avenionensis affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, ut omnes & singuli quos processus ipse contingit, nullam possint justam excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quòd ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile apud eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione sexto Idus Julii, anno duodecimo.

Et licet processus prædictus qui affixus portis ecclesiæ Avenionensis, ut in eo continetur, extitit, ad eorumdem fratrum possit & debeat notitiam pervenire, ex superabundanti tamen, & ut ipsi eo citiùs curent suæ providere saluti, & revocare consultiùs à devio pedes suos, quo celeriùs & pleniùs ejusdem fuerint processus certiores effecti, illum volentes in eis partibus publicari: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios in Ecclesiis & locis civitatum & diœceseon ac provinciæ Januensis, de quibus tibi videbitur præfatum processum, & contenta in eo studeas

solemniter, ut ad prædictorum fratrum citiùs possit pervenire notitiam, publicare. Et si, quod absit, contingeret fratres eosdem hujusmodi processui effectualiter non parere, ipsos lapsos in eodem processu præfixo termino in pœnas in ipso contentas, & contra fratres ipsos inflictas, incidisse, singulis diebus dominicis & festivis publicè nunties, ex tunc ad publicationem & executionem pœnarum ipsarum contra eos, & ipsorum singulos nihilominus prout processurus, nosque redditurus de præmissis per instrumenta publica certiores. Datum Avenione duodecimo Kalendas Augusti, anno duodecimo.

In eodem modo scribitur ministro fratrum ordinis Minorum provinciæ Januensis, mutato ubi dicitur in ecclesiis & locis civitatis & diœcesis, hic dicatur, in ecclesiis & locis tuæ provinciæ. Datum ut supra, &c.

PROCESSUS

Habitus contra Petrum de Corvaria de ordine Fratrum Minorum hæreticum & schismaticum.

Pronuntiatur hæreticus ac schismaticus.

VEnerabili fratri episcopo..... Adversus illum hominem reprobum PETRUM DE CORVARIA hæreticum & schismaticum manifestum certum processum nuper de consilio fratrum nostrorum præsente multitudine copiosa fidelium habuimus, cujus tenor dinoscitur esse talis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Quia consentaneum noscitur rationi, ut quod in omnium fertur injuriam, in communem omnium notitiam deducatur. Idcirco inauditas injurias utique detestabiles & nefandas cunctæ congregationi fidelium his diebus præteritis per filios Belial irrogatas succincto sermone præsenti fidelium multitudini de fratrum nostrorum consilio decrevimus exponendas. Dudum siquidem propter notorios LUDOVICI de Bavaria olim ducis Bavariæ & in regem Romanorum in discordia, ut dicebatur, electi, excessus & culpas enormes, contumacias quoque diutiùs continuatas & auctas in divinæ majestatis ab eodem perpetratos offensam, sanctæque Romanæ Ecclesiæ matris omnium fidelium contemtum & contumeliam, ac fidei catholicæ, & cunctorum fidelium periculum & evidens detrimentum, diversos contra ipsum processus cogente conscientia, & justitia exigente, fecimus, & eidem pœnas tam excommunicationis quàm privationis juris, si quod sibi ex electione prædicta acquisitum fuerat, ac feudorum omnium quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, & omni jure quod in eodem, aut ejus occasione vel causa sibi competebat, seu competere poterat quoquo modo: nec non & omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus, quatenus ipsum tangere poterant, indultis, prout ejus

A excessus ac continuatæ & auctæ exigebant contumaciæ, de fratrum nostrorum consilio successivè duximus infligendos, manifestum eumdem hæreticorum fautorem, ac pœnas omnes incurrisse à canonibus inflictas talibus nihilominùs declarantes. Et quia ad correctionem se non disponebat in aliquo, sed velut in profundum malorum perductus, ad mala malis superaddenda, & offensas offensis cumulandas totum suum studium convertebat; adeò quòd publicè

B præsumserat affirmare, & præsente populi multitudine coram se facere prædicari; nec non & per libellos quosdam suo sigillatos sigillo ad diversas civitates & loca tam in Alemaniæ & circumvicinis partibus, quam Italiæ, & tyrannis eorum transmissos, quos affigi in locis publicis & exponi publicè fecerat, Quòd Christus & apostoli in his quæ habuerunt, non habuerant nisi simplicem usum facti, cujus contrarium nihilominùs hæreticum asserebat: per quæ apertiùs ipsum catholicum affirmare per-

C tinaciter apparebat quòd constitutio quæ incipit, *Cum inter*, hæreticum declarabat, & hæreticum fore quod eadem constitutio catholicum supponebat: cùm illa essent adeò notoria, quòd non poterant tergiversatione aliqua occultari. Nos in prædictis læsionem fidei attendentes, de fratrum eorumdem consilio, ipsum hæreticum declaramus, eum nihilominùs reprobantes velut hæreticum, & sententialiter condemnantes. Sanè quia qui in sordibus est, dum sordes tergere negligit, aliis sordibus sæpius se involvit: infelix homo iste sana consilia res-

D puens, ac perversis dogmatibus acquiescens, ad tantam deductus est insaniam, ut illam damnatam hæresim, videlicet quòd ad imperatorem spectat papam destituere & instituere, postquam dicta damnatio tam in Romana curia quàm in Urbe fuerat solemniter publicata, faciens Romæ, præsente clero & populo, coram se publicè prædicari, ac ut quod ipse credebat interius per exterioris operis evidentiam manifestiùs declararet, ipse qui nec imperator erat, nec capax dignitatis alicujus, velut hæreticus

E & schismaticus, & omni honore privatus, contra nos sicut imperator præsumsit de facto, non absque nota insaniæ publicè depositionis sententiam promulgare. Et illa erant adeò tam per facti evidentiam notoria, quàm per depositionem plurium testium, quos audiri per nonnullos ex præfatis nostris fratribus ad cautelam fecimus, nec non & patentes ejusdem LUDOVICI litteras, dictam continentes sententiam, ejus sigillo munitas, prout nos & fratres nostri prædicti in eisdem litteris pleniùs vidimus con-

F tineri. Nos considerantes attentè quòd in præmissis mora periculum, & damnum dissimulatio minabantur, cùm jam ferè per annum exspectassemus si à tanta insania resiliret: qui cùm in sua perfidia obstinatus, in ea continuè ferventiùs inardesceret, cùm ex prædictis appareat evidenter ipsum in dictam hæresim incidisse; auctoritate Domini nostri JESU-CHRISTI, cujus vices in terris, licèt immeriti, gerimus, cuique per præmissa inaudita injuria noscitur

irrogata, ipsum LUDOVICUM præsente fidelium numerosa multitudine, de eorumdem fratrum consilio in præfatam hæresim declaramus incidisse, & ipsum velut hæreticum & schismaticum reprobandum duximus, ac etiam condemnandum, prout præmissa in nostris processibus pleniùs continentur. Verum quia his non contentus; sed in subversione fidei & totius ecclesiastici ordinis adhuc spirans, statumque suum quærens fulcire indebitè usurpatum, unà cum nonnullis Romanis clericis, qui cleri Romani se procuratores esse dicebant, seu ad eorum instantiam, ad electionem Romani non quidem apostolici, sed apostatici, procedere non expavit. Et quia similis similem sibi quærit, in PETRUM DE CORVARIA, qui dimissa uxore sua legitima, cum qua pluribus annis cohabitaverat, & eam tam in mensa quam in lecto tractarat, prout per processum super hoc per venerabilem fratrem nostrum episcopum Reatinum habitum,& promulgatam sententiam apparet clariùs, Fratrum Minorum assumsit habitum, & pro fratre Minore se gessit: quique ministro provinciali Romano præcipienti sibi & aliis fratribus in urbe Romana morantibus, audito ad Urbem prædictam adventu LUDOVICI prædicti, sub virtute obedientiæ & excommunicationis pœna, ut dictam Urbem exirent; licet omnes fratres alii, tribus exceptis, eidem ministro promtiùs obedirent, ipse tamen obedire renuens, in eadem Urbe remanere præsumsit, ac post ingressum dicti LUDOVICI in eadem Urbe per nostros processus publicatos ibidem solemniter supposita ecclesiastico interdicto, immiscere se divinis in contemtum clavium non erubuit sicut priùs. Propter quæ & alios ejus excessus minister pronuntiavit ipsum in prædictam incidisse sententiam, & mancipandum carceri, prout tam in litteris ministri præfati, quam capituli generalis præterito festo Pentecostes celebrati Bononiæ, nobis missis latiùs continetur, suam dirigens cæcitatem, ipsum Petrum unà cum dictis clericis qui pro cleri Urbis procuratoribus se gerebant, seu ad earum instantiam, in summum non quidem apostolicum sed apostaticum eligere ac nominare publicè non expavit. Dictusque PETRUS ipsum LUDOVICUM non ignorans verè de hæresi condemnatum, ac privatum omni jure, si quod sibi ex electione prædicta fuerat acquisitum, in gravem Dei offensam, fidei catholicæ præjudicium, ac religionis fidelium evidens detrimentum, velut imitator Luciferi electioni seu nominationi hujusmodi tam nefandæ consentire præsumsit, prius tamen à JACOBO dudum episcopo Castellano suis exigentibus demeritis excommunicato & deposito consecratione seu veriùs exsecratione recepta, à dicto Ludovico, cui etiam si verus imperator, & dictus PETRUS verus summus existeret pontifex, competere non poterat, se fecit ut summus pontifex coronari: ac velut in profundum malorum corruens, sacrorumque canonum contemtor effectus, ad omnia illicita manus suas extendere non formidans, in præsentia dicti LUDOVICI hæretici, & de hæresi condemnati, præsentibus quoque multis excommunicatis & aliis hæreticis, in Urbe interdicto supposita, ut præfertur, profanare divina præsumsit, nonnullos quoque elegit quos cardinales nominavit sedis apostolicæ, quosque pro cardinalibus habuit,& ipsi pro talibus se gesserunt; vicecancellarium insuper,& notarios certos & officiales alios, sicut veri summi pontifices sunt facere soliti, ordinavit:& nihilominus nonnullos archiepiscopos, episcopos, & abbates, ac alios tam sæcularium quàm regularium ecclesiarum prælatos, suis de facto privavit ecclesiis, dignitatibus & aliis beneficiis, alios de facto instituens & consecrans, seu veriùs exsecrans, in eisdem. Processus quoque & sententias tam excommunicationis, quàm alias in personas diversas, & interdicti generalis, & alterius in regna, provincias, & diœceses, civitates ac ecclesias fulminans, prout sibi sua insania persuasit. Indulgentias insuper concedere, & dispensare in variis casibus, ac de terris ecclesiæ temerè disponere, & alia quæ ad veros & legitimos Romanos Pontifices pertinent præsumsit de facto temerariè nimium exercere. Nos itaque in prædictis læsionem fidei, ac nostri salvatoris injurias, patrum quoque sanctorum contemtum & probra, nec non præsentium scandala, & varia posterorum pericula, si memoria tam nefandorum excessuum in succedentia temporum sæcula sine correctione deferatur debita: nec non & varia quæ mora comminatur pericula attendentes, ac ne vir tam reprobus, qui jam quasi per annum expectatus ut à tam detestabilibus resipisceret excessibus, & ad unitatem Ecclesiæ sanctæ Dei, à qua se damnabiliter separaverat, redire curaret, velut datus in sensum reprobum in præmissis existens pertinaciter mala malis superaddere, ac schismata & dissensiones quas seminarat, quantum in eo fuit, inter christicolas nutrire ac augere non cessat, glorietur, ulterius suæ pravitatis opera absque condignis meritorum stipendiis præteriri, ac ne deinceps in sui erroris devium, ad quod sua tota ferri videtur intentio, plures trahat, tantis malis & periculis occurrere salubriter cupientes, cum præmissa adeò sint notoria, tam per facti evidentiam, utpote præsente clero præfato ac populo publicè attentata, quàm per innumeras litteras de Urbe transmissas nobis & multis ex fratribus nostris præfatis, ac aliis degentibus in curia præsentatas, ac testimonio quasi omnium de Urbe præfata ad curiam venientium hoc asserentium viva voce, nec non per attestationes testium auctoritate nostra ad cautelam per nonnullos ex nostris fratribus prælibatis receptorum, quod non possunt tergiversatione aliqua occultari. Nos de dictorum fratrum consilio, auctoritate divina, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & nostra, præfatum PETRUM DE CORVARIA, qui audaci sua ambitione & improba, Ecclesiam Dei, quæ cùm una sit, est tamen à Christo per totum mundum in multa membra divisa: episcopatum quoque, qui cùm sit unus, est episcoporum tamen mul-

torum concordi numerositate per universum orbem diffusus, nititur scindere, ac per civitates & loca pseudoepiscopos & prælatos alios de facto instituere, ut sic usurpatum statum in suæ & multorum animarum periculum valeat perpetuo retinere, anathemate cum suis auctoribus, fautoribus & sequacibus, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatum, sicut antichristum, & invasorem, ac totius Christianitatis quantum in eo est destructorem, de fratrum nostrorum prædictorum consilio abjicimus, ipsum ab omni gradu ecclesiastico, in quo prius existeret, deponimus de plenitudine potestatis. Quisquis autem recipere, vel eidem qualitercumque tamquam suo pontifici adhærere vel reverentiam exhibere, aut in aliquo ipsum defendere præsumserit, eumdem pari sententiæ mancipamus. Et quia præfatus PETRUS sanctam Romanam Ecclesiam ambitione sua damnabili, quantum in eo fuit, confundere ac perturbare tentavit, tam ipsum quàm eos qui eum receperunt excommunicationi subjacere volumus, & totius sacri ordinis privatione mulctavimus: ita ut viatici etiam eis nisi tantùm in ultimis communio denegetur. Qui & reputentur, nisi resipiscant, cum impiis, qui non resurgunt in judicio, ac cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit, recipiant portionem: omnipotentis insuper iram, & sanctorum Petri & Pauli prædictorum, quorum Ecclesiam præsumsit, quantum in eo fuit, confundere, in hac vita furorem contra se sentiat, & futura fiat habitatio ejus deserta, & non sit qui inhabitet in tabernaculis ejus, fiant filii ejus orphani & uxor ejus vidua, commoti amoveantur ipsi ac ejus filii & mendicent, & ejiciantur de domibus suis: scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus: Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta sint ei elementa contraria, & omnium sanctorum quiescentium illum confundant merita, & in hac vita super eum apertam ostendant vindictam. Illos verò qui ei curabunt resistere, ac ipsum persequi & repellere, omnipotentis gratia protegat, & beatorum Petri & Pauli prædictorum absolvat auctoritas ab omnibus vinculis peccatorum. Amen. Sanè quia dictus PETRUS dicti LUDOVICI schismatici & hæretici defensor & fautor notorius & manifestus existit, & in illam hæresim, scilicet quòd eidem Ludovico sicut imperatori licuerit & liceat papam deponere & instituere, tam per acceptationem electionis de ipso per ipsum Ludovicum, vel per eos & certos electos cleri Romani procuratores, acceptatam de facto, post depositionis sententiam per dictum LUDOVICUM de facto contra nos temerè fulminatam, & propter multa alia quæ gessit & gerit, incidisse noscatur. Nec non & quia de clavibus Ecclesiæ convincitur perversè sentire, præsertim cùm ante suam ignominiosam assumtionem ad statum præfatum seu alium prælationis alicujus per aliquem vel aliquos assumi non poterat, velut qui suo superiori inobediens, excommunicationis sententia innodatus fuerat, & ad carcerem con-

A demnatus, & post suam promotionem in Urbe Romana subjecta ecclesiastico interdicto, præsente etiam dicto Ludovico, divina sicut priùs celebrare præsumserat sæpius, immò quantum in eo fuit, veriùs prophanare, religiosos & seculares presbyteros & alios constitutos in sacris ordinibus interdictum violare compellendo, ac ecclesias calicibus, crucibus, & aliis ornamentis ecclesiasticis spoliando, nec non & quia uxori suæ carnali astrictus erat vinculo conjugali: & propter multa alia quæ in sui assumtione

B & postea tam in Urbe quàm alibi noscitur perpetrasse, ipsum de eorumdem fratrum consilio hæreticorum fautorem, & schismaticum, ac hæreticum declaramus, & ut fautorem hæreticorum ac hæreticum, & schismaticum reprobamus, & sententialiter condemnamus, ipsum ab omni gradu ecclesiastico de eorumdem fratrum consilio degradantes, ac in omnes incidisse pœnas & sententias inflictas schismaticis & hæreticis, & hæreticorum fautoribus & committentibus delicta alia in quæ ipse commit-

C tendo præmissa, incidit, declarantes. Et quoniam ipse PETRUS, ut prædicitur, in reprobum sensum datus, multos destituere, multosque instituere, in diversis ecclesiis, nec non dignitates, personatus, & officia, ac præbendas seu beneficia alia ecclesiastica tam in ecclesiis cathedralibus quàm collegiatis, regularibus & sæcularibus conferre, nec non & pseudocardinales ac alios officiales, quos Romani pontifices tam clericos quàm laïcos habere soliti sunt, ordinare & instituere non expavit: ac de terris

D Romanæ Ecclesiæ, inquisitoria hæreticæ pravitatis in diversis provinciis ordinare præsumsit: & alia insuper facere quæ consueverant per veros summos pontifices expediri. Nos super his providere volentes, quicquid circa ipsum PETRUM per electionem seu nominationem, inunctionem seu potius exsecrationem & coronationem de facto, ut præmittitur, extitit attentatum, cassum, nullum, & irritum declarantes, ipsa nibilominus in quantum processere de facto cassamus, irritamus, & viribus penitùs

E vacuamus. Ordinationes insuper ab ipso factas, & ab ordinatis ab eo, omnemque institutionem & destitutionem canonicatuum, ac præbendarum, dignitatum, personatuum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum & temporalium, quocumque nomine censeantur, ab eodem PETRO, per se vel alium seu alios attentatas; nec non & excommunicationis, suspensionis, seu interdicti, & quascumque sententias ab ipso vel per alium contra quascumque personas ecclesiasticas vel mundanas, cujuscumque

F status vel conditionis existant; nec non & quæcumque alia per ipsum PETRUM ut summum pontificem acta, gesta, data; concessa seu alienata, in perpetuum vel ad tempus, vel alia quælibet attentata, decernimus cassa, nulla & irrita: eaque quatenus processere de facto cassamus, irritamus & viribus vacuamus. Universis quoque patriarchis, archiepiscopis & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis

&

& suspensionis ab officiis & beneficiis, quas non parendo eos incurrere volumus ipso facto, nec non privationis, depositionis & inhabilitationis prælationum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis: & insuper omnibus & singulis civitatibus, terris & locis, ac universitatibus, communitatibus & personis aliis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existant, etiamsi imperiali, regali, vel alia quacumque præeminenat dignitate sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in civitates, terras, loca, eorumque communitates & universitates, quas nisi mandatis & monitionibus nostris cum effectu paruerint, ipso facto incurrant: nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum & bonorum quæ ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis vel imperio obtinent, pœnis & sententiis, mandamus & inhibemus expresse, ne prædictum PETRUM hæreticorum fautorem, hæreticum, & schismaticum recepent, defendant, sibi adhæreant, obediant, faveant quomodolibet seu intendant, aut præstent per se vel per alium seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte auxilium, consilium, vel favorem, nec eumdem pro papa seu summo pontifice vel prælato habeant, teneant, aut nominent quovis modo, sed eum potius velut hæreticorum fautorem, ac schismaticum & hæreticum, & quantum in eo est dictæ Dei Ecclesiæ fideique catholicæ destructorem abjiciant, abhorreant, persequantur, & si poterunt, capiant & fideliter custodiant subdendum Ecclesiæ disciplinæ: nec aliquos ordinatos ab ipso clericos vel laïcos, religiosos aut sæculares, aut ad prælaturas seu beneficia vel officia quæcumque ecclesiastica vel mundana, vel ad alia quæque gerenda seu administranda recipiant vel admittant, aut eis in aliquo pareant vel intendant, seu pro talibus habeant; cum ipse, sicut præmittitur, nullam potestatem habuerit nec habeat ordinandi, nec etiam cum ipso aliquam societatem, ligam vel confœderationem contrahant, vel contractam observent, nec consentiant etiam contrahendæ. A quibus quidem pœnis & sententiis per alium quàm Romanum pontificem nullum posse volumus, nisi dumtaxat in mortis articulo, quomodolibet liberari. Eisdem & eorum singulis apertiùs prædicentes, quod ad inflictionem, publicationem, executionem & aggravationem dictarum pœnarum, conjunctim vel divisim, prout excessuum cujuslibet enormitas exegerit & expedire videbimus, absque citatione vel monitione alia, si, quando, & quoties opportunum cognoverimus, procedemus. Nonobstantibus quibuscumque privilegiis, constitutionibus, seu indultis, quæ contra processum nostrum hujusmodi nulli suffragari volumus; sed ea quoad hæc potius viribus vacuamus. Colligationes autem, pactiones, societates, confœderationes & ligas contra præmissa vel præmissorum aliqua factas vel initas inter quoscumque sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectione, juramentorum præstatione, vel quacumque alia firmitate vallatas, utpote contra Deum & fidem catholicam & honorem Ecclesiæ sanctæ Dei, & periculum animarum præsumtas cassas & nullas, irritas & inanes, nulliusque firmitatis existere declaramus: ipsas quatenus processerit de facto, & juramenta super hoc præstita relaxantes, dissolventes, & vacuantes penitus viribus nihilominus ad cautelam. Ut autem processus noster hujusmodi ad prædicti PETRI DE CORVARIA hæretici & schismatici ac aliorum quos tangit, seu quorum interest vel interesse poterit in futurum, communem notitiam deducatur, cartas seu membranas processum continentes eumdem ostiis Avenionensis Ecclesiæ faciemus appendi, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, Ut præfatus PETRUS & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem; cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omninò hominum, &c. Datum Avenione duodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Et licet processum eumdem ostiis Avenionensis ecclesiæ, ut ad communem omnium deduceretur notitiam, appendi fecerimus & affigi; ipsum tamen volentes, ut clariùs innotescat fidelibus, solemniter in eis partibus publicari, Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios tam prælatos, quàm quoscumque religiosos & sæculares, exemtos & non exemtos, quos ad id, exemtionis & quibusvis aliis privilegiis apostolicis nequaquam obstantibus, compellere si necesse fuerit, appellatione, cessante valeas, processum prædictum & in eo contenta, eis expositis nihilominus ubi & quando expedierit in vulgari singulis diebus dominicis & festivis in ecclesiis & locis tuarum civitatis & diœcesis de quibus tibi videbitur, solemniter publicare. Procurans dictum PETRUM hæreticorum fautorem, ac hæreticum, & schismaticum, ac de hæresi & schismate sententialiter condemnatum. & tamquam invasorem & destructorem, quantum in eo est, Ecclesiæ, totiusque christianitatis perpetuo anathemate innodatum, præcisumque à liminibus Ecclesiæ sanctæ Dei, & ab omni gradu ecclesiastico depositum & degradatum: nec non omnes pœnas & sententias inflictas schismaticis, hæreticis, eorumque fautoribus, incurrisse. Omnes quoque receptatores ipsius, & eidem adhærentes, vel reverentiam exhibentes, aut in aliquo ipsum tamquam summum pontificem defendentes, pari, ut præmittitur, sententiæ subjacere. Et insuper quæcumque per electionem, nominationem, inunctionem seu potius exsecrationem, & coronationem ipsius attentata existunt, ac ordinationes ab ipso factas, vel ab ordinatis ab eo, omnemque institutionem & destitutionem præbendarum, dignitatum, personatuum, & quorumcumque beneficiorum ec-

clesiasticorum & temporalium, nec non quæcumque alia circa eumdem Petrum, vel per ipsum ut summum pontificem, aut alium suo nomine acta, gesta, data, concessa seu alienata in perpetuum vel ad tempus, aut alia quomodolibet attentata fuerint, cassa, nulla, & irrita publicè studeas nuntiare, faciens sub publicatione hujusmodi confici publica instrumenta principium & finem præsentium continentia, illa postmodum nobis fideliter transmissurus. Datum Avenione decimo Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno tertio-decimo.

SEXTUS PROCESSUS

Contra Bavarum, per quem declaratur in hæresim incidisse, & velut hæreticus reprobatur ac pronuntiatur.

VEnerabili Fratri ... archiepiscopo ejusque suffraganeis... Nuper videlicet die Jovis in cœna Domini adversus LUDOVICUM de Bavaria hæreticum & schismaticum quemdam processum de fratrum nostrorum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, solemniter habuimus, & cartas seu membranas processum continentes eumdem postmodum ostiis Avenionensis ecclesiæ affigi, ut ad omnium deduceretur notitiam fecimus tenoris & continentiæ subsequentis.

JOHANNES servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad communem notitiam credimus pervenisse quomodo propter notorios excessus detestabiles, ac culpas enormes, contumaciasque diutiùs continuatas & auctas LUDOVICI de Bavaria olim ducis Bavariæ, & discorditer in regem Romanorum, ut dicebatur, electi, qui in Dei contemtum, animæ suæ periculum, nostrumque ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ præjudicium, & totius reipublicæ evidens detrimentum, electione hujusmodi per nos, ad quos hujusmodi electionis & electi examinatio, admissio, approbatio ac reprobatio, & repulsio pertinebat, nequaquam admissa, sibi titulum regium regni Romani usurpans temerè, se administrationi dicti regni & Romani imperii præsumsit præsumtuosè nimium immiscere, cum eodem vacante imperio, sicut & tunc vacabat & vacat ad præsens, eorumdem regni & imperii administratio ad sedem apostolicam pertinere noscatur. Hæreticorum insuper Lombardiæ & aliorum rebellium Ecclesiæ sanctæ Dei contra ipsam Ecclesiam se fautorem manifestum exhibuit & constituit publicum defensorem: propter quæ & multa alia per ipsum LUDOVICUM temerè perpetrata, quæ plenius in nostris processibus continentur, contra ipsum post ipsius contumacias manifestas, urgente conscientia, & exigente justitia, de fratrum nostrorum consilio procedentes, varios processus spirituales & temporales pœnas & sententias continentes diversis temporibus auctis ejus contumaciis fecimus & protulimus successivè: primò quidem excommunicationis: secundo verò, privationis juris, si quod ex electione prædicta sibi fuerat acquisitum: & deinde privationis feudorum quæ à Romana Ecclesia vel aliis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatus prædicti & jurium omnium quæ sibi in eodem ducatu, seu ejus occasione vel causa pertinuerunt vel poterant pertinere: nec non & privilegiorum sibi à sede apostolica vel imperio seu ejus successoribus concessorum, quatenus ipsum tangere poterant, ipsum fautorem hæreticorum publicè nihilominus declarantes, prout hæc in nostris processibus in consistoriis publicis copiosa præsente multitudine fidelium promulgatis, pleniùs continentur, cartas seu membranas dictos continentes processus & sententias in ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis facientes, ipsos processus & sententias nihilominùs destinantes omnibus venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, eorumque suffraganeis, ut eos suis subditis publicarent. Et quia nec sic ad viam rediit veritatis, sed potiùs perversis intentus dogmatibus in illam noscebatur insaniam prorupisse, quòd damnatam hæresim per constitutionem nostram quæ incipit, *Cum inter*, videlicet quòd Christo & apostolis in rebus quas habuerant, nullum jus competierat, sed tantummodò in eis habuerunt usum facti, asserere præsumserat temerè & publicè, ac in ejus præsentia per alios, ut plures in sui erroris devium traheret, fecerat publicari. Præterea libellum quemdam sigillo suo in eo appenso prædictam continentem hæresim, scilicet quòd Christo & apostolis in rebus quas habuerant nullum jus competiit, sed in illis habuerunt tantummodò usum facti, hoc adjecto, quòd dicere contrarium hæreticum est censendum, prout nos & plures ex fratribus nostris in diversis libellis ejus sigillo sigillatis vidimus contineri, per certos nuntios ad diversas civitates Alemanniæ & circumvicinas partes ac Italiæ, & eorumdem tyrannos, aliarumque partium transmiserat, libellum ipsum in locis affigi publicis & exponi publicè faciens, ut haberet de tanta audacia & insania tali plures testes: ex quibus evidentiùs apparebat ipsum asseruisse pertinaciter fore catholicum, quod hæreticum esse per dictam constitutionem declaratum fuerat, & hæreticum quod catholicum dicta constitutio evidentiùs asserebat. Præsertim cùm in dicto libello dictus LUDOVICUS asserebat se in plurium jurasse præsentia omnia contenta in dicto libello se credere esse vera. Nos cum præmissa adeo essent notoria, quòd nequibant tergiversatione aliqua occultari, certa die eidem LUDOVICO præfixa, præsente multitudine copiosa fidelium, ut super præmissis veniret auditurus sententiam, & facturus quod justitia suaderet, cùm dicta die non compareret, nec postea exspectatus diutiùs nec aliquis pro eodem, de fratrum eorumdem consilio præsente fidelium multitudine copiosa eumdem LUDOVICUM in dictam incidisse hæresim, ac fore hæreticum declarantes, ipsum velut hæreticum reprobandum duximus & sententialiter condemnandum. Sanè infelix homo iste à prædicta hæresi resilire contemnens, se alia noscitur involvisse. Dudum quidem ad nostram audientiam relatione tam verbali quàm litterali

plurium sublimium personarum, nec non fama publica notoriante producto, quòd duo viri nequam, perditionis filii, & maledictionis alumni, videlicet MARSILIUS de Padua & JOHANNES de Janduno quemdam librum composuerant, inter multa alia erronea, continentem quòd ad imperatorem spectat papam instituere & destituere ac punire. Nos super illo & nonnullis aliis eorumdem articulis erroneis, tam cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus; quam cum multis ecclesiarum prælatis, nec non & cum pluribus sacræ theologiæ magistris, ac utriusque juris professoribus tunc præsentibus in curia, deliberatione præhabita diligenti, cum in hoc eorum deliberatio resideret, tam præfatum articulum, quàm alios in nostro processu prædicto & sententia contentos, esse sacræ scripturæ contrarios, fideique catholicæ inimicos, de eorumdem fratrum nostrorum consilio in consistorio publico, præsente fidelium multitudine copiosa, ipsos articulos hæreticales & erroneos: nec non & prædictos Marsilium & Johannem hæreticos, immò hæresiarchas fore manifestos & notorios declarandos duximus, & sententialiter condemnandos: in eadem sententia quod si quis doctrinam prædictam defendere seu approbare præsumeret, cujuscumque dignitatis aut status existeret, deberet ab omnibus tamquam hæreticus confutari. Et licet processus noster prædictus in consistorio publico, præsente copiosa multitudine fidelium recitatus, ut præmittitur; & dicta sententia promulgata, cartasque & sententiam continentes eosdem in majoris ecclesiæ Avenionensis affigi ostiis fecerimus, seu membranas, ut suo quasi sonoro præconio & patulo indicio ad omnium fidelium notitiam deducerent processus & sententias antedictas. Et nihilominus processus ipsos & sententiam in urbe Romana, & in locis aliis circumvicinis fecerimus publicari, dictus tamen LUDOVICUS velut in reprobum sensum datus, ipsos MARSILIUM & JOHANNEM quos in partibus Alemanniæ in suam familiaritatem admiserat, & sub cujus umbra errores præfatos & multos alios publicè dogmatisare præsumserant, & pertinaciter defensare, ac in Urbe præfata post latam prædictam sententiam prædicantes publicè prædictos damnatos articulos veros esse, in suam familiaritatem non erubuerat retinere. Nec non ad inauditam inductus insaniam, ut quod credebat interiùs per evidentiam exterioris operis declararet certa die & loco, convocato publicè clero dictæ Urbis & populo præsente, præfatus LUDOVICUS hæreticus & schismaticus, pluribus excommunicationum sententiis innodatus, & omni honore privatus, asserens errorem prædictum, videlicet quòd imperatori licebat papam deponere; contra nos depositionis de facto præsumsit sententiam promulgare, sicut in dicti LUDOVICI litteris præfatam continentibus sententiam nos & fratres prædicti contineri vidimus, & plurium testium fide dignorum in prolatione sententiæ præsentium, quos per nonnullos ex fratribus

A nostris ad cautelam examinari fecimus, depositiones continent evidenter: nec non & tam illorum, quàm multorum aliorum testium, tam Romanorum quàm aliorum, habet depositio & assertio, quod præmissa Romæ & in circumvicinis partibus adeò sunt notoria, sicut facta publicæ clero & populo tunc præsentibus, quòd non possunt tergiversatione aliqua occultari. Ne igitur vir tam reprobus, omni divino humanoque timore privatus, de tam præsumtuosa & pertinaci insania glorietur, & ne præsumtoribus

B ad tam perniciosam & periculosam hæresim pandatur aditus, sed potius præcludatur accessus, cùm ex prædictis appareat ipsum in errorem incidisse prædictum, sintque prædicta adeò notoria tam facti evidentia, quàm per litteras innumeras de Urbe transmissas, nobis & multis ex fratribus & aliis degentibus in curia præsentatas, & testimonio quasi omnium de Urbe ad curiam venientium hoc asserentium viva voce, ac per attestationes testium super his, ut prædictum est, receptorum: nec non &

C per patentes ipsius LUDOVICI litteras ejus sigillo munitas, per quas inauditam dictam insaniam ad notitiam omnium fidelium deducere intendebat, prout nos & fratres nostri, cum multis erroribus, blasphemiis & insaniis aliis in eisdem litteris vidimus contineri. Nos in prædictis læsionem fidei, patrumque sanctorum contemtum & probra, nec non & præsentium scandala, & varia quæ mora comminatur pericula attendentes; ac tantis malis & periculis obviare salubriter cupientes, auctoritate Dei omnipotentis, & Domini nostri JESU-CHRISTI Salvatoris nostri, cujus vices in terris licet im-

D meriti gerimus, cuique ac universæ congregationi fidelium prædicta injuria per dictum LUDOVICUM hæreticum & schismaticum, qui tunicam ejus inconsutilem scindere nititur, noscitur irrogata, de fratrum nostrorum consilio, & plenitudine potestatis, præsente hac fidelium multitudine copiosa eumdem LUDOVICUM in prædictam incidisse damnatam hæresim declaramus; ac ipsum velut hæreticum reprobamus & etiam condemnamus: nihilominus declarantes eum in pœnas inflictas schismaticis & hæ-

E reticis, & comittentibus crimina alia quæ per prædicta idem Ludovicus commisisse noscitur, per sacros canones & leges catholicorum principum incidisse, easque omnes & singulas incurrisse. Et quia in prolatione sententiæ supradictæ, sicut in prædicti LUDOVICI litteris præfatam continentibus sententiam, nos & fratres prædicti contineri vidimus, & plurium testium fide dignorum in prolatione sententiæ præsentium, quos per nonnullos ex fratribus

F nostris ad cautelam examinari fecimus, depositiones continent evidenter, quod in eadem expressè prædictam hæresim, scilicet quod Christo & apostolis in his quæ habuerunt nullum jus competiit, sed tantummodò usus facti, tenet & approbat, & constitutionem super hoc editam, nititur impugnare sententiam prædictam per nos contra ipsum prolatam propterea approbantes, ipsum nihilominus in dictam inci-

diffe hæresim. Et licet ipsum LUDOVICUM bonis omnibus mobilibus & immobilibus, juribus & jurisdictionibus, & quibuscumque aliis, ubicumque forent, & quibuscumque nominibus censerentur, & specialiter comitatu Palatinatus Rheni, & omni jure ratione vel occasione illius, vel alio quovis modo ad eumdem Ludovicum pertinentibus, habendi vocem in electione regis Romanorum in imperatorem promovendi, seu in electione hujusmodi aliquem ad prædicta regnum vel imperium eligendi, seu quomodolibet nominandi, privatum fore decreverimus & privaverimus, exponendis & concedendis catholicis, si, prout, & quando, ac quibus, vel de quibus sedes apostolica ordinandum duxerit, jure principalis dominii semper salvo. Vassallos quoque ipsius, & quascumque alias tam ecclesiasticas quàm sæculares personas, nec non communitates, universitates, ac civitates, castra, terras ac villas, quæ sibi fidelitatis vel quibuscumque aliis juramentis tenerentur astricti, prorsus ab illis absolverimus; ac quascumque colligationes, confœderationes, societates, pactiones & ligas per quoscumque cum eodem contractas vel initas, etiamsi juramentis, pœnis, vel aliis quibusvis firmitatibus essent innexæ, quatenus favorem aut commodum ipsius concernerent, de potestatis plenitudine penitùs dissolverimus, ac pœnas adjectas & juramenta super his præstita relaxaverimus: decernentes quasvis personas singulares, ac communitates, universitates, castra, villas, terras & oppida nequaquam teneri de cetero ad observationem earum, vel cujuslibet earumdem. Universis quoque &, singulis ecclesiarum prælatis & personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existerent, etiamsi patriarchali, pontificali aut majori seu inferiori dignitate fulgerent, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, ac aliis dominis temporalibus, & qui aliquo præmissorum se intitularent titulo, licet non haberent in eis: communitatibus etiam, universitatibus, civitatibus, castris & villis, & specialiter Mediolanensi, Sagonensi, & Vinanensi, Vercellensi, Pergamensi, Laudenensi, Cremonensi, Aretinensi, Novariensi, Papiensi, Mantuanensi, Veronensi, Lucanensi, & aliis quibuscumque inhibuerimus & expresse mandaverimus, ne prædicto LUDOVICO de hæresi, ut prædicitur, condemnato, adhærere, communicare, participare, vel favere quomodocumque directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumerent; nec eidem portarent, portari vel mitti facerent aut procurarent granum, vinum, aut quæcumque victualia, pannos, ligna, ferrum, arma seu quævis mercimonia, pecuniam, vel quicquid aliud quod posset in ipsius utilitatem vel commodum redundare. Nec societates, confœderationes, colligationes, pactiones, aut ligas quascumque cum eodem initas vel contractas, præsertim in ejus favorem, utilitatem, vel auxilium, observarent. Alioquin personas quascumque singulares excommunicationis, universitates verò, communitates & collegia, quæ postquam videlicet processus noster præmissa continens ad eorum pervenisset notitiam, vel potuisset pervenire probabiliter, aut per eos stetisset quominùs pervenisset ad eos in hac parte offendissent quomodolibet; nec non terras & loca quorumcumque circa prædicta delinquentium interdicti sententiis, & generaliter pœnis omnibus quibus fautores & defensores hæreticorum & adhærentes eisdem subjiciuntur à jure, vel quibusvis constitutionibus, voluerimus & decreverimus subjacere. Insinuando eisdem nos ad earumdem pœnarum declarationem & executionem contra delinquentes hujusmodi processuros specialiter, si, & quando, ac quoties videremus expediens. Non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim à sede foret indultum apostolica, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulgentiis hujusmodi mentionem: & quibuslibet privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibusvis personis, locis vel ordinibus, sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiamsi de illis esset specialis & expressa ac de verbo ad verbum in nostris litteris mentio facienda; per quæ nullum contra præmissa voluimus afferri suffragium, vel obstaculum interponi. Nos omnia & singula supradicta ratificantes, & ex certa scientia approbantes nihilominus in præsenti, privationem, expositionem, concessionem, absolutionem vassallorum, dissolutionem colligationum, relaxationem juramentorum, decretum, inhibitionem, mandatum, pœnasque ac sententias, & omnia alia supradicta: ac volentes omnes & singulos in contrarium facientes pœnas incurrere supradictas. Ut autem sententia & processus hujusmodi ad dicti LUDOVICI & aliorum quorum interest communem notitiam deducantur, cartas sive membranas sententiam & processum continentes eosdem in ecclesiæ Avenionensis appendi seu affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsos sententiam & processum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quod dictus LUDOVICUS & alii quos contingere dinoscuntur nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerint, vel quod ignorarint eosdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione duodecimo Kalendas Maii, anno tertio-decimo.

Volentes igitur ex superabundanti prædictum processum & contenta in eo in eis partibus, ut clariùs innotescant fidelibus, ipsique cautiùs vitare prædicti Ludovici hæretici & schismatici adhæsionem & commercium valeant, publicari, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios memoratum processum & contenta in eo in ecclesiis & locis vestrarum civitatum & diœceseon, de quibus vobis videbitur, singulis diebus

dominicis & festivis publicantes, dictum LUDOVICUM hæreticum & schismaticum pulsatis campanis & candelis accensis nuntietis & faciatis publicè nuntiari, fideles commonendo prædictos, ne cum eodem hæretico & schismatico, ac suis complicibus, sequacibus & fautoribus communionem vel commercium haberent quovis modo, nec eisdem adhæreant aut præstent per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè auxilium, consilium vel favorem. Quòd si contrarium attentare præsumserint quoquo modo, pœnas in eodem & aliis nostris processibus adversus tales inflictas, eos incurrere volumus ipso facto, facientes nihilominus super publicatione & denuntiatione hujusmodi confici publica instrumenta, principium & finem præsentium continentia, illa nobis postmodum fideliter transmissuri. Datum Avenione tertio-nonas Maii, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

In eodem modo scriptum fuit legato Lombardiæ.
Simili modo scriptum fuit legato Tusciæ.
Eodem modo scriptum fuit singulis rectoribus terrarum Ecclesiæ.
In eodem modo diversis ecclesiarum prælatis & executoribus.

PROCESSUS

Prædicationis crucis contra Bavarum.

VEnerabilibus fratribus ... archiepiscopo Mediolanensi ejusque suffraganeis: & dilectis filiis electo Papiensi, ac sancti Ambrosii, & sancti Dionysii, ac sancti Celsi monasteriorum abbatibus. Ad publicam notitiam non ambigimus pervenisse, quomodo nos dudum volentes certis dubiis, quæ inter nonnullos viros vertebantur scholasticos, finem dare, de fratrum nostrorum consilio duximus declarandum, quòd pertinaciter affirmare quòd Redemtori nostro Domino JESU-CHRISTO, ejusque apostolis in iis quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi seu consumendi competebat, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi: quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit apertè, cùm talis assertio ipsorum usum & gesta evidenter includeret in præmissis non justa; quod utique de usu, gestis seu factis Redemtoris nostri Dei Filii sentire nefas, est sacræ scripturæ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum, assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorumdem consilio deinceps erroneam fore censendam & hæreticam duximus declarandam. Nec non & quomodo subsequenter, cum ad nostram notitiam fama publica perduxisset, quòd nonnullorum mentes dicebatur pater mendacii adeò excæcasse, quod ausu nefando ac petulantia improba ausi fuerant defendere publicè damnatam hæresim per constitutionem prædictam ac etiam approbare, videlicet Quòd Christus & ejus apostoli in his quæ habuisse leguntur tantùm habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti: ex quo, si verum esset, sequeretur usum Christi fuisse non justum; quod profectò blasphemiam continet, & esset catholicæ fidei inimicum; cùm hoc de pertinaci animositate erronea non esset dubium processisse: omnes & singulos qui verbo & scripto per se vel alium seu alios talia præsumserant publicè, ipsos quoque qui eos instruxerant in talibus, & ut præmissa facerent docuerunt, in damnatam incidisse hæresim, ac evitandos fore ut hæreticos, de fratrum prædictorum consilio per nostram constitutionem aliam quæ incipit, *Quia quorumdam*, duximus declarandos, prout hæc in eisdem constitutionibus pleniùs continentur; quodque cum fama publica, nec non & insinuatio tam verbalis quam litteralis plurium sublimium personarum ad nostrum perduxisset auditum; quòd LUDOVICUS de Bavaria in discordia dudum in regem Romanorum, ut dicebatur, electus, velut in reprobum sensum datus, excessus plures graves committere præsumserat, ex quibus vehementer præsumebatur, immò potius convincebatur apertè clavium sanctæ matris Ecclesiæ evidenter contemtor existere, ac labe respersus hæreticæ pravitatis; utpote quia contra prædictam declarationem factam per constitutionem, *Cum inter*, expressa mentione de illa habita, præsumserat contrarium asserere publicè, ac in ejus præsentia per alios, ut plures in sui erroris traheret devium, facere publicari. Et ut sua insania in plurium notitiam deveniret, libellum quemdam sigillo suo in eodem appenso, inter alia multo falsa & erronea prædictam hæresim continentem, videlicet quòd Christo & apostolis ejus in rebus quas habuerant nullum jus competiit, sed tantummodò usus facti: adjecto insuper per eumdem quod dicere contrarium hæreticum est censendum, prout nos & plures ex fratribus nostris in diversis libellis prædicti LUDOVICI, pendenti sigillo ipsius sigillatis, vidimus contineri, per certos nuntios ad diversas civitates & principes Alemanniæ ac Italiæ, aliarumque partium, nec non & tyrannos & hæreticos partium Italiæ earumdem transmiserat, libellum ipsum affigi faciens in locis publicis & exponi publicè, ut haberet de tali ac tanta insania plures testes; ex quibus evidentiùs apparebat ipsum asseruisse pertinaciter esse catholicum quod dicta constitutio hæreticum judicavit, ac fore hæreticum quòd dicta constitutio catholicum declaravit; præcipuè cùm in eodem affirmaret libello se credere esse vera. Et insuper quod LUDOVICUS præfatus cumulans mala malis, duos viros nequam perditionis filios & iniquitatis alumnos, quorum unus MARSILIUM de Padua, & alter JOHANNEM de Janduno, se faciunt nominari, qui ad eumdem LUDOVICUM, quem suis demeritis exigentibus velut hæreticorum fautorem & persecutorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pluriumque aliorum atrocium excessuum patratorem, de fratrum ipsorum consilio privavimus jure, si quod sibi ex electione prædicta fuerat

acquisitum, gressus suos propere dirigentes, sibi librum quemdam erroribus plenum & variis hæresibus non vacuum, sicut multorum catholicorum habebat assertio, præsentarant, quos errores & hæreses in terra ipsius Ludovici, ac in ipsius præsentia docere sæpius, sicut habebat eorumdem insinuatio, præsumserant publicè, quamvis nonnulli viri catholici sacris litteris eruditi eidem Ludovico dicerent doctrinam illam esse hæreticam, prædictosque Marsilium & Johannem fore tamquam hæreticos puniendos, periculosumque sibi existere tales ad sui familiaritatem admittere, aut in locis ditioni suæ subditis sustinere. Ipse verò non acquiescens eorum salutaribus monitis, velut credens prædictos errores & hæreses, ipsos in suos familiares retinuerat, eosdem errores publicè dogmatisare permittens. Et adhuc quod ligatus diversis excommunicationum sententiis in locis ecclesiastico suppositis interdicto, divina faciebat etiam nonnumquam contra rectorum ecclesiarum & religiosorum voluntatem & beneplacitum, excommunicatis & interdictis præsentibus, celebrari, immò quantum in eo erat prophanari, ipsos sub pœna mortis in locis variis, ut hoc facerent, compellendo. Nos autem attendentes quòd juxta doctrinam apostoli arguendi sunt publicè qui peccare publicè non formidant, utilitatique reipublicæ peccata nocentium deduci notionem in publicam expedire, cùm ad præfatum Ludovicum non esset tutus accessus, per quem nostra ad eum posset redargutio per nuntios vel litteras pervenire, ipsos excessus multitudini tunc astantium fidelium non absque dolore ingenti animi duximus referendos, ut sic saltem ad eum circa excessus hujusmodi nostra reprehensio perveniret. Et licet tunc, justitia exigente, possemus super prædictis, quæ adeo erant notoria, quòd nulla tergiversatione celari poterant, ad proferendam sententiam procedere contra eum; de benignitate tamen apostolica volentes amplius exspectare, an ipse præfatis omissis erroribus, ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ, & viam si vellet convertere veritatis, ipsum de fratrum prædictorum consilio per edictum publicum, præsente fidelium eorumdem multitudine copiosa, citavimus, ut infra certum tunc sibi præfixum terminum coram nobis personaliter compareret, super prædictis facturus quod suaderet ratio, ac sententiam auditurus, præfatum eidem terminum de fratrum eorumdem consilio peremtorium assignantes, apertiùs etiam prædicentes, quòd sive compareret sive non, ad prædictam sententiam proferendam procederemus, & alias super prædictis omnibus & singulis conjunctim vel divisim, prout videremus expediens & justitia suaderet. Cumque præfatus Ludovicus, qui, ut prædicitur, jure si quod sibi ex electione prædicta fuerat acquisitum, ac subsequenter ejus aucta contumacia, feudis omnibus à Romana, vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, ac omni jure ad ipsum in eo aut ejus occasione vel causa sibi quomodolibet competenti, nec non & om-

A nibus privilegiis apostolicis & imperialibus ei aut suis prædecessoribus concessis, quatenus ipsius tangere poterant commodum, justo privatus extiterat judicio; quique etiam pro fautoria hæreticorum innodatus excommunicationis sententia, quam per biennium & ultra indurato sustinuerat, sicut & tunc sustinebat animo, manifestus hæreticorum fautor declaratus fuerat, & pœnas omnes à canonibus inflictas talibus, incurrisse: prout in processibus contra

B eum habitis pleniùs continetur, infra prædictum præfixum sibi terminum comparere per se vel alium non curarit, nec etiam postea de mansuetudine sedis apostolicæ diebus pluribus exspectatus, nos eumdem reputavimus de eorumdem fratrum consilio meritò contumacem. Et quoniam se ad correctionem præmissorum disponere in aliquo non curavit, sed velut in profundum malorum perductus, mala malis superaddere, offensasque offensis cumulare, & iram Dei contra se jugiter provocare, ac fideles ver-

C bis & operibus persequi non cessabat: nos læsionem fidei, patrum quoque sanctorum contemtum & probra, nec non & præsentium scandala, variaque posterorum pericula super his attendentes, obviareque tantis malis & periculis salubriter cupientes; cùm essent præmissa sic notoria quòd nequibant tergiversatione aliqua occultari, Dei nomine invocato, de fratrum eorumdem consilio, præsentique fidelium multitudine copiosa, præfatum Ludovicum fore hæreticum declaravimus, ac prædictas as-

D sertiones per dictam constitutionem hæreticas declarantes, & scripturas quascumque continentes easdem, nec non & ipsum Ludovicum velut hæreticum reprobavimus, & sententialiter duximus condemnandos. Volentes ut si quis doctrinam seu assertiones prædictas defendere præsumeret, vel etiam approbare, cujuscumque dignitatis, ordinis, conditionis aut status existeret, tamquam hæreticus deberet ab omnibus confutari. Ne itaque tot & tantorum facinorum in divinæ majestatis offensam, & ejus-

E dem Romanæ Ecclesiæ matris omnium fidelium contumeliam & contemtum, fideique catholicæ ac utilitatis reipublicæ detrimentum nequiter patratorum in succedentia temporum sæcula sine correctione debita in multorum perniciem memoria deferatur, nec idem Ludovicus qui pertinaciter in suis prædictis erroribus & hæresibus persistere, ac excessus excessibus & injurias injuriis cumulare, pacemque Dei & Ecclesiæ perturbare continuè non veretur, ac inter christicolas schismata, dissensiones & scan-

F dala nititur periculosè nimium suscitare, suos pravos & damnandos conceptus per quos cultum ejusdem fidei catholicæ, sine qua Deum nemo videre poterit, depravare, quantum in ipso, satagit ut in partum possit producere, sed potiùs dextera Domini faciente virtutem obsistatur eidem viriliter, & sui damnandi executio propositi elidatur, opportunis remediis providere cupientes, quia in his Dei & ejusdem catholicæ fidei causam agi conspicimus, illam devotè prosequentibus decrevimus etiam spiri-

tualibus auxiliis aſſiſtendum, ut cauſam ipſam eò ferventiùs proſequantur, quo tutiùs hujuſmodi proſecutionis eventum poterunt experiri. Ideoque nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui dictum Ludovicum ejuſque complices, fautores, & receptatores quamdiu extra dictæ ſedis gratiam extiterint, in perſonis & ſumtibus propriis, nec non & iis qui in perſonis propriis, alienis tamen ſumtibus expugnabunt, & ſuper hoc per annum incipiendum à die de quo duxeris ordinandum continuum vel interpolatum infra biennium ex tunc complendum proximo laborabunt, tam clericis quàm laïcis, & eis inſuper qui ſuis dumtaxat expenſis juxta quantitates & facultates ſuas deſtinabunt idoneos bellatores, per dictum tempus moraturos & laboraturos ibidem, illam concedimus veniam peccatorum, quæ concedi per eamdem ſedem proficiſcentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conſuevit, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eos autem qui non per annum integrum, ſed pro ipſius anni parte in hujuſmodi ſervitio laborabunt, juxta qualitatem laboris & devotionis affectum participes eſſe volumus indulgentiæ ſupradictæ. Quòd ſi forſan ipſorum aliquos poſt iter arreptum in proſecutione dicti negotii ab hac luce migrare contigerit, vel interim negotium ipſum congrua terminatione compleri, eos integrè participes eſſe volumus & concedimus indulgentiæ memoratæ. Hujus autem remiſſionis volumus etiam eſſe participes juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum, omnes qui ad expugnationem prædicti Ludovici ac ſequacium & fautorum ipſius de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Ceterum ne dicti Ludovici hæretici & ſchiſmatici, ſuorumque complicum & ſequacium infectionibus venenoſis contaminari fideles valeant quoquo modo, nos omnes & ſingulos tam clericos quàm laïcos cujuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali vel ſuperiori aut inferiori, vel regali ſeu quacumque alia præemineant dignitate, præſentium tenore monemus, ac eis & eorum ſingulis interdicimus & inhibemus expreſsè, ne præfatis hæretico & ſchiſmatico, ac complicibus & ſequacibus adhæreant, pareant, obediant, aut præſtent directè vel indirectè, publicè vel occultè, per ſe vel alium ſeu alios auxilium, conſilium vel favorem. Et ſi qui forſan contrarium quomodolibet attentarent, ab adhæſione, obedientia, conſilio, auxilio & favore prædictis infra decem dierum ſpatium, poſtquam monitio noſtra hujuſmodi ad eorum notitiam pervenerit, vel per eos ſteterit quominus potuerit perveniſſe, omninò deſiſtant, illa ſibi vel eorum aliqua de cetero quamdiu extra communionem fidelium, & gratiam ſedis apoſtolicæ fuerint, ſicut nunc dinoſcuntur exiſtere, nullatenus præſtituri. Alioquin eos qui contra monitionem hujuſmodi venire, vel aliquid attentare temerariis auſibus præſumſerint, in omnes pœnas & ſententias A quas jura & conſtitutiones quæcumque, nec non & proceſſus noſtri hæreticorum & ſchiſmaticorum fautoribus, defenſoribus, & receptatoribus infligunt, declaramus & volumus incidiſſe. Apertiùs prædicentes eiſdem nihilominùs, quòd ad publicationem, executionem, & aggravationem pœnarum & ſententiarum prædictarum, aliarumque inflictionem adversùs eos qui monitioni prædictæ non paruerint cum effectu, prout juſtum fuerit & expedire videbimus, B abſque monitione alia procedemus. Quocirca mandamus quatenus vos & ſinguli veſtrum per vos vel alium ſeu alios, indulgentiam & monitionem hujuſmodi, ac omnia & ſingula ſupradicta in eccleſiis & locis civitatis, diœceſis & provinciæ Mediolanenſis, aliarumque partium, de quibus, ac ubi, quando, & quoties vobis expedire videbitur ſolemniter publicantes, & exponentes nihilominùs ut meliùs & clariùs intelligantur ab omnibus in vulgari, fideles per verbum prædicationis & aliter prout expediens C fuerit, efficacius & inſtantius inducere ſtudeatis. Ut ſuſcipientes videlicet qui ex cauſa majoris devotionis ſuſcipere voluerint ſignum crucis, ſuiſque cordibus & humeris affigentes ad proſequendum cauſam Dei hujuſmodi, potenter & viriliter ſe accingant, dictum hæreticum & ſchiſmaticum, ejuſque ſequaces, complices & fautores, velut hoſtes manifeſtos Dei & Eccleſiæ, perſecutoreſque fidei catholicæ perſequendo. Super publicatione autem hujuſmodi fieri volumus publica inſtrumenta, principium & finem præſentium continentia, quæ nobis deſti- D nare fideliter poſtmodum procuretis. Datum Avenione ſeptimo Kalendas Julii, anno tertio decimo.

PROCESSUS

Contra Michaëlem de Ceſana declaratum hæreticum & ſchiſmaticum.

Johannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei E ad perpetuam rei memoriam. Ad noſtri apoſtolatus auditum dudum fide digna relatione perducto, quòd Michaël de Ceſana olim ordinis fratrum Minorum generalis miniſter, tunc exiſtens in Urbe, nonnulla cunctis deteſtanda catholicis procurare contra ſanctam Dei Eccleſiam in favorem hæreticorum & rebellium ſubdolè ſatagebat: Nos obviare præmiſſis ſalubriter cupientes, præfatum Michaëlem, ut infra certum ſibi præfixum terminum coram nobis ſe præſentaret perſonaliter per noſtras litteras duF ximus evocandum, qui aſſumtis fictitiis & fraudulentis excuſationibus, velut de præmiſſis ſibi malè conſcius, ſicut etiam poſtmodum rei probavit exitus, infra præfixum ſibi ſuper hoc terminum minimè comparere curavit, ſed eodem elapſo termino per terras hoſtium & rebellium ejuſdem Eccleſiæ tranſiens, & loca vitans fidelium, ad Romanam applicavit curiam; in qua reſidendo poſtmodum cum neſciret à ſuis exſecrandis deſiſtere conceptibus, nedum præmiſſa

continuare nefanda, sed pejora & horribiliora prioribus eisdem adhærendo nihilominus hæreticis & rebellibus, ac præstando contra ipsam Romanam Ecclesiam auxilia, consilia & favores, committere continuè non expavit. Præmissis itaque ad nostram notitiam fide digna relatione productis, nos ea velut in divinæ majestatis offensam, ac Ecclesiæ fideique catholicæ læsionem redundantia præterire salva conscientia silentio nequeuntes, præfato Michaëli ad nostram propter hoc præsentiam evocato, præsentibus venerabili fratre nostro BERTRANDO episcopo Tusculano, ac dilectis filiis Raymundo *de Ladots* procuratore generali, Petro de Prato ministro provinciæ sancti Francisci & Laurentio Coalho baccalario conventus fratrum Avenionensium prælibati ordinis, seriosiùs explicanda duximus: eidem apertiùs prædicentes quòd super eis volebamus inquirere veritatem. Cumque ad hoc brevis mora temporis nequaquam sufficeret, præfato Michaëli, qui licet posset & deberet suis excessibus exigentibus carcerali custodiæ rationabiliter mancipari, volentes tamen eumdem ob prædicti honorem ordinis tractare humaniùs, sub excommunicationis ac depositionis ab officio & inhabilitationis ad quoscumque honores, dignitates, gradus & status ecclesiasticos, pœnis & sententiis, quas omnes & singulas ipsum incurrere volumus ipso facto, si contrarium quomodolibet attentaret, ne de civitate Avenionensi, ubi cum nostra curia tunc residebamus, sicut & nunc residemus absque nostra licentia quovis modo recederet, districtiùs duximus inhibendum. Verùm postmodum præfatus MICHAËL, audita intrusione illius nequam viri hæresiarchæ ac schismatici manifesti PETRI DE CORBARIO per illum iniquitatis filium LUDOVICUM de Bavaria Dei & Ecclesiæ suæ sanctæ, fideique catholicæ crudelem persecutorem & hostem, tunc patrata in Urbe, furtivè ac latenter de curia nostra recedens, nocturno tempore venire ad portum de Aquis-mortuis festinavit, ad quem quamdam armatam galeam sibi per dictum Ludovicum mitti, sicut patronus ejusdem galeæ asseruit, procurarat. Postmodum autem associatis sibi quibusdam nequitiæ suæ complicibus, videlicet BONAGRATIA de ordine prædicto, qui suis excessibus & delictis exigentibus in prædicta curia arrestatus, ad sancta Dei Evangelia juraverat, se de prædicta curia sine nostra licentia nullatenùs recessurum, & quodam Anglico vocato GUILLELMO OKAM ordinis prælibati, adversus quem ratione multarum opinionum erronearum & hæreticalium, quas ipse scripserat & dogmatisaverat, in eadem curia pendebat inquisitio, quæ jam diu auctoritate nostra erat incœpta, sibique propterea injunctum fuerat, & etiam ne absque nostra licentia de curia ipsa recederet, arrestatus, se conferens & reddens ignominiosè cum eisdem complicibus fugitivum, primò quamdam navem seu cocham, & deinde galeam supradictam conscendit. Nos igitur fuga dictorum Michaëlis & complicum non sine admiratione & turba-

A tione percepta, ipsos adhuc à tam periculoso devio revocare volentes, per venerabilem fratrem nostrum P. episcopum Portuensem, quem ad dictum portum unà cum nonnullis aliis personis destinavimus, propter hoc moneri & requiri, prout meliùs & utilius fieri potuit, fecimus & citari, ut ad prædictam redirent curiam, & se coram nobis præsentare curarent personaliter, facturi super prædictis quod justitia suaderet. Ad quæ præfatus MICHAËL tamquam obstinatus in malum & in reprobum sen-
B sum datus, pro se dictisque complicibus arroganter & irreverenter respondit, se ad nostram nullatenus reversurum præsentiam, sed ad prædictos LUDOVICUM, quem imperatorem, & PETRUM DE CORVARIA, quem papam nominabat, utique hæreticos & schismaticos, potius accessurum. Subsequenter verò cùm hæc ad nostram notitiam pervenissent, nos eodem Michaële citato, cum Bonagratia & Guillelmo *Okam* anglico in audientia nostra publica evocato, ac ipso dictisque complicibus non com-
C parentibus, sed in fuga persistentibus antedicta: Nos cum fratribus nostris deliberatione præhabita diligenti, & de ipsorum consilio, eosdem Michaëlem, Bonagratiam & Guillelmum reputavimus merito contumaces, ipsosque ratione contumaciæ hujusmodi excommunicationis sententia innodantes, dictum Michaëlem prædictas excommunicationis, depositionis & inhabilitationis pœnas & sententias per nos contra eum promulgatas, ut præmittitur, declaravimus incurrisse, ac eumdem excommunicatum & de-
D positum ab officio & inhabilem ad quoscumque honores, dignitates, gradus & status ecclesiasticos, & quævis beneficia ecclesiastica obtinenda, de dictorum fratrum consilio duximus declarandum, apertiùs prædicentes nos contra ipsum quàm dictos complices & eorum fautores, eisque adhærentes super prædictis & ea tangentibus, si, quando, & quoties nobis videretur expediens processuros, prout in processu nostro inde solemniter habito, & ostiis ecclesiæ Avenionensis affixo & appenso, ut ad communem
E omnium deduceretur notitiam, pleniùs continetur. Sanè quia præfatus Michaël his non contentus, venenum quod corde occultum diu tenuerat evomere publicè, velut in sensum datus reprobum non formidans, ad civitatem Pisanam, quæ per eumdem LUDOVICUM de Bavaria, jure si quod sibi ex electione discordi quæ de ipso in regem Romanorum facta dicebatur fuisse quomodolibet competebat justitia exigente privatum, tyrannicè tenebatur, non
F expavit dirigere gressus suos, ubi cum eisdem LUDOVICO & PETRO DE CORVARIA hæreticis, schismaticis & rebellibus conversans continuè, ipsosque in suis hæresibus, erroribus & damnatis schismatibus fulciens, & præstans eisdem adversus Deum & Ecclesiam ipsam veritatemque catholicam auxilia, consilia & favores, nonnulla erronea & hæreticalia contra constitutiones & declarationes sedis apostolicæ, præsertim contra illam quæ incipit, *Cum inter*, scribere & dogmatisare in diversis locis publicè, sicut

sicut fama seu potius infamia publica notoriat, A ac per eadem scripta, ac quorumdam etiam depositiones testium receptorum super hoc nobis & eisdem fratribus constitit evidenter, præsumsit pertinaciter asserendo, catholica quæ dicta constitutio hæretica, & hæretica quæ constitutio eadem catholica declaravit: per quæ utique se reddidit de dictis hæresis & schismatis, aliisque diversis criminibus respersum, immò etiam ut hæresiarcham manifestè convictum, satagens per suas falsas, erroneas & hæreticales B doctrinas & dogmatisationes hujusmodi, quas verbis & scriptis inculcare suis damnandis molitur conatibus, fideles à sua fidelitate pervertere, ac animos decipere simplicium, secumque deducere in præcipitium damnationis & mortis. Nos itaque ne vir tam reprobus glorietur ulteriùs suæ pravitatis opera absque condignis demeritorum stipendiis præteriri, ac ne deinceps in sui erroris devium, ad quod tota sua ferri videtur intentio, plures trahat, tantis malis & periculis occurrere salubriter cupientes, C cùm præmissa adeo sint notoria, tam per facti evidentiam, quàm per plures ipsius litteras ad partes diversas directas, quarum aliquæ ad nostras & fratrum nostrorum prædictorum manus etiam pervenerunt, quòd non possint tergiversatione aliqua occultari, de fratrum eorumdem consilio, auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus & nostra, præfatum Michaëlem, fautorem hæreticorum, & manifestum hæreticum & hæresiarcham ac schismaticum declaramus, ipsumque ut hære- D ticorum fautorem, & manifestum hæreticum & hæresiarcham ac schismaticum sententialiter condemnamus, privantes eumdem officiis, dignitatibus & honoribus quibuscumque, vel privatum potius declarantes, ipsumque ab omni gradu deponimus, & privilegio nudamus ecclesiastico, ac eum inhabilem ad præmissa reddimus & quodlibet prædictorum, & pœnis omnibus & sententiis spiritualibus & temporalibus quibus divino & ecclesiastico jure hæreticorum fautores, ac hæretici & hæresiarchæ ac schismatici existunt obnoxii plectentes eumdem, & E velut talem eis fore obnoxium eadem sententia declarantes. Prætereà universis archiepiscopis & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis & suspensionis ab officiis & beneficiis, quas non parendo eos incurrere volumus ipso facto, nec non privationis, depositionis, & inhabilitationis prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis, & insuper omnibus F & singulis civitatibus, terris & locis, ac universitatibus, communitatibus & personis aliis singularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existant; etiamsi imperiali, regali vel alia quacumque præemineant dignitate, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in civitates, terras, loca eorumque communitates & universitates, quas nisi mandatis & monitionibus nostris cum effectu paruerint ipso facto incurrant; nec non

privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum & bonorum, quæ ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio obtinent, pœnis & sententiis, mandamus & inhibemus expressè, ne prædictum MICHAËLEM hæreticum & schismaticum receptent, defendant, sibi adhæreant, obediant, faveant quomodolibet, seu intendant, aut præstent per se vel alium seu alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè, auxilium, consilium vel favorem, seu eum potius velut hæreticorum fautorem ac schismaticum & hæreticum, & quantum in eo est sanctæ Dei Ecclesiæ fideique catholicæ corruptorem abjiciant, abhorreant, persequantur, & si poterunt capiant & fideliter custodiant subdendum ecclesiasticæ disciplinæ. A quibus quidem pœnis & sententiis per alium quàm Romanum pontificem nullum posse volumus, nisi dumtaxat in mortis articulo, quomodolibet liberari. Eisdem & eorum singulis apertiùs prædicentes quòd ad inflictionem, publicationem, executionem & aggravationem dictarum pœnarum conjunctim vel divisim, prout excessuum cujuslibet enormitas exegerit, & expedire videbimus, absque citatione atque monitione alia, si, quando & quoties opportunum cognoverimus, procedemus non obstantibus quibuscumque privilegiis, constitutionibus, seu indultis, etiamsi de illis habenda esset specialis & de verbo ad verbum mentio, quæ contra processum nostrum hujusmodi nullo modo suffragari volumus, sed ea quoad hæc potius viribus vacuamus. Ut autem processus noster hujusmodi ad ejusdem Michaëlis & aliorum quorum interest communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in majoris Ecclesiæ Avenionensis appendi & affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsum processum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quòd idem Michaël & alii quos processus ipse contingere dinoscitur, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione duodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno tertio-decimo.

Executoria processus præcedentis.

JOHANNES Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri BERTRANDO episcopo Ostiensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum contra MICHAËLEM de Cesena olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, excommunicatum, & ab officio ministeriatus, ac omnibus officiis, dignitatibus & honoribus quibuscumque privatum, hæreticum & schismaticum, certum processum de fratrum nostrorum consilio habuimus, cujus tenor sequitur in hæc verba. Johannes, &c. Ad perpetuam rei memo-

riam. Ad nostri apostolatus auditum, &c. *ut supra proximè usque in finem.*

Processum autem hujusmodi ex superabundanti volentes in eis partibus solemniter, ut contenta in eo clariùs innotescant fidelibus, publicari; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios tam prælatos, quàm alios religiosos & seculares in Ecclesiis & locis partium tuæ legationis & aliis de quibus tibi videbitur, præfatum MICHAËLEM à ministeriatu dicti ordinis, ac omnibus officiis, dignitatibus & honoribus quibuscumque privatum, ac de hæresi & schismate sententialiter condemnatum, nec non hæreticum, hæresiarcham & schismaticum, ac omni gradu & privilegio ecclesiastico depositum, ac redditum inhabilem & indignum ad præmissa & quodlibet prædictorum, omnibusque pœnis & sententiis spiritualibus, & temporalibus, quibus divino & ecclesiastico jure hæreticorum fautores & hæretici, hæresiarchæ & schismatici existunt obnoxii fore subjectum, denuntiare publicè, ac ea & omnia alia in prædicto processu contenta studeas diebus dominicis & festivis, solemniter eis expositis in vulgari, nihilominus publicare. Super denuntiatione ac publicatione hujusmodi faciens fieri publica instrumenta, principium & finem præsentium continentia, illa nobis fideliter transmissurus. Datum, &c.

Aggravatio contra Bavarum ac sibi adhærentes, ne quis eis assistat.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. Dudum perversis & damnandis LUDOVICI olim Bavariæ ducis, & discorditer in regem Romanorum, sicut dicebatur, electi, conatibus, quem adeo ambitio cœca succenderat, quod ejus electione per sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam cujuscumque in regem Romanorum electi, & electionis de ipso factæ approbatio & admissio, vel reprobatio & repulsio pertinere dinoscitur, non admissâ, nec ejus approbatâ personâ, nomen & titulum regium usurpare præsumsit temerè, seque immiscere administrationi regni & imperii, ac hæreticis & rebellibus favorem, auxilium & consilium contra dictam Ecclesiam impertiri, volentes salubribus remediis obviare, eumdem LUDOVICUM per nostrum edictum publicum, cum ad ipsum tutus nequaquam pateret accessus, sub virtute obedientiæ ac excommunicationis pœna de fratrum nostrorum consilio monuimus, ut à præmissis infra certum sibi tunc præfixum terminum omninò desisteret, administrationem eamdem, quousque per Ecclesiam ipsam approbatus & admissus existeret, nullatenùs resumturus, sed revocaturus penitùs prout esset sibi possibile, cum effectu, quæcumque de facto per ipsum fuerant in contrarium attentata. Universis prælatis, & aliis quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, nec non communitatibus & universitatibus, sub magnis pœnis spiritualibus & temporalibus districtiùs nihilominus injungendo, ut eidem LUDOVICO nullatenus circa præmissa parerent vel intenderent quoquo modo, nec eidem præstarent auxilium super iis, consilium aut favorem: non obstantibus fidelitatis aut aliis quibusvis juramentis eidem præstitis, aut obligationibus, colligationibus, confœderationibus, societatibus & pactionibus sub quacumque forma vel expressione verborum cum ipso initis, etiamsi essent juramentis vel adjectione pœnarum vallatæ: quæ omnia nulla, cassa & irrita esse de fratrum eorumdem consilio declaravimus, & quatenus de facto præcesserant nulla, cassa & irrita duximus declaranda. Et quia prædictus LUDOVICUS hujusmodi & aliis diversis monitionibus, mandatis & præceptis nostris parere contemsit, damnabiliter deteriora tamquam datus in sensum reprobum jugiter committendo, primo excommunicationis sententia innodatus extitit, ac subsequenter culpis ipsius excrescentibus & contumaciis ejus adauctis, jure, si quod sibi ex electione prædicta fuerat in regnum vel imperium quomodolibet acquisitum: deinde verò eo excessus excessibus cumulante, ducatu Bavariæ, ac omnibus privilegiis tam apostolicis quàm imperialibus, ac bonis & feudis omnibus quæ ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio obtinebat, per diversos processus nostros diversis temporibus habitos, de fratrum eorumdem consilio justo judicio nudatus extitit privatus. Et demùm quia Pharaonis imitatus duritiam, & contemnens sanctæ matris Ecclesiæ disciplinam, nulla correctionis ostendit indicia, sed potius hæreticis & hæreticalibus intendens dogmatibus, ac hæreticos quos in suum admisit consortium, eorumque errores & hæreses defendendo, se ostendit hæreticum manifestè, debitis servatis solemnitatibus primo fautor hæreticorum declaratus, & subsequenter de crimine hæresis fuit sententialiter & publicè per nos de ipso fratrum consilio condemnatus. Postmodum verò idem LUDOVICUS præmissis excessibus enormibus & detestabilibus non contentus, sed tamquam obstinatus in malum & velut demissus in disputationis laqueum continuè conatus suos dirigens ad pejora, imperialis solium dignitatis de facto non sine magna insania & temeritate damnabili usurpare præsumsit, se ad illud per illos quibus non competebat faciens, etiamsi jus sibi competeret, coronari, & ad offendendam Ecclesiam sanctam Dei, ejusque fideles & devotos in Italiæ partibus, in quibus ausu nefando contra prohibitionem remansit Ecclesiæ nihilominus se accingens, nonnullas civitates & loca partium prædictarum, quæ sibi adhæserant, devastavit horribiliter & immaniter, ac nonnulla ex ipsis ad tantam inopiæ ac paupertatis egestatem deduxit, quòd vix etiam per tractum longissimi temporis adjicere poterunt ut resurgant. Jura insuper & bona imperii dilacerando continuè, fideles & devotos Ecclesiæ persequendo crudeliter, & quantum in eo fuit, de illis partibus effugando. Et demùm nequitiæ suæ virus conceptum evomens ad subverten-

dum prorsus fidem catholicam, & scindendum dominicam inconsutilem tunicam, in divinæ majestatis opprobrium, totiusque cœtus fidelium scandalum, periculum, contemtum, execrandis factionibus velut membrum satanæ se disponens, associatis sibi quibusdam suis nequam complicibus, PETRUM de Corvaria, virum utique scandalosum & perfidum, qui olim dimissa uxore sua legitima, cui pluribus annis tam in lecto quam in mensa cohabitaverat, fratrum Minorum assumens, præter uxoris ejusdem consensum, habitum, & pro fratre Minore se gerens, quique ministro suo provinciali Romano inobediens, per ipsum fuit pronuntiatus in excommunicationis incidisse sententiam, & mancipandus carceri, in antipapam assumsit, procurans quòd dictus Petrus sic delusoriè & damnabiliter in antipapam assumtus, pseudo-cardinales & notarios ac officiales alios juxta morem quem servat Romana curia constitueret, aliaque nonnulla præsumeret cunctis catholicis detestanda. Synagogam autem hujusmodi diebus congregatam aliquibus virtutum Dominus misericorditer subitò dissipavit. Nosque omnia per eosdem LUDOVICUM & PETRUM attentata circa præmissa vel præmissorum occasione, vel eorumdem aliqua, de fratrum eorumdem consilio nulla, cassa, & irrita meritò duximus declaranda, præfatum LUDOVICUM tam ex prædictis quam aliis diversis capitulis, multis respersum hæresibus, tamquam hæreticum & schismaticum manifestum, de hæresi & schismate, de fratrum nostrorum consilio, nihilominus condemnantes, adversus eum pœnas infligendo varias, & etiam declarando incurrisse inflictas & comminatas, sicut in diversis processibus nostris supra dictis de fratrum prædictorum consilio solemniter habitis, plenius continetur. Sanè quia fide digna multorum relatio ad nostrum noviter perduxit auditum, quòd idem LUDOVICUS, nondum in eo igne avaritiæ & ambitionis extincto, sed potius flatu diabolico inflammato, ad civitatem se contulerat Tridentinam, ubi suis complicibus convocatis, satagit ordinare quod sicut in partibus Italiæ supradictis jura usurpavit imperii, fideles turbavit, eorumque devoravit substantias & consumsit, sic & in Alemanniæ partibus damnandum in hac parte suum desiderium valeat adimplere, ac vicarios officiales & ministros suos ad easdem partes Alemanniæ disposuit propter hoc destinare. Nos tantis malis & periculis justis obviare remediis cupientes, præfatum LUDOVICUM per hoc edictum nostrum publicum, cum ad eum pro faciendis sibi monitionibus & inhibitionibus hujusmodi non sit tutus accessus, moraque pericula varia comminetur, præsente hac multitudine copiosa fidelium monemus, & eidem sub excommunicationis pœna, nec non sub pœnis aliis tam spiritualibus quàm temporalibus in eumdem inflictis hactenus, quas pro repetitis habere volumus, quibusque ipsum subjacere decernimus, si contrarium fecerit, ipso facto, inhibemus & mandamus expresè, ne ulterius de administratione regni Romani vel imperii se quomodolibet intromittat, nec se regem vel imperatorem nominet, nec ab aliis faciat quantum in eo fuerit nominari, nec sub nomine hujusmodi vel alio quocumque pro dictorum regni & imperii negotiis ad Alemanniæ, vel ad aliquas partes alias, aliquem vel aliquos destinare præsumat, nec vicariatus aut alia quæcumque officia quibusvis nominibus nuncupentur concedat, seu committat alicui vel aliquibus, nec etiam in illis vel aliis partibus jura vel bona regni seu imperii quomodolibet occupet seu pertractet, fidelesque non turbet Ecclesiæ & imperii aut molestet: Universis nihilominus & singulis prælatis aut personis ecclesiasticis, sæcularibus & religiosis cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existant, etiamsi patriarchali, pontificali, aut majori seu inferiori præfulgeant dignitate, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus, aliisque personis singularibus quibuscumque, ac communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris, oppidis, villis & locis, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in terras, civitates, castra, oppida, & loca ipsorum, ac universitates, communitates & collegia, nec non privationis dignitatum, personatuum officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum dictorum prælatorum & personarum ecclesiasticarum, ac tam illorum quàm aliorum quorumcumque privilegiorum apostolicorum & imperialium, feudorum, bonorum, honorum, & officiorum quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio obtinent, ac libertatum & immunitatum quorumlibet pœnis inhibemus districtiùs & mandamus, ne vicariatus vel quodcumque aliud officium vel administrationem hujusmodi, quocumque nomine nuncupetur, recipiant ab eodem, vel alio seu aliis, ejus auctoritate, nomine vel mandato. Etsi forsan officium vel administrationem hujusmodi receperint, statim illud vel illam postquam præsens processus ad eorum notitiam pervenerit, vel per eos steterit, quominus pervenire potuerit, dimittere non postponant, illud vel illam nullatenus ulterius resumturi: neve præfato LUDOVICO aut complicibus, fautoribus, vicariis, ministris vel officialibus ejusdem, quocumque nuncupentur nomine, pareant in aliquo vel intendant, nec eos vel aliquos ipsorum recipiant vel admittant, aut de juribus & proventibus quibuscumque ad regnum Romanum vel imperium spectantibus respondere, vel aliter eis impendere auxilium, consilium vel favorem directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumant. Alioquin personas singulares quascumque ecclesiasticas. & sæculares cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis & status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis; terras verò, civitates, castra, oppida & loca, nec non universitates, communitates & collegia, quæ contra inhibitionem & mandatum nostrum hujusmodi aliquid facere vel attentare temerè præsumserint, interdicti sententias,

quas ex nunc proferimus; nec non personas ecclesiasticas, præter patriarchas, archiepiscopos & episcopos privationis omnium dignitatum, personatuum, & aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, & inhabilitationis pœnam ad ea & similia in posterum obtinenda, incurrere volumus ipso facto. Ad privationem dignitatum & prælaturarum dictorum patriarcharum, archiepiscoporum & episcoporum, ac inhabilitationem ad ea & similia obtinenda, nec non privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, bonorum & honorum ac libertatum, quæ ipsi vel quicumque alii clerici vel laïci à Romana, vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinent, ac libertatum & immunitatum tam contra ipsos quam alias quascumque personas ecclesiasticas & sæculares, cujuscumque status vel conditionis existant, ac alios spirituales & temporales pœnas & sententias, de quibus nobis videbitur infligendas seu inflictas declarandas, juxta delictum, contumaciam, & excessum cujuslibet, si, quando, quoties opportunum cognoverimus, communiter vel divisim, absque monitione & citatione alia, nos processuros apertiùs prædicentes. Non obstantibus fidelitatis & quibusvis aliis juramentis, per quæ ipsi vel eorum aliqui dicto LUDOVICO se quomodolibet obstrinxissent, ac confœderationibus, pactionibus, societatibus & ligis cum eodem seu alio vel aliis nomine suo vel mandato per quascumque personas singulares ecclesiasticas vel sæculares; aut communitates seu universitates, collegia, contractis seu initis, sub quacumque forma seu expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectionibus aut juramentorum præstationibus, vel quacumque alia firmitate vallatæ fuissent, utpote in Dei contumeliam, contra bonum pacis, ac in derogationem honoris & status sanctæ matris Ecclesiæ, & præjudicium reipublicæ, animarumque periculum, cum hæretico & schismatico atque excommunicato præsumtas temerè, quæ omnia per processus nostros alios, nulla, cassa, & irrita declaravimus & adhuc etiam declaramus, & quatenus de facto præcesserunt cassavimus, annullavimus & irritavimus, & nunc ex superabundanti cassamus, annullamus & irritamus, etiamsi post dictos processus aliqua talia fuerint attentata, juramenta dissolventes hujusmodi, & pœnas omnes & singulas super prædictis, vel ea tangentibus adjectas quomodolibet relaxantes de plenitudine potestatis. Volumus autem auctoritate apostolica nihilominus decernentes, quòd processus noster hujusmodi præfatum LUDOVICUM & alios quos tangere dinoscitur, apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter & singulariter publicatus & intimatus solemniter extitisset. Constitutione quacumque contra per prædecessores nostros Romanos pontifices edita non obstante. Ut autem processus noster hujusmodi & omnia in eodem contenta ad ejusdem LUDOVICI & aliorum quorum interest communem notitiam deducantur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut idem LUDOVICUS & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile remanere, quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione sexto Kalendas Februarii, anno decimo quarto.

Executoria processus præcedentis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri, &c. Ad obviandum damnandis LUDOVICI olim Bavariæ ducis, excommunicati, hæretici, & schismatici ausibus, & fidelium partium Alemanniæ periculis imminentibus occurrendum, pridem certum processum de fratrum nostrorum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, habuimus, cujus tenor sequitur in hæc verba. JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Dudum perversis, &c. *ut supra proximè usque in finem.*

Volentes itaque dictum processum & contenta in eo, ut pleniùs innotescant partium earumdem fidelibus, ac ipsi ne per eumdem LUDOVICUM suosque sequaces, complices, & ministros inficiantur, decipiantur aut opprimantur, sub pœnis & sententiis per processum ipsis inflictis & comminatis, involvantur, sibi providere valeant cautiùs, & ne prætendere super his possint ignorantiam, in eisdem partibus solemniter publicari. Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ districtiùs injungendo, quatenus per te vel alium seu alios religiosos & sæculares, de quibus tibi videbitur, processum eumdem ac omnia & singula quæ continentur in eo in locis & ecclesiis tuarum civitatis & diœcesis, de quibus expedire credideris, eis expositis in vulgari nihilominus ut clariùs intelligantur, publicare solemniter, ipsumque LUDOVICUM excommunicatum, hæreticum & schismaticum singulis diebus festivis & dominicis publicè studeas nuntiare. Nos de publicatione hujusmodi per instrumenta publica, principium & finem præsentium continentia, redditurus quantociùs poteris certiores. Datum Avenione.

PROCESSUS

Contra Johannem de Claromonte.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Crescit facilè in immensum impunita temeritas, & ubi præsidentis auctoritas excedentium culpas non corrigit, cum quadam libertate in deteriora non sine pernitioso exemplo prolabitur qui deliquit. Sanè dudum adversus Ludovicum olim Bavariæ

ducem & discorditer in regem Romanorum, A sicut dicebatur, electum, diversos processus de fratrum nostrorum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, habuimus, per quos idem LUDOVICUS propter horrenda crimina & detestandos excessus ipsius, primo excommunicationis innodatus sententiis, ac deinde suis culpis excrescentibus ac contumaciis & inobedientiis continuatis & auctis, jure si quod sibi ex electione prædicta forsan ad regnum Romanum vel imperium acquisitum fuerat, & subsequenter ducatu Bavariæ, ac omnibus privilegiis apostolicis & imperialibus, nec non feudis & bonis B quibuscumque quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinebat, privatus extitit. Et demum quia hæreticis & rebellibus Dei & Ecclesiæ favere & adhærere non erubuit, viros Ecclesiæ sanctæ Dei hostes & hæreticos in suum consortium admittendo, & eorum perversis dogmatibus adhærendo, primo fautor hæreticorum declaratus, & postea de hæresi qua se respersum manifestè & convictum, fuit justo judicio sententialiter & publicè con- C demnatus, diversis pœnis aliis in eum tamquam hæreticum & schismaticum manifestum inflictis. Et licet per processus eosdem de dictorum fratrum consilio habitos, omnes & singulas civitates, communitates, & personas alias singulares quascumque, cujuscumque conditionis aut status existerent; etiamsi imperiali vel regali, aut quavis alia dignitate fulgerent, monuerimus publicè, eisque inhibendum districtiùs in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, D quas ipsos incurrere voluimus ipso facto, si nostris non obedirent inhibitionibus, monitionibus & mandatis, nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, quæ ab Ecclesia vel imperio obtinerent, pœnis duxerimus, & mandandum ne prædicto LUDOVICO parerent, faverent, vel intenderent circa regni Romani vel imperii regimen vel administrationem eorum contingentia, favendo vel etiam assistendo, privilegia, immunitates, feuda vel jura quæcumque in E eisdem regno vel imperio, ab eodem recipiendo dominium, vel subjectionem aliquam tamquam regi seu in regem Romanorum electo vel imperatori recognoscendo, vel impendendo, terras, potestarias, rectorias seu alia officia, quocumque nomine censerentur, in civitate aliqua vel quovis loco alio, maximè in urbe Romana, seu in regno Siciliæ, vel terris aliis Ecclesiæ Romanæ subjectis, aut aliis Italiæ partibus supradictis, ab ipso seu ejus nomine recipiendo sive F etiam exercendo: neve societatem seu confœderationem aliquam cum eodem contra Ecclesiam contrahant, vel contractam per eum vel etiam cum eo observarent vel faverent, nec contrahendæ quomodolibet consentirent, nec retinendo ipsum seu fovendo quomodocumque vel qualitercumque in Italia eidem faverent, assisterent aut præstarent cum armis vel sine armis auxilium, consilium vel favorem, publicè vel occultè. A quibus quidem excommunicationis & interdicti sententiis ab alio quàm à Romano pontifice nullum posse absolvi vel liberari voluimus, nisi dumtaxat in mortis articulo ab eadem excommunicationis sententia modo & forma quibus à juribus est provisum, eisdem & eorum singulis tunc apertiùs nihilominus prædicentes, quòd adversus eos qui inhibitionem, monitionem & mandata nostra hujusmodi, directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumerent aliquid attentare, ad privationem privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum quæ à Romana vel aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, & aliàs procedere intendebamus absque citatione aliqua, prout facti qualitas exigeret, sicut & quando expediens videremus. Et insuper decrevimus civitates, communitates, universitates, villas, collegia, & quascumque singulares personas, quæ contra monitionem & inhibitionem & mandata nostra hujusmodi dicto LUDOVICO de hæresi & schismate ut præmittitur condemnato, adhærere, communicare, participare vel favere quocumque modo, directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumerent, vel societates, confœderationes, colligationes, pactiones aut ligas quascumque cum eodem initas vel contractas præsertim in ejus favorem, utilitatem vel auxilium observarent, præter pœnas prædictas, omnibus pœnis quibus fautores & defensores hæreticorum subjiciuntur à jure, & quibusvis constitutionibus subjacere, ad pœnarum ipsarum declarationem & executionem contra delinquentes hujusmodi nos processuros, si, quando, & quoties nobis videretur expediens, tunc apertiùs prædicentes. Tamen post publicationem processuum eorumdem, JOHANNES DE CLAROMONTE olim comes MOACH, qui comes de Claromonte in Sicilia nominatur, prædictis monitionibus, inhibitionibus & mandatis, ac pœnis & sententiis deductis, velut in reprobum sensum datus damnabiliter in contemtum, cum quibusdam armigeris ejus sequacibus ad præsentiam ejusdem LUDOVICI tunc in civitate Pisana morantis, se personaliter conferens, eidem LUDOVICO adhæsit publicè, & cum eodem Romam accessit postmodum, & ibidem moram traxit, & tam sibi quàm PETRO DE CORVARIA hæresiarchæ & schismatico manifesto tam in Urbe prædicta quàm extra adhæsit damnabiliter, publiceque præstitit auxilium, consilium & favorem, parendo & obediendo mandatis eorum, & obsequiis insistendo: nec non ab eodem PETRO DE CORVARIA Mareschalliæ officium recipiendo damnabiliter & pro tali publicè se gerendo: ac deinde ad Marchiam Anconitanam, terram utique Romanæ Ecclesiæ peculiarem, & ad jus & proprietatem beati Petri & ejusdem Ecclesiæ pleno jure spectantem, accedens, vicariumque imperii pro dicto LUDOVICO, & rectorem pro eodem PETRO DE CORVARIA hæresiarcha se in eadem Marchia publicè nominans & appellans, provinciam ejusdem Marchiæ aggressus hostiliter extitit, & fideles ibidem persequi & offendere stipatus

caterva multorum hæreticorum & schismaticorum aliorumque suorum sequacium damnabiliter non expavit, confovendo ibidem hæreticos & schismaticos ac rebelles, eisque auxilium, consilium, & favorem præstando ac defensionem in divinæ majestatis offensam, Ecclesiæ Romanæ suorumque fidelium præjudicium publicè ministrando: quæ quidem adeo sunt notoria quòd nulla possint tergiversatione celari, & de his etiam per depositiones fide dignorum testium, quos ex superabundanti super prædictis recipi & examinari mandavimus, plenariè nobis constat. Nos autem volentes tot excessus, iniquitates & scelera per eumdem JOHANNEM sic nequiter & enormiter ac diutiùs in Dei offensam, fidei catholicæ læsionem, ac ejusdem Romanæ Ecclesiæ præjudicium & jacturam perpetrata ulteriùs sub silentio præterire, præfatum JOHANNEM fuisse & esse hæreticorum fautorem, defensorem & receptatorem, & publicum ac notorium patrimonii & terrarum beati Petri & sanctæ Romanæ Ecclesiæ persecutorem & hostem, ipsumque tam auctoritate prædictorum processuum nostrorum, quàm propter fautoriam & defensionem, receptationem & adhæsionem dictorum hæreticorum & schismaticorum, & alios suos horrendos excessus fore diversis excommunicationis & pœnis aliis innodatum, omnesque pœnas & sententias tam in processibus supradictis comminatas & latas, quæ personam laïcam possunt concernere, quàm contra fautores, auxiliatores, defensores & receptatores hæreticorum promulgatas à jure ac quibuscumque constitutionibus, incurrisse: ipsumque omni honore, dignitate ac titulo comitatus de *Moach*, sub dominio Ecclesiæ vel imperii existentis mediatè vel immediatè, & specialiter terra & baronia seu baroniis quas habet in Sicilia, scilicet in castro *Kaccauu* vulgariter nuncupato, ac omnibus castris, villis, locis, bonis, possessionibus, privilegiis, indulgentiis, juribus, jurisdictionibus & honoribus quibuscumque, quæ à Romana vel quibuscumque aliis ecclesiis aut imperio in insula Siciliæ, aut quibusvis locis seu partibus haberet vel obtineret, aliis declaramus de dictorum fratrum consilio & pronuntiamus propter scelera sua & processus prædictos fore privatum, ipsumque privamus eisdem ad cautelam nihilominus, & excommunicationis sententia innodamus. Absolventes insuper à vinculo juramenti fidelitatis omnes & singulos qui eidem juramento hujusmodi sunt astricti. Sanè quia dictus JOHANNES de hæresi & schismate aliisque diversis criminibus fidem tangentibus catholicam, vehementer reddidit se suspectum: Nos attendentes quod dissimulatio & mora essent super his fidei & fidelibus pericula allaturæ, præfatum Johannem per hoc edictum nostrum publicum, cum ad ipsum, utpote inter inimicos, hostes & rebelles Dei & ecclesiæ persistentem, tutus accessus non pateat, præsente hac multitudine copiosa fidelium, citamus peremtoriè, ut infra instans festum Asensionis Domini exclusivè, nostro conspectui personaliter se præ-

A sentet, super eisdem criminibus justam dante Domino sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suadebit: quem quidem terminum ad præmissa peremtorium eidem de prædictorum fratrum consilio præfigimus ac etiam assignamus. Apertiùs prædicentes eidem, quòd sive infradictum terminum vel in eo comparuerit, sive non comparuerit coram nobis, nos ad sententiam hujusmodi proferendam & alias contra ipsum, prout rationis fuerit, & expedire videbimus, absque citatione alia procedemus. B Volumus autem auctoritate apostolica nihilominus decernentes, quod processus & citationis edictum hujusmodi, præfatum JOHANNEM & alios quos tangere dignoscitur, apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter & singulariter publicati & intimati solemniter extitissent, constitutione quacumque per Romanos pontifices prædecessores nostros in contrarium edita non obstante. Ut autem processus noster, & citationis edictum ejusmodi ad ejusdem JOANNIS de Claromonte & aliorum quos tangit, C communem notitiam deducantur, cartas sive membranas processum & citationem continentes eosdem in ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsos processum & citationem suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ita quod dictus JOHANNES & alii quos contingere dinoscuntur, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerint, vel quòd ignorarint eosdem, cùm non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. D Datum Avenione sexto Kalendas Februarii, anno quarto decimo.

Executoria præcedentis processus.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, veneralibus fratribus.... archiepiscopo, & ejus suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem.

Contra JOHANNEM DE CLAROMONTE olim comitem *Moach*, excommunicatum, ac hære- E ticorum & schismaticorum fautorem, Dei & Ecclesiæ atrocem persecutorem & hostem, certum processum de fratrum nostrorum consilio, præsente fidelium multitudine copiosa, habuimus, cujus tenor sequitur in hæc verba. JOHANNES, &c. Ad perpetuam rei memoriam. Crescit facilè in immensum, &c. *Ut supra proximè usque in finem.*

Et licet processus prædictus fuerit solemniter, ut in eo continetur, habitus, & portis ecclesiæ F Avenionensis affixus, volentes tamen ex superabundanti & ut clarius notitiæ innotescat fidelium, in eis partibus publicari, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios religiosos & sæculares eumdem processum & contenta in eo in ecclesiis & locis earum partium de quibus vobis expedire videbitur, solemniter publicare curantes, præfatum JOHANNEM excommunicatum ac fautorem & defensorem esse publicum

hæreticorum & schismaticorum, & ut talem declaratum & condemnatum fuisse, omnesque pœnas inflictas hæreticorum & schismaticorum fautoribus & defensoribus incurrisse, nec non omni honore ac titulo comitatus *Moach*, aliisque terris & bonis, juribus, jurisdictionibus & honoribus, quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio in insula Siciliæ aut alibi obtinebat, sententialiter fore privatum, aliaque in processu prædicto contenta, denuntiare singulis diebus dominicis & festivis, convocatis seu congregatis clero & populo, præmissis expositis in vulgari, nihilominus procuretis, faciendo super publicatione & denuntiatione hujusmodi confici publica instrumenta, principium & finem præsentium continentia, ea nobis postmodum fideliter transmissuri. Datum, &c.

PROCESSUS

Contra Bertholdum de Nyffen.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Cum olim BERTHOLDUS dictus *Nyffen*, & BERTHOLDUS de *Grayspach*, ac FREDERICUS de *Truendigen*, ex eo quod hæreticis & rebellibus Dei & Ecclesiæ in partibus Italiæ publicè faverant, eosque receptaverant, defenderant, eisque contra Ecclesiam Romanam ejusque fideles & catholicam fidem præstiterant auxilia, consilia, & favores, aliosque graves excessus commiserant & enormes, per suos competentes super his judices, quibus legitimè constiterat de præmissis fore fautores & defensores hæreticorum, inflictas, ac propter fautoriam hujusmodi excommunicationis sententiæ perpetuæque infamiæ subjacere, nec non omnes pœnas reales & personales, spirituales, & temporales contra fautores hæreticorum, incurrisse sententialiter judicati, pronuntiati & declarati fuissent. Nos expedire videntes excessus ipsorum à quibus desistere non curabant, sed pejora satagebant cumulare prioribus, nec non & prædictam sententiam in publicam notionem deduci, eosdem BERTHOLDUM de *Nyffen*, BERTHOLDUM de *Grayspach* & FREDERICUM de *Truendigen* fuisse ac esse fautores, complices & defensores hæreticorum publicos & notorios, & propterea excommunicationis sententiæ & perpetuæ infamiæ subjacere, omnesque pœnas alias personales & reales, spirituales & temporales adversus fautores, complices & defensores hæreticorum editas incurrisse, in consistorio nostro publico, præsente multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio nuntiandos duximus ac etiam publicandos. Cumque tunc fide digna relatione, percepto quod idem BERTHOLDUS de *Nyffen* pro vicario LUDOVICI de Bavaria discorditer in regem Romanorum electi, ut dicebatur, se gerens, excessus excessibus cumulare non cessans gentem armigeram & exercitum de diversis civitatibus earum partium, in hæreticorum & rebellium Dei & Ecclesiæ auxilium, ac ad invadendum & offendendum devotos & fideles ipsius Ecclesiæ, congregarat, & ad hæc exequendi realiter iniquas operationes suas, quantum poterat dirigebat, mandando communitatibus & personis singularibus civitatum, castrorum & aliorum locorum partium earumdem sub pœnis gravibus, ne ipsi ad exercitum fidelium Ecclesiæ convenirent, vel eisdem inhærerent fidelibus seu assisterent, aut sequerentur eosdem, & concedendo de facto sibi obedientibus in præmissis privilegia, ac eisdem innovando & confirmando concessa: devotis autem & ecclesiæ memoratæ fidelibus, pœnas varias infligendo, quamvis nullam haberet super his potestatem, nisi tyrannicam & de facto. Nos hujusmodi sic exsecrandis ausibus justis occurrere remediis cupientes, præfatum BERTHOLDUM de *Nyffen* per edictum nostrum publicum de fratrum prædictorum consilio monuimus, & sub excommunicationis ac privationis privilegiorum & feudorum quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis quomodolibet obtinebat, pœnis & sententiis quas eum ipso facto incurrere volumus, si monitioni & mandato nostris hujusmodi non pareret, duximus districtius injungendum, ut infra certum peremtorium sibi tunc super hoc præfixum terminum præmissa omnia & singula quatenus ad illa de facto processerat, quantum foret sibi possibile revocaret, nec similia proprio vel vicariatus prædicti nomine, vel alio quocumque vocabulo, sub quovis colore quæsito, præsumeret ulteriùs quomodolibet attentare. A fautoria quoque, defensione, omnique adhæsione dictorum hæreticorum & rebellium, ac dicto usurpato & præsumto indebitè vicariatus officio penitùs desisteret, nec se de illis ulteriùs per se vel alium seu alios intromittere attentaret. Quæ omnia per ipsum BERTHOLDUM de *Nyffen* circa præmissa quomodolibet attentata seu præsumta revocavimus auctoritate apostolica, cassavimus, irritavimus, & viribus vacuavimus, ea cassa, irrita, & vacua, nulliusque firmitatis existere tunc nihilominùs declarantes, sicut in processu nostro super præmissis habito plenius continetur. Certè cum BERTHOLDUS prædictus mandatis & monitionibus nostris hujusmodi, tamquam datus in sensum reprobum, obauditis, culpas culpis, & excessus excessibus in suæ damnationis cumulum jugiter aggregando, præfato LUDOVICO de Bavaria, qui primo suis demeritis exigentibus excommunicationis innodatus sententiis, & deinde suis culpis excrescentibus, ac contumaciis continuatis & auctis, jure, si quod sibi ex dicta electione discordi ad regnum Romanum vel imperium forsitan competebat, & subsequenter ducatu Bavariæ, omnibusque privilegiis tam apostolicis quam imperialibus, ac feudis quæ à Romana vel quibusvis aliis Ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinebat, justo judicio privatus ac fautor hæreticorum declaratus, & demum de hæresi & schismate quibus se respersum & convictum reddidit sententialiter & publicè per diversos processus nostros diversis temporibus de fratrum eorumdem con-

silio solemniter & cum debita maturitate plenariaque deliberatione habitos, extitit sententialiter & publicè condemnatus, favere, adhærere, assistere ac præstare auxilium, consilium & favorem etiam post publicationem dictorum processuum non erubuerit, quin immò Romam & ad diversa loca alia, obsequendo sibi, & officia sua gerendo, eique in dictis hæresis & schismatis criminibus participando & communicando, se contulerit & permanserit cum eodem, sicut fama publica notoriat, & adeo clarè rei evidentia manifestat, quod nulla potest tergiversatione celari. Et nihilominus idem BERTHOLDUS de *Nyffen* per tempus quinque annorum & ulteriùs excommunicationis sententias, ratione fautoria hæreticorum promulgatas contra eum, animo sustinens damnabiliter indurato, ab ipsa fautoria hæreticorum non destiterit, sed ea continuaverit potiùs & adauxerit, præfato LUDOVICO & PETRO DE CORVARIA hæreticis & schismaticis, eorumque sequacibus & complicibus adhærendo, favendo, assistendo, ac consilium, auxilium & favorem præstando publicè, de dictis hæresis & schismatis criminibus vehementer reddiderit se suspectum. Nos eumdem BERTHOLDUM per edictum nostrum publicum, præsente hac multitudine copiosa fidelium, cùm ad ipsum tutus accessus non pateat, de fratrum eorumdem consilio citamus peremtoriè, ut infra instans festum ascensionis Domini exclusivè, sub pœnis omnibus supradictis, nec non privationis omnium feudorum & bonorum quæ tenet ab imperio, quas ipsum si mandato & citationi hujusmodi non paruerit, incurrere volumus ipso facto, apostolico conspectui personaliter se præsentet, super eisdem hæresis & schismatis criminibus justam dante Domino sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suadebit. Eidem nihilominùs apertiùs prædicentes, quod sive in eodem termino, vel infra illum comparuerit, sive non comparuerit coram nobis, nos ad dictam proferendam sententiam, & alias contra ipsum, prout expedire justitia exigente videbimus, absque citatione alia, cum dissimulatio & dilatio possent in hac parte afferre periculum, procedemus. Volumus autem apostolica auctoritate nihilominus decernentes, quod processus & citationis edictum hujusmodi præfatum BERTHOLDUM & alios quos tangunt, apprehendant & arctent, ac si eisdem personaliter & singulariter publicati & intimati solemniter extitissent: constitutione quacumque in contrarium per Romanos pontifices prædecessores nostros edita non obstante. Ut autem processus noster & citationis edictum hujusmodi ad ejusdem BERTHOLDI de *Nyffen* & aliorum quos tangit communem notitiam deducantur, cartas sive membranas processum & citationem continentes eosdem in ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsos processus & citationem suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod dictus BERTHOLDUS & alii quos tangere dinoscuntur, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos non pervenerint, vel quod ignorarint eosdem, cùm non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione sexto calendas Februarii, anno quarto decimo.

Executoria præcedentis processus.

JOHANNES, &c. Venerabili fratri episcopo, &c. Adversus BERTHOLDUM de *Nyffen* excommunicatum, & de fautoria hæreticorum condemnatum, Dei & Ecclesiæ persecutorem & hostem, quemdam processum de Fratrum nostrorum consilio, præsente fidelium multitudine copiosa, habuimus, cujus tenor dinoscitur esse talis. Johannes, *&c.* Ad futuram rei memoriam. Cùm olim Bertholdus dictus de Nyffen, &c. *ut supra proximè usque in finem.* Volentes itaque processum eumdem & contenta in eo ex superabundanti in eis partibus publicari solemniter, ut fidelibus clarius nota fiant, fraternitati tuæ mandamus, quatenus eumdem BERTHOLDUM excommunicatum & fautorem, receptatorem & defensorem hæreticorum esse, ac de fautoria & receptatione hujusmodi condemnatum fuisse, omnibusque pœnis & sententiis adversus fautores hæreticorum inflictis subjacere, nec non & alia in eodem processu contenta, per te vel alium seu alios, religiosos & sæculares, in ecclesiis & locis earum partium de quibus tibi videbitur, denuntiare & publicare singulis diebus dominicis & festivis, congregatis clero & populo, non postponas. Super publicatione & denuntiatione hujusmodi fieri faciendo publica instrumenta, principium & finem præsentium continentia, quæ postmodum nobis fideliter procurare destines. Datum, &c.

Johanni regi Bohemiæ illustri.

REgiæ serenitatis pridem recepimus litteras continentes, quòd tu, fili carissime, & venerabilis frater noster archiepiscopus Treverensis tuus patruus, diebus istis cum Bavaro, de voluntate & conscientia magnifici principis OTTONIS ducis Austriæ, & per eum super hoc informati pleniùs tractatus aliquos personaliter habuistis, qui quidem tractatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac personæ nostræ, secundùm tuum, fili carissime, ac dictorum principum judicium, utilitatem respiciunt in omnibus & honorem, prout tu & ipsi per ambaxiatores vestros solemnes in proximo destinandos ad curiam nos intendebatis pleniùs informare. Subsequenter verò alias regias etiam recepimus litteras continentes, quòd ad nostram præsentiam dilectos filios nobiles viros JOFFREDUM comitem de *Linanges*, Simonem *Phy* militem, Guillelmum *Pinchon* archidiaconum Abricensem consiliarios, ac Nicolaum de *Merstorf* clericum, regios destinabat. Quibus quidem nuntiis tu & præfatus archiepiscopus in his quæ nobis pro parte nostra

nostra exponerent viva voce, tamquam nobis adhiberi fidem plenariam petiistis: quos utique excepto dicto Simone qui dicebatur propter ægritudinem impeditus, unà cum præfati ducis OTTONIS nuntiis consideratione mittentium benignè admisimus & audivimus diligenter. Quibus auditis, & quæ proposuerunt oretenùs pleniùs intellectis, nuntii ipsi sub commissa sibi præfata credentia, quamdam nobis exhibuerunt cedulam, tenoris & continentiæ subsequentis.

» Ista est intentio dominorum, scilicet regis Bohemiæ, archiepiscopi Treverensis, & ducis Austriæ, quod per eos tractetur & ordinetur concordia & compositio inter Dominum nostrum Papam sanctamque Romanam Ecclesiam ex parte una, & Bavarum ex altera. Et si hujusmodi tractatus & ordinatio commodè sint accepti Domino nostro Papæ, ipsique Romanæ Ecclesiæ, virtute potestatis eis à dicto Bavaro concessæ, inter alia facient ista fieri per Bavarum. Primo quod cum effectu deponet suum hæreticum antipapam. Secundo quod penitus ab appellatione recedet. Tertio quòd omnia quæ fecit seu attentavit contra sanctam personam Domini nostri Papæ Ecclesiamque Romanam revocet cum effectu. Quarto quod recognoscet se excessisse, & sententias excommunicationis ipsum ligasse. Quinto quod gratiæ Domini Papæ se offeret ad misericordiam. Et si Bavarus dicta facta sic tractata & ordinata facere non vellet, sciat sedes apostolica quod dictus Bavarus antedictos duos non modicum commovebit, & à consiliis eorum recedet, ac potestatem eis concessam infringet, in tantum quod hujusmodi factum præordinatum per Bavarum, tamen non adimpletum, possit resultare in magnum honorem & utilitatem Ecclesiæ Romanæ. Hæc omnia sic intelligantur quod Bavarus in honore & suo statu remaneat, scilicet in regno & imperio. Profectò, fili, quin intentio tua aliorumque principum circa præmissa recta fuerit, nequaquam in dubium revocamus; sed fuisset admodum nobis gratum, quod tu, fili carissime, & præfati principes conditionem præfati Bavari & ingressum ejus ad imperium, & in eodem progressum, examinassetis attentiùs in consistorio rationis, profectò invenissetis ipsum privatum jure si quod sibi ex electione illa in discordia celebrata quæsitum fuerat, justitia exigente, & quia his non contentus, MARSILIUM de Padua & JOHANNEM de Janduno, qui quemdam librum composuerant plures hæreses continentem, & ad eum velut hæreticorum patronum fugerant, promtè recipere, & ut errores illos prædicarent publicè, nec non & hæreticis aliis in partibus Italiæ publicè non erubuit impertiri favorem, fuit declaratus hæreticorum fautor publicus & notorius, & ut hæreticorum fautor exigente justitia condemnatus. Sanè quia diutiùs exspectatus ab his non resipuit, sed velut venumdatus ut faciat malum, nedum favorem impendere curavit hæreticis, sed ipsis hæresibus facto & verbo non est veritus se immiscere, fuit meritò pronuntiatus hæreticus, & ut hæreticus exigente justitia condemnatus, prout hæc in processibus apostolicis pleniùs continentur, ex prædictis satis potest ejus inhabilis conditio ad imperiale fastigium apparere. Qualis autem ingressus ejus ad imperium fuerit ex sequentibus patet, quod Deo odibilis, injuriosus sanctæ Dei Ecclesiæ, & de facto dumtaxat nimium temerariè attentatus. Sicut ex prædictis jam liquet, electus fuerat in discordia, privatusque exigente justitia jure si quod sibi ex electione eadem fuerat acquisitum, & nihilominus fautor hæreticorum declaratus & hæreticus & ut fautor & hæreticus condemnatus. Quibus non obstantibus, ut ad ea quæ requirit imperialis dignitas, videlicet inunctionem, consecrationem & coronationem, posset saltem pervenire de facto, cum de jure non posset, PETRUM DE CORVARIO in Christi opprobrium, subversionem catholicæ fidei, & injuriam totius cœtus catholici in antipapam assumere non expavit. In quo quidem facto confessus est ipsofacto illam damnatam hæresim, quam incurrerat antea, scilicet, quòd ad imperatorem pertineat papam ordinare, à quo quidem PETRO se pati inungi seu potius fœdari non erubuit, ac etiam coronari. Ex quibus patet qualis ingressus fuerit ad imperialis fastigium dignitatis. Progressus autem ejus qualis fuerit, est lippis & tonsoribus satis notum, quia ubicumque fuerit, Ecclesiam catholicam & fideles est immanissimè ut membrum sathanæ persecutus, ecclesias ipsas vasis & ornamentis spoliando ecclesiasticis, ac fideles compellendo violare interdictum ecclesiasticum, & prophanare divina, spoliando insuper viros catholicos suis prælationibus & beneficiis, ac eis de facto hæreticos seu schismaticos subrogando, ipsisque hæreticis & schismaticis contra catholicos impertiendo favorem & consilium, ac fideles ipsos immaniter persequendo. Profectò, fili, probabiliter arbitramur & credimus quod si ad memoriam tu & dicti principes revocassetis prædicta, nullatenus dixissetis ipsum remanere in regno & imperio ad utilitatem & honorem Ecclesiæ pertinere, quòd vir tam reprobus, de fautoria hæreticorum & hæresi justo condemnatus judicio, regno & imperio præsideret, qui etiam impræsentiarum hæreticos in suo habet consortio, & quantum ad clericos hæreticorum & schismaticorum consilio gubernatur. Tenet enim in suo consortio JACOBUM dudum episcopum Castellanum episcopatu Castellano privatum, quem in anti-cardinalem de facto creari per præfatum Petrum de Corvario idem Bavarus procuravit. *Item* MICHAËLEM de Cesana olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, qui suis exigentibus demeritis est pronuntiatus hæreticus, & de hæresi condemnatus. GUILLELMUM quoque de *Okam* Anglicum ordinis fratrum Minorum hæresiarcham, qui hæreses varias dogmatisabat publicè, & scripta fecerat hæresibus & erroribus plena, propter quæ fuerat vocatus ad curiam, ejusque scripta fuerant pluribus doctoribus assignata, ut ea deberent examinare cum diligentia, & quæ



invenirent hæretica seu erronea declarare, qui jam multos articulos declaraverunt hæreticales. Qui quidem malè sibi conscius fugæ præsidio vitare voluit canonicam ultionem. BONAGRATIAM insuper de Pergamo ordinis fratrum Minorum, qui suis demeritis exigentibus in curia fuerat arrestatus, & juramento præstito quod de curia non recederet, absque licentia apostolicæ sedis obligatus, qui malè similiter sibi conscius de curia ad ipsum Bavarum, & PETRO de Corvario, unà cum Michaële & Guillelmo prædictis gressus suos infelices dirigere procuravit. MARSILIUM quoque de Padua condemnatum de hæresi in familiaritate detinere præsumsit, talibus est stipatus consiliariis, talium consilio, ne dicamus decipitur, gubernatur. Qualem itaque posset de tali homine habere Ecclesia defensorem. Si enim in arido, id est, sine statu nisi usurpato tam creduliter sibi persecutor extiterit, qualis eidem putas existeret, si in viridi, hoc est in statu solido se videret. Rursus quomodo sub regimine talis hominis posset Christianus populus, quem sic afflixit immaniter, quiescere in pulchritudine pacis, profectò, fili carissime, talem hominem dimittere in regali & imperiali regimine, non esset consulere populo, sed nocere; non parare regimen, sed augere discrimen. Si enim integritas præsidentium salus est subditorum, sequitur quòd instabilitas & infidelitas ipsorum, scilicet præsidentium, perditio sit eorum, scilicet subditorum. Qualem putas, fili, ex principatu hujusmodi, quem extorsit seditio, & ambitus occupavit, subsequi posse finem? profectò sperari non potest probabiliter, quod bono peragi possint exitu, quæ tam malo & perverso sunt principio inchoata. Audi quid de talibus principibus sapiens dicat: *Regnantibus*, inquit, *impiis, ruinæ hominum*, scilicet subsequuntur. Et alibi: *Gemet*, inquit, *populus cùm impii sumserint principatum.* Attende, fili, quantum esset gregi dominico sub tam infideli principe vivere formidandum: teste enim Sapiente, qualis est rector civitatis, tales, scilicet sunt vel fuerunt habitantes in ea. Esset itaque nimium formidandum quod si remaneret in præfato regimine, multos à fide retraheret catholica, suæque perfidiæ (quod absit) plurimos aggregaret. Adhuc, fili, quantum in principe quolibet veritas requiratur, tua non ignorat prudentia, & quantum in eo vigeat, te audivimus non latere. Sanè si quæ offeruntur pro parte Bavari, fili carissime, cogites diligenter, reperies utique quod de tot & tantis excessibus per eum commissis, emendam Deo & Ecclesiæ nullam offert. Imprimis enim offertur pro parte sua, quòd ipse Bavarus deponet suum hæreticum antipapam. Hoc autem non est offerre emendam aliquam de commissis. Primo quia etiamsi verus imperator existeret, quod tamen constat eum non esse, depositio talis ad eum minimè pertineret. Secundo quia ipsemet Petrus de Corvario reatum suum humiliter recognoscens, à statu illo quem de facto receperat, illi renuntiando se de facto deposuit, & ab ipso discessit Bavaro: sicut nobis idem PETRUS his diebus præteritis per suas litteras manu scriptas propria, quarum tenor in hæc verba sequitur, nuntiavit. « Reverendissimo ac sanctissimo Patri & Domino JOHANNI papæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, PETRUS DE CORVARIO dignus omni pœna, seipsum ad pedes cum reverentia veræ subjectionis. Licet secundum canonem Evangelicæ veritatis, qui non intrat per ostium in ovile gregis dominici fur appelletur & latro rapacitatis lupinæ, audiens & considerans diligenter tam enormia scelera pravitatis hæreticæ stylo ferreo exarata in ungue adamantino, quanta dicebantur à multis de vestra solida fide, sicut præsumtuosus, temerarius & superbus ascendi super astra cœli ecclesiastici, ubi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit sedes prælationis iniquæ, sed postquam deveni ad territorium Pisanorum, & quæsivi diligentissimè de prædictis, & inveni quod obliqua erant & falsa, & deficiebant in pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pœnitet me fecisse quæ feci contra jura & leges vestri sacratissimi nominis de consilio perversorum. In cujus rei testimonium jam est annus completus, quòd adversarium vestrum sponte dimisi, & sedem mei præsumtuosi culminis dereliqui. Et propono firmiter in civitate Pisana, & etiam in Urbe, atque ubique locorum renuere, secundum quod vestra benignissima sanctitas decreverit ordinandum. Et quia gravissimè peccavi & erravi patenter in invio & non in via, supplico vestræ clementissimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere secundum multitudinem magnam misericordiæ Dei vivi, ut renuens ex totis visceribus deleam & ad nihilum supra dicta de cordibus omnium fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de vestra serenissima sanctitate, ut in Ecclesia de cetero sit unus pastor & unum ovile pro pace totius populi Christiani. Datum, &c.» Secundo dicitur quod recedit ab appellatione sua, certè nec emendam aliquam pro hoc offert, cum nec appellationi suæ, si qua fuerit, renuntiare nisi de facto valeret, cum de jure non tenuerit velut ab hæretico interjecta, & ab eo à quo non licet, cum superiorem non habeat appellare. Tertio offertur, quod omnia quæ fecit seu attentavit contra nos & sanctam Romanam Ecclesiam cum effectu debeat revocare. In hoc etiam clarè patet, quod emenda aliqua non offertur; contra nos enim seu contra Romanam Ecclesiam non potuit nisi de facto aliquid facere, unde si quod de facto fecit, de facto revocet, nulla in hoc Deo, nobis, seu Ecclesiæ præstatur emenda. Quarto pro parte ejus offertur, quod recognoscet se excessisse, & sententias excommunicationis ipsum ligasse. Per hoc patet etiam quod nec Deo, nobis, nec Ecclesiæ aliqua offertur emenda. Quinto offertur pro parte ejus, quòd gratiæ nostræ se offeret ad misericordiam, per hoc quippe offert quòd à nobis petet misericordiam, non quod aliquam præstet emendam. Ultimo concluditur pro parte Bavari supradicti, quod omnes oblationes supradictæ intelligantur ita, quòd Bavarus in honore &

statu suo permaneat, scilicet in regno & imperio. Ex quo proculdubio evidenter concluditur, quod de his quæ commisit est impœnitens homo iste, & ideo reddit se ab absolutione qualibet, quæ nulli nisi petenti conceditur, meritò quantum in eo est se indignum. Sed juxta hoc quærimus, fili, quomodo intelligat iste Bavarus in regno & imperio remanere: aut enim intendit remanere in statu & regno sine jure in eis de novo quærendo: aut per jus novum quod intendit acquirere in prædictis. Si enim illa sine novo jure intelligat retinere, sequitur quod regnum & imperium sine jure & honore imperiali & regio detineret. In regno siquidem nullum jus obtinet in præsenti, cum jure, si quod sibi per electionem in eodem quæsitum fuerat, justo judicio sit privatus. Quantum ad imperium autem, quia nomen imperatoris per inunctionem, consecrationem, & coronationem quis nanscisciur, factas quidem à verò Romano pontifice, seu alio ejus auctoritate, patet ipsum Bavarum jus aliquod non habere, quia non à vero summo pontifice, sed ab antipapa recepisse noscitur supradicta, scilicet inunctionem, consecrationem & coronationem. Quare sequitur quod hoc casu imperium sine jure aliquo obtineret, & per consequens quod nisi de novo jus sibi in regno & imperio quæreret, nec rex nec imperator debet dici à fideli aliquo, sed fur & latro, juxta nostri sententiam salvatoris dicentis, quod qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed aliunde, non pastor ovium, sed fur & latro potius est dicendus, & quod nullum jus in regno vel imperio habeat in præsenti, palam est consideranti. Constat enim ipsum multa notoriè commisisse, ex quo illa discors electio celebrata extitit, propter quæ & quodlibet eorum se prorsus fecisset ab honore regni & imperii alienum. Si verò intelligat quod sibi de novo in regno & imperio jus acquiret, constat quòd cùm sit sacrilegus, excommunicatus, & tyrannus crudelissimus, nec à quovis posset eligi, nec sibi etiam ab aliquo, cùm tales sint ineligibiles, de regno & imperio provideri. Cum igitur petit Bavarus quod in honore suo & statu remaneat, scilicet in imperio & regno, possimus sibi dicere quod Dominus dixit filiis Zebedæi: *Nescitis quid petatis*, verè ipse hoc petendo ignorat quid petat: rem siquidem impossibilem petit. Impossibile enim est ipsum remanere in honore imperiali & regio sine novi juris acquisitione, cum honorem & dignitatem non habeat, sed ipsum regnum & imperium sine ipsorum honore visus est usurpare tyrannicè, & adhuc nititur retinere. Rogamus itaque providentiam regiam, & in Domino exhortamur, quatenus præmissa attentè considerans, & nihilominus pericula varia & inconvenientia innumera quæ ejus præfatam præsidentiam universali gregi Dominico comminatur, consideranter attendens, & ad ea quæ honorem Dei, statum ecclesiæ & imperii respiciunt prosperum te convertens, partes tui consilii & auxilii seduli interponas, quomodo de persona digna tanto regimini provideri debeat, sub qua fides stabiliatur

A catholica, augeatur fidelium numerus, & à noxiis præservetur, ad quod quidem nos promtos dante Domino reperies & omninò paratos. Licet autem offensæ prædicti Bavari excedant omnes alias quæ leguntur à patrum nostrorum temporibus perpetratæ, quia tamen licet immeriti vices illius in terris gerimus, qui cum iratus fuerit, non obliviscitur misereri, ac more pii patris conversionem ejus & salutem intentis desideriis affectamus, ad Dei honorem tuique
B & aliorum principum prædictorum intuitum, & ut salus ipsius Bavari & multorum aliorum vobis mediantibus procuretur, offerimus, si ad gremium Ecclesiæ redire voluerit dictus Bavarus sicut debet, ipsum benignè recipere nos paratos, eique tantam & talem impertiri gratiam, qua tu & principes supradicti poteritis meritò contentari. Datum Avenione secundo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto decimo.

Johannes episcopus servus servorum Dei. Ad
C perpetuam rei memoriam. Sicut de his quos ab unitate sanctæ Dei Ecclesiæ error abscidit pravitatis hæreticæ, indubiè fideles ejusdem Ecclesiæ affligi supponimus & dolere. Sic eos de conversione ipsorum ad ejusdem unitatem Ecclesiæ firmiter congaudere. Sanè aversionem à fide catholica, & separationem ab Ecclesiæ catholicæ unitate Petri de Corvario, omissionem Fratrum ordinis Minorum, quam instigatione versuti hostis qui à principio ruinæ suæ unitatem Ecclesiæ sanctæ nititur scindere, humanumque genus perturbare, processisse supponimus, ad ipsorum
D fidelium communem non ambigimus notitiam pervenisse. Sed & ut quæ illius immensa misericordia, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis desiderat pervenire, circa conversionem præfati Petri his diebus operata misericorditer fuerit, & quid circa hæc idem Pertrus fecerit, cœtus ipsorum fidelium non ignoret ad gaudium, ad eorum notitiam deducimus per præsentes, ut sicut passionis prædictæ Ecclesiæ per hoc inflictæ fuerunt socii, sic consolationis & gaudii existant participes & consortes, eos nihilhominùs exhortantes in
E Domino & rogantes, ut magnitudinem gratiæ impensæ in hac parte à divina clementia eidem Ecclesiæ catholicæ considerantes attentè, ei à quo bona cuncta procedunt laudes & gratias etsi non debitas vel condignas, cum hoc etiam per Ecclesiam universalem impleri nequeat; saltem ei possibiles studeant exhibere: ac insuper eidem supplicare humiliter & devotè ut quod cœperit circa pacem Ecclesiæ dandam tam mirabiliter operari, ipse cujus perfecta sunt
F opera dignetur misericorditer adimplere. Et ut certiores reddantur ad ea quæ continentur inferiùs, dictus Petrus non vi, non metu processit, sed propria, spontanea, & à Spiritu-sancto tamen mota, ut firmiter credimus, voluntate, transsumtum cujusdam litteræ manu propria dicti Petri, dum adhuc in loco ignoto nobis existeret, liberè missæ nobis annotandum præsentibus duximus, quod est tale.

Reverendissimo & sanctissimo Patri ac domino,

„domino JOHANNI Papæ sacrosanctæ Romanæ „Ecclesiæ, frater PETRUS DE CORVARIO, dignus „omni pœna, seipsum ad pedes cum reverentia „veræ subjectionis. Licet secundum canonem „Evangelicæ veritatis, qui non intrat per ostium „in ovile gregis dominici, fur appellatur & latro „rapacitatis lupinæ, audiens & considerans dili- „genter tanta enormia scelera pravitatis hære- „ticæ stilo ferreo exarata in ungue adamantino, „quanta dicebantur à multis de vestra solida fide „sicut præsumtuosus, temerarius, & superbus, „ascendi super astra cœli ecclesiastici, ubi mihi „meis peccatis exigentibus, parata fuit sedes præ- „lationis iniquæ. Sed postquam deveni ad terri- „torium Pisanorum, & quæsivi diligentissimè de „præmissis, & inveni quod obliqua erant & falsa, „& deficiebant in pondere veritatis, dolui & „doleo vehementer & pœnitet me fecisse quæ „feci contra jura & leges vestri sacratissimi no- „minis de consilio perversorum. In cujus rei te- „stimonium jam est annus completus quòd ad- „versarium vestrum spontè dimisi, & sedem mei „præsumtuosi culminis dereliqui, & propono „firmiter in civitate Pisana, & etiam in Urbe, „atque ubicumque locorum, renuere, secundum „quod vestra benignissima sanctitas decreverit „ordinandum. Et quia gravissimè peccavi & er- „ravi patenter in invio & non in via, supplico „vestræ clementissimæ pietati quatenus mihi „maximo peccatori dignemini parcere secundum „multitudinem misericordiæ Dei vivi, ut renuens „ex totis visceribus doleam & adnihilem supra- „dicta de cordibus universorum fidelium, & ora „claudam omnium obloquentium de vestra sere- „nissima sanctitate, ut in Ecclesia Dei de cetero „sit unus pastor & unum ovile, pro pace totius po- „puli christiani. Datum in confinibus Lucanorum.

Rursus tenor conversionis, abjurationis, & re- „conciliationis dicti Petri, sequitur in hunc mo- „dum. PATER SANCTISSIME, sicut vestra „tenet memoria, nec excidit à mea, die vigesima „quinta mensis Augusti proximò præteriti. Ego „frater PETRUS DE CORVARIO, ordinis Fra- „trum Minorum, in vestri sanctissimi in Christo „Patris & domini nostri, domini JOHANNIS, „superna providente clementia sacro-sanctæ Ro- „manæ ac universalis Ecclesiæ summi pontificis, „veri & unici in terris vicarii JESU-CHRISTI, „sacrique collegii vestri reverendorum in Christo „patrum dominorum cardinalium præsentia, nec „non præsente fidelium, tam prælatorum & re- „ligiosorum, quàm aliorum clericorum & sæcu- „larium multitudine copiosa, in publico consi- „storio, quantum ad sententiam & effectum, „recognovi & confessus fui, reprobavi, anathe- „matisavi, refutavi & renui omnes & singulos „errores & hæreses in quibus incideram hacte- „nus ex assumtione damnati, & hæretici, ac schis- „matici status antipapatus per me erroneè & „iniquè dudum assumti, ab hæretico & schisma- „tico LUDOVICO de Bavaria, & nonnullis fauto- „ribus suis ejus complicibus in hac parte hære- „ticis & schismaticis condemnatis, nec non ex „damnabilibus fautoriis & adhæsionibus ipso- „rum, & plurium aliorum hæreticorum, & spe-

A cialiter LUDOVICI prædicti, & MICHAËLIS de „Cesana olim generalis ministri ordinis antedicti, „pessimorum hæreticorum & schismaticorum re- „probatorum per Ecclesiam sanctam Dei, mul- „torumque sequacium, complicum & fautorum „suorum: quibus in eorum factis perversis, ac „falsis opinionibus & damnatis fui sæpius dam- „nabiliter & adhæsi. Illos quoque ac quoscum- „que alios errores & hæreses abjuravi, juranda „ad sancta Dei Evangelia mentaliter & corpo- „raliter per me tacta, præmissa omnia & singula „B inviolabiliter observare, ac mandatis sanctæ „matris Ecclesiæ & vestris apostolicis, per omnia „obedire. Sanè cùm tunc fatigatus ex labore, „debilitatus in vigore, angustiatus in dolore, & „confusus ex robore, confractusque ex timore, „impeditus in clamore, extinctus in devotione, „mortuus tandem in amore, eò quod dilexi du- „dum malitiam super benignitatem, & iniquita- „tem magis quàm loqui æquitatem, justo Dei „judicio obmutuerim evidenter, & sicut volui „non potuerim omnia exprimere supradicta, nec „C vos etiam forsan, Beatissime Pater, una cum „dicto sacro vestro collegio dominorum cardi- „nalium prædictorum ea plenè propter tumul- „tum assistentium & dicta impedimenta mea, „intelligere potuistis. Ideo latiùs in præsenti pri- „vato consistorio, resumtis confortativis viribus, „postquam mihi de benignitate & humanitate „clementiæ sanctitatis vestræ apparuit, quoniam „non ex operibus justitiæ quam numquam feci „actualiter, sed secundum magnam Dei & ve- „stram misericordiam me salvastis, & operuistis „D omnia scelera mea & peccata, laborem meum „oppressivum sedando pacificè, ac vigorem per- „ditum mihi restituendo integrè, & dolorem „afflictivum dulcificando consolavit, ruborem- „que confusivum laudabiliter removendo, ac „timorem meum confortando viriliter, & cla- „morem meum raucum sanando celeriter, ex- „tinctamque devotionem meam suaviter inflam- „mando, & amorem meum mortuum vivificando „cum confidentia securitatis pacifica & benigna, „prædictos errores & hæreses, ac omnia & sin- „E gula scelera & delicta mea nequissima & ne- „fanda proponere, confiteri, publicare, & le- „gere volo in scriptis, ut certiùs pateant univer- „sis: vosque, beatissime Pater, unà cum dictis „dominis cardinalibus, possitis ea intellectu sus- „cipere pleniori. Quare hujusmodi hæreses & „errores ac scelera & delicta mea coram vobis „& dictis dominis cardinalibus ac testibus aliis „& clericis cameræ apostolicæ publicis tabellio- „nibus, ad laudem & gloriam altissimi Dei „F patris, beatissimæ semperque Virginis MARIÆ, „beatorum angelorum, & sanctorum omnium, „ac nostri sanctissimi Patris prædicti, veri, unici „in terris vicarii JESU-CHRISTI, pro salute & „pace perfecta totius populi christiani propono, „confiteor, recognosco, publico & lego per ordi- „nem ut inferiùs describuntur. „

In nomine Dei Patris omnipotentis ac Filii & „Spiritus-sancti. Amen. Quoniam juxta sapientis „doctrinam, occultanti scelera sua denegatur di- „rectio, purè autem confitenti & ea penitùs dese- „

» renti, est misericordia repromissa: idcirco ego frater Petrus de Corvario, ordinis fratrum Minorum, immanissimus & sceleratissimus peccatorum, hoc considerantèr attendens, nolens ulterius cum impiis commisceri, sed cupiens toto corde in viam veritatis, quam iniquè deserui, dirigi, ac misericordiam & gratiam Jesu-Christi, & nostri beatissimi in Christo patris & domini nostri, domini Johannis, superna providente clementia summi pontificis veri & unici in terris ejus vicarii, ac Ecclesiæ sacrosanctæ catholicæ, quibus meis iniquissimis & nefandis me privavi sceleribus, valeam promtiùs & efficaciùs obtinere, quamquam nuper Pisis existens, coram reverendis patribus dominis Simone archiepiscopo Pisano, & Guillelmo Lucanensi episcopo, ac discreto viro magistro Raymundo Stephani clerico papalis cameræ & apostolico nuntio, præsentibus quoque multis prælatis aliis, ac religiosis & nobilibus ac popularibus civitatis prædictæ, errores meos & scelera spontaneè cum ingenti cordis amaritudine confessus fuerim, & dictis archiepiscopo & episcopo ad hoc per vos, Pater Sanctissime, deputatis, supplicaverim humiliter & devotè, ut mihi parato præfatos errores & quoscumque alios abjurare, ac mandatis stare vestris apostolicis, & insuper mihi recognoscenti, quòd ea quæ ut papa, immò veriùs ut antipapa, tam circa personam hæretici Bavari, quam circa creationem quam de facto præsumsi cardinalium & aliorum officialium, quos veri summi pontifices soliti sunt habere, quàm circa dispositionem & ordinationem patrimonii beati Petri apostoli, nec non & circa privationem nonnullorum prælatorum à suis prælationibus & aliorum clericorum à suis dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis quocumque nomine censeantur, & provisionem attentatam de facto de præmissis prælaturis, dignitatibus, & beneficiis aliis ecclesiasticis quibuscumque, nec non & quæcumque alia, quæ ut papa quocumque modo præsumseram seu feceram, nulla, præsumta, ac temeraria fuisse & esse, & ab omni effectu juris vacua & nullius penitùs existere firmitatis, velut attentata ab illo cui nullum jus talia facere competebat, & illi in quorum personas illa tentata fuerunt cùm essent schismatici & hæretici, seu hæreticorum fautores notorii, essent penitus non capaces, nec non & ea quatenus de facto processerant quantum mihi erat possibile revocanti & nulla fore & inania declaranti, absolutionis mihi impenderent beneficium ab omnibus sententiis juris & hominis quas ob præmissa incurreram, vel aliquod præmissorum, meque incorporarent & restituerent sacro-sanctæ Ecclesiæ catholicæ unitati. Quod utique præfati archiepiscopus & episcopus auctoritate vestra apostolica ipsis per litteras vestras patentes in hac parte concessa, recognitionibus & revocationibus supradictis receptis, ac juramento de stando mandatis vestris apostolicis, promtè & liberaliter exequi curaverunt: hoc adjecto quod in prædictas pœnas & sententias, si ad pristinos redirem errores, vel actus scholasticos sceleratos, reinciderem ipso facto: ac nihilominus illa nuper in diversis civitatibus provinciæ Provinciæ confessus fuerim, & abjuraverim, & nulla fore per me attentata recognoverim, & ea quatenus de facto processerant, quantum poteram & ad me pertinere poterat revocaverim & declaraverim esse nulla: nihilominus tamen ad fortius abolendas maculas hæresium & infamiæ quas contraxi & incurri ex præmissis & pluribus aliis damnabilibus fautoriis, adhæsionibus & consiliis per me dudum exhibitis hæretico & schismatico Ludovico de Bavaria principali status mei damnati hujusmodi patratori, ac ejus sequacibus fautoribus & complicibus, & specialiter hæretico & schismatico Michaëli de Cesana olim ordinis Fratrum Minorum generali ministro, de hæresibus & schismate ac pluribus hæreticorum fautoriis & adhæsionibus per vos, præfate Sanctissime Pater, legitimè condemnato: adhuc tamen errores meos & scelera in præsentia vestra sacrique vestri collegii dominorum cardinalium constitutus, intendo & volo recognoscere & abjurare, ac alia facere quæ vestra sanctitas duxerit ordinanda. In primis itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine animi recognosco, quod cum seductor ille schismaticus & hæreticus manifestus Ludovicus de Bavaria, dudum jure si quod sibi quæsitum fuerat ex electione discordi de ipso in regem Romanorum celebrata, justè privatus fuisset per sedem apostolicam & eamdem sanctitatem vestram, ac ut hæreticus & fautor hæreticorum notorius, de multis hæresibus & fautoriis hæreticorum ac schismatibus condemnatus, ad urbem Romanam imbutus diabolico spiritu pervenisset, & religiosus vir frater Johannes de Maliano minister Romanæ provinciæ dicti ordinis Minorum, ac reverendus in Christo pater dominus Johannes Dei gratia sancti Theodori diaconus cardinalis, sedis apostolicæ ac ejusdem vestræ sanctitatis legatus, pro majori observatione interdicti, cui tunc erat per vos, Sanctissime Pater, supposita Urbs prædicta, ejusdem Ludovici adventu percepto, mihi & aliis fratribus in eadem Urbe morantibus sub virtute obedientiæ, & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipso facto incurrerent, publicè injunxissent ut dictam Urbem omnes & singuli exiremus: ego tamen infelix peccator præceptis hujusmodi non obstantibus, licet omnes alii fratres, paucis exceptis, eisdem legato & ministro promtiùs obedirent, in eadem Urbe præsente dicto pessimo hæretico & schismatico Ludovico, & assistentibus ei pluribus aliis hæreticis & schismaticis condemnatis & reprobatis per sanctitatem vestram & Ecclesiam sanctam Dei, pertinaciter remanere præsumsi, & in ea licet esset justè & sanctè per vos ecclesiastico interdicto supposita, celebravi divina sæpius, immò quantum in me fuit, verius prophanavi. Deinde cùm idem perfidus Ludovicus datus in sensum reprobum, se de facto fecisset in imperatorem à certis Romanis perfidis coronari, & contra vos, Sanctissime Pater, diabolicam & «

» iniquissimam depositionis, immò veriùs abusionis promulgasset sententiam, ac processus diversos, temerarios, falsos nimiùm & injustos, meque ad quorumdam principalium Romanorum clericorum & laïcorum instantiam ejus sequacium, unà cum certis de clero & populo perfidis ejus complicibus & fautoribus ad hoc secum vocatis, in papam & summum pontificem, immò veriùs antipapam damnatum & pestiferum elegisset: ego miser inductus, immò seductus suis & multorum tam clericorum quàm laïcorum ejus fautorum & sequacium, dictæ B Urbis precibus importunis & perniciosis instantiis ac infestis falsò & erroneæ asserentium quòd Papam imperator deponere poterat, & loco depositi alium ordinare, & quod per consequens eidem hæretico & schismatico LUDOVICO, qui tunc in fictum & falsum imperatorem denuò se coronari de facto fecerat, & vos, pater beatissime, abusivè deposuerat, hoc licebat, mea superbissima elatione more Luciferi, ambitioneque damnabili nihilominus excœcatus, hujusmodi electioni tam nefandæ quàm reprobæ, C immò nulli, malitiosè consensum meum temerarium, & elatissimum excœcatum, sicut præmittitur, omni pœna dignissimum non erubui adhibere; ac consequenter consecrari, immò exsecrari ab hæretico & schismatico JACOBO dudum Castellano episcopo excommunicato & deposito, & coronari à dicto hæretico LUDOVICO de Bavaria me permisi; licet ad eum etiamsi verus imperator existeret, sicut revera non erat nec est, sed hæreticus manifestus & reprobus, egoque verus essem papa, sicut in veritate non eram, sed antipapa potius schismaticus, hæreticus & iniquus, nequaquam talis D coronatio pertineret. *Item*, quod cardinales, immò veriùs anticardinales, & omnes officiales, quos verus papa est habere solitus ordinare de facto præsumsi, bullamque more papæ, licet essem reprobus & damnatus, fieri feci & habui, eaque falso usus fui temerè & iniquè, & ut statum meum perversissimum & LUDOVICI prædicti damnati, ac falsas opiniones hæretici & schismatici Michaëlis de Cesana dudum ministri generalis ordinis antedicti fratrum Minorum, scilicet: Quòd Christus & ejus apostoli in E his quæ habuisse leguntur, non habuerint nisi tantùm usum facti simplicem, fortiùs ac promtiùs possem stabilire, Dei timore postposito, excedens ad omnia illicita manus meas, processus & depositionis sententiam LUDOVICI manifesti prædicti hæretici & de pluribus hæresibus condemnati, contra vos, Sanctissime Pater, habitam & etiam fulminatam supplens omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa F scientia & de plenitudine potestatis, non solum illos confirmare, & mei scripti communire patrocinio non erubui, sed etiam de novo sententiare, pronuntiare & declarare ac prædicare publicè omnia & singula in dictis processibus promulgata præsumsi, in quibus quidem processibus LUDOVICUS prædictus pronuntiabat & declarabat fore hæreticum & scripturæ sacræ contrarium dicere quòd Christus & apostoli in his quæ habuisse leguntur, habuerint aliquid quàm simplicem usum facti: ex qua quidem pronuntiatione evidenter concluditur ipsum & me etiam ex confirmatione, pronuntiatione, & prædicatione prædictis, in damnatam hæresim per constitutionem vestram apostolicam de fratrum vestrorum promulgatam consilio incidisse. Et nihilominùs ad diversos reges & principes meas litteras destinavi, per quas ad eorum notitiam deducebam, quod vos, Pater Beatissime, cui multa falsa, hæretica, & erronea in illis litteris imponebam, suggerentibus dictis hæreticis sceleratis, LUDOVICO & MICHAËLE, ac juxta votum suum ordinantibus, per eumdem LUDOVICUM ac per me eratis depositus & sententialiter condemnatus: eosdem reges & principes exhortando nihilominus & rogando quod vobis, Sanctissime Pater, tamquam papæ non parerent in aliquo, nec favores aliquos exhiberent, sed contra vos potius mihi & dicto LUDOVICO præberent auxilium, consilium & favorem. Nec his contentus, tam in Urbe quàm in pluribus civitatibus & locis aliis clericos sæculares & regulares compuli, ut non obstante interdicto cui per vos, Beatissime Pater, erant supposita loca ipsa, in eisdem celebrarent, immò veriùs, quantum erat in me, prophanarent divina. Tallias quoque Ecclesiis imposui tam in Urbe quàm alibi, pro quibus, calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipsas ecclesias spoliari: fideles insuper prælatos nonnullos & alios clericos in dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis constitutos suis privavi prælationibus, dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis, in illis præficiendo vel hæreticos, vel schismaticos, aut eorum fautores & plerumque non absque simoniaca pravitate, quibus etiam illis, scilicet quorum hoc prælatio requirebat de facto, cùm de jure non possem, per me vel alium munus consecrationis, immò veriùs exsecrationis impendi. Contra fratres quoque Minores non parentes MICHAËLI prædicto tamquam generali ministro, qui tamen depositus erat justè & condemnatus de hæresi, & hæreticus ac schismaticus declaratus, & alius per generale capitulum ordinis Minorum concorditer in generalem assumtus, & contra servantes interdicta per vos, Sanctissime Pater, vel legatos, seu officiales vestros alios promulgata, utroque videlicet spirituali & temporali gladio procedere non expavi, eidem MICHAËLI & suis sequacibus & complicibus hæreticis & schismaticis iniquis impertiendo injustè ac temerariè auxilium & favorem. Indulgentias insuper & dispensationes sedi apostolicæ reservatas concedendo de facto & etiam faciendo. Nonnullos quoque qui pro pontificibus se gerebant commisi, ut sacros ordines celebrarent, in quibus ordinibus, ut credo, plures promoverunt temerè, cum eis virtute præfatæ licentiæ non liceret. De patrimonio quoque beati Petri in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum disponere non expavi. Hæc omnia & plura alia contra Deum, sanctamque catholicam Ecclesiam, & vos, Beatissime Pater, verum &

» unicum Christi vicarium, recognosco & con-» fiteor me de facto iniquè nimium & temerè » perpetrasse. Quæ omnia & singula recognosco » & confiteor nulla fore ac cassa & inania, velut » ab illo cui faciendi non competebat jus aliquod » attentata, eaque quantum ad me spectare potest, » quatenus processere de facto, revoco, & nulla » fore & fuisse pronuncio & declaro. Confiteor » insuper, & ore ac animo recognosco me cre-» dere & tenere fidem illam quam sancta Ro-» mana Ecclesia, & vos, Pater Sanctissime, te-» netis, prædicatis, atque docetis: & specialiter » recognosco me tenere & credere quòd ad im-» peratorem non pertinet deponere nec instituere » papam, immò hoc tenere hæreticum reputo, » prout in processu contra hæreticos MARSILIUM » de Padua & JOHANNEM de Janduno, per vos, » Beatissime Pater, super hoc & nonnullis aliis » erroribus habito, quem diligenter studui, con-» tinetur. *Item*, fateor & recognosco hæreticum » esse dicere, Christum & ejus apostolos non ha-» buisse in his, quæ eos habuisse scriptura sacra » testatur, nisi simplicem usum facti; licet dudum » contrarium tenuerim, & hoc tenentibus im-» penderim indebitè auxilium & favorem: & » fateor & recognosco quòd hoc asserentes sunt » censendi hæretici manifesti, secundum quod in » constitutionibus vestris, Pater Sanctissime; qua-» rum una incipit, *Cum inter*; alia verò, *Quia* » *quorumdam*, pleniùs continetur. Et super mate-» ria proprii & communis, ac juris & dominii, » quod JESUS-CHRISTUS & apostoli ejus in rebus » temporalibus habuerunt, credo, profiteor & » teneo in omnibus & per omnia firmiter id quod » in dictis constitutionibus & responsionibus per » vos factis, objectionibus quas dictus MICHAËL » ejusque sequaces contra constitutiones prædi-» ctas fecerunt, de quibus sum informatus, ple-» niùs continetur. Ac omnia & singula scripta, » dicta & publicata contra dictas constitutiones » & responsiones prædictas & ea tangentia per » hæreticos & schismaticos LUDOVICUM & MI-» CHAËLEM prædictos seu quoscumque alios, as-» sero, recognosco & dico fuisse & esse nulla, » erronea, schismatica, hæretica atque falsa; eaque » ut talia refuto, renuo, & anathematiso, repro-» bo & detestor. *Item*, confiteor, & recognosco, » atque dico in veritate quòd vos, Sanctissime Pater » & domine domine Johannes Papa XXII. & nullus » alius, estis summus pontifex, verus & unicus in » terris vicarius JESU-CHRISTI, & contrarium » quod tenui, & dicta quorumcumque idem me-» cum dicentium refuto, anathematiso, renuo, » reprobo & detestor. *Item*, recognosco & fateor » in veritate, ut supra, quòd ego malè, falsò, » temerè, erroneè & iniquè assumsi & exercui » de facto statum summi pontificatus, immò ve-» rius antipapatus damnabile antedictum, & » adhæsi & favi hæreticis suprascriptis in pluribus » aliis Ideoque statum, adhæsionem & fautoriam » hujusmodi in omnibus & per omnia refuto, » renuo, anathematiso, reprobo & detestor. *Item*, » recognosco & fateor in veritate, quod malè, » temerè & iniquè de facto promovi & conse-» crari feci seu potius exsecrari nonnullos præla-

A tos præsertim schismaticos, hæreticos, seu fau- « tores hæreticorum; & aliquos devotos catho- « licos & fideles deposui, & beneficia ecclesiastica « pluribus infidelibus schismaticis, & rebellibus, « seu eorum fautoribus contuli, & sæpius per « simoniacam pravitatem, quam exercere per me « & dictos hæreticos, desperatos & alios perfidos « non expavi. Et cetera quæ verus papa gerere « consuevit, malitiosè de facto exercui: quæ om- « nia & singula scelera, tam horribilia & nefanda « refuto, renuo, anathematiso, reprobo & dete- «
B stor. *Item*, fateor & recognosco in veritate, « quod anticardinales & archiepiscopos per me, « ut præmittitur, permotos, & quos feci conse- « crari, immò veriùs exsecrari de facto, non re- « puto esse cardinales nec episcopos, immò con- « fiteor ipsos fuisse & esse, si non fuerunt abso- « luti & reconciliati per vos, Beatissime Pater, « schismaticos, atque nullos, & omnes actus « quos circa illos vel quoscumque alios, & specia- « liter circa LUDOVICUM prædictum, ac ejus «
C fautores, complices, & sequaces exercui de « facto cum de jure non possem, dico quantum « in me est fore & fuisse de jure tamquam hære- « ticos & schismaticos, invalidos & nullius ro- « boris vel momenti, eosque ut tales, quatenus « processere de facto, in quantum possum infrin- « go, irrito & denuntio nullos esse, ac expressè « refuto, renuo, anathematiso, reprobo & de- « testor. Quæ omnia & singula per me supra as- « sertivè proposita & prolata juro per hæc sancta « Dei evangelia à me tacta mentaliter & corpo- «
D raliter vera esse, ac præscripta vitanda vitare, « & observanda inviolabiliter observare. *Item*, « omnes errores & hæreses supradictos, & eorum « singulos, & specialiter dicere, credere & tenere « quòd ad imperatorem pertineat papam depo- « nere ac instituere: *Item*, quod Christus & ejus « apostoli in his quæ habuisse leguntur, non ha- « buerint nisi simplicem usum facti: & quoscum- « que errores & hæreses alios abjuro, anathema- « tiso, renuo, reprobo & refuto. Et insuper pro- « mitto & juro tactis mentaliter & corporaliter «
E per me evangeliis sacro-sanctis, super omnibus « & singulis suprascriptis stare mandatis Ecclesiæ « sanctæ Dei & vestris apostolicis, ac fidem quam « sancta Romana Ecclesia catholica, & vos, Pater « Beatissime, creditis, tenetis & prædicatis: nec « non vestras constitutiones & declarationes factas « super materia proprii & communis, ac juris & « dominii quod JESUS-CHRISTUS & ejus apo- « stoli in rebus temporalibus habuerunt, perpe- « tuò & inviolabiliter observare, ac stare & pa- « rere in omnibus, & per omnia mandatis sacro- « sanctæ Dei Ecclesiæ ac vestri præfati domini «
F nostri Papæ. *Item*, promitto ac juro, ut supra, « quòd numquam præscripta nec infra scripta seu « aliqua eorumdem per me tractata & abjurata « tenebo, nec exercebo, nec pro tali, scilicet papa « me habebo, nec quantum in me etiam erit « permittam quoquo modo ab aliis me haberi. « *Item*, promitto ac juro ad sancta Dei evangelia « corporaliter & mentaliter per me tacta, quòd « numquam dictis hæreticis & schismaticis LU- « DOVICO & MICHAËLI, nec eorum fautoribus, «

» complicibus, & sequacibus aut aliis per vos,
» Beatissime Pater, & eamdem Ecclesiam deno-
» tatis vel denotandis, scienter quamdiu in rebel-
» lione & extra devotionem & gratiam fuerint
» sanctæ matris Ecclesiæ atque vestram adhæ-
» rebo, nec eis præstabo auxilium, consilium vel
» favorem, nec cum eis aut eorum aliquibus li-
» gam, conjurationem, pacta, conventiones seu
» conspirationes faciam aut contraham quoquo
» modo. *Item*, quòd cum hæreticis & schismaticis
» antedictis, seu fautoribus, sequacibus & com-
» plicibus eorumdem, seu cum aliquibus à me
» promotis, immò veriùs exsecratis, ut permitti-
» tur, conversationem aliquam non habebo, nec
» eis præstabo aliquod consilium, auxilium vel
» favorem. Petens humiliter & devotè me per
» vos, Pater Sanctissime, non attentis meis exces-
» sibus & sceleribus gravibus, sed sola Dei mi-
» sericordia, cujus estis verus & unicus in terris
» vicarius, ab omnibus pœnis & sententiis juris
» & hominis, quas propter præmissa vel eorum
» singula, seu aliquod eorumdem occurri, absolvi
» & unitati reintegrari & reincorporari Ecclesiæ
» sanctæ Dei: paratum me offerens omnem pœ-
» nam sive pœnitentiam quas mihi pro præmissis
» injungendas vel imponendas vestra sanctitas
» duxerit, cum omni obedientia sustinere & etiam
» adimplere. De quibus omnibus & singulis supra-
» dictis, ad æternam rei memoriam pro salute
» mea & publica, peto unum & plura quotquot
» erunt expedientia fieri publica instrumenta.

Nos verò considerantes attentè, quòd ipsum PETRUM ad conversionem hujusmodi non induxerit violentia aliqua, sed timor Dei, spontaneaque voluntas, nec non quòd ejus contritio videtur probabiliter esse vera, cum ex eo quod præmissa Pisis, & ad nos veniendo in multis civitatibus & locis provinciæ, publicè & hic etiam in curia tam in publico consistorio quàm privato non erubuit confiteri, nec ad nostram sponte prætermisit venire præsentiam, pro gratia humiliter & devotè ac misericordia impetrandis: tamen etiam quia paratum se obtulit atque offert quæcumque ei injungenda duxerimus adimplere, ut partes nostri officii exequamur, ejusque actibus cujus vices in terris gerimus nostros conformemus, prout est nobis possibile, qui mortem peccatorum non desiderat, sed ut convertantur & vivant, de fratrum nostrorum consilio absolutionem & reincorporationem prædictorum archiepiscopi Pisani & Lucani episcopi ratas habentes, ac etiam confirmantes, nihilominus ipsum PETRUM ad nostram & Ecclesiæ restituentes gratiam, absolvendum duximus & reincorporandum sanctæ Dei Ecclesiæ unitati; super irregularitatibus quas propter præmissa contraxit seu aliqua præmissorum, cum eo nihilominus misericorditer dispensando. Ordinationem & declarationem pœnitentiæ dicto PETRO pro præmissis & eorum singulis, prout, quando, & quoties nobis expedire videbitur imponendæ, nobis specialiter & expressè nihilominus reservantes. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ annotationis, ratificationis, con-

A firmationis, absolutionis, restitutionis, reincorporationis, dispensationis, & reservationis infringere, &c. Datum Avenione octavo Idus Septembris anno quinto decimo.

Executoria subsequentis immediatè processus.

JOHANNES, &c. Venerabilibus fratribus... archiepiscopo... & ejus suffraganeis. Processum quemdam de fratrum nostrorum consi-
B lio, præsente multitudine fidelium copiosa, nuper fecimus, cujus tenor sequitur in hæc verba.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ad communem notitiam per nostros processus, præsente copiosa multitudine fidelium, de fratrum nostrorum consilio dudum in LUDOVICUM de Bavaria dudum in regem Romanorum, ut asserebatur, in discordia tamen electum, habitos, & in ostiis majoris ecclesiæ Avenionensis, ubi tunc cum
C nostra curia residebamus, sicut impræsentiarum residemus, affixos seu appensos, & quasi ad universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & suffraganeos eorumdem transmissos duximus proferendum, quomodo LUDOVICUM prædictum, suis excessibus variis exigentibus, ac contumaciis & inobedientiis continuatis & auctis, primò excommunicationis sententiis duximus innodandum. Et subsequenter jure si quod ex electione prædicta sibi forsitan fuerat acqui-
D situm, ac deinde quæ à Romana vel quibusvis aliis Ecclesiis seu imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bavariæ, ac juribus omnibus, quæ sibi in eodem ducatu, seu ejus occasione vel causa pertinuerant vel poterant pertinere, nec non privilegiis à sede apostolica vel imperio Romano sibi vel ejus prædecessoribus concessis, quatenus ipsum tangere poterant, justitia exigente, privavimus, ipsum fautorem hæreticorum publicum nihilominus declarantes, sicut in eisdem processibus pleniùs continetur. Sanè
E quia LUDOVICUS prædictus, perversis intendens dogmatibus in illam prorupit insaniam, quòd damnatam hæresim per constitutionem nostram; quæ incipit, *Cum inter*, videlicet quòd Christo & apostolis in rebus quas habuerunt nullum jus competierat, sed in eis tantummodò usum facti habuerant, præsumsit asserere publicè, ac in ejus præsentia per alios, ut plures in sui erroris traheret devium, facere prædicari: & insuper libellum quemdam sigillo suo in eo appenso prædictam continentem hæresim, sci-
F licet quod Christo & apostolis in rebus quas habuerant nullum jus competierat, sed tantummodò usum facti: hoc adjecto, quod dicere contrarium hæreticum erat censendum, prout nos & plures ex fratribus nostris in diversis libellis ejus sigillo sigillatis contineri vidimus per certos nuntios ad diversas civitates Alemanniæ partesque circumvicinas ac Italiæ ipsarum terminos, transmiserat, libellum ipsum in locis affigi publicis & exponi publicè faciens, ut haberet de tali ac tanta insania plures testes; ex quibus

ex quibus ipsum evidenter apparuit asseruisse pertinaciter fore catholicum quod hæreticum esse per dictam constitutionem declaratum fuerat, & hæreticum quod catholicum ipsa constitutio declarabat, præsertim cum in eodem libello dictus Ludovicus asserat se in plurium jurasse præsentia omnia contenta in eodem libello se credere fore vera. Cumque præmissa essent adeò notoria, quòd nulla poterant tergiversatione celari: nos certa die præfato LUDOVICO præfixa, ut super præmissis coram nobis compareret, sententiam auditurus, & facturus quod justitia suaderet, ipsoque die non comparente prædicto, nec posteà licet diutiùs exspectatus, præsente multitudine copiosa fidelium, de fratrum eorumdem consilio, memoratum LUDOVICUM in dictam incidisse hæresim, ac fore hæreticum declaravimus; & eum velut hæreticum reprobavimus & duximus sententialiter condemnandum. Verùm quia peccator nisi pœnituerit adjicit ad peccandum, infelix homo iste à prædicta hæresi resilire contemnens, se alia noscitur involvisse. Dudum siquidem ad audientiam nostram relatione tam verbali quàm litterali plurium sublimium personarum, nec non fama publica notoriante producto, quòd duo viri nequam perditionis filii & maledictionis alumni, videlicet MARSILIUS de Padua & JOHANNES de Janduno, quemdam librum composuerant, inter multa alia erronea continentem, quòd ad imperatorem spectat papam instituere & destituere ac privare. Nos super illo & nonnullis aliis eorumdem articulis erroneis, tam cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, quam multis Ecclesiarum prælatis, nec non & cum pluribus sacræ theologiæ magistris, ac utriusque juris professoribus, tunc præsentibus in curia, deliberatione præhabita diligenti, cùm in hoc eorum deliberatio resideret, tam præfatum articulum, quàm alios prædictos in processu & sententia nostris contentos, esse sacræ scripturæ contrarios, fideique catholicæ inimicos, ac de eorumdem fratrum consilio, in consistorio publico, præsente fidelium copiosa multitudine, ipsos articulos hæreticales & erroneos, nec non prædictos MARSILIUM & JOHANNEM hæreticos, immo hæresiarchas fore manifestos & notorios declarandos duximus & sententialiter condemnandos. Hoc in eadem adjecto sententia, quòd si quis doctrinam prædictam defendere seu approbare præsumeret, cujuscumque dignitatis esset aut status, ab omnibus deberet tamquam hæreticus confutari. Et licet processus noster prædictus in consistorio nostro publico, multitudine fidelium copiosa præsente, recitatus fuerit, & sententia hujusmodi promulgata, cartæque seu membranæ processum & sententiam continentes eosdem, in Avenionensis ecclesiæ ostiis affixæ fuerint seu appensæ, & nihilominus processus & sententia prædicti tam in urbe Romana, quàm in locis circumvicinis, ac in Alemanniæ aliisque diversis mundi partibus extiterint solemniter publicati, dictus tamen LUDOVICUS velut in reprobum sensum datus, præfatos MARSILIUM & JOHANNEM quos in partibus Alemanniæ in suam familiaritatem admiserat, & sub cujus umbra errores prædictos & multos alios publicè dogmatisare præsumserant & pertinaciter defensare, ac in urbe præfata post latam prædictam sententiam, prædicare publicè prædictos damnatos articulos veros esse, in suam familiaritatem non erubuit retinere. Nec non ad inauditam inductus insaniam, ut quod credebat interiùs, per evidentiam exterioris operis declararet, certis die & loco publicè convocato, & præsente clero & populo dictæ urbis, præfatus LUDOVICUS pluribus excommunicationum sententiis innodatus, & omni honore privatus, asserens errorem prædictum, videlicet quòd imperatori licebat papam deponere, contra nos depositionis de facto præsumsit sententiam promulgare, sicut in dicti Ludovici litteris præfatam continentibus sententiam, seu veriùs insaniam, nos & fratres prædicti contineri vidimus, & plurium testium fide dignorum in ipsius prolatione sententiæ præsentium, quos per nonnullos ex fratribus nostris ad cautelam examinari fecimus, depositionibus constitit evidenter. Nec non & tam illorum quàm aliorum multorum testium Romanorum & aliorum habet depositio & assertio, quod præmissa Romæ & in circumvicinis partibus adeò erant tamquam facta publicè notoria, clero & populo tunc præsentibus, quòd non poterant tergiversatione aliqua occultari. Nos ne vir tam reprobus, omnique tam divino quàm humano timore privatus, de tam præsumtuosa & pertinaci gloriaretur insania, & ne præsumtoribus ad tam pernitiosam & periculosam hæresim panderetur aditus, sed potius præcluderetur accessus, cum ex prædictis notoriè appareret ipsum in errorem incidisse prædictum, essentque præmissa adeò notoria, tam per facti evidentiam, quàm per litteras innumeras de urbe prædicta transmissas nobis, & multis ex fratribus supradictis & aliis degentibus in curia præsentatas, & testimonio quasi omnium tunc de urbe ad curiam venientium hoc asserentium viva voce, ac per attestationes testium super his, ut prædictum est, receptorum, & etiam per patentes ipsius LUDOVICI litteras ejus sigillo munitas, per quas dictam inauditam insaniam ad notitiam omnium fidelium deducere intendebat, prout nos & fratres nostri hoc cum multis erroribus, blasphemiis & insaniis aliis in eisdem litteris vidimus contineri. Nosque in prædictis læsionem fidei, patrum quoque sanctorum contemtus & probra, nec non præsentium scandala, & varia quæ mora comminabatur pericula diligentiùs attendentes, tantisque malis & periculis obviare salubriter cupientes, auctoritate Dei omnipotentis, ac Domini JESU-CHRISTI salvatoris nostri, cujus vices in terris licet immeriti gerimus, cuique ac universæ congregationi fidelium per dictum LUDOVICUM, qui tunicam ejus inconsutilem scindere nitebatur, prædicta noscebatur injuria irrogata, de fratrum prædictorum consilio & plenitudine potestatis, præsente multitudine copiosa fide-

lium, præfatum LUDOVICUM in prædictam incidisse damnatam hæresim declaravimus, ipsumque velut hæreticum reprobavimus, & duximus etiam condemnandum: eum nihilominus declarantes in pœnas inflictas schismaticis & hæreticis, ac committentibus talia crimina & alia quæ circa prædicta idem LUDOVICUS commisisse noscitur, per sacros canones & leges catholicorum principum omnes & singulas incurrisse. Et quia in prolatione sententiæ hujusmodi dicti LUDOVICI sicut in ejusdem litteris sententiam ipsam continentibus nos & fratres prædicti vidimus contineri, & plurium fide dignorum depositiones testium in ipsius prolatione sententiæ præsentium, quos, ut profertur, examinari fecimus, continent evidenter quòd prædictam hæresim, scilicet quòd Christo & apostolis in his quæ habuerunt nullum jus competiit, sed tantùm usus facti, prædictus LUDOVICUS expressè tenet & approbat, & constitutionem super hoc editam, dictam damnantem hæresim, nititur impugnare: nos sententiam prædictam per nos contra ipsum prolatam propterea tunc approbantes, expressè ipsum nihilominùs in dictam incidisse hæresim, & ut hæreticum ex illo etiam capite duximus declarandum. Demum verò prædictus LUDOVICUS virus conceptum antea in partum nitens producere, & ad subvertendum fidem catholicam, sanctæque Dei Ecclesiæ scindere unitatem, in divinæ majestatis opprobrium, totiusque cœtus fidelium scandalum, contemtum & periculum velut membrum satanæ se disponens, associatis sibi quibusdam suis nequam complicibus, PETRUM de Corbario ordinis fratrum Minorum in antipapam assumsit, procurans quòd idem PETRUS sic damnabiliter & delusoriè in antipapam assumtus, pseudo-cardinales & notarios ac officiales alios juxta morem quem servat Romana curia constitueret, aliaque nonnulla præsumeret cunctis catholicis detestanda. Synagogam autem hujusmodi diebus congregatam aliquibus, virtutum Dominus misericorditer, sicut ad communem omnium fidelium devenisse notitiam credimus, dissipavit. Nos autem omnia & singula per eosdem LUDOVICUM & PETRUM attentata circa præmissa vel præmissorum occasione, de fratrum prædictorum consilio, nulla, cassa & irrita meritò declarantes, ex superabundanti prout de facto processerant, ea cassanda duximus & irrita nuntianda. Rursus quia fide digna relatio tunc ad nostrum perduxit auditum, quòd idem LUDOVICUS, nondum in eo igne avaritiæ & ambitionis extincto, sed potius flatu diabolico inflammato, ad civitatem se contulerat Tridentinam, ubi ordinare suis convocatis complicibus satagebat, quòd sicut in partibus Italiæ supradictis jura usurpaverat imperii, fideles turbarat, eorumque substantias devorarat & consumserat, sic & in Alemaniæ partibus suum in hac parte damnandum desiderium adimplere valeret, vicarios, officiales vel ministros suos ad easdem partes Alemaniæ disposuerat propter hoc destinare. Nos tantis malis & periculis cupientes

A justis & salubribus remediis obviare, præfatum LUDOVICUM per edictum nostrum publicum, cum ad eum tutus nequaquam pateret accessus, præsente multitudine copiosa fidelium monuimus, & eidem sub excommunicationis & pœnis aliis tam spiritualibus quàm temporalibus in eumdem inflictis hactenus, quas pro repetitis habere volumus, quibusque ipsum subjacere decrevimus, si contrarium faceret, ipso facto, inhibendum expressè duximus & mandandum, ne ulteriùs de ordinatione dicti regni vel imperii se intromitteret quoquo modo, nec se B regem vel imperatorem nominaret, nec quantum pro eo erat faceret ab aliis nominari, nec sub nomine hujusmodi vel alio quocumque pro dictorum regni & imperii negotiis ad Alemaniæ vel aliquas partes alias aliquem vel aliquos destinaret, nec vicariatus aut alia quæcumque officia quibusvis nuncupentur nominibus, concederet vel committeret alicui vel aliquibus, nec etiam in illis vel aliis partibus jura vel bona regni seu imperii occuparet seu contractaret, C nec fideles Ecclesiæ & imperii turbaret quomodolibet vel etiam molestaret. Universis nihilominus & singulis prælatis ac personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existerent, etiamsi patriarchali, pontificali aut majori seu inferiori dignitate fulgerent, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus aliisque personis singularibus quibuscumque, ac D communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris, oppidis, villis & locis, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in terras, civitates, castra, oppida & loca ipsorum, ac universitates, communitates & collegia, nec non privationis dignitatum, personatuum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum dictorum prælatorum & personarum ecclesiasticarum, & tam illorum quàm aliorum quorumcumque privilegiorum apostolicorum & imperialium, feudorum, bonorum, honorum E & officiorum quæ à Romana vel aliis Ecclesiis seu imperio obtinebant, ac libertatum & immunitatum, pœnis inhibuimus districtiùs & mandavimus, ne vicariatus, vel quodcumque aliud officium vel administrationem quocumque nomine nuncuparentur reciperent ab eodem vel alio seu aliis ejus nomine, auctoritate vel mandato. Et si forsan officium vel administrationem hujusmodi recepissent, statim illud vel illam postquam processus noster ad eorum pervenisset notitiam, vel per eos stetisset quominus pervenire F potuisset, procurarent dimittere illud vel illam, ulteriùs & nullatenùs resumturi. Ac ne præfato LUDOVICO, aut complicibus, fautoribus, vicariis, ministris vel officialibus ejusdem, quocumque nomine censerentur, parerent in aliquo vel intenderent, nec eos vel aliquem ipsorum reciperent vel admitterent, aut de juribus & proventibus quibuscumque ad regnum vel imperium spectantibus responderent, vel aliter eis impenderent super his auxilium, con-

silium vel favorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè: alioquin personas ipsas singulares quascumque ecclesiasticas & sæculares cujuscumque forent præeminentiæ, conditionis & status ecclesiastici vel mundani, excommunicationis; terras verò, civitates, castra, oppida & loca, nec non communitates, universitates, & collegia quæ contra inhibitionem & mandata nostra hujusmodi aliquid facere vel temerè attentare præsumerent, interdicti sententias, quas ex tunc protulimus: nec non personas ecclesiasticas, præter patriarchas, archiepiscopos & episcopos, privationis omnium dignitatum, personatuum, & aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, & inhabilitationis pœna ad ea & similia in posterum obtinenda, incurrere voluimus ipso facto; ad privationem dignitatum, & prælaturarum dictorum patriarcharum, archiepiscoporum, & episcoporum, ac inhabilitationem ad ea & similia imposterum obtinenda, nec non privilegiorum quorumcumque apostolicorum & in perialium, ac feudorum, bonorum, honorum & libertatum, quæ ipsi vel quicumque alii clerici vel laïci à Romana vel quibuscumque aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinebant, ac libertatum & immunitatum tam contra ipsos quam alias quascumque personas ecclesiasticas & sæculares, cujuscumque status vel conditionis existerent, & alias spirituales & temporales pœnas & sententias, de quibus videretur nobis, infligendas seu inflictas declarandas juxta delictum, contumaciam & excessum cujuslibet, si, quando, & quoties opportunum cognosceremus communiter vel divisim, absque monitione & citatione alia nos processuros tunc apertiùs prædicendo. Nonobstantibus fidelitatis & quibusvis aliis juramentis, per quæ ipsi vel eorum aliqui dicto Ludovico se quomodolibet astrinxissent, ac confœderationibus, pactionibus, societatibus & ligis cum eodem vel alio seu aliis nomine suo vel mandato, per quascumque personas singulares ecclesiasticas vel sæculares, aut communitates; seu universitates, collegia, contractis seu initis sub quacumque forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adjectionibus aut juramentorum præstationibus, vel quacumque alia firmitate vallatæ fuissent, utpote in Dei contumeliam, contra bonum pacis; ac derogationem honoris & status sanctæ matris Ecclesiæ, & præjudicium reipublicæ, animarumque periculum, cum hæretico & schismatico præsumtas temerè: quæ omnia per processus nostros aliàs nulla & irrita declaravimus, & quatenus de facto processerant, cassavimus, anullavimus, & irritavimus, etiamsi post dictos processus aliqua forent alia attentata: juramenta dissolventes hujusmodi, ac pœnas omnes & singulas super prædictis & ea tangentibus adjectas quomodolibet relaxantes de plenitudine potestatis. Volumus autem auctoritate apostolica nihilominùs decernentes, quòd processus noster hujusmodi præfatum Ludovicum, & alios quos tangere dinoscebatur apprehenderet & arctaret, ac si

A eisdem personaliter singulariter publicatus & intimatus solemniter extitisset, Constitutione quacumque contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices edita non obstante. Licet autem processus noster prædictus in consistorio publico, præsente copiosa fidelium multitudine, ac gesta alia superiùs expressata, recitata, ut præmittitur, dictaque sententia promulgata fuerint, & cartas sententiam & processum continentes eosdem in prædictis majoris Ecclesiæ Avenionensis affigi ostiis fecerimus, seu membranas, B ut suo quasi sonoro præconio & patulo indicio ad fidelium notitiam deducerent processum & sententiam antedictos. Et nihilominùs eosdem in Alemania & in locis aliis circumvicinis fecerimus publicari, sic quod prætextu ignorantiæ se nequit dictus Ludovicus nec aliis excusare. Idem tamen Ludovicus velut in profundum malorum demersus suaque malitia excæcatus, nostris non acquiescens salutaribus monitis, sed ea damnabiliter in contemtum habitis, C ab administratione regni & imperii non destitit, quin immò imperatorem se abusivè nominans, & faciens ab aliis nominari, de administratione hujusmodi se præsertim in partibus Alemaniæ, in Dei offensam, suæ multorumque aliorum animarum periculum, reipublicæ detrimentum, & plurimorum scandalum damnabiliter intromisit. Vicarios, advocatos, officialesque alios diversorum nominum sub imperatoris constituendo nomine, & ordinando de facto, cùm de jure non posset, ipsos ad diversas civitates D illarum partium, & oppida destinando. De rebus quoque, bonis & juribus prædictorum regni & imperii præsumtione damnabili disponendo, ac reditus & proventus verò imperatori debitos exigendo; & homagia, juramentaque fidelitatis à nonnullis principibus ac nobilibus, civitatibus quoque, oppidis, & terris aliis exigendo & recipiendo indebitè & injustè. Nonnulla quoque feuda, & jura alia ad prædictum regnum & imperium pertinentia, in eorumdem regni & imperii ac subditorum grave præjudicium dare, pignori obligare, seu distrahere; nec non fideles E Romanæ Ecclesiæ ac imperii turbare & gravare multipliciter præsumsit hactenùs, & disponit in posterum acriùs & severiùs molestare, propter quod edictum publicum proposuit, ut dominica ante instans festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis in oppido dicto de *Frankenfort*, omnes principes tam ecclesiastici quam sæculares illarum partium sub pœnis privationis omnium jurium & feudorum quæ ab imperio obtinent, debeant coram eo personaliter comparere. Ne igitur Ludovicus prædictus, F omni timore divino privatus, de tam contumaci superbia glorietur, & ne præsumtoribus ad similia pandatur aditus, sed potiùs præcludatur accessus, cùm præmissa adeò sint notoria tam facti evidentia, quàm per litteras multas de partibus illis nobis & multis in curia degentibus præsentatas, & testimonio quasi omnium de partibus ipsis ad curiam prædictam venientium præmissa asserentium viva voce, nec non & plurium fide dignorum testium, quos per

nonnullos ex fratribus nostris ad cautelam examinari fecimus, depositiones continent evidenter, quæ non possunt tergiversatione aliqua occultari, nec non & præsentia scandala, ac varia quæ mora comminatur pericula attendentes, tantisque malis & periculis obviare salubriter cupientes auctoritate Dei omnipotentis & Domini JESU CHRISTI Salvatoris nostri, qui caput Ecclesiæ noscitur, cujusque vices in terris licet immeriti gerimus, & cui ejusque corpori mystico, videlicet universæ congregationi fidelium per præmissa atrox & notoria injuria irrogatur, de fratrum prædictorum consilio & plenitudine potestatis, præsente hac fidelium multitudine copiosa, cùm ut ostenditur ex prædictis, ipsum LUDOVICUM in excommunicationis incidisse sententiam, ac pœnas alias tam spirituales quam temporales contentas in processu nostro prædicto, sit notorium incurrisse, pronuntiamus & etiam declaramus eumdem LUDOVICUM in prædictam excommunicationis incidisse sententiam, omnesque pœnas alias in eodem processu contentas, tam spirituales quàm temporales etiam incurrisse, & velut excommunicatum præter casus exceptos à jure fore vitandum ab omnibus nuntiamus. Et nihilominus quicquid per ipsum LUDOVICUM contra processum nostrum de facto, cum de jure non potuerit, extitit attentatum, sive constituendo sub regio vel imperiali nomine vicarios, advocatos, vel quosvis officiales alios quocumque nomine censeantur, sive recipiendo sub eodem nomine homagia, seu fidelitates, vel quæcumque alia juramenta à principibus ecclesiasticis vel temporalibus, civitatibus, vel communitatibus aliis, aut quibuscumque personis singularibus, cujuscumque conditionis vel status existant, sive dando, infeudando, impignorando vel quovis alio titulo seu modo bona aliqua corporalia sive incorporalia quocumque nomine censeantur, in perpetuum, vel ad tempus, personæ alicui ecclesiasticæ vel mundanæ, cujuscumque status vel conditionis existat, etiamsi regali, pontificali, vel alia quacumque ecclesiastica vel sæculari præemineant dignitate, concedendo, cassum, nullum & irritum de fratrum eorumdem consilio declaramus, ac prædicta omnia & singula quatenus processere de facto, nec non quascumque confœderationes, colligationes, societates & ligas per quascumque personas ecclesiasticas vel singulares, aut communitates, vel universitates cum eodem LUDOVICO sub quacumque forma vel expressione verborum contractas seu initas, vel in posterum contrahendas, etiamsi juramentis, pœnis vel quibuscumque aliis firmitatibus sint innexæ, quatenus ipsius LUDOVICI commodum vel utilitatem possunt concernere, revocamus, cassamus, anullamus, irritamus, & penitùs viribus vacuamus, pœnas adjectas super hoc & juramenta præstita, nihilominus de potestatis plenitudine relaxantes: ordinationes insuper & constitutiones quascumque per ipsum factas, nec non & sententias contra Maguntinam seu quascumque civitates, castra, oppida seu loca, vel universitates, seu communitates alias, & personas singulares quascumque ecclesiasticas vel mundanas, cujuscumque status vel conditionis existant, etiamsi regali, pontificali, aut alia quacumque dignitate præfulgeant, promulgatas seu comminatas & pœnas inflictas vel comminatas per se vel per alium, nec non & impositiones teloneorum seu pedagiorum per ipsum vel alium seu alios suo nomine vel mandato, seu auctoritate, & specialiter citationem illam, ut scilicet principes ecclesiastici & sæculares vel alii quicumque dicta Dominica ante instans festum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis coram ipso compareant factam, sive per edictum publicum, sive per litteras particulares, vel alia quælibet attentata, decernimus cassa, nulla, & irrita, eaque quatenus processere de facto cassamus, irritamus & viribus vacuamus. Universas quoque personas ecclesiasticas & sæculares, cujuscumque status vel conditionis existant, quæ forsan parere neglexerint temerè nostris monitionibus, inhibitionibus & præceptis, pœnas excommunicationis inflictas superiùs in processu nostro prædicto incurrisse, ac eorum terras, nec non communitates & universitates alias circa hæc delinquentes subjacere decernimus ecclesiastico interdicto, processuri ad publicationem aliarum pœnarum inflictarum, & impositionem comminatarum in eisdem processibus, absque citatione seu monitione alia, prout eorum exegerit contumacia, & viderimus expedire. Prætereà universis & singulis ecclesiarum prælatis, & personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, cujuscumque status vel conditionis existant, etiamsi pontificali, aut majori, vel inferiori præfulgerent dignitate, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus, & qui in aliquo præmissorum se intitulant titulo, licet jus non habeant in eisdem, communitatibus etiam, universitatibus, civitatibus, castris, villis & aliis quibuscumque inhibemus, & mandamus expresse, ne prædicto LUDOVICO de diversis hæresibus condemnato adhærere, participare, communicare vel favere, publicè vel occultè; nec ad terminum citationis seu convocationis prædictæ, vel alium præfixum super hoc vel etiam præfigendum, ire vel mittere, aut coram eo comparere, seu sibi homagia, vel fidelitates aut alia quæcumque juramenta præstare, seu recognitiones quascumque facere per se vel alium seu alios quoquo modo præsumant, nec societates, confœderationes, pactiones, vel ligas contrahant vel faciant quomodolibet cum eodem, nec initas seu contractas, si quæ forsan fuerint, quas, ut præfertur, revocavimus & irritavimus, teneant vel observent. Alioquin omnes & singulos contrarium attentantes, sive sint personæ singulares ecclesiasticæ vel mundanæ, aut communitates vel universitates, pœnas prædictas & sententias, prout conditionem concernunt cujuslibet, incurrere volumus ipso facto. Non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim,

à sede sit indultum, prædicta quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam & de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibusvis privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibusvis personis, locis vel ordinibus, sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiamsi de illis esset specialis & expressa ac de verbo ad verbum in præsentibus mentio facienda; per quæ nullum contra præmissa cuiquam afferri suffragium volumus, vel obstaculum interponi. Ceterùm volumus, & auctoritate apostolica decernimus quòd præsens processus noster præfatum LUDOVICUM ac omnes & singulos alios quos contingit adeò apprehendat & arctet, ac si eisdem publicatus personaliter & insinuatus solemniter extitisset; quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Ut autem processus noster ad ipsius LUDOVICI & aliorum, quorum interest vel interesse potest, communem notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in ejusdem ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut nullam possint excusationem prætendere vel ignorantiam allegare, quòd ad eos non pervenerit vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione secundo nonas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

Et quamquam cartas seu membranas ipsum continentes processum ostiis Avenionensis Ecclesiæ, ut contenta in eodem processu ad communem omnium deducantur notitiam, appendi seu affigi fecerimus, volentes tamen ex superabundanti, ut clariùs innotescant partium earum fidelibus, solemniter in ipsis partibus publicari: Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ districtiùs injungendo, quatenus vos & vestrûm singuli per vos & alios religiosos & sæculares de quibus vobis videbitur, quos ad hoc non obstantibus quibuscumque exemptionibus seu aliis privilegiis compellere si necesse fuerit valeatis, in Ecclesiis & locis insignibus vestrarum civitatum & diœceseon de quibus expedire videritis, prædictum processum & contenta in eo, solemniter convocato ad hoc & præsente clero & populo, vulgarisando ea nihilominus, ut populus clarius intelligat, publicetis: inde faciendo confici publica instrumenta, principium & finem præsentium continentia, illa nobis fideliter remissuri. Datum Avenione sexto Idus Januarii, Pontificatus nostri anno XV.

Executoria contra Mendicantes.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus... archiepiscopo... ejusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem. Pridem contra fratres ordinum Mendicantium LUDOVICO de Bavaria de multis hæresibus & schismate condemnato adhærentes, quemdam processum in consistorio publico, præsente fidelium multitudine copiosa, fecimus, tenoris & continentiæ subsequentis. JOHANNES, &c. Ad futuram rei memoriam. Ad communem omnium notitiam credimus pervenisse nos dudum contra LUDOVICUM de Bavaria, ejus demeritis exigentibus, diversos fecisse processus, per quos utique successivè, sicut ejus excessus varii quos non destinebat committere, exigebant, diversas pœnas eisdem infliximus, ipsum incidisse in nonnullas ex eis declarantes. In primis quidem dictus LUDOVICUS excommunicationis sententia extitit innodatus, ac subsequenter culpis suis excrescentibus, & contumaciis ejus continuatis & auctis, jure si quod sibi ex electione de ipso in regem Romanorum discorditer celebrata fuerat ad regnum vel imperium Romanum quomodolibet acquisitum: deinde verò ipso excessus excessibus cumulante, ducatu Bavariæ ac privilegiis tam apostolicis quàm imperialibus, ac bonis & feudis omnibus quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio obtinebat, per diversos processus nostros diversis temporibus habitos de fratrum nostrorum consilio, justo judicio nudatus extitit & privatus. Et demum quia Pharaonis imitatus duritiam, & contemnens omnem sanctæ matris Ecclesiæ disciplinam, nulla correctionis ostendit indicia, sed potius hæreticis & hæreticalibus intendens dogmatibus, ac hæreticos in suum admittens consortium, eorum errores & hæreses defendendo, se ostendit hæreticum manifestè, servatis solemnitatibus debitis, primo fautor hæreticorum declaratus, & subsequenter de crimine hæresis, pro diversis successivè hæresibus, fuit sententialiter & publicè per nos de ipsorum fratrum consilio condemnatus. Universis nihilominùs & singulis personis ecclesiasticis, sæcularibus ac regularibus ac mundanis, cujuscumque conditionis & status existerent, etiamsi patriarchali, pontificali, aut majori seu inferiori dignitate fulgerent: nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus, aliisque personis singularibus quibuscumque, aut communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris, oppidis, villis & locis, sub excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, sententiis, ac pœnis aliis variis in processibus eisdem contentis, inhibendum districtiùs duximus & mandandum, ne eidem LUDOVICO parerent in aliquo vel faverent, prout hæc in diversis nostris processibus latiùs continentur. Sanè quia ad nostrum pervenit auditum, quòd nonnulli ordinum Mendicantium, præsertim degentium in partibus Alemaniæ, suæ professionis obliti, velut in reprobum sensum dati, eidem LUDOVICO favere publicè non verentur, nonnulli verò in ejus damnanda comitiva morando, alii autem

in locis interdictis ad ejusdem Ludovici seu suorum officialium dictum vel præceptum divina prophanando officia, & alii ipsum pro rege & imperatore habendo, & eidem parendo & obediendo, ad ejus obedientiam pravis studiis alios inducendo. Nos dignum arbitrantes & congruum, ut tales donec ab ejus à cujus se obedientia subtrahant, eamque impugnare satagant, privilegiis seu favoribus non fruantur, omnes & singulos ordinum Mendicantium, qui, postquam nostri processus prædicti ad eorum notitiam pervenerunt, vel fecerant quò pervenire non possent, eidem Ludovico, ut præmittitur, vel alii adhæserunt, illis tamen exceptis, qui jam redierunt ad obedientiam, omnibus & singulis tam exemtionis quàm prædicationis, seu audiendi confessiones, & etiam sepulturas habendi, in eo scilicet loco in quo forsan omnes de conventu ordinum prædictorum deliquerint in præmissis, quàm aliis quibuscumque privilegiis & gratiis, libertatibus & immunitatibus, tam ordinibus suis, quàm personis & locis ipsorum sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, auctoritate apostolica, de dictorum fratrum consilio privamus omninò, & præter pœnas alias de jure per processus nostros contra talia præsumentes inflictas, quibus ipsos volumus subjacere, ordinariorum locorum jurisdictioni ordinariæ, quoad causas & omnia alia in perpetuum subjectos esse decernimus, nisi à præmissis cessantes, ad Ecclesiæ unitatem redierint, & absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa ipsos incurrisse non est dubium, vel incurrent si ea in futurum commiserint, à nobis vel nostris successoribus, quibus eamdem absolutionem præterquam in mortis articulo reservamus expresse, obtinere meruerint & restitui ad præmissa. Per hoc autem superioribus ipsorum ordinum nolumus præjudicium aliquod generari, quin in eos possint jurisdictionem suam etiam exercere. Universis insuper clericis & laicis, cujuscumque conditionis, status, ordinis, vel dignitatis existant, mandamus tenore præsentium, & sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, districtiùs inhibemus, ne ad fratres & conventus inobedientes hujusmodi, pro sepulturis, confessionibus, & prædicationibus, aut aliis supradictis recurrere, seu eis adhærere, vel ipsos ad prædicta admittere quoquo modo præsumant. Præterea omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac hæreticæ pravitatis inquisitoribus injungimus & mandamus, ut tales uti privilegiis hujusmodi non sinentes, contra ipsos ut fautores hæretici, & suspectos vehementer de hæresi provideant juxta statuta canonum & privilegia concessa inquisitionis officio supradictæ. Ut autem præsens processus noster ad omnes quos contingit notitiam deducatur; cartas seu membranas concessum continentes eumdem appendi seu affigi ostiis seu superliminaribus majoris ecclesiæ Avenionensis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut illi quos processus ipse contingit nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare quod ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Auctoritate apostolica nihilominus decernentes, quòd dictus processus adeò ipsos apprehendat & arctet, ac si eis & eorum cuilibet publicatus personaliter & intimatus solemniter extitisset, quacumque constitutione per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante. Datum Avenione secundo nonas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

Quamvis autem processus hujusmodi publicatus, ut præfertur, sufficienter fuerit, volentes tamen ex superabundanti ipsum ut certiùs innotescat partium illarum fidelibus in eisdem partibus publicari: fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios, sæculares vel religiosos, exemtos vel non exemtos, quos ad hoc per vos auctoritate nostra compelli, si expedierit, volumus exemtionis seu quovis alio privilegio non obstante, eosdem fratres ordinum Mendicantium, dicto Ludovico super contentis in eisdem processibus quomodolibet adhærentes privilegiis tam exemtionis, quàm prædicandi, seu audiendi confessiones, & etiam habendi sepulturas; in eo scilicet loco in quo forsan omnes de conventu ordinum prædictorum deliquerint in præmissis, quàm aliis quibuscumque privilegiis, gratiis & libertatibus tam ordinibus quàm personis & locis ipsarum, ut præfertur, concessis, privatos omninò, & ordinariorum suorum jurisdictioni ordinariè quoad causas & omnia alia, nisi à præmissis cessantes meruerint absolutionis ab excommunicatione, quam propter præmissa incurrerunt, beneficium obtinere, in perpetuum fore subjectos, publicè nuntiare, ac omnia alia & singula in præfato contenta processu in singulis vestris civitatibus & locis insignibus vestrarum diœceseon, clero & populo ad hoc specialiter convocatis, publicare solemniter studeatis, vulgarisando ea nihilominùs, ut clariùs eisdem fidelibus innotescant, vobis nihilominus districtiùs injungentes, ne fratres eosdem talibus uti privilegiis permittatis, sed contra ipsos ut fautores hæretici, & de hæresi vehementer suspectos, juxta statuta canonum & privilegia concessa, inquisitionis officio procedatis: facientes super publicatione hujusmodi publica confici instrumenta nobis fideliter & celeriter transmittenda. Datum Avenione tertio Idus Januarii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

PROCESSUS

Contra Michaëlem de Cesana, & complices ejus, Executoria.

JOHANNES &c... archiepiscopo... ejusque suffraganeis. Nuper in consistorio publico,

præsente multitudine copiosa fidelium, contra Michaëlem de Cesana, olim generalem ministrum ordinis fratrum Minorum, suis exigentibus culpis & excessibus, officio ministeriatus privatum, & de hæresis ac schismatis criminibus condemnatum per nos sententialiter, nec non & contra Guillelmum Okam Anglicum, Bonagratiam de Pergamo conversum, & Henricum de Talhem, præfati ordinis, quemdam processum edidimus tenoris & continentiæ subsequentis.

Johannes, &c. Ad futuram rei memoriam. Dudum sicut ad communem omnium notitiam credimus deduxisse, contra Michaëlem de Cesana, olim ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, hæreticorum fautorem & hæreticum, immò hæresiarcham notorium, qui ad nostram vocatus curiam super dictis criminibus, cuique sub excommunicationis, ac depositionis ab officio, & inhabilitationis ad quoscumque honores, dignitates, gradus & status ecclesiasticos pœnis & sententiis, quas omnes & singulas ipsarum eum incurrere volumus ipso facto si contrarium attentaret, ne de civitate Avenionensi, ubi cum eadem residebamus curia, sicut & residemus ad præsens, absque nostra licentia recederet, duximus inhibendum. Quique unà cum Bonagratia converso prædicti ordinis, qui suis demeritis exigentibus in prædicta curia arrestatus ad sancta Dei Evangelia juraverat, se de prædicta curia sine nostra licentia nullatenus recessurum, ac Guillelmo de Okam ejusdem ordinis, contra quem super multis opinionibus hæreticalibus & erroneis, quas scripserat & dogmatisaverat inquisitio in eadem pendebat curia, sibi propterea injunctum fuerat, ne de ipsa recederet curia sine nostra licentia speciali, furtivè recessit de ipsa cum duobus suis complicibus supradictis, ac redire ad eam renuens legitimè requisitus, ad præsentiam Petri de Corvario in antipapam assumti & Ludovici de Bavaria sedentis in pestilentiæ cathedra festinavit suos dirigere gressus. Ne Michaël ipse vir tam reprobus gloriaretur ulterius suæ pravitatis opera absque condignis demeritoriis stipendiis præterire, ac ne plures etiam in sui erroris devium traheret, ad quod tota sua intentio ferebatur, cum præmissa adeò essent notoria, tam per facti evidentiam quàm plures ipsius litteras ad diversas partes directas, quarum aliquæ ad nostras & fratrum nostrorum manus etiam pervenerunt, quòd non poterant tergiversatione aliqua occultari, de fratrum eorumdem consilio, auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, exigente justitia procedentes, Michaëlem eumdem ab officio dicti ministeriatus depositum, fautoremque hæreticorum, & manifestum hæreticum ac hæresiarcham & schismaticum declarandum, nec non & ut fautorem hæreticorum, & hæreticum, ac hæresiarcham, & schismaticum duximus condemnandum: privantes eum officiis, dignitatibus & honoribus quibuscumque, seu privatum potiùs declarantes, ipsumque ab omni gradu

A deponentes, & privilegio quocumque nudantes ecclesiastico, ac eum inhabilem ad præmissa reddentes & quodlibet prædictorum, pœnis omnibus & sententiis spiritualibus & temporalibus quibus divino & ecclesiastico jure hæreticorum fautores, & hæretici, hæresiarchæ & schismatici existunt obnoxii, plectentes eumdem nihilominus, & eum velut talem eis fore obnoxium declarantes. Universis quoque archiepiscopis & episcopis, aliisque personis ecclesiasticis quibuscumque in virtute sanctæ obedientiæ, &
B sub excommunicationis & suspensionis ab officio & beneficio, quas non parentes incurrere volumus ipso facto, nec non privationis, depositionis, inhabilitationis prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum pœnis & sententiis; & insuper omnibus & singulis civitatibus, terris, & locis, ac universitatibus, communitatibus, & personis aliis singularibus quibuscumque, cujuscumque status aut conditionis existerent, etiamsi imperiali,
C regali, vel alia quacumque dignitate fulgerent, sub excommunicationis in quascumque personas singulares, & interdicti in civitates, terras, loca, eorumque communitates & universitates, quas nisi mandatis & monitionibus nostris cum effectu parerent, incurrere volumus ipso facto: nec non privationis privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum & bonorum quæ ab eadem Romana vel quibuscumque aliis ecclesiis seu imperio obtinerent, pœnis & sententiis, mandandum expresè duximus ac etiam inhibendum, ne prædictum
D Michaëlem hæreticorum fautorem, hæreticum & schismaticum receptarent, defenderent, sibi adhærerent, obedirent, intenderent quomodolibet, seu faverent, aut præstarent per se vel alium seu alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè auxilium, consilium vel favorem; sed eum potius velut hæreticorum fautorem, ac hæreticum & schismaticum, & quantum in eo est sanctæ Dei Ecclesiæ fideique catholicæ corruptorem abjicerent, abhorrerent, perse-
E querentur, & si possent caperent, ac fideliter custodirent, subdendum ecclesiasticæ disciplinæ, prout in processibus per nos habitis & publicatis hactenus pleniùs continetur. Sanè quia sicut fama notoriat publica & facti evidentia in illis partibus manifestat, Michaël ac Guillelmus Okam & Bonagratia supradicti, nec non H. de *Chalem* dicti ordinis, cujus perversio inter alia potest percipi, quia Ludovici de Bavaria se pro imperatore gerentis, de diversis damnati hæresibus, cancellarii officium
F diutiùs gerere non expavit. Quod quidem officium quomodo professioni illorum, qui se nihil habere asserunt in proprio vel communi, seque Christum pauperem nudi sequi congruat, potest promtè prudens quilibet judicare, in Alemanniæ partibus in divinæ majestatis contumeliam, fideique catholicæ læsionem, Ecclesiæque catholicæ præjudicium & contemtum, non verentur hæreses publicè prædicare, ac nonnullos fratres dicti ordinis illarum partium à devotione Ecclesiæ, ministrique generalis ejusdem

ordinis obedientia retrahere, ac illos ad dictorum LUDOVICI & MICHAËLIS hæresiarchæ obedientiam per captiones, incarcerationes personarum, ejectiones à suis conventibus, spoliationes librorum aliarumque rerum ad usum sibi assignatarum à suis superioribus, proscriptionem quoque publicam, minis & terroribus mortis, & aliis modis, ausu temerario inducere, ac compellere non verentur. Nos considerantes attentè quòd talium non est dissimulanda malitia, sed eorum potiùs elidenda superbia, ac eorum pertinax contumacia per semitas justitiæ prosternenda; omnes & singulos, qui contra nostros processus prædictos eidem MICHAËLI faverunt, aut ut ministro obediverunt, nisi ad obedientiam Ecclesiæ jam redierint, de fratrum eorumdem consilio declaramus, personas videlicet singulares excommunicationis, ac conventus & universitates interdicti sententias incurrisse, MICHAËLI interdicentes prædicto ne pro ministro se gerat ulteriùs, ac GUILLELMO & H. ac BONAGRATIÆ prædictis, ne ei tamquam ministro, nec aliter nisi in casibus in quibus licet communicare cum hæreticis, pareant, communicent, vel intendant sub pœna excommunicationis, quam incurrant ipso facto, si mandatis nostris fuerint contumaces. Præcipientes tam MICHAËLI quàm prædictis aliis, ut à consortio se dicti Bavari retrahant, & ad unitatem redire Ecclesiæ, sublato cujusvis moræ dispendio, non omittant. Et quia prædicti G. H. & Bonagratia velut defensores diversarum hæresium, sed illarum præcipuè quæ asserunt, quòd Christus & discipuli nihil habuerunt in proprio vel communi, nisi tantùm simplicem usum facti; & illius quæ asserit, quod ad imperatorem pertinet papam deponere & alium subrogare, vehementer de hæresi sunt suspecti, ipsos & eorum quemlibet citamus per edictum peremtorium publicum, præsente hac multitudine fidelium copiosa, ut infra festum Ascensionis Domini exclusivè proxime subsequentis, compareant personaliter coram nobis, facturi super prædictis velut notoriis quod rationis fuerit, & sententiam si fieri possit commodè audituri. Non intendentes propter prædictæ citationis edictum nos astringere quin contra dictos GUILLELMUM OKAM & BONAGRATIAM, quos aliàs per edictum peremtorium publicum citavimus, ut certo termino diu jam elapso, comparerent coram nobis personaliter sententiam audituri, ac propter eorum contumaciam fuerunt excommunicationis vinculo innodati, interim valeamus procedere prout suadebit justitia, & viderimus expedire. Eisdem expressiùs intimantes, quòd sive venerint, sive non venerint, contra ipsos in dicto termino, vel quoties nobis visum fuerit absque citatione alia ad præmissa procedemus, prout rationis fuerit & viderimus expedire. Ceterùm volumus auctoritate apostolica nihilominus decernentes, quòd processus noster hujusmodi præfatos MICHAËLEM, GUILLELMUM, BONAGRATIAM & HENRICUM, ac alios quos tangere dinoscitur, adeò apprehendat & arctet ac si eis & eorum cuilibet personaliter publicatus & intimatus solemniter extitisset, quacumque constitutione per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante. Et ut idem processus & contenta in eo ad ipsorum Michaëlis, Guillelmi, Bonagratiæ, & Henrici, & aliorum quos contingunt, notitiam deducantur, cartas seu membranas processum continentes eumdem, appendi seu affigi ostiis seu superliminaribus majoris ecclesiæ Avenionensis faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut ipsi nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare quòd ad eos non pervenerit, vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quo ad ipsos remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione secundo nonas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

Et licet processus ipse sufficienter publicatus extiterit, ut præfertur, tamen ex abundanti volentes eum in eis partibus nihilominùs publicari: fraternitati vestræ committimus & mandamus, quatenùs per vos vel alium seu alios sæculares vel religiosos exemtos & non exemtos, quos quocumque in hac parte cessante privilegio, ad hoc per censuram ecclesiasticam compelli posse per vos, si expedierit, volumus, processum eumdem publicare in singulis civitatibus & locis solemnibus vestrarum diœceseon diligentiùs procuretis: facientes de ipsa publicatione confici publica instrumenta, quæ nobis studeatis fideliter destinare. Datum Avenione quarto Idus Januarii anno xv.

PROCESSUS

Contra Bertholdum de Nyffen.

JOHANNES, &c. Ad futuram rei memoriam. Dudum ad publicam notitiam deducere curavimus sedulè, quomodo diversos processus successivè contra LUDOVICUM de Bavaria, olim Bavariæ ducem, in regem Romanorum discorditer electum fecimus, per quos in diversa ipsum incidisse pronuntiavimus crimina, eidem juxta criminum ipsorum exigentiam pœnas varias infligendo. Et quia inter alia crimina hujusmodi eum in diversas incidisse notoriè percepimus hæreses, ipsum hæreticum, ac pœnas inflictas per jura talibus pronuntiavimus & declaravimus incurrisse, universis tam personis singularibus ecclesiasticis & sæcularibus, cujuscumque conditionis, ordinis, dignitatis, status aut gradus existerent, etiamsi pontificali, regali vel alia quacumque ecclesiastica vel temporali dignitate fulgerent, quàm communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris & villis sub excommunicationis in personas singulares & interdicti in communitates, universitates, civitates, castra & villas; nec non privationis privilegiorum apostolicorum & imperialium ac feudorum, bonorum & honorum, jurium & officiorum

officiorum quorumlibet, quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio quomodolibet obtinerent, aliisque diversis tam spiritualibus quam temporalibus pœnis & sententiis, inhibentes tunc nihilominus & mandantes ne præfato LUDOVICO parere, adhærere, aut eidem præstare, directè vel indirectè, publicè vel occultè, præsumerent auxilium, consilium vel favorem. Sanè quia BERTHOLDUS dictus NYFFEN inhibitionibus & mandatis nostris prædictis non obtemperans, sed ea deducens potiùs damnabiliter in contemtum, prædicto LUDOVICO adhærere, parere, seque pro vicario ipsius Ludovici publice gerere, ac favores, auxilia & consilia eidem multipliciter impendere, nec non multitudine gentis armigeræ congregatæ per ipsum fideles & devotos Ecclesiæ offendere, invadere, molestare, hostiliter persequi & turbare, juvando hæreticos & rebelles ejusdem Ecclesiæ, ipsosque in suis hæresibus & rebellionibus damnabiliter confovendo præsumsit. Nos præfati BERTHOLDI, qui per suos competentes judices fautor hæreticorum & defensor, & propter hoc excommunicationis sententiæ perpetuæque infamiæ subjacere, ac omnes pœnas reales & personales, spirituales & temporales, hæreticorum inflictas fautoribus incurrisse declaratus, ac per nos etiam postmodum in consistorio nostro publico, præsente multitudine fidelium copiosa nuntiatus exstiterat, cupientes præsumtuosis & temerariis ausibus obviare, ipsum per edictum nostrum publicum, de fratrum nostrorum consilio, sub excommunicationis ac privationis privilegiorum ac feudorum, quæ à Romana vel quibusvis aliis Ecclesiis quomodolibet obtinebat, pœnis & sententiis, quas eum ipso facto incurrere voluimus, si non pareret nostris mandatis & monitionibus hujusmodi, mandandum duximus & districtiùs injungendum, ut infra certum tunc sibi præfixum terminum, ea quæ per eum attentata circa præmissa fuerant & commissa, quantum esset sibi possibile revocaret, nec ea ulteriùs committeret: à fautoria quoque defensione, omnique adhæsione dictorum hæreticorum & rebellium, ac usurpato & præsumto vicariatus titulo & officio desisteret, nec se de illis ulteriùs per se vel alium seu alios intromitteret quoquo modo, revocatis tunc per nos nihilominùs, ac cassatis, irritatis & annullatis omnibus quæ dictus Bertholdus circa præmissa duxerat attentanda. Cumque ipse hujusmodi monitionibus, inhibitionibus & mandatis parere contempserit, pejora continuè committendo, ac adhærendo & assistendo LUDOVICO prædicto, de hæresis & schismatis criminibus sententialiter & publicè condemnato, secumque participando, & ei præstando auxilia, consilia & favores; quæ per famam publicam & facti evidentiam adeò erant notoria, quòd nulla poterant tergiversatione celari. Et nihilominus per tempus quinque annorum & ultra excommunicationis sententias ratione fautoriæ hæreticorum promulgatas animo sustinuerat indurato, nec ab eadem fautoria destiterat, sed eam continuaverat potius & adauxerat, eidem LUDOVICO, nec non PETRO DE CORVARIO tunc hæretico & schismatico, eorumque sequacibus & complicibus adhærendo, favendo, assistendo, ac consilium, auxilium & favorem præstando publicè. Nos eumdem Bertholdum qui de prædictis hæresis & schismatis criminibus vehementer reddiderat se suspectum, per edictum nostrum publicum sexto Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quarto decimo, præsente multitudine copiosa fidelium, cùm ad ipsum tutus non pateret accessus, de fratrum prædictorum consilio peremtoriè citavimus, ut infra instans festum Ascensionis Domini exclusivè sub pœnis prædictis, nec non privationis omnium feudorum & bonorum quæ tenebat ab imperio, quas ipsum si mandato & citationi hujusmodi non pareret incurrere voluimus ipso facto, apostolico conspectui se personaliter præsentaret, super dictis hæresis & schismatis criminibus sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suaderet: tunc eidem nihilominus apertiùs prædicentes, quòd sive in eodem termino, vel infra illum compareret, sive non compareret, ad dictam proferendam sententiam, & alias contra ipsum, prout nobis videretur expediens & rationis existeret, procedere absque citatione alia curaremus. Volumus autem tunc auctoritate apostolica decernentes, quòd prædictorum processus & citationis edictum, præfatum BERTHOLDUM adeò apprehenderent & arctarent, ac si eidem personaliter intimati & publicati fuissent, constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita non obstante, sicut in eodem processu solemniter habito, & portis ecclesiæ Avenionensis affixo, ac in diversis mundi partibus de mandato nostro ex superabundanti publicato, pleniùs continetur. Cumque præfatus BERTHOLDUS in eodem sibi, ut præfertur, præfixo termino, vel etiam postea de benignitate apostolica diutiùs exspectatus non curaverit comparere, nos ipsum reputavimus & reputamus meritò contumacem, eumque propter hoc excommunicationis sententia innodamus. Declarantes ipsum nihilominùs pœnam privationis feudorum & bonorum quæ tenebat ab imperio inflictam sibi superiùs incurrisse. Et licet potuissemus in eodem termino, & adhuc possemus super dictis criminibus exigente justitia proferre sententiam contra eum: volentes tamen eum adhuc de benignitate apostolica ampliùs exspectare, ac experiri, si per mansuetudinis clementiam ad gremium & unitatem Ecclesiæ poterit suis relictis erroribus revocari. Ideoque ipsum per hoc edictum nostrum publicum, præsente hac multitudine copiosa fidelium, cùm ad eum tutus accessus non pateat, citamus peremtoriè, ut infra instans festum Ascensionis Domini nostro conspectui personaliter se præsentet, super dictis hæresis & schismatis criminibus sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suadebit: quem quidem terminum ad præmissa peremtorium eidem BERTHOLDO de

fratrum prædictorum consilio præfigimus & etiam assignamus. Eidem apertiùs nihilominus prædicentes, quòd sive infra dictum terminum vel in eo comparuerit, sive non comparuerit coram nobis, nos ad proferendam sententiam hujusmodi & alias contra ipsum prout rationis fuerit & expedire videbimus, procedemus. Volumus autem auctoritate apostolica decernentes, quòd processus & citationis edictum hujusmodi, eumdem BERTHOLDUM adeò apprehendat & arctet, ac si processus eidem præsentialiter intimatus & publicatus fuisset, quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices edita nonobstante. Ut autem processus noster & citationis edictum hujusmodi, ad ejusdem Bertholdi & aliorum quos possunt contingere notitiam deducantur, cartas sive membranas processum & citationem continentes eosdem, in majoris Ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum & citationem eosdem suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt; ita quòd dictus Bertholdus & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere vel ignorantiam allegare, quòd ad eos non pervenerit vel quod ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quo ad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione secundo nonas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

PROCESSUS

Contra Jacobum olim episcopum Castellanum.

JOHANNES, &c. Ad futuram rei memoriam. Ad notitiam publicam dudum curavimus deducere sedulè, quomodo diversos processus successivè contra LUDOVICUM olim Bavariæ ducem in regem Romanorum discorditer electum fecimus, per quos in diversa ipsum incidisse pronuntiavimus crimina, juxta criminum ipsorum exigentiam, pœnas varias infligendo. Et quia inter alia crimina hujusmodi eum in diversas incidisse notoriè percepimus hæreses, ipsum hæreticum, ac pœnas inflictas per jura talibus, declaravimus incurrisse. Universis tam personis singularibus ecclesiasticis & sæcularibus cujuscumque conditionis, ordinis, dignitatis, status vel gradus existerent, etiamsi pontificali, regali, vel quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate fulgerent, quàm communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris & villis, excommunicationis in personas singulares, interdicti in communitates, universitates, civitates, castra & villas; nec non privationis privilegiorum apostolicorum & imperialium ac feudorum, bonorum & honorum, jurium & officiorum quorumlibet, quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio quomodolibet obtinerent; aliisque diversis tam spiritualibus quàm temporalibus pœnis & sententiis inhibentes tunc nihilominùs & mandantes, ne præfato LUDOVICO parere, adhærere, aut eidem præstare directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumerent auxilium, consilium vel favorem. Sanè quia JACOBUS olim episcopus Castellanus, inhibitionibus & mandatis prædictis non obtemperans, sed ea potiùs damnabiliter in contemtum deducens, omissa cura gregis sibi commissi dominici, ad eumdem LUDOVICUM accedens, eidem, velut datus in sensum reprobum, contra Deum, & Ecclesiam sanctam suam, fidelesque suos, adhæsit, favit, eique multipliciter præstitit auxilia, consilia & favores. Nos præmissis, fama seu potius infamia divulgante publica, & multarum assertione sublimium personarum pleniùs intellectis, nolentes ea conniventibus oculis pertransire, præfatum JACOBUM, tam in ecclesia Castellana quàm domibus episcopalibus in quibus ipse morari consueverat, per publici propositionem edicti citari per nostras certi tenoris litteras fecimus, ut certo sibi tunc præfixo termino coram nobis personaliter compareret, super prædictis responsurus & facturus quod justitia suaderet: qui cùm in eodem termino minimè comparere curaverit, nos eum reputantes meritò contumacem, eum propter hoc excommunicationis sententia duximus innodandum. Et quia idem Jacobus cum dicto Ludovico in obsidione civitatis Pisanæ, & in eadem civitate post ipsius occupationem tyrannicam interfuit, eidem Ludovico suisque complicibus & fautoribus adhærendo, ac præstando auxilium, consilium & favorem, ipsumque sequendo, accessit ad Urbem circa coronationem & inunctionem, seu veriùs insaniam & execrationem ipsius, eidem assistendo & ipsum honorando, ac tamquam datus in sensum reprobum, & ingratus Romanæ Ecclesiæ, quæ ipsum Jacobum ad dignitatem episcopalem promoverat, adhærere, contra eamdem Ecclesiam continuè non verendo. Nos attendentes tunc quòd præmissa erant adeò notoria, quòd nulla poterant tergiversatione celari, memoratum Jacobum excommunicationis, & suspensionis ab officio & beneficio pœnas & sententias pronuntiavimus & declaravimus incurrisse: ac ipsum ab omni episcopali dignitate, ac episcopatu Castellano, & sacerdotali officio de fratrum nostrorum consilio privantes, ad quascumque dignitates & beneficia ecclesiastica obtinenda reddidimus inhabilem & indignum. Et quia Jacobus ipse de hæresis, schismatis, aliisque diversis criminibus per præmissa & alia vehementiùs reddiderat se suspectum, nos ipsum per edictum nostrum publicum, cùm ipse in sequela dicti Ludovici & complicum suorum existens, adiri non posset commodè, nec ad eum tutus patebat accessus, præsente multitudine copiosa fidelium, videlicet secundo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno duodecimo, de prædictorum fratrum consilio citavimus, ut infra Kalendas Julii tunc instantis proximò, se apostolico conspectui personaliter præsentaret, super fautoria hæreticorum, ac hæresis & schismatis aliisque criminibus quibus se repersum manifestè reddiderat, sententiam auditurus, ac

facturus & recepturus quod justitia suaderet; quem quidem terminum ad præmissa peremtorium eidem de fratrum ipsorum consilio præfigendum duximus & etiam assignandum: tunc apertiùs prædicentes eidem quod sive infra dictum terminum vel in eo compareret, aut non compareret, nos ad proferendam sententiam hujusmodi & alias contra ipsum absque citatione alia procedere, prout rationis existeret, & nobis videretur expediens, curaremus, sicut in processu nostro inde solemniter facto, & portis ecclesiæ Avenionensis affixo seu appenso, ac in diversis mundi partibus ex superabundanti de mandato nostro publicato solemniter, pleniùs continetur. Cùm autem præfatus Jacobus in eodem termino, vel etiam postea, de benignitate apostolica exspectatus, coram nobis non curaverit comparere, nos ipsum reputavimus & reputamus meritò contumacem, eumque propter hoc excommunicationis sententia innodamus. Et licet potuissemus in eodem termino ac adhuc possemus contra eum super dictis criminibus sententiam promulgare, volentes tamen adhuc eum de mansuetudine sedis apostolicæ amplius exspectare, ipsum hac præsente multitudine copiosa fidelium, per hoc edictum nostrum publicum, cùm ad eum adhuc inter rebelles & hostes Dei & Ecclesiæ ac cum ipsis conversantem, nequaquam tutus pateat accessus, citamus peremtoriè ut infra instans festum Ascensionis Domini exclusivè nostro conspectui personaliter se præsentet, super dictis criminibus sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suadebit, quem quidem terminum ad præmissa peremtorium eidem Jacobo de prædictorum fratrum consilio præfigimus & etiam assignamus: eidem apertiùs nihilominùs prædicentes, quòd sive infra prædictum terminum sive in eo comparuerit, sive non comparuerit coram nobis; nos ad proferendam sententiam hujusmodi & alias contra ipsum, prout rationis fuerit & expedire videbimus, absque citatione alia procedemus. Volumus autem auctoritate apostolica nihilominus decernentes, quòd processus & citationis edictum hujusmodi memoratum Jacobum adeò apprehendant & arctent, ac si dictus processus eidem præsentialiter intimatus & publicatus fuisset, quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices edita non obstante. Ut autem processus & citationis edictum hujusmodi, ad ejusdem Jacobi & aliorum quos processus ipse potest contingere notitiam deducantur, cartas seu membranas processum & citationem continentes eosdem in majoris ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum & citationem eosdem suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quòd dictus Jacobus & alii quos processus ipse contingit nullam possint excusationem prætendere vel ignorantiam allegare, quòd ad eos non pervenerit vel quod ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avenione secundo nonas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

PROCESSUS

Contra Johannem de Claromonte executoria.

JOHANNES, &c. Venerabilibus fratribus... Patriarchæ Gradensi, ejusque suffraganeis. Quemdam processum contra JOHANNEM de Claromonte olim comitem de MOACH nuper de fratrum nostrorum consilio fecimus, cujus tenor dinoscitur esse talis.


JOHANNES, &c. Ad futuram rei memoriam. Ad notitiam publicam dudum curavimus deducere sedulè, quomodo diversos processus successivè contra LUDOVICUM olim Bavariæ ducem in regem Romanorum electum discorditer, fecimus, per quos in diversa ipsum incidisse pronuntiavimus crimina, eidem juxta criminum ipsorum exigentiam pœnas varias infligendo. Et quia inter alia crimina hujusmodi, cum in diversas incidisse notoriè reperimus hæreses, ipsum hæreticum, ac pœnas inflictas per jura talibus, pronuntiavimus & declaravimus incurrisse, universis tam personis singularibus ecclesiasticis & sæcularibus cujuscumque conditionis, ordinis, dignitatis vel gradus existerent, etiamsi pontificali, regali, vel alia quacumque ecclesiastica vel temporali dignitate fulgerent, quàm communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris, & villis, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in communitates, universitates, civitates, castra & villas; nec non privationis privilegiorum apostolicorum & imperialium, ac feudorum, bonorum, honorum & officiorum ac jurium quorumlibet quæ à Romana vel quibusvis aliis ecclesiis seu imperio quomodolibet obtinerent, aliisque diversis tam spiritualibus quàm temporalibus pœnis & sententiis: inhibentes tunc nihilominùs & mandantes, ne præfato LUDOVICO adhærere, obedire, parere, aut eidem præstare directè vel indirectè, publicè vel occultè præsumerent auxilium, consilium vel favorem. Sanè quia JOHANNES de Claromonte olim comes de MOACH, qui comes de Claromonte nominabatur in Sicilia, inhibitionibus & mandatis nostris prædictis non obtemperans, sed ea deducens damnabiliter potiùs in contemtum, ad præsentiam dicti LUDOVICI tunc in civitate Pisana morantis, se cum quibusdam suis complicibus & sequacibus armigeris personaliter conferre præsumsit, & deinde cum eodem Romam accedens, ibidem cum ipso moram traxit, & tam sibi quam PETRO DE CORVARIO, tunc hæresiarchæ & schismatico manifesto in Urbe ac extra adhærendo publicè, ac præstando auxilium, consilium & favorem, eis obsequi & ipsorum obedire mandatis, eaque tenere, complere, & observare damnabiliter, nec non & à dicto PETRO de Corvario mareschalliæ officium recipere; & protali se publicè gerere, deinde ad Marchiam


Anconitanam, terram utique Romanæ Ecclesiæ pleno jure spectantem, infelices dirigens gressus suos, seque vicarium imperii pro dicto Ludovico, & rectorem dictæ Marchiæ pro dicto PETRO DE CORVARIO se nominans, Marchiam ipsam hostiliter aggredi, Dei timore postposito, non expavit; hæreticis ac schismaticis & rebellibus præbendo auxilium, consilium, & favorem, fidelesque ipsius Ecclesiæ unà cum hæreticis & schismaticis aliis ac ejusdem Ecclesiæ rebellibus immaniter persequendo: quæ adeò erant notoria, quòd nulla poterant tergiversatione celari; & de quibus etiam per depositiones fide dignorum testium constitit evidenter. Nos contra eumdem JOHANNEM propterea exigente justitia procedentes, eumdem fuisse ac esse hæreticorum fautorem, defensorem, receptatorem, ac publicum & notorium patrimonii & terrarum beati Petri & ejusdem Romanæ Ecclesiæ persecutorem & hostem, ipsumque tam auctoritate dictorum nostrorum processuum, quam propter fautoriam, defensionem, receptationem, & adhæsionem dictorum hæreticorum & schismaticorum, & alios suos detestandos excessus, fore diversis excommunicationis & pœnis aliis innodatum: omnesque pœnas & sententias tam in processibus supradictis latas & comminatas, quæ laïcalem concernebant personam, quàm contra fautores, auxiliatores, defensores & receptatores hæreticorum promulgatas à jure ac quibuscumque constitutionibus, incurrisse: ipsumque omni honore, dignitate, ac titulo comitatus de *Moach*, sub dominio Ecclesiæ vel imperii existentis mediatè vel immediatè, & specialiter terra vel baronia seu baroniis quas habebat in Sicilia, scilicet in castro *Kaccavi* vulgariter nuncupato ac omnibus castris, villis, locis, bonis, possessionibus, privilegiis, indulgentiis, juribus, jurisdictionibus, & honoribus quibuscumque quæ ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut imperio in insula Siciliæ, aut quibusvis aliis locis seu partibus habebat vel obtinebat, aliis declaravimus de dictorum fratrum consilio & pronuntiavimus propter scelera sua & excessus suos fore privatum, ipsumque privavimus eisdem ad cautelam, nihilominùs & excommunicationis sententia duximus innodandum, quibuscumque, qui eidem tenebantur juramento fidelitatis astricti, per nos ab eodem juramento nihilominus absolutis. Et quoniam præfatus JOHANNES propter præmissa de hæresis & schismatis aliisque diversis criminibus fidem tangentibus catholicam vehementer reddiderat se suspectum, nos ipsum per edictum nostrum publicum sexto Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quarto decimo, præsente multitudine copiosa fidelium, peremtoriè citavimus, ut infra tunc instans festum Ascensionis Domini exclusivè se apostolico conspectui personaliter præsentaret, super eisdem criminibus justam sententiam auditurus, ac facturus & recepturus quod justitia suaderet. Quem quidem terminum ad præmissa peremtorium de prædictorum fratrum consilio assignandum du-

A ximus & etiam præfigendum: eidem tunc apertiùs prædicentes, quòd sive infra prædictum terminum vel in eo compareret, sive non compareret coram nobis, nos ad dictam proferendam sententiam & alias contra ipsum procederemus absque citatione alia, prout rationis existeret & expediens videremus, sicut in nostro processu facto solemniter super hoc, & portis ecclesiæ Avenionensis affixo seu appenso, ac de mandato nostro publicato, ex superabun-
B danti tam in eis quàm diversis aliis partibus, pleniùs continetur. Cum autem præfatus JOHANNES in eodem termino, vel etiam postea de benignitate apostolica exspectatus diutiùs, non comparere curaverit coram nobis, nos ipsum reputavimus meritò contumacem, eumque propter hoc excommunicationis sententiam declaravimus incurrisse. Et licet potuissemus in eodem termino & adhuc possemus super dictis criminibus, exigente justitia, proferre sententiam contra eum, volentes tamen
C si adhuc aliqua scintilla devotionis in eo forsan remanserit, quæ accenderetur in flammam illuminantem cor suum, ut à deviis hujusmodi recederet, & rediret ad gremium & unitatem Ecclesiæ, relictis erroribus, experiri, eum de sedis apostolicæ prædictæ mansuetudine, dictorumque fratrum consilio, providimus amplius exspectandum. Ideò quia ipsum præsente hac multitudine copiosa fidelium, per hoc edictum nostrum publicum, cùm ad eum utpotè inter inimicos & rebelles Ecclesiæ commorantem tutus accessus non pateat, citamus peremtoriè
D ut infra instans festum Ascensionis Dominicæ exclusivè, nostro conspectui personaliter se præsentet super dictis criminibus sententiam auditurus, & facturus & recepturus quod justitia suadebit. Quem quidem terminum ad præmissa peremtorium eidem de dictorum fratrum consilio præfigimus & etiam assignamus: eidem apertiùs prædicentes quòd sive infra dictum terminum vel in eo comparuerit, sive non comparuerit coram nobis, nos ad proferendam sententiam hujusmodi & alias contra ipsum,
E prout rationis fuerit & expedire videbimus, absque citatione alia procedemus. Volumus autem auctoritate apostolica nihilominùs decernentes, quòd processus & citationis edictum hujusmodi præfatum JOHANNEM adeò apprehendant & arctent, ac si dictus processus eidem præsentialiter intimatus & publicatus fuisset, quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices edita non obstante. Ut autem processus noster & citationis edictum hujusmodi ad ejusdem JOHANNIS de Claromonte & aliorum quos potest contin-
F gere, notitiam deducantur, cartas sive membranas processum & citationem continentes eosdem in prædictæ ecclesiæ Avenionensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ ipsos processum & citationem suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quòd dictus JOHANNES & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere vel ignorantiam allegare,

quòd ad eos non pervenerit vel quòd ignorarint eumdem, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo, &c. Datum Avenione secundo nonas Januarii, Pontificatus nostri anno xv.

Et licet processum eumdem januis ecclesiæ Avenionensis appendi, sicut in... continetur, fecerimus & affigi: volentes tamen ex superabundanti eum in illis partibus, ut pleniùs deducatur ad communem notitiam, publicari: fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus in virtute sanctæ obedientiæ districtiùs injungendo, quatenus dictum processum & contenta in eo per vos vel alium seu alios in Ecclesiis & locis vestrarum civitatum & diœceseon, de quibus vobis videbitur, exvulgarisando nihilominùs, clero & populo præsentibus, ut clariùs intelligantur ab omnibus, publicare curetis: facientes super publicatione hujusmodi publica confici instrumenta, per vos nobis postmodum fideliter transmittenda. Datum Avenione.... Pontificatus nostri anno quinto decimo.





REGISTRUM LITTERARUM APOSTOLICARUM,

TAM PATENTIUM, QUAM CLAUSARUM Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Innocentii Papæ sexti, quæ per ejus Cameram transierunt, anno sui Pontificatus nono editarum & compilatarum per magistrum Zenobium.

Ex ms. illustrissimi Domini Boherii in Senatu Divionensi præsidis.

LITTERÆ DE MENSE JANUARII.

EPISTOLA I.

Ad Angelum Tavernini civem Viterbiensem.

Ut Dominico de Campo-casseo canonico Januensi pecuniam ad transportandum frumentum necessarium tradat.



DILECTO filio Angelo Tavernini civi Viterbiensi patrimonii beati Petri in Tuscia pro nobis & Ecclesia Romana thesaurario, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nos dudum per alias nostras litteras dilecto filio Dominico de Campo-casseo canonico Januensi apostolicæ sedis nuncio dederimus in mandatis, quòd pro usu nostri hospitii & Romanæ curiæ transmittere ad nos certam quantitatem frumenti sollicitè procuraret, ipseque jam parato dicto frumento, & navigiis ad A illum deferendum, commissa sibi per nos ex defectu pecuniæ perducere non valeat ad effectum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Dominico vel procuratori suo eam quantitatem pecuniæ, de qua te requirendum duxerit, & eum pro dicto frumento credideris indigere, de pecuniis cameræ nostræ per te collectis & in antea colligendis statim tradas manualiter & assignes. Nos enim dicto Dominico absolvendi & quitandi te hiis B quæ sibi assignanda duxeris, per alias nostras litteras plenam concedimus potestatem. Tu ergo cum hujusmodi negotium nullam recipere debeat tarditatem, ita te promtum exhibeas in præmissis, quod de promta obedientia valeas apud nos meritò commendari. Datum Avenione nonas Januarii anno IX.

In eodem modo venerabili fratri Andreæ episcopo Ariminensi apostolicæ sedis nuntio *mutatis mutandis*.

EPISTOLA II.

Ad Dominicum de Campo-Casseo canonicum Januensem.

Ut accepta pecunia frumentum ad usum hospitii sui & Romanæ curiæ quantocius transferat.

Dilecto filio Dominico de Campo-Casseo canonico Januensi apostolicæ sedis nuntio, salutem & apostolicam benedictionem.

Ut commissa tibi dudum per nos super transmissione frumenti ad Romanam curiam pro usu hospitii nostri & dictæ curiæ celerius perduci per te valeat ad effectum, venerabili fratri nostro Andreæ episcopo Ariminensi apostolicæ sedis nuntio, & dilecto filio Angelo Tavernini civi Viterbiensi patrimonii beati Petri in Tuscia pro nobis & Romana Ecclesia thesaurario damus per alias nostras litteras in mandatis, quatinus eas pecuniæ quantitates de quibus eos requirendos duxeris, & te pro dicto frumento crediderint indigere, de pecuniis cameræ nostræ per eosdem collectis, & in antea colligendis, tibi tradant manualiter & assignent. Tu igitur circa hujusmodi expeditionem negotii ita te solicitum exhibeas, quod apud nos de negligentia, quæ in hoc damnosa nimium esse potest, minimè valeas reprehendi. Nos enim tibi eosdem thesaurarium & nuncium de pecuniis quas ab eisdem recipere te continget absolvendi plenius & quitandi plenam concedimus tenore præsentium potestatem: volumus autem quod de receptione hujusmodi duo confici facias consimilia publica instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum ad cameram nostram mittere non omittas. Datum Avenione nonas Januarii anno nono.

EPISTOLA III.

Ad patriarchas, archiepiscopos, &c.

Commendat eis Johannem de Carevale & Adamum Hectoris.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis & episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus, & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis, ipsorumque vice-gerentibus, capitulis quoque ac conventibus ecclesiarum & monasteriorum ipsorum, ceterisque personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, SS. Benedicti & Augustini & aliorum ordinum & domorum hospitalis sancti Johannis Jerosolymitani Beatæ Mariæ Theotonicorum, Calatravensis, & Humiliatorum magistris, prioribus, & præceptoribus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii Johannes de Carevale pro- A fessor in sacra pagina ordinis Prædicatorum & Adam Hectoris doctor legum transferre se habeant ad certas partes regni Franciæ, nos volentes ipsos cum familia & rebus suis in eundo, morando & redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram requirimus & hortamur attente, quatenus eosdem Johannem & Adam cum eundo, stando & redeundo, sicut præmittitur, per passus, terras & loca vestra transitum fecerint, benignè recommendatos habentes, B nullam eisdem & familiæ suis prædictis in personis vel rebus eorum inferatis injuriam vel offensam, nec ab aliis inferri quantum in vobis fuerit permittatis, sed eis potius de securo conductu, si à vobis illum petierint, sic liberè providere pro nostra & apostolicæ sedis reverentia studeatis, quod vestra possit ab inde apud nos devotio commendari. Datum Avenione nonis Januarii anno nono.

EPISTOLA IV.

C Ad Ludovicum electum Valentinensem.

Ut de quorumdam perversorum progressu eum certum faciat.

Dilecto filio Ludovico electo Valentinensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ea quæ nobis per tuas litteras & dilectum filium Ausonettum Fornerii domicellum nuncium tuum curavit tua discretio intimare, benignè audivimus & diligenter intelleximus: D tuam exinde plurimum diligentiam commendantes. Super eisdem autem informari continuò curabimus, & tu juxta solitam diligentiam tuam de occurrentibus circa societatem, immò perversitatem potius illam, de qua scribis, nostram informare conscientiam per tuas sæpius litteras & nuncios, prout opportunum & expediens fore videris non omittas, ac obviare quantum tibi fuerit ex alto concessum, ne perversorum hujusmodi malignari valeat iniquitas, aut per partes, per quas intendere videtur prosequi iter E suum. Super hiis autem à præfato nuncio tuo latore præsentium informationem poterit vivæ vocis ministerio eadem tua discretio recipere pleniorem. Datum Avenione VI. Idus Januarii anno nono.

EPISTOLA V.

Ad Mariam imperatricem Constantinopolitanam.

F *Ne sit sollicita quod Hugo de Lesignano ad officium senatoris Urbis vocatus nondam accesserit.*

Carissimæ in Christo filiæ Mariæ imperatrici Constantinopolitanæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Ne fortè maternus affectus te solicitam teneat ultra modum, ex eo quod dilectus filius nobilis vir Hugo de Lisignano natus tuus ad officium Senatoriæ Romanæ Urbis dudum per nos sibi commissum præsentialiter non accedit, serenitati tuæ duximus intimandum, quod cum

pridem idem Hugo de Romana curia arripuisset cum paternæ benedictionis gratia iter suum, recto tramite ad præfatum per nos sibi commissum officium profecturus: nos cum interim certæ novitates in vicinis partibus orirentur, eumdem natum tuum de medio jam cœpti itineris revocandum duximus, & in nostris cum comitiva sua obsequiis usque ad nostrum beneplacitum, non longi tamen, ut speramus, mora temporis retinendum. Quare de præmissis tua excellentia non miretur, super quibus venerabilis frater noster DURANDUS episcopus Bethleemitanus nuntius tuus lator præsentium, tuam conscientiam vivæ vocis oraculo poterit plenius informare. Datum Avenione VI. Idus Januarii anno nono.

EPISTOLA VI.

Ad septem reformatores, consilium, populumque Romanum.

Hugonem de Lesignano Senatorem Urbis apud se retinuisse.

Dilectis filiis . . . septem reformatoribus, consilio & populo Romano, salutem & apostolicam benedictionem.

Scire vos volumus, quod cum dilectus filius nobilis vir HUGO de Lisignano pridem recepta à nobis paternæ benedictionis gratia de Romana curia recessisset, ad suum Senatoriæ Urbis Romanæ officium per nos sibi commissum in statuto per nos sibi tempore viriliter inchoandum & fideliter prosequendum: ac noviter nonnullæ exortæ forent in vicinis partibus novitates; nos eumdem duximus de medio cœpti itineris revocandum, & cum comitiva sua usque ad modici, ut speramus, temporis spatium in nostris obsequiis retinendum. Quare si in præfixo sibi per nos tempore juxta expectationem vestram ad dictum officium non se conferat præsentialiter, ut debebat, vestra propterea discretio non miretur; sed in civili potius, ut debet, unitate persistens, quæ ad bonum pacis & favorem justitiæ opportuna fuerint, magnitudinis ac felicitatis antiquæ tantæ urbis non immemor, sollicitis studiis exequatur. Nam, duce Domino, idem HUGO prosequi valebit infra brevis moram temporis iter suum. Super hiis autem venerabilis frater noster episcopus Bethleemitanus universitatem vestram poterit vivæ vocis oraculo plenius informare. Datum *ut supra*.

EPISTOLA VII.

Ad Johannem de Aredia castellanum Empostæ.

Ut ad se accedat.

Dilecto filio Johanni de Aredia castellano Empostæ ordinis sancti Johannis Jerosolymitani, salutem apostolicam & benedictionem.

Cum pro certis negotiis per te in nostris obsequiis fideliter & sollicitè sine moræ dispendio exequendis præsentia tua nobis opportuna plurimum fore noscatur, discretionem tuam requirimus & hortamur, nihilominus mandantes, ac in virtute obedientiæ districtiùs injungentes eidem, quatenus abjectis per te excusationibus, quas numquam in similibus prætendisti, receptis præsentibus te accingas ad iter, & ad nostram recto tramite te cures conferre præsentiam indilatè, mandata nostra hujusmodi tam promta obedientia suscepturus, quod super hiis, cum id graviter pateremur, aliter rescribere non sit opus. Datum Avenione V. Idus Januarii anno nono.

Facta est littera de securo conductu dilecto filio Simoni de Toron. capellano nostro misso ad carissimum in Christo filium nostrum PETRUM regem Aragonum illustrem pro certis negotiis per nos sibi commissis, &c. *ut in forma* sub data Avenione V. Idus Januarii anno nono.

EPISTOLA VIII.

Ad Philippum ducem Burgundiæ.

Ut hostibus ecclesiæ transitum per terras suæ ditionis non concedat, immò adversus eos se viriliter accingat.

Dilecto filio nobili viro PHILIPPO duci Burgundiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum noviter certæ gentes armigeræ in sensum datæ reprobum, nec Deum timentes, nec sedi apostolicæ deferentes, se ad certa loca Romanæ curiæ proxima, in suo gradientes malignitatis spiritu, contulissent: nos de fide, strenuitate, ac rei militaris consilio dilecti filii nobilis viri Johannis de Ria senescalli Burgundiæ specialem fiduciam obtinentes, ad exequenda nonnulla per nos sibi commissa negotia, in nostris ipsum decrevimus obsequiis pro tempore remanere, prout hæc plenius minimè dubitamus perducta jam pridem ad tuam fore notitiam per eumdem. Nunc autem cum, sicut audivimus, nonnulli alii filii iniquitatis per partes tuas transire procurent, & cum præfatis gentibus congregari ad malignandum similiter cum eisdem; nos senescallum ipsum ad tuam duximus præsentiam remittendum, nobilitatem tuam rogantes, & exhortantes attentiùs, quatenus ad impediendum quoscumque sic transire volentes per partes tuæ ditioni subjectas, & ad eorum confundendam superbiam, & tam temerariæ præsumtionis audaciam extendas favorabiliter ac efficaciter vires tuas, senescallum prædictum cum se commodius facultas obtulerit, ad nostram præsentiam remissurus. Ceterum scire te volumus, quod licet hujus gentis iniquitas, cujus detestanda facinora inserere præsentibus longum esset, severioris rigorem judicis expetere videretur, nos tamen pii patris more eosdem nostris monitis & præceptis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & castrum sancti Spiritus Uticensis diocesis Romanæ curiæ vicinum, quod per eos captum more prædonico detinetur

detinetur, liberum dimitterent, & de cetero à talibus excessibus abstinerent: alioquin contra eos & eorum sequaces & complices spiritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde confecto plenius continentur. Ipsi verò in sua magis nequitia perdurantes, malis pejora accumulare satagunt contra nos & Romanam curiam, &, ut verbis eorum utamur, contra totam christianitatem nequiter comminando. Propter quod nos hujusmodi præsumtionis audaciam tolerare ulterius non volentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta, & dantes eisdem in iis auxilium, consilium vel favorem coram nobis & venerabilibus fratribus nostris Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, & magna prælatorum & nobilium multitudine copiosa prædicari fecimus publicè verbum crucis, illudque similiter per partes diversas fidelium mandavimus per alias nostras litteras prædicari, devotos Christi fideles ad hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum, spiritualibus indulgentiis & gratiæ apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Tu itaque, fili dilecte, attentè considerans ignominiam, quam hujusmodi malignatores præfatæ ecclesiæ, nec non & tibi & ducatui tuo, & ut illi aiunt toti christianitati inferre conantur, ad confringenda cornua superbiæ eorum adeò dexteram tuæ potestatis extendas, quod tamquam pugil & athleta Domini apud Deum crescas meritorum cumulo, apud nos & sedem prædictam gratia, & apud fidelium populos famæ præconio clarioris. Formam autem indulgentiarum quibus Christi fideles ad insurgendum viriliter contra prædictos & eorum sequaces & complices, ac dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem invitandos duximus, interclusa præsentibus cedula reserabit. Datum Avenione IV. Idus Januarii anno nono.

EPISTOLA IX.

Ad Guillelmum de Verzerio Dominum de Mirabello Delphinatus gubernatorem.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro Guillelmo de Verzerio Domino de Mirabello militi, gubernatori Delfinatus pro dilecto filio nobili viro Carolo duce Normandiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus nonnulli iniquitatis filii ad conveniendum cum certis armigeris gentibus nobis & Romanæ curiæ vicinis, quas in societatem, immò perversitatem unam congregavit iniquitas, & ad malignandum cum eis similiter se accingant; nobilitatem tuam attentè requirimus & hortamur, quatenus tamquam honoris sedis apostolicæ zelator assiduus & devotus, adversus gentes hujusmodi per terras & loca tuo regimini & gubernationi commissa, ne convenire cum prædictis malignatoribus valeant, te solicitum exhibeas & pro viribus diligentem. Ceterum scire te volumus quod licet hujusmodi gentis iniquitas, cujus detestanda facinora *&c. ut in superiori usque* invitantes. Hæc itaque nobilitati tuæ intimare curavimus, ut ad confringenda hujusmodi superborum tam temerariè elata cornua adeò te favorabilem exhibeas, quod zelum quem ad nos, & Romanam geris ecclesiam, tui favoris & auxilii operibus manifestans, apud Deum crescas meritorum cumulo, apud nos & sedem præfatam gratia, & apud Christi fideles extolli valeas famæ præconio clarioris. Formam autem, &c. *ut supra usque in finem.*

EPISTOLA X.

Ad Amedeum comitem Sabaudiæ.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus, *&c. usque* terras & loca tuæ jurisdictioni subjecta, *&c. usque* diligentem. Cæterum scire te volumus, *&c. usque* invitantes. Tu itaque, fili dilecte, attentè considerans ignominiam quam hujusmodi malignatores præfatæ Ecclesiæ inferre conantur, ad confringenda cornua superbiæ eorum adeò dexteram tuæ potestatis extendas, quod tamquam pugil & athleta Domini apud Deum crescas meritorum cumulo, & apud nos gratia, & apud fidelium populos famæ præconio clarioris. Super hiis autem dilectus filius Ansoncetus Fornerii lator præsentium nobilitatem eamdem poterit vivæ vocis oraculo plenius informare. Formam autem, *&c. usque in finem.*

EPISTOLA XI.

Ad Elienoram reginam Aragonum.

Ut regem promtum reddat exequendis iis quæ ipsi per Simonem de Torono mandat.

Carissimæ in Christo filiæ Elionoræ reginæ Aragonum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nos ad carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem, & ad tuam præsentiam dilectum filium Simonem de Torono capellanum nostrum latorem præsentium per nos plenariè informatum super certis negotiis nostrum & Romanæ Ecclesiæ ac regis ipsius honorem tangentibus, per latorem ipsum eidem regi ac tibi vivæ vocis oraculo exponendis, præsentialiter destinemus, excellentiam tuam rogamus attentè, quatenus data per te fide plenaria relatibus latoris ejusdem, apud regem præfatum, ut se in hujusmodi exponendis promtum & favorabilem exhibeat interponere velis efficaciter partes tuas. Datum Avenione III. Idus Januarii anno nono.

Dilecto filio nobili viro Bernardo de Cappraria militi; salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nos, *&c. ut supra usque* illustrem dilectum filium, *&c. mutatis mutandis usque in finem.*

LITTERÆ DE MENSE FEBRUARII ANNO NONO.

EPISTOLA XII.

Ad Johannem regem Francorum.

Hortatur regem ut societates malignantium in regno suo compescat.

CArissimo in Christo filio JOHANNI regi Franciæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem per nostras litteras execrabilis admodum & novæ temeritatis audaciam nonnullorum sceleratorum hominum, quos in societatem unam, immò perversitatem potius congregatos, adeò occœcavit iniquitas, ut per campum malignitatis temerariæ præsumtionis superbiam gradientes, nec districti judicis vereri sententiam, nec deferre sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sedi apostolicæ videantur, ad tuæ serenitatis notitiam duximus perferendam, serenitatem eamdem rogantes attentè, quatenus ad confringenda cornua talium perversorum tuum impendere studeres auxilium, consilium & favorem. Ceterum, ut deinde hujusmodi malignantium obstinata temeritas tibi apertiùs innotescat, scire te volumus quod licet ipsorum iniquitas, quorum detestanda facinora inserere præsentibus longum esset, severioris rigorem judicis expetere videretur, nos tamen pii patris more eosdem nostris monitis & præceptis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & villam de Sancto-Spiritu Uticensis diocesis, quæ de regno Franciæ & sub tuo existit dominio, Romanæ curiæ vicinam, quam illi captam detinent, & more prædonico nequiter occupatam, liberam dimitterent, & de cetero à talibus excessibus abstinerent; alioquin contra eos & eorum sequaces & complices spiritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde confectò plenius continentur. Ipsi verò in sua magis nequitia perdurantes, & malis pejora accumulare continuò satagentes, contra nos & Romanam curiam, &, ut verbis eorum utamur, contra totam christianitatem nequiter comminando, ac patientiam nostram in eorum superbiam convertendo. Propter quod nos hujusmodi obstinatam nequitiam tolerare ulterius non valentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta, & dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem, coram nobis & venerabilibus fratribus nostris Romanæ Ecclesiæ cardinalibus & prælatorum & nobilium multitudine copiosa proponi fecimus publicè verbum crucis, illudque similiter per partes diversas fidelium mandavimus per alias nostras litteras prædicari, devotos Christi fideles ad hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum spiritualibus indulgentiis & gratiosis apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Tu itaque, fili carissime, attentè considerans ignominiam quam hujusmodi malignatores præfatæ Ecclesiæ, nec non & tibi, ac regno tuo, &, ut illi aiunt, toti christianitati inferre conantur, ad confringenda hujusmodi superborum tam temerariè elata cornua, laudabilia progenitorum tuorum imitando vestigia, adeò dexteram tuæ potestatis extendas, quod tamquam pugil & athleta Domini apud Deum crescas meritorum cumulo, apud nos & sedem prædictam gratia, & apud fidelium populos, quorum negotium tangitur, famæ præconio clarioris. Postremò cum, sicut multorum relationibus fide dignis accepimus, quædam aliorum perversorum hominum societas longè major de diversis regni tui ac nonnullis partibus insurrexerit, & ad conveniendum ac malignandum similiter cum prædictis, Dei timore postposito, se accingat, excellentiam regiam attentiùs deprecamur, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, & pro tui honore culminis, ad delendum funditus societatem hujusmodi malignantium, qui jam in præfato regno regiæ magnitudinis judicium non verentes, ut præmittitur surrexerunt, favorabiliter exeras tuæ brachium potestatis, & præter hæc ne per passus & loca tuæ subjecta magnitudini transire officiales tuos in dictis passibus & locis consistentes, Regiis præveniendo mandatis, & aliter prout videris expedire, ad conveniendum cum prædictis malignatoribus valeant, ac etiam ne de cetero in subjectis tibi partibus talium hominum complicitates seu confœderationes insurgant, providè obstando principiis, quibus antequam crescant facilius obvietur, te sollicitum exhibere studeas, & dare pro viribus operam diligentem. Formam autem indulgentiarum quibus præfatos Christi fideles ad insurgendum viriliter contra prædictos qui in dicta villa S. Spiritus convenerunt, & eorum sequaces & complices ac dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem invitandos duximus, interclusa præsentibus cedula reserabit. Datum Avenione XVI. calendas Fabruarii anno nono.

EPISTOLA XIII.

Ad cives Ebredunenses.

Ut arma assumant adversus iniquas societates malignantium.

DIlectis filiis universitati civitatis Ebredunensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut ad vestram notitiam potuit rumor horribilis, & vestris, ut credimus, infestus auribus perduxisse, nonnulli iniquitatis filii, quos de diversis nationibus in societatem, imò perversitatem unam congregavit impietas ad turbationem communis commodi & tranquillitatis & pacis Christi fidelium temerariis ausibus intendentes, post perpetrata per eos scelera

plurima, versus civitatem Avenionensem, in qua nos cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus & Romana curia præsentialiter residemus, noviter accesserunt, & locum de S. Spiritu Uticensis Diocesis propè curiam ipsam situatum in ripa fluminis Rodani, per quem mercimonia ac victualia plurima eidem curiæ necessaria ac opportuna etiam deferuntur, more prædonico & hostili capere præsumserunt, ipsumque captum detinent hostiliter occupatum, nec districti judicis verendo sententiam, nec sedi apostolicæ B deferendo. Nos autem licet hujusmodi malignantium iniquitas, quorum detestanda facinora, quæ in aliis nostris litteris seriosius exprimuntur, inserere præsentibus longum esset, severioris rigorem judicis expetere videretur. Illius tamen sequendo vestigia, qui quos vocat ad pœnitentiam patienter exspectat, ac pii more patris, qui non quærit mortem filiorum aberrantium, sed salutem, eosdem nostris monitis & mandatis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & C locum prædictum liberum dimitterent, & de cetero à talibus excessibus abstinerent; alioquin contra eos spiritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde habito pleniùs continentur. Ipsi verò in eorum nequitia obstinatius persistentes, nullisque nostris emolliti monitis, nec præceptis salutaribus immutati, pejora post hæc malis adjungere minimè formidarunt, prout etiam continuò non formidant: sed contra nos & dictam curiam, &, ut verbis ipsorum utamur, contra D universam christianitatem nequiter comminando, & nostram isto modo patientiam in eorum superbiam convertendo, propter quod nos hujusmodi præsumtionis audaciam tolerare ulteriùs non valentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta, & dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem, coram nobis & dictis fratribus nostris & prælatorum ac nobilium multitudine copiosa, proponi fecimus publicè verbum crucis, illudque similiter per partes universas fidelium mandavimus per alias nostras litteras prædicari devotos Christi fideles ad hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum spiritualibus indulgentiis & gratiosis apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Eia ergò, Christi fideles & Romanæ Ecclesiæ ac sedis apostolicæ devoti filii, ad confringenda cornua superbiæ malignantium prædictorum vos ipsos viriliter præparate adversùs perversitatem ipsorum, tam salutarem quam gloriosam militiam assumentes accingimini, & ad retundendos hujus impiæ gentis impetus, prout unicuique Dominus inspiraverit, sive in propriis militando personis, sive ad hujusmodi prosecutionem negotii pro se personas alias destinando, sive juxta singulorum facultates vestra ministrando subsidia, suam quisque pro virili parte hujusmodi benedictionis & gratiæ accipiant portionem, ut sic Dei negotium agentes, pro brevi labore permutatione consulta terrena pro cœlestibus commutetis.

A Datum Avenione xvi. calendas Februarii anno nono.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Dignensis, salutem & apostolicam benedictionem.

In eodem modo, *&c. ut supra Nicensi, Grassensi, Glandecensi, Senecensi, Bisuntinensi, Basileensi, Lausanensi, Bellicensi, Vasionensi, Tricastrinensi, Montis-Albani, Conseranensi, Tholosanensi, Rivensi, Appamiensi, Convenarum, Narbonensi, Carcassonensi, Tarbiensi, Vasatensi, Bajonensi, Lascurrensi, Adurensi, Lomberiensi, Vaurensi, Tarantasiensi, Sedunensi, Augustensi, Viennensi, Valentinensi, Vivariensi, Lugdunensi, Æduensi, Matisconensi, Cabilonensi, Lingonensi, Lectorensi, Auxitanensi, Aquensi, Massiliensi, Montis-Pessulani, Magalonensi, Gebennensi, Gracianopolitanæ, Vinciensi, Arelatensi, Tolonensi, Carpentoratensi, Cavallicensi, Auraicensi, Caturcensi, Lemovicensi, Tutelensi, Mimatensi, Albiensi, Castrensi, Aniciensi, Vabrensi, Ruthenensi, Sancti Flori, Claromontensi, Bituricensi, Burdegalensi, Pictavensi, Xantonensi, Engolismensi, Petragoricensi, Aquensi, Aptensi, Regensi, Forojuliensi, Vapincensi, Sistaricensi*, salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA XIV.

Ad Carolum ducem Normanniæ.

Ut adversus iniquas societates se accingat, nec liberum per terras suas eis transitum permittat.

Dilecto filio nobili viro Carolo duci Normanniæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad tuam notitiam rumor horribilis & tuis implevit auribus perduxisse, qualiter nonnulli iniquitatis filii, quos in societatem, immò potiùs perversitatem unam congregavit improbitas, post perpetrata scelera plurima, villam de Sancto-Spiritu Uticensis diocesis in E regno Franciæ existentem, & Romanæ curiæ vicinam occuparunt hostiliter, & adhuc detinent more prædonico occupatam. Ceterum scire te volumus quòd licet hujusmodi nequitia malignantium, quorum detestanda facinora inserere præsentibus longum esset, severioris rigorem judicis expetere videretur: nos tamen pii patris more, eosdem nostris monitis & præceptis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & villam præfatam liberam dimitterent, & de cetero à F talibus excessibus abstinerent: alioquin contra eos & eorum sequaces & complices spiritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde confecto pleniùs continentur. Ipsi verò in sua magis nequitia perdurantes, & malis pejora accumulare, nostram patientiam in suam convertendo superbiam satagentes, contra vos & Romanam curiam, & ut verbis eorum utamur contra totam christianitatem nequiter comminantur,

propter quod nos hujusmodi præsumtionis audaciam tolerare ulteriùs non valentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta & dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus & prælatorum ac nobilium multitudine copiosa prædicari fecimus publicè verbum crucis, illudque similiter per partes diversas fidelium mandavimus per alias nostras litteras prædicari, devotos Christi fideles ad B hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum spiritualibus indulgentiis & gratiosis apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Hæc itaque nobilitati tuæ intimare curavimus, ut ad confringenda hujusmodi superborum tam temerariè elata cornua, adeò te favorabilem exhibeas, quod zelum quem ad nos & Romanam geris ecclesiam, tui favoris & auxilii operibus manifestans, apud Deum crescas meritorum cumulo, & apud nos & sedem præfatam gratia, & apud Christi fideles, quorum negotium agitur, extolli valeas famæ præconio clarioris. C

Postremò cum sicut accepimus multorum relationibus fide dignis, quædam aliorum perversorum hominum societas longè major de diversis regni Franciæ, & nonnullis aliis partibus insurrexerit, & ad conveniendum ac malignandum similiter cum prædictis, Dei timore postposito, se accingat, nobilitatem tuam attentè requirimus & hortamur, quatenus tamquam honoris sedis apostolicæ, progenitorum tuorum imitando vestigia, ac tui & regni præfati quietis & pacis zelator, adversus tales pro D viribus tuis insurgas, & ne per passus & loca ipsius regni seu alia tuæ ditioni subjecta transire ad conveniendum cum prædictis malignatoribus valeant, te solicitum exhibere studeas, & dare pro viribus operam diligentem. Formam autem indulgentiarum quibus Christi fideles ad insurgendum viriliter contra prædictos & eorum sequaces & complices, ac dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem invitandos duximus, interclusa præsentibus ce- E dula reserabit. Datum Avenione XVI. calendas Februarii anno nono.

In eodem modo dilecto filio nobili viro Philippo duci Turonensi salutem.

EPISTOLA XV.

Ad Johannem comitem Armaniaci.

IN eodem modo, *dilecto filio nobili viro Johanni comiti Armaniaci usque* sedis Apostolicæ, ac tui & regni præfati, *&c. usque* diligentem. Nostris F hoc adjicientes precibus, tibique in redemptore omnium paternis affectibus suadentes, quatenus depositis odiis, & guerrarum fremitibus inter te & dilectum filium virum GASTONEM comitem Fuxensem faciente hoste humani generis exortis, tuas potius vires & favores extendas circa hoc tam salubre negotium, in quo per te gratum proculdubio sacrificium offeretur Domino, & famæ tuæ gloriosius consuletur, for- A mam autem *usque in finem, &c.*

In eodem modo dilecto filio nobili viro Gastoni comiti Fuxensi *mutatis mutandis.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Hugoni de Vienna Domino sanctæ Crucis. Potuit &c. *ut in prima usque* sedis apostolicæ ac tui, *&c. ut in eadem usque in finem.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Henrico comiti Montisbeliardi, Jacobo de Sabaudia militi, Domino de Camera vice-comiti Maurianensi, Domino de Intermontibus, comiti de Alanconio, Johanni de Artesio, comiti Augi, comiti sancti Pauli, comiti Stamparum, Morello de Fiemnensi Marescallo Franciæ, Ludovico comiti Flandrensi, comiti Autissiodorensi, comiti de Sanserra, comiti de Tancarvilla, comiti de Ventandor, comiti de Blaghiaco, domino de Crao, Domino Bellimontis, Amedeo comiti Gebennensi.

EPISTOLA XVI.

Ad Johannem filium Johannis comitis Armaniaci.

Ut patrem inducat ad pacem cum Fuxi comite firmandam.

DIlecto filio nobili viro Johanni nato dilecti filii nobilis viri Johannis comitis Armaniaci, salutem & apostolicam benedictionem.

Noverit tua nobilitas quod dilecto nobili viro Johanni comiti Armaniaci patri tuo scribimus noviter juxta formam, quæ tibi ex interclusa præsentibus cedula plenius innotescet. Te itaque, dilecte fili, rogamus & hortamur attentè, quatenus te in hiis de quibus eidem patri tuo scribimus solicitum exhibens, & pro viribus diligentem, ad id præcipuè pro nostra & apostolicæ sedis reverentia totis mentis affectibus & studiis tuis intendas, quod idem comes pater tuus animum ad reformandam inter ipsum, & dilectum filium nobilem virum GASTONEM comitem Fuxensem pacem & concordiam benignius se inclinet. Jam enim tempus est ut deponantur odia, ex quibus tam animarum quam corporum pericula provenerunt plurima, & provenire, nisi in locum discordiæ pax succedat, continuò non desistunt. Jam tempus ut ad meliora prosequenda negotia exurgat animus, illis favorabiliter intendendo obsequiis, ex quibus proculdubio apud Deum æternæ retributionis speranda sunt præmia, & apud Christi fideles famæ præconia clarioris. Sic igitur se solicitam exhibere studeat tua nobilitas in præmissis, quod tamquam verus genitus genitoris tui salutem & honorem diligens eumdem ad prædictam in filiali reverentia salutaribus inducas consiliis, & eum ad illa prosequenda, in quibus gloriosius exerceri valeat, exhortationibus tuis accendas. Datum Avenione XV. calendas Februarii anno nono.

A

EPISTOLA XVII.

Ad episcopum Aniciensem.

Ut litteras suas Armaniaci & Fuxensi comitibus exhibeat, eosque ad pacem inducat.

VEnerabili fratri... episcopo Aniciensi, salutem & apostolicam benedictionem. B

Noverit tua fraternitas, quod dilectis filiis nobilibus viris JOHANNI comiti Armaniaci & GASTONI comiti Fuxensi, quasdam destinamus litteras in forma quam jussimus præsentibus intercludi. Volumus itaque, & eidem fraternitati tuæ mandamus, quatenus litteras easdem alligatas præsentibus præfatis comitibus sublata mora qualibet præsentes sollicitè & assignes, & eosdem juxta datam tibi à Deo prudentiam, quibus convenire videris, ad pacem inter ipsos & stabilem concordiam reformandam, exhortationibus tuis inducens, eis apertiùs demonstrando instare jam tempus, in quo vires, consilia, & strenuitatem ipsorum in Dei obsequiis & communi commodo valeant, animabus suis salubriter consulentes, gloriosius exercere; ipsisque faciens negotia ipsa quæ eis intimanda duximus, efficaciter commendata. Datum Avenione xv. calendas Februarii anno nono. C

D

EPISTOLA XVIII.

Ad Johannem episcopum Gurcensem.

Ut ducem Austriæ inducat ad ea de quibus ipsi scribit.

VEnerabili fratri JOHANNI episcopo Gurcensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Noverit tua fraternitas, quod dilecto filio nobili viro RODULPHO duci Austriæ nostras certi tenoris litteras præsentialiter destinamus, quarum copiam ad pleniorem informationem tuam mittimus præsentibus interclusam. Quocirca fraternitatem eamdem, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, requirimus & hortamur attentè, quatenus juxta prudentiæ tuæ abundantiam, super hiis quæ in dicta cedula videbis contineri, ducem præfatum velis informare plenariè, & eumdem ad ea efficaciter prosequenda, quæ in dictis nostris litteris continentur, prout attenta ejus devotione, quam ad nos & Romanam gerit Ecclesiam, spem de ipso indubiam gerimus, tuis suasionibus exhortari, ac penes eum intendere, prout opportunum fore videris, consiliis & intercessionibus opportunis: taliter tuam adhibiturus diligentiam in præmissis, quod apud nos & sedem apostolicam venias, digno laudum præconio commendandus. Datum Avenione x. calendas Februarii anno nono. E F

EPISTOLA XIX.

Ad Johannem Buccanigrum ducem Januensem.

Ut adversus pravas in Ecclesiam confœderationes se accingat.

DIlectis filiis nobili viro Johanni Buccanigro Duci & universitati civitatis Januensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut ad vestram notitiam potuit rumor horribilis, & vestris ut credimus, infestus auribus perduxisse, nonnulli iniquitatis filii, quos de diversis nationibus in societatem, immò potiùs perversitatem unam congregavit impietas ad turbationem communis commodi & tranquillitatis & pacis Christi fidelium, temerariis ausibus intendentes, post perpetrata per eos scelera plurima, & illata ecclesiis & ecclesiasticis aliisque personis sexui vel ætati aut honori, dignitati, vel ordini non parcendo gravia damna, injurias, & offensas, versus civitatem Avenionensem, in qua nos cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, & Romana curia præsentialiter residemus, noviter accesserunt, & locum de S. Spiritu Uticensis Diocesis propè curiam ipsam situatum in ripa fluminis Rodani, per quem consueverant mercimonia & victualia plurima eidem curiæ necessaria ac opportuna deferri, more prædonico & hostili expugnarunt nequiter & ceperunt, in virgines & moniales & matronas nonnullas dicti loci, læso decore pudicitiæ, turpiter sævientes, ipsumque locum captum adhuc detinent, & hostiliter occupatum, quodque in non parvum redundat nostrum & dictæ sedis improperium & offensam, nostrum & ipsius ecclesiæ comitatum Venaisini discurrere hostiliter, & in eo prædas & rapinas facere præsumserunt, & continuo in sua occœcati temeritate præsumere amplius non desistunt, nec districti judicis verendo sententiam, nec sedi apostolicæ deferendo. Nos autem licet hujusmodi malignantium iniquitas, quorum detestanda facinora, quæ in aliis nostris litteris seriosiùs exprimuntur, inserere præsentibus longum esset, severioris rigorem judicis expetere videretur; illius tamen sequendo vestigia, qui quos vocat ad pœnitentiam patienter exspectat; ac pii more patris, qui non quærit mortem filiorum aberrantium, sed salutem, eosdem nostris monitis & mandatis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & locum prædictum liberum dimitterent, & de cetero à talibus excessibus abstinerent, alioquin contra eos spritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde confecto pleniùs continentur. Ipsi verò in eorum nequitia obstinatius persistentes, nullisque nostris emolliti monitis, nec præceptis salutaribus immutati, pejora post hæc malis adjungere minimè formidarunt; prout etiam continuò non formidant, contra nos & dictam

curiam, & ut verbis eorum utamur, contra universam christianitatem nequiter comminando, & nostram isto modo patientiam obstinata contumacia contemnendo: propter quod nos hujusmodi præsumtionis audaciam tolerare ulterius non valentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta & dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem, coram nobis & venerabilibus fratribus nostris & prælatorum ac nobilium multitudine copiosa proponi fecimus publicè verbum crucis, illudque similiter per nonnullas Christi fidelium provincias mandavimus per alias nostras litteras prædicari, fideles eosdem ad hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum spiritualibus indulgentiis & gratiosis apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Hæc itaque, dilecti filii, vobis intimanda duximus, ut sentientes quia Dei negotium agitur in præmissis ad confringenda hujusmodi superborum tam temerariè elata cornua adeò vos exhibere favorabiles studeatis, quod zelum quem ad nos & Romanam ecclesiam geritis, nostri favoris & auxilii efficacia demonstrantes, ac si pro brevi labore felici commercio, terrena pro cœlestibus commutantes, apud Deum crescere meritorum cumulo, apud nos & sedem præfatam gratia, & apud Christi fideles extolli famæ clarioris præconio valeatis. Super præmissis autem & nonnullis aliis nobis pro parte nostra vivæ vocis oraculo exponendis, dilectum filium Leonem de Jovis magistrum hostiarium & domicellum nostrum ad vestram præsentiam duximus destinandum: cui super hiis quæ ipse vobis exposuerit, dare velit vestra devotio plenam fidem. Formam autem indulgentiarum quibus eosdem Christi fideles invitandos duximus ad pleniorem informationem vestram interclusa præsentibus cedula reserabit. Vos igitur animos vestros ad præmissa viriliter præparate & in spiritu devotionis accingite, ut pro vestris obsequiis, quæ pro honore Dei & favore dictæ Ecclesiæ, ac Christi fidelium commodis, & vestrarum animarum salute ad hujusmodi prosequendum negotium favorabiliter impendenda duxeritis, ut speramus, reposita esse vobis in cœlo divina præmia sentiatis. Datum Avenione x. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XX.

Ad Carolum imperatorem Romanorum.

Ejusdem argumenti.

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto ac Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut læta, quæ nobis & sedi apostolicæ, Deo miserante, proveniunt, ad tuæ serenitatis notitiam promtis expectas auribus & jocunda mente perferri; ita & illa in quibus nos & eadem sedes non immeritò perturbamur fore convenienș arbitramur tuæ celsitudini referari: ut utriusque sortis nobiscum particeps, quemadmodum in devotione fidelium erga nos & sedem præfatam gaudes & exultas, ita & adversus rebelles tamquam pugil & athleta Domini pro tuæ dignitatis magnitudine remedia debita provisionis apponas. Sanè habet unde perturbari valeat Romana mater Ecclesia in nonnullis per devia scelerum aberrantibus iniquitatis filiis, quos ipsa intra fidei gremium & suorum claustra fidelium enutrivit. Surrexerunt enim noviter quidam viri nequam, Belial filii & perditionis alumni, quos post pacem inter carissimos in Christo filios nostros Johannem Franciæ & Eduvardum Angliæ reges illustres, providente Domino, reformatam, de diversis partibus in societatem, immò potiùs perversitatem unam congregavit impietas, rapto vivere & aliorum bonis rapinis & sceleribus perfrui temerariè cupientes, qui ad turbationem communis commodi & tranquillitatis & pacis Christi fidelium temerariis ausibus intendentes, post perpetrata per eos scelera plurima & illata ecclesiis & ecclesiasticis aliisque personis sexui, vel ætati, aut honori, dignitati vel ordini non parcendo, gravia damna, injurias & offensas versus civitatem Avenionensem, in qua nos cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus & Romana curia præsentialiter residemus, noviter accesserunt, & locum de Sancto-Spiritu Uticensis diocesis prope curiam ipsam situatum in ripa fluminis Rodani, per quem consueverant mercimonia ac victualia plurima eidem curiæ necessaria ac opportuna deferri, more prædonico & hostili capere præsumserunt, in virgines ac moniales & matronas nonnullas dicti loci, læso decore pudicitiæ, sævientes, ipsumque locum captum detinent, & hostiliter occupatum; quodque in non parvum redundat nostrum & dictæ sedis improperium & offensam, nostrum & ipsius ecclesiæ comitatum Venaisini discurrere hostiliter & in eo prædas & rapinas facere præsumserunt, & continuò in sua occœcati temeritate præsumere amplius non desistunt, nec districti judicis verendo sententiam, nec sedi apostolicæ deferendo. Nos autem licet hujusmodi malignantium iniquitas, quorum detestanda facinora, quæ in aliis nostris litteris seriosius exprimuntur, inserere præsentibus longum esset, sæverioris rigorem judicis expetere videretur: illius tamen sequendo vestigia, qui quos vocat ad pœnitentiam, patienter expectat; ac pii more patris, qui non quærit mortem filiorum aberrantium, sed salutem, eosdem nostris monitis & mandatis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & locum prædictum liberum dimitterent, & de cetero à talibus excessibus abstinerent, alioquin contra eos spiritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde confecto plenius continentur. Ipsi verò in eorum nequitia obstinatius persistentes, nullisque nostris emolliti monitis, nec præceptis salutaribus immutati, pejora post hæc malis

adjungere minimè formidarunt; prout etiam continuò non formidant, contra nos & dictam curiam, &, ut verbis eorum utamur, contra universam christianitatem nequiter comminando, & nostram isto modo patientiam obstinata contumacia contemnendo. Propter quod nos hujusmodi præsumtionis audaciam tolerare ulterius non valentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta, & dantes eisdem in hiis auxilium, consilium, vel favorem, coram nobis & dictis fratribus nostris, & prælatorum ac nobilium multitudine copiosa, proponi fecimus publicè verbum crucis, illudque similiter per nonnullas Christi fidelium provincias mandavimus per alias nostras litteras prædicari, fideles ipsos ad hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum spiritualibus indulgentiis & gratiosis apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Hæc itaque, fili carissime, excellentiæ tuæ duximus intimanda, ut adversus tam perversorum hominum nequitiam spiritus in te indignationis exurgat, & zelus quem ad domum Domini habes & habere te convenit, adeò præcordia tuæ devotionis inflammet, quod per te in præmissis tamquam præfatæ ecclesiæ brachium & refugium singulare, prout expedire videris, salutaria remedia favorabiliter & efficaciter apponantur; ac sic tam nostris, quam tuis præsidiis, & opportunis favoribus ad præcludendam ceteris similiter malignandi licentiam hujusmodi superborum temerariè elata cornua confringantur. Ceterum cum sicut accepimus relationibus fide dignis, nonnulla gentis armigeræ comitiva de diversis tam Alemanniæ quam Franciæ & nonnullis aliis partibus insurrexerit, & ad conveniendum ac malignandum similiter cùm prædictis gentibus, Dei timore postposito, se accingat; serenitatem eamdem attentè obsecramus, quatenus adversùs tales brachium tuæ potestatis exerens, & prosecutionem malignitatis eorum dignis obstaculis præveniendo, ne per loca tuæ subjecta potentiæ transire ad conveniendum cum prædictis malignatoribus valeant, diligentem dare velit operam tuæ magnificentiæ celsitudo. Postremò, ut eidem celsitudini prædicta omnia innotescant, seriosiùs venerabilem fratrem nostrum JOHANNEM episcopum Argentinensem & dilectum filium Guillelmum Decanum Viscegradensem apostolicæ sedis nuntium, quibus super hiis nostras speciales litteras destinamus, informationem recipere poterit præfata tua serenitas pleniorem. Datum Avenione x. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXI.

Ad Johannem episcopum Argentinum & Guillelmum Decanum Viscegradensem.

Ut imperatorem inducant ad obviandum malignis societatibus.

VEnerabili fratri JOHANNI episcopo Argentinensi, & dilecto filio Guillelmo Decano Viscegradensi sedis apostolicæ nuntio, salutem A & apostolicam benedictionem.

Scire vos volumus, quod carissimo in Christo filio nostro CAROLO Romanorum imperatori semper augusto ac Bohemiæ regi illustri nostras noviter destinamus litteras in forma quam continet cedula præsentibus interclusa. Cum itaque conveniat, ut contra malignatores illos, quos à suorum prosecutione scelerum nec Dei timor, nec reverentia quæ Romanæ Ecclesiæ & sedi apostolicæ debetur, exterret, ipse imperator qui ecclesiam eamdem tamquam ipsius pugil, B & athleta præcipuus suis tenetur auxiliis & favoribus defensare, remedia suæ provisionis apponat: discretionem vestram requirimus & hortamur, quatenus expositis eisdem per vos vel alterum vestrum temerariis ausibus illorum perversorum, quorum tentamenta nefaria ex dictæ cedulæ serie pleniùs colligetis, eumdem juxta datam vobis à Domino prudentiam vestris exhortationibus moneatis, ut ipse ad confringenda cornua superbiæ malignantium prædictorum, sicut melius expedire noverit favori- C bus & auxiliis & ad obviandum eis, qui ad conveniendum ac malignandum similiter cum prædictis de diversis mundi partibus, prout asseritur nobis, se accingunt, intendere velit remediis opportunis. Sic vos exhibentes solicitos in præmissis ut solertiam vestram efficacia operis apertiùs manifestet. Ceterum ad pleniorem informationem per vos præfato imperatori faciendam formam prædicationis crucis & concessionis indulgentiarum, quibus Christi fideles ad insurgendum contra prædictos invitandos D duximus, præsentibus jussimus similiter intercludi. Datum Avenione x. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXII.

Ad Rodulfum ducem Austriæ.

De perversa iniquorum societate adversus ecclesiam, quibus rogat denegari per suas terras transitum, gratiasque agit de missis adversus eos copiis.

E DIlecto filio nobili viro RODULPHO duci Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut læta, quæ nobis & sedi apostolicæ, Deo miserante proveniunt, promtis expectas auribus & jocunda mente perferri, ita & illa ex quibus nos & eadem sedes non immeritò perturbamur, fore conveniens reputamus tibi tamquam benedictionis & gratiæ filio reserari. Sanè potuit ad tuam notitiam rumor horribilis, & tuis, ut credimus, infestus auribus perduxisse, F qualiter nonnulli iniquitatis filii, quos de diversis nationibus in societatem, immò potiùs perversitatem unam congregavit impietas, ad turbationem communis commodi & tranquillitatis & pacis Christi fidelium temerariis ausibus intendentes; post perpetrata per eos scelera plurima, & illata ecclesiis & ecclesiasticis aliisque personis sexui, vel ætati, aut honori, dignitati vel ordini non parcendo, gravia damna, injurias & offensas, versus civitatem Avenio-

nensem, in qua nos cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus & Romana curia præsentialiter residemus, noviter accesserunt, & locum de Sancto-Spiritu Uticensis diocesis prope curiam Romanam situatum in ripa fluminis Rodani, per quem consueverant mercimonia, ac victualia plurima eidem curiæ necessaria ac opportuna deferri, more prædonico & hostili capere præsumserunt, in virgines ac moniales & matronas nonnullas dicti loci, læso decore pudicitiæ, turpiter sævientes, ipsumque locum captum adhuc detinent & hostiliter occupatum, quodque in non parvum redundat nostrum & dictæ sedis improperium & offensam, nostrum & ipsius ecclesiæ comitatum Venaysini discurrere hostiliter, & in eo prædas & rapinas facere præsumserunt, & continuò in sua occœcati temeritate præsumere ampliùs non desistunt, nec districti judicis verendo sententiam, nec sedi apostolicæ deferendo. Nos autem licet hujusmodi malignantium iniquitas, quorum detestanda facinora, quæ in aliis nostris litteris seriosius exprimuntur, inserere præsentibus longum esset, severioris rigorem judicis expetere videretur: illius tamen sequendo vestigia, qui, quos vocat ad pœnitentiam patienter expectat, ac pii more patris qui non quærit mortem filiorum aberrantium, sed salutem, eosdem nostris monitis & mandatis præveniendos duximus, ut ab hujusmodi maligna congregatione recederent, & locum prædictum liberum dimitterent, & de cetero à talibus excessibus abstinerent: alioquin contra eos spiritualiter & temporaliter procedere curaremus, prout hæc omnia in processu exinde confectò plenius continentur. Ipsi vero in eorum nequitia obstinatius persistentes, nullisque nostris emolliti monitis, nec præceptis salutaribus immutati, pejora post hæc malis adjungere minimè formidarunt, prout etiam continuò non formidant contra nos, & dictam curiam, & ut verbis eorum utamur, contra universam christianitatem nequiter comminando, & nostram isto modo patientiam obstinata contumacia contemnendo, propter quod nos hujusmodi præsumtionis audaciam tolerare ulterius non valentes, prout etiam minimè debebamus, contra omnes de societate prædicta, & dantes eisdem in hiis auxilium, consilium, vel favorem, coram nobis & dictis fratribus nostris ac prælatorum ac nobilium multitudine copiosa proponi fecimus publicè verbum Crucis, illudque similiter per nonnullas Christi fidelium provincias mandavimus per alias nostras litteras prædicari, fideles ipsos ad hujusmodi salubre negotium viriliter assumendum spiritualibus indulgentiis, & gratiosis apostolicæ sedis munificentiis invitantes. Hæc itaque nobilitati tuæ intimare curavimus, ut ad confringenda hujusmodi superborum tam temerariè elata cornua, adeò te favorabilem exhibeas, quod zelum quem ad nos, & Romanam geris ecclesiam, tui favoris & auxilii operibus manifestans, apud Deum crescas meritorum cumulo, & apud nos & sedem præfatam gratia, & apud

A Christi fideles, quorum negotium agitur, extolli valeas famæ præconio clarioris. Post hæc cum, sicut accepimus relationibus fide dignis, nonnulla gentis armigeræ comitiva, de diversis mundi partibus insurrexerit, & ad conveniendum ac malignandum similiter cum prædictis, Dei timore postposito, se accingat, nobilitatem eamdem attentiùs obsecramus, quatinus tamquam honoris sedis apostolicæ zelator, brachium tuæ potestatis extendas, & ne per passus & loca tuæ ditioni subjecta transire ad conve-B niendum cum prædictis malignatoribus valeant, te solicitum exhibere studeas, & dare pro viribus operam diligentem. Formam autem indulgentiarum quibus Christi fideles ad insurgendum viriliter contra prædictos, qui in dicto loco de Sancto-Spiritu convenerunt, & eorum sequaces & complices ac dantes eisdem in hiis auxilium, consilium vel favorem invitandos duximus, interclusa præsentibus cedula reserabit. Ceterum ne ea quæ grata sunt compen-C sanda gratiarum vicissitudine taceamus, admodum fama prænuncia & per litteras venerabilis fratris nostri Ægidii episcopi Sabinensis apostolicæ sedis legati percepimus, qualiter magnificentiæ tuæ liberalitas devotionem, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam à juvenilibus annis ostendens efficaciter, & exhibitione operum manifestans, eidem legato in nostrum & ejusdem Ecclesiæ subsidium tam numerosam quam strenuam gentem armigeram destinavit. Nos itaque hujusmodi præfatæ tuæ libera-D litatis obsequium menti nostræ viscerosius infigentes, nobilitatem ipsam exinde plurimum commendamus plenisque illam prosequimur actionibus gratiarum, paternis te affectibus attentiùs observantes, quatenus laudabilia ætatis tuæ primordia, sicut ætate, sic virtute crescens, continuò de bono in melius adaugere studeas, & præclara surgentis in te virtutis indicia, per incrementa continuò vitæ clarioris extollas, ut per hoc gratum te Domino exhibere valeas, nosque & sedem præfatam ad annuendum quantum cum Deo fieri valeat votis tuis, me-E ritis tuæ devotionis accendas. Datum Avenioni x. calendas Februarii anno nono.

Facta est littera de securo conductu dilecto filio Conrado de Heylgenstad canonico Frisingensi misso ad certas partes Alemanniæ, pro quibusdam negotiis per nos sibi commissis, &c. ut in forma sub Data Avenione x. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXIII.

F Ad Amedeum comitem Sabaudiæ.

Ut Arnoldum de Rocca-folio archidiaconum Valentiæ à perversis hominibus spoliatum & detentum, libertate donet.

Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper pervenit ad nostram audientiam cum querela.

querela, quod cum pridem dilectus filius Arnaudus de Roccafolio archidiaconus Valentiæ discederet de Romana curia, ad quam pro certis negotiis prosequendis accesserat, & versus partes Franciæ dirigeret fiducialiter gressus suos prope civitatem Lugdunensem in eodem regno consistentem, nonnulli iniquitatis filii violentas in eum manus sacrilegis & temerariis ausibus, Dei timore postposito, injecerunt, equis & vestibus ac jocalibus, quæ secum deferebat, nequiter spoliantes eumdem, & deinde ipsum de loco ad locum per terras & loca tuæ subjecta potentiæ transportantes, sic captivum nonnullis viris nequioribus tradiderunt, qui prout nobis asseritur eumdem duro carceri mancipantes, per quinque menses & ultra inhumaniter afflixerunt, ut quo duriùs eum affligerent, eo citiùs ab ipso pro sua redemtione pecunias extorquerent, excommunicationis sententias quas propterea incurrerunt, per solemnes processus Romanorum pontificum, qui publicè fiunt in certis anni festivitatibus contra omnes capientes vel spoliantes, seu detinentes personas quaslibet, de dicta curia recedentes, vel accedentes ad eam minimè formidantes; demum quoque, prout accepimus, idem Arnaudus in tuis existit manibus tuo judicio ab eisdem detentoribus pecunias ab eo quærentibus liberandus, ipseque tuo arbitrio se summisit. Cum itaque prædicta in personam dicti Arnaudi temerariè commissa in contemtum proculdubio cedant sedis apostolicæ, & læsionem justitiæ, & Divinæ majestatis offensam, teque propter præcipuæ devotionis affectum, quem ad nos & sedem præfatam geris, deceat personis isto modo oppressis, tuis auxiliis & favoribus subvenire, nobilitatem tuam rogamus attentiùs & hortamur, quatinus pro honore Dei, & favore justitiæ, ac nostra, & ejusdem sedis reverentia, nostrorumque precaminum interventu, Arnaudum præfatum sicut à dictorum malignantium eripuisti manibus, ita propriæ restituas libertati taliter in præmissis tuam munificentiam ostensurus, quod præter divinæ retributionis præmia, apud nos & sedem ipsam uberioribus continuò valeas laudum præconiis commendari. Datum Avenione VII. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXIV.

Ad ducem & ducissam Britanniæ.

Petrum Audebertum purgat ab illatis apud eos calumniis.

Dilecto filio nobili viro CAROLO duci, & dilectæ in Christo filiæ nobili JOHANNÆ ducissæ Britanniæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Sic præstari decet loquentibus auditum, ut obloquentibus non præstetur assensus. Nam & si ad audiendum promtus esse quisque superior moneatur, non immeritò reddi debet difficilis ad credendum. Sanè ad audientiam nostram non sine admiratione pervenit, quod nonnulli iniquitatis filii, acuentes in dolis & mendaciis ut gladium linguas suas, contra dilectum filium Petrum Audebertum familiarem nostrum sinistris nobis factis per eos informationibus retulerunt, quod idem Petrus nonnulla verba honorem vestrum lædentia, apud sedem apostolicam reportavit, accusantes innoxium, inculpabilem condemnantes. Quamobrem adhibita per vos credulitate relatibus, senescallus vester Lemovicensis, de vestra conscientia & mandato, prout asserere dicitur, eumdem Petrum multiplicibus affecit injuriis, & in bonis suis plurimum molestavit, & continuò molestare non cessat. Cum itaque nobis constet, quod inter ceteros, qui pro parte vestra ad nostram præsentiam se contulerint, idem Petrus præcipuè ea nobis retulerit, quæ ad vestram pertinebant laudem, & negotia vestra apud nos & sedem prædictam, tamquam status vestri zelator præcipuus multa fuerit diligentia prosecutus, nosque illum præterea propter suæ probitatis merita speciali benivolentia prosequamur, nobilitatem vestram requirimus & hortamur attentè, quatinus pro nostra & præfatæ sedis reverentia, nostrorumque precaminum interventu, benivolentiam vestram erga ipsum intra vestrorum claustra pectorum reformetis, ac eum cum bonis suis suscipiatis benigniùs commendatum, dicto vestro senescallo mandantes, quod eumdem in persona vel rebus ac bonis ejusdem de cetero non molestet, & si qua contra eum vel ejus bona facta fuerint, reducere in statum pristinum sine dilatione procuret, vestræ in hoc liberalitatis munificentiam taliter ostensuri, quod præter divinæ retributionis præmia nos exinde vobis ad gratiarum merita teneamus. Datum Avenione VII. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXV.

Ad cives Massilienses.

Nuntios eis mittit quibus fidem adhiberi petit.

Dilectis filiis... concilio civitatis Massiliensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem super certis negotiis, nostras ad vos meminimus litteras destinasse: nunc autem ut super eisdem nostræ mentis intentio vivæ vocis oraculo apertiùs referetur, dilectos filios nobiles viros Guillelmum de Monte-olivo militem, & Guillelmum de sancto Ægidio per nos de intentione nostra pleniùs informatos præsentialiter destinamus; quibus super hiis quæ ipsi pro nostra parte exponenda duxerint, dare velit vestra discretio plenam fidem, & quid super expositis vobis, faciendum duxeritis respondere quantocius per eosdem. Datum Avenione VII. calendas Februarii, anno nono.



EPISTOLA XXVI.

Ad Robertum dominum de Fiennes.

Ut viriliter se habeat in debellandis perversis societatibus.

DIlecto filio nobili viro ROBERTO domino de Fiennes conneſtabulo Franciæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Per litteras tuas nobis noviter deſtinatas percipimus, qualiter ad reſiſtendum nonnullis iniquitatis filiis in loco de Sancto-Spiritu more prædonico conſiſtentibus, qui ad turbationem communis commodi temerariis intendunt conatibus, nec Deo, nec ſedi apoſtolicæ deferentes, tu cum dilecto filio nobili viro Arnoldo de *Andruan* mareſcallo Franciæ verſus partes iſtas cum gentis armigeræ comitiva de mandato chariſſimi in Chriſto filii noſtri JOHANNIS regis Francorum illuſtris viriliter te accingis. Nos itaque hujuſmodi proviſionem regiam in Domino commendantes, nobilitatem eamdem ad expeditionem favorabilis tui adventus pro honore regio & regni ſui ac iſtarum partium commodo eo magis ſolicitam reddimus & attentam, quo prædictorum deteſtanda malignitas ad eorum confuſionem debitæ proviſionis accelerari remedia plus requirit. Datum *ut ſupra.*

EPISTOLA XXVII.

Ad Petrum regem Aragonum.

Gratias agit de oblatis ſibi copiis ad repellandas ſocietates perverſas, rogatque ut oblatum ſubſidium acceleret.

CAriſſimo in Chriſto filio PETRO regi Aragonum illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Hac præſenti die, videlicet VII. calendas Februarii ſerenitatis tuæ litteras nobis per dilectum filium nobilem virum BERENGHERIUM DE PALATIO militem præſentatas, de ſincero tuæ devotionis affectu, quem ad nos & Romanam geris Eccleſiam, ut ex ipſarum ſerie collegimus, prodeuntes, benignè recepimus & placidè admodum intelleximus; & jocundè attendentes in eis qualiter tu tamquam benedictionis & gratiæ filius ad confuſionem nonnullorum nequam hominum in loco de Sancto-Spiritu Uticenſis dioceſis propè civitatem Avenionenſem conſiſtentium, qui in ſocietatem, immo perverſitatem unam nequiter congregati, terras & loca præfatæ eccleſiæ & Chriſti fidelium more prædonico diſcurrere non formidant, ad turbationem communis commodi & tranquillitatis & pacis eorumdem fidelium temerariis conatibus intendentes, divinæ ultionis gladium & noſtras, ac ſedis apoſtolicæ ſententias non verendo, perſonam tuam in caſu quo divina aſpirante clementia pacem inter te & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum PETRUM regem Caſtellæ & Legionis illuſtrem reformari contingeret, in noſtrum & præfatæ eccleſiæ obſequium, cum notabili comitiva alioquin armigeræ tuæ gentis liberaliter offerebas. Equidem, fili cariſſime, oblationes tuas hujuſmodi magnis utique dignas præconiis grata mente ſuſcepimus, tuamque exinde excellentiam plurimum in Domino commendantes, plenis eas proſequimur actionibus gratiarum. Verum licet ſit in diſpenſatore pacis, qui novit corda regum & principum, in ſpiritu concordiæ reformare, de concordia feliciter terminanda inter te & regem præfatum, prout ex litteris accepimus venerabilis fratris noſtri GUIDONIS epiſcopi Portuenſis apoſtolicæ ſedis legati, ſperare poſſimus: quia tamen inceptæ rei negotium moram non patitur, idcirco illud gentis armigeræ ſubſidium, de quo juxta præfatæ tuæ devotionis affectum tibi convenire videbitur, cum celeritate tranſmitti magnificentiam eamdem, ſicut pridem per dilectum filium magiſtrum Simonem de Turonis capellanum noſtrum deprecandam duximus, ſic per præſentes iterum eo rogamus attentiùs, & inſtantius obſecramus, quo malignantium prædictorum obſtinata temeritas ad confringenda ſuperbiæ ipſorum cornua debitæ proviſionis remedia plus requirit. Datum Avenione VII. calendas Februarii anno IX.

EPISTOLA XXVIII.

Ad Elianoram reginam Aragonum.

Ejuſdem argumenti.

CAriſſimæ in Chriſto filiæ ELIANORÆ reginæ Aragonum illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Litteras tuas nobis per dilectum filium nobilem virum BERENGHERIUM DE PALATIO militem hac præſenti die, videlicet VII. calendas Februarii præſentatas de ſincero tuæ devotionis affectu, quem ad nos & Romanam geris Eccleſiam, prout ex ipſarum ſerie collegimus prodeuntes, in quibus ad conterenda nonnullorum cornua ſuperborum, qui in loco de Sancto-Spiritu Uticenſis dioceſis prope civitatem Avenionenſem, in qua nos cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalibus præſentialiter reſidemus, ad turbationem communis commodi & tranquillitatis & pacis populorum Chriſti fidelium more prædonico congregati, Deum offendere, & noſtras ac ſedis apoſtolicæ incurriſſe ſententias non verentur, centum quinquaginta equites armigeros, ſive ut verbis tuis utamur, uſque ad ducentorum ſummam, in noſtrum & dictæ ſedis obſequium liberaliter offerebas; grate admodum & jocunde percepimus & intelleximus diligenter, magnificentiam tuam exinde plurimum commendantes in Domino & devotionis tuæ abundantiam dignis laudum præconiis extollentes, ac hujus oblationis tuæ liberalitatem plenis proſequentes actionibus gratiarum. Cum itaque hujus rei negotium eo ſit celerius proſequendum, quo malignantium principiis facilè obviatur, noſque propterea ad obviandum prædictorum temerariis auſibus ſolicitis ſtudiis intendamus, ex-

cellentiam tuam rogamus & attentiùs deprecamur, quatenus tamquam benedictionis & gratiæ filia gentem præfatam, seu aliam de qua tibi convenire videbitur, ad prædictorum exterminium pro honore Dei & favore communis commodi, ac nostra, & dictæ sedis reverentia, sine dilatione, quam hujusmodi negotii qualitas non patitur, gratum proculdubio Deo cujus negotium agitur sacrificium oblatura, transmittas. Ut autem apostolicæ sedis munificentiæ quibus Christi fideles ad insurgendum contra prædictos invitandos duximus tibi apertiùs innotescant, formam indulgentiarum quas eisdem fidelibus concedendas providimus interclusa præsentibus scedula reserabit. Datum *ut supra*.

EPISTOLA XXIX.

Ad Petrum Sicardi canonicum Narbonensem.

Concedit ei facultatem exigendi destinatas pecunias ad perficiendos muros civitatis Avenionensis.

Dilecto filio Petro Sicardi canonico Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum te in ædificiorum operibus experientia doctum, solicitudine vigilem, & fidelitate præclarum, super constructione mœniorum seu murorum clausuræ civitatis nostræ Avinionensis provisorem & præsidentem duximus deputandum. Ut igitur opus dictorum murorum tuæ circumspectioni commissum eo citiùs & utilius possis facere consummari, quo majori fueris potestate munitus, tibi petendi, exigendi, & recipiendi pro opere supradicto à quibuscumque receptoribus quarumcumque gabellarum seu proventuum, pro dicto opere deputatorum seu deputandorum, in posterum pecunias quaslibet earumdem gabellarum seu proventuum & mutuorum, & de receptis plenariè quittandi, & absolvendi solventes, ipsasque pecunias in dictum opus expendendi & convertendi, & eosdem receptores gabellarum ac quoscumque prædictorum proventuum & aliorum quorumcumque rerum & bonorum ipsi operi deputatorum, seu ad illud quomodolibet pertinentium debitores, occupatores & detentores ad solutionem & assignationem eorum tibi liberè faciendam compellendi, ac contradictores & rebelles quoslibet impedientes opus ipsum ac operarios ipsius per censuram ecclesiasticam, & alia juris remedia appellatione postposita compescendi, & super hiis quotiens opus fuerit, seu tibi expedire videbitur sæculare brachium invocandi, plenam tibi concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione v. calendas Februarii anno nono.



EPISTOLA XXX.

Ad regem & reginam Siciliæ.

Comitem Melfiensem cum suis armigeris, Ecclesiæ quamvis valde utilem, eis remittit, ad debellandos Siciliæ hostes.

Carissimis in Christo filiis Ludovico regi & Johannæ Reginæ Siciliæ illustribus, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam nuper nostram, quod nonnulli iniquitatis filii quos de diversis nationibus in societatem, immò potius perversitatem unam congregavit impietas, rapto vivere & aliorum bonis perfrui modo prædonico cupientes, nonnullas regni Siciliæ partes nequiter invaserunt. Propter quod dilectus filius nobilis vir Nicolaus de Aczorolis comes Melfiensis magnus ejusdem regni senescallus, ut solitis suæ fidelitatis obsequiis laborum vestrorum particeps fieret; prout ab annis plurimis tam laudabiliter quam utiliter consuevit, salutaribus consiliis suæ prudentiæ, qua plurimum pollere dinoscitur, nobis tam strenuè, quam fideliter, nec minus utiliter assistendo: ad præsentiam nostram se contulit, cum nonnulla gentis armigeræ comitiva, nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis per venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum sibi commissis, dimissis ad ipsos. Nos itaque vestris & regni præfati laboribus eo magis pio compatientes affectu, quo regnum ipsum tam numerosis quam gravibus hactenus adversitatibus perturbatum, succedentibus sibi invicem malis, novis continuò fluctibus agitatur: licet gratum haberemus plurimum & acceptum eumdem comitem in nostris & dictæ Ecclesiæ obsequiis perstitisse, ipsumque à bellis impræsentiarum abesse acceptare sine molestia non possimus; vestra tamen commoda nostris in hoc necessitatis articulo commodis præponentes, absentiam suam hujusmodi usque ad tempus duximus æquanimiter tolerandam, serenitatem vestram rogantes & attentiùs deprecantes, quatinus cum hanc instantem perturbationem, quam illo faciente qui diu non patitur iniquos vivere super terram, vobisque in vestræ potestatis dextera providè & favorabiliter, ac te præcipuè regem strenuè operam dantibus, cessare speramus in brevi, contigerit fine laudabili terminari; eumdem comitem ad prosequenda nostra & præfatæ ecclesiæ negotia, in quibus præsentiam suam opportunam nobis & eidem Ecclesiæ plurimum fore novimus ab experto, redire & in eisdem remanere negotiis quæ vestra existimatis, ut credimus, usque ad vestrum & dicti legati beneplacitum liberè permittatis. Nos enim eidem comiti, ut hujusmodi perturbatione sopita ad præfatum legatum se conferre sine dilatione procuret nostras speciales litteras destinamus. Datum Avenione II. calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXXI.

Ad Nicolaum de Aczarolis comitem Melfiensem.

Laudatis ejus pro sede apostolica laboribus, remittit eum ad Siciliæ regem, quam primum hostes regni fugaverit mox rediturum.

DIlecto filio nobili viro NICOLAO DE ACZAROLIS comiti Melfiensi magno senescallo regni Siciliæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Quam fideliter, quam strenuè ac consultè, nec minus utiliter in nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis penes venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum versatus fueris, non absque multis tuis laboribus & expensis per litteras ejusdem legati sæpius intelleximus, & multorum tam nostrorum familiarium quam aliorum percepimus relationibus fide dignis. Equidem, dilecte fili, licet de conditione tua præclara quamplurima ad nostram audientiam fama prænuncia perduxisset, facti tamen deinde cum ad nostram accessisti præsentiam, de tuæ probitatis meritis certiores, & de devotione tua quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, prout per effectum demonstrasti operis, plurimum sperabamus. Hujusmodi itaque impensa per te circa nostra & præfatæ Ecclesiæ, tuæ liberalitatis obsequia, nos grata gerentes plurimum & accepta, dignis te exinde laudum præconiis attollimus, & multipliciter in Domino commendamus. Ceterum cum noviter, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii, quos de diversis nationibus in societatem, immò potiùs perversitatem unam congregavit impietas, nonnullas regni Siciliæ partes invaserint, ad depopulationem terrarum & locorum ejusdem regni more prædonico intendentes, tuque propterea ad tua præstanda favores & auxilia, ut teneris, carissimis in Christo filiis nostris LUDOVICO regi & JOHANNÆ reginæ Siciliæ illustribus illuc accesseris, cum nonnulla gentis armigeræ comitiva; nos ejusdem regni oppressionibus eò magis pio compatientes affectu, quo regnum ipsum diuturnis fluctibus agitatum respirare tandem à tot tantisque suis anxietatibus credebamus: quamquam te eidem legato assistere & negotiis per eum tibi commissis intendere nobis plurimum gratum foret, teque ab eisdem separari negotiis acceptare sine molestia non possimus, in hujusmodi tamen necessitatis articulo absentiam tuam ad tempus æquanimiter tolerandam duximus, prædictorum regis ac reginæ & regni commoda nostris in hac parte commodis præferentes. Nobilitatem itaque tuam rogamus attentiùs & hortamur, quatinus juxta datam tibi à Domino prudentiam, ad confringenda cornua talium perversorum præfatis regi & reginæ, tuum erga ipsos solitum morem gerens, toto intendas conamine, eisdem tuis consiliis & auxiliis pro viribus favorabiliter, ac efficaciter assistendo, ad quod te verbis longio-
A ribus hortaremur, nisi quanta erga ipsos continuò fuerit tuæ fidei constantia notum foret. Volumus autem quod quamprimum hujusmodi nova dicti regni turbatio fine fuerit debito terminata, ad præfati legati præsentiam te conferre, ad prosequenda laudabiliter, ut cœpisti, per eum tibi commissa & in posterum committenda negotia, sine dilatione procures: obedientiæ tuæ promtitudinem in hoc taliter ostensurus, quod nostram & apostolicæ sedis, cujus tibi benevolentiam non immeritò vendicasti,
B favorem & gratiam continuò uberius merearis. Nos enim eisdem regi & reginæ, ut te liberè permittant redire, nostras respectivè speciales litteras principaliter destinamus, quarum tibi seriem interclusa præsentibus cedula reserabit. Datum Avenione II. calendas Februarii anno nono.


EPISTOLA XXXII.

C Ad Ademarium comitem Valentinum.

Ut cum electo Valentinensi conveniat ad expellendas à S. Spiritus loco iniquas societates.

DIlecto filio nobili viro ADEMARIO comiti Valentinensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad tuam non ambigimus notitiam pervenisse, qualiter nonnulli iniquitatis filii, Dei timore & reverentia sanctæ matris Ecclesiæ procul ab-
D jectis, ad turbationem Christi fidelium, more prædonico intendentes, de diversis regni Franciæ partibus in societates varias congregati, cum nonnullis aliis perditionis viris, in loco de Sancto-Spiritu præsentialiter existentibus, ad malignandum similiter cum eisdem convenire conantur. Cum itaque deceat nobilitatem tuam talibus malignatoribus, quorum circa sola scelera versatur intentio; & temerariis eorum conatibus tuis viribus & opportunis remediis obviare, nobilitatem eamdem rogamus & horta-
E mur attentè, quatenùs ad resistendum prædictis ne per passus & loca tuarum partium transire ad præfatos de Sancto-Spiritu valeant sollicitè invigilare studeas, & dare pro viribus operam diligentem, & nihilominus ad confusionem eorum, qui in præfato loco de Sancto-Spiritu nequiter convenerunt, & in eodem loco prædis & rapinis intendendo consistunt, tua præstare velis efficaciter auxilia & favores, super præmissis conveniendo, si placet, cum dilecto filio LUDOVICO electo Valentinensi, cui
F super hoc speciales destinamus litteras, & utriusque consiliis & viribus simul junctis reddi valeatis circa prædicta ad præstanda vestra favores & auxilia promtiores. Datum Avenione calendas Februarii anno nono.



EPISTOLA XXXIII.

Ad Ludovicum electum Valentinensem.

Laudata ejus solertia, hortatur ad impediendum pro viribus transitum confœderatorum.

Dilecto filio LUDOVICO electo Valentinensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Litterarum tuarum seriem, & ea quæ nobis per dilectos filios nobiles viros Guidonem de Forlaio militem & Antonetum Fornerii domicellum nuncios tuos nuper intimare, & in quibus nos reddere cautos curavisti, benignè percepimus & intelleximus diligenter, tuam diligentiam, quam continuò experientia faciente cognoscimus, plurimum commendantes. Ut autem super eisdem nobis pro parte tua, ut præmittitur, intimatis, informationem de intentione nostra habere valeas pleniorem, per eosdem nuncios tuos quid nostræ menti insideat discretioni tuæ vivæ vocis oraculo respondendum præsentialiter ducimus: quibus eadem discretio indubiam fidem dabit, prudentiam tuam sollicitam reddentes plurimum & attentam, ut ad impediendum illorum malignantium transitum, qui cum perditionis filiis in loco de Sancto-Spiritu contumaciter existentibus convenire conantur, solicitis intendas studiis, tuis eisdem totis viribus tam promtè quam efficaciter, prout te facturum confidimus, obsistendo, ac circa confusionem prædictorum de Sancto-Spiritu tua præstando, prout de te confidimus auxilia & favores. Datum Avenione calendas Februarii anno nono.

EPISTOLA XXXIV.

Ad Amedeum comitem Sabaudiæ.

Laudat ejus erga ecclesiam devotionem, hortaturque ut in his quæ spectant ejus honorem solicitè invigilet.

Dilecto filio nobili viro AMEDEO comiti Sabaudiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Præsentatas nobis nuper litteras tuas per dilectum filium nobilem virum Jacobum de Claromonte militem, consiliarium & nuncium tuum gratè admodum suscepimus, & exposita nobis per eumdem pro parte tua intelleximus diligenter devotionem tuam erga nos & Romanam Ecclesiam, quam continuò magis cognoscimus per effectum, in hujusmodi tuam diligentiam plurimum commendantes. Ut autem nostræ mentis intentio vivæ vocis oraculo innotescere tibi pleniùs valeat, quam ministerio litterarum, nobilitati tuæ per præfatum nuncium tuum latorem præsentium, cui super exponendis tibi reseravimus seriosius mentem nostram, tibi ducimus præsentialiter respondendum. Tu itaque fili, ut incensum dignum & holocaustum gratum offerre tuo te sentias creatori, in hiis quæ sponsæ suæ sanctæ matris Ecclesiæ & nostrum ac cunctorum Christi fidelium atque tuum honorem & statum pacificum respiciant tua præstare non cesses efficaciter auxilia & favores. Datum *ut supra*.

EPISTOLA XXXV.

Ad archiepiscopum Lugdunensem.

Ne perversè confœderatis liberum per sibi subditas terras transitum donet, & ut destinatam militiam quantocius mittat.

Venerabili fratri archiepiscopo Lugdunensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quod plurimis & apertis est rumoribus divulgatum, ad tuam non ambigimus notitiam pervenisse, qualiter scilicet nonnulli filii Belial & iniquitatis alumni, collectis suæ malignitatis viribus, transire conantur per passus & loca diversa, ut cum aliis similiter nequam viris in loco de Sancto-Spiritu contumaciter consistentibus convenire valeant, & cum eisdem, timore Dei, & reverentia sanctæ matris Ecclesiæ prorsus abjectis, nequiter malignari. Cum itaque conveniat fraternitati tuæ, in hiis quæ honorem & statum præfatæ Ecclesiæ respiciunt atque nostrum, pleno mentis affectu, sollicitis studiis & toto conamine tua impendere auxilia & favores, fraternitatem eamdem attentè requirimus, quatenus ad impediendum prædictorum malignantium transitum per loca & passus tibi subjecta tuos clerum & populos ad id similiter tuis suasionibus & paternis exhortationibus inducendo invigilare studeas, & tuæ prudentiæ solertia dare tam promtè quam efficaciter operam diligentem; tua vero contra prædictos de Sancto-Spiritu, prout se facultas obtulerit, præstando auxilia & favores. Ceterum ex litteris dilecti filii nobilis viri GERARDI militis fratris tui, nuper per eum venerabili fratri REGINALDO episcopo Æduensi thesaurario nostro transmissis didicimus, qualiter tua & ipsius extiterat deliberatione provisum, quod ipse tuis & ipsius sumtibus cum decenti gentis armigeræ comitiva incepti per nos negotii subsidium adveniret. Nos itaque hujusmodi deliberationis vestræ propositum plurimum in Domino commendantes, ejusdem tui fratris adventum celerem per te cupimus expediri. Postremò scire te volumus, quod tam dilectis filiis LUDOVICO electo & nobili viro ADEMARIO comiti Valentinensi, quam nonnullis aliis prælatis ac nobilibus, ut sua circa prædicta præstent efficaciter auxilia & favores, nostras similiter speciales litteras præsentialiter destinamus. Datum Avenione calendas Februarii anno nono.

In eodem modo, Venerabili fratri .... archiepiscopo Viennensi, salutem & apostolicam benedictionem.

In eodem modo, Venerabili fratri .... episcopo Vivariensi, salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA XXXVI.

Ad Eleonoram reginam Aragonum.

Dertusensem episcopum ei commendat.

CArissimæ in Christo filiæ ELEONORÆ reginæ Aragonum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster JOHANNES episcopus Dertusensis ad suam Dertusensem ecclesiam de mandato nostro se ducat præsentialiter conferendum, nosque illum propter clara quamplurima suarum virtutum merita, familiari experientia nobis nota ac etiamex non mediocri sanguinis proximitate, qua nobis astringitur, speciali benivolentia prosequamur, Excellentiam tuam attentè requirimus & hortamur, quatinus diligenter attendens quod convenit magnificentiæ tuæ Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, & eas præcipuè quas nos affectu prosequimur singulari, tui favoris suffragiis confovere, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, nostrorumque precaminum interventu, eumdem episcopum & ecclesiam suam ac bona & jura & negotia ipsorum quælibet, adeò favorabiliter suscipias commendatos, quod idem episcopus nostrorum hujusmodi precaminum fructum sentire se gaudeat, nosque proinde tuæ excellentiæ ad gratiarum merita teneamur. Datum Avenione nonis Februarii anno nono.

EPISTOLA XXXVII.

Ad Bernardum de Capraria.

Ejusdem argumenti.

DIlecto filio nobili viro BERNARDO DE CAPRARIA militi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster Johannes, &c. *ut in proxima usque* prosequimur. Nobilitatem tuam requirimus attentius & hortamur, quatenus episcopum & ecclesiam memoratos habeas pro nostra & apostolicæ sedis reverentia eo propensius & efficacius commendatos, & in suis & præfatæ ecclesiæ negotiis per te ipsum & penes carissimos in Christo filios nostros PETRUM regem, & ELEONORAM reginam Aragonum illustres faveas efficaciter, & assistas, quod nos, qui hoc præmissis ex causis gratum habituri sumus plurimum & acceptum, tibi proinde teneamur ad merita gratiarum. Datum *ut supra.*

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Petrum regem Aragonum.

Dertusensem episcopum ei commendat.

CArissimo in Christo filio PETRO regi Aragonum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Illam gerimus de tua serenitate fiduciam, A ut eos quos speciali affectione diligimus, ipsorumque negotia regii favoris suffragio nostris excitatus precibus prosequaris. Cum itaque venerabilis frater noster JOHANNES episcopus Dertusensis nobis ob multiplicium virtutum suarum merita familiari experientia nobis nota carus plurimum & acceptus, & præter hæc non mediocri sanguinis proximitate conjunctus ad suam Dertusensem Ecclesiam de mandato nostro se ducat præsentialiter conferendum, celsitudinem regiam attentè rogamus & requirimus B confidenter; quatenus diligenter attendens, quod tibi super hoc nostra precamina affectu dirigimus singulari, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, ipsorumque precaminum interventu eumdem episcopum adeò suscipias commendatum, sicque favorabiliter prosequaris, & super ipsius Ecclesiæ negotiis de regiæ liberalitatis abundantia taliter te sibi propitium exhibeas & benignum, quod propterea æternæ tibi retributionis augeantur præmia. Nosque proinde C excellentiæ regiæ ad gratiarum merita teneamur. Datum Avenione nonis Februarii anno nono.

EPISTOLA XXXIX.

Missas à Carolo Britanniæ duce adversus confœderatos de S. Spiritu copias commendat.

VEnerabilibus fratribus, &c. *ut in forma de securo conducto.*

D Cum dilectus filius nobilis vir HUGO de Ketaiteret miles locum tenens & senescallus pro dilecto filio nobili viro CAROLO duce Britanniæ in vice-comitatu Lemovicensi, cum certa gentis armigeræ comitiva ad Romanam curiam, ut per ipsum una cum nonnullis aliis Christi fidelibus temerariis conatibus quorumdam hominum perversorum in loco de Sancto-Spiritu consistentium, qui Dei timore postposito, curiam ipsam, & quietem, ac pacem populorum Christi fidelium turbare multipliciter E non verentur, viriliter resistatur, se ducat præsentialiter conferendum. Nos volentes ipsum cum dicta comitiva & equis ac rebus ejusdem in veniendo ad nos & per partes & loca vestra transitum faciendo, ac in illis morando plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus & hortamur attentè; quatenùs ipsum benignè recommendatum habentes, nullam eidem & comitivæ suæ prædictæ in personis & rebus eorum inferatis, &c. *ut in forma usque in* F *finem.* Datum Avenione VI. Idus Februarii anno nono.

EPISTOLA XL.

Ad Andream episcopum Ariminensem.

Facultatem tribuit componendi cum debitoribus cameræ apostolicæ.

VEnerabili fratri ANDREÆ episcopo Ariminensi in Tuscia & certis aliis partibus

apostolicæ sedis nuntio, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nonnulli cives Florentini olim socii societatum Bardorum, Peruciorum ac Azajolorum jamdudum dissolutarum, seu eorumdem sociorum heredes, sive bonorum possessores pro bonis seu creditis quondam EMGERANNI archiepiscopi Capuani, Richerii de Stella olim canonici Ambianensis apostolicæ cameræ collectorum reservatis, & apud socios & societates eosdem existentibus, ac ipsi, & nonnulli alii intra tuæ collectoriæ terminos constituti, ex aliis diversis causis, nonnullas pecuniarum quantitates præfatæ cameræ solvere & restituere teneantur. Nos fide digna relatione percepto, quod iidem olim socii & societates seu heredes & bonorum possessores & alii debitores ad solvendum & restituendum integrè dictæ cameræ pecunias & bona hujusmodi debita per eosdem impotentes existunt: sed quod nihilominus secundum facultates eorum, eidem cameræ de debitis ipsis satisfacere in terminis competentibus sunt parati, nos eorumdem debitorum precibus inclinati, de tuaque fide ac circumspectione plenè confisi, fraternitati tuæ cum eisdem sociis & societatibus ac heredibus seu bonorum possessoribus & aliis debitoribus quibuscumque dictæ cameræ intra dictæ tuæ collectoriæ terminos, ut prædicitur constitutis, ex quibuscumque causis sint sæpedictæ cameræ obligati, de prædictis & aliis pecuniarum quantitatibus & bonis, ipsi cameræ ex causis quibuscumque debitis componendi, & finandi debitis & necessariis cautelis, in hiis pro utilitate & securitate cameræ prædictæ adhibitis, & de jure cameræ remittendi eisdem & eidem juri cedendi secundum tuæ circumspectionis arbitrium, nec non illas pecuniarum summas, de quibus componendum & finandum duxeris, recipiendi, & de receptis solventes quittandi & absolvendi plenariè, plenam tibi tenore præsentium concedimus facultatem. Volumus autem quod de singulis compositionibus, financiis, remissionibus, cessionibus, receptionibus, quittationibus, & absolutionibus, duo confici facias consimilia publica instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum ad cameram nostram mittere non omittas. Datum Avenione v. Idus Februarii anno nono.

EPISTOLA XLI.

Ad Florentinos.

Ut episcopo Ariminensi in colligendis cameræ apostolicæ debitis auxilium præbeant & favorem.

DIlectis filiis prioribus artium, ac vexillifero justitiæ, populo, & communi civitatis Florentini, salutem & apostolicam benedictionem.

Per nostras certi tenoris litteras venerabili fratri nostro ANDREÆ episcopo Ariminensi apostolicæ sedis nuntio, componendi & finandi cum nonnullis concivibus vestris olim sociis societatum Bardorum, Peruciorum & Azajolorum jamdudum dissolutarum, seu eorumdem sociornm heredibus sive bonorum possessoribus de nonnullis pecuniarum quantitatibus debitarum apostolicæ cameræ per eosdem plenam & specialem nuper concessimus potestatem. Quare devotionem vestram, quæ plenè novit quantum præsentialiter pro recuperatione & defensione terrarum nostrarum & Romanæ Ecclesiæ pecuniis egeamus, hortamur & rogamus attentè, quatinus eidem episcopo in recuperatione dictarum pecuniarum, per eosdem vestros concives, ut præmittitur, debitarum, per hujusmodi componendi & finandi vel alium modum levius & citius obtinenda favorem vestrum, de quo idem episcopus vos requirendos duxerit, efficaciter impendatis. Ita quod exinde vos commendare meritò valeamus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA XLII.

Ad Petrum Eraudi priorem S. Eutropii, Jacobum Barravi, & Arnaldum de Borwea.

Ut sibi reservata Gaillardi episcopi Xantonensis defuncti bona nomine sedis apostolicæ colligant.

DIlectis filiis PETRO ERAUDI Monasterii sancti Eutropii Xantonensis per priorem soliti gubernari, & Jacobo Barravi S. Johannis extra muros Rupellæ apostolicæ sedis nuncio, ac Arnaldo de Borwea de Spernia Xantonensis diocesis prioribus, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis causis rationalibus dispositionem bonorum mobilium nec non debitorum & creditorum bonæ memoriæ GALLIARDI episcopi Xantonensis, qui nuper in partibus debitum naturæ persolvit, quæ tempore sui obitus haberet, vel pertinerent quomodolibet ad eumdem, nobis adhuc eodem episcopo vivente duximus reservandam: ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, per vos vel alium seu alios bona debita & credita hujusmodi quæcumque sint, & à quibuscumque detinentur seu etiam debeantur in civitate & dioecesi Xantonensi, ac provincia Burdegalensi, de quibus bonis debitis & creditis, si necesse fuerit, summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura judicii, vos informare curetis, petere, exigere, ac recipere integrè studeatis, contradictores cujuscumque gradus, status, ordinis, vel conditionis extiterint, etiamsi pontificali vel quavis alia præfulgeant dignitate, auctoritate vestra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstante si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto ejusmodi mentionem. Nos enim vobis absolvendi, & quittandi plenè ac liberè omnes & singulos eos, à quibus bona debita, & credita ipsa receperitis, de hiis dumtaxat quæ ab eis recipere vos continget, plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Vo-

lumus autem quod de hiis quæ exinde receperitis cameram nostram per instrumentum seu instrumenta publica certificare nullatenus omittatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, fili prior sancti Eutropii cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Avenione IV. Idus Februarii anno IX.

EPISTOLA LXIII.

Ad eosdem.

Ejusdem argumenti.

Dilectis filiis PETRO ERAUDI Monasterii sancti Eutropii Xantonensis per priorem soliti gubernati, & Jacobo Barravi *&c. ut in superiori.*

Dudum ex certis causis rationabilibus dispositionem bonorum mobilium ac debitorum & redebitorum bonæ memoriæ GAILLARDI episcopi Xantonensis nuper extra Romanam curiam defuncti, quæ tempore sui obitus haberet vel pertineret quomodolibet ad eumdem, nec non fructus, reditus & proventus qui Xantonensi Ecclesia vacante obvenirent & obvenire poterant ad mensam episcopalem dictæ Ecclesiæ spectantes & spectare debentes, nobis adhuc eodem episcopo vivente duximus reservandam, & decrevimus ex tunc irritum & inane, si secus super hiis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari: Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus vos vel alter vestrûm vos seu alium vel alios fide & facultatibus idoneos bona debita & credita ac fructus, reditus & proventus hujusmodi quæcumque sint, & in quibuscumque rebus consistant, & per quoscumque detineantur, seu etiam debeantur, & ubicumque fuerint & consistant, de quibus si necesse fuerit summarie & de plano, sine strepitu & figura judicii, vocatis quos vocandos noveritis, nos plenariè informetis, petere, exigere & recipere ac vobis tradi, & assignari facere cum integritate curetis, contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi pontificali, vel alia quavis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, nonobstante si hujusmodi bona debita & credita, fructus, reditus, & proventus, seu aliqua ex illis ex privilegio statuto aut aliàs aliquibus forsitan debeantur; nec non felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem & diocesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis ad judicium evocetur, seu ne judices prædicti extra civitatem & diocesim, in quibus deputati uerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam à fine diocesis eorumdem trahere præsumant, & de duabus in consilio generali & aliis quibuscumque constitutionibus A à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ nostræ possent in hac parte jurisdictioni & potestati, eorumque cujuslibet ipsorum seu alicujus ex illis libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non B facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet exceptionibus, privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant: per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus & executio præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda esset præsentibus de verbo ad verbum mentio specialis. Nos enim vobis absolvendi & C quittandi plenè ac liberè omnes & singulos eos à quibus hujusmodi bona debita, & credita, fructus, reditus, & proventus, vel aliqua ex illis receperitis, de hiis dumtaxat quæ ab eis recipere vos continget, nec non ipsorum & quorumcumque officialium & receptorum dicti episcopi, rationes & computa audiendi & impugnandi, & residua recipiendi, & ipsos ab hiis absolvendi dicto nomine, plenam & liberam concedimus eadem auctoritate tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod de omnibus & singulis quæ ratione præmissorum vobis traden- D tur & assignabuntur, persolventur & dabuntur, & etiam de hujusmodi quittationibus, solutionibus & liberationibus, duo consimilia per manum publicam inventoria confici faciatis; quorum unum ad dictam cameram transmittatis, reliquo penes vos reservato, quodque omnia quæ receperitis in præmissis ad dictam cameram cum cautela & diligentiæ studio mittere quam citiùs commodè potueritis nullatenus postponatis, vos in præmissis taliter habituri, quod apud nos & dictam sedem de adhibitæ diligen- E tiæ studio commendari non immeritò valeatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu fili prior sancti Eutropii cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Avenione IV. Idus Februarii anno nono.

EPISTOLA XLIV.

Ad Philippum ducem Burgundiæ.

F *Gratum habet Johannem de Ria Burgundiæ senescallum sedi apostolicæ valde necessarium à se recedere, hortaturque ut confœderatis ita se opponat viriliter, ut nullum per terras suas valeant habere transitum.*

Dilecto filio nobili viro PHILIPPO duci Burgundiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Litteras tuas nobis noviter præsentatas, tam causas

causas ex quibus dilectum filium nobilem virum JOHANNEM DE RIA Dominum de Blancon, senescallum Burgundiæ, remanere apud te præsentialiter oportebat, quam conditiones partium continentes benignè recepimus, & intelleximus diligenter, ad quas brevi compendio respondentes senescallum prædictum, quem tibi forè credimus plurimum opportunum, ad præsens, juxta nostrarum litterarum seriem, ad nostram sese præsentiam non conferre, licet ipsum in nostris & Romanæ Ecclesiæ occupari negotiis nobis plurimum gratum foret, prædictis tamen attentis causis, acceptamus. Ceterum quod nobis per easdem litteras congregationem nonnullorum perversorum hominum, & mentis tuæ virile propositum contra ipsos duxeris intimandum, gratum habuimus, teque exinde plurimum in Domino commendamus, nobilitatem tuam rogantes attentè, quatinus nequitiam ipsorum qui ad turbationem populorum Christi fidelium, & ad depopulationes & rapinas, cædes, incendia & spolia eorumdem conantur nequiter & intendunt diligenter considerans, adversus eorum insanos ausus & conatus temerarios, ne per passus & loca tuæ subjecta potentiæ transire valeant, tam potenter quam efficaciter te opponas, ut tuis impedimentis viriliter obsistentibus eisdem perversa ipsorum intentio, & eorum nefaria malignitas confundatur, tuque propterea propter divinæ retributionis præmia digna apud nos & sedem apostolicam, & ipsorum Christi fidelium populos laudum præconia merearis. Datum Avenione Idibus Februarii anno nono.

EPISTOLA XLV.

Ad Johannem de Ria dominum de Blancon.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro JOHANNI DE RIA, domino de Blancon senescallo Burgundiæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper tam per litteras dilecti filii nobilis viri PHILIPPI ducis Burgundiæ, quam tuas, apertè cognovimus, qualiter conditione temporum faciente redire ad nos juxta nostræ voluntatis beneplacitum & tuæ devotionis affectum non valebas ad præsens. Nos itaque licet gratum duxissemus plurimum & acceptum personam tuam in nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis occupari, præmissis tamen attentis causis, tuæ nobilitatis absentiam præsentialiter ducimus acceptandam. Ceterum cum sicut ex dictis accepimus litteris, nonnulla malignæ gentis armigeræ comitiva in numero nimium copioso ad transeundum per partes Burgundiæ se accingat, & propterea idem Dux contra gentem ipsam suas opponere vires intendat tam favorabiliter quam potenter, nobilitatem tuam requirimus & hortamur attentè, quatinus circa præstanda eidem genti impedimenta, ne per passus & loca dicto duci subjecta transire valeant, & ad ipsius gentis temerariam audaciam confundendam, præfato duci tam strenuè quam consultè pro viribus tuis assistas, ut Dei & communis commodi agendo negotium divinæ retributionis præmia & humanæ laudis præconium merearis. Datum *ut supra*.

EPISTOLA XLVI.

Ad priorem sancti Eutropii.

Ut bona defuncti episcopi Xantonensis sedi apostolicæ reservata, ipsius auctoritate colligat.

Dilecto filio priori S. EUTROPII XANTONENSIS diocesis in provincia Burdegalensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis causis rationabilibus dispositionem bonorum mobilium ac debitorum & creditorum, quæ bonæ memoriæ episcopus Xantonensis tempore sui obitus haberet, vel pertinerent quomodolibet ad eumdem, nobis duximus reservandam. Cum autem præfatus episcopus rebus fuerit humanis exemtus, nos conservationi bonorum ac debitorum & creditorum hujusmodi providere volentes, discretioni tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus per te vel alium seu alios bona debita & credita ipsa quæcumque & qualiacumque fuerint in civitate & diocesi ac provincia Xantonensi, vel aliquibus eorum parte seu partibus constituta, de quibus si expediens videris, summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura judicii, te informes, petere, exigere, & recipere ad integritatem procures contradictores, &c. Nonobstante si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim tibi absolvendi, & quittandi, plene & libere omnes & singulos eos à quibus bona, debita & credita hujusmodi receperis, de hiis dumtaxat quæ ab eis recipere te continget, plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus autem quod de hiis quæ ab inde recipies cameram nostram per instrumentum seu instrumenta publica certifices indilatè. Datum Avenione Idibus Februarii anno nono.

In eodem modo, dilecto filio Johanni Raymundi canonico sancti Petri Puellarum apostolicæ sedis nuntio in provincia Bituricensi, salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA XLVII.

Ad Walterium militem, Johannem Scakaik & Ricardum Mussatum.

Laudata eorum erga sedem apostolicam reverentia, nuncios eis mittit.

Dilectis filiis nobilibus viris WALTERO militi & capitaneo gentis armigeræ, quæ

Magna Societas dicitur, & JOHANNI SCAKAIK ac RICARDO MUSSATO armigero nigro ejusdem capitanei Marescallo & Conestabulo, & universis in eadem societate consistentibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Per vestras litteras nobis per dilectos filios EUMENUM BEGAMON ordinis fratrum Prædicatorum pœnitentiarium nostrum & STEPHANUM DE TEGULA ordinis fratrum Minorum theologiæ baccalarium noviter præsentatas, in quibus inter cetera eisdem Eumeno & Stephano dari per nos fidem credentiæ postulastis, & ipsis nobis latius referentibus viva voce, benigne ac placide intelleximus, qualiter vos obedientiam vestram nostris beneplacitis & mandatis promtius offerentes, contra nos & Romanam curiam vestrum nullatenus dirigebatis propositum, nec nos & sedem apostolicam vel curiam ipsam intendebatis aliqualiter perturbare. Nos itaque oblationem ac reverentiam vestram hujusmodi, quam singulos Christi fideles habere convenit, acceptantes, & plurimum in Domino commendantes, ut vivæ vocis ministerio apertiùs quam scripturis nostra vobis super hiis quæ nobis intimare curastis, intentio innotescat, dilectum filium JOHANNEM FERDINANDI de Eredia, castellanum Empostæ, ordinis sancti Johannis Hierosolymitani, & præfatos Eumenum & Stephanum latores præsentium ad vestram ducimus præsentiam transmittendos, quibuscum ea reverentia quam ad nos & sedem præfatam haberi convenit & nobis curavistis, dabit vestra devotio plenam fidem. Datum Avenione Idus Februarii, Pontificatus nostri anno nono.

EPISTOLA XLVIII.

VEnerabilibus fratribus, &c. *ut in forma de securo conductu supra.*

Cum dilectos filios Eumenum de Bergamon ordinis fratrum Prædicatorum pœnitentiarium nostrum & Stephanum de Tegula baccalarium Theologiæ ordinis fratrum Minorum ad certas partes pro nonnullis nostris & Ecclesiæ Romanæ negotiis per nos commissis eisdem destinamus, universitatem vestram, &c. *ut in forma.* Datum *ut supra.*

LITTERÆ DE MENSE MARTII ANNO NONO.

EPISTOLA XLIX.

Ad Neapolitanos.

Ut regi Siciliæ adversus confœderatos iniquos auxilium ferant.

DIlectis filiis universitati civitatis NEAPOLITANÆ, salutem & apostolicam benedictionem.

Dum tranquillitatis & pacis ac bonorum multiplicium commoda, quibus regnum Siciliæ affluere felicioribus hactenus temporibus consuevit, in memoriam revocantes, ad diversarum deinde procellarum turbines, quibus regnum ipsum ab annis plurimis miserabiliter fluctuavit, oculos considerationis nostræ convertimus, tanto suis & incolarum ejus angustiis, incommodis & pressuris pio magis affectu compatimur, quanto gravius esse cognoscimus assuetos affluere deliciis adversitatibus perturbari. Sanè nuper ad audientiam nostram implacidus rumor adduxit, quòd nonnulli iniquitatis filii, quos de diversis nationibus in societatem, immò verius in perversitatem unam congregavit impietas, nonnullas regni præfati partes ad ipsius desolationem incendiis, depopulationibus, & rapinis, aliisque damnis plurimis, more prædonico intendentes, & religioni, ordini, dignitati, vel sexui non parcendo, nequiter invaserunt. Nos itaque, dilecti filii, adversus tam multiplices ejusdem regni angustias & pressuras ad auxilium divinæ potentiæ recurrentes, eum qui ventis imperat, & cessare facit spiritum tempestatis, suppliciter exoramus ac petimus, ut ipse per intercessionem & merita B. Petri apostolorum principis, cujus est regnum ipsum peculiaris hereditas vobis in omnipotentiæ suæ dextera suis adsit favoribus, ut regnum ipsum à temerariis talium perversorum tueatur conatibus, sicque carissimorum in Christo filiorum nostrorum LUDOVICI regis & JOHANNÆ reginæ Siciliæ illustrium ac fidelium & devotorum ipsorum consilia prospera virtute corroboret, & vires adaugeat eorumdem, quod sub ipsorum regis, & reginæ potentia malignantium hujusmodi confundatur iniquitas, & superbia conteratur. Nos etiam prout urgentis necessitatis celeritas patitur, quod in nobis est exequentes, adversus malignatores ipsos ac dantes eis in hujusmodi eorum præsumtionis insanæ auxilium, consilium, vel favorem spiritualis potestatis gladium exerimus, eosque incidisse in sententias & pœnas spirituales & temporales adversus invasores & impugnatores dicti regni per constitutiones apostolicas promulgatas per alias nostras litteras denunciari mandamus. Quocirca universitatem vestram monemus, requirimus & hortamur, vobisque salutis & honoris vestri obtentu expresè præcipimus & mandamus; quatenus considerantes attentè damna, opprobria, injurias, incendia, rapinas, & spolia, aliaque scelera, quæ talium congregationum exercere malignitas consuevit, & in regno præfato dudum exercuit, fidem vestram erga præfatos regem & reginam solida constantia conservantes, eisdem tam potenter quam favorabiliter ac efficaciter vestris auxiliis assistatis, ut tandem illo favente qui pro reipublicæ defensione laborantibus propitiatus assistit, malignantium ipsorum iniquitas à suis recipiscat conatibus, ipsumque regnum victis virtute malis debita securitate gaudeat, & solitæ dudum pacis & quietis dulcedine perfruatur. Datum Avenione xv. calendas Martii anno nono.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Pennensis, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Tranensis, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Brundisinæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati Fogiæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Monopolitanæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati Manfredoniæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Trojanæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati Baroli, S. &c.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Tarentinæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Aversanæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Capuanæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Adriensis, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Sulmonensis, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Tirnetanæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Aquilæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Cusentinæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis universitati civitatis Salernitanæ, S.

In eodem modo, carissimo in Christo filio ROBERTO imperatori Constantinopolitano illustri, &c. *usque* quocirca excellentiam tuam requirimus & hortamur, tibi nihilominus in remissionem peccaminum injungentes, quatenus, &c. *usque* consuevit, erga præfatos quoque regem & reginam zelum fraternæ caritatis exsolvens, eisdem tam favorabiliter ac efficaciter tuis assistas favoribus, & auxiliis oportunis, ut tandem illo favente, qui pro reipublicæ defensione laborantibus, &c. *usque in finem.*

In eumdem modum, carissimo in Christo filio LUDOVICO imperatori Bulgariæ regenti curiam vicariæ regni Siciliæ illustri, &c. *usque* quocirca excellentiam tuam requirimus & hortamur, tibique mandamus, quatinus erga præfatos regem & reginam studium curæ diligentis ostendens eisdem pro viribus tuis intendas favorabiliter & assistas, ut tandem, &c. *usque in finem.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro LUDOVICO DE DURACIO salutem, &c. *usque* hereditas, ejusdem regni incolis, &c. *usque* hortamur, tibique nihilominus in remissionem tuorum peccaminum injungentes, quatenus, &c. *usque in finem.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro PHILIPPO de Tarento, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro NICOLAO comiti Melfiensi magno senescallo regni Siciliæ.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro GOFFRIDO comiti Squillatii regni Siciliæ admirato.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro ROGERIO comiti Celani, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro ANTONIO DE S. SEVERINO comiti Marsici, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Francisco de Baucio duci Andriæ, S.

In eodem modo, dilectis filiis nobilibus viris THOMASIO ET HUGONI DE S. SEVERINO fratribus, salutem & apostolicam benedictionem.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro PHILIPPO DE SANGINATO comiti Altimontis.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro ROGERIO DE S. SEVERINO comiti Militensi.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro... comiti Laureti, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro THOMASIO comiti Cereti, S.

In eodem modo, dilectis filiis nobilibus viris THOMASIO, JACOBO ET FRANCISCO DE S. SEVERINO fratribus militibus, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro NEAPOLEONI de filiis Ursi comitis Manupelli.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro comiti Montis Odorisii, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro comiti Sanctæ Agatæ, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro GUILLELMO comiti de Asperch. S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Nicolao comiti Nolano, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro ANTONIO comiti Casertano, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro RAYMUNDO comiti Soleti regni Siciliæ comiti camerario, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Corrado de Aquaviva comiti sancti Valentini.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro ANTONIO comiti Catauzerii.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro JOHANNOTO Extamdardo regni Siciliæ Marescallo, S.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Alexandro Brancatio regni Siciliæ marescallo, Salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA L.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Ut Dominico de Campo Cassio permittatur extrahere ex terris patrimonii sancti Petri in Tuscia frumentum.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem cum dilectum filium Dominicum de Campo-Cassio canonicum Januensem apostolicæ sedis nuntium pro emendis sex millibus modiorum frumenti pro usu nostrorum hospitii

& pagnotæ, destinandum ad partes provinciæ A nostræ patrimonii Beati Petri in Tuscia duxissemus, & nonnulli, prout acceperamus, officiales & nobiles partium prædictarum certis tuis, prout asserere dicebantur, mandatis, & prohibitionibus eis factis obstantibus, tractam integram hujusmodi quantitatis frumenti fieri prohiberent, & nonnulli etiam pro certa ejusdem frumenti quantitate, pedagia & gabellas exigere attentarent. Nos tam nostris & Romanæ Ecclesiæ officialibus universis in eisdem partibus consistentibus, B quam nonnullis personis aliis per nostras certi tenoris litteras expresse mandavimus, quod frumentum prædictum usque ad præfatam quantitatem libere per eumdem nuncium extrahi de terris & locis ejusdem patrimonii permitterent, ipsumque nuntium in hujusmodi negotio nullatenus impedirent. Cum itaque, sicut accepimus, tota prædicti frumenti quantitas aliquibus impedimentis obstantibus nondum sit tracta de terris & locis eisdem, & ad præsens faciente nonnullorum nequitia perversorum, C qui ad turbationem Romanæ curiæ & circumstantium populorum in loco de Sancto-Spiritu Uticensis diocesis prope curiam ipsam in ripa fluminis Rodani sito nequiter convenerunt, & ibidem consistunt, tam de Burgundia, quam de nonnullis aliis partibus, frumentum & alia victualia deferri ad dictam curiam nequeant, ut solebant, propter quæ dicta quantitate frumenti plusquam primitus indigemus, & nisi integra celeriter habeatur, præfatum nostrum hospitium & præcipuè pagnota ipsa D defectum non modicum paterentur, quod tolerare pietatem apostolicam non deceret. Volumus & fraternitati tuæ mandamus, quatenus non obstantibus quibuscumque mandatis contrariis per te vel quoscumque officiales tuos, seu Romanæ Ecclesiæ quacumque auctoritate factis, quæ auctoritate apostolica quoad hæc suspendimus & tollimus per præsentes, eisdem officialibus & aliis de quibus tibi videbitur expedire, mandes per tuas litteras speciales, quod dictam frumenti quantitatem per dictum nuncium nostrum vel alium seu alios, E cui seu quibus hæc ipse commiserit, liberè extrahi de prædictis patrimonii partibus absque contradictione, impedimentis, gabellis, pedagiis, vel exactionibus quibuscumque permittant: quin immò eidem nuntio & deputatis ab eo in hac parte præbeant auxilium, consilium vel favorem: & si quid pro prædictis foret exactum ultra pretium emtionis, illud restitui mandes & facias indilatè, tuaque nihilominus circumspectio alias, prout expedire cognoverit, pro hujusmodi acceleratione negotii dare studeat F operam efficacem, & quia ex præmissa & aliis causis & impedimentis præsertim sterilitatis, quæ in partibus istis fuit caritudo bladorum in curia prædicta invaluit & magis invalescere in antea pertimetur. Nos volentes de opportunis in hac parte providere remediis, eidem Dominico, postquam dicta prima sex millium modiorum de partibus supradictis extraxerit, extrahendi denuò per se, vel alium seu alios ex dictis partibus, & ad eamdem curiam deferendi usque ad similem quantitatem sex millium modiorum frumenti, solutis tamen per eos consuetis juribus pro secunda tracta hujusmodi debitis, quibuscumque personis concessimus per nostras litteras facultatem. Ideoque volumus, & eidem fraternitati tuæ mandamus, quatenus eisdem officialibus mandes expresse, quod præfato Dominico seu personis ad hoc deputatis ab ipso, præmissa secunda sex millia modiorum cum dicta consueta solutione jurium extrahi sinant de partibus ipsis sine contradictione quacumque; quodque donec ipsa secunda sex millium modiorum emta fuerint, aliam tractam frumenti exinde fieri aliquatenus non permittant, nec concedant etiam facienda. Datum Avenione XIV. calendas Martii anno nono.

EPISTOLA LI.

Ad Dominicum de Campo-Cassio canonicum Januensem.

Ut ex terris patrimonii S. Petri in Tuscia frumenta ad curiam transmittat.

Dilecto filio Dominico de Campo-Cassio canonico Januensi apostolicæ sedis nuntio, salutem & apostolicam benedictionem.

Quæ ad utilitatem publicam pertinere cognoscimus; cunctis libenter concedimus, & illis præsertim qui in nostris & apostolicæ sedis negotiis fideles & industrii sunt probati. Cum itaque ex sterelitate nimia quæ in vicinis partibus fuit, & nonnullis iniquitatis filiis impedientibus de Burgundia & certis aliis partibus frumentum & alia victualia ad Romanam curiam deferri non valeant ut solebant, & propterea caritudo dictorum frumenti & victualium invaluerit in curia prælibata, nos volentes in hac parte de oportuno remedio providere, de tua fidelitate & industria confidentes, tibi postquam de sex millibus modiorum frumenti pro usu nostrorum hospitii & pagnotæ per te juxta mandatum nostrum tibi per nostras alias litteras factum, provisum integrè fuerit, emendi liberè per te vel alium, seu alios in partibus vestris patrimonii B. Petri in Tuscia, & ab inde extrahendi, & ad curiam ipsam deferendi, salmas frumenti totidem, consuetis tamen juribus pro hujusmodi tracta quantitate frumenti quibuscumque personis debitis persolutis, non obstantibus quibuscumque prohibitionibus seu mandatis per nos vel venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum, seu per alios nostra vel ipsius auctoritate in contrarium factis, plenam concedimus tenore præsentium facultatem, mandantes omnibus & singulis nostris & dicti legati officialibus, quod dictam frumenti quantitatem in eisdem partibus emi, & ab inde illam extrahi persolutis, ut præmittitur, consuetis juribus pro hujusmodi tracta debitis quibuscumque personis,

liberè & sine ulla contradictione permittant. Volumus autem quod ab illo vel illis quem seu quos ad hoc deputaveritis cautiones idoneas recipias, quod hujusmodi quantitatem frumenti, ad dictam curiam deferri facient quam citò commode poterunt bona fide. Datum Avenione XIV. calendas Martii anno nono.

EPISTOLA LII.

Ad Jordanum de filiis Ursi, &c.

Ut frumenta ex terris patrimonii S. Petri in Tuscia extrahi, & ad curiam transportari permittant.

Dilectis filiis nobili viro Jordano de filiis Ursi rectori, & Angelo Tavernini Thesaurario provinciæ nostræ patrimonii B. Petri in Tuscia ac vicario & septem præsidentibus populi Urbevetani; nec non communitatis Tuscanensis & castrorum Corneti & Montis-alti & aliis quorumcumque terrarum & locorum universitatibus, ceterisque officialibus aliis & personis præsentibus & futuris dictæ provinciæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem dilectum filium Dominicum de Campo-Gassio canonicum Januensem apostolicæ sedis nuntium pro emendis sex millibus modiorum frumenti pro usu nostrorum hospitii & pagnotæ, ad partes provinciæ nostræ patrimonii B. Petri in Tuscia duximus destinandum, volentes & per apostolicas litteras mandantes quod universi & singuli de dicta provincia dictam quantitatem frumenti permitterent liberè trahi de terris provinciæ prælibatæ. Postmodum verò in Romana curia frumenti caritudine invalescente, præfato Dominico postquam præfata sex millia modiorum de jam dictis terris seu partibus extraxisset, extrahendi denuò ex eis per se vel alium seu alios & ad eamdem curiam deferendi usque ad similem quantitatem sex millium modiorum frumenti, solutis tamen per eos consuetis juribus pro secunda tracta hujusmodi debitis quibuscumque personis, concessimus per nostras litteras facultatem. Quocirca vobis districtè præcipiendo mandamus, quatinus dicta prima sex millia modiorum liberè & expeditè, alia verò cum dicta consueta solutione jurium per præfatum Dominicum, seu alios ad hoc deputatos ab eo absque contradictione qualibet trahi de dictis partibus, & ad præfatam deferri curiam permittatis; non obstantibus quibuscumque prohibitionibus, mandatis, & præceptis de non extrahendo frumentum de terris, civitatibus, castris, villis & locis dictæ provinciæ patrimonii per vos vel venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum seu alios nostra vel ipsius seu quavis alia auctoritate factis, vel per eumdem legatum seu alios præter quam per nos in posterum faciendis, & pœnis in eis contentis, quæ quorumcumque tenorum existant, in quantum præmissis obviarent, auctoritate apostolica suspendimus & tollimus per præsentes, & ne idem Dominicus seu deputati ab ipso in emtione dictarum quantitatum frumenti valeant quomodolibet impediri, volumus & mandamus, quod donec ipsi prædictas integras emerint quantitates, nullam aliam tractam frumenti sinatis de dictis partibus fieri, nec concedatis etiam faciendam. Datum Avenione XIV. calendas Martii anno nono.

EPISTOLA LIII.

Ad patriarchas, archiepiscopos & episcopos, &c.

Commendat eis Henricum comitem de Elvatzburg.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis eorumque vices gerentibus, capitulis quoque ac conventibus ecclesiarum & monasteriorum ipsorum, ceterisque personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti & Augustini, & aliorum ordinum & domorum hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, beatæ Mariæ Theotonicorum, Calatravensis & humiliatorum magistris, prioribus & præceptoribus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius nobilis vir Henricus comes de *Elvatzburcg* ad certas partes de nostra conscientia & beneplacito se conferat, nos volentes ipsum cum familia sua in eundo, morando, & redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram, &c. *usque in finem.* Datum Avenione X. calendas Martii anno nono.

Item similis pro eodem consulibus, gubernatori, & rectori universitatis Montispessulanæ se conferente sub data, ut supra.

Item simili modo pro eodem ad venerabilem fratrem nostrum Guidonem *episcopum Portuensem apostolicæ sedis legatum, se conferente sub data qua supra.*

EPISTOLA LIV.

Ad archiepiscopos & episcopos, &c.

Episcopum autissiodorensem & abbatem S. Victoris Massiliensis ad eos nuntios mittit.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, aliisque ecclesiarum & monasteriorum prælatis ac nobilibus viris conestabulo, ac marescallo Franciæ, & senescallo Provinciæ, nec non ceteris syndicis seu nunciis nonnullarum universitatum regni Franciæ in senescallia Bellicardi, salutem & apostolicam benedictionem.

A Ut super certis negotiis bonum publicum concernentibus nostræ mentis intentio tam vivæ vocis oraculo, quam litterarum serie, vobis plenius innotescat, venerabilem fratrem nostrum ITERIUM episcopum Autissiodorensem, & dilectum filium STEPHANUM abbatem monasterii sancti Victoris Massiliensis latores præsentium per nos de ipsa intentione nostra vobis explicanda latius informatos ad vos ducimus præsentialiter destinandos: Quibus super hiis quæ ipsi vobis pro parte nostra exponenda duxerint per vos dari volumus plenam fidem. B Datum Avenione v. calendas Martii anno nono.

EPISTOLA LV.

Ad Simonem de Buccanigro ducem Januensem.

Ut permittat per terras suas transvehi frumentum ad usum hospitii sui & pagnotæ.

C Dilecto filio nobili viro Simoni de Buccanigro duci Januensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius Dominicus de Campo-Cassio canonicus Januensis, apostolicæ sedis nuncius de partibus provinciæ nostræ patrimonii B. Petri in Tuscia ad terram Correti conduci fecerit certam frumenti quantitatem pro usu nostrorum hospitii & pagnotæ, de mandato nostro ad nostram curiam Romanam deferendam, nobilitatem tuam rogamus & hortamur attentè, D quatinus eidem nuncio pro delatione frumenti hujusmodi conducendi per se vel alium seu alios de partibus tuæ potestati subjectis, galeas & alia vasa maritima & eadem in præfata terra Correti dicta quantitate frumenti onerandi, & ad curiam ipsam deferendi liberam concedas, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia facultatem, prædicto nuncio præter hæc in hujusmodi negotio tua, prout expediens fuerit, impensurus auxilia & favores. Datum Avenione v. calendas Martii anno nono.

E

EPISTOLA LVI.

Ad Philippum episcopum Florentinum.

Ut Andream de Strata canonicum Florentinum de prioratu S. Salvatoris quamprimum vacare contigerit provideat.

Venerabili fratri PHILIPPO episcopo Florentino, salutem & apostolicam benedictionem.

F Dudum consideratione dilecti filii magistri Zenobii de Florentia capellani & secretarii nostri nobis humiliter supplicantis, dilecto filio Andreæ magistri Johannis de Strata canonico Florentino, ejusdem magistri Zenobii germano, de prioratu curatæ & collegiatæ ecclesiæ sancti Salvatoris Florentinensis, qui tunc certo modo vacare sperabatur quamprimum, illam eodem vel alio quovis modo præter quam per mortem prioris tunc præsentis vacare contingeret, mandavimus per nostras litteras provideri. Cum itaque deceat te provisionibus per nos factis & quas fieri mandamus, tamquam devotionis filium, ad nos & Romanam Ecclesiam habendo reverentiam, ut teneris, tui favoris auxilium impendere, & adversus contradictores tuum præsidium favorabiliter erogare, fraternitatem tuam hortamur attentè, quatinus eidem Andreæ in assecutione provisionis prædictæ, quam primum prioratum eumdem, ut præmittitur, vacare continget, taliter te favorabilem exhibeas & benignum, quod nostræ litteræ debitum consequantur effectum, per quem apud nos & alios de sinceritate devotionis sis meritò commendandus, nec sit opus super hoc de alio remedio providere. Datum Avenione calendas Martii anno nono.

EPISTOLA LVII.

Ad Johannem episcopum Vercellensem.

Ne confœderationes sibi non gratas faciat, & ut navibus Marchionis Montis-ferrati victualibus onustis liberum det transitum.

Venerabili fratri JOHANNI episcopo Vercellensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem per nostras litteras fraternitatem tuam attentam reddidisse recolimus, ut cum nonnullis personis, per quas sollicitabaris, nobis & Romanæ Ecclesiæ minus gratis colligationes & fœdera seu ligas facere abstineres. Cum autem prout ad nostram pervenit audientiam, tu non obstantibus litteris præfatis, aures præbere hujusmodi colligationibus videaris, idque menti nostræ eo magis admirandum insurgat, quo te tamquam membrum ejusdem Ecclesiæ ad ea magis attendere convenit, quæ nobis & sedi apostolicæ grata fore noveris & accepta, ab eorumque contrariis abstinere, fraternitatem eamdem sicut iterum sic attentius monemus & hortamur: nihilominus mandantes eidem, quatinus colligationes, confœderationes seu ligas hujusmodi cum personis prædictis, quas nobis & præfatæ Ecclesiæ minus gratas esse debere, si tecum bene & diligenter ipsorum gesta recogites, novisse circumspectio tua potest, nostra & dictæ sedis inconsultà conscientia, facere non præsumas. Ceterum cum noviter pro parte dilecti filii nobilis viri JOHANNIS Marchionis Montis-ferrati nonnulla navigia victualibus & aliis rebus ad terras suas deferendis onerata per partes seu portus tuæ ditioni subjectos transire habeant, prout nobis asseritur, volumus & eidem fraternitati tuæ mandamus, quatinus navigia hujusmodi cum personis, victualibus & rebus prædictis per passus seu portus & loca dictæ tuæ ditioni subjecta liberè transire permittas, & permitti mandes & facias per officiales tuos sine contradictione quacumque. Datum Avenione nonas Martii anno nono.

EPISTOLA LVIII.

Ad Johannem regem Francorum.

Ad stabiliendam pacem inter Carolum ducem Britanniæ & Johannem comitem Montis-fortis, mittit Androynum abbatem Cluniacensem.

CArissimo in Christo filio JOHANNI regi Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nos stabilis quietis & duraturæ tranquillitatis in regno tuo præcipuè bonum & commodum paternis desideriis affectemus, nimirum placide intelleximus ea, quæ super terminanda discordia & concordia reformanda inter dilectos filios nobiles viros CAROLUM ducem Britanniæ & JOHANNEM comitem Montis-fortis tua nobis serenitas per suas litteras intimavit; propter quod ad cujuslibet quæstionis materiam inter præfatos ducem & comitem, duce Domino, terminandam, paternis intervenire consiliis & favoribus intendentes; dilecto filio ANDROYNO abbati monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, de cujus prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, per nostras damus patentes litteras specialiter in mandatis, quatinus ad locum, in quo infra certum tempus partes ipsæ convenire debent, indilatè se conferens, circa reformationem dictæ concordiæ auctoritate nostra insistat, prout expedire viderit, favoribus, consiliis & auxiliis opportunis. Rogamus itaque serenitatem eamdem, & attentius deprecamur, quatinus sicut per te & carissimum in Christo filium EDUARDUM regem Angliæ illustrem laudabile hujusmodi pacis & concordiæ negotium, regia prudentia inchoatum existit, ita quantum in te fuerit excellentiæ tuæ ad id ministrando suffragia fine debito terminetur, ut per hoc regnum ipsum sicut in capite, sic in membris expectatæ jamdudum pacis & tranquillitatis dulcedine perfruatur. Datum Avenione IV. Idus Martii anno nono.

EPISTOLA LIX.

Ad Eduardum regem Anglorum.

Ejusdem argumenti.

CArissimo in Christo filio EDUARDO regi Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit nuper ad audientiam nostram, qualiter tam tu quam carissimus in Christo filius noster JOHANNES rex Franciæ illustris pro tractanda concordia inter dilectos filios nobiles viros CAROLUM ducem Britanniæ & JOHANNEM comitem Montis-fortis certos diem & locum in quibus ipsi coram vobis seu commissariis vestris convenire debeant statuistis. Nos itaque hujusmodi regiæ deliberationis pro tam salubri materia consilium plurimum in Domino commendantes, ac incepta per vos laudabiliter fine terminari debitò cupientes, dilectum filium

A ANDROYNUM abbatem monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, cujus provida sollertia & solers prudentia in magnis & arduis se nobis & sedi Apostolicæ claram fecit, ad interponendum circum concordiam hujus apostolicæ auctoritatis partes debitas tamquam pacis angelum ad locum præfatum duximus destinandum. Quocirca serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatinus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, eidem abbati B tuis assistendo favoribus, & consiliis inhærendo, pro sedanda discordia inter prædictos ducem & comitem ac pace stabili ratione communis commodi reformanda dare velit magnitudo regia, prout expedire viderit opem & operam efficacem. Datum *ut supra.*

EPISTOLA LX.

Ad Androinum abbatem Cluniacensem.

C *Ut ad locum destinatum coram Franciæ & Angliæ regibus ad reformandam pacem inter Carolum ducem Britanniæ & Johannem comitem Montis-fortis se transferat.*

DIlecto filio ANDROYNO abbati monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Attendentes quanta ex discordia dudum exorta inter dilectos filios nobiles viros CAROLUM D ducem Britanniæ & JOHANNEM comitem Montis-fortis regno Franciæ damna, scandala & incommoda pervenerunt, ac cupientes regnum ipsum sicut in capite sic in membris in pacis solatio respirare, cum, sicut accepimus, præfati dux & comes infra certum terminum, & ad certum locum super tractatu pacis inter eosdem, duce Domino, reformandæ, coram carissimis in Christo filiis nostris, JOHANNE Franciæ & EDUARDO Angliæ regibus illustribus, seu eorum commissariis ad hæc specialiter E deputatis debeant convenire: Te tamquam pacis angelum ad locum præfatum, ut solita tua prudentia, prout in majoribus consuevit, se in hujusmodi laudabili negotio utiliter exerceat, prout ex patentibus litteris per nos tibi directis colligere poteris, duximus destinandum. Discretionem itaque tuam hortamur attentè, quatinus ad locum eumdem te personaliter conferens, circa concordiam ipsam, in qua proculdubio communis commodi negotium non minus agitur quam privati, tuis apud partes ipsas assistendo F consiliis, & condignis exhortationibus insistendo, juxta datam tibi à Deo prudentiam, dare studeas pro viribus operam efficacem. Datum *ut supra.*



EPISTOLA LXI.

Ad Carolum ducem Britanniæ.

Hortatur ad pacem cum comite Montis-fortis faciendam, & ut consiliis abbatis Cluniacensis, quem ad id dirigit, obedire velit.

Dilecto filio nobili viro CAROLO duci Britanniæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Si bonum pacis, sine quo nullius boni esse potest perfecta conditio, diligenter attendas, si quanta mala & scandala dudum provenerint ex discordia, quam olim inter te & dilectum filium nobilem virum JOHANNEM comitem Montis-fortis pacis æmulus, hostis humani generis suscitavit, & quanta commoda tam publica quam privata secum allatura sit vestra concordia tecum consideres diligenter, animum tuum, dilecte fili, ad quietem & pacem cum dicto comite proculdubio inclinabis. Cum itaque tam tu quam idem comes ad certum locum infra certi temporis spatium, coram carissimis in Christo filiis nostris JOHANNE Franciæ & EDUARDO Angliæ regibus illustribus, seu eorum commissariis ad hoc specialiter deputatis, super terminanda inter vos quæstionis materia, & pro hujusmodi sedanda discordia debeatis, sicut nuper accepimus, convenire: Nos quietem & concordiam ipsam inter vos summis desideriis affectantes, dilectum filium ANDROYNUM abbatem Monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis ad interponendum pro parte nostra paternæ sollicitudinis studia, & expectatum pacis hujusmodi fructum efficaciter reportandum, ad locum præfatum tamquam pacis angelum providimus destinandum. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatinus non quid tu velis, sed quid velle te deceat; non quid sensus suadeat, sed quid ratio dictet, attentè considerans, abbatem eumdem pro nostra & apostolicæ sedis reverentia debito honore suscipiens, ejusque monitis & salutaribus consiliis acquiescens, animum tuum ad habendam inter te & comitem præfatum tranquillitatem & pacem, benignus inclines, ut per hoc apud eum qui pacis est auctor divinæ retributionis merearis præmia, apud nos & sedem præfatam crescas gratia, & apud Christi fidelium populos condignæ laudis præconium consequaris. Datum *ut supra.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Johanni comiti Montis-fortis, salutem, &c. *mutatis mutandis.* Datum *ut supra.*

EPISTOLA LXII.

Ad Johannis regis Franciæ commissarios, &c.

De pace tractanda inter Carolum ducem Britanniæ & Johannem comitem Montis-fortis.

Dilectis filiis nobilibus viris tractatoribus, auditoribus seu commissariis per carissimum A in Christo filium nostrum JOHANNEM regem Franciæ, illustrem super reformanda inter dilectos filios nobiles viros CAROLUM ducem Britanniæ & JOHANNEM comitem Montis-fortis concordia deputatis, salutem & apostolicam benedictionem.

Placide admodum intelleximus, quod tam vos, quam nonnulli pro parte carissimorum in Christo filiorum nostrorum JOHANNIS Franciæ & EDUARDI Angliæ regum illustrium super B sedanda quæstionis materia dudum exorta inter dilectos filios nobiles viros CAROLUM ducem Britanniæ & JOHANNEM comitem Montis-fortis, tractatores, auditores seu commissarii deputati debetis, & dicti dux & comes similiter ad certum locum infra certi temporis spatium convenire. Nos itaque inter eosdem ducem & comitem stabilem informari concordiam eo magis paternis affectibus cupientes, quo ex concordia ipsa plurima fore speramus tam publica quam privata commoda proventura, ac C propterea ad consummationem ejusdem concordiæ celerem & votivam partes nostras interponere, prout nobis suadet pastoralis officii debitum intendentes, dilectum filium ANDROYNUM abbatem monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis tamquam pacis angelum ad conveniendum vobiscum ac cum duce & comite prædictis ad locum præfatum providimus destinandum. Quocirca nobilitatem vestram requirimus & hortamur attentè, quatinus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia abbatem eum- D dem honorificentia debita pertractantes, ejusque acquiescentes monitis & consiliis, ac circa hujusmodi salubre negotium fine debito terminandum favorabiliter assistentes, eidem super hiis quantum ad concordiam ipsam expedire videritis vestræ prudentiæ sollicitis studiis efficaciter intendatis. Datum *ut supra.*

In eodem modo, dilectis filiis nobilibus viris tractatoribus, *&c. ut in proxima usque* per carissimum in Christo filium nostrum Eduardum regem E Angliæ illustrem super reformanda inter dilectos filios nobiles viros, *&c. ut in proxima usque in finem mutatis mutandis.* Datum *ut supra.*

EPISTOLA LXIII.

Ad Androynum abbatem Cluniacensem.

De pace tractanda inter ducem Britanniæ & comitem Montis fortis.

F Dilecto filio ANDROYNO abbati monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit nuper ad audientiam nostram, quod carissimi in Christo filii nostri JOHANNES Franciæ & EDUARDUS Angliæ reges illustres, ad exortam dudum discordiam inter dilectos filios nobiles viros CAROLUM ducem Britanniæ ex parte una, & JOHANNEM comitem Montis-fortis ex parte altera super ducatu Britanniæ

Britanniæ fine laudabili terminandam, certos A dies & locum in quibus partes ipsæ convenire debeant coram tractatoribus, auditoribus seu commissariis per reges eosdem super sedanda hujusmodi discordia ordinatis, concorditer statuerunt. Cum itaque pacis reformatio inter reges, ducem & comitem ad bonum publicum pertinere noscatur, ex quorum dissensione damna & incommoda plurima provenerunt hactenus, & graviora in posterum, nisi eis quietis succurratur beneficio, formidantur: nos qui B personarum omnium tranquillitatem & pacem, illarum tamen præcipuè ex quibus populis Christi fidelibus plura sperantur commoda proventura, paternis desideriis affectamus, dispositionem & ordinationem hujusmodi dictorum regum plurimum commendantes, de tuæ quoque circumspectionis industria fiduciam gerentes in Domino singularem, ac in eo cujus est pacis spiritum in discordantium animis inspirare, sperantes indubie, quod tu sicut te nobis & sedi apostolicæ in majoribus tibi commissis negotiis C magnis dignum præconiis reddidisti, similiter in hujusmodi negotio te laudabiliter & utiliter exercebis, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus ad locum præfatum te personaliter conferens indilatè, circa reformationem concordiæ & pacis hujusmodi juxta datam tibi à Deo prudentiam, dare studeas sollicitis studiis & solerti diligentia operam efficacem, præfatis tractatoribus, auditoribus seu commissariis tuis quibus expedire videris assistendo consiliis, & apud partes prædictas pro D parte nostra persuasionibus & exhortationibus insistendo, in præmissis te taliter habiturus, quod præter divinæ retributionis præmia apud nos & sedem præfatam ulteriora tibi continuò laudum proveniant incrementa. Nos enim tibi ordinandi, disponendi, terminandi, & auctoritate nostra confirmandi, si ad id per partes ipsas requisitus fueris, & alia quæ ad hæc expedienda videris faciendi, plenam & liberam concedimus potestatem. Datum Avenione IV. Idus E Martii anno nono.

EPISTOLA LXIV.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

De tractatu faciendo cum Aldobrandino Marchione Estensi de vicariatu urbis Bononiæ, aliisque negotiis.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Sabi- F nensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex quarumdam serie litterarum, quas venerabili fratri nostro... episcopo Seguntinensi, & dilecto filio Nicolao Spinello de Neapoli legum doctori tua fraternitas noviter destinavit, inter cetera intelleximus certum tractatum inter te & dilectum filium nobilem virum ALDOBRANDINUM Marchionem Estensem super Bononiensi negotio habitum, cum distinctis capitulis, quæ ut breviter perstringamus, quantum colligere potuimus, in summam hanc rediguntur. In primis videlicet, quod tua fraternitas pro posse procurare debeat per nos eidem marchioni ad quinquennium vel saltem ad quadriennium committi vicariatus civitatis nostræ Bononiensis, ejusque comitatus, & districtus cum potestate & juridictione plenaria, prout alias per felicis recordationis CLEMENTEM papam VI. prædecessorem nostrum bonæ memoriæ JOHANNI archiepiscopo Mediolanensi concessus extitit & commissus. Quodque annis singulis durante vicariatu prædicto, idem marchio pro censu realiter assignabit vel assignari faciet cameræ Apostolicæ, ubicumque contingat Romanum pontificem cum Romana curia residere, XXIV. millia florenorum auri boni ponderis & cunei Florentini in duobus terminis, de quibus nobis videbitur & placebit. Ipse quoque marchio dictos civitatem & districtum ad honorem & statum Romanæ Ecclesiæ atque nostrum & fratrum nostrorum ejusdem Ecclesiæ cardinalium, ac quietem & pacem civium & districtualium prædictorum civitatis & comitatus reget ac etiam gubernabit, & in fine dicti quinquennii vel quadriennii civitatem, comitatum & districtum præfatos & fortalicia ipsorum quælibet Romanæ Ecclesiæ liberè, & sine contradictione & controversia aliqua resignabit. Additur insuper in eisdem tuis litteris ad prædicta, quod idem marchio promittet bona fide statum Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ defensare. Quod si Bernabos, de Vice-comitibus miles Mediolanensis, vel alius quicumque de quo posset verisimiliter conjectari, quod ad hoc ejus duceretur auxilio vel favore, guerram gereret vel moveret contra personam tuam seu quascumque ipsius Ecclesiæ terras in Italia consistentes, ipsosque Bernabovem, vel personam aliam in hujusmodi guerra mille barbutas vel ultra habere, aut si quod absit, aliquam ex civitatibus ipsius Ecclesiæ contingat in dictis Italiæ partibus rebellare; idem marchio, guerra hujusmodi & dicti vicariatus officio perdurante, de trecentis equitibus seu barbutis vivis, ut tuo utamur vocabulo, & ultra, illas bona fide quantum se sua facultas extenderit servire nobis & præfatæ Ecclesiæ teneatur. Si autem castrum aliquod in dictis Italiæ partibus rebellare, vel dictum Bernabovem, seu alium modo præmisso contra castrum ipsum guerram movere contingeret; eo casu dictus marchio solummodo juxta conditionem guerræ & numerum hostium bona fide subvenire debeat Ecclesiæ prælibatæ: Ita tamen quod si eodem marchione in dicti vicariatus officio existente, dictus Bernabos exercitum teneret potentem contra dictos civitatem & districtum Bononiensem, videlicet trium millium barbutarum vel ultra, in casu isto gentem suam armigeram modo præmisso transmittere minimè teneatur, sed bona fide juxta possibilitatem suam considerato exercitu & exfortio Bernabovis ejusdem, tibi & officialibus nostris & ipsius Ecclesiæ sua præstare tantummodo auxilia & favores. Hoc etiam in dictis

tuis litteris vidimus contineri, quod dictus Marchio recuperare curabit pro posse & bona fide castra & fortalitia quæ occupata ad præsens per dictum Bernabovem seu alium ejus nomine detinentur, & recuperata tenere modo & forma quibus civitatem & comitatum ac districtum teneat supradictos. Adjuvabit præterea te & officiales nostros toto conamine & fide sincera circa recuperandum castrum Luci, quod per Bernarbovem eumdem præsentialiter occupatur, & ne hostes ipsius Ecclesiæ transire valeant in succursum castri ipsius seu terrarum aliarum rebellium dictæ Ecclesiæ, seu etiam ad illud vel terras ipsas rebelles victualia quæcumque deferri, disturbabit & impediet toto posse. Ad cautelam quoque & securitatem omnium prædictorum offert in obsidem & pro obside dilectum filium OBIZONEM natum suum nostro & dictæ Ecclesiæ nomine tenendum in civitate Avenionensi seu alibi, ubi nobis melius videbitur & placebit. Etsi, quod absit, OBIZONEM eumdem infra dictum terminum ex hac luce substrahi contingeret, eo casu per Marchionem ipsum unus ex fratribus ejusdem dabitur & assignabitur in obsidem modo & forma superius prænotatis. Post hæc omnia in eisdem litteris hoc erat adjunctum, quod facta eidem marchioni concessione de vicariatu præfato, idem marchio procurabit pro posse suo & fide pura, quod universitas Florentinensis stabit, & promittet, & pro eo cavebit de omnibus & singulis supradictis adimplendis per eum & plenarie observandis. Quod si prædicta universitas stare nollet, nihilominus concessio vicariatus ejusdem in suo esse remaneat, nec eidem concessioni in aliquo propterea derogetur. Nos itaque prædictis omnibus per nos cum nonnullis ex fratribus nostris prædictis in libramen debitæ considerationis adductis & diligenti ventilatione pensatis, licet hujusmodi rei cœptæ negotium optaremus fine magis laudabili terminari; quia tamen nonnumquam temporum conditio quædam fore acceptanda suadet, quæ humanis desideriis plenarie non respondent, vicariatum ipsum in temporalibus per nos dicto marchioni usque ad quadriennium, vel si aliter fieri nequeat, usque ad quinquiennium concedi, & prædicta omnia expressa superius acceptamus, ac propterea super præmissis potestatem tibi plenariam concedentes, eidem fraternitati patentes opportunas litteras cum præsentibus destinamus. Quia tamen venerabilis frater noster ARNESCUS archiepiscopus Pragensis & dilectus filius Guillelmus decanus Vissegradensis plurima nobis de liberali proposito carissimi in Christo filii nostri CAROLI Romanorum imperatoris semper Augusti & Bohemiæ regis illustris circa præstanda nobis & dictæ Ecclesiæ negotiis sua auxilia & favores sæpius retulerunt, nosque per eosdem dum pridem à nostra præsentia discederent, præfatum Bononiense negotium vivæ vocis oraculo eidem imperatori voluerimus affectuosius commendari, certas eisdem dantes credentiæ litteras cum nonnullis interclusis capitulis, quorum tibi copiam mittimus præsentibus interclusam, ac speremus verisimiliter imperatorem ipsum infra Kalendas Maii proxime futuras nobis esse favorabiliter cum efficacia operis responsurum. Id quoque, si ita evenerit, ut speramus, ad nostrum & dictæ Ecclesiæ majorem cederet decentiam & honorem, ac statum prosperum & tranquillum, & pacem ac quietem fidelium nostrorum & Ecclesiæ ipsius in eisdem civitate & districtu consistentium: propterea honestum & congruum reputamus confirmationem, seu tractatus consummationem hujus per te usque ad dicti temporis spatium sustineri: Ita tamen quod tractatus ipse propterea non desistat, sed continuetur potius, & juxta tuæ prudentiæ magnitudinem usque ad tempus prædictum honestè quantum fieri poterit protrahatur. Licet itaque præfatas patentes litteras tibi ducamus, ut præmittitur, præsentialiter destinandas, volumus tamen & eidem fraternitati mandamus, quatinus ad exequenda ea quæ in eisdem litteris continentur, usque ad prædictas Kalendas Maii proximè futuras nullomodo procedas, neque commissione utaris hujusmodi, nisi te, quod absit, ad id faciendum articulus inevitabilis necessitatis cogeret. Et quia carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO regi Ungariæ illustri per dilectum filium JOHANNEM præpositum Agriensem nuncium suum respondendum juxta sententiam quam tibi per alias nostras litteras duximus intimandam, propterea per te supersederi volumus usque ad præfatum tempus confœderationibus aut ligis per te cum dicto rege seu personis aliis faciendis. Hoc insuper fraternitatem tuam volumus non latere, quod venerabilis frater noster JOHANNES BONJOHANNES episcopus Firmensis ad præsentiam tuam se conferens indilatè de nostra conscientia & beneplacito prius sermonem habiturus est cum Bernabove prædicto super tractatu olim per dilectum filium NICOLAUM Soderini civem Florentium pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai comitis Melsiensis magni senescalli regni Siciliæ nobis exposito, quem siquidem tractatum verum fuisse & de consensu ac deliberatione dicti Bernabovis non ambigimus processisse, ipsumque magnum senescallum quæ per eum cum eodem Bernabove tractata fuerant nobis fideliter intimasse, ut si idem Bernabos tractatum ipsum juxta formam capitulorum, quæ alias fraternitati tuæ transmisisse recolimus, acceptandum duceret, quod tibi sine mora idem episcopus intimare curabit, tractatum hujusmodi eadem fraternitas dicto præferat tractatui, & acceptet eumdem. Interea verò donec præmissa tractantur usque ad tempus præfatum, nisi, ut præmittitur, inevitabilis cogeret necessitas, concessioni per te supersederi volumus prælibatæ. Ut autem circa concessionem ipsam in præfato termino & alias in casu præmisso consultius & maturius ac cautius procedere valeas, tenorem concessionis factæ dudum per dictum prædecessorem nostrum olim præfato archiepiscopo Mediolanensi tibi mittimus præsentibus interclusum, ut ex contentis in eo elicere valeas ea quæ tibi

in hac parte fore necessaria ac opportuna etiam videbuntur, tuque ex illis quantum expediens fore videris, modo præmisso consulte eligas, eaque perficias prout nostro & ecclesiæ Romanæ honori, ac statui, & tranquillitati civitatis, comitatus & districtus prædictorum cognoveris expedire, additis per te in obligationibus præstandis per marchionem ipsum in casu concessionis prædictæ, si contra promissa & jurata per eum aut præmissorum aliquod contravenire contingeret, de quibus tibi videbitur, quas tuæ providentiæ & tuæ deliberationis arbitrio ducimus relinquendas. Hoc unum post multa per te sub silentio tenendum, quod utique nobis foret acceptius, licet te id facturum etiam sine nostris scriptionibus nullatenus ambigamus, præsentibus vidimus annectendum, quod videlicet si tu guerram inchoatam sustinere, & dictam civitatem conservare, ipsamque ab impugnatione hostium valeres, aut etiam si id facere non valeas, & via aliqua mentis tuæ tractatu, aut viis & modis aliis prædictis nobis & dictæ ecclesiæ melior & honorabilior se offerret, prout sæpe præter expectatum divina benignitas subministrat, eo casu viam ipsam per te præeligi volumus, & tam in tempore prædicto quam ultra vias & modos alios penitus prætermitti. Datum Avenione III. Idus Martii anno nono.

EPISTOLA LXV.


Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Mittit ipsi conditiones sub quibus marchioni Estensi concedi debeat vicariatus Bononiensis.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Sedis apostolicæ providentia circumspecta, de cunctorum fidelium tranquillitate sollicita, circa ea potissime vigilem curam & operam efficacem impendit, ac paternis desideriis & sollicitis studiis diligenter intendit, per quæ fidelibus ipsis præsertim ecclesiæ Romanæ specialibus subditis pacis & prosperitatis assiduum sub bono & fideli regimine provenire valeat incrementum. Nuper siquidem venerabilis frater noster episcopus Seguntinus & dilectus filius Nicolaus Spinellus de Neapoli legum doctor certum tractatum cum nonnullis capitulis in tuis litteris per te transmissis eisdem distinctè contentis inter te & dilectum filium nobilem virum ILDEBRANDINUM marchionem Estensem super concessione vicariatus civitatis, comitatus & districtus Bononiensium ad nos & Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, per nos ad certum tempus sibi facienda habitum, per quem tranquillitati status, civitatis, comitatus & districtus eorumdem provideri utiliter sperabatur, nobis pro parte tua exponere tam sollicite quam provide curaverunt. Habita itaque super hiis deliberatione matura, prout rei gravitas exigebat, de tuæ circumspectionis

A industria quæ se in magnis & arduis nostris & præfatæ ecclesiæ negotiis, prout facti manifestat evidentia, multipliciter claram fecit, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac sperantes quod civitas & districtus prædicti per marchionem eumdem, de cujus fidelitate & devotione erga nos & Ecclesiam præfatam fiduciam gerimus in Domino singularem, ac nostri & ejusdem Ecclesiæ subditi & fideles in eisdem civitate & districtu consistentes, quietis & tran-
B quillitatis beneficio gaudere valebunt interius & exterius à nostrorum & ipsius Ecclesiæ hostium perfidia, tam potenter quam efficaciter dispensari; fraternitati tuæ concedendi eidem ILDEBRANDINO marchioni auctoritate nostra vicariatum, gubernationem, administrationem, & regimen in temporalibus civitatis, comitatus & districtus prædictorum pro nobis & sancta Romana Ecclesia usque ad annos quatuor à die concessionis per te eidem faciendæ, de vicariatu ipso in antea numerandos sub nonnullis
C infra scriptis conditionibus, conventionibus & pactis, & alias cum recognitionibus, confessionibus, promissionibus, approbationibus, obligationibus, cautionibus, pactis, summissionibus, sub pœnis, sententiis, juramentis, renunciationibus ac conditionibus aliis de quibus tibi videbitur plenam auctoritate apostolica concedimus tenore præsentium facultatem. Inter alia autem conventiones & pacta super concessione hujusmodi ordinanda signanter ea quæ sequuntur præsentibus declaranda providimus & specialiter exprimenda. In primis siquidem idem
D marchio promittet & in tuis manibus nostro & præfatæ Ecclesiæ nomine recipientis ad sancta Dei evangelia corporaliter manu tacta per se vel procuratorem suum legitimum jurabit, quod ipse civitatem, comitatum, & districtum præfatos ad honorem & statum dictæ Ecclesiæ atque nostrum & successorum nostrorum Romanorum pontificum, & collegii fratrum nostrorum ejusdem Ecclesiæ cardinalium, eorumque successorum, ac quietem & pacem civium & districtualium civitatis, comitatus & districtus ipsorum
E reget & fideliter gubernabit. Quodque finito tempore dictorum quatuor annorum civitatem, comitatum & districtum eosdem, & fortalitia ipsorum quælibet cum mero & mixto imperio, & aliis omnibus juribus & pertinentiis eorumdem bona fide, integre, libere & realiter cum effectu nobis vel successoribus nostris aut præfato collegio apostolica sede vacante resignabit, restituet & dimittet, ac etiam promittet, & se solemniter obligabit, ac modo præmisso jurabit, quod pro vicariatu, regimine seu rectoria, ad-
F ministratione, gubernatione civitatis, comitatus & districtus prædictorum, si ea eidem committenda seu concedenda duxeris, ac pro emolumentis & proventibus eorumdem civitatis, comitatus & districtus quæ ad eamdem Romanam Ecclesiam, ut præfertur, pertinent, habendis & percipiendis singulis annis vicariatus & regiminis, gubernationis & administrationis hujusmodi realiter suis periculis, sumtibus & expensis dabit & solvet pro censu & census nomine



nobis & Ecclesiæ Romanæ præfatæ ac collegio A prædicto, nec non dicta sede vacante apostolicæ cameræ & eidem collegio viginti quatuor millia florenorum boni & puri auri ac ponderis & cugni Florentinensis in Romana curia ubicumque fuerit, medietatem videlicet in beatorum apostolorum Petri & Pauli, & reliquam medietatem in nativitatis Domini festivitatibus solvendorum. Volumus & auctoritate prædicta decernimus quod si dictus marchio in solutione annui census prædicti defecerit, censum ipsum eidem Romanæ curiæ anno quolibet, ut præ- B mittitur, temporibus vicariatus & regiminis prædictorum in duobus terminis antedictis, ubicumque Romanus pontifex cum Romana curia, fuerit nobis & cameræ apostolicæ ac collegio supradictis, ac dicta sede vacante eisdem cameræ & collegio integre non solvendo, eo ipso excommunicationis sententia innodatus existat, ac civitas, comitatus & districtus prædicti ecclesiastico subjaceant interdicto. Promittet nihilominus & jurabit præmisso modo idem marchio statum Romanæ Ecclesiæ in par- C tibus Italiæ defensare, & si BERNABOS de Vicecomitibus miles Mediolanensis vel alia quæcumque persona, de qua posset verisimiliter conjecturari, quod ad hoc ejus duceretur auxilio vel favore, guerram gereret & moveret contra te vel alium apostolicæ sedis legatum in partibus Italiæ existentem, seu contra quascumque ipsius Ecclesiæ civitates, terras, castra, fortalitia & loca in eisdem Italiæ partibus consistentia, ipsosque Bernabovem vel personam aliam in ejusmodi guerra mille equites armige- D ros vel ultra habere, aut si, quod absit, aliquam ex civitatibus ipsius Ecclesiæ in dictis Italiæ partibus consistentibus rebellare contingat, idem marchio guerra hujusmodi, & dicti vicariatus officio perdurante, trecentos stipendiarios bonos sufficientes & bene munitos equites viros suis stipendiis sumtibus & expensis, & ultra, illis quantum sibi possibile fuerit tenebit in obsequium nostrum & successorum nostrorum, ac Ecclesiæ prælibatæ. Si vero castrum aliquod in dictis Italiæ partibus rebellare, vel E dictos Bernabovem seu personam aliam modo præmisso contra castrum ipsum dicto durante termino guerram movere contingeret, eo casu dictus marchio subvenire bona fide dictæ Ecclesiæ juxta conditionem guerræ hujusmodi & numerum hostium tantummodo teneatur. In casu verò quo eodem marchione in dicti vicariatus officio existente, dictus Bernabos exercitum teneret potentem contra dictos civitatem, comitatum & districtum, videlicet trium F millium Barbutarum vel ultra; marchio ipse ad tenendum modo præmisso gentem suam armigeram volumus non teneri; sed tantummodo bona fide attentis exercitu & exfortio Bernabovis ejusdem tibi & ipsis officialibus vestris & ipsius Ecclesiæ, sua præstabit auxilia & favores. Promittet etiam & se solemniter obligabit idem marchio recuperare pro viribus suis fide sincera castra & fortalitia quælibet eorumdem comitatus & districtus, quæ occupata ad præsens per dictum Bernabovem seu alium ejus nomine detinentur, & recuperata tenere modo & forma quibus tenebit civitatem, comitatum & districtum antedictos, ac etiam toto conamine & fidei sinceritate circa recuperationem castri Luci provinciæ Romandiolæ fideliter intendere, & ne hostes ipsius Ecclesiæ transire valeant in succursum castri ipsius seu terrarum aliarum rebellium ejusdem Ecclesiæ, aut etiam ad castrum ipsum vel terras ipsas rebelles victualia quæcumque deferri sollicitis conatibus, pro suis impedire viribus, & facere impediri, ad cautelam quoque & securitatem omnium prædictorum, prædictus marchio in manibus tuis in obsidem & pro obside dabit dilectum filium OBIZONEM natum suum nostro & dictæ Ecclesiæ nomine per te custodiendum, ponendum, tenendum, dicti vicariatus officio perdurante, ubi tibi melius videbitur & placebit, seu alibi ubi nos duxerimus ordinandum. Et si infra dicti temporis spatium Obizonem eumdem ex hac luce migrare contingeret, promittet & se solemniter obligabit modo & forma præmissis, eo casu, loco Obizonis prædicti in obsidem & pro obside dare nobis seu successoribus nostris, aut dicta sede vacante, præfato collegio unum ex fratribus suis tenendum similiter in obsidem, & pro obside ubicumque per nos seu successores nostros aut dictum collegium sede vacante fuerit ordinatum. Promittet insuper idem marchio se facta eidem per te concessione de vicariatu præfato pro posse suo & fide pura acturum & curaturum, quod universitas Florentina stabit & promittet, ac pro eo cavebit de omnibus & singulis supradictis adimplendis, & per eum plenarie ac efficaciter observandis. Si vero pro eo dicta universitas stare nollet, & pro ipso non staret, nihilominus concessionem vicariatus, gubernationis & administrationis & regiminis eorumdem in suo esse remanere volumus, & in nullo eidem propterea derogari. Volumus autem quod de constitutione & concessione vicariatus ejusdem, ac promissionibus, obligationibus, pactis, conventionibus & aliis præmissis per marchionem ipsum faciendis, & juramentis etiam roborandis duo vel plura confici facias instrumenta, quorum uno vel pluribus penes te retentis, consimilia nobis & sedi prædictæ quantocius studeat tua fraternitas destinare, & nihilominus quod tu à marchione prædicto ratione vicariatus ejusdem nostro & ejusdem Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis debitæ juxta formam annotatam præsentibus recipias juramenta quæ talis est. Ego ALDOBRANDINUS « marchio Estensis in civitate, comitatu & di- « strictu Bononiensi pro Domino meo Domino « INNOCENTIO papa sexto ac sancta Romana « Ecclesia vicarius generalis, ab hac hora in « antea fidelis & obediens ero B. Petro & eidem « Domino meo Domino INNOCENTIO suisque « successoribus canonice intrantibus, sanctæque « Romanæ Ecclesiæ, non ero in consilio aut con- « sensu vel facto, ut vitam perdant, aut mem- « brum, aut capiantur mala captione. Consilium « quod mihi credituri sunt per se, aut per nun- « cios, sive per litteras, ad eorum damnum, me « sciente, nemini pandam; & si scivero fieri vel «

» procurari sive tractari aliquid quod sit in eorum A » & dictæ Ecclesiæ damnum, illud pro posse impe- » diam, & si impedire non possem, illud eis signi- » ficare curabo. Papatum Romanum & regalia » sancti Petri, jura & jurisdictiones ipsius & succes- » sorum suorum & Romanæ Ecclesiæ tam in » civitate, comitatu & districtu prædictis, quam » alibi ubicumque consistentia adjutor eis ero ad » retinendum, deffendendum, & recuperandum, » & recuperata manutenendum contra omnem » hominem, universas & singulas promissiones, » conventiones, obligationes & pacta per me vel B » procuratorem meum facta & inita, & cetera » alia in receptione dicti vicariatus per me seu » nomine meo promissa, obligata & facta, & » conventiones & pacta præsentibus litteris appo- » sita, & omnia & singula, quæ continentur in » eisdem litteris plenarie adimplendo, & inviola- » biliter observando, nec ullo umquam tempore » durante vicariatu prædicto veniam contra illa, » præfatum vicariatus officium ad honorem san- » ctæ matris Ecclesiæ & ipsius Domini mei IN- » NOCENTII, & successorum prædictorum ac C » bonum statum civium & incolarum civitatis, » comitatus & districtus prædictorum sollicite & » fideliter exercebo, ac unicuique pro posse justi- » tiam observabo. Sic me Deus adjuvet & hæc » sancta Dei evangelia. Datum Avinione III. Idus Martii anno nono.

LITTERÆ DE MENSE APRILIS ANNO NONO.

EPISTOLA LXVI.

Ad Arelatensem, Januensem & Pisanum archiepiscopos.

De frumento transferendo è Tusciæ patrimonio S. Petri ad curiam.

D

VEnerabilibus fratribus Arelatensi, Januensi & Pisano archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & aliis archiepiscopis & episcopis ad quos præsentes pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum pro usibus nostrorum hospitii & pagnotæ, ad quam propter ingruentem ad præsens in Romana curia & circumstantibus partibus bladorum caritudinem major solito confluit pauperum multitudo, sex millia primo, & deinde pro usu Romanæ curiæ alia sex millia modiorum frumenti de provincia nostra patrimonii B. Petri in Tuscia deferri mandavimus ad curiam prælibatam, per nostras certi tenoris litteras universos Christi fideles, ad quos eædem nostræ litteræ pervenient hortati fuimus eis nihilominus sub excommunicationis F pœna, quam contrarium facientes, si infra tres dies mandatis nostris hujusmodi non parerent, incurrere voluimus ipso facto, præcipiendo mandantes, quod dicta prima sex millia cum navigiis & conductoribus ipsius quantitatis libere & expedite absque cujuslibet dacii & gabellæ, vel alterius vectigalis, aut cujuslibet alterius gravaminis, quocumque nomine censeretur exactione, & alia sex millia modiorum frumenti debitis & consuetis juribus persolutis, pro eis absque alio impedimento quocumque per passus, portus & loca ipsorum, ob nostram & apostolicæ sedis reverentiam, transire permittant. Volumusque nostras litteras super hiis confectas restitui præsentanti, & quemlibet contrarium facientem seu impedientem, quominus eidem præsentanti litteræ ipsæ restituantur, excommunicationis sententiam incurrere eo ipso. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus, si forte contingat aliquos super hiis quodcumque impedimentum præstare, vos, si pro parte conducentium seu conduci facientium frumentum prædictum fueritis requisiti, de præstantibus impedimentum ipsum simpliciter & de plano informare curetis, & eos quos in hoc inveneritis fore culpabiles, singuli vestrum in vestris civitatibus & diocesibus excommunicatos mandetis & faciatis auctoritate nostra publice nunciari, & à Christi fidelibus arctius evitari, ac nihilominus contra eos & participantes eisdem, alias per vos vel alium seu alios procedatis auctoritate prædicta, prout videritis expedire: donec nostris in hac parte mandatis paruerint humiliter & devote, & absolutionis beneficium meruerint obtinere. Datum Avenione XIV. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXVII.

Ad universos Christi fideles.

Ejusdem argumenti.

UNiversis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum pro usibus nostrorum hospitii & pagnotæ, ad quam propter ingruentem ad præsens in Romana curia & circumstantibus partibus bladorum caritudinem, major solito confluit pauperum multitudo, sex millia primo, & deinde pro usu Romanæ curiæ alia sex millia modiorum frumenti de provincia nostra patrimonii E B. Petri in Tuscia deferri mandaverimus ad curiam prælibatam, prout in diversis litteris apostolicis exinde confectis plenius continetur. Universitatem vestram hortamur attente, nihilominus sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes, si infra tres dies mandatis nostris hujusmodi non paruer, intincurrere volumus ipso facto, præcipiendo mandantes, quatenus dicta prima sex millia cum navigiis & conductoribus ipsius quantitatis libere & expedite absque cujuslibet dacii, gabellæ, vel alterius vectigalis, aut cujuscumque alterius gravaminis exactione, quocumque nomine censeatur, & alia sex millia modiorum frumenti, debitis & consuetis juribus persolutis pro eis, absque alio impedimento quocumque per passus, portus, & loca vestra transire, ob nostram & apostolicæ sedis reverentiam permittatis. Præsentes autem litteras ad cautelam restitui volumus præsentanti. Quod si quis contrarium

A fuerit aut impediverit, quominus eidem præsentanti restituantur, contra facientem & impedientem hujusmodi excommunicationis sententiam incurrere eo ipso. Datum Avenione XIV. calendas Aprilis, anno nono.

EPISTOLA LXVIII.

Ad Bernabovem de Vice-comitibus militem Mediolanensem.

Abbatem S. Germani Antissiodorensis ei mittit, cum eodem tractaturum super oblatione papæ facta libere accedendi in Italiam.

DIlecto filio nobili viro Bernabovi de Vicecomitibus militi Mediolanensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem dilectum filium GUILLELMUM abbatem monasterii sancti Germani Autissiodorensis pro certis negotiis per nos sibi commissis ad venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum duxeramus specialiter destinandum. Cum autem venerabilis frater noster BONJOHANNES episcopus Firmanus nobis pro parte tua quædam exposuisset, & apud nos instaret humiliter, ut abbatem eumdem vellemus priusquam ad legatum ipsum accederet, ad tuam pro parte nostra præsentiam se conferre. Nos ejusdem episcopi sollicitam ac humilem instantiam attendentes, & nihilominus considerantes, quod in aliis nostris litteris per nos tibi transmissis, ad certam liberalem oblationem tuam per tuas speciales litteras super adventu nostro ad partes Italiæ nobis factam, quam siquidem oblationem tamquam sinceræ devotionis argumenta monstrantem acceptam gerimus, teque exinde plurimum in Domino commendamus, rescripsimus nos tibi per alias litteras fore plenius examinato consilio responsuros. Propterea abbatem ipsum, ut mentem nostram super oblatione hujusmodi tibi vivæ vocis oraculo seriosius explicaret, ad tuam præsentiam priusquam ad ipsum legatum accederet duximus destinandum. Cui super referendis tibi pro parte nostra fidem velis plenariam adhibere, paterno tibi consilio suadentes, ut à consiliis patris qui filium etiam aberrantem ad rectitudinis viam revocare non cessat, ejusque salutaribus monitis non discedas. Datum Avenione XIV. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXIX.

Ad Arelatensem, Januensem, & Pisanum archiepiscopos, &c.

Facultatem donat absolvendi à censuris impedientes translationem frumenti ad curiam.

VEnerabilibus fratribus Arelatensi, Januensi & Pisano, Archiepiscopis eorumque suffraganeis, & aliis archiepiscopis, episcopis ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum pro usibus nostrorum hospitii & pagnotæ, ad quam propter ingruentem ad præsens in Romana curia & circumstantibus partibus bladorum caritudinem major solito confluit pauperum multitudo, sex millia primo & deinde pro usu Romanæ curiæ alia sex millia modiorum frumenti de provincia nostra patrimonii B. Petri in Tuscia deferri mandaverimus ad curiam prælibatam, per nostras certi tenoris litteras universos Christi fideles, ad quos eæ-
B dem nostræ litteræ pervenirent hortati fuerimus, eis nihilominus sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes, si infra tres dies mandatis nostris hujusmodi non parerent, incurrere voluimus ipso facto, præcipiendo mandantes, quod dicta prima sex millia cum navigiis & conductoribus ipsius quantitatis libere & expedite absque cujuslibet dacii vel gabellæ vel alterius vectigalis, aut cujuscumque alterius gravaminis quocumque nomine censeretur exactione, & alia sex millia modiorum
C frumenti, debitis & consuetis juribus persolutis pro eis absque alio impedimento quocumque per passus, portus & loca ipsorum ob nostram & apostolicæ sedis reverentiam transire permittant, volumusque litteras nostras super hiis confectas restitui præsentanti, & quemlibet contrarium facientem seu impedientem, quominus eidem præsentanti litteræ ipsæ restituerentur, excommunicationis sententiam incurrere eo ipso. Et nihilominus faternitati vestræ per apostolica scripta mandavimus, quod si forte contingeret aliquos super hiis quodcumque impedimentum præstare, vos si pro parte conducen-
D tium seu conduci facientium frumentum prædictum requisiti essetis, de præstantibus impedimentum ipsum curaretis informare simpliciter & de plano, & eos quos in hoc inveneritis fore culpabiles, singuli vestrum in vestris civitatibus & diocesibus excommunicatos mandaretis & faceretis auctoritate vestra publice nunciari, & à Christi fidelibus arctius evitari, ac nihilominus contra eos & participantes eisdem alias per vos vel alium seu alios procederetis auctoritate prædicta, prout expedire videritis;
E donec nostris in hac parte mandatis parerent humiliter & devote, & absolutionis beneficium obtinerent, prout in nostris litteris exinde confectis plenius continetur. Volentes itaque more pii patris saluti eorum, qui prædictam excommunicationis & alias sententias quas per vos fieri præmissorum occasione continget forsan incurrerent, mandatis nostris parere volentibus & absolutionis beneficium à sententiis quas incurrerint devote postulantibus misericorditer
F providere, ac parcere eorum laboribus & expensis, vobis & cuilibet vestrum omnes & singulos qui sententias ipsas incurrerint absolvendi ab eisdem sententiis congrua satisfactione præmissa, & per vos vel alium seu alios juxta formam Ecclesiæ, imposita eis pro modo culpæ pœnitentia salutari plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione XIV. calendas Aprilis anno nono.

A

EPISTOLA LXX.

Ad Simonem Buccanigrum ducem Januenſem.

Scribit tractanda cum ſuo nuncio & marchione Montis-ferrati negotia commiſiſſe Ægidio apoſtolicæ ſedis legato.

DIlecto filio nobili viro SIMONI BUCCANIGRO duci, conſilio & communi Januenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum ſuper certis negotiis bonum publicum concernentibus, tam dilectus filius nobilis vir JOHANNES marchio Montis-ferrati pro ſe, quam Leonardus de Montalto civis & nuncius veſter pro parte veſtra coram nobis ſæpius contuliſſent. Nos attendentes quod per venerabilem fratrem noſtrum Ægidium epiſcopum Sabinenſem apoſtolicæ ſedis legatum ſuper negotiis ipſis valeret pro communi commodo tam conſulte quam utiliter provideri, determinationem ac deliberationem negotiorum ipſorum circumſpectioni ac prudentiæ ſuæ, qua plurimum pollere dinoſcitur, per noſtras litteras certa capitula continentes duximus committendam. Copiam autem capitulorum ipſorum de verbo ad verbum juſſimus præſentibus intercludi, gratum habituri pariter & acceptum quicquid circa ipſa legatus idem duxerit faciendum. Datum Avenione XIII. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXI.

Ad Ægidium epiſcopum Sabinenſem.

Scribit ei ſe miſiſſe abbatem S. Germani Autiſſiodorenſis ad tractandum cum Barnabove.

VEnerabili fratri Ægidio epiſcopo Sabinenſi apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Accedens nuper ad nos venerabilis frater noſter BONJOHANNES epiſcopus Firmanus cum tuis credentiæ litteris, quædam pro parte tua & nonnulla etiam de quibus ſe cum BERNABOVE de Vice-comitibus milite aſſeruit contuliſſe, nobis expoſuit diligenter, quibus per nos plenariè intellectis, eumdem ad tuam præſentiam duximus remittendum: Mandantes eidem, ut priuſquam ad fraternitatem tuam accederet, una cum dilecto filio GUILLELMO abbate monaſterii ſancti Germani Autiſſiodorenſis, quem ad tuam ſpecialiter præſentiam deſtinamus, ad Bernabovem præfatum ſe indilatè conferret, à quibus de reſponſis per eum informationem habere poterit eadem tua fraternitas pleniorem. Datum Avenione XIII. calendas Aprilis anno nono.



EPISTOLA LXXII.

Ad Johannem regem Francorum.

Scribit in gratiam Roberti Dalphini domini ſancti Ulpidii.

CAriſſimo in Chriſto filio JOHANNI regi Francorum illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pridem, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir ROBERTUS Dalphini, Dominus ſancti Ulpidii, intellectis per eum guerrarum fremitibus per nonnullas gentes nefarias, quæ ſe Magnam Societatem appellant, in regni tui finibus exortis, & qualiter per gentes eaſdem locus de Sancto-Spiritu Uticenſis Dioceſis captus fuerat, & more prædonico occupatus, libere officialibus tuis videlicet, capitaneo & theſaurario pro parte tua tunc exiſtentibus apud locum de Balneolis, cum nonnulla gentis armigeræ comitiva, quam ſecum habebat, ſe paratum obtulit ad ſervitia tua contra hoſtes tuos & hujuſmodi regni tui nefarios turbatores. Cumque dicti capitaneus & theſaurarius reſpondiſſent eidem, quod retinere eum ad prædicta ſervitia non poterant, pro eo quod pecuniam pro ſtipendiis non habebant, ipſum cum ſalvo conductu, ut ſe tute cum comitiva ſua prædicta conferre poſſet ad Romanam curiam, libere dimiſerunt. Cum igitur nos propter hujuſmodi guerrarum turbines, nonnullam gentem armigeram conduci noſtris ſtipendiis faceremus, inter ſtipendiarios alios ROBERTUM eumdem ad noſtra & Romanæ Eccleſiæ obſequia & ſtipendia cum certa armigerorum hominum, ſeu Clavorum & Arceriorum, Picardorum comitiva juſſimus uſque ad noſtrum beneplacitum remanere. Cumque idem ROBERTUS, prout fide digne percepimus, de civitate Avenionenſi diſcedens, per pontem Rodani eidem civitati conjunctum tranſiret, ad comitivam ſuam hujuſmodi muniendam, & conducendam ad civitatem eamdem, per tuos officiales & gentes apud turrim quæ ſita eſt in capite pontis ipſius interceptus extitit & detentus, & apud eoſdem captivus detinetur ad præſens. Cum itaque eos præcipuè, qui noſtris inſiſtunt obſequiis, minime conveniat in eundo & redeundo ad Romanam curiam aliqualiter impediri, ac etiam ſicut accepimus idem Robertus ſe clericum fore aſſerat, propter quod eccleſiaſtica illum decet libertate gaudere, & per dictos capitaneum & theſaurarium ſalvum conductum receperit, ut præfertur, ſerenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatinus pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia per tuas litteras dare velis officialibus & gentibus prædictis efficaciter in mandatis, quod Robertum eumdem ſine læſione aliquali reali vel perſonali, abſque contradictione quacumque, priſtinæ reſtituant libertati, eumque ad dictam curiam ad præfata obſequia fideliter proſequenda redire permittant. Datum Avenione IX. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXIII.

Ad Robertum de Fienes comitem Stabuli.

Ejusdem argumenti.

In *eodem modo*, dilecto filio nobili viro Roberto de Fianas conestabulo Franciæ, *mutatis mutandis usque* ad præsens. Cum itaque minime conveniat personas ad nostra & Romanæ curiæ obsequia deputatas non tantum captivari, sed aliqualiter impediri, & etiam sicut per nonnullos nobis asseritur, ROBERTUS idem se fore asserat de consortio clericali, & per prædictos capitaneum & thesaurarium salvum conductum receperit, ut præfertur, nobilitatem tuam rogamus attentè, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia ROBERTUM eumdem plenarie restitui facias libertati, & ad præfata redire obsequia sine ulla molestia reali vel personali permittas. Quod si forsitan tibi ad faciendum difficile redderetur, nos regi præfato nostras super facienda liberatione hujusmodi efficaces litteras destinamus, ut nulla eidem Roberto per te interim realis vel personalis novitas inferatur. Datum *ut supra.*

EPISTOLA LXXIV.

Ad Rodulfum ducem Austriæ.

Gratias agit de munere.

Dilecto filio nobili viro RODULPHO duci Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Usones tuos novum apud partes istas genus piscium, quibus nuper nos per dilectum filium nobilem virum LUCOLDUM *de Fache* Basiliensem ac tuum militem, de tua munificentia visitasti, eo gratius suscepimus, quo exenii novitas, & intervalla terrarum plus secum complacentiæ afferebant, ex eo tamen gratissime, quo exinde devotionem quam ad nos & apostolicam sedem geris in hujusmodi missione exenii apertius demonstrasti. Ipsum itaque exenium gratiarum actionibus prosequentes, destinantis affectum plurimum in Domino commendamus, tuis intendentes desideriis, in quibus nos & dictam sedem requirendos duxeris, quantum cum Deo poterimus paterno, affectu benignius complacere. Datum Avenione VII. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXV.

Ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos, &c.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, & episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus, & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis eorumque vices gerentibus, capitulis quoque ac conventibus ecclesiarum & monasteriorum ipso-
A rum, ceterisque personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti & Augustini, & aliorum ordinum, & domorum hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, Beatæ Theotonicorum, Calatravensis, & Humiliatorum magistris, prioribus, præceptoribus, & aliis universis & singulis ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

B Cum dilectus filius nobilis vir *Lucoldus* miles Basiliensis recedat de curia Romana, & ad certas partes se conferat, nos volentes ipsum cum familia sua in eundo, morando, & redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram requirimus, &c. *ut in forma de securo conductu usque in finem.* Datum *ut supra.*

EPISTOLA LXXVI.

Ad Simonem Buccanigrum ducem Januensem.

C *Ut balistariorum subsidium mutet in summam quatuor millium florenorum.*

Dilecto filio nobili viro Symoni Buccanigro duci Januensis, salutem & apostolicam benedictionem.

D Licet dudum nobilitatem tuam de certo balistariorum subsidio per nostras litteras & nuncium duximus requirendam: quia tamen balistariorum ipsorum ultra quam crederemus est dilata transmissio; propterea pro conditione temporum nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis magis putavimus expedire, obsequium balistariorum hujusmodi fore in subsidium quatuor millium Florenorum præsentialiter commutandum; prout de commutatione ipsa per te facienda, dilectus filius nobilis vir Leonardus de Montalto nuncius tuus per suas litteras poterit nobilitatem eamdem seriosius informare. Quocirca balistarios ipsos per te ad nostra E obsequia destinari præsentialiter non oportet. Datum Avenione III. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXVII.

Ad Johannam comitissam Duratii.

Scripsisse se in ejus gratiam Ludovico de Duratio asserit.

F Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri JOHANNÆ Ducissæ Duratii, salutem & apostolicam benedictionem.

Querelam tuam super nonnullis terris, civitatibus, castris, & locis ad te, ut asseris, pleno jure spectantibus, quæ per dilectum filium nobilem virum LUDOVICUM de Duratio indebite occupantur, pridem per dilectum filium nobilem virum Tyrellum Mansellam militem Salernitanum nuntium tuum nobis prudenter expositam, paterno tibi compatientes affectu, intelleximus diligenter: propter quod cupientes tibi

tibi per LUDOVICUM eumdem de tua justitia satisfieri, nostras eidem juxta seriem quam habet interclusa præsentibus cedula super expositis nobis per nuntium ipsum efficaces litteras præsentialiter destinamus: quibus si obtemperat, votivum placidè consecuta fueris effectum; alioquin dubitare non debet tua nobilitas, quin pro tuæ favore justitiæ per nos super præmissis apostolicæ provisionis remedia debite & favorabiliter apponantur. Datum Avenione III. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXVIII.

Ad Ludovicum de Duratio.

Scribit ei in gratiam Johannæ ducissæ Duratii.

Dilecto filio nobili viro LUDOVICO de Duratio salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris JOHANNÆ ducissæ Duratii neptis tuæ nobis expositum fuit cum querela, quod nonnulla civitates, castra, terræ, & loca alia ad ipsam ex hereditate paterna, prout asserit, spectantia pleno jure per te tenentur indebite occupata: propter quod nobis humiliter supplicavit, ut pio sibi compatientes affectu, super hoc pro favore justitiæ paternæ provisionis adhibere remedium dignaremur. Nos igitur attendentes, quod te, qui erga JOHANNAM præfatam & sorores ejus paternæ caritatis zelum habere teneris, non tantum ejus bona & jura occupare non decet, sed ea potius tuis protegere favoribus, & ab occupantibus defensare, nobilitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus circa JOHANNAM eamdem in præmissis taliter te habere studeas, quod ipsa merito contentari valeat, & per nos pro ipsius favore justitiæ, in qua ex injuncto nobis desuper officio ministerii pastoralis facti sumus omnibus debitores, aliud super hoc adhiberi remedium non sit opus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA LXXIX.

Ad Ludovicum regem Siciliæ.

Petit prorogari terminum compromissi ad terminanda dissidia ipsum inter & Ludovicum Duratii: quæ quidem facile sopiri possent, si ipse plus amoris, ille plus reverentiæ exhiberet. Duos interim ad eam archiepiscopos mittit qui omnia, si fieri possit, componant.

Carissimo in Christo filio LUDOVICO regi Siciliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem accedens ad præsentiam nostram dilectus filius nobilis vir Tirellus Manesella miles Salernitanus nuncius tuus, inter cetera nobis pro parte tua hoc exposuit diligenter, quod dudum pro concordia inter te & dilectum filium nobilem virum LUDOVICUM DE DURATIO reformanda, certa conventiones & pacta ha-

A bita & firmata fuerunt, ac etiam tam tu ex parte tua, quam LUDOVICUS præfatus ex altera pro bono pacis & quietis inter vos successivis temporibus duratura, nonnullas causas & querelas in certis capitulis declaratas per nos videndas & terminandas infra unum annum à die prædictæ inter nos firmandæ pacis & concordiæ numerandum, sponte & liberè nostris determinationi & beneplacito summisistis, ac tam tu quam idem LUDOVICUS promisistis, &
B vos sub certa pœna solemniter obligastis, observare firmiter & inviolabiliter adimplere quicquid super præmissis causis & querelis infra dictum tempus nostra foret sententia terminatum; prout hæc omnia in quodam transumto manu publica exinde confecto, & nobis per dictum tuum nuncium præsentato plenius continentur. Quare nobis idem nuncius pro parte tua humiliter supplicavit, ut super hiis providere, & ea fine debito terminare, prout nostro videretur judicio, dignaremur. Deinde quoque præfatus
C LUDOVICUS per suum nuncium ad nos per eum super præmissis specialiter destinatum nobis de eisdem similiter supplicavit humiliter & devote. Nos itaque hæc omnia paterno considerantes affectu, licet omnem inter te & LUDOVICUM præfatum exortam discordiam sopiri citius & fine pacifico celeriter terminari paternis desideriis cupiamus, & ad id apostolicæ providentiæ partes interponere quantum cum Deo poterimus intendamus. Quia tamen ad stabilem ipsam inter vos concordiam reformandam, &
D ad quæstionis cujuslibet de cetero materiam succidendam causas hujusmodi per vos nostræ determinationi submissas maturo disponimus examinare consilio, & diligenti libramine ponderare, idque nos, ut cupimus, instanter facere tam brevitas restantis temporis de compromisso seu submissione hujusmodi, quam gravium occupationum varietas, quibus urgemur ultra solitum, non permittit. Serenitatem tuam rogamus attente, quatenus ut præfata concordia valeat disponi maturius, & stabilius reformari,
E tempus compromissi hujusmodi prorogare pro parte usque ad unum annum à fine dicti temporis anni unius in antea computandum, excellentia tua velit, prout similiter facturum pro parte sua fore credimus LUDOVICUM præfatum, cui super hiis respective nostras speciales litteras destinamus, licet ad hujusmodi terminandum negotium tanti temporis egere spatio non credamus. Sperantes nihilominus, quod interim præter apostolicæ providentiæ remedia tam tu quam idem LUDOVICUS memores generosi sanguinis & magnificorum progenitorum
F vestrorum à quibus traxistis natalium vestrorum origines per vos ipsos, inspirante in animis vestris pacis auctore, concordiæ spiritum tu mansuete agendo, ille obsequendo fideliter, omnem inter vos exortam discordiam curabitis fine laudabili terminare. Quod eo te magis curare convenit, quo magnitudinem regiam decet circumspectionis ac benignitatis & mansuetudinis plus habere. Nam etsi te clementia divina evexerit ad regii fastigii dignitatem,

fraternum tamen animum erga ipsum non decet deponere, sed illum potius amplioris prosequi studio caritatis. Ille quoque vice versa, licet se tibi proximo sentiat vinculo consanguinitatis astrictum; nihilominus te in regem habere debet ac Dominum, tibique fideliter obsequi, & tuis obtemperare mandatis, ac se tuis beneplacitis coaptare. Si itaque partes debitas vestrum uterque persolvat, extrinseco adminiculo vestræ quæstionis materia proculdubio non egebit; sed per vos ipsos potius, ut tuo & ipsius honori convenit, hujusmodi inter vos concordia reformabitur, auctore Domino, ut speramus: quam siquidem concordiam pro bono publico & honore ac pacifico personæ tuæ & regni tui paternis desideriis affectantes, venerabilibus fratribus nostris BERTRANDO Neapolitano & GERALDO Beneventano archiepiscopis, utique zelatoribus tui honoris & status, damus per nostras litteras in mandatis, ut ipsi vel eorum alter se apud utrumque vestrum pro parte nostra suis quibus abundare dinoscuntur circumspectione ac prudentia interponant, quorum assentire suasionibus & animum regium ad ipsorum inclinare consilia, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, ac communis commodi ratione, magnificentia tua velit; hoc precibus nostris adjicientes, quod idem LUDOVICUS infra annum prædictum per te & ipsum, ut præmittitur, prorogandum ad præstandum tam tibi quam carissimæ in Christo filiæ nostræ JOHANNÆ reginæ Siciliæ illustri personaliter homagium minime astringatur, non obstantibus promissionibus vel obligationibus quibuscumque seu juramento factis & præstito forsitan per eumdem; quodque durante compromisso hujusmodi, nullam eidem LUDOVICO seu terris suis inferas, seu inferri facias novitatem. Et si quid usque modo per te contra ipsum aut terras ejusdem attentatum fuisset, illud studeat in statum pristinum regiæ mansuetudinis liberalitas revocare. Super prædictis autem quantum viceversa conveniens fore providimus, eidem LUDOVICO nostras efficaces litteras ducimus præsentialiter destinandas; prout tam de hiis, quam de præmissis à præfato nuncio tuo, qui negotium hujusmodi multa fuit diligentia prosecutus, informationem habere poterit magnitudo regia pleniorem. Datum Avenione III. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXX.

Ad Bertrandum archiepiscopum Neapolitanum.

Ut suam paci reformandæ inter Siciliæ regem & Ludovicum Duracii operam conferat.

VEnerabili fratri BERTRANDO archiepiscopo Neapolitano, salutem & apostolicam benedictionem.

Intellecto pridem per nos, quod tam carissimus in Christo filius noster LUDOVICUS rex Siciliæ illustris, quam dilectus filius nobilis vir LUDOVICUS de Duratio, nonnullas eorum causas & querelas per nos infra certi temporis spatium terminandas nostræ summiserant beneplacito voluntatis; nos cupientes inter eosdem pro bono tranquillitatis & pacis stabilem concordiam reformari, eidem regi scribendum providimus juxta seriem quam pro informatione tua jussimus præsentibus intercludi. De tua itaque circumspectione & prudentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac sperantes in Domino, quod per tuum ministerium desiderium nostrum super concordia ipsa & hiis quæ nos eidem regi & vice versa LUDOVICO præfato præsentialiter exoramus, votivum consequetur effectum. Volumus & fraternitati tuæ mandamus, quatenus juxta interclusæ præsentibus cedulæ continentiam & tenorem, tamquam pacis angelus studeas inter eos fraternæ caritatis zelum tuæ solicitudinis & prudentiæ studio reformare, tuis ad hoc viribus, prout expediens fore videris, instando sollicitè, consulendo prudenter, & pro utriusque dignitate fiducialiter increpando, efficacem impensurus operam, nobisque super præmissis quicquid per te actum fuerit, ad pleniorem informationem nostram quantocius rescripturus, ut eo celerius ac maturius per nos circa prædicta provideri valeat, quo citius nos reddideris de hiis quæ feceris per tuas litteras certiores. Ceterum scire te volumus, quod venerabili fratri nostro GERALDO archiepiscopo Beneventano juxta tenorem præsentium dedimus similiter in mandatis, ut cum ad suam Beneventanam ecclesiam se conferret, secundum datam sibi à Deo prudentiam, suum modo simili adhibeat studium efficaciter in prædictis. Datum *ut supra*.

In eodem modo, venerabili fratri Geraldo archiepiscopo Beneventano S. *mutatis mutandis, obmissa illa clausula*, ut cum ad suam, &c. Datum *ut supra*.

EPISTOLA LXXXI.

Ad Nicolaum comitem Melfiensem.

Ejusdem argumenti.

DIlecto filio nobili viro Nicolao comiti Melfiensi magno senescallo regni Siciliæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Intellecto pridem, &c. *ut supra in proxima usque* intercludi. Considerantes itaque quod tu, prout de te laudabilis fama prædicat, & evidentia operum manifestat, circa honorem & augmentum præfati regis ac statum pacificum & tranquillum regni Siciliæ, dum regnum ipsum variis agitatum tempestatibus multipliciter fluctuaret, tam prudenter, quam utiliter, ac fideliter laborasti, nec cessas amplioribus continuò studiis laborare, ac propterea sperantes in Domino, quod per tuum ministerium, &c. *ut in proxima usque* effectum. Nobilitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatinus juxta interclusæ præsentibus cedulæ continentiam &

tenorem, secundum datam tibi à Deo prudentiam, studeas inter eos, &c. *ut in proxima, usque* certiores. Datum *ut supra.*

EPISTOLA LXXXII.

Ad Ludovicum de Duratio.

De prorogando compromissi termino ad componenda dissidia ipsum inter & regem Siciliæ exorta. Hortatur etiam ut regi plus reverentiæ & obedientiæ exhibeat, nec fœdera cum ejus adversariis ineat.

Dilecto filio nobili viro Ludovico de Duratio, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem accedens ad præsentiam nostram dilectus filius nobilis vir Nicolaus Viola miles Neapolitanus, senescallus & nuncius tuus, inter cetera nobis pro parte tua hoc exposuit diligenter, quod dudum pro concordia inter carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem Siciliæ illustrem, & te stabiliter reformanda certa conventiones & pacta habita & firmata fuerunt, ac etiam tam præfatus rex ex parte una, quam tu ex altera, pro bono pacis & quietis inter vos successivis temporibus duraturo, nonnullas causas & querelas in certis capitulis declaratas per nos videndas & terminandas infra unum annum à die prædictæ inter vos firmandæ pacis & concordiæ numerandum sponte & libere nostris determinationi & beneplacito summisistis, ac tam idem rex, quam tu promisistis, & vos sub certa pœna solemniter obligastis observare firmiter & inviolabiliter adimplere quicquid super præmissis causis & querelis infra dictum tempus nostra foret sententia terminatum. Quare nobis idem nuncius pro parte tua humiliter supplicavit, ut super hiis providere & ea fine debito terminare, prout nostro videretur judicio, dignaremur, super quibus priusquam dictus nuncius tuus ad nostram se præsentiam contulisset, prædictus rex nobis per suum nuncium specialem instantius supplicavit. Nos itaque hæc omnia paterno considerantes affectu, licet omnem inter regem eumdem & te exortam discordiam sopiri citius, & fine pacifico celeriter terminari paternis desideriis cupiamus, & ad id apostolicæ providentiæ partes interponere, quantum cum Deo poterimus, intendamus: Quia tamen ad stabilem ipsam inter vos concordiam reformandam, & ad quæstionis cujuslibet de cetero materiam succidendam, causas hujusmodi per vos nostræ determinationi summissas maturo disponimus examinare consilio, & diligenti libramine ponderare, idque nos, ut cupimus instanter, facere tam brevitas restantis temporis de compromisso seu summissione hujusmodi, quam gravium occupationum varietas quibus urgemur ultra solitum non permittit, regem ipsum per nostras litteras rogandum duximus: quatenus, ut præfata concordia valeret disponi maturius, & stabilius reformari, tempus compromissi hujusmodi prorogaret pro parte sua usque ad unum annum à fine dicti temporis unius anni inantea computandum. Quocirca nobilitatem tuam similiter exhortamur, quatenus tu pro parte tua, tempus compromissi hujusmodi velis modo simili prorogare, licet ad hujusmodi terminandum negotium, tanti temporis egere spatio non credamus: sperantes nihilominus quod interim præter apostolicæ provisionis remedia tam idem rex quam tu per vos ipsos, inspirante in animis vestris pacis auctore concordiæ spiritum, tu obsequendo fideliter ut teneris, ille mansuete agendo ut regiam clementiam decet, omnem inter vos exortam discordiam curabitis fine laudabili terminare. Quod ut facilius contingere valeat, convenit pro bono non minus publico, quam privato animum tuum ad debitam erga regem præfatum fidelitatem & obedientiam inclinari. Nam etsi te illi proximum vinculum consanguinitatis astringat, non ad sanguinem tantum decet attendere, sed insuper ad regii fastigii dignitatem memineris te, etsi frater ejus existas, subditum tamen esse, & ita illi proximitate conjunctum, ut ipsum tamen sentias regem fore. Sed neque erubescere debes, aut aliqualiter indignari, illius tamquam Domini fideliter obtemperare mandatis, & suis te beneplacitis coaptare, si memineris progenitores tuos eorum fratres, cum quibus ex eodem utero processerunt, tamquam legitimos eorum Dominos fideliter promta obedientia coluisse. Quis enim erit regnorum status, si frater in fratrem superbiat, & adversus eum quem colere oportet ut Dominum, spiritu indignationis insurgat. Facile quippe in ruinam tenditur, ubi ad superiores reverentia non habetur; propter quod non parum honori tuo detrahitur, si ut ad aures nostras novissime multa cum admiratione perduxit nonnullorum fide dignorum relatio, per te nonnullis nequam hominibus in societatem immo perversitatem unam more prædonico congregatis, regni Siciliæ turbatoribus adversus regem ipsum, & carissimam in Christo filiam nostram Johannam reginam Siciliæ illustrem ac statum pacificum & tranquillum regni eorum præstantur auxilia & favores, ac eis per tua terras & loca, de tuis beneplacito & mandato, victualia & alia necessaria ministrantur. Magis quippe honori tuo convenit, eisdem regi & reginæ tuis te adesse favoribus, & contra turbatores hujusmodi illis assistere favorabiliter auxiliis opportunis: ipse quoque rex licet superior existat & Dominus, te illi fore proximum vinculo fraternæ caritatis agnoscat, ut sic utriusque debitis partibus persolutis, hujusmodi inter vos concordia reformari valeat, auctore Domino, ut speramus. Quam siquidem concordiam pro bono publico paternis desideriis affectantes, venerabilibus fratribus nostris Bertrando Neapolitano, & Geraldo Beneventano archiepiscopis utique zelatoribus tui honoris ac status, damus per nostras litteras in mandatis, ut ipsi vel eorum alter se apud utrumque vestrum pro parte nostra

ſuis quibus abundare dinoſcuntur circumſpectione, ac prudentia interponant. Quorum aſſentire ſuaſionibus, & animum tuum ad ipſorum inclinare conſilia, pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia, ac communis commodi ratione, nobilitas tua velit: hoc noſtris exhortationibus adjungentes, quod durante compromiſſo præfato, nullam contra regem & reginam prædictos aut regnum ſeu terras & loca quælibet eorumdem inferas aut inferri facias novitatem: & ſi quid uſque modo per te contra ipſos aut terras eorumdem, aut contra promiſſa & firmata per te dudum regi præfato attentatum foret, illud ſtudeas in ſtatum priſtinum revocare, quodque confœderationes, colligationes aut conventiones, fœdera quælibet cum perſonis aliquibus, noſtra & apoſtolicæ ſedis inconſulta conſcientia, facere non præſumas. Super prædictis autem, quantum vice verſa conveniens fore providimus, præfato regi noſtras efficaces litteras ducimus præſentialiter deſtinandas, attentius deprecantes eumdem, quod infra annum prædictum per ipſum ac te, ut præmittitur, prorogandum, te ad præſtandum tam ſibi quam reginæ præfatæ perſonaliter homagium non aſtringat; non obſtantibus obligationibus ſeu juramento per te forſitan factis & præſtito, ſeu promiſſionibus quibuſcumque prout tam de iis, quam de præmiſſis à præfato nuncio tuo qui negotium hujuſmodi cum multa fuit diligentia proſecutus, informationem habere poterit præfata tua nobilitas pleniorem. Datum Avenione III. calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXXIII.

Ad Johannem epiſcopum Vercellenſem.

Ut nullam cum Mediolanenſibus fœdus ineat adverſus Marchionem Montis-ferrati, eique reddi jubeat quatuor naves oneratas à ſuis eidem captas.

VEnerabili fratri JOHANNI epiſcopo Vercellenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pridem per noſtras litteras fraternitatem tuam attentius monuiſſe recolimus, quod cum dominatoribus civitatis Mediolanenſis, quorum injurias & offenſas nobis & Romanæ Eccleſiæ illatas, & quæ per eos continuò inferuntur tua non debet ſine mentis perturbatione tenere memoria, confœderationes & ligas facere abſtineres, nullumque eis contra nos, & dictam Eccleſiam, ac noſtros & ejuſdem Eccleſiæ devotos, & ſpecialiter contra dilectum filium nobilem virum marchionem Montis-ferrati præſtares auxilium, conſilium vel favorem. Cum autem prout ad noſtrum deinde pervenit auditum, tu non obſtantibus litteris præfatis, aures præbere hujuſmodi colligationibus & illas tractare dicaris, idque menti noſtræ eo magis admirandum, & minori patientia tolerandum inſurgat, quo te tamquam membrum ipſius Eccleſiæ ad illa maximè attendere convenit, quæ nobis & ſedis apoſtolicæ grata fore noveris & accepta, ab eorumque contrariis abſtinere; fraternitatem eamdem ſicut iterum ſic attentius monemus & hortamur: nihilominus mandantes eidem, quatenus colligationes ſeu ligas hujuſmodi cum præfatis dominatoribus, ſeu perſonis aliis, quas nobis & præfatæ Eccleſiæ minus gratas fore veriſimiliter ſuſpicari valeas; noſtra & dictæ ſedis inconſulta conſcientia facere non præſumas, nullumque eis contra nos, & dictam eccleſiam, ac noſtros & ipſius Eccleſiæ devotos, & ſpecialiter contra marchionem prædictum, quem propter ſuæ merita devotionis, quam ad nos & eamdem Eccleſiam gerit, ſpeciali proſequimur caritatis affectu, tua præſtes auxilia, conſilia vel favores, ac contra ipſum noſtrum utique & præfatæ Eccleſiæ devotum filium aliquid facere non attentes: monitis & mandatis noſtris hujuſmodi tam promta obedientia pariturus, quod exinde apud nos & ſedem præfatam merito venias commendandus, & ſuper hoc, quod tolerare æquanimiter non poſſemus, non oporteat ſcripta noſtra ulterius replicare. Ceterum cum ſicut fide digna percepimus, quatuor navigia onerata victualibus ad certa terras & loca præfati marchionis per aquam ſeu portus tuos fiducialiter deferendis, fuerint per tuos officiales & ſubditos noviter arreſtata, idque te eo minus tolerare conveniat, quo tu marchionem eumdem noſtris & ejuſdem Eccleſiæ obſequiis apud Romanam curiam inſiſtere ſentiebas, volumus & eidem fraternitati mandamus, quatinus quatuor prædicta navigia cum perſonis & victualibus tunc exiſtentibus in eiſdem liberari facias, & tam ipſa quam alia, necnon & res, & bona quælibet marchionis ejuſdem, quæ ipſe per aquam vel per terras tuas tranſmittenda duceret, liberè tranſire permittas, ac permitti mandes, & facias per tuos officiales & ſubditos ſine contradictione quacumque & perſonis illis quas præfato marchioni noveris adverſari, contra marchionem eumdem per tua terras & loca dari tranſitum non permittas, aut eas in dictis tuis terris aut locis aliquatenus receptari, nec dari eis victualia, aut præſtari conſilia vel favores. Datum Avenione III. nonas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXXIV.

VEnerabilibus fratribus, &c. *ut in forma de ſecuro conductu, uſque, &c.*

Cum dilectos filios Simonem de Fibillia auditorem palatii apoſtolici & capellanum, ac Raimundum de S. Michaële ſervientem armorum & familiarem noſtros ad nonnullas & ſpecialiter regni Franciæ partes præſentialiter deſtinemus. Nos volentes ipſos cum rebus & familia ſuis eundo, morando & redeundo plena ſecuritate gaudere, univerſitatem veſtram requirimus, &c. *ut in forma de ſecuro conductu uſque in finem.* Datum Avenione calendas Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXXV.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Ut Petrucium natum Lucæ de Sabellis libertate donet.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Pro liberatione dilecti filii PETRUCII nati dilecti filii nobilis viri LUCÆ DE SABELLIS B domicelli Romani, qui quidem Petrucius per dilectum filium GUIDONEM abbatem monasterii sancti Pauli de Urbe de mandato tuo in obsidem detinetur, fraternitati tuæ nostras sæpius litteras meminimus destinasse. Cum itaque, sicut plurimorum fide dignorum relatione didicimus, idem Lucas in tuæ legationis officio mandatis tuis se promtum exhibuit & fidelem, ac devotionem suam erga nos & sedem apostolicam studeat continuò per effectum operis amplius demonstrare: propter quod nostram & sedis C ejusdem benivolentiam & gratiam promeretur, ac præfatus PETRUCIUS infantulus natus ejus, prout habet ipsa relatio facta nobis, gravi morbo & pene incurabili infirmitate laboret, ex qua de salute ipsius verisimiliter dubitatur, deceatque sedem ipsam in similibus præcipuè casibus non rigorem, sed pietatem & clementiam exercere, & ad annos infantiæ & tenellam ætatem ipsius PETRUCII ac vitæ periculum sibi ex hujusmodi ægritudine verisimiliter imminens magis aspicere quàm severitatem in talibus demon- D strare, ac super hoc nobis per nonnullos fuerit multiplicatis intercessionibus humiliter supplicatum. Fraternitatem eamdem iterum duximus attentius exhortandam, quatinus pro consolatione patris, te erga filium exhibens favorabilem & benignum, & ut pater ipse eo se ad nostra & Romanæ Ecclesiæ promtiorem obsequia exhibeat, quo se ab eadem sentiat ampliora beneficia suscepisse, Petrucium eumdem restitui mandes & facias plenariæ libertati, si liberationi hujusmodi aliud rationabile non E obsistat. Datum Avenione VI. Idus Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXXVI.

Ad archiepiscopum Ravennatem.

Scribit ei in gratiam Raynaldi de Zambrasiis.

VEnerabili fratri archiepiscopo Ravennati, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit nuper ad audientiam nostram, quod F licet dudum certa possessio ad te & tuam Ravennatem ecclesiam pertinens, sita in loco qui dicitur Villa Ducatus, Ferrariensis diocesis, concessa per te fuerit in feudum dilecto filio magistro Raynaldo de Zambrasiis Bononiensi licentiato in jure canonico, familiari & secretario nostro, ac fratribus & successoribus eorumdem: tu tamen à nonnullis personis de conferendo alicui alteri possessionem eamdem sollicitatus A precibus personarum ipsarum videris rogationibus inclinari. Cum itaque tuæ dignitatis minime deceat gravitatem, ad cujuscumque petitionem tuis dispositionibus obviare; quin immo ipsa hoc te facere justitia prohibeat, prout te si ita fuerit sentire minime dubitamus, ac etiam idem Raynaldus nostris continuo familiariter intendat obsequiis; propter quod & ipsum & suos per te convenit amplioribus favoribus confoveri, fraternitatem tuam hortamur attentè, quatinus eosdem in eorum velis, B ut teneris, conservare justitia, & aures tuas contra jura ipsorum importunis quorumcumque petitionibus non præbere, te in præmissis taliter habiturus, quod idem Raynaldus nostras hujusmodi litteras sibi & fratribus suis prædictis sentiens efficaces, in suis apud nos & sedem apostolicam prosequendis negotiis benevolentiam tuam debitæ gratitudinis compensare obsequiis teneatur. Datum Avenione V. Idus Aprilis anno nono.

EPISTOLA LXXXVII.

Ad Ildebrandinum Marchionem Estensem.

Commendat ipsi Raynaldum de Zambrasiis.

DIlecto filio nobili viro ILDEBRANDINO marchioni Estensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nos dilectum filium magistrum Raynaldum de Zambrasiis de Bononia licentiatum in jure canonico nostrum familiarem & secretarium propter ejus merita probitatis & devotæ familiaritatis obsequia, quæ per eum nobis & sedi apostolicæ continuò impenduntur, paterna benevolentia prosequamur, ac propterea sibi & fratribus ejusdem favores per te & personas alias impendi gratum nobis veniat plurimum & acceptum. Nobilitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia eosdem Raynaldum & fratres, & specialiter quemdam dictum Bene germanum suum in civitate Ferrariensi, prout accepimus, commorantem, ac eorum negotia benigne commendatos suscipias, & eisdem in ipsorum negotiis sic tuos præstare velis benivolentiam & favores, quod præter id quod hoc nobis gratum reddetur plurimum & acceptum, idem Raynaldus se de nobilitate tua penes nos valeat merito commendare. Datum *ut supra.*

EPISTOLA LXXXVIII.

Ad eumdem.

Scribit ei in gratiam Guidonis Cautis de Florentia canonici Fulginatis.

DIlecto filio nobili viro Ildebrandino Marchioni Estensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper fide dignorum relatione percepimus, quod licet nos dudum dilecto filio Guidoni Cautis de Florentia canonico Fulginati ac secretarum litterarum nostrarum scriptori, de

Plebanatu Ecclesiæ sancti Martini de Ruina, A Ferrariensis diocesis duximus providendum. Idem tamen Guido seu procurator ejusdem pro eo nonnullorum obsistente potentia, usque modo pro suæ debito justitiæ plebis ipsius possessionem non extitit assecutus. Cum itaque præfata ecclesia intra terminos potestatis tuæ consistat, ac deceat nobilitatem tuam provisionibus per nos factis & inantea faciendis eo magis te præbere favorabilem & benignum, quo ad nos & Romanam Ecclesiam devotionem te habere convenit ampliorem, nobilitatem B ipsam requirimus & hortamur attentè, quatinus præfatum Guidonem molestari per aliquorum forte malignantium potentiam in sua justitia non permittas; sed eidem potius pro nostra & apostolicæ sedis reverentia adeo efficaciter tua præstare velis auxilia & favores, quod ipse juxta provisionem per nos tibi factam, possessionem dictæ plebis liberè assequi valeat, ejusque reditibus & fructibus pacifice gaudere. Datum Avenione v. Idus Aprilis C anno nono.

EPISTOLA LXXXIX.

Ad Nicolaum comitem Melfiensem.

Ut strenuum se exhibeat in defendendo regno Siciliæ.

Dilecto filio Nicolao comiti Melfiensi magno senescallo regni Siciliæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad litteras tuas nobis noviter præsentatas, D quas benignè recepimus, nil aliud de præsenti respondendum providimus, nisi quod carissimo in Christo filio nostro Ludovico regi Siciliæ illustri rescribendum duximus juxta formam quam habet cedula præsentibus interclusa. Cum itaque idem rex de tua, ut accepimus, prudentia & strenuitate confisus, te suæ gentis armigeræ contra malignam rabiem nonnullorum nostrorum ac Romanæ Ecclesiæ hostium & suorum more prædonico regnum Siciliæ discurrentium capitaneum præfecerit & ductorem, nobilitatem E tuam attentè requirimus, & paternis affectibus exhortamur, quatenus circa defensionem regni ipsius contra malignatores hujusmodi adeo te vigilem exhibeas, strenuum & solertem, quod famosi ducis merearis præconium, ac novis continuo sibi invicem succedentibus, fructuosis tuis obsequiis magis eniteat solidata in devotione regia fides tua. Datum Avenione III. Idus Aprilis anno nono.

F

EPISTOLA XC.

Ad Ludovicum regem Siciliæ.

Laudat ejus zelum erga sedem apostolicam, hortaturque ut in Sicilia remaneat ad regni sui defensionem.

Carissimo in Christo filio Ludovico regi Siciliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex litteris tuis nobis nuper per dilectum filium magistrum Zenobium de Florentia capellanum & secretarium nostrum cum debita reverentia præsentatis, per quas, sicut ex ipsarum tenore collegimus, tua serenitas, intellectis nonnullis perturbationibus Romanæ curiæ & partium vicinarum, personam ac potentiam regiam ejusque favores & auxilia ad nostra & Romanæ Ecclesiæ obsequiosa subsidia tam promte quam liberaliter offerebat, filialis tuæ devotionis zelum, quem ad nos & eamdem geris Ecclesiam, placide admodum & benigne percepimus; ac deinde eodem magistro Zenobio devotionem & oblationem hujusmodi coram nobis & fratribus nostris dictæ Ecclesiæ cardinalibus; prout tu in eisdem litteris postulabas, vivæ vocis ministerio plenius exponente, intelleximus diligenter. Equidem, carissime fili, commendandus est plurimum hujusmodi tuæ devotionis affectus, in quo magnis digna præconiis progenitorum tuorum vestigia laudabiliter imitaris. Liberalitatem igitur regiam, ac devotionem, & oblationes easdem copiosis in Domino laudibus attollentes, easque gratas gerentes multipliciter & acceptas, plenis illas prosequimur actionibus gratiarum. Quia vero negotia partium istarum solito melius disponuntur, & disponi etiam confidimus in futurum, personam tuam ad prosequenda prædicta pro parte tua nobis exposita fatigari nolumus de præsenti, sed illam potius ad defensionem & quietem ac pacem & statum pacificum regni tui viriliter intendere cupimus, & tuam proinde excellentiam ad resistendum in dextra Excelsi malignis illorum conatibus, qui Dei timore postposito, regnum ipsum perturbare & discurrere more prædonico, prout accepimus, non verentur, pro bono tranquillitatis & pacis regni ejusdem paternis affectibus exhortamur, quod si processu temporum super præmissis nobis expositis tuos favores & auxilia viderimus expedire, quicquid exinde deliberandum duxerimus, excellentiæ tuæ intimare curabimus, & tua tamquam peculiaris sedis apostolicæ filii subsidia fiducialiter implorare. Datum *ut supra*.

LITTERÆ DE MENSE MAII ANNO NONO.

EPISTOLA XCI.

Ad Ludovicum regem & Johannem reginam Siciliæ.

De quodam Johanne Guga cive Senensi, qui se regem Franciæ prædicabat.

Carissimis in Christo filiis Ludovico regi & Johannæ reginæ Siciliæ illustribus, salutem & apostolicam benedictionem.

Insatiabilis malorum omnium ille hostis humani generis, & tranquillitatis & pacis hominum ac præcipue Christi fidelium infatigabilis per-

secutor, vias & modos quotidie non cessat exquirere, quibus suscitare in gentibus scandala, & publicis valeat commodis obviare. Sane sicut ad vestram potuit jamdudum notitiam pervenisse, in caput cujusdam Johannis cognominati *Guga* civis Senensis, temeraria quædam ascendit opinio, ejusque mentem adeo novi generis insania subintravit, ut se, novis & irridendis proculdubio coloribus adinventis, regem Francorum auderet, prout adhuc audet, & quod ad ipsum regnum Franciæ pertineat verbis effrontibus & temerario ausu prædicare, & licet hujusmodi tam nova imaginatio, suggestione maligni spiritus, ut indubitanter tenemus, adinventa, prorsus veniat apud homines sano utentes judicio irridenda, nonnullos tamen hujusmodi fantasticæ temeritatis conflictos & confœderatos & fautores invenit, & inter ceteros quemdam militem Anglicum, Johannem de Vernayo nuncupatum, de regno Angliæ propter commissa per eum enormia plurima, prout accepimus, exsulem & bannitum: qui non erubescens se pro dicto Johanne *Guga* locum tenentem regis Franciæ sub hujusmodi insaniæ pallio nominare, adjuncta sibi quadam societate gentis armigeræ, prædas & rapinas, cædes & incendia in regno Franciæ nequiter exercebat. Demum cum sub prædicto falso sibi assumto nomine quoddam fortalitium, dictum Codelectum, situm prope civitatem Avenionem suis malignis conatibus occupasset, ibidem in quodam congressu per gentes carissimi in Christo filii nostri JOHANNIS regis Francorum illustris captus extitit, & captivus detinetur ad præsens. Deinde quoque præfatus Johannes *Guga* per gentes dilecti filii nobilis viri Mathiæ de Gisaaldo militis senescalli vestri Provinciæ extitit interceptus, & per senescallum eumdem captus ad præsens similiter detinetur. Cum itaque deceat excellentiam vestram honorem ac statum regis ejusdem, cui vos non mediocre vinculum consanguinitatis astringit, ac regni sui Franciæ fraternæ caritatis zelo & plenis desideriis affectare, ejusque quantum secundùm Deum conveniat condescendere precibus, & sibi in suis licitis & honestis petitionibus complacere, serenitatem vestram rogamus & hortamur attentè, quatinus ejusdem rogamina, quæ ipse porrigenda duxerit, prout honestas suadebit acceptare velitis: Mandantes præfato senescallo de Johanne prædicto taliter honestate prævia ordinari, quod apud nos vestra liberalitas commendanda veniat, & rex idem merito valeat contentari. Datum Avenione XVI. calendas Maii anno nono.



EPISTOLA XCII.

Ad Bernabovem de Vice-comitibus militem Mediolanensem.

Laudat ejus erga sedem apostolicam devotionem, mittitque ad eum abbatem S. Germani Autissiodorensis.

DIlecto filio nobili viro BERNABOVI de Vice-comitibus militi Mediolanensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Litteras tuas noviter præsentatas benignè recepimus, & ea quæ per nonnullos tuos nuncios & ambassiatores tua nobilitas exponere & liberaliter offerre curavit, in quibus devotionem tuam erga nos & sedem apostolicam laudabiliter ostendisti, placide percepimus, & intelleximus diligenter, & de eisdem nobilitatem tuam gratiarum actionibus prosequentes, devotionem & oblationem easdem plurimum in Domino commendamus: super hiis autem & nonnullis aliis nobis pro parte tua per venerabilem fratrem nostrum BONJOHANNEM episcopum Firmanum dudum nobis expositis, dilectum filium Guillelmum abbatem Monasterii sancti Germani Autissiodorensis ad tuam destinamus præsentiam de intentione nostra plenius informatum, qui intentionem eamdem tibi vivæ vocis ministerio latius explicabit. Datum Avenione XIV. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA XCIII.

Ad Galeacium de Vice-comitibus militem Mediolanensem.

DIlecto filio nobili viro GALEACIO de Vice-comitibus militi Mediolanensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ut in proxima usque nonnulla nobis per certum tuum ambassiatorem & nuncium pro parte tua nobis exposita & oblata liberaliter, in quibus, &c. *ut in proxima usque* super hiis autem, & nonnullis aliis tibi exponendis pro parte nostra dilectum filium Guillelmum, &c. *ut in proxima usque in finem.* Datum *ut supra.*

EPISTOLA XCIV.

VEnerabilibus fratribus, &c. *ut in forma de securo conductu usque* cum dilectus filius Galdesius de Lorexellis de Cimion legum doctor lator præsentium, ad nonnullas partes Lombardiæ de nostra conscientia & beneplacito se ducat præsentialiter conferendum. Nos volentes ipsum cum familia sua in eundo, morando & ad nos redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram, &c. *ut in forma usque in finem.* Datum *ut supra.*



EPISTOLA XCV.

Ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos, &c.

Commendat eis abbatem sancti Germani Autissiodorensis.

VEnerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus, & aliis ecclesiarum, & monasteriorum prælatis eorumque vices gerentibus, capitulis quoque ac conventibus ecclesiarum & monasteriorum ipsorum, ceterisque personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, SS. Benedicti & Augustini, & aliorum ordinum & domorum hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, B. Mariæ Theutonicorum, Calatravensis, & Humiliatorum magistris, prioribus & præceptoribus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectum filium GUILLELMUM abbatem monasterii sancti Germani Autissiodorensis latorem præsentium ad certas partes Italiæ, pro quibusdam nostris & Romanæ Ecclesiæ negotiis, per nos sibi commissis, præsentialiter destinemus; universitatem vestram requirimus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes; quatenus eumdem abbatem cùm per partes, passus, terras, & loca vestra transierit, ob reverentiam dictæ sedis & nostram benigne recommendatum recipientes & honorifice tractantes, sibi diebus singulis hujusmodi negotiorum prosecutione durante, in quinque florenos auri pro expensis suis necessariis, & de evectionibus opportunis, si suæ forsitan in via defecerint aut decesserint, vel alias fuerint impeditæ, nobis tamen quamprimum fieri poterit commode evectionibus restituendis eisdem, cum super præmissis per eum vel ejus nuncium fueritis requisiti, in eundo, morando, & redeundo, liberaliter providere & subvenire curetis. Etsi abbatem eumdem in aliquibus terris, sive locis vestris, ex aliqua causa justa moram trahere forte contingat, volumus quod non solum vos prælati & personæ ecclesiasticæ terrarum & locorum ipsorum, sed etiam vos alii prælati & personæ ecclesiasticæ vicinarum & aliarum partium circumpositarum nostrarum, sicut idem abbas expedire viderit, in provisionibus & subventionibus hujusmodi contribuatis. Sic itaque mandatum nostrum hujusmodi efficaciter adimplere curetis, quod devotionem vestram commendare merito valeamus. Alioquin sententiam sive pœnam, quam idem abbas per se vel alium seu alios ritè tulerit seu statuerit in rebelles, super quo sibi plenam concedimus tenore præsentium potestatem, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; non obstantibus, si vobis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod nunciis sedis ipsius procurationem aliquam exhibere, seu in ea contribuere, nisi ad vos declinaverint minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avenione XIV. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA XCVI.

Ejusdem argumenti.

VEnerabilibus fratribus, &c. *ut in forma de securo conductu.*

Cum dilectum filium GUILLELMUM abbatem monasterii S. Germani Autissiodorensis latorem præsentium ad certas Italiæ partes, pro quibusdam negotiis per nos sibi commissis, præsentialiter destinemus. Nos volentes ipsum cum familia sua in eundo, morando, & ad nos redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, quatenus eumdem abbatem cùm per passus, terras, & loca vestra transitum fecerit benigne recommendatum habentes, nullam eidem & familiæ suæ prædictæ in personis vel rebus eorum inferatis injuriam vel offensam, nec ab aliis quantum in vobis fuerit permittatis inferri, sed ei potius de securo conductu, si à vobis illum petierit, sic libere providere pro nostra & apostolicæ sedis reverentia studeatis, quod vestra possit exinde apud nos devotio merito commendari. Datum Avenione XIII. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA XCVII.

Ad septem reformatores, consilium, populumque Romanum.

Ut institutos in civitatibus & castris Ecclesiæ Romanæ gubernatores & rectores revocent, nec alios deinceps instituere præsumant.

DIlectis filiis septem reformatoribus ac consilio populoque Romano, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem ad nostram audientiam, non sine admiratione, pervenit, quod noviter pro parte vestra banna & præcepta mandantur ut in certis civitatibus, terris, castris, & locis provinciæ Campaniæ & Maritimæ ad nos & Romanam Ecclesiam immediate spectantibus, quodque incolis civitatum, terrarum, castrorum, & locorum ipsorum, in quibus vobis nullum jus competit,

competit, imponuntur nonnullæ tailliæ & collectæ, & per vos incolæ ipsi ad solvendum easdem contra Deum & justitiam compelluntur; & quod in non minorem nostram admirationem consurgit, per vos, certis fictis coloribus adinventis, novissime diebus istis universitates nostrarum & dictæ Ecclesiæ Verulanensis & Alatrinensis civitatum ad eligendum in eisdem civitatibus pro earum gubernatoribus & rectoribus tantummodo personas aliquas ex Romanis civibus compulistis. Cum itaque deceat devotionem vestram, quam ad nos & sedem apostolicam geritis, non tantum nos & sedis ejusdem jura non lædere, & manus vestras ad terras nostras non extendere, sed eas à lædentibus seu contra eas manus extendentibus deffensare, & credere debeatis, nos, si contra feceritis, id non posse, prout etiam non debemus, æquanimiter tolerare, discretionem vestram hortamur attentè, nihilominus mandantes eidem, quatenus ab hujusmodi gravaminibus abstineatis de cetero, & rectores seu gubernatores præfatos absque dilationis obstaculo revocetis, ac de gubernationibus seu regiminibus dictarum aut aliarum nostrarum & præfatæ Ecclesiæ civitatum & terrarum, directè vel indirectè, cum sciatis id ad vos minime pertinere, eadem se vestra devotio nullatenus intromittat absque nostra seu nostrorum officialium, qui sunt ad præsens, vel qui erunt pro tempore in præfatis provinciis, beneplacito vel mandato; obedientiam vestram in præmissis taliter per effectum operis ostensuri, quod exinde apud nos & sedem præfatam eadem commendanda veniat vestra devotio, nosque pro defensione nostrorum & dictæ Ecclesiæ jurium; prout ex injuncto nobis pastoralis officii debito nobis incumbit, aliud super hiis apponere remedium non sit opus. Ceterum si pro reformandis discordiis in provinciis prælibatis, vestra prout alias vos fecisse, ex venerabilis fratris nostri JOHANNIS episcopi Firmani in eisdem provinciis pro nobis & præfata Ecclesiæ rectoris informatione didicimus; vestra in futurum præstiteritis auxilia & favores, gratum id habebimus & acceptum, vobisque exinde tenebimur ad merita gratiarum. Datum Avenione XIII. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA XCVIII.

Ad Hugonem de Lisignano senatorem Urbis.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro HUGONI de Lisignano senatori Urbis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem non sine admiratione percepimus relationibus fide dignis, quod noviter pro parte regiminum seu populi & communia urbis Romanæ banna & præcepta mandantur in certis civitatibus, castris, terris, & locis provinciæ Campaniæ & Maritimæ ad nos & Romanam Ecclesiam immediate spectantibus, quodque incolis civitatum, castrorum, terrarum & locorum ipsorum, in quibus nullum jus eis competit, &c. *ut in proxima usque* civibus compellantur *mutatis mutandis*. Cum itaque prædicta quæ in offensam non modicam nostram & sedis apostolicæ redundare noscuntur tolerare æquanimiter, nisi emendentur celeriter, minime intendamus; prout etiam non debemus, dilectis filiis septem reformatoribus ac consilio populoque Romano nostras super hiis speciales litteras destinamus, mandantes eisdem à talibus de cetero prorsus abstineant, & gubernatores seu rectores præfatos studeant à dictis civitatibus absque dilationis obstaculo revocare. Quocirca nobilitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus circa prædicta adeo, prout ex debito tui officii teneris, dare studeas operam efficacem, quod apud nos & sedem præfatam dignis laudibus commendanda veniat tuæ devotionis & obedientiæ promtitudo, nosque super eisdem aliud apponere remedium non sit opus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA XCIX.

Ad civitatem Verulanensem.

Ne gubernatores & rectores ex Romanis accipiant, absque officialium suorum consensu.

Dilectis filiis consilio & communi civitatis Verulanensis ad nos & Romanam ecclesiam immediate spectantis, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper ad audientiam nostram non sine admiratione pervenit, quod per vos in gubernatores seu rectores vestros, prætextu mandati nobis facti per regimina, consilium, & populum Romanum; tantummodo personas ex civibus Romanis assumitis, absque officialium nostrorum in partibus existentium beneplacito vel mandato. Cum itaque fidelitati vestræ conveniat, ab hiis quæ nostra & Ecclesiæ Romanæ jura lædere videantur, pro viribus abstinere, discretioni vestræ mandamus, quatinus præmissa taliter emendare curetis, quod exinde eadem sincera fidelitas apud nos commendanda veniat, ac de cetero ita studeatis à similibus summopere præcavere absque nostro seu officialium prædictorum qui sunt aut erunt pro tempore mandato, vel licentia speciali, quod super eisdem, quæ, si contra feceritis, tolerare proculdubio æquanimiter non possemus, aliud prout exigeret justitiæ debitum apponere remedium non sit opus. Datum Avenione XII. calendas Maii anno nono.

In eodem modo, dilectis filiis consilio & communi civitatis Alatrinensis ad nos & Romanam Ecclesiam immediate spectantibus, salutem & apostolicam benedictionem.



A

EPISTOLA C.

Ad Honoratum comitem Fundorum.

Ut civitatem Anagniæ ecclesiæ Romanæ restituat.

Dilecto filio nobili viro HONORATO comiti Fundorum, salutem & apostolicam benedictionem.

Super restitutione civitatis Anagniæ ad nos B & Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, per te officialibus nostris per nos in provinciis Campaniæ & Maritimæ deputatis libere facienda, nobilitati tuæ nostras meminimus litteras destinasse: quod cum per te nondum factum fore noverimus, eo magis admirari cogimur, quo te tamquam devotionis & reverentiæ filium promta obedientia amplius obtemperare exhortationibus sperabamus. Cum itaque ex injuncto nobis desuper officio ministerii pastoralis nostra & dictæ Ecclesiæ, civitates, castra, loca & jura quælibet liberari facere de mani- C bus occupantium teneamur, nobilitatem eamdem sicut iterum, sic attentius exhortandam duximus, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus civitatem eamdem, sublato cujuslibet dilationis obstaculo, in manibus dictorum officialium nostrorum omnino dimittas, tuæ obedientiæ promtitudinem in præmissis taliter ostensurus, quod super hoc de alio nos non oporteat remedio, prout suadebit justitia, pro nostrorum & ejusdem Ecclesiæ de- D fensione jurium providere. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CI.

Ad Johannem de Comite.

Ut officialibus suis civitatem Segninam restituat.

Dilecto filio nobili viro JOHANNI de Comite, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam relationibus fide di- E gnis, quod civitas Segnina quæ ad nos & Romanam Ecclesiam pertinere noscitur pleno jure, per te jam pridem occupata extitit, & occupatur ad præsens. Cum itaque hoc eo magis in nostram admirationem consurgat, quo per te civitates, terras, castra, & loca ac jura quælibet nostra, & dictæ Ecclesiæ defensari ab opprimentibus conveniret; nobilitatem tuam requirendam duximus & hortandam, nihilominus mandantes eidem, quatinus civitatem eamdem in manibus officialium nostrorum in F partibus consistentium libere restituas & dimittas, obedientiam tuam in restitutione hujusmodi taliter per effectum operis ostensurus, quod exinde apud nos & sedem apostolicam commendanda veniat hujusmodi tuæ obedientiæ promtitudo, nosque super hiis de alio non oporteat remedio providere. Datum *ut supra.*



EPISTOLA CII.

Ad Matthæum de Celano.

Ut castrum Ceperani officialibus Ecclesiæ Romanæ restituat.

Dilecto filio nobili viro MATTHÆO de Celano, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum venerabilis frater noster Ægidius episcopus Sabinensis apostolicæ sedis legatus, de nobilitate tua fiduciam gerens in Domino singularem, officium rectoriæ nostrarum & Romanæ Ecclesiæ provinciarum Campaniæ & Maritimæ pro nobis & eadem Ecclesia tibi duxit, prout accepimus, committendum. Cumque castrum Ceperani de dicta provincia Campaniæ ad nos & præfatam Ecclesiam nullo medio pertinens, per te dum in eodem esses officio, prout accepimus, teneretur; tu tamen succedente in dicto officio tibi alio rectore castrum ipsum eidem rectori restituere denegasti, ipsumque, non obstantibus litteris super restitutione castri ejusdem per ipsum legatum tibi transmissis, detines contra Deum & justitiam, præsentialiter occupatum, in manifestam Dei offensam, & sedis apostolicæ læsionem non modicam & jacturam. Cum itaque talia non conveniat nos conniventibus oculis pertransire, prout etiam non debemus, nobilitatem ipsam requirimus & monemus, & eidem mandamus expresse; quatinus castrum ipsum, in quo nullum jus tibi competit, in manibus alicujus ex nostris & dictæ Ecclesiæ officialibus in partibus consistentibus libere restituas & dimittas, obedientiam tuam in præmissis taliter ostensurus, quod super eis non oporteat per nos pro defensione nostrorum, terrarum, castrorum & jurium de alio remedio providere. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CIII.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

De misso ad Bernabovem de Vice-comitibus Guillelmo abbate sancti Germani Autissiodorensis.

Venerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem accedens ad præsentiam nostram venerabilis frater noster BONJOHANNES episcopus Firmanus, nonnulla pro parte Bernabovis de Vice-comitibus militis Mediolanensis, & deinde nonnulli Bernabovis ejusdem ambassiatores & nuncii nonnulla nobis exponere curaverunt: super quibus & certis aliis eidem Bernabovi vivæ vocis oraculo explicandis, dilectum filium GUILLELMUM abbatem monasterii sancti Germani Autissiodorensis latorem præsentium de intentione nostra plenius informatum ad Bernabovem eumdem duximus destinandum, & deinde ad tuam præsentiam conferendum: à quo tam de expositis eidem pro parte nostra, quam de responsis per eum informatio-

nem habere potuit tua fraternitas pleniorem. A Datum Avenione XI. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CIV.

Ad Matthiam de Giosvaldo senescallum Provinciæ.

Ut confœderatis recedentibus per Provinciam liberum tribuat transitum.

Dilecto filio nobili viro MATHIÆ DE B GIOSVALDO senescallo Provinciæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum gentes illæ armigeræ, quæ sub nomine Societatum in Provinciæ partibus existebant, sub ducatu dilecti filii nobilis viri JOHANNIS marchionis Montis-ferrati recedere debeant de partibus ipsis, & ejusdem Provinciæ partes libere dimittere, & ad partes alias juxta dicti Marchionis voluntatem de nostra conscientia & beneplacito se conferre, nobilitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatinus gentes C ipsas per passus & loca dictæ Provinciæ libere transire mandes & facias, nullamque eis in personis & rebus ipsorum inferri patiaris injuriam rei vel offensam. Quin immo eisdem de victualibus & necessariis pro eorum pecuniis facias provideri: ut sic libere transeuntes, partes ipsas dimittant liberas, & ad loca quibus deputatæ sunt, valeant sine obstaculo tuis favoribus pertransire. Datum Avenione XI. calendas Maii anno nono.

Facta est littera de securo conductu pro Bettino Georgii serviente armorum misso ad certas partes D *Provinciæ de mandato nostro, sub data ut supra.*

EPISTOLA CV.

Ad ancianos & consules civitatis Benoniensis.

Laudat eorum zelum erga Romanam ecclesiam.

Dilectis filiis Ancianis & consulibus ac populo & communi civitatis Bononiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectos filios Johannem ordinis fratrum Minorum sacræ Theologiæ Magistrum, & Simo- E nem de sancto Georgio civem Bononiensem legum doctorem & ambassiatores vestros, ad nostram nuper ex parte vestra præsentiam accedentes, consideratione filiorum mittentium, & laudabilis probitatis ac sufficientiæ ipsorum intuitu, placide admodum & benigne recepimus, & nonnulla per eos coram nobis & fratribus nostris Romanæ Ecclesiæ cardinalibus tam copiose quam prudenter exposita intelleximus diligenter. Deinde expositis hujusmodi F per nos consideratis attentius, & intra nostræ mentis arcanum ea qua conveniebat meditatione pensatis, vobis per ambassiatores ipsos de intentione vestra super hiis plenius informatos respondendum duximus, prout ipsi vobis vivæ vocis oraculo poterunt latius explicare. Equidem, dilecti filii, fervidæ devotionis zelum & invictæ fidelitatis vestræ constantiam, quam erga nos & Romanam Ecclesiam geritis, prout continuò laudabili perseverantia demonstratis, nos gratam gerentes plurimum & acceptam, vos exinde multipliciter commendamus in Domino: quamquam suasionibus virtus solidata non egeat, paternis vos ad illam affectibus exhortamur. Perseverate igitur constanter, & contra nostros & præfatæ Ecclesiæ ac vestros hostes tam unanimiter quam viriliter resistatis, neque vos tumultus aut animos viriles inflectat hostilis aut moveat; quin immo interpræsentes sollicitudines & labores ante mentis vestræ oculos revocate, à quam gravi servitutis jugo liberaveritis colla vestra: nos autem vestris hujusmodi laboribus pio compatientes affectu, & devotionem ac fidelitatem easdem gerentes in visceribus caritatis pro defensione & consideratione vestri status pacifici & tranquilli, & intendimus hactenus, & continuò amplioribus auxiliis & favoribus, dante Domino, intendemus, ut tandem post labores requiescere, & post sollicitudines varias perfrui solitæ pacis dulcedine valeatis. Datum Avenione X. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CVI.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Venerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectos filios, *ut supra usque* nuper doctorem ad nostram tam ex parte tua, quam dilectorum filiorum universitatis Bononiensis præsentiam accedentes, placide admodum, &c. *ut supra usque* diligenter, super quibus quidem expositis attenta per nos meditatione pensatis, iidem Johannes & Simon de intentione nostra plenius informati intentionem ipsam & qualiter eidem universitati respondendum, & ipsam exhortandam duxerimus, fraternitati tuæ vivæ vocis oraculo poterunt latius explicare. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CVII.

Ad Johannem episcopum Vercellensem.

Ut factas cum hostibus ecclesiæ conventiones dissolvat.

Venerabili fratri JOHANNI episcopo Vercellensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Admirationis & turbationis materiam nuper nobis tua fraternitas præbuit, pro eo quod contra mandata nostra, quæ per diversas nostras litteras tibi direximus, cum dominatoribus civitatis Mediolanensis ligam & conventiones facere, prout fide digna relatione percepimus, præsumsisti, & evidentius ad deteriora prosiliens, dilectos filios nobiles viros JOHANNEM marchionem Montis-ferrati apud apostolicam sedem in nostris & Romanæ Ecclesiæ auxiliis & servitiis, prout tibi notum esse verisimiliter

poterat, personaliter existentem, ac SIMONEM BUCCANIGRAM ducem & commune Januense A non sine nostro & sedis præfatæ contemtu temeritatis audacia, per tuas præsentes litteras diffidasti. Cum itaque præfati marchio, dux & commune ultra devotionis plenitudinem, quam erga nos & Romanam Ecclesiam filialiter exhibebant, nuper nobiscum & dicta Ecclesia ad mutuam defensionem & auxilia sint specialiter colligati, nosque læsionem ipsorum nostram propriam reputemus, tibi in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, qua- B tinus infra octo dies à receptione seu notitia præsentium numerandos, omnem ligam seu colligationem, ac conventiones, & promissiones, quas cum dominatoribus eisdem, & eorum auxiliatoribus & fautoribus, sub quorumcumque verborum forma. seu expressione fecisti, cum vergeant in nostrum & dictæ Ecclesiæ matris tuæ, & per consequens commissæ tibi Ecclesiæ ac reipublicæ probabiliter detrimentum, ac diffidationem hujusmodi per te factam totaliter & dissolvere & revocare procures. Nos quoque C ligam, seu colligationem, conventiones, & promissiones easdem, etiamsi juramentorum interpositionibus & pænarum adjectionibus aut quavis alia firmitate vallatæ sint, auctoritate apostolica tenore præsentium cassamus, irritamus, & nullam habere decernimus roboris firmitatem. Etsi pro ipsarum observatione sacramentum forsitan præstitisti, illud cum vinculum iniquitatis esse non debeat, decernimus non tenere, & te ad cautelam absolvimus ab eodem: D & quia secundum Apostolum fidelis ad infidelem, & justitiæ ad iniquitatem pars esse non debet, tibi sub dicta pœna mandamus, quatinus eisdem dominatoribus, quorum alterum manifestum nostrum & præfatæ ecclesiæ hostem, & alterum ipsius fautorem esse tua non debet fraternitas ignorare, & gentibus & sequacibus eorumdem victualia, & per terras & loca dictæ tuæ ecclesiæ transitum, vel receptaculum in eisdem, ac auxilium, consilium vel favorem præbere de cetero non præsumas, nec à tuis subditis præberi permittas, & quatuor navigia E onerata victualibus ac rebus & bonis marchionis ejusdem & suarum gentium, quæ per gentes & officiales tuos pridem capta & detenta fuisse dicuntur, pro quorumque relaxatione alias tibi scripta nostra direximus, facias cum victualibus rebus & bonis eisdem ac hominibus, qui dicta navigia conducebant indilate ac libere relaxari, & eum ex paterna dilectione, quam ad dictos marchionem, ducem & commune Januense gerimus, & ex eorum obligatione F prædicta nobiscum, & cum dicta Romana Ecclesia, ut nostris & ejusdem Ecclesiæ hostibus potentius valeamus resistere, nuper facta, ipsorum marchionis, ducis & communis læsionem & defensionem ac alia negotia tam prospera, quam adversa nostræ & dictæ Ecclesiæ propria non immerito censeamus: te tamquam honorabile membrum & dilectum filium Ecclesiæ præfatæ requirimus & hortamur attente; quatinus marchioni, duci, & communi præfatis, eorumque gentibus & sequacibus sicut nobis & nostris promtè assistas consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis, eis per dictæ Ecclesiæ tuæ terras, & loca, transitum liberum, receptaculum tutum, & opportuna victualia fideliter tribuendo super hiis nostris mandatis taliter pariturus, quod contra te propter tuam inobedientiam aliud adhibere remedium non cogamur. Datum Avenione x. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CVIII.

Ad capitulum generale fratrum Prædicatorum.

Laudat ordinem Prædicatorum, eosque hortatur ad perfectiora semper tendere, eorum precibus Ecclesiæ necessitates commendat, eisque indulgentias concedit.

Dilectis filiis Simoni magistro ac diffinitoribus & fratribus ordinis Prædicatorum Rothomagi in generali capitulo eorum ibidem celebrando proxime convenientibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Amabiles fructus, quos sacer ordo vester, velut pomarium quoddam divina manu consitum in agro militantis Ecclesiæ, in ubertate produxit hactenus & producit, in considerationem debitam adducentes, & odorem ex operationibus vestris bonis ac laudandis actionibus ascendentem, quo Ecclesia ipsa repletur & recreatur assidue odorati, de ipsius ordinis statu prospere conservando sollicitamur assidue; & ut sublatis impedimentis quibuslibet, felicibus semper successibus augeatur, ingenti desiderio affectamus. Proinde universitatem vestram monemus, requirimus & hortamur, illam attente rogantes, ac vobis in remissionem peccaminum injungentes, quatenus in hoc congregationis vestræ sanctæ capitulo habentes Deum præ oculis, & humilis vestri B. Dominici doctrinam & vestigia salutaria imitantes, hiis vacetis sollicite, ad ea studiose operam impendatis, per quæ in vobis maneat caritatis spiritus, dilectionis affectio vigeat, stet unitatis vinculum, robur pacis abundet, & bonum concordiæ perseveret, sicque pia studia vestra in præsenti conquisitæ famæ testimonia clara custodiant, ut in futuro ab eo cujus obtentu mundo renunciantes immundo, ac sæcularia desideria abnegantes sub jugo regularis observantiæ, quæ licet arcta, suavis & dulcis est, sobriè, piè & justè in hoc sæculo vivitis, æternæ gloriæ præmia mereantur. Sanè quia in pelago mundi hujus reptilium numerus, peccatis exigentibus, sic à regione deserti venientibus ventis, eodem concusso pelago vnde superbiunt, lasciviunt fluctus & procellæ turbinum intumescunt, quod nullum pene orbis angulum seditionum calamitas, guerrarum fremitus & bellorum ærumna reliquerunt expertem. Nos, qui meritis impares & viribus inæquales, Petri navem gubernandam ex dispensatione divina dignantes potius quam digne suscepimus, horum consideratione stu-

pentes, in vobis qui ad pedes Domini statis assiduè cum Maria, & qui amici ejus per vitæ meritum facti estis, spei anchoram jacimus & fiduciæ spiritum elevamus, precibus nostris hujusmodi adjungentes, ut eum qui draconem illum reptilium caput & principem captivavit, quique mari & ventis imperat, & cessare facit spiritum tempestatis, vestris, quas velut justorum multum apud ipsum profuturas credimus, precibus & orationibus excitetis, ut ipse misericordiæ suæ memor venena fuget nequitiæ, fluctus comprimat, & turbinum placet ineffabilis potentiæ suæ virtute procellas, sicque det propitius pacem, & paret benignius concordiam, quo populus christianus factus unanimus optatæ quietis opulentia gaudeat & tranquillitatis plenitudine perfruatur, nosque sic ipsi Ecclesiæ suæ utiliter præesse concedat, quod creditorum nobis copiosum numerum talentorum reddentes cum adjectione fœnoris pinguioris, ab eorum creditore inter fideles servos ad gaudia sua recipi mereamur. Ceterum affectum caritatis, quem ad vos gerimus, cupientes aliquali spiritualium exhibitione munerum demonstrare, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in capitulo ipso præsentes fueritis, & hiis etiam ex confratribus vestris, qui venientes ad illud impedimento præpediti legitimo in eo interesse nequiverint, de ipsius omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, septem annos & septem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus. Datum Avenione VII. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CIX.

Ad Reginaldum episcopum Æduensem.

Ad sublevandam Urbis Sedeloci incendio pene integrè consumtæ desolationem, permittit ei ecclesiæ suæ nemora vendere.

Venerabili fratri Reginaldo episcopo Æduensi Thesaurario nostro, salutem & apostolicam benedictionem.

Petitio pro parte tua nobis exhibita continebat quod noviter per nonnullos perditionis filios in societates, immo complicitates potius varias congregatos, diversas regni Franciæ partes more prædonico discurrentes, & in eisdem rapinas, incendia & homicidia, ac scelera alia plurima committentes, villa de Sedeloco Æduensis diocesis, quæ ad tuam Æduensem ecclesiam noscitur pertinere, desolata plurimum extitit, & pene per totum incendio concremata, ac incolæ ejusdem villæ ad reparationem domorum in ea faciendam adeo impotentes existunt, quod nisi eisdem incolis aliqua subsidia præbeantur, villam ipsam derelinquere cogerentur: quod in tuum & ejusdem tuæ ecclesiæ vergeret incommodum maximum atque damnum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc providere tam tibi quam eidem ecclesiæ de benignitate apostolica dignaremur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi donandi libere ac vendendi incolis villæ præfatæ de nemoribus dictæ ecclesiæ, de pretio de quo tibi videbitur, ut ipsi incolæ remanere in dicta villa & habitationes ac domos in ea reparare valeant, juramento per te præstito de non alienandis bonis ipsius Ecclesiæ nequaquam obstante, plenam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Avenione VII. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CX.

Ad subveniendum ecclesiæ necessitatibus mandat levari per biennium decimam omnium proventuum ecclesiasticorum.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii debitum, sicut gravibus sic multiplicibus curis indesinenter obnoxium & variis continuò sollicitudinibus circumseptum, exigit ut Romanæ matris Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, ipsiusque fidelibus ac jurium suorum defensioni ac conservationi, & tranquillitati ac paci ipsius, & Romanæ curiæ ac incumbentibus ad hoc quodammodo necessitatibus, opportunæ providentiæ consulamus remediis, & imminentibus dispendiis atque periculis, quantum cum Deo possumus, obviemus. Sane sicut ad populorum Christi fidelium potuit rumor implacidus perduxisse, adeo nonnullorum malignorum tyrannorum in Italiæ partibus consistentium excrevit ambitio, ut nonnulla civitates, castra, terras & loca ad dictam Ecclesiam in eisdem partibus immediate spectantia impugnare & opprimere & invadere hostiliter minime videantur, quodque in majorem consurgere potest admirationem audientium & stuporem, post pacem & concordiam inter carissimos in Christo filios nostros Johannem Francorum & Eduardum Angliæ reges illustres, auctore Domino, reformatam, nonnulli patris discordiarum filii, pacis hostes, & perditionis alumni in societates, immo in prædonum potius complicitates varias congregati, ad turbationem populorum Christi fidelium intendentes, in eam devenerunt temeritatis insaniam, ut Romanam curiam & degentes in ea ac partes eidem vicinas perturbare, & more prædonico terras ipsius Ecclesiæ in comitatu Venaisini consistentes, & nonnullas alias terras eidem curiæ proximas discurrere, ac prædas & rapinas in illis facere, & ex terris ipsis aliquas capere, & hostiliter occupare non formident, in manifestam Dei offensam, & sedis apostolicæ opprobrium non modicum & contemtum, ac damnum & scandalum plurimorum: ac nonnulli alii in similem consurgentes insaniam, ad loca ipsa de proximo accedere verisimiliter formidantur. Cum itaque prout ex debito dicti officii nobis incumbit, ad defensionem & conservationem dictarum terrarum ipsius Ecclesiæ in dictis Italiæ ac Venaysini aliisque partibus consistentium, necnon ad quietem & pacem præfatæ curiæ & degentium in eadem ac vicina-

rum partium intenderimus hactenus, & intendamus continuo, ac periculis aliis, quæ verisimiliter formidantur opportunis obviare remediis cupiamus, & ad id favorabiliter prosequendum præsentialiter minus sufficientes existant, prout gravitati negotiorum imminentium opportunum & expediens foret, cameræ nostræ facultates & vires, quas non parum imminuit attenuatio redditium ejus ex temporum causata malitia, pene exhausit agendorum innumerabilium multitudo; diligenti super hiis cum fratribus nostris dictæ Ecclesiæ cardinalibus deliberatione præhabita, præmissis ex causis decimam omnium redituum & proventuum Ecclesiasticorum in venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum & suffraganeorum ipsorum civitatibus, diocesibus, & provinciis in regno Angliæ constitutis, per duos annos continuos in festo B. Mariæ Magdalenæ proxime venturos incohando, solvendam & exigendam, tam ab archiepiscopis, & eorum suffraganeis supradictis, quam ab aliis omnibus & singulis personis ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus quibuscumque, exemtis & non exemtis, infra dictum regnum reditus & proventus hujusmodi obtinentibus, & infra dictum biennium obtenturis, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant: quibus, aut eorum alicui nulla privilegia, vel indulgentias, sub quacumque verborum forma vel expressione concessa, volumus suffragari, præter quam ab eisdem fratribus nostris ejusdem Ecclesiæ cardinalibus hujusmodi reditus & proventus in eisdem civitatibus, diocesibus, & provinciis obtinentibus, & infra dictum biennium obtenturis, qui in apostolicæ sollicitudinis partem assumti nobiscum, universalis Ecclesiæ onera sortiuntur, nec non à dilectis filiis, magistro, prioribus, præceptoribus, & fratribus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, qui contra hostes fidei christianæ exponunt jugiter se & sua: quos quidem cardinales, magistrum, priores & præceptores, & fratres hospitalis ejusdem, ab hujusmodi præstatione decimæ exemtos esse volumus & immunes, quam pro hujusmodi & aliis Ecclesiæ ac fidelium prædictorum oneribus, commodius & favorabilius supportandis, de dictorum fratrum nostrorum ejusdem R. E. cardinalium consilio, auctoritate apostolica imponimus per præsentes: volentes quod hujusmodi decima per ipsorum archiepiscoporum & suffraganeorum singulos, videlicet eorum in singulis eorum civitatibus & diocesibus quos ibidem ipsius collectores decimæ deputamus, & subcollectores clericos dumtaxat, ab eorum singulis deputandos, tam ab eis ipsis, quam ab aliis omnibus & singulis prælatis & personis ecclesiasticis supradictis, in eisdem civitatibus, & diocesibus, ac provinciis infra dictum regnum reditus, & proventus ecclesiasticos habentibus & habituris, ut præfertur, de ipsis dumtaxat reditibus & proventibus, præter quam ab eisdem cardinalibus, magistro, prioribus, præceptoribus, & fratribus hospitalis ejusdem, per dictum biennium in infra scriptis terminis exigatur, & etiam colligatur, nobis postmodum & apostolicæ cameræ seu illi vel illis, quem vel quos ad ipsam decimam nostro & ipsius cameræ nomine recipiendam, deputandos duxerimus, per ipsos archiepiscopos & suffraganeos seu subcollectores eosdem, seu alios quos ad ipsam decimam recipiendam deputandos duxerint assignanda, & quod fiat dicta solutio quolibet anno dicti biennii in terminis infra scriptis, siquidem solutionis medietatis hujusmodi decimæ primi anni dicti biennii primum terminum fore statuimus festum nativitatis Dominicæ proxime venturum, secundum vero terminum solutionis alterius medietatis ipsius primi anni esse volumus festum ascensionis Domini nostri Jesu-Christi tunc proximum secuturum. In secundo anno dicti biennii tunc pro medietate sequenti similibus terminis observandis, dictæque ipsius decimæ exactio fiat, secundum taxationem decimæ in dictis civitatibus, & diocesibus, ac provinciis hactenus factam, vel ubi hujusmodi nulla certa taxatio fuerit secundum communem valorem redituum & proventuum eorumdem: & ne de moneta in qua solutio dictæ decimæ fiet aut fieri debebit valeat hæsitari: volumus quod ipsa decima ad monetam in dictis terminis communiter in eisdem civitatibus & diocesibus currentem solvatur, levetur & etiam exigatur, juxta consuetudinem super hoc editam in concilio Viennensi: ita quod prætextu alicujus cambii debitores & solutores dictæ decimæ non graventur, quodque propter hoc juxta constitutionem eamdem, calices, libri, & alia ornamenta ecclesiarum, aliaque divinis officiis deputata ex causa pignoris, vel alias occasione exactionis prædictæ nullatenus capiantur aut distrahantur, nec etiam occupentur. Nulli ergo, &c. nostræ impositionis, deputationis, constitutionis & voluntatis infringere, &c. Datum Avenione VII. calendas Maii anno nono.

In eodem modo facta est alia littera impositionis decimæ in eisdem partibus per annum unum in terminis infra scriptis, videlicet primum terminum solutionis unius medietatis statuimus fore festum nativitatis Dominicæ primum venturum. Secundum vero solutionis alterius medietatis ipsius anni festum ascensionis Domini nostri Jesu-Christi proximum secuturum, &c. *ut supra in proxima.* Datum *ut supra.*

EPISTOLA CXI.

Ad Androynum abbatem Cluniacensem.

Ut prælatos & personas ecclesiasticas Angliæ inducat ad subveniendum aliquo pecuniario subsidio ecclesiæ necessitatibus.

Dilecto filio Androyno abbati monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut ad tuam & populorum Christi fidelium

notitiam rumor infestus potuit perduxisse, adeo nonnullorum malignorum tyrannorum in Italiæ partibus consistentium excrevit ambitio, ut nonnulla civitas, castra, terras, & loca ad Romanam Ecclesiam in eisdem partibus immediate spectantia, impugnare, opprimere, & invadere hostiliter minime videantur, quodque in majorem consurgere potest admirationem audientium & stuporem, post pacem & concordiam inter carissimos in Christo filios nostros JOHANNEM Franciæ & EDUARDUM Angliæ reges illustres faciente Domino reformatam, nonnulli patris discordiarum filii, pacis hostes & perditionis alumni, in societates immo prædonum potius complicitates varias congregati, ad turbationem populorum Christi fidelium intendentes, in eam devenerunt temeritatis insaniam, ut Romanam curiam, & degentes in ea, ac partes eidem vicinas perturbare, & more prædonico terras ipsius Ecclesiæ, & nonnullas alias eidem curiæ proximas discurrere, ac prædas & rapinas in illis facere non formident, ac nonnulli etiam alii in similem consurgentes insaniam ad partes ipsas, ejusdem curiæ incolis, Dei timore postposito, temerarie admodum comminantes, accedere de proximo, nisi aliter malis suis gerentibus provideat divina benignitas, formidantur, in manifestam Dei offensam, & sedis apostolicæ opprobrium & contemtum, ac damnum & scandalum plurimorum. Cum itaque prout ex debito pastoralis officii nobis incumbit, ad defensionem & conservationem dictarum terrarum ipsius Ecclesiæ in dictis Italiæ & vicinis dictæ curiæ partibus consistentium, necnon ad quietem & pacem ipsius curiæ & degentium in eadem ac vicinarum partium intenderemus hactenus & intendamus continuò, ac præsumtioni dictorum pacis hostium & prædonum, nec non periculis aliis quæ verisimiliter formidantur opportunis obviare remediis cupiamus, & ad id favorabiliter prosequendum præsentialiter minus sufficientes existant; prout gravitati negotiorum imminentium opportunum & expediens foret, cameræ nostræ facultates & vires, quas non parum imminuit attenuatio redituum ejus ex temporum causata malitia, & pene exhausit agendorum innumerabilium multitudo: ac propterea dignum & congruum reputemus tam multiplicibus & gravibus laboribus dictæ Ecclesiæ imminentibus ab ejusdem Ecclesiæ membris, personis videlicet ecclesiasticis, opportunis favoribus & subsidiis subveniri, discretioni tuæ mandamus, quatenus juxta datam tibi à Deo prudentiam, venerabiles fratres nostros, primates, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios abbates, priores, decanos, præpositos, archidiaconos, archipresbyteros, plebanos, rectores, & alios ecclesiarum & monasteriorum prælatos, ipsorumque vicegerentes, capitula quoque & conventus ecclesiarum & monasteriorum, ceterasque personas ecclesiasticas, sæculares & regulares, exemtas & non exemtas, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, SS. Benedicti & Augustini, ac aliorum ordinum & domorum hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, sanctæ Mariæ Theotonicorum, Calatravensis & Humiliatorum magistros, priores, & præceptores infra regnum Angliæ constitutos benignius alloquaris, eosque sinistrorum occurrentium nobis gravitate, & dictæ nostræ cameræ oneribus, ad quorum supportationem ejusdem cameræ non suppetunt, ut præmittitur, facultates, per te diligenter expositis eisdem, tuis exhortationibus pro nostra parte sollicites & inducas, ut in tantis necessitatis articulo & periculorum eventu, tamquam membra ipsius Ecclesiæ velint suo capiti compati, & etiam condolere, & propterea nobis & dictæ cameræ de aliquo pecuniali subsidio subvenire, ut tam ipsorum quam membrorum ipsius Ecclesiæ intervenientibus auxiliis, & filialibus subsidiis, hujusmodi turbationibus ex temporum malignitate causatis valeat pro nostro & ipsius Ecclesiæ ac sedis apostolicæ honore, & dictæ Romanæ curiæ defensione, ejusque statu pacifico & tranquillo opportunis remediis provideri. Nos enim tibi convocandi prælatos præfatos, & personas alias ecclesiasticas de quibus tibi convenire videbitur, & juxta deliberationem eorumdem hujusmodi subsidium petendi, imponendi, colligendi, & recipiendi plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod de hujusmodi quantitate subsidii, & de personis à quibus illud receperis, prout unusquisque subveniendum duxerit, nos reddere studeas per tuas litteras certiores, ut exinde promtitudinem devotionis, quam ad nos & dictam gerunt Ecclesiam, per effectum operis agnoscamus, ac personæ ipsæ apostolicæ sedis benivolentiam & favorem uberius suis exigentibus meritis consequantur. Datum Avenione VII. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXII.

Ad Johannem regem Francorum.

Ut suspendat citationem factam à suo procuratore parlamenti occasione expugnationis castri de Mota, sperans interim totum negotium pacifice posse terminari.

CArissimo in Christo filio JOHANNI regi Franciæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum sicut ad nostrum pervenit auditum, nonnulli ad requisitionem procuratoris tui in parlamento nominati specialiter fuerint & citati, ut infra diem vigesimam mensis Maii proxime venturi deberent Parisius in curia regia sub certa pœna personaliter comparere, pro eo videlicet quod per eos & nonnullos eorum sequaces castrum de Mota Claromontensis diocesis, quodque ad dilectum filium GUILLELMUM comitem Bellifortis pleno jure noscitur pertinere, captum extitit & indebite occupatum, prout etiam per eosdem præsentialiter occupatur. Nos sperantes hujusmodi discordiam inter præfatos comitem & occupatores loci prædicti non egere media-

trice justitia, sed potius amicorum interpositione A fine pacifico terminari, idque mansuetudini regiæ gratum venire debeat plurimum & acceptum, serenitatem tuam rogamus attente, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, nec non consideratione felicis recordationis CLEMENTIS papæ VI. prædecessoris nostri, qui personam tuam & statum ac honorem regium dum viveret specialis caritatis affectu & singulari fuit diligentia prosecutus, præfatum hujusmodi citationis terminum velit tua liberalitas usque ad festum B. Michaëlis proximum futu- B rum prorogare, ac prorogationi hujusmodi benigne annuere, & efficaciter assentire, ut interim, sicut speramus in Domino, hujusmodi causa negotii non ventilatione justitiæ, sed pacis potius beneficio terminetur, hoc precibus nostris adjicientes, quod durante dicto termino inter partes in Romana curia hujusmodi pax & concordia valeat de tuo beneplacito amicis tractantibus reformari, quodque pœna & sententia quælibet, si quam forte partes ipsæ vel earum altera apud tuam curiam incurrissent, aut cul- C pam, si qua circa occupationem dicti castri commissa forsitan per aliquos extitisset, de benignitate regiæ mansuetudinis, post reformatam inter partes prædictas concordiam ipsam, remittatur eisdem. Datum Avenione VI. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXIII.

Ad episcopum Morinensem.

Ejusdem argumenti. D

VEnerabili fratri episcopo Morinensi regni Franciæ cancellario, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, nonnulli noviter ad requisitionem procuratoris carissimi in Christo filii nostri JOHANNIS regis Francorum illustris in parlamento nominati fuerint & citati, &c. *ut supra in proxima usque* acceptum. Regem ipsum per nostras litteras duximus attentius deprecandum, quod hujusmodi citationis terminum velit usque ad festum B. Michaëlis pro- E ximum futurum de benignitate regia prorogare, quodque de ipsius beneplacito & assensu in Romana curia, durante præfato termino, inter partes valeat pax & concordia amicis tractantibus reformari, pœna quælibet vel sententia, si quam partes ipsæ vel earum altera apud regiam curiam incurrissent, aut culpa etiam, si qua circa occupationem dicti castri commissa forsitan per aliquos extitisset, post reformatam inter partes prædictas concordiam ipsam, de benignitate regia remittatur eisdem. Quocirca F fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia tamquam zelator pacis & concordiæ procurator apud regem eumdem super præmissis ab eodem obtinendis, partes tuas tam favorabiliter quam efficaciter interponas. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CXIV.

Ad Engelbertum episcopum Leodiensem.

Ut recuperando ecclesiæ suæ comitatu Lossensi invigilet.

VEnerabili fratri ENGELBERTO episcopo Leodiensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit noviter ad audientiam nostram, quod pridem comitatus Lossensis feudalis commissæ tibi Leodiensis ecclesiæ per mortem ultimi comitis ipsius, qui sine liberis decessit, ad dictam tuam ecclesiam est legitime devolutus. Cum itaque sedes apostolica te idcirco eidem ecclesiæ præfecerit in pastorem, ut commissi tibi gregis curam sollicitam gereres, & ipsius ecclesiæ jura viriliter defensares, & recuperares quæ manus aliena indebite detineret; fraternitatem tuam attente requirimus, & hortamur, quatinus memor illorum patrum qui pro libertate & defensione jurium suarum ecclesiarum, se tamquam pugiles invictos contra adversarios eorum usque ad mortis periculum opponebant, circa recuperationem comitatus ejusdem studiosus intendas efficaciter & constanter: ita quod ex hujusmodi tuo studio fructum meriti apud Deum & laudis præconium apud nos & dictam sedem uberius consequaris. Datum Avenione V. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXV.

Ad Rodulfum ducem Austriæ.

Gratias agit pro sua erga sedem apostolicam devotione.

DIlecto filio nobili viro RODULPHO duci Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectum filium LAMBERTUM abbatem monasterii in Gemgembach ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis capellanum nostrum & ambassiatorem tuum benigne recepimus, & per eum placide admodum intelleximus & jocunde, qualiter tua nobilitas devotionem, quam ad nos & sedem apostolicam geris, cupiens continuo per effectum magnificorum operum demonstrare, ad assumendum nostra & Romanæ Ecclesiæ negotia in partibus Italiæ, tamquam tua propria forent, promptam & paratam se nobis liberaliter offerebat: quod & venerabili fratri nostro Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato in ejusdem Italiæ partibus præsentialiter existentem intimare per abbatem eumdem, prout ipse nobis similiter exposuit, curavisti. Equidem, carissime fili, magna sunt hæc tuæ devotionis insignia, & dignis in Domino laudibus attollenda, quæ sicut jampridem per effectum operis laudabiliter demonstrasti, ita continuo prout aperte cognoscimus satagis amplioris diligentiæ studio demonstrare. Nos itaque

itaque devotionem, ac liberalitatem, & oblationem tuam hujusmodi plurimum commendantes, in eo qui novit zelum domus ejus in suorum electorum mentibus inspirare, devotionem ac liberalitatem & oblationem easdem paterno affectu suscipimus, & plenis eas prosequimur actionibus gratiarum: ipsam nobilitatem tuam rogantes attente, quatinus hujusmodi suavitatis odorem, quem offers in domo Domini, laudabilium prosequutione operum non cesses ferventioribus continuo studiis augere; ut exinde præter divinæ retributionis præmia, apud Christi fidelium populos abundantioris tibi famæ proveniant incrementa. Ceterum paternæ caritatis affectum quem ad personam tuam gerimus, & quam grata nobis & accepta fuerint præmissa, pro parte tua nobis exposita, præfatus abbas lator præsentium viva voce plenius tibi poterit explicare. Datum Avenione v. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXVI.

Ad Rogerium de Pinibus.

Ut Imberto filio Guichardi de Combernio militis præceptoriam Burguioni concedat.

Dilectis filiis Rogerio de Pinibus magistro & conventui Hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper dilectum filium IMBERTUM natum dilecti filii nobilis viri Guischardi de Combernio militis Domini de Treynsiaco ad ordinem vestrum devotionem specialem habentem fecimus cum habitu dicti vestri ordinis fratrum vestrorum consortio aggregari. Cum itaque nos Guischardum eumdem propter ejus merita probitatis, & nobilitatis ipsius, & sinceræ devotionis affectum, quem ad nos & sedem apostolicam ipsum habere experientia teste didicimus, paterna benevolentia prosequamur; ac propterea dignum & congruum arbitremur benevolentiam eamdem in præfatum ejus filium derivari: discretionem vestram rogamus attentius & hortamur attente, quatenus vacante ad præsens, prout accepimus, domo seu præceptoria Burguioni Lemovicensis diocesis ordinis vestri, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, de eadem præfato Imberto providere velitis, per quem præceptoria seu domus ipsa, quæ prout accepimus faciente guerrarum & temporum malitia admodum est collapsa, & potenti, qualis idem Imbertus fore dinoscitur, indiget defensore, poterit auctore Domino favorabiliter defensari: liberalitatem vestram in præmissis taliter ostensuri, quod apud nos qui hujusmodi negotium gerimus non modicum cordi nostro, & apud sedem præfatam vestra valeat commendari devotio, nosque proinde vobis teneamur ad merita gratiarum, & vos quibus in hac parte deferre volumus super hiis quæ per nos ipsos possemus agere gratiam & benevolentiam nostram & ejusdem sedis possitis amplius promereri, super quibus nostra non oporteat iterare precamina, sicut nec credimus expedire. Datum Avenione v. nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CXVII.

Ad imperatorem Romanorum.

Votis ejus annuere se paratum.

Carissimo in Christo Romanorum imperatori semper augusto ac Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper tam per litteras tuas, quam per dilectum filium JOHANNEM Bambergensis & Cystenensis Ecclesiarum canonicum notarium tuum & nuncium, nonnullis, de quibus conscientiam nostram supplicando devotius prævenisti, per nos benigne admodum intellectis, brevi præsentium compendio duximus respondendum, quod in præmissis & aliis quæ tuæ magnificentiæ grata fore noverimus & accepta, tuis tamquam filii prædilecti desideramus quantum cum Deo poterimus, cum casus accesserit, votis annuere & desideriis complacere. Datum Avenione v. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXVIII.

Ad eumdem.

Declarat ei suum de repetenda Urbe desiderium, si per valetudinem liceret.

Placida admodum & jocunda nobis fuit, inclyte Princeps & carissime fili, tuarum series litterarum, in quibus post refectam, ut asseris, suavibus deliciis mentem tuam, pro eo quod tam famæ volantis affatibus, quam nonnullorum relatione perceperas animum nostrum in ea deliberatione consistere, ut locum illum in quo gloriosissimi patres quamplurimi Romani pontifices prædecessores nostri vitæ meritis claruerunt, deberemus in brevi nostra & apostolicæ sedis præsentia visitare, nos ad ea prosequenda quæ intellexeras multiplicibus suasionibus, ex filialis, prout tenemus, indubiæ devotionis fonte prodeuntibus hortabaris, & demum imperialis brachii auxilium & favorem usque ad personalem comitivam per te nobis & fratribus nostris R. E. cardinalibus faciendam tam promte quam liberaliter offerebas. Equidem, carissime fili, ut jam tibi non testimoniis famæ, quæ inanibus sæpe rumoribus fallitur, sed certioribus argumentis hujusmodi negotii & desiderii tui veritas innotescat, illud excellentiam tuam volumus non latere, quod jamdudum cupivimus, & ad præsens solito magis nostræ mentis deliberatio in hoc proposito perseverat, ut locus ille sedis apostolicæ familiaris & proprius, in quo summorum apostolorum glorificatus est exitus, in quo gloriosissima corpora illa quiescunt, in quo divina disponente clementia stabile fixit fides Catholica funda-

mentum, post tot annorum decursum, nostris tandem temporibus sui præsentia præsidiis incolatur. Verum ad hujusmodi propositum juxta desiderium nostrum efficaciter prosequendum usque modo tam debilitas quam multiplex invaletudo nostri corporis & aliæ causæ quamplurimæ rationabiles obstiterunt. Dum autem rebus dispositis, & dictis causis nos ad præsens tardantibus in melius reformatis, ut tantæ rei negotio convenit, nos ad loci mutationem, auctore Domino, disponi contingeт: hoc indubitanter teneat tua serenitas, quod tua tamquam præcarissimi filii favores & auxilia paterna fiducia implorare curabimus juxta oblationem per te in dictis litteris magnifice ac liberaliter nobis factam, quam gratam gerentes multipliciter & acceptam, hujusmodi tuæ devotionis affectum plurimum commendamus in Domino, plenisque prosequimur actionibus gratiarum. Ceterum quia pro bono tranquillitatis & pacis nostræ & Romanæ Ecclesiæ, civitatis Bononiensis & civium suorum nostrorum & ejusdem Ecclesiæ fidelium ac partium vicinarum nostra foret præsentia plurimum opportuna, propterea in casu quo disponeremus ad partes Italiæ cum Romana curia nos conferre ad civitatem ipsam Bononiensem, priusquam ad Romanam urbem accederemus, dirigere intendimus iter nostrum. Hæc tuæ Magnitudini ita particulariter intimantes, ut in præmissis habeas per omnia mentem nostram. Datum Avenione IV. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXIX.

Ad Rodulfum ducem Austriæ.

Ut castrum Cusani ad Concordiensem ecclesiam pertinens, & à quibusdam nobilibus detentum Guidoni episcopo restitui faciat.

Dilecto filio nobili viro RODULPHO duci Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Decet tuæ nobilitatis potentiam, quam ad laudem & exaltationem bonorum & depressionem malorum à Deo, de quo omnis potestas provenit, accepisti, ut suis Ecclesiis in quibus honoratur & colitur, & illis præsertim, infra quarum limites terras habes, tuis assistas auxiliis contra malignantium pravitatem. Cum itaque prout accepimus quidam nobiles de Prambergo Aquilegiensis diocesis castrum seu fortelicium Cusani situm prope terram tuam Portus-Varonis Concordiensis diocesis ad ecclesiam Concordiensem pertinens detineant occupatum, nobilitatem tuam hortamur & rogamus attente, quatinus venerabili fratri nostro GUIDONI episcopo Concordiensi in recuperatione dicti castri favoribus opportunis assistas, ipsumque episcopum, quem eo benivolentia prosequimur speciali, quo nobis & Romanæ Ecclesiæ longo tempore noster capellanus & palatii apostolici auditor existens servivit fideliter & prudenter, in suis & Ecclesiæ suæ negotiis, in quibus ad te & officiales tuos recurrerit, ob nostram & apostolicæ sedis reverentiam habere velis favorabiliter commendatum: ita quod exinde à Deo meritum, & à nobis commendationis præconium uberius merearis. Datum Avenione IV. calendas Maii anno nono.

EPISTOLA CXX.

Ad Petrum regem Aragonum.

Ut Johanni marchioni Montis-ferrati de dote uxoris suæ curet fieri satis.

Carissimo in Christo filio PETRO regi Aragonum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum sicut tua serenitas novit, tempore contracti matrimonii inter dilectum filium nobilem virum JOHANNEM marchionem Montis-ferrati & dilectam in Christo filiam nobilem mulierem HELIZABETH infantissam Majoricarum neptem tuam, nonnullæ pecuniarum summæ eidem marchioni ratione dotis ipsius infantissæ uxoris suæ per te promissæ fuerint, & de illis nondum sibi fuerit debite satisfactum, nos marchionem ipsum propter ejus sinceræ devotionis affectum, quem ad nos & sedem apostolicam gerit, & propter impensa per eum nobis & Romanæ Ecclesiæ obsequiosa servicia, speciali benevolentia prosequimur, ac eumdem apud te prout convenit fore cupimus prædilectum. Quocirca serenitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus diligenter considerans quanti rigoris & constantiæ esse debeant regia promissa, & quam inviolabiliter ea deceat observari, pro nostra & sedis apostolicæ reverentia, ac honore regiæ dignitatis, eidem marchioni de dote præmissa mandes & facias, sine ulterioris dilationis obstaculo, plenarie satisfieri, ut ipse tibi ex devoto reddatur devotior, & ad ea quæ tibi grata & accepta fuerint, promtius animetur. Datum Avenione IV. nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CXXI.

Ad eumdem.

Petit libertate donari Jacobum ipsius nepotem.

Sæpius nostra precamina, sicut meminimus, pro liberatione dilecti filii nobilis viri JACOBI nepotis tui, nati claræ memoriæ JACOBI regis Majoricarum serenitati tuæ duximus dirigenda: quæ licet pro votis nostris & tuæ dignitatis honore non fuerint usque modo exspectatum exitum consecuta; paterno tamen affectu commoti, tacere non possumus, quin eadem propensius iteremus. Siquidem, carissime fili, si memineris quod captivum detines tuum sanguinem innocentem; si attendis quanta in principibus pietas & clementia præfulgeat claritate, minime dubitamus tandem erga præfatum nepotem tuum regiæ benignitatis converti oculos, & ad liberationem ipsius tuum animum inclinari, serenitatem itaque eamdem quo sæ-

pius eo attentius deprecamur, quatinus benigne compatiens innocenti, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia & tuæ decentia dignitatis, circa liberationem ipsius Jacobi tua se magnificentia exhibeat effectualiter propitiam & benignam. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CXXII.

Ad Ludovicum regem & Johannam reginam Siciliæ.

Commendat eis filium, uxorem, matrem & sororem Petri comitis Vici in curia Romana nuper defuncti.

CArissimis in Christo filiis LUDOVICO regi & JOHANNÆ reginæ Siciliæ illustribus salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem, sicut ad notitiam vestram pervenisse jam credimus, quondam PETRUS comes Vici suum apud Romanam curiam miserabiliter diem clausit extremum, quod eo magis compatiendo referimus, quo ille retroactis temporibus, prout accepimus, solebat rerum affluentia gaudere. Superest eidem, prout audivimus, unus filius parvulus JACOBUS nomine, vivit uxor, vivit confecta jam senio & tot orbata filiis mater miserabilis, & extra regnum vestrum posita juvenis admodum, sine rebus & bonis suis quibus affluebat, hactenus errabunda ejusdem comitis soror, & in tantis calamitatibus positæ vitam morte duriorem ducere coguntur, nisi eas aliqua ex parte regia benignitas consoletur. Cum itaque inter virtutes ceteras, quæ catholicos reges & principes Deo gratos & acceptos efficiunt, & eos apud populos exaltant plurimum laudabilis famæ præconiis, & extollunt, pietas & clementia fore præcipua dinoscatur, illam vos erga præfatos filium, uxorem, matrem & sororem comitis ejusdem cupimus de regiæ vestræ liberalitatis abundantia misericorditer exercere. Hinc enim illius imitatores eritis miseratoris æterni, qui afflictos sublevat, miseris subvenit, & opem debilioribus subministrat. Quocirca excellentiam vestram exhortandam duximus & attentius deprecandam; quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, erga prædictos oculos pietatis vestræ benignius convertentes, velitis eosdem commendatos suscipere, & gratiose admittere & admitti facere in totum vel in partem, prout dignum fore vestra liberalitas duxerit, bonorum suorum, & ipsius comitis, ac quondam fratrum ipsius, quæ ipsi in regno vestro dum viverent obtinebant: inducentes, prout ad vos pertinet, carissimum in Christo filium nostrum ROBERTUM imperatorem Constantinopolitanum illustrem, cui super hiis nostras respective litteras destinamus, quod prout munificentiam suam decet ad habendam erga prædictos pietatem hujusmodi, suum velit animum inclinare; & nonnulla bona dictorum comitis & fratrum, quæ per aliquos ejus domesticos & familiares jamdudum, prout accepimus, indebite occupata tenentur, & super quibus inter imperatorem & comitem præfatos causa dum idem comes viveret in Romana curia vertebatur, prout condignum tam vobis quam sibi videbitur, restitui facere ac etiam liberari. Quod si ejusdem comitis fratres aut ipse etiam comes contra vos aut imperatorem eumdem in aliquo deliquissent, velitis non ipsorum culpam attendere, sed considerare potius eorum qui supersunt miseriam innocentum: sic vos in præmissis propitios exhibentes, quod præter æternæ retributionis præmia, claris in mundo pietatis & clementiæ titulis fulgeatis. Datum Avenione III nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CXXIII.

Ad Robertum imperatorem Constantinopolitanum.

Ejusdem argumenti.

CArissimo in Christo filio ROBERTO imperatori Constantinopolitano illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem, sicut ad tuam notitiam pervenisse jam credimus, quondam PETRUS comes Vici suum apud Romanam curiam miserabiliter diem clausit extremum: quod eo magis compatiendo referimus, quo ille retroactis temporibus, prout accepimus, solebat rerum affluentia gaudere. Superest eidem, prout audivimus, unus filius parvulus JACOBUS nomine, vivit uxor, vivit confecta jam senio & tot orbata filiis miserabilis mater, & extra regnum Siciliæ posita juvenis admodum, sine rebus & bonis suis quibus affluebat, hactenus errabunda ejusdem comitis soror: & in tantis calamitatibus positæ, vitam morte duriorem ducere coguntur, nisi eas aliqua ex parte regia consoletur benignitas. Cum itaque inter virtutes ceteras quæ catholicos principes Deo gratos & acceptos efficiunt, & eos apud populos exaltant plurimum laudabilis famæ præconiis & extollunt, pietas & clementia fore præcipua dinoscatur: illam te erga filium, uxorem, matrem & sororem comitis ejusdem cupimus de tuæ liberalitatis abundantia misericorditer exercere. Hinc enim illius imitator eris miseratoris æterni qui afflictos sublevat, miseris subvenit & opem debilioribus subministrat. Quocirca excellentiam tuam exhortandam duximus & attentius deprecandam, quatinus pro nostra & sedis apostolicæ reverentia erga prædictos tuæ pietatis oculos benigne convertens eisdem filio, matri, uxori & sorori nonnulla civitates, terras, castra, & bona ejusdem quondam comitis, ac fratrum suorum quæ ipsi in regno Siciliæ dum viverent obtinebant, & quæ occupata fuerant per certos familiares tuos & adhuc detinentur, prout accepimus indebite occupata, & super quibus inter te & comitem ipsum dum viveret in Romana curia causa vertebatur, totaliter vel in partem, prout tibi suaserit pietas, restitui facias ac etiam liberari.

Quod si ejusdem comitis fratres aut comes ipse contra te seu carissimos in Christo filios nostros LUDOVICUM regem & JOHANNAM reginam Siciliæ illustres in aliquo delinquissent, velit benigna tua serenitas juxta memorabilium excellentiam principum non deliquentium culpas attendere, sed considerare eorum qui supersunt potius miseriam innocentum: sic te in præmissis exhibens propitium & benignum, quod præter æternæ retributionis præmia, condigna tibi laudum proveniant incrementa. Datum Avenione III. nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CXXIV.

Ad Philippum de Tarento & Mariam filiam Caroli ducis Calabriæ.

Commendat eis uxorem, matrem, filium & sororem Petri comitis Vici nuper in curia Romana defuncti.

Dilecto filio nobili viro PHILIPPO DE TARENTO, & dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri MARIÆ natæ quondam CAROLI ducis Calabriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Miserabilem exitum, quo ex hac luce pridem apud Romanam curiam decessit quondam PETRUS comes Vici, eo majoris pietatis ac compassionis affectu recolentes, quo ipse, sicut accepimus, temporalibus bonis solebat hactenus affluentius abundare, carissimis in Christo filiis nostris LUDOVICO regi & JOHANNÆ reginæ Siciliæ, ac ROBERTO imperatori Constantinopolitano illustribus precamina nostra affectuose dirigimus, attente deprecantes eosdem, ut ipsi clementiam & pietatem, quæ licet in personis omnibus decora sit virtus, maxime tamen in principibus enitescit, velint in quemdam pupillum JACOBUM eidem comiti superstitem filium, ac miserabiles ipsius matrem, uxorem & sororem misericorditer exercere, in totum vel in partem bonorum suorum & ipsius comitis,&quorumdam fratrum ejus,quæ ipsi in regno Siciliæ dum viverent obtinebant, benigne admittentes eosdem, super quibus quidem bonis quæ per nonnullos familiares dicti imperatoris, prout accepimus, occupata tenentur, inter præfatos imperatorem & comitem, dum in humanis ageret in Romana curia causa vertebatur. Hoc quoque præfatis precibus nostris adjecimus, quod si dictus comes aut ejus fratres dum vivebant contra præfatos regem & reginam ac imperatorem in aliquo deliquissent, non illorum malefacta considerent; sed eorum potius qui supersunt miseriam innocentum. Quocirca nobilitatem vestram rogamus attente, quatenus prædictorum ejusdem comitis filii, matris & uxoris, & sororis pie compatientes miseriis, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia tam apud regem & reginam, quam imperatorem eosdem, ut juxta eorum magnificentiam consolentur afflictos, velitis efficaciter interponere partes vestras: vos in præmissis tam benigne quam favorabiliter habituri, quod pro hujusmodi vestræ compassionis affectu æternæ retributionis præmia apud miserationum Dominum reportetis. Datum Avenione III. calendas Maii anno nono.

In eodem modo, venerabili fratri BERTRANDO archiepiscopo Neapolitano, salutem, &c. *ut supra usque* quocirca fraternitatem tuam requirimus & hortamur, &c. *ut supra usque* valeas reportare. Datum *ut supra.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro NICOLAO comiti Melfiensi magno senescallo regni Siciliæ, salutem, &c. *mutatis mutandis.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro GOFFRIDO DE MARZANO comiti Squillatii regni Siciliæ admirato, salutem, &c. *mutatis mutandis, &c.*

EPISTOLA CXXV.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Ut Franciscus & Gabriel nati Dalphini de Flessis quædam bona vendere possint.

Venerabili fratri ÆGIDIO episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Francisci & Gabrielis natorum quondam Dalphini de Flessis civis Ferrariensis petitio continebat, quod dudum reverendæ recordationis CLEMENS papa VI. certa res & bona quæ fuerant quondam Barnabæ de Bellione civis Ferrariensis in civitate, diocesi, & districtu Ferrariensi consistentia propter nonnullos excessus per eumdem Barnabam tunc contra Romanam Ecclesiam perpetratos, ad fiscalem cameram ejusdem Ecclesiæ devoluta, quorum fructus, reditus, & proventus octoginta florenorum valorem annuum minime tunc temporis excedebant, Dalphino prædicto sub annuo censu unius Floreni aurei quondam OBIZONI & NICOLAO marchionibus Estensibus, quamdiu ipsi vel alter eorum vicarii civitatis Ferrariensis pro Romana Ecclesia forent, & eorum vicariatu cessante, thesaurario provinciæ Romandiolæ, pro ipsa Romana Ecclesia, qui esset pro tempore annis singulis persolvendo; in emphitheosim perpetuam apostolica auctoritate concessit, prout in litteris dicti prædecessoris nostri confectis plenius continentur. Cum autem præfati Franciscus & Gabriel cupiant partem dictorum bonorum vendere pro certo pretio dilecto filio Philippo Gheri civi Ferrariensi, dictaque venditio fieri nequeat absque nostra & sedis apostolicæ licentia speciali, nobis humiliter supplicarunt, quatenus eisdem specialem gratiam facientes, committere & mandare in partibus alicui personæ idoneæ, quod eisdem Fran-

cisco & Gabrieli prædictam bonorum partem vendendi, & præfato Philippo illam libere emendi licentiam auctoritate nostra concedere valeat, & partem remanentem ipsis vendentibus confirmare, seu de novo concedere pro ipsis & eorum filiis heredibus in emphiteosim perpetuam de benignitate apostolica dignaremur, per te vendentium dictorum Francisci & Gabrielis sub annuo censu unius floreni anni, & alia parte dicti Philippi ementis sub simili censu in emphiteosim perpetuam remanente annis singulis, prout nostro videretur arbitrio, persolvendo. Nos igitur Francisci & Gabrielis prædictorum supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ de qua in hiis & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus concedendi auctoritate nostra eisdem, quod bonorum prædictorum partem vendere valeant, ac aliam partem eis remanentem confirmandi, seu de novo concedendi eisdem in emphiteosim perpetuam, pro ipsis & eorum filiis & heredibus sub annuo censu unius floreni auri annis singulis dilectis filiis nobilibus viris ALDEBRANDINO, NICOLAO, HUGONI, & ALBERTO marchionibus Estensibus, dictæ civitatis Ferrariensis pro nobis & Ecclesia Romana vicariis, quamdiu ipsi vel quivis ex eis in hujusmodi vicariatus officio fuerint, & ipsorum vicariatu cessante, thesaurario dictæ provinciæ Romandiolæ, qui erit pro tempore, annis singulis persolvendo; ac concedendi dicto Philippo quod dictam bonorum partem emere valeat, & ipsam in emphitheosim perpetuam tenere pro se suisque heredibus; ita tamen quod ipse ratione dictorum bonorum emtorum per eum florenum unum pro censu annuo modo & personis prædictis annis singulis solvere teneatur, si de præmissis tibi constiterit, & alias convenire videris, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione III. nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CXXVI.

Ad Johannem Delfinum ducem, consilium & commune Venetiarum.

Permittit eis sex galeas mercibus onustas Alexandriam, & in terras Soldano Babiloniæ subjectas transvehere.

Dilectis filiis nobili viro JOHANNI DELFINO duci, consilio, & communi Venetiarum, salutem & apostolicam benedictionem.

Devotionis vestræ sinceritas, quam ad nos & Romanam Ecclesiam geritis, promeretur, ut vobis in hiis quæ universitatis vestræ commodum respiciunt, reddamur de apostolicæ sedis munificentia liberales. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis conduci faciendi sex galeas cum nautis & aliis personis ad ipsarum galearum regimen opportunis mercimoniis, exceptis ferro lignaminibus & aliis de jure communi prohibitis, oneratas, & cum mercatoribus dictorum mercimoniorum ad Alexandriæ ac alias partes & terras ultra-marinas, quæ per Soldanum Babiloniæ detinentur, easque mercimoniis onustas de partibus ejusdem reduci faciendi, simul vel divisim singulas videlicet earum quatuor vicibus dumtaxat, nonobstantibus quibuscumque constitutionibus, prohibitionibus, & processibus apostolicis spirituales & temporales pœnas, multas, & sententias promulgatas in transferentes cum mercibus ad partes easdem continentibus, seu revocationibus olim per nos super omnibus & singulis concessionibus seu gratiis aut commissionibus de conducendis, seu conduci faciendis navibus, galeis & aliis vasis maritimis, ad partes prædictas, eisque de illis partibus mercibus onustis reducendis seu reduci faciendis, per se vel alium seu alios, quomodolibet, quibuscumque personis cujuscumque conditionis seu status existerent, sub quacumque forma vel expressione verborum, à Romanis pontificibus prædecessoribus nostris seu à nobis habitis, factis seu concessis, facta auctoritate apostolica de speciali gratia plenam & liberam licentiam elargimus. Volumus autem quod ille vel illi cujus seu quorum sumtibus galeæ hujusmodi onerabuntur, & ad partes conducentur easdem, quod in præmissis vel eorum aliquo nullam omnino fraudem committet seu committent, nec patietur, seu patientur, quantum in eo vel in eis fuerit committi præstet, seu præstent in manibus diocesanorum locorum, in quibus galeæ prædictæ onerabuntur, ad sancta Dei evangelia corporaliter juramentum, alioquin hujusmodi concessionem haberi volumus pro non facta, super cujus quidem juramenti præstatione diocesani prædicti duo confici faciant publica instrumenta, quorum alterum cameræ nostræ destinare studeant, penes se reliquo reservato. Nulli ergo, &c. Datum Avenione III. nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CXXVII.

Ad Ferdinandum de Eredia castellanum Empostæ.

Constituit eum gubernatorem & reformatorem comitatus Venaysini.

Dilecto filio JOHANNI FERDINANDO de Eredia castellano Empostæ, Hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani Dertusensis diocesis, comitatus nostri Venaysini, ac terrarum, castrorum, villarum, & locorum Avenionensis diocesis ad episcopatum Avenionensem spectantium in temporalibus pro nobis & Romana Ecclesia gubernatori ac reformatori generali, salutem & apostolicam benedictionem.

Quantum nobis ex alto permittitur, terrarum omnium nobis & Ecclesiæ Romanæ, cui auctore Domino præsidemus, immediate subjectarum curam gerimus vigilem & solertem; sed ad statum comitatus Venaysini, ac terrarum, castrorum, villarum, & locorum Avenionensis diocesis ad episcopatum Avenionensem spectantium, præstante Domino, prospere dirigendum, eo nobis amplius instantia sollicitudinis quotidianæ perurget, quo id præsens conditio

temporum plus requirit. Attendentes igitur A magnæ circumſpectionis ac ſtrenuitatis aliarumque in te vigentium dona virtutum, & quod tu gubernationes & regimina, quibus hactenus præfuiſti utiliter, laudabiliter exercuiſti, ac proinde ſperantes, quod ſub providi regiminis tui cura comitatus, terræ, caſtra, villæ, & loca prædicta, eorumque incolæ regentur utiliter, & proſpere dirigentur, gubernationem & reformationem eorumdem uſque ad noſtrum beneplacitum apoſtolica tibi auctoritate in temporalibus committimus, teque gubernatorem B & reformatorem generalem in temporalibus deputamus, tibi protegendi, deffendendi, regendi, gubernandi, diſponendi, ordinandi, ſtatuendi, præcipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, cognoſcendi & exercendi, ac exequendi, contradictores quoque & rebelles quoſlibet quotiens expedierit temporali diſtrictione appellatione poſtpoſita compeſcendi, & omnia alia & ſingula in eis faciendi, quæ circa gubernationem, reformationem & regimen, ac conſervationem, C & defenſionem, cuſtodiam, & tutelam comitatus, terrarum, caſtrorum, villarum, & locorum prædictorum neceſſaria & opportuna fore videris, prout honori noſtro & eccleſiæ memoratæ ac utilitati & proſpero ſtatui exiſtentium in eiſdem cognoveris expedire, auctoritate præſentium, poteſtatem plenariam, generalem & liberam concedentes. Diſcretionem itaque tuam hortamur in Domino, quatinus officium gubernationis & reformationis hujuſmodi ſuſcipiens reverenter, ſic illud diligenter & fideliter ſtudeas D exercere quod inde optatus ſequatur effectus, tuque præter divinæ retributionis mercedem, noſtram & ejuſdem ſedis gratiam uberius merearis; mandantes dilectis filiis capitaneo & rectori dicti comitatus & aliis officialibus & ſubditis noſtris quibuſlibet in dictis comitatu, & terris, villis & locis exiſtentibus, quos omnes & ſingulos tibi ſubeſſe volumus, ut tibi tamquam eorum ſuperiori in hiis quæ ad dictorum gubernationis ac reformationis ſpectant officium, pareant efficaciter, & intendant, nonobſtantibus quibuſcumque privilegiis, indulgentiis & litteris apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant quibuſcumque perſonis, E cujuſcumque conditionis, gradus, ordinis, vel dignitatis exiſtant, & comitatibus, univerſitatibus, & locis ab eadem ſede conceſſis, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta hujuſmodi tuæ gubernationis & reformationis officium poſſet quomodolibet impediri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Datum Avenione VII. Idus Maii anno nono. F

EPISTOLA CXXVIII.

Ad Johannem Delphinum, conſilio & commune Venetiarum.

Eorum annuit petitionibus.

DIlectis filiis nobili viro JOHANNI DELPHINO, conſilio & communi Venetiarum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Petitionibus veſtris nuper, per dilectum filium Rafunium de Caraiſinis civem ac nuncium veſtrum, latorem præſentium, diligenter expoſitis, licet menti noſtræ non parum graves & arduæ redderentur: attento tamen ſinceræ veſtræ devotionis affectu, quem ad nos & ſedem apoſtolicam geritis, benigne annuendum duximus, prout in noſtris exinde confectis litteris contineri videbitis, & ab eodem Rafunio tam ſuper hiis, quam ſuper nonnullis aliis negotiis pro parte noſtra vobis vivæ vocis oraculo exponendis, informationem habere poteritis pleniorem: ſuper quibus quidem exponendis ita ſe favorabilem & benignam exhibere velit eadem veſtra devotio, quod præter divinæ retributionis merita, nos & ſedem præfatam reddere valeatis ad annuendum votis veſtris continuo promtiores. Datum Avenione VII. Idus Maii anno nono.

EPISTOLA CXXIX.

Ad Ludovicum regem & Johannam reginam Siciliæ.

Geraldum ab apoſtolica ſede inſtitutum archiepiſcopum Beneventanum eis commendat.

CAriſſimis in Chriſto filiis LUDOVICO regi & JOHANNÆ reginæ Siciliæ illuſtribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Pridem ad eccleſiam Beneventanam tunc vacantem noſtræ mentis oculos convertentes, ac deſiderantes eidem Eccleſiæ idoneam ſecundum cor noſtrum præſidere perſonam, & attendentes clara ſcientiæ, probitatis & virtutum merita venerabilis fratris noſtri GERALDI archiepiſcopi Beneventani familiari experientia nobis nota, & proinde ſperantes indubie Eccleſiam ipſam per eum utiliter dirigi, & ſalubriter gubernari, eidem eccleſiæ de perſona ipſius duximus providendum, præficiendo eum ipſi eccleſiæ in archiepiſcopum & paſtorem. Cum itaque idem archiepiſcopus commiſſum ei paſtoralis curæ officium impleturus ad præfatam Eccleſiam ſe ducat de beneplacito noſtro præſentialiter conferendum, nos eumdem pro meritis ſuis & impenſis per eum Eccleſiæ Romanæ, cui auctore Domino præſidemus, diuturnis & gratis obſequiis, in quibus multas ſubiit ſollicitudines & labores, favore apoſtolico proſequentes, ſerenitatem veſtram rogamus & hortamur attente, quatinus archiepiſcopum & eccleſiam memoratos, pro divinæ majeſtatis reverentia, noſtræ interventionis obtentu, ac veſtri conſideratione honoris, habere velitis propenſe & efficaciter commendatos: ſic eidem archiepiſcopo, ejuſque officialibus & miniſtris veſtris opportunis favoribus, gratiſque auxiliis aſſiſtatis, quod ipſe commiſſi ſibi dominici gregis cuſtodiam utiliter ac ſalubriter exequatur. Et nos qui ex ſpeciali caritate, qua ad præfatam eccleſiam afficimur, ac affectu præcipuo quo archiepiſcopum ipſum proſequimur, propter

merita sua hujusmodi & impensa per eum nobis & præfatæ Romanæ Ecclesiæ & grata accepta servitia, id admodum gratum habebimus, vobis ad gratiarum merita propensius teneamur. Datum Avenione VII. Idus Maii anno nono.

In eodem modo, carissimo in Christo filio ROBERTO imperatori Constantinopolitano illustri, salutem, &c. *mutatis mutandis*, *&c.*

B *In eodem modo*, dilecto filio nobili viro PHILIPPO DE TARENTO, salutem, &c. *mutatis mutandis*.

EPISTOLA CXXX.

Ad Nicolaum comitem Melfiensem.

IN *eodem modo*, dilecto filio nobili viro NICOLAO comiti Melfiensi magno senescallo regni Siciliæ, salutem, &c. *ut in prima mutatis mutandis usque* prosequentes: nobilitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatinus archiepiscopum & ecclesiam memoratos habens pro nostra & apostolicæ sedis reverentia propense ac efficaciter commendatos, sic eidem archiepiscopo ejusque officialibus & ministris in hiis in quibus conservandis & ampliandis juribus ejusdem Ecclesiæ nobilitatem eamdem requirendam duxerit, tam penes carissimos in Christo filios nostros LUDOVICUM regem & JOHANNAM reginam Siciliæ illustres, quam per te ipsum faveas & assistas, quod nos qui hoc ex causis pluribus, & ea præcipue qua eumdem archiepiscopum propter merita sua hujusmodi caritate prosequimur, admodum gratum habebimus, tibi provide ad gratiarum merita propensius teneamur.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro GOFFRIDO DE MAXIANO comiti Squillatii regni Siciliæ admirato, salutem, &c.

In eodem modo, venerabili fratri BERTRANDO archiepiscopo Neapolitano, salutem, &c. *mutatis mutandis*.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro NEAPOLIONI de filiis Ursi comiti Manupelli, salutem, &c.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro NICOLAO de filiis Ursi comiti Nolano, salutem, &c.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro RAYMUNDO DE BAUCIO comiti Spoleti magno regni Siciliæ camerario, salutem, &c.



EPISTOLA CXXXI.

Ad Geraldum archiepiscopum Beneventanum.

Contra eos qui regni Siciliæ & terrarum citra Farum pacem turbarent.

VEnerabili fratri GERALDO archiepiscopo Beneventano apostolicæ sedis nuntio, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad statum pacificum & tranquillum regni Siciliæ & terrarum citra Farum, quæ jure superioris dominii ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, ac incolarum & habitatorum illorum paternis studiis intendentes, ad obviandum eorum dispendiis ac damnis, injuriis, ac jacturis libenter nostræ sollicitudinis studium impertimus. Sane dudum felicis recordationis CLEMENS papa V. prædecessor noster tuitioni & conservationi regni & terrarum prædictarum prospicere cupiens, universis & singulis clericis, & laïcis, cujuscumque conditionis, status, ordinis, dignitatis vel præeminentiæ forent, etiamsi pontificali vel imperiali seu regali, vel quavis alia dignitate fulgerent, universitatibus quoque, communitatibus & civitatibus quibuscumque, apostolica auctoritate, prohibuit & mandavit expresse, ne regnum vel terras prædicta seu partem vel aliqua loca ipsorum aut alterius eorum per terram, sive per mare quovis colore quæsito invadere vel offendere, seu propter hæc recipere, seu exhibere stipendia sive galeas, vel alia vasa maritima dare, locare, commodare, aut titulo quocumque concedere, seu remigare in eis quovis modo præsumerent, aut super hiis præsumtoribus ipsis præstarent publice vel occulte, directe vel indirecte, consilium, auxilium, vel favorem, & in omnes & singulos, qui contra inhibitionem & mandatum hujusmodi venire præsumerent; etiamsi, ut prædicitur, pontificali, aut imperiali, seu regali, vel quavis dignitate alia præeminerent, de fratrum suorum consilio excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit, ipsorumque terras & loca, nec non communitates & universitates ac civitates contra præmissa, vel præmissorum aliquod attentantes ecclesiastico interdicto subjecit. Ac deinde piæ memoriæ JOHANNES papa XXII. prædecessor noster & ejusdem Clementis successor, conservationem dictorum regni & terrarum affectans, universis & singulis tam clericis, quam laïcis, cujuscumque status, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis existerent, etiamsi pontificali, vel imperiali, seu regali, aut quacumque alia dignitate præeminerent, ac universitatibus & communitatibus & populis communitatum, civitatum, terrarum, castrorum, & aliorum quorumcumque locorum, ubicumque consistentium, auctoritate apostolica districtius inhibuit & mandavit expresse, ne per se vel alios dictum regnum Siciliæ, seu præfatam terram citra Farum & insulas adjacentes eidem, vel homines consistentes in eisdem, sive aliquos ex eis, seu partem ipsorum regni & terræ aut insularum, vel aliqua

ipsorum, vel alterius eorumdem loca per terram vel mare, impugnare, offendere, molestare, turbare, vel invadere quovis modo aut injurias, damna, violentias, rapinas, aut damnificationes seu spolia, vel incendia seu conculcando, vel comburendo segetes eorumdem aut ruinas, seu quascumque fructiferas arbores incidendo, seu etiam devastando, vel quocumque alio modo seu damnificationis genere damnificare præsumerent, ac propter hoc recipere vel exhibere stipendia, seu galeas, vel alia vasa maritima dare, locare, commodare, aut titulo quocumque concedere, seu etiam remigare in eis, vel eisdem galeis aut vasis præsidere, vel præbere ducatum vel curam gerere, seu gubernationem vel custodiam eorumdem, vel aliud quomodolibet in eis ministerium exercere præsumerent, sive præstare super hiis præsumentibus ipsis per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel favorem, ac in omnes & singulos contra inhibitionem & mandatum hujusmodi venire, aut attentare per se vel alios præsumentes, tam clericos vel laïcos, etiamsi, ut prædicitur, pontificali, aut imperiali, sive regali, vel quavis alia dignitate præeminerent, de fratrum suorum consilio præter sententias supradictas, excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit: ipsorumque terras, & quoslibet alios, universitates, communitates, & populos, civitates, castra, loca, contra præmissa vel præmissorum aliquid attentantes subjecit ecclesiastico interdicto, & eos & eorum singulos omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, gratiis, & immunitatibus realibus & personalibus ab eadem ecclesia, vel imperio Romano, cujus gubernatio & administratio atque cura in instanti tunc tempore dum imperatoris careret regimine, ad ipsum Johannem plene dinoscebatur pertinere, concessis eisdem, necnon feudorum, honorum, officiorum & jurium, quæ ab ecclesia vel imperio prædictis obtinerent, de fratrum prædictorum consilio, eadem auctoritate privavit; & eos ad illa & similia, & qualibet alia, ipsorumque filios & nepotes ad qualibet beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, & officia cum cura vel etiam sine cura obtinenda, auctoritate quorumcumque usque ad tertiam generationem exclusive reddidit inhabiles & indignos. Cum autem, sicut ad nostrum non sine mentis turbatione rumor implacidus perduxit auditum, nonnulli viri nefarii regnum & terram prædicta hostiliter impugnare, prædari, ignis incendio concremare, depopulari, & destruere, ipsamque ac eorum incolas & habitatores magnis damnis & injuriis personalibus & realibus afficere præsumserint hactenus, & continue præsumere minime vereantur, pœnas & sententias prædictas damnabiliter incurrentes. Nos prædictorum improborum nequitias reprimere cupientes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel alium seu alios, cum super hoc fueris requisitus, processum ipsum in ecclesiis & locis regni & terræ prædictorum, & aliis de quibus tibi expedire videbitur, singulis diebus Dominicis & festivis publicans & exponens intelligibiliter in vulgari eosdem viros nefarios & alios omnes & singulos tam clericos quam laïcos, cujuscumque status, ordinis vel conditionis, præeminentiæ vel dignitatis existant, etiamsi pontificali vel imperiali seu regali aut quavis alia præfulgeant dignitate; necnon universitates, communitates & populos civitatum, terrarum, castrorum & aliorum quorumcumque locorum ubicumque existentium, qui contra inhibitionem & mandatum dictorum prædecessorum nostrorum per se vel alios regnum & terram citra Farum prædicta, & insulas adjacentes eisdem, vel homines consistentes intra regnum, terram & insulas supradicta, sive aliqua ex eis seu partem ipsorum regni & terræ aut incolarum vel aliqua ipsorum vel alterius eorumdem loca per terram vel per mare impugnare, offendere, molestare, turbare, vel invadere quovis modo, aut injurias, damna, violentias, rapinas, aut deprædationes, seu spolia vel incendia, sive secando, vel metendo, seu conculcando, aut comburendo segetes eorumdem, aut vineas, seu quascumque fructiferas arbores incidendo, seu etiam devastando, vel quocumque alio genere damnificationis, seu quovis alio modo damnificare, aut propter hoc recipere vel exhibere stipendia, sive galeas, vel alia vasa maritima dare, locare, commodare aut titulo quocumque concedere seu remigare in eis, vel eisdem galeis aut vasis præsidere, vel præbere ducatum, vel curam gerere vel gubernationem vel custodiam eorumdem, aut aliud quodcumque in eis ministerium exercere præsumserint seu præsumserunt, sive præsumentibus ipsis super hiis præstare per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel favorem tentaverunt, illos videlicet de quibus tibi constiterit, ac etiam eorum terras & loca, ac filios & nepotes usque ad tertiam generationem exclusive nominatim expressos, alios vero generaliter in pœnas & sententias in prædictis processibus contra eos per dictos Clementem & Johannem prædecessores promulgatos publice denuncies incidisse. Datum Avenione VII. Idus Maii anno nono.

EPISTOLA CXXXII.

Ad Beneventanum, Neapolitanum & Salernitanum archiepiscopos.

Ut inquirant de vita & moribus Flagellatorum.

Venerabilibus fratribus Geraldo Beneventano, Bertrando Neapolitano, & C. Salernitano archiepiscopis, eorumque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam nostram quod in nonnullis regni Siciliæ partibus & terris citra Farum noviter insurrexerunt quidam diversarum congregationum, quæ societates Flagellatorum vulgariter appellantur, qui sub prætextu honestatis,

ſtatis, ſeu cujuſdam auſteritatis vitæ, maligno ſeduci ſpiritu, qui ſe novit ſæpius, ut quos odit cautius fallat, in lucis angelum transformare, in errores varios devenerunt. Nos igitur attendentes quanta ſit calliditas illius hoſtis humani generis, qui nonnumquam Chriſti fideles ſub velamento honeſtatis illaqueat, ac propterea volentes animarum periculis ab ipſis principiis obviare, ne forte talium congregationum nimis excreſceret neglecta contagio, fraternitati veſtræ committimus & mandamus, quatinus per vos vel alium ſeu alios Deum timentes & providos, ſuper vita & moribus prædictorum diligentius inquirentes, ſi inveneritis ita eſſe per veſtras litteras conſcientiam noſtram ſtudeatis quantocius informare, ut ſuper eorum defectibus per vos valeat de opportuno remedio provideri; quod ſi eoſdem inveneritis in vitæ & morum honeſtate perſiſtere, eos ad perſeverandum in bonis operibus veſtris exhortationibus animetis. Datum Avenione VII. Idus Maii anno nono.

EPISTOLA CXXXIII.

Ad Geraldum archiepiſcopum Beneventanum.

Facultatem ei tribuit uſurpata ab eccleſiis & monaſteriis Siciliæ bona recuperandi.

VEnerabili fratri GERALDO archiepiſcopo Beneventano apoſtolicæ ſedis nuncio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum, ſicut accepimus, quidam tam clerici, quam laici certa bona immobilia nonnullorum eccleſiarum & monaſteriorum in regno Siciliæ conſiſtentia per ipſorum eccleſiarum & monaſteriorum prælatos & rectores minus diligentes & providos alienata indebite occupaverint, & adhuc contra Deum & juſtitiam detineant occupata. Nos indemnitati eccleſiarum & monaſteriorum ipſorum de opportuno providere volentes remedio, fraternitati tuæ, de qua in hiis & aliis fiduciam gerimus in Domino ſingularem, recuperandi bona prædicta de hujuſmodi occupantium manibus, & ea in jus & proprietatem dictorum eccleſiarum & monaſteriorum à quibus alienata fuerunt revocandi, ac de fructibus per occupatores bonorum ipſorum perceptis, componendi pro ſubventione noſtræ cameræ cum occupatoribus ſeu detentoribus ipſis, & quittandi ac liberandi eoſdem eorumdemque heredes & ſucceſſores de fructibus ipſis, contradictores quoque auctoritate apoſtolica appellatione poſtpoſita compeſcendi plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Avenione VIII. Idus Maii anno nono.



EPISTOLA CXXXIV.

Ad Petrum regem Caſtellæ & Legionis.

Commendat ei Bartholomæum de Carpineto.

CAriſſimo in Chriſto filio PETRO regi Caſtellæ & Legionis illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Licet perſonas ſingulas cupiamus in ſuis juribus regii favoris præſidio confoveri, illas tamen excellentiæ tuæ fore præcipue commendatas optamus, quæ noſtris & apoſtolicæ cameræ continuo invigilare obſequiis, & indeſinenter intendunt. Cum itaque dilectus filius magiſter BARTHOLOMÆUS DE CARPINETO litterarum apoſtolicarum ſcriptor ſecretarius, canonicatum, & præbendam, ac præſtimonia, & præſtimoniales portiones in eccleſia, civitate & dioceſi Aſtoricenſi jamdudum obtinere noſcatur, & nonnulli fictis prætenſis occaſionibus fructus eorumdem canonicatus & præbendæ ac præſtimoniorum & præſtimonialium portionum indebite perceperint, ipſeque Bartholomæus fructus eoſdem propterea percipere non potuerit nec habere, in grave ſuum præjudicium atque damnum. Serenitatem tuam rogamus attente, quatenus pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia eumdem Bartholomæum de regiæ liberalitatis more ſuſcipiens in ſuis agendis negotiis benignius commendatum, circa recuperandos fructus, reditus & proventus hujuſmodi de occupantium manibus regia ſibi præſtari mandes & facias auxilia & favores; ut ipſe excellentiæ tuæ fultus præſidiis, & occupata recuperet, & in futurum valeat dictorum canonicatus & præbendæ ac præſtimoniorum & præſtimonalium portionum fructibus, reditibus & proventibus pacifice gaudere, eumdem præter hoc circa aſſequendam poſſeſſionem liberam & pacificam quorumdam canonicatus & præbendæ ac præſtimoniorum & præſtimonialium portionum, quos ipſe vigore litterarum apoſtolicarum in eccleſia Legionenſi, prout pridem accepimus, acceptavit, excellentiæ præfatæ efficaciter commendantes. Datum Avenione Idus Maii anno nono.

EPISTOLA CXXXV.

Ad Ferdinandum epiſcopum Aſtoricenſem.

Ut Bartholomæum de Carpineto fructibus ſui canonicatus gaudere faciat.

VEnerabili fratri FERDINANDO epiſcopo Aſtoricenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Nuper non ſine admiratione fide digna relatione percepimus, quod tam per te ſeu aliquos tuos officiales de mandato tuo, quam nonnullos ex dilectis filiis capitulo Aſtorienſi, fructus, reditus, & proventus, canonicatus & præbendæ ac præſtimoniorum & præſtimonialium portionum, quos dilectus filius Magiſter BARTHOLOMÆUS DE CARPINETO litterarum apoſtolicarum ſcri-

ptor secretarius in ecclesia Astoricensi obtinere dinoscitur, indebite occupati fuerunt, & recipiuntur continuo, ac indebite occupantur in ipsius Bartholomæi incommodum non modicum atque damnum. Cum itaque conveniat dignitati tuæ clericos, in tua ecclesia præbendatos, & eos præcipue, qui nostris & apostolicæ cameræ continue non sine multis laboribus intendunt obsequiis, non tantum in eorum percipiendis juribus non offendere, sed illos potius ab offendentibus defensare, fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus Bartholomæum eumdem ad partes ipsas sese personaliter conferentem, pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, suscipiens favorabiliter & efficaciter commendatum, de suis bonis juribus tam per te quam per quoscumque alios perceptis, ac per eum percipiendis in futurum mandes, & facias integre responderi: ea te in præmissis efficacia habiturus, quod idem Bartholomæus hujusmodi nostras litteras sibi sentiens efficaces, cum ad nostram redierit præsentiam, tuam valeat diligentiam in præmissis coram nobis non immerito commendare, nosque super hiis de alio providere remedio pro suæ favore justitiæ non sit opus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CXXXVI.

Ad Augerium de Osserano abbatem sæcularem S. Marcelli Legionensis.

Commendat ei Bartholomæum de Carpineto.

Dilecto filio AUGERIO DE OSSERANO abbati sæcularis ecclesiæ sancti Marcelli Legionensis apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius Magister Bartholomæus de Carpineto canonicus Astoricensis & Legionensis ecclesiarum, ac litterarum apostolicarum scriptor secretarius, lator præsentium, pro certis suis negotiis tam in Astoricensi quam in Legionensi ecclesiis exequendis, prout nobis idem exposuit, ad partes ipsas se conferat, discretioni tuæ in hiis in quibus ad tua recurrerit præsidia, efficaciter commendamus eumdem, ut in suis prosequendis negotiis tuis eidem efficaciter assistas favoribus & auxiliis opportunis. Sic igitur eum benigne suscipias, quod ipse de suorum prosecutione jurium, tuis intervenientibus præsidiis, votivum se gaudeat reditum reportare, & apud nos & sedem apostolicam, cum ad nostram redierit præsentiam, tuam valeat diligentiam non immerito commendare. Datum Avenione Idus Maii anno nono.

In eodem modo, dilecto filio Martino Tausiæ Scolastico Ecclesiæ Legionensis, salutem & apostolicam benedictionem.



EPISTOLA CXXXVII.

Ad Guidonem episcopum Portuensem.

Ejusdem argumenti.

Venerabili fratri GUIDONI episcopo Portuensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius magister Bartholomæus de Carpineto canonicus Astoricensis, ac litterarum apostolicarum scriptor secretarius ad nonnullas Hispaniæ partes, prout ipse nobis exposuit, pro certis ibidem suis negotiis prosequendis præsentialiter se conferat. Fraternitatem tuam hortamur attente, quatenus eumdem in nostris & apostolicæ cameræ obsequiis jamdudum sollicite ac fideliter laborantem commendatum suscipiens, in dictis negotiis dum ad tui favoris præsidia duxerit recurrendum, tam penes carissimum in Christo filium nostrum PETRUM regem Castellæ & Legionis illustrem, quam alias, prout expedire videris, eidem te exhibeas favorabilem & benignum. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CXXXVIII.

Ad capitulum ecclesiæ Astoricensis.

Ut Bartholomæum de Carpineto fructibus suæ præbendæ gaudere faciant.

Dilectis filiis capitulo ecclesiæ Astoricensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem non sine admiratione percepimus, quod tam per vos quam per nonnullas personas alias fructus, reditus & proventus canonicatus & præbendæ ac præstimoniorum & præstimonialium portionum, quos dilectus filius magister BARTHOLOMÆUS DE CARPINETO litterarum apostolicarum scriptor secretarius, lator præsentium in ecclesia Astoricensi obtinere dinoscitur, receperunt indebite ac etiam occuparunt, & recipere & occupare continuo non desistunt in ejusdem magistri Bartholomæi grave incommodum atque damnum. Cum itaque latere non debeat, ipsum magistrum Bartholomæum nostris & apostolicæ cameræ intendere obsequiis, & ex eo non tantum conveniat sibi de suis respondere juribus, sed amplioribus favoribus confoveri: discretionem vestram hortamur attente, quatinus sublatis quibuscumque fictis causis, quæ per vos & personas prædictas, ut accepimus, prætenduntur, eidem magistro Bartholomæo de perceptis per vos seu aliquem vestrum dictis fructibus, reditibus & proventibus absque dilationis obstaculo satisfaciatis ad plenum, & in percipiendis de cetero, ac in suis peragendis negotiis vestra eidem efficaciter præstetis auxilia & favores: circa præmissa vestram obedientiam ea promtitudine ostensuri, quod idem Bartholomæus hujusmodi nostras litteras sibi sentiens efficaces, cum ad nostram redierit præsentiam, vestram valeat diligentiam in præmissis coram nobis non immerito commendare,

nosque super hoc non oporteat de alio remedio providere. Datum Avenione Idibus Maii anno nono.

EPISTOLA CXXXIX.

Ad capitulum ecclesiæ Legionensis.

Bartholomæum de Carpineto eis commendat.

DIlectis filiis capitulo ecclesiæ Legionensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus & vobis fore non ambigimus manifestum, dudum dilectus filius magister BARTHOLOMÆUS DE CARPINETO litterarum apostolicarum scriptor secretarius, lator præsentium vigore nonnullarum litterarum apostolicarum concessarum eidem, certa canonicatum & præbendam ac præstimonia & præstimoniales portiones in ecclesia, civitate & diocesi Legionensi tunc certo modo vacantia duxerit acceptanda. Nos licet personas quaslibet, eas tamen quæ nostris & apostolicæ cameræ continuo intendunt obsequiis, opportunis confoveri favoribus cupientes, discretioni vestræ eumdem magistrum Bartholomæum efficaciter commendamus, ut ipse vestris mediantibus auxiliis & favoribus, eorumdem canonicatus & præbendæ & præstimoniorum ac præstimonialium portionum, remotis impedimentis quibuslibet, eorumque fructibus, reditibus, & proventibus valeat pacifice gaudere. Sic igitur benigne suscipiatis eumdem, quod ipse fructum ex hujusmodi apostolicis commendationibus reportare se gaudeat, & apud nos & sedem apostolicam cum ad nostram redierit præsentiam, vestram valeat diligentiam in præmissis non immerito commendare, nosque super hoc non oporteat de alio remedio providere. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CXL.

Ad Cantuariensem archiepiscopum & ejus suffraganeos.

Petit ab eis decimas omnium beneficiorum Angliæ per duos annos ad subveniendum ecclesiæ necessitatibus.

VEnerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi ejusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter multiplices, quibus assidue premimur, sollicitudinis nostræ curas, graviaque onera nostris incumbentium humeris agendorum, illud angit potissime nostram mentem, ut Romanam Ecclesiam, cui quamquam immeriti, permittente Deo, præsidemus, ejusque jura contra perversorum quorumlibet tueamur audaciam, ac quorumcumque statum pacificum & quietum Romanæ curiæ & incolarum ejus quomodolibet perturbantium præsumtuosam reprimamus insaniam, & imminentibus eidem ecclesiæ necessitatibus utiliter consulamus. Cum itaque

A nonnullæ terræ & quædam alia bona & jura ad præfatam Ecclesiam in Italiæ partibus immediate spectantia per certos ipsius ecclesiæ rebelles & hostes nequiter impugnentur, & præter hoc mala quæ in circumstantibus ipsam curiam partibus perveniunt taceamus, nonnulli iniquitatis filii & perditionis alumni in societates, immo perversitates varias congregati, ad turbationem quietis & pacis populorum Christi fidelium insurrexerunt, & in eam devenerunt temeritatis insaniam, ut per terras & loca nostri & ipsius
B Ecclesiæ, comitatus Venaysini discurrere, & prædas ac rapinas in illis facere, & quædam ex illis hostiliter occupare, & quod magis stupendum est, præfatam curiam, & degentes in ea multiplicibus non vereantur injuriis perturbare, in divinæ majestatis offensam, & apostolicæ sedis contemtum ac enorme damnum & scandalum plurimorum; nosque ad defensionem terrarum, bonorum & jurium, & depressionem rebellium & hostium, ac malignantium prædictorum, ac defensionem & pacem dictæ curiæ
C & habitantium in eadem, prout ex debito tenemur pastoralis officii, jugiter quantum possumus intendamus, & ad ea facilius & felicius exequenda, quæ magnum exigunt profluvium expensarum, quibus faciente temporum malitia camera nostra respondere non potest præsentialiter, ut solebat, vestrum sit nobis & eidem ecclesiæ subsidium opportunum. Nos deliberatione super hiis cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus post rehabita diligenti, decimam omnium redituum & proventuum Ecclesiastiorum in vestris civitatibus & diocesibus ac pro-
D vincia in regno Angliæ consistentibus per duos annos continuos in festo B. M. Magdalenæ proxime venturo inchoandos solvendam & exigendam, tam à vobis & aliis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo..... Eboracensi, ejusque suffraganeis, quam ab aliis omnibus & singulis personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus quibuscumque, exemtis & non exemtis, infra provincias & regnum prædicta reditus & proventus hujusmodi obtinentibus, &
E infra dictos duos annos obtenturis, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, quibus aut eorum alicui nulla privilegia aut indulgentias sub quacumque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, præterquam ab eisdem fratribus nostris ejusdem Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, & proventus in eisdem & aliis civitatibus & diocesibus ac provinciis dicti regni obtinentibus, & infra dictos duos annos obten-
F turis, qui in apostolicæ sollicitudinis partem assumti nobis cum universalis ecclesiæ onera sortiuntur, necnon ab dilectis filiis.... Magistro prioribus & fratribus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, qui contra hostes fidei Christianæ exponunt jugiter se & sua: quos quidem cardinales, magistrum, priores, præceptores, & fratres hospitalis ejusdem ab hujusmodi præstatione decimæ exemtos esse volumus & immunes, pro hujusmodi oneribus commodius supportandis, de dictorum fratrum nostrorum

ejusdem R. E. cardinalium consilio, auctoritate A apostolica duximus per alias nostras litteras imponendam, ac voluimus quod hujusmodi decima per vestrûm singulos in singulis vestris civitatibus & diocesibus quos ibidem collectores hujusmodi decimæ deputavimus, & subcollectores clericos dumtaxat à vestrum singulis deputandos, tam à vobis ipsis quam ab aliis omnibus & singulis prælatis & personis ecclesiasticis supradictis, in eisdem civitatibus & diocesibus vestris reditus & proventus ecclesiasticos habentibus & habituris, ut præfertur, præter quam ab eisdem cardinali- B bus, magistro, prioribus, præceptoribus & fratribus hospitalis ejusdem per ipsos duos annos in infra scriptis terminis exigatur ac etiam colligatur, nobis postmodum & apostolicæ cameræ seu illi vel illis, quem vel quos ad ipsam decimam nostro & ipsius cameræ nomine recipiendam deputandos duximus per vos seu collectores eosdem aut alios quos ad ipsam decimam recipiendam deputatos, duxeritis assignandam; & quod fiat dicta solutio quolibet anno dicti biennii in terminis infra scriptis; siquidem solutionis me- C dietatis decimæ primi anni dicti biennii primum terminum fore statuimus festum nativitatis Dominicæ proxime tunc venturum, secundum verò terminum solutionis alterius medietatis ipsius anni esse volumus festum ascensionis Domini nostri Jesu-Christi tunc proxime sequuturum, in secundo anno dicti biennii tunc immediate sequente similibus terminis observandis, dictaque ipsius decimæ exactio fiat secundum taxationem in dictis civitatibus & diocesibus factam hactenus, vel ubi hujusmodi nulla taxatio certa fuerit, secundum communem valorem redituum D & proventuum, & ne de moneta in qua solutio dictæ decimæ fiet aut fieri debebit valeat hæsitari, volumus quod ipsa decima ad monetam in dictis terminis communiter in eisdem civitatibus & diocesibus concurrentem solvatur, levetur & etiam exigatur, juxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi; ita quod prætextu alicujus cambii debitores & solutores dictæ decimæ non graventur, quodque propter hoc juxta constitutionem eamdem calices, libri & alia ornamenta ecclesiarum divi- E nis officiis deputata ex causa pignoris, vel alias occasione exactionis prædictæ nullatenus capiantur, aut distrahantur, nec occupentur. Quocirca fraternitatem vestram monemus, requirimus, & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vos & singuli vestrum præmissa una cum ceteris prælatis & personis ecclesiasticis supradictis vestrarum civitatum & diocesium prædictarum devota consideratione pensantes, & vota vestra nostris in hac parte conformantes affectibus, præfatam deci- F mam de hujusmodi fructibus, reditibus & proventibus vestris integraliter solvere, & ab aliis prælatis, & personis ecclesiasticis supradictis de ipsorum ecclesiasticis reditibus & proventibus, quos in dictis civitatibus & diocesibus vestris obtinent, & infra dictum terminum obtinebunt, præterquam à dictis cardinalibus, magistro, prioribus & fratribus hospitalis præfati exigere &

colligere per dictum terminum in dictis terminis studeatis, prælatos & personas eosdem, cardinalibus, magistro, prioribus, præceptoribus & fratribus ejusdem hospitalis dumtaxat exemtis, per vos seu prædictos suffraganeos & subcollectores vestros ad solvendam dictam decimam in eisdem terminis auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, & etiam per sequestrationem eorumdem redituum ac proventuum suorum ecclesiasticorum in præfatis civitatibus & diocesibus vestris consistentium, si expediens fuerit, appellatione postposita, compellendo. Quod si forsan aliquis vestrum in hujusmodi solutione dictæ decimæ defecerit, taliter deficientem similes sententias quas per vos vel aliquem vestrum aut prædictos subcollectores vestros in non solventes dictam decimam in præfatis terminis proferri contingeret, incurrere volumus ipso facto, non obstantibus si vobis aliisque prælatis & personis ecclesiasticis supradictis, & quibuscumque aliis communiter vel divisim à dicta sit sede indultum, quod ad solutionem alicujus decimæ minime teneamini, & ad id compelli: aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras nostras apostolicas, quæ de indulto hujusmodi & toto ejus tenore de verbo ad verbum ac propriis ipsorum ordinum ac locorum & personarum nominibus plenam & expressam non fecerint mentionem, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemtionibus, & litteris apostolicis quibuscumque, dignitatibus, seu ordinibus, & specialiter S. Benedicti, & S. Augustini, Cluniacensi, Cisterciensi, Præmonstratensi, Carthusiensi, Grandimontensi, Humiliatorum, & ipsorum universitatibus generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum à memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris similis mentio sit habenda. Ad hæc volumus, vobisque eadem auctoritate concedimus, quod vos & singuli vestrum, quos ex defectu non factæ solutionis hujusmodi præfatas sententias incurrisse contigerit, ab eisdem sententiis post satisfactionem debitam per aliquem ex vicinioribus episcopis excommunicationis sententia non ligatum, & alias gratiam & communionem prædictæ sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione hujusmodi, absolutionis beneficium super irregularitate, si qua forsan sint ligati, non tamen in contemtum clavium celebrando divina, vel immiscendo vos illis contraxeritis, dispensationis gratiam obtinere, aliisque etiam quos easdem sententias ex defectu solutionis hujusmodi incurrisse contigerit, post satisfactionem debitam vobis similiter facta de illa fide similia ab eisdem sententiis absolutionis beneficium & super irregularitate contracta dispensationis gratiam impendere valeatis. Volumus autem quod quoad illos, quos ad solutionem hujusmodi decimæ penitus impotentes existere inveneritis, & etiam quo ad illos quos pro ipsa decima illud quod juxta suarum exigentiam facultatum possunt solvisse & ultra id solvere non posse repe-

A reritis ſimpliciter & de plano, ſuper quibus veſtras conſcientias oneramus, hujuſmodi ſententias in eos generaliter vel ſpecialiter promulgatas auctoritate eadem relaxetis, & ſuper irregularitate, ſi qua forſan ſententiis ipſis ligati, non tamen in contemtum clavium celebrando divina, vel immiſcendo ſe illis, contraxerint, diſpenſetis etiam cum eiſdem. Porrò quia præſentes litteræ nequirent forſan propter viarum diſcrimina veſtrum ſingulis commode præſentari; volumus quod per te, frater archiepiſcope, B dictarum litterarum tranſumtum publica manu ſcriptum, tuoque ſigillo communitum vobis prædictis ſuffraganeis tranſmittatur: cui adhiberi volumus velut originalibus litteris plenam fidem. Datum Avenione VII. calendas Maii anno nono.

In eodem modo, venerabilibus fratribus archiepiſcopo Eboracenſi ejuſque ſuffraganeis, ſalutem, *mutatis mutandis.*

C *Similes litteræ factæ ſunt eiſdem archiepiſcopis & ſuffraganeis pro ſimili cauſa, quod judicant decimam unius anni ſolvendam in terminis ſupra contentis in aliis de decimis duorum annorum.*

LITTERÆ DE MENSE JUNII ANNO NONO.

EPISTOLA CXLI.

D Ad Stephanum priorem ſancti Leonardi & Johannem Raymundi.

Ut Johanni de Breno mille florenos auri ad maritandam filiam tribuant, & alios mille florenos quos ille cameræ apoſtolicæ aſſignaverat.

Dilectis filiis STEPHANO priori ſancti Leonardi ordinis ſancti Auguſtini Lemovicenſis dioceſis & JOHANNI RAYMUNDI apoſtolicæ ſedis nuncio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

E Diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, de bonis quondam Viviani de Cara prioris ſancti Georgii in Inſula Oleronis ordinis ſancti Benedicti Xaintonenſis dioceſis, nuper in Romana curia defuncti, dudum ex certis cauſis per nos cameræ apoſtolicæ reſervatis, & per vos & alterum veſtrum recipiendis & exigendis, dilecto filio nobili viro Johanni de Breno militi ſeu ejus procuratori mille florenos auri ponderis & cugni Florentini, quos pro dote ſeu F maritagio filiæ ſuæ eidem Johanni libere erogandos duximus, ac etiam alios mille florenos auri ejuſdem ponderis & cugni, quos idem Johannes dictæ cameræ manualiter aſſignavit, omni dilatione poſtpoſita tradere & aſſignare curetis. Nos enim ipſi Johanni abſolvendi & quittandi nos de ejuſmodi duobus millibus florenis, quos ſibi ſeu ejus procuratori aſſignandos duxeritis, plenam concedimus tenore præſentium poteſtatem. Datum Avenione XV. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CXLII.

Ad Ægidium epiſcopum Vicentinum.

Nuncium eum inſtituit ad imperatorem & regem Hungariæ ad terminandum via arbitrali negotium Bononienſe cum Bernabove.

Venerabili fratri ÆGIDIO epiſcopo Vincentino apoſtolicæ ſedis nuncio, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Tantam de præclaræ fidei puritate & magnitudine devotionis eximiæ, quas cariſſimi in Chriſto filii noſtri CAROLUS Romanorum imperator ſemper auguſtus & Bohemiæ ac LUDOVICUS Ungariæ reges illuſtres ad nos & Romanam Eccleſiam filialiter exhibuerunt hactenus, & exhibere continuatis ſtudiis non deſiſtunt, ac zelo fervido quem velut chriſtianiſſimi principes gerunt ad juſtitiam ac pacem publicam & quietem populi chriſtiani, fiduciam obtinemus, quod nos promtos efficiunt, ut cauſas & negotia ejuſdem eccleſiæ quantacumque arduitate præcellant: præſertim illa in quibus bonum pacis inquiritur, eorum ſinceris conſcientiis & prudentibus judiciis liberaliter committamus. Nuper ſiquidem idem imperator nobis intimare curavit, quod nobilis vir BERNABOS de Vice-comitibus miles Mediolanenſis hoſtis & perſecutor noſter & eccleſiæ prælibatæ, de jure, quod licet minus vere pro certo futuro tempore in vicariatu & regimine ac gubernatione civitatis, comitatus, & diſtrictus Bononienſis ad nos & Eccleſiam eamdem pleno jure ſpectantium prætendit habere, volebat ſtare ordinationi eorumdem imperatoris & regis prout continebatur in ipſius Bernabovis litteris eidem imperatori directis, quarum dictus imperator nobis copiam deſtinavit; ac præfatus imperator filiali promtitudine & imperiali magnificentia nobis ſuis litteris obtulit in hujuſmodi negotio pro pace publica & conſolatione Chriſtiani populi laborare, noſtrum ſuper hoc conſenſum devota inſtantia requirendo. Nos igitur qui ſalutem & pacem & tranquillitatem cunctorum fidelium paternis deſideriis affectamus, hujuſmodi oblatione & requiſitione ex radice prodeuntibus ſinceriſſimæ puritatis grataner acceptis, de tuæ circumſpectionis induſtria & fide ſincera in hiis & aliis arduis Eccleſiæ memoratæ negotiis comprobatis plenam in Domino fiduciam obtinentes, te pro hiis ad prætorum imperatoris & regis præſentiam providimus deſtinandum, teque noſtrum & ejuſdem Eccleſiæ Romanæ ſuper præmiſſis procuratorem & nuncium ſpecialem auctoritate apoſtolica conſtituimus per præſentes. Fraternitati tuæ de omnibus cauſis, quæſtionibus, diſcordiis, & inimicitiis, quæ inter nos & dictam Romanam Eccleſiam ac venerabilem fratrem noſtrum Ægidium epiſcopum Sabinenſem apoſtolicæ ſedis legatum ac noſtrum in terris ejuſdem Romanæ Eccleſiæ in partibus Italiæ conſiſtentibus vicarium generalem, ac noſtros & ejuſdem eccleſiæ ſubditos fideles & valitores ex una parte, di-

ctumque Bernabovem ac ejus subditos, valitores, & sequaces ex altera, occatione dictorum vicariatus, regiminis & gubernationis eorumdem civitatis, comitatus, & districtus, ac quorumlibet damnorum & injuriarum illatarum & offensarum factarum hinc inde, & occupationis quorumcumque terrarum, castrorum, & locorum, & omnium, & singulorum dependentium à prædictis vertuntur, sunt, & esse possunt, in eosdem imperatorem & regem tamquam in arbitros & arbitratores & amicabiles compositores, nostro & dictæ Ecclesiæ nomine compromittendi de jure & de facto usque ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, & hujusmodi compromissum, promissionibus, obligationibus, ac fidei interpositione, ac etiam pœnis, de quibus tibi videbitur, vallandi, firmandi, & roborandi, & alia omnia & singula circa præmissa tractandi, faciendi, exequendi, & perficiendi quæ utilia & necessaria videbuntur, etiamsi requirant speciale mandatum, plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus potestatem. Promittentes nos ac dictos ecclesiam, legatum, subditos, fideles & valitores nostros ratum & firmum habere perpetuò quicquid per te factum, promissum, obligatum, & alias gestum fuerit in præmissis sub hypoteca & obligatione bonorum Ecclesiæ memoratæ. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus hujusmodi mandatum nostrum devoto & promto suscipiens animo, & ad jam dictos principes te personaliter transferens, sic mandatum ipsum prudenter, sollicite ac fideliter exequaris quod exinde fructus optatus perveniat, tuque proinde nostram & apostolicæ sedis benivolentiam uberius merearis. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CXLIII.

Ad Ægidium episcopum Vicentinum.

Ut missus ad procurandam pacem inter imperatorem & ducem Austriæ treugas inter eos stabilire possit.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Vincentino, salutem & apostolicam benedictionem. Nuper ad nostram deducto notitiam, quod noviter inter carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum ac Bohemiæ regem illustrem, & dilectum filium nobilem virum RODULPHUM ducem Austriæ nonnulla est procurante hoste humani generis dissensionis materia suscitata, nos attendentes quanta possent ex ipsorum imperatoris & ducis discordia Christi fidelibus damna & incommoda provenire, ac propterea cupientes damnis & periculis hujusmodi ab ipso principio opportunæ provisionis remediis obviari, de tuæ quoque circumspectionis industria, quæ se nobis in magnis & arduis per nos alias tibi commissis negotiis claram fecit, in Domino fiduciam obtinentes, personam tuam

A ad eorumdem imperatoris & ducis præsentiam tamquam pacis angelum providimus destinandum: firma tenentes fiducia, quod actus tuos illo dirigente qui novit prava in directa & aspera in vias planas convertere, per tuæ circumspectionis industriam proventuris ex hujusmodi discordia discriminibus & periculis laudabiliter & utiliter poterit obviari. Ut autem tam salubre negotium, auctore Domino, per sollicitudinis tuæ ministerium prosperetur, & ut melius circa reformationem pacis, & perutilis Christi fide-
B libus concordiæ inter ipsos imperatorem & ducem liberius & efficacius intendere valeas, ubi forsan præfati imperator & dux, vel alter eorum requisitionibus & monitionibus tuis, immo verius apostolicis super cessatione commotionis seu congressionis hostiliter nollent acquiescere, vel per se ipsos seu intermedios earum nuncios invicem treugas inire usque ad certum tempus, quod imminentis negotii per te prosequendi & tractandi qualitas exiget duraturas, fraternitati
C tuæ indicendi treugas ad certum tempus tuo arbitrio moderandum inter eosdem imperatorem ac ducem, fideles adhærentes & valitores eorum, & indictas eisdem imperatori & duci, & aliis de quibus expediens fuerit per te vel alium seu alios notificandi, ac ubicumque tibi visum fuerit solemniter publicandi, & in frangentes aut quomodolibet non servantes easdem excommunicationis, & in eorum terras interdicti sententias promulgandi, & alia faciendi quæ circa id fuerint opportuna, non obstante si eis vel eorum aliquibus vel alicui sub quacumque
D forma vel concessione verborum à sede apostolica sit indultum, quod excommunicari vel eorum terræ ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat, vel quo-
E modolibet retardari, & nihilominus omnes & singulas promissiones, obligationes, & confœderationes, ac colligationes super hujusmodi nutrienda discordia inter quoscumque quomodolibet initas, velut contra bonum pacis præsumtas illicite ac attentatas, in divinæ majestatis offensam, & quascumque pœnas adjectas, & juramenta præstita super illis, sub quibuscumque modo, forma vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat: quæ nos ex nunc auctoritate
F apostolica nulla fore decernimus, & quatenus de facto processerint irritamus, & irrita nunciandi plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.



EPISTOLA CXLIV.

Ad Ægidium episcopum Vicentinum.

Ut concessa sibi subsidia solvere recusantes, per censuram ecclesiasticam possit cogere.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Vincentino apostolicæ sedis nuntio, salutem & apostolicam benedictionem.

Olim siquidem te ad Alamanniæ & Bohemiæ partes pro quibusdam arduis negotiis per nos tibi tunc commissis destinavimus, & venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus, & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis, ipsorumque vices gerentibus, capitulis quoque, conventibus ecclesiarum & monasteriorum ipsorum, ceterisque personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, SS. Benedicti & Augustini & aliorum ordinum, & domorum hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, sanctæ Mariæ Theotonicorum, Calatravensis & Humiliatorum magistris, prioribus, & præceptoribus, per apostolica scripta mandavimus, quatenus te cum per partes eorum transitum faceres, ob nostram & apostolicæ sedis reverentiam, benigne recipientes, & honeste tractantes, tibi quamdiu in hujusmodi prosecutione negotiorum esses, diebus singulis in octo florenos auri pro expensis tuis necessariis, & de securo conductu, cum super præmissis per te vel tuum nuntium forent requisiti, in eundo, morando, & redeundo liberaliter providere curarent: & si te in aliquibus terris sive eorum locis ex aliqua justa causa moram forte trahere contingeret, volumus quod non solum prælati & personæ ecclesiasticæ terrarum & locorum ipsorum, sed etiam archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, præpositi, archidiaconi, archipresbyteri, plebani, rectores, & alii ecclesiarum & monasteriorum prælati, seu eorum vices gerentes & personæ ecclesiasticæ quæcumque religiosæ & sæculares, ac ecclesiarum & monasteriorum capitula & conventus, exemti, & non exemti, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Præmonstratensis, SS. Benedicti & Augustini & aliorum ordinum quorumcumque, necnon sancti Johannis Hierosolymitani, & sanctæ Mariæ Theotonicorum hospitalium magistri, priores, & præceptores vicinarum & aliarum civitatum & diocesium circumpositarum eisdem, sicut tu pro hujusmodi dividendis & facilius supportandis oneribus expedire videres, in antefactis provisionibus contribuere tenerentur. Cum autem sicut tua nobis exhibita petitio continebat, nonnulli ex prædictis prælatis & personis ecclesiasticis, ac archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis, rectoribus, & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis, seu eorum vices gerentibus ac ecclesiarum & monasteriorum capitulis, & conventibus, exemtis & non exemtis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Præmonstratensis, sanctorum Benedicti & Augustini, & aliorum ordinum quorumcumque, necnon sancti Johannis Hierosolymitani & sanctæ Mariæ Theotonicorum hospitalium magistris, prioribus, & præceptoribus mandata tua de exsolvendis tibi gagiis per nos tibi deputatis contemserint, nec tibi de illis integraliter satisfecerint, nobis humiliter supplicasti, ut tibi providere super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volentes indemnitati tuæ benignius providere, coercendi & compellendi omnes & singulos, qui tibi pro prædictis satisfactionem debitam minime impenderunt, ad satisfaciendum tibi debite de summis pecuniarum in quibus propterea adhuc tibi tenentur, appellatione postposita, per censuram ecclesiasticam, nec non eos qui excommunicationis & alias per te latas sententias incurrerunt, absolvendi, & cum illis dispensandi, qui super irregularitate per eos inde contracta, & eisdem ligati sententiis divina officia celebrarunt, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, de qua videris expedire, fraternitati tuæ auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus potestatem, non obstantibus si eisdem vel alicui seu aliquibus, vel quibusvis aliis personis, locis, & ordinibus ipsorum communiter vel divisim à prædicta sit sede indultum, quod nunciis ipsius sedis procurationem aliquam exhibere vel contribuere, nisi ad eos declinaverint, minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, ac litteris apostolicis quibusvis locis, personis, vel ordinibus, sub quacumque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris mentio sit habenda, & per quæ mandati nostri hujusmodi effectus valeat quomodolibet impediri. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CXLV.

Ad Marchionem Brandeburgensem.

Commendat ei Ægidium episcopum Vicentinum ad imperatorem nuncium apostolicæ sedis.

DIlecto filio nobili viro .... Marchioni Brandeburgensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nos venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuncium pro certis magnis arduis negotiis nos & Romanam Ecclesiam, ac communis com-

modi rationem tangentibus, ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Romanorum imperatorem ſemper auguſtum ac Bohemiæ regem illuſtrem præſentialiter deſtinemus. Nobilitatem tuam, de qua fiduciam gerimus in Domino ſingularem, rogamus & hortamur attente, quatenus pro noſtra & ſedis apoſtolicæ reverentia, data relatibus ejuſdem epiſcopi fide plenaria, eidem apud imperatorem præfatum, prout ipſe epiſcopus te requirendum duxerit, & alias prout tibi expedire videbitur, tuis taliter aſſiſtas conſiliis & favoribus opportunis, quod præter divinæ retributionis præmia, nos tibi proinde ad gratiarum merita teneamur. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CXLVI.

Ad imperatorem Romanorum.

Laudat eum quod cum rege Ungariæ partes ſuas interponere velit, ad procurandum pacem inter Eccleſiam Romanam & Bernabovem de Vicecomitibus militem Mediolanenſem.

CAriſſimo in Chriſto filio Romanorum imperatori ſemper auguſto & Bohemiæ regi illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Celſitudinis tuæ litteras, per dilectos filios Conradum de *Giſeheim* & .... Præpoſitum Eyſtetenſem ambaxiatores & nuncios tuos nobis noviter præſentatas, & eoſdem nuncios conſideratione mittentis, & diſcretionis ipſorum intuitu benigne recepimus, & expoſita nobis per eoſdem intelleximus diligenter: ex quarum litterarum ſerie, nec non expoſitione nunciorum ipſorum nobis facta, ac ex copiis litterarum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici regis Ungariæ illuſtris, ac etiam Bernabovis de Vice-comitibus militis Mediolanenſis, quas nobis interclusas in præfatis tuis litteris deſtinaſti, colligimus, quod idem Bernabos in cauſa ſeu controverſia quæ vertitur ſuper vicariatu noſtrorum civitatis & diſtrictus Bononiæ inter nos & dictum Bernabovem, tuæ & dicti Ludovici regis ordinationi ac determinationi libere ſtare velit, quodque tua ſerenitas & idem rex ad hujuſmodi ſedandam diſcordiam, veſtræ interpoſitionis miniſterium offerebant nobis. Inſuper dictarum litterarum ſeries & nuntiorum provida inſinuatio patefecit, quod celſitudo ipſa dilectum filium nobilem virum Johannem Lantgravium Lucelburgenſem conſiliarium & fidelem tuum ad venerabilem fratrem noſtrum Ægidium epiſcopum Sabinenſem apoſtolicæ ſedis legatum & dictum Bernabovem propterea deſtinavit, ut inter ipſos treugas uſque ad feſtum ſancti Martini proximum futurum pro poſſe ſuo iniret & firmaret, ut interim per te & regem præfatum commodius & maturius valeret inter Romanam Eccleſiam & Bernabovem ipſum de ſtabili pace & concordia provideri: ac etiam quod ſuper præmiſſis litteras dicti Bernabovis, per quas tibi & eidem regi circa ſopiendam dictam diſcordiam reſponderet, quotidie exſpectabas. Equidem, cariſſime fili, in præmiſſis prout in aliis plurimis tuæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geris Eccleſiam, manifeſte colligitur, & tui tamquam filii præcariſſimi zeli ſinceritas circa ſtatum proſperum & tranquillum noſtrum & dictæ Eccleſiæ ac Chriſti fidelium populorum evidentius aperitur, ex quibus nos devotionem & oblationem eaſdem dignis in Domino laudibus attollentes, plenis eas proſequimur actionibus gratiarum, ac proinde plena de magnitudine tua ſuper ea fiducia ſperantes indubie, quod tu & idem rex noſtrum & ejuſdem Eccleſiæ honorem & ſtatum & augmentum ac conſervationem jurium noſtrorum & ejuſdem Eccleſiæ filiali & ferventi proſequemini caritatis affectu, & ad id tam liberaliter quam libenter veſtra curas & ſtudia ſollicite impendetis, venerabilem fratrem noſtrum Ægidium epiſcopum Vincentinum apoſtolicæ ſedis nuncium plena poteſtate ſuffultum, ad compromittendum in te & regem præfatum prout expediens fuerit, ſuper hujuſmodi diſcordia & controverſia & alias ſuper præmiſſis de intentione noſtra plenarie informatum ad tuam duximus præſentiam deſtinandum. Quocirca magnificentiam tuam rogamus & hortamur attente, quatinus dictum nuncium ob noſtram & apoſtolicæ ſedis reverentiam benigne ſuſcipiens, eidem ſuper hiis quæ tibi pro noſtra parte exponere curaverit, fidem velis indubiam adhibere: negotium hujuſmodi tuæ & dicti regis providentiæ committendum taliter ad finem debitum deducturus, quod exinde, prout de te & eodem rege plene confidimus, noſtrorum & ipſius Eccleſiæ honoris & jurium ſequatur integritas, & noſtris ac ejuſdem Eccleſiæ ſubditis, ac aliis Chriſti fidelibus præcipue Italiæ partium, quas hujuſmodi diſſentio magis infeſtat, pax & tranquillitas, ac tibi & eidem regi præter divinæ retributionis præmia uberiora, laudum proveniant incrementa. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CXLVII.

Ad imperatorem Romanorum.

Hortatur ad pacem cum duce Auſtriæ ineundam.

CAriſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum imperatori ſemper auguſto & Bohemiæ regi illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Nuper, cariſſime fili, non ſine multæ noſtræ mentis amaricatione didicimus, qualiter procurante humani generis hoſte, qui tamquam pater diſcordiarum, inter homines exſuſcitare diſſidia & ſcandala ſeminare non ceſſat, nonnulla eſt inter te & dilectum filium nobilem virum Rodulfum ducem Auſtriæ diſſenſionis materia noviter ſuſcitata. Licet itaque in perſonarum omnium

A omnium Christi fidelium discordiis prout nobis suadet pastoralis officii debitum perturbemur, eorum tamen dissensiones vehementius pungunt & amaricant mentem nostram, ex quarum tranquillitate ac concordia plura posse cognoscimus Christi fidelibus commoda provenire. Quod eo te, fili carissime, magis attendere convenit, quo modo te sublimioris extollit fastigium dignitatis. Positus es, inclyte princeps, in gentibus mansuetudinis ac benignitatis exemplar, ut memoriæ celebris prædecessores tuos catholicos principes, Romano imperio præsidentes, virtutum laudibus imiteris. B Vides in quanta malignitate mundus sit positus, quanta succrescant continuo hinc inde diffidia, quantum ad reipublicæ gubernationem non modo opportuna, sed necessaria tuæ mentis tranquillitas habeatur. Sume igitur magnificum generosi principis animum, ut mansuetudinis potius tuæ debitum consideres, quam quicquid aliud tuis forte contemtibus suggeratur, & eo magis erga præfatum ducem tuam convenit magnitudinem ad hujusmodi pacem & concordiam inclinari, quo idem dux propter filiam C tuam, quam sibi maritali consortio tua serenitas sociavit, tibi loco filii est habendus. Quocirca magnificentiam tuam rogamus attentius, & paternis affectibus deprecamur, tibique in ejus virtute ad cujus adventum pacem in terris angelicæ vocis præconium nunciavit, & in tuorum remissione peccaminum suademus, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia ac communis commodi ratione, animum tuum ad habendam cum duce præfato pacem & concordiam benignius inclines; & quia in hoc nostræ D mentis conceptus explicari sufficienter litterarum serie, prout id nostris inhæret affectibus, non valet, venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuncium tui utique devotum culminis, multa circumspectione conspicuum, & consilii maturitate præclarum, & alias in magnis & arduis longa experientia comprobatum, de cujus industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad tuam & dicti ducis præsentiam tamquam pacis angelum providimus destinandum, quem benigne E suscipere, ejusque salutaribus monitis, sanisque consiliis acquiescere, pro nostra & dictæ sedis reverentia, ac nostrorum interventu precaminum, eadem magnificentia tua velit mansuetudinem tuam in præmissis taliter ostensurus, quod præter divinæ retributionis præmia, mansueti ac benigni principis laudes in populis, & clarioris continuo famæ præconia merearis. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono. F



EPISTOLA CXLVIII.

Ad Ludovicum regem Ungariæ.

Laudat eum quod ad procurandam pacem inter Ecclesiam Romanam & Bernabovem de Vicecomitibus partes suas cum imperatore velit interponere, hortaturque ut ad componendas discordias imperatorem inter & ducem Austriæ intendat.

CArissimo in Christo filio LUDOVICO regi Ungariæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem per speciales nuntios per carissimum in Christo filium CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum, ac Bohemiæ regem illustrem ad nostram præsentiam destinatos, & per litteras imperatoris ejusdem nobis per ipsos nuntios præsentatas, nec non ex interclusis in litteris eisdem quarumdam copiis tuarum & Bernabovis de Vice-comitibus militis litterarum ad imperatorem eumdem transmissarum aperte collegimus, quod idem BERNABOS in causa seu controversia quæ vertitur super vicariatu nostrorum & Romanæ Ecclesiæ civitatis ac comitatus & districtus Bononiensis inter nos & Bernabovem ipsum, dicti imperatoris ac excellentiæ tuæ ordinationi & arbitrio stare velit: quodque ad hujusmodi sedandam discordiam tam imperialis quam regia serenitas tuæ interpositionis ministerium offerebat. Equidem carissime fili, in præmissis prout in aliis plurimis tuæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geris Ecclesiam, manifeste colligitur, & tuitamquam filii præcarissimi zeli sinceritas circa statum prosperum & tranquillum nostrum, & dictæ Ecclesiæ, ac Christi fidelium populorum evidentius aperitur, ex quibus devotionem & oblationem easdem, dignis in Domino laudibus attollentes, plenis eas prosequimur actionibus gratiarum, ac proinde plena de magnitudine tua sumta fiducia, sperantes indubie quod tam tu quam imperator præfatus nostrum & ejusdem Ecclesiæ honorem & statum, augmentum ac conservationem jurium nostrorum & ejusdem Ecclesiæ filiali, ac ferventi prosequimini caritatis affectu, & ad id tam liberaliter quam libenter vestra curas & studia sollicite impendetis, venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuntium plena potestate suffultum ad compromittendum in imperatorem præfatum ac te, prout expediens fuerit, super hujusmodi discordia & controversia, & aliis super præmissis de intentione nostra plenarie informatum, ad ipsius imperatoris ac tuam præsentiam duximus destinandum. Quocirca magnificentiam tuam rogamus & hortamur attente, quatenus dictum nuntium ob nostram & apostolicæ sedis reverentiam benigne suscipiens, eidem super his quæ ipse pro nostra parte tibi exponere curaverit, fidem velis indubiam adhibere, negotium hujusmodi tuæ & dicti imperatoris providentiæ committendum taliter ad finem debitum deducturus, quod

exinde prout de te & eodem imperatore A plene confidimus, nostrorum & ipsius Ecclesiæ honoris & jurium sequatur integritas, ac nostris & ejusdem ecclesiæ subditis, ac aliis Christi fidelibus præcipue in Italiæ partibus consistentibus, quos hujusmodi dissensio magis infestat, pax & tranquillitas, ac tibi & eidem imperatori, præter divinæ retributionis præmia, uberiora laudum proveniant incrementa. Postremo cum, sicut dolenter accepimus, inter imperatorem præfatum & dilectum filium nobilem virum RODULFUM ducem Austriæ nonnulla sit noviter dissensionis materia suscitata, ex qua adversus communis commodi rationem plura possent dispendia ac damna & pericula Christi fidelibus provenire, nosque propterea dissensioni hujusmodi ab ipso principio paternis obviare consiliis cupientes, eosdem imperatorem & ducem per dictum episcopum pro parte nostra vivæ vocis oraculo duximus alloquendos, hoc precibus nostris adjicimus, quatenus pro honore Dei ac nostra & dictæ sedis reverentia pro hujusmodi sedanda discordia magnitudinis tuæ partes, prout expediens fuerit, tamquam princeps pacis & tranquillitatis amator efficaciter interponas. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CXLIX.

Ad Johannem marchionem Moraviæ.

Ut nuncio suo pacem imperatorem inter & ducem Austriæ procurare satagenti adesse velit.

Dilecto filio nobili viro JOHANNI marchioni Moraviæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Quam periculosa & quantis onusta dispendiis esse posset nonnullius dissensionis materia inter carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum, ac Bohemiæ regem illustrem & dilectum filium nobilem virum RODULFHUM ducem Austriæ noviter, prout dolenter accepimus, suscitata, nobilitatem tuam non ambigimus prævidere. Nos itaque hujusmodi periculis & dispendiis ab ipsis obviare principiis cupientes, venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Vincentinum, apostolicæ sedis nuntium, virum utique multa providentia circumspectum, tamquam pacis angelum ad præfatos imperatorem & ducem tam pro hujusmodi sedanda discordia, quam pro nonnullis aliis negotiis eidem imperatori pro parte nostra vivæ vocis oraculo exponendis, duximus præsentialiter destinandum. Quocirca nobilitatem ipsam rogamus & hortamur attente, tibique in ejus virtute, ad cujus adventum pacem bonæ voluntatis in terris angelicæ vocis præconium nunciavit, ac in tuorum remissione peccaminum, paternis affectibus suademus, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, ac communis commodi ratione, nostrorumque precaminum interventu data, per te fide plenarie præfati nuntii nostri relatibus, circa concordiam ipsam te adeo benivolum exhibeas & benignum, quod præter divinæ retributionis præmia apud nos & sedem apostolicam & Christi fidelium populos laudabilis famæ præconia merearis. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CL.

Ad Johannem episcopum Gurcensem.

Ejusdem argumenti.

B Venerabili fratri JOHANNI episcopo Gurcensi, cancellario dilecti filii nobilis viri RODULFI ducis Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Dolenter accepimus qualiter procurante humani generis inimico, inter carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum ac Bohemiæ regem illustrem, & dilectum filium nobilem virum RODULFUM ducem Austriæ noviter est C nonnullius dissensionis materia suscitata: propter quod nos attendentes quanta ex hujusmodi dissensione possent non tantum eorum subditis, sed aliis Christi fidelibus incommoda & pericula provenire, ac propterea dispendiis & periculis eisdem ab ipso malorum principio paternis obviare consiliis cupientes, venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuntium, virum utique multa circumspectum providentia, & alias in magnis & arduis negotiis comprobatum, ad præfatos imperatorem & ducem tamquam pacis angelum D providimus destinandum. Quocirca fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, & communis commodi ratione, adhibita per te fide plenaria relatibus dicti episcopi, apud ducem ipsum, cujus consiliarius & cancellarius existis, & qui prout accepimus plurimum consiliis tuis inhæret, ad inclinandum ad pacem & concordiam ejus animum & alias, prout ipse te episcopus requirendum duxerit, & tibi etiam expedire videbitur, tamquam procurator quietis & pacis, E quarum te quod gratanter intelleximus fama laudabilis prædicat zelatorem, tua favores & studia sollicite ac efficaciter interponas. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CLI.

Ad Arnestum archiepiscopum Pragensem.

Ut imperatorem inducat ad terminandum, inceptum in Barnabovem de Vice-comitibus negotium.

F Venerabili fratri ARNESTO archiepiscopo Pragensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper à carissimo in Christo filio nostro CAROLO Romanorum imperatore semper augusto ac Bohemiæ rege illustri recepimus litteras, filialis suæ devotionis affectum, quam ipse ad nos & Romanam gerit Ecclesiam, placido admodum & grato tenore seriosius exprimentes. In eis namque aperte collegimus, qualiter

idem imperator tamquam nostrum & dictæ Ecclesiæ defensionis brachium & singulare refugium existat, qui adversus Bernabovem de Vicecomitibus militem Mediolanensem hostem nostrum & ejusdem ecclesiæ manifestum, ac imperialis culminis illusorem, suas in eum promulgando sententias, nisi infra viginti dierum spatium super Bononiensi negotio suis curaverit efficaciter parere mandatis, exigente justitia, condigne exeruit gladium ultionis. Nos itaque hujusmodi per imperatorem eumdem tam filialiter & devote circa præfatum negotium nobis & præfatæ Ecclesiæ impensos labores placidis attendentes affectibus, & intra grati claustra pectoris recondentes, eidem respondendum duximus in serie quam pro clariori informatione tua jussimus præsentibus intercludi. Quocirca fraternitatem tuam requirimus attentius & hortamur, quatenus imperatorem ipsum in hoc per eum tam magnifice assumto proposito tuis exhortationibus & consiliis studeas, prout expediens fore videris, confirmare, ipsumque ad feliciter ac celeriter terminandum ea quæ circa defensionem nostrorum & præfatæ Ecclesiæ, terrarum & jurium, & præcipue circa prædictum negotium Bononiense per eum sunt tam excellenter quam liberaliter incohata, tuarum interpositione partium, prout de te plene confidimus, animare, venerabili fratri nostro Ægidio episcopo Vincentino apostolicæ sedis nuncio super præmissis fidem credulam præbiturus. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CLII.

Ad Arnestum archiepiscopum Pragensem.

Ut imperatorem suis consiliis inducat ad Bernabovis ausus temerarios reprimendos, & ad sopiendas dissensiones cum duce Austriæ.

VEnerabili fratri ARNESTO archiepiscopo Pragensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad tuam jamdudum notitiam non ambigimus pervenisse, quantum BERNABOS de Vicecomitibus miles Mediolanensis suæ salutis & famæ prodigus nobis & Romanæ Ecclesiæ adversarius fuerit, & continue adversetur, civitatem, comitatum, & districtum Bononiensem ac nonnulla alia, terras & loca nostra & ejusdem Ecclesiæ in Italiæ partibus consistentia hostiliter impugnando. Cum itaque nos super hiis ac etiam pro prosecutione & expeditione negotii eorumdem comitatus, civitatis & districtus, venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuncium ad carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum ac Bohemiæ regem illustrem præsentialiter destinemus, & in eisdem prosecutione ac expeditione fraternitatis tuæ consilium & auxilium, prout indubitanter tenemus, plurimum valeat suffragari, teque ad id minime dubitemus promptum & favorabilem inveniri, fraternitatem eamdem requirimus & hortamur, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia circa favorem nostrorum & præfatæ Ecclesiæ jurium, & quietem ac pacem subditorum nostrorum, quos præfati Bernabovis iniquitas multipliciter molestavit & molestare non cessat, sic tua circa eumdem imperatorem, cujus consiliarius existis, & alias prout idem nuncius te requirendum duxerit, ac prout tibi expedire videbitur, impendere studeas auxilia, consilia & favores, quod exinde apud Deum, cujus in præmissis negotium agitur, crescere valeas meritis, & apud nos ac sedem præfatam benevolentiam & gratiam uberius promereri. Hoc quoque quod maxime nostris inhæret affectibus, præmissis duximus exhortationibus adjungendum, quod circa exortam noviter, prout dolenter accepimus, inter præfatum imperatorem & dilectum filium nobilem virum RODULFUM ducem Austriæ dissensionis materiam sopiendam, juxta prædicti episcopi requisitionem, & alias prout expedire videris, tamquam pacis & concordiæ zelator, ejusdem imperatoris animum ad habendam cum præfato duce pacem & concordiam inclinando, dare cures sollicitis studiis, salutaria tua interponendo consilia, operam efficacem. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

In eodem modo, venerabili fratri JOHANNI episcopo Luthomuslensi imperialis aulæ cancellario, salutem, &c. *usque ubi dicitur* cujus consiliarius, *addatur* & cancellarius existis, &c. *usque in finem.* Datum *ut supra.*

Item ut in prima, venerabili fratri Johanni episcopo Argentinensi.


In eodem modo, venerabili fratri JOHANNI episcopo Olomucensi, salutem, &c.

In eodem modo, venerabili fratri THEODERICO episcopo Mindensi, salutem, &c.

In eodem modo, dilecto filio GUILLELMO decano Vicegradensi apostolicæ sedis nuntio, *mutatis mutandis, & non dicatur ibi*, cujus consiliarius existis.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro BURCHARDO comiti Magdeburgensi, salutem, &c. *ut in prima mutatis mutandis usque* invenire. Nobilitatem eamdem rogamus & hortamur attente, tibique in tuorum remissione peccaminum suademus, quatenus, &c. *usque in finem.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro RODULFO duci Saxoniæ, salutem & apostolicam benedictionem.



EPISTOLA CLIII.

Ad Carolum imperatorem Romanorum.

Hortatur ad consummandum inceptum in Bernabovem negotium.

CArissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto & Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Quam paterno, quam pleno caritatis affectu serenitatis tuæ litteras de ipsis, ut ita dixerimus, tuæ devotionis, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, visceribus prodeuntes, nobis noviter præsentatas intelleximus, & quantum illarum sensibus nostris sæpe auribus repetitis te in eis agnovimus filium prædilectum, & nostrum ac ejusdem Ecclesiæ defensionis brachium & refugium singulare, explicare ministerio præsentium longum esset. In illis namque quantum nobis & tibi Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis conaretur illudere, qui fictis prætensis coloribus de compromittendo in te & carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem Ungariæ illustrem super Bononiensi negotio, quod ad præsens agitur inter nos & dictam Ecclesiam ac Bernabovem ipsum, à nostrorum terrarum & jurium hostili impugnatione suæ temeritatis fretus audacia non cessabat, prout etiam modo non cessat, & quantum exinde excellentiam tuam non immerito læserit in eumdem ejusque auxiliatores, valitores & complices, & subditos, ac sibi adhærentes, nisi tuis infra viginta dierum spatium mandatis efficaciter parere curaret, magnifice, prout adversus tam pertinacem contemtorem exigebat justitia, condignæ ultionis exerendo gladium, ostendisti. Equidem, carissime fili, grandia sunt hæc tuæ magnitudinis opera, magnis utique laudum præconiis extollenda, & quæ tenaciter imprimi nostræ mentis affectibus promerentur, in quibus tuæ devotionis sinceritas & ferventis zeli constantia apertius innotescit. Quis enim non videat quod Romanæ Ecclesiæ matris tuæ causam universalem Christi fidelium omnium non modo publicam reputas, sed privatam? Quis ex ipsarum litterarum tuarum serie non agnoscat, quod tu sicut in honoribus & placitis ipsius Ecclesiæ delectaris, ita in ipsius offensis offenderis, & in ejus perturbationibus perturbaris, & ad eas prout convenit revocandas dare non cessas propensioribus studiis operam efficacem? Nos itaque, princeps inclyte & carissime fili, hujusmodi comminationes & sententias pro favore justitiæ adversus contemtorem eumdem per te, prout in eisdem continetur litteris, promulgatas plurimum in Domino commendantes, ipsasque plenis paternæ dilectionis affectibus uberioribus prosequentes actionibus gratiarum, excellentiam tuam rogamus attentius, & affectuosius deprecamur, quatinus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, & pro tuæ decentia dignitatis, laudabile ac gloriosum hujusmodi, A sanctumque propositum tuum, quod pater ille justitiæ desideriis tuæ mentis infixit, prout magnifice incœpisti, ita usque ad felicem præfati Bononiensis negotii exitum tuis præsidiis favorabiliter prosequaris, ut transeat ceteris in exemplum, ne sub imperialis potestatis culmine constituti, & tui præcipue officiales, & subditi, adversus matrem omnium Romanam Ecclesiam talia attentare de cetero audeant vel præsumant. Nunc enim tempus est, ut evidenter appareat, quanta sacerdotium & imperium sint affectione B conjuncta; nunc tempus est, ut utriusque in unum collecta potentia hujusmodi superborum conterantur cornua, & talium tyrannorum rabies, quæ proculdubio ex quadam neglectæ correctionis excrevit incuria, pro salute omnium Christi fidelium tam dictæ Ecclesiæ quam tui culminis imperio subditorum taliter comprimatur, quod data eis pace, universalis ipsorum libertas & eorum status tranquillitas feliciter subsequatur. Magna siquidem, fili prædilecte, tuis humeris videntur incumbere, sed C si illa cùm conditione temporum conferas, facillima tuæ magnitudini videbuntur. Non te prætereat catholicorum prædecessorum tuorum Romano imperio præsidentium principum celebris admodum & recolenda memoria, qui præfatæ Ecclesiæ negotia tamquam propria summis fuerunt laboribus devotissime prosecuti. Consumma igitur opus tam laudabile quod cœpisti, ut sicut par illis dignitate existis, ita illorum venias consortio magnificorum & salubrium D splendore operum aggregandus: magnificentiam tuam circa præfatum Bononiense negotium taliter ostensurus, venerabili fratri nostro Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato adversus dicti Bernabovis insaniam potenter ac efficaciter tuis favoribus & auxiliis assistendo, quod præter divinæ retributionis præmia, apud nos & sedem apostolicam, ac Christi fidelium populos uberiora continuo magnitudinis tuæ titulis laudum proveniant incrementa. Hoc quoque post hæc precibus nostris adjicimus, quod carissimum in Christo filium nostrum E Ludovicum regem Ungariæ illustrem velis ad impendenda similiter super præfato negotio efficaciter sua favores & auxilia tuis exhortationibus animare. Ceterum super præmissis, quæ plenarie exprimi litterarum serie non valerent, per venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuncium latorem præsentium nostræ mentis affectum duximus latius explicandum. Datum Avinione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CLIV.

F Ad Rodulfum ducem Austriæ.

Hortatur ad pacem cum imperatore ineundam.

DIlecto filio nobili viro Rodulfo duci Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad nostram nuper audientiam nonnullorum fide digna relatione pervenit, qualiter faciente

hoste humani generis, qui indefessis intendit studiis ad seminandum inter Christi fideles ac præcipue mundi principes, quorum sicut pax plurimorum commoda respicit, ita eorum discordia redundare in damna & incommoda plurimorum dinoscuntur; nonnulla inter carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum ac Bohemiæ regem illustrem, & te, dissensionis est noviter materia suscitata. Quod cum ad nostrum pervenit auditum, eo magis amaricati sumus intrinsecus, quo nos imperatorem eumdem ac personam tuam amplius gerimus in visceribus caritatis, & ex vestris dissidiis non tantum subjectis vobis populis, sed cunctis Christi fidelibus plura fore cognoscimus incommoda proventura. Monet itaque nos præfatæ caritatis affectus, monet insuper communis utilitas, ut hujusmodi dissensionibus, quas inter vos seminator ille zizaniæ exsuscitare conatur, ab ipsis principiis paternis monitis & salutaribus consiliis obviemus. Considerare te convenit, dilecte fili, quanta eidem imperatori debeas affectione conjungi, qui natam suam tibi, ut accepimus, prædilectam habes conjugali tibi fœdere copulatam: propter quod si diligenter attendas, esse te erga illum decet ut filium, & ipsum erga te in tuis promovendis honoribus velut patrem. Ad illud etiam tua nobilitas debet attendere, in quanta diebus nostris mundus malignitate sit positus, quanta nonnullorum malignantium rabies in diversis mundi partibus hinc inde succreverit: qui siquidem malignantes in vestris gauderent dispendiis, & commodis turbarentur: propter quod animum tuum eo magis expedit ad habendam cum eodem imperatore pacem & concordiam inclinari, quo pacem & concordiam easdem ad plurimorum noveris commoda pertinere. Hoc præfatæ nobilitati tuæ ex singularis dilectionis affectu, quem tuis facientibus meritis ad personam tuam gerimus, paternis exhortationibus suadenda duximus: sperantes indubie quod paterna consilia benignius accipies, & salutaribus exhortationibus acquiesces. Verum quod in hoc nostræ mentis desiderium explicari litterarum serie, prout id nostris inhæret affectibus, non valeret, venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuncium, tui utique honoris avidum, multa circumspectione conspicuum, & consilii maturitate præclarum, & alias in magnis & arduis negotiis longa experientia comprobatum, de cujus industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad dicti imperatoris ac tuam duximus præsentiam destinandum, quem benigne suscipere, ejusque salutaribus monitis sanisque consiliis acquiescere, pro nostra & dictæ sedis reverentia, ac nostrorum interventu precaminum, eadem magnificentia tua velit generosum animum tuum in præmissis taliter ostensurus, quod præter divinæ retributionis præmia, mansueti ac benigni principis laudes in populis, & clarioris continuo famæ præconia merearis. Datum Avenione VI. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CLV.

Ad Johannem episcopum Luctomuslensem.

Commendat ei sua negotia apud imperatorem.

VEnerabili fratri JOHANNI episcopo Luctomuslensi imperialis aulæ cancellario, salutem & apostolicam benedictionem.

Noverit tua fraternitas, quod carissimo in Christo filio nostro CAROLO imperatori Romanorum semper augusto & Bohemiæ regi illustri noviter scribimus in serie quam tibi interclusa præsentibus cedula referabit. Quocircà fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatinus consideratis in dicta cedula contentis, super eisdem vivæ vocis oraculo cures imperatorem eumdem plenius informare, nostra & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ negotia, quibus opportunum fore videris exhortationibus & consiliis ac precaminum tuorum instantiis, excellentiæ suæ tamquam nostri & ipsius Ecclesiæ filii præ, dilecti faciens præcipue adversus tam temerarium invasorem nostrorum & ejusdem Ecclesiæ terrarum & jurium ac nostrorum & ipsius Ecclesiæ superbum admodum contemtorem efficaciter commendata. Datum Avenione (a) IX. calendas Junii anno nono. (a)

In eodem modo, venerabili fratri ARNESTO archiepiscopo Pragensi, salutem, &c.

In eodem modo, venerabili fratri JOHANNI episcopo Argentinensi, salutem, &c.

In eodem modo, venerabili fratri THEODORICO episcopo Mindensi, salutem, &c.

In eodem modo, venerabili fratri JOHANNI episcopo Olomucensi, salutem, &c.

In eodem modo, dilecto filio Guillelmo decano Wicegradensi apostolicæ sedis nuntio, salutem, &c. noverit tua discretio, *ut supra usque* reserabit. Quocirca discretionem ipsam requirimus & hortamur, &c. *ut supra usque in finem.*

EPISTOLA CLVI.

Ad Carolum Romanorum imperatorem.

Bernabovem, qui ipsum & regem Hungariæ elegerat arbitros, ad dirimendam controversiam de civitate & districtu Bononiensi, ipsi & sedi apostolicæ illusisse. Hortaturque ut ecclesiæ factam injuriam ulciscatur.

CArissimo in Christo filio CAROLO romanorum imperatori semper augusto & Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

(a) Hæc epistola uti & sequens 156. ad imperatorem scripta fuit post præcedentes, quibus Bernabovem imperatorem & regem Hungariæ arbitros elegisse novimus ad dirimendam controversiam, quæ ipsum inter & papam versabatur super civitate & districtu Bononiensi; ac proinde in utriusque data error irrepsisse dicendus est, cum post VI. calendas Junii scriptæ fuerint, forte IX. calendas Julii.

Pridem ad nostram pro parte tua præsentiam accedentes dilecti filii præpositus Eystetensis & Conradus de *Gyscheym* tuæ serenitatis nuncii, quos placide admodum ac benigne recepimus, tuis per eos nobis præsentatis litteris, nec non quarumdam copiis litterarum, per carissimum in Christo filium nostrum LUDOVICUM regem Ungariæ illustrem ac Bernabovem de Vicecomitibus militem Mediolanensem tibi transmissarum, nonnulla nobis pro parte tua tam provide quam prudenter exponere curaverunt, ex quibus omnibus nobis quantum poteramus colligere verisimiliter apparebat, quod idem BERNABOS super discordia quæ inter nos & ipsum super civitate, comitatu, & districtu Bononiensi vertitur, stare vellet tuæ & dicti regis ordinationi, & quicquid super hujusmodi sedanda discordia vestro videretur judicio libere acceptare. Collegimus etiam ex prædictis quod tam tu quam præfatus rex tamquam pacis & concordiæ principes & zelatores præcipui, ad dictam sopiendam discordiam curabatis interponere ministerii vestri partes. Quodque propterea tua excellentia ad venerabilem fratrem nostrum ÆGIDIUM episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum & Bernabovem præfatum, dilectum filium nobilem JOHANNEM Lantgravium tuum fidelem & consiliarium duxerat specialiter destinandum, ut ipse inter præfatos legatum & Bernabovem iniret treugas & firmaret usque ad festum B. Martini proximum futurum, & interim ad quietem & pacem dictorum civitatis, comitatus & districtus, ac fidelium subditorum Romanæ Ecclesiæ degentium in eisdem, qui ex hujusmodi guerrarum gravaminibus multipliciter perturbantur, de solida & stabili concordia melius tractaretur, quodque super hoc ab eodem Bernabove exspectabas litteras responsales, per quas tibi & regi præfato per Bernabovem ipsum potestas daretur plenaria dictam discordiam terminandi. Propter quæ, carissime fili, sicut hactenus ex plurimis causis manifestum reddit nostræ menti, quod tu tamquam pacis & benedictionis filius ac sedis apostolicæ brachium & refugium singulare, nos & matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam geris in visceribus caritatis, ac nostrûm & dictæ Ecclesiæ quietem & pacem desideras, tuque & rex ipse ad honorem & augmentum & conservationem devotionis zelum plurimum commendantes in Domino, præfatam excellentiam uberioribus prosequimur actionibus gratiarum. Ut autem tibi super præmissis nostræ mentis deliberatio apertius innotescat, ac quanta super expositis nobis fiducia duceremur intelligas, nos indubie credentes quod dictus Bernabos minime aliud serenitati tuæ scriberet & aliud concepisset, nec formidantes eumdem nobis ac tantis & talibus principibus verbis fictis illudere vellet, statim deliberavimus venerabilem fratrem nostrum RAYUMNDUM episcopum Elnensem, virum utique litterarum scientia famosum & alias multipliciter expertum, per nos super hujusmodi negotiis informatum plenarie, & ad præmissa executioni

A mandanda plena potestate suffultum, ad tuam præsentiam destinare. Sed quia dum idem episcopus à nobis expeditus jam vellet arripere iter suum tam per litteras & multorum fide dignorum relatione & fama publica & evidentius attestante didicimus, quod dictus Bernabos nedum dicto Johanni nuncio tuo super prædictis treugis faciendis acquieverit; quin immo in nostrum ac tuum derisum pariter & contemtum pendentibus oblationibus nobis ac tibi de compromittendo in te ac regem præfatum, non-
B nulla dictæ Ecclesiæ castra hostiliter occupavit, & ad discurrendum comitatum prædictum copiosum misit exercitum & potentem, & quod animum suum nequam apertius manifestat, prout accepimus relationibus fide dignis, personaliter se contulit in comitatum eumdem, & subditos nostros & ejusdem Ecclesiæ donis ac promissionibus malignitate subdola corrumpendo, nonnullas fecit conspirationes & ligas ad nostras & ejusdem Ecclesiæ terras hostiliter oc-
C cupandum, per hoc aperte demonstrans & facto declarans, quod nobis ac tibi in dolosis labiis & ad fallendum, non ad compromittendum dictas oblationes fecerat, non cordialiter nec ex fide: propter quod ipso Bernabove sic nos & dictam Ecclesiam impugnante & hostiliter prosequente, ad ea quæ tam per tuas litteras, quam præfatos nuncios intimasti, procedere tibi, cui sic illusit, & nobis fore expediens vel honorabile non videtur, & ideo mutato consilio prædictum episcopum ad præfatam tuam præsentiam providimus non fore præ-
D sentialiter destinandum, ne nobis & tibi per ipsum iterum illudatur. Cum autem cognoverimus dictum Bernabovem ab offensione & impugnatione terrarum nostrarum & dictæ Ecclesiæ realiter abstinere, & ad prædicta per eum oblata intendere bona fide, continuo parati sumus condescendere rationi, & per effectum operis demonstrare, quod nos & dicta Ecclesia de te tamquam de singulari & præcipuo nostræ justitiæ deffensore indubitanter confidi-
E mus & plenam in Domino fiduciam obtinemus. Tu vero, carissime fili, in tales & tam malignos viros & tuos maxime subditos & vassallos, qui tuæ celsitudini temerarie admodum illudentes, ipsamque contemnere signis evidentioribus ostendentes, dictam Ecclesiam & ejus honorem ac patrimonium & jura ipsius hostiliter persequuntur, favorabiliter & potenter in tuæ magnitudinis brachio debes insurgere, ac disciplinam quam non exercet apostolicæ sedis benignitas imponere cervicibus superborum, præ-
F sertim quia prætextu dictarum litterarum tuarum omisimus circa defensionem dictorum civitatis, comitatus, & districtus, ac terrarum aliarum nostrarum præfato legato, prout exigebat hujusmodi negotii gravitas, subvenire: verisimiliter opinantes quod dictus Bernabos præfatæ tuæ magnitudini, quæ inter nos & ipsum mediatoris partem pro bono tranquillitatis & pacis liberaliter assumebat, ac nobis tam contemtibiliter illudere formidaret. Magnificentiam itaque tuam rogamus attentius, ac pater-

nis affectibus deprecamur, quatinus dictæ Ecclesiæ circa defensionem terrarum & jurium prædictorum dignetur assistere, ac se dicto legato circa defensionem ipsam taliter promtam & munificam exhibere, quod dictus Bernabos in nostra & tua illusione non gaudeat, sed condigna potius pœnitentia confundatur. Nosque præfatam Ecclesiam non patiamur in dictis civitate, comitatu, & districtu, vel alibi esse læsam: tuque proinde à Domino cujus sponsæ dictæ scilicet Romanæ Ecclesiæ causa geritur, meritum acquiras gloriæ, & apud Christi fidelium populos præfulgeas famæ præconio clarioris. Datum Avenione IX. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CLVII.

Commendat eis Augustinum de Brisaco nuncium suum in Alemanniam.

VEnerabilibus fratribus, &c. *ut in forma de securo conductu.*

Cum dilectum filium Augustinum de Brisaco ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini procuratorem generalem fratrum & ordinis eorumdem, latorem præsentium, ad certas Alamanniæ & Bohemiæ partes, pro quibusdam arduis negotiis per nos ei commissis, præsentialiter destinemus. Nos volentes ipsum cum familia sua in eundo, morando, & ad nos redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, quatenus ipsum benigne recommendatum habentes, nullam eidem & familiæ prædictæ in rebus suis & personis inferatis injuriam vel offensam, nec ab aliis quantum in vobis fuerit permittatis inferri, sed ei potius de securo conductu, si à vobis illum petierint, sic libere providere pro nostra & ejusdem sedis reverentia studeatis, quod vestra possit exinde apud nos devotio merito commendari. Datum Avenione V. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CLVIII.

Ad Carolum Romanorum imperatorem.

Nuncium ad eum mittit Ægidium episcopum Vicentinum.

CArissimo in Christo Romanorum imperatori semper augusto ac Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet pridem, per nostras litteras serenitati tuæ duxerimus intimandum, qualiter certis inducti rationibus venerabilem fratrem nostrum RAYMUNDUM episcopum Elnensem, quem prius deliberaveramus ad tuam destinare præsentiam, tandem provideramus ad præsentiam eamdem non fore tunc temporis destinandum; supervenientibus tamen deinde serenitatis tuæ litteris, nobis primo per specialem tuum nuncium, & deinde per venerabilem fratrem nostrum GERARDUM episcopum Nuremburgensem noviter præsentatis, maturo deliberavimus consilio, venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuncium de intentione nostra tam super Bononiensi negotio, quam super nonnullis aliis non parum residentibus menti nostræ plenarie informatum, ad ejusdem serenitatis præsentiam destinare; ut vivæ vocis oraculo plenius exponere valeat, ea quæ litterarum ministerium non valeret. Hæc tenore præsentium per dilectos filios Conradum *de Bisynhegin* notarium familiarem & secretarium ac præpositum Eistetensem nuntios tuos earumdem latores tuæ excellentiæ intimantes, ut sentias eumdem Vincentinum episcopum tuo se vel cum prædictis tuis nuntiis vel paucis postea dictis pro parte nostra eamdem fore excellentiam aditurum. Datum Avenione III. calendas Junii anno nono.

EPISTOLA CLIX.

Ad Petrum Eraudi priorem S. Eutropii & Jacobum Barravi.

Ut sibi reservata electi Xantonensis in curia Romana defuncti bona colligant.

DIlectis filiis PETRO ERAUDI monasterii sancti Eutropii Xantonensis per priorem soliti gubernari, & Jacobo Barravi sancti Johannis extra muros Rupellæ Xantonensis diocesis apostolicæ sedis nuncio prioribus, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis causis rationabilibus dispositionem bonorum mobilium ac debitorum & creditorum quondam electi Xantonensis nuper in Romana curia defuncti, quæ tempore sui obitus haberet, vel pertinerent quomodolibet ad eumdem, nec non fructus, redditus & proventus qui Xantonensi Ecclesia vacante obvenirent & obvenire poterant ad mensam episcopalem dictæ ecclesiæ, spectantes & spectare debentes, nobis, adhuc eodem electo vivente, duximus reservandam, ac decrevimus ex tunc irritum & inane, si secus super hiis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, per vos vel alium, seu alios fide & facultatibus idoneos, bona debita & credita, ac fructus, reditus, & proventus hujusmodi, quæcumque sint, & in quibuscumque rebus existant, & per quoscumque detineantur, seu etiam debeantur, & ubicumque fuerint & consistant, de quibus si necesse fuerit summarie & de plano, sine strepitu & figura judicii, vocatis quos vocandos noveritis, vos plenarie informetis, petere, exigere, & recipere, ac vobis tradi & assignari facere, cum integritate curetis. Contradictores quoslibet & rebelles, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint; etiamsi pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana præ-

fulgeant dignitate, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, nonobstantibus si ejusmodi bona, debita, & credita, fructus, reditus, & proventus, seu aliqua ex illis ex privilegio, statuto, aut alias aliquibus forsitan debeantur; nec non felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam civitatem & diocesim, nisi certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis ad judicium evocetur, seu ne judices à sede deputati prædicta, extra civitatem & diocesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam à fine diocesis eorumdem trahere præsumant, & de duabus in concilio generali, vel aliis quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ vestræ possent in hac parte jurisdictioni & potestati, eorumque & cujuslibet ipsorum, seu alicujus ex illis libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet exemtionibus, privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus & executio præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda esset præsentibus de verbo ad verbum mentio specialis. Nos enim vobis absolvendi, & quittandi plene ac libere omnes & singulos eos à quibus hujusmodi bona, debita, & credita, fructus, reditus & proventus, vel aliqua ex illis receperitis, de hiis dumtaxat quæ ab eis recipere vos continget; nec non ipsorum & quorumcumque officialium & receptorum dicti electi episcopi rationes & computa audiendi, & impugnandi, & residua recipiendi, & ipsos ab hiis absolvendi dicto nomine, plenam & liberam concedimus ea auctoritate tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod de omnibus & singulis quæ ratione præmissorum vobis tradentur & assignabuntur, persolventur & dabuntur, & etiam de hujusmodi quittationibus, solutionibus & liberationibus duo consimilia per manum publicam inventaria confici faciatis, quorum unum ad dictam cameram transmittatis reliquo pænes vos reservato, quodque omnia quæ receperitis in præmissis ad dictam cameram & diligentiæ studio mittere quantocius commode poteritis nullatenus postponatis. Vos in præmissis taliter habituri, quod apud nos & sedem prædictam, de adhibitæ diligentiæ studio commendari non immerito valeatis. Datum Avenione.... calendas Junii anno nono.

A

EPISTOLA CLX.

Ad Ludovicum regem & Johannam reginam Siciliæ.

Providet angustiis regni Siciliæ.

CArissimis in Christo filiis LUDOVICO regi & JOHANNÆ reginæ Siciliæ illustribus, salutem & apostolicam benedictionem.

B

Super nonnullis nuper pro parte vestra nobis tam provide quam diligenter expositis per dilectum filium Rogerium Grilum de Salerno legum doctorem nuncium vestrum, nos vestris & regni Siciliæ angustiis pio compatientes affectu, providendum duximus juxta tenorem cedularum quas fecimus præsentibus intercludi. Super præstatione autem homagii per vos nobis juxta conventiones olim habitas & firmatas inter Romanam Ecclesiam & claræ memoriæ CAROLUM regem Siciliæ prædecessorem vestrum personaliter facienda, nihil aliud rescribendum duximus de præsenti, nisi quod vos taliter avisetis, quod vobis & statui vestro videamini maturo consilio providisse. Datum Avenione III nonas Junii anno nono.

C

EPISTOLA CLXI.

Ad Petrum regem Aragonum.

Ut pacis fœdera inter reges Siciliæ & prædecessores suos inita non turbet.

D

CArissimo in Christo filio PETRO regi Aragonum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper carissimi in Christo filii nostri LUDOVICUS rex & JOHANNA regina Siciliæ illustres nobis per eorum nuncium & litteras significare insinuatione querula curaverunt, quod inter certas conventiones habitas inter te & FREDERICUM partis insulæ Siciliæ detentorem, super contrahendo matrimonio inter ipsum & dilectam in Christo filiam nobilem mulierem natam tuam habitas, hoc præcipue tractatum extitit, & ad id utriusque partis approbatione deventum, quod ubi contingeret Fridericum ipsum ex hac vita decedere, liberis non relictis, tu ac tui filii & heredes in dominio dictæ insulæ succedere deberetis: quodque propterea nonnulli barones & nobiles de eadem insula ad hujusmodi conventionis efficaciam apertius demonstrandam, tibi seu certo nuncio tuo per te ad hoc specialiter deputato, tuo recipienti nomine, juramenta fidelitatis & homagii præstiterunt. Hoc insuper rex & regina præfati adjecerunt, per dictos eorum litteras & nuncium, ad querelam, quod sicut habet fide digna relatio facta eis per certam fide dignam personam, in galeis cum quibus dicta nata tua ad Fridericum præfatum transfretavit, tunc temporis existentem, nonnulli de galeis prædictis comminando dicebant, quod fideles & vassallos dictorum regis & reginæ offenderent, ac in personis & rebus hostiliter impugnarent. Cum

E

F

itaque

itaque deceat excellentiam tuam, pacis fœdera dudum inter tuos & præfatorum regis & reginæ progenitores, pro se & eorum successoribus habita, firmiter attendere, & inviolabiliter observare: excellentiam ipsam rogamus attentius, & paternis affectibus exhortamur: quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia debitum tuum privatis affectibus quorumcumque suggestionibus præferens, hujusmodi fœdera servare studeas inter te ac præfatos regem & reginam, scandala nova non suscites, ac eorum justitiam super recuperationem præfatæ insulæ tam publice quam occulte non turbes, aut quomodolibet impedias, vel ipsos molestes contra conventiones easdem, nec præfatos regem & reginam à tuis permittas subditis turbari aut impediri, vel alias eos aut eorum subditos aliqualiter molestari: sciturus id sine nostra & dictæ Ecclesiæ principali læsione esse non posse, ac serenitatis tuæ prudentiam in præmissis taliter ostensurus, quod exinde tamquam princeps dictæ Ecclesiæ carissimus filius, pacis amator, & justitiæ cultor, ac promissorum efficax observator, apud nos & sedem apostolicam, ac Christi fidelium populos laudabilis famæ præconia merearis. Datum Avenione III. nonas Junii anno nono.

EPISTOLA CLXII.

Ad Ludovicum regem Hungariæ.

Gratias agit de suis in regem & reginam Siciliæ obsequiis.

CArissimo in Christo filio LUDOVICO regi Ungariæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper, carissime fili, placide admodum intelleximus, qualiter ad tuam perducto notitiam, quod nonnulli tui subditi Ungariæ nationis congregati in unam gentis armigeræ comitivam, secum quibusdam tam theotonicis, quam nonnullarum aliarum nationum armigeris gentibus, in societatem, immo verius in perversitatem unam conjunxerant, & regnum Siciliæ more prædonico invadebant, tua statim serenitas per proprium nuncium & per speciales litteras præfatis suis subditis expresse præcipiendo mandavit, quod ab hujusmodi invasione desisterent, & ab hostili impugnatione & molestia qualibet dicti regni cessarent. Apparet equidem in præmissis animi tui sinceritas, & invictæ fidei tuæ constantia circa quietem & statum ejusdem regni evidentius demonstratur, dum regnum ipsum curas taliter à noxiis præservare. Nos itaque hujusmodi per te adhibitam diligentiam, fraternum amorem quem habes ad carissimos in Christo filios nostros LUDOVICUM regem & JOHANNAM reginam præfati regni Siciliæ illustres probabiliter ostendentem, gratam habentes plurimum & acceptam, teque exinde multipliciter commendantes, serenitatem tuam in eo plenioribus actionibus gratiarum prosequimur, quoad regnum ipsum tamquam nostrum & Romanæ Ecclesiæ singulare peculium, ac ejus statum pacificum & tranquillum caritate afficimur ampliori, excellentiam tuam attentius deprecantes, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, prout laudabiliter incœpisti prædictos tuos subditos mandatis regiis de regno præfato, ut præmittitur, revocando, ita ejusdem regni pie compatiendo angustiis & pressuris, incœpta hujusmodi laudabilius prosequaris, & præfatis regi & reginæ tua circa quietem & tranquillitatem regni ipsius contra hujusmodi malignantium temeritatem, regia præstes auxilia & favores. Hoc quoque nostris adjicimus precibus, licet id fore expediens non credamus, quod ad assistendum quibuscumque personis regnum præfatum contra dictos regem & reginam quomodocumque perturbare volentibus, nullis quorumcumque tibi suggerentium suasionibus inducaris: quin immo erga regem & reginam eosdem generosum habere velis magnifici principis animum, & fraternæ caritatis affectum. Datum Avenione III. nonas Junii anno nono.

EPISTOLA CLXIII.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Ut Philippo Gherio bona Camerini Destusæ sub annuo censu dare possit in emphiteosim.

VEnerabili fratri Ægidio Sabinensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis pro parte dilecti Philippi Gheri civis Ferrariensis petitio continebat, quod olim propter conspirationem & nonnullos excessus per quondam Camerinum Destusa civem Ferrariensem contra Romanam Ecclesiam perpetratos, quædam res & bona in civitate, diocesi seu districtu Ferrariensi consistentia ad ipsum Camerinum tunc spectantia fuerunt cameræ fiscali ejusdem Ecclesiæ, ad quam civitas, diocesis, & districtus præfati pleno jure & immediate pertinent, confiscata, & ejusdem Ecclesiæ nomine notorie habita & detenta. Quare nobis pro parte ipsius Philippi humiliter extitit supplicatum, ut eidem Philippo pro se suisque filiis & heredibus hujusmodi res & bona, quorum fructus, reditus, & proventus octuaginta florenorum auri valorem annuum communiter, prout accepimus, non excedunt, in emphiteosim perpetuam sub annuo censu, de quo nobis placeret, concedere dignaremur. De tuæ igitur circumspectionis industria plenam in hiis & aliis in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ, quæ præmissorum pleniorem habere potest notitiam, de propinquo concedendi auctoritate nostra præfata res & bona sub annuo censu unius floreni auri, dilectis filiis Aldebrandino, Nicolao, Hugoni, & Alberto marchionibus Estensibus dictæ civitatis Ferrariensis pro nobis & dicta Ecclesia vicariis, quamdiu ipsi vel quivis ex eis in hujusmodi vicariatus officio fuerint, & ipsorum vicariatu cessante thesaurario provinciæ Romandiolæ pro ipsa Romana Ecclesia, qui erit pro tempore, annis singulis persolvendo in

emphiteosim perpetuam dicto Philippo ejusque hæredibus & successoribus, si præmissa inveneris ita esse, & alias tibi videbitur convenire, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione III. nonas Maii anno nono.

EPISTOLA CLXIV.

Ad Johannem Ferdinandi de Eredia castellanum Empostæ.

Absolvit eum à quatuordecim millibus & quingentis florenis, quos nomine sedis apostolicæ distribuit marchioni Montis-ferrati.

Dilecto filio JOHANNI FERDINANDI de Eredia castellano Empostæ hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum pridem venerabilis frater REGINALDUS episcopus Eduensis, thesaurarius noster de pecuniis cameræ apostolicæ; de mandato nostro super hoc facto eidem oraculo vivæ vocis tibi manualiter tradiderit & assignaverit quatuordecim millia quingentos florenos auri, per te tradendos & assignandos dilecto filio nobili viro JOHANNI marchioni Montis-ferrati, & per eumdem marchionem certis gentibus armigeris, quæ magna societas dicebatur, erogandos: tuque dictos quatuordecim mille quingentos florenos auri eidem marchioni juxta mandatum nostrum tradideris & integraliter assignaveris. Nos volentes propterea tuæ & heredum ac successorum tuorum indemnitati providere, te ac heredes & successores eosdem ac bona tua exinde liberamus, absolvimus perpetuo & quittamus. Datum Avenione VIII. Idus Junii anno nono.

EPISTOLA CLXV.

Ad Johannem Ferdinandi de Eredia castellanum Empostæ.

Permittit ei mutuum quatuor millium florenorum contrahere.

Dilecto filio JOHANNI FERDINANDI de Eredia castellano Empostæ & priori sancti Ægidii hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani Dertusensis, ac Nemausensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum, sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, pro tuis expensis necessariis & tuorum castellaniæ Empostæ & prioratus sancti Ægidii expediendis negotiis, te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam quatuor millium florenorum auri mutuum contrahendi sub modis & forma infra scriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licentiam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis quam in aliis circa eadem tua & ipsorum castellaniæ & prioratus expedienda negotia circumspectione & diligentia plenius in Domino confidentes, nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigentiam patiaris, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, discretioni tuæ contrahendi mutuum propter hæc usque ad prædictam summam quatuor millium florenorum auri, tuo & ipsorum castellaniæ & prioratus nomine ac te & successores tuos & prædictos castellaniam & prioratum ac tua & eorum bona mobilia & immobilia præsentia & futura usque ad summam prædictam propterea à dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi & renuntiandi: non obstantibus de duabus dietis in concilio generali, & felicis recordationis Bonifacii papæ octavi prædecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis, ad judicium evocetur, & quibuscumque aliis constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, & beneficio restitutionis in integrum, & omnibus litteris & indulgentiis apostolicis impetratis & etiam impetrandis & omni juris canonici et civilis auxilio & conventioni judicum & locorum, si eorumdem creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contigerit impetrari, nec non & omnibus aliis exceptionibus, per quas contra creditores eosdem tu dictique tui successores possetis vos tueri plenam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Volumus insuper & concedimus juxta quod postulasti à nobis, quod tu & successores tui creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam de bonis dictorum castellaniæ & prioratus solvere ac damna & expensas & interesse reficere teneamini, si in termino qui ad hoc de tuo & ipsorum creditorum consensu fuerit constitutus, eadem pecunia non fuerit persoluta; quodque ipsis creditoribus prætextu alicujus constitutionis canonicæ vel civilis, aut cujuscumque privilegii vel indulgentiæ sedis apostolicæ, de quibus in nostris litteris plenam ac expressam ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, & per quæ tu & successores præfati valeatis ulterius vos tueri, dictam pecuniam in jam dictorum castellaniæ & prioratus utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui hoc fatentis confessio in instrumentis conficiendis super mutuo hujusmodi quantitatis inserta sufficiens plena & efficax probatio irrefragabiliter habeatur. Ceterum ne in hoc vorago locum sibi vendicet usurarum, nostræ intentionis existit, & volumus quod tu & iidem successores ac dicti castellaniæ & prioratus tua seu eorum vel ipsorum bona per has nostras litteras, per cujuspiam fraudis & calliditatis astutiam, sub quovis pallio vel colore verborum, ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones, & recognitiones, seu promissiones per eas seu eorum auctoritate vel occasione factas, quoad obligationem usurarum hujusmodi decernentes irritas & inanes, & nullius penitus existere firmitatis, eis nihilominus quoad præmissa omnia quæ usurarum pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis, nec usurarum prætextu ma-

liciose aliquatenus impugnandis. Volumus insuper, quod dicti castellania & prioratus ac bona ipsius pretextu nostræ concessionis hujusmodi, ultra triennium ab obligationis hujusmodi tempore numerandum, dictis creditoribus nullatenus remaneant obligata, præsentes litteras & earum effectum quoad ipsos castellaniam & prioratum & bona eorumdem ex tunc omnino carere viribus decernentes. Datum Avenione VIII. Idus Junii anno nono.

EPISTOLA CLXVI.

Ad Petrum regem Castellæ & legionis.

Ut Ægidium episcopum Sabinensem beneficiorum suorum fructibus gaudere faciat, & Johanni Seguntino præsuli sua castra restitui.

CArissimo in Christo filio PETRO regi Castellæ & Legionis illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Per alias nostras litteras, carissime fili, apud tuam excellentiam sæpe meminimus institisse, quod erga venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum, eam quam habere te convenit benivolentiam & amorem liberaliter ostendens, ipsum ad beneficia quæ in tuis regnis obtinere dinoscitur restitui mandares & faceres, sibique ac suis officialibus de ipsorum beneficiorum fructibus, reditibus & proventibus integre responderint, nec non & certa castra & loca ad venerabilem fratrem nostrum JOHANNEM episcopum Seguntinum & suam Seguntinam ecclesiam spectantia, quæ per nonnullos tuos officiales occupata tenentur, faceres in manibus ejusdem episcopi seu officialium suorum libere relaxari, ac episcopum & ecclesiam eosdem in eorum juribus haberes benignitate regia propensius commendatos. Verum sicut ad nostram deinde pervenit audientiam, hujusmodi nostra precamina nondum fuerunt effectum debitum consecuta. Cum itaque nos præfatum legatum tamquam præcipuum Ecclesiæ Dei membrum, propter suæ prudentiæ magnitudinem, consilii abundantiam & obsequiosa servitia per eum summis studiis circa recuperationem, & conservationem nostrorum, & ipsius Ecclesiæ jurium in partibus Italiæ nobis & eidem Ecclesiæ utiliter & honorabiliter impensa, ac præfatum Seguntinum episcopum propter ejus merita probitatis speciali benivolentia prosequamur, deceatque excellentiam regiam juxta laudabilia catholicorum vestigia principum ecclesias & ecclesiasticas personas, & eas præcipue, quas sedes apostolica in majoris extulit titulum dignitatis, non tantum benigne tractare, sed tua eisdem pro suorum tuitione jurium præstare auxilia & favores, serenitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia & animæ tuæ salutem & tui honoris, nostrorumque precaminum iterato sæpius interventu, præfatos legatum & Seguntinum episcopum regia benignitate pertractans, eidem legato seu ipsius procuratoribus & officialibus de fructibus dictorum beneficiorum, quæ ipse in regnis tuis obtinet, cum integritate responderi mandes & facias, ac præfato episcopo seu ejus officialibus prædicta castra & loca libere resignare, liberalitatem tuam in præmissis taliter ostensurus, quod proinde nos & sedem præfatam promtiores efficias ad annuendum quantum cum Deo potuerimus votis tuis. Datum Avenione VII. Idus Junii anno nono.

EPISTOLA CLXVII.

Ad Guidonem episcopum Portuensem.

Ut partes suas apud regem interponat pro exsecutione præcedentis.

VEnerabili fratri GUIDONI episcopo Portuensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet usque modo minus efficaces extiterunt litteræ nostræ, per quas carissimum in Christo filium nostrum PETRUM regem Castellæ & Legionis illustrem sæpius duximus deprecandum, quod venerabili fratri nostro Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, de fructibus beneficiorum quæ ipse in suis regnis obtinet, mandaret & faceret integre responderi: Venerabili fratri nostro Johanni episcopo Seguntino certa castra & loca ad ipsum & suam Seguntinam Ecclesiam spectantia, quæ per nonnullos suos officiales & subditos occupata tenentur libere resignari: nostra tamen precamina super eodem duximus præsentialiter iteranda. Quocirca fraternitatem tuam hortamur attente, quatenus considerans quantis & quam arduis ac diuturnis laboribus idem legatus in partibus Italiæ pro recuperatione & defensione nostrorum & Romanæ Ecclesiæ jurium tam utiliter quam honorabiliter insudarit, quodque nos præfatum Seguntinum episcopum propter multiplicium virtutum suarum merita, affectu præcipuo prosequamur, apud regem eumdem pro votiva præmissorum expeditione, prout expedire videris, tuis penes eumdem insistendo consiliis & exhortationibus partes tuas favorabiliter & efficaciter interponas Datum *ut supra*.

EPISTOLA CLXVIII.

Ad Petrum regem Castellæ & Legionis.

Ut ablata Johanni Brigolhandi jubeat restitui.

CArissimo in Christo filio PETRO regi Castellæ & Legionis illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper ad audientiam nostram non sine admiratione pervenit, quod per nonnullos officiales tuos & subditos, de mandato regio, dilectus filius Johannes Brigolhandi thesaurarius Cartaginensis & dilecti filii Guillelmi sanctæ

Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis vicarius & procurator in partibus tui regni Castellæ, tam cum bonis & rebus propriis, quam cum nonnullis bonis & rebus ejusdem cardinalis, quæ ipse secum deferebat, captus extitit & detentus. Equidem si consona sint facta relatibus, eo magis admirari cogimur, quo nos eumdem cardinalem fore novimus zelatorem tui honoris ac status, & tuorum apud sedem apostolicam negotiorum sincerissimum promotorem. Cum itaque deceat excellentiam tuam personas ecclesiasticas & præcipue Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis intendentes non tantum non offendi permittere vel mandare, sed eas potius regiis præsidiis confovere. Excellentiam eamdem rogamus paternis affectibus & hortamur, quatenus si præmissis veritas suffragetur, pro nostra & dictæ sedis reverentia ac tui honore nominis, & ut idem cardinalis apud sedem eamdem tua promovere negotia ferventius teneatur, Johannem prædictum cum dictis bonis & rebus restitui mandes, & facias pristinæ libertati: benignitatem tuam in præmissis taliter ostensurus, quod exinde apud nos & sedem præfatam regiæ liberalitatis præconia merearis. Datum Avenione VII. Idus Junii anno nono.

EPISTOLA CLXIX.

Ad Johannem Marchionem Montis-ferrati.

Ut temerariis ausibus Barnabovis sese opponat.

Dilecto filio nobili viro Johanni Marchioni Montis-ferrati, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper per litteras venerabilis fratris nostri ÆGIDII episcopi Sabinensis apostolicæ sedis legati percepimus, quod Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis in suæ nequitiæ pertinacia induratus, cum suis gentibus armigeris venit usque ad castrum de Lugo, & dimisso ibidem filio perditionis Francisco de Ordelaffis cum mille ducentis equitibus, rediit ad castrum præfatum, & exercitum suum posuit ad locum qui dicitur Burgus Panicalis prope civitatem nostram Bononiensem, per duo milliaria constitutum, & suæ gentes armigeræ territoria dictæ civitatis & provinciæ Romandiolæ discurrunt hostiliter & devastant, propter quod civitas ipsa in multis est perplexitatibus constituta. Cum itaque, sicut novit tua nobilitas, hujusmodi discursiones & guerræ nullam recipiant sine magnis dispendiis tarditatem, nobilitatem eamdem requirimus & hortamur attente, quatenus sublato cujuslibet dilationis obstaculo, te cum exfortio & potentia tua, juxta conventiones inter nos & te ac ducem & commune Januensium habitas, ad partes ipsas personaliter conferens, partes easdem cures quanto potes studio ab hujusmodi possessionibus liberare, & dicto legato quibus potes pro liberatione & defensione dictorum civitatis & provinciæ, tuis intendas favoribus & assistas: rem nobis facturus eo magis placidam & acceptam, quo negotium istud celeritatis & experientiæ plus requirit. Datum Avenione VI. idus Junii anno nono.

EPISTOLA CLXX.

Ad Simonem Buccanigrum, ducem, consilium & commune Januensium.

Ejusdem argumenti.

Dilectis filiis nobili viro Simoni Buccanigro duci, consilio & communi Januensium, salutem &c. *ut supra* cum itaque sicut novit vestra prudentia hujusmodi, &c. *usque* tarditatem. Discretionem vestram requirimus & hortamur attente, quatenus juxta conventiones & pacta inter nos & vos ac dilectum filium nobilem virum JOHANNEM marchionem Montis-ferrati pro liberatione hujusmodi obsidionis, vestra favores & auxilia tam potenter quam efficaciter impendatis: eidem marchioni vestræ gentis armigeræ assistentes potentia, cui siquidem marchioni nostras super hoc speciales litteras destinamus. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CLXXI.

Ad Carolum Romanorum imperatorem.

Quam primum poterit tenere consistorium promittit acturum se de translatione episcopi Mindensis ad sedem Magdeburgensem.

Carissimo in Christo filio CAROLO Romanorum imperatori semper augusto & Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper tam per tuæ serenitatis litteras, quam per dilectum filium Nicolaum Scolasticum Pragensem secretarium & nuncium tuum, quos placide admodum ac benigne recepimus, petitionem tuam super translatione facienda de persona venerabilis fratris nostri THEODORICI episcopi Mindensis ad ecclesiam Magdeburgensem modo vacantem intelleximus diligenter. Equidem cum sicut novisse potest tua serenitas, ecclesiarum provisio res consistorialis existat, & propter imminentem in partibus istis ad præsens periculosam nimium & horridam pestem, fratres nostri Romanæ Ecclesiæ cardinales pro majori parte sese absentaverint à Romana curia. Cumque etiam nos aliqualiter familiaris nostræ podagræ dolores invaserint, propterea supersedere nos oportet tenendis consistoriis de præsenti. Verum quamprimum se facultas obtulerit ut consistoria teneamus, tam circa provisionem dictæ ecclesiæ, quam circa plurima magna & ardua negotia nostris humeris incumbentia, duce Domino, intendemus. Cupientes excellentiæ tuæ in hiis quæ tibi grata & accepta fore noverimus, sicut præcarissimi filii, quantum cum Deo poterimus, complacere. Interea excellentiam eamdem rogamus attente, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reve-

rentia dilectis filiis decano ac præposito & capitulo dictæ Magdeburgensis ecclesiæ super conservatione bonorum & jurium ipsius, tuis assistere velis auxiliis & favoribus opportunis. Nos enim eisdem decano ac præposito & capitulo damus per nostras litteras in mandatis, ut circa conservationem bonorum & jurium dictæ Ecclesiæ diligenter intendant, & in hiis in quibus opus fuerit fiducialiter tua implorent auxilia & favores. Datum Avenione VI. Idus Junii anno nono.

EPISTOLA CLXXII.

Ad capitulum Magdeburgense.

Ut vacantis ecclesiæ Magdeburgensis jura illibata conservent, & ne procedant ad electionem.

DIlectis filiis decano ac præposito & capitulo Magdeburgensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, ecclesia Magdeburgensis vacare noscatur, ne tempore vacationis hujusmodi ecclesia ipsa, quæ plurimum inter ceteras ecclesias in partibus Alamanniæ consistentes honorabilis existit, damna aut dispendia patiatur; discretioni vestræ mandamus, quatinus donec per nos eidem de persona provideatur idonea, per quam secundum cor nostrum ecclesia ipsa valeat feliciter tam in spiritualibus quam temporalibus gubernari, circa conservationem & defensionem bonorum & jurium ipsius taliter sollicitis studiis intendatis, quod vestra exinde apud nos diligentia commendari valeat, vosque illi personæ de qua eidem ecclesiæ providendum duxerimus, vestræ villicationis debitam possitis reddere rationem, carissimi in Christo filii nostri CAROLI Romanorum imperatoris semper Augusti ac Bohemiæ regis illustris, cui super hoc nostras speciales litteras destinamus, favores & præsidia fiducialiter implorantes. Hoc quoque mandatis nostris adjicimus, quod ad electionem alicujus personæ in dicta Ecclesia præficiendæ nullatenus procedatis, cum nos dispositionem præfatæ ecclesiæ nobis & sedi apostolicæ duxerimus specialiter reservandam. Datum *ut supra*.

LITTERÆ DE MENSE JULII ANNO NONO.

EPISTOLA CLXXIII.

Ad episcopum Clusinum & Johannem de Lamanhaina canonicum Agennensem.

Ut Pontii Urbevetani episcopi in Romana curia defuncti bona colligant.

VEnerabili fratri .... episcopo Clusinensi, & dilecto filio Johanni de Lamanhaina canonico Agennensi apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis causis rationabilibus dispositionem bonorum mobilium ac debitorum & creditorum bonæ memoriæ PONTII episcopi A Urbevetani nuper in Romana curia defuncti, quæ tempore sui obitus haberet, vel pertinerent quomodolibet ad eumdem, nec non fructus, reditus, & proventus, qui Urbevetana ecclesia vacante obvenirent & obvenire poterant ad mensam episcopalem dictæ Ecclesiæ spectantes & spectare debentes, nobis adhuc eodem episcopo vivente duximus reservanda, & decrevimus ex tunc irritum & inane, si secus super hiis à quoquam quavis auctoritate scienter B vel ignoranter contingeret attemptari: ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios fide & facultatibus idoneos, bona debita & credita, ac fructus, reditus, & proventus ejusmodi quæcumque sint, & in quibuscumque rebus existant, & per quoscumque detineantur, seu etiam debeantur, & ubicumque fuerint & consistant, de quibus si necesse fuerit summarie, & de plano, sine strepitu & figura judicii, vocatis quos vocandos noveritis, vos plenarie informetis, petere, C exigere, & recipere, ac vobis tradi assignari facere, cum integritate curetis: contradictores quoslibet, & rebelles, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint: etiamsi pontificali vel qualibet alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, nonobstantibus si hujusmodi bona, debita, & D credita fructus, reditus & proventus, seu aliqua ex illis, ex privilegio statuto, aut alias aliquibus forsitan debeantur, nec non felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis ad judicium evocetur, seu ne judices à sede deputati prædicta extra civitatem & diocesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, E seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam à fine diocesis eorumdem trahere præsumant, & de duabus dietis in concilio generali & aliis quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus, tam de judicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ vestræ possent in hac parte jurisdictioni & potestati eorumque & cujuslibet ipsorum seu alicujus ex illis libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim à sede apo- F stolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet exemtionibus, privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant: per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus, & executio præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis



tenoribus habenda esset in præsentibus de verbo ad verbum mentio specialis. Nos enim vobis absolvendi, & quittandi plene ac libere omnes & singulos eos, à quibus hujusmodi bona debita & credita, fructus, reditus, & proventus, vel aliqua ex illis, receptis de hiis dumtaxat quæ ab eis recipere vos continget, necnon ipsorum & quorumcumque officialium & receptorum dicti episcopi rationes & computa audiendi, & impugnandi, ac residua recipiendi, & ipsos ab hiis absolvendi dicto nomine plenam & liberam concedimus eadem auctoritate tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod de omnibus & singulis quæ ratione præmissorum vobis tradentur, & assignabuntur, persolventur, & dabuntur, & etiam de hujusmodi quittationibus, solutionibus, & liberationibus duo consimilia per manum publicam inventaria confici faciatis, quorum unum ad dictam cameram transmittatis, reliquo penes vos reservato. Quodque omnia quæ receperitis in præmissis ad dictam cameram cum cautela & diligentiæ studio mittere quantocius commode poteritis nullatenus postponatis: vos in præmissis taliter habituri, quod apud nos & dictam sedem de adhibitæ diligentiæ studio commendari non immerito valeatis. Datum Avenione XVIII. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXIV.

Ad Carolum Romanorum imperatorem.

Theoderico episcopo Mindensi ad ejus preces translato ad sedem Magdeburgensem, hortatur ut contumacibus Bernabovis ausibus se opponat.

CArissimo in Christo filio CAROLO Romanorum imperatori semper augusto ac Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Vacante pridem ecclesia Magdeburgensi, quæ inter ceteras partium Alamanniæ ecclesias plurimum fulgere dinoscitur, & jurisdictionis latitudine & titulo dignitatis, nos cupientes eidem personam secundum cor nostrum idoneam præsidere, & attendentes clara probitatis & virtutum merita venerabilis fratris nostri THEODORICI tunc Mindensis episcopi, quorum laudabile testimonium plurimorum ad nos relatio fide digna perduxit, quodque nobis pro eodem tua serenitas filialis intercessionis instantia humiliter supplicavit, ipsum nuper à vinculo quo ecclesiæ Mindensi, cui tunc præerat, tenebatur absolvimus, eumque ad præfatam Magdeburgensem ecclesiam duximus auctoritate apostolica transferendum, præficiendo eum illi in archiepiscopum & pastorem, sperantes indubie, quod dirigente Domino actus suos ecclesia ipsa votivis proficiet spiritualiter & temporaliter incrementis. Cum itaque in tuarum exauditione petitionum tua serenitas apostolicam sedem inveniat liberalem, taliter te decet in nostris & sedis ejusdem ac Romanæ Ecclesiæ negotiis te favorabilem & magnificum exhibere, quod exinde apud Deum crescas meritorum cumulo, nosque & sedes præfata ad annuendum votis tuis continuo amplius animemur. Ceterum ut tam de obstinata pertinacia, quam verborum inconstantia Bernabovis de Vice-comitibus militis Mediolanensis, præter illa quæ ad tuam continuo, ut credimus, audientiam perducuntur, notitiam habere valeas pleniorem, copiam quarumdam litterarum, quas nuper venerabilis frater noster BONIOHANNES episcopus Firmanus & dilectus filius GUILLELMUS abbas monasterii sancti Germani Autissiodorensis apostolicæ sedis nuncius nobis noviter destinarunt, præsentibus intercludi fecimus, ut exinde quo Bernabovis ipsius callidam nequitiam apertius intellexeris, eo fortius magnitudinis tuæ præsidiis contra temeritatem tam pertinacis malignatoris assurgas, nonnullarum insuper litterarum pridem à venerabili fratre REGINALDO episcopo Æduensi thesaurario nostro receptarum super Bononiensi negotio copiam jussimus præsentibus intercludi. Datum Avenione XII. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXV.

Ad Theodoricum archiepiscopum Magdeburgensem.

Eum transfert à Mindensi ad Magdeburgensem ecclesiam, rogatque ut apud imperatorem intercedat pro negotio Bononiensi.

VEnerabili fratri THEODORICO olim Mindensi episcopo in archiepiscopum Magdeburgensem electo, salutem & apostolicam benedictionem.

Vacante pridem ecclesia Magdeburgensi, quæ inter ecclesias ceteras in partibus Alamanniæ consistentes præcipua fore dinoscitur, & honoris amplitudine & titulo dignitatis: nos cupientes eidem personam secundum cor nostrum idoneam præsidere, ac laudabilis famæ de te apud nos habitæ plurimorum testimoniis inhærentes: considerantes quoque quanta pro te nobis carissimus in Christo filius noster CAROLUS Romanorum imperator semper augustus filialis intercessionis instantia supplicavit, te nuper à vinculo quo tenebaris ecclesiæ Mindensi, cui tunc præeras, absolvimus, & ad præfatam Magdeburgensem ecclesiam duximus auctoritate apostolica transferendum, præficiendo te illi in archiepiscopum & pastorem: sperantes indubie, quod dirigente Domino actus tuos, ecclesia ipsa votivis proficiet spiritualiter & temporaliter incrementis. Cum itaque, prout vides, sedis apostolicæ benignitas, sit de tui status augmento sollicita, ac dignitatibus & honoribus te extollat, taliter te convenit circa nostra & Romanæ Ecclesiæ ac ejusdem sedis negotia sollicitum & favorabilem exhibere, quod exinde nostrum & ipsius sedis favorem & gratiam continuo uberius merearis. Quocirca fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus apud imperatorem præfatum,

pro negotio Bononiensi, quod ad præsens viscerose nos tangit, instando sollicite, negotium ipsum eo magis sibi commendatum efficias, quo rei qualitas adversus pertinacem maligni præsumtoris audaciam tui favoris & auxilii ac celeris experientiæ plus requirit. Datum Avenione XII. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXVI.

Ad Ægidium episcopum Vicentinum.

Mittit ei litteras episcopi Firmani & abbatis sancti Germani, ut sic agat cum imperatore, ut Ecclesiæ defensionem adversus Bernabovem suscipiat, hortaturque ut archiepiscopum Magdeburgensem inducat ad commendandum imperatori negotium Bononiense.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Vincentino apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Ut circa commissa per nos tibi negotia eo magis attendere valeas, quo de contingentibus negotia ipsa notitiam habeas pleniorem, copiam quarumdam litterarum, quas nuper à venerabili fratre nostro BONJOHANNE episcopo Firmano & dilecto filio GUILLELMO abbate monasterii sancti Germani Autissiodorensis recepimus, præsentibus fecimus intercludi, ex quibus colligere poteris evidenter, quanta vir ille malignus Bernabos de Vice-comitibus miles Mediolanensis sit perfidia induratus: propter quod adversus perfidiam eamdem eo magis decet carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum dextera suæ potestatis insurgere, quo ille noscitur temeritatis & audaciæ continuo plus habere: ideoque fraternitatem tuam sollicitam reddimus & attentam, ut apud imperatorem ipsum instando sollicite eidem facias circa defensionem nostrorum & Romanæ Ecclesiæ jurium negotia ipsa commendata efficaciter. Ceterum attendentes laudabilis famæ præconia, quæ ad nostram sæpius audientiam de venerabili fratre nostro THEODORICO archiepiscopo Magdeburgensi relatio fide digna perduxit, ac considerantes quanta nobis pro eodem carissimus in Christo filius noster imperator præfatus filialis intercessionis instantia supplicavit, archiepiscopum eumdem à vinculo quo tenebatur ecclesiæ Mindensi, cui tunc præerat, absolvimus, eumque ad ecclesiam Magdeburgensem tunc vacantem duximus nuper auctoritate apostolica transferendum, præficiendo eum illi in archiepiscopum & pastorem. Hæc fraternitati tuæ præsentibus intimantes ut eumdem ad interponendum penes imperatorem ipsum pro negotiis nostris feliciter terminandis efficaciter partes suas, magis sollicitum reddere valeas, quo ille nos & sedem apostolicam circa sui honoris & status augmentum sibi magis fore noverit favorabiles & benignos. Postremo ad pleniorem informationem tuam super Bononiensi negotio seriem nonnullarum litterarum receptarum pridem à venerabili fratre REGINALDO episcopo Æduensi thesaurario, jussimus similiter præsentibus intercludi. Datum Avenione XII. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXVII.

Ad Simonem Buccanigrum ducem & consilium Januense.

Ut onustas frumento ad usum hospitii sui & Pagnotæ naves captas restituant & libere abire permittant.

DIlectis filiis nobili viro SIMONI BUCCANIGRO duci & consilio Januensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Commovit admiratione non modica mentem nostram fide digna relatio facta nobis, quod cum certa quantitas frumenti de partibus patrimonii B. Petri in Tuscia ad Romanam curiam pro usu nostrorum hospitii & elemosynæ nuncupatæ Pagnotæ in certis navigiis deferretur, eadem navigia per nonnullos vestros officiales & cives, de mandato vestro, cum applicuissent ad portum vestrum Januæ, arrestata fuerunt, & arrestata tenentur ad præsens. Equidem si memores fuissetis processuum, qui per Romanos pontifices in die Cœnæ Domini contra impedientes ne victualia ad Romanam curiam deferantur, ac dantes impedientibus ipsis auxilium, consilium vel favorem, annis singulis promulgantur, sententias & pœnas in dictis contenta processibus, vestra devota discretio, ut credimus, timuisset & incurrere vitavisset, & apostolicæ sedi, quam habet benivolam & propitiam, talem irrogare injuriam præcavisset. Universitatem itaque vestram requirimus & hortamur attente, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus frumentum & navigia præfata cum restitutione damnorum & interesse libere deferri ad dictam curiam permittatis, restituentes seu restitui facientes gabellas seu pedagia quæ per officiales vestros pro dictis navigiis & frumento, ac aliis victualibus & rebus, quæ ad curiam deferebantur eamdem, recepta forsitan extitissent, & à similibus præsumtionibus abstinentes de cetero, ac mandantes districte per vestros cives & subditos abstineri, mandatis nostris hujusmodi sic efficaciter pariturі, quod exinde vestra valeat commendari devotio, & obedientiæ promtitudo, nosque super hoc ad alia procedere remedia quæ suaderet justitia non sit opus. Datum Avenione XII. calendas Julii anno nono.



EPISTOLA CLXXVIII.

Ad Bertrandum abbatem de Toroneto & Gerardum Mercaderii.

Ut officiales & cives Januenses qui naves onustas frumento ad usum hospitii sui & pagnotæ captas detinent excommunicatos denuncient, & loca eorum interdicto subjecta.

Dilectis filiis BERTRANDO abbati monasterii de Toroneto ordinis Cisterciensis Forojuliensis diocesis, & Gerardo Mercaderii archipresbytero de Belayco Caturcensis diocesis apostolicæ sedis nuncio & officiali Massiliensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum, videlicet in die cœnæ Domini, diversis annis successive nostrorum prædecessorum Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, contra omnes & singulos qui victualia & alia ad usum Romanæ curiæ necessaria impedirent, ne ad curiam deferrentur eamdem, & qui talia fieri facerent, sive mandarent, & qui scienter eis faverent, aut ipsos receptarent, seu defenderent, certos processus excommunicationis & anathematis sententiam continentes publice & solemniter duximus faciendos. Hujusmodi processus portis Avenionensis ecclesiæ appendi seu affigi fecimus, ut ad omnium deducerentur notitiam, nullusque quod ad eum minime pervenisset, vel ignorasset eosdem, posset excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare. Nuper autem prout ad nostri apostolatus auditum fide digna significatione pervenit, nonnulli officiales & cives Januenses certam quantitatem frumenti & alia victualia quæ de partibus patrimonii B. Petri in Tuscia ad Romanam curiam pro usu nostrorum hospitii & Pagnotæ in certis navigiis deferebantur, & ipsa navigia in portu Januensi temere arrestarunt, & detinent arrestata, impedientes ne frumentum & victualia ipsa ad curiam deferantur eamdem, ac proinde hujusmodi sententiam excommunicationis & anathematis damnabiliter incurrentes. Ne igitur tanta temeritas absque correctione debita relinquatur, sed per debiti oppositionem remedii aliis præcludatur aditus similia præsumendi: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium, seu alios de præmissis arrestatione & detentione summarie & de plano sine strepitu & figura judicii vos informare curetis, & illos quos in præmissis ea mandando fieri, & exequendo, ac arrestando & detinendo frumentum, victualia & navigia supradicta, aut mandatoribus, arrestatoribus & detentoribus eisdem scienter in prædictis favendo inveneritis fore culpabiles, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, declaretis auctoritate nostra hujusmodi excommunicationis & anathematis sententiam incurrisse, & ea existere irretitos, ipsosque nihilominus ex parte nostra moneatis personaliter, si eorum præsentiam commode ac tute habere poteritis: alioquin per editum publicum, cujus monitionis formam ex certa scientia per vos fieri volumus, quod hujusmodi frumentum, victualia & navigia infra xv. dies à vestra monitione inantea computandos libere & expedite dimittant, & duci permittant ad curiam prælibatam, ac nobis seu officialibus nostris & aliis quorum sunt dicta frumentum, victualia, & navigia, & ea quæ conducebant de damnis & offensis exinde nobis & eisdem conductoribus illatis ac expensis propterea factis congruam & debitam satisfactionem impendant: alioquin civitates, terras, castra, & loca culpabilium prædictorum interdicto ecclesiastico supponatis, ac officiales, & cives ipsos quoslibet culpabiles in præmissis generaliter excommunicatos, & anathematizatos, eademque civitates, terras, castra, & loca interdicta fore in ecclesiis & locis civitatis & diocesis Januensis, & aliis de quibus videbitis expedire, tamdiu auctoritate nostra publice nuntietis, ac interdictum hujusmodi mandeti; & faciatis inviolabiliter observari, donec iidem excommunicati & anathematizati frumentum, victualia & navigia supradicta libere & expedite dimiserint, & ad curiam præfatam duci permiserint, ac de damnis, offensis & expensis eisdem satisfecerint competenter, & absolutionis beneficium meruerint obtinere: non obstantibus si aliquibus à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, & apostolica auctoritate decernimus, quod monitio & processus, quos feceritis in præmissis, eosdem officiales, & cives ac alios in prædictis culpabiles, necnon civitates, terras, castra, & loca eorum proinde arctent, ac si culpabiles ipsi fuissent per dictos processus personaliter apprehensi, constitutione quacumque contraria non obstante. Datum Avenione XII. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXIX.

Ad Cennum Benvenutum de Vigiano.

Permittit ei cum uno socio dominicum sepulcrum visitare.

Dilecto filio Cenno Benvenuto de Vigiano civi Florentino, salutem & apostolicam benedictionem.

Tuæ devotionis exigentibus meritis, votis tuis libenter annuimus, & petitiones tuas in hiis quæ honeste postulas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque sicut oblatæ nobis tuæ petitionis series continebat, tu zelo piæ devotionis accensus, sepulcrum Dominicum & alia oratoria Terræ sanctæ desideres personaliter visitare. Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, quod sepulcrum & alia oratoria supradicta, quibuscumque prohibitionibus, constitutionibus & processibus sedis apostolicæ in contrarium factis, habitis seu etiam promulgatis pœnas & sententias spiritales

ſpiritales & temporales continentibus nequaquam obſtantibus, ex cauſa prædicta cum uno ſocio, quem eligendum duxeris, valeas viſitare, illaque nihilominus pro hujuſmodi viſitatione deferre & etiam exhibere, ſine quibus peregrinationem hujuſmodi commode adimplere non poſſes, dummodo ad partes illas nulla alia deferas, vel deferri facias, quæ in profectum vel favorem hoſtium fidei chriſtianæ redundare valeant, tibi auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c. Datum Avenione XII. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXX.

Ad Bertrandum epiſcopum Convenarum.

Facultatem ipſi tribuit recipiendi bona debita cardinalium collegio.

VEnerabili fratri BERTRANDO epiſcopo Convenarum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum per obitum bonæ memoriæ GUILLELMI epiſcopi Tuſculani S. R. E. cardinalis apud ſedem apoſtolicam defuncti, qui recipiendi quaſcumque pecuniarum ſummas collegio fratrum noſtrorum dictæ eccleſiæ cardinalium, ex quacumque cauſa & à quibuſcumque perſonis debitas plenam habebat à ſede prædicta poteſtatem, nonnulli prælati, & Eccleſiaſticæ ac ſæculares perſonæ, qui dicto collegio debitores exiſtunt non habeant ad quem pro prædictis recurrere valeant, & cui pro prædictis ſatisfaciant ut tenentur. Nos volentes eorum indemnitati per opportunæ providentiæ remedium ſalubriter providere, de tua circumſpectione quam in arduis per nos tibi commiſſis negotiis fidelem invenimus, & devotam, plenam in Domino fiduciam obtinentes, tibi recipiendi hujuſmodi pecuniarum ſummas dicto collegio debitas, ac unà cum venerabili fratre ARNOLDO archiepiſcopo Auxitano camerario noſtro prorogandi dictis perſonis quoſcumque terminos, & dilationes ipſis concedendi, ac illis qui propter retardationem debitæ ſolutionis ſententias aliquas incurriſſent, de abſolutionis beneficio providendi, donec ſuper præmiſſis aliter ordinandum duxerimus, plenam auctoritate apoſtolica concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Avenione X. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXXI.

Ad Carolum ducem Britanniæ.

Mittit ad eum Petrum de Turre.

DIlecto filio nobili viro CAROLO duci Britanniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum dilectum filium Petrum de Turre Lemovicenſis diœceſis noſtrum familiarem & ſervitorem armorum latorem præſentium, ſuper certis negotiis per eum nobilitati tuæ vivæ vocis oraculo exponendis, per nos plenarie informatum, ad tuam præſentiam deſtinemus, nobilitatem tuam hortamur attente quatenus, eumdem Petrum pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia benigne ſuſcipiens, eidem ſuper hiis quæ ipſe tibi pro parte noſtra retulerit fidem credulam dare velis. Datum Avenione X. calendas Julii anno nono.

In eodem modo, dilectæ in Chriſto filiæ JOHANNÆ duciſſæ Britanniæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

EPISTOLA CLXXXII.

Ad Guillelmum abbatem Salmurienſem.

Commendat ei Petrum de Turre.

DIlecto filio GUILLELMO abbati monaſterii (a) prope Salmurum Andegavenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

(a) Sancti Florentii honori conſecrati.

Cum nos dilectum filium Petrum de Turre Lemovicenſis dioceſis noſtrum familiarem ac ſervitorem armorum latorem præſentium, ſuper certis negotiis per eum dilecto filio nobili viro CAROLO duci, & dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri JOHANNÆ duciſſæ Britanniæ exponendis, per nos plenarie informatum ad ipſorum ducis & duciſſæ præſentiam deſtinemus, diſcretionem tuam hortamur attente, quatinus data per te credulitate ipſius Petri relatibus, eidem in hiis quæ tibi expoſuerit intendas efficaciter & aſſiſtas. Datum *ut ſupra*.

Similes litteræ factæ ſunt Andryno de Aera theſaurario comitatus noſtri Venayſini.

Littera de ſecuro conductu pro Petro de Turre familiare & ſerviente armorum noſtro miſſo ad certas partes Britanniæ, pro quibuſdam negotiis per nos ſibi commiſſis, &c. ut in forma. Datum Avenione X. calendas Julii anno nono.

Similis facta eſt pro dilecto filio Anduyno de Aera theſaurario comitatus noſtri Venayſini miſſo ad certas partes Britanniæ pro certis negotiis per nos ſibi commiſſis, &c. ut in forma. Datum *ut ſupra*.

EPISTOLA CLXXXIII.

Excommunicationis & ſuſpenſionis ſententias in capitulum Valentinenſe latas relaxat.

AD futuram rei memoriam.

Petitio pro parte dilectorum filiorum capituli eccleſiæ Valentinenſis provinciæ Terraconenſis ac ſingularium canonicorum & perſonarum ipſius capituli nobis exhibita continebat, quod cum nos dudum diſpoſitionem bonorum mobilium ac debitorum & creditorum, quæ bonæ memoriæ SANCTIUS epiſcopus Segobricenſis tempore ſui obitus haberet, vel pertineret quomodolibet ad eumdem, nobis reſervandum ex certis cauſis rationabilibus duxiſſemus, & venerabili fratri noſtro HELIÆ epiſcopo Segobricenſi dediſſemus per noſtras certi tenoris

litteras in mandatis, ut certos fructus in quibus bonæ memoriæ Hugo episcopus Valentinensis, & dicti capitulum præfato Sanctio episcopo Segobricensi per tres diffinitivas sententias in causa seu causis quæ interdictum Hugonem & nonnullos prædecessores suos episcopos Valentinenses & dictos capitulum ex una parte & præfatum Sanctium & nonnullos prædecessores ejusdem episcopos Segobricenses, & dilectos filios capitula Segobricensis, & Albaresinæ ecclesiarum canonice invicem unitarum super de Altaponte & de Aras ac nonnullis aliis ecclesiis in causa seu causis ipsis expressis, quas quilibet dictorum episcoporum & capitulorum ad se spectare & de diocesi sua existere asserebant, & earum occasione ex altera vertebantur, pro dictis episcopis Segobricensibus & capitulis Segobricensi & de Albarezino ecclesiarum prædictarum perlatas, quæ in rem judicatam transierant, solvendis & restituendis eidem Sanctio episcopo inter alia condemnati fuerant, & vigore condemnationis hujusmodi dicto Sanctio tempore sui obitus debebantur, à venerabili fratre nostro Vitale episcopo Valentinensi dicti Hugonis episcopi successore, ac dictis capitulo Valentinensi, eisdem fructibus per eumdem Heliam episcopum præhabita debita moderatione taxatis, per se vel alium seu alios petere, exigere, ac recipere cum integritate curaret, contradictores auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, prout in eisdem nostris litteris plenius continetur. Idem Helias episcopus & alii ab eo in hac parte subdelegati mandatum nostrum hujusmodi exequentes, in eosdem capitulum Valentinense suspensionis ac in canonicos & singulares personas ipsius capituli Valentinensis occasione dictorum fructuum excommunicationis sententiam promulgarunt. Quare pro parte dictorum capituli Valentinensis & canonicorum & singularium personarum ipsius nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus cum ex hujusmodi suspensionis & excommunicationis sententiis cultus divinus in eadem Valentinensi Ecclesia & devotio populi minuatur, & cedat in eorumdem supplicantium detrimentum non modicum, & periculum animarum, dictas suspensionis suspendere & excommunicationis sententias relaxare usque ad certum tempus de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur petitioni eorumdem supplicantium inclinati easdem suspensionis suspendimus & excommunicationis sententias usque ad festum Purificationis B. Mariæ proxime futurum tenore præsentium relaxamus, eosdem canonicos & singulares personas dicti capituli Valentinensis à prædictis excommunicationis sententiis absolventes. Volumus tamen quod idem capitulum Valentinense, ac canonici & singulares personæ ipsius, prout ipsos & quemlibet eorum continget, si infra dictum festum de præmissis fructibus cameræ nostræ satisfacere aut cum camerario & thesaurario nostris componere non curarint, ipso facto in dictas excommunicationis & præfatum capitulum Valentinense in suspensionis sententias relabantur. Nulli ergo, &c. Datum Avenione VI. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXXIV.

Ad Carolum imperatorem Romanorum.

Defuncto episcopo Vicentino, quem ad ipsum direxerat, tractaturum cum ipso de negotio Bononiensi, alios ad ipsum mittendos pro eodem negotio destinasse; sed Bernabovem verbis suis non stetisse, quapropter rogat ut vires suas in tam perfidum & infidelem hominem exerat.

Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto ac Bohemiæ regi illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem ut, quantum in nobis erat, Bononiense negotium finem pacificum sortiretur, bonæ memoriæ Ægidium episcopum Vincentinum apostolicæ sedis nuntium, virum utique tam vita probatum ac moribus, quam multa providentia circumspectum, de compromittendo in tuam ac carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Ungariæ illustris excellentiam super controversia quæ jamdudum super vicariatu nostræ & Romanæ Ecclesiæ civitatis Bononiensis inter nos & Bernabovem de Vice-comitibus militem Mediolanensem est exorta, plena per nos potestate suffultum, & super nonnullis aliis serenitati tuæ pro parte nostra vivæ vocis oraculo exponendis, plenarie informatum ad tuam duxeramus præsentiam destinandum, sed ecce dum idem episcopus jam dictis aliquibus versus serenitatem ipsam dirigeret tam sollicite quam fideliter gressus suos, in ipsa cœpti prosecutione itineris, sicut Domino placuit, suum diem clausit extremum; quod eo magis amaricat mentem nostram, quo nos episcopum eumdem habebamus dum viveret suis exigentibus meritis cariorem. Cogitabamus equidem, audito casu, personam aliam solemnem pro conditione prioris ad præfatam tuam destinare præsentiam; sed tamen propter præsentem pestem, quæ tam Romanam curiam, quam vicinas partes sine ulla exceptione sexus, ætatis, aut status invasit, tum propter absentiam plurimorum tam prælatorum, quam aliorum qui hujusmodi morbi contagium formidantes, sese à dicta curia absentarunt, tum etiam quod personæ illæ, quas præsentes habemus, hanc periculosam pestilentiam exhorrentes, iter hujusmodi arripere & labores corporeos subire vererentur. Propterea ad præsens cum negotium celeritatem requirat, personam destinare statu & dignitate idoneam, prout nostris inhærebat affectibus, non possemus, propter quod ut saltem quoad fieri possit colligere valeas mentem nostram, nonnullas nostras litteras tam tuæ excellentiæ, quam nonnullis prælatis & nobilibus collateralibus tuis per eumdem episcopum, nisi destinatum iter mors sæva intercepisset, fideliter præsentandas, tibi destinandas providimus per dilectos

filios Augustinum de Brisaco ordinis fratrum A Eremitarum sancti Augustini & procuratorem generalem fratrum ordinis eorumdem, qui se se cum præfato episcopo ad partes Alamanniæ conferebat, & Johannem de Roma familiarem & ostiarium nostrum, ut litteræ ipsæ per eos, vel eorum alterum, si forte, quod absit, alterum ex ipsis casus aliquis impediret tuæ magnificentiæ præsententur; verum ex nonnullis litteris tam nobis, quam venerabili fratri REGINALDO episcopo Æduensi thesaurario nostro pridem transmissis, quarum copias nostris interclusas B litteris, tibi per dilectum filium Nicolaum scholasticum Pragensem nuper transmisimus, colligere poteris evidenter subdolam præfati Bernabovis nequitiam, & pertinacem malignatoris insaniam, qui salutis suæ pariter & honoris oblitus, negare quæ sponte obtulerat, & nobis ac sedi apostolicæ & tibi, immo & Deo potius in animæ suæ periculum illudere non veretur. Quocirca præfatam serenitatem tuam plenis rogamus affectibus, & attentius deprecamur; quatenus juxta tuæ excellentiæ decentiam, cau- C sam sanctæ matris ecclesiæ tuam reputans, ut laudabiliter incepisti adversus tam pertinacem malignatorem & temerarium præsumptorem, tuæ exeras brachium potestatis, ut transeat cæteris in exemplum, ne sub tuo imperio constituti contra Ecclesiam ipsam matrem Christi fidelium omnium caput erigere, & talia tentare de cetero audeant vel præsumant. Postremo hoc unum non ducimus obmittendum quod in casu, quod dictus Bernabos ad cor rediens, & culpam sui reatus agnoscens, tuo super dicta contro- D versia arbitrio stare vellet, & id evidenti effectu operis demonstrare hoc ipsum nobis præfata tua serenitas cum celeritate rescribat. Nos enim plena de magnitudine tua sumta fiducia sperantes indubie, quod nostrum & præfatæ Ecclesiæ honorem ac conservationem nostrorum & ejusdem Ecclesiæ jurium filialis prosequeris caritatis affectu, parati sumus in eo casu ea facere, quæ honestas suaserit, & quæ ad honorem nostrum & dictæ Ecclesiæ ac tuum beneplacitum noverimus pertinere; prout excellen- E tiam tuam de præmissis præfatus Augustinus poterit vivæ vocis oraculo latius informare. Datum Avenione v. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXXV.

Ad Rodulfum ducem Austriæ.

Defuncto Vicentino episcopo, quem ad sopiendas discordias, quæ ipsum inter & imperatorem F *versabantur, direxerat; alium ejusdem meriti propter grassantem pestem mittere se non posse, interim eum hortatur ad pacem.*

DIlecto filio nobili viro RODULFO duci Austriæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem ad nostram audientiam fide digna nonnullorum relatione perducto, qualiter faciente hoste humani generis, nonnulla inter carissimum in Christo filium nostrum CAROLUM Romanorum imperatorem semper augustum ac Bohemiæ regem illustrem & te fuerat discussionis materia suscitata. Nos de hujusmodi discordia eo magis amaricati intrinsecus, quo nos imperatorem eumdem, & personam tuam amplius gerimus in visceribus caritatis, bonæ memoriæ Ægidium episcopum Vincentinum duximus ad ipsius imperatoris & tuæ nobilitatis præsentiam pro dicta inter vos sopienda discordia, tamquam pacis angelum cum nostræ exhortationis litteris destinandum. Sed ecce dum jam dietis aliquibus idem episcopus versus vos dirigeret tam sollicite quam fideliter gressus suos, in ipsa Christi prosecutione itineris, sicut Domino placuit, suum diem clausit extremum, quod eo magis amaricat mentem nostram, quo nos episcopum eumdem habebamus, dum viveret, suis exigentibus meritis cariorem. Ut autem saltem nostræ mentis desiderium eidem nobilitati tuæ ex nostris litteris innotescat, cum propter præsentem pestem quæ Romanam curiam ac partes eidem vicinas absque ulla exceptione sexus, ætatis aut status invasit, tum propter plurimorum tam prælatorum quam aliorum absentiam, ac etiam quia personæ illæ quas præsentes habemus, pro hujusmodi morbi contagio corporeos labores subire formidant, personam statu & dignitate eidem episcopo respondentem destinare ad tuam præsentiam, prout nostris inhærebat affectibus, non possumus; litteras ipsas quas tibi per episcopum præfatum destinandas provideramus per dilectos filios Augustinum de Brisaco ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini ac eorumdem fratrum & ordinis procuratorem generalem & Johannem de Roma familiarem & ostiarium nostrum, vel eorum alterum duximus destinandas, nobilitatem tuam rogantes attente, & plenis in Domino desideriis obsecrantes; quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia & communis commodi ratione paternis nostris exhortationibus & salutaribus consiliis acquiescens, animum tuum ad habendam cum præfato imperatore concordiam adeo benignus inclines, quod apud Deum crescas meritis apud nos & sedem apostolicam, ac Christi fidelium populos pacifici principis præconia merearis. Datum Avenione v. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXXVI.

Ad Petrum Domaudi.

Ut Philippi archiepiscopi Burdegalensis defuncti sibi reservata bona colligat.

DIlecto filio Petro Domaudi archidiacono apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis causis rationabilibus dispositionem bonorum omnium mobilium ac debitorum bonæ memoriæ PHILIPPI archiepiscopi

Burdegalensis, nuper extra Romanam curiam defuncti, quæ tempore sui obitus haberet, vel pertinerent quomodolibet ad eumdem, nec non fructus, reditus & proventus, qui Burdegalensi Ecclesia vacante obvenirent, & obvenire poterant, ad mensam archiepiscopalem dictæ ecclesiæ spectantes & spectare debentes, nobis adhuc eodem archiepiscopo vivente duximus reservandam, & decrevimus ex tunc irritum & inane, si secus super iis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus tu per te vel alium seu alios fide & facultatibus idoneos bona debita & credita, ac fructus, reditus & proventus hujusmodi, quæcumque sint, & in quibuscumque rebus existant, & per quoscumque detineantur, seu etiam debeantur, & ubicumque intra tuæ collectoriæ terminos fuerint & consistant, de quibus, si necesse fuerit, summarie, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, vocatis quos vocandos noveris, & plenarie informes, petere, exigere, & recipere ac tibi tradi & assignari facere cum integritate procures. Contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis extiterint, etiamsi pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, nonobstantibus si hujusmodi bona debita & credita, fructus, & reditus, & proventus, seu aliqua ex illis ex privilegio, statuto aut alias aliquibus forsitan debeantur, nec non felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis ad judicium evocetur, seu ne judices à sede deputati præfata extra civitatem & diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultram unam dietam à fine diocesis eorumdem trahere præsumant, & de duobus in concilio generali & aliis quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ tuæ possent in hac parte jurisdictioni & potestati, eorumque & cujuslibet ipsorum seu alicujus ex illis libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet exemtionibus, privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus & executio præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri; & de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in præsentibus de verbo ad verbum mentio specialis. Nos enim tibi absolvendi, & quittandi plene & libere omnes & singulos eos à quibus hujusmodi bona debita & credita, fructus, reditus & proventus, vel aliqua ex illis receperitis, de hiis dumtaxat quæ ab iis te recipere continget, nec non ipsorum quorumcumque officialium & receptorum dicti episcopi rationes & computa audiendi, impugnandi, ac residua recipiendi, & ipsos ab hiis absolvendi, dicto nomine plenam & liberam concedimus eadem auctoritate tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod de omnibus & singulis quæ ratione præmissorum tibi tradentur & assignabuntur, persolventur & dabuntur, & etiam de hujusmodi quittationibus, solutionibus, & liberationibus, duo consimilia per manum publicam inventaria confici facias, quorum unum ad dictam transmittas cameram, reliquo penes te reservato; quodque omnia quæ receperis in præmissis, ad dictam cameram cum cautela & diligentiæ studio quantocius poteris, mittere non postponas: te in præmissis taliter habiturus, quod apud nos & dictam sedem de adhibitæ diligentiæ studio non immerito valeas commendari. Datum Avenione III. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXXVII.

Ad Guillelmum Gilberti canonicum Narbonensem &c.

Ejusdem argumenti.

Dilectis filiis Guillelmo Gilberti canonico Narbonensi apostolicæ sedis nuncio & ejus subcollectoribus in Magalonensi & Agatensi diocesi deputatis, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis causis rationabilibus dispositionem bonorum omnium mobilium ac debitorum bonæ memoriæ PHILIPPI archiepiscopi Burdegalensis nuper extra Romanam curiam defuncti quæ tempore sui obitus haberet, &c. *ut supra in proxima usque in finem, mutatis mutandis.* Datum *ut supra.*

In eodem modo, venerabili fratri PETRO episcopo Petragoricensi apostolicæ sedis nuncio, *mutatis mutandis.*

In eodem modo, dilecto filio HELIÆ abbati monasterii S. Salvatoris de Blavia Burdegalensis diocesis apostolicæ sedis nuncio salutem, &c. *mutatis, &c.*

EPISTOLA CLXXXVIII.

Ad archiepiscopum Cantuariensem, episcopum Oxoniensem & abbatem Cluniacensem.

Ut possint dispensare cum Eduardo Eduardi regis Angliæ primogenito & Johanna comitissa Cantiæ, qui matrimonium contraxerant in prohibito consanguinitatis gradu.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi, ac episcopo Exoniensi, & di-

lecto filio abbati Monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri EDUARDI de Wodestock principis Walliæ, ac carissimi in Christo filii nostri EDUARDI regis Angliæ illustris primogeniti, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris JOHANNÆ comitissæ Cantiæ petitio continebat, quod olim ipsi non ignorantes quod in gradu prohibito ad matrimonium insimul contrahendum sibi invicem attinebant, sed penitus ignari quod EDUARDUS primogenitus tertio & JOHANNA prædicti secundo dumtaxat gradibus à communi stipite distarent, ac etiam tunc immemores, quod aliqua inter eos compaternitas contracta fuisset, pro consolidatione regii solii, à quo etiam dicta JOHANNA ducit originem, de bono statu regni & mutuæ inter eorum communes consanguineos & amicos dilectos, augmento non in contemtum clavium, sed sub specie gratiæ & dispensationis apostolicæ misericorditer obtinendæ matrimonium per verba de præsenti invicem contraxerunt. Cum autem postmodum, sicut eadem petitio subjungebat, ad ipsorum EDUARDI primogeniti & JOHANNÆ notitiam sit deductum, quod ipsi tertio consanguinitatis gradu, prout ex præmissis colligitur, invicem sunt conjuncti, & etiam meminerint, quod olim dum quædam filia dictæ JOHANNÆ de sacro fonte levaretur, dictus primogenitus tunc ibi præsens dixerat quod ipse cum illis, qui dictam filiam levaverunt ipsius JOHANNÆ compater esse volebat, licet non recordetur, quod ipse dictam filiam vel aliquos ejus panniculos tetigerit, & propter præmissa nequeant in dicto matrimonio licite remanere, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Fuit nobis pro parte regis, ac primogeniti, & Johannæ prædictorum humiliter supplicatum, ut cum ex approbatione dicti matrimonii multa bona sperentur, auctore Domino, & ex contrario multa possent scandala exoriri, providere ipsis EDUARDO primogenito & JOHANNÆ super hiis de opportunis absolutionis ab excommunicationis sententia, & remissionis & relaxationis pœnarum, quas propter præmissa incurrisse noscuntur, beneficio & dispensationis gratia misericorditer dignaremur. Nos itaque qui animarum periculis libenter occurrimus, & inter Christi fideles præsertim principes & magnates quietis & pacis commoda ferventer appetimus, & quantum cum Deo possumus scandala præcavemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus; quatenus vos vel duo aut unus vestrum prædictos EDUARDUM primogenitum & JOHANNAM, si hoc humiliter petierint, ipsis prius juxta formam sanctionis canonicæ separatis ab invicem, prout vobis videbitur expedire, auctoritate nostra ab eadem excommunicationis sententia juxta formam Ecclesiæ absolvatis, eisque pœnas hujusmodi remittatis, & etiam relaxetis: injuncta eis pœnitentia, quam saluti animarum suarum videritis expedire, & aliis quæ de jure fuerint injungendæ, & inter cetera sub debito juramenti præstandi, quod ipsi de cetero similia non committant, nec committentibus præbeant auxilium, consilium vel favorem, & quod infra unum annum duas capellas, quarum quælibet de viginti annuis marchis argenti dotandas habeant per eosdem dotetur, construere seu construi facere, & fundare; & deinde, si consideratis præmissis & aliis quæ in tanto negotio consideranda fuerint, vobis videatur expediens, quod hujusmodi sit dispensatio concedenda cum eisdem EDUARDO primogenito & JOHANNA, ut impedimenta quæ ex dictis consanguinitate, & compaternitate proveniunt, nequaquam obstantibus, matrimonium insimul de novo contrahere, & in eo postquam contractum fuerit licite remanere valeant, eadem auctoritate dispensetis. Prolem ex ipso suscipiendam matrimonio legitimam decernendo. Datum Avenione 11. calendas Julii anno nono.

EPISTOLA CLXXXIX.

Ad Johannem Delphinum ducem, consilium & commune Venetorum.

Petit ab eis mutuo quadraginta florenorum millia ad subveniendum expensis belli adversus Bernabovem.

Dilectis filiis nobili viro JOHANNI DELPHINO duci, consilio & communi Venetorum, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum pro defensione ac conservatione nostrorum & Romanæ Ecclesiæ terrarum & jurium in Italiæ partibus consistentium, & præcipue civitatis nostræ Bononiensis, quam Bernabovis de Vice-comitibus militis Mediolanensis temeraria admodum & in malum obstinata nequitia, Dei timore postposito, invadere, opprimere, & impugnare hostiliter non veretur, nec non pro tuitione quietis & pacis Romanæ curiæ & partium vicinarum, quas quidem quietem & pacem nonnulli iniquitatis filii partes ipsas hostiliter discurrentes, perturbare multipliciter conabantur, subire nos oportuerit, & adhuc pro dictorum civitatis & terrarum in dictis Italiæ partibus consistentium subire oporteat gravia onera expensarum, quibus faciente temporum malitia & ipsarum expensarum voragine, camera nostra pro negotiorum gravitate, commode respondere non valet præsentialiter, ut solebat. Nos devotionem quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam attendentes ac propterea sperantes, vos tamquam benedictionis filios nobis & sedi apostolicæ, pro hujusmodi defensione contra dicti Bernabovis malitiam fiendam, de aliqua quantitate pecuniæ ratione mutui subvenire: universitatem vestram attentius deprecamur; quatenus devotionem ipsam obsequiorum efficacia propensius ostendentes, nobis & sedi præfatæ saltem de mutuo XL. millium florenorum auri subvenire velitis pro hujusmodi, vel alia summa de qua

nobis & dictæ sedi serviendum duxeritis: cautiones recipientes idoneas, & dilecto filio GUILLELMO abbati monasterii sancti Germani Autissiodorensis, cui nostro & dictæ Ecclesiæ nomine recipiendi mutuum, ac propterea quæcumque civitates, castra, terras, & loca, reditus, proventus, jurisdictiones, jura & bona nostra & ipsius Ecclesiæ ubicumque infra Italiam consistant obligandi, & impignorandi, tradendi ac assignandi, plenam auctoritate apostolica concessimus per alias nostras litteras potestatem, abbatem eumdem propter hoc ad vestram præsentiam destinantes: cui super iis quæ ipse vobis pro parte nostra retulerit, dare velit vestra discretio plenam fidem. Datum Avenione VI. nonas Julii anno nono.

EPISTOLA CXC.

Ad Johannem Marchionem Montis-ferrati.

Ut defensioni civitatis Bononiensis invigilet.

DIlecto filio nobili viro JOHANNI Marchioni Montis-ferrati, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper ad præsentiam nostram de partibus Italiæ rediens dilectus filius GUILLELMUS abbas monasterii sancti Germani Antissiodorensis nobis, quod displicenter intelleximus, dispositionem ac statum nostræ & Romanæ Ecclesiæ civitatis Bononiensis exposuit gravioribus quam hactenus periculis subjacere, & præcipue ex defectu victualium, de quibus quamdiu exercitus Bernabovis de Vicecomitibus militis Mediolanensis territorium ipsius civitatis invadet, prout de præsenti invadit, eidem civitati minime poterit provideri: propter quod circa defensionem civitatis ejusdem adversus hujusmodi hostis pertinaciam eo est favorabilius intendendum, quo civitatis ipsius conditio favoris & auxilii plus requirit. Nobilitatem itaque tuam debitæ sollicitudinis studio excitantes, attentius rogamus & hortamur eamdem, quatenus juxta conventiones inter nos & te, & dilectum filium nobilem virum SIMONEM BUCCANIGRUM ducem, & commune Januense dudum habitas, societates illas gentis armigeræ, quas tecum de ipsis partibus, adduxisti ad dictum territorium pro defensione ac liberatione præfatæ civitatis quantocius cures adducere, vel illuc sub alio conductore, de quo tibi videbitur, sublato moræ dispendio, destinare. Et quia tempus servitii per dictas societates præstandi jam finitum est, aut finietur in brevi, præsens negotiorum conditio armigeræ gentis servitia adhuc pro tempore ulteriori requirat: propterea juxta conventiones easdem præfatæ gentis societates usque ad illud tempus volumus per te de novo conduci. Confidimus equidem in eo qui est summus æterni concilii, specula cuncta prospiciens, manum subtrahit; & illam porrigit adjutricem, quod hujusmodi in ejus virtute assumto negotio felices dabit exitus & votivos. Datum Avinione

A VI. nonas Julii anno nono.

EPISTOLA CXCI.

Ad Simonem Buccanigrum ducem & consilium Januense.

Ut Johannem marchionem Montisferrati inducant ad ferendum promtum civitati Bononiensi auxilium.

B DIlectis filiis SIMONI BUCCANIGRO duci & consilio Januensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Per alias nostras litteras dispositionem nostræ Romanæ Ecclesiæ civitatis Bononiensis discretioni vestræ meminimus intimasse. Noviter autem rediens de Italiæ partibus ad nostram præsentiam dilectus filius GUILLELMUS abbas sancti Germani Autissiodorensis, nobis, quod displicenter audivimus, exposuit diligenter sta-

C tum civitatis ejusdem adeo interius processisse, & præcipue ex defectu victualium, quod quamdiu exercitus Bernabovis de Vicecomitibus militis Mediolanensis territorium ipsius civitatis invadet, eidem civitati de dictis victualibus subveniri aut provideri non potest: propter quod circa defensionem civitatis ejusdem ab hujusmodi hostili impugnatione eo est favorabilius intendendum, quo civitatis ejus conditio favoris & auxilii plus requirit. Discretionem itaque vestram rogamus attentius & hortamur, quatinus dilectum filium nobilem virum JOHANNEM marchionem Montis-ferrati per vestros

D speciales litteras & nuncios reddere curetis sollicitum & attentum, quod juxta conventiones inter nos ac vos & ipsum habitas, societates illas gentis armigeræ, quam de istis partibus secum duxit ad dictum territorium pro liberatione ac defensione præfatæ civitatis, secum adducere, vel sub alio conductore destinare quantocius non omittat, ac cum tempus dictarum servitii societatum jam terminatum sit, seu breviter terminandum, societates easdem usque ad aliud tempus de novo conducat. Ceterum

E cum nos pro habendo aliquo subsidio mutui usque ad summam XL. millium florenorum auri à dilectis filiis nobili viro JOHANNE DELPHINO duce ac consilio & communi Venetorum abbatem prædictum ad eosdem ducem consilium & commune cum nostris litteris destinemus, discretionem vestram rogamus attente, quatenus eos ad subveniendum nobis & Romanæ Ecclesiæ de hujusmodi mutuo per speciales nuncios efficaciter inducatis: præcipue dilectum

F filium LEONARDUM DE MONTE-ALTO ad eosdem ducem, consilium, & commune quoad citius fieri valeat transmittentes, ut exinde major sequatur Bernabovis confusio, quo per nostros & Romanæ Ecclesiæ devotos & filios plura nobis accumulata fuerint subsidia & favores. Super præmissis autem dicto abbati dabit eadem vestra discretio plenam fidem. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CXCI.

Ad Guillelmum abbatem sancti Germani Autissiodorensis.

Facultatem ei tribuit mutuum contrahendi nomine sedis apostolicæ.

DIlecto filio GUILLELMO abbati Monasterii sancti Germani Autissiodorensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum te pro aliquibus nostris & Romanæ Ecclesiæ arduis negotiis ad certas partes Italiæ destinemus: nos ut negotia ipsa felicius ac facilius per te valeant juxta nostrum desiderium terminari, de tuæ circumspectionis industria fiduciam gerentes in Domino singularem, tibi nostro & dictæ Ecclesiæ nomine, mutua contrahendi usque ad illam summam de qua tibi videbitur, ac propterea quæcumque civitates, C castra, arces, terras, & loca, redditus & proventus, jurisdictiones, jura & bona Ecclesiæ supradictæ ubicumque infra dictam Italiam consistant, quibuscumque principibus, comitibus, baronibus, nobilibus & aliis singularibus personis ac communitatibus, universitatibus, societatibus & collegiis pro quibusvis pecuniarum summis ac subsidiis, & auxiliis ac rebus aliis obligandi, impignorandi, assignandi & tradendi usque ad terminos seu tempora ac cum pactis promissionibus, conventionibus & cautelis, de D quibus tibi videbitur expedire, auctoritate apostolica plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Datum Avenione VI. nonas Julii anno nono.

EPISTOLA CXCIV.

Ad Johannem Marchionem Montis-ferrati.

De victoria in hostes ecclesiæ à Bononiensibus reportata.

POst alias litteras quas nobilitati tuæ duximus dirigendas, conditionem ac statum E nostræ & Romanæ Ecclesiæ civitatis Bononiensis in eisdem litteris plenius explicantes, noviter quod ad gaudium tibi significamus accepimus, qualiter nonnullæ gentes armigeræ sub ducatu dilectorum nobilium virorum GALEOTI & A. MALATESTÆ, UNGARI DE MALATESTIS, PETRI DE FARNESIO militum, secretæ noctis profundo silentio civitatem eamdem ignorantibus hostibus intraverunt, ac deinde per totam noctem refocillatis quietis beneficio personis & F equis eorum usque mane, circa horam tertiarum cum plurimis peditibus de populo Bononiensi egressi civitatem præfatam, in hostes qui castrametabantur juxta civitatem ipsam per quatuor milliaria vel circa, in loco qui dicitur sancti Roffuli, strenue & viriliter irruerunt, ibique per duas pene horas, durante congressu, hostes ipsos penitus conflixerunt. Ex quibus plurimi occisi & capti, & rapta spolia plurima extite-

A runt: ex quibus summo Deo gratias agentes, nobilitatem tuam ad prosequenda celeriter ea quæ tibi in dictis litteris plenius exponenda duximus, eo attentius excitamus, quocirca Bononiense negotium felicioribus via successibus aperitur. Datum Avenione III. nonas Julii anno nono.

EPISTOLA CXCIII.

B Ad regimen, consilium & commune Perusii.

De victoria in Bernabovem reportata, & ut Ægidio Sabinensi episcopo auxilium ferant.

DIlectis filiis, regiminibus, consilio & communi Perusinensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad vestram, prout credimus, notitiam de propinquo, priusquam ad vos præsentes perveniant, gratus rumor adduxerit, qualiter illo faciente in cujus virtute Bononiense negotium agimus, nostræ & Romanæ Ecclesiæ gentes armigeræ sub ducatu nonnullorum nobilium & strenuorum virorum gentes armigeras Bernabovis de Vice-comitibus militis Mediolanensis prope civitatem Bononiensem hostiliter consistentes, strenua victoria superarunt. Quod eo vos jucundioribus animis credimus percepisse, quo ad nos & sedem apostolicam devotionem geritis ampliorem. Cum itaque pro salute nostrorum & dictæ Ecclesiæ subditorum civium Bononiensium circa negotium ipsum felicioribus aperiatur via successibus, ut videtis, universitatem vestram rogamus attentius & hortamur, quatinus diligenter considerantes quam minus tuti juxta viperam dormiretis, si, quod absit, prout aberit, ut speramus, præsumtor ille suum desiderium obtineret, pro nostra & sedis apostolicæ reverentia, devotionem ipsam efficacium operum venerabili fratri nostro Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato circa defensionem dictæ civitatis vestris auxiliis & favoribus assistatis, ut exinde præter divinæ retributionis præmia sedes præfata ad annuendum votis vestris grata vicissitudine promtius inclinetur. Datum Avenione VII. Idus Julii anno nono.

In eodem modo, dilectis filiis regiminibus, consilio, & communi Senensi.

In eodem modo, dilectis filiis regiminibus, consilio, & communi Pisano, salutem, &c.

In eodem modo, dilectis filiis regiminibus, consilio, & communi Aretino, salutem, &c.



EPISTOLA CXCVIII.

Ad Thomesium rectorem civitatis Bononiensis.

Gratulatur ei de victoria in Bernabovem reportata.

Dilecto filio nobili viro THOMESIO militi civitatis Bononiensis pro nobis & Ecclesia Romana rectori, salutem, &c.

Placide admodum & gratanter multorum insinuatione didicimus, qualiter sub tuo & nonnullorum nobilium ducatu nostræ & Romanæ Ecclesiæ gentes armigeræ una cum pluribus civibus Bononiensibus contra nostros & ejusdem Ecclesiæ hostes civitati Bononiensi modico intervallo distantes, opportunitate captata, viriliter irruentes, habito cum illis non levi congressu, tandem eos plena victoria debellavere, de quo siquidem congressu, tua apud nos multipliciter strenuitas prædicatur. Nos itaque nobilitatem tuam plurimum in Domino commendantes, attente exhortamur eamdem, ut circa nostra & Romanæ Ecclesiæ tibi commissa negotia eo te magis sollicitum exhibeas & attentum, quo negotiis felicioribus via successibus apperitur. Confidimus namque in eo in cujus virtute assumtum per nos Bononiense negotium agitur, quod negotium ipsum votivo faciet exitu terminari. Datum Avenione VII. Idus Julii anno nono.

EPISTOLA CXCV.

Ad Malatestam de Malatestis.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro Malatestæ de Malatestis Unghero militi Ariminensi, salutem & apostolicam benedictionem.

In habita nuper contra nostros & Romanæ Ecclesiæ hostes prope civitatem Bononiensem felici congressu victoria, prout gratanter accepimus, tua te strenuitas laudabiliter exercuit, & sinceræ devotionis affectum, quem patris ac patrui tui imitando vestigia, ad nos, & Romanam geris Ecclesiam eamdem tuis demonstravit. Nos itaque exinde nobilitatem tuam multipliciter in Domino commendantes, te ad prosequendum circa nostra & dictæ Ecclesiæ negotia strenue ac fideliter ut cœpisti, paternis exhortamur affectibus, licet nobilitatem ipsam hujusmodi indigere exhortationibus non credamus, ut per hoc apud Deum crescas meritis, & apud nos & sedem apostolicam uberioribus continuo laudum præconiis extollaris. Datum *ut supra.*

EPISTOLA CXCVI.

Ad Florentinos.

Hortatur ut suis faveant viribus Ecclesiæ Romanæ in negotio Bononiensi.

Dilectis filiis ... prioribus Artium & vexillifero justitiæ, consilio & communi Florentinensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Felicem congressum nuper per nostras & Romanæ Ecclesiæ gentes armigeras contra nostros & ejusdem Ecclesiæ hostes prope civitatem Bononiensem hostiliter consistentes habitum, & hostes ipsos per gentes easdem strenua victoria superatos, eo, ut credimus, gratis de propinquo rumoribus jocundioribus animis percepistis, quo nostrum & dictæ Ecclesiæ honorem ac statum, subditorum nostrorum quietem & pacem desiderio cupitis ampliori. Dum enim devotionem vestram, quam ad nos & ad sedem apostolicam geritis, in vos à vestris progenitoribus derivatam diligenter attendimus, successus prosperos circa nostra & præfatæ Ecclesiæ negotia vos optare nullatenus dubitamus: propter quod vos ad præstanda nobis & eidem Ecclesiæ circa Bononiense negotium vestra auxilia & favores eo pleniori fiducia excitamus, quo negotium ipsum vestris ardentibus inhærere affectibus nullatenus dubitamus. Intelligimus equidem de longinquo corda vestra, & animos vestros inspicimus: desideratis proculdubio, ut sine ulla dubitatione tenemus, Romanam Ecclesiam adversus temerarium præsumtorem in hujusmodi assumto negotio pro suæ defensione justitiæ prævalere, & quam minus tuti juxta viperam dormiretis, si, quod absit, præsumtor ipse victoriam obtineret, debita, ut credimus, vobiscum sæpius meditatione pensatis. Ut quid non ergo devotionem vestram, prout generosos decet animos aperitis? Exurgite potius, & tamquam benedictionis & gratiæ filii causam vestræ matris assumite, & conceptus vestros efficaci, prout vestris inhæret affectibus, impensione operum demonstrate, ut per hoc civitati vestræ proveniat tranquilla securitas, & proinde nos & sedem præfatam ad compensandum grata vicissitudine hujusmodi per vos impendenda circa præfatum negotium favores & auxilia promtius animetis. Datum Avenione VII. Idus Julii anno nono.

EPISTOLA CXCVII.

Ad Bononienses.

Congratulatur eis de victoria in hostes ecclesiæ reportata.

Dilectis filiis regiminibus, consilio, populo, & communi civitatis Bononiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Placide admodum nuper ex diversarum serie litterarum nobis noviter de diversis partibus transmissarum didicimus, qualiter nonnullæ nostræ & Romanæ Ecclesiæ gentes armigeræ sub ducatu nonnullorum nobilium civitatem vestram sub noctis ingressæ silentio, ac parumper captata quiete, mane sequenti unà cum numerosa vestrorum civium comitiva campum hostium eidem civitati proximum egressæ, viriliter hostes ipsos strenua victoria debellarunt. Equidem, dilecti filii, apparuit in hoc ejus benignitas, cujus proculdubio negotium agitur, & qui secreto suo consilio nonnumquam manum suam

A suam subtrahit, & illam cum vult de æternæ suæ providentiæ specula porrigit adjutricem. Nos itaque illi in cujus virtute confidimus, ad gratiarum actiones humiliter assurgentes, ac probitatem & sinceræ fidei vestræ constantiam plurimum in Domino commendantes, sinceritatem eamdem ad constanter perseverandum, & circa defensionem vestram & dictæ civitatis viriliter intendendum, prout laudabiliter incœpistis, plenis affectibus exhortamur. Confidimus namque quod qui benigne nostris ac vestris huc usque adversus temerarii præsumtoris audaciam desideriis aspiravit, ea feliciori exitu terminabit. Nos quoque vestræ erga nos & præfatam Ecclesiam devotionis ac fidelitatis ardorem continuo diligentius attendentes, circa defensionem, ac statum, & quietem vestram paternis vobis compatientes affectibus, nostris & dictæ Ecclesiæ favoribus & auxiliis efficaciter intendemus. Datum Avenione VII. Idus Julii anno nono.

EPISTOLA CXCVIII.

Ad Galeotum de Malatestis.

Gratulatur ei de victoria per ipsum & cives Bononienses in hostes Ecclesiæ reportata.

Dilecto filio nobili viro Galeoto de Malatestis militi Ariminensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quod de persona tua, dilecte fili, fama laudabilis prædicabat, id tam strenue quam prudenter diebus proximis, prout gratanter accepimus, ostendisti. Sicut enim habet de diversis partibus fide digna insinuatio facta nobis, sub tuo & nonnullorum nobilium ducatu, certæ nostræ & Romanæ Ecclesiæ gentes armigeræ, una cum pluribus civibus Bononiensibus, opportunitate captata, in nostros & ejusdem Ecclesiæ hostes viriliter irruentes, habito cum illis non levi congressu, tandem eos plena victoria debellarunt, de quo siquidem congressu apud nos tua strenuitas multipliciter prædicatur. Nos itaque sinceritatem tuæ devotionis & fidei quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam plurimum in Domino commendantes, nobilitatem tuam attentius exhortamur, quatenus hujusmodi devotionis & fidei tuæ constantiam taliter tuæ sollicitudinis studio continuare procures, quod apud nos & sedem apostolicam ex accepto reddaris acceptior, & plenioribus laudum continuo præconiis extollaris. Datum Avenione VII. Idus Julii anno nono.



EPISTOLA CXCIX.

Ad Eduardum regem Anglorum.

Suspendit ad tempus nonnullos processus habitos per episcopum Eliensem, & alios per abbatem sancti Nicolai Andegavensis. Agitque de promotione Johannis Barre ad episcopatum Herefordiensem, & abbatis Cluniacensis ad Cardinalatum.

B Carissimo in Christo filio Eduardo regi Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Pridem ad nostram accedentes præsentiam certi tui ambassiatores, quos consideratione mittentis & eorum insuper multæ prudentiæ ac discretionis intuitu benigne suscepimus, plurima à nobis tuis ut percepimus grata conceptibus pro parte regia multa diligentia postularunt. Et primum, dum in Romana curia adhuc in humanis ageret bonæ memoriæ Thomas episcopus Eliensis, nobis humiliter supplicarunt, ut C omnes processus dudum in dicta curia habitos in causa quæ per eumdem episcopum contra nonnullos tam prælatos quam clericos & sæculares personas alias vertebatur, annulare, & excommunicationum sententias relaxare de apostolicæ sedis munificentia dignaremur. Ac deinde, eodem episcopo noviter in Romana curia defuncto, super eadem petitione apud nos præfati tui ambassiatores vehementius institerunt. Nos igitur tuis, quantum cum Deo poterimus, votis condescendere cupientes, omnes & D singulos processus ac interdicti in universitates, seu suspensionis in capitula suspendendas ac excommunicationis sententias in singulares personas propter dictam causam olim in præfata curia latas & habitas, seu quomodolibet promulgatas, & quæcumque inde secuta usque ad festum omnium sanctorum proxime futurum de benignitate apostolica duximus relaxandas. Sperantes interea cum tempus de tenendis consistoriis dabitur de persona idonea, & tibi quantum cum Deo poterimus grata, Eliensi ecclesiæ providere, ac tunc eadem ecclesia pastore suo prout E convenit reformata, de dictis processibus ac sententiis, prout secundum Deum poterimus, sine læsione justitiæ disponere auctore Domino intendimus, & finem ponere causæ prælibatæ. Credimus enim personam ipsam quam præfatæ ecclesiæ præfecerimus in episcopum & pastorem, ita per te benignitate regia pertractari, quod causa ipsa finem pacificum auctore Domino sortietur. Ulterius etiam iidem ambaxiatores apud nos pro parte F tua humiliter institerunt, ut certos processus dudum in dicta curia habitos, ad instantiam dilecti filii abbatis monasteri sancti Nicolai Andegavensis contra dilectos filios priorem & conventum de Spaldingge ordinis sancti Benedicti Lincolniensis diocesis tollere & annulare similiter dignaremus. Nos itaque modo simili, quantum cum Deo poterimus, votis regiis inclinati, omnes & singulos processus in præfata curia ad instantiam dicti abbatis contra priorem & conven-

tum præfatos habitos, seu quomodolibet promulgatos usque ad præfatum festum omnium sanctorum suspendendos, & excommunicationum sententias similiter duximus relaxandas; prout omnia latius vivæ vocis ministerio præfati tui ambassiatores exponere potuerint, & in nostris inde conficiendis litteris plenius videbit præfata regia serenitas contineri. Promotionem quoque dilecti filii magistri JOHANNIS BARRET coelecti Herefordiensis iidem ambassiatores nobis pro parte tua fecerunt humiliter commendatam. Nos vero causam hujusmodi coelectionis dilecto filio nostro ANDOYNO tituli SS. Johannis & Pauli presbytero cardinali duximus committendam, & quantum bono modo poterimus, absque læsione justitiæ, tuis curabimus desideriis complacere. Super promotione autem dilecti filii ANDROYNI abbatis monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis ad cardinalatus dignitatem, pro quo nobis præter hæc pro parte tua præfati ambaxiatores tam diligenti instantia, quam instanti diligentia supplicarunt, nihil certum, absentibus penè omnibus fratribus nostris Romanæ Ecclesiæ cardinalibus à præfata curia propter imminens horrendi ac pestiferi morbi contagium, respondere possumus de præsenti. Cum autem tempus idoneum ex negotiis disponendis advenerit, abbatem ipsum, cujus apud nos & sedem apostolicam multiplicia jamdudum merita claruerunt, tui consideratione & dictorum meritorum suorum intuitu, in suis promovendis honoribus habere intendimus commendatum, tuis in hoc annuere votis & complacere desideriis, quatenus de fratrum ipsorum consilio & assensu procedat, prout cum Deo poterimus cupientes. Datum Avenione VI. Idus Julii anno nono.

EPISTOLA CC.

Ad episcopum Ilerdensem.

Petit ab eo subsidium adversus hostes Ecclesiæ Romanæ in Italia grassantes.

VEnerabili fratri... episcopo Ilerdensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Sicut ad tuam & plurimorum Christi fidelium notitiam potuit rumor implacitus perduxisse, adeo nonnullorum malignorum tyrannorum in partibus Italiæ consistentium excrevit ambitio, ut nonnulla civitates, castra, terras, & loca ad nos & Romanam Ecclesiam in eisdem partibus immediate spectantia impugnare & opprimere ac invadere hostiliter minime vereantur. Cum itaque nos, prout ex debito pastoralis officii nobis incumbit, ad conservationem & defensionem dictorum civitatum, castrorum, terrarum & locorum, ac nostrorum & dictæ Ecclesiæ bonorum & jurium in eisdem partibus consistentium intenderimus hactenus, & intendere continuo usque ad felicem rei cœptæ exitum plenis desideriis cupiamus, & ad id pro negotiorum qualitate, prout expedit, favorabiliter prosequendum subire nos oportuerit & subire indesinenter nos oporteat gravia immo gravissima onera expensarum, quibus præsentialiter non sufficiunt juxta exigentiam agendorum cameræ nostræ facultates & vires, quas non parum imminuit attenuatio redituum ejus ex temporum causata malitia, & pene exhausit agendorum gravium multitudo. Hiis moti considerationibus, quibus non dubitamus vestros & ipsius Ecclesiæ devotos & filios commoveri, ad ipsorum devotorum & filiorum suffragia duximus recurrendum, propter quod una cum fratribus nostris deliberavimus, tuum quem prosperum statum & honorem nostrum & ipsius Ecclesiæ affectare cognoscimus, & aliorum locorum ordinariorum in præmissis subsidia implorare. Quocirca fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus eidem Ecclesiæ, quæ ad tuum & aliarum personarum Ecclesiasticarum statum prosperum & tranquillum intendere indefesse cura sollicitudinis non desistit, in præmissis pie compatiens, & ad illam ut ejus devotus filius & tamquam membrum capiti manum porrigens adjutricem; nobis de aliquo pecuniali subsidio juxta dictorum negotiorum exigentiam, ac tuorum redituum facultates, cures visis præsentibus omni mora postposita liberaliter subvenire: subsidium ipsum infra unum mensem à tempore receptionis præsentium ad dictam cameram transmissurus, seu illud nuncio collectori apostolico nominato per nos in illis partibus destinato tradas, liberes & assignes. Sic autem per efficacis impensionem operis te, prout speramus, habeas in præmissis, quod exinde apud nos & sedem apostolicam merito commendari valeat tuæ devotionis & obedientiæ promtitudo, & de alio providere remedio necessarium non existat. Datum Avenione IV. Idus Julii anno nono.

In eodem modo, venerabili fratri... episcopo Urgellensi, salutem & apostolicam benedictionem.

In eodem modo, venerabili fratri.... episcopo Vicentino, salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA CCI.

Ad Americum electum Wlteranum.

Gratias agit Deo de auxilio sibi divinitus præstito, hortaturque ut negotia ecclesiæ impigre exequatur.

DIlecto filio AMERICO electo Wlterani, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet prius fama prænuncia, & per plurimorum fide dignorum litteras perceperimus, qualiter adversus præsumtores & eorum salutis oblitos dextera illius, cujus proculdubio circa Bononiense negotium causa agebatur & agitur, se

A extendit, id tamen noviſſime tuarum litterarum inſpecta ſerie intelleximus diligenter. Nos itaque illi gratias agentes, qui Romanam Eccleſiam ſponſam ſuam in ſuorum jurium defenſione non deſerit, ei preces pias effundimus, ut hujuſmodi rei cœptæ negotium in animarum ſuorum fidelium ſalutem & honorem, ejuſdem Eccleſiæ ac ſubditorum ſuorum pacem & quietem, prout in eo confidimus, terminetur. Ceterum tuam circa commiſſa tibi per nos negotia diligentem prudentiam & prudentem diligentiam multipliciter in Domino commendantes, te ad proſequenda de cetero negotia ipſa quæ laudabiliter cœpiſti attentius animamus. Datum Avenione III. Idus Julii anno nono.

B

Dilecto filio nobili viro GOMESIO militi civitatis Bononienſis pro nobis & Eccleſia Romana Rectori, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Licet *ut in proxima*, *uſque* diligentiam, quibus quod gratanter accepimus non mediocri præconio ſtrenuitas militaris addicitur multipliciter in Domino commendantes, &c. *uſque in finem.*

C

EPISTOLA CCII.

Ad Petrum regem Portugalliæ.

Commendat ipſi Johannem de Cardailliaco archiepiſcopum Bracharenſem.

D

CAriſſimo in Chriſto filio PETRO regi Portugalliæ & Alocarbii illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum pridem venerabilem fratrem noſtrum GUILLELMUM Arelatenſem, tunc Bracharenſem archiepiſcopum à vinculo quo tenebatur eccleſiæ Bracharenſi, cui tunc præerat, abſolventes, ipſum ad Arelatenſem eccleſiam tunc certo modo vacantem duxiſſemus auctoritate apoſtolica transferendum: Nos deſiderantes ipſi eccleſiæ Bracharenſi perſonam ſecundum cor noſtrum idoneam præſidere, ac ad perſonam venerabilis fratris noſtri JOHANNIS DE CARDAILLIACO archiepiſcopi Bracharenſis tunc Aurienſis epiſcopi, quem tam ſcientiæ ac probitatis & multiplicium virtutum merita generiſque nobilitas nobis & ſedi apoſtolicæ multipliciter clarum reddunt, noſtræ mentis oculos dirigentes, ipſum à vinculo quo eccleſiæ Aurienſi, cui tunc præerat, tenebatur abſolvimus, eumque ad præfatam eccleſiam Bracharenſem eadem auctoritate duximus transferendum, præficiendo eum illi in archiepiſcopum & paſtorem: ſperantes indubie quod, dirigente Domino actus ſuos, Eccleſia ipſa votivis proficiet ſpiritualiter & temporaliter incrementis. Cum itaque idem archiepiſcopus commiſſum ei curæ paſtoralis officium impleturus, ad præfatam eccleſiam ſe ducat de beneplacito noſtro præſentialiter conferendum, noſque eumdem quem præmiſſorum intuitu benevolentia proſequimur ſpeciali, ſic per te cupiamus regia benivolentia ſuſcipi, & debita perſonis eccleſiaſticis ac prælatis præcipue infra regni tui limites conſiſtentibus honorificentia pertractari, ſerenitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatinus archiepiſcopum & eccleſiam memoratos, pro divinæ majeſtatis reverentia, noſtræque interventionis obtentu ac conſideratione regiæ dignitatis habere velis propenſe & efficaciter commendatos, ſic eidem archiepiſcopo ejuſque officialibus & miniſtris circa conſervationem & recuperationem jurium prædictæ eccleſiæ, quæ per nonnullos, prout nobis aſſeritur, indebite occupantur, tuis opportunis favoribus gratiſque intendens auxiliis & aſſiſtens, quod ipſe ſibi Dominici gregis cuſtodiam utiliter ac ſalubriter exequatur, & nos qui ex ſpeciali caritate qua ad præfatam eccleſiam afficimur, & affectu præcipuo quo archiepiſcopum ipſum proſequimur, id admodum gratum habebimus, regiæ magnificentiæ ad gratiarum merita teneamur. Datum Avenione III. Idus Julii anno nono.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro FERNANDO cariſſimi in Chriſto filii noſtri PETRI regis Portugalliæ illuſtris primogeniti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Cum pridem, &c. *ut in proxima*, *uſque* cupiamus debita perſonis eccleſiaſticis ac prælatis, præcipue infra regni Portugalliæ limites conſiſtentibus honorificentia pertractari. Nobilitatem tuam rogamus attentius & hortamur, &c. *uſque* obtentu habere velis, &c. *uſque in finem mutatis mutandis.*

In eodem modo, dilecto filio nobili viro FERNANDO GONDISALVI COGOMINHO militi, cariſſimi in Chriſto filii noſtri PETRI regis Portugalliæ illuſtris conſiliario, ſalutem, &c. *uſque* conferendum. Nobilitatem tuam rogamus attente, &c. *ut in proxima uſque in finem.* Datum *ut ſupra.*

E

EPISTOLA CCIII.

Ad Petrum regem Portugalliæ.

Recuſat approbare ejus cum Agnete de Caſtro matrimonium, ac legitimam ejus prolem declarare.

F

CAriſſimo in Chriſto filio PETRO regi Portugalliæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Nuper per certos ambaxiatores tuos, quos conſideratione mittentis, ac ipſorum providentiæ & diſcretionis intuitu, intelleximus diligenter inter cetera nobis tua ſerenitas devota inſtantia ſupplicavit, quod matrimonium dudum contractum inter te & AGNETEM natam quondam Petri de Caſtro, ſe tecum ex uno latere ſecundo, & ex alio latere tertio conſanguinitatis & quarto affinitatis gradibus contingentem,

sub prætextu seu confidentia cujusdam generalis dispensationis, olim per felicis recordationis JOHANNEM papam XXII. prædecessorem nostrum ad supplicationem claræ memoriæ ALFONSI regis Portugalliæ patris tui, pro te nato suo humiliter supplicantis, eidem factæ, declarare vigore hujusmodi dispensationis legitime fuisse contractum, & prolem ex ipso susceptam legitimam fuisse decernere, vel saltem prout facta nobis per eosdem ambaxiatores tuos petitio subjungebat, sobolem ex tua & dictæ AGNETIS copula ortam ad omne jus natalium plene habilem facere ac legitimare, ac si de jure dictum matrimonium tenuisset, vel de legitimo matrimonio orta esset soboles antedicta, de apostolicæ potestatis plenitudine dignaremur. Equidem, carissime fili, præmissis pro parte tua per dictos ambaxiatores plenius nobis expositis, attenta per nos meditatione pensatis, licet serenitati tuæ complacere & tuis condescendere votis quantum cum Deo possumus cupiamus: legitimis tamen moti causis, de ipso jure procedentibus, à quo deviare seu recedere non debemus, petitionem præmissæ declarationis non duximus admittendam. Quantum autem ad dispensationem seu legitimationem præfatæ susceptæ sobolis attinet, prout secunda petitio continebat, brevi duximus compendio respondendum, quod dispensationes seu legitimationes hujusmodi sedes apostolica concedere, nisi magnis & manifestis de causis quæ in hujusmodi petitionis serie non apparent, nec etiam allegantur, minime consuevit, signanter in præjudicium tertii, nisi tertius ipse hoc peteret, vel de ejus procedere consensu manifestius appareret, & præcipue cum de legitimatione quoad temporalia agitur pro personis illis, quæ non sunt de terris pertinentibus ad temporalem Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem. Si igitur, carissime fili, præfatas petitiones tuas ad exauditionis gratiam sedes apostolica non admisit, Serenitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus rogationibus nos digne moventibus, immo cogentibus in adversum attenta consideratione discussis, id mansuetudo regia moleste non ferat, cum nos licet immeritos ad pastoralis officii ministerium assumserit divina dignatio, non ut solvamus legem, sed ut illam Salvatoris nostri inhærentes doctrinæ & vestigiis potius impleamus. Datum Avenione Idus Julii anno nono.

LITTERÆ DE MENSE AUGUSTI ANNO NONO.

EPISTOLA CCIV.

Ad Johannem electum Urbevetanum.

Constituit eum in Urbe sedis apostolicæ vicarium in spiritualibus.

Dilecto filio JOHANNI electo Urbevetano nostro in spiritualibus in Urbe vicario, salutem & apostolicam benedictionem.

Etsi ad singulas partes orbis cunctosque po- A pulos quos Christianæ fidei cultura complectitur, ut prosperis successibus affluant, & in salutis semitam dirigantur, considerationis nostræ aciem, prout nobis apostolicæ servitutis indicit necessitas, sollicite extendamus: de Urbe tamen quam per sacram B. Petri sedem divina potentia constituit caput orbis, & in qua sedem nostri firmavit & statuit præsulatus, ac dilectis filiis ipsius Urbis populo propensior nos cura sollicitat, & de ipsorum statu spiritualiter & B temporaliter prospere dirigendo admonet singularis affectio instantius cogitare: ut qui nos in eorum patrem & dominum specialius recognoscunt, circa profectus eorum nostris nos sentiant studiis propensius intendisse. Cum itaque bonæ memoriæ PONTIUS episcopus Urbevetanus prædecessor tuus, qui in Urbe ipsa vicariatus pro nobis officio in spiritualibus fungebatur, viam sit universæ carnis ingressus: nos de circumspectione tua, quam in pluribus negotiis tibi commissis experti sumus utilem & fidelem, C plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in Urbe prædicta ejusque suburbiis & districtu vicarium nostrum in spiritualibus usque ad nostrum & apostolicæ sedis beneplacitum tenore præsentium deputamus, visitandi ecclesias, monasteria & loca ecclesiastica, sæcularia & regularia quorumcumque ordinum, non exemtorum, nec privilegiatorum, ac ipsorum & alias personas ecclesiasticas Urbis, suburbiorum & districtus prædictorum, cujuscumque status, gradus, D ordinis, vel conditionis existant, & reformandi quæ in eis reformationis ministerio noveris indigere, ac earum ac cujuslibet illarum excessus & crimina corrigendi & puniendi, & postquam munus consecrationis susceperis, conficiendi & conferendi ecclesiastica sacramenta, ecclesias dedicandi, ac eas & earum cimiteria reconciliandi, aliaque faciendi & exercendi, auctoritate nostra, quæ ad hujusmodi vicariatus officium pertinere noscuntur, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione E postposita compescendi, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis & expressa mentio sit habenda, seu si aliquibus communiter vel divisim sit à sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & ex- F pressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, facultatem tibi plenam & liberam concedentes. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus onus vicariatus hujusmodi devote suscipiens, sic illud prudenter & fideliter exequaris, quod inde commodum animarum, sicut optamus, Deo concedente, proveniat, tuque præter divinæ retributionis mercedem quam inde mereberis, nostram & apostolicæ sedis gratiam uberius consequaris. Datum Avenione XV. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCV.

Ad Johannem electum Urbevetanum.

Constituit eum ecclesiarum cardinalium vacantium in Urbe administratorem.

Dilecto filio JOHANNI electo Urbevetano nostro in spiritualibus in Urbe vicario, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nonnullæ urbis ecclesiæ pro titulis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium ab antiquis temporibus constitutæ, propriis cardinalibus carere noscantur ad præsens, nos ne ecclesiæ ipsæ propterea spiritualibus vel temporalibus subjiciantur incommodis, & ut gubernatoris diligentia providi earum consulatur utilitatibus, providere volentes, de tuæ quoque fidelitatis & circumspectionis industria gerentes in Domino fiduciam pleniorem, tibi gubernationem & administrationem Ecclesiarum prædictarum, ac membrorum & locorum ipsarum, & cujuslibet earumdem in spiritualibus & temporalibus, usque ad apostolicæ sedis beneplacitum, auctoritate apostolica, committimus exercendas, ordinandi, mandandi, præcipiendi, visitandi, & corrigendi, & alia omnia & singula faciendi, gerendi & exercendi, quæ circa gubernationem & administrationem hujusmodi necessaria fuerint, vel etiam opportuna; contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam & liberam concedentes tibi tenore præsentium potestatem. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus; quatenus sic te in præmissis laudabiliter geras, quod inde tibi perennis mercedis acquiras præmium ac nostram & ejusdem sedis gratiam uberius merearis. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCVI.

Ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos, &c.

Commendat eis Johannem de Aurono militem Avenionensem.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, rectoribus, & aliis ecclesiarum & monasteriorum prælatis ipsorumque vices gerentibus, capitulis quoque conventibus ecclesiarum, & monasteriorum ceterisque personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Camaldulensis, SS. Benedicti & Augustini, & aliorum ordinum & domorum hospitalis sancti
A Johannis Hierosolymitani, sanctæ Mariæ Theotonicorum, Calatravensis & Humiliatorum magistris, prioribus & præceptoribus, nec non nobilibus viris, comitibus, baronibus, senescallis, justiciariis, capitaneis, rectoribus, baillivis, officialibus, ceterisque dominis temporalibus, universitatibus quoque & communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, & aliorum quorumcumque locorum, & aliis universis & singulis in Provincia consistentibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

B Cum dilectum filium nobilem virum Johannem de Aurono militem Avenionensem latorem præsentium ad vestram præsentiam pro certis negotiis per nos sibi commissis per eum vobis vivæ vocis oraculo plenius exponendis duximus destinandum. Nos volentes ipsum cum sua familia in eundo, morando, & ad nos redeundo, plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, C quatinus ipsum benigne recommendatum habentes, nullam eidem & familiæ suæ prædictæ in personis vel rebus suis inferatis injuriam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri; sed ei potius de securo conductu, si à vobis illum petierit, sic libere providere pro nostra & apostolicæ sedis reverentia studeatis, quod vestrà possit exinde apud nos devotio meritò commendari, fidem sibi credulam super hiis quæ ipse vobis pro parte nostra exponenda duxerit nihilominus adhi- D bentes. Datum Avenione XIV. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCVII.

Ad Mathiam de Giosvaldo militem senescallum Provinciæ.

Ejusdem argumenti.

E Dilecto filio nobili viro MATHIÆ de Giosvaldo militi senescallo Provinciæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectum filium nobilem virum Johannem de Aurono militem Avin. pro certis negotiis per nos sibi commissis tibi vivæ vocis oraculo per eum melius exponendis ad tuam præsentiam destinemus, nobilitatem tuam rogamus attentius & hortamur, quatenus eumdem benigne suscipiens ac habens propensius pro nostrà & apostolicæ sedis reverentia commendatum, ei- F dem in hiis in quibus te requirendum duxerit, tuis assistas favoribus opportunis, fidem sibi credulam super hiis, quæ ipse tibi pro parte nostra exponenda duxerit nihilominus præbiturus. Datum Avenione XIV. calendas Augusti anno nono.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Johanni Marchioni Montis-ferrati, salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA CCVIII.

Ad Nicolaum magnum senescallum Siciliæ.

Ut Florentinos inducat ad præstandum Bononiensibus auxilium.

DIlecto filio nobili viro Nicolao magno senescallo regni Siciliæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Priusquam ad te præsentes advenerint, dilecte fili, ad tuam non ambigimus notitiam pervenisse, qualiter novissime diebus proximis, præter omnis humanæ spei judicium, Dominus ex alto negotia Romanæ Ecclesiæ sponsæ suæ benignus aspiciens, nostros & ejusdem Ecclesiæ subditos cives Bononienses de manibus præsumtoris eripuit, & à duræ obsidionis oppressionibus summa victoria liberavit. Quod eo te credimus jocundius percepisse, quo nostrum & dictæ Ecclesiæ honorem & commodum affectu desideras ampliori. Nos tamen id pie compatiendo referimus, qui damna rerum, mortes hominum, & animarum pericula formidantes, non bella gerere, sed pacem potius ministrare Christi fidelibus, prout ad nostri apostolatus spectat officium, optaremus. Quæ siquidem pax ut de cetero eo facilius præfatis & aliis subditis nostris in civitate Bononiensi & vicinis partibus consistentibus provenire valeat, per nonnullas nostras & ejusdem Ecclesiæ devotas Tusciæ universitates, quas si diligenter advertant, non mediocriter tangit Bononiense negotium, præfatæ civitati vicinas ad præstanda circa negotium ipsum sua favores & auxilia paternis exhortationibus sub speciali duximus confidentia requirendas: ad quod eo se promtiores debent præsentialiter exhibere, quocirca negotium ipsum felicioribus jam via successibus aperitur: & quia dictarum universitatum dispositio maxime ex dispositione universitatis Florentinæ dependet, propterea circa illam efficacioribus in hoc videtur suasionum interpositionibus intendendum. Cum itaque, sicut accepimus, universitas ipsa tuis tamquam honorabilibus & famosi civis plurimum soleat, prout debet, consiliis & exhortationibus inhærere; nosque devotionem tuam quam ad nos & sedem apostolicam geris jamdudum per effectum operis agnoscentes, nisi personam tuam in regno Siciliæ, quod ad præsens nonnullorum prædonum sub nomine societatum regnum ipsum invadentium insana præsumtio multipliciter perturbavit, & perturbare non cessat, non opportunam modo pro liberatione regni ipsius, sed potius necessariam sentiremus. Te quod ad universitatem ipsam personaliter accederes, tuis illam circa præstanda nobis & præfatæ Ecclesiæ in præmisso negotio sua favores & auxilia rationibus, demonstrationibus & consiliis inducturus requirere fiducialiter curaremus. Verum quia id ad præsens minime fieri posse cognoscimus, dum publicis ac tam commodis quam necessariis nobis utique gratis plurimum & acceptis negotiis occuparis, nobilitatem tuam rogamus attente quatenus pro nostra & dictæ sedis reverentia, quod per te ad præsens fieri nequit personaliter, saltem efficere studeas ministerio litterarum, concives tuos ad demonstrandam efficacia operis devotionem erga sedem præfatam jamdudum ab eorum progenitoribus in posteros iterata, sæpius obsequiorum vicissitudinem derivatam tuis quibus convenire videris inductionibus animos excitando, ut quod eorum proculdubio inhæret affectibus, tandem velint prout generosos decet animos apertius demonstrare. Datum Avenione XIV. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCIX.

Ad Franciscum de Carraria.

Gratias agit de oblatis obsequiis, si in Italiam, ut rumor ferebat, transiret.

DIlecto filio nobili viro FRANCISCO de Carraria civitatis Paduanæ & districtus imperiali vicario generali, salutem & apostolicam benedictionem.

Receptis litteris tuis per dilectum filium Galvanum de Paduâ ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini sacræ theologiæ magistrum nuncium tuum nobis noviter præsentatas, in quibus per nos eidem dari fidem credentiæ postulabas: exposita nobis per Galvanum eumdem pro parte tua grata mente percepimus & intelleximus diligenter. In eis namque devotionem, quam ad nos & sedem apostolicam geris, personam tuam ac quicquid haberes potentiæ & favoris nobis in casu quo nos & sedem eamdem ad partes Italiæ, prout rumoribus fide dignis acceperas, accedere contingeret, tam promte quam liberaliter offerendo grati exhibitione servitii apertius ostendisti. Nos igitur devotionem tuam hujusmodi gratam gerentes plurimum & acceptam, liberalitatem tuam exinde multipliciter in Domino commendamus: ad prædicta per te nobis oblata, brevi respondentes compendio, quod cum, prout habet nostræ mentis desiderium, ad loci mutationem auctore Domino nos disponi contingeret, certis causis rationabilibus ad præsens merito retardantibus, in melius prout tanto convenit negotio reformatis, tua requirere favores & auxilia paterna fiducia curaremus. Datum Avenione XIV. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCX.

Ad Eduardum regem Anglorum.

Petit ab eo subsidium gentis armatæ & pecuniale adversus Bernabovem de Vicecomitibus Ecclesiæ Romanæ hostem.

CArissimo in Christo filio EDUARDO regi Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Suadet nobis, inclyte princeps, tua devotio, quam inter ceteros catholicos mundi principes laudabilia progenitorum tuorum imitando vestigia ad nos & sedem apostolicam geris, ut ad tua præsidia tamquam athletæ Domini & ejus sponsæ Romanæ Ecclesiæ brachii singularis & præcarissimi filii, in nostris & ejusdem Ecclesiæ necessitatibus fiducialiter recurramus. Sane licet jamdudum pro defensione & recuperatione nonnullorum nostrorum civitatum, terrarum, castrorum, bonorum, & jurium in partibus Italiæ consistentium varios nos subire oportuerit sollicitudines & labores, ac gravia & multiplicia onera expensarum, quibus tum temporum faciente malitia, tum ipsarum expensarum voragine, camera nostra exhausta pecuniis respondere non poterat, ut solebat; ac propterea pro defensione & recuperatione hujusmodi ad tua, tamquam refugii singularis, confugere præsidia, tam negotiorum gravitas cogeret, quam præfata nobis tua devotio, & regia liberalitas suaderet. Inter te tamen & carissimum in Christo filium nostrum JOHANNEM regem Franciæ illustrem, durante guerrarum dissidio, tua super nostris & dictæ Ecclesiæ negotiis implorare subsidia minime condecens videbatur. Nunc autem placatis animis, & post guerrarum dissensiones, quod jocunda semper mente referimus, pace sicut Christi fidelium populis optata diutius, ita, Deo favente, stabili concordia reformata, ad tua fidenter recurrimus auxilia & favores. Cum itaque inter sollicitudines varias, quibus jamdudum de ipsis Italiæ partibus multipliciter perturbamur, illa præcipue tenuerit & teneat continuo mentem nostram, qualiter scilicet nostram & præfatæ Ecclesiæ civitatem Bononiensem ejusque comitatum & districtum ab hostili Bernabovis de Vice comitibus militis Mediolanensis impugnatione defendere, & nostris & ejusdem Ecclesiæ subditis civibus Bononiensibus tamdiu innocenter oppressis ministrare quietem & statum pacificum valeamus, & ad id condignis, ut tantæ rei negotium exigebat & exigit, intendere favoribus præfatæ cameræ non suppetant facultates: sumta de magnificentiæ tuæ liberalitate fiducia regii favoris præsidia duximus imploranda, ut nostris ac tuis & nonnullorum aliorum nostrorum & dictæ Ecclesiæ filiorum in unum collectis viribus, hujusmodi præsumtoris retundatur insania, & in posterum audendi similia via ceteris præcludatur: quod instanti tempore eo verisimiliter facilius fieri poterit, quocirca negotium ipsum jam felicioribus via successibus aperitur. Nam sicut ad tuam noviter potuit notitiam pervenisse, nuper nostræ & præfatæ Ecclesiæ gentes armigeræ in dextra illius, cujus negotium agebatur & agitur, gentes armigeras dicti Bernabovis prope civitatem præfatam hostiliter consistentes strenua victoria superarunt: propter quod perfacillimum fuit hujusmodi negotium laudabili fine concludere, si, ut dici solet, suscepta uti victoria condignis favoribus valeamus. Quocirca serenitatem tuam rogamus attente, & paternis affectibus deprecamur, quatenus ob divinæ majestatis honorem & nostram, ac præfatæ sedis reverentiam, nobis & dictæ Ecclesiæ pro defensione & conservatione civitatis prædictæ velis, si bono modo valeas, absque tamen nostris sumtibus & expensis de aliquo gentis armigeræ subsidio, prout dignum magnitudo regia duxerit, subvenire: ut præter divinæ retributionis præmia, hic quoque cumulus laudibus tuis accedat, quod tamquam benedictionis & gratiæ filius sicut in tuæ matris jocundaris successibus, ita offensionibus offendaris. Ad hæc cum propter prædicta expensarum onera, quibus ut præmittitur camera nostra premitur ultra suorum redituum facultates, ad vestra & dictæ Ecclesiæ membra, personas videlicet Ecclesiasticas, ut per eas hujusmodi expensis provideri commodius valeat, recurrentes, inter ceteros, tam primates, quam archiepiscopos, & episcopos ac personas alias ecclesiasticas infra regni tui limites consistentes, duxerimus certo modo de aliquo pecuniali subsidio requirendos, prout per dilectum filium ANDROYNUM abbatem monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis, seu per alium, si abbas ipse ad tuam nequeat excellentiam se conferre, quem ipse ad tuam præsentiam destinandum duxerit, præfata tua serenitas poterit plenius informari. Hoc quoque precibus nostris adjicimus quod pro dicti executione subsidii, tua eidem abbati vel cui ipse committendum duxerit, sic efficaciter impendere velis, prout de magnitudine tua plene confidimus, auxilia & favores, quod in hoc voti nostri executio defectum aut dilationem, cum id absque magno negotiorum imminentium dispendio non foret, nullatenus patiatur. Datum Avenione XII. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXI.

Ad Eduardum principem Walliæ.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro EDUARDO principi Walliæ primogenito carissimi in Christo filii nostri EDUARDI regis Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Suadet nobis, dilecte fili, tua devotio, quam ad nos & sedem apostolicam geris, ut ad carissimi in Christo filii nostri EDUARDI regis Angliæ illustris patris tui ac tui præsidia tamquam Romanæ Ecclesiæ brachii singularis, & præcarissimi filii, in nostris & ejusdem Ecclesiæ necessitatibus fiducialiter recurramus, &c. *ut in prima usque* hujusmodi ad præfati regis ac tua tamquam refugii singularis, &c. *usque* suaderet, inter nos tamen & carissimum in Christo filium nostrum, &c. *usque* dissidio vestra super nostris, &c. *usque* reformatis ad ejusdem tui patris & tua fidenter recurrimus auxilia & favores, &c. *ut in prima usque* facultates sumta de ejusdem regis patris tui, ac tuæ magnificentiæ liberalitatisque fiducia, regis ac tui favoris præsidia duxerimus imploranda, ut nostris & vestris &

nonnullorum, &c. *ut in prima usque* Quocirca nobilitatem tuam *usque* velis, si bono modo valeas, absque tamen nostris sumtibus & expensis, tam per te ipsum, quam penes præfatum patrem tuum instando sollicite de aliquo gentis armigeræ subsidio, prout dignum sua magnificentia & tua nobilitas duxerit, subvenire, &c. *ut in prima usque* Hic quoque cumulus laudibus tuis accedet, &c. *usque* per alium, si abbas ipse ad ipsius regis & tuam nequeat excellentiam se conferre, quam ipse ad ejusdem regis & tuam præsentiam destinandum duxerit, præfata tua nobilitas poterit plenius informari, &c *usque* prout de nobilitate tua plene confidimus, &c. *usque*. Datum *ut supra*.

EPISTOLA CCXII.

Ad Eliam abbatem S Salvatoris de Blavia & Petrum Brunelli.

Ut debitas ab episcopo & capitulo Vasatensi pecunias exigant.

DIlectis filiis HELIÆ abbati monasterii sancti Salvatoris de Blavia Burdegalensis ordinis sancti Benedicti in Burdegalensi, & Petro Brunelli canonico Cameracensi in Auxitana provinciis apostolicæ sedis nunciis, eorumque sub collectoribus, ac Dominico de Lescar hostiario portæ ferreæ palatii apostolici, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum tam venerabilis frater noster episcopus & dilecti filii capitulum Vasatense de nonnullis pecuniarum summis, tam ratione trigesimæ, quam decimæ, cameræ apostolicæ teneantur: discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ab eisdem episcopo & capitulo dictas pecuniarum summas ex dictis trigesima & decima communiter aut divisim vel alias quomodolibet præfatæ cameræ per eos debitas, super quibus simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii vos, si necesse fuerit informetis, petere, exigere, recipere, & conservare fideliter procuretis vos, filii abbas & Petre, contradictores cujuscumque status, ordinis, dignitatis, vel conditionis existant, etiamsi pontificali vel quavis alia præfulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes, non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, volumus autem quod eos à quibus dictas pecuniarum summas receperitis, possitis absolvere plenius & quittare de hiis dumtaxat quæ receperitis ab eisdem, quodque duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, quorum uno penes vos dimisso, reliquum verò ad præfatam cameram transmittere nullatenus omittatis. Datum Avenione XII. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXIII.

Ad Petrum Brunelli & Bertrandum de Casthaneyo.

Ut debitas ab episcopo & capitulo Conseranensi pecunias colligant.

IN eodem modo, dilecto filio Petro Brunelli canonico Cameracensi in Auxitana, & Bertrando de Casthaneyo decano ecclesiæ Abrincensis legum doctori in Tholosana provinciis apostolicæ sedis nuntiis eorumque subcollectorum, & Dominico de Lestar magistro hostiario portæ-ferreæ palatii apostolici, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater...... episcopus & dilecti filii capitulum Conseranensis de nonnullis pecuniarum summis, &c. *ut supra* Discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel quivis vestrum ab eisdem episcopo & capitulo dictas pecuniarum summas, &c. *ut supra in proxima* vos, fili Petre & Bertrande, contradictores cujuscumque status, &c. *usque in finem.*

EPISTOLA CCXIV.

Ad Dominicum de Lestar.

Ut debitas ab episcopis & capitulis pecunias colligat.

DIlecto filio Dominico de Lestar magistro hostiario portæ-ferreæ palatii apostolici, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nonnulli tam episcopi quam ecclesiarum capitula de nonnullis pecuniarum summis tam ratione tricesimæ quam decimæ cameræ apostolicæ teneantur, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios ab eisdem episcopis & capitulis præfatas pecuniarum summas ex dictis tricesima & decima communiter vel divisim vel alias quomodolibet præfatæ cameræ per eos & quoscumque alios debitas petere, exigere, recipere, & fideliter conservare procures. Nos enim tibi eos à quibus dictas pecuniarum summas receperis, absolvendi plenius & quittandi de hiis dumtaxat quæ receperis ab eisdem plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus autem quod de receptis duo confici facias consimilia publica instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum ad præfatam cameram transmittere non omittas. Datum Avenione XII. calendas Augusti anno nono.



EPISTOLA

EPISTOLA CCXV.

Ad Jacobum de Priolis & Mariam filiam Nicolai Fuscari de Venetiis.

Permittit eis in quarto consanguinitatis gradu matrimonium contrahere.

Dilecto filio Jacobo de Priolis & dilectæ in Christo filiæ Mariæ natæ quondam Nicolai Fuscari de Venetiis Castellanensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet copula conjugalis quarto consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, summus tamen pontifex ex potestatis sibi plenitudine tradita, rigorem juris mansuetudine temperando, cum personis Deo sibique fidelibus & devotis dispensare consuevit interdum, prout in Deo id salubriter expedire cognoscit. Sanè petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod vos dudum ignorantes inter vos aliquod impedimentum existere, quominus possetis invicem matrimonialiter copulari, procurantibus consanguineis & amicis vestris communibus, de contrahendo matrimonio tractatum invicem habuistis, quodque postmodum ad vestram notitiam est deductum, quod tu filia Maria & quondam Francischina olim uxor Jacobi prælibati quarto consanguinitatis gradu invicem attinebatis: propter quod à consummatione dicti matrimonii destitistis. Quare nobis humiliter supplicastis, ne, si hujusmodi matrimonium suum non sortiatur effectum, inter prædictos consanguineos & amicos tumultus & scandala oriantur, providere vobis super hoc de opportunæ dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur qui cunctis Christi fidelibus libenter quietis & pacis commoda procuramus, volentes hujusmodi tumultibus & scandalis, quantum cum Deo possumus, salubriter obviare, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum ut, impedimento quod ex hujusmodi consanguinitate provenit non obstante, matrimonium invicem contrahere libere, & in eo postquam contractum fuerit remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam exinde matrimonio legitimam nunciantes. Nulli ergo, &c. Datum Avenione XII. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXVI.

Ad Johannem de Cavanhaco decanum ecclesiæ Compostellanæ, &c.

Ut Raimundi episcopi Ruthenensis defuncti sibi reservata bona colligant.

Dilectis filiis Johanni de Cavanhaco decano ecclesiæ Compostellanæ apostolicæ sedis nuncio, ejusque subcollectoribus, & Guillelmo de Cavanhaco clerico cameræ apostolicæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum certis ex causis rationabiliter nos mo-

A ventibus, dispositionem bonorum mobilium ac debitorum & creditorum bonæ memoriæ Raymundi episcopi Ruthenensis quæ haberet, vel ad eum pertinerent quomodolibet tempore mortis suæ, nobis eodem episcopo adhuc in humanis agente duximus reservandam. Discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios bona debita & credita hujusmodi quæcumque sint, &
B in quibuscumque rebus consistant, & per quascumque detineantur seu debeantur personas, super quibus simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii, vos si necesse fuerit informetis, petere, exigere, & conservare fideliter procuretis: contradictores cujuscumque status, ordinis, dignitatis, vel conditionis existant, etiamsi pontificali vel quavis alia præfulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod inter-
C dici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod eos à quibus receperitis bona debita & credita supradicta possitis absolvere plenius & quittare de hiis quæ receperitis ab eisdem; quodque exinde duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, quorum uno penes vos dimisso, reliquum ad nostram cameram transmittere
D nullatenus omittatis. Datum Avenione XII. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXVII.

Ad Petrum de Cuysiaco canonicum S. Justi Lugdunensis, &c.

Ut colligant bona Reginaldi episcopi Æduensis.

E In *eodem modo*, dilecto filio Petro de Cuysiaco canonico ecclesiæ sancti Justi Lugdunensis apostolicæ sedis nuntio ejusque subcollectoribus, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum certis ex causis rationabiliter nos moventibus dispositionem bonorum mobilium, &c. *usque* bonæ memoriæ Reginaldi episcopi Æduensis, qui die datæ præsentium in Romana curia suum diem clausit extremum quæ haberet vel ad eum pertinerent quomodolibet tempore mortis suæ, &c. *ut in proxima*. Datum Ave-
F nione XII. calendas Augusti anno nono.

In eodem modo, ut in prima. Dilecto filio Guillelmo Gilaberti canonico Narbonensi apostolicæ sedis nuncio, ejusque subcollectoribus, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum, &c. *usque* creditorum quondam Johannis de sancto Serico prioris prioratus sancti Firmini & B. Mariæ de Tabul de Montepessullano ordinis S. Augustini Magalonensis diocesis, quæ haberet vel ad eum pertinerent quomodolibet, &c. *ut in prima*. Datum *ut in prima*.

A *In eodem modo*, *ut in proxima*, dilectis filiis Guillelmo Gilaberti canonico Narbonensi apostolicæ sedis nuncio, ac Gailliardo de Balasaco in ecclesia Lodovensi ejus sub collectori, & Guillelmo Palasimi bachalario in decretis canonico Insulæ Jordani Tholosanæ diocesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum certis, &c. *usque* creditorum quondam SEGUINI abbatis monasterii sancti Tiberii ordinis sancti Benedicti Agatensis diocesis, quæ haberet, vel ad eum pertinerent quomodolibet, &c. *ut in prima*. Datum *ut in proxima*. B

Eisdem in eodem modo, usque creditorum bonæ memoriæ GILBERTI episcopi Lodovensis quæ haberet vel ad eum pertinerent quomodolibet, &c. *ut supra*. Datum Avenione XII. calendas Augusti anno nono.

In eodem modo, dilectis filiis Petro Gervasii canonico Aniciensi apostolicæ sedis nuncio, ejusque subcollectoribus, ac Guillelmo Tardini C decano Ecclesiæ Aniciensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum certis, &c. *ut in proxima*, *usque* creditorum bonæ memoriæ JOHANNIS episcopi Aniciensis quæ haberet, vel pertinerent ad eum quomodolibet, &c. *ut in prima*. Datum Avenione VIII. calendas Augusti anno nono.

In eodem modo, dilectis filiis Falconi Perrerii præposito ecclesiæ Valentinensis apostolicæ sedis nuncio, ejusque subcollectoribus, ac D Johanni Garrigiæ præposito ecclesiæ Barchinonensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum certis, *ut supra in proxima usque* creditorum bonæ memoriæ MICHAELIS episcopi Barchinonensis quæ haberet, vel ad eum pertinerent quomodolibet, &c. *usque in finem*. Datum Avenione VI. calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXVIII.

Ad Henricum comitem de Trastamara.

Mittit ad eum nuncios quibus fidem adhiberi petit.

Dilecto filio nobili viro HENRICO comiti Trastamara, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum pro certis negotiis, quæ plurimum resident cordi nostro, tibi vivæ vocis oraculo ple- F nius exponendis, venerabiles fratres nostros... Columbricum & Philippum Cavalicenses episcopos ad tuæ nobilitatis præsentiam destinemus, nobilitatem eamdem rogamus & hortamur attente, quatinus data per te fide credula relatibus eorumdem, ea quæ tibi exponere pro parte nostra curaverint, studeas pro nostra & apostolicæ sedis reverentia efficaciter adimplere. Datum Avenione calendas Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXIX.

Ad Guillelmum abbatem Sanctæ Sophiæ Beneventanæ.

Ut Franciscum de Ebalo comitem Tarentinum & alios bona Petri episcopi Tarentini cameræ apostolicæ legata retinentes ad ea reddenda per censuram ecclesiæ compellat.

Dilecto filio GUILLELMO abbati monasterii sanctæ Sophiæ Beneventanæ ordinis sancti Benedicti apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad aures nostras fide dignorum relatione pervenit, quod bonæ memoriæ PETRUS episcopus Tarentinus, dum adhuc ageret in humanis, nonnulla vasa sua argentea, libros, & pecunias, ac res, ac bona alia cameræ apostolicæ in sua ultima voluntate reliquit, ipsaque, ut facilius ad cameram pervenirent eamdem, nonnullis suis in hac parte depositariis assignavit, per eos ad ipsam cameram transmittenda: quodque hujusmodi vasis, libris, pecuniis, rebus, & bonis penes depositarios eosdem existentibus, eodem episcopo vita functo, dilectus filius nobilis vir FRANCISCUS DE EBALO comes Tarentinus & quidam ejus in hac parte complices & fautores depositarios ipsos per vim & metum nequiter compulerunt sibi præfata vasa, libros, ac pecunias, res, & bona assignare, & ab eisdem depositariis receperunt, & per violentiam occuparunt, & detinent occupata: quodque quædam alia, res, & bona dicti quondam episcopi per quosdam alios indebite detinentur in animarum suarum periculum & dictæ cameræ detrimentum non modicum, ac jacturam. Nos itaque intendentes præfatæ cameræ indemnitatibus providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus & committimus, quatenus per te vel alium seu alios, vasa, libros, & pecunias, ac res, & bona prædicta à præfato comite, & à quibuscumque personis aliis, à quibus ea detinentur ubicumque sint, etiamsi ad partes alias fuerint transportata, ac vendita, seu alienata, super quibus summarie & de plano sine strepitu & figura judicii vocatis qui fuerint evocandi plenarie te informes, petere, exigere, & conservare cum integritate procures, contradictores cujuscumque gradus, status, ordinis vel conditionis existant: etiamsi pontificali vel quavis alia præfulgeant dignitate, auctoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstante si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum nominibus & cognominibus mentionem. Nos enim tibi absolvendi plenius & quittandi omnes & singulos à quibus vasa,

libros, & pecunias, res, & bona quæ receperis A supradicta de hiis dumtaxat quæ receperis ab eisdem plenam concedimus, tenore præsentium potestatem. Volumus autem, quod de hiis quæ te recipere continget, duo confici facias publica consimilia instrumenta, quorum altero penes eos quos hujusmodi tangit negotium relicto, reliquum ad præfatam cameram transmittere non postponas. Datum Avenione VIII. Idus Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXX.

Ad Mathiam de Josualio militem senescallum Provinciæ.

Mittit ad eum nuncium cui fidem indubiam haberi postulat.

Dilectis filiis nobili viro MATHIÆ DE JOSUALIO militi senescallo Provinciæ seu ejus locum tenenti, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectum filium nobilem virum Jacobum C Alba militem vicarium Avenionensem latorem præsentium super certis negotiis vobis seu vestrum alteri pro parte nostra vivæ vocis oraculo plenius exponendis ad vestram duximus præsentiam destinandum. Quare eidem super hiis quæ ipse vobis seu vestrum alteri pro parte nostra retulerit fidem dare credentiæ nobilitas vestra velit. Datum Avenione VIII. Idus Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXXI.

D

Ad Johannem electum Urbevetanum.

Ut possit relaxare sententias excommunicationis & interdicti in Urbevetanos latas.

Dilecto filio JOHANNI electo Urbevetano apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum per nostras certi tenoris litteras tibi præcipiendo mandavimus, quod dilectos filios E .... syndicum ac commune & populum civitatis Urbevetanæ ad tradendum & solvendum tibi nostro & apostolicæ cameræ nomine mille sexcentos Florenos auri nobis & eædem cameræ, vigore cujusdam instrumenti publici, quod tunc transmisimus, debitos per eosdem, per censuram Ecclesiasticam & alias pœnas & juris remedia auctoritate nostra, appellatione postposita, compellere procures, tuque vigore hujusmodi nostri mandati contra syndicum, & nonnullos alios officiales ac singulares personas civitatis F prædictæ certos, prout audivimus, processus fecisti excommunicationis in singulares personas, & interdicti in civitates easdem sententias continentes, quas iidem syndicus, officiales & singulares personæ tuis, immo verius apostolicis contemnendo obedire mandatis, dicuntur temere incurrisse. Nos itaque animarum saluti omnium, qui præfatas sententias incurrerunt, more patris benivoli providere salubriter cupientes, & ut ipsi ob obediendum apostolicis mandatis eo celerius inducantur, quo se noverint absolutionis beneficium posse citius & facilius obtinere, discretioni tuæ suspendendi semel & pluries, ac etiam totaliter relaxandi interdictum per te in civitatem prædictam præmissa occasione prolatum, ac eosdem syndicum, officiales, & singulares personas à dicta excommunicationis sententia absolvendi, juxta formam ecclesiæ imposita eis pœnitentia salutari plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione VI. Idus B Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXXII.

Ad Johannem electum Urbevetanum.

Ut exemtorum in Urbe excessus possit emendare.

Dilecto filio JOHANNI electo Urbevetano, ac nostro in spiritualibus in Urbe vicario, salutem & apostolicam benedictionem.

Frequens querela multorum apostolatus nostri pulsavit auditum, quod nonnullæ ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam etiam regulares Urbis & districtus ejusdem, se privilegiatas seu exemtas per sedem apostolicam prætendentes, super excessibus & delictis quæ ab eis quandoque ibidem commissa sunt hactenus, & in animarum ipsarum periculum, status clericalis opprobrium, & multorum scandalum committuntur, plerumque prætextu privilegiorum seu exemtionum hujusmodi coram te subire judicium ac respondere recusant, sicque currentes per campum licentiæ, ruptis habenis rationis, effrenes sæpe deteriora committunt, & in dispendium reipublicæ maleficia remanent impunita. Nos igitur qui ampliari ubique cultum justitiæ affectamus, & quorumlibet delinquentium, sed præcipue clericorum & personarum ecclesiasticarum, qui bonorum actionum exemplo debent ab excessibus retrahere alios, insolentias abhorremus: volentes super præmissis de opportuno remedio salubriter providere, discretioni tuæ, de qua in Domino fiduciam gerimus specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios contra personas delinquentes hujusmodi non obstantibus privilegiis & exemtionibus hujusmodi, si qua habent, quibus tamen per hæc alias non intendimus derogare, auctoritate nostra, procedens secundum canonicas sanctiones infrascripto moderamine observato, excessus & delicta hujusmodi justitia exigente studeas corrigere & punire, aliasque super eis exhibere justitiæ complementum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus ut personarum prædictarum delinquentium superiores, si quos in Urbe vel districtu prædictis habeant, moneas & requiras, quod de hujusmodi personis delinquentibus immediate super subjectis celerem exhibere justitiam non omittant: Et si super hæc se negligentes reddiderint vel remissos, tu contra delinquentes prædictos libere sicut præmissum est

auctoritate prædicta procedere non postponas. Datum Avenione vi. Idus Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXXIII.

Ad Guillelmum abbatem sanctæ Sophiæ Beneventanæ.

Ut colligat bona archiepiscoporum, episcoporum atque abbatum in regno Siciliæ, &c. decedentium.

Dilecto filio Guillelmo abbati monasterii sanctæ Sophiæ Beneventanæ ordinis sancti Benedicti apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum ex certis rationabilibus causis dispositionem bonorum mobilium ac debitorum & creditorum bonæ memoriæ omnium & singulorum archiepiscoporum & episcoporum, ac quondam abbatum, quorumlibet sæcularium & regularium, exemtorum & non exemtorum, ordinum quorumcumque regni Siciliæ & terrarum ultra & citra Farum, necnon Corsicæ, Sardiniæ insularum, qui citra suos dies clauserunt extremos, & venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum & episcoporum, ac dilectorum filiorum abbatum partium prædictarum qui in antea usque ad triennium in Romana curia seu extra fuerint vita functi, quæ tempore obitus vel suarum infirmitatum ex quibus decederent, haberent vel pertinerent quomodolibet ad eosdem, necnon fructus, reditus, & proventus ad mensas archiepiscopales, episcopales & abbatiales dictorum regni, terrarum, & insularum, archiepiscopalibus, episcopalibus & abbatialibus dumtaxat & dignitatibus inibi vacantibus pertinentes, qui vacationibus earumdem ecclesiarum & abbatialium dignitatum durantibus in futurum infra dictum triennium obvenirent, donec per sedem apostolicam eisdem ecclesiis & dignitatibus de pastoribus & abbatibus foret provisum, nobis & sedi præfatæ diu ante obitus & infirmitates prædictos duximus reservandam: decernendo ex tunc irritum & inane, si secus super hiis à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium, seu alios, bona, debita, & credita, fructus, reditus, & proventus hujusmodi, quæcumque sint vel erunt, & in quibuscumque consistant, vel consistent, ac per quoscumque detineantur vel debeantur, seu detineri contingeret, quomodolibet in futurum, de quibus si necesse fuerit simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura judicii, te informes, petere, exigere, & recipere cum integritate procures: Detentores, vel occupatores, seu custodes & contradictores, si qui in præmissis fuerint, vel rebelles cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi pontificali, seu alia qualibet præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Insuper bonorum, debitorum, ac A creditorum, fructuum, redituum, & proventuum prædictorum custodes, detentores, occupatores, vel alios, si contradictores in præmissis vel eorum aliquo fuerint vel rebelles, semel & pluries citandi, ut certo per te eisdem termino præfigendo præcise, peremtorie & personaliter apostolico conspectui se præsentent pro meritis seu demeritis justitiam suscepturi, nec non & illos à quibus receperis bona debita & credita memorata, quittandi, liberandi & penitus absolvendi de hiis solum quæ recipere te B contingет, plenam & liberam tibi concedimus tenore præsentium facultatem, non obstantibus tam concilii generalis de duabus dietis, & felicis recordationis Bonifacii papæ viii. prædecessoris nostri, in qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis & exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis judicium evocetur, quam aliis quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus editis, quæ tuæ possent C in hac parte jurisdictioni vel potestati, seu ejus libero exercitio quomodolibet obviare, seu aliquibus communiter vel divisim à prædicta sede sit indultum, quod excommunicari, suspendi, interdici, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam D vel totaliter non insertam effectus hujusmodi impediri valeat quomodolibet vel differri, seu de qua cujusque toto tenore ac de verbo ad verbum, aut eorum nominibus propriis in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Datum Avenione iii. Idus Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXXIV.

Ad Johannem Mucii electum Theanensem.

Promovet eum ad episcopatum Theanensem.

E Dilecto filio Johanni Mucii electo Theanensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum sicut fide digna percepimus, thesaurariæ & nunciationis officia Campaniæ Maritimæque provinciarum ad nos & Romanam Ecclesiam immediate spectantium per nos hactenus tibi commissa, sic laudabiliter & fideliter exercueris & gesseris, quod potes exinde merito commendari, ac propterea te gratia dignum reddas. Nos præmissis ac probitatis & virtutum meritis, F quibus personam tuam Altissimus insignivit, debite considerantes, te ad ecclesiam Theanensem de fratrum nostrorum consilio duximus promovendum, præficiendo te illi in episcopum & pastorem. Sperantes igitur quod officia prælibata gubernabis & geres laudabilius in futurum, te in eisdem provinciis thesaurarium nostrum & apostolicæ sedis nuncium deputamus, ut prius, tibique concedimus quod quibuscumque litteris apostolicis & gentium cameræ apostolicæ tibi

& quibuscumque prædecessoribus tuis nuntiis præfatæ sedis in provinciis memoratis destinatis, quatenus negotia cameræ memoratæ contingunt, in quibuscumque cœptis & non cœptis negotiis libere uti & eas exequi valeas, constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Avenione Idus Augusti anno nono.

EPISTOLA CCXXV.

Ad capitulum Carnotense.

Ut Johanni de Baro sedis apostolicæ obsequiis occupato liberos permittant præbendæ suæ reditus.

Dilectis filiis capitulo Carnotensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Admiranter percepimus, quod licet dilectus filius Johannes de Baro canonicus Carnotensis ac capellanus & familiaris noster domesticus, nostris, ab eo tempore, quo quamquam immeriti fuimus ad ministerium apostolatus assumti, intendens obsequiis, vobis fecerit apostolicas per nos sibi concessas litteras de percipiendis in absentia fructibus præbendæ suæ, quam in ecclesia Carnotensi obtinere dinoscitur, præsentari. Vos tamen certa vestra instituta mandatis apostolicis temerarie admodum præferentes, eidem Johanni de fructibus hujusmodi à duobus annis citra contemsistis & adhuc contemnitis respondere, seu responderi permittere, in vestrarum animarum periculum, & dicti Johannis detrimentum non modicum & jacturam. Cum itaque sic vobis expediat mandatis apostolicis obedire, ne contra vos ad juris remedia, prout suaderet justitia, procedatur; nec minus scire vos deceat, quod familiares nostri, nostris & apostolicæ sedis immorantes obsequiis, potioris favoris gratiam promerentur, discretioni vestræ mandamus, quatinus eidem Johanni juxta dictarum litterarum seu concessionis nostræ tenorem, de fructibus, reditibus, proventibus, & obventionibus dictæ præbendæ præmittatis ab aliis, & faciatis per vos ipsos integre responderi, eidem seu ejus procuratori in præmissis taliter vestris favoribus assistentes, quod vestræ apud nos obedientiæ promtitudo commendari valeat, & aliud super hiis apponere remedium pro favore justitiæ non sit opus. Datum Avenione Idus Augusti anno nono.

LITTERÆ DE MENSE SEPTEMBRIS ANNO NONO.

EPISTOLA CCXXVI.

Ad Bernardum Rascacii & Neapoleonem de Posterolis.

Committit eis curam civitatis Avenionensis muris circumcingendæ.

Dilecto filio nobili viro Bernardo Rascacii militi Avenionensi & Neapoleoni A de Ponterolis, civi Forliviensis curiam Romanam sequenti, salutem & apostolicam benedictionem.

Gerentes de vestris circumspectione ac fidelitate fiduciam in Domino singularem, ac sperantes quod commissa per nos vobis negotia exequimini fideliter, sollicite ac prudenter, vos provisores & præsidentes super constructione seu fabrica mæniorum seu murorum clausuræ nostræ & Romanæ Ecclesiæ civitatis Avenionensis B usque ad nostrum beneplacitum tenore præsentium deputamus, vobis petendi, exigendi, & recipiendi, ac recuperandi pro opere seu fabrica hujusmodi à quibuscumque receptoribus & debitoribus quorumcumque gabellarum, mutuorum, seu proventuum pro dicto opere deputatorum & deputandorum in posterum, pecunias & res alias quaslibet eorumdem gabellarum, & mutuorum seu proventuum, & aliorum quorumcumque debitorum ad ipsum opus quomodolibet pertinentes, &, de receptis dumtaxat plenarie quittandi & absolvendi solventes, ipsasque C pecunias & res alias in dictum opus expendendi & convertendi, & eosdem gabellarum proventuum, & mutuorum, ac bonorum, & rerum hujusmodi receptores, debitores, occupatores, & detentores ad solutionem & assignationem eorum vobis libere faciendam temporali districtione compellendi, ac contradictores & rebelles quoscumque, & impedientes opus ipsum, & operarios seu ministros ejusdem cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, & qualibet ecclesiastica vel D mundana præfulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia compellendi per dilectum filium magistrum Johannem Bruni archidiaconum Venetensem, licentiatum in utroque jure, cui in prædictis auctoritatem & potestatem plenariam duximus per alias nostras litteras concedendam, etiam petendi, & super hiis, quotiens opus fuerit, & vobis expedire videbitur, sæculare brachium invocandi, & omnia alia & singula quæ in prædictis necessaria seu opportuna fuerint faciendi E & exercendi, plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Avenione x. calendas Septembris anno nono.

EPISTOLA CCXVII.

Ad Johannem Bruni archidiaconum Venetensem.

Ut necessarias expensas ad murorum Avenionis F *constructionem tradi faciat operi præfectis.*

Dilecto filio Johanni Bruni archidiacono Venetensi in utroque jure licentiato, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper dilectos filios nobilem virum Bernardum Rascacii militem Avenionensem & Neapoleonem de Ponterolis civem Forliviensem curiam Romanam sequentem provisores & præsidentes super constructione seu fabrica mœnio-

rum seu murorum clausuræ nostræ & Romanæ curiæ civitatis Avenionensis usque ad nostrum beneplacitum duximus per alias nostras litteras deputandos, eis petendi, exigendi, & recipiendi, ac recuperandi pro opere seu fabrica hujusmodi à quibuscumque receptoribus & debitoribus quorumcumque gabellarum, mutuorum, seu proventuum, pro dicto opere deputatorum & deputandorum in posterum pecunias, & res alias quaslibet earumdem gabellarum, & mutuorum seu proventuum, & aliorum quorumcumque debitorum, ad ipsum opus quomodolibet pertinentes & de receptis dumtaxat plenarie quittandi & absolvendi solventes, ipsasque pecunias & res alias in dictum opus expendendi & convertendi, & eosdem gabellarum, proventuum & mutuorum ac bonorum & rerum hujusmodi receptores, debitores, occupatores & detentores ad solutionem & assignationem eorum eisdem Bernardo & Neapoleoni libere faciendam temporali districtione compellendi, ac contradictores & rebelles quoslibet & impedientes opus ipsum & operarios vel ministros ejusdem cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, & qualibet ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia per te compellendi, petendi, & omnia alia & singula, quæ in prædictis necessaria seu opportuna fuerint faciendi & exercendi plenam concedentes per nostras litteras facultatem. Quocirca, ut opus prædictum facilius valeat consummari, tibi gabellarum proventuum, & mutuorum, ac bonorum & rerum hujusmodi receptores, occupatores & detentores ad solutionem & assignationem eorum eisdem Bernardo & Neapoleoni libere faciendam, ac contradictores & rebelles quoslibet, & impedientes opus ipsum ac operarios seu ministros ejusdem, cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, & qualibet ecclesiastica & alia juris remedia appellatione postposita compescendi, & alia omnia & singula in prædictis quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi & exercendi plenariam tenore præsentium concedimus facultatem, nonobstante si aliquibus communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Avenione x. calendas Septembris anno nono.

EPISTOLA CCXXVIII.

Ad Bertrandum abbatem de Toroneto & Gerardum Mercaderii.

Ut cives Massilienses denuncient excommunicatos & eorum civitatem interdicto suppositam.

Dilectis filiis Bertrando abbati monasterii de Toroneto ordinis Cisterciensis Foro-Juliensis & Geraldo Mercaderii archipresbytero de Belayeo Caturcensis diocesis apostolicæ sedis nuncio, ac.... officiali Massiliensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum siquidem contra omnes & singulos, qui victualia & alia ad usum Romanæ curiæ necessaria impedirent, ne ad curiam deferrentur eamdem, & qui talia fieri facerent sive mandarent, & qui scienter eis faverent, aut ipsos receptarent, seu defenderent, certos processus excommunicationis & anathematis sententiam continentes publice & solemniter in die cœnæ Domini pluries successive duximus faciendos, hujusmodique processus portis Avenionensis Ecclesiæ appendi seu affigi fecimus, ut ad omnium deducerentur notitiam, nullusque quod ad eum minime pervenisset, vel ignorasset eosdem, excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare valeret. Deinde nonnulli cives civitatis Massiliensis, collectis suæ nequitiæ viribus, quemdam Pamphilum dilecti filii Lancellotti *Lance* de Saona, & quamdam barcam dilecti filii Petri de *Franson* civis Januensis onustas nostro frumento, quod ad curiam prædictam pro usu nostro & hospitii nostri & eleemosinæ nostræ Pagnotæ nuncupatæ, & aliis necessitatibus dictæ curiæ conduci faciebamus, & insuper duo parva & quatuor alia magna navigia in magna quantitate nostro onusta frumento, quod ex causa simili ad curiam conducebantur eamdem in portu Boscolæ cum hujusmodi frumento capere, & ad portum Massiliensem ducere temeritate propria præsumserant, & detinere præsumebant, impediendo ne ad curiam conduci valerent antedictam, hujusmodi excommunicationis & anathematis sententiam incurrere minime formidando, ut licet præmissa adeo essent, prout erant, notoria & manifesta, quod nulla poterant tergiversatione celari, ad cautelam tamen super hiis informationem recipi fecimus, & per eam invenimus prædicta notoria & manifesta existere: propter quod nolentes præmissa quæ in tantum nostrum & apostolicæ sedis contemtum vergere noscebantur, absque correctione debita relinquere, ne exinde alii assumerent audaciam similia committendi, auctoritate apostolica, per nostras litteras declaravimus omnes & singulos cujuscumque status, ordinis vel conditionis existerent, qui hujusmodi Pamphilum, barcam, navigia & frumentum ceperant, ac capta detinere præsumserant, & qui præmissa vel aliquod eorum fieri fecerant seu mandaverant, qui scienter eis faverant, aut eos receptaverant, seu defenderant, hujusmodi excommunicationis & anathematis sententiam incurrisse, ac excommunicatos & anathematizatos fore. Cum autem ipsi cives hujusmodi excommunicatione contemta eam sustinuissent, & sustinerent animo indurato, non curantes redire ad Ecclesiæ unitatem, in animarum suarum periculum, & Ecclesiasticæ disciplinæ contemtum, hujusmodique Pamphilum, barcam, navigia, & frumentum detinere præsumerent, ac contemsissent & contemnerent ea libere & expedite dimittere, & ad dictam curiam duci permittere. Nos at-

tendentes quod ferro sunt abscindenda vulnera, A quæ fomentorum non sentiunt medicinam, auctoritate eadem monuimus per edictum publicum, cujus monitionis formam ex certa scientia duximus eligendam, eosdem cives ut ipsi hujusmodi Pamphilum, barcam, navigia, & frumentum infra octo dies à data litterarum nostrarum in antea computandos libere & expedite dimitterent, & ad dictam curiam duci permitterent, ac nobis & dictæ Ecclesiæ de damnis & offensis nobis & ipsi Ecclesiæ exinde illatis ac expensis propterea per nos factis congruam B & satisfactionem debitam impenderent; alioquin ex tunc dictam civitatem Massiliensem suppositam esse voluimus ecclesiastico interdicto, cui civitatem ipsam subjicimus tamdiu, donec iidem cives hujusmodi Pamphilum, barcam, navigia & frumentum libere & expedite dimitterent, & ad dictam curiam duci permitterent, ac nobis & dictæ Ecclesiæ de damnis & offensis nobis & ipsi Ecclesiæ exinde illatis, ac expensis propterea per nos factis, congruam & debitam satisfactionem impenderent. Ac voluimus & C apostolica auctoritate decrevimus, quod perinde hujusmodi monitio & processus ipsos cives & civitatem arctarent, ac si fuissent per eos apprehensi: non obstantibus constitutione qualibet contraria & vacationibus per nos indictis. Ut autem hujusmodi noster processus & omnia in eo contenta ad prædictorum omnium quos tangebant notitiam deducerentur, processum ipsum portis sive superliminaribus dictæ Avenionensis ecclesiæ affigi seu appendi fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent; ut ipsi quos processus ipse contingeret non possent excusatio- D nem prætendere, vel etiam ignorantiam allegare, quod ad eos non pervenirent vel ignorarent eadem: cum non esset verisimile, quod quoad ipsos remaneret incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicabatur, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quia vero cives præfati in profundum malorum descendentes obstinatis animis præfatas sententias contemserunt & adhuc contemnere non verentur, in sua pertinacia damnabiliter persistentes, in animarum suarum peri- E culum, & nostrum & apostolicæ sedis contemtum, ne ipsi de hujusmodi sua malitia, & pertinaciæ contumacia glorientur. Mandamus quatenus vos seu aliqui vestrum per vos vel alium seu alios litteras hujusmodi & contenta in eis, in locis, in quibus expedire videritis, solemniter publicantes, præfatos cives excommunicatos publice, ac civitatem prædictam ecclesiastico subjacere interdicto auctoritate præfata publice nuntietis: Interdictum hujusmodi per omnes F ecclesias civitatis prædictæ: mandantes eadem auctoritate inviolabiliter observari, contradictores auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Avenione v. calendas Septembris anno nono.

EPISTOLA CCXXIX.

Ad Bertrandum episcopum Lubicensem.

Instituit eum nuntium sedis apostolicæ in Daciæ, Sueviæ ac Norvvegiæ regnis.

VEnerabili fratri BERTRANDO episcopo Lubiensi apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Gerentes de tua fidelitate ac circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, ac sperantes quod ea quæ tibi per sedem apostolicam committentur, fideliter exequeris; te in Daciæ, Sueviæ ac Norwegiæ regnis dictæ sedis nuncium usque ad ipsius sedis beneplacitum tenore præsentium deputamus, ac etiam ordinamus: fraternitati tuæ per te ac alium & alios, tot quot & quotiens expedire videris deputandos, petendi, exigendi & recipiendi à quibuscumque prælatis ecclesiarum & monasteriorum, nec non capitulis, collegiis, & communitatibus ecclesiarum & monasteriorum hujusmodi ceterisque personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, exemtis & non exemtis, ordinum quorumcumque, ac etiam laïcis omnes & singulas pecuniarum ac rerum aliarum quarumlibet & bonorum quantitates & summas nobis & Romanæ Ecclesiæ in dictis regnis debitas & debendas in antea, nec non eos à quibus illas receperis quittandi & absolvendi, ac omnibus & singulis litteris apostolicis & gentium cameræ apostolicæ quibuscumque nunciis dictæ sedis apostolicæ præcessoribus & prædecessoribus tuis in dictis regnis hactenus deputatis; quatenus negotia dictæ cameræ directè vel indirectè contingunt, utendi, easque libere exequendi, in quibuscumque cœptis & non cœptis negotiis. Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, eis vel eorum aliquibus sub quacumque forma vel expressione verborum, ab eadem sede concessis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Seu si eisdem prælatis, capitulis, collegiis, conventibus, personis & laïcis vel alicui seu aliquibus eorumdem, aut quibusvis aliis communiter vel divisim à prædicta sit sede indultum, vel inantea forsitan indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam & liberam potestatem tenore præsentium concedentes. Volumus autem

ut de hiis quæ abinde recipere, & de quibus quittationem facere te contigerit, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum altero penes quos tanget dimisso, reliquum gentibus memoratis mittere non postponas. Datum Avenione II. calendas Septembris anno nono.

EPISTOLA CCXXX.

Ad Willielmum Horborch bacalarium in decretis.

Instituit eum nuncium sedis apostolicæ in provincia Bremensi.

DIlecto filio Willelmo Horborch bachalario in decretis apostolicæ sedis nuncio, salutem & apostolicam benedictionem.

Gerentes de tua fidelitate ac circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, ac sperantes quod ea quæ tibi per sedem apostolicam committentur fideliter exequeris, te in Bremensi provincia ac civitate & diocesi Verdensi dictæ sedis nuncium, usque ad ipsius sedis beneplacitum, tenore præsentium deputamus ac etiam ordinamus discretioni tuæ, &c. *ut supra usque in finem dati ut supra.*

EPISTOLA CCXXXI.

Ad Woldemarum regem Daciæ.

Commendat ei Bertrandum episcopum Lubicensem apostolicæ sedis nuncium.

CArissimo in Christo filio WOLDEMARO regi Daciæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster BERTRANDUS episcopus Lubicensis apostolicæ sedis nuncius pro exequutione negotiorum nostrorum ac Ecclesiæ Romanæ & cameræ apostolicæ per nos sibi in illis partibus commissorum & committendorum in antea multum interdum favore & auxilio regio indigere noscatur. Nos attendentes sinceræ devotionis affectum, quem progenitores tui ad nos & Romanam Ecclesiam hactenus habuerunt, & tua sublimitas habere dinoscitur, & proinde sperantes quod tua serenitas hujusmodi negotia favorabiliter prosequetur, serenitatem eamdem rogamus & hortamur attente, quatenus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, præfatum episcopum ac deputatos & deputandos ab eo ad exequutionem negotiorum hujusmodi, ipsaque negotia habens propense & efficaciter commendata, sic ea tui favoris auxilio prosequaris, quod ipsa dante Domino prospere dirigantur: nosque devotionem regiam possimus dignis in Domino laudibus commendare. Datum Avenione nonis Septembris anno nono.

In eodem modo, carissimo in Christo filio .... regi Norwergiæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

In eodem modo, carissimo in Christo filio .... regi Sueciæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

EPISTOLA CCXXXII.

Ad Deodatum episcopum Agennensem.

Ut cum comite Perdiaci incumbat ad procurandam pacem inter Gastonem comitem Fuxensem & Arnoldum Dominum de Lebreto.

VEnerabili fratri DEODATO episcopo Agennensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Pacis æmulus fidelium invidens unitati, exclusus diebus non longe præteritis de Vasconiæ partibus, ubi longis retroactis temporibus in guerrarum turbinibus suæ malignitatis exercuerat pravitatem, adhuc prout nuper dolenter accepimus circuit partes ipsas, nova in eis satagendo spargere odia, & suscitare discordias, cum antiquorum jam careret pestifero nutrimento. Ad nostrum siquidem, non sine multa nostræ mentis amaritudine, pervenit auditum, quod inter dilectos filios nobiles viros GASTONEM comitem Fuxensem & ARNALDUM Dominum de Lebreto & eorum sequaces graves dissensiones & guerræ sunt noviter suscitatæ, & in futurum crescere, nisi concordiæ apponatur remedium, probabiliter formidantur. Nos igitur, qui licet indigni vices illius in terris gerimus, qui recedens ab ipsis pretiosissimum pacis thesaurum pro sua hereditate fidelibus dereliquit, ut de omnium quorum sumus saluti & custodiæ deputati divinitus, odiis & discordiis dolemus ab intimis, ac de dictorum nobilium & eis subjectorum ac circumstantium populorum, qui vix gustata tranquillitatis dulcedine, ad bellorum amaritudinem sic protinus reducuntur, dissensionibus & guerris tanto dolemus acerbius quanto majora ex eis animarum & corporum provenire pericula pertimemus, paternis desideriis affectantes, quod inter eosdem nobiles pax & concordia reformetur, ac sperantes quod tuæ circumspectionis industria unitatis amatrix, prout decet tuum officium pastorale, ad hoc se reddet ferventi solicitudine studiosam. Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus una cum dilecto filio nobili viro comite Perdiaci, cui super hoc similia scripta nostra dirigimus, ad præsentiam dictorum nobilium personaliter festinus accedens, inter eos factis & stabilitis prius per ipsos treugis & sufferentiis usque ad certum tempus congruum, de quo tibi & præfato comiti Perdiaci videbitur expedire, pacem & concordiam studeas reformare, ad hoc nobiles ipsos de parte nostra discretis & caritativis monitis & consiliis, prout tibi ministrabit Altissimus, efficaciter inducturus. Datum Avenione IX. Septembris anno nono.



EPISTOLA

A

EPISTOLA CCXXXIII.

Ad comitem Perdiaci.

Ejusdem argumenti.

DIlecto filio nobili viro... comiti Perdiaci, salutem & apostolicam benedictionem.

Pacis æmulus, &c. *usque* sperantes quod tuæ nobilitatis industria unitatis & quietis amatrix ad hæc se reddet promta solicitudine studiosam, eamdem nobilitatem rogamus & hortamur attente, quatenus ob reverentiam Dei ac apostolicæ sedis & nostram, ac commodum partium prædictarum, una cum venerabili fratre nostro... episcopo Agennensi, cui super hiis similia scripta dirigimus, ad præsentiam dictorum nobilium personaliter festinus accedens, inter eos factis & stabilitis prius per eos treugis & sufferentiis usque ad certum tempus congruum, de quo tibi & præfato episcopo videbitur expedire, pacem & concordiam studeas reformare, ad hæc nobiles ipsos ex parte nostra tuis providis monitis & consiliis inducturus. Datum Avenione nonis Septembris anno nono.

B

EPISTOLA CCXXXIV.

Ad Gherlatum de Honvels cantorem & Johannem de Marborch canonicum ecclesiæ Magdeburgensis.

Ut collectas ab Ottone archiepiscopo pecunias in provincia Magdeburgensi suis nunciis tradant.

DIlectis filiis Gherlato de *Honvels* cantori & Johanni *de Marborch* canonico Ecclesiæ Magdeburgensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes & singulas pecuniarum quantitates & summas per vos & bonæ memoriæ OTTONEM archiepiscopum Magdeburgensem in civitate & diocesi Magdeburgensi ex biennali subsidio per nos dudum ibidem imposito, nomine cameræ apostolicæ receptas & collectas, dilectis filiis Hermanno de Werberghe, & Bernardo de Seulenborch canonicis Ecclesiæ Magdeburgensis in civitate & diocesi prædictis ac provinciæ Magdeburgensis apostolicæ sedis nunciis vel eorum alteri, aut alii, seu aliis ad hoc ab eis vel eorum aliquo potestatem habentibus, omni mora postposita ac sine diminutione quacumque tradatis realiter, ac etiam assignetis. Nos enim eis quittandi & absolvendi vos plenarie per se, vel alium seu alios de hiis dumtaxat quæ à vobis exinde receperint plenam & liberam concedimus per alias nostras litteras facultatem. Datum Avenione nonis Septembris anno nono.



EPISTOLA CCXXXV.

Ad Hermannum de Werberghe & Bernardum de Seulenborgh canonicos Magdeburgenses.

Ut recipiant pecunias ab Ottone archiepiscopo Magdeburgensi collectas.

DIlectis filiis Hermanno de *Werberghe* & Bernardo *de Seulenborgh* canonicis ecclesiæ Magdeburgensis apostolicæ sedis nunciis, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectis filiis Gherlaco *de Honvels* cantori & Johanni *de Marborch* canonico ecclesiæ Magdeburgensis demus per alias nostras litteras in mandatis, ut omnes & singulas pecuniarum quantitates & summas per eos & bonæ memoriæ OTTHONEM archiepiscopum Magdeburgensem ex biennali subsidio per nos dudum clero illarum partium imposito, cujus collectores in civitate & diocesi Magdeburgensi extiterunt, nomine cameræ apostolicæ receptas & collectas vobis vel altero vestrum potestatem habentibus omni mora postposita, & sine diminutione quacumque, tradant realiter & assignent, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios hujusmodi pecuniarum quantitates & summas ab eisdem Gherlato & Johanne sine dilatione quacumque petere, exigere, ac recipere, vobisque tradi & assignari facere cum integritate curetis. Contradictores cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant; etiamsi pontificali vel quavis alia præfulgeant dignitate, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstanti si eisdem Gherlato & Johanni vel quibusvis aliis communiter vel divisim à sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim vobis quittandi & absolvendi plene per vos vel alium seu alios præfatos Gherlatum & Johannem de hiis dumtaxat, quæ ab eis recipere vos continget, plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus autem quod de hiis quæ ab eis receperitis duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, nostris communita sigillis, quorum uno penes dictos Gherlatum & Johannem dimisso, reliquum ad eamdem cameram à vestigio transmittatis. Datum *ut supra.*

C D E F

LITTERÆ DE MENSE NOVEMBRI ANNO NONO.

EPISTOLA CCXXXVI.

Ad Johannam reginam Jerusalem & Siciliæ.

Pestis grassantis pericula evasisse se scribit, ejusque precibus se commendat.

CArissimæ in Christo filiæ JOHANNÆ Hierusalem & Siciliæ reginæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Magnæ laudis præconia tua meretur devota serenitas, quæ habens cor ad Dominum, qui te in sui timoris & amoris benigna benedictione prævenit, & ea quæ sibi sunt placita ferventi devotione præmeditans, ad ipsius in terris vicarium ex intimis tui cordis afficeris, dum ejus personæ salutem, velut patris carissimi peroptas assidue desiderio filiali, quod tua declarat epistola nuper per latorem præsentium nobis missa, per quam ob lethalem pestem quæ peccatis exigentibus in istis partibus viguit, dubia & anxia status nostri de ipso tibi per apostolicas litteras B notificari certius devotæ supplicationis instantia postulasti. Digne igitur desideriis tuæ celsitudinis caritate resperfis, inquisitione sollicitis & exspectatione molestis grata celerique responsione satisfacere cupientes, eidem serenitati ad optatæ consolationis lætitiam significamus, quod illius clementia, in cujus manu cunctorum mors & vita consistit, nos à dictæ pestis periculo non nostris meritis, sed ipsius benignissima gratia, tuis & aliorum fidelium devotis intercessionibus inclinatus misericorditer liberavit, & licet hiis C diebus consueta guttæ fuerimus infirmitate percussi, tamen illo faciente à quo salus nostra dependet, recuperavimus sanitatem. Tu itaque ex hiis tui voti satisfactionem gratanter grateque recipiens, in Domino conforteris, illique laudes exsolvas humiliter, à quo tantum noscis beneficium processisse, ac preces devote perfundas, & per sanctas & devotas tui regni personas fundi sollicites pro utriusque nostri hominis sospitate, ipsius opitulante gratia in suis beneplacitis exercendo. D Datum Avenione XVII. calendas Novembris anno nono.

EPISTOLA CCXXXVII.

Ad Eduardum regem Angliæ.

Petit ab ecclesiis regni sui caritativum subsidium.

Carissimo in Christo filio Edwardo regi Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius Simon abbas monasterii Ferrariensis Senonensis diocesis lator præsentium pro certis agendis ad regnum tuum Angliæ sit de proximo profecturus, eum virum utique scientificum ac discretione pollentem nostrumque & Ecclesiæ Romanæ devotum de urgentibus necessitatibus ejusdem Ecclesiæ, de quibus serenitati tuæ per dilectum filium Guidonem de Brien militem & nuntium tuum nuper à nostra præsentia discedentem aperuimus mentis nostræ propositum, quod ex instanti necessitate & ingentis periculi status ejusdem Ecclesiæ proximitate causatur, duximus informandum. Quare sublimitatem tuam, quæ in tanta indigentia eidem Ecclesiæ matri suæ debet filialiter compati, monemus, hortamur & obsecramus in Domino, quatinus prudenter & devote considerans, quod aliæ orbis Ecclesiæ in necessitate prædicta præfatam Romanam Ecclesiam promtis & caritativis subsidiis adjuvarunt, & quod Ecclesiæ regni tui, quas temporibus quibus guerrarum turbinibus vexabaris, licet nos vexaremur similiter, patienter in hac parte supportare curavimus, nunc pacis auctore præstante in tranquillitate consistunt, & sine ipsarum gravamine magnum nobis possunt subsidium impertiri, moleste non feras, quod eædem dicti tui regni ecclesiæ petitæ subventionis auxilium nobis præstent, quin immo prout de promta & devota celsitudine tua confidimus & speramus, ut votivus nostræ petitionis sequatur effectus, auxilium tui favoris exhibeas liberaliter & benigne: super quo præfato abbati de nostra in hac parte intentione informato plenarie adhibere velit tua præfata serenitas plenam fidem. Datum Avenione IV. nonas Novembris anno nono.

EPISTOLA CCXXXVIII.

Ad Eduardum principem Walliæ.

Commendat ei Simonem abbatem Ferrariensem suum ad regem Angliæ nuncium.

Dilecto filio nobili viro Edwardo principi Walliæ carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Angliæ illustris primogenito, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius Simon abbas monasterii Ferrariensis Senonensis diocesis lator præsentium, ad regnum Angliæ pro certis agendis de proximo dirigere debeat gressus suos: nos ejus prudentiam & devotionem quam ad Romanam gerit Ecclesiam cognoscentes, sibi quædam ardua & urgentia negotia Ecclesiæ præfatæ commisimus, per eum carissimo in Christo filio nostro Edwardo regi Angliæ illustri genitori tuo verbotenus exponenda. Igitur nobilitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus hiis quæ idem abbas tibi exposuerit ex parte nostra credulam fidem præbens, sibi in eisdem negotiis ob reverentiam nostram & apostolicæ sedis assistas consiliis & favoribus opportunis. Datum Avenione IV. nonas Novembris anno E nono.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro Johanni comiti Richemondiæ nato carissimi in Christo filii nostri Edwardi regis Angliæ illustris, salutem, &c.

In eodem modo, Venerabili fratri Simoni archiepiscopo Cantuariensi, salutem, &c. *usque exponenda*. Igitur fraternitatem tuam rogamus, &c. *usque in finem*.

F *In eodem modo*, Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Eboracensi.

In eodem modo, Venerabili fratri Guillelmo episcopo Vintoniensi.

In eodem modo, Venerabili fratri Thomæ episcopo Dunelmensi.

In eodem modo, Venerabili fratri Johanni episcopo Lincolniensi.

In eodem modo, Venerabili fratri GILBERTO A episcopo Carleolensi.

In eodem modo, dilecto filio JOHANNI electo Herfordensi.

In eodem modo, dilecto filio WILLELMO electo Roffensi.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro THOMÆ comiti Warvyci, salutem, &c. *usque* exponenda, igitur nobilitatem tuam rogamus, &c. B *usque in finem*.

In eodem modo, dilecto filio nobili viro RICARDO comiti Arondelliæ.

Item eodem modo, dilecto filio . . abbati monasterii Wastmonasterii extra muros Londonienses, *mutatis mutandis*.

In eodem modo, dilecto filio Johanni *de Bouquinghan* decano ecclesiæ Lichefeldensi. C

EPISTOLA CCXXXIX.

Ad Guidonem de Brien militem.

Laudat eum quod Ecclesiæ apud regem Angliæ negotia impigre exsequutus fuerit.

DIlecto filio nobili viro Guidoni de Brien militi Menevensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. D

Apostolicæ commendationis præconio tua devota nobilitas meretur attolli, pro eo quod sicut fide digna relatione percepimus, tu ea quæ devotioni tuæ de arduis & urgentibus negotiis apostolicæ sedis commisimus, per te ex parte nostra carissimo in Christo filio nostro EDWARDO regi Angliæ illustri vivæ vocis oraculo exponendo, tamquam benedictionis filius eidem regi exposuisti fideliter & prudenter. E Tuam igitur sinceritatem proinde condignis gratiarum actionibus prosequentes, te rogamus & hortamur attente, quatinus sic studiose & favorabiliter apud dictum regem & alios, de quibus tua prudentia expedire cognoverit, prosequi studeas quod laudabiliter in hac parte incœpisti, quod ultra præmium superni regis, pro cujus laboras Ecclesia, nostram & dictæ sedis benivolentiam in tuis & tuorum opportunitatibus uberius merearis. Ceterum cum dilectus filius SIMON abbas monasterii Ferrariensis Se- F nonienfis diocesis lator præsentium ad regnum Angliæ pro certis agendis accedat, sitque de nostra intentione plenius informatus, nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus eidem abbati super hiis quæ de prædictis negotiis ex parte nostra tibi retulerit adhibeas plenam fidem. Datum Avenione IV. nonas Novembris anno nono.

EPISTOLA CCXL.

Ad Johannem regem Franciæ.

Negat ei quæ postulaverat pro Andruino cardinali, quem ad Romanam curiam remitti petit, nisi regiis negotiis necessarius aliquanto tempore remanere permittatur.

CArissimo in Christo filio JOHANNI regi Franciæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Regiæ celsitudinis litteras gratanter recepimus, & eas paterna benevolentia intelleximus diligenter, continentes, ut propter certa tradenda negotia te & regnum tuum tangentia, dilecto filio ANDRUINO S. R. E. presbytero cardinali remanendi licentiam usque ad certum tempus, ac privilegia, honores, & gratias, nec non procurationem seu stipendiorum receptionem solita concedi nunciis apostolicæ sedis qui de latere transmittuntur, concedere, ac capellum rubeum sibi ad partes ipsas transmittere dignaremur. Super quibus eidem regiæ celsitudini respondemus, quod nos licet in hiis & aliis tibi gratiis, quantum cum Deo possemus, nostrum libenter impertiremur assensum: proinde tamen advertentes quod hæc absque consilio & consensu fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium in consistorio, prout ea de more præstandis, contra antiquam & laudabilem dictæ sedis consuetudinem, quam non decet infringi, concedere non debemus, & quod Ecclesiæ dicti regni ex præteritarum concussione guerrarum cum diversis oneribus tam elapsis, quam adhuc durantibus sunt nimium aggravatæ, propter quod eas interna compassione prosequimur, & quantum possumus à majori gravamine paternis affectibus præservamus, quodque hujusmodi consilium & consensum, prout firmiter credimus, non possemus, sicut nec deberemus habere; ex quo utique non obtento nostro, tuæque magnitudinis & cardinalis præfati derogaretur honori, præmissa coram fratribus eisdem proponere consulta deliberatione duximus omittendum. Quare cum ad prædicta negotia in quibus ordinatione debita disponendis tractus longi forsan temporis opportunus exigitur, per alium seu alios quam per cardinalem prædictum absque Ecclesiarum regni præfati onere, quod regalis pietas debet evitare, pro viribus, speremus posse feliciter consummari, & nos ejus præsentia propter quamdam suæ circumspectionis industriam & fidele ac salubre consilium in arduis nostris & Ecclesiæ universalis agendis, quæ ad alveum sedis præfatæ incessanter confluunt plurimum egeamus. Cardinalis quoque ipse carens stipendiis & capelli proventibus, & ut verisimiliter credimus facultatibus non abundans, sic stando diutius nimis gravetur expensis, secundum sui status decentiam faciendis, quæsumus, tuamque sublimitatem, quam Altissimus eximiæ discretionis munere insignivit, rogamus & hortamur attente, quatenus præmissa mature considerans, moleste non feras si in hac

parte impleri non sentias votum tuum, sæpe dictum cardinalem ad curiam Romanam accedere quam cito commode poterit ad subeundum onus humeris suis impositum benignitate regia permissurus. Verum quia ad te & regnum tuum prærogativa specialis dilectionis afficimur: volumus ut præmissis non obstantibus, si præsentia dicti cardinalis adeo te noveris indigere, quod negotia ipsa de quibus nobis scripsisti sine ipsorum periculo & jactura per alium quam ipsum tractari, & optato fine terminari non possint, remanere valeat, & negotiis ipsis intendere usque ad festum Ascensionis Dominicæ proxime secuturum, super quo per alias nostras litteras sibi licentiam impertimur. Procurationes autem seu stipendia sibi concedere, ac capellum rubeum transmittere ex causis hujusmodi non valemus. De beneficiis vero præfato cardinali conferendis, de quibus nobis in eisdem tuis litteris supplicasti, eidem & aliis cardinalibus, quos unà cum eo nuper assumsimus, providimus quantum melius potuimus sibi celsitudinis prædictæ intuitu; & quia ipsum sincere diliximus & diligimus in hoc specialiter deferentes. Ceterum super præmissis tuæ magnitudini latius exponendis dilectum filium SIMONEM abbatem monasterii Ferrariensis Senonensis diocesis latorem præsentium, de nostra intentione plenius informatum, ad tuam præsentiam destinamus, cui super hiis quæ circa prædicta tibi ex parte nostra retulerit, adhibeas plenam fidem. Datum Avenione IV. nonas Novembris anno nono.

EPISTOLA CCXLI.

Ad Andruynum cardinalem.

Permittit ei cum rege remanere usque ad festum Ascensionis.

DIlecto filio ANDRUYNO S. R. E. presbytero cardinali, salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper carissimus in Christo filius noster JOHANNES rex Franciæ illustris in suis litteris, quas nostro apostolatui destinavit, asserens præsentiam tuam negotiis regni sui & præsertim Britanniæ, de quibus informatum te dicit, adeo existere opportunam, quod sine ipsa præfata negotia probabiliter periculum incurrerent & jacturam, nobis supplicavit instanter, ut tibi in ipsis partibus pro felici terminatione negotiorum hujusmodi licentiam remanendi, ac privilegia, gratias, & procurationes, & alia concedi solita cardinalibus in dicto regno apostolicæ sedis nunciis concedere, ac providere de beneficiis, & capellum rubeum mittere dignaremur, nosque super hiis deliberatione matura præhabita eidem regi respondemus per apostolicas litteras tenoris præsentibus interclusi. Licet igitur tua præsentia careamus inviti, nolentes tamen propter nostram deliberationem eisdem negotiis quæ utique insident cordi nostro generari præjudicium vel jacturam, cum nos statum ignoremus eorum, qui ut idem rex asserit & verisimiliter credimus, plenarie tibi notus existit, tibi remanendi in dictis partibus usque ad festum Ascensionis Dominicæ proxime secuturum pro dictis negotiis feliciter, auctore Domino disponendis, si hæc tua circumspectio oportere cognoverit, super quo tuam oneramus prudentiam, plenam licentiam tenore præsentium impertimur. Ceterum super hiis tuæ discretioni latius exponendis, dilectum filium SIMONEM abbatem monasterii Ferrariensis Senonensis diocesis, latorem præsentium, ad te venientem de nostra intentione fecimus plenarie informari: cui super hiis quæ circa prædicta tibi ex parte nostra retulerit adhibeas plenam fidem. Datum Avenione IV. nonas Novembris anno nono.

EPISTOLA CCXLII.

Ad Eduardum regem Anglorum.

Ut electus Londoniensis per procuratorem fidelitatis sacramentum ei præstare possit.

CArissimo in Christo filio EDUARDO regi Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nuper Londoniensi ecclesiæ tunc vacanti de persona dilecti filii SIMONIS electi Londoniensis nobis, & fratribus nostris ob grandium suorum exigentiam meritorum accepta duxerimus providendum, nostrumque causarum apostolicum Palatium, cujus idem SIMON longo tempore fuit auditor, majori nunc parte bonorum, & expertorum auditorum ipsius ex mortalitatis peste sicut Domino placuit destitutum, ipsius electi præsentia propter ejus magnam & expertam sufficientiam ad tempus indigeat, & propterea idem electus ad præstandum celsitudini tuæ ratione temporalitatis ejusdem Ecclesiæ solitum juramentum personaliter se ad præsens transferre non possit; eamdem celsitudinem rogamus attente, quatenus ipsos electum & ecclesiam sibi commissam habens pro nostra & apostolicæ sedis reverentia propensius commendatos, præstationem hujusmodi juramenti, vel hic ab eodem electo in manibus alicujus à te super hoc potestatem habentis, vel in partibus à procuratore ipsius electi ad hoc speciale mandatum habente, de benignitate regia placeat acceptare, ac juramentum præfatum nostrarum precum intuitu quoad omnia ad quæ electus ipse tenetur reputare sufficiens, ac si ipse personaliter illud in tuis manibus præstitisset, & nihilominus cum idem electus ad Ecclesiam præfatam accesserit, dictum juramentum, si volueris, recipere poteris ab eodem. Datum Avenione IV. calendas Novembris anno nono.



EPISTOLA CCXLIII.

Ad Eduardum principem Walliæ.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro Eduardo principi Walliæ carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Angliæ illustris primogenito, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum nuper, &c. *usque* idem electus ad præsentiam carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Angliæ illustris genitoris tui ad præstandum sibi ratione temporalitatis ejusdem Ecclesiæ solitum juramentum personaliter se ad præsens transferre non possit, regiam celsitudinem per nostras litteras deprecamur, quod, &c. *usque in finem mutatis mutandis.* Quocirca cum preces & suasiones tuas in hac parte apud regem præfatum reputemus plurimum valituras, nobilitatem tuam rogamus attente, quatinus penes eumdem tuum genitorem, ut precibus nostris benigne annuat, ut speramus, tuæ persuasivæ interventionis instantiam efficaciter interponas. Datum *ut supra.*

In eodem modo, venerabili fratri Guillelmo episcopo Vvintoniensi, salutem, &c. cum nuper *&c. ut supra mutatis mutandis usque* valituras. Fraternitatem tuam rogamus, &c. *ut supra usque in finem.*

LITTERÆ DE MENSE JANUARII ANNO NONO.

EPISTOLA CCXLIV.

Ad Eduardum regem Anglorum.

Concedit ei dispensationem super matrimonio primogeniti sui & alia postulata.

Carissimo in Christo filio Eduardo regi Angliæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectum filium nobilem virum Nicolaum de Lowain militem & nuntium tuum latorem præsentium, ac litteras regiæ serenitatis gratanter recepimus, & expetita nobis prudenter per eumdem Nicolaum tam de revocatione processuum dudum habitorum ad instantiam bonæ memoriæ Thomæ episcopi Eliensis, quam de aliis per tuam excellentiam commissis eidem, & contenta in eisdem litteris intelleximus diligenter, auditoque inter alia quod excellentia tua S. R. Ecclesiæ matri suæ in ejus tribulationibus affectu filiali compatiens, apud prælatos & alium clerum regni sui adeo efficaciter interposuit partes suas, quod iidem prælati & clerus pro defensione & recuperatione terrarum ejusdem Ecclesiæ in partibus Italiæ consistentium sponte obtulerunt certum subsidium nobis dare, tanto exinde magis gavisi fuimus, quanto sublimitatem tuam velut devotissimi ejusdem Ecclesiæ filii, ad ejus beneplacita promtiorem esse conspicimus, & factis evidentibus experimur, quantoque statum ipsius Ecclesiæ per tuæ continuandæ & semper de bono in melius, auctore Domino, augmentandæ devotionis præsidium speramus felicius prosperari. Tuam itaque devotionem magnificam ingentibus exinde laudibus in Domino commendantes, eidem plenas gratiarum referimus actiones, ipsamque rogamus attentius & hortamur; quatinus quod in hac parte principiis laudandis incepit usque ad speratum effectum, qui propter instantem necessitatem celer exigitur, prout idem nuncius tibi latius poterit explicare, regia solicitudine laudabilius prosequatur. Ceterum votis tuis prout nobis ex alto permittitur satisfacere cupientes, confirmationem dispensationis pro dilecto filio Eduardo primogenito tuo super matrimonio contracto per eum, quamvis hoc rarissime consueverit apostolica sedes concedere, & quasdam alias petitiones tuas nobis per militem præfatum exhibitas admisimus & concessimus gratiose. Verum quia cum dictus miles ad curiam Romanam accessit, eramus morbo guttæ adeo graviter impediti, quod talium agendorum expeditioni tunc vacare nullatenus poteramus, eamdem expeditionem per aliquos dies oportuit retardari. Quam cito tamen nedum curati sed alleviati fuimus, easdem confirmationem & petitiones ante omnes alias curavimus expedire. Super negotio vero dictorum processuum dilecto filio nostro Andruino S. R. E. cardinali in partibus Franciæ commoranti opportunam commissionem per litteras apostolicas de proximo faciemus, prout de hiis omnibus dictus miles, qui commissa sibi per tuam excellentiam prudenter & sollicite existit prosecutus, cuique super singulis nobis per eum nobis expositis plene respondimus, tuæ celsitudini referre latius poterit oraculo vivæ vocis, & in litteris nostris patentibus, quas super prædictis eidem nuncio tuo concessimus, plenius etiam videre poteris contineri. Datum Avenione xiv. calendas Januarii anno nono.

EPISTOLA CCXLV.

Ad Eduardum principem Walliæ.

Ejusdem argumenti.

Dilecto filio nobili viro Eduardo principi Vvalliæ carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Angliæ illustris primogenito, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectum filium nobilem virum Nicolaum de Lowain militem ac nuncium carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Angliæ illustris genitoris tui, latorem præsentium, ac litteras regiæ serenitatis & tuas gratanter recepimus, & exposita nobis prudenter per eumdem Nicolaum & contenta in eisdem litteris intelleximus diligenter, auditoque inter alia quod idem rex S. R. Ecclesiæ matri suæ in ejus tri-

bulationibus affectu filiali compatiens, apud A prælatos & alium clerum regni sui adeo efficaciter interposuit partes suas, quod iidem prelati & clerus pro defensione & recuperatione terrarum ejusdem Ecclesiæ in partibus Italiæ consistentium sponte obtulerunt certum subsidium nobis dare, tanto magis gavisi exinde fuimus, quanto sublimitatem ipsius regis velut devotissimi ejusdem Ecclesiæ filii, ad ejus beneplacita promtiorem esse conspicimus, & factis evi.entibus certius experimur, quantoque sta- B tum ipsius Ecclesiæ per suæ continuandæ & auctore Domino semper de bono in melius augmentandæ devotionis præsidium speramus felicius prosperari. Devotionem itaque dicti regis magnificam ingentibus exinde laudibus in Domino commendantes, & eidem gratias referentes, ipsum per apostolicas litteras attentius exhortamur, ut quod in hac parte principiis laudandis incœpit, usque ad speratum effectum, qui propter instantem necessitatem celer exigitur; prout idem nuntius sibi & tibi etiam latius po- C terit explicare, regia sollicitudine laudabilius prosequatur, & quia tua sincera devotio quam ad nos & eamdem geris Ecclesiam, paternos affectum & operam imitans, promtitudine filiali in prædicto negotio, prout præfati militis relatione didicimus, efficax studium solerter impendit: sinceritatem tuam proinde multipliciter commendamus, ac tibi referimus multas grates, nobilitatem tuam paternis affectibus exhortantes, quatinus beneplacitis apostolicæ sedis, quæ D velut filium prædilectum te diligit, semper devotus inhærens, ea ubi & quando opportunum extiterit, filialiter prosequaris. Nam exinde apud Deum meritum & in sæculo favorem & gratiam firmiter consequeris. Ceterum votis præfati genitoris tui, & tuis prout nobis ex alto permittitur satisfacere cupientes, confirmationem dispensationis pro te & dilecta filia JOHANNA conjuge tua super matrimonio inter te & ipsam contracto, quamvis hoc non consueverit dicta sedes concedere, & quasdam alias petitiones dicti regis & tuas nobis per militem præfatum E exhibitas admisimus, & concessimus gratiose. Et quia quando dictus miles ad curiam Romanam accessit, eramus morbo guttæ adeo graviter impediti, quod talium agendorum expeditioni tunc vacare nullatenus poteramus, eamdem expeditionem per aliquos dies oportuit retardari: sed quam cito nedum curati, sed alleviati fuimus, easdem confirmationem & petitiones ante omnes alias curavimus expedire, prout idem miles qui commissa sibi per eumdem tuum genitorem & te sollicite ac prudenter F extitit prosecutus, cuique super singulis per eum nobis expositis plene respondimus, tibi latius referre poterit oraculo vivæ vocis, & in litteris nostris patentibus quas super prædictis ejusdem regis nuncio præfato concessimus plenius etiam videre poteris contineri. Datum Avenione XIV. calendas Januarii anno nono.



EPISTOLA CCXLVI.

Ad Androynum cardinalem.

Mittit ei capellum rubeum, mandatque ut quam cito poterit ad sedem accedat apostolicam.

DIlecto filio ANDROYNO S. R. E. cardinali, salutem & apostolicam benedictionem.

Carissimi in Christo filii nostri JOHANNIS regis Franciæ illustris multiplicatis in hac parte precibus benignius annuentes, tuamque personam quam à Domino virtutum affluentia præcellentium meritorum ornatam, dudum tunc in partibus Franciæ de mandato nostro pro prosequutione quorumdam arduorum negotiorum præfatum regem ac regni sui tranquillitatem & pacem contingentium immorantem, ad apicem cardinalatus ereximus, consuetis insigniis honorare prærogativa præcipuæ gratiæ cupientes, capellum rubeum qualem alii venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales de manu summi pontificis, secundum antiquum & laudabilem morem curiæ Romanæ receptum gestare solent & debent temporibus consuetis, tibi qui adhuc de dicto mandato eidem prosecutioni dictorum negotiorum insistens, ad nostram de instanti tempore nequis præsentiam te conferre, licet hoc non fuerit sine magna causa fieri consuetum, ad preces tamen dicti regis quas super hoc pluries repetiit, & ob sinceræ dilectionis affectum, quem ad tuam personam gerimus, de speciali gratia per dilectum filium PETRUM de Mollissimis priorem de Altaclita ordinis Cluniacensis latorem præsentium destinamus, ut eo deinceps libere utaris, prout utuntur iidem alii ejusdem Ecclesiæ cardinales, non obstantibus quod capellum ipsum de manu nostra non receperis, & qualibet consuetudine hactenus in contrarium observata. Ceterum quamvis tibi ad dicti regis supplicationis instantiam pro dicta prosecutione felicius dirigenda licentiam remanendi in dictis partibus usque ad festum Ascensionis Domini proxime sequuturum duxerimus per certas nostras litteras concedendum: quia tamen propter emergentia quotidie nobis multiplicia & ardua Ecclesiæ universalis negotia, tua præsentia indigemus, si absque detrimento notabili dictorum tibi incumbentium agendorum, & cum regis præfati complacentia, ad apostolicam sedem posses etiam termino illo minime expectato accedere, hujusmodi accessum gratum non modicum haberemus. Datum Avenione XIII. calendas Januarii anno nono.

EPISTOLA CCXLVII.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Recusat eum revocare à sua legatione.

VEnerabili fratri Ægidio Sabinensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem,

Dilectum filium magistrum Nicolaum Spinelli legum doctorem nuncium tuum exhibitorem præsentium super hiis quæ nobis tam in præsentia fratrum nostrorum, quam aliàs curavit prudenter exponere, audivimus diligenter. Ad quorum tria in præsentia dictorum fratrum exposita præsentibus respondimus, videlicet quod licet præsentiam tuæ personæ, quam grandi scientia, salubris consilii providentia decoravit Altissimus, plurimum egeamus, eamque ad latus nostrum, prout geris in votis revocaremus libenter, si hoc absque periculo status Ecclesiæ Romanæ possemus. Consideratis tamen arduis & periculosis Ecclesiæ præfatæ negotiis tibi incumbentibus de præsenti, quibus informatus existis, & super hiis feliciter auctore Domino dirigendis, te posse credimus salubrius quàm alium providere, nobis & eisdem fratribus non videtur expediens quod moderno tempore ad Romanam curiam revertaris, sed cum eidem Ecclesiæ necessarius & multipliciter fructuosus existas, volumus & mandamus quod consuetos tuæ sollicitudinis indefessæ labores, quibus generosi animi nutriuntur, non recuses pro Dei & apostolicæ sedis reverentia, & multo fructu obedientiæ cum patientia supportare, sed eosdem labores utique necessarios voluntarius amplexeris, eadem prout commendabiliter admodum consuevisti prosequendo negotia, donec dicta sedes aliud in hac parte duxerit ordinandum. De recessu vero dilecti filii nobilis viri Gomesii Garciæ de Albornos nepotis tui rectoris civitatis nostræ Bononiensis, & de successore ipsius provido & fideli, tua disponat fraternitas, prout viderit expedire. Ceterum ad tua & familiarium tuorum examinanda regimina ac gesta, cum de tuis non expediat, & circa familiares eosdem, ut credimus, oculos tuæ circumspectionis frequenter aperias, nullum intendimus destinare, quin immo de fraternitate prædicta plenissime confidentes, tibi super examinatione gestorum aliorum nostrorum officialium specialem commissionem per apostolicas litteras præsentialiter destinamus. Datum Avenione XI. calendas Januarii anno nono.

EPISTOLA CCXLVIII.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Ut in Italiæ partibus inquirat de vita & moribus officialium sedis apostolicæ.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter curas multiplices sollicitudini sedis apostolicæ incumbentes, illud non mediocriter insidet cordi nostro, ut gesta nostrorum officialium & ministrorum, quos in diversis partibus & terris habemus, viri providi & fidelis subjiciantur examini, examinata probentur, & probata clarius elucescant, ut per talis solertis inquisitionis officium, bona laudem percipiant, mala vero si qua fuerint debito correctionis remedio reformentur. Sane cum, prout novit A tua fraternitas, in provinciis, civitatibus, castris, terris & locis in partibus Italiæ consistentibus, nobis & Ecclesiæ Romanæ subjectis, nonnullos officiales & ministros diversis nuncupatos nominibus habeamus, quorum regimen, gubernationem, administrationem, & obsequia geri fideliter & prudenter ac juste & pure absque subditorum gravamine, prout decet apostolicæ sedis ministros, & expedit statui ejusdem Ecclesiæ, intentis desideriis affectamus per tuam providentiam speciali mandato nostro fulcitam inquiri, B & circa ea, in illis videlicet in quibus defectus inveneris, prout expedire cognoveris, provideri: utile admodum reputamus eidem fraternitati, de qua in hiis & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, inquirendi auctoritate nostra per te vel alium seu alios viros fideles & providos, justitiæ & honoris nostri & prosperi status subditorum nostrorum fervidos zelatores, ex officio ac summarie, & de plano de prædictis regimine, gubernatione, administratione & obsequiis, C quorumcumque rectorum, vicariorum, potestatum, capitaneorum, ac judicum spiritualium & temporalium; nec non thesaurariorum, vicethesaurariorum, notariorum, castellanorum, & aliorum quorumcumque officialium, & ministrorum nostrorum & ejusdem ecclesiæ, quocumque nomine nuncupentur, & loca tenentium eorumdem, cujuscumque dignitatis, status & conditionis existant, in quibuscumque provinciis, civitatibus, castris, terris, & locis in eisdem Italiæ partibus constitutis, D ac nobis & Ecclesiæ prædictæ subjectis, eorumdemque thesaurariorum & vice thesaurariorum computa, & rationes videndi & examinandi, & ea quæ tu vel deputatus seu deputati à te in hac parte cognoveritis reformationis officio indigere reformandi, & deponendi, ac delinquentes condemnandi & puniendi, & ipsos ab eorum officiis suspendendi, & etiam totaliter amovendi, & alios eorum loco ponendi & substituendi, & alia omnia & singula circa prædicta & quodlibet eorum agendi, E quæ tibi & eisdem à te deputato seu deputatis necessaria, utilia, seu expedientia videbuntur, plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod iidem thesaurarii & vicethesaurarii computa, seu rationes administrationis eorum, officialibus seu gentibus nostræ cameræ nihilominus assignare & reddere teneantur. Datum Avenione XI. calendas Januarii anno nono.

EPISTOLA CCXLIX.

F Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Promittit ei ex Anglia subsidium pecuniarum, permittitque vicariatum urbis & comitatus Bononiensis ad tempus committere Carolo imperatori.

VEnerabili fratri Ægidio episcopo Sabinensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Meminimus quod dudum per dilectos filios

RAYMUNDUM abbatem monasterii sancti Victoris Massiliensis, & Michaëlem Martini camerarium tuum, ac magistrum Nicolaum Spinelli legum doctorem nuper continuatis insinuationibus apostolico auditui reserasti, quod magna expensarum onera, quæ in defensione civitatis & comitatus Bononiensis & aliarum terrarum Romanæ Ecclesiæ, præsertim provinciæ Romandiolæ necessario requiruntur, ex proventibus & subsidiis aliarum terrarum ejusdem Ecclesiæ, cum importabiliter sint gravatæ, nisi celeriter tibi magnam mitteremus pecuniam non valebas amplius sustinere: propter quod perditionis, quod absit, civitatis comitatus & terrarum hujusmodi periculum propter magnam potentiam BERNABOVIS de Vice-comitibus militis Mediolanensis, qui certam partem dicti comitatus occupat, ac civitatem & terras easdem indesinenter impugnat, probabiliter imminebat. Nos autem licet, prout huc usque potuimus, in hac parte duxerimus providendum, & providere, adjuvante Domino, secundum quod nobis possibile fuerit, intendamus, & ad præsens propter tenuitatem proventuum nostræ cameræ postulatum per te pecuniale subsidium mittere non possimus, sed speremus habere de regno Angliæ, & deinde tibi mittere pro defensione prædicta certum pecuniale subsidium, quod prælati & clerus dicti regni nobis dare in certis terminis obtulerunt. Considerantes tamen quod hujusmodi pecunia sic cito, ut expedit ad manus tuas non poterit pervenire, & quod propterea civitati, comitatui & terris præfatis magnum interim posset periculum evenire, ut quod minus malum esse posset electione provida eligamus, & tu nostra cognita voluntate & apostolica licentia & auctoritate munitus valeas tractare securius, & perficere firmius quod in hac parte pro bono statu ejusdem Ecclesiæ videris expedire, de tuis illibata fide & prægrandi prudentia in multis & arduis Ecclesiæ prædictæ negotiis comprobatis gerentes in Domino in hiis & aliis fiduciam pleniorem: super hoc cum aliquibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione præhabita, volumus quod si propter hujusmodi verisimile periculum tibi videatur expediens, cum carissimo in Christo filio A nostro CAROLO Romanorum imperatore semper augusto tractatum committendi sibi vicariatum ac regimen & gubernationem dictorum civitatis & comitatus usque ad certum tempus, de quo tibi videatur cum pactis, conventionibus, conditionibus, promissionibus, obligationibus, juramentis ac modis & formis, de quibus circumspectioni tuæ videbitur, prudenter recipias, ac perficias secundum quod honori nostro & Ecclesiæ memoratæ, ac quieti & paci dictorum B civitatis, comitatus & terrarum magis videris expedire, super quo tibi plenam tribuimus tenore præsentium facultatem, & nihilominus super commissione hujusmodi facienda alias litteras apostolicas in plena forma tibi curabimus destinare. Datum Avenione IV. calendas Januarii anno nono.

Quinque litteræ fuerunt factæ in forma præscripta videlicet una pro imperatore, una pro rege Ungariæ, C *una pro Rodulpho duce Austriæ, una pro Nicolao Marchione Estensi, & una pro quocumque potente viro seu communitate alicujus civitatis.*

EPISTOLA CCL.

Ad Ægidium episcopum Sabinensem.

Facultatem ei concedit tractandi de pace cum Bernabove.

D VEnerabili fratri ÆGIDIO episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

Meminimus, &c. *ut supra usque* tibi videatur expediens cum dicto Bernabove, qui, tu à fide dignis audivimus, paratus est ad concordiam devenire, tractatum pacis & concordiæ cum pactis conventionibus, condictionibus, promissionibus, obligationibus, juramentis, ac modis E & formis, de quibus circumspectioni tuæ videbitur, prudenter incipias & perficias secundum quod honori nostro & Ecclesiæ memoratæ ac quieti & paci dictorum civitatis comitatus & terrarum magis videris expedire: super quo tibi plenam tribuimus tenore præsentium facultatem: & nihilominus super hiis quæ circa prædicta firmaveris alias litteras apostolicas in plena forma tibi curabimus destinare. Datum *ut supra.*

EXPLICIT.

ACTA



ACTA VARIA DE SCHISMATE PONTIFICUM AVENIONENSIUM.

Ex variis manuscriptis.

EPISTOLA ANGLICI Albanensis episcopi & Petri tituli sancti Anastasiæ presbyteri, cardinalium, ad Petrum Gandelini Castellani sancti Angeli.

Mandant castrum S. Angeli Urbano VI. restitui.

Anno 1378. *Ex ms. Colbertiano.* MISERATIONE divina ANGLICUS Albanensis episcopus & PETRUS tituli S. Anastasiæ presbyter cardinalis, dilecto nobis in Christo nobili viro PETRO Gandelini de S. Aspino domicello castellano castri S. Angeli de Urbe ad Romanam ecclesiam pleno jure pertinentis, salutem in domino.

Noveritis quod nuper reverendissimi in Christo patres ac domini, domini ÆGIDIUS Tusculanus, JOHANNES Sabinensis episcopi, ac GUILLELMUS tituli S. Vitalis presbyter, & HUGO S. Mariæ in Porticu diaconus cardinales, & nos una cum eisdem vestras recepimus litteras in effectu continentes, quod sanctæ memoriæ dominus noster GREGORIUS papa XI. ipso adhuc in humanis agente, & jam appropinquante ad mortem, vos ad ejus præsentiam vocaverit, & certis ex causis ipsum ad infra scripta moventibus voluit, ut asseritis, vobisque expresse mandavit, & maxime sub certis pœnis in hujusmodi vestris litteris contentis, ad hoc vinculo proprii juramenti tunc per nos in ejus manibus præstiti vos astrinxit, quod si eumdem dominum nostrum Gregorium migrari contigerit ab hac luce, nullo tempore dictum ca- A strum alicui personæ restitueretis seu assignaretis, nisi ad id omnium reverendissimorum patrum dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium tempore obitus sui in his partibus transmontanis existentibus accederet assensus, & demum eodem domino nostro, sicut Deo placuit, de medio sublato, ac sanctissimo in Christo patre & domino nostro, domino URBANO divina providentia papa VI. ad apicem summi apostolatus assumto, licet per eumdem dominum nostrum Urbanum & pro parte sua fueritis pluries debite requisitus, ut sibi dictum B castrum ad ipsam Romanam ecclesiam pleno jure pertinens, ut præfertur, restituatis, & assignare curaretis, ut dicebat: vos nihilominus dictas excusationes prætendentes, castrum hujusmodi recusastis sibi restituere & recusatis ad præsens, donec vobis super hoc nostrum præberemus assensum. Nos igitur ANGLICUS episcopus & PETRUS presbyter cardinales præfati, visis una cum aliis reverendissimis patribus dominis cardinalibus prædictis vestris litteris hujusmodi, & habito invicem consilio super ipsis, vobis, quantum in nobis est, expresse manda- C mus, & etiam hortamur attentius, quatenus præmissis non obstantibus, castrum hujusmodi præfato Domino nostro domino Urbano papæ VI. tamquam sacro-sanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ summo pontifici, vel alteri ad ejus mandatum restituatis indilate, & etiam assensum nostrum in hoc tenore præsentium præbentes, assensum credimus esse quem alii cardinales præfati vobis jam significaverunt per suas litteras, vel significabunt super præmissis eorum intentum. In quorum testimonium præ-

sentes litteras fieri mandavimus, quas nostrorum sigillorum signo fecimus roborari. Datum Avenione anno à Nativitate Domini MCCCLXXVIII. indictione I. die III. mensis Julii, Pontificatus Domini nostri Urbani papæ VI. anno I.

SERMO FACTUS PER DOMINUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM AD DEPOSITIONEM URBANI QUONDAM BARRENSIS ARCHIEPISCOPI.

In te respiciunt oculi totius Israel, ut indices eis quis sedere debeat in solio tuo. 3. Regum I. c.

Anno 1378. Ex ms. Gemmeticensi.

AUGUSTINUS ad Julianum in quadam epistola sic scribit: Quantalibet homo sermonum facultate præfulgeat, vel solertia disputandi, aut suavitate docendi, nisi Deus in hominis voluntate inserat veritatem, immittat caritatem, docendo tollat errorem, exhortando torporem; neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Frustra quippe operarius omnia moliretur extrinsecus, nisi creator latenter operaretur intrinsecus. Hæc Augustinus. Ut igitur ipse Spiritus omnium artifex, omnem habens veritatem, omnia prospiciens, nobis assistat, Advocatæ nostræ, quæ ipsius gratia plena est, patrocinium invocemus dicentes. *Ave Maria.*

In te, &c. Reginæ verba sunt ista. Ad quem? Ad David. Ob quid? Quia Adonias elatus in superbiam, cujus sermo cum Joab qui interpretatur Inimicus, & Abiatar qui interpretatur Peccatum suscitans, fecitque sibi currus & equites & principes exercitus, adeo ut tumultuarent & dicerent; *Vivat Rex*; & sic inthronizatus est Adonias: cum non esset electus à patre, intrusus pro rege se gessit. Sed quid sequutum est, si libet, attendite. Dum regina regi diceret verba thematis præassumti, rex vocavit Sadoch qui interpretatur Justus, Nathan qui interpretatur Donum Dei, & Banaïan qui interpretatur Visio Dei, ait *Ponite vobiscum servos Domini, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam & ducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos in regem super Israel, & Judam, & canetis tuba, & dicetis: Vivat Rex Salomon & ascendetis post eum, & venietis, & sedebit super solium meum.* Historia hæc de præterito vera figura est præsentis instantis negotii. Iste enim intrusus BARTHOLOMÆUS elevans se inaniter super se, & partes ejus qui non nisi uni inimicitiarum & suscitantium peccatum, hoc est populus & magistratus Urbis vere suscitantes peccatum detestabile impressionis stilo adamantino in mentibus hominum exaratum. Convertamus ergo oculos nostræ mentis ad reginam nostram Virginem gloriosam, ut coram Rege filio causam nostram dignetur proponere, & quomodo à rege post vocatæ oves & pascua ejus per invia & devia vagare incipiunt velut greges non habentes pastorem: qui enim nomen pastoris usurpat, pastor non est, quia per ostium non introivit, cujus cùm non sint oves propriæ, curæ non est custodire eas à lupis invadentibus, & leonibus rugientibus præparatis ad escam. Dic igitur, quæsumus Regina, Regi: Unice nate mi, & Domine mi, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis ipsis, qui eas pretioso sanguine redemisti, qui ad dexteram tuam eas constitues cùm judicaturus advenies. Tu auriga & currus Israel qui interpretatur Deum videns, quod propriè Christianorum est fidelium, qui Deum vident per fidem, nunc quidem per speculum & in ænigmate, aufer dissipatorem & constitue legislatorem & pastorem super eos, & pro Adonia in superbiam & per superbiam electo constitue eis Salomonem pacificum & mansuetum cum Sadoch, qui interpretatur Justus; & Nathan, id est Donum Dei; & Banaia, qui interpretatur Responsio Domini.

Igitur possumus thema nostrum ad sacrum præcelsumque collegium cardinalium hic præsentium congruè adaptare, dicentes; *In te sacrum collegium oculi respiciunt totius Israel, &c.* id est totius christiani populi, ut indices eis qui sedere debeat in solio tuo: tuo, inquam, quoad successorum electionem, non quoad sedis prælationem: & sic in jure multa nostra dicuntur quorum dominium nostrum est sicut mundus imperatoris, quod intelligitur quo ad protectionem, & negotia pupilli dicuntur esse tutorum, scilicet quo ad curam & sollicitudinem. Tuum ergo, ô sacrum collegium, est eligere, & consequenter indicare fidelibus, quis apostolico solio debeat ut verus papa sedere.

Dicet aliquis Domini nostri de collegio elegerunt BARTHOLOMÆUM, inthronizaverunt, coronaverunt, & ei ut summo pontifici reverentiam exhibuerunt: tenuit iste, & quasi possedit papatum & cathedram pastoralem; & quo ad consistoria & alia pro papa se gessit. Jam indicavit nobis quis sedere debeat, jam officium electionis finitum esse videtur. Hinc & hujusmodi dubitatoria facti serie, præcipua duo dubia formamus, si dubia dici possint. Fuerunt enim metus & impressio ante electionem per officiales Urbis & populum, & in ipso conclavi, & ante in ipsa electione, & post, cadentia in constantem virum, & continentia salutis periculum & corporis cruciatum.

Primum igitur dubium sit hoc. Utrum electio facta per Dominos nostros de BARTHOLOMÆO fuerit canonica, & sit aliqua ipso jure. Respondeo quod non sit canonica ipso jure, nec aliqua, sed nulla multis rationibus. Primò, dicit lex quod ubi agitur de jurisdictione extendenda seu proroganda, & est metus interveniens, reddit ipsum actum nullum. Textus est in l. II. ff. *de judiciis*. Sed in proposito agitur de maximæ jurisdictionis amplificatione & extensione, videlicet unius archiepiscopi in papam, qui quodcumque ligaverit, &c. Ergo electio nulla.

Secundò, sic per talem electionem agitur de maxima manumissione & libertatis præstatione electi, per quam exuitur ab omni manu & potestate, & ut præfertur regibus & principibus, ut ait propheta, ut ædificet & plantet, dissipet & evellat; sed si metus populi vel magistratus in libertatis datione interveniens, sic actum vitiat, ut postea sit nulla libertas. Textus est in l. *si privatus* ff. *qui & à quo*, ubi textus notan-

ter parificat impressionem populi & magistratus, quæ cùm utraque hæc fuerint, igitur nulla electio.

Tertiò sic, de summi pontificis agitur, sicut de collatione & concessione maximæ dotis, omnium scilicet rerum ecclesiæ Romanæ, quarum dispositio statim ipsi electo competit, ut expressè dicit decretum *In nomine Domini* XXII. di. ubi ponit exemplum de B. Gregorio statim post ipsam electionem de rebus ecclesiæ Romanæ disponente. Verum dotis constitutio vel promissio per metum extorta nulla est, ut l. *similiter* §. *si dos.* ff. *quod me causa.* Igitur, &c.

Quartò sic, inter electum & electores contrahitur matrimonium spirituale extra de elect. *Cum inter canonicos.* Sed matrimonium contractum per metum nullum est, ut in c. *cum locum* extra *de sponsa.* Igitur & multò fortiùs nullum erit hic matrimonium spirituale.

Quintò sic, actus contrahendi proculdubio principalis censetur ad actum auctorizandi l. *non dubium cum Simo.* Sed auctoritas per metum extorta nulla est, ut l. I. ff. de auct. tu. Ergo & multò fortius nulla erit sessio ipsa, ex qua aliàs canonicè facta plenum jus sortiretur electus.

Sextò sic, ubi ad contrahendum aliquem actum ex voluntate lex non stat in ipsius finibus voluntatis, sed ultra procedens requirit quod sit voluntas seu securitas libera, vel plena, vel æquipollenti vocabulo: unde si interveniant metus vel impressio, actus nullus est ipso jure. Ita notavit G. III. c. II. extra *quod metus causa.* Sed in proposito nostro, videlicet summi pontificis electione textus requirit quòd voluntas electorum sit libera, plena, & gratuita, & quod eligentes debent plena securitate gaudere, ut in allegato decreto *In nomine Domini. Si pravorum,* & capitulo *si periculum* extra de elect. l. VI. III. l. *qui* c. *de episcopi & cle.* Igitur metus & impressio reddiderunt talem nullam electionem.

Septimò & ultimò de hoc quæsito est determinatio expressa in allegato decreto *quod si quis contra hoc*, ubi textus expressè dicit, quòd talis electus videlicet tamquam antichristi invasor & destructor christianitatis separatus à liminibus sanctæ ecclesiæ abjiciatur. Notandum quòd dicit separatus, ergo ipso jure est. Nam canon latæ sententiæ ut l. *jubemus* § *sane de Sacro-sanct.* l. *in criminali .... qui semel* c. *quomodo & quando inibi per modernos.* Et hoc quantum ad primum dubium.

Ad secundum dubium non est insistendum, nam ad litteram rectè de hujusmodi quæsito est textus in decreto *Si quis pecuniam, in præcepti. Si duo* LXXIX. ubi textus in ipsum BARTHOLOMÆUM militari & populari tumultu & impressione electum vocat apostaticum, nec per inthronizationem & coronationem vel alios actus sequentes, quibus papatum tenuisse & tenere nititur, electio talis quæ de se nulla est aliquod robur assumsit. Et hoc notandum quòd textus allegatus decreti de inthronizatione & coronatione, & aliis actibus sequentibus ultroneis loqui videtur: Nam tales ambientes & reverentes, ut fautores & adhærentes puniendos censet, & in fine exprimitur alterius decreti, *In nomine Domini, Amen.* Quia si quis contra quod non esset de coactis hæc agentibus essent inexcusabiles omni jure: unde notandum & fortè non male teneo quod in hac causa tacitus consensus non sufficit odio tam detestabilis impressionis.

Sed hoc dubium non est necesse intrare, nec circa id insistere, cùm metus & impressio notoria fuerunt ante, in, & post electionem: nec est dubium quòd si Domini cardinales tentassent in Urbe vel solùm aliquid asserere contra hujusmodi electum talem, quod si ad populi vel magistratus notitiam devenisset, quòd fuisset eis salutis periculum, & hic notandum & advertendum ad duo quod hic intrusus incontinenti de inthronizatione egit, & continuò statim post de coronatione, & sic continuatim sicut sunt actus emanentes vel concurrentes Dominorum cardinalium, propter quod præsumitur continuatio metus & impressionis juxta notata in altera l. II. §. *quod metus causa.* Sed dato quod magnis intervallis hæc acta fuissent, donec duret causa metus & impressionis, ipse metus justus & excusabilis intervenisse præsumitur. Donec enim populus vel magistratus Romani supersunt, & in eorum furia existunt, illi quibus semel circa id factum semel est facta impressio justè timere putantur, & per metum illum actum approbare, & sic approbatio nulla: hic est textus sanè intellectus in l. *Fulcimus*, §. *quid latitare* ff. qui ex ea III. po. ca. & sic tenet & benè servi me in alio cui c. *ex præmissis elect.* Conclusum est quòd electio de tali intruso nulla fuit, nec est aliqua ipso jure, nec ex præmissis actibus dominorum cardinalium, & longa ipsius intrusi temporis occupatione sedis, vel papatus retentione, vel papalium actionum gestione seu administratione dicta electio robur assumsit. Et quod vos, sacrum collegium, debetis & potestis viduæ Dei ecclesiæ de bono & idoneo pastore celeriter providere: quia tunc dicta vestra decretalis extra *de electione*, ubi periculum, gravis est & onusta dispendiis & plena periculis ratione ecclesiæ prolixa vacatio, & ob hoc in te respiciunt oculi totius Israel, &c. Secundùm quod propriissimè ecclesia Christi sponsa universalis exclamatoria verba thematis ad Christum verum ejus sponsum lugubri expressione deprimit, ac si dicat ipsa ecclesia regina ad Christum Dominum verum regem: Ego immaculata columba tua, de tuo castissimo latere egressa sive in cruce, & ecclesiæ adulter hic non veretur me profanis amplexibus maculare: unde, Domine mi Rex, tu potes liberare oves quas tibi parturio, ab imperiis hujus exprobrantis tibi. Tuum est solium quod vacuum nunc est, tuum jure fundationis & pretio redemtionis, & communes filii mei, non ipsorum, sed tui sunt; & ideo oculi ipsorum in te respiciunt sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: Ubi Glossa secundùm quod nihil habeant quod non sit dominorum in necessitatibus eorum, ad eos solos recurrit, &c.

Ad te igitur verum Regem & Dominum, A
oculi respiciunt totius Israel, ut in eis, &c. Ex
quibus verbis duo nobis adsunt, primò fer-
vens desiderium unitæ multitudinis, cùm dici-
tur, *in te respiciunt oculi totius Israel*. Secundum
postulans remedium viduato regimini, cùm
adjungitur *ut indices quis, &c.* Circa primum
scitis Patres & Domini, quòd sicut homo ex-
terior ad sui integritatem requiritur quòd ha-
beat duos oculos corporales, duos interiores,
scilicet intellectus oculum & affectus. De primo
» Beda super epistolam Petri notabiliter ait: Ridi- B
» culosè quidem verba interpretati sunt, quod
» sicut fistula flatu oris humani resonat, nec ipsa
» solum intelligit quia insensibilis creatura est: ita
» S. Dei prophetæ quæ ore proferunt nec mente te-
» nent, juxta illud Maronis: dat sine mente sonum,
» quod imprudentium errorem esse claret, quo-
» modo scilicet tam sana consilia darent, si in-
» sanis similes, quæ loquerentur non intelligerent,
» aut quare videntes appellarentur, & qua ra-
» tione scriptum est, verbum quod vidit Isaias,
» aut quilibet alius propheta, nisi quod mentis C
» intuitu & intellectus oculo arcana conspicerent
» quæcumque suis auditoribus afferrent? De se-
cundo verò oculo affectus sponsus ait: *Vulne-
rasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor
meum in uno oculorum tuorum.* Canticorum IV.
Gregorii XI. elogium
Utroque enim oculo dulcissimo dominus Gre-
gorius papa XI. sponsam præcarissimè ada-
mavit. Respiciebat enim eam oculo præcelsæ
intelligentiæ & oculo diligentiæ vigilantissimæ.
Primum aperuit per suas profundissimas diffi-
nitiones, & scientificas & promtas responsiones, D
devotas & sanctas operationes, quibus sponsam
suam præcarissimè & mirificè adornavit, ut ille
sit, de quo sapiens ait: *Si Dominus magnus vo-
luerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse
tamquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ.*
Adamavit eam oculo vigilantissimæ benevolen-
tiæ. Ipse enim re & nomine Gregorius, quod
interpretatur Vigilans, maxima amoris firmi-
tate & dilectionis perseverantia dilexit eam,
ut pro recuperatione dotis ejus, pro pace &
quiete miseræ Italiæ importabiles labores passus, E
lugubria, suspiria & singultus, lacrymarum im-
bres sæpissime emittebat. Norunt qui circa eum
erant, quod dolor de sponsa & amor ad eam
fuerit in magna causa accelerationis mortis ejus,
ut meritò sponsæ dicere queat: *Pone me ut signa-
culum super cor tuum & super brachium tuum, quia
fortis est ut mors dilectio tua.* Cantic. ultimo.
Non morbo, non tempori, non carni pepercit
aut sanguini, in tempestate magna super pro-
cellas maris & fluctus pelagi, super pennas ven- F
torum, in periculis plurimis cum suis fratribus
ingratum pervenit ad locum, implevit consi-
lium Beati Hieronymi ad litteram, quod ad
» Heliodorum in quadam epistola, ubi dicit: Si
» parvulus ex collo pendeat nepos, si sparso crine,
» & scissis vestibus ubera quibus te lactavit mater
» ostendat, si parens in limine jaceat; percalca-
» tum perge parentem, tutis oculis ad vexillum
» Christi vola: Nam magnum pietatis genus est
» in hac re esse crudelem. Nunc tibi blandit vi-

dua, soror hæret lacertis, nunc illi cum quibus a- «
dolevisti, vernaculi aiunt, quibus nos servituros «
relinquis: nunc gerula, nunc quidem anus & nu- «
tricius, secundus post naturalem pietatem pa- «
ter clamitant morituros, expecta paulisper & «
sepeli nos: sed facilè vincit hæc vincula amor «
Christi & timor gehennæ, ac scriptura præci- «
pit parentibus obediendum: sed quicumque eos «
super Christum amat, perdit animam suam. «
Gladium tenet hostis ut me perimat, & ego de «
matris lacrymis cogitabo? Propter patrem «
Christi militiam deseram? Christi Domi «
no passuro tumidè Petrus consulens scanda- «
lum fuit, Paulus renitentibus fratribus ne per- «
geret Jerosolymam respondit: *Quid facitis plo- «
rentes & conturbantes cor meum?* Aries hic pietatis «
qua fides quatitur evangelii retundendus est «
muro. Et subdit consolabile verbum quod nunc
firmiter spero jam impletum à Domino Gre-
gorio sanctæ Romanæ, &c. Veniet postea dies «
quod victor revertar in patriam, quo Jerusa- «
lem cælestem vir fortis coronatus incedet: tunc «
municipatum cum Paulo capies, tunc ex pa- «
rentibus tuis ejusdem civitatis jus petes, & pro «
matre rogabis qui te oculis ut vinceres incitavit. «
Hieronymus. «

Unde & astantis christicolæ multitudinis o-
culi, cujus cor unum & anima una in te respi-
ciunt regem cælestem pacificum, ut illum des
nobis pontificem in terris, qui Gregorio
nedum in officio & potestate, sed in moribus
& sanctitate succedat. Quod sperare demus:
dicit enim Leo papa in quodam sermone: Si «
duorum vel trium pro consensu poposcerint, «
Dominus præstanda promittit; Quis negabit «
multorum unam observantiam pariter obse- «
quenti & per unum spiritum concorditer sup- «
plicanti? Et hoc de primo quod ipse, &c. circa «
secundum in sexdecim conditiones, licet pos-
sint ad breviorem numerum reduci, quas apo-
stolus ad Timotheum docet & Titum debere
in episcopo esse. Octo ponuntur affirmativæ, &
octo abnegativæ, scilicet episcopum irrepre-
hensibilem esse, non vinolentum, non iracun-
dum, non protervum, non litigiosum, non ava-
rum, non turpis lucri cupidum. Affirmativæ
conditiones quas alio ordine ponit sunt hæ, sci-
licet episcopum esse prudentem, sanctum, ju-
stum, modestum, hospitalem, continentem,
scientificum, & domui suæ bene disponentem.
Istæ conditiones in Gregorio floruerunt, ab
isto intruso exsulaverunt: & tamen ut se sua
voce damnaret, asseruit non esse verum episco-
pum, qui non haberet has conditiones, quod
falsum esse claret. Nam Paulus Petrum in fa-
ciem reprehensibilem esse ostendit & redarguit,
quia gentes judaïzare cogebat, sicut scribit ad
Galatas 2. Numquid igitur non fuit Petrus ve-
rus episcopus? Absit. De quo intruso & simili-
bus non intelligentibus sacram scripturam, ipse
Petrus in epistola scripsit: *Carissimus frater
noster Paulus secundum datam sibi à Deo scien-
tiam] & sapientiam scripsit in epistolis: in quibus
quædam sunt difficilia intellectu quæ indocti &
instabiles depravant ad suam & suorum perditio-*

nem. Oportet ergo de alio ecclesiæ viduatæ providere pastore, qui sedere debeat in solio tuo, Domine JESU CHRISTE, judicare judicia justitiæ tuæ, & servare devotissimas ceremonias tuas & laudare nomen tuum quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit sermo factus per Dominum Patriarcham Constantinopolitanum ad depositionem Urbani quondam Barrensis archiepiscopi, nunc in papatum intrusi ut dicitur.

LITTERA DOMINO CARDINALI Morinensi missa de Roma per quemdam suum olim familiarem domesticum.

Anno 1378. Ex ms. Gemmeticensi.

REverendissime Pater & benefactor unice, diu in cogitatum me jactavi, si vobis aliqua scriberem super schismate in præsentiarum exorto, maximè cùm fama volet ubique, quòd jam in partibus illis damnandæ novissimæ Babilonis, Avenionensis scilicet civitatis fetosæ, quæ superbum Ilium totius christianitatis futurum discrimen ambit & continet, potior hujus causa fuistis, quod firmè opinor, dum membratim recolo de non intrando Italiam verba vestra. Pungebant hinc ut scriberem fides & servitus, quibus vobis à pueritia sum astrictus: retrahebat me illinc pensamen ut non displicerem, ob quod debuissem, audaciter dixerim, displicuisse: maximè cùm auditu percepi vos in dicta materia profundatum. Desperationis enim spes magis quàm reductionis aderat, cùm juxta sententiam Petrarchæ obseratas aures nedum Homeri vel Ciceroniani, sed divinis nequidem fortè eloquiis aperire vanum est. Hinc, illincque excitatus postquam ab alia urbe discessi, distuli: finaliter fides & servitus me vicere. Zelo igitur quo pronus scribo, me dii deæque protegant & conducant. Quo igitur abiit, Pater reverende, vestræ conscientiæ cura seorsum? Quo deviavit prudentia vestra tota? Oculos enim linceos unusquisque prædicat vos habere, & ego scio qui novi & palpavi. Ubi honoris proprii propagatio? Ut mendaci famæ, immo infamiæ credentes, abjectis promissis in præcipicium vos trahatis? Creditisne, ut cum reverentia loquar, femineo more excæcati, ut versutia Gallica possit in divinis, maximè contra cælica instituta, & astutè operando, nubilare quod divinitus factum est, & à veritate aberrare? Qui sic cogitant, & in sensum reprobum sunt redacti. Nonne meministis, dominorum profundissime, quanto cum periculo illius sanctæ memoriæ vir GREGORIUS XI. Italiam petierit, & Babiloniam illam Avenionem, contra omnium suorum & aliorum preces & monita dimiserit? Meministis omnium rerum, utpote præcipuus inter alios, qui coloribus insipidis, ipsum conabantur à bono proposito deviare. Audistis de recessu ab illa felici & nostræ fidei fundamento alma Urbe, post factam, ut sperabat, cum liga pacem, tamquam canis ad vomitum rediens, disposuisse licet clam. Auditis-ne & nunc apertè videtis Dei miraculum utrobique, ut quasi

A coactus locum propriæ sedis petiisse, & non potuisse de recessu exequi quod paraverat? Audistis pendentibus exequiarum solemniis Gebennensem cum quatuor Italicis & duobus Ultramontanis Dominis cardinalibus ligam iniisse, & forsitan inhonestè. Ante conclavis introitum de creatione tanti vicarii loqui fas ne quidem erat, ne Lemovica rabies hereditate sanctuarium Dei possideret. Quo sequutum est, ut eorum discordia O. ad A. primam latinorum litteram

B revolaret, nec hic, ut reor, Dei defuit providentia. Nam si discordia in concordiam devenisset, hereditas Italica per tot annorum curricula ad christianos versa ad Lemovicos penitus remansisset. Sed audistis, vidistis, legistisne Dominorum Ultramontanorum litteras, quibus ore rotundo, lingua angelica veritatem testati sunt? Scripserunt namque vobis & aliis Dominis qui in Avenione degitis, utinam non sine periculo animarum sicut cum dedecore famæ, aliisque temporalium principibus, eos

C elegisse canonicè, liberaliter, concorditerque unum sanctum & justum, cujus sperabatur operibus bene Dei ecclesiam gubernari. Audistisne sex ex prædictorum Dominis post conclavis exitum, castrum sancti Angeli petiisse, locum inexpugnabilem & securum? Audistis-ne tres ex illis Urbis mœnia exivisse, & ad triginta quinque millia vel circase in tutissimis fortalitiis recepisse? Audistis-ne & eos qui in castro prædicto & qui extra Urbem profecti sunt, promtè, liberè, & non coactè exiisse, & non rediisse, venisseque ad conspectum apostolicum, ad eum inthroni-

D zandum, petendum absolutionem in mortis articulo, ut non solùm in temporalibus hoc est beneficiorum & officiorum collationibus, sed etiam spiritualibus actibus, eum verum pontificem faterentur? Audistis illum Dominum meum, quem fleo, Dominum scilicet Glandatensem cum instantia petiisse episcopalem titulum Hostiensem; & nunc se solùm Glandatensem appellat, nec hoc fortè sine mysterio factum est. Est enim ille titulus supremior post papatum, quem fortè Deus alteri reservavit. De consistorialibus acti-

E bus, rotulorum porrectione, & reverentiæ debitæ exhibitione, nihil loquor. Nam fortè, ut dicunt, metus in eis durabat adhuc. Sed advertatis precor, quem metum, quemque timorem, nedum in constantem, sed in mulieres nequidem aptum prætendere possent, qui in castro S. Angeli & locis extra Urbem se receperant; & venerunt, ut supra describitur, non coacti, nec ego video, nec ipsi ut opinor, bene vident. Quid ultra? Ille Ambianensis qui erat in Corneto tempore hujus benemeritæ & verissimæ

F electionis, quare venit Romam ad exhibendum Christi vero vicario reverentiam & referendum pacis tractatum, pro qua inerat tamquam nuncius papæ? Certè ipse nec coactus, nec vocatus advenit. Quis color, Pater reverende, potest allegari per illos sex præfatos Dominos in castro S. Angeli conferentes, ut mihi mandaverunt, quatenus cedulam facerem per quam committebant Dominis qui erant in apostolico palatio cum Domino nostro, eorum potestatem

ad eum inthronizandum, & unumquemque alium actum in summi pontificis personam faciendum, cui post testium advocationem unusquisque eorum suis propriis manibus se subscripsit. Certè non erat tunc tumultus populi, nec concio Sarracena, nec in campis erant, ubi possent pro libito insultari; immò in munitissimo castro, sicut per rei evidentiam nunc apparet. Audistis hæc omnia? Audite igitur ne abscondatur veritas sub modio, quæ dante Domino super candelabrum ponetur, ut illuminet omnes in domo Domini consistentes. Quare pro Deo, Pater reverende, resecatis terreni, quæ sursum sunt sapientes, non quæ super terram, abjiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis, nec falsis malignorum conatibus innitentes ambuletis in inviis, sed in via, almum Christi vicarium, URBANUM scilicet sextum teneatis, eique debitam fidem & devotionem exhibeatis. Nolite in mortis interitum dilabi maximè dum sine rumoribus infamia, dumque tonat sed nondum fulminat Mars horrendus. Alias autem hanc unam, ut hic finem imponam, epistolam invoco testem, patriarchæ dictum assumens, quod in unum perniciem amorem profero, sed pro viribus reluctavitis.

ALLEGATIONES ELECTI FAVENTINI NUNCII B. FACTÆ CORAM REGE CASTELLÆ.

Legatio ex parte Romani intrusi coram Castellæ & Legionis rege.

Anno 1378. Ex mss. collegii S. Hieronymi de Dela.

NUnc pro declaratione juris Domini nostri URBANI aliqua sub brevitate transcurram, quorum quædam apparebunt præparativa, quædam dispositiva, quædam probativa, quædam vero executiva & adminiculativa: ex quibus clare domini nostri justitia apparebit, prosequendo XVII. veritates inferius annotatas. Rediens ad primum protestor, quod loquar cum qua potero honestate, non ad alicujus infamiam sive odium, nec favorem alterius: & quia quædam quomodo domini Cardinales, qui pro duabus partibus & ultra erant Ultramontani elegerunt Italicum, posset dici quod incomprehensibilia sunt judicia Dei, sine quo nec folium cadit de arbore, tamen persuasivè respondet.

Prima veritas. Exortæ divisionis patefacta diversis vicibus in certis locis simul & separatim perdiversa colloquia super persona Ultramontanea communionis ac divisionis. Nam mortuo piæ memoriæ Domino GREGORIO, & separatim diversa colloquia super electione summi pontificis tenentes; tamen propter multas eorum voluntates, de nulla persona Ultramontanæ nationis concordare potuerunt, facientes Ultramontani de se duas partes, quarum una vocabatur Lemovicensis, videlicet episcopus Penestrinensis, cardinales de Agrifolio, Pictavensis, Majoris-monasterii, de Veruhio. Et hi quærebant habere papam dominum Pictavensem, vel saltem cardinalem Vivariensem. Alia pars vocabatur Gallicorum, & sub qua erant Gebennensis, Glandatensis, de Britannia, & S. Eustachii, quos sequebatur dominus de Luna & etiam dominus de Ursinis videbatur concurrere. Alii vero Italici stabant in se ipsis. Prædicti vero Gallici tendebant habere papam dominum S. Eustachii, qui dominus S. Eustachii quadam vice dictis Lemovicensibus in talia verba prorupit ex parte dominorum Gallicanorum, quod pro certo inter eos deliberatum erat, quod ista vice nullomodo haberent papam de natione Lemovicensi, subjungens quod totus mundus erat attædiatus de eorum dominio: & ex tunc dicta discordia fuit patefacta: ideoque qualibet pars tenebat consilium ad partem, tractantes cum Italicis. Ecce ergo veritas exortæ divisionis patefacta per multa verba: quæ in aliis attestationibus videbitur, ex qua divisione surrexit

Veritas secunda.... De subsequuto ordinationis. Nam revera illa pars obtulit se Italicis, dicens quod potius volebant Italicum, quam de natione Lemovicensi. Hoc deducto ad notitiam Lemovicensium, statim cœperunt cogitare viam supplantandi Gallicos, & scientes quod ex eorum vocibus non poterant habere papam de eorum natione vel sequela, concluserunt inter se eligere dominum archiepiscopum tunc Barrensem, propter speratum tunc favorem. Et ex aliis causis insertis in casu Serenitati Vestræ transmisso per præfatum dominum nostrum: quod hoc sit verum patet ex publica fama nunc & tunc in curia Romana vigente. Item quia dominus Pictavensis ad hoc requisivit dominum S. Petri mediante persona domini mei Reverendi domini NICOLAI de Cremona, nunc episcopi Brigiensis, utriusque juris doctoris, dominorum cardinalium familiaris & socii. Item patet per litteram domini Glandatensis scriptam per tres dies ante ingressum conclavis, cujus copiam debet habere pater meus Reverendus frater Infans PETRUS de Arragonia; & qui hoc indicavit domino de Agrifolio, cujus eidem domino nostro, sede vacante, dixit quod super humeros suos in brevi unum imponeret magnum onus: aliquid & sibi tetigit dominus Gebennensis prope ecclesiam S. Petri; sed expressius hoc dixerunt illi cardinales, qui promotores seu protectores erant dominæ reginæ, qui hoc dictæ reginæ ante ingressum conclavis per suas litteras scripsit, ut in ejus depositione in pubica forma videre poterit. Ecce ergo inclinatio dominorum cardinalium fuit in dominum nostrum ante ingressum conclavis, & sic falsum est quod extendunt de creatione vel metu, quoniam creatio est quando quis contra propriam inclinationem invitus traditur. Si quis bene inspiciat, secundum legem & mentem philosophi hoc ostendit

Tertia veritas superius tacta videlicet consultæ & pictæ factionis, nam sicut videbitis in supradicto casu, cum cardinales de Agrifolio & Pictavensis post ingressum conclavis inquisivissent verba Domini S. Petri & domini Mediolanensis, & ipsa reperissent tunc disposita in præfatum tunc Barrensem, & facta inter se ipsos

computatione quod sufficiebant ad canonicam electionem, & dixisset dominus de Agrifolio aliis dominis hæc verba: Domini, sedeamus statim, quia pro certo credo quod statim eligemus & habebimus papam, cardinalis de Ursinis dixit: Ex quo fonte dedit tale consilium? domini deferamus istam electionem, & deludamus istos Romanos, qui volunt & petunt papam Romanum, & fingamus nos elegisse unum fratrem Minorum Romanum, quem ego nominabo, & induamus eum cappa & mitra, & postmodum loco & tempore faciemus veram electionem. Ecce ergo consulta fictio quæ inspecta fuit. Nam episcopus Prænestinus cum suis sequentibus statim respondit in idolatriam saltem usque in diem declarationis, subjungens esse procedendum ad veram electionem, non obstantibus clamoribus seu pactionibus populorum, de quibus non est timendum. Ecce ergo quomodo fictionem prævenerunt & statim superexit

Quarta veritas supra posita, scilicet celebrata electio. Nam licet dominus Florentinus, qui primam vocem habebat per viam collationis visus fuit vota dominorum cardinalium trahere in Dominum S. Petri, quem ad papatum nominavit. Tunc domini Lemovicenses allegantes dominum S. Petri impotentem ad onera papatus, ex causis in dicto casu insertis, direxerunt vota sua in præfatum dominum nostrum: quibus votis computatis, repertum est eum habere ultra duas partes dictorum votorum. Tunc arguitur sic, electus est à duabus partibus, ergo verus papa est. Antecedens ipsi concedunt, consequentia probatur per caput *Licet* de elect. Sed ipsi contra dictam electionem timorem allegant, pro cujus exclusione

Pondero quintam veritatem, scilicet illius electionis occultationem, celebrata namque electione domini nostri præfati, consilium inter se tenuerunt, an esset expediens illam electionem publicare, & concluserunt quod non, & licet dicat quis partis adversæ quod quia populus fremebat, ideo non fuerunt ausi illam publicare, mirabile, mirabile dictum est hujusmodi, si populo impellente, & propter hoc timentes & ad vitandam mortem elegerunt dominum Barrensem, quod electionem suam non audebant publicare. Quis umquam audivit quod existens in periculo mortis noluit illud evitare? Et quis umquam audivit, quod volentes evitare mortis periculum absconderunt seu celaverunt causam evitationis, suæ liberationis? Sed revera ratio occultationis fuit, quod non imaginabantur satisfecisse populo, & per consequens metus quem attentatum per populum prætendunt, non impressit in mentibus eorum, neque eorum arbitrium absorbuit. Et hoc possit esse causæ quantumcumque intrinsecus attentatæ, ut prætendunt sicut probatur, & hi tres deliberaverunt ergo non publicari dictam electionem, & nec facto nec signo publicaverunt. Inserunt pro ipso, & non solum, sed adjunctis pluribus aliis prælatis, fingentes ab eis velle habere consilium, & interim fecerunt lætantes in conclavi, mandantes publicari & colligi res suas, ut asserunt qui audiverunt, & ut in attestationibus videre poteritis, dominus Gebennensis jocose dicebat inter alios Romanos *Le Velemo*. Interim venerunt prælati pro quibus missum erat: quibus existentibus in palatio, pransi sunt prælati per se, cardinales per se, & sumto prandio convenerunt de novo dicti domini cardinales, & tunc surgit

Sexta veritas, videlicet electionis reiteratio. Nam quidam ex dominis proposuit inter eos hoc modo: Domini aliqui isto mane quando eleginus dominum Barrensem fecerunt dubium de clamoribus Romanorum: nunc vero nullus clamor potest allegari, quia sunt omnia in quiete. Videamus ergo quid facere volumus. Et tunc quasi omnes seu saltem ultra duas partes ipsum dominum tunc Barrensem elegerunt. In cujus mente potest cadere quod talis reiteratio processerit ex timore? non enim supponit pars adversa impressores quos prætendunt petiisse reiterationem, cum ignorarent primam fictionem. Processit ergo ista secunda electio ex superabundanti voluntate, per quam ut etiam dixit pater meus dominus Johannes de Lignano, talis indictus est effectus. Quia si prima tenuit, ista secunda fit nulla, quia non potest geminare titulus beneficii in eodem subjecto. De elect. *ut quos duas*. Venit ad declarationem libertatis primi consensus. Si vero prima fuisset nulla, tunc secunda fuit aliqua juxta doctrinam Glossæ in cap. *Auditis*. Cum impressio non plus inficiat quam impressoris intentum sit. Et addendum quod non propter metum dicta reiteratio processit. Pondero quod ut adversantium casus habet, unus ex dominis in reiteratione electionis allegat metum divertere, & subditur in alio casu quod spreta fuit talis allegatio, & ipsa spreta processit talis dicta reiteratio à duabus partibus & ultra. Non ergo metus fuit in causa hujus actus, pro quo ergo surgit

Septima veritas, scilicet novæ formæ expressionis. Dixerunt quia tam in prima, quam in secunda electione, quod eligebant animo & intentione quod esset verus papa. Causa enim fuit exuberantia voluntatis, quia dixerunt non solum quod esset papa, sed quod esset verus papa: insolitum verbum & ideo sine aliquo conatu metus, nec consilium fictionis datum per dominum de Ursinis sequi intendebant, nec allegationem metus factam per alium ponderarunt: ad quid enim prudentes viri & famosi juris & facti expertissimi hoc dixissent, non capit naturalis imaginatio, cum ut dictum est in proximo, impressores quos prætendunt hoc non petierunt. Verum est quod Dominus S. Eustachii in suo confecto casu ponit quod pauci talibus verbis usi sunt, sed tamen quod omnes sic dixerunt patet ex casu dato à Johanne Lignano, qui secundum assertionem partis adversæ saltem fuit duorum Italicorum, ut sic haberet testimonium trium, quod validum est, licet, ut opinor, ille casus fuit omnium: sed postquam viderunt sibi ex illo concludi, confixerunt alium casum. Ecce sequitur

Octava veritas exclusiva præsumtæ dictæ fictionis, scilicet, notitiæ, & amicitiæ, copulationis. Fatentur enim dicti adversarii, quod do-

minus noster erat notus, & familiaris amicus erat, scientificus erat, expertus erat, bonæ conscientiæ. Non est ergo verisimile quod cogitassent tantam delusionem, & sic vituperosam in personam suam. Sed ipsi hoc tolerant hæc dicentes, quod intendebant ipsum religere in loco securo, quasi putarent quod locus sive metus attentatus, sive terrores extranei possent vitiare electionem prædictam in se ipsa liberam, & à libera voluntate procedentem. Et hic est magnus error, ut videtur, quia traditionem talem seu effectum rei gestæ non impedit. Tumultus enim popularis non excludit propterea liberam, canonicam, concordem electionem fieri non posse. Item videte errorem alium; dicunt quia eum intendebant reeligere, & ex alia parte ponunt eum ineligibilem, quia consenserat electioni quam dicunt factam in tumultu. Item, est hic ponderandum, quod illa talis conditio in diem seu locum per eos, ut dicunt, in mentibus intellecta, non potest plus operari, quam si fuisset expressa: Sed certum est, quod ubi fuisset expressa per eos, nihil fuisset operata, tamquam à jure improbata ut in Reg. *Actus legitimi* de re inter. & de elect. cap. II. lib. VI. per quod caput apparet quod dicta talia vota conditionalia sive in diem vel locum pro non adjectis haberentur, & ex aliis consessibus penitus remanet electio valida, & non est dubium, quia multi ex dominis cardinalibus fatentur dominum nostum pure & simpliciter elegisse, & de se ipso pluries, ut audio, confessus est dominus de Luna. Sed concludatur contra ipsos ex

Nona veritate, scilicet adjunctæ simulationis. Nam cum Romani deputati ad custodiam conclavis præsensissent quod cardinales fecerant rumpi aliqualiter conclave ex parte posteriori, revera ad salvandum quasdam res, quas dubitabant in multitudine subripi: dubitantes Romani ne illud fieret propter exitum cardinalium, non facta & non publicata electione, intraverunt per dictam irruptivam satis impetuosi: & tunc dicti cardinales, credentes quod propter impressionem faciendam ad habendum Romanum in Papam, retraxerunt se ad capellam secretam, & cum aliquis consuleret quod confingerent dominum S. Petri electum, & quod sibi facerent reverentiam ut electo, multi eis dixerunt, maxime Dominus de Luna, sicut mihi constat per ea quæ de domo sua emanarunt, quod potius vellet mori quam facere reverentiam non vero papæ, dicens non conflabo vitulum, nec coram Baal flectam genua. Unus est enim & debet esse verus papa & non duo. Et verbo dixerunt illis Romanis quod dominus S. Petri erat electus, sed nolebat consentire: & tunc Romani irruerunt in illum, ponentes eum de facto supra sedem, velut papam, tamen absque exhibitione reverentiæ inde recesserunt & illæsi cardinales prædicti, ut hæc omnia habetis in casu. Ex his pondero duo mirabilia, primum quomodo dicti cardinales qui dixerunt prius velle mori, quam consentire in illam simulationem, & non verum papam fingere, quamquam essent multis armatis & furenti populo, ut asseritur, circumdati: quando solum voces audiverunt, ut etiam asserunt, tam fortiter timuerunt, quod dominum B. ob timorem mortis elegerunt; alii vero, ut asserunt, alium, scilicet dominum S. Petri electum finxerunt, & populo ostenderunt. Verum, Serenissime Princeps, non est præsumenda tam inanis cautela in hominibus tantæ prudentiæ, tantæque experientiæ. Unde vestra circumspecta prudentia considerare potest quanta sit dictis dominis fides adhibenda, tota repugnantia, & non verisimilia asserentibus. Nunc sequitur

Decima veritas, scilicet solemnis inthronizatio. Hoc est sciendum, quod post simulationem de qua proxime dixi, quatuor cardinales recesserunt de Urbe ad loca eis confidentissima; sex vero intraverunt castrum S. Angeli fortissimum & inexpugnabile, ut patet toti mundo; sex vero remanserunt in eorum hospitiis, qui sexta die sequenti clam ad palatium ubi erat dominus noster quasi latitans, accesserunt, & cum officiales Urbis jam informassent populum quod dominus S. Petri non erat electus à cardinalibus, sed erat electus dominus archiepiscopus Barrensis, & sic populum placassent, dicti alii sex cardinales, qui erant in castro voluntariè etiam ad dictum palatium venerunt, & convenientes in dicta capella secreta, omnes isti duodecim vocaverunt ad se dictum dominum nostrum tunc Archiepiscopum B. & ipsum tamquam electum inter se ceperunt, & electionem sibi annunciaverunt, suum postulantes consensum, prout latius habes in casu. Et quomodo dictus dominus noster ab eis voluit certificari, & quid ipsi responderunt audiendo, infra super articulo confessionis. Quibus sic dominum nostrum inthronizaverunt, & URBANUM assumtum publicaverunt. Hæc ergo pondero quod dicti cardinales voluntarie venerunt, quia cogi non poterant, non enim cogitur qui resistere potest, ut dicit Magister Sententiarum lib. II. dist XLII. Tunc arguitur sic. Duæ partes cardinalium & ultra receperunt dominum nostrum ut electum in papam. Ergo verus papa est. Nam negari non potest, nec per eos negatur, quin saltem aliqui ex eis etiam in prima electione ipsum voluntarie elegerunt. quo præsupposito, sufficit ipsius electi receptio quocumque modo, sive per osculum, sive per inthronizationem, sive per accessionem, ut dicunt doctores, in prædicto cap. *Licet per litteram quæ ibi est*, *nisi major concordia &c.* Ad quod etiam benefacit glossa quæ incipit *Non sicut* in cap. *Indemnibus* de election. lib. VI. Prima sola inthronizatio jus pontificativum probat. Nam olim imperatores nominabant papam LXIII. di. *Adrianus*, & cardinales solummodo inthronizabant, & sic est necesse fateri, quod ex ipsa inthronizatione oriebatur jus pontificatus, ut dicit Innocentius in cap. *Quod sicut*, de elect. Quoniam ex nominatione imperatoris non laicus quia laicus de elect. *Sacro-sancta* LXXXXVI. di. *unde quidam.* Et ista ratio est domini Baldi. Surgat ad idem, & fortius solemnis coronatio, quæ fuit

Undecima veritas. Oportet enim fateri, quod solemnitas coronationis supponit pro aliquo in promotione Romani Pontificis. Ita patet ex notatis

tatis supra data per Johannem Andream l. vi. & satis videtur adaptare ad investituram, ut sicut investitura, si fitâ confirmatore, habet vim confirmationis; si vero à collatore, habet vim collationis, si talem habet potestatem. Hæc est sententia Innocentii in caput *ex ore*, de hiis quæ fiunt à majori parte capituli. Sed quis dubitat quod creatio spectat ad cardinales, non solum per viam electionis, sed etiam provisionis, quoniam papam non facit modus, sed consensus: quod probatur ex verbis Innocentii & Compostellani, & aliorum doctorum in præallegato cap. dum dicunt sufficere consensum quomodocumque præstitum. Alii dicunt qualitercumque, ut sic in dicta præstatione consensus, & sicut de substantia formæ, ut dicit Innocentius in dicto cap. *quoniam sicut* in fi. de elect. lib. vi. ubi dicunt quod confirmatio scienter facta à confirmatore, etiamsi electio præcedens esset nulla, confert jus prælaturæ, habet vim provisionis, si confirmator talem habet potestatem. Sed cardinales ignorare non poterant, si quis fuerit defectus in electione Domini nostri, quod provenire non poterat nisi ex defectu consensus eorum, ideo sponte postea inthronizando & coronando totum complevisse verum, & de novo jus pontificatus tribuisse.... unde si cardinales dicerent ordinamus quod iste sit papa, vel volumus quod iste sit papa, papa esset considerandus & est, quia electio, ut dicunt sapientes, nihil aliud est quam declaratio consensus, &c. Sequitur nunc veritas multiplicis confessionis & fuit

Duodecima veritas circa quam . . . . pro una maxima: quia confessio deliberata, seu cum intervallo temporis emanata, est quasi irrevocabilis. Nunc videatis, Serenissime Princeps, quot & quales confessiones emanaverunt à dictis cardinalibus. Primo enim cum illi sex existerent in castro S. Angeli dubitantes, ut dicebant, venire ad palatium, manibus propriis scripserunt testificantes dictam electionem canonicam, committentes aliis in palatio existentibus vices suas circa inthronizationem fiendam. Cujus scripturæ copiam habetis in dicto casu. Subsequenter tamen cum ad dictum palatium venissent, & essent xii. congregati, ut dictum est supra, vocato ad se domino nostro in secreto, omnibus exclusis remanentibus, tamen ibi juxta altare quodam reverendo patre episcopo ordinis S. Augustini confessore & domestico commensali piæ memoriæ domini GREGORII papæ, & quodam alio clerico vocato Poncio, ambobus Gallicæ nationis, qui ibi quasi semilatendo remanserant. Videte quid asseritur factum fuisse, nam ex ejus attestationibus videbitis cum dictam Florentinus narrasset electionem de ipso factam, & peteret suum assensum, dominus noster vertit se ad illos, dicens: Videte cum ista fuerint mihi narrata antequam veniretis, tamen nolui consentire dictæ electioni, nec aliquam novitatem facere, nec volo, donec sim certificatus qualis fuit & est vestra intentio. Et tunc quilibet ex eis per sacramentum voluntarium ponendo manus ad pectus, domino dixerunt quod intentio eorum fuit & erat pure & libere quod esset verus papa, & aliqui addebant, quod post B. Petrum nullus fuit forte ita pure & concorditer electus, subjungentes, quod prostratus ecclesiæ nullo modo differret consentire: quoniam foret valde difficile cardinalibus in aliam personam convenire... Et attendatis hic, Serenissime Princeps, quod si aliud fecisset in reipsa, cardinales prædicti explicassent domino nostro in tali secreto actu. Nam ipsimet & eorum scripturæ dicunt quod reputaverunt eum bonæ conscientiæ, & talis conscientiæ, quod dictam electionem non acceptaret. Ergo verisimile est quod ipsi saltem inquirenti & in loco sic secreto veritatem non celassent. Item, Serenissime Princeps, quod etiam per sacramentum confessi sunt pluries, & maxime dominus de Luna super altare S. Petri in consecratione dicti domini nostri, quoniam cum eo tractabant ejus utensilia altaris. Item, si ipsi vel aliqui alii confessi sunt esse in Anagnia, quando jam inchoatum erat schisma, quod potius volebant esse schismatici quam martyres. Item, Serenissime Princeps, videte eorum confessiones per litteras tam collegiales, quam privatas scripturas ad imperatorem, & ad alios principes mundi etiam propriis manibus, & ad eorum amicos & consanguineos, quæ confessiones & litteræ, si non faciunt papam, tamen probant papam esse factum. Dicta etiam singulorum probant factum universorum, si consona sint. Item habetis confessionem & recognitionem illius sancti viri cardinalis S. Petri in articulo mortis, & etiam domini Jacobi de Ursinis, qui non solum expresse, sed etiam tacitè est confessus, scilicet quando de suo testamento ab olim facto revocavit dominum S. Eustachii & dominum Nicolaum de Neapoli, quos primo deputaverat executores, dicens nunc quod nolebat executores involutos in schismate, nec non & multas alias confessiones tam verbo quam per litteras factas in Anagnia, & per aliquos ex eis postquam per alios publice cœptum erat dicere sedem vacare. Inde clare Vestræ Majestati ostendentur. Ad idem conquerit multiformis recognitio quæ fuit

Tertia decima veritas. Non enim est dubium, Serenissime Princeps, quin recognoverunt dominum nostrum verum papam, non solum eundo ad consistorium, & ei ut vere papæ obediendo: verum etiam beneficia & gratias pro se & suis impetrando, & ipsa beneficia possidendo. Et mirum est, quod multi ex eis adhuc hodie beneficia tenentes, tamen disputant an sit papa. Multi etiam ex eis indulgentias & gratias spirituales & pœnitentiales impetraverunt, quibus usi sunt in secreto. Circa quod poteritis videre attestationes cujusdam religiosi Tolosani ordinis Prædicatorum, qui aperte deponit virtute dictarum indulgentiarum confessiones audivisse ab eis, & absolutionem petitam ab eis impendisse. Multos enim & infinitos actus potestis videre, per quos in tribus vel quatuor mensibus continue eum esse verum papam recognoverunt. Sed ipsi conantur evadere, dicentes quod isti actus non faciunt papam. Ad quod potest responderi ut supra, quod si non

faciunt papam, ostendunt eum esse factum: quoniam sequentia ostendunt praecedentia. Alias ex talibus actibus concluderetur contra eos expresse idolatria, ut in prima clare dictum est. Praeterea si volumus de juris apicibus loqui, ego considero in dictis dominis cardinalibus diversas species actuum. Scilicet proprie & improprie sunt actus, qui consistunt in taciturnitate, seu in non reclamatione, qui non propriè sunt actus, nisi in quantum ex eis elicitur quidam tacitus assensus. Et tunc supposito eorum confecto themate pro non, posset dici quod solus actus taciturnitatis sive non reclamationis non inducunt novam dispositionem, durante prima causa impediente. Quidam sunt actus proprii, qui consistunt in agendo, qui sunt mere voluntarii, & quoad istos non video quod locus metus impediat eorum effectus: cum non plus inficiat metus, quam respiciat. Ideo si metus intueatur, quod citius eligatur, & eligetur Martinus, valet electio, ut superius dictum est. Sed ipsi statim dicent, quod isti actus non sunt collegiales, & sic non formales, ideo non inducunt dispositionem seu purgationem vitii. Ad hoc respondeo primo, quod si non dispositive, saltem praesumtive, ut dictum est supra: unde etiam cum supposito eorum themate eorum fundamentum metus surgat etiam ex praesumtione, per aliam praesumtionem tollitur, ut inferius clarè deducam, vel satis probabiliter dici potest quod isti actus voluntarii, licet non formales, sufficiant ad fundamentum nostrum. Nam quod in matrimonio carnali & professionali requiris materiam & formam, scilicet assensum & matrimonii expressionis assensus, &c. Ex quibus constat quod quandocumque quis consentiat in mulierem ut consentiat profiteri, sivè exprimat verba professionalia, nisi sit qui recipiat talem assensum, nec est matrimonium, nec professio, & tamen video quod si matrimonium vel professio sit in sui forma legitima, quamquam intervenientibus terroribus sufficientibus ad impediendum consensum; & sic visum est vitium in materia, tamen actus postea voluntarii sufficiunt ad matrimonium vel professionem, ut sint isti ultimi actus licet non formaliter trahantur ad primam materiam in qua in figura apparuit vitium, in materia enim ponderantur allegata cap. *Insinuanter, &c.* Nunc succedat veritas pacificae possessionis Domini nostri, quae fuit

Quarta decima veritas. Patet enim ex praemissis de pacifica possessione domini nostri super cunctos Christicolas, & etiam super illos qui hodie sibi adversantur, nec negare possunt canonistae, quin magnus effectus producatur ex possessione, etiam in beneficialibus. Nam si existens in possessione cathedrae sufficit sibi sola possessio cathedrae, &c.

Quinta decima veritas, scilicet de opinione principum, doctorum, & vulgi satis debet constare serenitati vestrae. Novistis enim qualiter serenissimus imperator Romanus, scilicet dominus CAROLUS & filius ejus dominus WENCESLAUS rex Romanorum cum omnibus

A principibus & praelatis Almaniae & Bohemiae, nec non dominus rex Hungariae, qui semper christianissimus fuit, rex Angliae, comes Flandriae, cum ceteris dominis & nobilibus Italicis tenent dominum nostrum URBANUM VI. verum esse papam, exceptis quibusdam paucis, qui eidem potius ex privato odio adversantur, quam ex tituli dubietate. De doctoribus etiam patet. Nam nullum in Italia doctorem agnosco, qui contrariae opinio-

B nis existat; quamquam in Francia sint viri valentes juris periti, non tamen credo eos esse tales. Fons juris in Italia est, non in Francia, suntque dicti Gallici & multi alii circumventi in narratione facti, ex quo jus oritur. Numquam enim in Francia pro domino URBANO fuerunt informationes receptae. Immo cum ad istum finem illuc destinarentur, quidam valentissimus doctor & miles & advocatus antiquus Romanae curiae, nomine dominus Ja. de Ceva, natione Provincialis fuit per partem adversam

C captus, detentus, necdum suae libertati plenè restitutus, quamquam directò mitteretur ad personam regis Franciae. Multum enim, Serenissime Princeps, ponderanda est opinio seu interpretatio doctorum, nec etiam est spernenda, Serenissime Princeps, vulgi opinio. Nam jurisconsultus illam ponderat. Quid enim vulgus in hac materia sentiat, Vestra Serenitas non ignorat. Et dici solet proverbialiter quod vox populi vox Dei, &c.

De sexta decima veritate, scilicet divinae re-

D velationis non loquar, dubitarem tanto judicio aperire os meum. Scio tamen à fide dignis multos homines sanctae vitae & religionis, mares & feminas, revelationem habuisse de hujusmodi veritate; ex quarum qualitate personarum praesumere possumus esse revelationes divinas, quae omnem legem positivam superant. Ultimo dixi veritatem domini nostri adjuvari ex varietate facti narrationis. Scilicet ab adversariis, ut dixi in prima collatione, & facilè

E posset ostendi maxima varietas in eis, ex qua contra ipsos posset concludi, Quoniam varietatem non admittit Praetor, multò minus contradictores.

Decima septima veritas. Quae probant, immo demonstrant justitiam domini nostri in summi pontificis seu pontificali dignitate & ut tali obediendum fore absque mentis scrupulositate. Sed unum solvatur, ut dictorum adversantium fundamentum tollatur. Videlicet domini cardinales convenientes Anagniae, ut asserunt, submiserunt processum electionis domini nostri

F ratione liberationum Romanis, declarantes ipsam postea nullam existere, velut per impressionem factam, &c. *Subjungit varias juris citationes quas ne taedium generent consulto praeterimus.* Verum, Serenissime Princeps, etiam metum, quem allegant dicti Domini adversarii, & ut Vestra Regalis majestas clarè videat injustitiam eorum, consideret quod, prout etiam ex eorum processibus apparet, ponitur magnum intervallum temporis inter electionem primam & secundam domini nostri. Nam prima ponitur

facta hora tertiarum vel antea, secunda post prandium, & esset dies jejuniorum, & sic quasi prope horam vesperam. Et tunc dicunt adversarii, cum illa secunda electio quasi completa esset, cœperunt Romani irruere in conclave. Ergo ante non fecerant nisi verba, emittendo voces, ut dicti adversarii ponunt ex quibus asserunt timuisse, tunc, Serenissime Princeps, quod in materia metus elicitur ex jurium communibus. Nam metus considerari potest duobus modis: uno modo qualis est, alio modo qualiter esse debet. Si enim est talis qualis esse debet in constantem virum illius conditionis & qualitatis, iste metus dicitur justus, id est meticulositas patientis dicitur justa. Si vero non est talis qualis esse debet, ut quia ex actibus inferatur, nullus vel parvus metus surgere, & fragilitas metuentis asserat illum metum transcendisse ante vices, in hoc non sibi asserendum quod allegaret fragilitatem, quæ non debet esse nec præsumitur esse. Nunc, Princeps justissime, dico quod metus verborum non debuit cadere in cardinales, præsertim in toto collegio. Præsumitur enim in eis fortitudo, & debent esse audacissimi. Lex præsumit hoc in militibus sæcularibus, immo certe lex præsumet militem sæcularem non evitare pro republica mortem. Multo fortius arbitrandum est, quod cardinales non sint tam fragiles quod timeant verba, maxime illorum, qui primo eis numquam fuerunt loquuti, nisi depositis capuciis, & cum inclinationibus & reverentiis. Immo præsumendum est, quod inter quæcumque pericula libere eligant quod ecclesiæ expediens fuerit. Item, illi actus, quos prætendunt factos à Romanis, non fuerunt impressivi, nam voces parum vel nihil imprimunt in subjectum, si constans est, sicut esse debet. Cogitetis si habetis excusatos milites vestros allegantes hujusmodi metum. Impressio enim est, Princeps Serenissime, applicando agentem ad passum, quasi de corpore in corpus: unde non proprie dicitur impressio corporalis, ut ubi corpus non tangitur, animus constantior esse solet & debet vel præsumitur esse. Item sicut dicit Justinianus nuper ex personis dicta pensamus. Sed Romani numquam ante, nec post aliquem cardinalium læserunt, nec unum minimum familiarem, immo sæpe eos reverentialiter tractaverunt, ut supra dixi: in cujus signum dicti cardinales sæpe eis dixerunt, quod non eligerent ad eorum votum, sed prout Deus dederit, & ulterius ipsis videretur. Et posito quod fuerint Romani commoti, instigatio quorumdam fuit hæc, longe ex post facta electione dicti domini nostri, ut superius est dictum. Nec etiam tunc processerunt ad aliquem actum, proximo facto, quia illud est attentare, illud est opprimere. Ex quibus omnibus concludi potest, quod si quis metus fuerit in cardinalibus, fuit & esse debuit levis, & sic vanus, qui nullum actum vitiat, nedum electionem papæ secundum jura. Et si asserunt graviter timuisse ubi non debebant, non eis de jure credendum. Et hoc etiam posito, non vitiaretur actus sic factus per eos. Videmus in jure, quod non fuit excusata quædam mulier, quæ allegabat metum ortum ex verbis regis Legionum, & propterea credebat non obligari ad professionem quam fecerat. Quomodo cardinales per verba subditorum possunt, à quibus numquam recesserant ipsi, nec similes eis læsionem fecerant: licet dicant adversarii quod occiderunt olim Romani multos Romanos pontifices & martyres Christi. Istud fuit tempore quo erant infideles, & sub imperatoribus infidelibus, id est non Christianis. Multi enim in eorum cordibus dubium generant ex qualitate dictorum cardinalium, de quibus asserunt non præsumendum quod à vero capite fidei temere recessissent, & alii quæ ad hæc scirent aliter respondere. Ego enim pondero quod judicia Dei abyssus multa, ideo incomprehensibilia, & investigabiles viæ ejus. Video enim quod permisit angelum Luciferum longe majoris perfectionis, cum tot millibus angelorum in cælo cadere. Si ergo permisit ruinam in cælo, à fortius in terra. Adam etiam creatus in statu innocentiæ cecidit per peccatum Dei permissu. Justissimus etiam ille David, ille rex tantus. Item totus populus Israeliticus idolatravit, & ut dixi, omnia ista de justo Dei judicio processerunt. Circa quod possemus considerare ea quæ scribit B. Gregorius, ut transsumtive habetur de pœnit. dist. 1. *multis*. Et per hæc & informationes quas habetis dignetur Benignitas vestra accelerare declarationem vestræ intentionis sequendo hanc partem veram Domini papæ Urbani. Considerandum etiam quod totum schisma erit sedatum, tota christianitas sequetur eum. Ubi verò, quod absit, aliud eligeretur, pensate quod adderentur ligna ad ignem & sic fortior erit ignis. Nam principes alii, & alia christianitas, non propterea mutabuntur. Sciunt enim quod ubi per judicium hoc schisma debeat terminari, illud est judicium concilii generalis, & non aliquorum singularium prælatorum, & interim, ut dictum est supra, deberetur obedientia tenenti cathedram B. Petri apostolorum principis clavigeri æterni regni.

Probata coram rege Castellæ pro parte collegii & domini Clementis contra B. intrusum.

Ista omnia quæ sequuntur probantur pro cardinalibus contra primam electionem. Et primo de confessionibus domini Faventini & domini Francisci constat, quod officiales Romani tenuerunt diversa consilia in capitolio juxta morem, in quibus tractatum fuit, quis modus per eos teneri deberet in electione papæ; quodque custodiam pontium & portarum Urbis, præter portam pontis quæ est juxta castrum habuerunt, nobilibusque Romanis mandaverunt sub pœnis & ad tempus de Urbe recedere. Et præfati officiales Urbis pendentibus decem diebus, qui effluxerunt inter mortem prædicti domini Gregorii & introitum conclavis, simul adunatis pluries supplicarunt, eosque requisierunt ut eligerent papam Romanum vel saltem Italicum. Item postquam cardinales intraverunt conclave & jam exiverant illi Ro-

mani qui cum eis intraverant, postea eodem sero iverunt ad dictos cardinales aliqui de officialibus Urbis, & capita regionum, & petierunt quod darent eis papam Romanum vel Italicum. Item cardinales ante ingressum conclavis fecerunt monitiones & exhortationes dictis Romanis, quod eos tenerent securos, ut possent uti libero arbitrio, allegando quod multa mala possent evenire, si cogerentur ad aliquid contra eorum voluntatem, eosque requisiverunt, quod ordinarent bonum capitaneum ad custodiam burgi sancti Petri, cum certo numero gentis confidatæ dominis cardinalibus, offerentes se velle solvere stipendia dictæ gentis; & quod cardinales hortati fuerunt ipsos Romanos, quod tenerent & ordinarent populum taliter quod scandalum non veniret, & quod abstinerent ab illis consiliis, quæ videbantur esse causa inflammandi populum, & facerent taliter custodiri pontes, vel ipsos tenendo clausos, saltem de bona gente in sufficienti numero munientes, quod populus non posset transire ad palatium, & quod domini cardinales dubitantes exposuerunt saltem in effectu eisdem Romanis cum magna fide errores qui poterant sequi ex modis quos tenebant circa ipsos, expresse eis dicendo, quod si propter præmissa, quæ minas & impressionem eis velle facere sapiebant, aliquis in papam eligeretur, non esset verus papa; & quomodo ipsi tendentes, ut curia penes eos remaneret, essent causa eos perdendi. Postquam die introitus conclavis, ingredientibus cardinalibus in conclavi, erat platea S. Petri plena & populo Romano & aliis forensibus, & quod magna pars populi Romani erant ibi cum armis, inter quos ille Barensis cum illis connestabulariis qui fuerant deputati ad custodiam conclavis, ipsique Romani ipsa nocte intraverunt palatium, & diversarum domorum portas ejusdem palatii ruperunt, & palatium hominibus armatis circumdantes & custodientes altis vocibus & reiteratis clamaverunt *Romanum volumus vel saltem Italicum.* Et demum die Jovis sequenti de mane clamores eosdem resumentes & iterantes, campanæ capitolii & S. Petri ipso mane ante prandium pulsatæ fuerunt ad martellum ad rumorem. Ista autem die præfatus Barensis remansit in palatio, & in cameris papalibus, & fuit ter requisitus per aliquos de dominis cardinalibus, qui de Urbe recesserant, ut exiret, & noluit exire. Item die veneris sequenti dictus Barensis misit per cardinales qui erant in castro, & pro illis qui erant in domibus, & ipsos reiteratis vicibus requisivit quod venirent ad ipsum; & cardinales venire noluerunt, sed illi qui erant in castro miserunt unam cedulam, in qua continebatur quod aliis sex cardinalibus committebant vices suas ipsum inthronizandi, &c. De qua cedula dictus Barensis non fuit contentus, nec ea pro tunc uti voluit, sed iterum requiri fecit dictos cardinales qui erant in dicto castro ut venirent ad palatium, qui venerunt, & ipsum inthronizaverunt more solito. Qui Barensis postea requisitus pluries Urbem cum dictis dominis cardinalibus exire noluit, & cardinales paulatim

A venerunt Anagniam, & ipse Barensis sine aliquo cardinali ivit Tiburim, qui locus etiam distringitur per Romanos, ad quem locum ipsos cardinales sæpius evocaret, & ipsi cardinales venire recusarunt.

Ultra prædicta quæ probantur per confessionem, probantur sufficienter articuli qui sequuntur per testes fide dignos, & specialiter per cives Romanos & custodes conclavis, qui fuerunt recepti & examinati in urbe Romana.

B Primus articulus est & probatur, quod durante novena exequiarum domini Gregorii, Romani sæpe & sæpius & etiam quotidie, & aliquotiens bis tenuerunt diversa consilia, in quibus fuit deliberatum & determinatum de habendo papam Romanum vel Italicum, & super hoc Romani & officiales requisierunt ipsos cardinales, ut darent sibi papam Romanum vel Italicum, subjungendo eis minas continentes pericula personarum nisi facerent.

C De custodia pontium & portarum quam Romani habere voluerunt & habuerunt probatur.

Item, probatur quod cardinales sentientes prædicta requisiverunt officiales Urbis quod abstinerent à consiliis & modis quos tenebant circa ipsos, quæ impressionem & minas sapere videbantur: alioquin si aliquis eligeretur in papam, non esset verus papa, & ipsi tendentes ut curia penes ipsos remaneret, essent causa eam perdendi.

Item, probatur quod pendentibus illis decem diebus Romani palam & publice per carrerias etiam audientibus cardinalibus & suis familiaribus dicebant quod cardinales inciderentur

D in frusta, nisi sibi darent papam Romanum vel Italicum.

Probatur etiam quia expellerunt nobiles, & vocaverunt rusticos seu montanarios, quos in magna multitudine in Romam venire fecerunt.

Item, probatur quia die Mercurii hora vespertina quando cardinales intrabant conclave fuit multitudo populi armatorum & aliorum in platea S. Petri, & infra & extra palatium, altis vocibus clamantium, etiam cum ira *Romano lo*

E *volemo, o alomanto Italiano*, alias quod omnes inciderentur, vel similia verba in effectu.

Item, probatur quia die Mercurii capita regionum cum aliis intraverunt in conclavi, & advisaverunt cardinales, quod nisi darent papam Romanum vel Italicum & facerent ad voluntatem populi, tantum esset scandalum, quod non possent eos defendere; comminando etiam cardinalibus mortem, nisi satisfacerent populo.

De fractura portarum palatii & quando ista nocte circumdederunt palatium hominibus arma-

F tis clamantibus, ut supra, etiam plene probatur.

Item, probatur quod dicta die Mercurii, qua fuerunt conclave ingressi cardinales, per totam noctem fuerunt continuati clamores Romanorum clamantium *Romano lo volemo o almanto Italiano*, & quod populus sic de mane existens infra & extra palatium & ante conclave, altius & validius quàm de nocte & terribiliter incepit clamare, *Romanum volumus vel Italicum*, alias omnes cardinales incideremus per frusta, & alia verba similia.

A Item, plene probatur quod die Jovis de mane ante mediam tertiam fuerunt pulsatæ campanæ S. Petri & etiam campana capitolii cum martello ad rumorem, & tunc ad signum & sonitum campanarum populus fuit augmentatus, & multi armati ad rotas cum tumultu & clamore valido confluebant ad palatium clamando *Romano le volemo o Italiano*, & quod talis fuit ac tantus & tam terribilis rumor, tumultus & clamor populi modo prædicto clamantis circa palatium cum minis mortis, quod cardinales merito debuerunt timere.

Item, probatur quod fuerunt advisati cardinales isto mane ante electionem per custodes conclavis, quod incontinenti se expedirent, & darent populo Romanum vel Italicum, alias quod omnes erant in periculo personarum, & quod tunc cardinales promiserunt Romanis sic furentibus & clamantibus quod darent papam Romanum vel Italicum.

Item, probatur quod Romani intrantes cum furia deinde conclave, invenerunt aliquos cardinales propter eorum timorem fugientes, quos per violentiam & inhoneste injunctos reduxerunt ad capellam, & nisi finxissent & dixissent quod eligerent cardinalem S. Petri, quod omnes fuissent occisi.

Item, probatur quod die sequenti, scilicet die veneris de mane B. existens in palatio apostolico, misit pro cardinalibus, qui ante diem confugerant ad castrum S. Angeli, & pro aliis cardinalibus, qui in suis remanserant domibus, & reiteratis vocibus fecit eos requiri etiam post cedulam missam per cardinalem castri super inthronizatione fienda, ut venirent ad ipsum inthronizandum. Cardinales vero venire noluerunt, & fuit dictum dicto Barrensi, quod in castro S. Angeli dicebatur specialiter per camerarium papæ, quod ipse non erat papa, nec esset, & quod idem B. cuidam episcopo hæc ferenti dixit, Tace, non dicas, Ego mando tibi quod amplius non facies verbum de hoc. Et quod ipse archiepiscopus Barensis misit dicendum Vauderenis, quod nisi facerent cardinales venire ad ipsum inthronizandum, nihil erat factum, & quod ipsi Vauderenses requisierant cardinales existentes in castro sub minis ut venirent ad eum inthronizandum.

Item, probatur quod duo Bauderenses iverunt ad cardinalem de Florentia, & sibi venire recusanti dixerunt, quod nisi veniret esset pejus quam heri. Et ista sic fuerunt dicta domino cardinali die veneris immediate sequenti post diem celebratæ electionis.

Probatur quod si cardinales revocassent in dubium electionem B. & non venissent ad ipsum inthronizandum & coronandum, quod fuissent in periculo personarum.

Item, probatur quod dictus B. post coronationem irrequisitis cardinalibus remisit Romanis injurias quas intulerant ipsis cardinalibus, & absolvit eos propria auctoritate, & non præmissa aliqua satisfactione, dicendo quod quidquid fecerant, fecerant cum vino, & parcendum erat ebrietati.

Item, probatur quod cardinales non potuerunt sine periculo exire Romam post mortem GREGORII ante ingressum conclavis, nec potuerunt publicare Romæ nullitatem electionis, & habuerunt causam rationabilem non declarandi suam intentionem Anagniæ ante declarationem per eos factam.

Item, quod illi cardinales, qui se reduxerunt ad castrum S. Angeli juste debuerunt timere obsidionem & tyrannidem Romanorum, si non exivissent ad ipsum electum inthronizandum.

B *Sequitur in ms. declaratio regis Castellæ data Salmanticæ 13. cal. Junii 1381. in favorem Clementis, quæ edita est apud Balusium in historia paparum Avenionensium.*

COPIA LITTERÆ DOMINO NOSTRO papæ Clementi transmissæ super declaratione Hispaniæ, quæ applicuit Avenioni die penultima Maii.

C BEatissime pater, in primis gratias agentes Deo, sicut sui juris invicta celsitudo meretur, Sanctitati vestræ notum facimus per præsentes, quod Serenissimus rex Castellæ Ecclesiæ Dei devotus alumnus, vestræ beatitudinis filius prædilectus, veritatis athleta, ac mirificus triumphator, ista die & hora pro tribunali sedens in suæ solio majestatis, erroris tenebris præfugatis, vexillis veritatis erectis, divina luce perfusus, cum indicibili solemnitate procedens recognovit vos verum, certum & indubitatum vicarium JESU-CHRISTI, Ecclesiæ suæ sanctæ legitimum sponsum, gubernatorem naviculæ Petri, & totius christianitatis principem & monarcham, promittendo humiliter pro se suoque regno divo obedientiam præcipuam & devotam: draconem illum, & colubrem tortuosum, scilicet BARTHOLOMÆUM invasorem esse apostolicæ sedis velut apostatam & antichristum, ab omnibus fidelibus repudiandum ac detestandum & fugiendum opere summo. Tanta B. P. fuit solemnitas, tantaque devotio, quum ardenti eloquio & fervente detestabantur iniquum in suis sermonibus labia dicti regis, ut stupefactionis & admirationis jaculo singulorum corda feriret, & in ore cunctorum Clementis nomen tam dulcisono modulo resonabat, adeo ut jubilus laudis eorum audiri poterat in excelsis. Ecce jam, Pater sancte, cuncta tuæ * dictorum sunt posita, jam subjacet tibi Hispania tota. Jam tua fides divaque potestas nescit occasum, illo pro te rogante, illo superno datore & lumen concedente, qui est interminabilis, & omnium vera lux, & luminum pater, à quo bona cuncta procedunt & derivata consistunt, qui B. vestram protegat, foveat & defendat prospere & longæve ecclesiæ suæ sanctæ. Hodie autem declaratione facta, anticardinalis Palatinus coram rege & omnibus prælatis & baronibus regni juridice in manibus legati renuntiavit diabolo & pompis ejus, abjiciendo capellum & insignia legationis quæ receperat ab intruso. Datum Salmanticæ die Dominica in festo B. Yvonis, quod fuit XIX. Maii.

Anno 1381. Ex ms. Ecclesiæ Turonensis.

* f. ditioni.

D E F

Vestræ Beatitudinis humiles creaturæ A. A episcopus Pensaurensis & Bonifacius de A. Amanatis ac devotissimi nuncii.

---

* Petri Tenorii.

ACTA DOMINI * TOLETANI super facto schismatis ad Dominum sancti Eustachii Cardinalem de necessitate & utilitate concilii generalis concludens.

Circa an. 1381. Ex ms. Gemmeticensi.

REverendissimo in Christo patri ac Domino P. sancti Eustachii diacono cardinali, vestræ paternitatis orator Toletanus archiepiscopus inter decretorum doctores non dignus adscribi, modicum id quod est.

Quo verborum schemate, cujusve sermonis vel eloquii facultate afflictæ mentis conceptum excutiam, Benignissime Pater, prorsus ignorans, amaritudinis meæ impetum & universalis Ecclesiæ Dei flebile detrimentum, quod jugi meditatione deploro, languente spiritu, plenè explicare nequeo, dum verba quæ dolor suggerit, singultus intercipit, & animæ vires mœror absorbens, vocales meatus molesta anxietate percludit. Factus est enim in Israël planctus, & in loco ejus ingemuerunt principes, seniores & juvenes & universa domus Jacob induit confusionem. Quis, quæso, Reverendissime Pater, religionis Christianæ professor, quis orthodoxæ fidei verus cultor in tanta matris Ecclesiæ subversione lethaliter sauciatus lamenta & gemitus continebit? Quis zelator nominis Christiani navem Petri in undosis fluctibus naufragantem aspiciens non dolebit? Ventus turbinis, inquit Propheta, venit, sed ab oriente, non ab Aquilone, & nubes magna & ignis involvens. O ignis vorax! ô nubes teterrima! ô infesta dolendi carminis tragedia! quomodo corruit gloria & exsiccatus est vertex Carmeli? Cui te comparabo nostra mater Jerusalem, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Magna est contritio tua, & quis medebitur tibi? Scissa sunt in te vestimenta tua, quis consolabitur & operiet te? Usquequo, Domine, clamo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Da, pastor æterne, pupillis patrem agnoscere, da fontem lustrare boni, da luce reparata in conspicuos animi defigere visus. Hoc, Pater benignissime, inter urentes animi mei sollicitudines & curas tremula agitatione revolvens, dum locum attendo, quem in Ecclesia licet immeritus obtineo, dum penso vires, dum merita solerti inquisitione dimetior, pavidus obstupesco, cernens immaculatam Christi sponsam impiorum dentibus laniari, nec eidem posse, sicut ardenter optarem, meis affectibus subveniri. Circumdant me enim alienigenæ, & nutantes filii summi patris solatium mendicantes, & dicentes continuè, ubi est Deus tuus? ubi Christi vicarius? Ubi pastor animarum nostrarum? oculi enim totius occidentis observant Toletanæ sedis antistitem. Sic ego infelix vim patiens, nec habens quis respondeat pro me, officium non judicantis, sed quasi disputantis arripiens, ne videar adversus Christum Domini, quem ignorans flagranti aviditate perquiro, temeræ assertionis fræna laxare; nunc pro isto, interdum pro alio rationes & motiva conjiciendo discutiens ambiguæ altercationis argumenta declino, eis in apostolica auctoritate concludens: *Nolite*, inquit, *ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* Tutius existimans in hujus ancipitis perplexitatis involucrum medium, salva conscientia, tenere, quàm præcipiti judicio infinitas animas una mecum in æternæ mortis exitium implicare. Ad hoc etiam ut Thomæ incredulitas fructuosa illos demum validiori fide & ratione perficiat, quos dudum Mariæ festina credulitas suspendebat. Neque enim particulares sententiæ vel terminationes, pater benignissime, essent causa terminandi schismatis; sed augendi, nec hujus calamitatis incitamenta curarent, quin potius venenis atrocioribus alerent atque nutrirent, nobisque posset accidere, quod per sapientem Dominus comminatur, *Unusquisque*, inquit, *comedit fructum viis suæ & suis consiliis saturatur*: Ego quoque in interitu vestro ridebo, cùm irruerit repentina calamitas, & ventus quasi tempestas ingruet, non exaudiam. Propterea apostolus ad Thessalonicenses ad constantiæ soliditatem alliciens scribit dicens: *Rogamus ut non cito moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam:* Epistolam dico, non qualem mihi pridem cum elegantissimæ instructionis tractatu vestra communicat humilitas, quæ velut de penetralibus divinæ speculationis & corrumpens cognitionum mearum tumultus, & quasi abortivos imbecillitatis meæ sensus tanta sententiarum suarum serenitate sedabat, ut nedum in hac sæva cladis labe languentibus videatur posse mederi; sed & ipsius veritatis notitiam luculentam detersis quibuscumque ambagibus polliceri. Quem quidem tractatum, quia pro bono statu regnorum Castellæ & Portugalliæ ad instantiam regum ipsorum ad dictum regnum Portugalliæ properabam, ubi variis curis & sollicitudinibus distractus multipliciter comprimebar, usque ad reditum meum à dicto regno Portugalliæ non recepi: quo postea à quotidianis tamen laboribus & serviciis regalibus non quiescens, in villa Valesoletana noveritis cum gaudio & gratiarum actione suscepto, modicum temporis, si quid mihi vacabat ad otium & quietem, in illius lectione suavissima deputavi. Igitur eidem piæ paternitati vestræ, quæ meis compassa laboribus sapientiæ suæ lucem mihi tam clementer aperuit, gratias agens uberes & devotas, humiliter supplico, quatenus cùm ad perscrutandam profundam sententiarum vestrarum intelligentiam ingenioli mei sufficientia non attingit, & ut rei gestæ intricata varietas sub nube ambiguæ perplexitatis obruta, & à communi omnium notitia quadam sese involutione subducens plenius innotescat, propitia benignitate dignetur; contra certos passus & dubia, tam in facto quàm in jure mihi & aliis multis latentia, obscura, & in quibus tota hujus

scrupulosæ dissensionis vis & materia se videtur occultare, quæ inferius seriose subjiciam, meam conscientiam declarare. Spero enim omnes contentiones & scrupula conscientiæ meæ sopiri, si vestræ suavis disciplinæ meruero eruditionibus epistolari.

Igitur in primis mihi dubitandum occurrit, si casus datus Domino Johanni de Ligniano, super quo ipse scripsit, fuit datus & ei missus per reverendos patres dominos cardinales sicut ipse asserit in quadam superscriptione sua. Hoc dico pro tanto, quia in themate per vos posito dicitur quod cardinales elegerunt Barrensem in papam, & eorum aliqui tunc dixerunt quod eligebant eum animo & intentione quod esset verus papa, timore tamen, &c. In alio verò themate dato Domino Johanni dicitur quòd quasi ex abrupto sine alia distinctione personæ nominaverunt Dominum B. archiepiscopum Barrensem, & ipsum elegerunt in papam animo & proposito, prout tunc dixerunt, quod esset verus papa, timore tamen durante, &c. Quæ differentia sit inter diversos istos casus satis colligitur per vestram primam responsionem, quam ad hoc facitis in v. quæstione in §. *sed contrarium videtur verum*, &c. in quo capite dicitis respondendo quod non omnes dixerunt, sed aliqui revera numero pauci sunt, &c. Supplico insuper quantum possum, si est possibile, quòd mihi dicatis quot erant numero, & quales cardinales?

Item dicitur in themate per vos posito, quòd in capella quando fuit dictum, quod reeligerent, quòd exceptis tribus absentibus, & illo qui de præsentibus dixit: Ego dico idem quod hodie. In alio verò themate dato Domino Johanni de Ligniano dicitur quod exceptis tribus & illo Romano, qui dixit ut prius, omnes alii reelegerunt eum. Et quanta & qualis sit differentia inter istos diversos casus satis evidenter colligitur per responsionem & interpretationem quam ad hoc facit in quarta quæstione in §. *sed contrarium est verum*. In dubio igitur placeat reverendissimæ paternitati vestræ me de hoc certificare.

Item, Reverendissime Pater, & Domine mi, extra thema ponitis in septima quæstione in §. *nunc veridicus* ad secundum ultra medium, quòd iste Barrensis clarè confessus est, ut dicitur, in præsentia unius cardinalis Italici & plurium prælatorum, quando alii nolebant exire de castro, nec venire ad ipsum inthronizandum; & antequam esset electio præsentata, ipse vocavit unum prælatum valde sibi domesticum, & mandavit ei quod iret ad Bauderenses; & hoc sibi imposuit dñis Bauderensibus, quod ipsi adhuc nihil fecerunt, nisi cogant istos cardinales venire ad me inthronizandum, & bis ista verba eidem repetivit; & tunc Bauderenses per requisitiones nimias, &c.

Nunc, Reverendissime Pater & Domine mi, supplico quantum possum, ut velitis mihi nominare quis fuit iste cardinalis, & qui, & quales fuerunt illi prælati, coram quibus ista dixerit, & quis fuit domesticus ille prælatus, cui hoc mandavit, & an posset hoc probari, & per quos. Nam libenter etiam prædicando irem ad locum ubi de hoc possem veridicè informari. Nam hoc probato, multum elucidaretur & declararetur factum vestrum, & in conscientia mea multæ scintillæ ardentes per hanc probationem extinguerentur, &c.

Nunc, Reverende Pater & Domine, descendò ad ea de quibus in jure dubito. Et ut videat paternitas vestra, quod non quæro diffugia, scilicet negando illa quæ sunt notoria in jure: ideo in primis credo quod si fuit impressio & vis vobis facta, secundùm quod narratis in themate, quòd prima electio fuit nulla ipso jure; & sic me expedio de prima & secunda quæstionibus per vos tactis, & de omnibus rationibus & allegationibus super ipsis pulcherrimè deductis.

Secundò expediendo me de tertia quæstione quæ sit major impressio, de certa vel incerta persona, dico quod per vos est veridicè & juridicè allegatum & bene.

De quarta verò quæstione, quæ habet utrum, si electio Papæ per violentiam & impressionem celebrata repetatur impressione durante, purgetur vitium, &c. Ad præsens nihil dico, donec per vos mihi fuerit responsum ad interrogationem primam & secundam, quam vobis hìc in privato facio: quia responsio vestra initium disputationis aut dabit aut negabit. Et id dicò de quæstione v. Utrum si cardinales dixerunt quod animo & intentione quod esset verus papa, &c. Nam super istis duabus quæstionibus se fundat Dominus Johannes de Ligniano.

De sexta quæstione dico quod per illa quæ narrata sunt per vos in facto, quòd satis constet de protestatione, nec credo in hoc vel simili casu necessariam protestationem in tantum, quòd sit de substantia, dùm tamen aliàs legitimè constet de metu & impressione.

Nunc, Reverende Pater, & Domine, venio ad septimam quæstionem, ubi pendent leges & prophetiæ, videlicet quòd post prædictam electionem & exitum conclavis, cardinales ipsum inthronizaverunt, coronaverunt, & ipsum ut verum papam tractaverunt in reverentiis, consistoriis & omnibus aliis, &c. Numquid per istos actus tam solemnes & totiens iteratos vitium inhærens ipsi electioni propter impressionem & metum sit purgatum, &c.

Hìc, Pater Reverendissime, ad partem affirmativam allegatis certas decretales, & in fine omnium dicitis, quòd hæc prima facie faciunt vacillare multos, & quia de prædictorum vacillantium numero ego sum unus, & in ista opinione fui modo est annus in parlamento & concilio bonæ memoriæ Domini nostri Regis Henrici in villa de Parlestas, ubi allegavi decretales, quas vestra reverenda paternitas hic allegat, quæ nimirum faciunt me vacillare; nec permittunt intellectum meum assentire alicui. Contra quas decretales per vos copiosè deductas ponitis fundamentum tale.

Papa per nullum alium actum mundi fieri potest nisi per canonicam electionem:



Secundò dicitis quia frustra cessarent omnes actus per vos latius nominati, posito quòd nulli vitio subjaceant: sunt tamen sic de jure damnati, quod ex illis nullus alius effectus potest pervenire nisi culpabilis & pœnalis.

Tertiò dicitis quod si ista cessarent, tales actus non inferunt consensus habentes illas qualitates, quas de necessitate deberent habere consensus, ex quibus infertur canonica electio papæ.

Venio ad primum fundamentum, dicendo quòd est verum, quia papa non potest fieri nisi per canonicam electionem. Sed quid sit canonica electio papæ, ut ipse possit dici verus papa? Respondeo & dico, quòd hic nulla forma requiritur, sed sufficit solus consensus eligentium & electi naturalis. Glossa est Innoc. in c. *quod sicut* de elect. magna Glossa. ubi canonica electio dicitur largè, & in verbo *Si autem nulla sit electio propter formam.* Et hoc etiam expresse tenet Archidiaconus in c. 2. LXXIX. di. Cum igitur hic omnes cardinales elegerunt, licet prima electio non tenuerit, tamen postea cessante tumultu, ipsum non duæ partes solum, sed omnes, & illi etiam extra Urbem in ipsum tamquam electum consenserunt, faciendo illos actus per vos copiosè descriptos; & non solùm ut singuli, sed etiam collegialiter consenserunt ut collegium, dum erant congregati in consistoriis & aliis conciliis. Igitur purgatum est vitium, ut probant decretales ad id quod dè spon. c. 1. de his quæ vi metus vel causa fiunt. Et in lib. 2. C. c. ti. & cap. *de illis* de despon. impu. & c. *proposuit* de conjugiis servorum. ff. de condi. ob turpem causam l. 1. *si ob turpem*, & omnia alia jura per nos allegata, præsertim si isti actus non subjaceant vitio prout præsuppositis in secundo fundamento.

Præterea, ut dicit Innocentius in c. *licet* de vitanda q. ult. in electione papæ non est aliqua forma ex necessitate servanda, immo quocumque modo accidat duas partes consentire in aliquem tamquam electum, jus habet & verus papa est. Sed hic constat quod cessante tumultu, non solùm duas partes, sed omnes & illi etiam qui erant extra Urbem venerunt, & in ipsum tamquam in electum per illos actus tam solemnes & totiens iteratos consenserunt, & etiam collegialiter, ut superius dictum est. Igitur jus habet, & verus papa est, quia nihil refert quis voluntatem suam declaret verbis an factis, ut in l. *de quibus* ff. *de legibus*, & in c. *dilecti* 2. & c. *ut nostrum* de ap. & in c. *si infantes*. c. *idem quasi* de spon. nup. l. 6. Ponderetis si placet in Glossa Innocentii verbum *quomodocumque accidat*, & c. & in Glossa Compostellani verbum *quandocumque.* Et per hunc modum posset evadi ad vestrum primum fundamentum: quia licet electio posset dici non canonica pro tunc, tamen ex nunc & post istos actus liberè factos canonica est censenda; & sic non constat propositio & argumentatio vestra, &c.

Ad tertiam rationem qua dicitis actus ad certum finem ordinati sunt, dico quod coïtus solum non facit matrimonium, ubi verba non

A præcesserunt, quia non est actus institutus ad faciendum matrimonium, quod facit solus consensus; sed ubi præcesserunt verba consensum exprimentia de præsenti, licet pro tunc matrimonium non tenuerit, timore, conditione, vel ætate superveniente prohibente: si tamen postea superveniat coïtus, matrimonium erit non ex tunc, sed ex nunc, ut dicunt jura superius allegata, & ad id quod ex c. *Proposuit*, & c. *si infantes*. Et idem dico de munusculis, donis & amplexibus, donum vel amplexus non

B est actus institutus ad faciendum matrimonium; & tamen si præcesserunt verba de præsenti, licet pro tunc non tenuit matrimonium, timore, conditione vel ætate prohibente; tamen si cessante timore, vel certificatus de conditione, vel constituti in ætate legitima ad invicem sibi donent per jura superius allegata dona vel jocalia, vel se tamquam conjuges amplexentur, ex nunc matrimonium erit censendum. Ita in proposito nostro licet simplex & nuda inthronizatio, vel coronatio, vel nominatio non sit

C actus institutus ad faciendum Papam, quem facit solus consensus cardinalium eligentium & electi: tamen ubi præcesserunt verba ipsorum cardinalium eligentium & consensus ipsius electi, & fuit electio celebrata, licet pro tunc non tenuerit electio, timore prohibente & impressione durante: tamen quia postea secuta est inthronizatio, coronatio, & nominatio, & alii multi actus non subjacentes vitio, ut præsupponitur in secundo fundamento, per quos actus

D clarè constat de tacito consensu, & de perseverantia primi consensus. Igitur ex nunc verus Papa est censendus per jura omnia per vos superiùs allegata, cum hic non solùm causa impediens cessaverit, sed supervenit confirmans: ita quod ex nunc dicatur validum quod à principio non tenuerit, prout expresse dicunt Glossa & Dy. in Regulam *non firmatur* de re. ju. li. VI. Et per hoc sit evasum ad jura quæ ad hoc in contrarium allegatis, & etiam ad c. *Si summus Pontifex* de sent. Excommunic. in Glossa.

E Alia est enim simplex & nuda petitio seu nominatio, & alia est & ad illud operatur petitio seu nominatio, quam præcessit cognitio, ut notat Innoc. in c. *cum olim* de Privil. Simile dicimus in simili quòd si episcopus promovendo illegitimè natum vel concubinarium, non videtur dispensare, sed si præcessit super hoc examinatio & causæ cognitio & an esset necessitas vel utilitas promovendo, videtur dispensare, notatur per Innocentium in c. *veniens*. de filiis presbyterorum & per Glossam in c. *qui*

F *in aliquo* L. di. & per Archidiaconum in c. *licet canon* de elect. lib. 6. in cap. *Pœnitentes* L. di. Et tamen promotio est ad alium certum finem ordinatum quam ad dispensandum, sed tamen operatur dispensationem propter illa quæ præcesserunt. Innuitur ergo quod inthronizatio, coronatio, & multiplex obedientia operantur alium effectum propter illa quæ in casu isto præcesserunt, ut superius est deductum; & sic cum reverentia declino argumentionem vestram.

Sed

Sed quia non videtur mihi plenè satisfactum A ad Clem. *Si summus*, propterea cogitavi aliter, licet prolixè, respondere, & dico quod decretalis illa locum habet ubi papa vel alius qui posset jus tribuere sine aliqua certa forma in beneficio vel dignitate nominat, honorat, vel tractat aliquem sub titulo dignitatis beneficii, non dando sibi, vel faciendo aliquid circa ea quæ faciunt ad corroborationem vel confirmationem seu complementum beneficii vel dignitatis vel administrationis ipsius. Pono exemplum in jure. Invenimus collationem benefi- B cii per quam attribuitur jus in beneficio, de præbenda. *Si tibi absent.* l. VI. Investituram quæ fit alii in re absenti per annulum vel birretum, quæ habetur loco confirmationis seu approbationis juris jam quæsiti: & si fiat in re præsenti, habetur loco traditionis possessionis; & tunc appellatur datio possessionis, seu introductio in possessionem: unde si non præcedat collatio, sed tantùm interveniat investitura, ipsa operabitur collationem juris beneficii. Notatur per Compost. & Johannem Andræam de elect. c. C *transmissam*, & per Innocentium c. *Ex ore* de his quæ fi. ama. per ca. quia ut ipse ibi dicit, satis constat per eam de consensu prælati, quòd consentit in illum quem investit, & ex consensu utriusque acquiritur jus in beneficio, facit ad hoc de præben. *accedens*. Idem crederem & multo magis si introduceret episcopus clericum in ecclesiam vacantem, & diceret: Investio te per istam introductionem de ecclesia vacante. Et idem si in ecclesia cathedrali principali illius dignitatis inthronizaret eum dicendo: Intronizo te in prælatum vel tamquam prælatum D talis dignitatis. Per istam inthronizationem hujus cathedræ in qua introducitur, etiamsi nihil aliud præcessisset, prout infra dicetur de cathedra scienter, dico quod per istam accedat de consensu dantis & recipientis. Item quod in traditionibus jus acquiritur in re secundùm legem *justi* de re divi. C. §. quod per traditionem sufficit quòd beneficium recipiatur de consensu illius qui potest illud conferre de Insti. c. *ex frequentibus*. Et intendo dicere hoc si prælatus sciens beneficium, quod spectat ad E suam collationem sub titulo illius beneficii, inthronizet clericum in eum, vel inducat in possessionem, vel aliud adjiciat de præben. c. *nulla*, dando igitur, ut præfertur, dictam possessionem, præsumendum est quòd adimplet illud ad quod tenetur ar. de præscript. *ad audientiam*. Nam si dicerem quod non daretur per hoc jus, videretur igitur quod multipliciter & vitiosè daret possessionem, ubi non subesset alia causa dandi propter sequestrationem vel commendam vel alias causas imminentes, cùm F beneficium ecclesiasticum sine canonica institutione non posset obtineri, ut in regula, *Beneficium* & de eo qui mitti in pos. c. *unico* l. 6. Ad hoc facit quia ubi aliquid non potest benè vel licitè obtineri sine alio, tunc si illud aliud detur, & illud etiam sine quo non potest, &c. dare intelligitur. de offi. dele. c. *propterea*. & facit quod notat Archidiaconus c. *si clericus* de præben. l. 6. ubi dicit, Quod si detur alicui præbenda quæ est canonicalis, jus canonicatus, ad cujus conservationem vel corroborationem in ipsa est, videtur dari. Et facit adhuc quia aliquid quod refertur ad aliud præcedens non operatur aliquid vel saltem non plenum, & tamen per se positum sine præcedenti operatur plenum, de privil. c. *Si Papa sibi.* ac si dicat indeffinitè, necessariò, vel etiam dicatur. Et non mirum quod sic dando videatur, propter rationes prædictas, dare jus beneficii, quia interdum nomine possessionis proprietas intelligitur. ff. de verb. signif. l. *interdum*. & n. 16. q. 2. *visio*, & semper debemus interpretari quod quis sine peccato sit de testi. *cum tu*. Et ut res magis valeat, quam pereat, ut in c. *abbate* de verb. signif. & de fi. instru. *inter dilectos*, & facit quod aliquotiens nomine usufructus ex causa venit proprietas, ne sequatur impossibilitas juris ff. de usufruc. in l. *Proculus*. Et idem credo si sciens vacare episcopatum aliquem consecret in episcopum sub titulo illius episcopatus. Et idem in confirmatione, quia licet confirmans non videatur donare ut alb. c. *inter dilectos*. Si tamen ex certa scientia, ubi electio non valet, eam confirmat tunc dat, si ipse poterat dare, ut notatur de elect. *quam sit*. Gl. fi. l. 6. Non obstat Glossa ultima in c. *quorumdam*, & notatur per Archidiaconum in c. *Si cui* c. ti. quia debent intelligi ubi confirmans non habet potestatem providendi, vel ubi errat credens electionem tenere: secus ubi habet potestatem providendi, & ex certa scientia hoc facit, ut in glossa c. *quam sit*. Et ideo satis probatur quod quando prælatus ad quem spectat conferre beneficium vel dignitatem sub titulo talis dignitatis, dat aliquid de illis quæ debent sequi post collationem, quæ faciunt ad perfectionem & corroborationem seu complementum collationis, si præcessisset, dando illud ubi nulla collatio præcessit, videtur conferre velle & consentire quod talis recipiens habeat jus in dignitate, cùm videatur velle perficere quod non posset fieri nisi noviter jus dando. Sed ubi superior, &c. ex certa scientia nominat, honorat, tractat aliquem sub titulo alicujus dignitatis in aliis, utpote vocando ad concilium inter alios similis dignitatis, faciendo eum sedere in loco quem requirit dignitas illa quando sederet in concilio, vel similia faciendo, non videtur per hæc ei dare jus, ut in isto c. *si summus*, & de præben. c. *dilecto*. Et sic ratio est quia talia possunt & debent fieri ex certa scientia etiam non habenti jus in dignitate utpote possibilitati de elect. c. ingen. VIII. q. IV. c. *nonne*, & etiam in memoriam aliquotiens pristinæ dignitatis de foro compe. c. *ex parte*. Sed superior numquam consecrat, investit, confirmat, aut in possessionem inducit scienter aliquem jus non habentem, nisi intendendo dare sibi jus de trans. c. I. de confir. uti vel inuti.., & facit quia licet illi cui opponitur crimen sive infamia, omnino obstante exemtione criminis detur; non posset tamen illi qui dicitur jus non habere de causa pos. c. *cum olim* de dolo & concu. quod consecrando non confirmat; quia hoc non

intendit, hoc intelligo ubi erat credens confirmatum, & non est ut satis sibi innuitur.

Veniendo igitur ad propositum, dico quod licet electus in papam consequatur plenam administrationem per electionem, ut notat Innocentius in dicto c. *de vitanda*, & in c. *In nomine Domini*, & in c. *Si quis pecuniam*, verumtamen ad confirmationem & corroborationem & complementum inthronizatur. Per inthronizationem videtur jurisdictio dari; quia si tollendo episcopo cathedram in aliqua ecclesia, perdit jurisdictionem in ea; igitur & per contrarium dando sibi cathedram episcopalem videtur dari sibi jurisdictio episcopalis, de privil. c. *Si papa* in §. *& idem*. Ad hæc facit xl. di. c. 2. ubi cathedra sumta est pro papatu seu regimine & administratione ecclesiæ. Coronatur & etiam consecratur; & ista spectant ad cardinales, & ipsi omnia ea fecerunt Urbano sub titulo papali. Igitur videntur consensisse quod sit papa; & ipse etiam recipiendo consensit: ut sic ex hoc haberet & jus, etiam ubi nulla alia electio præcessisset, ut patet per prædicta: maximè ex quo præcessit præfata electio, etiamsi nulla erat, quia hoc ipsi non poterant ignorare, ut in c. *ab excommunicato* de rescript. & ex certa scientia faciendo actus prædictos, cùm effectus ipsius electionis pendeat ex solo consensu & voluntate cardinalium eum confirmantium; & validaverunt, ut supra plenius est deductum.

Nec obstat in contrarium quòd illa spectant facere ad certos cardinales, quia ipsi fecerunt aliis cardinalibus cooperantibus & auctorizantibus, & ideo omnes fecisse videntur de offi. dele. c. 1. cùm ibi notatur. Quod fortè, nisi sit speciale in electione Papæ, non fieret per alios actus quos fecerunt, scilicet nominando eum papam, obediendo ei, respondendo ei de juribus papatus, recipiendo ab eo possessiones solitas vel gratias per se, aliisque impetrando, quia ista non sunt de illis quæ secundùm jus vel consuetudinem faciunt ad confirmationem, vel corroborationem, vel complementum seu perfectionem juris seu administrationis papalis de nominatione 2. q. 1. *multi*, de obedientia VIII. q. IV. *Nonne* de receptione possessionum ab ipso de elect. *querelam*. Idem de gratiis recipiendis, quia recipi possunt à non habente jus juxta notata per Innocentium & Bernardum, & Compostellanum in c. *Nihil* de elect. & per Innocentium c. *in litteris* de resti. spo. Et facit quod notat di. de re jur. c. 7. l. 6. dicit quòd si quis recipiat legatum ex testamento, postea potest eum impugnare de falso, licet non de inofficioso, quia inofficiosum tenet, sed potest rumpi per querelam cui renuntiat recipiens legatum ex eo. Sicut canonicus contemtus renunciat contemtui consentiendo electioni, etiam faciendo reverentiam, ut in c. *ex ore*, & eam validat, si aliàs tenebat, aliàs non. Et dicitur validare, quia renunciat juri impugnationis, non quod det jus.

De responsione sibi facta de redditibus, quia non prosit, probatur, quia receptio pensionis non facit decurionem, nec dominium, nec possessionem probat, ut allegatur c. *intra dilectos*

A & l. *haberemus* ff. *de decurionibus*. Illa autem quæ faciunt ad confirmationem, corroborationem, seu perfectionem beneficii vel dignitatis, etiam post collationem, sicut est investitura, ut in illa Glossa confirmatio & consecratio, ut in c. *licet* de translat. & c. *inter corporalia, ordinato*, ut in c. *licet canon* de elect. l. 6. de pœnitentiis. *Omnis utriusque sexus*, de excessu prælat. c. *ex litteris*. Possessionis datio, quia ante non dicitur plenè translatus 21. q. II. Si quis jam translatus de

B elect. *cum in cunctis* de præben. licet in 2. & c. *si tibi concess.* l. 6. In talibus enim prælaturis & dignitatibus tam ecclesiasticis quàm temporalibus ubi non debent assumi nisi idonei de elect. *Nihil est* de præben. *grave* de excessu præl. *inter dilectos*, & de re juris in familiaribus l. 6. LXI. di. c. *miramur* LIX. di. c. 1. De talibus enim dicitur nemini cito manum imposueris, ut allegatis juribus de elect. *cùm nobis olim* c. ti. c. ultimo l. VI. Est enim in primo examinanda persona. Et ideo ex quo talia & tanta requiruntur, est ratio quia non de facili persuadeatur, quod

C per quemlibet actum superioris velit ipse superior dare jus in dignitate illi contra quem exercet actum, nisi sit talis actus per quem appareat quod intendit dare, seu dat aliquid de illis quæ faciunt ad corroborationem, complementum seu perfectionem prælationis, ut prædixi; quia tunc cùm dat aliquid ad perfectionem prælationis, non potest non præsumi quin det. Et secundùm ista potest dici, quòd licet in aliis prælaturis & dignitatibus sit fienda talis distinctio actuum; verumtamen quia non sit fienda in Romano Pontifice

D in nostro casu ratione prædicta, quia cum electio Romani Pontificis requirat celeritatem nimiam, ut in c. *ubi majus periculum*, & in c. *ne Romani*, & possit eligi persona quæ aliàs non esset idonea ad aliam dignitatem, ut notatur in c. *si quis pec.* valeat fieri talis electio, & fiat per quoslibet actus, per quos accidat cardinales in ipsum consentire, ut in papam vel pro tali tractare, sicut fuerunt omnes illi actus quos narrat vestra reverenda paternitas, quos dicitis factos fuisse per omnes cardinales, & hoc fit favore facilioris provisionis, quæ est nimium

E desideranda & appetenda, & quia est anormata, & exorbitat ab aliis electionibus & provisionibus aliorum prælatorum, ut in allegato c. *licet* de vitanda & c. *ubi majus*, & c. *ne Romani*. & pendet ex solo consensu cardinalium, de quo consensu quandocumque vel quoquo modo constet, sufficit, ut dicit Innocentius & Compostel. in dicto c. *licet* de vitanda, & Innocentius in c. *dudum* de rebus eccl. non alien. l. 6. ad quod bene facit quod notat di. III. præ alle.

F c. de re juris 1. §. 10. in fine, ubi: sed si defectus institutionis pendeat ex facto vel voluntate canonici, &c. Ultra hæc, ut vestra reverenda paternitas evitet & declinet contrarium de Glos. Innoc. in c. *ex ore*, & Jo. Compostel. 3. c. *transmissam* de elect. dicit quod Glossa illa habebat locum in illis quibus habet providere per collationem, sed non in illis quibus providetur per electionem; quia electio, ut dicitis, debet esse communis & collegialis, &c.

Ad istud satis inferius dicetur super tertio vestro fundamento: sed insuper dicitis quia debent intelligi glossæ prædictæ, quòd per investituram detur jus, scilicet ubi non præcessit collatio vel electio; sed non ubi præcessit, & est nulla & vitiosa: quia investiendo refert se ad provisionem quæ præcessit tamquam ad fundamentum, & sic non est verisimile, quod jus transferre intendat. De ista ratione miror præterea, quia non capio; nam si investitura illius qui potest jus dare operatur quod dat jus, ubi nulla electio præcessit vel provisio; multo magis debet hoc operari quando præcessit, licet nulla: dum tamen investiens sciat eam nullam, ut in allegato c. *proposuit* de conju. servorum, & in aliis juribus superius allegatis & Glossa ultima in c. *quam sit.* de elect. l. 6. Et illud quod dicitis quia referendo se ad fundamentum nullum non datur jus per investituram, & etiam haberet locum ubi ignoraret fundamentum esse nullum; quia tunc cùm erraret, non intenderet jus dare de novo, ut notatur in dictis juribus. Et c. 1. de eo qui duxit in matrimonium quam pol. per adul. secus si sciret, ut ibi, nec videretur aliud tenendum, aliàs sequeretur quòd prælatus daret scienter sibi vitiosum ingressum in dignitate vel beneficio contra c. *unicum* de eo qui mitti in posse l. 6. quod non est præsumendum de testi. cum tu. de re. in c. 2. Immo est præsumendum quod bene & diligenter facit officium suum in casu licito de præscript. *ad audientiam.*

Insuper Vestra Reverenda Paternitas facit aliam responsionem, dicendo quod licet per tales actus quis possit suo juri privato, utpote suæ electioni renunciare, non tamen intelligitur renuntiare juri publico, quod est quòd prælatus non obstantibus reverentiis impensis, si in titulo beneficii non haberet jus, judex tamen in hoc poterit illum corrigere & compellere quod dimittat beneficium quod male tenet, ut in c. *dilecto* de præben. & quòd donec istud sic purgatum per quemcumque actum quem facit prælatus, non debet præsumi, nisi hoc exprimat, quod det aliquod jus illi injusto possessori. alleg. Glossas Hostiensis & Johannis Andreæ in c. *ex ore positas*, & facit bene decretalis. *Si summus* cum ibi notatis, &c.

Cum reverentia & omnimoda supportatione Vestræ Reverendæ Paternitatis ad hoc potest sic responderi, quòd si bene inspiciatur c. *Si summus pontifex*, ita loquitur & habet locum ubi nulla collatio vel provisio præcessit, sicut ubi collatio vel provisio quæ in se fuerit nulla, & vitiosa præcessit, quia in neutro casu dat jus nominando, honorando, tractando sub titulo alicujus dignitatis illi cui fuit collata illa dignitas antea vitiosè & inutiliter, sicut nec illi cui numquam fuit collata. Et hoc patet ex ipsa Decretali quæ generaliter loquitur. Et etiam in hoc quod dicitis ad probandum, quare in jam habita jus ei tribuere in dignitate non dicitur habita collatione etiam vitiosa. Et si ista conclusio esset vera, sequeretur quod ista decretalis haberet locum tantùm ubi aliquod fundamentum præcessit nullum & vitiosum, & non

A ubi non præcessisset, quod tamen non est de mente ipsius decretalis, nec verba, nec ratio hoc patiuntur. Et ideo intentio illarum Glossarum positarum in cap. *ex ore* est quod per reverentiam vel alium actum quem facit superior erga aliquem sub titulo beneficii qui non est sufficiens, seu talis per quem appareat quod velit sibi dare jus in beneficio, licet sit talis per quem aliquis renuntiaret suo juri privato, prælatus tamen per illum actum non renunciat juri publico, quod possit illum à beneficio removere,

B & hoc intendit c. *si summus pontifex*. Nam jus dare, & renuntiare juri suo diversa sunt; quia posito de duobus coelectis, quod unus per actum suum renuntiaret juri suo, non tamen jus alteri acquiritur ob hoc. Verumtamen si prælatus ex certa scientia faceret aliquem de illis actibus, qui tendunt ad dandum augmentum & perfectionem prælationis, ut dixi, faciendo tales actus dat jus, & sic simul purgatur vitium, & jus acquiritur, dum tamen prælatus sit talis, qui possit & sciat vitium electionis, & persona cui datur

C sit capax & habilis ad beneficium illud, ut satis superius est deductum. Et facit ad hoc quod dicitur de præscriptione, quia in instanti quo fruitur desinit res esse prioris, & acquiritur præscribenti.

Venio ad secundum vestrum fundamentum, in quo dicitis quod isti actus fuerunt damnati. Esto quod nulli vitio subjacerent: ita quòd nullus ex illis alius actus posset provenire, nisi pœnalis ad quod probandum concludendum tales formantur rationes: Cardinales eligunt, aut

D statim tenet electio, ut in c. *in nomine Domini.* c. *si quis* contra hoc nostr. decr. & sibi adhærentes & quales, quia reverentiam exhibentes pari sententia mancipantur. Cùm tales igitur actus à jure damnati electionem sequentes nihil penitus potuerunt operari, &c. Et ipse statim est papa: aut statim non tenetur, & tunc consentiens statim est antipapa intrusus, antichristus.

Reverendissime Domine, ingeniolum meum istud secundum fundamentum non capit, cum correctione & benivola supportatione. Detego

E ignorantiam, & dico quod in themate vestro dicitur, quòd aliqui cardinales elegerunt eum animo & intentione ut esset verus papa, & licet quoad alios cardinales qui sic non expresserunt, nihil validum pro tunc dicatur actum: tamen quoad istos qui sic elegerunt animo & intentione ut esset verus papa, dicatur liberè electus, aliàs ista verba repugnarent, cum aliàs non posset esse verus papa. Cui electioni omnes cardinales postmodum per salutationes & multiplices & iteratos actus non subjacentes vitio, ut

F vos præsupponitis, adhæserunt; & in ipsum tamquam in electum consenserunt, quod justè facere potuerunt per c. *licet* de vitanda ubi præterea. Igitur est verus papa etiamsi ista electio fuerit facta à paucioribus quam à duabus partibus, superveniente postea majori concordia, ut ibi dicitur.

Confirmatur illa ratio per ea quæ notantur in c. *indemnitatibus.* §. *Si autem*, glo. non sit in electione de elect. l. 6. Sed hic supervenit major

concordia, quia omnes cardinales postea eidem tamquam electo non solùm ut singuli, sed ut collegium in consistoriis & aliis conciliis obedierunt; & ipsum in verum papam tractaverunt, & scripserunt, ut patet ex themate. Igitur, &c.

Præterea ego facio differentiam quando electo in papam per impressionem obeditur per clericos & laïcos, & non per cardinales; aut per cardinales, non tamen per tot cardinales qui faciant duas partes. Dico quod in hoc casu, si non accedat major concordia, habeat locum, c. *in nomine Domini*. Si autem isti sint pauciores cardinales quàm sint duæ partes, non possunt ipsum facere papam per expressum consensum in eum, nec etiam per tacitum, ut dicit Innocentius in simili in c. *dilecto* de præben. Igitur omnes actus quos faciunt sunt damnati & pœnales, cum non sit verus papa. Sed secus est in casu nostro, ubi præcessit electio cardinalium per impressionem, qua cessante, omnes cardinales postea qui poterant per expressum consensum facere verum papam, ipsum sic electum liberè coronaverunt & inthronizaverunt, & alios actus multiplices & solemnes ac iteratos non subjacentes vitio, ut supponitis, fecerunt: per quos impugnationi ipsius electionis renunciaverunt, ut in c. *cum inter* de electo, & in c. *gratum* de offi. deleg. & in capite *ex ore* de his quæ fi. ama. per ea. & vitium si quod fuerat, per istum tacitum consensum est purgatum per decretales & jura ad hoc supra allegata, & ipse fit verus papa, in quo casu c. *in nomine Domini*, non habuit nec potest habere locum, quia decretalis *licet* de vitanda & Cle. *ne Romani*, excludunt tam contra personam electi, quàm contra personas electorum exceptiones, &c.

Nunc restat respondere ad quamdam subtilissimam rationem per vos super hoc positam: unde cùm dicitis, ex actibus pœnalibus & prohibitis non potest elici nisi malum, &c. cum reverentia declino consequentiam, quia contrahere matrimonium voventi simpliciter est prohibitum & pœnale, quia voventibus non solum nubere, sed nubere velle est damnabile. Et tamen si contrahat, ex ipso actu provenit actus bonus, & non malus, nec pœnalis, scilicet matrimonium carnale, quod semper est bonum, 27. q. in c. *nuptiarum bonum*. Ita in proposito de actibus succedentibus & factis à duabus partibus, immo ab omnibus & singulis cardinalibus elicietur matrimonium spirituale, etiamsi ipsi peccaverunt in sic faciendo divisim in discordia, & non sit, quia multa prohibentur fieri & de reg. ad apostolicam cum suis similibus.

Venio ad tertium fundamenrum, in quo dicitis quod isti actus consensus taciti ab illis actibus præsumtive eliciti non habent qualitates requisitas in consensu, scilicet electionis papæ: quia consensus cardinalium sufficiens ad faciendum papam debet esse collegialis, sive communis electivus cum intentione faciendi papam præscriptus, ut in c. *in Genesi* de elect. & notatur per Innocentium in c. *licet* de vitanda A super verbo *nominare*, & multa jura ad hæc allegata sunt.

Reverendissime Pater, & Domine, imbecillitas mei ingenioli minus etiam capit hoc tertium fundamentum seu tertium articulum per vos positum, propterea quia c. *in Genesi* præsupponit concilium c. *quia propter* & in ipso se fundat in principio & in fine. Quod concilium cum electione papæ nec quavis alia forma astringit. Et dicunt doctores in præallegato capite *licet* de vitanda; & Archidiaconus in c. *si transitus* B 79. di. Et vos etiam hoc dicitis super 3. q in §. sed contrarium credo verissimum ultra medium. In electione igitur Romani Pontificis sufficit legitimus consensus qualitercumque præstitus de quo constet. Et hoc expresse dicit Compostellanus, & etiam Innocentius in sæpe allegato c. *licet*. Glossa ultima, ubi quomodocumque appareat duas partes consentire in aliquem tamquam in electum, jus habet & verus papa est. Sed in istum B. reverendi cardinales C non solum singulariter ut singuli, sed collegialiter in consistorio consenserunt in istum tamquam in electum, ut patet ex themate. Igitur jus habet, & verus est Papa.

Præterea electio Romani pontificis pendet ex solo consensu dominorum cardinalium, ut probatur XXIII. di. c. *in nomine Domini* & LXXIX. di. per totum; & cùm in ipsa electione nulla forma requiratur, & etiamsi ab initio non tenuerit, tamen ex post facto per subsequentes consensus confirmatur. Glossa est Innocentii in c. D *dudum*. de rebus ecclesiæ non alienandis l. 6. per quam potest responderi ad notata per ipsum in c. *ad consue.* & c. *dilect.* de empt. & ven. & in c. *cum omnes* de const. & in c. *pro illorum* de præben. & c. *in Genesi*, & c. *auditis*, & c. *quia sicut* & c. *ecclesia vestra* de elect. & ad c. *convictam* LXIII. di. quia loquitur de inferioribus ecclesiis, ubi certa forma requiritur, & certa solemnitas, quæ si non reïteretur, non tenet actus. Secus in electione Romani Pontificis ubi nulla forma astringit, sed sufficit naturalis & verus consensus cardinalium eligentium & electi, ut in c. *cum inter canonicos*, & c. *licet* c. ti. E & c. *inter corporalia* de translatione episcopi & electi. & c. *ubi majus periculum*, §. *ceterum* de elect. l. 6. Ideo qualitercumque constet de ipso sufficit ad corroborationem & confirmationem actus, ut superius est deductum, cùm Compostellanus & Innocentius dicant speciale in Papam, quod quandocumque & quomodocumque appareat duas partes cardinalium, & etiam non obstat quod ipse Innocentius notat de inferioribus prælatis in cap. *in Genesi*, nec etiam F Glossa Innocentii in c. *licet* super verbo *nominare*. Et potest dici quod ibi electus à duabus partibus est verus Papa; & si in tali casu tertia pars alium nominaverit, tam ipse, quàm qui ipsum nominaverunt subjaceant excommunicationi. Vult quærere Innocentius si per istam solam nominationem isti incurrant. Et respondet quod non, nisi nominaverint cum intentione eligendi. Ponderetur igitur casus & verbum super quo cadit Glossa.

Nunc, Reverendissime Pater & Domine mi, venio ad aliud fundamentum, super omnia alia fundamenta fortius, in quo dicitis quod quamdiu Reverendissimi Patres & Domini Domini Cardinales fuerunt Romæ, numquam fuerunt in sua libertate, sed semper duravit metus, & omnes isti actus supervenerunt, metu durante, & per consequens impedimento remanente, & vitio non purgato, &c.

Contra quod fundamentum nec ego nec aliquis vivens posset aliquid dicere de jure, sed primus electus hoc expresse negat: quin immo dicit, quod vult probare, quod post primam electionem de ipso de mane factam, eadem die sumto prandio domini cardinales omnes se retraxerunt ad capellam, & ibi convenerunt ad majorem expressionem & cautelam, in ipsum B. archiepiscopum Barensem iterato purè, liberè, concorditer, & unanimiter consenserunt; eumque in papam iterato elegerunt, jurando omnes XI. per cælum & super unum altare, quod ipsum prius sincerè liberisque mentibus elegerunt cum pura libera voluntate, dicentes, atque jurisjurandi religione affirmantes, electionem suam puram, sinceram, & canonicam fuisse & esse: rogantes ipsum cum precibus & maxima instantia, ut dictæ electioni dignaretur suum præstare consensum, quod & fecit: Et quod eadem die tres ex dominis cardinalibus, de Agrifolio, Lemovicensis, & Pictaviensis cardinales secesserunt ad partem in dicto palatio cum præfato sic, ut dicitur, electo, in loco seu camera studii; & dixerunt eidem quod ipsi tres cardinales fuerunt motivi & causa electionis suæ; & supplicaverunt eidem quòd dignaretur ipsos habere recommendatos, & etiam exsecutionem Domini Gregorii, & fratres & alios de gente ipsius, & certum subsidium præstare pro redemtione Domini fratris ejusdem Gregorii in Anglia captivi; & quod in prima creatione cardinalium, quam ipse faceret, dignaretur facere cardinalem quemdam eorum consanguineum, quem Dominus Gregorius facere intendebat, videlicet quemdam fratrem Domini Hugonis de Rupe; & quod etiam supplicaverunt eidem, quod dignaretur recipere in cubicularium suum dominum P. de Barreria. Ad quos ipse generosè respondit.

Item dicit quod cardinales aliqui existentes in sua libertate in castro S. Angeli, & illi qui erant extra Urbem in castris ad XXIX. millia etiam non vocati redierunt, ipsumque liberè inthronizaverunt, coronaverunt, & in possessionem tamquam verum papam introduxerunt.

Dicit insuper quod postea steterunt Domini cardinales omnes quotidie in propria libertate absque aliquo metu, non solùm Romæ, sed etiam Anagniæ, & scripserunt sibi tamquam vero papæ, supplicando pro beneficiis & ecclesiis pro se & pro suis. Multa etiam narrat in facto quæ pro ipso faciunt, si vera sunt, de his quæ acciderunt ante ingressum conclavis, & etiam in conclavi, & post exitum conclavis, quæ videntur prima facie verisimilia, licet sint de directo contraria narrationi vestræ & themati: Quæ omnia & singula probanda se offerunt, non solùm per dignos, seu sufficientes testes, sed etiam per publica instrumenta, prout latius ipse primus electus descripsit in quodam themate facti, cujus copiam vestram reverendam paternitatem credo habere.

Cum igitur supradictum negotium efficiat fundamentum vestrum dubium, locus est juridicæ determinationi: quia etiamsi esset diabolus inferni, postquam offert etiam ita verisimilia probaturum, non debet sibi audientia denegari. Satis enim videretur absurdum, si vobis & dominis meis cardinalibus accusantibus ac dicentibus ipsum apostaticum, intrusum, & antichristum, qui receptus, habitus & reputatus fuit per totum mundum, ut verus Papa; & qui per quatuor menses fuit in possessione pacifica, absque aliqua audientia expellatur, & eidem defendentis copia denegetur contra c. *cum inter.* c. *significaverunt*, de except. cum similibus infinitis. Lex enim ecclesiastica pontificem accusatum priusquam sub luce objecta constiterint, exigit non relinqui uni. VIII. q. IIII. c. *nonne.*

Modo, Reverendissime Pater Domine mi, subnectitur in vestro tractatu VIII. quæstio, in qua quæritur an ista juridica determinatio pertineat ad dominos cardinales, & post alias rationes, tenetis quod sic, & principaliter vos fundatis in c. *ubi majus* §. *hi* idem quoque quomodo approbatum est per concilium Viennense ex ti. e. c. *ne Romani* in Cle. quæ capita mirabiliter videntur probare quod dicitis. Et ad corroborationem ejus vos allegatis opinionem Hostiensis, quam recitat Glossa 3. c. 1. *de schisma.* l. 6.

Sed Reverendissime Pater & Domine mi, ut superius dixi, rudis sum & de apicibus juris non tantum didici, ut aperire possim os coram tanto Patre, qui est arca juris canonici: tamen cùm pace loquar cum Domino meo, ut me cæcum & vacillantem in isto passu velitis & dignemini illuminare: quia revera imbecillitas mea credit totum contrarium, videlicet quia juridica determinatio & finalis seu sententialis definitio cum causæ cognitione in hoc casu non pertineat ad dominos cardinales. Pro cujus evidentia præsuppono quod de jure communi est, quod in ecclesiis collegiatis si electores primò elegerint, si electio tenet, sed ex certis causis venit cassanda; in isto casu electores facere non possunt aliam prima, non cassata. Si verò prima electio non tenuit, sed fuit nulla ipso jure, dico quod in hoc casu electores qui non peccaverunt possunt facere aliam electionem etiam ex intervallo. Sed hoc casu superior habet videre an prima tenuerit vel fuerit nulla, & an secundam electores potuerint facere vel non; ita quod jura voluerint per electores posse inquiri an electio ipso jure nulla est, & se informare quantum ad se: non tamen voluerunt quod ipsa electoribus, sed super hoc superiori esset relicta jurisdictio & finalis definitio. Jura sunt satis nota in c. *consideravimus*, & c. *auditis* ubi de hoc, & c. *bonæ*, & c. *congregato* de elect. Præsuppono etiam quod sede apostolica vacante cardinales nullam potestatem ad jurisdictionem exercere

possunt, ut in Cle. *ne Romani* de elect. in Cle.

His præsuppositis venio ad rationem vestram qua dicitis, licitum est cardinalibus aliam electionem facere. Igitur possunt cognoscere & certificare utrum prima electio teneat vel sit nulla ipso jure, & utrum ecclesia sit viduata vel non. Certificari autem non potest nisi per determinationem quod electio fuerit nulla. Igitur hoc potest determinare collegium &c.

Cum reverentia declino consequentiam per jura prædicta & illa quæ præsupposui. Ad probationem respondeo, & dico quod Domini cardinales possunt ad sui informationem certificari & quærere si prima electio teneat vel sit nulla absque potestate alicujus jurisdictionis. Et ita intelligo notata per Johannem. de fi. & Hu. & Archidiaconum & alios doctores, quos allegatis, & omnia alia jura per vos præsupposita & ad hoc inducta: videlicet quod cardinales possunt juridicè definire, & quod stetur eorum definitioni, determinationi in præjudicium electi jam per ipsos cardinales inthronizati & per quatuor menses possidentis pacificè & quietè, ipsis cardinalibus præsentibus, & videntibus, & consentientibus, vel saltem non contradicentibus, ipso non vocato, non convicto, hoc omnino nego, quia decretalis *ne Romani* ipsos cardinales privat omni potestate & jurisdictione sede vacante.

Venio ad aliam rationem qua dicitis, Metropolitanus qui ad ecclesiam sibi suffraganeam habet providere, ipsum electum habet examinare, & potest cognoscere de meritis ipsius electionis, utrum teneat vel sit nulla; & ipsius articuli determinatio ad ipsum noscitur pertinere. Igitur hoc potest collegium cardinalium, cum aliquis ad Romanam ecclesiam noscitur electus, cum in ista vacatione cardinales fungantur vice metropolitani ad consecrandum electum antistitem, & non ad aliud, ut innuit textus & Glossa ord. in c. *ne Romani*, quod Hostiensis dicebat in præcipuo.

Sed nunc restat respondere ad aliud quod magis urget, videlicet c. *ubi majus periculum* §. *iidem quoque*, & dico quod caput loquitur quando aliquod tam grande & tam evidens periculum imminet, &c. evidens autem manifestum dico, cujus probatio est in evidenti, ut in c. *Constitution.* de verborum significatione l. 6. Iste autem non accedit manifestè intrusus, immo talia sunt & narrantur in facto propter quod multi valentes doctores & de melioribus totius mundi credunt, dicunt, & firmissimè asserunt ipsum verum Papam, cum quo etiam stat major pars christianitatis, quæ ita credit, pro eo quia sicut dixi, per dominos cardinales fuit electus, receptus, inthronizatus, coronatus, habitus, reputatus; & ut verus papa tenuit per quatuor menses pacificè & quietè papatum, dominis cardinalibus videntibus, scientibus, & consentientibus, vel saltem non contradicentibus. In quo casu dubio etiam non credo habere locum c. *Si quis pecuniam*, sed in casu manifesto & notorio in jure & in facto. Et si dicatur, impressio fuit manifesta & notoria. Respondeo & dico quòd postquam cessavit impressio, & ille popularis tumultus, etiam post aliquorum dierum intervalla, inthronizatio, coronatio, & obedientia Domino papæ cardinalibus fuit manifesta, pacifica, & notoria per quatuor menses. Et si dicatur: Domini cardinales dicunt quod duravit metus. Respondeo & dico quod ipse electus hoc negat, & ultra offert probare contrarium, ut superius dixi. Per istam igitur negationem, consideratis omnibus & singulis actibus, quos publicè, palam, & notoriè fecerunt Domini cardinales, dicimus casum dubium, & non habere locum c. *si quis pecuniam*: quod caput etiam potest intelligi, quando aliquis sine concordi & canonica electione cardinalis per militarem vel popularem tumultum fuit inthronizatus: ideo quia tunc inthronizatio est notoriè mala & inexcusabilis. Nimirum igitur quod in tali casu licitum est cardinalibus etiam & laïcis talem notorium & inexcusabilem invasorem depellere & anathematizare, secus autem in vestro casu, ubi licet dicatur electio non canonica, non tamen fuit inthronizatus militari vel populari tumultu, ut patet ex themate: sed fuit inthronizatus per ipsos cardinales, ad quos solum inthronizatio & electio pertinet de jure communi, ut XXIIII. di. *in nomine Domini*. Cùm igitur caput *si quis pecuniam* sit pœnale, & exorbitet à jure communi, ut patet 3. q. 1. per totum. c. 3. q. 8. q. 4. c. *nomine*, casum propositum non excedunt, sed habeant locum antiqua jura ut in c. *statutum* de elect. l. 6. cum sui remiss. Regulæ enim generaliter traditæ pro electione Romani stabo, nisi in quantum inveniam expressè detractum, ut in c. *consistorio* constitu. de elect. l. 6.

Ad hæc respondeo ad §. *iidem quoque* qui verè multum urget eo modo quo per vos subtilissimè deductus est; pro cujus solutione præsuppono pro vero illud quod vos dicitis in themate, videlicet quod per patentes litteras fecistis citari cardinales Italicos, ut infra v. dies ad tardius convenirent vobiscum in Anagnia ad deliberandum & providendum super impressione vobis facta in electione, quam nutu mortis feceratis, de remedio opportuno; nec non & ad tractandum, & peragendum omnia & singula quæ propter præmissa erant necessaria ad salutem & utilitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ, etiam prout in litteris citatoriis ad quas me refero, pleniùs ac latius continetur, facta & iterata eis citatione præmissa, tres cardinales, quia quartus erat infirmus, comparuerunt infra dictum terminum, & post multa quæ ibi fuerunt prolocuta, expressè dixerunt, quòd eis videbatur expediens & necessarium quod convocaretur concilium; & in ista conclusione remanserunt; sicut & adhuc sunt constantes: quæ via vobis aliis dominis meis cardinalibus Gallicis non fuit visa utilis, sed præjudicialis & non bona; & ipsam tamquam damnosam & præjudicialem communi consilio repulistis: ita quòd in hoc casu Gallici & Italici domini cardinales discordes remanserunt, & statim electum cum

solemnissima publicatione & sermone anathematizatum & intrusum publicari fecistis, prout in litteris super hoc confectis, ad quas me refero, plenius & latius continetur. Cùm igitur §. *iidem quoque* dicat nisi aliquod tam grande & tam evidens periculum imminet, quod omnibus & singulis cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi succurrendum celeriter, &c. Sed hic non fuerunt omnes & singuli cardinales concordes, ut præsupponitis: igitur §. non habet locum, nec concludit illud ad quod inducitur.

B Venio igitur ad primum articulum sub illa VIII. q. comprehensum, & per vos subtilissimè & copiosè discussum; & quæro si ad cardinales non spectat ista determinatio, ad quem igitur spectabit? Cum supportatione & determinatione vestra, videtur quod ad concilium: quia ista causa totam universalem ecclesiam tangit. Igitur per regulas juris ab omnibus decidi debet quod omnes tangit &c. Hoc tenet expresè glossa in c. *si duo forte*. LXXIX. di. cum quo tenet Archidiaconus pro ipsa glossa allegando VI.q.c.I. Cùm igitur sint C duo doctores antiqui reddentes generalem juridicam rationem & suspicit cardinales quod essent judices in facto proprio, stemus eorum consilio & opinioni, postquam non habemus aliquod jus expressum in contrarium.

Sed si ad concilium spectat, quis convocabit concilium & præstabit auctoritatem judiciariam, cùm non possit concilium convocari, nisi per papam vel ejus legatum, & ipsum concilium recipiat suam auctoritatem ab ipso Papa, qui modò non est, cùm sedes dicatur vacare? D

Respondeo cum supportatione vestra & omnimoda determinatione & dico, quod revocabitur per cœtum reverendissimorum dominorum cardinalium, qui hoc casu succedunt in jurisdictione papali.

Sed quæro, quo jure? Respondeo quod per §. *iidem quoque*, in c. *ubi majus*, eo modo quod per reverendissimam paternitatem vestram inductum est, licet ad alium finem. Videre meo ad istud propositum mirabiliter facit, & hoc tenet expresè Hu. LXXIX. di. III. c. *si duo forte*. E Et per hoc cum reverentia loquendo fit solutum ad illas tres rationes quas super hoc facitis. Sed si hoc non placet reverendissimæ paternitati vestræ, dico quòd ad majorem cautelam convocetur concilium per utrumque electum una cum cœtu reverendissimorum dominorum cardinalium: & in hoc casu cessabit omnis dubitatio.

Decursis igitur per me avidè lectionis instantis providentissimis vestræ disputationis eloquiis, F quæ insciolam æstuantis conscientiæ ruditatem sollicitare videntur, ultimæ vestræ quæstionis articulum, cui ad tractandum præmissa (summam sacri collegii cardinalium potestatem, quibus dicitis quod clerus & populus christianus in hoc passu tenentur credere tamquam de necessitate salutis,) sui tractatus seriem profunda discussione convenit, aggredi inconsulta præsumtione non audens sed sub occans velut per naviculam delitescens. Præsumtuosum A enim esset & absonum, si ad illorum ventillandum potentiam, auctoritatemve scrutandam, meæ humilitatis stylus insurgeret, quorum peregrinus & inops dudum suavissimo lacte nutritus, quorum fragmentis & fomentis magnificis & munificis ditatus ad tantum dignitatis solium, non meis meritis, sed horum clementia sum evectus; illud tum supplicans instantius qua possum confido, ut puram veritatem rei gestæ detegentes simpliciter, cum contra hoc involucrorum ambages & scrupula dignemini quasi ramos obumbrantes abscindere, ne ipsius veritatis semitam propositionum & casuum diversorum silva umbrosa videatur intexere, & quod per notoria veritatis expetitur, nullius difficultatis rubigine maculetur. Nam ex varietate & discrepantia relationum, tanta in hoc humana ratio prolixitate confunditur, tanto stupore fidelium mentes subversæ rapiuntur, quod secum ipsi diffidentes, à sensibus propriis exsulant, fluctuant spiritu, quo calle gradiantur ignorant. Quamdiu, quamdiu? cras & cras. Quare non modò, judex æterne, incipiunt dæmonum commenta nudari, detegi artes, cessare visiones & somnia, & nefandæ pestis materia conculcari? O utinam mihi parcius datum esset in sudore vultus mei & labore manuum fiscellas junco contexere & levia palmarum folia complicare, quam in tanto ecclesiæ Dei præcipitio & ruina ad regimen positus aliorum prædicta mihi alligari duplicia, & quotidianis mortibus & anxietatibus interire! En dicunt gentes fideles sponsæ crediti paranymphi, qui dum de ejus hereditate contendunt, ipsam profanandam infidelium latratibus derelinquunt, qui prætereuntes & moventes capita sua blasphemant dicentes: Quomodo dicit quod nos salvos faceret, quæ in seipsa lacerata prosternitur? Juvet prius seipsum, & credemus ei. Et sic dum pastores mutua se altercatione collidunt, lupi rapaces ab omni parte Dominicum gregem invadunt. Missos fuisse legimus sacerdotes & levitas ad Domini Præcursorem, quibus instantibus ut de seipso testimonium perhiberet, propheta gratia Dei plenus, & humilitatis baltheo circumcinctus, Non sum, inquit, ipse propheta, & supprimere humiliter satagebat, quod de eo divinæ vocis oraculum proferebat. Inter nostros apostolicos & coelectos non est, proh dolor! Non est qui interrogatus de se respondeat, non sum successor Petri, non sum vicarius CHRISTI JESU; puto enim quod collatis illi clavibus regni cœlestis diceretur à Domino: Ascende superius, pasce oves meas, & gregis mei probata humilitate curam complectere. Superba mens nostra non vult sponsum deserere, veretur eum amittere. Cæca enim humanæ præsumtionis ambitio turbato ordine ad humana prius cursitat argumenta, quàm cælestia velit sperare præsidia. Talibus dicitur interdum per prophetam: Si exaltatus fueris ut aquila, & inter sidera posueris nidum, inde te detraham, dicit Dominus. Succurrite igitur & subvenite, Patres conscripti, luminaria super candelabrum radiantia, & cæcos, vagos, fluctuan-

tes, & trepidos, ac inſipientes populos veſtris illuſtrate ſplendoribus, veſtris invictis viribus confortare, ut poſſimus pſallere cum propheta dicentes: O quam pulcri pedes annunciantium pacem, evangelizantium bonum. Et ſi hæc videretur non poſſe ſufficere, veſtras ſaltim debet pias conſcientias concitare, zelus domus Dei, animarum pericula, infames confuſiones & ſcandala, quibus veſtri ſanctiſſimi cœtus integritas & totus Eccleſiæ Dei clerus ex hujus horrendi ſchiſmatis tempeſtate univerſaliter laceratur. Exiſtimat enim loquacis vulgi inconſulta protervitas, quòd odii fomite, non zelo juſtitiæ, adverſus primum electum unanimiter concitati eum cogitaſtis, quod abſit, molitionibus impugnare, & de eorum quæ aſſeritis & ſecundo electi veritate & juſtitia diffidentes, generalis concilii conſiſtorium declinetis. Præſertim cum in hoc omnium fere Chriſtianorum principum & trium cardinalium Italicorum vota conveniant, & totius populi chriſtiani deſideria proclamata concurrant, ex quo pars maxima occidentalis cleri & populi in fide primi electi ſunt adeo radicati, quòd non niſi per viam dicti concilii aut divino miraculo poſſit ejus ab ipſis devotio quomodolibet aboleri.

Quare, benigniſſime pater & domine, veſtram & aliam dominorum meorum cardinalium quorum me facturam eſſe cognoſco, clementiam & pietatem ſupplici humilitate depoſcens oro & expoſco per illam inexhauſtam miſericordiam Jesu-Christi, & per unitatem catholicæ fidei, quatenus à veſtræ ſplendidæ puritatis luce tantæ obſcuritatis maculam abradentes, & in his inſtantibus malis & periculis occurrentes, ad propoſitum dicti generalis concilii remedium concurratis. Tollite, quæſo, moras, patres eximii, congregate plebem, feſtinate ſuccurſum, & ad communis matris reparanda ſolatia fidelis populi conſortium advocate: Erumpant ut lux meridiana veritatis excelſa præconia, per quæ fidelis Zorobabel ad Regis cognitionem mereatur extolli, & noſtræ ſpiritualis Jeruſalem collapſa poſſit gloria reparari. Quod ſi dicti concilii veſtræ paternitates omnino crediderint ſperandam convocationem, & ad brevioris remedii compendia recurrendum, licet non ſit humilitatis meæ tantis patribus agenda dictare, ſatis tamen tolerabile videtur, quòd hinc inde in certo numero communiter vel diviſim eligerentur prælati, vel alii clerici comprobati, & tanto negotio congruentes, per quos omnibus & ſingulis quæ extra conclave habita & acta fecerunt ſolemni & ſerioſa informatione conjeſtis, per modum aliquem Deo gratum hujus damnoſæ peſtis præſcinderetur infectio, & grandis periculi contentio ſopiretur. Concordato enim facto per communiter ſic electos, parvam operam reſtare puto, ut unuſquiſque propriæ mentis compos, etiam abſque prolixitate concilii, poſſit quod jus dictat breviter arbitrari. De his enim quæ in conclavi per vos dominos cardinales acta fuerunt non credo quod de facili per alios quàm per vos, excepto ſecretorum omnium ſpectatore, poſſit probabiliter veritatis ſinceritas perſcrutari. Et ne copioſa verborum congerie videar dominis meis ipſe quieſcens grandia ſuadere, ſi prædicta reconciliatione & quiete ſanctæ matris Eccleſiæ aut veſtræ paternitatis, vel cujuſcumque eorumdem dominorum meorum communiter vel diviſim ſervitiis beneplacitis vel honore poſſet mea parvitas quicquam utiliter expedire, non recuſo laborem, ſed paratum me offero, & in carcerem mitti, & in mortem ire, & cujuſcumque fortunæ vel ſortis eventum ad mandata eccleſiæ humiliter acceptare.

Porro ſi grandi cordis ſtimulatu compaſſio ad aliquod inconſultum aut veſtræ fraternitati forſan in gratum linguæ frænum præcipiti præſumtione laxavit, veniam proſtratus imploro. Ignoſcat oro veſtra benignitas. Nam quod vehementia concepti doloris inſtruxit ad evocationis meæ... præcordiis, clementia veſtræ lenitatis exterſit, cui languores meos detego, quam me liberare poſſe confido, quamque largitatis divinæ immenſitas ſalvet ſemper & muniat & ad tempora feliciora perducat, Amen. Amen.

ORATIO FACTA AD CÆSAREM

Per Dominum Raymundum Bernardi militem & legum doctorem, conſiliarium regis Franciæ & ducis Calabriæ & Andegavenſis, ad declarationem juris Domini Clementis papæ VII. contra intruſum in Roma.

Anno 1379. Ex mſ. Gemmaticenſi.

CÆſar, ſi orantibus in cauſis neceſſe ſit eorum in oratione vim exprimi, ut reſponſuro principi vera precatio rem aperiat cognoſcendam: oportet me originem præſentis ſchiſmatis & proceſſum veſtræ celſitudinis in conſpectu ſolis his verbis exponere, quorum diſcurſu aliqui inanibus inſiſtentes objectis fruſtra diſputant curioſi. Quidnam, Cæſar, dicturus ſum aliud, quàm rem grandis infortunii ortodoxæ religionis in ſchiſmate, cum in totius reipublicæ perniciem chriſtianæ, felicis recordationis poſt obitum Gregorii papæ XI. in Urbe Romana, in qua cum ſua curia reſidebat, ſatan ſuum ſemen, ſcilicet zizaniam in agro Domini ſeminavit, & in cordibus Romanorum impreſſit, ut ſeditioſè tumultuoſis clamoribus, viris armatis, & viribus Romanum vel Italicum in papam eligerent, juſto metu perterritos cogerent cardinales.

Sciendum namque, Cæſar, ipſo pontifice defuncto, Urbis Senator & ceteri præditi poteſtate ſuorum ſuperborum ſequentes veſtigia dæmonis ſeductorum, rei bonum nuntium confingentes, ut malum ſubſequens & finem peſſimum miniſtrarent, ſuper obſervatione conſtitutionis *Ubi majus periculum* de electione lib. VI. juramentum debitum præſtitere inter cetera continens, ut in palatio unum conclave nullo intermedio pariete ſeu velamine omnes inhabitent in communi, quod ita claudatur undique, ut nullus intrare valeat vel exire. Item quod cardinales ultra quàm ibi exprimitur, non arceantur

arcerentur. Deinde ante diem ingressus conclavis officiales Romani in multis deliberaverunt consiliis, ut blandis verbis, & cum precibus cardinales inducerent ad Romanum vel Italicum eligendum in papam, & si per preces non posset ad optatum veniri, ad hoc expresse cogerent cardinales.

Incipit igitur blanda verborum congeries, comminationum epistolas gestans in cauda dominis cardinalibus * inquientibus illas: „Patres „& Domini, supplices exoramus, ut Romanum „vel Italicum eligatis in papam, & quod ante „conclavis ingressum nos velitis super hoc facere „certiores: aliàs dubitamus de maximis & irreparabilibus periculis, cùm cognoscamus corda „civium nimium sublevata. Ipsi vero domini cardinales ipsis officialibus juridicè responderunt, quòd ad certum aliquid se astringere non poterant quod valeret de jure: rogantes eosdem quod ab istis desisterent & desistere facerent populares, ne impedimentum facerent electioni futuræ, cùm eorum desideria curiam retinendi in Urbe satis cito frustrari poterant per hos modos. Viri irrationabiles ratione non contenti in executione minarum & mortis terrorem, gentem rusticam, quæ inciviliter agit, & sine ratione appetit quod devorent, introducunt in Urbe quam revocare nolunt, licet per Dominos, ut revocent, sint instantissimè requisiti. Et ut timor adderetur timori, Romani principes & alii nobiles, per quos sedari poterat furor furentis populi & quietari, per eosdem officiales expelluntur ab Urbe, super quorum reductione aut duorum ex ipsis, curiales preces dominorum cardinalium noluerunt exaudire.

* F. Inquientibus

Quid de usurpata portarum custodià per Romanos? Nam ad hoc fuit, ut dominis cardinalibus ad locum tutum pro eligendo pontificem aditus negaretur, sed & timor adderetur timori. Proinde officiales prædicti promiserunt, corporali per ipsos præstito juramento, dominos cardinales ab omni impressione & violentia tenere securos: nec non promiserunt quod burgum S. Petri, in cujus palatio futuri pontificis erat electio celebranda, in securitate facerent custodiri, aut pontes claudi, aut taliter muniri curarent, quod securè posset ad ipsius summi pontificis electionem procedi. Deinde instante hora intrandi conclave, circa solis occasum pro ipsa electione tractanda venerunt domini cardinales, existente populo pro majori parte armato in quantitate plenitudinis plateæ S. Petri, qui ingressus palatium unam constituit aciem hominum armatorum, quam circumquaque palatium ordinavit, ita quòd nullus ingredi poterat vel exire. Paulo post hora tarda cumulantur terrores, dum illi qui capita dicuntur regionum, unà cum multis civibus per fas & nefas conclave sunt ingressi, poscentes vicibus iteratis, ut domini cardinales antequam inde recederent, consolarentur de electione Romani vel Italici facienda: pluries & pluries subjungentes populum sic fore dispositum, quod istud esse aliter non poterat absque periculo personarum. Ipsi autem domini cardinales juridicè responderunt, *ut supra*.

Quibus abeuntibus, remansit seditiosus populus in palatio, per totam noctem tumultuosè vociferans per laclanellatam *Romanum volumus vel Italicum*, clangore tubarum & campanarum sonitu mixtis furori. Nec deinceps populus permisit claudi palatium illa nocte, pluriumque portas mansionum palatii fregerunt, eadem nocte sæpe sæpissime percusserunt solarium & latera conclavis permaximis ictibus, indesinenter clamantibus, ut supra. Mane autem facto cum domini cardinales orabant ad Dominum in devotione missarum, ut super electione facienda ipsorum animos dirigere dignaretur; horribilius more solito vesanus populus horrendas voces emittit, movetque tumultum, & tumultuosis vocibus & clamoribus interpellatio contumeliosa procedit, ut Romanus vel Italicus eligatur: & si fortè aliqua pars populi esset in Urbe non furens, ut universi furiant, & in frenesi deducantur, pulsantur campanæ S. Petri & capitolii ad martellum pro congregatione furentis & ferocis populi, ad rumorem universis sine intermissione clamantibus *Romanum vel Italicum eligatis in papam*.

Demum tam ferocis & barbarici populi feroci intentione percepta, custodes ab extra conclavis, quorum quidam Romani, quidam verò Ultramontani fuerunt dominis cardinalibus inquierunt: *Nisi incontinenti Romanum vel Italicum eligatis in papam, omnes per frusta scindemini sine mora.* Quo audito per dominos cardinales, statim dominum BARTHOLOMÆUM tunc Barrensem archiepiscopum, timore mortis imminentis, alias non facturi, ex abrupto, nullo penitus præcedente tractatu aut meritorum discussione personæ, elegerunt in papam: uno excepto Romano, qui dixit quod propter notoriam impressionem præsentem nec sibi, nec alteri daret vocem suam; & si fortè per omnes aut aliquos fuerit dictum, quòd ipsum animo & proposito quod esset verus papa, elegerint nihilo magis valere poterat electio quæ præcessit ex potestate ligata.

O Cæsar, prudentia regia aciem suæ considerationis extendat, an justè timere debuerant domini cardinales, videntes sic inhumaniter se deceptos ab officialibus perfidis & perjuris, cum fidem præstitam non observant, & violare juramenta præstita non verentur: Quidnam de vita ipsorum sperare debebant domini cardinales, nisi facerent quod petebant Romani, cognoscentes se absolutè positos etiam in potestate populi furibundi. Ideo nihil operabatur animus & propositum eligentium, durante seditione: quia licet nihil ardentius sic volitum quàm illud quod geritur, pro ultimo terribilium morte vitanda, nihil prodigalius concedatur quàm pretium sanguinis, id est vitæ: nihil tamen debilius ac fragilius geritur ab istis, cùm ipso jure non valeant & nullius sint momenti ex juris gentium ordinatione, juris canonici duplici dispositione, juris imperialis gemina sanctione. Juris gentium ponunt ordinationem egregii legislatores Paulus & Ulpianus ff. de except. do.

l. 1. §. *ideo* Et c. ti. l. *apud celsum* §. *metus causa* Juris canonici dispositione prævia probatur xxiii. di. *In nomine Domini*, ubi dicitur quod si quis contra hoc decretum synodali sententia promulgatum per seditionem vel præsumtionem electus aut etiam ordinatus, seu inthronizatus fuerit, perpetuo anathemate cum suis fautoribus & sequacibus, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur sicut antichristus, invasor, & destructor totius christianitatis. Non obstat, immo juvat cap. *licet* de elect. quia in quantum commemorat jura antiqua inter quæ est allegatum cap. *In nomine Domini*, adjungendo & providendo expressè, ne per illud aliquod præjudicium generetur eisdem, ut in dicto cap. *licet* satis circa primum cum dictis aliquid decernimus ad injungendum. Et in §. *Ex hoc* dat nobis intelligere manifestè quod non loquitur de electione per metum aut populi seditionem extorta, quæ sic cum suo electo damnatur in cap. *In nomine Domini*. Eodem modo faciunt cap. *Ubi majus*. c. ti. li. vi. & cap. *ne Romani* in Clem. in quantum commemorant dicta jura. Secunda dispositio juris canonici probatur in c. *Ubi majus*. §. *ceterum*, ubi dicitur, quod cessat electio dum facultas adimitur eligendi. In quo casu propositæ electionis Bartholomæi per seditiosum populum fuerunt domini cardinales artati Italicum dumtaxat eligere aut Romanum. Ad quorum positionem remotio sequitur futurorum ff. de interdi. & rele. l. *relegatorum*, & de condi. & de modo l. *cum ita* §. *videamus*. Verbo. *Qui enim*. Cum igitur ademta sit quo ad ceteros eligendi facultas, ut l. *Qui hominem* ff. de adi. lega. cessat electio, ut l. Sciphi. ff. de adopt. lega. sine qua Bartholomæus non potuit esse papa lxxix. di. *si quis pecuniam* & aliàs c. *In nomine Domini*.

O Cæsar, ante vos imperantium consulta divalia sanxerunt, quod in nullis locis aut civitatibus tumultuosis clamoribus cujuscumque interpellatio contumeliosa procedat, scituris his qui hujusmodi voces emiserunt, moveruntque tumultus, siquidem fructum ex his quæ postulant nullatenus habituros. c. *de seditiosis* l. ii. c. *qui manu* non pos. l. duo. ff. *Qui & à quibus* l. *Si privatus imperii* ff. de op. legis l. *Si constat*. Nec distingunt canonicum aut jus civile, an timuerunt, an non eligere seditione compulsi, sed hoc solum requiritur ad hoc ut electio nulla sit ipso jure, quod voci tumultuantis & seditiosi populi in eligendo fuerit obtemperatum; & hoc respectu, potestas dominorum cardinalium in eligendo Bartholomæum aut alium Italicum vel Romanum de jure fuit ligata seditione durante: sicque frustra quærunt curiosi an timuerunt domini cardinales eligendo Bartholomæum, cùm hoc nihil aliud sit quàm velle distinguere dicta jura, quæ indistinctè loquuntur: quod absonum est & contrarium rationi ff. de publi. c. *de pretio*, licet juste timuisse judicet & fecisse per metum nobilis Ulpianus attentis prædictis ff. quod metus causa vel metum circa princi. vel aliter neque. & ff. ad legis atque l. fi. sed etsi ff. de fi. & li. ar. l. iii. §. *Qui artem* & legislator Gaius ff. ad l. Aquilæ f. l. *Itaque*.

A Ulterius de jure naturali fuisse nullam electionem Bartholomæi sic probatur. Juris civilis regula est quod nihil consensui tam contrarium est quàm vis aut metus: & quod vi aut metu fit sine consensu est. Nam duorum contrariorum altero posito, alterum tolli necesse est. Ideo ista Bartholomæi electio, quæ non ex arbitrii libertate, sed ex metu procedit, in substantialibus deficiens dicitur esse nulla. Præterea hæc manifestè probatur in electione judicis metu facta, quæ ipso jure dicitur nulla ff. de judici
B l. ii. *circa principium*. Sed nullibi magis tractatur de electione judicis facienda, quàm ubi summus pontifex ordinatur, qui omnes judicat, & à nemine judicatur. Secundam verò electionem factam post prandium in capella eadem ratione qua primam reprobant dicta jura. Ulterius subjacet vitio nullitatis propter contemtum trium dominorum cardinalium, qui non fuerunt vocati per alios in capella. Tunc enim locum habet quod duæ partes possunt eligere, quando sunt omnes simul de electione tractantes, ut c.
C *licet* §. *& duabus*. Cùm dicit, tertia pars concordare noluerit. Præterea cùm pars sui totius unitatis respectu dicatur ff. *de rei* ven. l. *in rem*. §. *si quis rei*, circa principium... dicendum est quod cardinales eligentes in capella, aliis tribus non existentibus ibi & ignorantibus quæ agebantur, non erant duæ partes illius totius quod potest eligere papam: quod tamen necesse est ad hoc, ut possint eligere papam, cap. *licet*. Quod sic probatur. Certum est quod totum potens eligere papam est domini cardinales in-
D clusi in conclavi pro electione facienda juxta formam c. *ubi majus*. Separatis igitur cardinalibus, desinit esse totum ff. de usu cap. l. *cum quo* al. qui cùm ibi separatis enim corporibus. Et sic totum quod non est, partem habere non potest, ff. de ac. redo. l. *adeo* §. *Quod si post* ver. *Si cujus*. Et sic respondetur ad illud quod dicunt adversarii, dictorum trium cardinalium assensum accessisse, quod asserunt sufficere per al. c. *licet* §. *Præterea*: quia posset hoc esse ve-
E rum ubi eligentes duæ partes dicti totius extitissent, quod hic non erant, nec esse poterant, ut dictum est.

O Cæsar, ex prædictis manifestè monstratur, quod inthronizatio seu coronatio dicti Bartholomæi sine concordia, quia non ex consensu spontaneo, sed coacta & violenta electione processit. Quia illa est canonica electio, quæ rectitudinem continet, & non deviat aliorsum iv. di. *denique*. Sed per vim aut metum extorta, sicut illa Bartholomæi, non est hujusmodi: cùm
F lex dicat quòd illud quod metu geritur, sit contra bonos mores. ff. *quod me causa* l. *isti quidem* in principio. Alibi dicitur temerè ut e. ti. l. *extat*. Alibi dicitur turpiter & sceleris quæsitum, e. t. l. *quod dicimus* §. fi. Alibi dicitur injuria l. *si cum exceptione* §. *in causa* e. ti. Alibi dicitur improbè factum c. e. ti. l. *non interest*. Alibi dicitur illicitè fieri quod fit per metum de re juris quomodo latenter. Et sic justissimè juxta formam c. *in nomine Domini*, & c. *si quis pecunia*. Omnes domini cardinales, nullo demto, nisi Domino S. Petri dumtaxat, qui ætatis senio

confractus fuit & morte præventus, quanto citius securè poterant, aut potuerunt, ipsum BARTHOLOMÆUM ut intrusum dejecerunt, dimiserunt, & in sua pertinaci maledictione dereliquerunt, & Fundorum civitatem quæ erat & est unius Romani principis tamquam sibi locum pro eligendo summum pontificem juxta formam cap. *In nomine Domini* adierunt, & ibi fine quacumque conditione in papam Christi vicarium, S. Petri successorem, dominum Clementem VII. divinitus elegerunt.

O Cæsar, non de regno Franciæ, sed de solo imperii, de domo comitatus Gebennæ. Nam aliter fuisset vulgaris opinio, quod domini cardinales papatum quasi quodam jure hereditario in regno Franciæ vellent perpetuare. Et quia dictus BARTHOLOMÆUS hostis & totius christianitatis judicatur invasor, per cap. *In nomine Domini*, non fuit necessarius alius processus, cùm invasor quamdiu est invasor, sine processu & judicio possit expelli. ff. de vi & vi ar. l. III. §. *Cum igitur*. Et l. *qui possessionem* e. t. in primo dicto. Et censetur invasor toto invasionis tempore, & post aliquantulum temporis, per hoc quod dicitur incontinenti, quod quatenus intelligi debeat ibi notatur. De invasore in profanis dicitur possessor, c. *ut nemo*.... sed in papatu numquam efficitur possessor, sed perdurat invasor; & hoc est quod dicit c. *In nomine Domini*, cum dicitur *perpetuo anathemate*.... Quicumque etiam christianus ipsum de cathedra S. Petri potuisset nedum ejecisse, sed etiam impunè peremisse tamquam invasorem patriæ christianæ. ff. de reli. & sup. fu l. *minime*. Et quod domini cardinales sanctè & justè processerunt in præmissis, sanctorum patrum antiquorum gesta demonstrant. Legitur enim in Chronica Damasi, quod post mortem STEPHANI papæ III. BENEDICTUS valens homo & honestæ vitæ per impressionem Romani populi electus in papam concorditer per omnes cardinales, uno tantùm excepto, qui tunc in legatione degebat, cui omnes cardinales, & ceteri Christiani per IX. menses in omnibus tamquam vero papæ obedierunt, & talem reputaverunt & tenuerunt. Deinde reversus de legatione informatus de dicta impressione, ostendit cardinalibus quòd talis electio non valuit de jure, & quòd debebant procedere ad ejus depositionem alium eligendo, cui fuit contradictum per dominos cardinales propter bonitatem electi: sed reducti ad concordiam, secundùm canonicas sanctiones ipsum sic per impressionem deposuerunt de sede, & GREGORIUM VII. elegerunt in papam. Cæsar, in hac materia notandum & advertendum est quod numquam sacrum collegium in XXII. schismatibus quæ fuerunt, cum antipapa tenuerunt, sed vero papæ semper adhæsit: quod etiam de regni Franciæ regibus legitur sic fuisse.

O Cæsar, quantum piè & clementer de cœlo prospexerit divinitas, cùm permisit quòd dæmon suggereret in cordibus Romanorum & dicti BARTHOLOMÆI, ut cœtum cardinalium impellerent ad scribendum principibus terræ dictam electionem esse adulterinam. Res hæc mi-

A randa, & inaudita, & nusquam aliàs facta fuit, cum illum solum notificare solitum sit qui est electus, & nusquam antea collegium hoc scripsit. Et certi de non jure electionis prædictæ, cupientes suspicionis vitare certamina, tenerius incedunt in eisdem alterius rei opera sumta administrante natura... & novitatem adjiciunt novitati, dum existentibus duorum ex tribus ordinum collegii prioribus ante suffectis dominis cardinalibus, scilicet de Florentia & de Ursinis, qui de more debebant collegii litteras, non

B novas sed usitatas unà cum priore tertii ordinis sigillare, alios duos ultramontanos ad quos non pertinebat officium collegii litteras sigillandi, dictis novis litteris contra morem solitum, ut sigilla imponerentur, infestavit. Ex quibus ipsa electio suspecta redditur, immo taliter falsa convincitur... Deus volens dirigere sanctum suum, illuminavit corda dominorum cardinalium occasione sumta ex dicta scriptura, videntes quòd Romanis placuerat & BARTHOLOMÆO, dictam electionem adulterinam huic

C inscripserunt per litteras quas sciebant aut verisimiliter præsumebant Bandarenses, & BARTHOLOMÆUM in infirmitate suæ infatuitatis videre. Quæ tamen litteræ dictum Bartholomæum & ejus electionem non juvant, neque probant... Dum dominus tunc Gebennensis cardinalis, nunc vero papa CLEMENS, & tunc dominus Glandensis, nunc verò Hostiensis episcopus cardinalis dicuntur invicem coram BARTHOLOMÆO contendisse super episcopatu præ-

D dicto, qui cardinalis episcopus benedictionem suscepit à Domino CLEMENTE facto papa.

O Cæsar, res mira dominorum cardinalium in tot periculis agentium & timore, quanta fuit provida simulatione & providentia divina suffulta, dum sic prudenter & totiens in tantis consistoriis, publicis & privatis missis, aliisque divinis officiis, & aliis ceremoniis astiterunt BARTHOLOMÆO simulantes eum esse papam, & eidem multas tam pro se quàm pro aliis supplicationes dicuntur porrexisse; quæ tamen dictam electio-

E nem non juvant, ut c. *hæreditas* ff. de hæredi. *justi.* & singulariter dum domini cardinalis summi pœnitentiarii in Anagnia contendentis litteras ad dictum officium pertinentes; cùm metus in se habeat ignorantiam, ut dicit legislator ff. *quod me causa*. l. *si cum exceptione*. §. *in hac*. Sed à Deo patre à quo fuerunt instructi provenerunt istæ provisiones, ut dicti seducerentur seductores. Hoc tamen à juris dogmatibus utriusque procedit, l. I. de hi. quæ vi. me. u. *causa* fi. cum fi. all. in Glossa not. ff. de

F dolo li. §. I. ff. *de novatis*. l. doli circa fi. Collectivè dicendum est dictos actus novam non facere electionem, quia non continent formam contentam in c. *ubi majus*. ut præcedentem non canonicam confirmare, quia talem habere potestatem non legimus dominos cardinales. Solùm enim legimus eligere posse, & si canonicè nullam circa eam habent omnino potestatem, ut in cap. *licet* alb. Si non canonicè, non possunt etiam aliquid circa eam, sed de novo eligere debent, ut hoc expresse probatur in cap. *In*

nomine Domini. Dicunt adversarii, dicti actus inducunt præsumtionem quod non timuerunt domini cardinales, quando eligebant BARTHOLOMÆUM. Primò ut allegant pro se, l. II. c. *quod me causa* quæ de directo in suis terris concludit ipsis. Ibi dicitur quòd si in solvendo intervenerit metus, habet locum edictum *Quod me causa*, sicut fuit in proposito, quia domini cardinales istis actis durantibus erant in isto timore, quia in potestate Romanorum, ita quòd sicut timore elegerant, timore etiam simulabant electionem valere; quia magis irritassent Romanos in ostendendo electionem non valere, quàm in non eligendo, juxta illud: Turpius ejicitur quam non admittitur hospes, eademque facilitate timoris ad utrumque processum est. Præterea dicitur in eadem lege II. quod adeo non videtur per metum promisisse, quia properavit ad solutionem omissa querela, & præsupponit judiciorum vigor, jurisque publici tutela erat in medio c. *de Judæis* l. *nullus*. Et hoc est quod dicitur ff. *Quod me causa* l. *non est verisimile* in princ. Quod tamen in proposito non erat, quia nullus erat qui posset ministrare justitiam contra Romanos. Præterea, ut supra dictum est, certum est dictam electionem BARTHOLOMÆI non valuisse, etiamsi non timuissent cardinales, ex quo ad votum seditionem facientium fuit electio facta.

O Cæsar, quidnam mundus dicturus erat aliud nisi quòd omnes domini cardinales, Italici, Aragonenses, & ceteri alii ipsum dimiserunt BARTHOLOMÆUM, & nullus est secum? Sed omnes viventes sunt cum Domino CLEMENTE, & mortui declarati pro ipso. Sed hæc ideo quia statum eorum deprimere decrevisset, nisi in tantum fastum extulisset suos anticardinales. Nonne illi de Alenconio quantum in eo fuit patriarchatum Aquilegiensem afferentem singulis in fructibus LX millia florenorum contulit? Numquid anticardinali de Ravenna archiepiscopatum dimisit? Num anticardinali de Versell. ipsum episcopatum confirmavit? Et sic in singulis anticardinalibus inaudita reperietis in monstrum quoad pompam & divitias, si potuisset. Num ille BARTHOLOMÆUS dominis cardinalibus tunc in ipsorum fugam existentibus in Roma dixit Adblando mandasse: O domini cardinales, vos statum vestrum totaliter ignoratis, quoniam quilibet vestrum omnium regum dignitatem excellit. Sanè, Cæsar, licet deliberare volentes præcipitandi non sint ff. de interro. *actio*. l. *qui interrogatur*: Tamen ad hoc scrupulosa inquisitio & dilatoria curiositas ulterius spectanda non est, nec supina ignorantia ferenda, nec negligentia crassa perditi & nimium securi hominis toleranda ff. de juris & fac. igno. l. *plurimi*, &c. *nec supina*. Nec excusat cujuscumque gravis præstita religio juramenti eidem BARTHOLOMÆO ratione papatus cum eo: Quoniam cùm ad obtinendum summum sacerdotium reprobato juramentum hujusmodi non debeat observari de elect. c. *venerabilem* in fi. Ideo, Cæsar, Cæsareos animos ad Dei omnipotentis adjutorium erigatis, humiliter exorando, ut per vos ultimum servum suum Ecclesiæ sanctæ suæ dictas ferales & hostiles injurias vindicare dignetur contra BARTHOLOMÆUM, sicut ante vos regnanti contra Vandalicos Justiniano concessit. Datum Pragæ die XXI. mensis Augusti, anno Domini MCCCLXXXIII. Deo gratias.

CERTIFICATIO COLLEGII
Cardinalium nomine cardinalis Albanensis.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis ANGELUS miseratione divina episcopus Albanensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis salutem & in unitate Ecclesiæ indissolubili caritate inseri. Anno 1384. *Ex ms. collegii S. Hieronymi de Dola.*

Quoniam periculosa res est gregem dominicum aggredi per abrupta, in latrones incidere, & vero pastore dimisso mercenarium imitari, vetus historia scripturæ sanctæ declarat. Sic nempe tempore Moisi vitulus pro Deo colitur, populus seditiosus consumitur, & ab inimicis suis rebelles & increduli vincuntur. Quam etiam gratum sit Deo verum pastorem & unicum populum suum imitari aperto miraculo monstratur, dum Aaron virga floruit sermone prophetico, dum Oseas propheta asseruit *congregabuntur filii Israel & ponent sibi caput unum*, & præcepto dominico dum ipsemet JESUS-CHRISTUS mandat *fiet unum ovile & unus pastor*, lucide edocemur; Quamobrem ferali peste schismatis nostris, proh dolor! vigente temporibus in ecclesia sancta Dei, flebiliter concutitur plebs fidelis, dum nonnulli filii Belial tunicam Domini inconsutilem & unicam matrem nostram, sanctam videlicet universalem Ecclesiam sponsam Christi dividere, scindere, ac morsibus caninis lacerare nituntur. Sane Reverendus in Christo frater WILLELMUS Anglicus natione epicopus Maragaensis ordinis fratrum Prædicatorum professor, per nos tempore felicis recordationis domini GREGORII papæ XI. pontificatus sui anno quarto de ipsius mandato in episcopum consecratus, ad nos suos maturavit accessus, petens à nobis sæpius & instanter vero corde & sincero animo informari, quem credimus verum papam. Cujus devotioni responsum dedimus in hac forma: Fatemur in nostra conscientia, & sic volumus, pro nobis & nobis commissis, coram summo judice in extremo examine respondere, de suaque ineffabili misericordia pro meritis finaliter præmiari, semoto quocumque conscientiæ scrupulo, firmaque fide credimus & simpliciter confitemur, Sanctissimum dominum nostrum dominum CLEMENTEM papam septimum, natum de solo imperii, & de domo comitatus Gebennensis, vocatum ante promotionem suam ad summi pontificatus apicem ROBERTUM DE GEBENNIS Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyterum cardinalem tituli Basilicæ XII. apostolorum, assensu unanimi reverendissimorum patrum dominorum cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, divinaque providente misericordia electum in summum pontificem Christi vicarium in terris, ac unicum universalis mili-

tantis Ecclesiæ patrem præcipuum & pastorem. Ceterum domini cardinales, qui post ipsius domini nostri electionem canonicam decesserunt in extremis dierum suorum, ubi nullius nisi solius Dei omnipotentis timorem habebant, hoc idem tabellionum ac venerabilium testium episcoporum & aliorum multitudine assistente & ad hoc specialiter vocata, in animarum suarum periculo tenuerunt firmiter & simpliciter absque cujuscumque hæsitationis scrupulo palam & publice testate fuerunt. Super quo fecerunt per tabelliones ipsos publica confici instrumenta, ut exinde cunctis in facto hujusmodi tam arduo hæsitantibus velut lucerna super candelabrum posita veritas eluceret, erroris umbraculis penitus confutatis. Omnes etiam domini cardinales superstites in animarum suarum periculum una & viva voce fatentur continue, firmiter & simpliciter tenuerunt & tenent, quod prædictum sanctissimum patrem & dominum nostrum dominum CLEMENTEM & nullum alium post obitum dicti domini Gregorii libere & legitime elegerunt. Cum ergo prædictis dominis cardinalibus dumtaxat de electione legitima summi pontificis simpliciter & firmiter sit credendum, & sub pœna peccati mortalis religione christiana tenendum, esse in terris Christi vicarium ac universalis ecclesiæ pastorem unicum, quem iidem cardinales mere, libere & unanimiter esse asseruerunt verum papam; caritatem vestram sinceris affectibus in Domino cohortamur, & obsecramus per viscera nunc JESU-CHRISTI, quatenus pro salute animarum vestrarum Dei timorem, cujus causa agitur, quibuscumque mundanis favoribus præponentes, ad credendum vel tenendum in facto hujusmodi aliter quam præmittitur, nullatenus inclinetur cor vestrum, si demum cupiatis vitam æternæ beatitudinis ingredi, imperialique veste indui, & in extremo die judicii annumerari ovibus JESU-CHRISTI. Et ita præfato episcopo suasimus & suademus in pura conscientia atque fide. In quorum testimonium præsentes litteras fieri fecimus nostrique sigilli appensione muniri. Datum Avenione die XXIII. mensis Junii anno à Nativitate Domini MCCCLXXXIV. pontificatus dicti domini Clementis divina providentia papæ VII. anno sexto.

EPISTOLA EPISCOPI CONDOMENSIS ad regem Francorum Carolum VI. data anno 1393.

Anno 1393. *Ex ms. Gemmaticensi.*

CHristianissime Rex, post mei humilem recommendationem, noveritis me vestras litteras regias cum honore debito recepisse quinta die præsentis mensis Novembris, quarum executioni omnes de clero & populo intendimus puro corde. Quoniam verò piè & humiliter orationum apud Deum suffragia postulatis pro tollenda ægritudine corporali, urgente caritate & fidelitate quibus vobis teneor, significo quod devoti vestri propriarum animarum & boni communis, quod plurimum ab incolumitate vestra dependet, constantissimi zelatores, pro eo quod nonnumquam corporalis infirmitas à spirituali etiam alienarum culparum occasione procedit, pro celeri & securissima cura vestra & exauditione precum, quæ Altissimo omni die pro vestra incolumitate humiliùs porriguntur, multum æstimant utile, optant & supplicant, ut super statu Ecclesiæ & populi jam diu afflictorum, vestrum regium consilium invigilet cum effectu, pro quo quædam præcipua scripta & sanctorum doctorum sententias Vestræ Regiæ Majestati humiliter dirigo præsentandas, quas supplico brevissimè inspici & examinari faciatis: quoniam ubi tantam caritatem Deo & proximo exhibueritis, vel exhibere vos præparabitis, firmiter tenendum, quod & vestræ & vestrorum pro vobis preces erunt acceptabiliores apud Deum & sanctos ejus, ut gaudeat totus mundus vobis sanitatem & incolumitatem plenissime restitutam ad laudem Dei & exaltationem fidei orthodoxæ. Nec Christianissime & illustrissime Rex, cor regium propter casum hujus vestræ ægritudinis plus debito conturbetur: quoniam, coram Deo loquor, plurimum vestri regnicolæ tam per vestras litteras, quam per auditum cognoscebant, & scire credebant factum vestrum propositum ad unitatem Ecclesiæ & pacem populorum & quietem, & forsan ad tollendas aliquas affectiones, quæ humanitus possent sanctum propositum regium impedire. Ille summus cælestis Agricola, qui solus novit rerum ordines antequam fiant, permisit vobis hanc corporalem ægritudinem evenire, sicut veritate teste, ipse novit omnem palmitem in se fructum afferentem purgare, ut fructum plus afferat. Quare consolamini, & confidite in Domino: facite brevissimè inspici & referri scripta prædicta quæ mitto, continentia cælestem & securissimam medicinam. Nec dubito quin hæc Dominicæ virgæ percussio in corpus regium, si contemtus aut negligentia non resistant, secundùm utrumque hominem adjiciat in melius reparationem vestræ sensû canæ, diebus tamen elegantissimæ floridæ juventutis, ut in tam felicibus principiis non exaruerit flos decorus, quem ad gratiam & gloriam prosperare dignetur Altissimus, ut optatis. Scriptum apud Condom. XVIII. ejusdem mensis.

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Pater sancte, non possem exprimere quantum scandalum & flagellum reputatum fuisset in regno, si quid sinistrum in personam regis illustris evenisset, quod Altissimus clementer avertit & avertat diutius, prout sui fideles devotiùs optant. Et ideo ad captandam Dei benivolentiam pro aversione tanti flagelli concludit littera, ut apparet, ut scilicet recuperata incolumitate illustrissimus rex tanto bono intendat. Videntur autem dicere sancti doctores, quod in talibus generalibus accidentibus multum sit divina severitas advertenda, quæ, juxta verbum prophetæ post factum, & in novissimo intelligitur. Et in eodem propheta: *Numquid non verba mea quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus*

conterens petram, &c. Quare non mirandum, si in tam gravi accidenti hujus mortiferi schismatis plurimi de propria & proximorum salute solliciti timorati stant & attenti, ut dominica severitas à se & proximis convertatur. Et videtur orandus Altissimus, ut humilientur corda terrestria & discola; exaltentur & eleventur ad diligendum æterna. Ad quæ nos dirigat pax, caritas, & unitas, si ipsas habuerimus dum in corruptibili corpore sumus in hac valle miseriæ viatores, quod nobis concedat JESUS Dei Filius benedictus. Amen. Valeat V. S. Et scriptum ut supra.

Orator V. S. Episcopus Condomensis.

TRACTATUS

Super materia schismatis per dominum episcopum Condomensem compilatus & compositus ac regi Franciæ transmissus anno Domini M CCC LXXXXIII.

Anno 1393. *Ex ms. Gemmeticensi.*

SCripta hæc sicut ad unitatem tendunt, ita materiam habent colligatam & mixtam: quia tamen in cælesti hierarchia ordo unitati deservit LXXXIX. d. c. si. ita & quindecim quodammodo partibus ordo in ipsis haberi videtur.

Prima pars in principio ubi ponitur scribentis motivum cum debitis protestationibus.

Secunda pars ibi *Verum christianissime Rex.* Ibi agitur quod propter multitudinem operantium, licet magnorum, non auferatur inquisitio eligendæ & sequendæ veritatis.

Tertia pars ibi, *Et quoniam plures.* Ibi agitur quid, & ubi est Ecclesia, & quod sicut fides per caritatem copulat unitatem patenter, econtra culpa schismatis, licet fidem prætendat, fraudulenter caritatem excludit & pacem: & qui verè dicuntur schismatici.

Quarta pars ibi *Sunt igitur.* Ibi agitur quod schismatici tales in hac vita nihil agere possunt utile ad salutem, & demum assequuntur damnationem æternam.

Quinta pars ibi *Et quam sit periculosa.* Ibi agitur quod aliqua ignorantia non excuset culpam schismatis.

Sexta pars ibi *Et quid autem* JESUS *benedictus.* Ibi agitur quod Deus utiliter Ecclesiam permittit taliter agitari.

Septima pars ibi *Quo modo autem homines.* Ibi agitur de causis inclinantibus homines ad schismata facienda & dissensiones.

Octava pars ibi *Patet igitur.* Ibi agitur quod schismatici necessario falsa loquuntur, & Ecclesia veritatem, propter quod odium patitur & persecutiones schismaticorum.

Nona pars ibi *Et ideo contra eorum.* Ibi agitur quod contra errores & persecutiones schismaticorum se debent opponere reges terræ, rex Franciæ præsertim.

Decima pars ibi *Ad casum igitur.* Ibi cum quibusdam præambulis introducuntur jura de electione summi pontificis inclusive usque ad c. A *licet, de vitanda* Extra de elect.

Undecima pars *Circa quod videtur considerandum.* Ibi agitur quod caput ipsum, *licet de vitanda*, bene intellectum concordat juri evangelico & dictis sanctorum ad conservandam Ecclesiæ unitatem, nec aliquis de doctoribus ordinariis contradicit.

Duodecima pars ibi *His præmissis*, *Christianissime princeps.* Ibi agitur quod injuriosum & horribile est piis mentibus ab unitate Ecclesiæ & sanctorum corona separari.

B Tertia decima pars ibi *Si enim injuriosæ morti.* Ibi agitur quod propter schismata vitanda etiam episcopi cathedris debent cedere, & quod causa præsentis schismatis sit introducenda.

Quarta decima pars ibi *Cum propter falsam.* Ibi ponuntur attestationes dominorum cardinalium à principio hujus schismatis universis Christi fidelibus publicatæ.

Decima quinta pars ibi *Repetitis protestationibus.* Ibi ponitur scribentis humilis suasio & insinuatio ad plus incitandum regis animum, ut C celeriter tanto unitatis bono intendat.

Lectorem supplico benevolum, ut si in numeris aut nominibus pontificum, doctorum, vel librorum scriptoris vitio sit erratum, cum caritate corrigat, nec propter paleam grana repellat, cum pace & caritate ad merita intenditur: culpæ culpis non adjiciantur: unde & loquendo regi ac ceteris prodesse valentibus, prout verba utilius & devotius possunt adaptari, cum quanta possum devotione & reverentia mihi assumo verba Augustini in epistola ad Maximinum pro D tollendo schismate Africano post medium, quæ ad litteram ita jacent. Hoc tantum malum scandalum, tantus diaboli triumphus, tanta pernicies animarum, si per tuam modestiam & prudentiam & dilectionem quam debemus ei qui pro nobis sanguinem suum fudit, ablata de medio in his regionibus fuerit; quis explicet verbis quam tibi palmam præciperet Dominus, ut in cetera membra sananda quæ per totam Africam tabefacta miserabiliter jacent, à te proficiscatur E tam inevitabile medicinæ documentum? Quam vereor, quoniam cor meum videre non potes, ne tibi cum insultatione potiusquam cum dilectione loqui videar. Sed certè amplius quid faciam non invenio, nisi ut inspiciendum sermonem meum tibi offero, animum Deo. Tollamus de medio inania objecta quæ à partibus imperitis jactari contra invicem solent.

Prolixum tractatum variis juris citationibus refertum consulto prætermisimus ne lectoribus tædium generet, ipsius capitula referre contenti.

F

LITERA EX PARTE DOMINORUM

archiepiscoporum Coloniæ & magnatum ac domini ducis Bavariæ post mortem Clementis regi Franciæ directa.

REcommendatione prævia condecenti, Serenissime Princeps & domine, Quamvis catholici reges & principes, quibus inter chri- Anno 1394. *Ex ms. Gemmeticensi.*

sticolas credita sunt majora, sacrosanctæ A cunctorum matri fidelium universali ecclesiæ præcipuè compati, & ad extirpationem tam exsecrabilis schismaticæ pestis, ex cujus diuturna nimiùm neque ultra jam toleranda perdurationе, tot & tanta in utroque tam ecclesiastico quàm sæculari statu scandala & inconvenientia, usque etiam ad gravissima inter reges & principes, inter regiones, inter religiones, inter nobiles & plebeios dissensiones & prælia, strages hominum & infinitarum pericula animarum visa sunt, proh dolor! evenisse, quorum B nondum finis, in sinceritate fidei caritativè assurgere, consilia quoque pacis exquirere, dudum quoque omni semota segnitie, debuissent. Nunc tamen potissimum ex quo de medio sublatum est caput unius partium, sicut accepimus, dominus ROBERTUS videlicet de Gebenna, hora est de somno surgere, & ad salutem ecclesiæ, extra quam non est salus, & unionem totis affectibus anhelare. Satis, proh dolor! cessatum est, neglectum est utrobique, quam ad rem si regia C vestra sublimitas piè, sicut ex fama speratur, dignaretur attendere, summè necessarium videretur præcaveri celeriter, ne alium in memorati sublati locum, ab illius partis collegio assumatur: hoc namque si præcautum fuerit, ne novissimus error pejor priore succedat; sacratissima desiderata concordia, pro qua parte ab ista quantum in nobis fuerit, cum Serenissimo invictissimoque principe gloriosissimo domino nostro Romanorum & Bohemorum rege, quem ad eam tractandam & procurandam concordiam in brevi auxiliante Domino D cordialiter interpellare decrevimus, pro viribus laborare intendimus, facilior longeque factibilior redderetur. Eia ergo Illustrissime Princeps, & Domine, ut operam ad hæc adhibeat regia serenitas efficacem, impediendo assumtionem novi à parte illa, sinceris mentibus cum magna fiducia quantùm possumus instantissimè supplicamus. Nihil equidem rebus sic se habentibus opinione bonorum censetur sanctius, nihil æquiùs, nulla res justior, nulla christicolis salu- E brior, nulla utilior, nullusque gloriosior catholicorum regum ac principum labor. Hæc denique, serenissime rex, spei nostræ fiducia in rege regum pacifico, cujus causa agitur, firma consistit, quòd prælibato serenissimo domino nostro Romanorum rege ab ista & celsitudine vestra ab illa partibus efficaces manus, uti convenit, apponentibus, res ipsa votivum facilem, atque celerem & Christi fidelibus desideratissimum sortiatur effectum. Super quibus non tædeat, quæsumus, & quantocius tanto melius inten- F tionem regiam nobis ad licita quæque media & convenientia in præmissis, nostris salvis honoribus, sincerè dispositis remandare. Scimus quidem, Princeps Illustrissime, decuisse nos hanc ob rem, tam ad celsitudinis regiæ excellentiam, quàm ad arduitatem materiæ habendo respectum, destinasse solemnius: sed quia evidens visum est in mora periculum; solemnitatem hujusmodi pro meliori hac vice duximus obmittendam. Serenitatem regiam conservet Altissimus feliciter & longævè. Datum, &c.

SEQUITUR LITTERA EX PARTE Domini Benedicti papæ VIII. directa regi Aragoniæ.

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio JOHANNI regi Aragonensium illustri, salutem & apostolicam benedictionem. *Anno 1394 Ex ms. Gemmeticensi.*

Super apicibus tuis per nos nuper receptis manibus regiis exaratis, jocunditatis & lætitiæ pro sublimatione nostra ad summi pontificatus apicem, tuis infusæ præcordiis, tuæque ad nos & Romanam ecclesiam sinceræ devotionis indicibus, tuorum etiam circa nostra & dictæ ecclesiæ negotia, præsertim hujus deflendi schismatis seditionem tangentia, favorum & omnimodi juvaminis oblativis, serenitati tuæ debitas gratiarum persolvimus actiones. De tuis namque hujuscemodi devotione & sancto desiderio ad dicti totalem eradicationem schismatis, tam ex ipsis litteris quàm aliàs antea nobis indubitabiliter cognita non modica jocunditate, liberalemque oblationem tuam prædictam cum gratiarum actionibus acceptamus: sperantes, & in Domino confidentes, dictum schisma pestiferum, quod pote errorum, & superstitionum, ac malorum omnium agri Dominici tritica suffocat, & in optatæ segetis fructum succrescere non permittit, potentiæ tuæ sarculo prorsus abscindi, tantumque tamque diutinum & perniciosum scandalum à Dei ecclesia per tuæ provisionis studium penitus extirpari. Tam eximium laudis quidem titulum, tamque clarum perpetuæ gloriæ decus, ceteris excellentiæ præconiis ubique celebribus superaddi voluit, ni fallimur, Deus noster, cujus in hoc beneplacitis proculdubio te conformas, ut præfati sedationem schismatis jam tam inveterati, proh dolor! sub nobis qui de regno tuo traximus originem, teque principaliter opitulante, fieri disponeret, ut providè tanti boni meritum & fama perpetua tuis tuique gloriosi regni sempiternis laudibus ascribatur. Eia igitur, fili dilectissime, oblatam tibi divinitus jugem honoris tui celebritatem & tuæ salutis occasionem paratam, quæsumus, lætus suscipias, & spontaneus amplectaris, ac nobiscum ad id omnibus votis anhelantibus executionem realem facti ipsius aggrediaris magnanimiter, ac finem ad usque viriliter, sicuti tuam decet celsitudinem, prosequaris. In hoc enim facto te ducem signiferum sequi proponimus, tibique in omnibus cum Deo possibilibus complacere, quæ tua nobis crebro significet serenitas in Christo feliciter valitura. Datum Avenione Idus Decembris Pontificatus nostri anno primo.



SEQUITUR LITTERA EX PARTE Domini Philippi de Alenconio Universitati Parisiensi directa anno Domini 1395. die 7. Maii, videlicet die Lunæ ante festum Ascensionis Domini.

Anno 1395. Ex ms. Gemmeticensi.

VEnerabilibus & egregiis viris rectori & magistris famosæ Universitatis studii Parisiensis PHILIPPUS de Alenconio episcopus Hostiensis cardinalis.

Viri venerabiles & egregii, amici carissimi, litteris vestris per dilectum & fidelem domicellum nostrum GUILLELMUM DE BAILLOLIO exhibitorem præsentium nuper ea qua decuit caritate susceptis, & perspicaciter intellectis, gavisi sumus in Domino, & in potentia virtutis ejus, qui vos in prosecutione sublationis hujus schismatis perhorrendi adeo sua confortavit gratia, quòd propter nullum contrarietatis eventum, quantùm in vobis fuerit in prosecutione tam laudabili desistetis. Circa quod revera & nos similiter curabimus non minus quàm poterimus operari. Consolati insuper tantam in vobis fidelitatis, devotionis, & magnanimitatis constantiam, dignis semper in Domino commendandam laudibus, percepisse. Verùm quia etsi cunctæ virtutes in stadio simul currant, sola tamen perseverantia bravium accipit exoptatum. Dilectiones vestras denuo confidenter requirimus, attentè petimus, & affectuosè rogamus, quatenus ad & circa dictæ prosecutionis materiam, & ipsius materiæ prosecutionem laudabilem, fortes geratis animos & junctos, quia divino aspirante favore, tale vobis per celsitudinem regiam & alios serenissimæ domus Franciæ principes, (ut indubiè de ipsorum christianissima serenitate confidimus,) impendetur auxilium, quòd adversus vos huic sancto proposito nullus prævalere poterit inimicus, nec vos pœnitebit amore tanti communis boni incommoda, damna & aspera plurima tolerasse: quin immo quando Dominus dederit istum finem, eorum procul dubio meminisse juvabit, & in ipsorum memoria tanto majori mentium alacritate fruemini, quanto gratior est post naufragium portus, & requies post laborem. Datum Romæ die xxv. mensis Martii 3. indictione.

REQUESTÆ FACTÆ REGI FRANCIÆ per Universitatem super facto unionis ecclesiæ, traditæ consilio regis ultima die Augusti anno millesimo trecentesimo nonagesimo quinto.

Anno 1395. Ex ms. Gemmeticensi.

PRimò quòd placeat Domino nostro regi per solemne concilium celebriter advisare qualiter remediari poterit contra impedimenta unionis ecclesiæ, quæ principaliter sunt duo.

Primum collatio beneficiorum & gratiarum, quia prout videtur pluribus, quamdiu remanebunt domino papæ plenaria facultas conferendi beneficia & dandi expectationes gratiarum, tamdiu erunt sibi multi adhærentes; nec hoc est recedere ab obedientia sibi debita, sed magis redire ad jus commune.

Secundum est de pecuniis quas levant & recipiunt collectores, & alii, & easdem sibi mittunt, mediantibus quibus papa dicatur, ex quo movetur ad detinendum in divisione papatum, & per hoc potest sibi acquirere adhærentes & unioni Ecclesiæ resistentes per dona seu munera pecuniarum, jocalium, &c. Etiam mediantibus talibus pecuniis posset sustinere & fovere stipendiarios & homines armorum ad resistendum laborantibus ad unionem Ecclesiæ. Item, per substractionem hujusmodi pecuniarum & deportationem extra regnum depauperantur viri Ecclesiastici ejusdem regni, qui, si non apponatur remedium, difficile poterunt contribuere ad prosecutionem unionis præfatæ.

Secunda requesta, quòd mittat celeriter solemnes nuncios ad reges & principes nedum istius obedientiæ, sed & alterius ad inducendum ad viam cessionis, & modum conformem procedenti cum rege.

Tertia requesta, quod congreget principes, prælatos majores ecclesiarum viros litteratos, famosos, devotos, homines religiosos regni sui, ad avisandum modum ulteriùs procedendi in facto præfatæ unionis, in quo quidem concilio Universitas habebit aliqua magna & ardua statum hujusmodi negotii tangentia proponere secundùm beneplacitum domini regis.

Quarta, quòd nullis detrahentibus viæ cessionis præbeat aures, & inhibeat sub omni pœna subditis suis quòd nullus audeat illi viæ directè vel indirectè contrariari, publicè vel occultè.

Quinta, quod sustineat & foveat omnes hanc materiam prosequentes, & eos protegat & defendat in illis quæ occasione hujus facti habebunt agere vel pati; & specialiter nuncios qui fuerunt in curia, qui singulariter petunt & humiliter poni in salva gardia regis.

Sexta, quod scribat ad curiam Romanam, ut magister Johannes Haconis ordinis Jacobitarum detineatur in carceribus donec errores suos correxerit, & injuriam regi, ducibus & universitati illatam reparaverit.

COPIÆ LITTERÆ REGIS CASTELLÆ cardinalibus directæ, in qua conqueritur de facto processu super unione ecclesiæ absque suo scitu, & hæc translata est de Hispano in Gallicum.

Anno 1395. Ex ms. Gemmeticensi.

TRes Reverens Peres & especiaulx amis, Je le Roy de Castelle & de Lyion vous envoye moult saluer comme ceulx pour lesquieux je vouldroye tant de bien, d'onnour & de salut come vous-mesmes desirez.

Tres Reverens Peres, à moy est donné à entendre que mon tres cher & tres amé frere le Roy de France a envoyé à nostre Seigneur le Pape & au college de vous autres Seigneurs les Ducs de Berry & de Bourgogne ses oncles, & le Duc d'Aurliens son frere, mes parens, & especiaulx amis, sur le fait de l'union de l'Eglise, sur

sur lequel selon que l'en m'a dit sont preposées devant nostre Seigneur & devant vous aultres aucunes choses de par ledit Roy mon frere, & prinses certaines conclusions desquelles je ne sçay aucunes choses, dont je suys moult esmerveillée de nostre Saint Pere le Pape, & de vous aultres, & aussi dudit Roy mon frere, de vouloir ainssy proceder & conclure ou fait de l'Eglise, sans requerir moy premier, & le moy fere assavoir aussi comme entre luy & moy avons de convenances, & aussy come vous aultres ayez procedé & conclus en cete matiere sans le moy fere savoir. Car selon ce que vous aultres savez bien; Monsieur mon pere le Roy dampt JEHAN, que Dieu pardoint, travailla du fait de l'Eglise tant & plus que prince des chrestiens, & fit sa declaration moult solempnellement & autentique, de laquelle s'ensuit grand declaration & illumination de la verité sur le fait de l'Eglise. Pourquoy je me tieng pour grevez, que en ce fait on procede sans mon sceu, ne moy requerir sur ce. Car je tieng qu'entre les autres princes chrestiens, je doy estre requis, & le doy savoir come aultre Roy quelconque qu'il soit. Et appert bien que vous donnez à entendre que l'Eglise ne fait pas grant compte de moy, ne de mes royalmes en ces faits en la maniere qu'elle deust, de laquelle chose je me deul. Et pour ce, tres Reverens Peres & especiaulx amis, soyez certains que mon entention est de à non demourer à quelconque conclusion qui soit prise sans que je sois requis, & que je le sache, ce que je entendray qui soit à l'accomplissement du service de Dieu, & de mon honnour. Et sur cecy je entens briefment envoyer l'evêque de Conches à nostre Seigneur le Pape & à vous aultres, par lequel vous saurez plus largement mon entention sur ce fait. Et aussi, tres reverens Peres, j'ay entendu que pour ce que nostre Seigneur le Pape ne respondit ad ce que fut proposé par lesdits ducs de par le Roy de France mon frere selon la volenté d'eulx, qu'ils ont procedé de fait à aucunes choses qui sont ou prejudice dudit Seigneur le Pape. Laquelle chose je ne puis croire. Ancors suys moult esmerveillée par especial se ce faisoient sans ce que le sache, ne que j'en soys requis. Et pour ce que je suys moult tenus au service de l'Eglise, & aussi à la personne de nostre Seigneur le Pape, & à tout son lignage, tant pour le lignage qu'il a en mes royalmes, comme aussy pour les grans & bons services, que ledit Seigneur Pape en sa propre personne & ceulx de son lignage firent au Roy mon ayeul, & mon pere, que Dieu pardoint, soyez certains que je ne failleráy avec tous mes royalmes ad ce qui sera à l'acomplissement du service & honnour dudit Seigneur Pape, & conservation de son etat & service de Dieu & de l'Eglise. Donné à Montraxil de Gagon xxx. jour de Juillet, anno scilicet 95.



PRATTICA PRO UNIONE ECCLESIÆ quæ primo per cedulam tradita fuit pro parte domini Benedicti dominis ducibus ex parte regis ad eum missis.

PRimò, quod Dominus noster cum fratribus suis S. R. E. cardinalibus ex parte una, & adversarius Ecclesiæ Dei cum suis anticardinalibus ex altera in loco & tempore idoneis ad hoc eligendis, sub fida & secura protectione regis Francorum, cui ad hoc opportunitas plus se offert, personaliter conveniant pro tractanda &, Christo duce, consequenda ecclesiæ unione. Et aliquibus etiam utile videretur quod principes utriusque obedientiæ per se vel alios, & aliqui pro prælatis cum potestate sufficienti ad infra scripta firmanda & approbanda ibidem convenirent. *Ex ms. Gemmeticensi.*

2. Facta verò unione, quilibet eorum adnullet seu tollat processus, pœnas, & sententias quascumque spirituales & temporales occasione schismatis per se vel prædecessorem suum contra alterum & sibi adhærentes quomodocumque & qualitercumque factas & etiam promulgatas; ita quod nulla remaneat macula, &c. quàm meliùs & securiùs dictari & fieri poterit ad bonum effectum præmissorum.

3. Item, immediatè post hoc ad tollendam occasionem impediendi vel malignandi, quilibet ipsorum reservatis cum dignitatibus & aliis beneficiis viventium per eos ante schisma canonicè obtentis, approbet seu confirmet promotiones & beneficiorum collationes, ac alia facta hinc inde secundùm quod meliùs & firmiùs videbitur faciendum cum justitia, & alias pro securitate omnium prædictorum: taliter quod tutus erit status ipsorum, & ex tunc nullus diffugia debebit quærere, vel impedire negotium unionis, sed laborare fideliter pro justitia abbrevianda. Circa dignitates tamen, beneficia, & alia in quibus plures utriusque obedientiæ concertarent, reservabitur decisio apud illum qui unicus remanebit.

4. Approbabit etiam & confirmabit quisque eorum dispensationes & alia quæ necessaria erunt ad serenandum conscientias, & ad tollendum impedimenta quæ possent allegari.

5. Præmissis itaque apunctatis & ordinatis, ut præfertur, Dominus noster cum fratrum suorum consilio pro parte sua in certo numero, & adversarius prædictus totidem pro sua, eligent personas Deum timentes, & bonum zelum habentes ad ecclesiæ unionem, qui simul convenientes, juramento prius præstito per easdem de bene, diligenter, & fideliter procedendo in negotio hujusmodi, ad solum Deum & ecclesiam respectum habentes; amore, odio & timore cessantibus quibuscumque, infra certum terminum auditis & examinatis facti & juris utriusque partis rationibus, eisque recta intentione discussis, prout qualitas negotii patitur & requirit, declarent quis istorum duorum jus habeat, seu de jure remanere debeat in promtu


cum certa & sufficienti submissione de tenendo A
& observando quidquid per dictas personas, ut
praefertur, electas, vel earum * duarum partes declaratum fuerit, seu etiam adhibitum hinc inde ad accelerationem & firmitatem negotii, provisionibus in praemissis necessariis & utilibus seu etiam opportunis.

* F. duas.

6. Item, circa istos, ut praemittitur, eligendos, pro bono negotii providebitur etiam per sententiarum promulgationes, poenarumque temporalium & spiritualium adjectiones, nec non per ipsorum inclusionem in aliquo loco B
honesto, quasi ad modum conclavis, donec infra dictum terminum negotium finierint, nullique ad eosdem aditus pateat vel facultas secretè loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos qui de voluntate ipsorum omnium infra clausuram existentium ad opus tantummodo instantis negotii vocarentur.

7. Item, isti electi non possunt, pendente negotio istiusmodi, per aliquem promoveri, nec gratiae expectationum vel beneficiorum seu pro- C
motionum quarumcumque, donec finierint negotium pro quo erunt inclusi, eis concedi vel acceptari; nec aliquae comminationes, preces, vel rogamina, seu inductiones eis fiant, vel damna quaecumque inferantur eis vel suis quomodolibet. Et contra facientes, contrariumque dantes consilium, auxilium, favorem, &c. vel etiam scientes & non revelantes dicto Domino nostro & intruso fulminentur sententiae ac poenae, &c. in forma.

8. Et si per praemissa vel eorum aliqua finis D
schismati, quod absit, non valeat imponi, antequam partes sine fructu optatae unionis haberent se à conventione in loco praedicto facienda invicem separare; offert Dominus noster eo casu aperire seu aperiendas recipere & prosequi cum effectu viam seu vias rationabiles, honestas, & juridicas, per quam seu quas sine Dei offensa, exempli pernicie, & ecclesiae.... ac fidelium scandalo, finis conveniens schismati aperiatur, & vera unio, & sincera tranquillitas in E
Dei Ecclesia possit haberi, prout eisdem incumbit ex debito officii sibi commissi, & aliàs in quantum virtute cujusdam cedulae factae in conclavi teneatur: quam cedulam aut ejus effectum suspendere, seu conditionem aliquam in ipsa apponere, vel circa eamdem aliquid immutare, aut eidem in aliquo derogare non intendit, sed eam servare; nec pro hoc vult etiam addere aliquod novum robur; & in praemissis omnibus sic dare operam efficacem, quòd cunctis Christi fidelibus apparebit, quod per ipsum non rema- F
net, nec etiam remanebit, quominus Ecclesia optatam consequi valeat unitatem.



PRATTICA PRO UNIONE ECCLESIAE habenda, quam post illam, quae hic scribitur, dicitur aperuisse Dominus Benedictus ex parte sua, missa regi per nuncios regis Castellae, quae multum immutat de illa quam prius tradiderat.

Anno 1397. Ex ms. Gemmeticensi.

Via cum prattica tenenda pro unione ecclesiae consequenda ex parte Domini nostri papae domino regi Franciae & dominis ducibus ejusque consilio per episcopum Abulensem oblata Parisius circa pascha, ubi incepit annus Domini MCCCXCVII.

1. Quòd ne partes vel alii se valeant sub velamine timoris seu violentiae excusare, vel retrahere à conveniendo, seu etiam ibi agenda impugnare, assecurantur & partes & alii convenientes sufficienter sicut petent; & contententur super hoc, cujuscumque sint nationis, conditionis, dignitatis & status, &c. in eundo, morando, redeundo, &c. in forma.

2. Facta & data securitate, &c. convenient Dominus noster cum suo collegio, & intrusus cum suis anticardinalibus, qui ire possent seu vellent, vel consentirent, vel darent potestatem consentiendi infra scriptis & aliis de quibus eis & cuilibet eorum videbitur expedire, seu etiam placebit in loco de quo fuerit concordatum; ac etiam utile videtur aliquibus quòd principes utriusque obedientiae per se vel alios, & aliqui pro praelatis cum potestate sufficienti ad infra scripta formanda, ratificanda, & approbanda ibidem convenirent.

3. Quod ipsis simul congregatis, quilibet eorum annullet seu tollat processus, poenas, & sententias quascumque spirituales & temporales per se vel praedecessorem suum contra alterum seu eis adhaerentes quomodocumque & qualitercumque occasione dicti schismatis factas, impositas, seu etiam promulgatas; ac ex certa scientia & de plenitudine potestatis statuat, velit, & decernat, quòd omnia praemissa & quaecumque ex eis vel ob ea, & quibuslibet eorum secuta vel quae sequi possent quomodolibet etiam in futurum, habeantur pro nullis, cassis, & penitus infectis: ita quòd nulli in posterum ex eis competat quomodolibet jus aliquod, nec agi possit vel excipi quomodolibet ex praemissis vel aliquo praemissorum; nullaque remaneat macula: & nihilominus ad cautelam habilitabuntur & restituentur in integrum, & quantum melius & securius fieri & dictari poterit ad bonum effectum praemissorum.

4. Quod post praemissa anticardinales per Dominum nostrum quoad veritatem, & veri cardinales per intrusum ad tollendum errorem & pertinaciam partis adversae assumantur in cardinales, &c. Et sic erit unum verum & indubium collegium, & tolletur divisio quoad illud, & assecurantur de statu suo, sic quod à modo non curabunt, nisi de justitia abbreviand.

5. Praelatis ac etiam beneficiatis canoniza-

bitur titulus. Instituti à vero jam habent titulum quoad veritatem; tamen canonizabuntur per alterum quoad cautelam. Instituti à falso non habebunt, sed nihilominus canonizabuntur per verum quoad veritatem; sed per alium quoad opinionem, & tollendam occasionem impediendi & malignandi. Et sic tutus erit status prælatorum & beneficiatorum: ita quòd ex tunc nullus diffugia debet quærere, sed laborare pro justitia abbrevianda.

6. Et idem de dispensationibus & aliis quæ fieri habent ad salvandas conscientias: quia omnia circa hæc fieri possunt in hac viâ justitiæ, quæ fieri possent in via cessionis; & sic erunt sublata impedimenta, quæ allegantur pro majori parte, & cessant murmurationes & suspiciones, quæ fiunt in alia via cessionis & novæ electionis.

7. De prælatis autem & beneficiatis quoad sustentationem eorum quidam non habent competitores; de illis est clarum. Quidam habent aut sunt noviter post schisma instituti. Potest stare quod qui possident civitatem seu beneficium possideant; ceteris providebitur de pensione pro valore redituum, quos possidebant temporè declarationis: vel tolerari possent ut stant, donec alter eorum deficeret, vel collocaretur per sedis apostolicæ providentiam. Qui nihil possident, nihil habebunt, provisionem sedis apostolicæ expectantes.

8. Si verò aliqui erant ante schisma instituti & sunt expulsi; circa istos quidam dicunt indistinctè, ut supra: alii & justius quod essent restituendi: & institutis postea recompensatio tribuenda: alii quod fieret sicut in ti. I. de parro. quod loquitur de schismatico reconciliato. Jam per hoc non impedietur unio: quia & in istis & aliis quantum de jure melius fieri poterit providebitur, & potest provideri bene.

9. Præmissis apunctatis & ordinatis Dominus noster pro parte sua in cetero numero, & alter totidem pro parte sua, eligent personas timentes Deum & bonum zelum ad ecclesiæ bonum habentes, quæ simul convenientes, ac etiam præstito per eas juramento super sancta Dei Evangelia, & coram eis duobus, & aliis de quibus videbitur de bene, diligenter, & fideliter procedendo in negotio hujusmodi ad solum Deum & ecclesiam habentes respectum, amore, odio & timore cessantibus quibuscumque; auditis & examinatis facti & juris utriusque partis rationibus, eisque recta intentione discussis, prout qualitas negotii patitur & requirit, declarent quis istorum duorum jus habeat, seu etiam remanere debeat in papatu, cum certa & sufficienti sub promissione de tenendo & servando quidquid per dictas personas, ut præfertur, electas, vel earum majorem partem declaratum fuerit seu etiam definitum, etiam adhibitis hinc inde provisionibus in præmissis necessariis & utilibus seu etiam opportunis.

Sequitur additio quam ad dictam viam dicitur fecisse rex Aragoniæ, quæ durat usque ad articulum sequentem ibi. Item quod circa istos, &c.

10. Item, ut optata unio citius in Dei Ecclesia habeatur, & non valeat per aliquam occasionem differri, si ambiguitas, difficultas, seu etiam diversitas aliqua oriretur seu occurreret; electi per Dominum nostrum & intrusum ad pronunciandum, &c. vel eorum major pars provideant ad cautelam Ecclesiæ Romanæ de altero istorum duorum per viam provisionis, etiam quoad serenandas conscientias, tollendas versutias & occasiones hominum perversorum quoad illum contra quem pronunciatum fuerit, seu etiam per viam provisionis ordinatum. Hæc pronunciatio seu ordinatio habeat vim renuntiationis spontaneæ legitimè factæ: & proinde quoad eum censeatur sedes apostolica vacare, ac insuper ad cautelam renunciabunt ibidem. Et illi de quo declaraverint seu etiam per viam provisionis ordinaverint quòd debeat remanere in papatu, ut supra præmittitur, jus plenum etiam de novo acquiratur per declarationem, seu ordinationem, seu provisionem hujusmodi, ac si aliàs sede apostolica verè vacante, canonicè electus fuisset in papam de novo, & per eos ad quos aliàs electio pertineret etiam ad cautelam ibidem incontinenti per dictos deputatos ad pronunciationem hujusmodi eligatur in papam. Et de his fiant ordinationes apostolicæ etiam de consensu eorum ad quos pertinet in forma, quæ sufficiet secundùm consilium peritorum. Et addi posset pro majori securitate præmissorum consensus eorum qui essent ibi pro prælatis & principibus utriusque obedientiæ, qui haberent ad hoc potestatem: ut sic etiam quasi vim concilii generalis habere videretur.

11. Item, quòd circa istos, ut præmittitur, eligendos pro bono negotii provideretur per juramentorum receptiones, per sententiarum promulgationes, & pœnarum temporalium & spiritualium adjectiones, etiam per inclusionem personarum in aliquo loco honesto quasi ad modum conclavis, donec pronunciaverint & finierint negotium; nec interim aliquis loqui posset cum eis, vel nuntium eis mittere vel scripturam, nec accessus aliquis pateret ad eos, nisi dictis Domino nostro & intruso, quando pro bono negotii vellent loqui cum eis, vel pro pronunciatione per personas ipsas fienda, ut dictum est supra, vel pro consilio habendo si aliquos litteratos vel devotos viros timentes Deum concorditer deliberaret ad se vocare.

12. Item, ad vitandas corruptiones & baraterias alias quascumque, & ut sincerè & breviter unio optata in Dei Ecclesia habeatur, isti sic electi non possent, pendente negotio hujusmodi, per aliquem promoveri, nec gratiæ expectationum vel beneficiorum seu promotionum quarumcumque, donec finiverint negotium pro quo erant inclusi, eis concedi vel etiam per eos acceptari, nec donaria vel munera quæcumque eis donari, mitti, vel promitti, nec per eos acceptari; nec aliquæ comminationes, preces, vel rogamina; inductiones eis fiant, ut damna quæcumque inferantur eis vel suis quibuslibet. Et contra facientes, contrarium dantes consilium, auxilium, &c. vel etiam scientes & non reve-

lantes dicto Domino nostro intruso fulminentur sententiæ, pœnæ, &c. in forma.

13. Et quod omnia ista formarentur in meliori & securiori forma, &c. & etiam si expediat cum consensu, &c. ut supra dictum est.

HÆC QUÆ SEQUUNTUR SUNT VERBA episcopi Abulensis qui ex parte Domini BENEDICTI pratticam suprascriptam cum additione regis Aragonum suprascripta, Domino nostro regi præsentabat, vel sunt verba ejusdem Domini Benedicti per dictum episcopum exposita ad declarationem pratticæ suprascriptæ.

Ex ms. Gemmeticensi.

ISta est quædam præambula informatio ad videndum quæ prædictarum viarum cum sua prattica sit melior, & perfectior, & compendiosior ad unitatem Ecclesiæ canonicè consequendam.

Quia circa procurandam unionem occurrunt duæ viæ motæ. Prima via cessionis, quæ per aliquos eligitur & approbatur; alia via justitiæ quæ per Dominum nostrum Papam offertur, cum certa prattica debitis ordine & circumstantiis circumfulta. Ideo ut evidentius appareat quæ prædictarum viarum sit potius eligenda, ut per comparationem utriusque possit facilius quis videre, omissis pluribus præambulis, fundamentis, & rationibus, quæ in materia possent prædictorum fulcimento præmitti, videtur considerandum quòd hoc negotium triplicem habet statum, in quo, assumta quacumque via, occurrunt difficultates, quibus sunt remedia adhibenda. Ut igitur videamus quam prædictarum viarum præeligere debeamus, declaretur secundùm status in qua prædictarum viarum occurrerunt difficultates graviores, & in qua contra illas potest melius, facilius, & securius provideri. Primus ergo status prædicti & cujuslibet alterius negotii consistit in ipsius inchoatione, secundus in ipsius persecutione, tertius in ipsius conclusione.

1. Ergo inchoando istud negotium videntur duæ magnæ difficultates. Prima est, si via quæ eligitur à fidelibus & maximè à principibus refutetur, quia tunc deficerent persecutores & executores necessarii quoad factum. Secunda quòd per papam & intrusum vel alterum eorum minimè acceptetur.

2. In prosequendo istud negotium videntur præcipuæ duæ difficultates occurrere, prima est si negotium propter sui difficultatem & intricationes nimium prorogetur. Secunda si propter ambitiones & corruptas intentiones omnimode perturbetur.

3. In concludendo negotium occurrunt aliæ duæ difficultates; prima est si ultra ortum jam schisma divisio alia noviter oriretur. Secunda si error, quod absit, irreparabilis sequeretur.

Circa primum ergo statum negotii, scilicet in inchoando, quoad primam difficultatem de acceptione vel repudiatione viæ à principibus & ceteris fidelibus, omissis his quæ consistunt in facto, præcipuè cum adhuc non constet de

A omnibus in quo finaliter residebunt, præsumendum est quòd fideles principes considerabunt, sicut considerare debet in hac materia id quod est justius, rationabilius & securius pro unione ecclesiæ consequenda, præcipuè proviso circa scandala & pericula quæ erga statum & negotia possent verisimiliter evenire, & quibus providetur per pratticam viæ per dominum nostrum papam, & melius forte & plenius quam per pratticam cessionis adjunctam, ut cuilibet intuenti & diligenter utramque examinanti clarè
B poterit apparere.

Quoad secundam difficultatem in ista parte, puta si per Dominum nostrum papam & intrusum, vel per eorum alterum minimè acceptetur, &c. est attendendum, quòd in via cessionis, si bene consideretur, sunt duæ magnæ difficultates: una quæ concernit Dominum nostrum papam & intrusum: alia quæ concernit principes & ceteros fideles christianos. De prima certum est quod papa & intrusus possunt habere colorem rationabilem denegandi viam ces-
C sionis, cùm regulariter quis non teneatur renunciare juri suo. Circa secundam quoad principes & ceteros fideles christianos est advertendum, quod papæ non potest, nec debet inferri violentia directè vel indirectè, nec per consequens videbitur id fiendum intruso per illos qui ipsum verum papam reputant. Si igitur via cessionis proponatur, & uterque, vel alter eorum refutet, nihil potest jure fieri, vel ulterius aliud remedium per principes vel alios fideles sub-
D ditos adhiberi sine manifesta rebellione & macula schismatis, si violentiam aliquam inferant papæ directè vel indirectè per subtractionem obedientiæ, vel alias qualitercumque. Nam tales potius reputandi essent schismatici, quàm adhærentes intruso, credentes eum verum papam.

Sequeretur etiam inde aliud magnum inconveniens, quod si per talem violentiam subsequeretur de facto renunciatio, non valeret, & per consequens nec successor esset verus papa, & sic major error & irreparabilis in Dei ecclesia oriretur. Sed certè secus est in via justi-
E tiæ certo modo pratticata. Nam licet papa vel intrusus possent recusare viam cessionis tamquam extraordinariam, viam tamen justitiæ nec ipsi nec aliquis catholicus immo schismaticus, hæreticus vel infidelis potest recusare sine turpissima nota infamiæ & evidentia perversæ & damnatæ conscientiæ & diffidentia juris sui, dum tamen sit debito ordine & circumstantiis circumfulta, & contra talem justitiam denegantem posset satis rigorosè procedi, & multa reme-
F dia rationabiliter adhiberi. Quid plura? Si aliqua partium negaverit viam justitiæ, remedium est in promtu, etiam sine quacumque violentia, rebellione, vel schismate. Possent enim principes in hoc rationabiliter convenire, quòd si pro declaratione & purificatione hujus negotii & informatione conscientiarum omnium fidelium, alter eorum recuset de sua justitia fidelium animos informare; ipsi principes recipiant informationem illius qui ipsam præbere voluerit; & si secundùm ordinem prænominatum ostenderit se verum Romanum pontificem, sibi

adhæreant & faveant contra alium quem apparebit fore intrusum. Per hunc enim modum finis erit schismatis per subtractionem obedientiæ fidelium, sine quocumque inconvenienti & rebellione, seu nota schismatis; quod in via cessionis est impossibile.

Circa secundum statum negotii quod consistit in prosequendo, ad primam difficultatem de prorogatione negotii, est sciendum quòd si via cessionis acceptaretur, quæ secundùm veritatem nusquam in jure nec in facto reperitur practicata in casu schismatis aliàs simili, oportet novam practicam tradere tam circa collegiorum unionem, quàm circa cessionem, quàm etiam circa futuram electionem, & circa plura alia quæ suo loco poterunt explicari. Quæ practica quàm periculosa sit & prolixa, cùm per nova ingenia habebit noviter fabricari, si quis intelligens bene considerare velit, facilè comprehendet super quo saltem unum potest quilibet facere argumentum, propter quod non sine causa sancti & antiqui patres, hac via postposita, viam justitiæ indifferenter in schismatibus fuerunt prosecuti.

Prattica autem super via justitiæ ex constitutionibus canonicis & antiquorum doctorum traditionibus, satis faciliter elicitur. Præterea constat quòd in via justitiæ est solùm actus ille exequendus declarationis justitiæ; quòd satis reperietur juribus circumfultus. In via cessionis sunt multi actus æquè vel magis difficiles, utpote in jure vel magnis difficultatibus involuti. Verbi gratia. Cessio quæ ex parte causæ multas hactenus difficultates apud litteratos habuit in casu minus difficili, super quo etsi constitutiones emanaverint, adhuc tamen perfectè multorum vulneratas conscientias non sanaverunt.

Item quia, non credo, in prattica vel doctorum dictis reperietur quoad cessionem casus omnino similis, ulterius est ibi actus uniendi collegia habilitandi, approbandi, revocandi, &c. & renunciandi & eligendi futurum pontificem.

Quoad secundam difficultatem ejusdem partis, scilicet quod propter ambitiones & corruptas intentiones omnimodè perturbetur. Super quo sciendum quod quamvis in via justitiæ sit difficultas sine qua nulla potest via in hoc negotio humanitus inveniri: tamen per eam tollitur materia ambitionis & corruptionis, & fraudis. Et etiam certum est quòd si per viam justitiæ determinetur quis de duobus remanere habeat, nullus de ambitione movebitur ad corrumpendum & fraudandum vel baratandum alium, cùm sciat se propter talia non posse papatum consequi, nec est verisimile quòd illi qui determinare habebunt, propter aliquem prædictorum duorum velint animas suas perdere, perjuria, sententias, pœnas, & maledictiones appositas incurrere, labores & incommoda sustinere, & statum fidei quantum in eis esset, totaliter confundere & turbare, secus autem in via cessionis, ubi in principio assumtæ practicæ quilibet se armabit, non solùm ipsi duo, de quibus agitur; sed etiam omnes alii ambitiosi & damnati homines, ut ad papatum possint pervenire. Et quia non potest nisi unus habere optatum, ceteri qui videbunt se deficere in optatis, conabuntur omnibus fraudibus differre negotium vel totaliter impedire.

Circa tertium statum negotii in concludendo, quoad primam difficultatem in divisione alia ultra schisma jam ortum, sciendum quòd hæc divisio posset dupliciter contingere, vel per præsumtionem hæreticorum volentium conclusionem negotii impugnare tamquam non fuerit juridica. Cui errori per viam cessionis, quæ est nova in casu simili, præparatur materia per viam justitiæ non, ut superius est jam tactum; vel hoc contingeret per divisionem tertiam in collegio jam unico; cui divisioni præparatur materia per viam cessionis. Nam unito collegio, &c. si procedatur ad electionem tertii, verisimile est, ut patet per experientias ambitionum præteritarum, quòd inter eos sequeretur divisio. Illi enim qui sunt de vero collegio vellent habere de suis aliquem & fortè de natione propria, alii è contra. Et forsan per tractatus & corruptiones miscerentur personæ, ut aliqui qui fuerunt de uno collegio attraherentur ad alios; & è contra. Et tunc inventis occasionibus quælibet pars asseveraret se elegisse verum papam, vel si videret se non posse venire ad optatum, libenter differret vel impediret electionem omnimodè: Super quo quoniam graves dilationes, turbationes, & malitiæ possunt occurrere, faciliter intelligit qui velit sagaciter intueri; unde si, quod absit, iterum sequeretur divisio ultra schisma nunc vigens, esset difficile umquam ad conclusionem venire, prout hæc potuerint, si oportuerit, latius explicari.

Quoad secundam difficultatem de errore irreparabili, &c. Clarum est quod in tanto negotio impossibile est, quin multæ & diversæ difficultates occurrant, quibus pro bona & secura conclusione erit per papam necessario providendum, quibus in via justitiæ quando & quotiens emerserint, quantum ad verum papam poterit veraciter provideri; quantum vero ad schismaticorum opinionem erroneam, per intrusum. Sed ponamus quòd procederetur ad unionem per cessionis viam, & occurreret aliquod dubium post factam cessionem amborum, sive verum, sive confictum, quod est verisimile evenire: maximè si aliqui malitiosi viderent se non posse obtinere quod volunt, ut possent adversarios vel æmulos impedire, conficto tali dubio, & pertinaciter colorato, non est possibile umquam habere papam, de quo non sit dubium, an sit verus papa. Cùm enim non posset nisi per papam, ut supponitur & affirmabitur, provideri, & papa non sit, nec sine hujus dubii terminatione vel provisione eligi possit; sequitur quod numquam secundùm prædicta quietabuntur mentes fidelium, nec erit remedium quod possit papa indubitatus haberi, maximè assumtis occasionibus ex prattica prædictæ cessionis, & aliorum quæ ad hanc viam pertinere dicuntur, quæ sunt à jure & ecclesiæ consuetudine exorbitantia, & per sanctos patres aliquando in ecclesia refutata.

Ceterum circa viam justitiæ certo modo practicatam & qualificatam, quæ nunc ex parte Domini nostri offertur, est advertendum quòd si bene consideretur, per eam omnibus dubiis providetur, & est media inter utrasque, recipiens partem viæ & practicæ cessionis & partem viæ justitiæ; & est ista rationabilis, secura, brevis, & sine periculis & erroribus, quæ possent in via cessionis contingere. Providet etiam plenius scrupulis, omni statui, nullam exempli perniciem post se relinquens, totum mundum spiritualiter & temporaliter pacificans, & omnes opiniones principum & nationum quasi ad quamdam concordiam reducit.

SEQUUNTUR HIC ALIQUA QUÆ supplenda videntur ad practicam quam secunda vice aperuit Dominus Benedictus, quæ post folium sequens infra scribitur: & per quæ potest videri & colligi quo modo in multis discrepabat à practica primo per eum tradita quæ immediate hic scribitur.

Traditum per Cardinales seu collegium eorumdem.

Ex ms. Gemmeticensi.

QUoniam securitas quæ pro conventione petitur, de qua in primo articulo fit mentio, multum diversificatur ab illa quæ in prima cedula Dominis ducibus data continetur, cujus cedulæ tenor hic scribitur; & quia etiam hæc securitas nimis generalis petitur & confusè, ne detur occasio suspicandi quòd causa dilationis hoc fiat, videtur expedire, quod ex nunc hujusmodi securitas declaretur, necnon locus & tempus, in quantum Dominum nostrum concernit, ut appareat quod idem Dominus noster hujusmodi negotium accelerare intendit. Et insuper expediens videtur quod quantum erit possibile in hac parte honor regis Franciæ conservetur.

Circa secundum articulum dum ibi dicitur *qui ire possent, &c.* ad omne dubium tollendum declaretur & ponatur qui cardinales & anticardinales *ire possent, &c.*

Articulus qui incipit *præmissis & apunctatis* videtur emendandus & supplendus circa tria juxta primam cedulam responsalem, videlicet quòd cum consilio fratrum eligantur deputandi pro parte Domini nostri, ne domini cardinales, qui in hac re tantum tanguntur, in negotio tam grandi & taliter statum totius ecclesiæ concernente, videantur exclusi. Item, quod infra certum tempus justitiam alterius partium declarent, quoniam quæcumque dilatio est nimis nociva, & hæc est utilior artatio, scilicet temporis, quæ dari possit. Item, quod habeat fieri declaratio saltem à duabus partibus propter evidens periculum, cum alias esset in unius solius potestate totam partem hujus obedientiæ scandalizare in immensum, & aliæ causæ cujuslibet horum trium membrorum satis per se clarent.

Item, quòd in eodem articulo ponuntur ista verba: *seu etiam remanere in papatu*, videntur ista verba tollenda, vel addatur *seu etiam de jure remanere debeat.*

In articulo qui incipit, *Item quia circa* ibi ubi dicitur nisi *dicto Domino nostro, & intruso* videtur removendum *& intruso* cùm sit verisimile quòd intrusus per omnem malam artem, corruptionem, subornationem, & dolum inibi procederet in grande præjudicium & evidens periculum justitiæ partis nostræ.

Item, cùm in casu æqualis contradictionis electorum, qui casus verisimilitudine non caret, per cedulam Domini nostri aut alias nullatenus sit provisum, videtur addenda illa clausula *Et si per præmissa*, prout continetur in combinatione cedularum data regi. Et quæ sequuntur ad litteram ex verbis trium cedularum responsalium Dominis ducibus traditarum, & toti populo christianno oblatarum, ne regi Franciæ appareat, prout veraciter appareret, quod nunc sibi minus quàm tunc oblatum sit.

Cedula verò data per Serenissimum Dominum Regem Aragonum cùm veniat in modum additionis ad practicam ex parte Domini nostri transmissam Serenissimo domino regi Francorum per nuncios Castellæ, habet supponere, ut videtur, illas suppletiones & emendationes, de quibus fuit dictum.

Item, cùm præfatus dominus rex, prout in una scripta cedula cavetur expresè, dixerit, & obtulerit velle dare practicam in via justitiæ sufficientem ad tollendum schisma, & juxta dictam oblationem dederit unam cedulam quæ incipit, *Item, ut optata unio, &c.* placeat eidem domino regi & ejus prudenti consilio advertere qualiter contenta in dicta cedula terminos justitiæ in multis valere transcendunt, & quamdam extraordinariam viam cujusdam specialis & insolitæ provisivæ gratiæ seu ordinationis amplectuntur quasdam novas provisiones ad cautelam inserendo, quas Domini ob reverentiam regiæ majestatis difficultare nolunt.

Item cùm jura in se certa sint, & consequenter facilius electi seu deputati in conclusionem juris seu justitiæ concordarent quàm in hac insolita provisione & extraordinaria ordinatione, & prout in principio hujus cedulæ cavetur, Dominus rex quærat, ut optata unio in Dei Ecclesia possit haberi, & non valeat per aliquam occasionem differri. Videtur necessaria provisio in casu quo electi seu deputati invicem, prout est verisimile, discordarent. In hoc enim casu est verisimilior discordia, quàm in electione communi, maximè quia credendum est quòd intrusus deputabit homines suæ conditionis, qui per fas vel per nefas contendent omnino pro se retinere papatum.

Item, in arbitrio hujusmodi deputatorum relinquitur per hanc cedulam, ut etiam repulsa justitia nostra pro libito voluntatis intrusum notoriè in papatu, & hæreticum verum per ecclesiam sententialiter declaratum, nec ad ecclesiæ gremium redeuntem, facere papam & vicarium Christi, & ante verum papam recipere, quod est nimis absurdum.

RATIO OPPORTUNIOR AD tollendum schisma æstimata est abrogatio seu cessio utriusque partis contendentis.

Ex ms. Gemmeticensi.

JAm post diversas examinationes longissimas cum maximis & maturis deliberationibus regum & regnorum utriusque obedientiæ & collegii dominorum cardinalium, cautum processit via cessionis ceteris omnibus discussis & reprobatis, & missis ambaxiatoribus Romam & Avenionem, ad reges Romanorum, Angliæ, & alios principes, quod amplius retractari non potest; quoniam esset novissimus error pejor priore, & esset impedimentum unionis, quòd si per Dominum nostrum occasionaliter, quod absit, eveniret, sicut clamaret vox communis, consideret ipse, considerent omnes ipsum diligentes, quanta contra statum ipsius & honorem sequerentur inde scandala. Jam enim clamant homines Dominum nostrum & intrusum per litteras & nuntios diversos invicem tractasse, quòd ipsi sic remaneant, vel saltem in omnem eventum unus ipsorum. Nimis etiam tardavit Dominus noster hanc viam novam quoad pratticam offerre, fere lapso biennio, postquam domini duces ex parte regis ipsum adiverunt.

VIA REGIS CASTELLÆ.

Ex ms. Gemmeticensi.

ADvertendum quòd via quam cœpit rex Castellæ est talis in effectu. Videlicet quia rex Franciæ elegerat viam cessionis, & Dominus noster papa viam conventionis amborum, quo facto, vias bonas aperiret, quas usque tunc non credebat expediens exprimere, dicebat rex Castellæ se velle tenere medium, videlicet quòd ante omnia ambo contendentes de papatu in simul convenirent in loco tuto & securo, & revocarentur processus, & hinc & inde appropriarentur provisiones, &c. prout in prattica plenius continetur. Et ex tunc incipiet tempus infra quod dominus papa ex parte sua & intrusus ex parte alia panderent, exprimerent, & declararent ad votum, & sicut eis placeret viam & vias quales & quantas vellent, per quam seu quas optata unio in Dei ecclesia celeriter sequi posset. Et quod infra tempus assignandum seu limitandum, per quamcumque viam seu vias, quas ipsi vellent, darent toti christianitati unicum verum & indubitatum papam. Quo tempore lapso, certo & indubitato pastore non dato, ex tunc ambo cederent, & renunciarent. Et in hac via dicit servari mentem cedulæ juratæ in conclavi, & intentio regis Franciæ servatur & dominorum cardinalium qui piè & sanctè desiderant accelerationem unitatis sanctæ matris ecclesiæ. Et cùm in hoc sit periculosa quæcumque dilatio, ideo necesse erat, ut terminus aliquis apponeretur, aliàs sic possemus stare per alios xx. annos in schismate, si sine tempore fieret dicta mutua amborum conventio. Et istam viam misit papæ rex Castellæ; sed ipse eam recu-

A savit expressè, & misit regi Franciæ per episcopum Abulensem viam & pratticam hic supra in quatuor foliis contentam & scriptam, quæ etiam continet additionem quam ad eam posuisse dicitur, & in qua concordabat rex Aragoniæ, sicut ibi videri potest. §. *Item ut optata unio.*

B

PRATTICA VIÆ CESSIONIS per regem & ejus consilium avisata & in effectu inseritur infra litteram quæ facta fuit de subtractione.

Ex ms. Gemmeticensi.

PRimò quòd acceptata via cessionis per ambos, ipsi ambo contendentes cum suis collegis & aliis personis, de quibus expediens videbitur, personaliter conveniant in loco securo & congruo ab eis electo, facta & data eis prius plena & sufficienti severitate, sub protectione & potestate illorum principum & dominorum de quibus duxerint confidendum.

C Secundò quòd ipsis simul congregatis, quilibet eorum annullet processus, sententias, & pœnas quascumque spirituales & temporales per se vel prædecessorem suum contra alterum & sibi adhærentes, occasione schismatis factas & latas, & omnia horum occasione secuta, & quæ exinde sequi possent, prout melius fieri poterit, secundùm judicium peritorum.

Tertiò quòd uterque contendentium assumat ad cardinalatum eos quos adversarius suus ad hujusmodi statum & honorem de facto promo-

D vit, prout melius fieri poterit ad hujus rei securitatem.

Quartò quòd uterque ipsorum confirmet, ratificet, & canonizet ex certa scientia titulos & promotiones illorum quos adversarius suus ad prælaturas, dignitates, beneficia, & officia quæcumque ecclesiastica promovit. Et idem fiat de dispensationibus factis hinc inde & his similibus.

E Hujusmodi autem ratificationes & confirmationes promotionum ad prælaturas & beneficia hoc modo intelligit rex, quòd si promoti per alterum eorumdem contendentium non habeant competitores, simpliciter remaneant. Si vero habeant, tunc illi qui possident civitatem, aut beneficium, seu locum principalem beneficii, de cetero possideant: aliis verò qui partem diocesis seu beneficii tenent, providebitur de pensione annua juxta valorem proventuum, quos prius tempore schismatis possidebant, vel tolerarentur in statu suo donec alter deficiat, vel donec alibi collocentur per sedis Apostolicæ

F providentiam. Qui verò nihil possident, nihil habebunt, provisionem sedis apostolicæ expectantes.

Quintò quòd ante actum renunciationis, quantum fieri poterit, provideatur utrique contendentium de bono statu & sufficienti, de quo post cessionem valeret congruè sustentari, si non contingeret eum in papam eligi de novo.

Sextò videtur expediens tunc appunctuari,

quòd successor deberet omnia & singula præmissa ratificare, appropriare, & laudare ex abundanti ad cautelam.

Septimò quia tunc præter & ultra provisionem, c. *ubi majus* & aliorum jurium poterunt fieri provisiones & ordinationes per utrumque contendentium ad obviandum, quantum humanitus fieri poterit, contra aspirationes, conspirationes, divisiones, turbationes, dubia, & perplexitates, quæ post cessionem utriusque, sede vacante, possent evenire: ita quòd in negotio electionis etiam celebrandæ non possit visibiliter occurere difficultas, quin etiam possit in alia vacatione provenire.

Octavò quòd præmissis sic factis & ordinatis, omissa qualibet juris partium discussione & diffinitione, ipsi ambo in forma debita, sine mora & dilatione renuncient juri quod habent seu dicunt se habere in papatu.

Nonò quòd facta hujusmodi renunciatione, cardinales hinc inde creati, qui per assumtionem præfactam facient unum verum & indubitatum collegium, intrent conclave, & procedant ad electionem secundùm juris dispositionem.

Videtur tamen expediens ad tollendam confusionem, turbationes & divisiones, quæ in negotio hujusmodi electionis tunc occurrere possent, quod uterque contendentium de consensu cardinalium ante actum cessionis statuerint, quòd electio futuri pontificis pro hac vice per viam compromissi celebraretur, & quòd ipsi ambo essent de compromissariis.

Ad præmissa autem omnia & singula se offert rex; & est paratus condescendere ad quemlibet alium modum convenientem, si pro executione viæ cessionis, melior modus valeat inveniri.

LETTRES DE CHARLES VI. roy de France, par laquelle il commande au Senechal du Rouergue d'empescher en sa Senechaussée de dogmatiser & donner des écritures contraires à la voye de cession qu'il avoit choisie pour oster le schisme de l'Eglise.

Anno 1397. Ex archivio Villafrancha in diœcesi Rutenensi.

CHARLES par la grace de Dieu, roy de France au Senechal de Rouergue ou à son Lieutenant, Salut. Nous avons entendu que jacoit, que pour mettre paix & union en nôtre mere sainte Eglise, ceder & oster le tres dulureux schisme, qui si longuement a duré en icelle; & pour tres grand & meure deliberation de conseil que nous avons eu avec nos tres chers & tres amez oncles & freres les Ducs de Berry, de Bourgogne, d'Orleans, & de Bourbon, & plusieurs autres de nostre sang & lignaige, & de nostre grand Conseil, & aussi avec les Prelats & plusieurs autres grands, notables & souffisans clers de nostre Royaume; lesquels pour cette cause avons fait venir & assembler en nostre ville de Paris, nous ayons éleu la voye de cession des deux parties comme la meilleure, plus convenable & propice de toutes autres voyes, & la plus apaisant les cœurs & consciences de tous vrays & bons chrétiens, & que à ce se accordent avec nous tous les cardinaux du saint College de cour de Rome estants en Avignon, un ou deux exceptez, nostre tres-cher & tres amé fils le Roy d'Angleterre, nostre tres cher & tres amé frere le Roy de Castille, nostre tres cher & tres amé cousin le Roy de Navarre, & plusieurs autres Roys, Princes & peuples chrétiens. Neanmoins autres se sont efforcez & efforcent de jour en jour de prescher, dogmatiser, faire epistres, & autres écritures contraires à la voye de cession, ainsi par nous comme dit est, advisée & elevée, & pour empescher icelle, & la maniere & moyens de proceder en icelle: lesquelles choses pourroient estre contre grand retardement & empeschement desdites paix & union de nostre mere sainte Eglise, à longuement ou à perpetuation dudit scisme, & aussi cause & occasion d'engendrer une division ou scisme nouvelle, que Dieu ne veuille, entre nos subjets dedans nostredit Royaume, si par nous n'estoit sur ce pourvu de remede convenable. Pourquoy nous qui de tout nostre cuer desirons l'abregement de ladite cedation dudit scisme, & paix & union estre mise en nostredite mere sainte Eglise; vous mandons, & commendons & enjoignons expressement, que incontinent ces Lettres vuës & citez, villes & lieux notables de vostre senechaussée, & ailleurs où besoin sera, & vous verrez estre expedient, vous ferez publier, crier, & deffendre, de par nous solemnellement, & sur grandes & grosses peines à appliquer à nous, que nulle personne de quelque estat ou condition qu'elle soit, ne soit si auśée ni si hardie occultement, ne en appert, directement, ne indirectement, de fait ne de dit, de prêcher, dogmatizer, faire, ne écrire epistres, ne autres quelconques écritures, ou choses qui puissent donner, faire, ou porter aucun préjudice ou empeschement à ladite voye de cession, ne à la maniere moyens de proceder ou pratiquer icelle: & se aucun ou aucuns est ou sont trouvé ou trouvez, faisant ou faisans le contraire, punissiez les par telle maniere, que autres y prennent exemple, & nous envoyez feablement en clauses sous vostre scel toutes manieres d'écriptures que vous pourrez trouver estre faites au contraire de ladite voye de cession, & sa pratique. Mandons & commendons à tous nos Justiciers, Officiers, & Sujets, que à vous & à vos commis & deputez és choses des susdites circonstances & dépendences d'icelles obéissent & entendent diligemment. Donné à Paris le douziéme jour de Septembre l'an de grace mil trois cent quatre vingt-dix-sept, & de nostre regne le dix-septiéme.

Par le Roy en son Conseil où Messieurs les Ducs de Berry, de Bourgogne, d'Orleans & de Bourbon, Messieurs P. de Navarre, le Seigneur de Lebret, Vous & plusieurs autres estoient.

LITTERÆ

LITTERÆ CAROLI VI. REGIS.
Quod gratiæ factæ per Dominum Benedictum non sortiantur effectum.

Anno 1398. Ex ms. Gemmeticensi.

CHARLES par la grace de Dieu, roy de France aux Baillis de Vermendois, & d'Amiens, ou à leurs Lieutenans, & à chascun d'eux, Salut.

Comme aprés ce que nous, l'Eglise, le Clergé & le peuple de nos royaumes & Dalphiné par la deliberation de plusieurs de ceulx de nostre sang & lignage, de nostre conseil & des arcevesques, evesques, abbez, maistres, & docteurs en theologie, decrets & loix des Universitez de Paris, d'Orliens, & autres de nostredit royaulme, & aussi des messaiges & procureurs d'aucuns prelats absens, & des chapitres des eglises cathedraulx, representans l'Eglise universal d'iceux royaulme & Dalphiné, assemblez pardevers nous pour cette cause, nous sommes departis de l'obeissance totale de BENEDIC dernier esleu en pape, principaument pour avoir paix & union en sainte Eglise, si comme par nos lettres patentes faites sur ledit département puet plus à plain apparoir, plusieurs matieres ayent esté discutées & traittiées entre lesdits prelats, clers, messaiges & procureurs touchant le fait dudit departement, presens ad ce pour & de par nous plusieurs de nostre lignage, nostre chancelier, & autres de nostre grand conseil, & entre les autres se consideré ledit département & la teneur de nosdites lettres, les graces faites par ledit BENEDIC à plusieurs expectans, tant celles sur lesquelles procés s'estoient ensuis, comme les autres par vertu desquelles toutesvoyes aucun droit n'estoit acquis en la chose, devroient sortir leur effet ou non: & finalement pour obvier aux plais, debas, & esclandres qui autrement s'en pourroient ensuir. Oyes les opinions de ceux de l'eglise qui estoient ils assemblez, comme dit est, & les causes & raisons qui par eulx furent exposées & alleguées, servant à la matiere d'une partie & d'autre, par grant & meure deliberation, tout consideré, mesmement que se lesdites graces sortissoient leur effet, les juges deleguez ou executeurs deputez ou à deputer sur icelles useroient de la jurisdiction & auctorité dudit BENEDIC, & sembleroit que ce fust luy donner obeissance en venant contre la teneur & entention de nos lettres dessusdites fut conclud & declairé que depuis le jour du departement aux juges executeurs, ou autres deputez ou à deputer de par ledit BENEDIC sur lesdites graces à leur procés faits ou à faire, par lesquels aucun droit n'estoit lors acquis en la chose par provision & collation, ne sera doresnavant obey, & que lesdites graces inefficaces & non vaillables ne sortiroient aucun effet. Laquelle declaration ainsi faite, incontinent lesdits prelats, clers & procureurs nous ayent supplié & requis avoir sur ce nos lettres, afin de faire garder & executer icelle declaration en nosdis royaume & Dalphiné. Nous ces

A choses considerées voulans ladite declaration estre executée, tenuë, & gardée sans enfraindre à la supplication desdites gens d'Eglise, vous mandons à chacun de vous, si comme à luy appartendra, en commettant, se mestier est, que icelle declaration faites publier en vos auditoirs, & ailleurs, où il sera mestier, & vous semblera estre expedient, en faisant commandement de par nous chascun de vous es * mettes de sa jurisdiction aux prelas, chappitres, convens, juges ecclesiastiques & ordinaires, delegez, B subdeleguez, executeurs, notaires publiques, & autres à qui il appartendra, & dont vous serez requis, que à ladite declaration obeissent, & ycelle tiennent & gardent selon la fourme & teneur sans enfraindre, & leur defendes & faittes defendre de par nous expressement, que contre ycelle ne viennent ou attentent en aucune maniere, & à ce les contraigniez par prinses de leurs temporels, & par toutes autres voyes deuës & raisonnables: & se aucune chose vous trouvez estre faitte ou at- C tentée au contraire, le faittes reparer, & mettre au premier estat & deu. Donné à Paris le VIII. jour du mois d'Aoust l'an de grace MCCCXCVIII. & de nostre regne le XVIII.

* Id est limites.

Par le Roy à la relation de son grand conseil, ouquel messeigneurs les ducs de Bourgogne & de Bourbon, vous l'Admiral, le maistre des arbalestriers & autres estiez. J. HUE.

D
CAROLI VI. REGIS FRANCORUM
Declaratio quomodo scribetur pontificatus in instrumentis durante substractione.

CAROLUS Dei gratia rex Francorum universis præsentes litteras inspecturis, salutem. Anno 1398. Ex ms. Gemmeticensi.

Cùm nuper nos & universalis ecclesia regni nostri & etiam Dalphinatus certis de causis rationabilibus, evidentibus, atque justis, in aliis litteris nostris patentibus latius & expressius de- E claratis, pro maxima maturitate consilii procedentes, recesserimus ab obedientia totali & omnimoda BENEDICTI ultimo in papam electi sibi quomodolibet præstanda, tam in regno quàm in Dalphinatu prædictis; ob quam rem nonnulli notarii apostolici non immerito formidantes in instrumentis publicis illis uti verbis, quibus annus pontificatus papæ exprimi solet in eisdem, super hoc ordinationem dictæ ecclesiæ humiliter & instanter postularunt. Notum facimus, quòd habita super hoc deliberatione F diligenti, prædicta ecclesia voluit & ordinavit, quod stante & durante recessu supradicto, in instrumentis hujusmodi publicis loco anni pontificatus scribatur per formam subsequentem, videlicet & ab electione domini BENEDICTI ultimo in papam electi anno quarto, & ita consequenter secundum annorum mutationem. Quapropter nos ordinationem prædictæ ecclesiæ volentes executioni debitæ demandari, ad ejus-

dem ecclesiæ instantiam & requestam, universis (A) & singulis senescallis, & baillivis, præpositis, castellanis, & aliis justitiariis & officiariis nostris ubilibet constitutis, seu eorum loca tenentibus damus tenore præsentium in mandatis, quatenus eamdem ordinationem publicari solemniter & observari faciant, non permittentes à quoquam aliquid in contrarium attentari; quod si secus factum repererint, corrigi & reparari faciant indilatè, culpabiles inde rationabiliter & debite puniendo taliter, quod ceteris cedere debeat in exemplum. In cujus rei testimonium (B) præsentes litteras nostri sigilli jussimus appensione muniri. Datum Parisius XXII. die Augusti anno Domini MCCCXCVIII. & regni nostri XVIII.

Per regem ad relationem sui superioris consilii, in quo dominus dux Burgundiæ, vos patriarcha Alexandrine, Bajocensis & Attrabatensis episcopi & alii quam plures eratis. J. HUE.

(C)

EPISTOLA COLLUSII FLORENTINI, viri utique doctissimi, sicut per suam epistolam satis liquet, directa Jodoco marchioni Brandeburgensi, marchioni Moraviæ, pro facto unionis Ecclesiæ, laudans viam cessionis.

Anno 1398. Ex ms. Gemmeticensi.

NIhil totius mortalis vitæ meæ curriculo, quamvis jam sexagesimum & septimum annum attigerim, Illustrissime Princeps & magnificentissime Domine, majore mentis amaritudine me commovit, (D) pungentioreque doloris vulnere me transfixit, sive publicum, sive privatum fuerit, quàm illud, proh dolor! detestabile schisma, monstruosumque prodigium, quod in Ecclesia Dei videmus, quodque tantam talemque scissuram, ah scelus! ah pudor! fecit in inconsutili tunica Salvatoris, quam gentiles milites sic in Dominica passione sibi simul cum aliis vestibus diviserunt, quod juxta prophetarum antedicta scripturæque evangelicæ testimonium, cuinam contingere deberet integra, dimisso sectionis proposito, (E) sortiti sunt. Tantam, inquam, talemque scissuram fecit in inconsutili tunica Salvatoris, quantam & qualem videmus in populo christiano. Heu dolor! Heu pietas! Huccine processisse cardinalium errorem vel ambitionem, ut post electum summum pontificem, quamvis in illo diabolico populi Romani tumultu, quem verè diabolus excitavit, post ejusdem electi consecrationem, coronationis, intronizationisque solemnia; non tumultuante, sed pacifico, plaudenteque populo, (F) liberè per ipsos & eorum nomine celebrata, damnando quod prius fecerant, alium assumendo pontificem, sacrosanctam Ecclesiam bicipitem reddiderunt, & tanta cum abominatione diviserunt populum christianum.

Quis constituit eos judices, ut eorum sit de pontificalis electionis vitio judicare? An electionis hujus auctores, testes, & judices esse possunt, & cujus est de propriis actionibus judicare? Quis in testem eorum quæ gesserit, si de alicujus quem impugnet agatur, præjudicio debet audiri? Quod si fuerit, ut asserunt, in electione vitium, cur universum orbem publicis & privatis litteris impleverunt, mundi principibus nuntiantes canonicam electionem URBANI? Cur sibi non semel, sed multotiens collegialiter astiterunt? Cur ejus ordinatione suarum mutaverunt titulos dignitatum, quos etiam cum CLEMENTEM elegerunt tenuerunt? Cur non potius in animum induxerunt suum puro consensu justificare jam electum, si qua forsitan purificatione videbant opus esse, & unius hominis tolerare mores & vitam, quàm certissimum schisma scienter inducere in unica sponsa Christi? Quis non credat eos non conscientia motos, sed vel odio nominis Italici, vel studio propriæ nationis, vel summi pontificatus ambitione, dum quilibet illum sibi posse contingere blandiebatur, ut à primo discederent, & alterum crearent? An sibimet secum cogitantes persuadebant ad ipsorum mutationes adeo facile mundi principes & populos se mutare? An ignorabant quàm difficile sit aliquid persuadere contrarium jam persuasis? Quis non videt hunc errorem supinum & crassum de nimia suimet non fiducia, sed confidentia, ne dicam malignitate vel superbia, processisse? Antequam URBANUS, ut erat natura severior, incœpit eos reprehendendo mordere, cuncta tacebant, verus erat pontifex, verus Christi vicarius; & adeo verus, quòd impetrare gratias spirituales & absolutiones in mortis articulo, completaque super hoc habere privilegia quilibet conaretur. Postquam autem se majorem illis incœpit ostendere, vitiosa fuit electio, non liberè facta, sed per metum extorta: Quasi non potuerint in illo tumultu quo nullus singulariter petebatur, liberrimè quemquam eligere: vel si viri fortes fuissent, potuerunt illas contemnere minas, & se ad liberi temporis facultatem forti proposito optimoque consilio reservare. Sed fecerunt illi de se quod libuit. Cur autem ad ea quæ dirimere non valebant? Est equidem ista cognitionis facultas solius Dei, sicut statuit Anacletus, quod fecerant condemnantes, contra jus ejus quem impugnabant, manum temerè posuerunt. Talia quidem sunt de quibus etiam testes idonei contra tot præcedentes ipsorummet attestationes litterarum & actuum publicorum, nedum sponte se offerentes, sed etiam compulsi non debeant reputari.

Nec autumet aliquis quod ista congesserim secundi quem elegerunt causam condemnando. Non sumo vel alterius alicujus partis justitiam asserere vel damnare. Scio equidem in electione prioris non defuisse tumultum, violentæ præsumtionis instar, & verisimile non esset tot cardinales Gallicæ nationis in quemvis Italicum de pontificatus apice liberè consensisse. Quo fit ut credibile satis sit ipsos metu potius quàm libera voluntate talis electionis negotium expendisse, prorsus alias non facturos. Nec credam insuper tot prudentissimos viros propriæ salutis immemores, in damnationem animarum suarum sponte ruere, totque principibus atque populis

eis credentibus tam gravis erroris materiam exhibere. Sed hæc dimittamus, sunt enim dentissimis oppleta tenebris, quoniam veritas facti latet in mentibus electorum, de quo jus, quod oportet quærere, sine dubio noscitur provenire. Non enim usquequaque clarum est quod dicitur, URBANUM per tumultum populi Romanum vel saltem Italicum acclamantis electum, & eodem, ut astruitur, metu durante inthronizatum apostolicæ sedi, juxta Nicolai papæ decretum, non apostolicum, sed apostaticum extitisse: quandoquidem etiamsi nominatim ipsum furens ille populus poposcisset, liberis & inclinatis mentibus potuisset ab electoribus nominari, & in summum pontificem liberè & sine quocumque clamantis populi respectu vel metu, quidquid conjectantium imaginatio sibi persuadere possit, aut velit, assumi.

Ex quo non est ratum illud violentissimum argumentum, quod electus fuerit URBANUS non liberè, sed per metum, populo Romano fremente vel Italicum vel Romanum: quoniam an metus fuerit illius electionis causa, licet fortè dici possit occasio, non est clarum, sed in eligentium mentibus consepultum. Circa quod secretum si præsupponatur liberum non affuisse consensum, tot stant litteræ non collegiales solum, quas metus potuit extorquere, sed privata liberaque voluntate conceptæ, non à multis solum, sed forsan ab omnibus cardinalibus ad multos, & forsan ad omnes Christianorum principes, & aliquos populos destinatæ, quod usquequaque non possit id quod præsupponitur demonstrari. Stant & tam publica consistoria, quàm privata, quibus eidem ad illa quæ non possunt nisi per veros summos pontifices explicari, non semel, sed multotiens astiterunt. Stant & infinitæ gratiæ, titulorum numquam dimissorum contraventiones quoniam sonabant in majus, & qui sicut per alios quàm per papam concedi nequiverunt, sic etiam nec mutari: ut ita credere debeamus præterita præsentibus conferentes, adeo dubium sit, quòd tutius est assensum omnino suspendere quàm in aliquam partium declinare. Nam & quod aiunt quoniam URBANUS, sciens se per metum & popularem tumultum electum, vitiosam electionem acceptavit, nec umquam illi renunciare consentiit, apostaticus factus est, in hæresim incidit: nunc autem sicut hæreticus eligi nequit in papam, & deponi debet electus; & sicut nec consecrari, sic nec etiam coronari, & sic nec statui super thronum: Nam quod prius assumitur à quo cetera pendeant, non est clarum: & cùm aliud sit, longéque differat per tumultum eligi vel in tumultu: cùmque licet hoc clarum sit, illud tamen omnino non pateat, deficit omnino vis omnis illius argumenti. Nam an tumultuationis illius formido, (cùm certum sit ipsos nedum elegisse priusquam populus claustra conclavis irruperit, sed ad se vocasse jam electum vel forsitan eligendum, & omnino constet irruptionem illam post electionem celebratam extitisse, non ante: quoniam effracto conclavi cuncti cardinales alius alio fugientes, se vel in castrum Crescentii, sive memoriæ Adriani, quod propter Gregorianum miraculum castrum S. Angeli dicebatur, loco munitissimo, vel ad alia loca tutissima reduxerunt,) talis dici debeat quæ caderet in constantem, ego non video: quoniam illi clariores viros fortes nullatenus terruissent, & intacto conclavi jam fuerat electio celebrata: Quod etiam ex eo palam est, quoniam post irruptionem effractionemque prædictas talis fuit illa turbatio, quòd omnino nullus Cardinalium vel servitorum astantium cæsus fuit; sed incumbentibus cunctis spoliis, non personis, quærentibusque non cædes & sanguinem, sed rapinam & prædam, prorsus omnes recesserunt. Inter hæc ne metus esse debuit qui caderet in constantem? Et an apud Ecclesiæ principes talis tantusque metus esse potest, (immineat licet gladius jugulo,) qui viros constantes moveat, ut tam periculoso mendacio, tanti temporis perseverantia, tam multis & evidentibus actibus adorandum pro summo pontifice Christique vicario toti mundo debeant exhibere, quem sciverunt canonicè electum? Mortui sunt aliqui prælatorum, mundique principibus non armatis solummodo, sed furentibus restiterunt pro suæ ecclesiæ libertate bonisque temporalibus defendendis: Et vos in re tanti periculi, quæ verè fuerit non temporalia solùm, sed spiritualia turbatura, tam effeminatos & pavidos præbuistis, quod nullis, cum in locis tutissimis essetis, & unde potius aliis timorem incutere poteratis, quàm deberetis metus illius perseverantiam exhibere, hanc patefeceritis veritatem. Cur non de locis illis, cùm fervebant ipsa principia, quisquis vestrum veritatem, quam post tot dissimulationes & actus contrarios prætendistis auribus etiam audire nolentium, intonuit & ingessit? Sed hæc omittamus: deplorari quidem possunt & reprehendi, non corrigi.

Consideremus autem statum rerum, & lacrymabilem gregis dominici conditionem nobis ante oculos mentis præponamus. Vidimus atque videmus duo capita in unica sponsa Christi. Videmus regna scissa, ut hos Urbanistas, illos Clementinos dicere valeamus. Hinc Germania, Britannia quam Angliam vocant, atque Pannonia recognoscit URBANUM. Inde Galliarum universi fines & omnis Hispania se determinavit tulitque sententiam pro CLEMENTE. Miserrima verò Italia etiam in hæc duo capita scissa est, nec purè tamen omnes quas præmisimus nationes suis pontificibus inhærent. Nam & Gallicorum & Hispanicorum aliqui credunt URBANO, Germanicique CLEMENTI: eoque res deducta est, ut quilibet illi crediturus esse videatur, à quo plus emolumenti receperit & honoris. Quilibet avaritiæ & ambitioni studet: Dei timor & conscientiæ rectitudo postratus jacet, cujus apud mortales tam facilis est jactura quàm cura. Nec hucusque cordi fuit hæc abominatio principibus orbis terræ. Sic quondam jam fermè ad quintum sæculum etiam contigit, cum à Pontifice Romano destitit universa fermè Græcia: cui scissuræ numquam diligentia fuit redintegrationis remedium adhibere. Nunc

autem Deo laus, qui judicare velle videtur Ecclesiam sanctam suam, & discernere causam ejus de gente non sancta, eamque ab homine iniquo & doloso liberare; postquam vos & alii Romani imperii proceres, quorum est ista tractare, ad hoc schisma tollendum videmini convenisse. Honorabile quidem est velle quòd Cæsar consecrationis suscipiat munus, & triplicis coronæ decus induat, quò sæculare Christianorum caput completa fulgeat dignitate: sed super omnem honorem est curare vulnera, conjungereque scissuram, quam in sanctæ matris Ecclesiæ corpore schisma fecit. Nolite pati quod ulterius ista divisio nutriatur. Heu me miserum, cùm sentiam me concordem in Christo cum Gallicis, & Hispanis, & aliis quibuscumque qui credidere Clementi, suoque reverentiam exhibent successori, dissentiam nunc cum eis de vicario Jesu-Christi. Et quàm abominabile sit, quòd vicissim illi nos, nos illos schismaticos appellamus. Integra nobis & illis Petra est, quæ quidem est Christus: Cur non integri sumus in Petro, qui vicarius est Christi? Ergo dicam audacter propter duos homines, & cùm ad veritatem venerimus duos quamvis venerabiles sacerdotes, universus Christianitatis orbis, tot principes, tot populi, tot gentes, pertinaci ne dicam perpetua sectione discissent; & illi patientibus, immo faventibus nobis & aliis fecerint ne de Romanæ Ecclesiæ rectitudine flexum arcum, & sedentes in cornuis pondere suo non sinent curvitatem, quam cernimus adæquari. O dedecus orbis! ô pudor omnium! ô culpa inexpiabilis principum & simplicitas populorum! Quid jam ad annum vigesimum tolerastis? Cur negligitis rem tanti ponderis, & quæ divina & humana, nisi ponatur remedium, debeat permiscere? Potens est ista divisio quandocumque venirent ad arma regna transferre, totum christianitatis corpus contendendo discerpere, cunctaque turbatione * funera pessumdare. Nolite pati gentilibus & Sarracenis, qui tanto de suo Mahumeto tenentur errore, semperque christianis infesti sunt, gregem dominicum esse ludibrio. Videtis Teucros, sic enim appellare libet potiusquam Turcos, postquam apud Teucriam dominantur, licet fama sit ipsos à monte Caucaso descendisse. Videtis, inquam, Teucros, ferocissimum genus hominum, quàm altè præsumant. Nolite quod tango negligere. Confidunt & credunt Christi nomen per universum orbem delere, esse quod dicunt in fatis suis, ut Italiam vastent, & usque ad civitatem Dinsam quam Romam interpretantur, venientes omnia ferro ignique consumant. Mirum in modum principes ipsorum gentes suas ad bella nutriunt: decem vel duodecim annorum pueros ad militiam rapiunt, venationibus & laboribus assuefaciunt, atque durant, ad currendum exsiliendumque cotidiana doctrina & experientia strenuos reddunt: cibis grossissimis paneque solido nigro, multisque permixto frugibus pascunt, quod delicatius comedunt, sudore venationis acquirunt. Denique taliter instituti sunt, quòd unica veste soloque

Locus corruptus.

1398.

* F. funesta.

A pane contenti vivant, mirum in modum patientes frigoris & caloris, imbres & nives & alias aëris furentis injurias, pileo tecti, nec non & nudo capite, cùm opus fuerit, sine querela suscipiunt. Lectus eis nuda tellus, & cùm vinum ignorent, radicibus herbarum plerumque vivunt. Quibus artibus instituti fortissimi corporibus ac agiles & strenui pro ludo & quiete militantes, arma suscipiunt: cunctarum necessitatum cibationis & victus, quæ ceteri nimis exhorrent, non patientes solummodo, sed fruentes. B Addunt præterea religionis suæ doctrinam, qua docentur mori pro Domino & lege sua non gloriosum solummodo viventium in oculis esse, sed fore gloriosissimum apud Deum, ad quem nulla certiore via possunt, nullaque compendiosiore redire. Non enim usque adeo barbari sunt, quòd Deum esse non credant, quòd aliam esse vitam & gloriam non arbitrentur: sed certum habent fore, quòd pugnantes pro Domino suo vel lege sua, perpetua recipiantur in gloria: quod tantò firmiùs credunt, quantò C simpliciùs & ineruditiùs vivunt. Tantæ verò sunt obedientiæ quòd nihil super valet cogitari. Arma quæ gravent ipsos spernunt, agilitates, multitudine & obedientia confidunt, qua semel, ut jussum fuerit, vel pedem referunt, vel in hostes impetum faciunt. Nunc dissipantur, ut victos credas, moxque conglobantur & coëunt, & redeuntes in aciem pugnam vel incipiunt vel restituunt. Nemo vafriùs eis struere novit insidias, metum fingere, & hostes suos variis dissimulationibus ludificari. D Credite mihi, genus hoc hominum, quorum cùm mores, vitam, & instituta percipio, fortissimorum Romanorum ritum consuetudinemque recordor, nisi Deus obviet, nisi vos & alii provideatis, ut expedit, majora faciet quàm putetis.

Nos autem christiani traditi luxui, & inertiæ, luxuriæ & gulæ intendimus, in cute curandâ plus æquo operata juventus, ut Satyricus ait; & quod esse super omnia pericula certum est, post duos homines, qui, si tollatur dignitatum E fulgor, nescio quales remansuri sint, dividimur & ambulamus, non solùm cum jactura rerum temporalium, quam lacrymabilem & avaritia, & nimia divitiarum admiratio facit, sed in rerum spiritualium confusione, de quibus corruptis moribus & nimium tepescente fervore fidei, nimius & abominabilis neglectus est. Nam si papam vel hinc vel inde legitimum non habemus, quod profectò fateri necessarium est, quis nescit ex vitiosa parte veros episcopos esse non posse? & per consequens veros deficere sacer- F dotes, veraque non habituros post aliquid temporis sacramenta, quos contigerit partem vitiosam esse secutos. Licet enim clericalis caracter sic semel transeat, quòd etiam per supervenientem hæresim non tollatur, quod adeo verum est, quod certum sit hereticos etiam publicè condemnatos vera conficere sacramenta: quæ tamen jurisdictionalia sunt, propter hæresim pereunt ipso jure, ut post mortem felicis recordationis Gregorii XI. nullus ex parte pontificis electi per vitium nanctus sit sacerdotii dignita-

tem, nec per illos sacerdotes haberi possint legitima sacramenta, utpote deficiente jurisdictione sacerdotia conferendi. Illi ergo qui fuerint obedientes non vero pontifici, quamvis simpliciter & conscientia non corrupta, si in aliquem inciderint ordinatum ab episcopis novis, adorantes hostiam & calicem, non Christi corpus & sanguinem, sed illam puram panis materiam atque vini cum aqua mixti, veluti quoddam idolum adorabunt. Et quid potest sceleratius, quidve magis abominabile cogitari? Quid Deo displicibilius esse potest? Quidque magis contrarium saluti, quam optare debemus, quamque non velle non possumus, animarum? Quid in hac societate mortalium perniciosius? Quidve quod magis debeat & possit hostes Christi in christianitatis exitium animare? Expectabimusne, donec ista contentio, proh dolor! accendatur in bellum, vel usquequo Teucrorum audacia, quam tam deflenda clade, me miserum! experti sumus, in christianos irruat & moveatur? Serum erit reconciliationem quærere cùm ad intestina vel externa fuerit arma perventum. Nolite, Christianorum principes, illum necessitatis articulum expectare: nimio nobis & toti christianitati pretio steterit iste neglectus. Et licet sperandum sit Deum suam Ecclesiam nullatenus relicturum, & pro integratione sponsæ suæ favores ejus nullo tempore defuturos, propensius tamen hæc spes habenda est, cum filialis Dei timor, & fidei zelus, non humanæ necessitatis metus rem tam sanctam, tam opportunam, tam honestam, tamque laudabilem inquirere persuadebit.

Nec desunt legitimi tramites quibus ad hoc valeat perveniri. Possunt equidem ambo pontifices, rerum statu & dignitatibus prælatorum intactis, sibi mutuo cedere, & alter alterum confirmando administrationem dividere, vel per obedientiam in qua nunc sunt, vel alia sectione, de qua facillimè possent esse concordes, instituendo quod nulli fiant, nisi forsan amborum pontificum accedente concordia, cardinales, & quod altero moriente, alter totum quem Deo placuerit esse superstitem administret. Hanc viam sæpenumero cogitans non ineptam, non incongruam, nonque sine exemplo Ecclesiæ primitivæ fore duxi, cùm post Petri martyrium & nativitatem, ex institutione fuerit: Linum tamen & Cletum episcopatum urbis Romæ administrare permisit, per quos etiam vivens Petrus plura fecit, quæ ad pontificatus dignitatem & officium pertinebant. Quamvis apud Eusebium loquentem de temporibus illis scriptum sit: Qua tempestate in Urbe Roma Clemens quoque post Paulum & Petrum pontificatum tenebat, ut illos episcopium istum, non pontificium eodem tempore tenuisse in urbe Roma manifestum sit, regente Jerosolymitanam Ecclesiam, quæ sedes cùm Antiochena totum regebat Orientem, Jacobo justo fratre Domini, cùm Antiochiæ primus præesset Evodius, cui legimus Ignatium successisse. Nec moveat aliquem pontificum ætas, ut ista conditio videatur esse deterior illi parti quæ longè

A seniorem pontificem habeat: quoniam sæpissime videmus decrepitum patrem filios juvenes sepelire, totusque vitæ nostræ cursus obnoxius morti fit. Filios omnes præmisit Priamus; & Fortunatus Augustus, sicut legimus, testamentum conficiens, inquit: Quoniam iniquâ fortunâ Gaium & Lucium filios mihi eripuit Tiberius Cæsar, mihi ex parte dimidia & sextante hæres esto. Videsne quàm acriter atque clarè gloriosus princeps de fortuna propter filiorum interitum conqueratur. Conquerebatur & Nestor

B fatorum ordinem apud Homerum, quandò corpus ardere filii videbat, miseram superesse lacrymans senectutem. Sed cùm hæc causa Dei sit, sperandum est illum fore superstitem, quem superesse melius est in oculis Dei.

Audivi tamen tres alias vias per universitatem Parisiensem maturè & prudentissimè designatas: unam videlicet compromissi, quam quidem impossibilem arbitror: quoniam impossibile sit verum invenire fidumque partibus æquis effectibus mediatorem, & quoniam hæc

C via mentes fidelium minimè declararet. Altera via videtur esse concilii, quam communiter omnes clamant. Sed sub quo congregabitur hoc universale concilium? Sub illo, vel altero, vel utroque? Non video quòd sub uno fieri possit: non video quod sub duobus facere, laudabilem exitum possit habere. Fac enim utramque partem cum suo pontifice convenisse, perstabit quilibet in suo proposito, & in summam venietur contentionem. Et licet judices præponerentur,

D non essent tamen extra corpora partium, inter quos vel esset pertinax, vel indeterminata contentio, vel credi posset hinc vel inde aliquid per collusionem & vitium de judicando concordia: sic quod facillimè posset error posterior deterior esse priore. Denique tempus adeo longum ad congregationem exigitur, quod interim millè modis posset concilii propositum impediri. Quis etiam inter Christicolas concilii locus dabitur, qui neutri partium sit suspectus, ut hanc viam certum sit nec aditum nec exitum habituram.

E Cavendum est præterea diligenter in hac causa ne dici possit vel quomodolibet suspicari aliquid extorqueri per vim, concedi muneribus, vel per gratiam impetrari. Quod utinam fiat clarum in oculis omnium, sicuti materia nostra requirit. Sic non sufficit quod ista non fiant: sed necessarium est quod habilitas ad illa deficiat & facultas: quod numquam esse poterit, si capiatur via concilii, vel eligatur formula compromissi. Usque adeo quidem corrupti sunt mores, & illa veræ sanctitatis integritas, quam de priscis le-

F gimus, evanuit: & adeo fervet avaritiæ rapacitas & affectio lucri, quod vix possint etiam privatorum judicia, vel publicarum rerum disceptationes hoc suspicionis scrupulo munda credi. Nimis enim verum est poeticum illud,

Munera crede mihi pacant hominesque deosque.

Placatur donis Jupiter ipse datis.

Et quid ego juvenculus cecini non opus est illi Digesto aut codice, pro quo

Gratia venalis, vel clam declamitet aurum.

Accedit ad hæc quod etiamsi vera claraque justitia redimatur; cum omnium cupiditas expleri non possit, quod qui nihil, vel minus assecuti sunt quàm sentiant vel credant ad alios esse delatum, murmurant, clamant, & detegentes vitium, nihil relinquunt suspicione vacuum vel sincerum. Cui & hoc calamitatis adjungitur, quod hæc etiamsi vera non sint, cunctis facillimè persuadentur. Et si quis affuerit, de quo non possit corruptionis esse suspicio, deceptum credunt ex simplicitate sua. Vix enim hæc integritas citra puritatis simplicitatem reperiri potest. Mox prædicant circumventum.

Relinquantur hæc igitur quæ carere suspicione non possunt, & tertia via quam veneranda congregatio Parisiensis Universitatis proposuit eligatur. Dicunt equidem, ut fama est, quod utriusque obedientiæ cardinales simul conveniant, & uterque pontificum, confirmato, ut arbitror, utroque collegio, renuncient juri suo: ita quòd per omnes qui titulum habent cardinales unicus pontifex eligatur. Hunc modum, hanc viam non humanam, sed divinam, sanctissimam, optimam, tutam, certam, sine scrupulo, & sine murmuratione commendo. Cui consilio, si fas est me de tanta materia loqui, & illud addiderim, quod hinc inde numerus cardinalium adæquetur, ne contingat in electione futura partium alteram esse suffragiis inæqualem. Nam tametsi duarum partium totius congregationis requiratur assensus, quæ pars tamen vocibus ditior erit, facilius prævalebit, ut & huic calumniæ bonum sit & quasi necessarium obviare.

Hanc viam, inclite Princeps, satis commendare non possum, nec credam ipsam sanctissimis & sapientissimis viris illis carnem & * spiritum suggessisse, sed Deum Patrem qui in cœlis est sine dubio revelasse. Hac equidem via nihil compendiosius, nihil justius, nihil sanctius, nihilque sincerius cogitari potest. Possunt enim cardinales quemcumque locum elegerint, tum citò, tum facilè convenire. Nec dubitem, usque adeo debet omnibus hæc displicuisse scissura, quod in unius electione pontificis Dominus eis subitam concordiam inspirabit. Quid autem justius esse potest, quàm schisma conceptum atque nutritum superbia dignitatum, humilitate renuntiationis extinguere, & unitatem in divisa sicut videmus Ecclesia renovare? Quid autem sanctius uterque pontifex & optare potest & facere, quàm pro reconglutinatione tam perniciosæ scissuræ, pro qua vitam exponere parum esset, resignare litigiosas has quas obtinent dignitates, quàm lucrari fratris animam, quam certum est illum qui jus non foveat, & pertinaciter inhæreat cum his quæ tenet, in statu gratiæ habere non posse, quam universum christianitatis corpus de divisionis tenebris ad lucem unitatis & concordiæ revocare. Cogitet uterque pontificum se non Petrum ad petram fundamentalem Ecclesiæ, sed petram scandali, dignam tamdiu reprobatione, quamdiu distulerint se præbere lapidem angularem, qui sicut in capite geminos parietes uniat & conjungat; quod fieri non potest nisi desinant esse quod sunt, immo quod esse credi cupiunt & volunt. Nunc lapides sunt in hac Ecclesiæ sectione: tunc erunt unum in Christo concordiæ & fidei unitate. Nam quamvis neuter ad id quod se prætendit habere redierit, causa tamen efficiens cum Deo erunt, ut lapis unus in angulo reponatur. Tanto profecto majores atque digniores reposito, quanto majus est & dignius efficiens quàm effectus. O quam gloriosum dicere, Ecclesiam suscepi divisam, & humilians memetipsum reddidi concordem, unanimem, & unitam. Volui potius esse de pusillis unus in unitate matris Ecclesiæ, quàm divisæ Princeps in illius culmine dignitatis. Est hoc profecto, ni fallor, adeo justum & sanctum, quod id non facere, sit diabolicum & iniquum.

* L. sanguinem.

Hortemini, requirite, urgete, & omnimodo conemini, quod ad hunc renunciationis actum & concordiam veniant. Qui se non permiserit exorari, quisquis ille fuerit, sit vobis schismaticus & intrusus. Verissimè judicavit Salomon illam non esse matrem, quæ patiebatur & eligebat filium dividi; matrem verò quæ volebat integrum filium alterius consignari. Sic & vos & universus orbis illum reputet verum sponsum, qui paratus fuerit in unitatem sponsam dimittere, non divisam & laceram retinere. Placet hæc via, gloriosissime Princeps, non mihi solum cui nullum est judicium, sed omnibus qui senserint, non tantum quoniam expeditissima, justa, & sancta sit; sed etiam quia sincera. Nulla quidem in hac re suspicio versari potest, nulla fraus intendi, nullaque corruptio fabricari. Quo te deprecor, inclite princeps, & alios omnes in quorum manibus orbis terrarum est, quique sicuti fama est apud *Franchfort*, & hujus & dirigendi imperii gratia convenistis, hoc schismatis negotium ante omnia prosequamini. Numquam enim dirigetis imperium, nisi prius ordinaveritis & papatum, à quo certum est imperium dependere. Nec vos rerum arduitas deterreat, difficultas fatiget, vel submoveat magnitudo, memores circa ardua, magna, laboriosaque semper esse virtutem; tantòque magis quodlibet esse meritorium, quantò difficiliùs fuerit majoribusque laboribus plenum. Hæc reconciliatio pacificum reddit imperium, spem conceptam auferet hostibus christiani nominis, cunctaque secundùm Dei placitum & consolationem hominum reformabit. Scio, magnificentissime Domine, me de me plusquàm deceat præsumsisse, quamvis fidelium omnium esse credo super hoc non desiderare solùm, sed clamare: quoniam ubi de salute cunctorum agitur, ignavum est, si non ab omnibus consulatur. Si cui tamen videbor os in cœlum audacius posuisse, consideret fidem, precor, consideret & zelum, quem me ad hanc unitatem habere facillimè judicare potest. Sciatque me, licet tot & tanta scribentem, pro zeli magnitudine nihil egisse, nec imponat fidei meæ sinceritatique defectum, sed si placuerit commendet affectum. Tu vero, Princeps optime, et si qui dignabuntur ista prælegere, suscipiatis hæc in bonam partem, obsecro, meque locutum

hæc sincerè, fideliter, & in divinæ majestatis filiali metu, quæ sic me inspirare voluit, judicate. Vale. Florentiæ XIII. calendas Septembris.

EFFECTUS PROPOSITIONIS FACTÆ per dominum abbatem S. Michaelis coram rege Aragoniæ, quando fuit missus ibi per regem pro facto unionis Ecclesiæ, ad inducendum regem prædictum ad viam cessionis amplectendam: quia aliam viam, scilicet discussionis & conformem viæ papæ elegerat, & super hoc regi scripserat, & nuncios miserat: super quo rex ad eum mittebat dictum dominum abbatem cum aliis.

Anno 1398. Ex ms. Gemmeticensi.

THEMA *Sint consummati in unum* Joh. XVII. de summa Trinitate, *damnamus*. Illos constat esse in unum consummatos, qui vinculo caritatis uniti in id conveniunt, &c. ad Phil. 2. Idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes ad ipsum sapientes. Et alibi multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Act. 4.

Per hanc unionem seu pacis & concordiæ procurationem inducitur stabilitas virtuosa, acquiritur fraternitas amorosa. De primo patet. Sicut cementum de pluribus lapidibus facit parietem stabilem, domum, vel civitatem: ita, &c. Et hæc connexio sive concordia necessaria est ad constructionem reipublicæ: quia quamdiu cives sunt uniti, durat civitas. Tractat Polycraticus l. 4. c. 8. & ponit Salustius lib. 2. quod Scipio quando exivit Roma, dixit, Dimitto vobis regnum stabile, si fueritis unanimes; si non, imbecille. De secundo patet in psalmo, *Ecce quam bonum*. III. q. 1. *nulli* Prov. 18. *Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit quam frater.*

Circa quod considero quòd hæc unio, sive connexio debet constare ex tribus: Ex populi uniformitate, ex animi unanimitate, ex prælati singularitate. De primo Isaiæ 27. *Congregamini unus & unus filii Israel.* Unde Augustinus libro de catechizandis rudibus sermone 1. ait: Fecit Deus unum de uno, & omnes de duobus. Si ergo facti sumus de uno omnes, conveniamus in unum. Hoc est quod commendavit generi humano, ut de uno faceret omnes, & ut omnes diligerent unitatem; & coleretur Deus uno & vero corde. Et alibi Augustinus sermone 2. de Pentecoste: Numquid Deus de una ave fecit ceteras aves? Numquid de uno pisce fecit omnes pisces, de uno equo omnes equos, &c? Numquid omnes plantas una terra producit & fœtibus multa complevit? Ventum est ad hominem faciendum, & factus est unus, & de uno genus humanum inchoatur. Ubi generi humano unitas commendatur. Et alibi, Quæ arbor? Nonne arbor non esset si una non esset? Quæ membra, si cujuslibet animantis ut viscera, & quidquid est eorum ex quibus constat? Certè si unitatis patiantur divortium, non erit animal. Amici nihil aliud quàm unum esse conantur, & quanto magis unum, tanto magis amici. Aug. l. 2. de ordine rerum.

De secundo, Ad Ephes. 4. de summa Trinitate, *Damnamus*. Decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, & ut sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti.

De tertio manifestum est debere esse unicum prælatum vicarium JESU-CHRISTI, &c. quod posset declarari auctoritatibus, rationibus & figuris: sed quia rem puto notissimam, prætermitto.

Sed proh dolor! occasione hujus schismatis, « ut loquitur Johannes Salisberiensis, dividitur « unitas, integritas scinditur, sinceritas corrum« pitur, maculatur & sanctitas. Ut hæc & alia inconvenientia scribit lib. 8. cap. 23. Fides namque per hoc inficitur orthodoxa, graves dissensiones & odia hinc inde propter hoc seminata, rerum & corporum, utinam non animarum pericula gravia ex hoc fidei christianæ cultoribus imminere noscuntur, & graviora provenire, nisi provideatur celeriter, formidantur, prout etiam in epistola bonæ memoriæ regis prædecessoris vestri Universitati Parisiensi missa continetur. Ex hoc enim hujus corporis mystici difformitas, membrorum à capite separatio, capitis nostri læsio, omnium à pastore exorbitatio. Per hoc insuper Deus offenditur, proximus scandalizatur, lex contemnitur, veritas occultatur, error introducitur, & plura alia mala quæ longum esset enarrare provenire dignoscuntur.

Hæc attendens Dominus noster rex toto conamine, ceteris postpositis, optavit & optat, & procurat, ut juxta verba thematis omnes fideles sint consummati in unum; & maximè Vos & Ipse, primò propter Deum & rationes supradictas & dicendas. Secundò propter confœderationes & amicitias speciales dudum initas cum prædecessoribus vestris & suis, diu observatas, & etiam per Dei gratiam observandas.

Nec mirum si rex prædicta desiderat, quoniam ad hoc non solùm ipse ut rex, sed & omnes christiani tenentur ad hoc, ut infra satis ostendetur.

Sic conformiter recolendæ memoriæ dominus rex prædecessor vester, hunc zelum habuit, regem etiam requisivit tempore CLEMENTIS & domini BENEDICTI, quod in hujus negotii prosecutione apponeret vices suas. Super hoc etiam universitatem Parisiensem tertiò per litteras excitavit ad laborandum erga reges & principes, offerens se paratum ad omnia, &c.

Sic reges Romanorum, Angliæ, Ungariæ, duces Bavariæ & Austriæ, pluresque principes Almanniæ, dictum regem requisierunt: aliquibus eorum deprecantibus ipsum, ut aliquam viam bonam ad schismatis sedationem inveniret, eisque significare dignaretur.

Insuper & ille de Roma de hoc eum exhortatus est per litteras & ambassiatores, promittens etiam circa bonum unionis intendere, nihil de contingentibus omittendo.

Nec omittendum qualiter universitas Parisiensis zelum ad materiam habuit ferventissimum, & apud eum pluries & frequenter precibus & exhortationibus institit.

Rex igitur obligatus & pulsatus, ut præfertur, tempore domini CLEMENTIS magistris dictæ Universitatis injunxit, ut de bona via sive viis curarent avisare, sicut fecerunt, dicto regi notificantes illas vias. Et statim cum domino CLEMENTE tractari fecit dominus rex de viis prædictis taliter, quod sperabatur negotium habere bonum finem per viam cessionis, nisi mors domini CLEMENTIS supervenisset, &c. Et ab illo tunc disponebat rex in illa via, seu per illam viam laborare ad unionem procurandam.

Dominus BENEDICTUS etiam post creationem suam bis misit ad regem, exponens affectum quem habebat ad unionem, deprecando regem & dominos de duobus, 1. quòd laborarent de ista re. 2. quòd rex mitteret ad eum viros notabiles, instructos de viis bonis & utilibus per eum avisatis & avisandis, asserens se non recusare aliquam viam bonam, sed eam sequeretur & prosequeretur pro posse, dicens se habere notitiam de bona affectione regis & dominorum.

Ex quo patet quòd rex fecit id quod fecit pulsatus & requisitus, & ad instantiam domini BENEDICTI, & ex zelo quem habuit & habet ad unionem Ecclesiæ.

Rex igitur sic requisitus per multos & per papam, quærens super his consilium, mandavit pro prælatis, doctoribus religiosis, decanis Ecclesiarum. Et fuerunt centum viginti & plus, qui juraverunt dare fidele consilium.

Omnes isti discussis aliis viis, &c. condescenderunt in viam cessionis, eam reputantes meliorem, breviorem, &c. tamen cum bona prattica sua: immo non reputabant aliam viam quamcumque ad plenam schismatis extirpationem sufficere. Ideo eam regi præsentarunt, & consuluerunt esse tenendam, ac domino nostro papæ consulendam, ut ipse eam acceptaret, si adversarius ad eam condescendere vellet.

Idem fecit Universitas Parisiensis, & eamdem viam regi consuluit.

In eadem opinione fuerunt consiliarii regis.

Ex quibus patet quòd rex non fecit hoc proprio capite sine consilio & deliberatione matura, sed habita tali deliberatione, rex misit ad papam non hos vel illos, sed dominos patruos & fratrem: quibus injunxit quòd antequam aperirent aliquam viam papæ, sibi supplicarent, quòd viam quam dicebatur avisasse, sicut regi nuper dixerat, dignaretur aperire, offerendo auxilium regis ad eam prosequendam, si bona videretur. Et sic domini prædicti etiam fecerunt.

Papa ergo viam aperuit, scilicet conventionis cum adversario sub protectione & gardia regis Franciæ, ad tractandum, &c.

Et quia domini habito consilio dictam viam conventionis reputaverunt non esse acceptandam propter rationes infra dicendas, & alias: & considerantes quod viam cessionis prosequi

A debebant, aliquando simul, aliquando particulariter, pluribus diebus & vicibus, aliquando in præsentia cardinalium, pro dicta via supplicarunt, pro Dei reverentia, pro scandalis vitandis, pro contemplatione regis, &c.

Et domini cardinales omnes, uno excepto, habita deliberatione, in eamdem viam convenerunt de ea amplectenda, sibi supplicantes flexis genibus, aliquando præsentibus dominis, aliquando in absentia, aliquando omnes simul tam cardinales quàm domini supplicarunt.

B Et notandum quòd non supplicabatur pro via cessionis, nisi in casu quo adversarius id vellet. Et etiam fulciebatur via per rationes, & aliæ etiam impugnabantur per rationes, & propter inconvenientia quæ inde sequerentur. Offerebatur etiam quòd via cessionis per magistros & clericos adhuc examinaretur. Offerebatur etiam quòd si via sibi placeret, secum avisaretur de modo pratticandi, in quo adhuc rex juvaret, &c. Et sic domini fecerunt supplicationem suam bene circumstantiatam, nec C præcipitaverunt papam, sed per sex hebdomadas expectarunt.

Ipse verò noluit declarare mentem suam, nec in communi, nec ad partem, nec cardinalibus, nec dominis, quod aliquando caperet istam viam etiamsi adversarius conveniret in hanc viam: quia alias non petebatur quod eligeret viam cessionis; sed pro responso finali dedit bullam cunctis fidelibus publicatam: per quam recusans viam cessionis, viam conventionis D offerebat.

Videntes igitur domini quòd pro tunc nihil possent amplius proficere, recesserunt, omnia regi referentes.

Rex igitur attendens qualiter ad procurandam unionem obligatur, sic alias, ut scriptum est, requisitus, attendens pericula quæ ex schismate proveniunt, sciens per se solùm non posse finem habere, qui nec etiam hoc intendebat, super hac materia misit apud reges Romanorum, Castellæ, Aragonum, Ungariæ, Angliæ, E Scotiæ, & Navarræ, & duces Bavariæ & Austriæ, electores imperii, & aliquos alios, eos exhortando super via supradicta cessionis.

Et inter alios reges Castellæ, Angliæ, Scotiæ, Ungariæ, & Navarræ, necnon duces præfati, in hanc viam cessionis condescenderunt.

Rex verò Romanorum regi rescripsit, quòd super hoc deliberationem haberet cum electoribus & dominis Almanniæ, & suam deliberationem aliàs regi notificaret, paratus semper ad unionem laborare.

F Et probabiliter creditur quod se determinabit ad hanc viam; & sunt concordes rex & ipse de conveniendo simul in unum locum ad avisandum super dicto negotio.

Rex etiam vester prædecessor, licet non se determinaverit ad hanc viam; tamen ambaxiatoribus regis alias respondit, quod dicta via sibi convenientior & brevior videbatur, promittens quod eam consuleret papæ: subjungens etiam quod si crederet pacem posse haberi per dimissionem regni sui, illud dimitteret.

Insuper

Insuper illustris regina conjunx vestra post obitum præfati regis de consilio comitatum regni vestri scripsit regi Castellæ, quod sese conformaret viæ cessionis & prosecutioni ejusdem.

Novissimè verò dominus noster rex continuando suum propositum, & cum ipso reges Castellæ & Angliæ unanimi consensu miserunt ambaxiatores ad dominum nostrum & illum de Roma pro hac via cessionis.

Et quia ipsi dederunt responsionem dilatoriam, ideo dicti ambaxiatores, sicut eis injunctum fuerat, summaverunt dominum nostrum, quatenus una pro omnibus dilationibus placeat infra purificationem proximè venturam sic facere, quòd habeatur plena pax, & unus indubitatus papa, quomodocumque hoc fiat: Intimantes quòd si hoc factum non fuerit, reges præfati habent certam & firmam intentionem procurandi omnes vias & modos possibiles, quibus omnino schisma valeat extirpari, unio haberi. Et idem omnino dicti ambaxiatores regis Franciæ & Castellæ dixerunt illi de Roma.

Sciendum est quòd circa tempus dictæ ambaxiatæ, episcopus Abulensis ex parte papæ certam viam cum prattica ad discussionem juris contendentium de papatu tendentem præsentavit: sed rex habitò consilio consideravit quòd eam prosequi non debebat, nec à via cessionis debebat recedere: quæ ita maturè fuerant deliberata, & jam diu prosecuta.

Vestri etiam ambaxiatores quamdam viam omnino similem, vel eamdem cum dicta via obtulerunt seu præsentaverunt domino nostro regi, exhortantes eum quatenus, &c.

Sed rex habito consilio respondit.

Pro cujus justificatione, ne videatur rex voluntate moveri, ponam quatuor quæstiones satis notas.

Prima quæstio, quòd cuncti fideles tenentur pro suis viribus ad Ecclesiæ sic laceratæ, ut præfertur, reparationem, moderni schismatis extirpationem, & Ecclesiæ unionem laborare.

Secunda quæstio, quòd in prosecutione unionis non est amplius insistendum circa verba vaga, generalia, & incerta, attentis negotii circumstantiis, sed est condescendendum ad certam viam & determinatam per quam possit plena unio quoad omnes obtineri. Patet propter inconvenientia quæ occurrunt, in dilatione sive mora. Ideo celeriter occurrendum. Ad hoc etiam possunt multa induci quæ colligi possunt in alio facto coram rege Angliæ. *

Ad hoc maximè astringuntur papa & cardinales propter juramentum quod præstiterunt in conclavi.

* Extat in Historia Universit. Paris.

Constat autem quòd insistere circa generalia non est nisi protrahere schisma, & ponere in periculo radicationis propter multos casus qui possunt evenire: ideo jura reprobant verba generalia.

Ex quo sequitur non sufficere si dicatur pro responso, prosequar unionem per omnes vias accommodas & utiles, quia videtur ficta excusatio, & vel spinosum impedimentum; quia talis responsio magis decipit quàm pura negatio: quia videtur prima facie pluribus satisfacere, & sic reddit tepidiores in prosecutione unionis; & tamen nihil est in effectu: absoluta verò negatio incitaret homines ad quærendum remedium.

Ex hoc etiam sequitur quod domini duces primò ad papam missi non debuerunt contentari de via conventionis oblata per papam; quia non erat via, sed quoddam præparatorium ad viam inveniendam.

Et quia verisimiliter contigisset quod post multas expensas & impedimenta negotiorum regalium finaliter partes non concordassent de via; saltem non erat imaginandum quòd dominus noster papa viam cessionis acceptasset, attenta responsione quam dederat: & quia si de sua voluntate fuisset illa via, ipse eam aperuisset dominis prædictis publicè vel occultè, attentis his quæ regi significaverat, de quo supra in facti narratione.

Item si sine fructu partes discessissent, fuisset occasio manifesta majoris schismatis, immo diffidentiæ unionis umquam habendæ.

Et ideo domini non acceptarunt istam viam; & quia etiam volebat papa quod totum fieret sub protectione regis Franciæ, quod numquam accordasset adversarius, ut potest satis credi de certo: & quia etiam papa per hoc tendebat ad viam discussionis, ut patet ex responsione data per bullam. Hæc autem via nullatenus erat admittenda, ut infra dicetur. Et quia etiam stabat in verbis generalibus quòd aperiret vias utiles: & quia etiam non præfigebat certum terminum infra quem se faceret fortem de via habenda, vel pace habita.

Tertia quæstio est, quòd quælibet via discussionis juris partium est in sui aggressu difficilis, in progressu prolixa, plena periculis, & damnis corporum & animarum irreparabilibus, in sui exitu dubia, incerta, scandalosa, seminaria rixarum, odiorum, & jurgiorum, schismatis & conscientiarum minime sedativa, inutilis & infructuosa, possetque in posterum exemplo esse perniciosa.

Patet quæstio quoad duas primas partes de aggressu & progressu. Esset enim difficultas circa electionem arbitrorum, & quilibet caperet sibi affectionatos, & per consequens alteri suspectos.

Item, circa locum ubi convenirent, & sub cujus dominio seu protectione, & de habendo ibidem testes & alias personas necessarias pro discussione tantæ materiæ.

Item, quis examinaret testes, maximè senes & valetudinarios, cujus expensis, & ubi? maximè ex quo arbitri essent inclusi, ut ponit dominus noster in prattica viæ quam aperuit regi, nec possent exire.

Item, quomodo provideretur quòd non admitterentur testes criminosi, & alias de jure repellendi?

Item, quia omnes sunt suspecti alteri parti, & è contrario quia foverunt causam alterius: immo quasi se partem constituerunt propter

quod etiam scriptura notariorum suspecta redditur unius ad alterum.

Item, quia nullus est in mundo saltem notabilis, quin ibi habeat interesse, ne ipse vel sua patria reputetur fuisse schismatica.

Item, testes præsentes in facto electionis jam à viginti annis citra, si vivant, sunt ubique dispersi, nec de facili haberentur.

Item, numquid notarii & testes de facili possent corrumpi?

Item, facta ab utraque parte producuntur contraria, & sic visibiliter attentis affectione & similibus, provocationes essent contrariæ, quas impossibile esset forsan concordare.

Videmus etiam quod in modicis lites durant multis annis.

Item, quomodo prævidetur periculis quæ quotidie eveniunt, & ex tam diuturna dilatione evenirent?

Et hoc pendente etiam multa possent evenire, quæ essent causa peremtionis totius negotii, & radicationis schismatis, & talibus est obviandum.

Ex istis patet quod per viam discussionis non tollitur uni parti contra aliam materia ambitionis, fraudis, &c. sicut vult dicere dominus noster in via conventionis quam tradidit.

Sed patet quæstio quoad aliam partem, quòd sit ista via in exitu dubia.

Ad cujus evidentiam noto primò quod papa non ab homine, sed à Christo originaliter & immediatè potestatem habet, & præeminentiam super totam Ecclesiam, licet ministerio cardinalium, &c. *Vide residuum quod sequitur supra in propositione facta coram rege Angliæ.*

2. Noto quòd Ecclesiæ reparatio debet esse omnino extirpativa schismatis & radicitus amputativa omnis dubitationis. Debet etiam esse generalis & plenaria, *vide ubi supra.*

3. Noto quòd moderni schismatis quatuor sunt partes, *vide ubi supra.*

4. Noto quòd sententia in hac materia lata esset declaratoria, &c. *vide ubi supra.*

5. Noto quòd assumti ad cognoscendum de causa non essent facti impeccabiles, *vide ibidem.*

Propter quæ & alia efficaciora non est visum regi quòd acceptabiles sint viæ papæ, quarum unam obtulit dominis ducibus in Avenione, & aliam Parisius per episcopum Abulensem, de quo supra dictum est, quia quælibet tendit ad discussionem. Et sic patet ex prædictis quod non est sufficienter provisum periculis & inconvenientibus per pratticam quam ponit papa in dicta via.

Et ultra prædicta adhuc ostenditur quod dicta prattica non est admissibilis, primò propter defectum consensus & libertatis.

Item, hîc interveniret pactio & conventio, quæ debet in materia electionis papæ omnino cessare.

Item, ex hoc artantur arbitri ad nominandum alterum, & sic fortè talem qui eis non videbitur utilis Ecclesiæ, & sic contra conscientiam. Et tamen est bonus modus reparandi Ecclesiæ divisionem per aliam viam, scilicet cessionis, ut infra dicitur.

Item, ex hoc quod quælibet partium tenderet eligi, de ambitione notaretur, & sic repellendus.

Et si rationes prædictæ non concluderent, tamen redderent multos fortè titubantes & dubios aut perplexos.

Item, dominus noster papa nimis tardavit dictam pratticam aperire, ferè jam lapso biennio? postquam domini duces eum adiverunt, & postquam multi reges & domini, ut dictum est, ad viam cessionis se determinaverunt, & adeo in hujus viæ prosecutione est processum; quod sine scandalo & manifesto periculo non potest retrocedi.

Et jam multi possent obloqui contra papam, quòd ad impediendam viam cessionis, & prosecutionem jam incœptam, hanc pratticam obtulit de præsenti.

Per prædicta etiam potest difficultari via concilii generalis, & ex illis quæ scripsit dominus Ebredunensis contra viam concilii generalis.

Et dominus cardinalis S. Eustachii in scriptis suis super hac materia ad dominum archiepiscopum Toletanum, scribit quod fuit in principio conclusum per dominos cardinales, quòd illa via non erat bona, quia perniciosa & difficilis, immò attento statu orbis impossibilis, à fortiori ratione nunc non convenit propter obstinationem ab utraque parte, tum aliis causis & rationibus, quæ pro tunc locum habebant & habent.

Et per hoc reprobatur eodem modo illud de quo papa in dicta prattica loquitur; quia cum illis arbitris essent ibi aliqui pro omnibus principibus & prælatis, &c; quia difficile esset & quasi impossibile.

Præmissa inconvenientia cessant in via cessionis.

Sunt etiam ad hoc propositum multa dicenda, quæ colligi possunt ex multis scriptis tractatibus.

Quarta quæstio, quòd via cessionis utriusque contendentium est bona, licita, canonica quoad effectum specialem & generalem præsentis schismatis, & etiam quoad singulas personas, tollendum & abolendum.

COPIA CONSULTATIONIS & litteræ quibus dominus Rupertus dux Heydelbergensis informavit dominum Wenceslaum regem Bohemiæ qualiter se deberet habere & respondere in dieta ordinata ab ipso & domino rege Franciæ, & quomodo nullo modo deberet, nec posset declinare ab obedientia domini Bonifacii papæ nostri.

Serenissime Princeps, ex quo placet majestati vestræ, quod dicatur illud quod videtur mihi super quibusdam punctis quæ narravit mihi dominus frater Nicolaus episcopus ex parte majestatis ejusdem, dicatur & in scriptis ponatur; sed cum tremore propter imbecilli- Anno 1398. *Ex ms. Gemmeticensi.*

tatem ingenii seu intellectus mei. Unde primò supplicatur & petitur quod non attendatur ad ignorantiam, sed ad fidelitatem: quia licet fortè imprudenter, fideliter tamen loquatur. Et primò ante omnia videtur quòd si majestas vestra facere potest cum honore suo, quod non conveniat cum rege Francorum ad loquendum seu quascumque ligas faciendas, sed omnino declinet & vitet illud parlamentum. Et rationes me moventes sunt istæ.

Primò quia fama ibit per mundum de illo vestro colloquio, & exinde magnificabitur rex Franciæ: quia dicet mundus: Ecce quàm magnus est dominus rex Franciæ: locutus est aliàs cum rege Angliæ, & traxit eum ad se, & ad suum propositum, loquens & modo cum rege Romanorum, & pariformiter induxit eum ad suam voluntatem, & ejus beneplacitum: Et hoc erit coram communi vulgo, quod ille erit magnificatus, & majestas vestra diminuta in honore.

Secundò, quia coram prudentibus & ecclesiasticis viris generabitur suspicio, quia majestas vestra velit cum dicto rege in omnibus concordare, tam in factis ecclesiæ quàm in aliis; & sic provocabitur ecclesia & dominus noster papa ad non confidendum de vobis in negotiis suis; & si aliquid petatis ab eis gratiosum, non erunt ita proni ad exaudiendum, licet etiam absque hoc talis unio sit contra honorem vestrum & statum.

Tertia ratio est, quia certum est quòd Francigenæ non quærunt vobiscum loqui aut uniri propter bonum vestrum, sed propter suum; & venient in Turona cum multis litteratis viris & sapientibus, qui omnes conabuntur vos decipere, si poterint, in augmentando honorem regis sui, & diminuendo vestrum quantum possibile erit eis: & non videtur quòd de præsenti majestas vestra sit sociata de multis sapientibus & litteratis viris: de quo sequuntur duo mala. Et primum erit quod ipsi tamquam superbi despicient & contemnent statum majestatis vestræ; secundum quòd ipsi apponent majorem conatum ad decipiendum vos non videndo vobiscum homines qui possint resistere eorum maliciis. Hæ rationes movent ad illud, quod supra dictum est, semper sub correctione majestatis jam dictæ, si loquatur ignoranter.

Quod si omnino fieri non potest cum honore majestatis vestræ quin conveniatis cum eo, hic oportet multipliciter providere. Et primò videtur quod majestas vestra omnino procuraret habere secum plures litteratos & sapientes viros quàm nunc habeat; etiamsi propter hoc deberet differri vel prolongari per aliquod tempus terminus vel dies collocutionis: qui tales viri facient majestati vestræ honorem, & insidiantibus seu insidiari volentibus incutient timorem.

Secundò videtur quod in facto renovationis ligæ factæ per parentes seu avos vestros & suos, debeatis aperire oculos, & ire cum pede plumbeo: Et potestis eis dicere, quòd nunc sunt alia tempora, & aliæ conditiones quàm fuerunt tempore quo fuerunt factæ dictæ ligæ; & multa poterant ibi promittere quæ forsitan hodie fieri non possent. Et ideo dicatis vos velle super istis deliberare maturè & avisare cum consilio tam regni Romanorum, quàm regni Bohemiæ. Ipsi enim nihil aliud quærunt nisi vos rehabere ad se, sive cum bono sive cum malo vestro, quod absit, per viam ligæ, vel quamcumque aliam. Unde vobis debetis cavere à principio, & bene videtur quò vos velint ducere. Timetur enim quod ipsi quærunt vos uno modo & alio supplantare: nec hoc est novum, quia à tempore atavi vestri HENRICI imperatoris semper quæsierunt trahere ad se imperium: & nunc in principio istius schismatis, quia cardinales ibi fecerunt antipapam in territorio comitis Fundorum, ipsi miserunt prius ad regem Franciæ patrem istius qui nunc est, dicentes quod si placebat sibi ex quo non habebat uxorem, ipsi volebant eum eligere in papam. Et tunc ipse existens papa, potuisset facere filium imperatorem, & transferre imperium de Alemannia in Franciam: quod & factum fuisset, nisi quia rex ita læsus erat in brachio sinistro quod nullo modo potuisset celebrare. Verùm si vultis in paucis verbis potestis eis imponere silentium, quod non audeant amplius loqui de ista materia. Potestis enim dicere: Qualem ligam possum habere vobiscum, qui quotidie amplius facitis & innovatis injurias reales & notorias mihi & regno meo Romano? Primò enim dux Andegavensis intravit territoria mea quæ sunt in Italia, & tamquam dominus fecit fieri monetam novam in eis, & plures actus ostendit, volens usurpare imperiale dominium. Nam ut fuit mihi inde nunciatum & scriptum, ipse portabat secum vexillum imperiale, ut si prosperaretur tempore suo erigeret illud. Secundò dominus de Chusi veniens de Francia cum magno exercitu armatorum cepit civitatem unam meam & regni mei in Tuscia, quæ vocatur Aretina, & primo exspoliavit eam, & tandem vendidit eam Florentinis, & accepit ab eis magnam summam pecuniæ de re mea, cum nec ille potuerit vendere, nec illi emere terram immediatè pertinentem ad coronam imperii, & ego semper tacui. Tertio modo dictus dominus de Chusi primo modo cepit Saonam civitatem imperii, & tenuit longo tempore, licet postea dimiserit. Secundò ipse rex Franciæ non potest negare quin acceperit & teneat de præsenti dominium in nobili civitate imperiali, quæ vocatur Janua: quæ civitas habet multa dominia ultra & citra mare: ita quòd reputatur quasi unum regnum: unde cùm factæ sint & fiant quotidie mihi & regno Romanorum inimicitiæ tam notabiles & reales, non video quòd possim habere bonam ligam vobiscum, nisi prius satisfiat mihi de prædictis, ita quòd merito sim contentus. Nec obstat si dicatur quod plures domini in Italia tenent etiam terras meas & regni: quia saltem illi recognoscunt eas à me, & etiam serviunt in multis imperio & favent, & confitentur se vicarios meos. Vos domini de Francia nulla consideratione habita de juribus meis & regni mei, facitis vos dominos rerum alienarum, contemto

„ i lo qui est dominus naturalis. Et si vult vestra „ majestas, addere potest: Ego volo quod sciatis „ vos & totus mundus, quòd ego non intendo „ amplius negligere jura imperii, sicut hucusque „ feci. Et si aliquando ostendi me parvulum, ego „ intendo à modo me ostendere virum.

Ultimò circa materiam Ecclesiæ seu unionis ejus, & remotionis schismatis, quædam concepi pro majestate vestra conservanda cum honore, & ut habeatis quid respondere Francigenis quando loquentur vobis de ista materia. Primò namque ipsi petent quod velitis esse unà cum eis ad removendum schisma & inducendum unionem totius ecclesiæ. Hic potest vestra majestas respondere, quòd nec pater vester, nec vos fecistis aut induxistis aliquod schisma in Ecclesia Dei; immo adhæsistis summo pontifici, quem vobis demonstraverunt cardinales illi qui elegerant eum per litteras propria manu scriptas, & per nuncios fidelissimos missos à dictis cardinalibus: inter quos fuerunt aliqui qui erant propinqui consanguinei aliquorum ex ipsis cardinalibus. Nec potest dici quòd litteræ illæ fuerunt ex timore scriptæ, quia in eisdem litteris in quibus scribebant eum verum esse summum pontificem, scripserunt etiam felicis memoriæ domino genitori vestro, quòd dictus pontifex non intendebat vos, Domine mi, qui tunc eras electus rex Romanorum aliquo modo confirmare, licet dicerent mendacium, ut apparuit postea per effectum: sed ad scribendum illud mendacium nullo modo est verisimile quòd papa coegerit eos: immo si scivisset illam litteram lacerari fecisset, quia erat sibi & ecclesiæ scandalosa; & sic determinatum fuit in parliamento facto in Frankevordia in præsentia Majestatis vestræ & domini Pilei cardinalis tunc in partibus istis legati, præsente Parisiensi episcopo, qui erat pro alia parte. Isti ergo pontifici semper adhæsistis, & ab ipso numquam discessistis, & sic nullatenus culpam potestis habere in schismate: sed illi qui fuerunt causa schismatis, illi debent removere malum quod fecerunt. Nec est aliqua via melior ad removendum schisma sine strepitu & injuria cujuscumque, nisi quòd illi qui schisma induxerunt, redeundo ad viam veritatis, removeant malum quod perpetraverunt. Sic enim vult prima regula juris canonici, quòd omnino res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvatur. Nec possunt prætendere aliquam justitiam seu propositum justitiæ in se fuisse illi qui hoc fecerunt, quia notorium est toti mundo, quòd illum qui erat in possessione pacifica vel quasi propria auctoritate immo temeritate à possessione turbaverunt, & in parte ipsum totaliter expulerunt. Quo facto, faciunt quæstionem de propietate antequam aliqua restitutio facta sit exspoliato, contra omnia jura tam canonica quàm civilia. Unde potest vestra Majestas concludere quod circa istam materiam per vos non potest aliquid agi juridicè, nisi ipsi prius destruant quod egerunt, & injuriam removeant quam fecerunt. Ad quod non oportet quòd vos eos juvetis, quia possunt facere per seipsos, nec vos debetis involvi in peccatis eorum.

A Quod si tetigerint vobis vias quas cogitaverunt, & singulariter viam cessionis utriusque partis, per quam cessionem ut ipsi scribunt vestræ majestati, cooperietur honor tam piæ memoriæ vestri genitoris quàm patris dicti regis Franciæ; potestis eis respondere, quòd memoria patris vestri per Dei gratiam fuit & est tam plena virtutibus, tam in vita quàm in morte, quòd non indiget cooperiri aliquo ficto vel quæsito colore. Et si posito & non concesso quòd memoria felicis recordationis dicti do- B mini vestri genitoris ex aliquo facto in virtute commendari debet, non tamen ex isto laudari & extolli posset, quia ex renunciatione summi pontificis Romanorum sibi & suis verecundia succresceret, cui tanto tempore obedivistis, & tunc renunciandum ipsum cogeret. Ex renunciatione etiam antipapæ verecundia non tolleretur ex toto, cùm & qui renunciat juri suo videatur aliquod jus habere: si cogeretur renunciare, ostenderet quòd aliquod jus haberet; & sic ad lapidem quem velletis evitare, impin- C gere cogeremini. Undique ergo malum, utrimque confusio; ideo illa via nullo modo est acceptanda. Si autem memoria patris vestri ac regis vestri indiget cooperiri, hoc non debet fieri cum injuria Ecclesiæ nec majestatis vestræ, quæ est principalis & unicus defensor Ecclesiæ, per quam estis in imperio confirmatus: nec est justum, quod ipsi postquam erraverunt, petant quod participetur de errore ipsorum, ut sicut ipsi rebellaverunt, sic & vos faciant vos rebellare, denegando obedientiam illi cujus estis filius D primogenitus; potissimè quia posset redire hoc malum, quod absit, in caput vestrum. Nam possent subditi vestri dicere: Tu non vis obe- « dire illi qui te confirmavit in regem; & nos non « intendimus etiam tibi obedire, neque tenemur, « quia nondum es rex. Si autem tu es verè con- « firmatus, & denegas obedientiam confirmanti; « justum est & rationabile quòd nos etiam tibi « denegemus. Unde potestis concludere quòd « nullo modo intenditis ad tale inconveniens devenire. Licet intendatis omnino cum effectu E efficaciter laborare ad removendum schisma, & unionem Ecclesiæ inducendam, per vias licitas & honestas in virtute justitiæ regulatas. Regula vero justitiæ sive divinæ sive humanæ non habet, quòd debent fieri mala ut eveniant bona, aut quòd debent fieri injuriæ alicui, ut justitia sequatur. Sed bene hoc habet, quòd non fiat aliqua lex sive aliquod judicium, de quo posset egredi aliquod magnum inconveniens. Nunc verò per talem coactionem, præter peccata quæ F fierent, & injurias quæ inde procederent, necnon & sententias juris quas incurrerent, qui coactioni illi operam darent, sequeretur hoc maximum inconveniens, quòd nullus papa securus esset de suo papatu, & oporteret quemlibet esse servum cardinalium. Nam si cardinales concordarent ad invicem, possent sibi rebellare, & alium facere, & postea pro bono pacis dicere, quòd uterque renunciaret ad removendum illum de papatu. Cujus oppositum semper tenuit sancta mater ecclesia & ca-

tholicus populus Christianus, sicut patuit in Marcellino papa, qui postquam tam timore quàm avaritia ad instantiam Diocletiani sacrificasset incensum idolis, & de hoc seipsum accusaret in concilio coram prælatis, clericis, & etiam laïcis, & peteret quòd facerent de ipso justitiam & judicium, omnes responderunt una voce dicentes: Tu teipsum judica: quia judicem non habes in terris. Judex tuus in cælo est. Nos hoc judicium non debemus facere, nec audemus. Si ergo papa propter idololatriam, quæ est maximum peccatorum, non potuit judicari in terris: quantò minus debet judicari iste à nobis, quod Francigenæ fingunt mendaciter quòd non est papa? Et quod pejus est, ipsi qui fecerunt hoc malum volunt transire impunes & sine nota erroris, & papa debet puniri de peccato quod ipsi fecerunt, & ad hoc volunt trahere alios innocentes, ut involvantur in rebellione ipsorum, ut non sint ipsi soli vocati schismatici. Putatur quòd pueri possent intelligere istam deceptionem & fraudem. Et vos, metuendissime Domine, attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, ne decipiamini, ne circumveniamini.

Postremò quia dominus episcopus loquutus est de quadam gratia decimarum, quam libenter haberetis a Domino nostro papa, reduco ad memoriam Majestatis vestræ, quod nulla melior via est ad habendam gratiam supradictam, quàm quod modo in isto actu collocutionis vos viriliter & virtuose geratis: ita quòd papa sentiat vestram virtutem.

CONSULTATIO DE RECUSANDA OBEDIENTIA PETRO DE LUNA.

Circa annum 1399. *Ex ms. Gemmeticensi.*

Circa materiam restituendæ obedientiæ Domino BENEDICTO vel non restituendæ præsupponenda sunt plura quæ sunt facti.

Et primò de natura schismatis nunc vigentis, & quòd quælibet pars est obstinata sine spe reductionis, licet multum & per plures annos sit tentatum, & sine spe alicujus definitionis vel declarationis juris alterutrius; quia non est judex, & facta contraria, & testes & instrumenta suspecta, & opiniones variæ & diversæ firmatæ ab utraque parte jam à XXII. annis & ultra.

Item, præsupponenda est bonitas & expedientia viæ cessionis, & si opus sit, potest declarari per rationes contentas in epistola universitatis Parisiensis super hoc confecta & alias.

Item, quòd BENEDICTUS viam cessionis ante papatum commendabat Parisius & in curia etiam papæ CLEMENTIS, ac domino Burgundiæ & aliis dominis cardinalibus: immo voluit de curia recedere, & ire Arragoniam malè contentus de hoc quod CLEMENS non acceptabat illam viam.

Item, quòd post aliquos tractatus inter dominos cardinales de periculis schismatis semper viam cessionis approbantes, & specialiter B. composuerunt cedulam, cujus contenta omnes & singuli juraverunt, & subscripserunt, cujus tenor supra scribitur in hoc libro.

Item, quòd domini cardinales sperantes de BENEDICTO quòd dictam viam sequeretur, sicut habebant causam præsumendi, & fuerat dictum inter eos, eum ista intentione elegerunt, ut per medium suum illa via sortiretur effectum, & haberemus unionem, & visibiliter aliàs non facturi, cùm ipsi jam diu deliberassent providere unioni ecclesiæ per viam cessionis, quod non poterat poni ad executionem sine papa; & inter alios dictus BENEDICTUS papa prædictus reputabatur ad executionem hujus viæ, quam alias multipliciter extollebat, bene propitius.

Item, statim eo inthronizato per cardinales, eadem die iterans dictum juramentum adhuc existens in cathedra asseruit eisdem cardinalibus quòd hanc viam habendi unionem per viam cessionis sic diligenter prosequeretur, quod domini cardinales haberent potius causam eum reprimendi, quàm exhortandi ad executionem hujus viæ.

Item, multis asseruit se cathedram assumsisse ea mente, ut pro bono ecclesiæ, cùm opus esset, eam dimitteret: & hoc significavit domino Mediolanensi per episcopum, tunc Urbevetanum, nunc archiepiscopum Aquensem. Idem Florentiæ, Bononiæ & aliis locis Italiæ per episcopum Assisinum, & per quemdam Bertulinum.

Item, notificavit regi Franciæ quòd si apud eum mitteret nuncios cum quibus posset concludere de aliquo bono modo, &c. quòd ipse nullam viam recusaret, per quam unio sequi posset.

Item, ante adventum nunciorum regis cardinales plures cum BENEDICTO congregati deliberaverunt de via mutuæ cessionis tamquam magis sedativa, &c. & ei consuluerunt; & ex tunc fuit purificata conditio juramenti conclavis, de quo supra.

Item, ducibus à rege missis dictus BENEDICTUS aperuit viam conventionis & demum viam compromissi; & duces aperuerunt viam cessionis, offerentes se laborare erga intrusum, quòd hanc viam acceptaret; & pro hac instantissimè supplicaverunt cum pluribus rationibus & motivis in casu quòd adversarius consimiliter faceret, & quòd ex hoc haberetur unio ecclesiæ, nec aliàs petebatur.

Item, pro responsione ipsa BENEDICTUS dedit bullam, quæ incipit *cùm dudum*, cujus tenor describitur in hoc libro, in qua reprobat multipliciter viam cessionis, quamquam antea semper laudaverat, dicens non juridicam, &c. & viam suam corroborat multum, ut ibi patet.

Item, omnes & singuli cardinales, duobus exceptis, quorum unus erat absens & infirmus, à ducibus existentibus in Villa-nova interrogati quid eis videretur de via ista mutuæ cessionis, responderunt in conscientiis suis quòd eis videbatur esse expedientior pro unione ecclesiæ, eamque omnes consulebant esse prosequendam multis rationibus ad hoc assignatis.

Item, iterum omnes cardinales & dicti etiam

domini duces simul & sigillatim instanter supplicaverunt BENEDICTO pro hac via quam sibi consulebant tamquam meliorem, ostendentes etiam quòd ad hoc tenebatur virtute juramenti; sed ipse penitus recusavit.

Item, iterum infra triduum multis præsentibus dicti domini cardinales pro eadem via ad quam tenebatur supplicarunt; sed ipse renuit: immo statim illico legi fecit bullam quamdam quæ incipit *Cùm ad nostrum*, cujus tenor supra habetur, per quam monet dominos cardinales de prosequendo præcisè viam suam, addita protestatione, quod si aliud accordaret, haberetur pro infecto.

Item, dicti domini duces pro audientia publica in hac materia unionis supplicaverunt; sed ipse recusavit, & idem recusavit nunciis universitatis Parisiensis, licet esset materia unionis, nec sit solitum in curia audientiam publicam denegare.

Item, fere per duos annos erga dictum BENEDICTUM per cardinales & regem & alios facta est diligentia de eum inducendo ad hanc viam; sed nihil voluit, immo totum recusavit.

Item, rex Castellæ misit similiter ad eum pro via per eum avisata, quæ tendit ad viam cessionis cujus tenor subscribitur in hoc libro; sed etiam recusavit.

Item, domini cardinales videntes ejus duritiam, supplicaverunt sibi ut saltem offerret viam simplicis conventionis cum adversario sub spe alicujus boni exitus; sed etiam recusavit.

Item, notetur quòd illa bulla quæ incipit *Cùm dudum* explicat viam suam & reprobat viam cessionis, in fine ponebat clausulam *Et si per præmissa, &c.* per quam offerebat quòd antequam compromissarii haberent discedere ab invicem sine fructu, ipse offerret vias, vel oblatas reciperet cum effectu tales, per quas finis esset schismatis; & hanc clausulam removit in via seu prattica sua quam misit regi per episcopum Abulensem, per quod se reddit satis suspectum de non quærendo unionem Ecclesiæ.

Item, notetur quòd in illa bulla *Cùm dudum* dicebatur quod ipse cum fratribus eligeret personas in certo numero, &c. sed in via seu prattica prædicta regi missa removit illud verbum *de consilio fratrum*.

Item, in illa bulla etiam ponitur de tenendo quidquid fuerit declaratum per personas electas, vel earum duas partes, & in dicta prattica dicitur per personas electas & majorem partem, & sic in potestate unius facientis majorem partem esset pro intruso declarare in præjudicium Ecclesiæ, & hujus obedientiæ scandalum, quod non caret suspicione, maximè attenta illa clausula quam subjunxit in dicta prattica ibi *Item ut optata unio, &c.* quam clausulam callidè fecit apponi sub nomine regis Aragonum.

Item, rex Aragoniæ etiam pro via cessionis supplicavit, sed ipse recusavit.

Item, iterum domini cardinales evidentibus rationibus ostendentes illam viam non expedire quam ultimò miserat in illa prattica de qua supra, supplicaverunt de via simplicis conventionis sub specie pacis, & quòd ei jurarent sibi assistere, & partem suam juvare totis viribus; ita tamen quòd ad ultimum si alias non posset perficere, acciperet viam cessionis; sed recusavit.

Item, illud idem obtulerunt domini duces Bituriæ & Burgundiæ, excepto juramento, per priorem S. Martini de Campis; sed etiam recusavit.

Item, per plures de cardinalibus fuit postea supplicatum sibi, quod saltem congregaret concilium obedientiæ suæ, & per amicos suos aliquos fuit sibi consultum; sed recusavit.

Item, pluries dixit etiam publicè quia cedula conclavis non poterat eum obligare, & quòd si tota christianitas concluderet pro via cessionis, eam non acceptaret, etiamsi deberet comburi, &c.

Item cum dominus Cameracensis & quidam alter episcopus ex parte regis Romanorum viam cessionis proponerent; ipse respondit quod si dictam viam acceptaret, etiam cedente adversario, peccaret mortaliter, & alias pluries idem dixit.

Item, dixit aliàs quod plus merebatur una die recusando viam cessionis, quàm demereretur uno mense.

Item, pejus dixit, scilicet quòd si urgeretur nimis, ipse in despectu ecclesiam in tali statu poneret, quòd post mortem suam reparari non posset, quod non est sine scrupulo hæresis.

Item, tenentibus viam cessionis fuit adversatus tam cardinalibus quàm aliis gratias denegando, minas inferendo, immo & magistrum palatii, quia in quodam sermone die parasceve viam cessionis commendabat, fecit incarcerari & tenuit ultra duos annos: ita quod de post nullus audebat coram eo de facto unionis Ecclesiæ prædicare: immo semper ante prædicationem per confessorem ejus vel alium ex parte sua inhibebatur prædicare debenti, ne de facto unionis faceret mentionem.

Item, quandò rex Franciæ mittebat apud principes pro hac via, ipse mittebat ad contrarium ibidem, sicut factum fuit in Castella, in Anglia, in Aragonia, in Scotia, in Alemannia, & alibi pro hoc, fovendo schisma contra proprium juramentum.

Item, postea sommatus iterum per nuncios Franciæ & Castellæ de dando pacem Ecclesiæ per viam mutuæ cessionis, vel alias quocumque modo infra certum terminum, hoc facere recusavit, per os domini Bonif. &c..... postea fecit cardinalibus justificans viam suam, & licet dixerit se intentionem suam notificare dictis regibus, tamen nihil fecit.

Item, sciens quòd dicti nuncii Franciæ & Castellæ simul ibant Romam ad intrusum, eos callidè retinuit in verbis, ut hoc pendente, mitteret ad intrusum per quemdam dominum, expensis tamen dicti BENEDICTI, ad impediendum factum dictorum nunciorum, & ut avisaretur intrusus de responsione danda, quæ fuit omninò similis sicut prima quam fecerat dictus BENEDICTUS. Ex

quo præsumitur collusio inter eos, & maximè quia etiam quando dicti duces Franciæ disponebant de eundo ad eum, intrusus misit ad BENEDICTUM quemdam advocatum dictum Thomam de Spina, quem secretè audivit, & remisit excœniatum valde, & etiam misit ad intrusum, unum prælatum Italicum, & quemdam nomine Bertulinum etiam secretè, & postmodum etiam intrusus misit ad eum dominum Philippum Brancacii militem de Neapoli, qui fuit infra palatium hospitatus, & inhibitum fuit ei, ne cum aliquo cardinali loqueretur, nisi cum uno qui est de sua parentela. Et etiam fuit appunctatum per dictum BENEDICTUM cum dicto milite, quod ei reverentiam papalem exhiberet, & sui nuncii similiter intruso facerent, sic confingens duos summos pontifices. Et ipse BENEDICTUS cum eodem milite iterum misit ad intrusum episcopum Tirasonensem cum aliis, sibique dixit, quòd reverentiam papalem exhiberet intruso, ut ipse BENEDICTUS dixit aliis dominis cardinalibus. Et hæc omnia secreta colloquia sine scitu cardinalium dant causam suspicionis de volendo tenere Ecclesiam sic divisam, præsertim quia processus alias solitos fieri contra intrusum ab utraque parte suspenderunt, est notum. Et etiam quia per illam clausulam, quam ipse BENEDICTUS in prattica de qua supra sub nomine regis Aragonum, callidè fecit poni, addendo ad viam suam viam compromissi, quæ incipit *item ut optata unio*, &c. de qua supra, quam etiam misit intruso, arguit manifestè quòd intrusus qui est de hæresi suspectus, pertinax, schismaticus, per Ecclesiam seu dominium CLEMENTIS declaratus, qui est adhuc impœnitens & potest esse papa de facili; & sic sibi favet, quare videtur incidisse in casu c. *Anastasius* xix. di.

Item fecit munire palatium victualibus & armis invasivis & ad destruenda ædificia aptis, & hominibus armorum, qui se ostendebant cardinalibus, cùm erant infra palatium aliquoties congregati, ut per minas & terrores à sua opinione recederent, & sibi adhærerent, & tunc etiam portæ palatii claudebantur.

Item, in mense Martii quadam die mane anno XCVIII. secundùm morem Romanum, omnes cardinales convocavit, & eis prohibuit impetuosè & satis terribiliter ne de via cessionis amplius tractarent coram eo; sed sua via teneretur; & cum replicaretur, quòd saltem videretur de ambabus quæ melior esset, ipse prohibuit; sed cum difficultate condescendit tantummodo quod tres ex parte sua, tres ex parte cardinalium eligerentur ad discutiendum de via sua præcisè, exclusa penitus via cessionis: & adhuc in hoc noluit teneri verbum nisi semel vel bis, videns confutationes viæ suæ, se nihilominus determinans præcisè ad viam suam.

Item, Magister N. Aimerici ordinis Prædicatorum inquisitor in Aragonia, fecit processum contra quemdam nomine Vincentium ejusdem ordinis, & restabat tempus concludendi in causa, & communiter credebatur convictus de hæresi, videlicet quia die quadam parasceve in prædicando asseruerat quod Judas habuerat veram pœnitentiam salutarem: dictus verò Vincentius confugiit ad domum & servitium dicti BENEDICTI, tunc cardinalis in Aragonia existentis, qui eum recepit in confessorem commensalem: & postquam electus fuit in papam, mandavit prædicto inquisitori, & processum habere voluit, & illum comburi fecit, nec potuit veritas videri de illa hæresi, & sic per talem favorem incidit in casu c. *Anastasius* XIX di.

Item, per istum fratrem Vincentium confessorem suum fecit pluries publicè in prædictis confutari viam cessionis, dicens idem frater quòd eam prosequentes, & ab obedientia recedentes erant schismatici, & viam ipsius BENEDICTI plurimum commendabat.

Item, in tantum continuavit dictus BENEDICTUS in obstinatione sua, quod annno XCVIII. mense Julii regna Franciæ & Castellæ & patria Provinciæ & Delphinatus, comitatus Venaissini & comitates multæ ab ejus obedientia recedere quodammodo sunt coacti, sicut per litteras subtractionis satis patet: immo & Domini cardinales etiam ab ejus communione recesserunt.

Item, de tantis calamitatibus non habens compassionem, nec flens super civitatem & regna, sicut Christus super civitatem Jerusalem, manet continuè induratus, & audita subtractione, die quadam dominica mandavit cum tuba congregari populum Avenionensem in domo Prædicatorum, & per dictum fratrem Vincentium confessorem suum fecit tria proponi, primo reprobationem viæ mutuæ cessionis pro unione Ecclesiæ, secundo justificationem suæ viæ erroneæ, tertio quòd papa quocumque casu, etiamsi frustratim deberet incidi, numquam acceptaret dictam viam, nec à suo proposito recederet, requirens omnes quod assisterent viæ suæ

Item, iterum ad tentandum, si posset, emolliri, fuit ex parte collegii cardinalium per quatuor de cardinalibus requisitus de acceptando dictam viam cessionis ad bonum unionis & obviandum tot scandalis; sed totum recusavit expressè.

Cùm tamen per acceptationem hujus viæ, scilicet mutuæ cessionis ostendisset verum pastorem, dolentem de divisione matris ecclesiæ, sicut mater volens evitare divisionem filii, de quo in c. *Afferte* habuisset cardinales, reges, clerum, & populum, in adjutorium unionis ecclesiasticæ & ovium Christi, tantis scandalis obviasset, de quibus ipse est causa, juramentum servasset, & dedisset humilitatis exemplum, & intrusum quodammodo coegisset ad cedendum, nec venisset contra illud quod aliàs laudaverat publicè, per quod dat occasionem multis variandi & temerandi juramentum, ut jam dici posset: Ubi est Deus clericorum juxta c. *mag*.... de *voto*.

Item, per prædicta satis patet qualiter à se abjecit consilium dominorum cardinalium cum quibus Ecclesiam componebat, & de quorum consilio agere debet in arduis, & consilium

regum & principum ac cleri majoris partis obedientiæ suæ, qui poterant juvare ad ecclesiæ unionem, per hoc firmans schisma fortius, & reddens intrusum magis obstinatum.

Item, videns quod cardinales, cives Avenionenses, ac illi de comitatu Venaissini, eo faciente vel causante ab ejus obedientia recesserant ob prædicta, semper in sua obstinatione perseverans, munivit turrim magnam supra pontem in Avinione gentibus armatis, & portam claudi fecit, ut non pateret ingressus vel egressus ex parte regni Franciæ, & pontem ligneum comburi fecit; & infra civitatem contra cives per modum insultus fecit per bombardas projici lapides, viritones, & ignem, ex quibus multi sunt interfecti, domus combustæ, specialiter ecclesia cathedralis S. Mariæ: propter quæ oportuit cives vim repellendo capere dictam turrim & palatium restringere.

Item, per medium quorumdam ambaxiatorum regis Aragonum qui illis temporibus ad dictum BENEDICTUM mittebantur, & sacri collegii fuit inter dictum BENEDICTUM & cives accordatum quòd cessaret via facti: & dum cardinales & cives crederent esse pacificè, dictus BENEDICTUS fecit pilardos & gentes armorum intrare, comitatum Venaissini deprædaverunt, homines occiderunt, & infinita mala fecerunt, & per flumen Rodani similiter in galeis intrare fecit homines armorum, qui illuc ad deprædandum credebant applicare; sed Deus in ventis & tempestatibus eorum consilium & conceptum sua misericordia dissipavit, in quibus dictus BENEDICTUS usque ad centum millia florenorum de bonis ecclesiæ creditur expendisse.

Item, ad ejus obstinationem manifestandam videtur satis deservire illa delatio grandis comæ atque barbæ, quam aliàs horruerunt SS. Patres in diversis conciliis hæc clericis prohibentes.

Item, licet per plures annos dictus BENEDICTUS, ut ex prædictis patet, perjurus extiterit, & in tali materia sicut unionis ecclesiæ, & adhuc continuè veniat contra juramentum quantumcumque requisitus per cardinales, recusat viam acceptare cessionis juxta notam per Archidiaconum & per textum in c. *ad Apostolicæ.* de re judi. lib. VI. & ecclesiam tantum scandaliset quotidie, nihilominus celebrat, non dijudicans corpus Domini, ex quo videtur credere non esse peccatum in tali statu celebrare, vel credere non esse peccatum ecclesiam scandalisare, quorum utrumque erroneum in fide vel suspectum, &c.

Nunc est descendendum ad conclusiones ex præmissis inferendas.

Prima conclusio Meretur dominus BENEDICTUS qui schismaticos ad unitatem ecclesiæ non reduxit, immo nutrit, & fovet, & firmat in schismate; & quia suos non nutrit, sed dissipat, ac etiam dividit ab unitate contra legem Dei & veritatem evangelii, quo præcipitur ut unum simus, dejectionem à sua dignitate ex legis divinæ dispositione. Et ista sit prima conclusio.

Secunda conclusio Præmissis attentis, cessionem recusando & alias vias supratactas & oblatas pro unione in Dei ecclesia procuranda, incurrit dominus BENEDICTUS pœnam perjurii, quod tam grave & enorme esse deprehenditur, quoniam ex hoc apparet evidenter animarum periculum quasi irreparabile, & sic attentis circumstantiis videtur vincere & superare crimen infidelitatis & idololatriæ. Et istud crimen in eo reputatur notorium. Et ideo qui est incorrigibilis & ecclesiam proinde scandalizat notoriè, quod sua est obedientia jam divisa, & sua contumacia & pertinacia in infidelitatem versa: & per hoc potest reprehendi, accusari, & damnari pro ut de hæresi.

Tertia conclusio est quod, quia dominus BENEDICTUS recusavit offerre cessionem, & alias de quibus requisitus extitit, ut supponitur, schisma fovet & firmat, & sibi obedientiam passus est dividi, schismaque facit & nutrit, non solum negligendo, immo cooperando, & auctoritatem præstando, & contra ecclesiam multa faciendo, prædicando, & etiam pertinaciter asserendo; sicque christianos faciens discedere ab evangelii veritate, quo nobis præcipitur, ut simus omnes unum in Christo, & juxta Apostolum *servare unitatem spiritus in vinculo pacis*: immo subditos & alios peccare facit, & venire contra illum articulum fidei *unam sanctam Ecclesiam catholicam*, contra quam peccant schismatici, & ex quo inveterati & infirmati in schismate censentur hæretici: etiam cessante perjurio reprehendi & accusari potest & damnari, & per concilium à sua dignitate deii & repudicari.

Quarta conclusio, quòd quia dominus BENEDICTUS turbat, impedit & pervertit generalem ecclesiæ suæ universalem statum, secundùm quem omnes debemus esse sub uno capite, quem repræsentat verus papa, & ejus vicem gerit, ut dicunt jura vulgata, etiamsi ex hoc contra fidem non peccaret papa verus; si sit in hoc pertinax, de hoc accusari potest à concilio, & multo fortius ubi pervertendo statum ecclesiæ facit fideles à fide vel veritate evangelii discedere, ut in casu nostro.

Quinta conclusio quòd quia dominus BENEDICTUS dedit viam, prædicavit, & tenuit, prout adhuc tenet & asserit pertinaciter, & à qua corrigi non potuit seu evelli, licet evidentes responsiones sibi factæ fuerint, quibus nullo modo acquiescere voluit, per quam intrusus de schismate & hæresi condemnatus, ab ecclesia præcisus, excommunicatus & impœnitens, & non reconciliatus in ipsam poterat assumi, eidemque intruso sine consilio ecclesiæ & dominorum cardinalium communicavit, & reverentiam papalem exhiberi voluit, per hoc errori suo communicando & operibus suis malis; videtur incidisse in c. *Anastasius* XIX. dist. Et sic non videtur alia sententia necessaria, & ibi notatur per glossam.

Sexta conclusio. quòd quia dominus BENEDICTUS

CTUS processum contra suum confessorem habere noluit intitulatum de hæresi, & comburi fecit, nec pati voluit ut videretur veritas, nec ministraretur justitia, ipsumque confessorem non purgatum de tanto crimine nec emendatum, quod apparet in sua familiaritate, ut prius tenuit & tenet de præsenti, fautor & defensor hæreticæ pravitatis existit, quodque quantum crimen sit & quanta contra eum insurgat præsumtio, ex hoc in fide colligitur in c. *Excommunicatus* §. *credentes* de hæreticis, & c. *accusatus* §. *si vero* de hæreticis lib. VI.

De pertinacia.

Pertinacia autem sua ex eo videretur evidenter deprehendi. 1° quòd licet in præmissis fuerint factæ exhortationes per dominos cardinales secretè & pluribus præsentibus, & ostensæ rationes evidenter & clarè, qualiter via per eum electa cum sua pratica sine nostra erat inutilis ad unionem prosequendam, plena periculis & dilationibns inutilibus, ac etiam errorem in fide continens, si ad effectum deduceretur, ac per modos quos tenebat fovebatur schisma & nutriebatur, & novum etiam inducebatur in ecclesia, erroresque inde oriebantur & scandala, inde subversiones status Ecclesiæ, & periculum animarum; ipse tamen veritati acquiescere noluit; immò pertinacius tenuit opinionem suam & errores de quibus supra tactum est, & pertinax deffendit, & omnes vias expresśè oblatas pro unienda ecclesia refutavit, ex quo pertinax & subversor in prædictis apparet manifestè.

Præterea ex tempore probatur pertinacia & subversio. Per quatuor annos quasi continuè fuerunt sibi factæ exhortationes & supplicationes prædictæ, & per claras rationes eidem ostensum suas vias & oppositiones malas esse & damnatas, in fide ponentes scandalum & errorem, nedum per dominos cardinales, immo per reges, prælatos, principes, familiares, & alias multas personas devotas, quibus acquiescere noluit: & sic tempus tam prolixum cum prædictis pertinaciam ostendunt evidenter juxta Apostolum dicentem: *hæreticum hominem post unam correctionem devita*, & habetur XXIV. q. I. c. *qui dignior.* ibi dicit glossa quòd si quis erret in fide vel in his quæ sunt fidei, & ammonitus per annum stetit pertinax, hæreticus est habendus.

Probatur tertio sua pertinacia in prædictis erroribus, fautoria schismatis, negligentia, impedimentis per eum præstitis paci & unioni ecclesiæ, & aliis per eum temerè dictis & assertis & prædicatis: quia de tam gravi perjurio nullam facit conscientiam: immò in illo dormit & perseverat, ampliusque induratur, asserens quod eum juramentum in conclavi præstitum non ligat, ipsumque servare non tenetur. Ex quo censetur incidere in errorem Clem. *Ex gravi* de usuris in fine. non curans etiam de periculo animarum, gravi declinatione fidei & ecclesiæ ac libertatum ipsius, quæ ex sua culpa tam manifestè pereunt quodammodo irrecuperabiliter: maximè quia asserit publicè, & in

A consistorio generali prædicavit, quod si offerret cessionem, ut petebatur, peccasset mortaliter, asserens virtutem summam, quæ in tali renunciatione, per quam ecclesiæ pax daretur, foret, teste Paulo Orosio lib. 6. cùm de Diocletiano renuntiante imperio loquitur, peccatum mortale existere, contra dictum Cle. de usuris, & quod habetur XI. qu. *si quis dixerit*; Et quia per præmissa apparet luculenter quòd non ex sola levitate vel fragilitate, sed potius ex contemtu non solùm canonicas sanctiones, sed
B & divinas scripturas præceptum importantes transgreditur, illasque violat, ac si eum ligare non possent, quod ex hoc hæreticus est censendus juxta caput *nulli fas* XIX .... & hæc sit ultima conclusio & septima quoad errores in quibus censetur incidisse.

Istis præmissis est nunc respondendum quibusdam rationibus quæ videntur facere pro domino BENEDICTO, & eum à præmissis excusare. Et prima ratio est talis: Dominus BENEDIC-
C TUS obtulit viam justitiæ, ut scilicet in hoc facto videatur veritas illa quæ vincat & prævaleat, & sic non est in malitia sive culpa. VIII. d. c. *consuetudo.* licet cessionem recuset, quæ debet esse ultima, scilicet cùm aliter scandalum schismatis sedari non potest, juxta §. *pro gravi* cap. *nisi* d. renuntiat. Item, si cardinales & rex Franciæ ex hoc scandalizantur, quia cessionem offerunt & se subtrahunt, cùm istud scandalum oriatur ex malitia, qua veritatem amplecti nolunt, & ex quadam auctoritate hoc defendunt,
D propter hoc non est veritatis prosecutio omittenda, nec domino BENEDICTO imputandum, ut prosequitur B. Thomas 2. 2. 42. q. a. I. & probat textus de pœnit dist. 5. c. fi. in fine.

Sed quòd ista ratio bimembris nullo modo obstet præmissis ostenditur multipliciter, primò quia per XX. annos laboratum est, ut videretur veritas, & illa prævaleret, & pax daretur ecclesiæ; & constat quod proficere non potuit, & sic necessario per cessionem utriusque sedandum est hoc scandalum juxta §. *pro gravi*, cùm aliter
E sedari non possit, ut ibi dicit textus, & in duobus contendentibus de papatu, si ex facto illorum oriatur vel timeatur schisma, cedere debent. Hoc tenet Hug. in cap. *Si duo* LXXXIX. dist. Sic intelligit illum textum glossa ordinaria in cap. *Si fortè* LXIII. dist. & idem ibi Hug. Ex quibus patet quòd ubi ex tali disceptatione veritas juris alterius non potest apparere, vel causatur scandalum, ad cessionem vel utriusque expulsionem veniendum est, cùm tunc rigor juris cessare debeat. Et sic non excusat dominum BENEDICTUM oblatio viæ suæ, cùm ejus
F prosecutio prodesse non possit, & quia ut evitetur schisma, absque alia prosecutione veritatis uterque expellendus existat, ut sic neutri eorum prosit sua ambitiosa discordia. Probat hoc XCVII. dist. c. *Victor* in fine. Præterea illa via non excusat D. BENEDICTUM, cùm ille & sua prattica sint erroribus plena, ut supra est deductum, cùm non per concilium universale quod semper refutavit, sed per compromissum per quod jus non habenti constitui non potest, nec ex illo

titulus dari, sive vitium purgari, & quod uno contradicente cujus interfit, prout & adversarii & multi alii contradicunt, effectum habere non potest, obtulerit veritatis prosecutionem cum certis pactis & modis à jure omnino repobatis. De transact. c. *super eo* & de pactis c. fi. & 1. q. 11. c. *quam pio*....

Et ita patet clara responsio ad secundum membrum rationis præmissæ, quia illi qui scandalizantur ex eo quod D. Benedictus non offert cessionem &c. non scandalizantur ex malitia, sed potius ex justa causa, & ex malitia D. Benedicti non offerentis cessionem in casu quo tenetur offerre, & per jus divinum & canonicum, & per proprium juramentum: ita quòd in D. Benedicto est scandalum ortum ex sua culpa, præbens facto & verbo occasionem ruinæ, & quoad alios est passivum, & sic illud secundum membrum rationis non procedit.

Præterea posito quòd aliqui scandalizentur ex malitia & sic se substraherent, vel ex malitia in divisione permanerent, adhuc habet locum cessio, præcipuè cùm aliud fieri non potest. Et est textus de renunciat. cap. *nisi* §. *propter malitiam*, & §. *pro gravi*. Et si dicatur quòd illud non habet locum quando illa malitia defenditur ex auctoritate velut licitè, ut ibi notatur & probat textus de pœnit dist 5. cap. fi. Ad istum finem inducitur secundum membrum objectionis suprapositum. Hic dicitur supra quia veritas vel rigor juris non omittitur quando malitia ex auctoritate defenditur, nec attenditur multitudinis scandalum. Hoc verum est quando non est periculum, vel scandalum justitiæ veritatem prosequi & illa uti, & sic procedit objectio. Ubi verò veritas justitiæ vel rigor juris si observaretur induceret magis periculum vel scandalum etiam in his qui suam malitiam ex auctoritate deffendunt, omittitur veritas justitiæ sive rigor. Probatur hæc solutio. iv. di. *Denique* & facit c. 1. & 2. xiii. di. & no. Glo. di. vi. c. fi. Glo. quæ cadit super verbo *rescindendo*. Modo sic est quod si vellemus inniti viæ domini Benedicti, quam veritatis dicit sive justitiæ, cùm pratica sibi adjecta plena sit periculis & erroribus, ac per illam pax ecclesiæ dari non possit, ut supra tactum est, infinita sequerentur animarum pericula & scandala inaudita, videlicet duratio sive perpetuatio schismatis; & ideo posito quod hic esset malitia etiam quæ ex auctoritate deffenderetur ut licita, est omittenda veritatis prosecutio & rigor juris & ad cessionem veniendum, in quo nullum peccatum, nullum scandalum, sed summum bonum consistit, teste Paulo Orosio ubi supra. Et quòd propter periculum schismatis vitandum omittantur veritas justitiæ & rigor juris est expressa auctoritas & ratio, quam inducit B. Thomas 2. 2. & qu. 42. articulo penultimo in 1. argumento, & facit cap. *Ponderet* in fine L. dist. &c. *ut constitueretur*.

Præterea sit secunda solutio. Ad veritatem & justitiam pertinet, quòd illa utamur in quantum per illam possumus proficere, peccata corrigere, & errantes emendare, cùm ad illum finem veritas justitiæ dirigatur iv. dist. c. *factæ*

A *sunt leges*. Ubi ergo pro secutio justitiæ non potest præmissa complecti, sed potius exsecutio majora inducere mala, omittenda est, etiamsi malitia deffendatur, ut in c. *denique*, 4. dist. & dicit S. Thomas ut supra: ita quod in tali casu sincera caritas subveniat, ubi rigor justitiæ prodesse non potest, ut in dicto c. *Ponderet* & L. di. *ut constitueretur*. Quæ caritas in domino Benedicto fuisset, si cessionem obtulisset, quando videbat prosecutionem quam dicit justitiæ prodesse non posse bono ecclesiæ, sed potius obesse.

B Per præmissa solvitur quod allegatur pro via domini Benedicti, scilicet quòd de titulo beneficiali potest fieri compromissum per modum amicabilis compositionis, juxta c. *super eo* de transact. quia talis via ruit, ubi unus cujus interest contradicit, ut supra est tactum.

Item, quia prattica adjecta partionalis est, & errorem continens, & sic non excusat quod allegatur, quòd aliàs de schismate fuit compromissum in regem: quia ibi utraque pars consentiit, hic dissentit adversarius & multi alii quo- C rum interest. Præterea ibi intervenit consilium prælatorum propter hoc convocatorum. Hoc autem consilium refutatur per dominum Benedictum, & ideo de illo casu ad præsens argui non potest, & sic dicta via nec ejus oblatio juvat dominum Benedictum, permaximè cùm collegium dominorum cardinalium contradicat illi viæ ex justis & rationabilibus causis supra tactis, sine quorum consensu talem submissionem facere non potest, ut notat Glossa lxiii. dist. c. *in Synodo* not. Archi. eadem dist. D c. *Adrianus* super verbo *erigendum*....

Nec obstat quod allegatur seu allegari potest per D. Benedictum, quòd ex quo ipse offert viam justitiæ, licet viam cessionis non acceptet, contumax, perjurus, vel pertinax dici non potest, donec hoc fuerit determinatum per concilium, juxta Glossam c. *si duo* lxxix. dist. quia, cùm evidens sit quod sua via est erronea, & nullo modo procedit, maximè contradicente adversario & aliis quorum interest; maximè etiam quia major pars fidelium illam non am- E plectitur. Et quia D. Benedictus in hoc se submisit arbitrio cardinalium, de hoc referre non potest quomodolibet, cùm viam cessionis medio juramento acceptaverit, si dominis cardinalibus vel majori parti expedire videretur; quibus ita visum est, & ideo contradicere vel recurrere ad ulterius cogitatum non potest. Pro quo facit quod notat Johannes Andreas de jura. calum. c. 11. super illis verbis *in positis judiciis expedit*. Ubi nota quòd talia verba respiciunt arbitrium judicum vel partium, de jura. F calum. c. 1. & de hoc referri non potest quæstio, nec contradici ei quod dictum fuerit vel arbitratum. Ad hoc de rescriptis cap. *Statutum* lib. 6. §. *assessorem*, & ibi nota. Et ideo cum D. Benedictus medio juramento se astrinxerit ad cessionem, si majori parti dominorum cardinalium expedire videretur pro bono unionis, & ipsi ita dixerint expedire, contradicere non potest, nec de hoc quolibet modo referre, nec ad alterius arbitrium recurrere, cùm de cessione

ominatim expreſsè eorum arbitrio ſe ſubmiſerit, ſi eis videretur, &c. Secus forſan ſi in genere ſe ſubmiſiſſet de via de qua arbitraretur, in quo caſu poſſet habere locum c. *Quinta vallis* cum ſua materia de juris jur. & jura ſimilia, pro quo facit caput *cum in generali* de officio vicarii lib. 6. & regula *in generali* de regulis juris lib. 6.

Nec excuſant D. BENEDICTUM proteſtationes per eum factæ, ſcilicet quòd nihil intendit dicere contra articulos fidei, ſed generaliter quod tenet & prædicat Eccleſia catholica, & quod ſemper eſt paratus veritati acquieſcere: quia per factum contrarium ſublata eſt iſta proteſtatio. Nam frequenter monitus fuit, ut recederet à prædictis erroribus, & per claras rationes ſibi oſtenſas publicè & ſecretè quod tenebat errores, de quibus ſupra tactum eſt, quibus reſpondere non potuit: & tamen acquieſcere noluit obſtinata mente, & pertinacia, & ſic ab errore non videtur excuſari vigore dictarum proteſtationum, quibus per factum contrarium eſt receſſum.

Quod autem poſſet allegari quod ſententia ſive opinio papæ præferatur ſententiæ Eccleſiæ vel opinioni juxta Gloſſam c. *Quodcumque* XXIV. q. I. Et ſic via domini BENEDICTI debeat præferri viæ dominorum cardinalium & aliorum quorumcumque, non obſtat, quia dominus BENEDICTUS abdicavit à ſe hanc prærogativam, ſubmittendo ſe arbitrio dominorum cardinalium expreſsè de ceſſione & cum juramento, & ideo contra hoc venire non poteſt, ut ſupra dictum eſt, & facit c. *Quàm periculoſum eſt* VII. q. I. Præterea illa Gloſſa illius c. ſimpliciter non eſt vera, ſed pro illa ſumitur ſimile argumentum per Johannem Andream in cap. *Significaſti* de elect. Et quia Gloſſa hæc diſputat non eligendum in c. *In iſtis* IV. diſt. Et alibi tenet quod potius ſtetur ſententiæ Eccleſiæ ſeu concilii, quàm papæ in c. *Anaſtaſius* XIX. diſt. & in c. *Legimus* XCIII. diſt. datur talis concordia in qua fuit Alvarus, ſcilicet quòd in his quæ fidem non tangunt vel generaliter ſtatum Eccleſiæ, illius immutationem vel turbationem, potior eſt ſententia papæ, quia in his eſt ſupra concilium, ut notatur XV. diſt. c. *ſicut*. In his verò quæ ſunt fidei vel ei annexa, vel quæ immutarent ſtatum Eccleſiæ generalem, potior eſt ſententia eccleſiæ quàm papæ, cùm alias nimis periculoſum eſſet arbitrio unius hominis noſtram fidem ſubmittere. Et ſic loquitur c. *Anaſtaſius*, quia in his Eccleſia eſt major, ut ibi, & c. *Sicut* XV. diſt. & notat Arch. in c. *In fidei* de here. lib. VI. Eſt etiam ratio quia papa errare poteſt etiam verè XXIV. q. I. c. *à recta fide*, & ibi notatur Gloſſa. Præmiſſis attentis, & quia major pars fidelium eſt pro via ceſſionis juxta c. *In ſcripturis*. XIX. diſt. illa allegatio in nullo poteſt juvare dominum BENEDICTUM.

Ad hoc quod dici poteſt per dominum BENEDICTUM, quia juravit renunciare, ſi dominis cardinalibus videretur, ſed non juravit offerre, nec alias vias de quibus ſupra tactum eſt, & ſic non poteſt notari de perjurio juxta c. *ad audiendum* de his quæ vi metuve fiunt: reſpondetur

A per tenorem cedulæ juratæ, per quam patet quòd juravit proſequi per omnes vias rationabiles ſine impedimento & dilatione uſque ad ceſſionem incluſivè; & ideo vias præmiſſas refutando & etiam ceſſionem, & impedimenta præſtando, contra juramentum à ſe præſtitum temerè venit. Et ita de hoc eſt judicandum attento tenore cedulæ. Quo attento, non perjurium, ſed plura perjuria commiſit.

B Non obſtat ad præmiſſa, ſi dicatur quod dominus BENEDICTUS cedere non tenetur niſi alio volente cedere, & cùm adverſarius ceſſionem recuſet; dominus BENEDICTUS non tenetur ceſſionem offerre: quia talis oblatio non prodeſſet juxta c. *cùm contingat* de offi. deleg. &c. *dilecti* de except. quia cedula jurata hoc non habet, & poteſt eſſe etiam quòd alio non cedente ſeu ceſſionem non acceptante, domini cardinales poſſent dicere quòd dominus BENEDICTUS cedat pro bono unionis, ut ſi propter pertinaciam ſuam vel aliàs ſe inutilem reddat ad unionem habendam. Quo caſu ipſe tenetur C cedere, & illud poſſunt domini cardinales dicere fore expediens pro bono unionis, & ipſo amoto aliquis ad hoc utilis ſubſtitueretur. Ad hoc de renunc. c. *niſi* §. *propter malitiam* & §. *pro gravi* cum ibi notatis per Inno. & Johannem Andream in c. *Unico* & ti. lib. VI. & 2. q. VII. c. pc. & fi. Et ſic cùm denegando oblationem ceſſionis diviſerit à ſe collegium & principales ſuæ obedientiæ reges, ſine quibus utiliter ad unionem intendere non poteſt, de jure & per juramentum, ſi domini cardinales hoc dicant ex- D pedire, prout dicunt, renuntiare tenetur. Aliter dicitur quod adverſario recuſante facere ceſſionem, ipſe dominus BENEDICTUS tenebatur eam offerre, cùm per hoc colligaſſet ſibi collegium ſuum, reges & principes ſuæ obedientiæ, & ſic fortiorem ſe reddidiſſet ad unionem Eccleſiæ procurandam, & adverſarium debilitaſſet, & ad unionem bonum exordium dediſſet, & etiam ſcandalum ſuæ obedientiæ evitaſſet, & diviſionem, cùm ad omnia utilia unionis per E juramentum obligatus exiſtat. Qui ſi pro præmiſſis aſſequendis & evitandis tenebatur morti ſe exponere, multò magis ceſſioni, cùm oblata ceſſione per dominum BENEDICTUM faciliùs adverſarius ad illam induci vel compelli poſſet, quod per ſe patet.

Nunc, præſuppoſitis præmiſſis, eſt videndum ſi receſſus dominorum cardinalium à conſortio, communione, vel ut alii dicunt, ab obedientia D. BENEDICTI, poteſt dici juridicus & honeſtus. Pro cujus evidentia eſt ſciendum, quod domini F cardinales videntes quòd dominum BENEDICTUM inducere non poterant ad viam aliquam rationabilem, per quam poſſet ad unionem utiliter perveniri, nec ipſum à prædictis erroribus modo aliquo ſubmovere, & etiam quòd ſibi adhærendo ad unionem efficaciter laborare non poterant, immo ſchiſma firmabatur & perpetuabatur in magnum fidei & Eccleſiæ detrimentum, maximè quia ex ſui pertinacia & duritia aliàs inaudita regnum Franciæ cum Delphinatu Viennæ à ſua receſſerant obedientia, & alia multa regna

* F. Propinquè.

adhuc viderentur * propinqua disposita & parata, & proinde perpendendum quòd absque gravi offensione eidem domino BENEDICTO non poterant adhærere seu communicare, cùm communicando & obediendo conaretur quotidie eos minis & terroribus à prosecutione unionis submovere, & ad suam viam adducere, erroribus plenam, & ad habendam unionem omnino inutilem & damnosam. His consideratis & aliis supra positis, domini cardinales ab ipsius domini BENEDICTI communione & consortio se separaverunt, seu ab ejus obedientia secundùm alios recesserunt.

His & aliis supra tactis præsuppositis ad ostendendum quod domini cardinales justè ab ejus obedientia recesserunt, ponentur infra sequentes conclusiones.

Prima quia ubi papa incidit in hæresim damnatam, subditi ab ejus communione seu obedientia possunt recedere, alia non expectata sententia. Textus clarus pro hac conclusione in c. *Anastasius* XIX. dist. & ibi hoc declarat Glossa ad idem XXIV. q. I. c. *Acacius* & dictum Apostoli dicentis *hæreticum post primam & secundam correctionem* evitandum ad Titum 3. c. & XXIV. q. I. cap. *qui dignior*. In his enim non est quis servituti subjectus I. ad Corinth. VI. c. Nec mirum, quia per hoc papa esse desiit, & est minor quocumque fideli, & est excommunicatus à canone, ut hic notat Glossa in allegato capite *Acacius*. Sed dominus BENEDICTUS ex multiplici capite in hæresim damnatam incidit, attentis suprapositis; & ideo domini cardinales à sua communione recedere potuerunt & debuerunt, ne communicarent erroribus suis, & ne pœnis juris cum eo involverentur, & ut desolationi fidei & Ecclesiæ providerent, ut supra est præmissum; & ut clariùs & evidentiùs pateat ista conclusio, per modum epilogi, & sub brevitate hæc sunt repetenda, quæ supra magis latè sunt tacta.

Primò enim notatur de hæresi qui sine consilio catholicæ Ecclesiæ & dominorum cardinalium communicavit adversario de schismate & hæresi per Ecclesiam condemnato, & suis nunciis in mandatis dedit, ut ei palam reverentiam exhiberent, contra hoc quod habetur in c. *In nomine Domini* XXIV. dist. XIX. ac in sua via posuit quòd de suo adversario in pœnitenti & non reconciliato posset papatui provideri contra c. *Factus est Cornelius*, & c. *Novatianus* VII. q. & XXIV. q. I. c. *didiscimus*. Et ab isto errore revocari non potuit, immo istum errorem publicè & pertinaciter defendit, ex quo pertinax convincitur XXIV. q. 3. c. *qui in Ecclesia*. Et sic contra fidem in plus longè deliquit quàm Anastasius, qui solùm sine consilio Ecclesiæ communicavit Fotino, qui communicaverat Acacio, & qui occultè voluit revocare Acacium & non potuit, propterea multi clerici ab ejus communione justè recesserunt, ut in dicto c. *Anastasius* XIX. dist. & quod propter hæc quæ hæresim sapiunt recedi possit à totali obedientia domini BENEDICTI est textus 2. q. VII. c. *seductores*.

Secundò notatur de hæresi quia pertinaciter asserit verbo & facto perjurium non esse peccatum, & cedulam juratam eum non obligare, & sic quod lege divina peccatum est, & obligatorium non esse peccatum, nec obligatorium, & quod si acceptasset cessionem ut petebatur, mortaliter peccasset, & sic summam virtutem humilitatem esse peccatum mortale asseruit. Hæc sapiunt hæresim juxta Cle. de usuris. Et hoc tenet in papam Augustinus de Ancona. Et quod propter hoc desiit esse papa. Et quòd in hoc propriè sit hæresis apparet ex dictis B. Augustini sic ad propositum dicentis: « Hæreticus est qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriæ principatusque sui gratia falsas & novas opiniones gignit vel sequitur, & habetur XXIV. q. 3. c. *hæreticus*. »

Tertiò notatur de hæresi in hoc quòd scienter & pertinaciter cessionem & alias supra tactas vias denegando, impedimenta paci & unioni Ecclesiæ præstitit contra juramentum præstitum. Sic faciendo schismaticos seu schisma firmari, indurari, & suam obedientiam dividi contra unitatem & veritatem evangelii, & illum articulum *unam sanctam ecclesiam catholicam* veniendo. Et licet ista à principio possint esse sine hæresi, tamen si pertinaciter fiant, scienter & ex proposito hæresis est. 2. q. VI. §. *Ecce*. Et hoc tenet expresse Petrus de * Plaude in tractatu quem edidit de causa immediata ecclesiasticæ potestatis. Ubi hoc prosequitur dum tractat de Petro faciente fideles Judaizare. * F. Palude.

Quartò aggravat eum multum in præmissis factum sui confessoris, ex quo fautor & defensor hæreticæ pravitatis fore deprehenditur, & alia dicta per eum & asserta, communicata, & facta de quibus supra tactum est; quæ diligenter pensata majorem evidentiam ostendunt in erroribus præmissis.

Posito autem quod à præmissis posset excusari de erroribus in quantum directè notatur de hæresi, quod non credo: in quantum tamen attentis præmissis culpa schismatis potest sibi attribui, est videndum de recessu dominorum cardinalium, si justè fieri potuit. Circa quod est sciendum, quòd hæreticus est schismaticus, sed non omnis schismaticus est hæreticus: licet schisma adversus sedem Romanam sit dispositio ad hæresim, quando est juramento confirmatum, ita quòd schismatici pertinaciter inhærent sectæ suæ ad hoc c. *Inter schisma* XXIII. q. 3. cum ibi notatis per Glossam, Arch. post. Ray. in Sum. in rubrica de schismate & Hostiens. in Summa eodem titulo §. I. III. Et dico quod si ex culpa schismatis recesserunt domini cardinales, optimè & clarè potest justificari, quòd offenderit tam ex auctoritate veteris ac novi Testamenti, dictis sanctorum per Ecclesiam approbatorum, sanctionibus canonum & traditionibus notabilium doctorum solemnium.

Et circa hunc articulum præmitto quòd, ut apparet ex supra præsuppositis, dominus BENEDICTUS nedum neglexit schisma extirpare, immo fovit, impedimenta apposuit paci & unioni ecclesiæ, schismaticos in suo errore firmavit, suam obedientiam dividi passus est, immò ve-

rius divisit, & schisma novum fecit multum fidei & Ecclesiæ periculosum. Ex quo schismaticus est censendus opinione, intentione, & etiam approbatione. Ad hoc XXIV. q. I. c. *advocavit*. Et talem dicit B. Augustinus præcisum à corpore in libro de quæstionibus Evangeliorum.

Hoc præsupposito, probatur quòd recessus fuit licitus. Nam lex veteris testamenti præcepit sic dicens: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent. Et habetur VII. q. I. c. *Denique* & exponitur impiorum, id est schismaticorum, qui tamen schisma non fecerunt, ut ibi dicit textus. Erat enim illorum factum dispositio ad schisma, & 4. Reg. 13. c. propheta fuit prohibitus panem comedere cum illis qui schisma fecerant, & tangitur in illo c. *Denique* cum supra allegatis. In novo etiam testamento prohibitum fuit apostolis ne irent in viam Samaritanorum qui erant schismatici, per hoc schismaticos æquiparans gentibus. Ex quibus luculenter apparet quod ex legis veteris & novæ dispositione fideles nedum à communione & consortio schismaticorum se debent subtrahere, sed etiam illorum qui se disponunt ad faciendum schisma, si talem dispositionem in actum producant, & correcti desistere nolunt. Nam infatuatum sal, per quod malus prælatus per modum supradictum designatur, ad nihilum valet ultra, nisi ut projiciatur foras & conculcetur ab hominibus, sive porcis.

Item, quòd tum ex dictis sanctorum & dispositione canonum, non solùm facientes schisma sunt schismatici; immò etiam superioris facientis & patientis schisma, dum vitari potest & negligitur, sit vitanda communio, & ab eo quis debeat esse in antea separatus, est textus XXIV. q. I. c. *Omnis qui*, ubi de schismatico est expressum. De prælato schisma patiente textus fuit B. Ambrosii causa eadem & q. c. *Advocavit*, ubi patet quòd B. Cyprianus martyr communionem Satyri aliàs catholici evitavit, quia patiebatur in partibus suis schisma, & ibi redditur ratio, quòd licet circa Deum fidem tenebat, non tamen circa Ecclesiam cujus membra dividi patiebatur.

Sive ergo D. BENEDICTUS dicatur schismaticus, sive quòd patiatur schisma, id quod nullo modo excusare valet, domini cardinales ab ejus consortio & communione vel obedientia recedere potuerunt licitè, cùm & eadem dispositio sit de hæretico papa & faciente schisma XV. dist. c. *Sicut* cum ibi notatis per Glossam.

Tertiò inducitur auctoritas & dictum B. Isidori fundatum ex auctoritate Pauli, quæ est ad » Gal. I. cap. Si is qui præest fecerit, aut quic» quam à Domino prohibitum jusserit facere, aut » quod scriptum est præterierit, aut præterire » mandaverit, S. Pauli sententia ingerenda est » dicentis: *Et si nos aut angelus de cælo evangeliza*» *verit vobis aliud præter quàm quod vobis evange*» *lizamus, anathema sit*: & habetur XI. q. 3. cap. *Si is qui præest*, & exponitur ibi, *anathema* sit, id est separatus à communione & consortio vel obedientia. In quantum igitur D. BENEDICTUS aliàs notatur de hæresi vel schismate, est hujusmodi: & sic quamvis præsit, separare se possunt ab ejus consortio fideles seu communione vel obedientia. Falsi enim sacerdotes & episcopi hypocritæ & seductores populorum, si correctionem admittere noluerunt, ab eorum communione est abstinendum XI. q. 3. c. *antecessor*.

Præterea est opinio Innocentii III. tit. de sent. ext. c. *inquisitioni* quod si papa præcipiat aliquid quod sapiat hæresim vel ex quo timeatur status Ecclesiæ perturbari, vel multa mala sequi, ei obediendum non est. Sed si considerentur ea quæ supra præmissa sunt, ex his quæ fecit & facit dominus BENEDICTUS, dixit & asseruit, ac passus est, notatur nedum de hæresi, immo & clarè de schismate, ac ei obediendo & eum in tali statu fovendo, turbatur status universalis, & mala quæ enumerari non possunt sequuntur. Et ideo ab ejus communione recedi potuit. Ad hæc ne plusquam expediat sint subditi, quia sic compellerentur ejus vitia venerari. II. q. VII. c. *admonendi*.

Et si dicatur quòd in eo quod præceperit, si illa sequitur, obediendum non sit, & ita loquatur illa opinio, sed in aliis licitis sit obediendum juxta c. *Julianus* XI. q. 3. Et sic domini cardinales à totali communione recedere non potuerunt. Respondeo quod illud locum habet ubi in aliis præstare obedientiam tali superiori fomentum non præstat ad sua delicta, tunc in illicitis obediendum non est, sed in aliis licitis obediendum est. Alias totalis obedientia subtrahenda est, si ex illa in suis delictis foveretur in sua malitia, maximè quoad illa quæ fidem vel generalem statum Ecclesiæ concernere possunt. Nam utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quàm esurienti panis frangatur, ut injustitiæ deditus acquiescat V. q. V. c. *non omnis*. Et hoc faciendum est etiam superiori, ad hoc ne totum, quod absit, corpus invadat morbus, si languor non fuerit sanatus in capite II. q. VII. c. *Sicut inquit*. c. *Julianus* non obstat: quia Julianus tolerabatur ad hoc, ut non suscitaret adversus christianos scandalum, ut in nota Glossæ. Aliàs cùm esset hæreticus, in nullo esset obediendum ei, ut ibi notatur: sed id quod fiebat erat ne pejus scandalum eveniret, ut ibi notatur.

Præterea si cum diligentia ea quæ supra sunt præsupposita attendantur, domini cardinales in consortio, communione vel obedientia domini BENEDICTI manere non poterant absque animarum suarum periculo & creatoris contumelia, attento quod sic manendo laborare non poterant ad unionem habendam Ecclesiæ, immo inviti trahebantur ad viam domini BENEDICTI; & sic in errores & perpetrationem schismatis. In quo casu obedientiæ vel servituti non sunt obnoxii, juxta dictum Apostoli supra allegatum. In tali casu Deo est obediendum, & non homini. In tali etiam casu conjugis consortium, & etiam certo casu solvitur matrimoniale vinculum aliàs indissolubile nisi per mortem. De

divort. cap. 4. & de co. conjugis cap. fi.

Ultimò est sciendum, quòd hæc culpa schismatis quæ in domino BENEDICTO notatur, per quam schismatici foventur in schismate & errore, & per quam sua obedientia divisa est, & in qua schisma inducitur, si in pertinaciam deducta sit in eo, prout & reputo satis evidenter, ex quo pertinaciter inhæret sectæ suæ & opinionibus erroneis antedictis, in hæresim transit juxta notata per Glossam XXIV. q. 3. c. *inter schisma*, & etiam per alios notatores, de quibus supra facta est mentio, & ita sive directè notetur de hæresi, sive per contumaciam schismatis, præcedentes conclusiones supra tactæ, &c.

Nec obstat quòd Glossa dicit in Summa XXIV. q. I. c. *didicimus*, quòd schisma sic non cadit in Romanum pontificem, ut ex hoc dicatur hæreticus: immo nec propriè schisma in eo cadit, quia eo ipso quo quis se dividens à capite schismaticus dicitur, papa schismaticus dici non potest, cùm à seipso ut est caput Ecclesiæ vel vicem capitis gerens, dividi non possit; sed eo ipso quo facit vel patitur quod membra à sua recedant obedientia, & inter subditos invalescat divisio, vel jam divisos fovet in schismate, unioni impedimenta præstando, & extirpationem schismatis negligendo, tunc schismaticus dicitur, & schisma fovere censetur, & erga Ecclesiam fidem non observare, ut dicit textus XXIV. q. I. c. *advocavit*, & facit quod ibi notat Arch. super verbo *patiebatur*, & quod notat Glossa * XCVI. dist. c. *Sicut*. Non obstat quod dicitur de Roboam aut dici posset, cujus culpa decem tribus divisæ sunt à regno, & tamen schismaticus non dicitur; sed ipsæ decem tribus se dividentes, ut VII. q. I. c. *Denique*. Quia culpa Roboam non fuit causa immediata illius divisionis, sed potius culpa patris sui idola adorantis, ut patet in eadem historia. Sed culpa D. BENEDICTI est causa proxima & immediata divisionis noviter exortæ & durationis antiquæ: & ideo schismaticus dicitur, & schisma fovere censetur. Ita solvitur contrarium quod formatur circa finem c. *cùm in cunctis* de elect. & c. *quia diversitatem* de concessione præbendæ.

* Al. XV.

Et licet prædicta quæ supra posita sunt in facto veritatem contineant; tamen oportet quòd de prædictis dominus BENEDICTUS convincatur, & super illis audiatur sua defensio vel excusatio. Et fieri non possunt sine concilio nostræ obedientiæ; quæ est in hoc casu judex competens juxta notata per Arch. c. *in fidei favorem* de hæret. lib. VI. & III. c. *Si papa* XL. dist. Et quod notat Glossa ord. III. c. *Si duo* LXXXIX. dist. per quod patet quòd est necesse quod concilium declaret utrum papa esse desierit, vel à papatu veniat dejiciendus vel non. Aliàs enim etiamsi ex prædictis causis papa esse desierit, ante declarationem alius loco ejus eligendus non est, cùm nihil aliud esset quàm novum schisma in Ecclesia inducere, in magnum Ecclesiæ & fidei scandalum, ut docet experientia ex principio istius schismatis: licet ante dictam declarationem scientes veritatem præmissorum, potuerunt à suo consortio seu communione recedere, ut supra est tactum.

Et hæc sint dicta & scripta sub correctione Ecclesiæ Romanæ & universaliter melius sentientis, offerens me paratum stare veritati quandocumque de illa apparuerit, & errorem revocare, si opus fuerit in præmissis, omni pertinacia quoad præmissa & alia procul pulsa. Deo gratias.

TRACTATUS CARDINALIS PICTAVIENSIS QUI ETIAM PRÆNESTINUS DICEBATUR.

In quo exponit quædam motiva ad concilium generale convocandum pro tollendo schismate.

AD finem quod appareat quòd antequam fiat congregatio universalis utriusque partis, est expediens, utile, immo necessarium quod convocetur & teneatur concilium generale hujus Ecclesiæ catholicæ, deducitur per ea quæ infra sequuntur.

Primò præmitto aliqua mala gravia & evidentia, quæ nunc, proh dolor! sunt in Ecclesia Dei.

Secundò submitto aliqua graviora, quæ disponuntur & verisimiliter præsumuntur ventura, nisi hoc fiat.

Tertiò submittam bona aliqua quæ sequentur ex dicto concilio, & mala plurima quæ vitantur, immo & per dictum concilium mala quæ jam sunt, & quæ disponuntur sufficienter, excluduntur, & vitantur.

Quartò respondebitur ad suspiciones, quas nonnulli habent de aliquibus inconvenientibus, quæ ut dicunt possent sequi, si dictum concilium teneretur.

Ad primum veniens dico, quod plurimorum animæ remanent in peccatis, licet velint confiteri, quia non est qui eos absolvere possit; cùm talia sint peccata, de quibus non nisi solus papa absolvere potest. Et si inferior præsumeret absolvere, deciperet peccatorem, & gravissimè peccaret. Et hoc maximè haberet locum, si major pœnitentiarius & alii minores, quorum officium numquam expirat, sed est perpetuum, etiam sede vacante, non permitterentur uti officio suo. Nimis enim peccator quilibet gravatur peccatis suis; & esset gravissimus peccatorum qui non permitteret peccatorem absolvi à peccatis suis. Isti enim pœnitentiarii habent potestatem absolvendi ab omnibus peccatis etiam reservatis, ratione officii sui: licet Romani pontifices aliquando de aliquibus licet paucissimis interdicant eis, sicut hæc continentur in eorum formulariis ad plenum. Et id quod dictum est de peccatis conformiter habet locum in sententiis juris vel hominis, quarum absolutiones Romani Pontifices sibi reservarunt, à quibus nullus inferior potest absolvere nisi in casibus à jure expressis.

Item, perit justitia in multis. Si enim aliquis

gravetur ab aliquo exemtorum, qui non habet A superiorem nisi papam, v. g. abbas Cluniacensis vel Cisterciensis; vel etiam si gravetur ab aliquo qui non habet superiorem, sicut archiepiscopus, non est qui posset eum à gravamine suo relevare. Et sic possunt de facto opprimere omnes subditos suos, nec illi habent ad quem recurrant, qui possit eos relevare ab oppressionibus suis, & frustra appellarent. Et hoc præsertim locum habet, si cancellarius Romanæ curiæ non permittatur uti officio suo, cujus officium est committere causas quæ sunt de justitia, B quando recurritur ad sedem apostolicam, cujus potestas plenius continetur in formulariis suis.

Item, intruduntur in prælaturis & beneficiis de jure communi reservatis notoriè, injustè, sine titulo; & isti potius videntur mercenarii quàm pastores. Certum est enim quòd reservationes quæ erant de jure communi vel aliàs factæ ante subtractionem non sunt remotæ, nec revocari potuerunt; & illi qui sic recipiunt, recipiunt in grave periculum animæ suæ & subditorum C quibus videntur præfici; & cùm numquam in regno isto fuerunt alias factæ notoriæ intrusiones, timendum est quòd erit hoc non solùm in animarum periculum, sed etiam in notam & confusionem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum istius regni, ubi consuevit semper esse exemplum totius honestatis super omnia alia regna.

Item, sunt divisiones in ista parte. Multa enim regna sunt, sicut Arragonum, Navarræ, Scotiæ, & Cypri, & in partibus Sabaudiæ, quæ D se non subtraxerunt, nec videntur disposita ad subtractionem faciendam: quin immo improperant illis qui se subtraxerunt; & jam videntur divisiones insurgere, adeo quod illi de civitate Avenionensi, & illi de comitatu Venayssini, cùm vadunt in Sabaudiam, causa negotiationis, vel alias, dicuntur eis improperia, & malè recipiuntur.

Et propter dictam divisionem videtur impediri conventio universalis utriusque partis, quæ est necessaria ad habendam pacem. Illi enim E de parte adversa videntes quòd divisio est in parte ista, supponent quod illa divisio pugnat pro eis, & faciet ruere partem istam, quod Deus avertat. Et si alias essent inclinati ad veniendum ad congregationem universalem, propter istam divisionem desistent, sperantes pervenire ad intentionem suam, & gloriam victoriæ reportare ex hoc solo quòd inter nos sumus divisi.

Item, studentibus qui laborant in scientia F acquirenda & viris litteratis non providetur de beneficiis, sicut sufficientia eorum & necessitas exigit, de quo est magnum damnum toti ecclesiæ, quæ viris litteratis dicitur indigere.

Item, ista pars, in qua est ecclesia catholica ex præmissis & multis aliis deprimitur & debilitatur graviter, & nisi provideatur, dispositio videtur ad ruinam: altera verò pars exaltabitur & fortificabitur intrusus in mala opinione sua.

Sequuntur mala quæ disponuntur.

Primò subdivisiones & verus discessus & diminutio hujus partis, quoniam aliqui ex principibus, sicut dicitur à multis, nisi provideatur, disponunt se ad neutralitatem, nisi Deus avertat. Et si hoc fieret, discederent in totum ab ista ecclesia: & cùm non habeamus certitudinem, si illi de parte contraria, qui obediunt intruso, voluerint illum cogere ad pacem ecclesiæ juxta viam conceptam, non videtur bene consultum, quòd propter id quod est incertum nobis, permitteremus adeo ecclesiam Dei graviter debilitari. Ea propter providendum videtur ne tantum malum contingat.

Item, disponuntur in regionibus illis, in quibus non sequuntur viam in isto regno ordinatam, privationes beneficiorum quantum ad omnes qui istam viam amplexantur, cardinales & alios; & ex omnibus istis odia & rancores insurgent inter illos & istos, ex quibus quanta mala insurgere poterunt, quilibet ratione fruens intelligere potest.

Item, illi qui non concurrunt in via hic ordinata, non concurrent in procuratione pacis & unitatis eclesiæ, & sic non erit procuratio tantæ efficaciæ, nec ita cito poterimus pervenire ad pacem. Et ista pars videbitur tota confusa propter tantam divisionem: idcirco providendum esset.

Item, si fieret universalis congregatio quòd venirent illi de parte adversa omnes, & illi qui sunt in via hic determinata, sed non illi de ista parte qui non sequuntur dictam viam, periculum esset ne starent determinationi quæ reciperetur ibi. Ea propter modis omnibus possibilibus & honestis providendum esset ne contingat.

Item, quamdiu Ecclesia stabit in istis terminis, dispositio videtur satis evidens ut pereat, nisi Deus provideat. Si enim antequam fieret concilium partis hujusmodi contingeret dominum Benedictum decedere, & cardinales procederent ad electionem alterius, illi qui se non subtraxerunt, non obedirent ei. Improperant enim cardinalibus quòd sint schismatici propter guerram factam domino Benedicto. Illi etiam de Castella non obedirent illi qui eligeretur. In subtractione enim quam fecerunt, dixerunt quod non obedirent alteri quam domino Benedicto, nisi esset unicus universalis utriusque partis, & sic ille qui eligeretur, non recognosceretur, nisi à solo regno Franciæ, & paucissimis aliis.

Hæc autem omnia mala quæ supra narrata sunt, tollentur, si fiat concilium generale hujus partis, & nedum mala ista cessabunt, sed multa alia utilia & expedientia ex dicta congregatione sequentur.

Sequuntur infra bona quæ ex hoc sequentur.

Primò firmabitur unitas istius partis & tolletur omnis suspicio rupturæ. Super quo sciendum est, quòd duæ sunt causæ ex quibus moventur

illi qui non concordant huic viæ. Prima est, quia cùm tangerentur omnes de Ecclesia pariter, non fuerunt ad deliberationem vocati. Secundò quia non fuerunt eis communicata motiva propter quæ hoc factum est. Et eo casu quo fieret concilium, ubi omnes essent vocati, communicarentur eis motiva & rationes eorum quæ facta sunt, & creditur verisimiliter quòd contentarentur & pacificarentur in animis suis.

Item, tunc erit fortior ista pars sic unita, & apparebit potius propter honestatem & bonum ordinem, quem decet ecclesiam catholicam, quod hæc est, sicut revera est Ecclesia catholica. Et erit major honor principum & aliorum istius partis, si sic communiter & rationabiliter omnes tendant ad pacem: alii autem de parte alia qui nullam inter se fecerint congregationem, non sic rationabiliter & honestè convenient ad universalem congregationem.

Item, procurabunt omnes de parte ista pacem, & per viam renunciationis, quia omnes principes & regiones istius partis satis in hanc viam concordant hodie, & fortassis concurrent omnes in via subtractionis auditis rationibus quæ exponentur eis. Et eo casu quo non concordarent omnes in via subtractionis, saltem concordabunt in duobus, in procuratione pacis & via renunciationis, quod non est modicum, quoniam melius videtur eos concordare nobiscum in dictis duobus, quàm si essent à nobis divisi in omnibus, & fortè impeditores pacis, quod absit.

Item, contribuent omnes Ecclesiæ totius istius obedientiæ ad expensas, sicut justum est, quia commune negotium est omnium ecclesiarum. Ecclesiæ enim istius regni non possent supportare omnes expensas, nec est justum quòd faciant. Sunt enim propter guerras quæ tamdiu viguerunt, & alia multa onera aggravatæ & nimium depauperatæ, plusquàm ecclesiæ quæ stant in aliis regnis: Et ideo aliæ faciliùs supportare poterunt, quia usque in præsens nihil exposuerunt de suo.

Item, ordinabitur ibi quòd interim usque ad dictam universalem congregationem, qua Deo auctore fiet pax, quod Ecclesiæ in omnia justitia & honestate regantur, sicut decet, nec aliquis alienam potestatem usurpet, nec major minorem vi opprimat; & omnis status Ecclesiæ in bono ordine conservetur, dissensiones & schismata & omnia inconvenientia evitentur, ne Deus qui est auctor totius boni operis offendatur in aliquo; Sed potius preces incessanter ab universis ecclesiis effundantur ad eum, ut ipse placatus precibus fidelium, hoc tantum bonum suæ Ecclesiæ largiatur.

Item, ordinabitur quòd provideatur de beneficiis viris studentibus & aliis litteratis, qui per multa præterita tempora fuerunt neglecti, non sine damno universalis Ecclesiæ, nec fortè Dei offensa.

Item, ordinabitur de eis quæ facienda erunt in congregatione universali, quoniam antequam fiat, oportet omnia quæ fienda ibi erunt prævidere, & providere ad finem quod cum magna providentia & discretione omnia tunc fienda procedant, sicut decet talem actum & tales personas, quia majus negotium vix posset contingere in toto mundo.

Item providebitur nedum contra mala illa quæ supra sunt expressa, immò & contra alia quæ declarabuntur expressius tunc, & etiam contra illa quæ medio tempore insurrexerint: quoniam proh dolor! omni die mala multa videntur insurgere, quæ non possunt prævideri omnia.

Item, quantùm ad dominum BENEDICTUM, ipse tenebitur quantum in ipso erit implere omnia de quibus requiretur per Ecclesiam universalem pro bono dictæ Ecclesiæ, & ad hoc est à sanctis patribus obligatus, & primò obligabitur ad procurandam & prosequendam, & quantum in eo erit perficiendam pacem ecclesiæ etiam per viam renunciationis, nec contradicere poterit, nec umquam ipse vel aliquis alius allegare poterit, quòd ipse promiserit per violentiam, vel prosequatur sicut nonnulli videntur velle dicere, quoniam quòd requiretur ab eo per concilium, nullus umquam poterit dicere fuisse injustum.

Item, ipse obligabitur ad renunciandum, etiam ejus adversario non renunciante, si per ejus renunciationem ecclesia ita notabile augmentum reciperet, ut si dicamus quòd omnes de obedientia intrusi nollent ad universalem congregationem venire pro pace Ecclesiæ, sed aliqua notabilis regio illius partis, ut dicamus Almannia vel aliqua alia, & vellent discedere ab intruso, eo quod per eos requisitus nollet venire ad viam pacis, dicerentque se nolle obedire domino BENEDICTO quem reputaverunt intrusum. Sed si daretur ordo ab utraque parte eligendi unum tertium, eo renunciante, illi obedirent. In isto concilio istius Ecclesiæ catholicæ, obligaretur ad renunciandum eo casu. Super quo sciendum quòd in requisitionibus, quibus ipse fuit requisitus ut renunciaret pro pace Ecclesiæ, fuit requisitus duobus contingentibus, videlicet si pax universalis Ecclesiæ sequeretur, & adversarius renuntiaret: & in istis terminis neutrum contingeret; & propterea diceret se fortè non teneri virtute requisitionis sibi factæ, & promissionis quam fecit; sed in isto concilio obligaretur ad hoc.

Et advertendum quòd in schismatibus præcedentibus aliqua fuerunt quæ per unum actum non potuerunt universaliter tolli, sed per partes, sicut patuit in schismate quod fuit tempore Innocentii II.

Item, declarabitur ibi de his quæ sibi objiciuntur, videlicet quòd errat in fide: indecens enim esset quod priusquam hoc fuisset declaratum, perveniretur ad universalem congregationem: esset enim magna confusio inter nos, quod aliqui dicerent contrarium, & oporteret in congregatione universali, si convenissemus omnes simul, quod prius istud examinaretur per partem istam: & sic impediretur propter hoc ad tempus congregatio universalis. Si enim pertinaciter errat in fide, papa non est, & frustra quæritur

quæritur ejus renunciatio, nec ipse posset auctorizare aliqua ex his quæ facienda erunt tunc; essetque opprobriosum omnibus principibus hujus partis, & toti Ecclesiæ eum repræsentare ut papam si papa non est. Et quia hoc dictum est, non à paucis, sed à multis personis, etiam magnæ auctoritatis, necessarium est prius veritatem super hoc videre propter præmissa.

Item, nescitur si tempore istius tribulationis durante, dum erat inclusus in palatio, fecit aliquos processus, qui possent esse impeditores pacis, utpote si privavit cardinales dignitate sua, vel inhabilitavit ad eligendum Romanum pontificem. Hoc enim posset impedire formam pacis, si fecisset: quoniam dicitur quòd utroque renuntiante, anticardinales prius habilitati & veri cardinales, eligerent tertium. Et quod processus fecerit suspicionem præstant duo, primò consistoria quæ tenuit tunc, ut patuit per pulsationem campanæ horis & diebus consistorialibus factam; & id quod dixit aliquibus nunciis regis, videlicet quòd si contingeret eum in ista tribulatione decedere, impossibile erat umquam in ecclesia habere verum papam: propter quod expedit scire prius veritatem: & si aliquos processus fecerit, quòd revocet; & de hoc requiretur in dicto concilio. Et si diceretur quòd processibus suis, si quos fecerit, non obediretur, creditur verum ab illis qui se subtraxerunt ab eo, sed credendum est quòd illi qui se non subtraxerunt obedirent.

Item, ex tunc cessabit via facti, quæ multum reputata est inhonesta communiter ab omnibus, præsertim ab his qui non noverunt omnia motiva. Et cessabit tunc suspicio recessus domini BENEDICTI, qui in dicto concilio artabitur ad omnia quæ dicta sunt; & etiam, si expediens fuerit, ad non recedendum de loco Avenionensi usque ad tempus dictæ congregationis, & hoc sub pœna perdendi papatum, quem faciendo oppositum illis quæ promisisset, fateretur hoc ipso se dimittere, & ei per hoc renunciare.

Nunc restat respondere ad suspiciones quas prætendunt aliqui de aliquibus inconvenientiis, quæ ex hoc sequerentur, ut dicunt.

Primò dicet aliquis quod per hoc videtur discedi à viis deliberatis & determinatis, per quas procedendum est ad pacem Ecclesiæ. Ad quod dico, quòd ego nescirem applicare istam consequentiam, sed potius contrarium infertur: quoniam si hoc fiat quod supra dictum est, diligentius & efficacius atque brevius fiet prosecutio, & per modos ordinatos, & largiente Domino pervenietur ad pacem: quia si hoc fiat quod dictum est, omnes conjuncti prosequentur & procurabunt, & communibus expensis, pacem Ecclesiæ per modos ordinatos.

Item, sed dicet aliquis, si fiat istud concilium, dejicietur dominus BENEDICTUS, & alius eligetur, vel saltem fiet vicarius. Ad quod respondetur quòd neutrum horum erit, ex nullo enim casu potest Romanus pontifex dejici ab Ecclesia, nisi sit schismaticus vel hæreticus: quia tunc ipso facto abjectus est à Deo. Non

A enim potest esse caput Ecclesiæ qui de Ecclesia non est. Monstruosa enim res esset, quòd esset caput corporis qui de corpore non est, propter alia autem crimina qualiacumque sint, dejici non potest: immò si contingeret eum mori, non est intentio dominorum cardinalium quòd statim procederent ad electionem alterius, sed expectarent per aliquod tempus, ut viderent, si ex tunc illi de parte adversa se disponerent melius ad viam pacis. De eligendo vicarium

B non oportet habere suspicionem, quia illud potius esset ad impedimentum pacis, quàm ad procurationem, & esset oneri Ecclesiæ, & nullius utilitatis, nec per concilium posset sibi dari aliquid de potestate apostolica, essetque hoc totum derisorium & alias inauditum: quare nullo modo hoc suspicandum est.

Sed dicent aliqui, si fiat concilium, restituetur ei obedientia. Et ego pono magis verisimiliter contrariam opinionem; quòd si non fiat concilium, ei restituetur: & hoc est magis verisimile.

C Primò quia rationes & motiva quare fuit facta subtractio paucis notæ sunt: quia forte à centum vix est unus qui noverit. Tunc autem omnia motiva communicabuntur omnibus, & alia quæ tunc non fuerunt dicta, quibus verisimile est quod pacificarentur conscientiæ multorum. Et ibi deducetur principaliter id quod est magis expediens ad pacem Ecclesiæ procurandam. Et cùm intrusus nolit condescendere ad viam pacis, expediens est quòd artetur ab his qui sunt de parte sua. Et ad hoc ipsi instigantur per partem istam, ut sicut & nos feci-

D mus, ita & ipsi faciant. Ad hoc enim ut mala quæ sunt & formidantur in ipsa Ecclesia, & confusio inordinata, quæ est in regimine ipsius, ponantur in bono ordine Deo grato, & procuretur ut perveniatur citius ad pacem Ecclesiæ, fieret dictum concilium: quoniam omni timenti Deum videre tantam confusionem, quanta, proh dolor! est in Ecclesia, languor est maximus & afflictio spiritus, potissimè quia per concilium, de quo dictum est, potest facillimè provideri super hoc.

E Sed dicent alii: expedit audire responsiones quas fecerunt principes & prælati, ad quos propter hanc causam missum est. Et ego non video rationem hujus, qualemcumque responsionem fecerint. Si enim concordaverint venire nobiscum, & etiam per modos ab ista parte ordinatos, tunc expediens est, immo necesse, quòd istud concilium præcedat, sicut supra tactum est. Si verò non concordarent, quod absit, ut quid staremus diutius in ista ordinatione in qua stamus, & differremus tenere concilium, ubi

F ordo statueretur conveniens?

Non audivi contra conclusionem alia allegari, quàm illa quæ immediatè scripta sunt, & libenter audirem quemcumque de ratione loquentem in ista materia: quoniam sicut decet omnem fidelem in hac parte, nollem sequi nisi quod crederem Deo magis acceptum, & Ecclesiæ suæ expediens, seclusa omni affectione humana, & exclusa omni consideratione inordinata.

Item, videtur mihi quòd etiamsi omnia illa A inconvenientia quæ supra tacta sunt contra conclusionem, ad quæ videtur sufficienter supra responsum, essent vera, & adhuc decuplata, & ponerentur in statera cum malis & inconvenientiis quæ sunt & formidantur verisimiliter in Ecclesia Dei, sine comparatione præponderarent mala & inconvenientia supradicta, si non fiat concilium, omnibus aliis quæ pro parte opposita allegantur.

B

CONRADI DE GEILENHUSEN ECCLESIÆ WORMATIENSIS PRÆPOSITI.

Tractatus de congregando concilio tempore schismatis.

Ex ms. Gemmeti censi.

SErenissimo principi domino CAROLO regi Francorum gloriosissimo CONRADUS de Geilenhusen nominatus Præpositus ecclesiæ Wormatiensis in terris secundùm beneplacentem voluntatem Domini sapienter imperare, C & tandem in cœlesti hierarchia Regi regum feliciter conregnare.

Quis sum ego, aut quæ vita mea, vel quæ cognatio patris mei, ut scribam regibus aut etiam repugnem legibus? Rex namque mandavit manum ad calamum applicari, & lex imperavit matrem honorari. *Honorem*, inquit Tobias, *habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Quod congruè accepi, potest non solùm de matre carnali, quæ me D vagientem in mundum generavit; sed & de matre spirituali, quæ me jam natum filium iræ per fidem, vitam & salutem conferentem, in Christo regeneravit, eo quòd omnia in figura contingebant illis. An non spiritualis mater nostra Ecclesia, scilicet catholica, sacro sancta, tam in capite quàm in membris innumera pericula passa est? Numquid cùm ipsa virgo immaculata unica formatur, Christus ejus sponsus in cruce lancea perforatur? Cujus amore & exemplo apostoli & innumeri ipsius membra imma- E nissima passi sunt tormenta. Anachoritæ quoque, virgines, & continentes, alii concupiscentias & passiones mortificantes, & in carne præter carnem viventes, propter Deum corpora sua crucifixerunt. Num etiam sancti Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Jeronymus, ceterique sanctæ matris propugnatores & pugiles tam à foraneis ut-puta gentilibus & hæreticis, quàm etiam intraneis, & si non carne saltem corde martyrium sunt perpessi? Quid ad propellenda F matris pericula priscorum gesta temporum opus est ad memoriam revocare vel refricare, cum in his diebus non tam ab inimicis, quàm à filiis propriis uterinam maceriam distendentibus, ipsius viscera gravissime quatiantur, & ab eisdem varios ut parturientis perferat cruciatus? unde scriptæ sunt in corde ejus lamentationes.... ut meritò ejulans atque gemens deplangendo dolorem suum à vertice usque ad plantam dicere possit pro capite: *Caput meum doleo*, *caput meum doleo*, & pro membris officialibus: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*; pro inferioribus verò & fere pro omnibus: *Compages artuum meorum solvebantur, ac ultra spiritum non habebam*; sicque non est in ea sanitas usquequaque: nec mirum, quoniam ex hac moderna miseriali schismatica divisione, experientia cotidiana docente, proveniunt & insurgunt animarum & corporum pericula, corruptioque morum: quoniam hinc jacet strages plurimorum, depressio bonorum & humilium, exaltatio reproborum atque vilium, simplicium seductio, antichristi introductio, gaudium Saracenorum, tripudium Judæorum, commotio atque continuatio guerrarum & præliorum, vastatio terrarum, & regionum & regnorum, spiritualis mutatio virorum fortissimorum, ablatio & dissipatio ecclesiasticorum patrimoniorum sanguine martyrum congestorum, ac fidelium devotione oblatorum: fraudabuntur animæ defunctorum: scandalizatio laicorum, abjectio & vilipensio clericorum: devotio christianorum tepescet, fidei fervor arescet, incorrigibilitas & impunitas delinquentium coacervabit multitudinem apostatarum & inobedientium, fasque nefasque confunduntur, judicia in portis pervertuntur: non ea quæ Dei, non ea quæ justa, sed quæ placita sunt aguntur, dum quisquis de principatu Ecclesiæ contendentium, ut multos sibi fautores alliciat, & partem suam fortiorem efficiat, nulli potenti & petenti præsumet quicquam denegare, quatinus partem adversam possit infirmare, & sic indigni indignè per * me diaboli ad dignitates promovebuntur, virtuosi verò simplices & emeriti, quibus hæc jure divino & naturæ deberentur, aspernabuntur; cultus divinus minuetur, sacramentorum salutiferorum debita ministratio postponetur. Quem unus excommunicaverit, alius absolvet: quod unus relaxat, alter involvit, sicque pravis invalescentibus, bonisque deficientibus, victor sedebit in solio majestatis princeps tenebrarum, artifex iniquitatis, & circumquaque eriget tabernacula tyrannicæ potestatis. Populi catervatim in infernum jam apertum ruunt, innocentes ac simplices satraparum & majorum supplicia luunt: Et ecce dæmonum placatio, divinæque misericordiæ exasperatio, si necesse est ut scandala oriantur, væ illis; ut quid enim nati sunt qui talia machinantur, de quibus B. Bernardus in epistola ad cardinales quæ incipit *Quantum malum*, Rursus, inquit, tales corpus « Christi affigere cruci, rursus latus fodere inno- « xium, rursus vestimenta dividere, atque ipsam « quantum in ipsis est, tunicam inconsutilem in « frusta disrumpere satagunt. Sed revera cùm « JESUS-CHRISTUS pax nostra faciens utraque « unum transiturus ex hoc mundo ad Patrem, « quasi in modum testamenti pacem suis reliquit dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*: profectò ejus se non heredem, sed potius antichristum manifestè demonstrat, qui pacem sacro-sanctæ universalis Ecclesiæ communis matris nostræ non prosequitur & inquirit.

Mala ex schismate provenientia.

* M. Fedis.

Epist. 109.



Quæ quidem benedicta pax & unitas salubriter reformari, & schisma miserabile ac contagiosissimum de medio auferri posse non videtur aliqua via mundi, circumscripto tamen miraculo divino, nisi per viam concilii generalis, prout aliàs regiæ magnificentiæ dixi oraculo vivæ vocis, & postmodum de serenitatis vestræ mandato in quadam brevi epistola regali majestati transmissa, non ut decuit, sed prout minus malè potui, exaravi. Porro quia post hæc vidi & relegi nonnulla opera & tractatus subtiles dominorum magnorum & peritorum valde, quorum calciamentorum etiam corrigias solvere non sum dignus, contrarium omnino sentientium: anxius & pertimescens dixi insipiens in corde meo, quòd scribere tantæ celsitudini de re & tanta, & talibus, ac tantis reverendissimis & sapientissimis patribus & dominis meis contrarium sentiendo obviare supra me est. At verò ex adverso cogitavi quod dormitare & segniter agere in causa JESU-CHRISTI summi magistri & domini mei, contra me est: præsertim cum sicut ipse sine acceptione personarum non solum pro magnis, verùm etiam pro minimis de quorum numero ego sum voluit crucifigi. Ita tam magni quàm pusilli tenentur, ubi de ipsius ac sponsæ suæ præjudicio vel ignominia agitur, ascendere ex adverso, & se murum opponere pro domo Israel juxta vires. Sicque, Domine, inter repugnantium motuum auspicia fluctuans & incertus; tandem tamen spe adjutorii confortatus Altissimi, qui cum potens sit de lapidibus filios Abrahæ suscitare, meam poterit implere insufficientiam: necnon de regia mandatrice clementia, cujus jussionem volui pro possibilitate debili aliquantisper latius adimplere, quæ cùm sit ipsa sapiens, libenter meam sufferet insipientiam; manum mittendi ad calamum ausum cœpi ab ipso primo, qui rerum omnium est finis sine fine, taliter ut sequitur exordiendo.

CAPUT PRIMUM,

In quo ostenditur quod pro reformatione unitatis & pacis sacrosanctæ universalis ecclesiæ expedit, potest, & debet concilium generale congregari vel celebrari.

PRincipum verborum tuorum veritas, inquit ipsa Veritas. Ergo ut simplici animo sententiam puram & veram loquantur labia mea, JESUM-CHRISTUM qui est via, vita, & veritas, de profundis cordis mei humillime genuflectens invoco dicens: Veni Domine JESU.

Salvator prædixit in evangelio circa finem sæculi pseudo-prophetas surgere, & multos seducere, fidelesque suos in mundo multas pressuras habituros; sed tamen portas inferi non prævalituras: proinde, ut ait Apostolus, *oportet esse hæreses & schismata, ut qui probati sunt manifesti fiant.* Unde & oportet nos cum propheta ex adverso consurgere, & murum opponere pro domo Israel, ne simus de canibus mutis, non valentibus latrare, loqui libere recta pertimescendo, humanam amittere gratiam formidantes. Novissime siquidem diebus istis, sive propter peccata majorum, ut quidam asserunt; quos tamen ego non accuso: sive propter delicta miserorum mihi similium; quos ego non excuso: sive propter peccata utrorumque, quod aliqui verius arbitrantur & tenent pro concluso, Deo permittente, adversus sacrosanctæ catholicæ Ecclesiæ unitatem schisma à sæculo inauditum & perniciosissimum insurrexit: cui si quis christianus pro viribus non obviaverit, seque opposuerit, rectam fidem non habere, propriæque matris desertorem, proditorem, infideli deteriorem, immo & antichristi præcursorem existere facto se ostendit. Et quia nonnullis sapientia illustribus, & vitæ sanctitate præclaris apparet hujusmodi schisma damnosum, præter divinum miraculum, nonnisi per concilium generale posse remediari, quibus ego minimus & inutilis ejusdem matris sanctæ, quæ peccatores, qualis, heu! heu! ego sum, non aspernatur, alumnus assentio. Cùm tamen quidam magni & famosi valde contrarium asseverent; & verbo & scriptis Parisius & alibi publicè dogmatizent: Idcirco ut veritas, quæ videlicet & invalescet & in æternum vivit, & obtinet in sæcula sæculorum, inquirendo & conferendo clarius elucescat, præsens opusculum quatuor particulas continebit: quarum prima erit conclusionis principalis persuasiva, secunda erit motivorum quorumdam contrarium opinantium expressiva, tertia principalis propositi per tres considerationes aliqualiter declarativa, quarta ad opposita pro modulo transitiva & epistolæ conclusiva. Protestor autem ante omnia quòd intendo non asserere neque dicere aliquid contrarium veritati, vel quod sit contra bonos mores: paratus non solùm cum beato Hieronymo XXIV. q. I. *Hæc est fides*, in his quæ minus peritè aut parum cautè fortè posuero, ab eo qui Petri & Pauli sedem tenet & fidem, corrigi & emendari: verùm etiam cum beato Augustino XXIV. q. III. *Si homines*, ab anniculo edoceri: detrahentibus autem exemplo agni non resistam, sed obmutescam velut agnus propter Agnum: quodque non intendo ad præsens me quovis modo intromittere, nec quicquam dicere de jure vel non jure dominorum contendentium de papatu; sed ad suadendam dumtaxat conclusionem consiliativam, pro modulo militare. Et quia quomodo ipsa tangit aliqualiter ea quæ sunt facti, expedit rationes pro ea adducendas tam ex jure, quàm etiam ex aliquibus factis deduci: ideo non poterunt adeo esse breves & circumcisæ formæ, sicut bene vellem, de quo peto veniam.

Est autem conclusio principalis ista, quòd pro remediando & de medio auferendo schismate moderno, expedit, potest, & debet concilium generale convocari. Quæ tribus rationibus probatur. Funiculus enim triplex difficile rumpitur: & deinceps allegationes interferentur. Et ex causa prima ratio talis est: Si illud quod minus videtur inesse, inest; & id quod

Marginalia: 1. Cor. 11. — Ezech. 13. 5. — Tractatus quatuor partes — Conclusio principalis.



magis; sed minus videretur quod in casibus minoris ponderis & periculi quàm sit casus præsentis schismatis concilium convocari deberet: & tantum pro talium discussione fuerunt generalia concilia celebrata. Ergo fortiùs pro discussione moderni schismatis potest, expedit & debet generale concilium convocari.

Major & consequentia patent non solùm ex traditionibus Peripateticorum, sed etiam ex discursu sacræ scripturæ & canonum. Nam I. Regum XVII. rex David ad Saül de interfectione Goliæ arguit per locum à minori affirmative. Et salvator Matthæi VI. ibi *Respicite volatilia cœli*, &c. Et Lucæ XI. ibi *Si ergo vos cum sitis mali*, &c. Similiter & canon XXVIII. di. *Si in laicis*. de elect. *Cum in cunctis*. Et de re. & ve. sancto. in Clement. *Si Dominum*, cum multis similibus.

Sed minor declaratur. Et transitis his quæ sub umbra legis fiebant, ad Hebræos x. cujus tempore nonnumquam pro arduis expediendis Synagoga extitit congregata, ut patet Numeri XXVII. & VIII. q. I. *licet*. Ergo ad ea quæ tempore veritatis & gratiæ gesta sunt nos conferamus. Constat namque à primordio nascentis & succrescentis catholicæ Ecclesiæ per apostolos quatuor fuisse concilia generalia celebrata. Primum cum collecto fratrum cœtu, præsentibus XI. apostolis, necnon MARIA matre JESU, & fratribus ejus, fusis ad Deum precibus, Mathiam apostolum in locum Judæ proditoris elegerunt, ut habetur Act. x. & XXI. dis. c. I. in prin. & XXVI. q. II. *non statim* & *non exemplo*. Secundum cùm apostoli convocantes multitudinem discipulorum elegerunt VII. diaconos, S. Stephanum & consortes per orationem & manus impositionem Act. VI. Tertium celebratum fuit ad non imponendum legalia gentibus. Cùm enim surrexissent quidam de hæresi Pharisæorum, dicentes quod oportet circumcidi, & servari legem Moysi, convenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc; & tunc hoc placuit apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros, &c. Act. XV. Quartum ad tollendum legalia ad tempus. Nam cum Paulus & consortes venissent Jerosolymam sequenti die introibant ad Jacobum, collectique sunt omnes seniores. Actuum XXI.

Nec obstat si forsitan diceretur, quod tunc propter paucitatem christianorum facile fuit omnes Christianos in unum convenire ad concilium generale; sed secus est modo; quoniam sicut tunc omnes personaliter convenerant ad concilium, ita quoque possunt nunc multi unum vel plures constituere, qui omnium constituentium vel mittentium vices in concilio poterunt repræsentare, & pro ipsis incumbentia expedire. Præterea non est dubitandum quin apostoli jam repleti Spiritu-sancto potuissent sine convocatione generali per epistolas suas, vel modis aliis negotia & causas propter quas concilia convocaverant, faciliter terminasse: nisi quod, ut videtur, dare volebant posteris formam & exemplum, quotiens ardua negotia vel casus magni vel maximi, utpote omnes fideles aut totius ecclesiæ statum contingentes, imminerent, concilia generalia fore convocanda: quoniam non solùm Christi actio nostra est instructio, sed etiam actionem apostolorum imitari debemus: unde & apostolus I. ad Cor. XI. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Item ut ait Isidorus VII. Etymolog. cap. 17. & habetur XV. dist. in prin. Quia ante tempora Constantini augusti non erat facultas, id est locus conveniendi in unum, (scilicet concilialiter, quia de conciliis loquitur:) ideo christianitas in diversas hæreses scissa est. Ex quo patet quod congregationibus conciliorum schismata, hæreses, & multa mala præjudicialia prævideri & præveniri possunt & remediari; & multiplicatis hominibus simul & malitia, non minus, immo magis necessarium videtur concilia congregari. Constat namque quod cùm Constantinus præfatus per B. Silvestrum papam à lepra exterius & per lavacrum baptismi exteriùs & interiùs, fuisset mundatus, & innumerabiles populi ad fidem Christi reversi, nihilominus concilia generalia fuere celebrata forsitan in casibus minoris periculi & præjudicii, quàm sit casus hodiernus: quorum secundùm Gregorium, Isidorum, & Bedam quatuor fuerunt principalia: Primum Nicænum CCCXVIII. episcoporum, mediante Constantino augusto, in quo Arrius hæreticus extitit condemnatus tempore B. Sylvestri papæ præfati, qui ex certa causa eidem concilio non intererat: omnia tamen ibidem constituta sibi mittebantur, ut ab eodem probarentur. Secundum Constantinopolis C. & L. Patrum contra Macedonium episcopum Constantinopolitanum, præsente Theodosio seniore imperatore, sub papa Damaso. Tertium Ephesinum, secundùm quosdam CCC. secundùm alios CC. & IX. episcoporum, contra Nestorium episcopum Constantinopolitanum hæreticum, roboratum per Theodosium principem juniorem, filium Archadii imperatoris, sub Cælestino papa I. Quartum Calcedonense septingentorum XXX. episcoporum contra Euticem abbatem Constantinopolitanum, approbatum per Marcianum augustum sub Leone papa I. Præterea multa alia concilia, de quibus tractat Beda in libro de Temporibus, & habetur in dicto c. *Sexta*, & plura modernis temporibus celebrata.

Quatuor principalia concilia.

Et si dicatur quòd dicta concilia congregata fuerunt propter causas fidei decidendas, & contra hæreticos & hæreses tunc temporis insurgentes: Respondetur quòd casus hodiernus est maximus casus fidei, eo quod tangit caput fidei in terris: ex cujus duratione diuturna non solùm monstrum biceps in Ecclesia ostenditur, sed etiam innumerabiles hæreses pullulabunt. Item unus alium prædicat hæreticum manifestum, & errores hæreticales publicè dogmatizasse: unde summè necessarium est concilium convocari. Et revera si causæ & actiones conciliorum præteritorum tam per apostolos, quàm etiam per alios convocatorum & publicatorum percunctentur; forsitan vix inveniuntur tales ac tantæ, quales & quantæ hodie totum premunt & urgent christianismum; attentis dispen-

diis, scandalis, & periculis emersis & emersuris.

Confirmatur ratio principalis exemplo præfati Constantini augusti, qui donationem, exaltationem, privilegiorum concessionem, ac beneficia alia Romano pontifici, necnon dominis cardinalibus, qui tempore illo non cardinales, sed reverendissimi clerici Romanæ ecclesiæ servientes vocabantur, facere & impendere disposuit unà cum omnibus satrapis imperii & universo senatu, optimatibus etiam, & cuncto populo imperio Romanæ ecclesiæ subjacenti, ut legitur in Palæa. *Constantinus* xcvi. di. & sic super eo videtur convocata fuisse & congregata universalis curia imperialis per mundum, qui fere tunc totus subditus fuisse & imperatori creditur paruisse, cum omnes prænominatos semper penes se non habuerit. Si ergo licuit & expediebat pro rebus temporalibus tunc curiam imperialem generalem convocari: longè fortius nunc debet concilium generale pro salute animarum, & reformatione pacis totius Ecclesiæ catholicæ convocari.

Secunda ratio principalis. Secunda ratio principalis ad idem talis. Quandocumque insurgit factum novum scandalum unitatis ecclesiæ catholicæ divisivum, ex cujus perduratione verisimiliter timendum est statum ipsius ecclesiæ quietum & pacem prorsus subverti ac confundi, & innumera pericula provenire animarum, circa quod non solum plebeii & communes, verùm etiam potentissimi & sapientissimi totius mundi tam ecclesiastici quàm sæculares contra alterutrum sunt divisi, diversa scilicet sentientes & adversa; nec est saltem de facto unicum & concors caput ecclesiæ supremum, ad quod pro decisione hujusmodi facti recursus haberi possit; quin immò de ipso capite dubitatur & disceptatur; proculdubio opus est concilio generali talium dissentionum & periculorum conciliativo & remediativo. Sed schisma quod nunc viget occasione concordis electionis factæ successivè per eosdem dominos cardinales est hujusmodi. Quare opus est concilio generali.

Circa declarationem minoris non est opus insistere; sed major declaratur: quoniam nulla persona mundi, cujuscumque status vel conditionis existat, nec etiam aliqua universitas, seu collegium principale sufficit ad repressionem & remediationem dicti schismatis: sed nec ipsi domini contendentes, aut collegium cardinalium: quod ex hoc patet, quia quamvis utraque pars legatos destinaverit, & ipsimet cardinales se diffuderint ad diversas regiones orbis, & extremum virium suarum extenderint, sicut therebintus extendit ramos suos, prædicando, scribendo, informando, & alia multa faciendo: non tamen dictum schisma cessavit; immo procedit & crescit de malo in pejus; & corda regum & principum & potentium de die in diem contra alterutrum videntur magis ac magis inflammari, & hæreses multiplicantur: quoniam numquam vel rarò schisma est fine hæresi; eo quod scindens Ecclesiæ unitatem hæresim sibi fingit, ut necesse ab Ecclesia videatur recessisse, teste Hieronymo xxiv. q. iii. *inter schisma*. Hæ-

A resis autem habet venenum inficiens & interficiens animam in esse gratiæ, sicut venenum cor materiale, quemadmodum secundùm naturales, cor quod est sedes vitæ, venenum aut continuitatis solutionem non patitur ullomodo; sed nec fides formata, quæ est quasi glutinum & quasi cor mysticum & vita Ecclesiæ catholicæ, quoniam justus ex fide vivit, in domo patitur divisionem, neque venenum infectivum, culpæ scilicet mortalitatis, quæ secundùm Augustinum venenum est caritatis. Hæresis itaque duplex B habet venenum, scilicet errorem in ratione sui, sive aspectu, & est hæresis initium; & pertinaciam quæ est venenum in voluntate sive affectu, & hoc est hæresis complementum, ut notatur per Archidiaconum xxiv. q. iii. *hæresis*. Et accepit ex dictis doctorum sanctorum.

Quantum autem schismatica divisio præsertim unitatis capitis Deo sit dispicibilis, satis patet iii. R. xii. & ii. per al. x. & per B. Cyprianum martyrem vii. q. i. ca *Denique*. Nam uni dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo* C *Ecclesiam meam*. Omnia ergo membra tantò propensiùs pro læsi capitis reformatione exurgere tenentur, quantò magis ipsorum salus ab ipsius capitis incolumitate noscitur dependere. Cumque sacro-sancta Romana Ecclesia, de cujus capite agitur, omnium catholicorum sit mater; ad omnes ei compati, ipsiusque occurrere oppressioni pertinet christianos; ut quod omnes tangit, ab omnibus vel vice omnium tractetur. Necesse est ergo concilium convocari generale; per quod non solùm obviabitur animarum pe- D riculis, sed etiam corporum, cùm reges, principes, & alii potentes & sapientissimi diversa sentientes conciliabuntur, quorum dissensiones sunt periculosissimæ bono publico.

Confirmatur ratio principalis. Sicut se habet synodus episcopalis ad ea quæ emergunt in diœcesi vel provincia: ita suo modo se habet concilium seu synodus generalis ad casus novos arduos concernentes totum mundum: sed casus novi & periculosi emergentes in diœcesi vel provincia per synodum vel concilium provin- E ciale emendantur, corriguntur & ad statum debitum reducuntur. Nam & ibi saluberrima statuta edi possunt. Quare, &c. Ceterùm si imminente necessitate non sit ad concilium recurrendum, ut quid sancti Patres exacta diligentia plurima de hoc conscripserunt, ut patet xv. xvi. xvii. di. per totum, & per B. Gregorium, Isidorum, Bedam, & plurimos alios? Ut quid etiam membranas occupant qui accepti habeantur canones ad hoc conscripti xix. di. *Si Romanorum*?

F Item, necessitate imminente ad concilia est recurrendum, teste Augustino in libro de gratia & libero arbitrio parum post principium, qui loquens de hæresi Pelagiana, contra quam, inquit, hæresim cum fuisset diutiùs disputatum, etiam ad concilia episcopalia novissima necessitate est perventum. Sed nunc est major necessitas. Ergo &c. Hoc etiam insinuat nomen concilii, quod secundùm Isidorum ubi supra, & habetur xv. dist. in principio, tractum est ex

more Romano, qui tempore quo causas agebant, omnes conveniebant in unum, communique intentione tractabant: unde concilium dicitur à communi intentione. Item illa videtur fuisse sententia Hostiensis de decu. §. *quis accusari.*

Tertia ratio principalis.

Tertio & ultimo arguitur ad principale sic. Cujuslibet facti dubii magni & ardui per aliquem vel aliquos inferiorem vel inferiores perpetrati non solum perpetratores ipsos, sed etiam fidem catholicam & universalis Ecclesiæ statum concernentis examinatio, discussio, & diffinitio est ad aliquem vel ad aliquos illius vel illorum superioris vel superiorum referenda; sed sancta mater Ecclesia catholica & universalis, cujus concilium generale est reputatum superior collegio cardinalium, quorum factum fidem & totius Ecclesiæ statum tangens in dubium & quæstionem vertitur, nec est in terris aliquis alius superior, ad quem in hoc casu haberi valeat recursus. Ergo pro examinatione, discussione, diffinitione illius est ad ipsam sanctam Ecclesiam universalem, & per consequens ad concilium generale recurrendum.

Et si diceretur quod ad aliquem de electis in papam ab eis est recurrendum. Respondetur quòd per diffinitionem alterutrius vel etiam amborum similis quæstio vel dubium non cessaret. Major est satis manifesta, quoniam teste Nicolao Papa XXI. di. c. *Denique* inferiores quique à suis præpositis judicandi coercendi sunt, & sola potior inferiorem sedem convenienter distringit & absolvit, & non æquam c. di. *inferior* & in Clementina *Ne Romani* de elect. in principio. Et hac ratione ab inferiori ad superiorem appellatur. 2. q. VI. *Omnis oppressus*, & c. *Placuit*. Sed minor, videlicet quod collegium cardinalium, immò ut quidam arbitrantur, tam papa quàm cardinalium simul, saltem in causa fidei, subsit sanctæ matri Ecclesiæ catholicæ & universali, quam concilium generale repræsentat, multipliciter declaratur. Primo sic. Omnis ecclesia extra quam non est salus nec potest esse saltem in terris, superior est illa extra quam potest esse salus. Sed extra ecclesiam catholicam non potest esse salus in terris, testibus Cypriano martyre XXIIII. q. I. *alienus*. & Gregorio c. *causa* & q. *quia ex sola*. & venerabili Beda c. *quicumque* c. *causa* & q. Sed extra collegium papæ & cardinalium potest esse salus. Ergo. Secundò omnis Ecclesia quæ deviare & mortali crimine extingui non potuit neque potest; est superior illa quæ deviavit quandoque, vel deviare, & errare potest, & mortali crimine maculari. Patet ista major, tum quia ecclesia culpabiliter errans sive mortali peccato maculabitur; est vel esse potest Synagoga sathanæ, quomodo ergo regulabitur immaculata sponsa Christi, quam intactam virginem sibi servat, cum nulla sit conventio Christi ad Belial? Tum etiam quia sicut errare potens in viam pedum non esset idoneus ductor errare vel deviare non potentis; sic suo modo in via morum videtur esse censendum. Constat autem quòd superiores esse debent velut quædam ani-

A matæ regulæ directores inferiorum. Sed Ecclesia universalis deviare, aut mortali crimine maculari non potest: quoniam ipsius fundamentum est Christus, quam firmavit super firmam petram: ideo portæ inferi non prævalebunt adversus eam; & promisit esse cum ea usque ad consummationem sæculi, per gratiam scilicet & caritatem indeficientem: unde domus Dei est & columba unica non habens rugam, neque maculam, nec aliud hujusmodi. Hæc Ecclesia

B per totum orbem diffunditur, incipiens à Jerusalem per loca in quibus apostoli prædicaverunt dilatata, sicut deducit B. Augustinus in epistola sua & coepiscoporum de concilio Cretensi ad Donatistas. Hoc autem de collegio papæ & cardinalium intelligi non potest. Ecclesia verò quæ est papæ & cardinalium, ut multi arbitrantur, deviare, & errare, & mortaliter peccare potest. De papa quidem non est dubitandum. Anastasius enim papa II. qui inciderat in hæresim jam damnatam, dum assellaret

C emisit intestina & à Deo percussus mortuus est, ut legitur & notatur XIX. di. *Anastasius*. Marcellinus quoque Papa idolatriam commisit, qui in concilio Romæ propter hoc congregato sententiam depositionis in se ipsum dictavit, dicens: Ego Marcellinus ob scelus idolatriæ, quod infelix commisi, judico me deponendum: Anathematizo etiam quicumque tradiderit corpus meum sepulturæ; & statim pergens ad Diocletiannum, ultróque profitens se esse christianum, capitalem sententiam suscepit: cujus corpus per XXX. dies jacuit inhumatum: Postea

D B. Petrus apparuit B. Marcello papæ qui ei successerat, & præcepit ut corpus B. Marcellini sepeliret juxta se; & sepelivit illud juxta pedes B Petri: & sic pœnitens gloriosus martyr effectus est, prout hæc leguntur in Gestis Romanorum Pontificum. Sed quid opus est de peccatis aliorum Romanorum Pontificum dicere, cum etiam B. Petrus Dominum & Magistrum suum tertiò negaverit, & cum juramento se nescire hominem responderit: & tamen videtur

E quòd tunc tantæ sanctitatis & firmitatis fuerint Apostoli quantæ nunc sunt papa & cardinales: nam & Christus eorum fidem etiam ante passionem commendavit dicens: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus* Lucæ XXII. Cùm igitur papa peccare & mortaliter deviare possit, & peccaverit qui est caput, & de quo minus videretur; non apparet ratio sufficiens cur cardinales sint impeccabiles. Et si dicatur quod collegium papæ & cardinalium simul deviare vel errare non possit, seu mortaliter peccare, sicut memini me legisse. Sed super hoc dicto

F multi stupent multum: tum quia si sic, Deus qui non novit opus imperfectum, ut in c. *majores*. de Baptismo, exiens de mundo hoc ad Patrem, ecclesiam sponsam suam carissimam magna diminutione & imperfectione dereliquisset, eo quod illud sanctissimum impeccabile & indeviabile collegium per se ipsum completè non instituit. Aiunt enim quidam collegium cardinalium post multorum annorum curricula per puros homines fuisse institutum. Tum quia nec papa

Papa cum collegio Cardinalium potest errare.

cum collegio videntur esse plus in gratia constituti, quàm collegium Petri & aliorum apostolorum; qui tamen omnes tempore passionis Christi in fide vacillabant: nam relicto eo omnes fugerunt. Tum etiam quia dicunt plurimi papam & collegium cardinalium plures concorditer indignos & defectuosos ætate, scientia, & moribus ad dignissima & maxima beneficia ecclesiastica promovisse: quod si verum est, utique erraverunt, eo quod se scire æstimaverant, quod non scierunt. Tales autem errant, secundùm Augustinum Enchiridii cap. xi.

Quod collegium Papæ & cardinalium etiam deviare possint in judiciis; & quod subsint in casu concilio generali, probatur sic, scilicet auctoritate B. Augustini, qui multum movere videtur in Epistola ad Glorium, Elensium, Felices, Grammaticum & reliquos Donatistas: unde ultra medium, ubi loquens de dicto collegio » papæ & cardinalium dicit sic: Quasi verò eis » ad hoc dici possit & justissimè dici: Ecce pute- » mus illos episcopos qui Romæ judicarunt non » bonos judices fuisse; restabat adhuc plenarium » Ecclesiæ universale concilium, ubi etiam cum » ipsis judicibus causa posset agitari: ut si malè » judicasse convicti essent, eorum sententiæ resol- » verentur. Beatus quoque Hieronymus ad Evan- » drum: Si auctoritas, inquit, quæritur, orbis » major est Urbe. Item ad hoc facit quòd Episcopi in concilio præsidentem Symmachum papam ab objectis sibi criminibus pronunciarunt absolutum & immunem. xvii. di. §. *huic etiam.* Præterea hoc patere videtur ex confessione B. » Gregorii, quæ ponitur xv. di. *Sicut* Sicut, inquit, » quatuor evangelii sancti libros, sic quatuor con- » cilia suscipere & venerari me fateor. Constat autem quemlibet papam subesse doctrinæ evan- » gelicæ. Et in fine capituli subdit: Cunctas verò » quas præfata concilia veneranda personas res- » puunt respuo, quas venerantur amplector quia » dum universali consensu sunt constituta, se & » non illa destruit quisquis absolvere præsump- » serit quos ligant, aut ligare quos absolvunt. Ad id facit xxv. dist. q. i. *sunt quidam.* Item hoc idem probari videtur ex his quæ leguntur de gestis B. Bonifacii martyris xl. di. *si papa.* Ubi terminatur quod papa à nemine judicari potest, nisi deprehendatur à fide devius. Ubi Glossa: certè credo quod si notorium est crimen ejus quodcumque, & inde scandalizatur ecclesia, & incorrigibilis sit, quòd inde possit accusari, & per consequens judicari; & constat quòd non nisi per ecclesiam universalem sive concilium. Hinc Glossa xvii. di. c. *concilia* super verbo *potestate*, dicit, quòd Romana ecclesia primatum principaliter habet à Domino, & secundario à concilio & xix. di. c. *Anastasius.* super verbo *concilio* dicit: Videtur ergo quod papa requirere tenetur concilium. Alias concilium episcoporum, quod verum est ubi de fide agitur: & tunc Synodus major est papa xv. di. *sicut* in fine, ubi Archidiaconus dictum Glossæ approbans, adducit art. de. c. *legimus* xciii. di. Et addit quod nimis periculosum esset fidem nostram commitere arbitrio unius hominis: unde & papa in arduissimis ad concilium recurrere & ejus deliberatione consuevit per totum. Item Leo papa in casibus longè minoris ponderis obtulit se judicio Ludovici Augusti ejusque missorum submissurum, & ejus judicio cuncta emendaturum. Item Sixtus papa & Leo papa leguntur de objectis sibi criminibus se coram concilio generali expurgasse. Beatissimus quoque Gregorius ad populum sic inquit: Si quis nos super his redar- « guere voluerit, vel extra auctoritatem nos fa- « cere contenderit, veniat ad sedem apostoli- « cam, ut ibi ante confessionem S. Petri mecum « justè decertet: quatinus sibi unus ex nobis sen- « tentiam suam accipiat. Constat autem quòd ibi « B. Gregorius per sedem apostolicam non intelligit se ipsum, nec cardinales.

Sed ad hoc fortè diceretur quod præfati summi Pontifices hoc fecerunt ex humilitate. Certè fateor optimè sic dici: quoniam si pomposi ac superbi extitissent in regno humilis Christi crucifixi, cui superbi ab initio non paruerunt, cum angelis beatis nequaquam fruerentur laureati; sed potius cum Lucifero, qui est rex super omnes filios superbiæ in imo baratri cruciatibus perpetuis punirentur deputati. Dicti itaque viri sic divinitus inspirati humilitatem verbo & facto eorum successoribus imitabilem ostenderunt. Ergo viri perfecti qui & nomine & statu ipsorum esse volunt, & debent successores, humilis crucifixi & dictorum patrum sanctos imitentur mores: unde & Beatus Jeronymus: Si in apostolorum loco sumus, non solùm sermones eorum imitemur, sed conversationem & abstinentiam. xxxv. di. *Ecclesiæ principis*, & humilitate se invicem prævenientes, ac per concilii convocationem malum schismatis de medio auferentes, humilitate medicinali sursum efferantur, non per humanam superbiam rursus in infernum demergantur.

Confirmatur adhuc ratio principalis exemplo Innocentii iv qui tempore moderno Frederico imperatori Romanorum se satisfacturum obtulit de consilio concilii super hoc convocandi, si in aliquo eum læsisset, & quod magis est ponderandum, sententiam, si qua contra eum egisset, revocare. de re. judi. *ad Apostolicæ* li. vi. Item Hostiensis & doctores moderni tenent quod in casu quòd ex causa depositio cardinalium immineret facienda, generale foret concilium congregandum. Ergo longè fortiùs in casu isto. Item Archidiaconus & Johannes Andreas in Novell. in c. *fidei.* de hære. li. vi. apertè tenent quòd in causa fidei judex competens papæ est concilium, & quòd ipsum concilium potest papam viventem damnare in casu capituli *si papa* xl. di. Si vero defunctus papa accusetur, ejus successor esset judex competens, quod patet in eo quod legitur ignota xxiiii. q. i. c. i. *secundum* J. & lau. & ad c. *nemo* ix. q. iii. & concilia dicunt quòd loquitur de fideli.

Præterea videtur quòd quæcumque partium quærit declinare seu fugere concilium, causam suam tamquam lucem odiens suspectam reddit toti mundo. J. iii. xviii. q. ii. *perniciosam* de

off. *consulunt*. Item Glossa LXXXIX. di. c. *si duo* super. verbo *temeritate*, intendunt quòd si duæ sint factæ electiones, cardinales non erunt judices; quia tunc judicarent in facto proprio, nec aliquis potest superior inveniri, ut in c. *licet* de elect. in fi. & concludit Glossa quòd concilium convocetur. Item ad convocationem illam aspirant multæ personæ vita præclarissimæ & scientia illustrissimæ, tam anachoreticæ quàm aliæ, asserentes constanter hujusmodi schisma nisi per viam concilii, secluso tamen miraculo, non posse terminari. Aspiremus ergo & clamemus omnes pro concilio, eo quod per ipsum pervenitur ad concordiam, pacem & unitatem. Nam sicut dicit Augustinus in epist. ad Donatistas quæ incipit *Caritas Christi* prope finem Deus » in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. Et aliquantulum post de prælatis malis schismatum seminatoribus & valitoribus dicit sic: Non » ergo propter malos in mala dissensione pereamus; sed quicumque illi, & qualescumque » fuerint portent sarcinas suas.

CAPUT II.

In quo ponuntur rationes quorumdam magnorum quibus conclusionem contrariam nituntur demonstrare.

Verum quia multi magni dictæ opinioni adversantur, & eam impugnant; ideo ut veritas, quæ semper vincit collativè aliqualiter discussa clariùs patescat, (quod enim à pluribus quæritur, faciliùs invenitur:) contra eamdem conclusionem argumentantur per tres rationes sumtas ex dictis & scriptis contrarium sentientium, quæ inter alias apparent esse fortiores: quæ si solutæ fuerint, fortè patebit aliqualiter solutio ad alias.

Probatur ergo quòd de jure in casu schismatis præsentis non expedit, nec debet, neque potest concilium generale congregari, pro quo argumentatur primò sic. Quicquid semel per principem vel concilium est definitum, ulteriùs ad nova concilia venire non finitur. Probatur hoc VI. q. IV. *quod semel* & XXIV. q. I. c. *majores*. Sed multifariam multisque modis est diffinitum, quod bonis & dictis dominorum cardinalium est credendum propter eorum gravitatem & eloquiorum veridicas assertiones, de elect. *Innotuit* §. *multa* de app. *constitutus*. & c. *cum parati* & XCVII. di. *nobilissimis*. Et maximè in his quæ ad ipsorum pertinent officium, & quæ facta sunt in conclavi, nec per alios sciri possunt vel probari. de testi. *Veniens* II. & de proba. c. *tertio loco*. Est ergo incunctanter ipsis & eorum dictis & scriptis credendum, nec opus est concilio.

Secundò ad idem argumentatur sic. In nullo notorio actus præmaturi, quod excusationem non admittit, est necessaria sententia, & per consequens nec concilium, nec alius judex quicumque. Notoria enim examinatione non indigent II. q. I. *manifesta*: unde Innocentius in c. *ex parte*. I. de verborum significatione in Glossa dicit quod non est necessaria sententia in crimine vel injuria notoria, & ex consequenti nec concilium, nec alius judex. Sed id quod gestum est in casu schismatis moderni est notorium. Quare, &c.

Tertiò argumentatur sic ad idem. Impossibile est sine auctoritate papæ concilium generale fieri vel celebrari: sed auctoritas papæ pro concilio generali congregando in isto casu, saltem utiliter & effectivè intervenire non potest: eo quod nullus pro tali concorditer habetur, nec cuiquam ut papæ ubilibet per christianitatem paretur: Et si auctoritate alterutrius ipsorum de quibus agitur convocaretur, ex hoc ille habetur velut papa. Et ex hoc infertur quòd nec auctoritate amborum, cum simul summi pontifices esse non possint, &c.

Patet minor, sed majorem deducit quidam doctor ac Dominus famosus valde, & asseruit primò quod si omnes prælati sine auctoritate sedis apostolicæ convenirent, concilium generale non possent celebrare. Probatur XVIII. di. per totum II. q. VII. *ideo* & III. q. VI. c. *dudum*. Et ratio hujus est quod si omnes personæ ecclesiasticæ mundi essent congregatæ alicubi sine auctoritate papæ dumtaxat, singuli super singulos subditos haberent auctoritatem & potestatem: sed nullus eorum super omnes, nec etiam omnes simul; quia sola Romana ecclesia hanc habet potestatem, scilicet de omnibus judicandi IX. q. III. *ipsi sunt* & c. *cuncta per mundum* & usu pal. *ad honorem* & de privil. *ad antiquam*. Tum ergo frustratos labores & sumtus importabiles subirentur, quibus est parcendum. Esto etiam quod omnes simul in uno loco convenirent; tamen non concilium sed conventiculum vel conciliabulum censeretur, ut in c. *multis* XVII. di. Unde etiam ordinatio talis concilii qua præsumeretur aliquem levare in papam de facto sine canonica electione cardinalium non teneret, nec jus faceret ob defectum legitimæ potestatis.

Confirmatur quia de juribus Romanæ ecclesiæ nullus potest determinare nisi papa, de judi. *Cum venisset* de præscript. *Ad audientiam*, de capel. mo. *dilecto*. Sed non potest agi de majori jure & præjudicio Romanæ Ecclesiæ, quàm in casu præsenti. Ergo, &c. Item papa cum sit major concilio, posset totum quod ibi ageretur retractare IX. q. III. *cuncta*. I. & II. de elect. *significasti* & rescript. *nonnulli* & c. *statutum* præallegato & XXVI. di. VI. §. *his ita*. Quoniam ejus sententia prævalet sententiis omnium episcoporum, ut notatur IV. di. *in istis* XV. di. *sicut sancti* XXIII. di. *legimus* XXIV. q. I. *quodcumque* de concess. præben. *proposuit*. Præterea stultus omnino videretur, qui id de quo certus est & indubius verti sineret in quæstionem: quia ex hoc etiam alii multi qui se nunc reputant certos tam de jure alteriùs quàm de statu proprio, inciperent vacillare; & sic non solùm pro persona unica, sed & de omnibus provisionibus & aliis per eam gestis, à tempore quo se gerebat pro papa & citra, in dubium revocaretur; quod multis

minimè videtur expedire. Rationes ad hanc partem possent multiplicari, sed ex dictis fortè solutiones apparebunt.

CAPUT III.

In quo subjunguntur tres considerationes notabiles principalis propositi declarativæ.

SI de causa Crucifixi & communi bono totius ecclesiæ hîc non ageretur, supponerem B digitum ori meo, ne montes tangere, aut os in cælum ponere viderer. Sed quia in veritate comperi, quòd non est personarum acceptor Deus; hinc Petrus, ita, inquit, parvum diligit ut magnum: ideo pro causa sua indifferenter militare tenetur saltem pro viribus, ita parvus ut magnus. Unde cum omni humilitate & reverentia ad ipsas rationes ipso duce tentabo respondere.

Prima consideratio. Ad evidentiam autem dictorum aut dicendorum tres considerationes sunt præmittendæ. C Prima quod sicut in deductione tertiæ rationis principalis ad ostendendum propositum superius adductæ tactum fuit, quòd ecclesia sancta catholica, cujus indefectibile caput est Christus, & ipsa ejus corpus, cui vir unus ex mille Ecclesiastes VII. seipsum ostendit & desponsavit, quam & annulo fidei suæ subarravit, cuique privilegia & libertates contulit ipse Deus, non est collegium papæ & cardinalium, nec aliquod collegium particulare mundi, eo quod quodlibet

Quod collegium papæ & cardinalium non est ecclesia universalis, sed ejus pars. tale potest culpabiliter deficere. Quamvis enim D magna sit præsumtio pro factis papæ quòd bene fiant, præsertim in his quæ ad bonum & malum possunt retorqueri, quia sanctus est. XL. di. *non nos*. Et B. Bernardus de Consideratione ad Eugenium li. 3. Nec, inquit, parvipendendum est „ quod Deum habet auctorem & de cælis duxit „ originem: si tamen ceciderit in peccatum, cadit „ fortiùs & damnabilius. Et etiam alii majores suo modo, teste Chrysostomo. Nam idcirco Lucifer secundùm Gregorium peccans sine venia damnatus est, quia sine comparatione E magnus fuerat creatus. Ecclesia verò quæ est congregatio fidelium in unitate sacramentorum, de conf. di. I. *Ecclesia*, & cujus fides usque ad diem judicii numquam deficiet. *Dilexit enim nos cùm mortui essemus peccato* Ephes. II. & in finem dilexit suos, Johannis XIII. Unde caritas ejus non excidit, de qua Jerem. XXXI. scribitur *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*. Et Isaiæ XLIX. *Numquam oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*, II. q. VI. *ad Romanam*. Et B. Augustinus in F epistola ad Glorium, Eleusium & ceteros Donatistas in fine, Nemo, inquit, delet de cælo „ constitutionem Dei, nemo de terra tollet Ec- „ clesiam Dei. Et idem XXVII. q. I. c. *nuptiarum*. „ Ecclesia fidei, spei, & caritatis integritate non solum in virginibus sacris, sed etiam in conjugatis fidelibus tota virgo est: Unde universæ ecclesiæ, cujus omnia illa sunt membra, dicit

A Apostolus, *Optavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Hæc itaque sancta mater Ecclesia non excludit, sed potius includit papam, & quemlibet fidelem: immo & in solo papa salvare posset sicut & in quolibet alio fideli viro vel femina: Unde fides Christi, cùm omnes discipuli eo relicto fugerunt, in sola Virgine MARIA creditur remansisse. Nam & jus universitatis in uno salvari potest, ut notatur de postu. præla. c. *Gratum*. Hujus autem almæ matris universalis ecclesiæ duo sunt vel esse debent capita subordinata spiritualia; unum quidem principale semper sanum & indefectibile Christus Deus noster, fidei verus rector, quam sibi unam desponsatam & intactam servat virginem: unde acephala esse non potest, eo quòd promisit se nobiscum fore omnibus diebus usque ad consummationem sæculi: quæ promissio cadit in maximam consolationem nostram in hac schismatica tribulatione: semper enim habemus ipsum episcopum & pastorem animarum nostrarum. Aliud est caput Ecclesiæ secundarium, scilicet papa qui est vicarius primi capitis Christi: Unde & Petrus primus papa Cephas est vocatus, id est Caput. Sed istud caput potest quandoque simpliciter non esse, scilicet per mortem; quandoque secundùm quid, scilicet à gratia deficiendo, licet papatus non moriatur. de offi. dele. *quoniam abbas* XVI. di... ex quibus aliqualiter patet, quòd iste terminus *Caput* æquivocè & analogicè dicitur de Christo & papa respectu ecclesiæ catholicæ. Nam Christus dicitur caput Ecclesiæ in quantum gratia personæ singularis exuberans in eo secundum fontalem plenitudinem omnis gratiæ in eo habitantis influit spiritum & motum spiritus & gratiæ in ipsam Ecclesiam, scilicet in omnes qui adhærent ei per fidem vel fidei sacramentum: & in quantum Deus influit talem gratiam capitis auctoritativè, scilicet in quantum homo per modum meriti. Et hoc quidem meritum, quo non solum ex congruo, sed etiam ex condigno meruit membris gratiam, habuit ex unione Verbi, ratione cujus indefectibile influxus hujus capitis habet ecclesia privilegium indeviabilitatis, & quod non extra, sed intra eam est salus, teste Augustino in epistola sua & coepiscoporum suorum de concilio Cretensi ad Donatistas: Quisquis, inquit, ab hac catholica „ Ecclesia fuerit separatus, quamlibet se lauda- „ biliter vivere existimet, hoc solo scelere quòd „ ab unitate defunctus est, non habebit vitam; „ sed ira Dei manebit super eum. Quisquis autem „ in ea bene vixerit, nihil ei præjudicant peccata „ aliena, quia unusquisque in ea proprium onus „ portabit. Papa verò est caput minus principale „ & secundarium, quo deficiente sive in esse naturæ, sive in esse gratiæ, nihilominus corpus & membra vivunt, quamvis ex ordinatione divina, cedente & decedente protinus de alio debet provideri. Per hoc autem quòd prædicta sunt de dignitate & excellentia corporis mystici Christi JESU, non intendo dignitatibus, privilegiis & libertatibus Ecclesiæ, quæ est collegium papæ & cardinalium, à Deo vel ab homine collatis aliquatenus derogare.

Nota, quod fides formata Ecclesiæ in uno solo salvari potest.

Secunda consideratio.

Secunda consideratio, quòd non solùm illud quod extra tempus necessitatis est licitum, imminente necessitate fit debitum; sed etiam quod extra tempus necessitatis foret prorsus illicitum, in necessitate extrema fit debitum. Quamquam enim tractatio fraudulenta occulta invito domino rei alienæ mobilis & corporalis, quæ fit animo lucrandi fit furtum, quod est prohibitum & peccatum; nihilominus imminente mihi extrema necessitate, res aliena efficitur mihi debita: immo licitè possum accipere rem alienam, ut subveniam proximo sicut indigenti, teste Doctore sancto. 2. 2. q. LXVI. a. VII. in solutione tertii argumenti. Unde vox Christi discipulos, cùm per segetes transeundo evellerent spicas, ut ederent, innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt. Et ratio hujus est, quia ea quæ sunt juris humani, utpote rerum non possunt derogare juri naturali vel juri divino: quo res inferiores ordinatæ sunt ad hoc ut per eas necessitati hominum subveniatur. Quapropter res quas habent aliqui superabundantes naturali jure pauperibus debentur, teste membro XLVII. di. *sicut hii.* & XXIII. q. VIII. c. *convenior.* Nec tunc propriè talis ablatio habet rationem furti, tum quia extrema necessitas facit suum id quod accepit ad vitæ sustentationem: tum etiam quia qui in tali statu furatur, deberet credere Dominum permissurum, in quo casu furtum non committitur. Et etiam necessitas excusavit David & pueros ab esu panum propositionis. Et patrem levantem proprium filium de sacro fonte instanti mortis articulo, scilicet ne anima pereat, qui etiam propriæ uxori impunè valeat commisceri. Si ergo necessitas personæ privatæ imminens & forsitan peccatrici solvit vincula legis, quis ambigit quod in tali ac tanta necessitate sanctæ catholicæ ecclesiæ sponsæ Christi, nostræque matris communis, nulla lex humana edita super congregatione concilii generalis nonnisi auctoritate papæ fienda possit obsistere quominus languor curetur in capite, ne morbus inficiat totum corpus? Unde sicut bellum materiale non solùm cum justum est, & à principe debitè indicitur; sed etiam urgente necessitate inevitabili pro defensione propria vel patriæ, aut legum paternarum licitè ac justè bellari potest secundùm Augustinum in epistola ad Bonifacium comitem: Unde & sancti Machabæi in diebus sabbatorum bellantes divinæ legis transgressores nequaquam extiterunt: sic in bello spirituali suo modo est censendum, cùm carnalia bella figuram gesserint spiritualium bellorum secundùm Gregorium; ut concilio generali, quod convocari debet quatenus contra spiritales nequitias, scilicet hæreses, & schismata, & adversitates aliquas, ac dæmonis astutias dimicetur, non solùm auctoritate principis, scilicet papæ, cum haberi possit, sed etiam in casu necessitatis extremæ, qualis est hodie, sine ipsius auctoritate possit congregari: quod perspicuum est exemplo manifesto. Si enim irruerent hostes extemplò manu valida contra civitatem Parisiensem; & adeo forent fortes & animosi, ut etiam portas destruere & civitatem protinus

A capere decertarent; numquid cives Parisienses non petita licentia à Domino rege Francorum, qui fortè distat per multas dietas, poterunt ad defensionem sui hostibus recurrere? an potius indefensi imminentia pericula in laribus debent expectare? Ex præmissis quasi videtur sequi quòd de ratione formali & intrinseca concilii generalis non est, ut ipsum auctoritate papæ convocetur: quoniam si papa concors & possessor pacificus papatus laberetur in hæresim manife-

B stam, & esset incorrigibilis, & de facto tamen papatum occuparet, nec consentire vellet concilium congregari: nihilominus posset & deberet eo invito convocari, in quo & posset accusari & judicari: quatenus ipsum scientes esse talem, recedere possent ab ejus obedientia, judicio vel sententia non expectata, ut habetur XIX. di. c. *Anastasius.* Immo videtur nonnullis quod si notorium est crimen ejus quodcumque, & inde scandalizetur ecclesia, & sit incorrigibilis; inde potest accusari. Ita tenet Glossa XL.

C di. *Si papa.*

Confirmatur corollarium prædictum, quia si statim post mortem domini GREGORII novissimi, domini cardinales omnes fuissent mortui vel occisi à populo Romano, sciente & procurante clero Romano: constat quod in tali casu non fuisset alia via providendi de papa, nisi per viam concilii generalis juxta notam Hostiensis & Johannis Andreæ in c. *Licet* de elect. Et tamen in hujusmodi casu impossibile est concilium con-

D gregatum fuisse auctoritate papæ vel cardinalium, quia nullus extitisset in rerum natura.

Præterea, si papa de consensu cardinalium aliquam sententiam dubiam pronunciasset, maximè in causa fidei, vel simul in hæresim lapsi fuissent manifestam, & in illa pertinaces & incorrigibiles persisterent; aut si sede vacante ex discordia inter ipsos cardinales suborta, vel ipsorum negligentia seu tyrannica potentia ipsos impediente quominus convenire possent continua sævitia, vel etiam ex malitia, ad electionem non possent vel nollent convenire; sed neque

E vellent quoquo modo, quantum in ipsis foret, concilium generale ad tractandum de bono totius universitatis fidelium congregari; & jam naufragium catholicæ fidei vel irreparabilis concussio appareret verisimiliter evenire: Non est dubium quin in quocumque istorum casuum necessarium foret pro salute fidelium concilium generale congregari; & tamen non auctoritate papæ vel cardinalium hoc fieri posset. Ex supposito ergo per alium modum hoc fieri oporteret: & sic patet quod non est de formali ra-

F tione concilii generalis, ut per papam convocetur vel ejus mandato, quia non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse. Unde potest concilium generale communiter sic describi seu quasi nominis ejusvis declarari: Concilium generale est multarum vel plurium personarum ritè convocatarum repræsentantium vel gerentium vicem diversorum statuum, ordinum, & sexuum, & personarum totius christianitatis, venire aut mittere valentium aut potentium, ad tractandum de bono communi universalis ecclesiæ in

Quid sit concilium generale.

unum locum communem & idoneum conventio seu congregatio. Hoc satis patere videtur ex prædictis & his quæ leguntur de dictis B. Gregorii, Isidori, Bedæ & aliorum positorum xv. xvi. xvii. dist. in decreto.

Tertia consideratio. Tertiò notandum quòd legislatores condendo leges, quibus bono publico consulitur & providetur, frequenter attendunt ad ea quæ sæpè & ut in pluribus accidunt, & secundùm hoc proferunt leges suas: quas tamen leges sive sanctiones communes in quibusdam casibus juxta corticem seu superficiem verborum observare foret, contra æqualitatem justitiæ & etiam contra bonum publicum, cujus gratia, ut præmittitur, leges promulgantur, & per consequens contra mentem conditorum: quod quidem ex eo contingit, quia actus humani, ad quorum ordinationem & regulationem leges conduntur, consistunt in singularibus &   , quæ cùm modis infinitis variari possint, non fuit possibile regulariter leges & jura condere positiva, quæ in nullo casu deficerent. V. G. lex instituit generaliter depositum reddi, quia hoc regulariter justum est; sed potest quandoque hoc esse nocivum, veluti si furans vel deponens incidat in furiam, in qua gladium repetit, ut se vel alium occidat. Aut si quis depositum reposcat ut patriam impugnet; in quibus casibus & similibus manifestum est fore malum sequi verba legis: Unde depositarius depositum reddere non tenetur, etiamsi reddere promisisset secundùm Augustinum. Idcirco expedit, prætermissis verbis legis, illud sequi quod exigit ratio justitiæ ad bonum consequens: & hoc est sequi mentem legislatoris magis quàm verba: quod utique est faciendum, quia sicut animus præfertur corpori, ita sententia verbis, sicut dixit Augustinus in libro de catechizandis rudibus: Unde Hieronymus super epistolam ad Galatas: » Non » putemus in verbis scripturarum esse evangelium, » sed in sensu; non in superficie, sed in medulla. Nec verbis sed rebus lex est imposita. Ad hoc autem ordinatur virtus quædam quam Philosophus vocat epicheia, quæ est directiva justitiæ legalis, & eò melior & nobilior, quia per eam excellentiori & perfectiori modo obeditur menti legislatoris.

CAPUT IV.

In quo omnes conclusiones in contrarium militantes superius adductæ pro modulo cum omni humilitate solvuntur.

His præmissis, restat cum omni humilitate, reverentia, & protestationibus supra positis respondere ad rationes in contrarium militantes, quarum prima fundatur in eo quod dictis & scriptis dominorum cardinalium est credendum. Ad quam multipliciter respondetur. Primò enim dicitur quod in isto fundamento coassumtis quibusdam viris, & per ipsos dominos cardinales concessis, in bona & formali consequentia sequitur contradictoria sibi invicem contradicentia simul esse vera, sic argumentando, & majorem universalizando propter formam. Quibuscumque dictis vel scriptis dominorum cardinalium est credendum: Sed domini cardinales dixerunt & scripserunt propositiones contradictorias verè sibi contradicentes vel ipsis convalentes simul & semel esse veras. V G. de eodem supposito quod sit A. A est papa, A non est papa. Ergo propositiones contradictoriè verè sibi contradicentes simul esse veras est credendum. Quam quidem conclusionem non solùm Peripatetici tamquam falsam & impossibilem abjiciunt, ut patet per processum Philosophi 4. metaphysicæ. Et ex hoc verificatur dictum Agathodori. 6. Ethic. Sed etiam sacratissimi theologi & canones exsecrantur, cùm nec Deus hoc facere possit: Unde verè dici solet quòd Deus potest facere quicquam ab omnipotente, si non includit contradictionem. Ulterius ex dicto fundamento & ejus deductione arbitrantur quidam propositum verè concludi posse, scilicet quòd concilium de jure debeat in casu isto celebrari, quia cùm notoriè sit alterum contradictorum esse verum, & per consequens credendum & tenendum saltem in hoc casu; & innumerabiles tam magni quàm parvi seu pusilli, tam sapientes quàm simplices, tam viri quàm mulieres dubitent quod illorum contradictorum sit verum. Ergo necesse est concilium congregari, quo docente, discutiente, & declarante, sciri possit cui parti contradicentes debeant adhærere.

Item propositum de concilio congregando ex fundamento dictæ rationis aliter infertur sic argumentando. Quod semel est definitum per principem vel concilium, ulteriùs ad nova concilia venire non finitur. Ergo quod non est definitum per principem vel concilium, præsertim si sit arduum & totius Ecclesiæ statum concernens, nec potest esse locus vel congruitas, ut per solum principem diffiniatur, necesse est adhuc per concilium diffiniri. Tenet consequentia argumento à contrario quod est fortissimum in jure. Si quid sit juris in casu præsenti, cui, ut creditur, similis alias non est visus, jure cautum non invenitur expresè: & constat quod decisio seu diffinitio si qua fieret super eo per alterum dominorum de suprema legislativa parte contendentium, non foret christianarum mentium contraria sentientium omniquaque quietativa, nec etiam cujuspiam alterius præterquam concilii generalis. Quare, &c. Hæc fuit mens Glossatoris Fructuosi LXXIX. di. *fidus* in principio Glos. & est superiùs recitata, & Johannis Andreæ in Cle. *ne Romani* de elec. super verbo *Appellant*.

Quæret quis de hujusmodi causa metus cognoscere haberet, si allegaretur esse electionem papæ. Et respondens dicit quod ista nondum decisa nec provisa egebunt provisione, sed certè nonnisi concilii generalis. Igitur, &c.

Multi etiam commirantur & stupent super eo quod quidam volentes dominos cardinales quodam modo deificare, & impeccabiles reddere, utinam sine spiritu adulationis, asserunt

sine exceptione semper personarum ipsorum verbis vel scriptis esse credendum : cùm tamen ipsi ut homines fallere possunt & falli. de sen. ex. *à nobis*. & XXIV. q. III. *Deus*. Quando nec est credendum, quòd ipsi de seipsis hoc sentiant, cùm B. Augustinus non negaverit se multa scripsisse, quæ possunt nulla temeritate culpari. B. quoque Hieronymus tanta emicuit sanctitate, ut B. Augustinus in epistola ad Cyrillum coæquet ipsum in sanctitate, meritis & gloria B. Johanni, Baptistæ, qui tamen convincitur minus verum dixisse: unde & Augustinus ipsi contradixit. Sic etiam domini cardinales, ut referunt qui cum ipsis sunt conversati, sæpe in consistoriis tam circa provisionem ecclesiarum, quàm in aliis negotiis visi sunt sibi invicem contradixisse, & diversa ac adversa sensisse. Nam & ipsimet dictæ simili propositioni, videlicet quòd omnibus eorum dictis & scriptis est credendum, obviant quantum possunt, dicentes quibusdam eorum dictis non esse credendum. Bonus ergo epikeias judicabit quod super discussione præsentis casus est ad concilium recurrendum. Et si dicatur quòd ego detraham dominis cardinalibus; dico quòd hoc est falsum: quia eorum vitam & mores non minuo, nec eorum personam, nec hoc facere intendo... & fateor ipsos in statu perfectionis ad militandum Deo & ecclesiæ sanctæ, & omnium saluti intendere debere sollicitudine indefessa, & fictis adulationibus in eis ac falsis laudibus vel alterius cujuscumque non indigere. Veritatem autem quam zelus domus Dei suggerit, instante necessitate tanta publicè, utiliter, prout minùs malè sentio, sine æmulatione dico, teste Deo; pium emendatorem & caritativum exoptans correctorem. Aliter fortè potest dici, videlicet quòd esto quòd credendum dictis & scriptis dominorum cardinalium in casu isto, quod tamen manifestè apparet, & ipsis constat quòd hoc non fit de facto, cùm sit notorium, quod multi sunt valde qui voces eorum obaudiant, nec eis credere volunt quoquo modo, & forsitan hoc Deus fieri permittit in pœnam peccatorum sive superiorum sive inferiorum, nescio, Deus scit. Et tamen ipsi possetenus laboraverunt & laborant, ut ipsis credatur. Et quia vident & audiunt quod nihilominus schisma continuè crescit de malo in pejus, quodque strages hic jacet multorum, immo quasi infinitorum, quæ remediari verisimiliter posse videntur per concilium generale, & fortè non aliter. Ideo ipsi tamquam fideles & boni Samaritani & pastores populi, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ JESU-CHRISTI, & communem utilitatem cuncti populi catholici, severitati aliquid detrahendo, ut scribit B. Augustinus in epistola ad Bonifacium comitem, debent totis viribus pro congregatione concilii pacificantis laborare; etiamsi de rigore juris convocari non deberet, & tunc * quòd exemplo Apostoli non quærerent quod sibi utile, sed quod multis, ut salvi fiant. Et forsitan, ut quibusdam videtur, domini cardinales ad hoc tenentur, cùm sint & esse debent columnæ ecclesiæ, & in ipsis sicut in

* f. apparerent.

A episcopis debeat vigere major perfectio quàm in religiosis, eo quòd in perfectorum & potiorum statu perfectionis sunt constituti secundùm Dionysium Ecclesiasticæ Hierarchiæ v. & vi. c. & propter hoc scandalum passim in eos cadere non debet juxta ps. CXVIII. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, quod secundùm doctores intelligitur de viris perfectis. Verùmtamen aliorum scandalis valde periculosis, quibus fere totus mundus videtur esse B plenus, tenentur obviare toto posse, exemplo Christi, qui tributum ad cujus solutionem nullatenus tenebatur, ne alios scandalizaret exsolvit; ac B. Gregorii & Sixti summorum pontificum, ut supra tactum fuit. Etsi fortè diceretur quòd primis eorum dictis & scriptis non est credendum, sed secundis, & ex causa quam assignant super eo, hîc jubetur populo quiescere, ne veniant contra pacta de jure partium disputando.

Ad secundum principale, quod assumitur in C nullo notorio actus præmaturi, &c. videtur primò posse dici sicut ad primum est responsum in solutione prima suo modo applicando. Item ex ipsa rationis radice videtur similiter posse probari conclusio nostra, cùm tam priora quàm posteriora facta cardinalium sint notoria, & ex hoc tota christianitas est concussa, & valde multi dubitant, nec credunt dominis cardinalibus: ideo opus est concilio declarativo. Aliter fortè posset dici, quòd nonnumquam, & præcipuè in casu schismatis reprimendi, ea quæ sunt D notissima incudi examinis redduntur, teste Pelagio papa, qui id quod censuit fore notissimum, nihilominus B. Augustini testimoniis visus est comprobare.

Sæpe enim aliqua fiunt ex abundanti ad convincendam hominum malitiam, teste B. Gregorio, ut patuit de Gregorio, Sixto & Leone supradictis. In casu verò præsenti non solùm congruum & conveniens, sed etiam summè necessarium existit concilium convocari, ut patet ex præmissis.

E Tertiò fortè diceretur quòd in utraque electione & ante & post multi & varii actus intervenerunt, de quibus nunc non est dicendum per singula, sine quorum examinatione non videtur schisma præsens posse remediari, quorum aliqui possunt esse notorii, alii verò non. Et sciendum quod secundùm Vincent. in c. *evidenter* de actu, stat crimen vel aliquod factum, quod commissum dicitur notorium censeri, & tamen est falsum, & sic quamvis falsum nihil sit in re, prout distinguitur res qua signum, F tamen falsum quandoque à multis creditur, & esse dicitur notorium & verum, nihil enim prohibet, quædam falsa esse probabiliora quibusdam veris secundùm Philosophum. Unde non sufficit in omni casu probari aliquid censeri esse notorium, nisi probetur esse verum, & propter hoc videtur opus esse concilio.

Ad tertium quod aliqui dicunt esse fortissimum & fundamentum in hoc quod absque auctoritate papæ generale concilium convocari vel celebrari non potest, Respondetur quod

absque sententia Romani pontificis generalia concilia convocari posse vel celebrari potest intelligi dupliciter: Univocè, positivè, & contrarie, ita quod papa concors & indubitatus ecclesiæ præsidens velit non convocari seu congregari, vel nolit convocare vel convocari concilium generale pro eo quod rei veritati non immineat necessitas, nec subsit rationabilis causa convocandi: Attamen inferiores velint absque ejus sententia concilium convocare vel celebrare,& habent positum motum voluntatis contrarium voluntati papæ. Et hoc modo intendo, non potest concilium generale sine consensu papæ celebrari vel convocari; & si secus foret, irritum fieret, & viribus vacuum hujusmodi concilium, nec recte concilium, sed conventiculum seu conciliabulum deberet reputari. Et procedere videntur omnes canones in contrarium allegati & alii in hoc cum eisdem consonantes. Alio modo potest intelligi convocari vel celebrari absque sententia papæ seu voluntate privativè: & hoc dupliciter, vel in casu quo supra est indubitatus papa & imminet rationalis causa,& convocatur concilium generale absque ejus requisitione & consensu simpliciter, per puram negligentiam vel desidiam, sive actu contrario positivo obmittendo. Et tunc adhuc idem erit quod in casu priori. Alio modo cùm causa rationabili & necessaria imminente concilii congregandi, inferiores super convocatione concilii libentissimè requirerent & obtinerent consensum papæ, nec stat per eos quòminus habeant; sed vel nullus est papa, quia fortè sedes vacat, vel dubium probabile est quis ex duobus vel pluribus de papatu contendentibus sit verus papa. Vel etiam si sit concors papa, sed imminente necessitate summa vel causa rationabili & urgente, ortum fortè habente ex aliquo ipsius facto, generale concilium congregandi abnuit constituere, immo vetat concilium congregari. Et tunc proculdubio valebit absque licentia vel sententia papæ concilium congregari, nec irritabuntur proinde acta & ordinata in eodem; & quilibet solers & acutus epikeias in sacris & canonicis scriptis peritus hanc fuisse in casu isto vel consimili intentionem legislatoris judicabit, ut patuit in exemplo suprapositio de civibus contra hostes in extrema necessitate constitutis absque auctoritate principis arma sumentibus ad bellandum. Cui conformiter B. Augustinus in „ epistola quæ incipit *Caritas Christi*, Non ergo, „ inquit, propter malos in mala dissensione pereamus, sed quique & qualescumque fuerint portent sarcinas suas. Nam etsi rex vel princeps vellet rempublicam & civium unitatem destruere & vastare, ad cujus conservationem & custodiam est deputatus; subditi possent, immo tenerentur efficaciter sibi resistere. Nec se tunc opponerent regi, sed pœnis, hosti, & regni persecutori. Simili modo in materia proposita est censendum, & posset hæc solutio in simili declarari. Nam constat quòd mandatum maximum & primum in lege de diligendo Deum ex toto corde, &c. obligat semper, licet non ad semper: & tamen pro statu viæ non potest impleri, si

A verba capiantur prout sonant, nec ex parte ipsius Dei diligibilis, ut scilicet tantum diligatur, quantum diligibilis est, cùm sic diligere Deum sit comprehendere, quod sibi soli convenit; & repugnet creaturæ in quocumque statu, nec ex parte hominis diligentis, ut scilicet affectus secundùm suum totum posse seu conatum semper actualiter feratur & tendat in Deum: quia nec talis dilectio de lege communi est possibilis in via, sed etiam in patria, ut dicit Augustinus de perfectione humanæ justitiæ ante B medium. Ergo viri sancti qui sunt optimi epikeies, digito Dei demonstrante mentem summi legislatoris, scilicet Dei filii benedicti, nobis declarando dicunt dictum mandatum ideo datum fuisse, nonobstante quod impleri non possit in via perfectè: quia non necesse curritur, ubi quo currendum est nesciatur: quomodo autem sciendum vel sciretur si nullis præceptis ostenderetur? ut dicit Augustinus ubi supra. Vel etiam ut hujusmodi mandato excludantur in C affectu hominis omnia quæ repugnant directè motui dilectionis in Deum, sive caritati, quale est mortale peccatum, secundùm doctorem sanctum. 2. 2. q. 184. art. 2. Si ergo licitum est mentem Christi aliter declarari quàm verba sonant; cur mentem conditorum canonum declarari, etiam à superficie verborum recedendo, ubi æquitas verborum hoc exposcit,non liceret? Non videtur ratio diversitatis probabilis posse reddi: & si dicatur cujus auctoritate concilium in tali casu censebitur congregari, & acta in eo D valitura. Respondetur quod auctoritate capitis indefectibilis & semper influentis Jesu-Christi, qui sicut potens est de lapidibus filios Abrahæ suscitare, ita potest etiam omnem defectum supplere: cujus etiam auctoritate David & sui sanctos comederunt panes, Machabæi diebus sanctorum sabbatorum pugnabant, & discipuli spicas vellicabant, ut supra tangebatur.

Secundò ad dictam tertiam rationem, ut aliquibus * dici posset, quòd in casu isto concilium generale congregari potest, & agenda E in ipso valebunt auctoritate canonis LXV. c. si. sumto argumento à minori & à simili ex eodem. Aliter videtur posse responderi ad idem, dicendo quòd illud quod assumitur in arguente, scilicet quòd concilium generale absque auctoritate papæ non debet congregari, est verum naturaliter: potest tamen casualiter absque ejus auctoritate convocari, & talis est casus noster, scilicet à regula * acceptus juxta mentem conditorum. Verba enim generaliter & per modum regulæ prolata quandoque excep- F tiones admittunt & restringuntur. Pro ista solutione potest induci textus Marcelli papæ XVII. di. c. I. cum dicit, Synodum congregare non potestis regulariter. Et notat hoc ad verbum *regulariter*. Ex quo videtur posse inferri, quòd possit fieri casualiter, utpote in casu extremæ necessitatis, qualis est modo.

Quartò potest dici quod in causa schismatis præsentis ambo domini electi in papam, debent consentire convocationi concilii pacificantis,

* f. Videtur.

* f. exceptus.

quatenus in luce ambulantes, seu filios lucis & Christi hæredes seu invitatores & animarum salutis zelatores se ostenderent. Et sic omnibus canonibus satisfiet, cum nulli vel pauci dubitent, quin alter eorum sit verus papa. Quilibet ergo sic existimans verè potest dicere: Scio vel credo alterum illorum esse papam; & tamen nullum illorum scio vel credo esse papam, quod contingit ex natura verbi scio vel credo.

Quinto, potest dici quod per cœtum reverendissimorum dominorum cardinalium posset & deberet hoc casu concilium generale convocari per causam, ubi §. *iidem quoque* de elect. l. vi. Ex præmissis patet quod illa quæ assumuntur ulterius in dicta tertia ratione, scilicet quod nullus haberet partem super omnes, &c. negatur: quia Ecclesia Romana super omnes habet potestatem saltem in casu. Quæ sit illa ecclesia patuit sibi in prima consideratione. Et quod dicitur sumtus & labores non debere fieri frustra, hîc locum non habet, ubi urget maxima necessitas ecclesiæ sacro-sanctæ. Quod verò subditur papam esse majorem concilio, dicitur quod in casu nostro concilium congregatum nihil statuet de novo, saltem in modum canonum, donec ante omnia cognitum & clarificatum fuerit sive auctoritate, sive magistraliter quis sit verus papa: quo facto ille accedet concilio, & facta & fienda in eo per ipsum roborabuntur. Et ad id quod in fine argumenti dicitur, quòd indubitata in quæstionem verti non debent. Cui etiam quidam adjiciunt dicentes verisimile esse pro una parte ad concilium venire longè plures episcopales titulos habentes quasi matematicales & abstractos à temporalium & spiritualium possessione, respondetur quòd quantò quis eorum existit certus de jure suo, tanto minus in concilio generali habebit dubitare, quod verisimiliter est credendum regi per Spiritum-sanctum. Verus enim repromissor Dominus ait: *Si duo vel tres ex vobis conveniant in nomine meo super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis, quia in medio eorum sum.* Ergo longè fortius si tota Ecclesia quodammodo in causa Dei congregata fuerit, in medio eorum Spiritus-sanctus se diffundet, cujus gratia etiam in concilio & ante & post per omnes ecclesias ac fideles debebit jugiter implorari. Quod verò de multitudine episcoporum dicitur, non debet quemquam movere, quoniam nec est difficile in conspectu Dei cæli liberare in multis vel paucis. Ceterùm secundùm Jeronymum potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit, omnes enim successores sunt apostolorum. Rationi ergo congruit & convenit honestati, ut viri heroïci, quales præcipuè esse debent domini cardinales, & prælati, ac principes alii tam ecclesiastici quàm sæculares, rogent quæ ad pacem sunt Jerusalem, & corda regum ac principum occasione hujusmodi negotii contra alterutrum non inflamment, nec acuant ad bellandum, ne in causa pauperis crucifixi sanguis innoxius effundatur. Non enim agitur de successore Augusti, sed Petri pauperrimi piscatoris. Et certè non nullis, quòd impeditores tanti boni, cujuscum- A que status, vel præeminentiæ existant, non sunt paternarum legum zelatores, sed prævaricatores: cúmque omnes zelum legis habentes clamitare debeant contra tales in cælum dicentes: Testes super nos erunt cælum & terra quod injustè perditis nos, cùm convocatio concilii generalis sit summe necessaria pro bono communi, in quo etiam salus & utilitas omnium & singulorum Christi fidelium includitur; & per consequens est omni privato commodo vel utilitati præferenda. Est etiam sciendum quòd multæ sunt B aliæ causæ, propter quas etiamsi præsens schisma ortum non fuisset, summè necessarium foret concilium convocari, quas hic brevitatis gratia non expressi, supplicans humiliter insufficientiæ meæ veniam tribui. Non enim memini me vidisse aliquorum doctorum scripta pro conclusione ista, sed plura contra eam; à veritate tamen quam animo firmiter teneo aliquatenus declinare vel nutare non intendo ipsa dirigente.

Ultimo adjicitur apostropha ad inclitissimum regem C Francorum excitativa, totius opusculi conclusiva.

Nunc verò ut Ω. revolet ad A, id est finis ad principium revertatur, ad te Christianissimum & piissimum Francorum regem dirigam finem rudis eloquii mei: quia enim talis, & quia tantus: ideo quæ principis sunt, ô Princeps, cogita, & super duces stabis. Quid, inquam, cogitabis? Profectò ut fiat pax in virtute tua. Cogitas quod rex es tu? Recogita, si tamen feliciter vis regnare, quod de te scriptum est Proverb. xx. *Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum.* D Cogitas quia rex potens es? Recogita quod potentior te est per quem reges regnant, quique deponit potentes de sede & exaltat humiles. Cogitas quia rex magnus es? Recogita majorem te esse quem adorabunt omnes reges terræ. Cogitas quia multos principes subjectos habes? Recogita quòd ipse est rex regum & Dominus dominantium. Cogitas quia rex diuturnus es? Recogita quòd Dan. 2. regnum ejus non dissipabitur; de te vero & aliis regibus scriptum est: Rex, cras morietur. Cogitas quia rex dives es? Re- E cogita quia gloria & divitiæ in domo ejus. Cogitas quia in terris superiorem regem non recognoscis? Recogita quòd nihil habes quod non accepisti: ergo non glorieris quasi non acceperis. Cogitas quòd rex nobilissimus es? Recogita quòd me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum. Cogitas quòd dominus es magnæ partis orbis? Recogita quòd servus ejus es qui de nihilo fecit orbem. Cogitas quod innumerabiles populi tibi ministrant & obsecundant? Recogita quòd nedum omnes po- F puli tribus & linguæ, verum etiam tota cælestis curia ministrat ei cujus tu minister es. Ergo Rex inclitissime, nemo te seducat inanibus verbis, nemo te seducat, sed honora & imple ministerium tuum. Quo modo? Certè ut per te pacem habeant, & qui longè & qui prope sunt. Per te scissura sanctæ matris Ecclesiæ resarciatur; matris, inquam, tuæ & omnium nostrûm communis, cujus uberibus enutritus existis: ex cujus ore mel regenerationis & lac doctrinæ christian

suscepisti, & profluvius sanguinis Christi laterum sponsi ejus in cruce pro te effusus ornavit genas tuas. Sit ergo causa sua causa tua, injuria sua injuria tua. Ascende, ô princeps, ascende ex adverso, & oppone te murum pro domo Israël, & præliare. Accipe gladium à Domino munus sanctum, sed nondum ipsum exere pro causa ista, quia non adhuc est necesse. Nosse quidem debes pericula belli: varius enim eventus prælii; & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Militandum igitur tibi ante omnia est, ô Rex gloriose, & toto corde aspirandum, ac efficacis opis & operis præsidio laborandum ut generale concilium convocetur, in quo absque humani effusione sanguinis gratiâ Dei omnia ad pacem & concordiam revocentur: quod fieri si forsitan aliqui vel tyranni, aut alii quicumque universalis Ecclesiæ saluti & prosperitati invidentes, vi armorum vel alias sanctam pacem impedire concertaverint: tunc certè gladium vindictæ in iram ei qui malum agit vibrabis & exercebis ut bonus tyro, ut fortis miles Christi, vim frangens contumacium, & elidens ac conterens inimicas partes præcursorum antichristi. Ipso regè regum CHRISTO-JESU præveniente, cooperante, & confirmante, à quo est omnis salus & victoria, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Concludens ergo concludam verbis B. Bernardi ex epistola quam conscripsit ad Conradum regem Romanorum, sic dicentis: Factus sum insipiens; cùm sim vir vilis, ignobilisque persona, tam magnis consiliis tantæ magnitudinis tantæque sapientiæ me ingessi, & de re magna: at quo ignobilior atque abjectior, tantò liberior sum ad loquendum quod caritas suggerit: Unde & adhuc addo in insipientia mea: si quis aliud quàm locutus sum vobis, quod non credimus, suadere conabitur, is profectò aut non diligit regem, aut parum intelligit quid deceat regiam majestatem, aut certè quæ sua sunt quærit, & non valde quæ vel Dei, vel regis sunt curare convincitur.

Epist. 144.

A. a, a. Domine Deus quis tribuat, ut populus Christianus reunitus sedeat in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta, redeantque Saturnia regna? Pro qua quidem pace mori mihi vivere est; & sine ea vivere mors amara, zelo domus dulcissimi JESU-CHRISTI, cui laus gloria & gratiarum actio per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Explicit epistola Concordiæ.

SCRIPTURA BREVIS EORUM quæ verbo proposuit Cardinalis Prænestinus coram dominis ducibus & consilio regis ultima die mensis Novembris anno MCCCC. priusquam recederet de Parisius.

Anno 1400 Ex ms. Gemmeticensi.

PRimò omissis gratiarum actionibus & submissionibus tunc dictis, quinque proposuit. Primò aliquas protestationes. Secundò statum Ecclesiæ qui præsentialiter est lamentabilis & dolorosus omni fideli breviter exposuit. Tertiò periculum in quo stat Ecclesia aliqualiter reseravit. Quartò nonnulla, quæ videntur verisimiliter posse contingere, propter quæ etiam convenientibus ambabus partibus in unum posset pax universalis Ecclesiæ impediri, enarravit. Quintò aliquas requestas & supplicationes fecit; quæ potius videntur esse reductiones ad memoriam, quàm requestæ.

I. Ad primum veniens, protestatus est quod nihil in hac materia intendebat dicere in favorem vel odium inordinatum alicujus personæ, nec in notam alicujus vel aliquorum cujuscumque status essent, sed simpliciter propter honorem Dei & statum bonum Ecclesiæ, quæ præferenda sunt favori cujuscumque viventis.

Secundò quòd nihil in hac parte intendebat dicere per modum opinionis, electionis, vel determinationis, sed per modum cujusdam collocutionis & advisamenti.

Tertiò quòd nihil in hac parte intendebat dicere pro parte collegii, nisi hoc loco suo exprimeretur, nec pro parte cujuscumque alterius; sed solùm sicut colligere potuerat ex collocutionibus & opinionibus multorum notabilium virorum.

Quartò quòd in eâ parte semper erat paratus se conformare opinioni cujuscumque melius sentientis.

II. Subsequenter ad secundum, perveniens dixit, quòd dominus BENEDICTUS qui in papam fuit electus, & reputatus ab hac parte catholica, contra quem, quòd esse desierit; nulla declaratio facta est per concilium generale Ecclesiæ Catholicæ, nunc reclusus retinetur, & jam per biennium & ultra incarceratus est, quod non legitur aliàs visum ab eo tempore quo desierunt Romani pontifices propter fidem trahi ad martyrium, ut dicitur: de quo tamen certitudinem non habebat: Quod ipse dominus BENEDICTUS significavit regi & aliquibus ex dominis, quod ipse erat paratus, quantum in eo erat, illa perficere quæ requisita fuerunt ab eo pro parte regis, & cum effectu adimplere, & dare securitatem sufficientem de illis perficiendis & complendis, ac etiam revocare protestationes, quas in præteritum fecerat, necnon & processus, si qui ab eo facti essent, & pœnas & sententias juris, & super aliis quæ essent necessaria vel expedientia pro bono pacis providere. Quibus consideratis, videtur multis quòd grave est, periculosum, & scandalosum, eum detinere inclusum.

Sed contra hoc dicunt aliqui. Primo quòd istud esset contra subtractionem. Respondent nonnulli quod in subtractione nulla de hoc fit mentio, nec de hoc actum fuit in concilio Ecclesiæ Gallicanæ.

Secundò dicitur contra conclusionem prædictam, quod ipse dominus BENEDICTUS errat in fide, & sic præcisus est ab Ecclesia. Ad quod respondetur ab aliquibus quod hoc non est certum, cognitum, nec indicatum ab illis ad quos pertinet, sed est dubium: & si unus credat eum præcisum, centum mille credunt eum catholicum, & unus solus non habet auctoritatem de-

terminandi, ſed hoc pertinet ad concilium generale ſuæ partis. Et eo caſu oporteret quod probarentur ea, propter quæ dicitur præciſus, & eo vocato, audiretur ipſe in defenſionibus ſuis.

Tertiò dicitur quòd ſi relaxaretur, fortè faceret proceſſum contra eos qui ſe ſubtraxerunt cardinales, prælatos, & alios plures. Inſuper multa alia ſcandala committeret, ex quibus Eccleſia conturbaretur. Ad quæ reſpondent nonnulli, quòd detentio certa eſt, & illa mala quæ timentur ab aliquibus incerta ſunt, ex ſola ſuſpicione dicuntur. Præterea non videtur quòd illud quod certum eſt debeat relinqui propter illud quod eſt dubium. Item ſi de his timetur veriſimiliter, poſſent peti proviſiones ab eo, & credendum videtur quod ipſe illas præſtaret.

Et circa eumdem ſtatum eccleſiæ notandum eſt, quod Eccleſia catholica hujus partis & obedientiæ diviſa eſt propter ſubtractionem, quoniam rex Arragonum, Scotiæ, Cypri, & comes Sabaudiæ non ſunt eam ſecuti, quin immo improperant illis qui ſe ſubtraxerunt, & qui fecerunt guerram & multa alia inconvenientia. Quàm enim grave hoc ſit, quod iſta Eccleſia, quæ minor erat in numero gentium, quàm pars quæ obedit intruſo, dividatur per partes. Valde dolendum eſt. Scitis nempe quanta mala diviſio pariat; non ſolùm ſpiritualia, ſed etiam temporalia quandoque diſſipat, & quanta bona ex unitate proveniant. Si enim omnes eſſemus uniti, omnes reges & principes hujus obedientiæ concurrerent ad procurationem pacis, & omnes Eccleſiæ aliorum regnorum contribuerent ad expenſas, & eſſet procuratio honeſtior, efficacior & utilior. Eccleſiæ etiam iſtius regni depauperatæ ſunt, & timendum eſt quòd non poterunt portare onera expenſarum.

Item attendendum eſt, quòd iſto tempore detinentur animæ in peccatis & ſententiis multis, in illis ſcilicet in quibus non poteſt abſolvere alius quàm papa, & diſpenſationes tam ſuper matrimoniis quàm ſuper irregularitate & multis aliis ceſſant, in quibus non poteſt alius diſpenſare. Juſtitia enim perit in infinitis non ſine gravi animarum periculo & etiam ſcandalo, & breviter omnia quæ non poſſunt fieri, niſi per papam, ceſſant, & tot mala ſequuntur, & tot bona perduntur, quòd non poſſent plenè enumerari.

III. Veniendo ad tertium dixit de periculis in quibus ſtat Eccleſia, primò ſi contingeret dictum dominum BENEDICTUM mori, quod eſt naturale, immo neceſſarium omnibus animantibus ſuper terram, de quo multum timendum eſt hoc tempore quo peſtilentia regnat in civitate Avenionenſi, & jam viget infra palatium, & de duobus cardinalibus cum ipſo domino BENEDICTO exiſtentibus, alter ſcilicet Bovilli mortuus eſt, & plures alii de familia dicti domini BENEDICTI. Si contingeret ipſum mori, aut procederetur ad electionem alterius, aut non: ſi eligeretur alius, illi de Caſtella non obedirent ſibi, quia juxta tenorem ſubtractionis ſuæ non obedient alicui eligendo, niſi fuerit unicus & indubitatus ab utraque parte receptus. Etiam

A Arragonenſes, nec alii qui ſe non ſubtraxerunt obedient ei; quia dicunt eos qui ſe ſubtraxerunt fore ſchiſmaticos, licet malè.

Si non procederetur ad electionem, quia incertum eſt ſi habebitur pax univerſalis utriuſque partis in brevi, remaneret Eccleſia diutius cum magno diſpendio ſine capite. Item periculum eſt propter proceſſus, ſi qui dicantur facti contra cardinales, per quos dicerentur inhabilitati ad eligendum, & dictis proceſſibus obedirent illi qui ſe non ſubtraxerunt. Neſcitur ſi domini B cardinales aliquid adviſaverunt ſuper hoc, ſeu providerunt, quia circa hoc verſatur periculum, non ſolùm eorum, ſed totius Eccleſiæ. Sed fortè quia ignorant ea quæ dominus BENEDICTUS ſignificavit hîc ultimatè, in nullo forſan ſuper hoc providerunt. Intellexi tamen quod dominus rex dedit ipſi domino BENEDICTO ſalvamgardiam, quod bene factum fuit, ſed illa ſalvagardia non proficiet ei contra mortalitatem.

IV. Quartò venit ad illa ex quibus timendum eſſet veriſimiliter quòd pax univerſalis poſſet C impediri, etiamſi ambæ partes ſimul pro pace convenirent: quoniam tunc dominus BENEDICTUS poſſet proponere quòd multi diffamaverunt eum de hæreſi, & ipſe requireret quòd ſuper hoc audiretur. Hi qui eum diffamaverunt, ſi vellent eum ſuper hoc accuſare, quia ipſe eſſet paratus ſtare in judicio Eccleſiæ catholicæ ſuæ partis, ad quam pertinet de hoc cognoſcere ſecundùm communem ſententiam doctorum, & non videtur dubium quin requiſitio illius juſta eſſet, nec poſſet ei ſecundùm juſtitiam dene- D gari. Et eo caſu oporteret ſeparare iſtam Eccleſiam catholicam ab alia parte intruſi, & intendere circa examinationem hujus oppoſitionis, in qua fortè oporteret inſiſtere per menſem & menſes, & alia pars nollet expectare tamdiu; & neſcitur ſi dicta pars vellet ſuper hoc convenire ulterius; & ſic diceretur quod iſta congregatio inconſultè facta fuerat. Et ſi dominus BENEDICTUS hoc non peteret, nonnulli alii vel omnes iſtius partis poſſent hoc petere ad finem, ut per hoc ſciretur ſi ipſe illa facere poſſet, & E auctoritatem præſtare illis de quibus in articulis tractatus pacis dicitur contineri, quoniam ſi non eſſet papa, nullo modo poſſet illa expedire de quibus ille cavetur.

Item, ſecundò fortè diceretur ab aliquibus quòd illa quæ ſunt concordata per dominum BENEDICTUM, fuerunt per violentiam conceſſa, & multi eſſent qui crederent illa non valere eo caſu. Et ſi obedirent de facto, tamen plures haberent conſcientias læſas hinc ad centum annos.

Item, tertiò cùm dicatur in articulis tracta- F tus quòd, utroque renuntiante, ambo collegia haberent eligere unum tertium, eſſet difficultas magis propter proceſſus, ſi qui facti fuerunt contra cardinales, quibus proceſſibus obedirent, ut ſupra dictum eſt, illi qui ſe non ſubtraxerunt, & per conſequens non reputarent papam electum ab eis.

Videtur etiam multis valentibus viris, quòd ſi congregetur per dominos cardinales concilium generale hujus Eccleſiæ, quod ibi pene omnia

omnia ista mala tollentur, quæ turbant Ecclesiam, & possent impedire pacem, & multa utilia poterunt ibi advisari, per quæ efficacius & utilius procurabitur pax universalis Ecclesiæ, & citius pervenietur ad eam, quam Deus præstare dignetur. De congregatione concilii hujus obedientiæ scripserunt domini cardinales de sacro collegio, quòd omnino videtur eis expediens, antequam fiat universalis congregatio duarum partium.

V. Ad quintum veniens supplicavit regi & dominis quòd velint ista considerare, & alia quæ dominationes eorum melius consideranda cognoscent; & pio affectu compatiantur calamitatibus Ecclesiæ, & procurent remedia opportuna, considerato quàm maximè, quòd spes Ecclesiæ, & potissimè dominorum cardinalium, post Deum in terris in eis est: & propterea confidenter domini cardinales ad requestam regis eis expositam per suos nuntios processerunt ad subtractionem, & alia quæ fecerunt.

Item, supplicavit quòd eo casu quo tractu temporis alia conclusio notabilis in facto Ecclesiæ recipienda esset, antequam conclusio reciperetur, consulerentur domini de sacro collegio, qui multum tanguntur in hoc, & qui continuè vigilarunt & vigilant circa materiam, sicut bene tenetur, & per Dei gratiam sunt ibi notabiles domini, qui in pertinentibus ad ea sciunt tam in his quæ sunt juris, quàm in his quæ sunt facti, bene consulere; & domini duces dixerunt hoc dominis cardinalibus, dùm pro causa Ecclesiæ fuerunt in Avenione ultimatè.

Item, supplicavit tertiò, quòd eo casu quo tempore futuro peterentur aliqua à rege, quæ tangerent primatiam Ecclesiæ Romanæ, dignentur more suo super hoc consultè procedere, & cum deliberatione gravi, prout materia requirit: quoniam posset esse magnum periculum super hoc.

Quartò supplicavit quòd eo casu, quo tempore futuro ageretur de vicario creando in ista Ecclesia, dignentur recordari quòd domini de collegio nullo modo consulunt: immo dissuadent; quòd hoc esset res nova & inaudita, & ad impedimentum pacis & unionis.

EPISTOLA (a) A REVERENDISSIMO Patre domino Simone de Gramaudo patriarcha Alexandrino, super materia unionis Ecclesiæ composita, missa per eum domino archiepiscopo Cantuariensi.

Anno 1400. *Ex ms. Gemmeticensi.*

DOmino Cantuariensi archiepiscopo, totius Angliæ primati, & sedis apostolicæ legato nato SYMON ecclesiæ Alexandrinæ minister humilis dictus patriarcha, salutem & spiritum compassionis salubriter afflictis impendere.

Inter commoditates inventionis humanæ nihil censetur utilius beneficio scripturarum. Per hanc enim hominum absentia quadam efficaci suppletur præsentia. Epistolarum verò allocutio sicut scribit Apostolus, gravis res est & fortis, & præsentia corporis infima; & sermo contemtibilis, saltim meus. Nullam ergo scribendi consolationem digniorem fore his diebus æstimo, quàm si de his quæ ad pacem sunt Ecclesiæ per scripta efficaciter sermocinemur inter nos. Sed quia immoderata brevitas, sicut idem scribit, intelligentiam aufert, & Horatius: Obscurus fio, dum brevis esse volo, necesse fuit epistolam hanc aliquantulum dilatare: quia sicut in Isaia scribitur, breve pallium infra dicenda non posset cooperire.

Navem igitur Petri, in qua omnes Christi fideles velificant, & nos prælati utimur ministerio; & sub uno magistro nautico fungimur officio, flante Austro, & procellis intumescentibus periclitari conspiciens, Isaia præcipiente, clamare, & vos nautas excitare compellor, dicens cum Paulo: Attendite vobis ne navem nostram cælestibus divitiis & æternis mercibus onustam, aut procella tempestatis arripiat, aut fluctus absorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat. Hanc enim per quam designatur Ecclesia in suæ constitutionis primordio JESUS-CHRISTUS verus Deus verus homo, cujus etiam in mari via est, super unum ædificavit, licet ad opus ædificii multos disposuerit operarios: & ut unitatem manifestaret, unitatem ejusdem ab uno incipientem, sua, sicut dicit Cyprianus, auctoritate disposuit. Hæc, inquit, ab unitate exordium proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur, in qua episcopatus unus est, episcoporum numerositate concordi, incremento fœcunditatis extensus, sicut multi sunt radii, sed unum lumen, & rami arboris, & unum robur tenaci radice fundatum ab uno, sicut de fonte multi rivi defluunt. Et nobis navigantibus per hoc mare magnum & spatiosum, in quo reptilia quorum non est numerus, & animalia pusilla cum magnis, id est mundus, caro, dæmonia, inito nobiscum agone luctantur, Petrum patronum præposuit, ut fideles Christiani qui in navi portantur, à patrono directi, per viam rectam incedentes ad portum, id est, ad Christum cum fidelibus traherentur: & sibi successoribus claves regni cœlorum, id est Ecclesiæ justorum & cælestium divitiarum, quibus navis, ut prædicitur, est onusta, custodiamque & gubernationem eorum quæ sub clavibus continentur, non ut domino, sed ut ministrorum Dei præcipuo dispensatori commisit, & omnes qui sibi subduntur in navi subjecit ei, & potestatis plenitudinem cælestes divitias debitè dispensandi & ministrandi, prout cuilibet de familia videbit necessarium dedit. Unde Hieronymus ad papam: Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri consocior, super illam Petram fundatam Ecclesiam scio. Et super illud *Tibi dabo claves*, &c. dicit Glossa: Specialiter eam Petro concessit, ut ad unitatem nos invitaret. Et ideo principem apostolorum eum constituit, ut Ecclesia unum principalem Christi vicarium haberet, ad quem diversa membra recurrerent: ipsumque principem Ecclesiæ ceteri apostoli voluerunt volun-

(a) Hæc epistola scripta fuit cum Rupertus dux Bavariæ recenter esset ad Romanorum imperium assumtus: id quod contigit anno 1400.

tate consequentiæ, Dei ordinationem amplectentes. Et licet quantum ad ea quæ sunt ordinis, sicut est potestas conficiendi corpus Christi, & in foro pœnitentiali absolvendi de peccatis, in foro contentioso dispensandi, beneficia conferendi, & populum, in quo quilibet in gradu suo ea quæ sunt ordinis exerceat, assignandi, indulgentias dandi, & cetera quæ sunt jurisdictionis, Petrus solus & sibi successores habent potestatis plenitudinem, & illi quibus canonicè in partem sollicitudinis ipse committit vices suas. Et sicut cardine ostium regitur, sic ejus auctoritate omnes ecclesiæ, domino disponente, regi debent. Nam si diversa essent capita, procul dubio unitatis vinculum rumperetur.

A B

Sed hodie, proh dolor! de successione Petri & navis gubernaculo inter duos sic lamentabiliter concertatur, quod multitudinis credentium non est cor unum & anima una: immo Ecclesia militans, quæ in universitate fidelium consistit, & habet pro utroque diversa juris argumenta, nullum istorum tenet, sed circumcirca volvitur, sicut Jo. Mo. in simili referebat, & in occidente ubi sol justitiæ oriri consueverat, ubi terra fœcunda dominici seminis puritatem centeno fructu referebat, & apud quos patrum servabatur auctoritas incorrupta, lucifer ille qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Et sicut vetus oriens inter se populorum furore collisus, occidens hodie indivisam Domini tunicam minutatim per frusta decerpit: & Christi vineam exterminat aper de silva, & ferus vivus depascitur eam, cum per duos sic per tot annos lacrymabiliter plurimi fluctuamus.

C D

Et ille qui in Ecclesia Romana episcopum habente episcopus fieri à desertoribus per ambitum nititur, episcopus non est, sed alienus & prophanus, non secundus sed nullus, sicut Cyprianus Cornelio & Novatiano contendentibus de Novatiano dicebat.

Judicia, excommunicationes, dispensationes, absolutiones, promotiones, & beneficiorum collationes, indulgentiarum concessiones, & illa quæ solus Romanus pontifex facere potest facta per eum, & promotos ab eo, quia jurisdictionis sunt, sicut B. Thomas asserit, umbra sunt quædam in opere & nihil in effectu, quia fundamentum potestatis Petro solùm & suis successoribus collatum deficit, & à fonte vero rivus non fluit: Unde Cyprianus ipse: A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Ab arbore frange ramum, germinare non poterit. Et episcopi potestatem non potest, nec honorem habere. Et Gregorius: Qui in ovile ovium non per ostium sed aliunde ascendit, ad æternæ salutis bravium in vanum se fatigat, nisi honorem, in quo deliquerit, penitus derelinquat. Et licet credam quod ordinati aliàs in forma ecclesiæ per tales caracterem recipiant, Guillelmus tamen in suo Sacramentali dicit caracterem sic receptum inefficacem, nudum, crudum, frigidum & quasi mortuum esse: immo caracter talis, sicut ipse asserit, intus ortus occidit, id est ortus in animam, potius ipsam in occasum quam in statum ponit, nec executionem habet. Et ita qui creduntur episcopi in ecclesiis, in quibus sunt per intrusum promoti, non sunt: quia in populo non potuit ipsis dare intrusus executionem ordinis quam non habet: Et qui creditur plebanus, vel sacerdos proprius, vel aliter prælatus, non est in loco ad quem per intrusum promotus est.

E F

Nec dubium hujus schismatis ita diu neglectum principes, & prælatos, & alios majores, excusare debebit, sicut nec aliàs tempore Innocentii II. & Petri Leonis, & Alexandri III. & Octaviani excusati fuerunt: Sed sicut dicit Apostolus, *Ignorans ignorabitur.* Et sicut dicit Augustinus, hoc de illis intelligendum est, qui nolunt intelligere ut bene agant. Et illis hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt. Et nos præcipuè qui fructus Ecclesiæ quotidie in stipendium abundanter sumimus, onus damnationis lacrymabiliter incurrimus, ut dicit Ambrosius, sic sine labore percipiendo mercedem laboris.

Et intrusus ipse cum sequacibus suis à canone & adversario jus habente anathematis mucrone percussus est, sic quòd janua regni cœlestis, nisi debitè reconcilietur, ut in canone Hieronymi scribitur, ipsis clausa erit. Et in historiis scribitur de Stephano III. papa, quòd tam à Gallia quàm Italia episcoporum synodum Romæ congregavit, in qua omnia à Constantino intruso ordinata exordinavit, præter baptismum & chrisma, decernente synodo, ut episcopi ab illo consecrati ad gradum, quem ante consecrationem habebant, redirent; & si digni judicarentur, iterum electi iterum consecrarentur. Presbyteri verò & diaconi ab illo consecrati similiter ad priorem gradum redirent; & si digni essent, iterum consecrarentur. Et Johannes XIII. jussit ordinatos à Leone cartam continentem hæc verba omnes sibi apportare: Pater meus nihil habuit & nihil mihi dedit; & sic depositi remanebant in gradibus, in quibus ante ordinationem erant, & si digni inveniebantur, iterum consecrati ordinabantur. Et si ista vera sint, quòd episcopi & presbyteri ab intruso ordinati ordinem non reciperent; clarum esset quod illi qui creduntur episcopi, ordines non conferrent, nec ordinati sacerdotes essent. Et sic pars quæ intruso adhæret in lacu miseriæ & de luto fœcis miserabiliter prostrata jacet; & quæ sit illa, nescio: Deus scit. Et sententia prædicti consilii & aliquorum doctorum opiniones dictæ sententiæ conformes magnum faciunt scrupulum multis. Nam Petrus Blesensis in epistola scribit: Sicut non intelligitur præcessisse dedicatio vel baptismus ubi de talibus dubitatur: ita nec eos reputamus episcopos, quorum consecratio ignoratur: nec ignorantia quantum ad hoc aliquem excusaret; quia licet in prophanis quandoque secus, in spiritualibus semper veritas opinioni præfertur. Et multi conscientiosi homines isto durante schismate promoveri ad sacros ordines, nec ad prælaturas voluerunt, dicentes & multum probabiliter, quia illi qui isto tempore promoventur, scienter exponunt se discrimini, & per hoc graviter Deum offendunt. Quid dicam cum Salisberiensi, neminem ita stupendum esse

credo, qui non malle diceret se deleri, quàm quòd pro eo tanta fieret turbatio.

A

Petrus de Luna qui Benedictus dicitur & Petrus de Thomassellis qui Bonifacius nominatur hodie sic lacrymabiliter de papatu contendunt. Quilibet horum vocatur Petrus, sed qui verus Petrus est? quia, ut dicit Ambrosius, non turbatur navis quæ habet Petrum, sed quæ Judam. Hæc & similia cum Gregorio flens dico & gemens denuncio, Augustini doctrinam secutus, qui ad Casulanum sic loquitur: » Quisquis metu alicujus veritatem occultat, iram » Dei super se provocat; quia magis timet hominem » quàm Deum. Melius est, inquit, pro veritate pati » supplicium, quàm pro adulatione beneficium.

B

Quis istorum quæso verus pastor est? Pastor bonus animam ponit pro ovibus suis, & isti pro salvatione gregis dominici statum dimittere non curant; quem non propter se habent, sed propter populum, cui verbum & sacramentum domini ministrare deberent, & pro eorum scandalo vitando esse vel non esse deberent: quia non propter se, sed propter eos sunt, sicut Augustinus in libro suo contra Cresconium Grammaticum asserit. Et bonum esset desiderium, si Romanus desideraretur episcopatus, non ut præesset episcopus, sed ut prodesset. Nam tunc scire debet quicumque se episcopum non esse, cùm præesse dilexerit, non prodesse. Et verè, sicut dicit Gregorius, cappa rubea, quam portant, plus mœroribus affligitur quàm honoribus gaudet. Si præceptum Domini lucidum factum apostolis de majoritate concertantibus illuminaret oculos eorum, si beatum Clementem imitarentur, pro sedatione scandali, honorem de quo contendunt, sicut ipse fecisse legitur, libenter deponerent; & Leonem, qui sicut historiæ referunt, cum ad renunciandum Romam pergeret, angelos canentes audivit: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis, qui adhuc in Tullo sicut sanctus veneratur & colitur; & episcopalis dignitas sic, ut meritò dicit Augustinus, fructuosior ipsis esset, si gregem depositа colligeret, quàm quando sic detenta dispergit. Et Dionysius ad Novatum, Beatius est subire martyrium, ut Ecclesia non scindatur, quàm quòd idolis non immoletur. Nec licet papæ in Ecclesia præsidere, nisi omnes conatus suos isti causæ per quam salus universalis infestatur impendat. Et sic labe schismatis se graviter maculant isti ambo, si pro tam gravi vitando scandalo, sicut de jure tenentur, non renuncient; & secundùm Augustini doctrinam, quia sub alio salus Ecclesiæ potest esse tuta, non fugiant sicut Christus in Ægyptum, quia clarè schisma faciunt, qui jura servare contemnunt, & per hoc Ecclesiam dividunt: & forsan bene electus ab intruso non differt, quia schismatis facinus, sicut Salisberiensis dicit, quos inquinat, æquat. Sed induratum est cor eorum, sic quòd diebus nostris, proh dolor! sacerdotalis dignitas est in despectu, & sanctus honor in crimine, & pro confusione sonitus » maris & fluctuum navis juncturæ laxantur. Et, » ut conquerendo narrat Salisberiensis, propha» nant sancta, concutiunt populos, regna sollicitant, ecclesiarum diripiunt facultates, ut pecu- « niam congregent, & carnem & sanguinem fo- « veant, & familiam nobilitent, ut gloriam suam « quærant, ut in clero dominentur, non ut formâ « facti gregis ex animo, sed labiis & sibilatione « officii pastorem induunt, tyrannis tamen faci- « lius quàm principibus æquantur. Nihil in om- » nibus tyranno perniciosius, sed ecclesiasticus perniciosior est, & sicut in Isaia scribitur, *Trahentur ad inferos, superbia eorum concidet, cadaver eorum subtus sternetur tinea, & operimentum eorum vermis*. Et Job: *Si ascenderit in cælum superbia eorum, si nubes caput eorum tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdentur, & peccatum eorum non delebitur in æternum*.

C

Nec est novum quòd ambitionis flamma sicut ignis qui comburit silvam, Ecclesiam consumserit. Beda enim scribit quod contra legem fuit, quod Anna & Cayphas licet alternis annis summi pontifices erant. Sed jam, inquit, pontificatus ambitione erat infectus. Et sicut in gestis Romanorum legitur, per ambitionem papatus à quodam cardinali Nicolao fuit primo introducta perfida secta Machometi. Post tempus illud, sicut scribit Hieronymus, Galliæ, Britanniæ, Africa, Persis, Oriens, India, & omnes barbaræ nationes unum adorabant Christum, & unam servabant regulam veritatis: & dominandi libido etiam introduxisse legitur schisma Græcorum. Et inde scribit Hieronymus, quòd veteres scrutans historias, non invenit Ecclesiam Dei scidisse, & in domum Domini populum seduxisse, præter eos qui in sacerdotio positi sunt. Vertuntur, inquit, in lacqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum. Utinam rumor de veteri faciat futura caveri! Et si saltim Salisberiensis Anglici, cujus memoria in benedictione est, & fama ubique Angliæ clerum decorat, in Anglia consilium audiretur, procul dubio, sicut ipse asserit, schisma cessaret, quia deesset temeritatis adjutor. Etsi, in- « quit, Ecclesia Dei erigatur in spiritus liberta- « tem, si mysterium sceleris subire detractat, soli « inter se schismatici decertabunt. Interim con- « tineat Ecclesia manus suas, & gladius Petri man- « dato Domini tegatur in vagina: oret ne deficiat « fides, & expetens in cribro satanas non disper- « dat. Et quia schismaticis consentientes justos « nocentes faciunt, quiescamus omnes stantes à « longè cum Petro, & statim videbimus finem. « Augustinus super psalmum CI. & ad Deodatum cap. I. sic dicit: Nonne episcopi auctores fuerunt schismatum? Porro autem si plebes ipsæ non dividerentur, erubuissent illi in divisionibus suis, & ad compagem remeassent. Dividuntur duces, dividuntur & plebes, ut cœcus cœcum sequatur, & simul in foveam cadant. Et sequitur infra: & quomodo probatur quòd carnales dividuntur, cum unusquisque dicit: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ*. Nam tunc carnales estis, & secundùm hominem ambulatis. Rogo vos, fratres, audite & perficite, excutite vos de hujusmodi divisione carnali. Lucifer ille qui omnibus angelis erat prælatus, omnia cælorum agmina opinatus est ad suum velle flecte-

D

E

F

re: quorum quidam hinc superbienti faventes, cum eodem irrecuperabiliter damnati ad inferos ceciderunt. Postquam autem hujusmodi fautores pari sunt pœna multati, ceteri qui potius Creatori adhæserunt, verbo sunt Domini consolidati: ita quòd de cetero casum aliquem non pertimescunt. Hoc nempe tunc promeruerunt, quando perverso prælato non consenserunt.

Sed ecce quid hodie aliqui, qui opes quærunt & lucra desiderant, quorum proprium est, ut dicit Lactantius, fingere & mentiri, proferre non verentur in medio? Remaneant duo isti sicut B sunt, & unus facta alterius approbet, & superviventi omnes obediant: Sed hoc magis contra legem esset, quàm illud quod de Anna & Caypha Beda dicebat: quia illi solùm fuerunt alternis annis, isti verò simul & semel ecclesiam quæ non potest habere nisi unum sponsum, irreparabiliter contaminarent. Absit, absit à cordibus fidelium, quod de sanctuario Dei permittamus simoniacæ hæresis trapesitas sicut de hereditate pacisci. Nam si per ambitionem sic infici nostrum pontificatum permitteremus, profecto ad C ruinam abiret, sicut pontificatus, de quo Beda, qui tempore Octaviani legitur defecisse. Isti sunt qui malè agentibus pulvinar sub cubito & cervical sub capite ponunt, ut qui ex culpa corripi debuerant, in ea laudibus fulti molliter quiescant, & per eos laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Isti per consensus uniformitatem faciem peccatorum assumunt: quibus cum propheta dicamus: Judicatis iniquitatem & faciem peccatorum sumitis. Et qui alicujus commodi, temporalis glo- D riæ, principatusque sui gratia, falsas vel novas opiniones vel gignit, vel sequitur, sicut dicit Augustinus in canone, hæreticus est. Quare, inquit Hieronymus in epistola, proferunt in medio quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Cur post mille annos docere nituntur, quod ante nescivimus? Cur superstitiosis adinventionibus adinvenire nituntur, quod sanctione sanctorum Patrum scitum non est? In ea, inquit, fide senex moriar in qua puer natus sum. Quid dicam E illis qui dixerunt, hereditate possideamus sanctuarium Dei? Impleat Deus facies eorum ignominia, ut quærant nomen suum, & sciant quia non est nisi ipse solus Dominus in omni terra. Et si in uno episcopatu procedente à cathedra Petri sicut rivus à fonte, est à patribus duos simul poni sub pœna anathematis prohibitum, quantò magis in stipite hoc solum aperire nefandissimum est? Sed potius remedium à patribus nobis clarè datum debemus amplecti. Dicunt enim quod ubi duo de dignitate Ecclesiæ quæ F non potest habere nisi unum sponsum, & cujus neuter fuit possessor pacificus, contendunt, tunc neutri est de fructibus & honoribus reddendum.

Alii verò quilibet suo obedire trepidant, & non obedire formidant: ne aut obedientes Deum in suis præceptis deserant, aut rursus non obedientes Deum in electo priore contemnant. Sed Gregorius ad hujus labyrinti exitum viam præbet, ut cum mens inter minora & majora peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato aditus patet, minora semper eligantur: quia qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus ingeritur. Si stateram divinam de scripturis sanctis & de thesauris dominicis afferamus non dolosam pro arbitrio nostro, quid si gravius quidve levius; vel istorum amborum jugum abjicere & Christi Ecclesiam unire, vel ipsis adhærere & omnes catholicos in discrimen tantum relinquere, statim percipiemus. Quæ, inquit Hieronymus, ista bonitas? quæ ista misericordia, dum quidam paucis parcunt, & universæ Ecclesiæ moliuntur interitum? Non putes, dicit Bernardus, contra caritatem esse unius scandalum multorum recompensare pace: melius est quòd pereat unus, quàm unitas. Et Deus ipse per Moysen, quid facere debeamus nos docet: Recedite, inquit, à consortio virorum istorum durissimorum, ne simul pereatis in peccatis eorum. Sicut jam nos & alii plures ab istorum obedientia recessimus, & natando, ut evadere queamus, jam ad littus exivimus, & ceteros alios in tabulis quæ de navi sunt post nos ad terram trahimus, sicut de navi quæ Paulum portabat legitur contigisse. Nam ecce clamat per prophetam Spiritus-sanctus, Discedite, discedite, exite inde. Alibi quoque vox auditur de cælo præmonens: Exi de ea, populus meus, ne particeps sis delictorum ejus: Qui exit, delicti particeps non fit, plagis verò & ipse constringitur, qui socius criminis invenitur. Nec per hoc acephali sumus: quia Ecclesiæ Christus caput est, sed Johanne Andrea teste, hoc asserere prope hæresim est. Nec etiam per hoc nostrum prosequimur, immo sicut Pelagius scribit in canone, errant hujusmodi fabulatores rumoris, non persequitur, inquit, nisi qui ad malum cogit: qui verò malum prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed dirigit. Malum, inquit, est schisma esse, & per exteras potestates hujusmodi opprimi debere homines & canonicæ scripturæ auctoritas, & paternarum nos regularum veritas docet. Sed boni viri potius ad auxilia quàm ad convitia meditantur.

Sed statim sequuntur aliquorum vaniloquia dicentium: Quilibet de suo papa certus non est. Non est qui sibi dicat, cur ita facis? Dicere contrarium est ponere os in cœlum. Melior est obedientia quàm victimæ; & Deus in Petro præcepit suis majoribus obedire, etiam discolis. Sed utinam tales dictum Augustini super psalmo bene attenderent, Excellentes in Ecclesia, inquit, paci debent vigilanter intendere, ne propter suos honores superbè agendo schismata faciant. Subditi autem ita ipsis obedire, ut semper Christum anteponant, nec eorum vana auctoritate seducti, se à Christi unitate disjungant. Et alibi Hieronymus: Non semper malum est non obedire, sed magis obediendum spiritus quàm corporis Domino. Et Cyprianus in epistola: Hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non obediunt. Nam Petrus & successores ex officio suscepto non licentiam peccandi, sed necessitatem bene vi-

vendi susceperunt. Et eorum potestas, sicut scribit Apostolus, est ad ædificationem, non ad destructionem. Et religiosi devoti ad dictum Hieronymi aures aperiant. Sancta, inquit, rusticitas quantum ex vitæ merito Ecclesiam ædificat, tantum nocet, si eam destruentibus non resistat. Et inde Symmachus papa suis prædecessoribus prædia Ecclesiæ alienantibus resisti decernit. Et si isti ambo subsunt Evangelio bene consideremus. Christus dixisse legitur omnibus apostolis: *Vos omnes fratres estis*: & inde ordinem per quem ad correctionem fratrum procedere debemus, nobis dedit, cùm in Evangelio dixit: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Nec Petrum legitur exemisse. Sed Paulus ordinem à Christo datum secutus Petrum reprehendit, & sibi in facie restitit. Et ille solemnis Glossator Decreti in casu de, quo Ecclesia graviter scandalizatur, contra papam modo prædicto procedi debere docuit: quia papa subjectus est Evangelio, velit nolit. Et si in papa pacifico hæc procedant, quantò magis in quolibet contendentium prædictorum, qui si per suos cardinales vel principes & prælatos qui sibi obedjunt, & satis respectu ipsius Ecclesiam repræsentant, requisitus audire noluerit, ut sicut ethnicus & publicanus ab omnibus Christi fidelibus habeatur, & in eo compleatur quod scribitur, Sal infatuatum ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, &c.

Et illi qui ad propositum præsentis schismatis jura, quæ præcipiunt Romanis pontificibus obediri, allegant, sine dubio quadam sunt imaginatione veritatis illusi: quia de Romanis pontificibus, de quorum titulo Ecclesiæ non est dubium, loquuntur canonicæ sanctiones. Sed de duobus contendentibus, quorum titulus ita dubius est, quòd ex eo tam grave scandalum in tota Ecclesia est exortum, non sic. Sed & Honorius de talibus in canone *si duo* legitur decrevisse neutrum in papatu remanere debere: quod doctores verum esse asserunt, quando ex eorum electione in Ecclesia Dei grave est ortum scandalum; sicut nunc. Et si contra sanctionem canonicam ipsi retinere conentur, malè facerent; qui in hoc ipsis obedirent: quia æquè damnabile est, ut dicunt jura, invadere & malè velle retinere. Sed & si unicus esset in papatu, de cujus titulo esset grave dubium, tunc ne prophanarentur sacramenta, monendus esset cedere; & si nollet, compellendus. Et sic doctor quidam antiquus qui libellum composuit, in quo inter cetera quærit, utrum liceat judicare de factis papæ, quem Anglicum fuisse existimo, clarè opinabatur: Et sæpe contendentes de papatu per imperatorem & reges cum modico episcoporum numero, quandoque ambobus dejectis, & uno solùm sæpe repulso, ut referunt historiæ, judicati fuisse leguntur. Et Salisberiensis de Innocentio II. & Petro Leonis contendentibus de papatu, in suo Polycraticon sic loquitur: Esto quod iis liceat qui carnales sunt contendere de primatu, viris ecclesiasticis hoc usquequaque arbitror esse illicitum. Carnalium tamen exemplo sub imagine religionis obrepit impietas; & jam non modo contenditur pro sacerdotio, sed pugnatur: sed utinam qui ea tempora viderunt, consilium Bruti secuti essent, & contendentes solos contendere paterentur, convenirentque in insula Liconia, aut aliò, si quis tamen locus bellis sive duellis est aptior; & sine orbis & Urbis periculo vincat alteruter; victus quoque, si victori placeat, demergatur in Tyberim; aut si cum eo mitius agendum videtur, retrudatur in caveam; victor quoque exul perpetuo deportetur ad marmora secanda, & ad metalla damnetur. Phanus enim schismatis quos inquinat, æquat: nisi quia plerumque qui fortior & ferocior & iniquior est. Et tales quidem Romulo potius succedunt in parricidiis, quam Petro in commissi dispensatione ovilis.

Sunt autem aliqui qui forsan malè intelligendo scripturam, uvam acerbam comedunt, dicentes: URBANUS semel habuit possessionem papatus, & per illos qui recesserunt à sua obedientia, fuit sua possessione spoliatus. Restituatur ergo primò, & post vocetur ad causam. Sed Gratianus in corpore canonum ad ista clarè respondet. Si, inquit, in apostolica sede non fuit legitima institutio, non debet fieri restitutio: quia judex non invenitur, cujus officio apostaticus posset excludi. Et in concilii generalis decreto scribuntur hæc verba: Ille qui per seditionem vel præsumtionem electus, ordinatus, seu inthronizatus fuerit; auctoritate divina & sanctorum apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate à liminibus Ecclesiæ sanctæ Dei separatus abjiciatur, sicut antichristus, invasor, & destructor totius christianitatis; nec per hoc aliqua audientia servetur ei. Et ita canonicè processisse credimus; nec ad restitutionem prætensam tenemur secundùm canonicas sanctiones. Et in ista opinione sic stetimus jam per XXII. annos. Et esset ita facile vos ad obedientiam BENEDICTI reduci, sicut nos ad obedientiam BONIFACII. Forsan si doctrinam Isidori sequerentur, atque regulas sanctorum Patrum quæ pro tempore, pro loco, & personis, pro negotio, instante necessitate, traditæ sunt, medullitus indagarent, sic se inter.... cando in erroris labyrintum non caderent, nec in causa Dei, ubi præcipuè de una fide agi deberet, esset de juris apicibus disputandum.

Audite quid aliqui, utinam crudelitatis contagio non venenati, ad excusandas excusationes in peccatis prætendunt. Nos verum papam habemus cui subjicimur, à quo propter aliorum scandalum recedere non debemus: quia utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. Sinamus illos abire cum intruso suo, quia cœci sunt, & duces cœcorum. Cyprianus dicit quod de ore & verbis suis unusquisque statim proditur: & utrum Christum in corde suo an verum antichristum habeat loquendo detegitur. Si linguis hominum & angelorum loquuntur, si sciant omnia sacramenta, & omnem scientiam, si habeant omnem prophetiam & omnem fidem, & distribuant omnia sua pauperibus & tradant corpus suum ita ut ardeant caritate, cujus est spiritum nutrire, concordiam non habeant, nihil eis prodest. Si causam propter quam

Romanus pontifex & ceteri episcopi præsident studiosè considerarent, ad talia sic indiscretè non prosilirent. Et qua fronte, dicit Augustinus in libro suo gestorum P. in futuro sæculo promissum à Christo sperabimus honorem, si sic christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem? quia non propter nos, sed propter populos christianos episcopi ordinamur, & pro pace Christi episcopi debemus esse vel non esse. Et quod populis Christianis ad Christianam pacem prodest, hoc de episcopatu nostro facere deberemus. Et inde Salisberiensis de duobus contendentibus de papatu: Habeatur hic pontifex, cujuscumque præcesserit canonica electio, qui Jonam imitabitur. Jonas ut naufragium tolleret, naufragium fecit, maluitque perire solus, quàm alios involvere periculis suis. Et Salomon maternum convincit affectum, quia integrum meretricis calumniæ filium cedere maluit quàm partiri. Sed isti malunt ecclesiam scindi, quàm honorem non usurpare, & innocenti matri Ecclesiæ non inferre calumniam. De veritate ergo alia quàm præsidentiæ populis intelliguntur prædicta. Et scandalum Pharisæorum de quibus Salvator loquitur erat propter fidei veritatem.

O misera & quantum misera vox talis in ore præcipue sacerdotum, qui verbo Domini præcipientis proximum diligere sicut seipsum, palam contraire non verentur! Utinam ad verba Cypriani attenderent. Quis enim, inquit, sic durus & ferreus, quis sic fraternæ caritatis oblitus, qui inter fratrum multiformes ruinas & lugubres, ac multo squallore deformes reliquias constitutus, siccos oculos tenere prævaleat, nec erumpente statim fletu prius gemitus suos lacrymis quàm voce depromat? nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria & sanitas privata blanditur; sed in gregis vulnere crucior, & funeris mœrorem participo: jaculis illis grassantis inimici mea membra simul cum fratribus percussa sunt: sævientes gladii per mea viscera transierunt. Immunis & liber à persecutionis incursu fuisse non possum, sed in prostratis fratribus etiam me prostravit affectus. Utinam saperent & intelligerent illud quod scribitur: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum deliberare non cesses. Et alibi: *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Et amator est salutis propriæ, qui vitat alienæ mortis incursum. Et ille providus qui sollicitus est cladibus ceterorum. Et talium pectus ferreum, & cor verè lapideum compungere saltem deberet illud quod scribitur, mortem lugentibus infligit, qui eam cùm potest non excludit. Et ideo tam sacerdotes quàm reliqui summam debent habere curam de his qui pereunt. Nam qui non repellit injuriam à socio, cùm potest, æquè culpabilis est in vitio cum illo qui facit; & longè plus, qui ad stragem tanti populi desinit obviare cùm potest. Nec debitum obedientiæ quemquam super hoc excusabit, quia communis doctrina doctorum, specialiter Innocentii, qui fuit papa, habet, quòd qui papæ obedit in illo de quo sequitur turbatio Ecclesiæ universalis, mortaliter Deum offendit. Nunc clarum est quòd istorum ambitio, qua quilibet præsidere appetit in papatu, nedum Ecclesiam universalem turbat, immo omnino destruit. Illi igitur qui in tali præsidentia obediunt BENEDICTO vel BONIFACIO, quomodo poterunt se à peccato mortali excusare? Nec ad denegandum obedientiam est expectanda sententia, quia non est qui eam proferat, & in casu schismatis subditos ab obedientia prælati recedere jubent canonicæ sanctiones.

Sed ecce quid hodie plures dicunt? Securi, inquiunt, episcopos & principes nostros sequimur. Nos oves sumus, illi pro nobis reddent rationem. Sed Aurelius doctor Augustinus in sermone suo de Pastoribus, ipsos vehementer reprehendit. Nonne, inquit, tales terrent verba Dei dicentis: si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Et de morte ovis malignæ malus pastor malam reddet rationem. Numquid ideo sunt oves quia assignatur pellis Domino? Increpatur pastor, nec propterea in fauces lupi ut devoraretur ovis irruere desiit. Et si sint mali & negligentes pastores, hoc sibi exigunt merita populi, quia secundùm merita subditorum, disponitur à Deo vita rectorum. Et Hieronymus in canone: Si malignum populus faciat in conspectu Domini & perseveret; talis Ecclesiæ judex datur, sub quo famem & sitim verbi Dei populus patiatur. Sed dicit Dominus, Nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat. Convertamur igitur à viis nostris pessimis; & colligamus nos ad montes scripturæ sanctæ, & sint ibi deliciæ cordis nostri, ubi nihil est venenosum. Illæ sunt, dicit Dominus, oves meæ, quæ verbum meum audiunt. Verbum autem Domini contra istos duos contendentes est: Væ pastoribus qui pascunt semetipsos & non gregem: lac comedunt, & lana operiuntur; & quod crassum est occidunt. Et dispersæ sunt oves meæ, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum & rapinam: propterea, dicit Dominus: Ecce ego super pastores requiram gregem meum de manu eorum, cessare eos faciam, ne ultra se pascant; & liberabo gregem meum de ore eorum, nec erit eis ultra in escam. Quæ si efficaciter audiremus, ut disrumperemus vincula eorum, abjiceremus à nobis jugum ipsorum; quia esurienti utilius panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam frangitur, ut injustitiæ deditus acquiescat. Et multi sunt reges & prælati qui altero istorum obedire se dicunt, si ad nutum ipsorum de spiritualibus disponant. Tunc enim & non aliter obediunt, & de talibus scribit Bernardus: Quisquis occultè vel apertè satagit, ut quod affectat pater sibi spiritualis injungat, se decipit; & qua re de obedientia blanditur, in ea re non ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. Sed eò res deducta est, ut quilibet illi credere videatur, à quo plus emolumenti receperit & honoris. Quilibet avaritiæ & ambitioni studet, Dei timor & conscientiæ rectitudo, prostratus jacet.

Et modicum huc usque cordi fuit hæc abominatio principibus orbis terræ: ex quo sicut piè

creditur à multis, à tempore schismatis percussiones majorum vidimus mirabiles, & quales prædecessores nostri vidisse non leguntur. Ut ergo tanti periculi latebras, & ita excitati æquoris fluctus evadere valeamus illæsi, nos episcopi ad solum Deum & salutem populi habentes aspectum, omni cupiditate semota, ad pacem Ecclesiæ habendam mutuum nobis auxilium & consilium viriliter præbeamus: & sicut canonis præcepto astringimur, Christi militum cohors candida hujus persecutionis urgentis ferociam turbulentam stabili congressione frangamus. Nam si quid nostrûm à prædicto congressu se subtraxerit, à canone magis schismaticus quàm sacerdos habetur. Et nonne si ad memoriam reducantur Ecclesiæ nascentis exordia, dicit Apostolus, quod sicut in uno corpore multa membra habemus: ita multi unum corpus sumus in Christo. Et Paulus: Unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis nostræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus: nec potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii; sed ne sit schisma in corpore, membra invicem debent esse sollicita: & si patitur unum membrum, compatiantur sibi omnia membra. Et majores nostri hanc unionem conservasse, immò usque ad carnem & sanguinem propagasse leguntur. Nam frater Jacobus narrat quod Germanus Autissiodorensis & Lupus Trecensis ad Angliam, ubi schisma pullulabat bis de Francia profecti sunt, & pacem Deo cooperante fecerunt. Et vice versa, ut pauca de pluribus referamus, de Anglia inter ceteros Albinum seu Alcuinum in Franciam venisse legimus, qui clarus ingenio, in philosophia eruditissimus, Carolum-magnum in omnibus artibus liberalibus instruxit, & Universitatem de urbe Parisius transtulit, quæ de Græcia illuc translata fuerat à Romanis: quæ & quantum unioni Ecclesiæ profuerunt novit Deus. Et tempore schismatum, præcipuè Alexandri III. reges nostri & prælati unanimiter ad extirpationem schismaticæ pravitatis, & palmam ecclesiasticæ unitatis exaltandam fructuosè legimus laborasse: quam unitatem, nec desideriorum temporalium varietas, nec contentiosa disrumpere deberet contrarietas voluntatum.

O si possetis excitare principes vestros, præcipuè illum quem noviter ad solium regium sublimastis; & cum ipsis pariter excitare, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines vitæ fugientis! Nonne quidquid est sub sole labor est & afflictio spiritus, vitæ præsentis excursus, fumus, & vapor? Gloria mundi fallax & seductoria decipit amatores suos: quicquid enim in futurum promittit, vel in præsenti prætendit, totum ad nihilum deveniet tamquam aqua decurrens. Cur terrarum discensio ad laborandum unanimiter pro pace Ecclesiæ, quemcumque catholicum retrahit? Verbum prophetæ est, *O terra, terra, terra, audi sermones meos.* Terra est homo, quia de terra sumitur, & in terram conversatur, in terram revertitur, terram sapit, terram lingit, terram sitit: conglutinatus est in terra venter noster, descendit in inferiora terræ, cælique & cœlestium oblitus, pro terra litigat, pro terra pugnat, nec cessabit à talibus donec ad terram qui de terra est revertatur. Tunc illi septem vel octo pedes terræ sufficiunt, cui modo non sufficit camporum latitudo & vastitas regionum. O homo, gleba corporis, quæ est de terra, ad id unde sumta est reducetur; & funiculus hereditatis tuæ; quæ pro nunc pro terra litigas quasi hereditate possideas terram. Si virtus devotionis vos dominos prælatos & principes in intimis afficeret in hac causa Dei, omnis strepitus pravæ suggestionis abesset.

Recedant talia, & majores principes, qui intra Ecclesiam tempore schismatis præcipuè sic potestatis adeptæ culmina tenent, quòd papam etiam facientem schisma, sicut decreti Glossator asserit, ut ad viam pacis redeat, coercere possunt; quia in tremendo judicio sunt de pace Ecclesiæ Deo rationem reddituri diligenter attendant. Et dominus Henricus qui nunc diadema regni vestri tenet, cogitet quòd inclyti animi est famæ diligere commodum, quam nemo in futurum ipsum diligere putabit, si in novitate opinionis suæ non videt esse custodem. Providus enim institutor, hortum suum fœcundis ornat plantariis, ut reddat fructus optatos, quæ sollicitis fuerunt exculta laboribus.

A guerra lamentabili, Deo volente, per treugam descivimus, & fœdus quidem firmius, credebamus, cum rege defuncto inivimus, & in litterarum apicibus quas superveniens senium non delebit notanter exprimitur, quòd hæc faciebamus propter Deum, ut liberius ad pacem Dei habendam efficaciter laborare possemus. O quam malè, dicit Cyprianus, seipsum fallit & decipit, qui in materia ista aliud corde occultat, & aliud voce pronunciat! Et ille qui in vinea sua laborantibus dare quod justum est pollicetur, non ignorat si nos omnes ad suum sanctum opus explendum fideliter nos exposuimus, & si sibi aliqui servierint in tympano vel choro. Quæ autem postmodum evenerunt stupore magno attoniti conspicimus, & est mirabile in oculis nostris.

In gestis tamen B. Germani Autissiodorensis legitur in Britannia, quæ nunc Anglia dicitur, alias contigisse, quòd cùm ipse & Lupus Trecensis episcopus de Francia pro pace Ecclesiæ venissent in Angliam, & rex qui tunc erat, ea quæ pacis erant exaudire noluisset, à regno miraculosè ejectus est, & subulcus ad regni solium sublimatus, de cujus stirpe reges prodeuntes longo tempore fuerunt in Britannia dominati. Scribitur enim, Auferetur à vobis regnum & dabitur genti facienti justitiam. Et sicut docet Seneca, prudentis animus tribus temporibus dispensatur, recordatur præterita, disponit præsentia & futura prævidet. Et, Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Ex quo autem Francorum gens resumtis viribus Romanæ feritatis jugum à cervice propria repulit, ferinaque colla sub regum dominio subjecit, Christi Ecclesia veneranter adulta odori-

feros fructus ferens usque occidivos limites floruit; & sicut Historiographus testatur Normannus, sub regum Francorum moderamine Christi vinea succrescens innumeros fidelium ramos protulit. Ex hoc quippe, inquit, regno plurima Christianorum proruperunt ovilia, quæ velut apes ex suis alveariis multimodos ex diversis mundi partibus favos in cœlestibus obtulerunt sedibus, & hujus præclara insignia felicis memoriæ GUILLELMUS & inclyti reges Angliæ suæ prosapiæ, ceterique proceres nostri Ecclesiam semper de bono in melius propagando, non sub modio, sed super candelabrum in Anglia sic fixerunt, quòd indelebiliter eorum opera bona totam insulam sicut sidus irradiant matutinum. Ab his, inquit, regibus Francorum perennis Jerusalem fabrica de luto fœcis schismaticæ sæpe erecta coram æterni regis obtutibus valida virtute pollens, ut stellæ lucidè fulget. Et præconia veterum præsens regis & regalium nostrorum docet in facto Ecclesiæ vera virtutum, & ipsorum devotio laudabilis suam servat originem, & fideliter posteris tradit, quæ in se gloriosa transmissione promeruit. Et qui mihi credere noluerit, saltem operibus credat, quia ubique cognoscitur, quod etiam fama teste laudatur. Tantaque devotione in hac causa Dei fervent, quod hujus respectu cetera quæcumque magna postponunt: quia universum mundum lucrari & animæ detrimentum pati meritò æstimant nihil esse. Et vestri regales quadam etiam necessitate astringuntur, ne à majorum suorum regum Franciæ probitate degenerent: quia sicut indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat, ita præclara egregiè de patribus dicta confirmat: paterna namque gloria eos reddet inglorios, si patrum vestigia non sequuntur. Si Brutum etiam vellent imitari, de illo scribitur quòd in ejus imitatione de Troja ad Albion non degeneravit Trojana nobilitas: immo Britones tantæ devotionis fuisse inveniuntur, quòd LUCIUS rex Britanniæ tempore Eleutherii papæ, primò quàm Imperator & rex Franciæ per multa tempora conversus est ad fidem Christi. Et tempore Gregorii EDIBERTUS Saxo rex Cantuariorum primæ prædicationi Augustini, sicut dicit, Elinandus, nobile responsum dedit, & cum magna devotione ipse cum subjectis ad fidem conversus est. Et si principes vestri unanimiter ad pacem Ecclesiæ cum nostris procurandam concurrerent, credo quòd illi qui duobus vel tribus pari spiritu & voluntate collectis se in medio eorum pollicetur esse futurum, pacem & concordiam diligentibus se promissam eis firmam tribueret. Quia illis vero pax repromittitur qui à Dei voluntate non dividuntur, & in his quæ solius Dei sunt delectantur: & primò quærentibus regnum Dei in ceteris felix successus promittitur.

Utinam Dominus vester inter primitias suæ dominationis, recentis suæ unctionis ostendat efficaciam! David postquam à Samuele fuit unctus, Spiritus Domini, sicut scriptura testatur, in eum erectus est à die illa in reliquum. Sanè quacumque die qua olei lenticula à Samuele

A perfusus est, mutatus in virum alterum, insiliente in eum Spiritu Domini, prophetare incœpit. Et utinam zelo domus Dei contra dissipatores Ecclesiæ concitetur. Nam sicut in canone scribit Augustinus, ad reges sæculi spectat pacificare Ecclesiam, de qua spiritualiter nati sunt; & si contra tales non commoverentur, de imperio suo malam Deo redderent rationem; & melius faciunt voluntatem Dei monentis, si istos ambos ad ejus ovile redire cogant, quàm si consentirent voluntati errantium; & ipsos & nos perire

B permitterent. Nec ipsi quia coguntur reprehendant, sed quo coguntur attendant. Et ipse idem super Johannem: Nabuchodonosor rex decrevit quòd quicumque dicerent blasphemiam in Deum Sydrac & Abdenago in interitu essent, & domus eorum in dispersione. Ecce quod rex alienigena sævit ne blasphemaretur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne liberare: quare non sævient reges Christiani, quia Christus exsufflatur, ut non tres pueri, sed orbis terrarum cum piis regibus à gehennarum igne liberetur?

C Si patrissare studeat, unionem Ecclesiæ per viam quam prosequimur nobiscum unanimiter prosequetur. Ille enim felicis memoriæ dux Lenchastriæ pater suus hanc viam, sicut à pluribus fide dignis audivi, semper laudavit & approbavit.

Sed nobis improperant aliqui quia istam viam singulariter elegimus. Sed cur hoc? Nam Seneca, ille vir prudens, in epistola ad propositum sic loquitur: Qui quò destinavit pervenire vult,

D unam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire, inquit, istud est, sed errare. Et inde scribitur quod nescienti quem portum petat, nullus est ventus aptus. Proceres regnorum Franciæ & Angliæ cautelam hanc prudentissimè semper servaverunt, quod reges nostri, si de concordia ageretur, numquam mutuò se viderent, nisi prius super certa materia super qua fieri deberet conventio, esset maturissimè digesta: quia conventiones magnatum quæ fiunt generaliter & in confuso, potius sæpe pariunt

E discordiam, quàm finem pacis optatum: & semper timemus, attenta firma & fixa adhærentia partium quæ utrique istorum obediunt, recessum à conventione discordem, quia tunc sine dubio esset novissimus error pejor priore, & teste Deo hanc viam sine fictione didicimus, sine invidia communicamus, & sicut sapiens scribit, ejus utilitatem non abscondimus.

Nunc autem BENEDICTUM nostrum, Deo cooperante, sic canonicè disposuimus, quòd BONIFACIO cedente, mortuo, vel ejecto, ad

F cessionem pro bono unionis se reddit paratum. Et multi de obedientia BONIFACII jam in via & ejus executione nobiscum concordant: sic quòd schismaticæ tempestatis procella jam pro parte declinat, jamque portum securiorem naviculæ Petri promittit aura clementior. Sed non sic prudentiæ nostræ innitimur, quòd viam meliorem, si reperiri posset, ad sedationem schismatis amplectere renuamus. Nam, teste Gregorio, stultus est qui in eo se majorem existimat, ut bona quæ viderit facere contemnat.

Sed

Sed in hac Dei causa à puero & anniculo cum Augustino vellemus edoceri. Non enim, inquit Cyprianus, vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur. Viam quamcumque discussionis, quam tamen BENEDICTUS semper quæsivit, sedationi schismatis convenire, stantibus terminis sicut sunt, videre non potuimus. Ad executionem tamen viæ cessionis conventionem mutuam semper diximus fore necessariam, & quod cardinales omnes primitus approbati per utrumque, cessione facta, intrantes conclave, papam eligerent unum certum in forma juris. Et ita os illorum qui de nobis loquebantur iniqua, dicentes quòd papam Gallicum habere volumus, veritatis fræno compescimus: quia omnibus cardinalibus in unum collectis, verisimiliter Gallicum non eligent, quia tunc in collegio Gallici erunt valde pauci. Utinam Tartarus vel Turcus, catholicus tamen, hodie pacificus esset in papatu.

Sed ecce tempus adest, de quo Salvator in evangelio legitur prædixisse, pseudo-episcopos insurgere, & multos seducere, & fideles suos multas habituros pressuras. Et sicut Augustinus & Hieronymus scribunt, multos hypocritas sub habitu religionis circuientes provincias callidissimus hostis dispersit: qui strepitu labiorum benedicunt Domino, & immunda mente interius veritati contradicunt: ex quo Ecclesia Dei sic diu stat inter incudem & malleum, & continuè supra dorsum ejus fabricant peccatores: quæ sic Deus evenire permittit, sicut dicit Augustinus, ut discutiamus pigritiam nostram, & sicut scribit Apostolus, probati manifesti fiant. Nam si carinarum nexibus solidati à prora & puppi mutui auxilii mittamus anchoras, navis per abrupta ad deteriora non ibit. Sed sicut sæpe inundationibus concussa elevata est in sublime, ille qui post nubilum dat serenum, inclytam speciosam suam succedentibus turbationum fluctibus agitatam oculo clementiori ex alto respiciet; & in sui nominis injuriam diutius conculcari non permittet.

Conveniamus igitur in nomine illius, cujus causam agimus, prælati & alii viri Deum timentes in bono numero, tamen æquali, ne major pars in numero personarum & minor quæ forsan saniorem se diceret, cujuscumque dissidii occasionem habeant: convenientem habentes potestatem ab aliis: quæ conventio effectum concilii generalis indubitanter habebit, & de pace Ecclesiæ Deum solum habentes præ oculis, tunc tractemus & concludamus. Nam in li. Mach. scribitur: Convenit ecclesia cogitare quid faceret; quia nos illam solùm semper cum sinceritate cordis quæsivimus, & vobiscum in domo Dei unanimiter habitare, sicut est bonum & jocundum. Speramus enim in illo qui duobus vel tribus in suo nomine convenientibus omnia quæ poscerint præstanda promisit, quòd multitudini tantæ per unum spiritum supplicanti suam pacem & concordiam non negabit, nec contendentium est in hoc casu, ut videtur, auctoritas necessaria, quia jura quæ de congregatione concilii per papam facienda loquuntur, unum papam supponunt pacificum, qui in remedium schismatis fuisse legitur ordinatus. Sed nunc, proh dolor! quod factum fuit ad remedium tendit ad noxam, & ita communi consensu, sicut majores nostri, ut dicit Hieronymus, in primitiva Ecclesia faciebant, eorum auctoritate minimè requisita, convenire possumus & debemus, sicut Symmacho & Laurentio contendentibus; & tempore Benedicti IX. & aliàs sæpe synodo episcoporum paucorum sine eorum consensu congregata, quæ legitur fuisse sopita. Nec movere quemquam debent Liguriæ, & Emiliæ, ac Venetiarum episcoporum dicta Theodorico, quòd ipse qui impetebatur Symmachus, debebat concilium congregare, quia tunc Symmachus erat papa pacificus, saltem de ejus titulo non dubitabatur, & per calumniam accusabatur de hæresi. Sed cùm de ejus titulo fuit inter Laurentium & ipsum contentio, auctoritas Theodorici, ejus licentia non requisita, vocatis aliquibus episcopis in Ravenna, schisma compressit.

Quidam tamen conventionem prædictam adhuc impugnare non verentur, dicentes, sicut verum creditur à multis, quòd ad discutiendum quis istorum jus habet in papatu, omnibus attentis, conveniremus in unum. Ad deponendum verò illum, qui papa est, Ecclesiæ congregatio fieret frustra, quia nec ab augusto, nec ab omni clero, neque à populo papa deponi potest; quia potestatem habet non ab hominibus, sed à Deo. Et probat hoc illud quod in canone scribitur de Marcellino, qui licet idolis immolasset, concilium tamen noluit ipsum condemnare. Sed talia à conventione nos retrahere non debent; quia misericors Deus, cujus Ecclesia non litigiosis opinionibus figitur, sed divinis attestationibus comprobatur, agenda taliter moderabitur; quòd ad rigorem justitiæ devenire non oportebit. Sed si ad hoc deveniremus, majores nostri, præcipuè glossator decreti & Hugo dicunt quòd papa subest concilio in his quæ concernunt fidem & statum Ecclesiæ universalis. Nam si auctoritas quæritur, orbis major est Urbe, & sicut prædicitur, ejus auctoritas & potestas cessat, si per ejus factum Ecclesia destruitur. Et ita de Johanne XII. legitur fuisse factum. Et scribitur de Marcellino, causa quæ movit & movere debuit concilium, fuit quia sponte reatum confitebatur, & Ecclesia redemtis non claudit gremium. Et potestas papæ est à Deo, quia nullus illam potuit dare nisi Deus, sic quòd ligata vel soluta per eum sunt ligata vel soluta in cælum; sed quod papatum habeat iste vel ille, à Deo est per cooperationem humanam, scilicet per consensum eligentium & electi: & secundùm hoc per consensum humanum qui justè movetur, potest desinere esse in BENEDICTO vel in BONIFACIO. Nam potestas sacerdotum in his quæ sunt ordinis est sic à Deo sicut papæ; & si in peccato de quo notoriè scandalizatur Ecclesia, pertinacia & obstinatio papæ censentur hæresis, sicut duo prædicti doctores dicunt, sic quòd papa pacificus accusari potest & condemnari, quia peccatum ariolandi est non obedire,

& scelus idololatriæ non acquiescere: nonne in tam gravi schismatica divisione protervus censeri debebit hæreticus: quia schisma antiquum, ut dicit Augustinus, est hæresis; & qui in schismate perseverat, jam configit hæresim, ne penitus Ecclesiam destruat, in concilio accusari poterit & condemnari. Nam doctor Augustini Aurelius dicit: Nos prælati habemus duo: unum quod Christiani sumus, alterum quòd præpositi sumus. Illud quòd christiani sumus propter nos est: in eo quod præpositi sumus, propter populum est. In eo quod Christiani sumus attendatur utilitas nostra, in eo quod præpositi solùm utilitas populi. Immo cum papa notoriè Ecclesiam scandalizat & destruit, ut glossator decreti asserit, sine spe veniæ gravius est puniendus, quàm alius, sicut diabolus.

Et si decretum *Si duo* Honorii, sicut videtur multis, hodie locum habeat, in quo expressè ad requestam Ecclesiæ statuitur, quòd si contingat duos eligi ad papatum, sic contra fas, quòd de eorum electione grave oriatur scandalum in Ecclesia Dei, neuter debet remanere; sed alius de novo eligi, licet quælibet pars suo sic fortiter adhæserit, quod jam per patientiam fuerint per multos annos tolerati. Nunc ecclesia simul saltem per repræsentationem congregata poterit executionem prædicti capituli, sic patienter omissam, & nunc in judicio deductam, sicut multi asserunt, viriliter practicare. Et ego qui sicut ceteri prælati in me præconis officium suscepi, licet immeritus & indignus, bona Ecclesiæ mihi assignata pro stipendiis nolens comedere mutus, pro hac causa Dei missus ad Angliam, & alia multa regna, laboravi clamans, sed lupi me viderunt, & raucæ factæ sunt fauces meæ. Dicit enim Ambrosius in Hexameron, & inter nos vulgus, quòd quando lupus hominem videt, aërem corrumpit contiguum, qui corruptus clamorem impedit. Et quamvis Angliæ insula munda sit lupis, à longè forsan lupus respiciens me & alios clamantes raucos fecit, & aures aliquorum ut non audirent obturavit. Et in Proverbiis scribitur: Qui obturat aures suas ne audiat, ipse clamabit & non exaudietur. Nec per hoc verenda detego, sed potius verenda confuto. Illi verò qui retribuunt mala pro bonis detrahunt mihi, licet cum sinceritate cordis unitatis prosequar bonitatem. Et in cælo testis meus. Utinam dictum Gregorii detrahentes meditarentur: Quid, inquit, aliud faciunt, nisi in pulverem sufflant, & terram in suos oculos excitant? Et cum magis detractionis perflant, inde minus vident aliquid veritatis.

Sed vos non sic, Pater & Domine; sed sustinete si quid est insipientiæ meæ, & supportate me nunc, quando ille amplius me non videbit, & in Isaia ne cessem præcipitur. Voce clara beatissimum martyrem Thomam olim Ecclesiæ Cantuariensis archipræsulem tota mentis devotione clamans exoro simpliciter, ut hodie cum flagellum indignationis suæ super nos omnes Dominus sic acriter intenderit, stet pro nobis omnibus: & sicut in persecutione sua caritative in Francia se tractatum fuisse humiliter profitetur, misericorditer Christi clementiam interpellet: ut ipse qui pax nostra est, in viam pacis faciat Franciam & Angliam utraque unum.

Vobis autem hæc mea scripta dirigere signanter disposui, quia sicut in gestis B. Gregorii legitur, Cantuariensis Ecclesia totius Anglicæ gentis in Christi fide meritò mater esse probatur; & in ea Merlini vatis Britanniæ cernitur aptissimè vox impleta. Dignitas, inquit, Londogniarum adornabit ruinam, scilicet Cantuariensem Ecclesiam. Et vos sicut primas totius Angliæ singulorum onus & sollicitudinem portatis, sic quòd de gradu celsiori pro salvatione gregis dominici, quasi tuba tenemini exaltare vocem vestram, & sicut Paulus Corinthios, in Anglia evigilare viros justos prædicando verbum: & sicut ipse docuit instando opportunè & importunè, ut dominus ille qui in solio vestro regio præsidet, & ceteri proceres excitati, saltim pacem exquirant Ecclesiæ, quam pressi desidiâ jam per tot annos prosequi distulimus. Nec cujuscumque terror ab isto sancto opere vos retrahere debet: sed B. Thomæ martyris prædicti vestigiis inhærendo, fidei robur in vos stare debet; immobilis, & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus, ne in tremendo judicio sanguis fidelium ab illo qui potentes potenter punit, de vestris manibus exquiratur, & improperetur vobis quod scribitur, canes muti non valentes latrare. Ille namque pro juribus suæ Ecclesiæ defendendis mori non timuit: & nos cur ita timidi & vecordes erimus, & istos magis timebimus qui occidere nos non possunt quàm Deum, qui in gehennam ignis corpus & animam mittere potest? Nam sæpe, sicut inquit Theodosius, qui terrent plus ipsi timent: sors ista tyranni.

Hujus etiam tempestatis schismaticæ sævitiam in diversis mundi partibus, etiam in Roma vos expertum fuisse non ignoro, & in magnorum discriminum angustiis illorum debent suffragia implorari, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbavit, ad vestram ducens memoriam qualiter vos domini Anglici super ista conventione aliàs regi nostro scripsistis. Et dominus RUPERTUS Bavariæ per dominos archiepiscopos electores ad regnum Romanorum recenter assumtus, & domini archiepiscopi prædicti, & multi alii principes Allmanniæ noviter significaverunt regi nostro, quòd in festo B. Johannis Baptistæ proximè futuro Mettis vel in Argentina, sunt ad tractandum de pace Ecclesiæ cum illis qui CLEMENTI & BENEDICTO obedierunt, & nobiscum convenire parati. Tenentes igitur vos domini Anglici manum ad aratrum, retro per Dei gratiam non respiciatis: & ille qui pulsantibus aperiri voluit, si ad pacis ostium concorditer pulsemus, citò nobis tempus placidum dabit, & quasi post noctis tenebras floridum lumen aspiciemus, & post glaciem & nivem hyemis transeuntis, aurea nobis tempora & serena succedent: & si conversi non fuerimus, Deus ipse suum vibrabit gladium, ut plagam nobis inferat magis diram. Et ne hoc opus Dei amplius frustratoriis dilationibus protrahatur; supplico quatinus saltim ad conclusionem conventionis prædictæ velitis

mihi breviter litteratoriè respondere: & si aures vestras scripturæ prolixitas oneret, causa Dei quæ me traxit ad culpam, etiam ad veniam intercedat. Deus omnipotens vos feliciter custodiat, & eos qui in tenebris & in umbra mortis sedent illuminare vos faciat ad dirigendum pedes eorum in viam pacis. Et si rhetoricæ hæc venusta non sint exornata gravitate, & politi sermonis nitore decorata, sed inclinato stilo deducta per planum, non est cura: quia hujus materiæ fructus non est in superficie, sed in medulla; nec in verborum foliis, sed in radice rationis. Et licet credam multos mihi infideliter detracturos, verba Pauli mihi præbent solatium: Gloria, inquit, vestra hæc est testimonium conscientiæ vestræ. Et Job: Ecce in cælo testis meus. Quid os igitur loqui valentium loquatur non curo, dum tamen à tramite veritatis non discedam. Quid enim, inquit Gregorius, detrahentes faciunt nisi in pulverem sufflant, & in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde minus aliquid videant veritatis?

COPIA APPELLATIONIS interpositæ per Leodienses à papa eorum post subtractionem obedientiæ per eos sibi factam.

Anno 1400 Ex ms. Gemmeticensi.

IN nomine Domini. Amen. Appellationis seu provocationis remedium ad innocentiæ justum præsidium dignoscitur institutum, contra illos maximè qui in potestatibus constituti, innocentiæ, veritatis & pietatis; justitiæ & fidei, ac veræ religionis sectatores, & sinceros zelatores sæpe quærunt opprimere, & etiam de bono opere lapidare. Hoc vero uti præsidio juri convenit naturali, justam cuilibet defensionem permittenti. Hoc etiam sanctorum Patrum & legum codicibus reperitur multipliciter esse cautum. Sic enim vas electionis B. Paulus apostolus sentiens sibi propter veritatis, fideique prædicationem & evangelii Christi dilatationem malum à Judæis Jerosolymis, & in via machinari & intendi, illac remitti noluit, nec etiam ibidem judicari, sed ipsorum fraudulentias præfato remedio elisit, & Cæsarem appellavit, ad ipsum cum appellatione remissus fuit, & sic persequentium laqueos evasit, & ab ipsis persecutoribus tamquam innocens dimissus fuit. Isto itaque præsidio tamquam magis necessario instantius utendum est, & hoc tempore periculoso, quo piè agere volentes majoribus persecutionibus subjici dispositi jam videntur. Unde honorabilis vir & discretus magister Goffinus de Momalia canonicus ecclesiæ S. Dionysii Leodiensis, procurator & procuratorio nomine reverendi in Christo patris & domini domini JOHANNIS DE BAVARIA electi Leodiensis, sub forma præsenti appellavit nomine suo, suique venerabilis capituli majoris, & aliorum capitulorum, & prælatorum ecclesiarum collegiatarum ac monasteriorum, totiusque cleri, ac etiam magistrorum, consulum & gubernatorum, totiusque populi civitatis & bonarum villarum patriæ & diocesis Leodiensis, ac personarum singularum earumdem coram nobis tabellionibus publicis subscriptis, singulisque nostrum & testibus subscriptis astantibus, ad hoc specialiter vocatis & rogatis, pro ipsis reverendo Patre, prælatis, capitulis, clero, civitate, bonis villis, populo, patria ac universis & singulis supradictis, cujuscumque honoris, gradus, status, sexus, ætatis, & conditionis censeantur aut existant, ac quibuscumque ipsis aut eorum singulis adhærentibus aut adhæsuris successuris contra scriptum & descriptum inferius & eorum quemlibet sub protestatione quòd dictus magister Goffinus procurator quo supra nomine non intenderat, neque intendit ea quæ sequuntur, in illius vel illorum contra quos hujusmodi appellatio seu provocatio interponitur, injuriam, vituperationem, infamiam, aut famæ denigrationem, vel etiam aliquod quod malè sonet, vel à fide deviet, vel sinistrum quod significet dicere vel scribere. Quod si aliquid tale reperiatur, suæ intentionis fuit & est, quòd pro non scripto vel pro non apposito habeatur. Sed intendebat & intendit ipsam proponere, dicere, aut scribere ex mera necessitate, & propter pericula de quibus infra evitanda, ad prædictorum omnium etiam & singulorum dominorum suorum & aliorum quorumcumque dicto domino suo electo & sibi adhærentium tuitionem & defensionem tam in conscientiis, personis, honore, quàm etiam bonis; propter etiam generalem obligationem qua universi Christi fideles astringuntur Ecclesiæ matri suæ & fidei compati, condolere, & subvenire, & etiam ad dicti domini sui electi & suam justificationem & innocentiæ ostensionem, præfatus magister Goffinus procurator, ut supra, dixit, dicit, assumsit & præsupponit ea quæ sequuntur.

Primò quòd licet una sit Ecclesia, omnium mater, fœcunditatis copiosæ: quam unitatem Dominus designando, ipsam super unum ædificavit, dicens ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: quæ ad modum solis radios multos emittit, & ad modum arboris unius in ramos plurimos se expandit. Ex qua etiam veluti ex uno fonte & rivuli multi manant. Et licet omnibus apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuerit, quando dixit: *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum-sanctum, &c.* Ut tamen unitatem manifestaret, unitatis ejus originem ab uno incipere, & ad unum reduci, tamquam ad caput sua auctoritate disposuit, & ab unitate, ab exordio proficiscitur, ut causa Christi una monstretur. Hanc verò non qualibet terrena sententia, sed illud Verbum Patris quo constructum est cælum & terra, & condita sunt omnia elementa, fundavit. Et hæc ante præsens schisma, pro Christi nomine & spirituali reverentia reputabatur gentium domina, sedens in pulcritudine pacis in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta. Illo quidem tempore nihil in orbe ea solemnius, nihil præstantius, nihil lucidius, nihil habebatur reverentius. Tunc etiam temporis fides, devotio, cultus di-

vinus, contemplatio & religio vigebant, litterarum studia, morum honestas, vera nobilitas, & sufficientia suos professores juxta Dei beneplacitum, & ad reipublicæ tam ecclesiasticæ quàm sæcularis ornatum ad meliora promovebant: justitia vigebat suum unicuique tribuendo: relevabantur oppressi, & virtutes copiosæ florebant.

Sed dixit & dicit secundò quòd postquam exigentibus peccatis hominum, etiam omnis status, majorum, mediocrium videlicet & puerorum, introivit in orbem hæc pestis schismatica, ferè ad viginti duorum annorum spatium jam protensa, obscuratum est aurum, & mutatus est color optimus, torque inconvenientia sunt secuta & continuè subsequuntur, quòd nec mens ulla posset concipere, nec lingua proferre, nec calamus sufficeret exarare, videlicet in christianam religionem ultra solitum malignitatis spiritum infidelium debacchatio, & hæreticorum in fidem catholicam frequentius hoc tempore præsumta insultatio, cultus divini ubique diminutio, thesauri pretiosissimi Christi sanctorumque ejus sanguine acquisiti, & ceterorum hujusmodi quæ fori pœnitentialis existunt, inepta ne dicatur dispensatio, immo indiscretissima dissipatio, ad ecclesiasticas dignitates & beneficia frequentes indignorum promotiones, quibus sæpe nec ætatis maturitas suppetit, neque morum gravitas, neque litterarum scientia, nec conscientia, nec etiam nobilitas generis, immo solùm eis suffragatur, & ipsos in sublimi constituit jure divino pariter & humano damnabilis & exosa talium venalitas. Adeo quòd jam ut plurimum non qui majoribus pollent virtutibus aut scientiis, sed qui majorum pecuniarum offerunt sacculos, promotiones obtineant potiores: ex quibus orbis catholici machina gravissimè concutitur, & populus christianus in spiritualibus & temporalibus infinita detrimenta consequitur, & mirabiliter, immo lamentabiliter defraudatur. Sic enim fit, ut qui per promotos in viam salutis æternæ & morum tramitem dirigi deberent, dum à cœcis, ut de aliis taceatur, ducatum accipiunt, in foveam dilabuntur; eo quod illi docere nesciunt, consulere cum unde non habeant non sufficiunt, patiturque populus Christianus sub ipsis, & tota respublica verbi Dei, & omnis rectæ doctrinæ sitim famemque: quinimmò per sic promotorum actus malos & exempla, boni & simplices depravantur; & dum in ovile Christi aliter quàm per ostium intraverint, damnabiliter administrant, & rem illicitè acquisitam in peccatis permanendo modo suo damnabiliter tractant, & contractant, aliosque seducunt. Eò quidem censuræ ecclesiasticæ ad medicinam animarum, ut salvæ fiant, teste Apostolo, institutæ, risui hoc pessimo tempore patent. Sacramenta insuper ecclesiastica, quibus tamquam speciali nutrimento christiana debet vivere professio, in debita reverentia non habentur; & in summa quidquid fidei, conscientiæ, devotionis, religionis, sive sanctitatis, quidquid rationis & sufficientiæ, quidquid veræ nobilitatis est, & cujuslibet boni valde læditur, minuitur, destruitur, & horrendissimè relegatur. Nec est aliquis qui miserias, ærumnas, & calamitates dignè, ut res postulat, deflere sufficeret, vel ad plenum posset exprimere, quæ mundus sustinet ex hac peste maledicta.

Dixit & dicit tertiò idem magister Goffinus procurator ut supra, quod dominus Bonifacius modernus fuit pluries requisitus, & evangelicè monitus, sibique vicibus iteratis humiliter extitit supplicatum, quatenus mente pertractans errorem detestabilem & alia inconvenientia tacta, quæ ex tanta schismatis diuturnitate procedunt, & illa quæ quo ad hoc ejus officio pastorali incumbunt, & sub quibus pœnis ac periculis unionem in Dei Ecclesia procurare tenetur, ad ea quæ pacis sunt se inclinaret, ac tantam à Dei ecclesia deleri maculam studeret, illius amore qui pro generis humani salute mortem dignatus est suscipere, cui placuit descendere de cœlo è Patris solio, ut moriendo hominem liberaret. Cujus exemplo, qui vanum honorem non quæreret, potius solio transitorio cedere deberet, sicuti meritoriè posset, ut Christianitatem ab hac peste liberaret. Fuerunt, inquam, prædictæ supplicationes, requisitiones, & evangelicæ monitiones dicto domino Bonifacio factæ per reges, prælatos, & principes utriusque obedientiæ potiores, utpote Romanorum, Franciæ, Angliæ, & Castellæ reges, & signanter per duos sacri imperii electores, prælatosque, capitula, atque cleros provinciarum Coloniensis, Maguntinensis, & Treverensis. Qui quidem electores propter præmissa ad præfatum dominum Bonifacium miserunt suos ambaxiatores solemnes, & per illos scripserunt super præmissis, & ad finem suprascriptum prædicti domini prælati & cleri, similiter & dominus electus Leodiensis ipsi domino Bonifacio supplicantes humiliter, ut ab illis quæ Ecclesiam universalem scandalizabant & de præsenti scandalizant abstineret: ut etiam super unione Ecclesiæ diligentiam adhiberet. Fuit etiam humiliter supplicatum & scriptum per quemdam dominum Albertum ducem Austriæ, & nonnullos alios dominos, ac Universitates studiorum, & civitates plures, tam Italiæ, quàm aliarum nationum, ut Christiano statui procurata unione prospiceret, ut tenetur. Nihil tamen propter hæc egit, prout apparet, pro Ecclesiæ reintegratione, nec paci ipsius procurandæ intendit, nec aliquod signum compatiendi sic afflictæ ostendit, prout sub pœna peccati mortalis & fautoriæ schismatis obligatus existit: nec super illis quæ, ut præmissum est, Ecclesiam universalem scandalizant, remedium aliquod apposuit, nec se quoad illa emendavit: immo incorrigibilis, seu induratus, de pejore in pejus processit, & mala malis accumulavit. Reipsa quantum est in eo taliter se habendo, ac si liceat illis insistere, & in tali divisione sit licitum permanere. Non attendens, proh dolor! quæ sequuntur. Primò quòd, teste B. Augustino, schisma inveteratum hæresis est, Christi fideles in devium ducit, universalem Ecclesiam, ut supra deductum est, non solùm dehonestat & lædit: immo

ad exterminium totale & finalem interitum, si non occurratur, pertrahit, & etiam catervatim in baratrum infinitas animas præcipitat & demergit: immo fere omne illud extinguit & absorbet, per quod vivit ecclesiastica religio: & quidquid est politiæ communis & publicæ directivum per istam miserrimam scissuram quasi tollitur. Non attendit etiam quòd summus pontifex, quamvis non requisitus aut monitus, illi rei omnes conatus suos debet, prout sub præcepto astringitur, impendere, per quam salus universalis Ecclesiæ procuratur: quæ salus in reductione ipsius ecclesiæ ad unionem nulli dubium maximè versatur. Nec attendit quòd summus pontifex ex ejus actibus Ecclesiam universalem scandalizans, secundùm sententiam doctorum subjacet depositioni. Nec etiam attendit quòd Romanus pontifex subest evangelicæ monitioni: cujus tamen monitionis ordine servato est habendus homo, nisi pareat, tamquam ethnicus & publicanus. Utinam etiam attenderet quòd illum dictum, Error cui non resistitur approbatur, de prælato quocumque verum est, qui errori, cui ex debito officii debet resistere, non resistit cùm potest. Cùm uno autem verbo levissimo tollere posset hunc errorem, & illi atque inconvenientiis quæ sequuntur ex illo resistere. Nulli verò dubium quòd dicere vel asserere licitum esse duos Romanos pontifices simul & semel eadem potestate fungentes, erroneum est: in prælato verò magis videtur facto continuato & habituato, & in longum usum deducto, aliquid approbare, quàm de verbo, eo quod facta præsidentium & majorum magis movent quàm verba.

Dixit etiam quartò & dicit dictus magister Goffinus procurator procuratorio quo supra nomine, ac assumsit & supposuit, & assumit ac supponit ad justificationem illorum quæ inferius tanguntur, & præcipuè illorum quæ prædictus dominus suus electus, ac decani, vicedecani, & capitula majorum, & aliarum abbates & prælati Ecclesiarum Leodiensium, nec non etiam totus clerus, & populus, ac magistri, consules jurati & gubernatores populi civitatis & oppidorum patriæ Leodiensis, fecerunt de substractione obedientiæ, ut infra tangetur, quòd secundùm doctorum Ecclesiæ sententiam, cui concordant canonicæ sanctiones, ubi juvenibus senior, vel inferioribus superior, vel minus doctis doctior ad interitum animarum exemplum præbet, vel viam parat, vel ipse à fide exorbitat, vel ipsos ad devium ducit, tunc districta increpatione ab eis feriendus est. Et illo casu oves pastores reprehendere possunt, tunc enim docti ab indoctis sanius sapiendo possunt redargui. Hoc enim casu Paulus Petro non detulit ipsum dignitate præcellenti, quin potius ei in faciem restitit. Sic Daniel adhuc puer presbyteros condemnavit. Nam infatuatum sal, id est prælati insipidi ducentes in devium, ad nihil valet, nisi ut projiciatur foras, id est deponatur. Illo casu subjugale mutum voce hominis loquens prophetæ vesaniam reprehendit. Ex quibus sic concluditur quòd licitè talium detestari potest insania, & illorum distorta, & Deo contraria itinera sanius sapiendo redargui possunt & debent. Cùm igitur dominus Bonifacius, & ejus adversarius, tot annis jam Ecclesiam divisam tenuerint, quòd schisma dudum, ut præmissum est, in hæresim transierit, quantum in eis fuerit, taliter se habendo, ac si liceat ita manere. Nec ipse, prout nec ejus adversarius, super unione procuranda diligentiam aliquam fecerit in effectu, neque viis sibi propositis ad sedandum schisma præsens, se secundùm circumstantias occurrentes convenientibus atque bonis, ullam earum acceptare voluit, neque dare aliam meliorem aut æquivalentem, factibilem, sicut nec ejus adversarius, prout tamen quilibet ipsorum sub pœna peccati mortalis & fautoriæ schismatis ad hoc tenetur, quamvis pluries solemniter & à solemnibus super hoc requisitus & evangelicè monitus fuerit, ipse & ejus adversarius. Sequitur quòd tales ipso facto hujusmodi errorem approbantes, & ecclesiam universalem scandalizantes, tamquam à fide exorbitantes licet increpare, licet redarguere, & eis ne navem submergant, vel gregem in præcipitium ducant, licitum est, ut supra deductum est, obviare, & ab ipsis, ut in simili scriptum est, & ab ipsorum tabernaculis tamquam à viris durissimis se licitum est separare, prout de Johanne duodecimo & nonnullis aliis, ut historiæ testantur, reperitur esse factum. Ipsis igitur domino Bonifacio aut ejus adversario in hoc casu non suffragantur scripta quæ per nonnullos allegantur, videlicet, oves pastorem non reprehendant, inferioresque superiorem non judicent, neque papa judicari potest, aut deponi à quoquam nisi à concilio generali, & hoc in uno solo casu, videlicet cùm de hæresi veniret accusandus, nec obedientia auctoritate propria tolli potest à subditis; & duæ sunt potestates, spiritualis videlicet & temporalis; neque temporalis spiritualem judicare potest, nec de ea quidquam per modum auctoritatis potest decernere vel etiam ordinare. Et sic de aliis ad idem tendentibus, quibus per ea quæ supra & infra patet satisfactum.

Dixit & dicit quintò idem magister Goffinus procurator quo supra nomine, ac præsupponit, & pro justificatione dicti domini sui assumsit & assumit, quòd cùm verum sit, quòd omnes casus provisione indigentes, non possint in legibus vel constitutionibus particularibus comprehendi, nec per ipsas omnibus necessitatibus potest provideri juxta varias circumstantias occurrentes, secundùm tamen quamdam virtutem moralem justitiæ directivam datur vel habetur facultas interpretandi, vel potius trahendi legem ad commune bonum, ubi verba ipsius legis cessant, & ubi incumbit necessitas secundùm bonam considerationem moralem, & virtutem quæ Epikeia à philosophis dicitur, datur licentia vel auctoritas providendi. Et propterea licet secundùm verba juris canonici vel ipsorum verius corticem, de communi cursu legis, nisi pro crimine hæresis, papa non possit deponi: cùm tamen certum sit hujus schismatis notabilem

prolongationem universæ christianitatis fore subversionem, & verum sit generalis concilii convocationem, prout res se nunc habent, maximam includere difficultatem, tantam fortassis, quantam schismatis sedatio vel partium concordatio, & ad minus notabilem temporis prolongationem inducentem fidei ac militantis Ecclesiæ periclitationem, propter morbi, id est ipsius schismatis inveterationem, & partium hinc inde radicatarum habituationem, causantes ipsius schismatis, nisi celeriter prospiciatur perpetuationem, veluti inter Græcos & Latinos propter eamdem causam, scilicet incuriam & damnabilem negligentiam, noscitur esse factum. Cùm igitur una pars contendentium alteri cedere non est disposita, nec una obedientia aliam cogere potest, prout nec in tali materia coactio cadere debet, nec una pars aliam suasionibus trahere ad se potest, nec potuit huc usque, prout ex lapsu tanti temporis patet. Nec ipsi contendentes, dum tamen bonis & honoribus solitis & consuetis frui possent & gaudere, non curarent, nec vererentur semper ita stare, prout fere viginti duorum annorum lapsus & obauditio diligentiarum, supplicationum, summationum, requisitionum, evangelicarum monitionum, de quibus supra, apud ipsos interpositarum clarè manifestant, & etiam refutatio viæ factibilioris, videlicet cessionis ostendit: quæ causa juxta morbi inveterationem, temporum, regionum, locorum diversorum, spiritualium & temporalium personarum, singularium affectionum, conscientiarum, & omnium hoc schismate durante actitatorum, omniumque considerationum exigentiam, & tam inveteratæ pestilentiæ circumstantias, & earum habituationem certius & citius apparet sanativa, & quæ etiam videtur contra omnes anfractus plenius provisiva secundùm moralem considerationem de qua supra. Ipse tamen dominus Bonifacius est contentus, ut realiter apparet, ita stare, istam viam refutans, vel saltem non acceptans, cùm non det aliam meliorem, vel æquivalentem non probet. Sequitur quòd pro conservatione militantis Ecclesiæ, attentis omnibus quæ præmissa sunt, recurrendum ad dictam virtutem moralem legalis justitiæ directivam, & juxta necessitatem incumbentem est etiam procedendum, ut non sic periclitetur fides & Ecclesia, nec perpetuetur schisma, & ne ducantur animæ ad præcipitium, destructionem, & ad interitum. Et cùm sit ita quòd sicut hanc scissuram maledictam moverunt opes, & illam suscitarunt honores; sic ejus tam diutinæ durationi fomentum ministraverunt beneficiorum collationes, honoris delectatio, spiritualium ac etiam temporalium bonorum perceptio, meritò prædictorum ministrationem supranominati sui electus ac decani, vicedecani & capitula majorum & aliarum abbates & prælati ecclesiarum Leodiensium, totusque clerus & populus civitatis, patriæ ac diocesis Leodiensis, ipsi prædicto domino Bonifacio subtraxerunt, & ab ejus obedientia justè, sanctè, ac licitè, zelo ducti domus Dei, quæ est

A Ecclesia recesserunt, præmissis rationibus inducti, prout ad hoc tenebantur & tenentur omnes Christi fideles, alias schisma maneret immortale: utilius enim secundùm Augustinum esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quàm esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. Et hæc non fecerunt propter dubium quod habebant de ejusdem domini Bonifacii justitia in papatu, quam non revocarunt in dubium, nec umquam dubitarunt de eadem. Stat enim profectò de ejusdem B justitia indubitata fides cum summo desiderio optatissimæ unionis, & per consequens cum dicta subtractione, tamquam cum medio convenientiori, & citiori, immo cuilibet debito, tamquam promtiùs ad unionem deducenti secundùm illa ad quæ res jam devenit. Quamvis enim à principio aliæ viæ forsan quàm cessionis tentari debuissent, & etiam tunc à dicta subtractione incipi non debuisset, postquam tamen semper sperando de diligentia ipsorum contendentium de papatu circa extirpationem schismatis; & C post monitiones, requisitiones, & diligentias jam clarè appareat induratio & obstinatio, atque nisi occurratur, directa schismatis perpetuatio, id est dispositio ad ipsam perpetuationem, quæ totius christianitatis induceret subversionem, re sic mutata, & ad talem statum deducta, quòd non apparet inter vias repertas convenientior & subtilior via cessionis ad finem schismatis celerem, desideratum, & necessarium fidelibus consequendum, licuit ipsis dominis electo, decanis, & vice-decanis, capitulis, prælatis, clero D & populo prædictis: immo debitum fuit eis facere quod fecerunt: nonobstante juramento præmisso vel alia obligatione quacumque. Nam ubi id quod juratur eo tempore quo juratur licitum est & licitè fieri & servari potest: si tamen ex postea supervenientibus res ad eum deducatur casum quòd servari non possit sine peccato & præjudicio animæ, vel ejus observatio ad iniquum vergat seu tendat: tunc non obligat hujusmodi juramentum, nec est aliquatenus observandum, sicut si quis juret apud ipsum deponenti gladium, eidem illum restituere quan-E documque petierit, & ipsum deponentem contingeret effici furiosum, & ipse in illo furore constitutus reposcat à depositario gladium suum, certum est quòd sibi restituere non tenetur. Res enim mutata est, & malum ex dicta restitutione verisimiliter esset secuturum, puta interfectio alicujus vel læsio, nec mansit deponens in statu in quo erat tempore depositionis. Et certum est juramentum, promissiones, aliosque actus obli-F gatorios suos habere intellectus civiles & canonicos ac debitos. Est etiam juris vera & certa traditio, quod ubi concessio, privilegium, vel obligatio in suis terminis primævis facta, id est ejus observatio tendit ad noxam, aut absurditatem inducit: eo modo præcisè vel in forma non debet servari; sed est ad moderamen debitum & rationale deducendum. Cùm igitur experientia docente clarè pateat, ex longo temporis lapsu, & ex spretis monitionibus, summationibus, supplicationibus, & requisitionibus,

evangelicis monitionibus, & aliis superius tactis A pluries, quòd si quælibet pars suo semper obediret, & sibi solita ministraret, numquam esset finis schismatis, & quòd ex hoc fides Christi nutat, & Ecclesia perit, ipsique sic se habentes schisma veraciter fovent, & per consequens eis obedire est fomentum schismati ministrare; debitum fuit & licuit dictis dominis obedientiam, ut præmissum est, subtrahere; & in hoc præfatus dominus electus, ac decani, vice-decani, capitula, abbates, & prælati, clerusque & po- B pulus, & alii supradicti justè & sanctè egerunt, filialem nihilominus obligationem in hoc observantes. Sicut enim casui seu periclitationi filiorum parentes prospicere debent, & jure naturali obligantur; sic modo suo filii patrum periclitationi & præcipitio debent ex debito obviare, concurrentibus illis quæ superius sunt deducta.

Nihilominus tamen ad dicti domini electi noviter & præfati magistri Goffini procuratoris; ut supra, prout idem procurator asserebat, venit C notitiam; & dicebat quòd super hoc esset communis opinio atque fama, quòd idem dominus BONIFACIUS coram multis & magnis sæpe comminatus est prædictis dominis suis, & singularibus personis cleri & populi, civitatis & patriæ, ipsorumque magistris, & gubernatoribus, &c. de procedendo contra eos propter subtractionem obedientiæ antedictam, & occasione ejusdem, asserens quòd procedere intendebat contra dictos dominos suos, ipsis adhærentes & adhæsuros, ad privationem privilegiorum, libertatum, beneficiorum, inhabilitationem persona- D rum, declarationem schismaticæ vel hæreticæ pravitatis, suspensiones & interdictiones, ceterasque censuras & pœnas ecclesiasticas, ipsarumque fulminationes per edictum & alias rigorosissimè; ad hoc nonnullos fautores suos commisisse vel deputasse, qui suos jam processus, ut dicitur, incœperunt, prout ad ipsius domini electi & dicti magistri Goffini procuratoris pervenit auditum. Ecce mirum valdè si non intendit ipse aliud remedium quàm per istum modum circa unionem apponere, desipit si sic E sapit: quoniam hoc profectò non est ad unionem tendere, sed discordiam discordia cumulare; nec animas lucrari, ut incumbit sibi, sed perdere. Numquid sic agendo & ultima prioribus mirabiliter, immo lamentabiliter & mente obstinata continuando, est Ecclesiam Christi ad talem statum deducere, quòd de cetero non adjiciat ut resurgat? Utinam oculos cordis ejus Altissimus aperiat, & aures ejus non aggravet! immo utinam intelligat ac novissima provideat, ut si stat, videat ne cadat, & ad aliam vitam F post istam permansuram magis quàm ad istam transitoriam respiciat & attendat! & iterum utinam tantum esset sibi horrori scissura Ecclesiæ, sicut Christum crucifigentibus divisio tunicæ domini fuit inconsutilis, & sicut etiam fuit veræ matri divisio sui pueri coram rege Salomone. Omnia verò & singula præmissa vera sunt, & quantum in facto consistunt, ea posuit & ponit dictus magister Goffinus procurator prædictus quo supra nomine, & ea probare intendebat & intendit, & obtulit ac offert se probaturum quantum sufficit ad intentum: quæ etiam omnia idem magister Goffinus procurator asseruit & asserit coram nobis tabellionibus publicis subscriptis fuisse gesta, & actitata in præjudicium dicti domini sui electi, suique capituli, & cleri, ac populi singulorumque suprapositorum, civitatis, & patriæ, ac diocesis Leodiensis ac sibi adhærentium & adhæsurorum, injuriam & oppressionem, læsionem, opprobrium, vituperationem, damnumque non modicum & gravamen. Idcirco dictus magister Goffinus procurator nomine dicti domini electi, & pro ipso domino electo venerabilique suo capitulo majori, & ceteris capitulis, prælatisque, ecclesiis, monasteriis, totoque clero, magistris gubernatoribus & populo ac singularibus personis eorumdem, cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, sentiens per dictum dominum BONIFACIUM commissariosque ejus, quorum pro nunc nomina & cognomina ignorantur, ac etiam committendos ab eodem eidem adhærentes & adhæsuros, ipsius sequaces & eum secuturos, eumdem dominum suum electum, suumque capitulum majus, ecclesias, clerum & populum, singulosque præmemoratos fuisse & esse læsos, gravatos, & oppressos, ac timens ex verisimilibus conjecturis posse in futurum plus eos lædi & opprimi ac gravari: & ne idem dominus BONIFACIUS per se seu prætensos commissos aut committendos, adhærentes aut adhæsuros, sequentes vel secuturos, seu aliam quamcumque personam quocumque nomine censeatur contra dictos dominos suos electum, clerum, & populum, singulaque supposita ejusdem patriæ & diocesis, quibuscumque nominibus censeantur, cujuscumque gradus, honoris, vel conditionis existant, vel eis adhærentes vel adhæsuros, ad hujusmodi libertatum, privilegiorum aut beneficiorum privationem, seu personarum quarumlibet inhabilitationem, citationem per edictum, aut aliam monitionem, contumaciæ reputationem, suspensionem, interdictum, excommunicationem, anathema, aggravationemque hujusmodi pœnarum, & quarumcumque aliarum censurarum ecclesiasticarum sententiam, condemnationem, declarationem, fulminationem, publicationem, intimationem, insinuationem, seu notificationem procedat, vel procedi faciat de facto cùm de jure non possit, coram nobis tabellionibus publicis & testibus infra scriptis, à prædicto domino BONIFACIO prætensisque commissariis & committendis, adhærentibus, succedentibus aut successuris, sequacibus aut secuturis, & quolibet ipsorum, & contra quemlibet ipsorum, necnon ab omnibus & singulis gravaminibus prædictis illatis, aliàs latius declarandis, si sit opus, & etiam inferendis, ad proximum futurum unicum, verum, orthodoxum, pacificum, & universalem papam, ejusque sanctam sedem apostolicam, seu ad illum qui de hujusmodi causa appellationis seu provocationis de jure agnoscere poterit, in scriptis quo supra nomine provocavit & appellavit, pro-

vocat & appellat, & à nobis tabellionibus publicis subscriptis, & à quolibet nostrum petiit & petit primò, secundò, & tertiò, ac instanter, instantius, & instantissimè apostolos saltem testimoniales super hoc sibi dari, protestans de aliis apostolis petendis, à quibus de jure fuerint petendi ac hujusmodi appellatio & provocatio in vim veræ appellationis transeat, si contingat contra ipsam quomodolibet attentari, necnon de hujusmodi provocatione & appellatione latius declarandis eis addendo, vel minuendo, &c. ipsas intimando, insinuando, notificando, prosequendo, iterum appellando, provocando; apostolosque petendo, ubi, dum, quotiens, & coram quibus visum fuerit expedire. Submittens & supponens, specialiter & expresse, in quantum de jure fieri potest, ipsos dominos suos electum, ac decanos, vice-decanos, & capitula majorum & aliarum, abbates, & prælatos ecclesiarum Leodiensium, ac totum clerum & populum, necnon magistros juratos & consules, & gubernatores, singularesque personas, & supposita civitatis patriæ & diocesis Leodiensis, & seipsum & singulos sibi ac dicto domino suo adhærentes & adhæsuros & successuros prædictis præmissorum & etiam omnium & singulorum, ac beneficiorum, & officiorum suorum, jura & bona quæcumque & ubicumque existentia, præsentia & futura, dicti futuri unici ac veri summi pontificis, ejusque sanctæ sedis apostolicæ, seu illius qui de hujusmodi causa cognoscere poterit de jure; tuitioni, protectioni, & salvæ gardiæ, spirituali assistentiæ, invocando in testimonium præmissorum.

Et quoniam Christiani reges & principes quibus divinæ virtutis & imaginis quid inest, & auctoritas à Deo instituta, ad unionem Ecclesiæ totis viribus procurandam præ ceteris incomparabiliter astringuntur, eò quòd ipsam à Christo tuendam susceperunt, à quibus majorem exiget rationem, quibus ipse commisit majora dominia, quæ à Deo esse, & sub ipso illa se habere negare non possunt. Ea propter eisdem consideratius & specialius pro adhæsione, tuitione, favore, & defensione in præmissis humillimè dictus magister Goffinus procurator, ut supra, supplicavit & supplicat, quatenus ipsi procurationi pacis & unionis Ecclesiæ sanctæ matris diligenter dignentur intendere; & ipsos obnixius taliter deprecabatur & deprecatur, & ut nunc ipsi erudiantur & intelligant qui judicant terram, & in hoc serviant Domino in timore. Vix enim est aliquid in quo magis ei servire possent. Ad pacem igitur Ecclesiæ, immo totius christianitatis salutem procurandam, si placet, incumbant, matrem desolatam respiciant, misereantur oppressæ, depressam erigant, ægrotanti medelam adhibeant, dexteram porrigant, de lectulo surgere vix valenti & opem suam gravissimis suspiriis flagitantem non ultra obaudire præsumant.

Ad vos igitur reges & principes, hujus necessitatis tempore potest, immo debet, ut dictus procurator asseruit, hujuscemodi sermo esse, ô reges & principes, ut intelligatis & erudiamini & apprehendatis eloquiorum sanctorum disci-

A plinam, nequando irascatur Dominus, & quod absit, pereatis, considerate, si placet, quæ hactenus evenerunt orbi catholico detrimenta, etiam ipsius orbis principibus propter eorum forsitan negligentiam circa Ecclesiæ relevamen, hac maledicta peste durante, & adhuc videtur manus Domini extenta. Non igitur diutius in hac parte torpeatis, nec jus vestrum negligatis, immo partem vestram diligenter servate: attendentes quòd illi qui intra Ecclesiam positi

B sunt, si contra fidem & disciplinam ecclesiasticam agant, principum auctoritate & rigore, teste scriptura canonica, conteri debent, ut sic ipsam disciplinam quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus renitentium principalis potestas imponat.

A prælatis verò & pastoribus Ecclesiæ etiam instantius adhæsionem prædictam cum humilitate dictus magister Goffinus procurator duxit postulandam, eisque super diligentia ab ipsis efficaciter in præmissis adhibenda seriosius sup-

C plicavit, quò jure propensiori ad hoc tenentur, qui veluti columnæ in domo Dei constituti censentur, pro qua præ ceteris se murum debent opponere. Negligentiam ergo in tanta non solùm depellenda, immo tollenda miseria hactenus lamentabiliter commissam sine mora supplicavit & supplicat ipse procurator, quibus supra nominibus, purgare dignentur; & pro succursu matris universalis, in qua culmina tantorum tenent honorum, & dignitatum possident

D fastigia, viriliter se accingant hoc tempore quo eis Deus se videtur offerre.

Et hoc idem à doctoribus cum omni precum instantia exposcit, qui quasi æquè ut pastores ad hoc obligati videntur, eo quòd ipsorum ordo in Dei Ecclesia censetur esse præcipuus. Nam etsi pastores, ut ordo scripturæ videtur innuere, ipsos præcedant, & ministerium ipsorum antecedat, utique isti illos immediatè subsequuntur; & eis textualiter convertuntur. Nunc igitur à somno excitati torporem excutiant, & de tanta segnitie culpam dicentes, jam ut splendor ful-

E geant firmamenti, & opere atque sermone, quod esse dicuntur, lucernæ videlicet ardentes, ostendant realiter non fingendo, non simulando, non ulterius pigritando: adhuc enim aliquid diei superesse videtur. Et generaliter ab omnibus christianis cujuscumque status aut generis sint, eamdem adhæsionem cum omni instantia sæpedictus magister Goffinus, quo supra nomine petit & requirit, eo quòd ipsorum in hoc interesse vertitur: adeo ut hæc causa popularis & publica meritò sit dicenda: quoniam,

F teste Apostolo, omnes unum sumus in Christo, qui Christi charactere dicimur insigniti, & per consequens hæc materia omnes concernit christianos, & ad matris reparanda solatia operam adhibere tenentur in qua renati sunt, ex qua pascuntur spiritualiter & vivunt, & in qua ipsos mori necesse est, ut in perpetuum vivant: quod omnibus fideliter in præmissis laborantibus concedere dignetur Unigenitus Dei Filius Dominus noster JESUS-CHRISTUS, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Acta

A Acta fuerunt in loco capitulari ecclesiæ majoris Leodiensis sito versus palatium episcopale, coram reverendo in Christo patre & domino domino JOHANNE DE BAVARIA, Dei gratia electo Leodiensi personaliter præsente, & omnia prædicta gratificante, omologante & approbante: ac coram venerabilibus & discretis viris dominis vice-decano & capitulo dictæ ecclesiæ majoris; necnon decanis, vice-decanis & capitulis ecclesiarum secundariarum, ac magistris juratis, gubernatoribus & consulibus civium B Leodiensium, propter hoc, ut dicebatur, ibidem specialiter inductis, convocatis, & congregatis per sæpe dictum magistrum Goffinum procuratorem, & procuratorio nomine quo supra: in præsentia nostrûm notariorum publicorum & testium subscriptorum taliter in effectu, de mandato dicti reverendi patris domini electi, dicentem, asserentem, provocantem, & appellantem, ac apostolos petentem & repetentem instanter, instantius & instantissimè, ceteraque præstantem quæ præscribuntur. Super quibus C idem magister Goffinus nomine quo supra petiit à nobis notariis publicis conjunctim, & à quolibet nostrûm divisim, sibi fieri unum publicum instrumentum, & plura, & tot, quot sibi necessaria fuerint seu oportuna, sub anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo, indictione octava, mensis Martii die decima octava, hora summæ missæ vel quasi, præsentibus ibidem honorabilibus & discretis viris magistro Johanne de Monte canonico ecclesiæ S. Dionysii Leodiensis dicti reverendi patris domini electi D consiliario, Johanne dicto *Rossailli* scabino Leodiensi, Bartholomæo *de Betst* armigero, Dionysio de Rivo clerico & secretario civitatis Leodiensis, & Jacobo *Baddu* cive Leodiensi, necnon pluribus aliis testibus fide dignis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Johannes *Sterner* clericus Trajectensis diocesis apostolica imperialique auctoritate publicus & curiæ Leodienses notarius, quia præmissis provocationi, appellationi, apostolorumque petitioni & repetitioni, protestationi submis- E sis, ceterisque omnibus præmissis, dum sic fierent & agerentur, unà cum Johanne meo connotario subscripto, & testibus subscriptis præsens fui, eaque omnia sic fieri vidi & audivi. Idcirco idem meus connotarius & ego præsens publicum instrumentum exinde confecimus, & aliis arduis præpediti per alium scribi fecimus, quod meo signo manuali & consueto signavi rogatus & requisitus.

Et ego Johannes Arnaldi junior dictus quondam de S. Laurentio presbyter Leodiensis pu- F blicus imperiali auctoritate curiæ Leodiensis & venerabilis capituli prædicti notarius, quia præmissis vocationi, appellationi, apostolorum petitioni & repetitioni, protestationi submissis, ceterisque omnibus & singulis præmissis, dum sic fierent & agerentur, unà cum meo contabellione & connotario præscripto ac testibus supranominatis præsens fui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Idcirco huic instrumento publico per dictum meum contabellionem & me confecto, exinde & per alium fidelem scripto, me & dicto meo contabellione aliis præpeditus negotiis arduis, me propria manu subscripsi ac signum meum publicum & consuetum, &c. *ut supra*.

LITTERÆ LUDOVICI II. REGIS JERUSALEM ET SICILIÆ.

De restitutione obedientiæ facta Benedicto XIII. papæ.

LUdovicus secundus Dei gratia rex Jerusalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ, dux Andegaviæ, comitatu Provinciæ & Forqualquerii, Cenomaniæ, Pedemontis & Rouciati comes, universis & singulis officialibus tam majoribus quam minoribus curiarum nostrarum, civitatum, & locorum infra scriptorum & aliorum quorumcumque dictorum nostrorum comitatuum Provinciæ & Forcalquerii & terrarum eis adjacentium, ad quos spectat & præsentes pervenerint, & cuilibet, vel loca tenentibus ipsorum, necnon universis & singulis prælatis, personis ecclesiasticis, baronibus, nobilibus, & universitatibus & singularibus personis comitatuum prædictorum & terrarum prædictarum sibi adjacentium fidelibus nostris dilectis gratiam & bonam voluntatem. Anno 1401 *Ex ms. Colbertino*.

Quoniam sacro-sanctam Ecclesiam speciosissimam matrem nostram, quam formando de suo laterali caractere, commercio impretiabili, irrigando largifluè quasi imbre salvifico sanguinis rubricati Dei Filius JESUS-CHRISTUS in ara crucis sibi & ejus successoribus summis pontificibus caritate dignissima matrimonio copulavit perpetuo, tamquam sponsam gratissimam, non habentem maculam neque rugam, deprecando sinceriter cum ventilabro almi Paracliti à qualicumque fece falsitatis hæreseæ, & pervigili custodia sic protegendo assidue, ut si procellosis anfractibus ventorum mundialium nostris exigentibus demeritis, quandoque exponatur periculis submergi, tamen in profundum non patitur seu totaliter naufragari. Hanc igitur acquisitam meritis quasi innumeris & pœnalitate multiplici in sui cordis ærario amoris purissimi vinculo fœderando mirabili ascensurus ad patris dexteram, ne vidua in terris remaneret acephala, B. Petro & cuilibet successori papæ catholico & nulli alteri commisit cum jurisdictione universali, & auctoritate plenaria quilibet ceteri obedientiæ famulatus subderentur humiliter. verum etsi quilibet fidelis christicola matris causam nobilis, quæ ipsum in esse gratiæ in Christo regeneravit specialiter, & fructu irriguo pavit, ulterius donariis divinorum carissimatum pectoris lactis ejus, tenetur imitari vestigia, obediendo humiliter, vitando offensam cujuslibet impugnantis injuriæ, quia extra ejus consortium nulla est via salutis seu veritatis catholicæ, suumque sponsum verum & legitimum honorari & revereri, tueri & juxta vires protegere. Præcipue nos ad talia prosequenda possetenus inducunt christiana professio, sub cujus

veritatis regula, Christo favente, inobliqua pertransire cupimus, hujus vitæ exilium, salus animarum quæ periclitantur per devia, majestas regia qua fungimur, peculiaris unio, qua eidem sanctæ Ecclesiæ copulamur ex debito, & eidem impensa præsidia progenitorum nostrorum. Unde quia procurante zabulo, veritatis inimico, qui præfatam sanctam Ecclesiam à sua primitiva origine divisionibus & scissuris impugnare non destitit, certis ex causis obedientia fuerat subtracta: hinc est quod nos præmissis sedula consideratione pensatis, ad notitiam fidelitatis vestræ deducimus per præsentes, quod cum ad inductionem & suggestionem nonnullorum his annis non longe effluxis serenissima & illustrissima domina MARIA dictorum regnorum regina & comitissa comitatuum prædictorum, reverendissima mater nostra, tamquam bajula tutrixque in loco nostro de Tharascone, præsentibus aliquibus trium statuum dictæ nostræ patriæ Provinciæ multis suggestis occasionibus circumventa, propter terrores & minas, tunc sibi comminatos & comminatas, non corde sed coacta, obedientiam in temporalibus & spiritualibus, proh dolor! subtraxit sanctissimo domino nostro domino BENEDICTO papæ tertio decimo sacro-sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo pontifici, nobis in regno nostro Siciliæ existentibus, & prædicta omnia totaliter ignorantibus. De qua quidem subtractione dicuntur fuisse factæ litteræ patentes seu instrumenta publica sigillo magno ipsius reginæ impendenti roborata. Cumque postmodum tres status dictæ nostræ patriæ Provinciæ, videlicet prælati, barones, nobiles & universitates celebrantes concilium generale in nostra civitate Aquensi, attendentes quod dicta subtractio inutiliter facta fuit quoad effectum unionis ecclesiæ, tunc ex ea prætensæ, sicut apparuit per negotiorum eventum, & quod non procedebat de jure divino & humano, nec aliqua bona intentione naturali, in quantum fuit in eis declararunt se velle obedire dicto domino nostro papæ tamquam unico & vero vicario JESU-CHRISTI, & obedientiam omnimodam præstare pro salute animarum suarum, nostro beneplacito tunc super hoc reservato. Super quibus eorum ambaxiatores ad nos in Franciam destinatos, majestati nostræ verbo & scriptis humiliter & attente supplicari fecerunt, ut dictam subtractionem revocaremus, & omnimodam obedientiam tam in spiritualibus quam temporalibus eidem domino nostro papæ restitueremus. Nos igitur considerantes, quod numquam in dicta subtractione consensum nostrum præbuerimus, nec à vera obedientia dictis domini nostri papæ nos subtraxerimus; immo eum semper habuerimus pro vero papa & universalis Ecclesiæ summo pontifice, & eidem tamquam unico & vero vicario JESU-CHRISTI obedientiam fecerimus; supplicationibus quoque fidelium nostrorum Provincialium tamquam justis & rationalibus benignius inclinati, procedentes ad infra scripta cum matura deliberatione nostri nobis assistentis consilii, die sabbati proxime lapsa, quæ fuit vicesima sexta hujus mensis Augusti, personaliter visitavimus præfatum dominum nostrum papam, existentem in palatio apostolico Avenionis, & sibi omnimodam reverentiam impendimus, necnon præmissis & aliis certis causis & rationabilibus, nos in hac parte moventibus, homagium ligium & sacramentum fidelitatis de regno nostro Siciliæ, & aliis terris quas ab Ecclesia tenemus dicto domino nostro papæ BENEDICTO XIII. more solito præstitimus, dictamque subtractionem, & omnia & singula in ea contenta coram sua sanctitate, & ex nostra certa scientia, & de regiæ pietatis plenitudine revocavimus, annullavimus, & totaliter cassavimus, & tenore præsentium revocamus, irritamus, cassamus, & annullamus, & nullius valoris seu efficaciæ declaramus, & haberi penitus pro infectis volumus, ac si numquam facta forent; & nihilominus restituimus plenariam & omnimodam obedientiam in spiritualibus & temporalibus eidem domino nostro papæ in regnis & civitatibus nostris antedictis, & terris eis adjacentibus, constantibus de hoc publicis & authenticis instrumentis seu documentis, in præsentia ipsius domini nostri papæ, & de nostro assensu sumtis, rogatis, & publicatis per Petrum Soriani notarium & secretarium apostolicum & alios notarios publicos, ac postmodum hodie præmissa in nostra civitate Arelatensi, præsentibus dicta reverendissima domina matre nostra, & consorte, & principe Tarentino germano, nostris carissimis, ac prælatorum ac nobilium ac populi multitudine copiosa cum processione, ac missa, & sermone publicis nunciavimus, & fecimus solemniter publicari. Quare volumus & fidelitati vestræ harum serie de dicta nostra scientia præcipimus & mandamus expresse, quatenus statim visis præsentibus & singulis infra scriptis, civitatibus atque locis & aliis dictorum comitatuum nostrorum Provinciæ, Forcalquerii & terrarum eisdem adjacentium vestræ juridictioni subjectis de præmissis laudes & gratias Deo referentes, & processiones solemnes fieri facientes, more fidelium catholicorum, præmissa omnia & singula solemniter & publice, clero & populo dictorum comitatuum & terrarum adjacentium nostrorum nuncietis & publicetis in sermonibus publicis & missarum solemniis, cum populi multitudo convenerit ad divina, seu etiam alias, voce præconis publice, prout ad vos & vestrum quemlibet pertinet seu spectat, nunciari & publicari faciatis; sic quod nullus circa hoc ignorantiæ pallio se valeat excusare: & eidem domino nostro papæ, suisque mandatis & officialibus & litteris ipsorum obediatis, pareatis & efficaciter intendatis in spiritualibus & temporalibus, sicut ante dictam subtractionem fieri debuit, & erat fieri consuetum, ac quascumque personas in dictis comitatibus & terris adjacentibus parere & intendere permittatis, & faciatis quoscumque forsitan remorantes seu rebelles ad præmissa & inobedientes, dum pro parte dicti domini papæ seu deputatorum ab eodem fueritis requisiti, auctoritate præsentium viriliter compellendo, etiam cum

auxilio brachii sæcularis, ac per captionem temporalitatis bonorum eorum & proventuum ecclesiasticorum quorumcumque & alias ut videbitur & expediet, & pro parte dicti domini nostri papæ & officialium suorum ac quorumcumque deputatorum seu deputandorum ab eo fueritis requisiti, obedire & parere cogentes, ipsa subtractione quam revocavimus, irritavimus, & totaliter annullavimus, ut prædicitur, in aliquo non obstante, si indignationem nostram cupitis evitare, præsentibus post oportunam inspectionem executis, & tenore earum cartulariis litterarum majorum de verbo ad verbum descripto, ipsas de una curia ad aliam, seu de loco ad locum; per latorem præsentium volumus & jubemus originaliter præsentari. In quorum fidem, & testimonium, ac memoriam futurorum, præsentes nostras litteras fieri, & magno nostræ majestatis sigillo jussimus communiri. Datum in civitate nostra Arelatensi per venerabilem & reverendum patrem Gaufridum Gogart utriusque juris professorem, decanum Turonensem, magistrum requestarum, consiliarium & fidelem nostrum dilectum, mandato nostro locum tenentem majoris judicis comitatuum prædictorum. Anno domini millesimo quadringentesimo secundo, die penultima mensis Augusti decimæ indictionis, regnorum vero nostrorum anno decimo octavo.

TRACTATUS ET CONCORDIA habita inter dominum Benedictum & cardinales publicatus in præsentia dominorum Burgundiæ & Bituriæ Parisius in domo Tonrellarum anno Domini MCCCCIII. die XXIX. Maii.

Anno 1403. *Ex ms. Gemmeticensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Noverint universi hoc præsens instrumentum inspecturi, quòd anno à Nativitate Domini MCCCCIII. indictione verò XI. XXIX. mensis Martii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris domini BENEDICTI divina providentia papæ XIII. anno nono, in Castro Reinardi Avenionensis diocesis, ubi tunc temporis dominus noster residebat, in nostrorum Johannis Saucii decani Galaritanensis & Calciatensis ecclesiarum ad invicem unitarum, decretorum doctoris, Oliverii de Solerio canonici ecclesiæ Aquensis in Provincia, Colini Dominici canonici Lingonensis, & Guillelmi Dominici presbyteri auctoritate apostolica notariorum publicorum ac testium infra scriptorum, præfatus dominus noster papa ex parte una & reverendissimi in Christo patres GUIDO Penestrinus, Pictaviensis vulgariter nuncupatus, & NICOLAUS Albanensis episcopus, AMEDEUS sanctæ Mariæ-novæ, vulgariter dictus de Saluciis, & PETRUS S. Angeli diaconi cardinalis suo & nonnullorum aliorum cardinalium Avinioni existentium, videlicet PETRI episcopi Portuensis Florentini, LEONARDI tituli S. Sixti de Gifomio, JOHANNIS tituli S. Cyriaci in Termis de Venetiis, A JOHANNIS S. Anastasiæ, PETRI S. Petri ad Vincula Aniciensis, GUILLELMI tituli S. Ceciliæ de Bergeyo presbyterorum, ac PETRI tituli S. Mariæ in Via-lata de Verulio diaconi S. R. E. cardinalis vulgariter nuncupatus, qui se ab obedientia ipsius domini nostri papæ subtraxerant, nomine, ex parte alia, de quorum mandato & potestate sufficienti fuit nobis ibidem sufficiens facta fides, & constat legitimè per quoddam publicum instrumentum manu B nostrorum prædictorum Colini & Guillelmi, cujus tenor est inferius insertus: necnon nobiles & egregii viri Johannes *Cabassole*, Jacobus Ransardi syndici, Stephanus Caprioli legum doctor accessor, Ponsetus Estovardi, Johannes *Trovehim*, & Hugo de Sadone cives & conciliarii Avenionenses, suo & aliorum civium & habitantium nomine, de quorum syndicatu, nomine, nobis, &c. extitit facta fides per quoddam aliud instrumentum manu Petri Vassureli clerici Meymatensis diocesis, civis & habitantis C Avenionensis, publici apostolica & imperiali ac civitatis Avenionensis auctoritate notarii signatum, cujus tenor inferius describitur, personaliter constituti, cum debita reverentia volentes, ut dixerunt, tractatum pacis & concordiæ inter eumdem dominum nostrum papam & Avenionenses cives à certis temporibus citra ductum & pertractatum, sub modo & forma in certis capitulis super hoc confectis contentis ad optatam & salubrem conclusionem deducere ac firmare, nobis notariis prædictis in scriptis tra- D diderunt, quæ ibidem incontinenti per nos legi & publicari voluerunt, præceperunt, & requisierunt, ac lecta & solemniter publicata fuerunt per me decanum prædictum, nobis & aliis notariis videntibus & audientibus, quorum quidem capitulorum tenor sequitur in hæc verba.

Pax & concordia inter papam ex parte una & cardinales pro se & civibus Avinionensibus, qui papæ obedientiam subtraxerunt, & qui voluerunt præsenti gratia gaudere, ex parte alia, videretur sub forma sequenti per Dei gratiam posse ad debitam conclusionem deduci, proviso quòd si Serenissimus Princeps dominus CARO- E LUS rex Francorum velit similem tractatum pro se, & clero regni sui, seu aliis quibuscumque suis subditis, papa vult quod habeat, & dabit litteras dominis ituris in Franciam. Primò quod mandet dari dominis cardinalibus instrumentum vel instrumenta in forma publica de his quæ aliàs concessit ad instantiam regis Francorum, nihil mutando vel innovando, cujus tenor concessionis & instrumenti tenor incipit: *In nomine Domini. Amen, &c.* & post paulum sequitur: *Constituti personaliter venerabiles viri religiosi Fra-* F *ter* BONIFACIUS *Ferrarii prior domus Portæ-Cæli Ordinis Carthusiensis Valentinensis diœcesis, Johannes de Costa cantor Bajocensis, ambaxiatores sive nuncii illustris domini ducis Aurelianensis, &c.* Et finit ante conclusionem notarii, *Renunciantes quibusque protestationibus, si quæ per nos factæ fuerint, quæ contra præmissa capitula vel contenta in eis possent in aliquo derogare: pro quorum omnium majori firmitate, nos huic cedulæ propria manu*

subscribimus in hunc modum, BENEDICTUS, *&c.* *de quibus omnibus & singulis*, *&c.*

Item super facto concilii hujus obedientiæ congregandi, quia nullo modo videtur expediens in tanta divisione congregari, cùm esset notoriè introductivum majoris divisionis & discordiæ, & multarum inconvenientiarum, quas non oportet exprimere, papa, sicut aliàs dixit, in eadem intentione est, scilicet quod cardinalibus, civibus Avinionensibus, & aliis de quibus supra, plenè reductis ad suam obedientiam; & postquam fuerit restitutus pristinæ libertati, ipse intendit convocare & celebrare secundùm statuta sacrorum canonum concilium vel concilia, & in illis cum consilio prædictorum cardinalium, prælatorum & aliorum fidelium & notabilium virorum statuere, & ordinare, ac ordinata prosequi, & executioni mandare, quæ expedientia erunt pro unione & bono regimine sanctæ matris Ecclesiæ.

Item, papa remittit ex certa scientia omnes injurias, offensas, & damna, interesse, & expensas, si quæ sibi per prædictos vel eorum aliquos irrogata & facta existant, qualitercumque, & quomodocumque, cujuscumque dignitatis, status vel conditionis, etiamsi aliqui cardinales existant, ratione subtractionis, & ipsius occasione vel causa, & ab ejus tempore & citra, illis scilicet qui ad ejus veram & plenam obedientiam redibunt infra tempus infra scriptum, eo quòd obediebant in tempore subtractionis, & sicut vero pontifici Romano tenentur.

Item, papa modo prædicto, si inter prædictos sint aliqui viri ecclesiastici etiam prælati, cujuscumque status, gradus, conditionis, aut præeminentiæ existant, etiamsi pontificali vel alia majori vel minori quacumque dignitate fulgeant, etiamsi forent aliqui S. R. E. cardinales, papæ camerarius, vel marescallus papæ, eos & singulos eorum conservabit & proteget in honoribus & dignitatibus, beneficiis, officiis, & præeminentiis, prout faciebat ante tempus subtractionis, etiam tempore quo subtractio facta fuit: etsi aliqui eorum habilitatione vel dispensatione indigerent, illos ex certa scientia habilitabit & dispensabit ex superabundanti cautela super omni irregularitate, contractatione, vel causa dictæ subtractionis, vel dependentiis quæ sequuta sunt ex eadem. Nec non remittet ad omnem cautelam & provisionem futurorum omnes pœnas juris & hominis, civiles & criminales, cujuscumque naturæ existant, si quas aliqui prædictorum incurrerunt quoquo modo: confirmando illis, & etiam cuilibet ex certa scientia, & ad omnem superabundantem cautelam & provisionem, si opus sit, dignitates, honores, beneficia, & officia quæcumque ante subtractionem ipsi canonicè obtinebant: revocantes, & cassantes, & adnullantes, & ex eadem certa scientia & ad majorem cautelam, omnes processus, sententias, & alias censuras juris & hominis: abolendo plenè omnem infamiam, notam & maculam, quæ ex prædictis aliqui quomodolibet incurrissent & concurrissent, si & in quantum opus foret & indigere posset: reducendo eos totaliter in pristinos status & gradus plenè & sufficienter cum clericis necessariis & opportunis.

Lecto tamen hoc capitulo, præfatus dominus noster papa ibidem incontinenti fuit solemniter protestatus, quòd per suam voluntatem hujusmodi, sive per aliqua quæ promittat, dicat, concedat, vel firmet, non intendit se ad aliquid astringere, per quod dignitatis & potestatis papalis libertati in beneficiorum, officiorum, dignitatum & præeminentiarum dispositionibus possit quomodolibet derogari; nec ipsis beneficiis, officiis, dignitatibus & præeminentiis aliquam insolitam perpetuitatem tribuere: nec consentiebat, nec consentire volebat in aliqua subtractione obedientiæ, sive quacumque alia inobedientia contra ipsos à quocumque facta vel continuata, aut dilatatione restitutionis ejusdem obedientiæ, nec in aliqua inclusione, restitutione, vel detentione seu personæ vel suorum; nec in aliquo quod sit vel esse possit contra fidem & bonos mores aut divinæ majestatis offensam, nec in restrictione suæ vel clavium potestatis, cùm ea faciat pura & recta intentione pro bono pacis & concordiæ, ac reformatione sacrosanctæ Ecclesiæ.

Item, papa ex certa scientia remittet & indulgebit universaliter & singulariter civibus & habitantibus civitatis Avinionensis utriusque sexus, tam clericis quàm laïcis, & eorum liberis, & heredibus, ac successoribus quibuscumque, secundùm & in quantum indigere possent, & ad majorem cautelam, & provisionem futuri omnes pœnas juris & hominis, civiles & criminales, cujuscumque naturæ ac gravitatis sint, si quas incurrerint ratione subtractionis, causa vel occasione ejusdem, per commissionem quorumcumque criminum, excessuum, vel delictorum, etiamsi foret læsæ majestatis, perductionis, & aliorum quorumcumque omnes injurias, damna, & interesse, si quæ sibi irrogata fuerint in personis sive bonis, & hoc pro bono pacis.

Item, papa ex certa scientia prædictos cives & eorum quemlibet manutenebit in libertatibus & franchisiis, consuetudinibus, immunitatibus, & aliis eorum quibuscumque juribus conservabit & proteget, quæ tempore subtractionis, & antequam fieret, obtinebant, & quæ sub illa forma qua consueta sunt jurari in creatione Romani pontificis per camerarium: & de novo confirmabit ipsis civibus & comitatibus, si & in quantum indigerent, & restituet ad famam, honores, & dignitates.

Item, quòd harum vigore prædictis vel aliquibus ex prædictis eos vel quemlibet ipsorum liberos & successores universaliter & singulariter numquam conveniet, molestabit, aut conveniri & molestari permittet per quemcumque vel quomodocumque, & hoc pro bono pacis.

Item, papa auctorizabit illa quæ per camerarium vel ejus mandato facta vel administrata sunt; & à tempore subtractionis citra, si & in quantum possent esse nulla & invalida ex defectu potestatis vel jurisdictionis proveniente ratione subtractionis.

A Item, similiter auctorizabit illa quæ de mandato dominorum cardinalium per marescallum & alios officiales civitatis Avenionensis facta sunt tempore subtractionis, si & in quantum possent esse allegari nulla vel invalida ex defectu potestatis vel jurisdictionis proveniente ratione subtractionis.

Item, super dignitatibus & aliis beneficiis majoribus reservatis, collatis & obtentis in terris subtractis, aliàs quàm de auctoritate papæ, ipse, Deo donante, faciet & ordinabit taliter quòd cum Dei adjutorio, & sine ejus offensa, omnes merito debebunt contentari: super quo dicet suam bonam voluntatem dominis cardinalibus.

B Item, de eo quod dicitur, quòd super factis consistorialibus citra provisionem, & promotionem, aliosque actus similes, & majores, papa velit more solito procedere cum consilio cardinalium, &c. constat quòd papa est bonæ intentionis, & vult, & intendit cum ipsorum bono consilio prædicta sic opere complere, super quibus ipse dicet dominis cardinalibus suum bonum propositum & intentionem laudabilem; de quibus debebunt contentari. Nam circa ista duo capitula alias obligationes vel restitutiones facere, vel ista in capitulis ponere, non esset conveniens, congruum vel honestum.

C Item, apunctatis præmissis capitulis inter papam, cardinales, & cives; cardinales mittent unum vel duos de seipsis in Franciam, & laborabunt fideliter quod rex Franciæ & domini duces acceptent prædictos articulos pro bono D pacis & istius patriæ reformatione, & ut melius possit Ecclesiæ unio prosequi, & in quantum fieri potest omnis dilatio, quæ Ecclesiæ & animabus, considerato statu lamentabili ejusdem in quo periculosè existit, cardinales ibi mittendi promittent, quod super habenda bona deliberatione & concordia regis & dominorum prædictorum, vacabunt diligenter infra spatium quatuor mensium & tempore firmati contractus, & jurabunt quòd infra tempus prædictum ad papam & ad civitatem Avinionensem E cum deliberatione domini regis & dominorum præfatorum revertentur.

Item, domini cardinales promittent quòd habita prædicta bona deliberatione & concordia regis & dominorum, hinc ad tempus supra in articulo proximo taxatum reducent se purè & simpliciter cum prædicta civitate ad veram & integram obedientiam papæ, & quòd sibi ab inde in antea obedient, sicut antea Romanis pontificibus suis prædecessoribus, vel sibi ante subtractionem vel tribulationem hujusmodi obe- F dientiæ tam in spiritualibus quàm temporalibus, & reducetur papa ad pristinum plenum & liberum quoad omnia quæ habebat tempore subtractionis & antea.

Item, hoc lecto capitulo, data fuit nobis notariis prædictis quædam cedula de ipsius domini nostri papæ & de ipsorum dominorum cardinalium voluntate, consensu, & requisitione lecta ac solemniter publicata, cujus tenor talis est.

« Cardinales promittunt facere & procurare fideliter conatu toto cum domino Francorum rege & dominis suæ prosapiæ, quòd restituat papæ plenam obedientiam infra tempus concordatum & præfixum inter ipsum papam & cardinales præfatos, & adveniente dicto termino facere omne & quicquid de jure peragere tenentur & debent erga ipsum tamquam summum pontificem. Et omnia prædicta jurant.

Item, dicti cives & habilitatores civitatis Avinionensis renovabunt tunc juramenta fidelitatis, & homagia, & jurabunt noviter omnia & singula ad veram fidelitatem & obedientiam pertinentia, cum omnibus capitulis, sicut in creatione Romani pontificis est fieri consuetum.

Item, cardinales reputant se contentos de his quæ papa concessit in præscriptis capitulis, & promittunt quòd aliud non petent, vel facient petere, vel adhærebunt personis cujuscumque status, quæ alia vellent petere vel instare.

Item, quòd durante dicto tempore, quo post firmam dictorum capitulorum cardinales ibunt in Franciam, & usque ad perfectam executionem eorumdem capitulorum papa & sui defendentur, & protegentur ab omni molestia & injuria & via facti à quocumque inferenda vel comminanda. Et hoc jurabunt dicti cardinales & cives, quòd si sentirent vel scirent aliquid in contrarium, notificabunt & revelabunt papæ, & eum defendent, & protegent, ac præservabunt, & omne contrarium impedient omni eorum possibilitate, saltem quousque esset in plena libertate & securitate.

Item, promittent & jurabunt bonam reductionem & concordiam nedum domini regis & dominorum de Francia, sed etiam aliorum quorumcumque à papæ obedientia subtractorum, & non obedientes, nec volentes ad ejus obedientiam redire, impedient quoquo modo.

Item, cum præmissis fiet bona & vera pax, bonum vinculum perfectæ dilectionis.

Item, quo executioni mandato, papa tractabit in posterum dictos cardinales cum omni honore, amore & benignitate, juxta eorum statum & conditionem, secundùm quod alii Romani pontifices consueverunt suis temporibus eos & eorum prædecessores tractare, & ipsi cardinales obedient per omnia, & facient papæ quæ suis prædecessoribus veris Romanis pontificibus facere consueverunt & debent. Quo lecto capitulo, dominus noster papa dixit, quod intentionis suæ erat sic facere. Ad hoc tamen nullatenus volebat, nec intendebat se astringere aliquo juramento, cùm non esset consuetum Romanis pontificibus ad talia juramento aliquo astringi.

Item, quòd ante prædictam plenam & liberam pristinæ libertatis & restitutionis obedientiæ executionem, papa non procedet ad executionem præmissorum, nec dabit aliquid de prædictis; sed cum omnia complebuntur, & executioni mandabuntur, & perficientur, ad veram pacem & concordiam, ad bonum verum & planum sensum, omni malitia & diffugio vel interrogatione repulsis, promittendo & firmando præmissa cum

publicis instrumentis, ut supra in modo & forma, &c. per papam & similes.

Quibuscumque capitulis, protestatis, modis, & aliis supradictis modo præmisso lectis & publicatis, ipso domino papa supra genua sua librum evangeliorum tenente, domini cardinales, necnon syndici, accessor, & cives prælibati, suis & aliorum, quibus supra nominibus, cupientes, ut dixerunt, contenta in dictis capitulis debitum pacis & concordiæ sortiri effectum, interveniente & præsente ad hoc serenissimo principe domino LUDOVICO Dei gratia Jerusalem & Siciliæ rege, duce Andegavensi, & comite Provinciæ, circa dictam pacem & concordiam inter partes mediatore, ad laudem Domini nostri JESU-CHRISTI, cujus sponsæ sanctæ matris Ecclesiæ in hac parte res agitur, promiserunt & juraverunt in suas & aliorum cardinalium, civium & habitatorum, de quibus supra & infra, animas, sacro sanctis Evangeliis per eos singulariter & sigillatim utraque eorum manu tactis, servare & servari facere, & ad effectum deducere realiter, adimplere efficaciter & fideliter omnia & singula supra scripta, & in capitulis prædictis, & in unoquoque eorum contenta & expressa, absque malo ingenio, quibuscumque cavillationibus & subterfugiis cessantibus, prout ad omnes ipsos & eorum quemlibet spectat, & in quantum eosdem, & alios cardinales subtractos, & cives habitatores Avenionenses concernunt, tangunt, & concernere & tangere poterunt quomodolibet in futurum. Post quæ idem dominus noster papa ibidem incontinenti deputavit & constituit locum tenentem sui camerarii, quoad articulum qui sequitur, Reverendum in Christo patrem dominum Oxeniensem episcopum, dans ei in mandatis quòd firmaret & juraret dicta capitula eis modo & forma quæ per camerarium papæ firmari & jurari [consueverunt.] Quo habito mandato, statim ibidem dominus Oxeniensis episcopus locum tenens camerarii, constitutus juravit tactis sacro-sanctis Evangeliis, omnia & singula supra scripta modo & forma quibus camerarius papæ jurare consuevit. Tenor verò mandati & potestatis concessæ prædictis dominis quatuor cardinalibus ab his cardinalibus Avenione existentibus ab obedientia domini nostri papæ subtractis talis est: In nomine Domini. Amen. Noverint universi, &c.

De quibus omnibus & singulis dominus noster papa & cardinales & cives præfati voluerunt & requisierunt per notarios supra & infra scriptos fieri publicum instrumentum vel instrumenta. Acta fuerunt prædicta capitula anno, indictione, mense, die, pontificatu, quibus supra: præsente ad hoc & intercedente reverendissimo in Christo patre & domino MARTINO titulo S. Laurentii in Lucina Pampilonensi vulgariter dicto S. R. E. presbytero cardinali præsentibus etiam nobili & magnifico viro domino JACOBO DE PRATIS consanguineo illustris principis domini MARTINI regis Aragonum, Francisco de Blenna canonum & Johanne de Valthera legum doctoribus, ipsiusque regis Aragonum ambaxiatoribus, Roberto de Braquemonte milite & cambellano, Johanne de Costa cantore Bajocensi legum doctore, consiliario & ambassiatoribus incliti principis & domini domini LUDOVICI Aurelianensis ducis, religioso viro Francisco d'Aranda fratre monasterii Portæcæli, ordinis Carthusiensis, diocesis Valentinæ, & Johanne Ramam cubiculario præfati domini nostri papæ, testibus ad præmissa.

Anno Domini MCCCCIII. die XXVIII. mensis Maii, cùm rex ordinasset concilium Parisius celebrari prælatorum ad avisandum quid agendum in facto unionis Ecclesiæ, videlicet ad diem XV. dicti mensis Maii, & propter hoc plurimi prælatorum & capitulorum ac cleri Parisius advenissent. Tandem instante & prosequente domino duce Aurelianensi, dictus dominus rex in absentia dictorum prælatorum & cleri die XXVIII. prædicta quasi circa tertiam horam post meridiem, pro se & subditis regni reddidit obedientiam plenariam domino BENEDICTO, præsentibus, ut dicitur, duobus cardinalibus, videlicet Penestrino & Saluciarum, qui ex parte dicti domini BENEDICTI ad dominum regem missi fuerant, & attulerant tractatum & concordiam supra scriptam, præsentibus etiam aliquibus clericis aliis. Et postmodum die XXX. Maii fuerunt prælati convocati in hospitio Tonrellarum prope portam S. Antonii, ubi erant domini duces Bituriæ & Burgundiæ, ibique fuit dominus cancellarius Franciæ, qui ex parte regis notificavit dictis prælatis determinationem regis super restitutione obedientiæ, quodque dictus dominus dux Aurelianensis se fecerat fortem de habendo bullas domini BENEDICTI super aliquibus contentis in cedula cujus tenor statim sequitur, propter quod petebatur ab archiepiscopis & episcopis ibidem præsentibus, si eis videretur aliquid addendum in cedula, &c. Et aliqui dixerunt se velle obedire ordinationi regis in omnibus, alii petebant deliberationem habere super cedula cum aliis de eorum provincia. Cùm autem sic negotia agerentur, ecce mandatum est illico ex parte regis pro dictis dominis ducibus, qui ibidem erant, ut ad eum accederent apud S. Paulum. Erat autem quasi hora XI. Et erat dominus Rex promtus equum ascendere, ut iret ad nostram Dominam ecclesiam cathedralem. Ivitque ibidem, & dicti domini duces cum eo, ac quasi omnis multitudo prælatorum & cleri. Et ibidem cantavit missam solemnem de Spiritu-sancto dictus dominus cardinalis Penestrinus: & dominus episcopus Cameracensis fecit sermonem, in quo dictam domini regis determinationem publicavit, ac etiam cedulam de qua supra, & cujus tenor statim sequitur & est talis. *Extat in tom. 5. Historiæ Universitatis Parisiensis pag. 64.*



COMPROMISSUM DOMINORUM cardinalium in conclavi post obitum Bonifacii papæ IX.

Anno 1404 *Ex ms. Bigotiano.*

IN nomine Domini. Amen. Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quarto, indictione duodecima, die Martis, decima quarta mensis Octobris, apostolica sede vacante, congregati & ad invicem collegialiter adunati infra scripti reverendissimi in Christo patres & domini sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, videlicet ANGELUS tituli S. Laurentii in Damaso Florentinus, FRANCISCUS S. Susannæ Monopolitanus, HENRICUS S. Anastasiæ Neapolitanus, COSMACUS S. Crucis in Jerusalem Bononiensis, CHRISTOPHORUS S. Cyriaci Isarniensis, ANTONIUS S. Ceciliæ Aquilegiensis, & ANGELUS S. Potentianæ Laudensis presbyteri; necnon RAINALDUS S. Viti in Macello de Brancasiis, ac LANDULPHUS S. Nicolai in carcere Tulliano Barensis vulgariter nuncupati diaconi cardinales in capella communi sacri palatii apostolici intra conclave, quem pro loco idoneo elegerunt, & etiam deputaverunt, in præsentia mei Johannelli de Risis de Neapoli clerici præfatæ capellæ, & aliorum notariorum & testium infra scriptorum, considerantes & in eorum mentibus digestis meditationibus revolventes, quæ, quot, & qualia scandala, pericula, & discrimina tam in spiritualibus, quàm etiam in temporibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnibus Christi fidelibus totidemque terrarum orbi ex nefandissimo, horribili, & detestando schismate, diu, proh dolor! nunc vigente, hactenus provenerunt, & in futurum possent, nisi salubrius occurratur remediis, verisimiliter pejora obvenire. Idcirco prælibati reverendissimi patres & domini sic, ut prædicitur, collegialiter congregati, universaliter singuli, & singulariter universi, volentes, quantum eis de præsenti videtur possibile, circa prædicta salubriter providere, omni modo, via, jure, & forma quibus melius, utilius, & efficacius potuerunt, primò Deo, ejusque Matri Virgini gloriosæ, ac sanctis Petro & Paulo, atque toti cælesti curiæ voverunt, & promiserunt, ac etiam unus alteri, & alter alteri ad invicem se solemniter obligando, nemine discrepante, promiserunt, & convenerunt sub eorum fide & conscientia, quòd si per Dei gratiam aliquem ex præfatis dominis per eos in futurum summum pontificem eligi contigerit; ille talis ex eis qui sic electus erit, quantocius commodè fieri poterit, omni tergiversatione ac dilatione, ac alia quacumque occasione omnino cessantibus & remotis; omni modo, via, & forma, quibus effectualiter poterit, & sollicitè procurabit, & operas sollicitas & efficaces sibi possibiles interponet, & totis viribus ac posse faciet quod præfatum schisma de sancta Dei Ecclesia removeatur, ac radicitus extirpetur, & sancta mater Ecclesia tot elapsis retro temporibus ob præfatum schisma divisa & lacerata ad unitatem

A toti orbi necessariam reducatur, & quod circa prædicta expedienda, & ab ipso plenariè adimplenda, & effectualiter & sollicitè executioni debitæ demandanda cordialiter & posse tenus attendet, nihil de necessariis, & utilibus, & quomodolibet opportunis penitus omittendo, etiam usque ad renunciationem seu cessionem per eum fiendam inclusivè, si fuerit expediens ad executionem supradictorum: quodque quilibet eorum de per se ac etiam collegialiter sollicitabunt, curabunt, ac operas sibi possibiles

B dabunt & interponent omni modo, via, & forma quibus melius & efficacius poterunt. Et quod ille ex eis qui sic electus erit, si per eum ad assumtionem novorum cardinalium procedi contingat, ab his quos cardinales assumet, similem promissionem & obligationem exiget seu exigi faciet nomine suo & dictæ Ecclesiæ & dictorum dominorum cum juramenti interpositione & aliis clausulis necessariis & opportunis; ac etiam quòd si contigerit in summum pontificem per eos aliquem de collegio eligi, tamen

C absentem vel extra collegium, ipsi universaliter & singuli, & singulariter universi procurabunt, & curabunt totis viribus & posse, & operas efficaces eis & cuilibet eorum possibiles interponent; & omni modo, via, & forma, quibus melius & efficacius poterunt, illum inducent, quod ipse qui sic electus erit omnia & singula supradicta & quodlibet prædictorum attendet, faciet & adimplebit, & effectualiter modo prædicto executioni demandabit; quodque statim post

D ejus electionem procurabunt, & illum inducent ad similem promissionem & obligationem simili modo faciendam. Item, quod post electionem per eos factam ipsi universaliter singuli & singulariter universi tam singulariter quàm etiam collegialiter sollicitabunt, curabunt, & operas eis & cuilibet eorum possibiles dabunt cum præfato qui sic per eos electus fuerit, quod ipse ad præmissa sollicitus erit, & illa & quodlibet ipsorum executioni præfatæ plenariè demandabit: quodque ipsi & quilibet ipsorum

E nihil in prædictis omittent, sed omnia facient quæ in prædictis & circa prædicta, & ad ipsorum & cujuslibet ipsorum executionem fuerint utilia, necessaria, & quomodolibet opportuna, quacumque occasione seu quovis quæsito colore cessantibus, juxta eorum & cujuslibet ipsorum possibilitatem. Insuper præfati reverendissimi domini volentes ipsi & quilibet eorum ad omnia & singula supradicta esse plenè & effectualiter tam Deo quàm sibi ad invicem cum majori efficacia obligati, singulariter juraverunt ad sancta

F Dei evangelia, corporaliter manu tactis sacrosanctis evangeliis coram eorum reverentia existentibus, quod omnia & singula supradicta & infra scripta attendent, facient, curabunt, sollicitabunt, & effectualiter procurabunt, & totis posse & viribus adimplebunt, & executioni plenariè demandabunt, omni quæsito colore & quacumque occasione cessantibus; quodque à præmissis promissione, voto, & obligatione, ac juramenti præstatione, & ejus observatione, & omnibus & singulis sub prædictis contentis nullus

eorum absolutionem petet seu impetrabit, & A sibi concessam nullatenus acceptabit, nec data potestate per ipsummet à prædictorum observatione se faciet absolvi, nec secum etiam dispensari, sed volet perpetuò præfato vinculo remanere obligatus: quodque quicumque ex eis fortè in summum pontificem futurum electus fuerit, à prædictis promissione, voto, & obligatione, ac juramenti præstatione, & observatione, & omnibus & singulis sub prædictis contentis nullum absolvet. Et si de collegio cardinalium absens vel extra collegium aliquis electus fuerit, modis B prædictis procurabunt, quòd nullum absolvat à præmissis nec aliquo illorum: volentes quod se ad omnia & singula supradicta obligatos reputent coram Deo & hominibus, voluerunt & mandaverunt nobis notariis infra scriptis, & cuilibet nostrûm singulariter, videlicet Johannello de Risis de Neapoli, clerico præfatæ capellæ, Bartholomæo Francisci della capra de Cremona, Baranto Philippi de Pistorio, & Stephano Jerii de Prato, litterarum apostolicarum scriptoribus de omnibus & singulis supradictis instrumentum C publicum, & instrumenta publica quotquot fuerint per collegium vel aliquem dominorum de collegio præsentium & futurorum requisita confici & publicari. Quæ instrumenta ipsi domini cardinales, & quilibet ipsorum per subscriptionem manus propriæ solemniter vallaverunt, & conficienda vallare promiserunt. Actum Romæ apud S. Petrum in palatio & capella prædictis; anno, mense, die, & indictione quibus supra, præsentibus ibidem reverendis patribus & dominis BRIARDO DE CASTELLIONE electo D Placentino, magnifico milite domino CAROLO DE BRANCASIIS, de Neapoli, venerando patre domino NICOLAO abbate monasterii S. Mariæ de Scoffecis, egregio milite legumque doctore domino Petro Paulo de Benefiliis de Ancona, Francisco de Duce de Neapoli clerico cameræ apostolicæ, Fenlo Pisicollo de Neapoli litterarum apostolicarum scriptore, Johannello Caracolo canonico Neapolitano, necnon venerabili decretorum doctore domino Angelo de E Ballionibus de Perusio, priore S. Donati de Jernia, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Johannellus de Risis de Neapoli clericus præfatus capellæ litterarum apostolicarum scriptor, & abbreviator, ac publicus auctoritate apostolica notarius, quod præmissis omnibus & singulis dum sic, ut præmittitur, per præfatos reverendissimos dominos cardinales agerentur, & fierent unà cum suprascriptis notariis & testibus præsens interfui, eaque fieri F vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum instrumentum, &c.

Et ego Bartholomæus della Capra notarius supranominatus quod præmissis, &c.

Et ego Baranto notarius suprascriptus, &c.

Et ego Stephanus de Prato notarius suprascriptus, &c.

EPISTOLA DE ELECTIONE Innocentii papæ VII.

REverende in Christo Pater, amice noster carissime post salutem. Si non ocius creationem summi novi pontificis intimaverimus, non miretur ratio discreta. Id enim usque ad hanc lucem siluimus, ut gaudium absque doloris mixtura conscriberemus. In creatione quidem & ante hujus sancti viri ab ipso Sancto Spiritu electi die XVII. mensis hujus, ne ab officio serendi zizanias & sancta inquietandi opera calliditas maligni hostis, invidi paratæ salutis, naviculæ piscatoris jam naufragæ desisteret, Romanus populus stimulis furiarum agitatus, armata manu libertatis suæ redemtionem clamabat. Convenerunt in Urbe ob eam rem Principes & Barones multi Romanorum consanguinei nostri cum magna gentium & præcipuè peditum comitiva: alii ecclesiam, alii Romanum pontificem defensantes; & bello incitato, plures ferro corruerunt ex utraque parte quamplurimi. Advenit postremò Princeps & dominus Serenissimus dominus LADISLAUS Hungariæ, Jerusalem, & Siciliæ rex, cum magna equitum peditumque societate, ut tamquam filius domini nostri summi pontificis, & sanctæ matris Ecclesiæ ac dilector, seditione pacata, extinctisque furoribus, rem ad concordiam & tranquillitatem reduceret. Ne denique multa deducamus in longum, pontificis sanctitatis humanissimi ac regis prudentia, ab obedientia JESU CHRISTI vicarii non recedens, primò Dei auxilio & proborum fideli solertia libertati denique Romana republica restituta, certis modis & conditionibus utrique partium aptis sanctissimum, * rei qualitate attenta, omnia pacata, & in requie animorumque unitate reposita sunt. Ob hanc itaque causam, ut diximus, ne tot turbines, totve angustias notaremus, hucusque siluimus. Nunc autem quoniam sedata sunt hæc, & ab omni veneno tribulationum sedata, hanc sanctam ac toti orbi salubrem creationem intimare valemus, eam vestræ paternitati tamquam nobis amantissimæ intimamus. Die præfato XVII. Christianissimus olim dominus cardinalis Bononiensis, cujus mores venusti, & vitæ sanctitas omni tempore, omnibus fuere notissimi, Spiritus-sancti illustratione electus extitit in pontificem summum, & verè innocens INNOCENTII sibi nomen assumsit. Hic cultor virtutum summus, fugator vitiorum sollicitus, avaritiæ omnisque luxus præcipuus extirpator, eamdem naviculam piscatoris tot quassatam turbinibus & fermè obrutam eriget, & ad portum salubrem eam reducere faciet, hujus viri sanctissimi temporibus detestabile tolletur schisma; & parati sunt modi solemnibus roborati contractibus, & sic Ecclesiam Dei sanctam tot pessumdatam jugulis laceramve, unam, integram, liberamque videbimus, & ei optato ac vulgatissimo locus erit eulogio: & erit unum ovile & unus pastor: non pecuniarum lenonibus, non æris perditissimis

Anno 1404. Ex ms. Bigotiano.

* Videtur hic aliquod verbum deesse, aut verbum ipsum corruptum.

mis cultoribus locus erit amodo, sed virtuti. Exultet itaque omnis terra, & gaudeat ætas nostra, & piè in auream rediens, suis tanta & talia videbunt temporibus, Urbem sanctissimis reformari operibus, & gloriam Deo in excelsis, & in terra pacem bonæ voluntatis hominibus semper esse. Venit enim tempus per Isaiam nobis promissum, dum ait: *Et commutam manum meam ad te*, id est ad Ecclesiam, *& excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stagnum tuum, etiam restituam judices tuos, ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. Sion in judicio redimetur, & reducent eam in justitia, & conteret scelestos, & peccatores simul.* Nos autem, præcari amici, offerimus nos vobis. Invenietis quidem nos ad omnia vobis & vestris gratuita pronos semper. Tempus sane exauditionis advenit, & per amicos poterimus operari effectualiter gloriosa, summi pontificis mediante clementia, qui nostras dignatus est benignissimus orationes suscipere. Valete & summo Deo sacris reddite jubilationibus gloriam & laudem & honorem.

COPIE DE LA CEDULE BAILLE'E au Roy & à Nosseigneurs par les Ambaxateurs du Roy de Castelle l'an MCCCCV. contenant en effet ce qu'ils avoient exposé de bouche, & que ils disoient estre à faire en la poursuite de l'union de l'Eglise.

Anno 1405 *Ex ms. Gemmeticensi.*

PRæclarissime ac potentissime Princeps, practica in via renunciationis tenenda conclusa & determinata per illustrissimum dominum nostrum regem Castellæ & Legionis fratrem vestrum una cum consilio suo hæc est quæ sequitur.

Primò, quòd per solemnes ambaxiatores utriusque Celsitudinis dominus noster papa & intrusus de Roma instantissimè requirantur de prædicta via renunciationis acceptanda, & tunc vel ambo eam acceptabunt, vel alter eorum, vel nullus eorum.

Si autem ambo prædictam viam rénuntiationis acceptaverint, tunc requirant, quod ambo tradant bullas suas statim de prædicta acceptatione facta per eosdem: & sic dictis bullis traditis, quòd statim per eosdem cum suis collegiis duo loca eligantur, quæ sint convicina de eorum obedientia, ubi ambo conveniant: ad quæ loca citius quod potuerint cum suis collegiis teneantur convenire sine mora. Et sic isto modo in prædictis locis convenientes, indè ab eisdem omnibus, ut prædictum est, concorditer eligatur alius tertius locus propinquior, ubi ambo cum suis prædictis collegiis fideliter & tutè personaliter conjungantur. Et omnibus hinc inde sic conjunctis, quòd statim ambo in præsentia utriusque collegii cardinalium publicè renuncient; & renunciatione isto modo facta, immediatè utrumque collegium cardinalium, quod tunc unum erit, ponatur in conclavi, sicut de jure & de more habet, & ibi omnes concorditer eligant, & dent ecclesiæ sanctæ Dei & populo Christiano unicum papam, verum & indubitatum.

Si verò alter eorum tantum prædictam viam renunciationis acceptaverit, altero recusante; & iste acceptans sit dominus noster; quod tunc ambo vos illustrissimi principes per vestros solemnes ambassiatores diligenter tractetis cum principibus & ceteris dominis, & cum quibuscumque aliis dominiis & comitatibus partem dicti Romani tenentibus & ei obedientibus, quòd ab eo tamquam à schisma fovere & perpetuare volenti in ecclesia Dei recedant, & ab ejus obedientia se subtrahant, & domino nostro BENEDICTO adhæreant.

Si verò prædictus Romanus prædictam viam renunciationis acceptaverit, domino nostro papa recusante; certè quòd tunc ab obedientia prædicti domini nostri papæ statim ambo vos christianissimi principes subtrahatis, & prædicto domino adhæreatis & obediatis, ex quo tunc clarè videbitur dominum nostrum papam esse opinionis & voluntatis sustinendi, fovendi & perpetuandi schisma in Ecclesia sancta Dei manifestè; quare ei obedire & cum eo stare non esset rationabile, immo magnum periculum animarum.

Si verò, christianissime Princeps, dicatur quod non esset ista bona via, immo periculosa, ab obedientia domini nostri papæ recedere; christianissime Princeps, bene novit vestra celsitudo tempore quo primò ipsam invenit dominus noster papa istammet viam renunciationis acceptare debebat, dominum nostrum regem misit rogare quòd eam vellet acceptare, & una secum prosequi & procurare, quam de facto acceptavit, & pro ea cum eadem vestra celsitudine prædicto domino nostro papæ supplicavit. Et prædicta vestra celsitudo videns quod prædictus dominus noster papa prædictam viam renunciationis noluit acceptare, invenit cum suo solemni concilio quod obedientia erat eis subtrahenda & amovenda, super quo etiam dominum nostrum regem iterum misit rogare, quòd vellet sic etiam ipse facere. Qui videns quòd vestra prædicta celsitudo justum & rationabile eum rogabat, accessit & adhæsit eidem; & sic ambo ab ejus obedientia vos subtraxistis, eo quod prædictam viam renunciationis secundùm quod juravit & promisit, noluit tenere nec adimplere. Et ideo prædictus noster rex frater vester attendens quòd per prædictam vestram celsitudinem iste processus fuit repertus tamquam debitum & melius remedium, & per eamdem & suum solemne concilium acceptus, electus, & approbatus, dicit ipse quòd istummet processum vult modo accipere & prosequi diligenter, si prædictus dominus noster papa noluerit venire, nec attendere ad faciendum & complendum quod promisit & juravit. Et si Romanus vult acceptare istam viam, & schisma ab Ecclesia Dei amovere, & pacem ei dare, etiam dicit quia est valde rationabile & juridicum, quòd ambo attendatis & adhæreatis ei, ex quo tam sanctam intentionem habebit, & dominus noster tam contrariam ad Ecclesiæ unitatem. Et si fortè, chri-

stianissime Princeps, etiam dicatur quòd hoc facere esset contra conscientiam, scilicet accedere & adhærere Romano, certè dicit prædictus dominus noster quòd vestra celsitudo bene secundùm jus, dum placebit, reperiet quòd secundùm dubia & omnia alia quæ fuerunt in materia, non esset contra conscientiam, immo erit bene factum, & tale quod secundùm quod ipse tenet cum suo consilio multum Deo placebit; quoniam sic hoc facto quod omnes fuerimus de ejus obedientia, ipse certè convocabit concilium generale, & inde reformabuntur omnia secundùm quod ad Dei servitium & ad bona totius christianitatis pertinebunt. O præclarissime Princeps, istam prædictam practicam in præsenti cedula contentam ex parte illustrissimi domini nostri regis Castellæ fratris vestri vestræ celsitudini præsentamus pro via renunciationis prosequenda cum omnibus aliis in alio memoriali contentis, pro quibus omnibus ex parte ejusdem domini nostri eamdem celsitudinem rogamus & requirimus, ut ea omnia velit acceptare & prosequi pro unione sanctæ matris Ecclesiæ brevius acceleranda.

Fr. Alfonsus regis Castellæ confessor.

LITTERA COLONIENSI universitati directa per collegium dominorum cardinalium, tribus sigillis sigillata.

Anno 1406. Ex ms. Bigotiano.

Venerabilibus viris rectori & universitati studii Coloniensis amicis nostris carissimis miseratione divina episcopi... presbyteri... diaconi S. R. E. cardinales venerabiles viri amici salutem in Domino sempiternam.

Tenentes indubiè universitatem vestram tota cordis affectione desiderabiliter affectare, ut miserabile ac Christi fidelibus pestiferum schisma tollatur de medio & in sacro-sancta Ecclesia subsequatur desiderabilis unionis integritas; quæ post obitum ac solemnes exequias felicis recordationis domini Innocentii papæ VII. ab hujus vitæ mortalitate subtracti die sexta Novembris proximè præteriti, per nos circa præmissa ac electionem summi & futuri pontificis, ejusdem Innocentii successoris, celebrata fuerunt; quamvis sanctissimus dominus noster Gregorius papa XII. etiam ea notificet, nihilominus sub compendio decrevimus intimare. Defuncto siquidem eodem Innocentio, celebratis de more exequiis, ac illius corpore in basilica principis apostolorum de Urbe imposito, implorata Spiritus-sancti gratia, conclave in palatio apostolico mox omnes intravimus, & ante omnia de divinæ pietatis omnipotentia confidentes, ac exoptantes innumeris calamitatibus ac pressuris christianitatis, tam lacrymabiliter ex diuturno dicti schismatis morbo afflictæ, quantum in nobis esset, finem imponere, unanimiter & concorditer nonnulla vovimus, ac nos obligando & jurando promisimus, & maximè quòd si quis nostrum assumtus esset ad apicem summi apostolatus, pro integratione unitatis christianorum, renunciaret effectualiter juri suo & papatui purè, liberè, & simpliciter; si & quando assumti adversarius, qui est & qui pro tempore esset, consimiliter renunciaret, & cederet prætensis juri suo & papatui, sive decederet, dummodo illi qui apud dictum adversarium pro cardinalibus se gerunt, effectualiter vellent cum collegio nostro sic convenire ac concordare, quòd ex hoc collegio & ipsis sequatur justè canonica electio unici summi Romani pontificis; ac etiam promitteret similiter, ut præfertur, quòd pendente tractatu unionis hujusmodi effectualiter & realiter ex utraque parte, non crearet nec faceret aliquem cardinalem, nisi causa coadæquandi numerum sui collegii cum numero illorum se gerentium pro cardinalibus adversarii supradicti: nisi ex defectu steterit adversæ partis, quòd unionis præfatæ conclusio infra annum & tres menses à die suæ inthronizationis computandos non fuerit subsequuta: quo casu, liceret eidem cardinales eligere & creare prout pro statu suæ matris Ecclesiæ eidem videretur convenire, prout de præmissis & aliis conventis latius patet in publicis documentis manu cujuslibet nostrum subscriptis, ad majorem valitudinem præmissorum. Quibus solemniter celebratis, post solemnes de futuri pontificis electione tractatus, illo divinitus inspirante qui cuncta perpetua ratione gubernat, vota nostra in Reverendissimum tunc in Christo Patrem & dominum ex nostro collegio dominum Angelum tituli S. Marci presbyterum cardinalem confratrem nostrum ad culmen dignitatis apostolicæ post divinæ gratiæ munera, universis ejus exigentibus meritis, nec immerito ascensurum, nemine discrepante, direximus: ipsumque confratrem nostrum die ultima Novembris in dominum nostrum elegimus atque Patrem. Tandem post reluctationem & condescensionem ad vota nostra eligentem se Gregorium XII. appellari, quem cum adoravissemus, inthronizavimus, & mox coronationis insigniis insignire curavimus juxta morem, qui post inthronizationem ipsam omnia & singula per nos & ipsum tunc fratrem nostrum conventa & firmata confirmavit, ac denuo vovit, promisit consimiliter, & juravit, propriaque manu subscripsit inde confecta publica documenta, prout in ipsis latissimè continetur. Quæ ideo præfatæ universitati vestræ intimare decrevimus, ut iis cognitis de pace & unitate præfatæ Ecclesiæ bonam spem possitis suscipere, ac de promotione hujusmodi collætari. Nam profectò confidimus tempus advenisse acceptabile, in quo anxia christianorum vota complebuntur. In ceteris autem rebus quæ ad vestram universitatem attinerent nos offerimus semper pronos. Datum Romæ in palatio apostolico XI. die assumtionis præfati Domini nostri, decimo verò Decembris millesimo quadringentesimo sexto.



LITTERÆ UNIVERSITATIS Coloniensis ad cardinalem Leodiensem promotorem.

Ex ms. Bigotiano.

REverendissimo in Christo Patri & domino nostro JOHANNI diacono cardinali Leodiensi tituli SS. Cosmæ & Damiani domino & promotori nostro gloriosissimo.

Reverendissime Pater & gratiosissime domine, nuper litteras Sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, domini GREGORII papæ moderni; & de hinc litteras gloriosissimi sui collegii cardinalium continentes ejusdem domini nostri gloriosissimam electionem, ac proximam curationem languentis Ecclesiæ felicissimè promittentes, cum omni reverentia, prout decuit, devotissimè suscepimus: per quas quidem litteras utique plenas gratia & veritate, de mœrore ad gaudium, de suspiriis ad jubilum, de planctu Jeremiæ respiravimus ad cantica lætitiæ: quin immo velut de morte desperatæ salutis Ecclesiæ spiritus noster reviviscit, spe resumta quam ante perdidisse videbamur; sedula mente revolventes Beatissimi domini nostri papæ suique sancti collegii cardinalium tam sanctam super fidelium salute providentiam, pretiosam humilitatem, ac recolendam caritatem; quibus sincerè prosequuntur Ecclesiam Dei, quærentes non quæ sua sunt, sed quæ JESU-CHRISTI, prout currentis negotii declarat evidentia. Et quis zelator domus Dei tam præclaris & diffusivis virtutibus in capite Ecclesiæ & columnis ejus non applaudet vocibus exultationis & laudum præconiis? Quæ re vera virtutes etiam in principio nascentis Ecclesiæ, dum ejus prælati habebant primitias spiritus, fuissent admirabiles, & felici recordatione dignæ. Quid enim ille sanctissimus dominus noster suumque felicissimum collegium facere debuerunt, ultra quam fecerunt? Revera nihil, quoniam animas suas plenè effuderunt in conspectu Dei, totum offerentes suo adversario quidquid pro reintegratione Ecclesiæ poterit esse salutare. Ea propter etsi simus de minimis ovibus Ecclesiæ, nihilominus ut cum vidua paupercula aliquid remittamus ad tanti negotii complementum, nostri beatissimi pastoris moderni suique gloriosissimi collegii sanctitatem balatu devotæ exhortationis aggredimur, humillimè supplicando, quatenus in suo sanctissimo proposito usque ad felicem consummationem constanter perseverent, prout in litteris quas ad eosdem dirigimus plenius continetur: vestram dignationem, de cujus paternitate specialissimè confidimus, humiliter deprecantes, quatenus prædictas litteras, quarum copias vobis transmittimus, unam domino nostro, & aliam suo collegio cum recommendatione vestræ filiolæ universitatis studii Coloniensis dignetur præsentare tempore opportuno, ut quæ per tam egregium mediatorem offeruntur, gratiosius acceptentur. Nihilominus eidem vestræ dominationi affectu plenissimo omnes quas possumus reddimus gratiarum actiones de honore magno nobis ob vestram paternam sollicitudinem impenso per beatissimum dominum nostrum & suum sanctum collegium. Supplicamus humillimè, quatenus nos in vestros filios adoptare velitis, & solitis favoribus prosequi gloriosis. Eamdem vestram dignam dominationem quam ad hujus sancti negotii complementum ferventissimè laborasse & laborare non ambigimus, per tempora longiora conservet Altissimus ad reformationem Ecclesiæ suæ sanctæ.

EJUSDEM AD GREGORIUM papam XII.

Ex ms. Bigotiano.

SAnctissimo in Christo Patri domino nostro domino GREGORIO divina providentia sacro-sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo pontifici dignissimo.

Beatissime Pater, vestræ dignæ sanctitatis litteras, plenas gratiarum, continentes ejusdem sanctitatis gratissimam electionem, & propinquam reformationem Ecclesiæ collapsæ magnificè pollicentes; nuper cum omni reverentia, prout decuit, devotissimè suscepimus: Quantum verò gaudium quamque exuberans propter occursum tam insperatæ consolationis spiritus noster jam diutino mœrore desperationem comminante percussus, ex eisdem litteris conceperit, calamus noster exarare non sufficit. Laudantes, benedicentes, & sine intermissione extollentes ejusdem vestræ sanctitatis sanctissimum & æterna memoria dignissimum propositum inibi expressatum, fidele indicium illius zeli beatissimi, quo mens vestra ad consolationem mœrentis Ecclesiæ tam ferventer inardescit, ut pro nihilo habeat humillima vestra sanctitas jam dignè sublimata seipsam quasi exinanire, ut sic saltem oves errantes ad salutarem obedientiam revocentur, verum tamen etsi ipsa cessio videatur cæcutientibus oculis velut vestræ sublimitatis exinanitio; revera tamen universi qui Deum & Ecclesiam ejus sincero prosequuntur amore, velut limpidius speculantes, vestram gloriam potioribus laudum præconiis per hæc extollent, humilitatem magnificabunt, ac vestræ sanctitatis ferventissimam collaudabunt caritatem. Nos etiam pusilli cupientes cum paupercula aliquid saltem immittere in gazophilacium consummationis tam præclari negotii, disposuimus quatenus singula nostra supposita universitatis studii Coloniensis humilis vestræ filiolæ pacis auctorem omnipotentem Deum suppliciter implorent: ut hoc negotium quod de sua misericordia feliciter inchoatum est, ipso quoque dirigente felicissimè consummetur. Nihilominus vestram dignissimam ex evidentia rei gestæ notoriam & indubitatam sanctitatem, studiosissimè votis quibus possumus exhortamur in Domino, quatenus in incœpto opere perseveranter procedat, currat atque festinet, donec bravium tam inclyti laboris in ore cunctorum verè fidelium comprehendat in præsenti, & inexplicabilis suæ humilitatis præmium perseverantibus debitum mereatur suscipere in futuro.

Quam vestram Sanctitatem conservet Altissimus, donec Ecclesiæ reformatio per eamdem magnificè inchoatam temporum successibus gloriosa suscipiat incrementa.

EJUSDEM AD COLLEGIUM cardinalium.

Ex ms. Bigotiano.

Reverendissimis in Christo patribus sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ cardinalibus dominis nostris gloriosissimis.

Reverendissimi Patres & domini gloriosissimi, litteras Sanctissimi in Christo Patris & domini nostri domini GREGORII papæ moderni; de hinc verò litteras dominationum vestrarum dignissimam ejusdem domini nostri electionem cum suo beatissimo proposito atque vestro super consolatione mœrentis Ecclesiæ dudum expectata conformiter continentes, cum omni reverentia, prout decuit, devotissimè suscepimus. In quibus altissimo quodam consilio veritas misericordiæ, & justitia paci, piè cedere non recusant, dirigente sapientia utique non hujus mundi quæ inflat, sed Dei sapientia quæ humiliat. Et si juxta sententiam philosophicam ex eisdem sumus & nutrimur, quàm congruum videtur quòd Ecclesia Dei per humilitatem instaurata, per eamdem reformetur, & reformata conservetur, juxta illam sui sanctissimi fundatoris admonitionem, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Per quas quidem litteras omni jucunditate plenas, velut de carcere ad divum, de tenebris ad lucem, de morte respiravimus ad vitam; & mentes nostras quas cruciatus prolixi mœroris exsiccando tabefecit, imber temporaneus ineffabilis lætitiæ ab eisdem emanans litteris dulciter compluendo perfudit. Nec mirum. Quis enim diligens decorem domus Dei non impleretur exuberanti cordis jubilo, dum in vestras dignas dominationes suum defigens intuitum, conspiceret sanctos montes Ecclesiæ stillare dulcedinem pacis & concordiæ, fontes justitiæ oleum fundere pietatis & clementiæ, gloriosos principes terræ ad consolationem sponsæ Christi concorditer aspirare, & insignes Ecclesiæ columnas suo firmiter inniti fundamento, quod est Christus, qui seipsum exinanivit, ut omnes exaltaret, mortem gustavit, ut vivificaret universos? Sic igitur de prædictarum litterarum jocundissimo tenore in Domino gloriantes, suam immensam misericordiam collaudamus, qua vicarium suæ Ecclesiæ & columnas ejusdem inflammare dignatus est hoc zelo salutari, ut non quærant quæ sua sunt, sed quæ JESU-CHRISTI die noctuque postulantes: quatenus hunc zelum in sanctissimo pastore nostro, & in vobis continuè adaugeat, talem apponendo gratiam cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. Nihilominus vestras dignas dominationes devotissimè exhortamur in Domino, quatenus in sancto proposito unionis omni laude dignissimo usque ad consummationis finem immobiliter perseverent, ut sic nomina vestra inter viros illustres dignè numerentur in præsenti, & in libro vitæ scripta maneant jugiter in futuro. Quas vestras dominationes longævè conservet Altissimus ad consolationem Ecclesiæ suæ sanctæ, quibus & nostram humillimè recommendamus parvitatem. Scriptum Coloniæ mense Aprilis die xv. Vestri humiles & devoti filioli Rector & Universitas studii Coloniensis.

BULLA CREDENTIÆ DOMINI PAPÆ Universitati Coloniensi missa.

Anno 1407. Ex ms. Bigotiano.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Rectori & Universitati studii Coloniensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Pro nonnullis nostris & Ecclesiæ Romanæ arduis negotiis ad Universitatem vestram dilectum filium Antonium de Pireto ordinis Minorum B. Francisci Generalem ministrum nostrumque nuncium destinavimus, cujus relatibus eadem vestra Universitas adhibere velit credentiæ fidem. Datum Romæ apud S. Petrum XII. calendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

RESCRIPTIO UNIVERSITATIS super eadem bulla.

Anno 1407. Ex ms. Bigotiano.

Beatissime Pater, quoniam nostræ parvitatis mentes ad consolationem mœrentis Ecclesiæ vehementer aspirant; idcirco universæ relationes reformationem ejusdem Ecclesiæ de propinquo pollicentes nostrum jucundè demulcent auditum, & ad dulcissimum quemdam in voce exultationis jubilum oppido perducunt. Ea propter vestræ dignissimæ sanctitatis providentiæ atque pietati condignis laudibus occurrere non sufficimus, pro eo quòd licet alias corda nostra propter Ecclesiæ desolationem quasi incessabili mœrore percussa suis litteris reformationem ecclesiæ pollicentibus gaudio consolationis exhilarare dignata est: Jam iterum eadem caritate cogente, quæ nescit otiari, velut novam exultationis materiam per reverendum patrem Antonium de Pireto ordinis fratrum Minorum ministrum generalem & ejusdem vestræ Sanctitatis nuncium suis filiolis ministrare curavit. Qui quidem reverendus pater pridem in præsentia vestræ humilis filiolæ Universitatis studii Coloniensis in conventu fratrum Minorum Coloniæ solemniter congregatæ, litteris suæ credentiæ ab eadem vestra sanctitate emissis, & nobis directis apertis atque lectis, ad sibi factæ commissionis puncta cum solemni collatione ad hoc pertinente dignissimè procedens, in primis dignissimam benedictionem à vestra piissima paternitate procedentem, nobis reverenter applicavit: qua gratissimè & cum omni reverentia subjectiva, prout decuit, per nos suscepta, idem reverendus pater ad alia progrediens nobis humiliter auscultantibus eleganter exposuit, quomodo vestra digna sanctitas, ne-

dum canonicè, quin immo operatione mirabili Sancti Spiritus eligentium corda penetrantis, ad apicem summi apostolatus foret elevata; & quomodo nihilominus eadem vestra sanctitas parata esset, nedum de assumpto apostolatu cedere, quin immo pro salute universalis Ecclesiæ in carcerem & in mortem ire. Et quamquam ante hanc relationem nobis factam fidem credulam præmissis adhibuimus propter litteras vestræ sanctitatis nobis directas, & propter gloriosam famam per omnes Christianorum fines de hac re volitantem: verumtamen per articulatam informationem dicti reverendi patris sumus in hac credulitate plenissimè roborati, non sufficientes tam vestram sanctam voluntatem, tam memorabile propositum, & tanti fervoris zelum ad plenum ammirari, Deum cœli qui est dator tantorum munerum sine intermissione laudantes atque benedicentes, pro eo quod tam pium & taliter oppigneratum muneribus voluit Ecclesiæ suæ præficere pastorem: ipsam divinam beneficentiam votis quibus possumus humiliter invocando, quatenus spiritum tam alti consilii, tam constantis fortitudinis, & recolendæ pietatis in vestræ sanctitatis mentem infallibiliter ab ipsa infusum conservet, corroboret, & adaugeat in eadem, ad hujusmodi grandis & necessarii negotii complementum. Et nihilominus si parvitas nostra quicquam amplius immittere sufficeret in gazophilacium consummationis tantæ rei quibuslibet auxiliis & consiliis, ad hoc conabimur toto posse, nostros oratores ad locum unionis juxta possibilitatem nostram, si videbitur expedire, libentissimè destinando. Vestram dignissimam sanctitatem conservet Altissimus per tempora longiora. Scriptum Coloniæ xxv. die mensis Maii nostræ Universitatis majori sub sigillo.

COPIA BULLÆ MISSÆ Universitati Parisiensi, per dominum Gregorium ultimò electum in Roma.

Anno 1406 *Ex ms. Colbertino.*

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Universitati studii Parisiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Eo magis properamus, dilecti filii, ad unitatem vestram scribere, quòd vos contra malitiæ qualitatem hujus temporis frequentatis studiis ad opportunam viam sedandi schismatis insudastis, & viam piæ condescensionis protulistis, quæ non nisi ex necessitate malorum dierum sumenda esset, eademque ratione ex misericordia Omnipotentis ad eam effectuales nos esse videbitis. Itaque felicis recordationis INNOCENTIO papa VII. prædecessore nostro VIII. idus Novembris ab hujus sæculi mortalitate sublato, cùm post exequias, ut moris est, solemniter celebratas, venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, de quorum numero tunc eramus, invocata Spiritus-sancti gratia, in palatio apostolico apud sanctum Petrum pro electione futuri Romani pontificis conclave intravissent, multis & variis tractatibus per plures dies habitis, tandem in nos tituli S. Marci presbyterum cardinalem unanimiter oculos direxerunt, nos in Romanum pontificem concorditer eligentes. Nos vero quamquam pro imbecillitate nostra tantum onus subire formidabamus, cum in eo qui mirabilia facit spe concepta submisimus humeros, non de nostra virtute, sed de summa Dei cujus procul dubio res agitur benignitate confisi. Cura igitur pastoralis officii non pro nobis, sed pro Dei honore & publicæ utilitatis commodo suscepta, ad illud ante omnia vertimus animum, ut cum effectu hanc pestiferam exitialemque scissuram, quæ per tot annorum curricula populum christianum pervasit, ad reintegrationem & unitatem reducamus, sub quo tantam gratiam speramus nobis ex alto præstari, ut jam nobis suaserimus brevi temporis spatio hoc quod cupimus ad effectum deducere. Atque ut in omnibus notum sit animi nostri propositum, decrevimus vero juri nostro, quod verissimum existimantes, tollere omnem affectum & effectum tam juris quam facti, quantum in nobis rationabiliter esse poterit, quo impediri non valeat gratissima christianorum unio, & ne tantis calamitatibus subjiciatur sacro-sancta Ecclesia, sed quo validiora, firmiora & certiora sunt jura nostra, & quanto magis de illis nullatenus dubitamus, tanto laudabilius esse ducimus pro parte christianorum illa deponere. Non enim juri semper inhærendum est. Sæpe utilitatis & temporis habenda est ratio. Itaque omni contentione seposita ad adversarium nostrum jam scripsimus, ipsum ad pacem & unionem benigne invitantes, atque offerentes nos paratos ad juris nostri cessionem, & ad papatus renunciationem efficaciter per nos faciendam, si & quando ipse adversarius vel ejus successor, quicumque hoc idem faciat, renuncians scilicet prætensis juri & papatui suo vel decedat; dummodo illi qui apud adversarium pro cardinalibus se gerunt sic convenire ac concordare cum nostro collegio velint cum effectu: ut exinde canonica unici Romani pontificis sequatur electio: nec non offerimus omnem aliam viam rationabilem per quam schisma tollatur, & unionis sequatur integritas, quam oblationem ut strictiori vinculo fieret, juravimus, vovimus, & promisimus ante electionem nostram eodem vinculo efficaciter implendam cum singulis ex venerabilibus fratribus nostris ejusdem ecclesiæ cardinalibus, in casu quo aliquis nostrum ad apicem summi apostolatus esset assumtus: post ipsam assumtionem idipsum ad firmiorem constantiam de novo jurantes, & voventes, promittentes, & ratificantes. Oratores etiam nostros celeriter missuri sumus, qui de loco idoneo & decenti cum eisdem disponent ad hujusmodi unionem faciendam. Vos igitur, dilecti filii, totis viribus insistite, & nos in hoc opere adjuvate, ut Ecclesiæ diuturno morbo afflictæ salutarem opem cum affectu feramus.



COPIA LITTERARUM domini cardinalis Aquilegiensis.

Anno 1406. Ex ms. Coislimiano.

VEnerabilibus & egregiis viris rectori, magistris, doctoribus, bacchalariis & aliis studentibus sacræ universitatis Parisiensis.

Quibus vos aggrediar verbis, venerabiles patres & carissimi in Christo atque propter Christum in caritatis visceribus diligendi? quibus congruis sermonibus utar, ut commune gaudium vobis annunciem? Vix enim si afforet magnorum Romanorum operationum dulcisonus scriptor, qui foris eloquentiæ merito designatur, & Cicero magnus ille vexillifer, qui & docendo & mirabiliter utendo ipsis cunctos imitantes facit esse facundos, in tanti gaudii & hilaritatis expressione sufficerent. Merito ergo hebetatur mens, caliginatur visus, tepida redditur manus, & cuncti tremunt artus, dum dilectio movet, ratio urget, & desiderium concupiscit, ut tam laudabiles, salutiferi, immoque necessarii actus toti populo christiano patefiant, innotescantque: ut ipsis auditis lætemur in Domino, qui non solum non petita, sed etiam insperata concedit, sed sperans in illo, qui non soli rationali dat eloquium, sed brutum animal significativam vocem ad sui gloriam facit proferre: qui etiam infantium linguas facit esse disertas, licet tepidam ad fortia manum posuit, cogitans ut si pias aures rudi multoque sermone forte offenderem aliqualiter, gratitudo materiæ pro qua longe peractis temporibus & laudabiliter & fervide insudastis, tædium illud excluderet, & immensum gaudium in animo generaret. Noscat igitur vestra caritas, jam venisse tempus, & nunc est, ut pie ex actibus nostris sit sperandum, heu dolendi abhorrendique schismatis, propter quod utriusque hominis inimici operatione iniqua quantum in eo fuit, inconsutilis Domini tunica fere sex lustris extitit damnabiliter lacerata, finem advenisse, vel saltem de proximo advenire debere. Nam sanctam matrem Ecclesiam cunctorum dominam & magistram unigeniti summi patris sponsam pulcherrimam & dilectam præfatum tetrum schisma sanguineis lacrymis cordialiter flentem & deplorantem credimus pro sua reverentia exauditam, & in brevi tempore gaudii plenitudinem recepturam, dum schismatis ruina rejecta, unum ovile, unumque pastorem sicut in triumphante, ita in militante ecclesia videre speramus, hymnum cantantes angelicum læto corde *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Sanctæ igitur memoriæ domino INNOCENTIO VII. viam universæ carnis ingresso VIII. Idus Novembris, & animam, ut pie credendum est, à quo recepit devote reddente, ejusque exsequiis solemniter exactis, ut laudabilius longa tribuit consuetudo, licet me renitente ad electionem procedere, cum mihi videretur supersedendum, ut citius & liberius pestiferi schismatis remotio haberetur, cum ambitio principandi ab utraque parte prorogatio-

A nis notoria extiterit causa; aliisque tamen dominis meis limpidius temporis malitiam & aliarum circumstantiarum qualitates librantibus, intrare conclave pro celebranda electione deliberantibus, intravimus, Christi nomine invocato, & tandem quatuordecim diebus transactis in conclave cum continua & humili oratione, & Dei digiti invocatione, cum in certis & salubribus obligationibus, ut in instrumentis inde confectis, quorum copiam vestræ caritati trans-
B mitto, videre poteritis, cum in laudabilibus ponderosisque tractatibus, prout nobis ex alto concedebatur, & rei gravitas exigebat, in reverendissimum tunc patrem dominum ANGELUM tituli S. Marci presbyterum cardinalem dictum Constantinopolitanum, nunc vero unicum sanctissimum patrem orbis & Urbis summum episcopum, cui per effectum ab illo, qui in utero matris Johanni nomen imposuit, GREGORIUM XII. est nomen impositum, utique castitatis prærogativa dotatum, abstinentia roboratum, doctrina refertum, patientia com-
C probatum, fortitudine dotatum, pietate benignum, justitia fundatum, aliisque eximiis virtutum donis præditum & stipatum unanimiter, nemine discrepante, & teste Deo cui patet omne secretum, per puram viam inspirationis, nulla alia scripta, vel cogitata permixta, consensimus, pure, libere & libenter ipsum in verum papam elegimus & inthronizavimus, omnibus debitis quæ ad honestatem tanti culminis requiruntur, solutionibus adhibitis. Ecce carissimi patres & fratres, quod diu optastis, concupistis,
D magnisque expensis, gravibus periculis, longævisque temporibus perquisitis, habetis, nec opus est quærere si iste est, an alium expectamus. Iste est, tenete eum, iste est qui solum ut errantes oves dispersasque reducat & congreget, cupit atque anhelat. Iste est qui sui magistri & omnium nostrum cujus est vicarius exemplo, ut scandalum evitaret, censum in servitutis signum, cum dominus esset omnium, solvere voluit, qui etiam deposita evidenter excelsa majestate divina, formam servi accipiens usque ad mortem turpissimam pro damnati generis restauratione
E voluntarie se humiliavit, papatum accepit, ut pro reintegratione fidei christianæ unioneque, ne in uno corpore duorum capitum monstrum ulterius notari valeat, pure ac libere paratus est cedere vero juri suo & papatui, qui verissime apud ipsum est, non considerans quid juris in hoc, sed potius quid pro salute conquassatæ & dilaceratæ, atque dilaniatæ ecclesiæ christianitatis orthodoxæque fidei debeat & expediat, si & in quantum dominus qui in Avinione præest
F vel præfuit, quem nonnulli Benedictum XIII. appellant, vel qui pro tempore erit, similiter cedere velit, & cedat efficaciter cum effectu, ut vera unio in ecclesia Dei sequatur, & ex nostro vero collegio, ipsiusque prætenso unius veri pastoris sequatur electio, quod optime de jure fieri potest, ut penes vestram immensam sufficientiam scimus esse, licet aliqui ipsius domini ambaxiatores Romam venientes tempore sanctæ memoriæ domini Bonifacii IX. hoc vi-

debantur in dubium revocare. Eia ergo, milites A veritatis, apprehendite arma & scutum, nunc est tempus salutis. De isto scriptum est, in tempore accepto exaudivi te, ut vestris & virtuosis operationibus mediantibus communis mater, quæ nos salubriter generavit, laboriose nutrivit, & nutrit, dulciter pavit, & fideliter collocavit, tenebrarum caligine offuscata, nefandi schismatis à fluctibus Euro flante diutius conquassata, quam nisi quia Domini, cujus sanguine est fundata, pie ab alto prospiciens, dextera, ut spero, est amplexata, unde dehiscens rapidus B vertex proculdubio devorasset sui Sponsi radiis illustrata, ad salutis portum honorifice reducatur, quo unitas denotatur. Est enim in potestate domini vestri, ut ita loquar, honeste, an velit infirmitatem istam ad mortem deducere, quantum in eo est, an citam & salubrem adhibere medelam. Nullus enim dilationis tergiversationisque remanet locus, quando expresse pateat ipsum aliosque mendacibus fuisse verbis usos, ad ostentationemque fuisse locutos; si ad ces- C sionem venire neglexerit, ut unio sequatur, ut petitur. Merito ergo poterit quicumque sit ille, sedis præsertim in cujus manu principaliter sunt collocata, voti fractor, perjurus, & de fide male sentiens denotari, nisi ad hoc veniat, ut tenetur. Nam licet quilibet christianus usque ad mortem penitus inclusivealacriter debet occurrere, ac magis qui sunt in causa, in ea sunt nutriendi, quibus potestas est elevandi concessa, quique voto, juramento, & publicis domini vestri bullis, referentibus vestris oratori- D bus, si non letheo mentem fonte repleri, & aliis quamplerisque dilucide constat, se solemniter obligarunt. Spero namque in eo qui talem præclaram almamque universitatem infinitorum virorum doctorum fœcundam fecit& facit, de quorum numero esse summè optarem, qui tot fulgentibus stellis in totius nostri emispherii ad ignorantiæ caligines reprimendas ipsam facit, & continuo facit clarescere, per ipsum totum mundum penitus illustrare. Quod si ut cœpistis, immo melius, cum nunc opus esse noscatur, vestras efficacissimas interponatis par- E tes, proculdubio diu desideratum concupitumque unionis bonum, brevi tempore proles Christi dicata sanguine percipiet cum effectu, quod fieri opto desideroque totis viribus summe supra omne quod dici aut cogitari valeat. Per ipsam namque sanctissimam unionem fractum consolabitur & consolidabitur, abjectum revocabitur, perditum recuperabitur, & mortuum vivificabitur, christianus populus ab uno pastore directus, sicut ab uno redemtus gloriabitur, hæreses adnihilabuntur, odia fugabuntur, ho- F micidia repellentur, furta removebuntur, incendia depopulationesque, & cuncta mala funditus confundentur, fides confirmabitur, spes roborabitur, caritasque virescet, & justitia exaltabitur, fortitudo animabitur, temperantia conservabitur, & summa prudentia collaudabitur. Quibus omnibus quid dubium quin fidelium omnium devotio continuo augmentetur, fugatis malorum & guerrarum tædiis nefandis, heu! heu! & lugubris schismatis jacturam provehentibus, in solius sui contemplatione conditoris suique adhæsione devota & ad orationem vocabit: quia non nisi tempore pacis bene colitur pacis auctor, quam toti mundo misericorditer donare dignetur qui ad Patrem transiens, pacis condidit testamentum. Valete in Domino & pro me orate. Datum Romæ die XVII. Decembris XIV. indictione.

ANTONIUS episcopus Prænestinus cardinalis Aquilegiensis.

COPIA LITTERARUM DOMINI cardinalis Leodiensis ad Universitatem Parisiensem.

Venerabilibus & egregiis viris rectori & universitati studii Parisiensis, amicis sincere dilectis, &c. Anno 1406 Ex ms. Coisliniano.

Venerabiles viri & scientiæ margarita singulariter decorati, amici præcipue dilecti, sincera salutatione præmissa, noverint vestræ circumspectiones, quod sæpe gaudium & lætitia conceptum ad plenum non sinunt exprimere. Cum igitur jam retrolapsis temporibus veraciter dici posset obscuratum fuisse aurum, & mutatum esse colorem optimum; & nunc è converso aurea quodammodo incipiunt redire sæcula, & videntur recessisse vetera: adeo ut abjecta caligine, nova fieri videantur omnia, & miserendi tempus videatur adesse, dum istis diebus vacante sede apostolica per obitum felicis recordationis domini INNOCENTII papæ VII. domini mei sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ad ea quæ unionem concernunt mentis aciem studiosissime converterunt illis diebus pluribus continue insistendo, illaque concorditer & laudabiliter concludendo & firmando per quæ certissime uniri poterit ecclesia: quæ omnia Gregorius XII. sacræ theologiæ doctor eximius, in ætate matura constitutus, sanctitate vitæ & morum honestate conspicuus, ad summi apostolatus apicem concorditer assumtus, post ejus assumtionem absque longo temporis intervallo manu propria juramento, voto, & promisso renovavit, confirmavit & ratificavit, & ad effectum realiter mandare disposuit, prout super hoc orbis catholici prælatos & principes vestrasque reverentias per suas litteras reddidit certiores. Tanta inde exultationis & gaudii surgit occasio, quod hoc ad plenum explicari non potest. Eia ergo, athletæ fortissimi, & singulares orthodoxæ fidei nedum cultores, verum etiam insignes fidei defensores, nunc in Domino lætemini, & spirituali jucunditate reficiamini, nisi per partem vestram steterit, ad hoc devenistis quod tamdiu habere optavistis, & propter quod plurimum insudastis. Prioribus igitur sequentia continuando manus adjutrices porrigere, sanctum propositum adjuvare, & absque perditione temporis non cesset instantius manus vestra, quæ quidem poterit operari, ubi, quando & apud quos vestris circumspectionibus providis videbitur necessarium & modo quolibet opportunum. Perditio

profecto temporis etiam modici secundum varias circumstantias tantæ rei multum præjudicii posset afferre. Hic ergo jubilate, si placet, rescribendo & scribi procurando, sanctum confovendo propositum, & laudando, & ad ejus executionem vos præbendo diligentiam facere non.... super his dudum operari. Novit ille quem nullum latet secretum, quique nos ab omni calamitate conservet. Scriptum Romæ XVII. mensis Decembris, &c.

JOHANNES cardinalis ad vestra beneplacita paratus.

COPIA LITTERARUM DOMINI CARDINALIS DE THUREIO, ad Universitatem Parisiensem.

Anno 1407 Ex ms. Coislin.

VEnerabilibus & egregiis viris rectori & Universitati studii Parisiensis sociis & fratribus nostris carissimis.

Venerabiles viri & egregii amici ac fratres carissimi, his diebus non longe præteritis per JOHANNEM DE URSINIS civem Romanum, virum utique nobilem, & potentem in Urbe, ubi filium anticardinalem habet, misimus copiam cujusdam instrumenti jam pridem facti ex ordinatione anticardinalium ante novi assumtionem intrusi, scripsimusque domino meo Bituriæ, nec dubitamus hujusmodi copiam ad vestram notitiam devenisse, per cujus seriem, quia sedentibus in tenebris & umbra mortis visi sumus videre ortum lucem felicis inspirati successus, & si salubre videbatur principium, progressum feliciorem conspicimus. Nuper enim præfatus intrusus suas papæ & sacro collegio direxit litteras sub bulla, non solum effectum prædicti instrumenti, sed ultra continentes, per quas juxta promissa, votum & juramentum in ipso instrumento, sanctam clare offert viam cessionis mutuæ, & ad illam invitat papam atque hortatur. Super ejus oblatione hujusmodi etiam scribit regi & dominis meis Franciæ & ceteris principibus tam hujus obedientiæ, quam suæ, sicuti tam ex regiis & dominorum meorum prædictorum litteris, vel eorum copia poteritis videre. Diffusius videbitis ex earum tenore, quanta nuper Salvatoris gratia operata est, videbitis instare malorum finem, & acceptabilissimum tempus videbitis, videbitis demum, ut multa perstringam paucis, dispositionem diutissime concupitam, qua conclusionem votivam sequi non dubitamus, si rex & domini nunc quo tempus adest & opus est facto dederint operam rei. Scitis, carissimi fratres, & hæc frequenter sunt ipsorum dominorum auribus insonanda, quod rex & principes inclytissimæ domus Franciæ semper auxilia opportuna ecclesiæ, semper finem dedere schismatibus, propria etiam facta postponendo ad tempus. Tanto enim Dei negotio nullum factum propinquius, nullum utilius & salubrius animæ, nullum etiam gloriosius, aut quo quis ultra dignum præmium tantis efferri laudum præconiis quærit. Hic quidem est ille uberrimus ager, in quo suffossus potest reperiri thesaurus. Hæc est illa pretiosissima margarita profecto venalis, pro quibus emendis bona cuncta vendenda sunt. Precamur vos itaque quod reges & dominos meos præfatos excitare & sollicitare velitis opportune & importune, ac taliter accelerare quidquid in hoc Dei negotio agendum est, quod unio ecclesiæ Dei, quæ jam videtur manibus apprehensa, non elabatur per desideria; sed finem votivum recipiat, solito & laudando vestrorum laborum servitio. Scitis moram periculosam semper tum propter rei & animorum mutationem, tum propter indubitabiles corruptelas, tum propter collusiones, dubiumque, tum demum propter alia multa quæ dici possent, sed essent longa nimis. Ceterum quæ nobis super his videntur impræsentiarum agenda, per quamdam cedulam mittimus, & alia quædam dedimus domino patriarchæ communicanda vobis, & in proximo, ut speramus, etiam aliqua scribemus: ideoque nihil aliud hic inserimus, sed precamur quod beneplacita vestra & occurrentia nobis rescribatis frequenter. Altissimi gratia diu & feliciter vos conservet. Scriptum Massiliæ die xx. Januarii.

LITTERÆ MISSÆ DOMINO domino duci Bituriæ per dominos cardinales.

Anno 1407 Ex ms. Coislin.

EXcellentissimo & magnifico principi domino JOHANNI regis Francorum filio Bituriæ & Alvernorum duci, comiti Pictavensi, &c. miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi sacro-sanctæ ecclesiæ cardinales.

Concupitam diu per vos integritatem ecclesiæ celeriter prosequi & amplecti regali prosapiæ cedit ad gloriam, ut quo præstantis oris causa laudum cumulus, & quidem magnum adeo meritum quæri possunt, ad id accuratius se accingat. Sane, Princeps excellentissime, adest tempus per regiam majestatem & vos diutissime expetitum. Adest causa interitus, videlicet illius congruentissimæ pestis, qua versutus humani generis inimicus ab olim miserabiliter secuit domum Dei, & ejus indissutilem tunicam minutatim dissolvere nisus est: pro qua re integranda vos cum rege tot subiistis labores. Nuper enim ANGELUS CORRARII, qui sedem apostolicam occupans GREGORIUM se appellat, sanctissimo domino nostro BENEDICTO divina providentia papæ XIII. nobisque, sicut excellentiam vestram latere non credimus, suas direxit litteras, per quas paratum se offert suis prætensis juribus & papatui cedere certo modo & forma in prætactis litteris ejus contentis, quarum copiam etiam nostræ responsionis ad illas excellentiæ vestræ mittimus his interclusam: quibusque receptis idem dominus noster profecto amator caritatis & pacis, cujus & etiam nostra ad hoc tota flagrabat intentio, non modico fuit gaudio, & in Domino exultatione perfusus, videns attigisse quod tamdiu quæsierat & optaverat, ac nunc desiderata opportunitate se offerente, volens evidentius prodire in lucem bonum propositum, quod à tempore suæ assumtionis pro extirpanda hac veraci scissura fervido gessit in pectore, idem dominus

dominus noster habita matura & frequenti deliberatione nobiscum per suas apostolicas litteras dicto intruso cum magna caritate plene, gratanter, & pro unione ecclesiæ securius ac celerius consequenda, multum judicio nostro effective respondit, prout apertius intueri poteritis per tenorem litterarum suarum qui sequitur prout ecce. BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei Angelo dicto Corario, &c. Per quemdam conversum fratrum Prædicatorum, &c. *extant apud Theodericum de Nien in Nemore unionis tract. 1. cap. 4. p. 269. editionis Argentorat. & initio omisso apud Odoricum Rainaldum.*

Nunc ergo, Princeps excellentissime, videtis pium, videtis meritorium, immo sanctum propositum domini nostri cunctis efferendum laudibus, & omnium favore favendum. Ecce per harum oblationum concursum jam medium habetur, per quod, Deo auspice, princeps hujus mundi ejicitur foras & pellitur; hoc schisma cruentum extinguitur, consuitur lacerata tunica Domini, & sequetur unio per regem & vos tam ardenter expetita, tam inflammatis affectibus concupita. Ad hujus autem tam sancti perfectionem operis, si bene metimur, sola restat conventionis partium acceleratio, in qua mora vel dilatio modica nocumentum maximum ferre posset in hoc opere. Excellentissime Princeps, causam diximus quæ ad gloriam acquirendam & meritum præ ceteris rebus regendis altius tanto præstat, quanto certum est minus posse temporalia spiritualibus adæquari. Exurgant igitur, Princeps magnifice, vestra virtus & potens dextera, una cum rege prosecutionem tam sancti operis complectatur; etenim regiæ domui vestræ hoc quasi hereditario jure debetur, ut christianissimorum progenitorum vestrorum, qui semper accuratissime finem dedere schismatibus, vestigiis inhærendo, huic etiam sectioni finem dari vestris piis favoribus procuretis. Cum vero ad hujus rei consummationem & ecclesia & ipse dominus noster regio & vestro favore ipsaque res miseranda acceleratione indigeant, quæsumus supplices Excellentiam vestram & exhortamur per sparsum in nostræ redemtionis pretium pretiosissimum sanguinem JESU-CHRISTI, quatenus ipsi matri ecclesiæ diuturnis undique afflictionibus lacessitæ sic manus velitis porrigere adjutrices, ipsum dominum nostrum cum rege simul amplectentes auxiliis & favoribus opportunis, sed & omnibus modis, omnique cura relictis, domino nostro ad conventionem accelerandam opem ferre, quod & ipsa ecclesia & idem dominus noster talem filium adjutorem tam favorabilem habuisse gaudeant, demumque ex conventione ipsa cita sequatur conclusio votiva, in qua ipsa pro Deo omnis mora, quæ semper nociva est, & quantumlibet succidatur. Propterea, Princeps excellentissime, scimus excellentiam vestram nosse hic agenda quanta solertia, quanto sunt conducenda favore. Sed nihilominus accepimus, quod nonnulli hoc sanctum propositum forsitan ignorantes, aliquas novitates apud regem fieri prosequuntur, ea postulantes, ut retardationem irreparabilem huic sancto negotio tam salubriter tamque bene disposito ferre possent. Scimus, Princeps optime, quod nullæ novitates fiunt intruso. Et quia indecens esset, etiam honori regio & vestro, ac toti huic obedientiæ absonum, quod intruso bene & honeste à suis tractato, dominus noster pressus... noxiis ad præfatam conventionem veniret, posseque ex hoc mentibus plurium scandalum generari. Supplices & iteratis vicibus quæsumus eamdem excellentiam vestram, ut procurare placeat hujusmodi novitates abigi, etiam tolli penitus ac cessare. Nam ex hoc quod per jam facta, ut præmittitur, agendum restat, in tam salubriter dispositis salutari directione ducetur citius ac salutarius ad optatum. Datum Massiliæ sub trium priorum nostrorum sigillis die ultima mensis Januarii XV. indictione, anno à nativitate Domini MCCCC. septimo, Pontificatus præfati domini nostri papæ Benedicti tertii decimi anno XIII.

APPELLATIO INTERPOSITA per Universitatem Parisiensem à domino BENEDICTO, anno Domini MCCCC. VI. die mensis Januarii.

MOvebitur, Deus immortalis, & semper turbabitur gens christiana, opprimetur in dies magis ac magis ovile tuum, ac sævis luporum faucibus devorabitur, læsa laceraque semper fluctuabit navicula Petri, scopulis atque procellis & penè ad interitum perpetuò concutietur Ecclesia. Quamdiu convalescet tam horribilis & tam paci infesta pestis, magna & perniciosa schismaticorum sentina? tot mortales sub conscientiarum scrupulo perditissimorum hominum scelus detinebit? tot animas fidelium, immo penè totum genus humanum quod hac luce fungitur paucorum ambitiosa libido, fraudis perjuriique conscientia in periculum æternæ damnationis adducet? Viderat olim gloriosa Christi sponsa tempora sub Christo felicissima. Tunc nec à suis dividebatur, nec divisa membratim à suis opprimebatur præsidibus. Nunc verò turpiter laceratur; & ab his qui eam, si veri pastores essent, tueri deberent, conculcatur, comprimitur, atque conteritur. Hinc periculorum magnitudinem, immanitatem facinorum, jacturam fidei, ecclesiarum oppressiones, ac ingentem vastitatem christianæ religionis obortam videmus. *Anno 1406 Ex mss. Gemmeticensi.*

His autem, cum à summis judicibus aguntur, aut ab his qui se pro summis gerunt, prisci sanctique doctores appellationis remedio dixerunt obviam iri oportere: quod certè non est abolendum aut refutandum, nisi jus omne planè violatum esse velimus. Nam hoc est à natura profectum, ac voluntate divina rebus naturalibus impressum, ut superioribus exorbitantibus inferiora adversum superiora ita ferantur, ut ipsis relictis, nihil videatur nisi divina decreta pro suis capacitatibus imitari. Sic etiam vult omnis humanarum rerum institutio, ne plerum-

que dominantium depravatissima libido saluti publicæ sit miserabilem pestem importatura. Sic Paulus Cæsarem appellavit; sic reprehensibili Petro in faciem restitit; sic & multi principes ambitiosorum pontificum conatus nefarios compresserunt. Quod si sic non liceret, dum papa schisma vel hæresim incurreret, aut aliquid ageret unde status universalis Ecclesiæ turbaretur vel subverteretur, sibi obsistere vel nullo pacto liceret, vel nulla exequendi commoditas reperiretur.

Itaque quod naturæ jus, humanum divinumque faciendum consulit, in tanta præsidentium facinorum immanitate ac Ecclesiæ prorsus oppressæ gravaminum importunitate, Ego Johannes Molleti senior procurator almæ matris Universitatis studii Parisiensis, rectoris, & decanorum theologiæ decretorum, & medicinæ facultatum, ac etiam procurator nationum facultatis artium & singulorum suppositorum prædictæ Universitatis pro interponendo, & interpositæ provocationis & appellationis titulo, nomine, & pro eadem Universitate ac omnibus adhærere volentibus & adhæsuris, sub protestationibus infra dicendis, coram vobis tabellionibus publicis, tamquam probis & honestis viris, ac publicis personis, testibusque astantibus assero quæ sequuntur, & eadem in præsentia illius vel illorum contra quos vel quem hujusmodi provocatio & appellatio emittuntur libentius dicerem, si tutus ac sine gravi periculo ad eum vel ad eos mihi pateret accessus.

Et primò protestor quòd cujuscumque mortalis famam carpere non intendo, nisi pro quanto Ecclesiæ causa veritati conjuncta requirit, quòd etiam nihil catholicæ veritati dissonum aut piæ devotionis offensivum asserere propono. Quod si aliter verba prætendere viderentur, totius ac universalis Ecclesiæ ac sanctæ sedis apostolicæ, cujus auctoritati & præeminentiæ nullatenus intendo derogare, sed potius ejus exaltationi devotè pro viribus inservire, correctioni me ac dominos meos submitto. At eò magis fideles animi ferre debent quæ dicturus sum, quòd proferenda eo dicendi genere sunt instituta, ut eos qui pacem Jerusalem studiis ac laboribus acerrimis procurant, majori securitate votivo proposito possint intendere. Hæc autem delectare debent, quia in lucem emittent gravissima flagitia, quibus & simplices decepti, graves & doctissimi corrupti, ac denique mater universalis Ecclesia multa per tempora labefactata fuit atque contaminata.

Ut igitur à notissimis exordiar, post Græcorum à Latinis divisionem, grandis in Ecclesia Dei scissura secuta est, ac dum diu de papatu duo contendentes, altero morte sublato, eligentium vota in cardinalem de Luna ceciderunt. Is autem inthronizatus ac BENEDICTUS appellatus, post schismatis scelere contaminatus, perjuriis læsus atque debilitatus, hæreseos non modicam suspicionem incurrens, damna & intolerabilia gravamina gloriosæ Christi sponsæ crudeliter intulit. Hic omnes pacem quærentes adversarios existimat, & à se deputat alienos.

A Hic oves simplices ore lupino atque rapaci territat & dispergit. Ab ipso igitur quem Benedictum vocant, & contra eum provocans & appellans, dicta & dicenda, protestationibus superius habitis, moderata constanter assero.

Cùm pastoris præsidentia propter Ecclesiam non propter papam instituta sit, suam tenere præsidentiam non debuit, cùm luce clarius Ecclesiæ videretur obfutura: & si carissima Christi sponsa Christo capiti atque sponso nullo mediante adhæret, non fuit necessitas ut tantopere in jacturam Ecclesiæ præsidentiam retineret.
B Attendite, fideles, & omni affectione semota, prospicite, si verus pastor & administrator Ecclesiæ legitimus fuisset, nonne cum ei via cessionis ab ejus obedientia offeretur, eam pro extirpando schismate illico acceptasset? Sic sic pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, sic Christus pro evellendo spirituali schismate se suo proprio corpore spoliavit. Sed fortè huic viæ pro ante notoriè diffidebat; lèvis, ingloriusque visus esset; si à suis rationibus tam repente discessisset. At vero hæc mutatio potius laudabilis correctio diceretur, quàm vituperanda varietas.
C Nec hoc quidem in eo fuisse contendam: potius enim corruptum animum levem, hypocrisi schismateque perculsum in hac Dei causa monstravit. Eo namque tempore quo se pro cardinali gerebat, legatus ad Christianissimum Francorum regem, viam cessionis magnopere super omnem viam efferebat: palam multis celebris memoriæ duci quondam Burgundiæ constanter asserens, si dominus
D CLEMENS & cardinales in eam consentire nollent, medio fore substractionis utendum. O divinam providentiam hominibus incognitam! per illum hominem aperta fuit subtractio, cujus erat sceleri maximè obfutura. Nam licet jus humanum naturæ atque divinum ad subtrahendum exacto præsentique casu nos impellat; nondum tamen tam expediens, tamque necessarium medium à quovis homine tunc fuerat explicatum. Nec eam tantum principibus Franciæ
E aperuit. Nam completa legatione, priusquàm sarcinas & viæ supplementa solverit, dominis cardinalibus intimavit, quòd nisi dominus præmemoratus CLEMENS papa cessionis viam acceptaret, se nequidem una die hospitio mansurum, sed omnibus clausis confestim ad propria reversurum. Repertæ sunt dilationes interim, & piæ recordationis dictus dominus CLEMENS vita functus reddit animam, præparatur futuri pastoris electio, jurant cardinales in conclavis introitu communi cedula se manu propria inscribentes, quòd quicumque eligentium vota susciperet, quotiescumque collegio cardinalium vel
F majori parti videbitur expedire, papatui renunciabit. Tandem, ut verisimile est, quia præfatus cardinalis de Luna sese ad hanc viam atque procurandam pacem Jerusalem promtissimum ostendebat, in eum vota sua direxerunt. Dum verò sub illa intentione provectus cathedram obtinuit, rursus ad cardinalium requestam suum juramentum renovavit. O fideles Christiani, quanto tunc gaudio exultabatis! quibus eum

laudibus prosequebantur universi cùm tantam spem pacis habendæ monstraret! Hic, hic introitus hujus viri in papatum, hoc suo simulato more mentes oraque gentium perstrinxit. Vos, vos convenio qui primi apostolatus à Christo suscepistis dignitatem, non vos qui hunc schismaticum perniciosè sustinentes, pene pari scelere vos demonstratis devinctos, an hoc uno vir iste intolerabilem ambitionem monstravit? An hoc uno flagitio quod prius viam cessionis approbans atque procurans, repudians postea, ac ore vulpino, simulataque sanctitate, Petri cathedram ascendens, indignum papatu & ab Ecclesiæ cœtu sese rejiciendum ostendit?

At verò si dicenda recogitamus, hæc modica sunt. Nam quid egit postea? Ad illustrissimum regem Francorum legavit solemnes viros, episcopum Avenionensem & magistrum PETRUM BLAVII, nunc sancti Angeli cardinalem, qui sub specie bona procurarent, ut ad dominum suum nuntii totam regis intentionem habentes, ac viam per eos oblatam exequi petentes destinarentur; quòd si tales ac tanti mitterentur, titulo legationis promittebant, quod dominus suus nihil teneret absconditum dominis mittendis de omni conceptu suo, quin immo quamcumque viam licitam & honestam à principibus oblatam se subiturum, & auxiliante Deo prosecuturum. Paruit votis rex inclytus, & ne sanctæ matris auxilio deesset, audito prius Ecclesiæ regni sui percelebri concilio, quasi uno spiritu cessionis viam clamante, tres misit Duces sui sanguinis potentissimos atque serenissimos, Bituriæ, Burgundiæ, & Aurelianensis, quos magna clericorum, prælatorum & sapientissimorum virorum comitiva sequebatur: inter quos mater illa studiorum & scientiarum Universitas Parisiensis viros misit electissimos. Hi post honorum & cæremoniarum impensas, post apertam legationem & oblatos labores, ad quamcumque viam rationabilem & honestam prosequendam adhibendos supplicantes humiliter sciscitati sunt, si viam aliquam aperire vellet. Proh Dei hominumque fidem! nonne si cor humanum gessisset ad supplicationes & diligentias tantorum principum, in ea materia qua maximè obligatur, èmotus fuisset? At neque diligentiæ aliorum gravissimæ, neque totius Ecclesiæ desolatio, nec suæ damnationis æternæ pericula pectus saxeum commoverunt. Nam viam nullam aperuit, sed dumtaxat verbis generalibus obtulit, ut ipsi ambo contendentes invicem convenirent. Habebat, obsecro, aliud agendum super pace procuranda? Si sic concedit, cessionis viam non habuit animo; si inficiatur, turpiter regem decepit; cùmque talem conventionem tractare, non tantum sufficere; sed etiam procurandæ paci obesse videretur, viam mutuæ cessionis amborum contendentium obtulerunt in præsentia dominorum cardinalium, supplicantes ut si adversarius suus illam acceptaret, in eam pro bono pacis vellet descendere. Sed quid postea?

Non nescius quòd viam cessionis tamquam sanctissimam & expedientissimam prædicasset atque collaudasset, memor suæ institutionis, memor juramenti postea renovati, præscriptam viam pluries refutavit, contemsit, atque vituperavit. Testes sunt præfati clarissimi duces, qui quò magis supplicabant, eò magis viam cessionis abhorrentem illum reperiebant. Testis est bulla quæ tandem compromissi viam aperiens, conditionibus ad errorem vergentibus limitatam viam cessionis innumeris modis criminabatur. Nam cum hoc ipso perjurium inexcusabiliter incurreret, ad sui perjurii velamen, falsa quædam impia & veritati dissona contra viam cessionis adinvenit, asserens viam illam esse non juridicam, impraticatam, & à sanctis patribus in simili casu repulsam & refutatam: superinducens eum illo modo cedere quo petebatur esse forsitan in Dei offensam, in Ecclesiæ damnum, in clavium contemtum, & censuræ ac libertatis ecclesiasticæ læsionem, in exempli perniciem, in scandalum prælatorum & fidelium sibi obedientium, ac denique nostræ partis ignominiam. Testimonia sunt hæc non tantum suæ refutationis, sed pertinaciæ atque suspectæ infidelitatis; præsertim cum in altera bulla solemniter protestetur, quòd si contingat ipsum quandoque aliud respondere vel facere, quàm in dicta bulla priori dixerit, pro non dicto & infecto habeatur. Hanc iniquam & inhumanam protestationem sui licet dicant ipsum quandoque revocasse, tamen nec ab ea factis discessit, nec suæ revocationis formam sequutus est. Testis est sui præcepti nequam executio, qua ut communi fama ferebatur, pontem Avenionensem combusserunt, ut principibus ad eum pro fidei & Ecclesiæ causa revertentibus iter esset interclusum. Testes sunt domini cardinales, qui ter eum juxta juramenti sui formam requirentes ut viam cessionis acceptaret, viderunt obstinata fronte negantem atque refutantem. Testes sunt iterum domini principes & cardinales, qui videntes hujus viri tantam pervicaciam, in unum convenere, ut post particulares repulsas in communi saltem impetrarent, credebant eum flectere, sed eam responsionem habuerunt, quæ fideli animæ deberet horrorem incutere Absit, inquit, quòd temporibus nostris tantum inconveniens accidat in Ecclesia sancta Dei: mallemus mori. O vocem infaustam atque superbam! ô voluntatem nullo christiano dignam! Qui pastor saluti gregis intendere deberet, se malle mori fatetur, quàm morbo mortifero per pastoralis dignitatis abnegationem obveniat. Profecto hæc una vox, ne dicam papatu, sed fidelium societate talem virum monstrat indignum. Hic respondere non possent etiam voluntarii veritatis impugnatores. Nam poterat vir iste per viam cessionis morbo mederi schismatis, quod non tantùm distulit, sed pertinaciter refutavit; non tantùm supplicantibus Franciæ regnicolis, sed orante obedientia tota ac pene supplicante. Nam rex inclytus Castellæ tentans si quo modo flecti posset, legatis suis proponi fecit, ut primò fieret quæ suæ fuerat voluntatis amborum contendentium conventio, atque remaneret triginta vel quadraginta diebus sedens in Petri cathedra; quòd si assequi

non possit, saltem adversario suo volente ad mutuam renunciatiationem condescenderet. Ut autem magis esset voluntarius, ea prattica consequendæ renunciationis sibi tunc temporis aperiebatur, quam nemo nisi vecors refutare deberet. Sed rursus respondit se nullo pacto facturum. Nec ipse Petrus de Luna fuit istis contentus: quin potius ad improbandam viam illam sanctissimam, & ad agendum cum adversario suo tractatus malefidos atque suspectos aspiravit. Nam cum Franciæ rex christianissimus ad regem Aragonum suos legasset ambassiatores, præfatus vir præmisit episcopum Zabulensem cum aliis pluribus, qui viam cessionis ad jussionem suam in præsentia regis Aragonum quoad potuit improbavit. Et quia tam claræ veritati obviam ire non poterat, finxit regnum Franciæ non ad hoc laborare, ut altero mortuo, cedente, vel ejecto, cederet, sed ut simpliciter cedente Gallus vel Galliculus (sic enim irreverenter loquebatur) suæ præsidentiæ locum ascenderet. Hanc insignem injuriam & alias quamplurimas ex ea legatione regi Franciæ illatas sciunt omnes qui tunc præsentes affuerunt. At verò quia hæc veritatis via talibus non videbatur denigrari; eam iterato impugnari fecit per advocatum quemdam Avenionensem, quem Bonifacium appellabant, præsentibus ambaxiatoribus trium potentissimorum regum, Francorum, Castellæ, & Angliæ. O tetram conjurationem abolendæ veritatis! Quia is adversus veritatem satis strenue pugnasse videbatur, illico tam simoniacè, quàm schismaticè promovetur ad cardinalatum. Quia me vocant reliquæ veritates, omitto cetera, quæ ex prædicta legatione subdolum ejus animum, fraudulentum atque schismaticum ostenderent, & ad collusionem quam habuit cum adversario suo verba deflecto, quam certè, nullis licet patesceret indiciis, tamen propter suorum flagitiorum immanitatem suspicare deberemus. Verùm cum hoc certis signis accipiatur, id nolim in sola suspicione relinqui. Nam dum legati prænemoratorum regum, suum adversarium adiverunt, præmisit episcopum Terraconensem cum aliis plerisque, qui sui ex parte sibi viam cessionis dissuaserunt, ac secum infaustos firmavere tractatus. Monstrat hoc singularis familiaritas, quam ad ipsum intrusum habuerunt. Nam agebant secum omnia in apertis & secretis, quod nequidem ambassiatoribus Franciæ & Castellæ, sed nec etiam Angliæ qui suæ sunt obedientiæ permittebatur. Idem monstrat responsionum suarum identitas, quæ nonnisi à fictis contendentibus voluntate concordibus emanarunt. Probat verò papalis reverentia, quæ præcepto ipsius domini PETRI DE LUNA intruso fuit à præfatis legatis exhibita, ex quo tempore à processibus, quos contra invicem faciebant, cessaverunt ex integro. Ut autem ad ea quæ sapiunt hæresim revertar, plerisque se credere dixit offensam Dei mortalem incurrere, si viam acceptaret mutuæ cessionis, atque se malle excoriari asseruit: pro ante enim dixerat igne se malle concremari, quàm quoquo pacto ad dictam viam condescendere, eò quòd, ut dicebat, gravissimè peccaret. Videat Ecclesia sancta quanta hic infidelis animi sint argumenta? Videat & ipse dominus PETRUS DE LUNA quonammodo possit evadere, quin hic concludatur pertinax schismaticus. Videat rursus quo modo vel à se vel ab alio ferendus sit, qui sibi ac toti religioni Christianæ contrariatur? qui si sentit quo se scelere devinxit, non dubito quin sit miserrimus.

Cùm hæc & alia plurima Francorum rex christianissimus ferre non posset, totaque Gallorum Ecclesia sæpenumero vocibus dominorum meorum almæ matris Universitatis Parisiensis excitata putaret esse remediandum; celebratum est Parisius grande totius ecclesiæ Gallicanæ concilium, & multis doctissimis, sapientibus & electissimis viris materiam in eo tractantibus; audita prædictorum & aliorum quorumdam recitatione, conclusum extitit, quòd quoniam ambo contendentes de papatu perperam & notoriè schisma faciebant, & quantum in eis erat causam perpetuationis ejusdem præbebant, neutri licitè poterat obediri. Tandem in regno Franciæ substractione facta, domini cardinales per quatuor suorum fratrum solemnissimos sibi porrexerunt vota supplicia orantes, ut ad præfatam viam condescenderet, atque promittentes ut substracti ad suam redirent obedientiam fideliter, ac ex totis viribus se laboraturos: Mallem, respondit, membratim atque frustratim lacerari. Est hic intolerabilis pertinacia. Nonne firmiter suis cohæret protestationibus? Protestatus fuerat quod quidquid in contrarium in futurum assereret, pro rato se non habiturum. Idcirco domini cardinales ne suis horrendis flagitiis fœdarentur, ab eo se subtraxere. Consimiliter verò rex Castellæ ab ejus obedientia se subtraxit.

Videns autem dictus dominus PETRUS DE LUNA quod nisi viam sanctissimam acceptaret, sui splendoris gloriam non solito more susciperet, se promisit solemniter altero cedente, mortuo, vel ejecto, renunciaturum; signavit propria manu instrumentum super hoc confectum, in Franciæ regnis & Castellæ postea publicatum. Suspensa est postea subtractio, intercurrentibus quatuor conditionibus prolatis atque publicè prædicatis per magistrum PETRUM DE ALLIACO episcopum Cameracensem de mandato regio in ecclesia Parisiensi, præsentibus rege, principibus, prælatis & multitudine populi copiosa, quarum illa maxima fuerat, quod altero mortuo, cedente vel ejecto, sicut antea pollicitus erat, renuntiaret. Mortuus est, ut est toti mundo notorium, adversarius ejus qui BONIFACIUS dicebatur, attamen nec renunciavit, nec se renunciaturum obtulit. Certum enim est, quod dominis illis qui se Romæ pro cardinalibus gerunt ambaxiatores domini PETRI DE LUNA dixerunt dominum suum in viam cessionis numquam consensurum, cùm secundùm eorum judicium juri aut æquitati consona non extaret, ex qua legatione fuerunt à dicto BENEDICTO advocati. Testes sunt do- Prima conditio restitutæ obedientiæ.



mini cardinales, testis est denique totus orbis, A quod nec huic viæ intenderit, nec super ea mentem suam aperuerit. Mortuus est postea ille quem INNOCENTIUM vocitabant, nec renunciavit, nec in hac via procuranda diligentias adhibuit. Siccine, domine Petre, in juramentis fidem, in præmissis stabilitatem servatis?

Aliæ duæ conditiones. Duas etiam alias conditiones nullatenus adimplevit. Nam promotiones tempore subtractionis sanctè justéque factas ratas non habuit, valentissimos enim moribus ac scientiis probatos à B suis expulit beneficiis atque prælaturis, suæ concilium obedientiæ, ne fortè in eo corrigeretur, non celebravit. Quod si saltem conditionem alteram adimplevisset qua fuerat obligatus, in suis antiquis libertatibus tenere ecclesiam Gallicanam non ex omni parte criminaretur: sed eam tamquam tyrannus sævissimus præter ea quæ parva sunt, undecim magnis gravaminibus affecit atque dilapidavit.

Exactionum gravamina. Quantum enim hoc illud gravamen est, ô piissime JESU, quo sibi beneficii cujuscumque vacantis unius C anni fructuum perceptionem usurpavit? Et verè omnium unius anni fructuum. Nam in non taxatis & exemtis per æquivalentiam in taxatis altera parte penes se reservata, altera capellano deputata, sic totum convellendum & secum rapiendum decrevit; ut plerumque beneficio atque beneficiato nihil penitus remaneat.

Alius modus exactionum. Quantum etiam illud gravamen, & quàm religioni ac moribus nostris contrarium, quo visitandi procurationes prælatis & archidiaconis ad mores reformandos D deputatas avaritiæ causa sic sibi duxerit appropriandas, ut non impenso visitationis officio, sibi suo proprio jure vindicaret.

De decimis. Nec minus est onus decimarum quibus est uti solitus. Nuper unam imposuit, propter quam alma mater Universitas à sermonibus & lectionibus decem septimanis cessare coacta est. Ab hac pauperes hujus regni sacerdotes ita fuerunt oppressi, ut & excommunicationem & ab officio suspensionem multo tempore passi sint. Tantam, quæso, fidelium turbationem, tot ecclesiarum interdicta, quibus plerumque mortuis sepulturam, infantes baptismum in alienis locis quærere cogebantur, sancti patres nostri permisissent? E

Spolia defunctorum. Illud etiam novum & pene inauditum mihi gravamen videtur, quòd ecclesiastico virò mortuo, & adhuc efflante animam, atque vitam exhalante, spolia ipsius ac universa temporalia, quæ successori vel ecclesiæ debent attribui, per suos ministros tam impiè rapiantur, quo tanta crudelitas sequuta est, ut inhumanitus evulso monumento atque corrupto corpore suis spoliis effossus privaretur. Urbanè forsan instar Dionysii tyranni respondebunt, corpora F mortuorum nec ornamentis egere neque vestibus; sed omitto suam in tantis malis facetiam, & ad aliam ecclesiarum spoliationem convertor.

Fructus beneficiorum vacantium. Non contentus vir iste fructibus unius anni, quem beneficii vacantem appellant, multo tempore beneficia pinguia vacare permittit, & eo decursu sæpe duorum vel trium annorum & amplius spiritualium fructus vel temporalium rapi atque comportari suis jubet aptissimis satellitibus.

Negligentia conferendi beneficia. Si certè sanctam Ecclesiam spiritualiter regeret, aut aliquo jure suam tyrannidem obtegeret, numquam ferret tam diuturnam ecclesiarum vacationem.

Fructus percepti tempore subtractionis. Sed adhuc istis cupiditatis insatiabilis ardor non quiescit, petit fructus quos appellat malè perceptos, fructus, inquam, quos tempore subtractionis promoti ante suam confirmationem susceperunt, & eos petunt sui tam inhumanè, ut in Occitana lingua, donec super his contentarentur, mortuum non permiserint inhumari. Non miror, si veretur in hoc pollicita frangere, qui totiens proprium violaverit juramentum. Quòd si quidquam ibi malè perceptum foret, non sibi, sed ecclesiæ loci jure tribueretur. Verùm tenent doctissimi & magnæ probitatis viri, quòd eo tempore electi, & per suos ordinarios confirmati, securius ad statum illum accedunt, quàm per papam dubitatum promoti.

De arreragiis. Additur his onus alterum. Nam contra tractatum sub quo ad eum redierat ecclesia Gallicana, petit vacantes à quadraginta annis, pro quibus solvendis ecclesiæ plurimæ radicitus everterentur. Talium enim summa mille millia transcendit.

Non supportat onera. An etiam omittendum putatis quòd temporibus fructuum à suis injustè captorum pensiones ecclesiarum atque debita nullo modo persolvunt, quo fit ut pro talibus oneribus anni fructus sequentis non sufficiant.

De cambio monetæ. Exquisivit vir iste modos alios astutiores congerendæ pecuniæ; monetam mutavit, qua sæpe pro quatuor millibus quinque colliguntur: gentes suæ monetam auream colligunt, & in massam redactam cum auro alio hinc inde collecto transportant, ac papali monetæ non tam purè & emundatè deputant faciendæ. Monetam auream regni recipere nolunt iidem ministri, nisi supra proprium valorem certam summam recipiant. Quod si Parisius floreni cameræ papalis ipsis auferantur, succrementum petunt, quod cum pecunia Franciæ soliti sunt accipere. Litteras, absolutiones, quittancias pretio taxant intolerabili. Excommunicant sæpe, ut absolutione pauperes spolient. Relaxant dumtaxat quartam unius anni pro quatuor francis. Et hæc his imposuit agenda quos putavit esse diligentissimos satellites scelerum atque ministros cupiditatum suarum.

Pecuniæ extra portantur. Intolerabiles sunt exactiones, & tyrannorum veterum cupiditates excedentes, eoque magis quòd afflictis ac penè eversis ecclesiarum domibus, ac regno pecuniis evacuato, aurum & argentum Franciæ ad alienas partes deputatur ad fovendas & enutriendas schismaticorum sentinas.

Indulgentiarum exactio. Omitto quæstus pecuniarum insolitos sub officii pietatis & indulgentiarum colore, quibus fallaciter innumeras pecunias à simplicibus exigunt, ut eos, sicut dicunt, ad statum reducant innocentiæ.

Reservationes. Præterea pinguium beneficiorum novas reservationes, bullarum obscurissimarum diversitates, cessationes electionum pro libito, pauperrimorum beneficiorum non taxatorum novas taxationes.

Mutua. Dimitto munera & pecunias ab abbatibus & capitulis mutuò expetitas. Taceo quòd prælatos ad suscipiendam benedictionem

Januam coëgit accedere. Nec hæc idcirco omitto quòd non gravissima sint, sed quia multitudine tam effusa sunt, quod ea brevitas nulla comprehenderet. Te jam alloquor, ô immaculata Dei sponsa Ecclesia sancta, si dictus PETRUS DE LUNA unicus papa & indubitatus esset; sibine liceret tantam cladem atque vastitatem, quæ sunt ad eversionem ecclesiarum, super ovile dominicum inducere? An in hac diripiendarum ecclesiarum quasi quadam conjuratione suos sibi liceret deputare ministros? Sic sic vir iste Gallicanam ecclesiam juxta sua promissa liberam tenuit: immò certè odiorum igne succensus ac spe vindictæ penitus inflammatus, indignissimè oppressam penè ad interitum & calamitosam subversionem deduxit. Quid igitur ratiocinabor? Necessaria fuit atque rationabilis subtractio, nunc certè multò rationabilior. Quid ita? quia causa illa perstat ex qua obedientiæ renunciatio proficiscebatur, & longè amplior multipliciorque necessitudo. Quo pacto? quia Gallicana Ecclesia subtractionem suspenderat sub his pollicitis & conditionibus, quarum nullam adimplevit. At unde tam necessarius ab eo discessus? quia magis obduratus quàm perante fuerat. Nec mihi dixeris fractus jam laboribus ac senio confectus sibi non pepercit, ubi vidit procurandæ paci intendendum. Numquam enim nisi prolongationes & subterfugia quæsiit, non ad evellendum schisma, sed ad roborandum; non ad proficiendum huic obedientiæ, sed ad eam vexandam. Januensibus promisit bullam super via cessionis se daturum, quo & aliis pluribus eos fefellit. Postea verò multos de sua pertinacia certos fecit. Quid, inquit, sibi volunt isti de Universitate Parisiensi? Quid tam incassum laborant? mallem potius esse pauper capellanus per mundum fugitivus, quàm viam acceptare cessionis. Nec ambaxiatoribus regis Castellæ sese meliùs aperuit. Nam illis non tantùm viam cessionis, sed nec etiam viam concilii generalis concedere voluit. Ad ultimum per cardinalem *de Challant*, quasi supremum ejus esset propositum, conventionem generalem præsentavit, ad nullam viam specialem condescendens. Hanc verò conventionem adversarius suus semper abhorruit, atque pertinaciter refutavit. Hujus etiam conventionis difficultatem ac pene impossibilitatem & sine aliis viis inutilitatem alma mater Parisiensis Universitas sæpenumero monstravit.

Itaque cùm præfatus dominus PETRUS DE LUNA, denegatis audientiis pacem Jerusalem quærentibus, de veritate renuit informari, atque salutem animarum neglexerit; sciens inde futurum tam grande scandalum fidelium, cùm etiam tam pertinaciter, tam apertè, ac tam multis vicibus viam cessionis, quam prius probaverat atque juraverat, refutaverit, vituperaverit, multotiensque impugnari fecerit, & bina pacis habendæ per viam cessionis occurrente opportunitate, intendere paci noluerit. Cùm pollicitis suis mundum tam sæpe deceperit, cum adversario suo fecerit collusionem, cùm sese perjuriis debilitaverit, & ipsum ecclesia Gallicana reputaverit schismaticum, ac postea non purgatus ecclesiarum fructus & temporalia indignè corripuerit, & etiam Ecclesiam ipsam pene ad supremam calamitatem atque servitutem subversionemque status sui redegerit, dissona dixerit catholicæ veritati, ac in dies matrem Ecclesiam conculcans & lacerans magis ac magis perseveret; non in dubium revoco, quin sit & dici debeat notoriè status universalis ecclesiæ perturbator, pertinax schismaticus, de hæresi vehementer suspectus, ac velut antichristi comes, Ecclesiæ toti exitialis & perniciosus: cúmque pluries monstraretur notoriè recidivus, constat etiam ipsum non amplius esse summandum. Quibus omnibus matura deliberatione pensatis & tractatis, præfata Universitas mater mea pro se & suis suppositis à totali obedientia justè, sanctè, ac licitè se subtraxit, prout etiam ad hoc tenebantur & tenentur omnes Christi fideles, ne schisma quodammodo maneat immortale; & ne præfatæ status Ecclesiæ subversio per eum seu ejus causa & occasione amplius perseveret; nihilominus tamen idem PETRUS DE LUNA à sua solita pertinacia minimè temperavit, sed potius augendo, pestifero morbo ampliora præbuit incrementa.

Nec ille Romanæ sedis nuper occupator illicitus ecclesiæ parvam cladem intulit. Is enim, ut suos prædecessores omittam, qui morte sublati nunc sentiunt quàm iniquum fuit Ecclesiam sanctam hoc schismate perturbare, insignem hanc injuriam Ecclesiæ fecit, quòd sui causa in periculum animarum fuit oppressa atque lacerata. Cúmque schismaticus esset, & ad suum scelus expiandum sub æternæ & horrendæ gehennæ periculo teneretur, juravit prosequi viam mutuæ cessionis, sed juramentum contemnens, Christi sponsæ desolationem negligens, immemor salutis suæ, in schismate permansit obduratus, ingentem hæresis suspicionem incurrens, hunc si hac luce spiraret, multis prius attestatis ad causam provocarem. Acerbè fero quòd hic oportet istorum virorum crimina detegere, quæ nec suorum fautorum manus, nec reliqua vita possit eluere: sed potius Ecclesiæ quàm viris mortalibus mos est gerendus: quamquam suorum cohors tamquam serpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus venenosum morsum dominis meis sæpedictæ Universitatis comminetur; & maximè dominus PETRUS DE LUNA, suique satellites, qui cùm videret dominos meos præfatæ Universitatis suis infaustis sceleribus obviam ire, ac ut Christo servire possent, ab eo se subtrahere, ignibus odiorum inflammatus, cœpit eos comminari, ad processus, ut dicitur, & fulminationes aspirans.

Omnia verò & singula præmissa vera sunt & notoria, & quatenus in facto consistunt ea posui & pono, Ego Johannes Melleti senior procurator prædictus quo supra nomine, & ea probare intendo & me probaturum offero quantum sufficit ad intentum.

Et hæc omnia & singula coram vobis tabellionibus publicis assero fuisse & esse acta, gesta,

& actitata in præjudicium dictæ Universitatis singulorumque suppositorum ejusdem ac sibi adhærentium & adhæsurorum injuriam, oppressionem, læsionem, opprobrium, vituperationem, & causa ipsius damnum non modicum atque gravamen.

Idcirco ego procuratoris nomine Universitatis prædictæ pro dicta Universitate, rectore, decanis facultatum, procuratoribus nationum facultatis artium, omnibusque suppositis ejusdem Universitatis sibique adhærentibus & adhæsuris ac successuris sentiens per dictum dominum PETRUM DE LUNA quem BENEDICTUM vocant commissariosque ejus, quorum nomina & cognomina pro nunc ignorantur, ac etiam committendos ab eodem eidem adhærentes & adhæsuros præfatam Universitatem singulosque prædictos fuisse & esse læsos, gravatos, & oppressos; ac timens ex verisimilibus conjecturis posse eos aut eorum aliquem in futurum lædi, opprimi, & gravari: & ne idem PETRUS DE LUNA per se vel prætensos commissos aut committendos, adhærentes vel adhæsuros, ad privationem privilegiorum, actuum, aut beneficiorum, seu personarum inhabilitationem, citationem per edictum, monitionem, contumaciæ reputationem, suspensionem, interdictum, excommunicationem, aggravationem aut aliarum quarumcumque censurarum ecclesiasticarum sententiam, condemnationem, declarationem, fulminationem, publicationem, intimationem procedat aut procedi faciat de facto, cùm de jure non possit, coram vobis tabellionibus publicis, probis & honestis viris testibus, qui hic adstant, ad hoc vocatis specialiter & rogatis, à prædicto PETRO DE LUNA quondam pro papa habito, prætensisque commissis ab eo aut committendis, adhærentibus & adhæsuris & quolibet ipsorum, ac contra ipsos & ipsorum quemlibet, nec non ab omnibus & singulis gravaminibus prædictis illatis & inferendis ad sacrum totius universalis Ecclesiæ concilium per unicum verum futurum orthodoxum papam, vel alias canonicè aggregandum; & ad ipsum verum unicum futurum orthodoxum papam, ejusque sanctam sedem apostolicam, & ad illam vel illos, qui de hujusmodi causa appellationis de jure cognoscere poterunt in his scriptis, quibus supra nominibus provoco & appello, & à vobis tabellionibus publicis & quolibet vestrum peto primò, secundò, tertiò, ac instanter, instantius, instantissimè apostolos saltem testimoniales, & quos mihi dare potestis, protestans de aliis apostolis petendis à quibus de jure petendi fuerint. Et hujusmodi provocatio & appellatio in vim veræ appellationis transeat, si contingat contra ipsam quomodolibet attentari. Nec non de hujusmodi provocatione & appellatione latius declarando, addendo, vel diminuendo, ipsam intimando, prosequendo, iterum appellando, provocando, apostolosque petendo, ubi dum quotiens & coram quibus visum fuerit expedire. Protestans insuper nomine quo supra quòd pro hoc ab appellationibus alias interpositis aliquatenus recedere non intendo. Submittens & supponens specialiter & expressè, & in quantum de jure fieri potest, ipsam Universitatem ejusque singula supposita ac singulos adhærentes & adhæsuros, singulorumque ipsorum omnium ac beneficiorum & officiorum suorum jura & bona quæcumque & ubicumque existentia, præsentia & futura dicti sacri congregandi universalis Ecclesiæ concilii, apostolici unici veri & orthodoxi papæ & sanctæ sedis apostolicæ, seu illius vel illorum qui de hujusmodi causa cognoscere poterit vel poterunt de jure tuitioni & protectioni ac salvæ gardiæ speciali assistentiæ invocandæ in testimonium præmissorum. Actum anno Domini MCCCCVI. die Januarii.

COPIA INSTRUMENTI de deliberatione prælatorum Parisius congregatorum anno CCCCVI. super facto collationis beneficiorum in regno.

Anno 1406. *Ex ms. Gemmeticensi.*

IN nomine Domini. Amen. Omnibus præsens instrumentum inspecturis pateat evidenter & sit notum, quòd anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo sexto, indictione decima quinta, mensis verò Januarii die quarta, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri BENEDICTI divina providentia papæ XIII. anno decimo tertio, in conspectu & præsentia illustrissimorum principum dominorum regis Siciliæ, Bituricensis, Burgundiæ & Borbonii ducum; comitis Nivernensis & aliorum dominorum de sanguine regis, nec non cancellarii Franciæ, & multorum regis domini nostri consiliariorum, sedenti præsenti concilio reverendissimorum patrum dominorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum conventualium, deputatorum solemnium venerandarum universitatum studiorum Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis & Montis-pessulani, procuratorum tam metropolitanarum quàm cathedralium Ecclesiarum & aliorum prælatorum ac virorum ecclesiasticorum absentium regni Franciæ & Delphinatus Viennensis, prælatos & clerum seu Ecclesiam hujus regni & Delphinatus meritò, ut dicebatur, facientium & repræsentantium, per dictum dominum regem super facto & materia unionis sanctæ matris Ecclesiæ ac super bono statu & regimine ecclesiastico dictorum regni & Delphinatus ecclesiæ Parisius vocatorum, in aula alta super Secanam domus seu regalis palatii congregatorum solemniter celebrato, & ibi indicto silentio intelligentes attentè ad ea quæ pro libertatibus ecclesiæ dictorum regni & Delphinatus incumberent ordinanda, retulit publicè reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus SIMON miseratione divina patriarcha Alexandrinus, ea quæ per prælatos & alios viros ecclesiasticos mandatos in eodem concilio certis diebus proximè præteritis circa dictas libertates quoad electiones, prælaturarum & dignitatum dispositiones, collationes & præsentationes beneficiorum videbantur facienda, ordinanda

& exequenda, sicut per circumscriptum virum magistrum Johannem Juvenalis in Parlamento regium advocatum ad instantiam procuratoris regii extiterat paucis ab hinc diebus in eodem concilio requisitum & caritativè exhortatum. Inter quos autem dominos prælatos & alios viros ecclesiasticos, dum de hac materia diebus ipsis maturè & cum multis multorum jurium allegationibus ageretur; post varias utrimque disceptationes & discussiones factas & habitas apparuit & apparebat evidenter majorem partem in decuplo hujus opinionis extitisse, quòd Ecclesia Gallicana ad suas antiquas libertates reduceretur, & ordinarii ad quos de jure vel consuetudine spectat, haberent in hujusmodi regno & Delphinatu de beneficiis ecclesiasticis conferendo & præsentando disponere & ordinare. Quódque promotiones prælaturarum & aliarum dignitatum per electionem canonicam secundùm quod jura scripta volunt fierent & effectum sortirentur. Sed aliqui uno, alii alio volebant modo, & consulebant provideri. Et quamquam omnes indifferenter Ecclesiam Gallicanam dicerent sua debere libertate gaudere, eamque nimis oppressam & gravatam confiterentur: tamen aliqui, sed numero pauci, consulebant quòd usque ad celebrationem generalis concilii Ecclesiæ differretur: alii certè numero pauciores dicto domino nostro papæ supplicandum, ipsumque prius summandum super hoc esse dicebant & deliberabant. Sed major pars, ut dictum est, in decuplo in opinione residebat, quòd per regem dominum nostrum ad supplicationem & requestam dictorum prælatorum & aliorum virorum ecclesiasticorum modo prætacto provideretur: attento quod ipse rex dominus noster in sua sacra coronatione juraverat solemniter ecclesiam prædictam in sua libertate tenere & conservare: attento insuper quod dominus noster papa prædictus de faciendo præmissa sufficienter requisitus est & summatus, quod se facturum & concilium generale celebraturum promisit, in quo generali concilio, si fuisset, ut promiserat, celebratum, de libertatibus prædictis & aliis ecclesiasticis negotiis ordinatum extitisset. Attento denique quod occasione hujusmodi dispositionum beneficiorum impeditur pax desiderata & unio; & præsens schisma horrendum antiquatur, continuatur, & altius radicatur. Et sicut aliqui deliberando proponebant tantis malis, tantis scandalis, tantis denique extorsionibus, summo studio summaque diligentia attentis præmissis obviandum erat: in quibus agendis & exequendis, ut dicebant, non fieret domino nostro papæ prædicto aliqualis injuria, injustitia aut molestia: immo ordinariis quod suum est redderetur, & piæ fundatorum Ecclesiarum intentiones servarentur. Demum quia de limitatione circa præmissa adhibenda inter aliquos deliberantes quæstio versabatur, idcirco ut res prius securior, salubrior, & majoris roboris & firmitatis ac sine scrupulo & reprehensione existeret, fuit per probatissimos & solemnissimos viros, ut dicebat idem dominus patriarcha, quædam ad-

A visata & confecta cedula quam ipse in eodem concilio publicè & intelligenter legi fecit in hæc verba: « Super reductione Ecclesiæ Gallicanæ ad libertatem, quantum ad electiones prælatorum & collationes beneficiorum per ordinarios & alios ad quos spectat de jure vel consuetudine, & præsentationem patronorum, videtur regi consulendum & per ipsum ordinandum quòd stante schismate papa nulla beneficia conferat in isto regno & Delphinatu Vien-B nensi, nec prælaturas aut dignitates: immo fiant prælati per electiones in forma juris: & in ordine Cisterciensi & aliis religionibus exemtis modo quo est in dictis religionibus fieri solitum; & beneficia conferantur per ordinarios & illos ad quos spectat de jure & consuetudine. Et ista reductio intelligitur fore perpetua, etiam schismate cessante, beneficiis illorum exceptis qui in curia morientur: dum tamen per generale concilium Ecclesiæ aliter non fuerit ordinatum, cujus ordinationi se submittit dictorum regni C ac Delphinatus Ecclesia. » Qua quidem lecta cedula, auditaque publicè & intellecta, die quarta qua supra, petiit iterato dominus reverendissimus pater dominus patriarcha fideliter per ipsos dominos prælatos & ceteros viros ecclesiasticos, tunc grandi numero & solemniter congregatos, deliberari an consulendum regi domino nostro supplicandumque & requirendum esset, quatenus ecclesiam suorum regni & Delphinatus in libertate sua, quemadmodum in dicta continetur cedula, teneret & conservaret. Qui quidem domini prælati & ceteri mandati congregati D super hoc deliberare requisiti, omnes indifferenter, singulariter, & successivè; unus post alium, paucissimis tamen discrepantibus, dixerunt & responderunt contenta in ipsa cedula; attentis multis juribus, causis, & rationibus; sæpissime per varios in eodem concilio allegatis & ostensis rationabilia esse, justa, necessaria, & æqua, & per ipsos regi domino nostro consulenda, & per eumdem facienda & exequenda & ad plenum effectum deducenda: cui consulunt, & humiliter ac devotè supplicant & requirunt, supplicareque, consulere, & requirere E volunt de facto & intendunt, ut præmissa faciat, ordinet, & exequatur, seu ordinari & exequi faciat competenter, & eo modo quo superius expressum est. Quippe super hoc suas patentes litteras omnibus concedere, quibus opus erit, dignetur pro præmissis. De & super quibus omnibus & singulis præmissis præfatus dominus patriarcha, & alii quamplures ibidem existentes petierunt à nobis notariis publicis subscriptis publicum fieri instrumentum, unum vel F plura. Acta fuerunt hæc Parisius in aula prædicta, anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis, præsentibus reverendissimis in Christo patribus dominis Remensi, Bituricensi, Turonensi, Senonensi, Rotomagensi, & Tolosano archiepiscopis; Lexoviensi, Laudunensi, Belvacensi, Abrincensi, Xantonensi, Aurelianensi, Noviomensi, Nannetensi, Eboracensi, Morinensi, Petracoricensi, Trouanensi, Meldensi, Ruthinensi, Lombericensi, * Termensi, Eduensi,

* Trecensi.

Eduensi, Nivernensi, Catalaunensi, Cabilonensi & Caturcensi episcopis; S. Benigni de Divione Lingonensis, Cisterciensis Cabilonensis, Clarevallis Lingonensis, Montis S. Michaëlis Abrincensis, S. Maxentii Pictaviensis diœcesum, de Gemmeticis, Sanctorum Remigii Remensis, Petri in Valleya Carnotensis, Germani de Pratis & Victoris prope Parisius abbatibus, decanis Remensi & Rotomagensi, dominis Guillelmo Bofratia, Johanne de Masticone, Gerardo Bagouli, Johanne de Tegula, tam in jure canonico quàm civili doctoribus, Johanne *Mauchon* & Johanne Luqueti, sacræ Theologiæ professoribus, nec non Gauffrido de *Pompadox* & Rampnulpho de Perusia, regis consiliariis, cum quamplurimis aliis prælatis & viris ecclesiasticis testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

SEQUITUR ADDITIO SEU declaratio, quæ postmodum facta fuit per prælatos & concilium prædictum super materia dicti instrumenti: super qua declaratione etiam factum fuit publicum instrumentum; in quo clausula continens dictam declarationem ponitur, prout infra scribitur, de verbo ad verbum, & est talis, & est ad finem suprascripti instrumenti immediatè adjungenda:

VErùm quia dicebatur inter aliquos; quòd attento quòd circa hoc concilium principaliter intendebat, quòd Ecclesia regni & Delphinatus prædictorum reduceretur, conservaretur & manuteneretur in sua libertate & observantia antiqua, nec erat intentionis quòd fieret aliqua nova ordinatio super istis, quodque si foret aliqua ordinatio facienda, fieri per regem principaliter non deberet, convenientius videbatur quod in serie prædicti instrumenti non ponerentur ista verba, Per regem ordinandum, & similia in dicto instrumento contenta, quæ formam novæ ordinationis sonare videbantur. Dicebatur ulteriùs inter multos quòd verba super prædicta reductione ad libertatem, exprimentia deliberationem dicti concilii, quæ in dicto instrumento continentur, erant luculentius declaranda sive mutanda: quare ab omnibus ibidem existentibus petebat & requirebat idem dominus Patriarcha, quòd super istis suas intentiones plenius & planius declararent & deliberarent. Super quibus dicti domini archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, deputati, & procuratores antedicti super deliberatione præmissorum deliberare requisiti, prout supra singulariter, sigillatim, successivè, voce alta & intelligibili in dicti concilii præsentia suas intentiones declarando & in hoc stando dixerunt, declaraverunt, & publicè responderunt, ita quod omnium deliberantium voce, numero, & personis veraciter comparatis & numeraliter computatis, apparere potuit omnibus, & nobis notariis apparuit evidenter dictos dominos archiepiscopos, episcopos, abbates, deputatos & procuratores omnes pro majori parte decuplo opinionis publice extitisse & existere, quòd bonum est, conveniens, rationabile & honestum; sicut per multas rationes & jura ibidem fuit diversis & pluribus diebus ostensum, & suas intentiones circa hoc declarando dicebant ita esse faciendum, declarabantque & determinabant, declarant & determinant, quòd de cetero Ecclesia Gallicana & Delphinatus universaliter & particulariter in se & suis membris reducatur, teneatur, & regatur secundùm suam libertatem & observantiam antiquam, quantum ad hoc quod de cetero, sicut volunt statuta conciliorum generalium, & decreta sanctorum patrum, fiant prælati per electiones capitulorum, conventuum, & collegiorum; & confirmationes per illos ad quos de jure, privilegio, aut consuetudine spectat; & similiter præsentationes per patronos; cessantibus & retectis omnino, ac non obstantibus quibuscumque & quorumcumque reservationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus, aut gratiis, etiam cum decreti appositione ex parte papæ vel ejus auctoritate factis aut fiendis; seu concessis aut concedendis; quousque per concilium generale canonicè celebrandum aliud fuerit ordinatum. Ad cujus concilii ordinationem dicta Ecclesia Gallicana & Delphinatus se submittit, volueruntque supplicare & instanter requirere, supplicantque domino nostro regi, & instanter requirunt, quatenus ecclesiam prædictam suorum regni & Delphinatus in hujusmodi reductione, observantia antiqua, & libertate manutenere, quantum in ipso est, velit & dignetur, ac etiam defendere & tueri, & super hoc litteras suas opportunas & patentes concedere cuique petenti. Et ista sunt quæ circa hoc deliberaverunt prælati & clerus antedicti: ceteris in dicto instrumento expressatis in suo robore duraturis, de & super quibus omnibus & singulis præfatus reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus SYMON miseratione divina patriarcha Alexandrinus, & quamplures alii prælati & viri ecclesiastici petierunt à nobis notariis publicis subscriptis fieri unum vel plura publicum seu publica instrumenta. Acta fuerunt hæc in aula, &c. Anno MCCCCVI. die XII. Januarii.

LITTERA REGIS SUPER LIBERTATE Ecclesiæ Gallicanæ & Delphinatus quoad provisiones in dignitatibus & beneficiis faciendas.

CArolus, &c. notum facimus quod cum nuper in præsentia principum nostræ prosapiæ, &c. *habetur inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ p.* 434.

LITTERA REGIS SUPER LIBERTATE ecclesiarum regni & Delphinatus quoad exactiones, annatas & gravamina per papam imposita.

CArolus, &c. Si dotare vel ditari, &c. *Extat ibid. p.* 432.

Executio duarum litterarum suprascriptarum, scilicet de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ circa collationem beneficiorum & circa gravamina per Romanos pontifices imposita fuit suspensa usque ad dominicam primam quadragesimæ anni ccccvii. Et iterum ab illo termino dominicæ primæ quadragesimæ fuit executio adhuc suspensa, & hujusmodi dilatio prorogata sub specie boni usque ad ascensionem Domini anni mccccviii. Tandem postea die Martis proxima ante ascensionem Domini, de qua supra, dictæ duæ litteræ fuerunt publicatæ auctoritate regis ad prosecutionem Universitatis Parisiensis & demandatæ executioni: quæ quidem dies Martis fuit dies xv. Maii anni ccccviii.

DELIBERATIO ET CONCLUSIO habita per prælatos super facto unionis Ecclesiæ in concilio Parisius congregato, anno ccccvi.

Anno 1406 *Ex ms. Gemmeticensi.*

Sequuntur illa quæ per prælatos & alios viros doctissimos Ecclesiam regni Franciæ & Delphinatus facientes & merito repræsentantes, auctoritate regia Parisius ad proximè lapsum omnium sanctorum festum super facto unionis sanctæ matris Ecclesiæ convocatos solemniter pro extirpatione præsentis nefandissimique schismatis deliberata sunt & conclusa.

I. Et primò regratiabantur Deo & B. Virgini Mariæ, totique curiæ supernorum de bona dispositione, in qua videntur esse illi qui se dicunt cardinales in Roma & præsidens inter eos, prout ex tenore instrumenti confecti per eos dicitur apparere.

II. Item, videtur quòd dominus Benedictus ex nunc purè, simpliciter, clarè & sine ambiguitate verborum per bullas & alias in forma publica debet offerre viam cessionis & renunciationis, & eam effectualiter adimplere.

III. Item, quòd ambobus renunciantibus de securitate status & redituum amplitudine providendum est.

IV. Item, quòd pro renunciatione ista actuali facienda, & celebranda electione indubitati summi omnium fidelium pontificis, dominus Benedictus & domini cardinales debent se actualiter & sine dilatione præparare ad conveniendum, quàm primum fieri poterit, cum adversario & anticardinalibus de Roma in certo loco ad ipsam renunciationem & futuri pontificis electionem effectualiter pratticandas.


V. Item, licet dominus Benedictus viam cessionis pro pace Ecclesiæ consequenda usque ad præsens non satis clarè obtulerit, vel oblatam & juratam minùs diligenter extiterit prosequutus, propter quod Universitas Parisiensis & nonnulli alii de obedientia sua eumdem reputarunt schismaticum & de hæresi vehementer suspectum: si tamen ipse dominus Benedictus saniori spiritu provocatus ipsam cessionem modo præmisso obtulerit, & oblatam perduxerit ad effectum, sic quod desiderata unio in Dei Ecclesia consequatur: hoc casu idem dominus Benedictus de recusatione vel negligentia supradictis habetur & habebitur sufficienter excusatus.

VI. Item, si, quod absit, idem dominus Benedictus in profundum malorum veniens cessionem purè & simpliciter differat offerre, & effectualiter adimplere; in hoc casu reputant eum dicti prælati solemniter congregati membrum putridum, horribile, & præcisum ab Ecclesia sancta Dei, schismaticumque, & pertinacem, & de hæresi vehementer suspectum, & ex nunc prout ex tunc ab ejus obedientia dicunt esse recedendum, & recedunt. Quo casu, nulla majori dilatione expectata, debent & possunt cardinales cum illis de Roma personaliter convenire, & cessione adimpleta per eum qui se Gregorium nominat, ad electionem unici & indubitati pontificis cum anticardinalibus partis adversæ procedere & paci fidelium salubriter providere.

VII. Item, in casu præmisso si cardinales cum domino Benedicto voluerint remanere, eo casu sic adhærentes tamquam fautores pravitatis schismaticæ ab Ecclesia & dignitate statuunt sunt abjecti, suisque sunt beneficiis in regno & ubique ipso jure privati, & ipsorum beneficia per ordinarios conferenda, jusque eligendi ad alios dominos cardinales, qui in veritate & justitia nobiscum remanserint, devolutum.

VIII. Si autem diabolo procurante contingeret omnes dominos cardinales domino Benedicto casu præmisso adhærere; & per hoc recusare, & differre conventionem cum illis de Roma; eo casu conveniendi essent regnorum hujus obedientiæ vel majoris ipsius partis nuncii specialiter deputati, qui sufficientibus auctoritate & potestate fungerentur, quique ecclesiam hujus obedientiæ sufficienter repræsentare valerent, possentque pro obedientia nostra & regnorum ecclesiis cum illis de Roma tractare & concordare de electione unius summi pontificis, & omnia facere quæ ad unionem Ecclesiæ erunt oportuna & necessaria, essetque sic electo à cunctis fidelibus obedientia facienda tamquam vicario Jesu-Christi.

IX. Item, eodem casu, etsi de aliis regnis non convenirent nuncii, esset nihilominus in eorum contumaciam ad pacem ecclesiæ per deputatos Ecclesiæ Gallicanæ cum illis de Roma modo præmisso actualiter procedendum. De & super quibus omnibus & singulis, &c. Actum anno ccccvi. die xxi. Januarii.



(a) CAPITULA (a) ACCORDATA in Massilia, anno Domini CCCCVII. die XXI. Aprilis inter dominum BENEDICTUM ex una parte, & duos episcopos Montonensem & Tudertinum & quemdam doctorem nomine Antonium de Butrio legatos domini GREGORII, ab eo & suis cardinalibus habentes potestatem & mandatum, ex alia parte tangentia modum procedendi ad unionem Ecclesiæ consequendam.

Anno 1407 Ex ms. Gemmeticensi.

I. IN primis quòd ambo domini supradicti & etiam collegia sua debeant & teneantur convenire personaliter in civitate Saonæ pro unione Ecclesiæ sanctæ exequenda, & cum Dei adjutorio obtinenda: in quem locum ambæ ipsæ partes propter singularem confidentiam quam gerunt in serenissimo principe domino rege Francorum, sub cujus dominio est, & propter commoditates in eo huic actui magis concurrentes, factis aliorum locorum discussionibus, unanimiter concordarunt.

II. Item, quòd ambo domini supradicti & etiam collegia sua in dicta civitate Saonæ personaliter convenire debeant, & ibi personaliter sint in festo B. Michaelis in fine Septembris proximè sequuturi, salvo, nisi propter impedimenta navigiorum ipse dominus in Urbe residens impediretur, quo casu debeant adesse in festo omnium Sanctorum tunc proximè sequenti. Qui quidem dominus in Urbe residens, si dicta prorogatione uti voluerit, debeat hoc notificasse alteri domino in Massilia pronunc residenti per totum mensem Julii proximè sequentem.

III. Item, quòd quilibet ex prædictis duobus dominis debeat ibi convenire cum octo galeis tantum armatis, ut est consuetum, nisi de septem vel sex dominus in Urbe residens contentaretur: quo casu teneatur notificare infra dictum mensem Julii proximè sequentem dicto domino in Massilia residenti.

IV. Item, quilibet ex prædictis duobus dominis alteri eorum vicissim debeat jurare plenam securitatem sibi & suis de non offendendo aut damnificando, seu in aliquo lædendo de se vel suis, immo de deffendendo & conservando, & manifestando lædere volentes durante dicta conventione eundo vel redeundo per se vel alium, directè vel indirectè, tacitè vel expressè; & similiter jurare debeat quilibet de collegio utriusque partis; & eodem modo jurare debeant familiares utriusque prædictorum duorum, & familiares cujusque cardinalium utriusque partis in manibus per ambos prædictos dominos deputandorum. Quod quidem juramentum in dicta forma prædicti duo domini principales unus alteri, & alter alteri præstitum intimare debeat per suas litteras more consueto bullatas per totum mensem Augusti proximè secuturum. Et similiter domini utriusque collegii idem juramentum præstabunt, & præstitisse intimabunt per suas litteras vicissim infra dictum terminum. Alii verò utriusque partis jurare debeant in introitu civitatis prædictæ Saonæ.

(a) Extant hæc capitula apud Odoricum Raynaldum & apud Theodoricum de Nihem, sed abbreviata.

V. Item, quòd ab utraque parte fiant duo capitanei maris, unus pro qualibet parte, qui se obligent invicem, & prædictis ambobus dominis per omnia juramentum præstent, & alia faciant, ut in octavo capitulo de capitaneis civitatis continetur.

B VI. Item, quòd obtineatur à serenissimo principe domino rege Franciæ, & gubernatore Januæ, civibus & comitatibus, ac aliis quibuscumque ad quos spectet, quòd totale dominium, juridictio, merum & mixtum imperium dictæ civitatis Saonæ & castrorum in ea existentium, cum ipsorum libera traditione sit in manibus utriusque prædictorum duorum dominorum nomine Ecclesiæ æqualiter, absolutis castellanis & vassallis à quocumque juramento, obedientia, fidelitate, homagiis, & obligationibus aliis debitis, & illa præstare debeant dictis duobus dominis & deputandis per eos nomine Ecclesiæ pro tempore quo ibi fuerint pro dicto negotio expediendo, datis cautionibus per ambos ipsos dominos de restituendo ipsam civitatem & castra in eo statu quo fuerint assignata. Prædictis autem duobus dominis præsidere desinentibus, fiat de dominio & juridictione dictæ civitatis Saonæ & castrorum ipsius quod per dictos duos dominos cum ambobus collegiis per prius extiterit ordinatum.

D VII. Item, quòd omnes cives civitatis Saonæ, vel saltem majores nomine Universitatis & proprio, & in illo numero de quo dictis duobus dominis vel suis procuratoribus videbitur, teneantur præstare juramentum prout in quarto capitulo & forma fidelitatis continetur; & similiter facere jurare omnes comitativos & districtuales suos per sindicum, qui etiam se obligent solemniter in casu quo contra venerint, se & omnia bona sua ubicumque existentia tam Universitatis, quàm singulorum vel singularum personarum dictæ civitatis, villarum & locorum ipsius, se & bona hujusmodi submittentes jurisdictionibus & cohercionibus regum & dominorum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium, ubi dicta bona consistent; & quod hîc possit dictari & extendi cum clausulis opportunis.

VIII. Item, quòd eligantur duo à prædictis duobus dominis, unus pro quolibet, qui debeat regere custodiam civitatis, jurisdictionem, & omne imperium pro prædictis duobus dominis, juxta commissionem per ipsos ambos dominos eis fiendam; qui etiam sint præsidentes & capitanei gentium armorum, & præeminentes ad expedienda omnia incumbentia pro negotio liberius expediendo: qui primò invicem debeant se confœderare, & confraternitatem juramentis contrahere, sese invicem alterum ibidem obligando & colligando ad custodiam, securitatem, & defensionem dictarum partium. Quod etiam debeant eligi milites aut alii nobiles, quantum fieri poterit æqualis, conditionis. Eis autem sic confœderatis simul & ligatis ad

dictum finem, debeant utique dictorum duorum dominorum pro se & suis præstare plenissimum juramentum, homagium, fidelitatem & obligationes, in plenissima forma, prout in quarto capitulo & in forma fidelitatis continetur. Et insuper jurabunt dictis collegiis securitatem, & protectionem personarum ipsorum & suorum, & quilibet dictorum duorum capitaneorum pro prædictis fideliter servandis & adimplendis debeant dare obsides idoneos & competentes, ita quòd electus ab uno ex dictis duobus dominis det obsides in æquali numero in potestate alterius domini ad voluntatem dictorum duorum dominorum, & advisetur quòd capitanei ducant secum filios si habent, aut quòd nepotes, fratres, aut alios attinentes aut amicos ad dandum eos obsides.

IX. Item, quòd ab utroque dictorum duorum dominorum fiat unum edictum & statutum latæ sententiæ, in quo imponantur pœnæ excommunicationum & interdicti & inhabilitationum ad beneficia, dignitates, & honores tam ecclesiasticos quàm sæculares, privationum ab omnibus dignitatibus, feudis, vassallis, & quibuscumque juribus in plenissima forma juris, in casu quo dicti capitanei, vel alia quævis persona cujuscumque dignitatis, status, gradus, seu conditionis existat, offenderent in persona malitiosè aliquem ex prædictis duobus dominis, vel ex dominis utriusque collegii.

X. Item, quòd quilibet ex prædictis duobus dominis debeat secum ducere ducentos homines armorum, qui intrent civitatem sine equis cum totidem faleris, & centum balistarios, quantum fieri poterit, honestos & fidatos, per quemlibet dictorum duorum dominorum eligendos, pro custodia & defensione dictarum partium, qui debeant præstare juramentum similiter ut in quarto & octavo capitulis continetur. Et hi debeant subesse capitaneis ab utraque parte electis, & in manibus utriusque etiam jurare, & aliquo ipsorum capitaneorum deficiente vel impedito aut remoto, ponatur per ipsius dominum alter ejusdem, quantum fieri poterit, conditionis, qui eamdem in omnibus potestatem & jurisdictionem exerceat, & simile juramentum & securitatem præstet; & ambo ipsi capitanei potestatem vel potestates & alios officiales, quos & unde & prout voluerint, ponant qui simile juramentum præstent & fidelitatem.

XI. Item, quòd portus galearum dividatur æqualiter, ut fieri poterit, prout videbitur capitaneis maris pro securitate & tranquillitate fiendum.

XII. Item, quòd ab utraque parte eligantur duæ personæ, quæ habeant dividere civitatem in duas partes, quantum poterunt, æqualiter, uno castro cum parte civitatis cuilibet parti assignato.

XIII. Item, quòd prædicti capitanei civitatis habeant ordinare custodias, & habeant claves portarum, quas habeant custodire æqualiter quantum fieri poterit, & de omnibus aliis ordinare & disponere, quæ erunt ad custodiam & regimen civitatis & securitatem dictorum duorum dominorum & collegiorum ac secum venientium juxta commissionem eis per dictos duos dominos faciendam, & quòd dicti capitanei provideant quòd nullus, cujuscumque dignitatis, status & conditionis aut præeminentiæ sit, sine bulleta dictorum duorum capitaneorum civitatem ingrediatur, neque aliqua arma introducat, vel per civitatem portet, exceptis armigeris & balistariis prædictis, & quòd omnia arma civitatis tam offendibilia quàm defensibilia ponantur sub debita custodia & inventario in dictis castris æqualiter, vel alibi, prout videbitur dictis duobus capitaneis.

XIV. Item, quòd circa divisionem & assignationem domorum, & taxationem pretii ipsarum domorum & omnium victualium, circa etiam libertatem gabellarum & onerum, & de novo non imponendorum, nec augmentandorum, & de libertate rerum intromittendarum, & aliis similibus, serventur & de novo obligentur per omnia, prout aliàs factum fuit, quando ibi fuit curia præfati domini in Massilia residentis, aliquibus etiam additis, si capitaneis videatur, sine quorum vel aliorum eligendorum per eos licentia, nullus possit domum recipere vel conducere in dicta civitate & suburbiis ipsius civitatis & aliis locis ab ipsis capitaneis ordinandis, & quòd teneantur cives & alii illas locare quæ placuerunt dictis capitaneis cum condecenti pretio. Et si super prædictis vel similibus esset vel oriretur aliqua dubietas, eligantur duo per præfatos capitaneos pro parte dictorum duorum nostrorum, & duo per cives Saonenses pro parte sua, qui habeant omne dubium declarare & concordare. Et in casu quod ipsi sic electi non concordarent, addatur per ipsos quatuor electos unus quintus, & postea stetur determinationi majoris partis ipsorum.

XV. Item, quòd quilibet ex prædictis duobus dominis introducant in civitatem pro servitio suo centum familiares tantum, & camerarium, & duos protonotarios, & viginti quinque prælatos, & duodecim doctores in jure, & duodecim magistros in theologia, ita quòd quilibet prælatus habeat, videlicet camerarius quilibet duodecim, protonotarius quilibet sex, thesaurarius quilibet sex, archiepiscopus quilibet quinque, episcopus quatuor, abbas tres, doctor autem & magister duos familiares: & id servetur de ambaxiatoribus, si venerint, secundùm status prædictos: & comites archiepiscopis, barones episcopis, milites abbatibus, & ceteros magistris & doctoribus * cooperando. *f. Comparando, vel coæquando.

XVI. Item, quòd quilibet cardinalis introducat in civitatem viginti familiares tantùm, & nullus equitaturam ponat in civitate, nisi pro personis dictorum duorum dominorum, & pro personis dumtaxat duorum utriusque collegii & utriusque camerarii & dictorum capitaneorum.

XVII. Item, quòd obtineatur à domino gubernatore Januæ quòd faciat pacem & concordiam cum Venetis, vel saltem ponat simpliciter totam quæstionem ipsorum in posse & ordinatione dictorum duorum dominorum, idem

dominis Venetis facientibus, vel ultimò, si A
aliud obtineri non posset, det sufficientes securitates & obligationes super omnimoda securitate omnium Venetorum, veniendo, stando; & redeundo, & similiter fiat in omnibus per communitates Venetorum & Januensium. Circa autem securitatem dandam per dictum dominum gubernatorem dictis dominis & utrique parti, servetur forma quæ fuit servata quando curia ibi fuit dicti domini in Massilia residentis, prout præsenti negotio magis & melius adaptatur, scilicet quòd dominus gubernator B
ipse in persona sua sub juramento, & fide sua, & militari ipsius nobilitate & cives Januæ scilicet   & officium provisorum, & alii majores de civitate in numero quadricentarum personarum per se aut syndicum promittant & jurent tam nomine proprio quàm civitatis nomine, securitatem promittentes utrisque dominis vel suis procuratoribus eorum nomine vel quorum interest recipientibus, quòd recipiet eos vel quemlibet ipsorum insimul & divisim cum collegiis, curialibus, & gentibus C
suis quibuscumque infra suas civitates, & castra, loca, littora, portus, & districtus quoscumque tam per mare quàm per terram, etiam cum gentibus armorum in numero quod dictum est supra & infra, quodque fideliter custodient, protegent & defendent prædictos & quemlibet ipsorum & quoscumque alios occasione venientes, & bona sua contra omnes personas cujuscumque gradus, status, præeminentiæ, sive conditionis existant, etiam cives, gentes, & quoslibet districtuales aut subditos communitatis Venetorum cum dictis dominis, aut altero eo- D
rum cum galeis & alias secum vel sine eis quovis modo ad dictum negotium attendentes, ac præservabunt eos omnes, etiam Venetos, non obstante differentia inter eos & dictum dominum gubernatorem & commune Januæ nunc subsistente, vel alia quacumque causa; & salvabunt & salvari facient illæsos in personis & in bonis ab omni molestia sui vel aliorum tam in accessu quàm in recessu, & quamdiu ibi steterint vel transiverint, durante dicta conventione, exeundo ac eundo ab eadem, & quod majores E
de civitate Januæ, vel sindicus, vel alii qui possunt cives singulos & civitatem obligare, laudent & approbent omnia prædicta, quantum eos tangit; & pro ipsis tenendis, servandis & complendis obligent solemniter in casu quod contravenerint, se & bona tam universitatis quàm singularum personarum dictæ civitatis, villarum, & locorum ipsius, se & bona hujusmodi submittentes jurisdictionibus & coercionibus regum & dominorum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium ubi dicta bona consi- F
stent, & hoc possit dictari & extendi cum clausulis opportunis.

XVIII. Item, circa receptionem, protectionem, securitatem, & descriptionem dictorum duorum dominorum, ipsorum collegiorum, vel alterius ipsorum, aut eorum curiæ, seu familiæ: circa etiam securitatem & libertatem itinerum quorumcumque ad dictos duos dominos, vel eorum quemlibet venientium, stantium, & redeuntium tam per mare quàm per terram: circa insuper libertatem gabellarum aut aliorum onerum aut de novo non imponendorum seu augmentandorum, & rerum omnium liberè venientium & aliis omnibus obtineatur à dicto domino gubernatore & civitate & communitate Januensi, & aliis ad quos spectat quidquid conventum & concordatum fuit quando curia dicti domini in Massilia residentis ibidem fuit: scilicet quoad securitatem viarum & itinerum tam per mare quàm per terram provideatur per dominum gubernatorem, ancianos, & consilium provisionum Januæ, prout ad ipsos & quemlibet ipsorum spectabit & spectet, quòd viæ & itinera tam maris quàm terræ, & portus sint secura, ut prædicti domini, collegia, curiales, & omnes ipsos sequentes, vel pro dicta causa accedentes, cum omnibus bonis & rebus suis possint liberè transire eundo, stando, & redeundo à dicta civitate Saonæ, tam per Januam, quàm per Ripariam, comitatum & districtum suum absque perturbatione, molestia aut impedimento quocumque vel quorumcumque. Circa gabellas autem id facere debeant, ut dictus dominus gubernator & civitas Januæ pro se & tota Riparia, comitatu, & districtu, quod scriptum est supra in XIIII. capitulo fieri debere per Saonenses & ab eisdem domino gubernatore, civitate & comitatu Januensi obtineatur quòd dictis dominis duobus venientibus, stantibus, & recedentibus à dicto loco, nulla galea in dicta Riparia Januæ arrivetur, nisi de prædictorum duorum dominorum expresso consensu, galea gardiæ dumtaxat excepta.

XIX. Item, quòd obtineatur à prædictis quòd gentes Galliæ & alia navigia dictarum duarum partium, possint liberè & securè venire, & stare, & redire, in quocumque portu sub dominio dicti domini gubernatoris aut Communis Januæ.

XX. Item, quòd castra quæ sunt de obedientia prædicti domini in Massilia residentis, inter Senam & Saonam ponantur pro dicto tempore sub custodia, dominio, & regimine dictorum duorum dominorum, datis per ambas partes dominis dictorum castrorum sufficientibus cautionibus & securitatibus de restituendo eadem & in eodem statu in quo fuerunt consignata, & assignentur ad usum partis dicti domini in Urbe residentis propter iter & viam Senæ.

XXI. Item, quod à dominis castrorum Ripariæ tenentibus ingressus & passus patriæ, habeatur debita securitas de transeundo, stando, & recedendo, defendendo, & protegendo, & non permittendo quòd ab aliquo violentia aut damnum fieri possit.

XXII. Item, inhibeatur cum proclamatione & gravi pœna, quòd nullus audeat antipapam, vel intrusum, vel anticardinalem, vel antiarchiepiscopum, vel antiepiscopum, & sic de aliis nominare: sed quilibet sit liber in vocando papam vel cardinales quo modo voluerit.

XXIII. Item, ut in omni eventu cautus & firmus locus, in quo dicta conventio fieri de-

beat, habeatur absque alia dilatione, sed si ratione pestis, vel quovis alio interveniente casu legitimo de discedendo à dicta civitate, ab utraque parte fuerit concorditer deliberatum, seu prædictæ conditiones, videlicet de securitatibus dandis per gubernatorem & communitatem Januæ ambabus curiis & Venetis de dominio Saonæ habendo, ac de divisione civitatis & castrorum ipsius civitatis non fuerint adimpletæ, præfatus dominus in Massilia residens & suum collegium acceptare teneantur unum de locis sibi oblatis per præfatos reverendos patres dominos nuncios & oratores dicti domini in Urbe residentis, & in eodem loco cum prædicto domino in Urbe residenti & suo collegio ad sanctissimam unionem Ecclesiæ perficiendam debeant personaliter convenire, datis consimilibus securitatibus & commoditatibus & aliis secundùm dispositionem loci necessariis. Acta fuerunt hæc Massiliæ apud monasterium S. Victoris in camera assueta parlamenti residentiæ anno CCCCVII. die XXI. Aprilis.

EPISTOLA REGIS ORATORUM ad Benedictum missorum, ac ejusdem oratoris ad Gregorium XII.

Anno 1407 Ex r. s. Coislini. no.

Reverendis in Christo patribus ac dominis Patriarchæ Alexandrino, P. Belvacensi, P. Meldensi, P. Cameracensi, G. Ebroicensi episcopis & N. *de Colleville* militi, ceterisque presbyteris carissimis & magistris ambassiatoribus domini regis.

Reverendi patres & domini præcarissimi, omni præmisso recommendationis & prosperitatis affectu, scire placeat, quod postquam recessimus à vobis, deduximus per operam cum diligentia quantum potuimus apud dominum nostrum papam & dominos cardinales, ut haberemus conclusionem & responsum de supplicationibus & requestis eis factis super provisionibus in casu mortis, &c. De qua quidem cedula dicti domini cardinales pro majori parte non fuerunt contenti, & recesserunt ab eo illa die discordes in multis, prout notatum videre poteritis in tenore dictæ cedulæ, quam vobis mittimus, & quam dictus dominus noster dedit nobis die Jovis sequente de mane, qua die in vesperis fuimus cum dominis cardinalibus, & die Veneris sequenti de mane & de sero fuerunt congregati super hoc, & misit ad nos dominus noster papa suum archiepiscopum Tholosanum, & episcopum Ilerdensem & dominum de Montegaudio & magistrum Nicolaum *Ledur* misit ad nos ad ostendendum dominis cardinalibus & nobis causas, rationes & motiva, quæ ipsum movebant ad repellendum additiones, correctiones & declarationes quas domini cardinales petebant fieri in dicta cedula, & super hoc in præsentia dictorum dominorum cardinalium & nostra & dictorum de Montegaudio & *Ledur* dictus dominus Tholosanus multa dixit & proposuit ex parte dicti domini nostri, quæ longa essent scribere vel narrare, & finaliter domini cardinales habita per eos deliberatione respondere fecerunt per dominum Albanensem, qui multum solemniter ut obligaverant respondit ad ea quæ dixerat dictus dominus Tholosanus, repellendo curialiter rationes & motiva quæ dixerat, & secundum intentionem dictorum dominorum cardinalium. Et post ad testimonium perhibendum de his quæ dixerant vel responderant petierunt instrumentum vel instrumenta sibi fieri per dominum vicecancellarium, quem dicebant primum prothonotariorum papæ, & fuit hoc die Veneris tertia Junii de mane in domo domini cardinalis Saluciarum, & illa die in vesperis fuerunt iterum congregati in domo domini Albanensis, & ibi post longum consilium fecerunt nos venire ad eos, & semper justificando & corroborando motiva sua, excusarunt se curialiter & rogaverunt nos, quod ipsos excusaremus, quod non poterant secundum eorum conscientias aliud facere protunc in negotio nostro, & erant aliqui qui erant artati recedere versus Avenionem ad disponendum de negotiis suis; & jam ipsa die de mane recesserat dominus * Panusterius, & ulterius certificaverunt nos dicti domini cardinales, quod ipsi sunt intentionis omnino firmatæ, quod post cessum vel decessum amborum contendentium vel alterius ipsorum, ipsi convenirent cum alio collegio cum magna diligentia ad propositum unionis faciendæ, & super hoc sunt parati dare nobis suas litteras, & sic se facturos infallibiliter, & hoc etiam prosequemur & procurabimus. Quibus auditis, regratiati fuimus eis de bona affectione, & supplicavimus quod adhuc illi qui renunciarent, vellent prosequi, & nos cum eis instaremus apud dominum nostrum papam, quod super punctis de quibus erat discordia reperirentur media bona concordiæ. Et hoc satis placuit eis; sed in crastinum de mane recesserunt domini Albanensis & de Thureyo, & dominus Valentinus pro illa die vocaverat nos ad prandium, & post prandium dixit nobis multa bene pertinentia ad propositum, & voluit quod adiremus dominum nostrum papam, ut cum eo conferat, & tractaremus cum aliquibus de suis de aliqua bona media concordiæ, & ita fecimus. Et illa die sabbati in vesperis fuimus ad dominum nostrum papam, qui post aliquas justificationes suæ opinionis & intentionis verbo nobis expositas, deputavit ad tractandum nobiscum dominum Ilerdensem episcopum, & dominum Franciscum *d'Aranche*, cum quibus tractavimus & appunctavimus aliqualiter per dominos cardinales domino nostro in primo puncto discordiæ, & ut tollerentur verba ipsius quòd volebant & addebant in scedula, & quod dominus noster differret eis in adjectionis pœnarum moderatione, quas volebat dictis cardinalibus apponere, & sufficeret juramentum ipsorum cum interpretatione decreti papæ; & quia dicti domini cardinales multum moleste ferebant, quod ipse uteretur verbo *privationis*, licet ad tempus in jure eligendi papam, quod de jure spectat ad eos, appunctavimus quod verba substituerentur, & loco illorum poneretur quod jus eligendi remaneret dumtaxat apud illos qui convenirent ad locum,

* f. Prænestinus.

ut darent operam debitam ad faciendum electionem unici & indubitati papæ, exclusis aliis, qui necessariè vel voluntariè absentes essent, prout plenius videre & intelligere poteritis per textum dictæ cedulæ in §. *ceterum, &c.* Nullum medium concordiæ reperire potuimus, nisi supplicamus domino nostro quod de dicta cedula faceret duas partes & duas bullas, in prima usque ad dictum §: *ceterum* faceret constitutionem de consilio & consensu fratrum suorum dominorum cardinalium, & postquam concordare nolebant nec poterant, ut dicebant in dicto ultimo articulo, nisi nominaret eis personas quibus volebat eis negotium committere; quas tamen nullatenus nominare volebat pro nunc propter multas causas & rationes quas de præsenti prolatare sibi non videbatur expediens. Quoad illam partem faceret aliam bullam prout sibi copiam authenticam; quam etiam semper offerebat & obtulit tacitis hominibus commissariorum, ut supra. Et dicebant quod bullam de dicta commissione cum hominibus poneret, & dimitteret nunciis tutis & securis pluribus & unam in palatio apostolico Avenionensi, ubi possent reperiri & haberi, si & quando opus esset. Et hæc sunt quæ fecimus & facere potuimus usque ad diem istam qua audivimus dictos dominos Illerdensem & Franciscum; & responso super appunctamentis per nos facto ut supra; videlicet die Sabbati quarta Junii, in vesperis die IV. Junii die Dominica de mane & de sero, & die Lunæ de mane fuit nobis dictum per episcopum Illerdensem quod papa fuerat, prout erat revera, impeditus propter dolorem dentium; quem patiebatur vehementissime; & quod non veniremus ulterius super hoc donec mandaretur nobis, ut sic deliberavimus cum novis istis mittere equitatorem præsentium portitorem, quem per octo dies detinueramus, sperantes habere responsum plenius; nec tradidimus dicto equitatori pecunias quas non habemus, & poterit ex defectu sequi deffectus notabilis, &c. Porterii papæ & Ostiarii quotidie in introitu & exitu se recommendant nobis, & valde notamur; quia nihil eis damus, & si haberemus, pecunias eis, &c.

PUBLICUM INSTRUMENTUM securitatis omnimodæ datæ Gregorio XII. & cardinalibus ejus, Saonam ad tractandam ecclesiæ unionem profecturis.

Anno 1407 *Ex ms. Coislintano.*

IN Christi nomine. Amen. Anno à nativitate ejusdem MCCCCVII. indictione XV. die vero XI. mensis Junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri GREGORII divina providentia papæ XII. anno primo. Pateat omnibus evidenter hoc instrumentum publicum inspecturis, quod Dominica die constituti in præsentia præfati sanctissimi domini nostri & sui sacri collegii reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, videlicet ANGELI Ostiensis dicti Florentini, HENRICI Tusculani dicti Neapolitani episcoporum, ANGELI tituli S. Potentianæ dicti Laudensis, CONRADI tituli S. Crysogoni dicti Malitensis, JORDANI tituli S. Martini in montibus dicti de Ursinis, JOHANNIS tituli S. Crucis in Jerusalem dicti Ravennensis, ANTONII tituli S. Praxedis dict. Tudertini presbyterorum, RAYNALDI S. Viti in Macellis dicti de Brancaciis; ODONIS S. Georgii ad Velum-aureum dicti de Colomna, PETRI S. Angeli dicti S. Angeli & JOHANNIS SS. Cosmæ & Damiani dicti Leodiensis, diaconorum cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ in palatio apostolico apud S. Petrum, egregii & spectabiles viri dominus Antonius Justinianus miles, Antonius Cachaneus quondam Jacobi, Urbanus Picamilius & Nicolaus de Judicibus cives Januenses procuratores, ambassatores, sindici, auditores, factores negotiorum . . . & nuncii speciales magnifici domini JOHANNIS LE MAINGRE dicti *Boucicault*, Marescalli Franciæ, gubernatoris Januæ, & locum tenentes serenissimi Francorum regis, ac consilii dominorum ancianorum, necnon officii octo nobilium & prudentium civium & officialium provisionis dictæ civitatis Januæ, agentes nomine regis Franciæ ac dictorum gubernatoris, officialium præsentium & futurorum, & communis dictæ civitatis, & ipsius specialium personarum ac subditorum & districtualium eorum, etiam propriis nominibus conjunctim & divisim habentes, prout asseruerunt; plenam; veram, & perfectam notitiam instrumenti; pactorum, & compositionis, firmatorum Massiliæ super facto compositionis & pactorum; cujus tenor inferius describetur, expressè; & ex justa sententia approbaverunt; ratificaverunt; & affirmaverunt omnia capitula; & eorum partes & conventiones prædictas habitas in civitate Massiliæ pro unione prædicta, ac promiserunt eidem domino nostro papæ, & dictis dominis cardinalibus præsentibus, acceptantibus; & stipulantibus nomine ipsorum, & sanctæ matris Ecclesiæ, & omnium quorum interest, seu interesse poterit quomodolibet in futurum, quod serenissimus princeps dominus rex Franciæ & dictus gubernator Januæ ac cives & communitates dictarum civitatum Januæ & Saonæ, & alii ad quos hoc negotium spectat, dabunt & libere tradent totale dominium, jurisdictionem, ac merum & mixtum imperium dictæ civitatis Saonæ, & ipsam civitatem cum castris in ea existentibus in manibus dicti domini nostri papæ, & alterius domini Massiliæ existentis nomine ecclesiæ æqualiter; & quod absolvent & liberabunt, & ex nunc absolvunt & liberant castellanos & vassallos & homines inibi existentes à quocumque juramento, obedientia, & fidelitate, & homagio, ac omnibus obligationibus dicti domini regis, gubernatori, aut communitatibus, aut aliis alias factis: & quod hujusmodi juramenta, obligationes, obedientias, fidelitates, & homagia præstare facient dicto domino nostro papæ, & alii domino in Massilia residenti, aut deputando per eos nomine ecclesiæ, & pro eo tempore, quo in dicta civitate Saonæ fuerint, pro dicto expediendo negotio, ipsis duobus dominis . . . . . de restituendo ipsam civitatem & castra in eo statu quo fuerint eis assignata, & quod

dictis duobus dominis desinentibus præsidere, fiat de dominio & jurisdictione dictæ civitatis Saonæ & castrorum ipsius id quod per dictos dominos cum ambobus collegiis antea fuerit ordinatum.

Item, promiserunt dicti ambaxiatores & procuratores propriis quibus supra nominibus eisdem domino nostro & dominis cardinalibus, quibus supra nominibus recipientibus, acceptantibus, ac stipulantibus, procurare & facere realiter cum effectu, ita quod fiat per omnes cives & habitatores dictæ civitatis Saonæ vel saltem majores partes propriis & universitatis nominibus in munere de quo dictis duobus dominis & suis officialibus cum eis existentibus plenam securitatem, fidelitatem & obedientiam, & quòd eos vel ipsorum aliquem non offendant aut damnificabunt, seu lædant: quin immo defendant & conservabunt eos, & ipsorum quemlibet, dicta conventione durante, seu in eundo & redeundo per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, & quod ipsos vel ipsorum aliquem lædere volentibus pro posse resistent, & se opponent, & eos lædere volentes manifestabunt, & . . . . in homagii & fidelitatis forma apostolicæ cameræ consueta. Et simul jurare facient omnes districtionales & comitativos dictæ civitatis Saonæ, villarum & locorum ipsius, per se ipsos aut per sindicum habentem sufficiens mandatum cum obligationibus etiam personarum, bonorum ubicumque existentium, ad sensum & voluntatem dominorum dictorum & cujuslibet ipsorum, ac recipient & tenebunt officiales per dictos dominos in ipsa civitate ponendos, & eis parebunt & obedient, prout est hactenus consuetum. Et quod omnia arma dictæ civitatis Saonæ, seu existentium, & habitantium in ea tam offendibilia quam defendibilia... ventarum sub debita custodia ponentur in dictis castris divisa æqualiter quantum fieri poterit, vel. alibi, prout capitaneo ponendo per dictos dominos videbitur expedire.

Item, promiserunt & juraverunt dicti domini & procuratores ac sui, dictis nominibus quibus supra, præfato sanctissimo domino nostro papæ & ejus collegio antedicto, sub juramento & fide ipsa, & militari ipsius domini JOHANNIS gubernatoris nobilitati, & nomine dictorum ancianorum, officiorum, & provisionatus, & communis Januæ securitatem domino nostro papæ & dictis dominis cardinalibus, eorum nomine & quorum interest recipientibus, quòd recipient præfatum dominum nostrum papam & collegium cardinalium cum gentibus suis quibuscumque in suas civitates & castra, loca, littora, portus, & districtus quoscumque, tam per mare quàm per terram, & cum gentibus armorum in numeris in dictis capitulis expressis, quodque fideliter custodient, protegent & deffendent prædictos & quemlibet ipsorum, & quoscumque alios pro hac actione venientes, & bona sua contra omnes personas cujuscumque status, gradus, sive præeminentiæ existant, etiam omnes gentes & quoscumque districtionales & subditos communitatis Venetorum cum dictis dominis vel uni eorum cum galeis, vel alios secum vel sine eis, quovismodo ad dictum negotium antedictos, ac præservabunt omnes etiam venientes, non obstante differentia inter eos & dominum gubernatorem & commu-nem.

Item, nunc subsistendo vel alia quacumque causa servabunt & servari facient illæsos in personis & bonis ab omni molestatione suorum & aliorum tam in recessu quam in accessu, & quamdiu ibi steterint vel transiverint, durante dicta conventione, eundo & redeundo ab eadem, & quod majores de civitate Januensi, vel sindicus, vel alii qui possunt cives singulos & civitates obligare, laudabunt & laudant, approbabunt & approbant omnia prædicta quantum eos tangit, & pro ipsis tenendis, procurandis & adimplendis, obligabunt & obligant ex nunc se & bona tam universitatis quam singularia personarum dictæ civitatis, villarum & locorum ipsius, se & bona sua submittentes jurisdictionibus & cohercitionibus regum & dominorum tam ecclesiasticorum quam sæcularium, ubi dicta bona existunt, & similiter juraverunt, promittunt & se obligarunt alii majores dictæ civitatis Januæ usque in numero quadringentarum personarum in omnibus & per omnia, & prout & sicut in capitulo dictorum capitulorum, quod incipit *Item, quòd obtinebit à domino Januæ &c.* latius continetur.

Item, promiserunt dicti domini & syndici nominibus quibus supra, dictis domino nostro papæ & ejus sacro collegio acceptantibus, & recipientibus, quod ipsi apparabuntur & facient & curabunt ita & taliter cum effectu, quod dicti cives & habitatores Saonenses non locabunt alicui per se vel alios in civitate Saonæ aut ejus suburbiis aut locis pro capitaneis dictorum dominorum ordinandis, aliquam domum seu locum sine consensu & licentia expressa dictorum capitaneorum, & quòd earum domos, etiam quas ipsi habitant pro pretio competenti, illis quibus mandabunt capitanei supradicti locabunt, & super pactione seu salario stabunt seu acquiescent determinationi & taxæ ac voluntati dominorum prædictorum capitaneorum & aliorum dominorum pro parte communitatis Saonensis eligendorum: & in casu quod isti quatuor non convenerint aut concordabunt, per eosdem quatuor eligetur quintus, qui stabunt determinationi majoris partis ipsorum.

Item, promiserunt dicti syndici, ut supra, quod in dicta civitate Saonensi non augmentabunt seu augmentare permittent onera vel gabellas, & quod circa libertatem dictarum gabellarum, & rerum intromittendarum, & extrahendarum, & aliis similibus servabunt per omnia, prout alias factum fuit, & quòd liceat etiam ad illa aliqua addere vel minuere si dictis capitaneis videatur, & quòd super his vel pro ipsis servandis cives Saonenses se in bona forma efficaciter obligabunt. Et promiserunt dicti procuratores, & syndici, ac domini, quibus

bus supra nominibus, quod ipse dominus gubernator faceret pacem & concordiam cum Venetis, vel saltem ponet totam concordiam ipsorum in posse & ordinatione dictorum dominorum duorum, ubi dominium Venetorum voluerit facere, vel ultimo si aliud obtinere non posset, dabit plenam & sufficientem securitatem, & obligationes super omnimoda securitate omnium Venetorum, in veniendo, stando & redeundo, & similiter fiet in omnibus communitatem Januensem (spectantibus) & quod ea disponet, ordinabit & faciet, quæ in capitulo B quod incipit, *Item quod obtineatur à domino gubernatore Januæ quod faciat pacem, &c.* quod de hac materia loquitur, ponuntur, & ab eodem domino gubernatore debeant obtineri.

Item, promittunt dicti domini ambassatores, omnium, quibus supra nominibus, quod ipsi toto eorum posse tenebunt, & teneri facient vias, itinera & stratas, tam maris quam terræ, & portus securos & liberos, ita ut prædicti domini, eorum collegia, curiales & sequaces, aut alii pro cursu unionis accedentes, cum omnibus C bonis, tam per Januam, quam per ejus riperiam, comitatum, districtum suum, absque aliqua perturbatione seu impedimento quocumque transire, stare & redire poterunt, & quod de galeis, passagiis, & eorum passibus servabunt ea ad quæ superius dictum est omnes Saonenses debere teneri.

Item, promittunt dicti procuratores quibus supra nominibus, quod dictis duobus dominis ad dictam civitatem Saonæ venientibus, stantibus, & ab ea redeuntibus, in Janua aut ejus D riparia nulla galea armabitur, nec aliqua armata utentur, & ipsam dearmabunt, nisi de prædictorum duorum dominorum expresso consensu, galea Gandiæ dumtaxat excepta.

Item, prædicti procuratores & syndici quibus supra nominibus assecuraverunt & promiserunt, quod gentes, galeæ, navigia, & bona præfati domini papæ, & præfati procuratores sui possunt secure & libere venire & stare, & inde recedere in quocumque loco seu parte, sub dominio seu E regimine dicti gubernatoris aut communis Januæ, & existentes absque alio impedimento personali & reali sine offensione quacumque.

Item, promiserunt se facturos & curaturos quantum in eos est, nominibus antedictis, quod castra, quæ sunt de obedientia dicti domini Massiliæ residentis inter Senam & Saonam, ponentur pro dicto tempore sub custodia, dominio & regimine dictorum dominorum, sufficientibus cautionibus & securitatibus de restituendo in eodem statu in quo fuerunt consignata, & assi- F gnabuntur ad usum præfati domini nostri papæ Gregorii propter se & viam Senæ, prout in capitulo de hoc loquenti latius continetur.

Item, promiserunt prædicti syndici & procuratores, quod prædictus dominus gubernator, anciani, officiales & commune Januæ dabunt præfatis sanctissimo domino nostro papæ & ejus sacro collegio debitam securitatem de transeundo, stando, vel redeundo, deffendendo, protegendo & non permittendo, quod ab aliquo violentiam vel damnum fieri possit alicui parti prædictorum.

Item, promiserunt dicti syndici & procuratores, quibus supra nominibus, præfatis sanctissimo domino nostro papæ & ejus reverendissimo collegio dominorum cardinalium, præsentibus stipulantibus & recipientibus, ut supra, quod prædicti dominus JOHANNES gubernator, anciani & officiales, commune Januæ per opportuna consilia ad hoc requisiti, quod bene teneant de jure cum dictis personis quadringentis numero prædicta omnia & singula supra specificata, & omnia alia in dictis conventionibus, positionibus, capitulis expressa, quantum ad eos spectant & pertinent, secundum tenorem dictarum conventionum, positionum, & capitulorum, approbabunt & ratificabunt; facient & procurabunt, adimplebunt, promittent & jurabunt observare fideliter, pure, simpliciter & sine fraude.

Item, promiserunt dicti procuratores, quibus supra nominibus, prædictis domino nostro papæ & ejus sacro collegio, acceptantibus & stipulantibus & recipientibus, quod inviolabiliter & inconcusse, ac pure, simpliciter, & bona fide servabunt, & quantum ad eos spectat & pertinet, servari facient ordinationes, dispositiones, conditiones, & promissiones factas, conclusas & ordinatas per ambassatores domini nostri papæ & alterum dominum in Massilia residentem, de quibus supra fit mentio, in omnibus & singulis partibus, clausulis suis, & per omnia & singula quæ ponuntur in dictis capitulis, aut ipsorum aliquo, quod obtinetur à prædictis constitutionibus aut ipsorum alio ex nunc ipsi acceptant, quibus supra nominibus, offerunt, concedunt, & ea promiserunt suis locis & temporibus sine difficultate aliqua, aut tergiversatione, seu excusatione concedere & firmare. Quæ omnia & singula prædicti syndici & procuratores, nominibus quibus supra, ac ipsorum propriis, promiserunt præfato domino nostro domino Gregorio papæ XII. & reverendissimo collegio dominorum cardinalium, præsentibus, stipulantibus & recipientibus, nominibus quibus supra, attendere & observare & observari facere . . . exceptione vel indirecte vel per oblitum, ad pœnam & sub pœna ducentorum millium florenorum de camera, cameræ præfati domini nostri papæ applicandorum. Qua pœna soluta, vel non prædicta omnia & singula in prædictis vel aliquo prædictorum, quantum seu non observatum & per prædictarum observationum plenariè obligatum se & dictos suos principales & omnia bona sua & ipsorum principalium & aliorum quorumcumque pro quibus promiserunt & promittunt tam universalium quam singularum personarum mobilia & immobilia præsentia & futura, & etiam quæ non veniunt in qualibet hypoteca, submittentes personas & bona jurisdictioni & coercioni regum, principum, & dominorum quorumcumque, tam ecclesiasticorum quam secularium, ubicumque constiterint, renunciantes ex nunc beneficio fori, exceptioni doli mali, conditioni sine causa, in factum actioni &. . . . generale renunc

ciationem non . . . . alii juris & legum auxilio, & insuper ad pedes præfati sanctissimi domini nostri, sacrosanctis scripturis ambabus manibus tactis per unum quemlibet ipsorum, juraverunt in animas suas, & præfatorum principalium suorum, & aliorum pro quibus intervenêre, prædicta omnia & singula attendere, & manu tenere, & in nullo contrafacere, vel venire, nec ei præsentis juramentos absolutionem, dispensationem seu relaxationem aliquam impetrare, neque concessam admittere seu uti, sed promissiones, obligationes ipsas ad juramentum prædictum . . , . . . observare, sub pœnis & obligationibus antedictis, & per sua & fide . . . . rogantes nos notarios ut de prædictis vestrum & plura conficere deberemus instrumenta. Tenor vero capitulorum & contractus talis est. In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, &c.

ACCEPTILATIO DUCENTORUM florenorum acceptorum à nunciis regiis ad pontificem Romanum pro unione ecclesiæ.

Anno 1407 *Ex ms. Coislinian.* NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod anno ejusdem MCCCCVII. indictione XV. pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri BENEDICTI divina providentia papæ XIII. anno XIV. die XIV. mensis Junii in manibus mei notarii publici, præsentia ac testium infra scriptorum, Reverendus pater & dominus abbas Gemmeticensis, & venerabiles & circumspecti viri magister Guillelmus *Loskatel* utriusque juris doctor, magister requestarum hospitii . . . principis domini nostri Francorum regis, Johannes *Briscope*, Johannes Parvi sacræ theologiæ professores, Johannes Guioti decretorum doctor, Eustachius de Souquentibus licentiatus in decretis, Arnoldus *Vivit* bacalaureus formatus in theologia magister in artibus, confessi sunt recepisse & habuisse in manibus dictorum circumspectorum virorum dominorum & magistrorum Guillelmi *Boisratier*, & Johannis Guioti summam ducentorum florentorum Januensium pro ambaxiatæ solutione regis domini nostri, ecclesiæ Gallicanæ & universitatis Parisiensis eisdem ordinata & componenda pro securitatibus & necessitatibus ambarum Romam per . . & hoc per manus discreti viri magistri Petri de Nantion. De qua summa ducentorum Florentinorum Januensium prænominati quittaverunt dictum magistrum Petrum, & quittant erga prædictum anno & die prædictis circa horam vesperarum, præsentibus discretis viris religioso viro magistro Nicolao de Tornaco ordinis Eremitarum S. Augustini sacræ theologiæ professore & Johanne de Rinello clerico Nant. diocesis notario apostolico, testibus ad præmissa vocatis. Et ego Johannes *Bourrilitti* presbyter ejusdem Nant diocesis magister in artibus & licentiatus in decretis publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, prænominati hujusmodi summam recepisse confessi fuerunt & dictum Petrum solvisse in manibus meis de qua quittaverunt. Ideo præsentem sedulam propria manu scripsi, & signeto meo manuali signavi requisitus in testimonium præmissorum.

PETRI EPISCOPI CAMERACENSIS, Philippi abbatis S. Dionysii, Johannis Gersonii cancellarii & Jacobi de Nornano rationes ad differendam subtractionem.

PRotestatione prius facta & proposita, quod intendimus observare instructiones regis datas ad bonum unionis & ad honorem regis & regni, duximus attendenda quæ sequuntur. Anno 1407 *Ex ms. Coislinian.*

Primò quòd nullus articulus datus in instructionibus sic ligat, quin mutatis circumstantiis ex quibus talis articulus nocivus redderetur ad pacem si observaretur, ille possit vel differri vel interpretari vel penitus omitti, vel ejus contrarium observari. Hoc patet per simile in materia juramentorum & votorum & legum, ubi nihil obligat quod vergit in deteriorem exitum, & pro hoc facit tenor instructionum referentium se ad deliberationem nunciorum in arduis & novis, ut consideratio finis unionis.

Item, attendatur tractatus factus & concordatus per papam & juratus per cardinales cum nunciis illius de Roma, & ibi fuit lætitia tanta, ut major pars fleret præ gaudio, sicut scripserunt nuncii Roma nunciis regiis existentibus tunc in Villa-nova.

Item, attendatur quod nepos illius de Roma & alii collegæ sui duo dixerunt in præsentia cardinalis de Thureio & nunciorum, quod terminus tractandi non fuit prolongatus ad requestam papæ, sed suam.

Et quod suus de Roma numquam vellet cedere in absentia vel per procuratorem, & quod si non irritaretur, quod nollet aut non posset convenire suus de Roma, non conveniret nec cederet, & ideo pro bono pacis verbum pacis hortabantur.

Item, attendatur illud quod dixit unus cardinalium bene affectus ad hoc negotium, quod etsi non vellemus nos nuncii esse contenti de papa, tamen expediret facere quod haberemus treugas usque ad conventionem, & tunc rigidissime prosequi contra papam, si non adimpleret ea quæ sunt unionis.

Item, attendatur quod in deliberatione consilii prælatorum non sit artatio absoluta de bullis sub pœna schismatis à papa dandis, sed sufficiebat, ut videtur, quod exponeret clare intentionem suam, sicut exposuit novissime in consistorio, & magis postea in responsione finali.

Item, quod in litteris regis ultimis missis de quinta Maii ponitur, quod nuncii sint certificati per bullam, vel alias sufficienter.

Item, notant quod aliæ fuerunt missæ in contrarium, & ita vident res egere majori consultatione.

Item, attendatur, quod ille de Roma contentus est de oblatione viæ cessionis per papam.

Item, similiter Hispani & Arragonenses & Salbadienses &c. & illi de Lingua-Occitana & alii multi ex regno, & ita si rex faciat subtractionem titulo tali, non habebit prædictos in sæcula, & sic erit schisma intestinum in hac obedientia.

Item, attendatur quod si debeat intimari talis substractio, non videtur securum nunciis intimantibus, quia tunc erit aperta divisio implacabilis contra papam & schismaticos.

Item, per hoc rumpetur legatio tota ad Romanos, præmissis consideratis, quia non apparet ad quid proficeret.

Item, attendatur quod dilatio substractionis per unum mensem, vel duos aut tres numquam potest afferre tantum nocumentum causæ ecclesiæ vel regni, quantum afferre potest acceleratio: quoniam papa & sui tali acceleratione poterunt dicere; quod rumpimus tractatum suum, & impedimus sanctum propositum suum gratis, & sine causa urgente: immo cum requestis irrationabilibus, per quas litteras sibi tolleretur, & similia quæ etsi non sunt vera, tamen colorate dicta apud multos, præsertim regni æmulos valent; qui dicunt quod volumus totum facere soli & regere.

Item, diligenter considerandæ sunt responsiones papæ, tam in consistorio, quam postea ad partem coram dominis cardinalibus ac etiam ultimata responsio ejus; & insuper consilia & responsa cardinalium, ex quibus possunt fieri validæ persuasiones ad dilationem intimationis subtractionis prædictæ. Est autem responsio papæ quod in sancta via cessionis fuit, & est intentionis omnibus aliis presbyteris . . . . & est exhortatio cardinalium. Est ne quid . . . & responsio ista papæ plus absoluta est, quam illa quæ petebatur à nunciis est. Non refert se ad oblationem alterius, sed simpliciter vult istam viam promittere, &c. si alius vellet illam promittere, & habentur de istis instrumenta.

His attentis concludimus pro opinione nostra; & ad quietationem conscientiarum, quod pro nunc supersedendum est ab intimatione subtractionis, nec aliter facere sit licitum, decens aut expediens, & quod omnia quæ per papam tam in consistorio quam postea dicta sunt, & alia facta hactenus in tota legatione diligenter inscribantur, & mittantur regi & suo consilio per aliquos de nunciis cum rationibus & motivis inducentibus ad conclusionem prædictam, ut auditis omnibus rex deliberet quid agendum; ut tractatus non rumpatur, per nos paucos super quos tantum onus istud gravissimum apud Deum & homines redundaret, & forte quod dum res tota postmodum referetur ad regem & consilium, non insequerentur nos in substractione intimata, non esset securitas nunciis alicubi, specialiter in Italia & in Roma, quia reputaremur rupisse unionem. Petrus episcopus Cameracensis, PHILIPPUS abbas B. Dionysii in Francia, Johannes de Gersonio cancellarius Parisiensis, Jacobus de Nornano.

EPISTOLA JOHANNIS LE MAINGRE Franciæ Marescalli Januæ gubernatoris ad regis christianissimi oratores ad Gregorium XII.

TRes reverans Peres en Dieu & mes tres chiers & tres honnourez seigneurs, je me recommande à vous tant comme je puis: & vous plaise savoir que j'ay receu presantement unes lettres de vous monseigneur l'abbé de Jumiege, maistres Guillaume Baratier, & mes autres seigneurs ambassadeurs du roy, qui estes allez par terre, escriptes à Saone le v. jours de ce mois de Juillet, faisant mantion de vostre reception & bonne receuillie à Flourance, & de la bonne response que vous y avez euë aux choses par vous proposées, dont j'ay esté & suis bien lie & joyeux. Apres font mancion vos distes lettres de vostre avennement à Rome, & que encore à la faisance d'icelles vos distes lettres, n'avez fait reverence à Gregoire, & que icelle reverence ferez le plustost que vous pourrez. Contiennent oultres vos lettres que à Rome aviez trouvé les ambassadeurs de nostre Saint Pere, pres de leur expedition & departement, & que la response qu'ils ont euë ils me diront plus à plain de bouche, quant iceulx ambassadeurs vendront cy en ceste ville, je orré volontiers ce que me vouldront dire, & se riens y a que puisse savoir que vous ne saichez, & qui soit au bien de la besongne, ou qui soit bon que vous en devez estre avisez, tantost par propre messaiger le vous feray sçavoir. Quant à ce que contiennent vos lettres que vous n'avez eues, ne savez aucunes nouvelles de Messeigneurs les autres ambassadeurs du Roy qui doivent aller par mer, ne savez si sont partis ou non. A ce ne fault point de response, pourceque je sçay bien que vous le savez maintenant, ou saurez avant la reception de cestes. En conclusion contiennent vos lettres que je veille toujours tenir la main à ceste besongnes, si vous plaise savoir, que je suis prest & appareillé de faire au bien de la besongne tout ce que faire je pourré, & que par vostre bon avis & conseil vous sembléra que je debvré faire. Tres reverans peres en Dieu & mes tres chiers & tres honnourez seigneurs, j'ay receu deux aultres peres de lettres, que vous messeigneurs qui estes allez par mer m'avez envoyées entre deux escriptes à Ligorne les unes le IX. jours de ce present mois, les autres le dixiéme, & aussi aige receu les lettres des ambassadeurs de nostre Saint Pere, de l'evesque de Boulogne, & les copies que vous savez qui estoient en icelles vos lettres, de contenu desquelles coppies comme vous l'auez peu assez cognoistre, & mieulx que je ne sauroie, sont moult doubles, captieuses en l'entendement, & Dieu veille par sa grace que la conclusion en soit bonne, car par ceque sera en moy possible & deu, faire ne revaindra. Et contiennent vosdistes lettres premierement la bonne receuillie que vous dites que mes gens

Anno 1407. Ex ms. Coislmiani.

vous ont fait à Ligorne. Je suis bien lie qu'il soit ainsi, & s'ils avoient fait autrement, ce seroit à mon chagrin & desplaisance. Contiennent aussi vos distes lettres que on fait de la gallée de la garde & autres . . allés que vous douvriez savoir, si je veille donner l'ordre que si vous dyent à vostre partement. Si veillez savoir que ainsi que je croy que ainsi vous savez de present, je vous envoye la gallée de la garde, pour ce qu'elle retourna plustôt de là où elle estoit allée que les autres ne furent prestes. Et toutes fois ne fussent pas par faulte d'argent, car le jour mesmes que vous partistes, je fis bailler à Babillem Savage & à Pierre Dore tout l'argent qui restoit de leur solde, lesquelles deux gallées sont parties, l'une il y a environ VI. jours, & l'autre hier & sont allées en Corsaignes, avec le commandement que je leur fis en vostre presence d'obeir à tout ce que par Jehan Oultramarin par vostre commandement & leur sera mandé. Quant à ce que vos lettres contiennent, que vous par la confience que vous avez en moy, vous avez ouvertes les lettres qui à moy s'addressent, qui estoient avec celles dont dessus est faite mention, j'en suis tres contens, & avez tres bien fet. Quant à ce que vos lettres contiennent que pour nouvelles aultres que vous avez ouyes ne saues par vos distes, il ne vous semble pas que vous donniez rien . . es choses empauses & deliberées par vous, vous estant à Jennes, où il pleut que je fusse, j'en demeure d'oppinion avecques vous. Quant aux nouvelles contenuës en une cedule enclose en une de vos lettres touchant le recouvrement de Tarante, &c. j'en avois bien sceut les nouvelles par avant Mars, non pas si au certain que je voulsisse, ne sur ce que j'en ay ouy ne les vouldrois faire savoir au roy Louys, luy certifiant aucunement icelles estre vrayes jusques à tant que plus à plain j'en saiche la verité. Quant à ce que en unes lettres appert, vous, monsieur le Patriarche, monsieur de Beaunes, monsieur de Cambray vous louez de Jean d'Oultremarin de vostre patron, & comme en les me recommandant, je suis parfaitement lie qu'ils facent chose qui vous viennent à plaisir, & s'ils le font, je le repute comme s'il estoit fait à ma personne mesme & ne le mesconnoistré pas envers eulx. Et par ainsi est repondu au contenu de vos lettres. Tres reverends peres en Dieu, & mes tres chiers & tres honnourez seigneurs, plaise vous savoir, que pour le chaut qu'il faisoit à Jennes, & pour prendre ung peu plus de l'air, je m'en suis venus à Brisenay à V. mille de Jennes, & y vins demain aura VIII. jours & Samedy IX. devers moy frere Jean Dauvergne le Jacobin, que vous savez que celuy de Rome a envoyé par deça, & me dit que son entantion estoit huy d'icy pour aller à Venise. Si luy dis plusieurs choses condessendans à ce qu'il me sembloit pour le mieulx, pour le bien de l'union qu'il allast premierement à Rome, veu que il vous y trouveroit, & apres paroles de luy & de moy, me conclu qu'il iroit à Venise, & que ainsi l'avoit-il en commission, & que c'estoit pour avoir des gallées, à quoy je luy respondis que je m'en donnois grand merveil, veu que onquesmes il n'en avoit parlé à vous, messeigneurs, ne à moy qu'il y deust aller pour cette cause, & aussi luy dis que c'estoit bien tard d'aller à Venise maintenant pour faire armer gallées, veu que le terme de la convention est bien prouchain. Et oultre luy dis que les gallées tant les vostres que les autres qui sont armées par ce commun estoient bonnes & bien seures pour son seigneurs & à son commandement, s'il s'en vouloit aider, & qua la requeste de son nepveu qui s'appelle evesque de Boulongne avoient esté armées pour son vouloir principalement à grant instance & priere de luy. Si me respondit qu'il le savoit bien, mais nonobstant tout il avoit en commandemant de par son seigneur d'y aller pour cette cause, combien qu'il avoit esperance d'y peu besongner. Si ne me scay pas bien congnoistre en cette besongne de leur costé, mais Dieu voise qu'elle voise à bien. Et apres ces choses me fist plusieurs requestes cy-apres declairées touchant les Venissiens & moy. Et moy ayant en memoire, & recordant la captieusité de la copie des lettres que vous savez, luy accorday tout ce qu'il me demanda, combien que je luy dis que je vous avois donné sauf conduit, & pour le Seigneur de Rome & tous Venissiens, & compromis pour faire tout ce que nostre Saint Pere & celuy de Rome vouldroit touchant les Venissiens & moy. Encore à sa requeste affin qu'il demeura plusque content, luy ay baillé procuration quant à ce de voir jurer pour moy que j'accompliray le contenu des conventions & capitules fais à Marseille, en tant qu'il touche moy & les Venissiens. Et afin qu'il le peult faire, m'a requis de jurer aux saints evangiles presans messeigneurs Guillaume de Melon, Maistre Nicole de Punesse, & Godefroy de Beriguien un des Chanceliers de Jennes : laquelle chose j'ay faite bien & voulontier, parceque j'ay bien voulonté de l'observer. Et en oultre luy ay baillé ung compromis de la submission que je fais dés maintenant, que du debat d'avec moy & les Venissiens, que je suis prest dés ça à ce que diroit nostre Saint Pere & celuy de Rome, selon que les capitules & conventions par ceulx ordonné le contiennent, parmy ce que ceulx Venissiens facent le semblable, & que sur ce me facent savoir leur voulonté pour tout le mois d'Octobre. En moy tousjours soubmettant à faire toutes chouses qu'il auroit requis faire accomplies. Et oultre plus car il connoissoit bien que je luy en avois accordé de celles qui n'étoient point contenus esdits capitules, comme de bailler à son seigneur & aux seigneurs de son college des chasteaux s'il en vouloient, & d'en faire payer les despens, & aussi de leur bailler ostages. Et incontinent aprés qu'il fut parti, & qu'il n'estoit pas encore à my chemin de Jennes, me vint ung courrier de nostre Saint Pere le pape, qui m'apporta unes lettres closes, que de par luy en ung *vidimus* sous le scel d'ung de ses auditeurs, ouquel estoit incorporé les lettres & mandemans que le roy en son grand conseil a

fait faire touchant sa vouloncé, sur les parts & conventions que vous savez qui ont esté faits à Marseille entre les parties, & me semblant lesdites lettres bien faites, & d'icelles ay esté & suis tres lie & joyeux. Desquelles incontinent aprés que je les ay veuës, ay fait faire une copie tabellionée, que je vous envoye avecques cestes par ce courier, afin que de tout ce puissiez estre informé & advisé. Et apres ce que nostredit Saint Pere me mande, ay rendu ledit original audit courrier, pour le porter au prieur de S. Maximin à Flourance, pour l'envoyer aux ambassadeurs de nostre Saint Pere qui sont pardelà, afin de le presenter à celuy de Rome. Et sitost apres que j'ay veu lesdites lettres, je les ay envoyé à Jennes pour les monstrer audit Jacobin. Tres reverans Peres en Dieu, & mes tres chiers & tres honnourez seigneurs, affin que aucune chose ne se puisse gloser autrement que appert de la submission que je fis faire pour les ambassadeurs de ceste cité quant ils alloient à Rome, je vous envoye la copie de ce que a renvoyé l'escripvains qui alla avec iceulx ambassadeurs. Et aultres choses ne vous rescript pour le present, lorsque je vous prie & requier, tres reverans peres en Dieu, & mes tres chiers & honnourez seigneurs, que souvent par tous venans de ça me veillez escripre, & faire savoir de vos nouvelles, priant au Saint Esprit que vous ait en sa sainte garde, & vous doient bonne vie. Escript à Brissenay pres de Jennes ce XVIII. jour de Juillet.

EPISTOLA EJUSDEM BUCICALDI ad eosdem oratores.

Anno 1407 *Ex ms. Coislinian.*

TRes reverans peres en Dieu, & mes tres chiers & tres honnourez seigneurs. Par ce courrier que j'envoye tout expres devers vous, si j'escrips unes lettres au nepveu du seigneur de Rome qui se fait appeller evesque de Boulongne, desquelles je vous envoye la copie cy dedans enclose, affin que vous la voyez, &, se vous semble, que les lettres luy soient envoyées. Et aussi par ledit courrier je vous envoye unes autres lettres que j'escri aux ambassadeurs de nostre Saint Pere, afin que s'ils sont encore de par deça, il vous plaise que vous les leur fassiez bailler.

Tres reverans peres en Dieu, & mes tres chiers & tres honnourez seigneurs. Depuis que ces lettres furent escriptes, j'ay receu unes lettres de par le nepveu du seigneur de Rome, qui se fait appeller evesque de Boulongne, lesquelles lettres apres que je les ay veuës je vous envoye cy-dedans encloses, & me semble qu'il est de pareil substance que estoient celles que autrefois il m'a envoyées, & que vous avez veuës, comme dit est. De la response que je luy fais je vous envoye la copie,

Le tout vostre BOUCIQUAULT mareschal de France & gouverneur de Jennes.

A ILlustri magistro domino domino JOHANNI LE MEGRE dicto *Boucicault* Senescallo regni Franciæ, locum tenenti regio, Januæ gubernatori, amico carissimo.

Illustris & magister domine, litteras dominationis vestræ suscepimus de manu cujusdam cursoris, postulantes nobis per nos debere scribi. Sed cum inter Sanctissimum dominum nostrum & ambassiatores domini nostri Avenionensis ac etiam ambassiatores regios qui in Urbe sunt nil adhuc conclusum esset, scriptionibus B nostris supersistendum decreveramus, donec dominationi vestræ notificare possemus, quid inter dominum nostrum & præfatos ambassiatores actum esset. Sed cum per prædictum cursorem nostrum de discensu suo quotidie infestaremur, de hujusmodi infestatione aliquid perfectè dominationi notificare nequivimus. De facto vero galearum scribendum vobis non putamus: quia cum dominus noster armatam galearum ambassiatoribus nostris non concesserit, consequens nec præfatas galeas velit ascen- C dere. A. episcopus Bononiensis domini nostri papæ camerarius.

REverendo in Christo Patri & domino domino episcopo Bononiensi.

Reverende in Christo Pater & domine domine, geminum breve vestrum recepimus ejusdem tenoris. Sed quia scribitis excellentissimum dominum vestrum non concessisse armatam galearum nostris ambassiatoribus, & per consequens easdem non D esse assensurum, non possumus non mirari. Nam ponatur paternitati vestræ ut ipse excellentissimus vester dominus galeas ipsas ascendere posset, si fuisset assenditus expeditus non minus quam aliis causis quod modo armatæ sunt, & sic ægre concipere possumus, ut cum pace vestra loquamur, facta actis & invicem collocutis, & nihilominus galeæ ipsæ paratæ sunt, & erunt ad mandatum vestri tam excellentissimi domini, ubi eas ad favorem sanæ unionis ecclesiæ Dei, pro qua nos & hæc communitas posse nostrum E obtulimus, & denuo offerimus, pactis omnium constantia omnium fide velit ascendere aut eis uti. Datum Vulraneti MCCCCVII. die XXII. Julii.

PUBLICUM INSTRUMENTUM de imponenda nova decima ad prosequendam schismatis extirpationem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. Anno 1407 *Ex ms. Coislinian.* F Noverint universi præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem Domini MCCCVII. indictione XV. mensis Augusti die III. pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini BENEDICTI divina providentia papæ XIII. anno XIII. congregatis in alma urbe Roma reverendissimis in Christo patribus ac dominis SIMONE miseratione divina patriarcha Alexandrino, JOHANNE Belvacensi, PETRO Meldensi, &

GUILLELMO Ebroicensi episcopis, COLLARDO de Callevilla milite, Gemmeticensi & Molismensi abbatibus, GUILLELMO consiliario utriusque juris doctoribus, Johanne *Courtecuisse*, Petro Plati, Johanne Parvi sacræ theologiæ professoribus, Johanne Dinoti decretorum doctore, Petro Cauchori, Eustachio de *Farisgulas* magistris in artibus & licentiatis in jure canonico, Guillelmo Pulcri nepotis magistro in artibus & baccalaureo formato in theologia pro pacis & unionis sanctæ matris ecclesiæ prosecutione pariter & adsecuratione tam ad præfatum dominum nostrum papam, ejusque sacrum collegium, quam ad illum dominum qui in urbe præfata se facit Gregorium nominari, & illos qui cum eo pro cardinalibus se gerunt, aliosque diversos & egregios universas civitates, communitates & bul . . . ab ecclesia gallicana transmissis & deputatis ac ipsius ecclesiæ ambassiatoribus, procuratoribus & nunciis principalibus & expressis, plenissime ejusdem ecclesiæ potestate fungentibus, & considerantibus per ea quæ usque in hunc diem tam in Italia, quam in alibi, & maxime in Urbe præfata, super materia desideratissimæ unionis ecclesiæ gesta sunt & gerantur, sane, clare, & luculenter perpendere potuerunt atque possunt, quod hoc schisma tam longævum, tamque damnabile & lethiferum, hostis generis humani, proh dolor! nequitia prævalente, non sic celeriter evelli ac exstirpari posset, sicut plurimorum fuerat fidelium mentibus præconceptum fidelibus etiam novas difficultates imparatas, inopinatas & vix inantea credibiles, longas moras dilationis & protelationis quæ verisimiliter formidentur & tanto deterius. Præterea quam graves & magnas impensas ultra eorumdem & aliorum collegarum ambassiatorum stipendia extraordinaria terra marique facere in dies communiter convenit, & quod spatium sex mensium, quo finem rei speratæ videre expectabant, jam labitur, & finis optatus latius prolongatur. Deliberantes itaque & sedula mente pensantes ad extirpationem præfati pestiferi schismatis, contra quod diligentiam videre visum fuit necessarium & totaliter opportunum, ut in partibus & circa partes Italiæ apud utrumque contendentium, & alibi aliqui pacis & unionis zelatores & fideles personæ resideant, donec hujusmodi negotium, quod divino potissime & humano egit jure, omni directu & prosecutione assiduis fine votivo concludatur. Cum super tales soli sint rerum interpretes dominus noster, ecclesia Gallicana, & veneranda Parisiensis Universitas, qui factum ecclesiæ apud ipsos contendentes continuatis vigiliis, laboribus, & expensis prosequuntur, & quia præmissa multis & variis modis tam mari quam terra, multis etiam gravissimis sumtibus & expensis, pœnis ac laboribus & apud diversos in variis locis prosequenda sunt, quæ absque regis præfati domini nostri, & ecclesiæ Gallicanæ auxilio & subventione peragi & compleri non possent; visum est præfatis dominis ambassiatoribus expediens pro præmissis & necessarium, ut auctoritate ecclesiæ Gallicanæ, qua funguntur præfati domini ambassiatores, expediens pro præmisso hujusmodi negotio & alias prosequendo, media pars unius integræ decimæ super personis beneficiatis in regno Franciæ & Delphinatu Viennensi existentibus, exemtis & non exemtis, ad opus prosecutionis prædictæ levetur de novo, pro una vice, & colligatur. Quia in majori forsan ante hujusmodi sancti negotii conclusionem votivo egerunt subsidio. Præmissis consideratis & aliis regi præfato domino nostro referendis, ac etiam ejus affectione pariter & prosecutione inferenda, intentione quoque & deliberatione ecclesiæ Gallicanæ & universitatis præfatæ, quod numquam & sæpe dum tanta quanta est non erit opportunitas, ac facultas defecerunt, ne dum major se offert occasio deficere. Nam cum ambo de papatu contendentes de renunciando & cedendo sint concordes, idque & promiserint, & suis nunciis testibus, scripturis, bullis, & litteris obtulerint, solum restat uti ad præmissa peragenda, & deinde electionem novi pontificis indubitati celebrandam convenienter variis diligentiis hoc opus salutare, quod ad suum prope finem deductum est, absolvatur. Quod si alter contendentium, aut ambo, ambassiatoribus præfatis absentibus, ab hoc migraret sæculo, res ecclesiastica periculis & æmulorum pacis verisimiliter & in pristino & majori versaretur discrimine. Quibus & ut ab aliis periculis & æmulorum pacis fraudibus, dolis, & versutiis obvietur, præfati domini ambassiator, procuratores, & nuncii deliberaverunt, & concluserunt, & tenore hujus præsentis publici instrumenti deliberant & concludunt, causis & rationibus antedictis, & aliis quamplurimis rationabilibus & justis atque bene cessuris, substituere de præsenti ex causis legitimis, alias suo tempore, ut dictum est, declarandis, unius mediæ decimæ impositionem, & eamdem mediam decimam, aut mediam partem unius integræ decimæ super quascumque decimas beneficiatas exemtas & non exemtas regni & Delphinatus prædictorum, ubi bona beneficiata taxata non fuerunt, æquivalenter secundum quod ultimate auctoratæ Gallicanæ impositioni fuit, eadem auctoritate qua funguntur, de novo pro una vice imposuerunt & imponunt. Eamdem vero mediam partem integræ decimæ volunt solvi & levari in termino seu terminis per commissarios seu receptores super hoc per ipsos dandos & constituendos præfigendis. De & super quibus omnibus & singulis præmissis præfati domini ambassiator, procuratores & nuntii petierunt à nobis notariis publicis infra scriptis publicum fieri instrumentum unum vel plura. Acta fuerunt Romæ in domo domini JORDANI, qui se nominat cardinalem de Ursinis, in qua dictus reverendissimus pater patriarcha residebat, sub anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis, præsentibus prudentibus viris magistris, magistro Johanne Petri doctore in medicina, Martino de Mura licentiato in jure canonico, Johanne de Ultramarinis cive Januensi, & Amelio Asperail baccalaureo in decretis, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

A

ISTÆ LITTERÆ SCRIPTÆ FUERUNT de Villa-franca prope Niciam cardinalibus.

Anno 1407 *Ex ms. Coislin iano.*

REverendissime pater & domine metuende, post recommendationem placeat V. P. scire quod die Sabbati veniendo de Janua Vicum applicuimus, ubi vos & certos dominos nostros cardinales invenire credebamus, quia dominus Franciscus de Arenda scripserat domino gubernatori, quia circa finem Augusti ibidem omnes cum papa esse debebatis; sed videntes hoc nihil esse, vellemus hoc nihil esse, dolentes sumus & stupefacti, quia non videtur quod unio ecclesiæ propter locum Saonæ quoquo modo sit derelinquenda: immo tenent instructiones nostræ, quod rex non curat ubi fiat unio, dum tamen fiat, immo Florentiam, Pisam & Senas expresse designat tamquam loca sibi grata. Nec tamen de Saona adhuc penitus desperavimus, immo si hic essetis vos domini, speramus reperire medium per quod conventio adhuc fieri posset in Saona. Sed quando videmus vos sic dispersos, & in prosecutione unionis taliter remissos, nescimus quid facere. Quæstio domini regis LUDOVICI, in qua, ut percipere potui, posset de facili dari bona conclusio per nuncium regis: nam per plures est mihi apertum, quod non obstantibus omnibus, LANDISLAUS reciperet unum tractatum, quo pendente, saltem, non impediret unionem Ecclesiæ, & melius esset regi LUDOVICO aliquid habere, illo vivente, pacifice, & post mortem habere regnum pro se & suis, quam nihil habere, & se & sua consumere: sed pro hoc tamquam domino nostro, quia vassallus suus sum, &c. sibi scribo, & si zelus domus Dei comedit vos, ad hoc laborare deberetis. Nos omnes cum gubernatore laborare intendimus cum ipso, quod ipse Saonam dirigat gressus suos: quia inter cetera GREGORIUS hoc requirit in responsione sua, & locus ille est locus satis tutus, & inde poterit ad ea quæ pacis sunt efficacius laborari. Illi de Universitate præcipue conqueruntur de vobis dominis meis, quia aliter non laboratis ad ista artando, quod nunc ambo contendentes sunt in via, per vos & nos optata & ita diu prosecuta concordes. Et dubito quod Parisius habebitis contra vos multos clamores, super quibus esset prævidendum. Alia pro præsenti non scribo. Dominus omnipotens vos feliciter custodiat ut optatis. Scriptum in Villa-franca prope Niciam die XXX. Augusti.

Item, dicta die scripsi dictis cardinalibus existentibus cum Benedicto. Litteræ suæ continebant regratiationem primo obligationis galearum, secundo quod propter capitulum Massiliæ concordatum de non armandis galeis posset capere occasionem Gregorius, & quod deliberabunt quod Daranda domino de *Chalant* tertio instat pro acceleratione nostrorum gressuum.

GREGORII XII. BULLA ad Johannem ducem Bituricensem.

Anno 1407 *Ex ms. Coislin iano.*

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Johanni Bituricensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Scripsimus serenitati regis Francorum, & nunc similes litteras replicamus & etiam PETRO DE LUNA, quem nonnulli BENEDICTUM papam XIII. appellant, quarum litterarum copias
B
præsentibus infra mandavimus inseri, nec non copias responsivarum litterarum hinc inde, ut ex inde pura veritas colligatur, & circa aliqua quæ in litteris continentur: hactenus deventum est ad id circa quod ratione dictante plurimum contristamur, videntes afflictionem fidelium populorum provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ, quæ tota exposita est turbationi, divisioni, involutioni, ac perditioni, & his quæ talia sequuntur, jamjam in brevi tempore præoccupatis potentia & turbatione principalibus civitatibus ipsius Marchiæ per regem LADISLAUM
C
sub colore occasionis loci Saonæ: quibus & deliberavimus utrumque gladium contractum extendere, sicut incipimus hactenus. In patulo calamitates videntur & gravissima pericula per has omnes partes propter ejus nimiam potentiam, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus evenire, nec iste solus videtur habere præfatum locum Saonæ exosum, sed de die in diem peramplius sentimus; hoc esse commune apud plurimos nostrorum, & de hoc loco
D
graviores maximos proceres, ut clare habemus; quæ res nobis ingerit magnam difficultatem & turbationem circa locum antedictum, & quia cognoscimus efficacem & ardentem voluntatem vestram, quæ per Dei gratiam nobis conservata ac potius aucta & nullo tempore diminuta est, & quam fiducialiter speramus nobis conservari illæsam, & nullis contrariis affectionibus violari nec minui, & eamdem finaliter impleri, quam tamen variis & crebris ac efficacibus signis expressimus, & credimus strictiori vinculo amoris à quo processit, sufficienter servari, fine
E
cujusque objecti vestrum consequendi & mali fugiendi amminiculo, quæ in exhortationibus plurima asseruntur non sufficere ad pacem & unitatem christianorum per remotionem schismatis, nisi congruis mediis provideatur ejus unio prudens judicio continuo. Sollicite laboravimus dirigere gressus per semitas prudentiæ ad ipsam unionem pervenire, nec valuimus, obstante malitia temporis. Bene & cum Apostolo sentimus, dies mali facti sunt. Cum igitur
F
omnes collaudant unionem, vanas tamen esse intentiones non ambigimus, nec omnes qui eam pure concupiscunt prudenter incedunt. Nos autem eam & ad eam prudenter pervenire cupimus, ut spe firma & reipsa eam tandem teneamus. Et quia credimus tuam præsentiam, fili carissime, quam audivimus te amoroso animo & generoso velle exhibere, nedum utilem esse, sed plurimum necessariam ad hoc ipsum, te in

Domino exhortamur, ut venias cum potestate disponendi & ordinandi secundum quod videbitur expedire pro sacra unione & abstractione hujusmodi pestiferi schismatis: quam rem Altissimus inter alias suas miserationes nobis concedat, ut in ipso speramus. Datum Senis v. Septembris, pontificatus nostri anno primo.

SCHEDULA ADVERSUS BENEDICTUM XIII.

Anno 1407 *Ex ms. Colbertiano.*

PRimo dominus BENEDICTUS tempore quo cardinalis de Luna ac legatus erat ad regem Franciæ, laudabat super omnes vias viam cessionis, & tunc dixit domino Burgundiæ qui tunc erat, quod dominus CLEMENS & cardinales nisi vellent in eam consentire, quod eis deberet fieri subtractio.

II. Item in regressu suo de præfata legatione dixit pluribus cardinalibus, quod nisi dominus CLEMENS acceptaret eam, ipse remearet ad propria cum sarcinulis suis & negotiis: ita quod non intendebat fardellos suos dissolvere nec vasalias suas, sed remeare ad propria, nisi dominus CLEMENS tunc papa afferret pro unione ecclesiæ viam magnis præconiis in Francia prædictam.

III. Item, in introitu conclavis juravit acceptare dictam viam cessionis, prout continetur in cedula, &c.

IV. Item, ipse sub prima intentione quod renunciaret quotiescumque collegio cardinalium aut majori parti videretur expediens, &c.

V. Item, ipso sic electo & sub ista intentione inthronizato fuit requisitus à dominis cardinalibus quod renovaret præfatum juramentum, quod ita fecit.

VI. Item, mandavit regi Franciæ per ambaxiatores, per episcopum Avenionensem & magistrum Petrum Blavii, qui ad præsens est cardinalis S. Angeli, quod ipse vellet ad ipsum mittere solemnes ambaxiatores & de genere suo, quibus posset dicere voluntatem suam, & quibus posset firmiter credere, per quos posset assecurari de voluntate regis super modis & viis procedendi ad unionem ecclesiæ, & quod tales & tanti essent, quod possent demandare executioni, & quamcumque viam licitam & honestam ipsi afferrent, ex parte præfati regis, ipse prosequeretur cum adjutorio eorum.

VII. Item, verum est quod præfatus dominus misit tres dominos duces & cum eis plures clericos & consiliarios prudentes, qui factis ceremoniis & honoribus per eos ipsi domino BENEDICTO impensis, ut moris est, dixerunt sibi, &c. & causis suæ ambassatæ narratis, obtulerunt se laboraturos per quamcumque viam bonam & accommodam ad unionem Ecclesiæ, supplicantes ipsi domino BENEDICTO super aliquam viam bonam, & quam vellet aperire, qui noluit eis aperire aliquam viam, sed unam communem & generalem, &c. & quæ non videtur eis sufficiens, immo potius impediens, & supplicando quatenus vellent eam acceptare, in casu quod adversarius vellet acceptare. Ipsi obtulerunt ex parte præfati regis & ipsorum viam mutuæ cessionis amborum contendentium, & supplicando quatenus vellet eam acceptare in casu quod adversarius vellet acceptare, & vias repperibiles cum maxima humilitate supplicaverunt sibi in præsentia dominorum cardinalium. Sed quantum plus supplicabant, tantum plus denegabat.

VIII. Item, verum est quod finaliter dedit eis responsum in scriptis, & de illo responso fuit bulla confecta postea, in quam ipse offert viam præmissis limitatam, talem videlicet quæ contineri videtur in bulla super hoc.

IX. Item, in eadem bulla blasphemat viam cessionis decem blasphemiis, ita quod, ut patet per tenorem bullæ, ipse committit perjurium denegando viam cessionis quam juraverat, & ad colorandum suum perjurium ipse usus est aliquibus actionibus falsis, non tantum falsis, immo etiam erroneis in fide nostra, quod ipsum cedere omnino quod petebatur esset in Dei offensam, in Ecclesiæ damnum, in clavium contemtum & censuræ ecclesiæ læsionem, in exempli perniciem, in scandalum prælatorum, & fidelium sibi obedientium, in obdurationem majorem ipsius intrusi.

X. Item, dicta via est interdicta in prattica; immo à sanctis patribus tamquam una quæ repulsa & refutata, &c. videatur bulla quod videntur istæ actiones quod essent in offensam Dei, &c. sunt erroneæ in fide, quod pertinaciter asseruerit patet per protestationem in ejusdem bulla positam, scilicet quod ipse protestatur adunire quod pro merito habetur.

XI. Item, verum est quod ipse fecit comburi pontem Avenionensem ad excludendum iter dominis, ne possent plus reverti ad eum; ratione data quæ est superius expressa.

XII. Item, verum est quod domini reversi sunt ad villam Avenionensem, & celebrato concilio dominorum ducum, dominorum cardinalium, & ambassatorum Universitatis Parisiensis, fuit requisitus ipse dominus BENEDICTUS per cardinales una vice, quatenus vellet eamdem viam cessionis acceptare eo modo quo juraverat, &c. quod ita factum est; sed ipse dominus BENEDICTUS ad omnes istas monitiones sic requisitus, semper negative respondit.

XIII. Item, verum est quod videntes domini cardinales quod omnes requisitæ per eos factæ, omnes requisitæ per dominos duces nihil profuerunt, in eum concluserunt concorditer insimul quod fieret requisita simul per collegium & dominos duces cum omni reverentia, & requirendo obnixe, quatenus vellet acceptare viam cessionis eo modo quo juraverat, &c. quod ita factum est; sed ipse dominus BENEDICTUS induratus, &c. respondit: Absit quod temporibus nostris tantum inconveniens accidat Ecclesiæ sanctæ Dei, mallemus mori, &c. Ista responsio includit venenum in fide, scilicet quod sit inconveniens ipsum concedere renunciaturum primo; & tale inconveniens est tantum, quod mallet mori quam incurrere tantum inconveniens.

inconveniens. Et sic recesserunt domini cardinales, domini duces, scandalizati maximo scandalo.

XIV. Item, verum est quod rex Castellæ postea volens obtemperare aliquo modo voluntati ipsius BENEDICTI, & voluntati regis Franciæ, supplicavit sibi per ambassiatores solemnes offerendo quod vellet acceptare viam cessionis sub ista forma, quod primitus fieret conventio ad quam tendebat ipse Benedictus, ita quod facta conventione & laborato pro parte ipsius Benedicti, quod abdicaret papatum per triginta vel quadraginta dies per aliquam viam quæcumque fuerit illa, dum tamen licita; si hoc non posset fieri, adversarius offeret viam cessionis, vel precibus victus ad ea condescenderet, ipse BENEDICTUS tamquam induratione cordis plusquam Pharao respondit, se numquam hoc facturum.

XV. Item, verum est quod dominus noster rex Franciæ misit ambassiatores ad regem Aragonum, inter quos erat dominus abbas S. Michaëlis; sed dominus BENEDICTUS hoc præsentiens misit episcopum Avinionensem & aliquos alios ambassiatores, ad impugnandam viam cessionis, quam de facto impugnaverunt quantum potuerunt in præsentia regis Aragoniæ & totius sui consilii: addentes hanc falsitatem, quod rex Franciæ non quærebat viam cessionis, alio cedente, sed laborabat quod ipse dominus BENEDICTUS cederet ad finem quod eligeretur unus Gallicus seu Galliculus, & multa opprobria imponendo regi Franciæ & suis ambassiatoribus præfatis, quod poterit fieri facile per dominum abbatem prædictum.

XVI. Item, verum est, quod postea reges Franciæ, Angliæ & Castellæ, miserunt simul ambassiatores solemnissimos ad præfatum Benedictum & suum adversarium, ad supplicandum & requirendum, quatenus vellet acceptare viam cessionis mutuæ, &c. Sed prædictus BENEDICTUS fecit eam impugnari per quemdam advocatum Avenionensem dominus Bonifacius nuncupatum; & pro illo labore pulcro fecit eum statim cardinalem.

XVII. Item, verum est quod ipse dominus BENEDICTUS præsentiens quod præfati ambassiatores volebant adire suum adversarium Romanum, qui tunc erat, præmisit episcopum Tirasonensem cum quibusdam aliis ad faciendum conclusionem cum dicto adversario, & ad indisponendum eum ad viam cessionis, ut patet per hoc, quod ipsi erant familiares ipsi adversario, & intrabant quandocumque volebant cameram, & secreta ejus, & erant sibi domestici plusquam ambassiatores regis Angliæ, qui sibi obediebant, &c.

XVIII. Item, ex licentia & præcepto ipsius BENEDICTI præfatus episcopus Tirasonensis cum suis collegis fecerunt illi intruso reverentiam papalem.

XIX. Item, ille intrusus dedit idem responsum cum effectu sicut ipse BENEDICTUS, sicut videtur inter eos fabricatum per conclusionem, &c.

XX. Item, illud signum conclusionis inter eos fuit, quod cessavit anno quo fecerunt processus unus contra alium.

XXI. Item, verum est quod quidam Jacobita erat convictus de hæresi per inquisitores Aragoniæ, & in casu appellationis quæ erat commissa cuidam cardinali per Clementem; sed dominus Benedictus electus in papam sibi fecit apportari processum, & in ignem projecit, quare, &c.

XXII. Item, verum est quod pluribus dicit, immo aliquando in consistorio publico, quod crederet peccare mortaliter, si acceptaret viam cessionis.

XXIII. Item, dicit domino Guillelmo de Lignonvilla ad præsens præposito Parisiensi, quod mallet excommunicari, quam acceptare viam cessionis sub modo, forma, aut conditione quibuscumque.

XXIV. Item, verum est quod dominus noster rex celebravit postea consilium, &c. in quo fuit facta fidelis relatio de omnibus istis præfactis, in quo concilio fuit conclusum & determinatum quod præfati ambo contendentes de papatu perperam & notorie schisma faciebant, & quantum in eis erat causam perpetuationis ejusdem præbebant, quod nulli eorum poterat licite obediri. Etiam fuit conclusa subtractio.

XV. Item, verum est quod subtractione facta in regnis Franciæ & Castellæ, domini cardinales miserunt quatuor de solemnioribus eorum, supplicantes quatenus vellet acceptare viam cessionis, ... bona fide. Quod si vellet eam acceptare, quod laborarent tantum & taliter, quod ambo regna reverterentur ad ejus obedientiam. Qui BENEDICTUS petivit inducias pro responsione ferenda, usque ad tertium diem: & die tertia respondit quod mallet membratim frustatim lacerari. Quanta pertinacia! &c.

XXVI. Item, verum est quod cardinales videntes ejus pertinaciam, etiam fecerunt sibi subtractionem.

XXVII. Item, subtractione sibi facta, videns quod non posset eam recuperare, nisi acceptaret viam cessionis, eam acceptavit, id est promisit se renunciaturum altero cedente, ejecto, vel mortuo. Quo facto istud instrumentum fuit publicatum in Castella & Francia, &c.

XXVIII. Item, & ob illam causam fuit sibi facta restitutio obedientiæ talis qualis per & secundum quatuor conditiones, quas suppono pro habitis, & ideo pertranseo.

XXIX. Item, verum est quod nullam illarum conditionum adimplevit, quod verum fuit, ut faciliter potest declarari discurrenti per singulas conditiones, quarum prima fuit, quod renuntiaret altero cedente, mortuo vel ejecto; sed verum est quod alter mortuus est, & tunc non cessit, neque renunciavit.

XXX. Item, posuit in vindictam gravamina intolerabilia ecclesiæ Gallicanæ, ut patet inductione.

XXXI. Item, expulit multos valentes à

propriis beneficiis & prælaturis.

XXXII. Item, ne corrigeretur, noluit celebrare concilium suæ obedientiæ in Francia per ipsum promissum.

XXXIII. Item, restitutione sibi facta, statim ivit Januam, ut posset vexare regnicolas Franciæ & Castellæ.

XXXIIII. Item, promisit Januensibus dare bullam super via cessionis; quod promissum non adimplevit, immo firmiter denegavit.

XXXV. Item, postquam ivit Januam, dixit pluribus, & pluries: *Ad quid laborant illi de Universitate Parisiensi? ego mallem potius esse pauper capellanus per mundum fugitivus, quam acceptare viam cessionis.*

XXXVI. Item, ultimate respondit ambassiatoribus regis Castellæ denegando præfatam viam cessionis, & non solum viam cessionis, sed etiam concilium generale.

XXXVII. Item, misit per cardinalem de CHALANT ad regem Franciæ ultimam voluntatem suam, ut videtur, conventionem generalem non descendendo ad aliquam viam in speciali. Innuitur quod non quærit nisi subterfugia.

XXXVIII. Item misit per illum cardinalem bullas regi Franciæ super subsidiis levandis per ipsum regem super clerum Franciæ taliter quod traderentur regi, si rex vellet consentire quod ipse Benedictus levaret temporalia mortuorum & cetera gravamina super clerum Franciæ, & quod rex noluit consentire, præfatus cardinalis reportavit secum dictas bullas: & sic intendebat clerum Franciæ spoliari, nedum per ipsum, sed per potestatem sæcularem.

CREDENTIA MAGISTRO JOHANNI Francisci regi, dominis ducibus Bituricensi, Aurelianensi, & Burgundiæ & Universitati.

Anno 1407 *Ex ms. Coislin.*

ET primo quod jam domini cardinales qui sunt hic rescripserunt sibi quod attenta difficultate quam alter fecit de loco Saonæ, non debet stare firmus in oblatione quam fecit publice gentibus Gregorii in Massilia antequam fieret mentio de loco Saonæ, nam tunc publicè ipsis obtulit per organum cardinalis Albanensis civitatem Pisanam, nunc ille de Roma illam offert, vel Romam, vel Senas, vel Florentiam, vel Lucam. Sed ista inter ceteras est magis omnibus hactenus conveniens: quia de Saona noster statim potest esse ibi & alter esse infra tres vel quatuor dies de Sena vel de Florentia ubi nunc est. Et ideo videtur quod sine dilatione rex deberet sibi scribere, consimiliter ad cardinales, quod pro bono pacis & unionis, vellet statim iter suum arripere Pisas, vel Livorem, quæ est regis vel marescalli, ubi ipse securus staret sicut in domo sua.

Item, ipse locus placuit regi & dominis, & exprimitur in instructionibus nuntiorum.

Item, quod omnino statim nunciis per regem & dominos quod ipsi sollicitent papam diligenter, & procedant secundum instructiones suas, nihil obmittendo penitus.

A Item, dicatur dominis rectori & deputatis ad patrem, quod inter ceteros homines mundi solus LADISLLAUS adversarius regis LUDOVICI magis impedit unionem, & quod attento, quod ipse est de domo Franciæ, pro tanto bono, sicut est pax Ecclesiæ, expediret quod rex mitteret ad eum sine nova expensa episcopum Meldensem vel COLLARDUM de CALLEVILLE, vel ambos, & quod ipse requiret eum quod sequendo exempla regum Franciæ, de quorum prosapia ipse noscitur descendisse, ipse velit cum rege laborare ad unionem ecclesiæ, & quod licet dominus rex LUDOVICUS sit rex magis propinquus, tamen propter honorem Dei & bonum pacis, rex intromitteret se libenter de inveniendo bonam concordiam pacis inter eos, & pro certo dominus gubernator Januensis, & alii plures viri notabiles asserunt, quod ex hoc posset breviter sequi pax ecclesiæ, & una bona concordia inter regem LUDOVICUM & suum adversarium. B

C Item, dicet dominus quomodo Johannes & Paulus de Ursinis miserunt recenter post patriarcham unum hominem notabilem, dicentes quod Romani offerunt regi tradere sibi dominium civitatis Romanæ, & quod ponat ibi si placet expensis eorum unum gubernatorem, sicut fecit Januæ, & teneat dominium donec sit facta unio ecclesiæ Dei.

Item, petunt subsidium mille lancearum pro tribus mensibus, quæ æstimantur ad quadraginta quinque millia florenorum.

D Item, dixerunt quod dominus rex LUDOVICUS de ista summa deberet solvere unam bonam partem, & alia posset satis leviter ab ecclesia haberi pro tanto bono: quia sine dubio illi asserunt, quod in casu quod ista non recipient conclusionem per totum mensem Octobris, sine dubio LANDISLAUS habebit dominium urbis, & habebit intrusum qui satis est secum concors, & erat clara via ad perpetuationem schismatis.

E Item, dicet dominis quod cum papa sunt nuncii regis Castellæ veri papales, qui debent ire ad Franciam, & non venerunt hic, nisi pro indulgentiis habendis pro guerra Granatæ, & subsidio ab ecclesia regni, & asseritur quod hic fortiter tractatur, quod nullo modo considerationes regum & regnorum de novo confirmantur, scilicet Franciæ & Castellæ, & consimiliter à villis quæ diligunt causam istam, quod quando illi nuncii veniant in Franciam, quia ibidem sunt in brevi venturi: quod si faciant in confirmatione prædicta difficultatem aliqualem, quod nullo modo tractetur super hoc cum ipsis, sed statim rex mittat ad Hispaniam, quia sine dubio, non obstante contradictione, quæ hic fabricatur, rex habebit optatum, & dum eorum instructio . . . . quod in Francia conforment se ordinationi Benedicti. F

Item, dicatur domino Bituricensi, quomodo de persona sua sunt hîc seminata nova sinistra, de quibus aliqui faciebant magnum festum.

Item, dicatur ambobus dominis, cuilibet & specialiter, cum traditio litterarum super liber-

tatibus ecclesiæ regni confectarum, est sine dubio potius ad celerationem unionis quam ad retardationem, & quod ipse si impediat, hoc acquirit magnum onus suæ conscientiæ, detrimentum non modicum bonæ famæ suæ, & ita asserit sibi scribens in conscientia sua, & sub debito fidelitatis quo sibi tenetur, & quod ulterius ad ista & alia multa bene attendat, quia ipse bene scit quod multos habet sibi exosos. Vel dicatur domino Aurelianensi. A

Item, dicet dominis quomodo præsentia dominorum cardinalium nunc in Avenione existentium est & erit ad prosecutionem unionis, quam rex facit summe necessaria, & hac de causa venit patriarcha, dominus Belvacensis, abbas Molismensis, magister Johannes Guioti, & magister Johannes Francisci venerunt ipsos quæsitum, & cum ipsis revertentur statim Saonam. B

Item, quod sic unitas prosequatur, quod illi qui remanebunt habeant eamdem potestatem sicut tota ambassiata.

Item, scribatur sæpe gubernatori, ut juvet, dirigat & protegat ambassiatores, quibuscumque favoribus postpositis. C

Item, habeatur à rege littera patens, continens quod rex adjungat eum cum nunciis in ambassiata, ut procedat cum ipsis secundum instructiones eis datas, quas rex vult ipsum jurare.

Item, dicatur regi, dominis & universitati, quod si velint aliquos remansuros ad prosequendam unionem, quod provideatur eisdem de expensis: alias nulli remanebunt. D

Modus prævidendi est impositio decimæ facta per nuncios.

Item, quod impetretur littera regis ad cogendum viros ecclesiasticos in provinciis Narbonensi, Tolosana, & Auxitana, in diocesibus Aniciensi, Mimatensi, Caturcensi, Rodoniensi, Albiensi, Castrensi, Arelatensi, Avenionensi, Vivariensi, ad solvendum, &c. hujusmodi mediam decimam per ambassiatam impositam dirigenda magistro Johanni Auboyni alias . . . præposito ecclesiæ S. Martini ad hoc deputato per eosdem ambassiatores. E

Item, *d'envoyer par le chevaucheur lettres closes du roy de monseigneur de Berry, adressant aux comtes d'Armagnac & de Foix, que ils s'en fient & mandent par le nos pais aux gens d'Eglise, qu'ils payent leur demy dixme; tant de celuy qui est passé comme de celuy qui est advenir, car autrement les gens d'eglise n'y vouldroient obeir, & que on les envoye avec les lettres patentes.*

Item, *qu'il souveigne à Maistre Jehan François qu'il parle de Esculant qui trouble le fait de l'Eglise par deça, par la commission que luy a donné l'abbé de Moistierramé contre les ordonnances de messeigneurs les ambassadeurs.* F



MEMORIA PRO VERA SERIE eorum quæ gesta sunt in facto unionis Ecclesiæ anno MCCCCVII. per dominum nostrum regem Franciæ vel ex parte sua per nuncios, quos ipse pro hoc facto misit ad dominum BENEDICTUM, & etiam Romam ad dominum GREGORIUM, qui ambo miserant regi bullas suas de dando pacem Ecclesiæ per viam cessionis.

I. PRimò dictus GREGORIUS monuit & rogavit regem, ut cum nunciis suis mittendis ad dominum BENEDICTUM, habentibus potestatem tractandi cum dicto domino BENEDICTO, & accordandi de loco & aliis agendis in materia unionis Ecclesiæ; mitteret etiam suos proprios, ut juvarent ad hoc ipsum. Anno 1407 *Ex ms. Colbertino.*

II. Item, rex cum concilio totius Ecclesiæ regni ac Universitatum, (quod quidem concilium tunc erat in mense Novembri Parisius congregatum,) viros plurimos notabiles in magno numero, quorum nomina in folio quinto in principio instructionum eis datarum sunt inscripta, pro hac materia destinavit, dans eis instructiones quæ in dicto folio scriptæ sunt.

III. Item, veritas est quòd antequam dicti nuntii venissent Massiliam, ubi erat dictus dominus BENEDICTUS, nuncii dicti GREGORII, scilicet domini episcopi Montanensis nepos suus, & Tudertinus, & quidam doctor vocatus Antonius de Butrio, tractaverant, & jam concordaverant de agendis in hac materia, & de tempore ac de loco in forma, prout hîc immediatè supra scribitur.

IV. Item, dictis nunciis regis existentibus in civitate Aquensi in Provincia, antequam intrassent Massiliam, venerunt ad eos primò dictus Tudertinus, & postea alii duo nuntii dicti GREGORII, qui in præsentia etiam domini cardinalis de Tureyo dictum tractatum narraverunt esse factum, exhortantes ne quovis modo irritaretur dominus BENEDICTUS, neque quovismodo daretur occasio rumpendi tractatum hujusmodi; dicentes etiam quòd si dominus BENEDICTUS per sustractionem vel aliter artaretur ad cedendum, dominus GREGORIUS non per hoc inclinaretur ad cedendum, sed potius retraheretur. Narraverunt etiam quod dominus episcopus Montonensis erat ad dictum dominum avunculum suum Romam recessurus: alii verò, scilicet Tudertinus & doctor, erant ituri Parisius ad regem ad omnia notificandum, & supplicandum pro confirmatione tractatus hujusmodi in quantum dominum regem tangebat.

V. Item, veritas est, quòd nuncii GREGORII, præsente dicto domino cardinali de Tureyo, significaverunt ad partem quatuor de dictis nunciis regis, scilicet domino patriarchæ, domino episcopo Meldensi, domino Colardo militi & . . . quod si ipsi possent eis concedere galeas de Janua vel alias, & eas mittere Romam pro dicto domino GREGORIO,

ut posset ire ad locum Saonæ à partibus accordatum, ipse indubitanter illis uteretur. A

vi. Et hic nota quòd dicti duo, scilicet Tudertinus & doctor, quando Parisius reversi transiverunt per Januam, ubi dicti nuncii regis etiam reversi de Roma pro tunc erant, confessi fuerunt coram eis, & in præsentia notarii articulum præcedentem de dictis galeis, & cetera continere veritatem, sive contenta in eo esse vera, de quo fieri debuit instrumentum, & tamen quòd dictus episcopus Montonensis nepos dicti GREGORII posteaquàm Romæ venerat, B hæc negavit, ut infra scribitur.

vii. Item, ex hac occasione & confidentia atque bona fide, dominus Meldensis, de quo supra, assumtis secum duobus de nunciis, ivit celeriter Januam cum dicto domino Montonensi nepote GREGORII, & simul cum domino gubernatore Januæ dicto *Bouciquault*, tractaverunt & procuraverunt tantum, quòd ad illud opus debebant habere galeas, & ex nunc secum aliquas galeas habuerunt, expensis dicti regis, C quæ etiam ejus expensis ductæ sunt sub hac confidentia usque Romam: in quibus sine quocumque onere aut expensis, etiam ductus est dictus Montonensis, & in Janua atque Massilia tractatus est honorificè, favorabiliter, atque sumtuosè sub specie boni unionis.

viii. Item, in dictis galeis iverunt unus de nunciis regis, scilicet magister G. Pulcri-nepotis, & nuncii civitatis Januensis, & etiam nuncii civitatis Saonæ, habentes sufficientem potestatem, omnia in dictis articulis accordatis D contenta, quantum eos tangebat ratificandi & adimplendi seu confirmandi, sicut etiam fecerunt, stipulantibus hæc dicto GREGORIO & cardinalibus suis, sicut patet per bullas dicti GREGORII super his datas illis de Saona supradictis, per quas apparet eum totum pro tunc ratum habuisse quod factum fuit, quia per bullas regratiatur Saonensibus sibi offerentibus securitates, &c. quas acceptat, & dicit se velle eis uti.

ix. Item, dictus Montonensis nepos Romæ fecit relationem suam coram dicto GREGORIO publicè, assumens thema suum, *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, &c.* Et ibi satis E apparuit eum omnia pro tunc rata habuisse & habere, quia nihil tunc reprobavit de actis per dictum nepotem & alios suos nuncios.

x. Item, statim post, adhuc existente Romæ prædicto nuncio uno de ambaxiatoribus regis, scilicet Pulcri-nepotis, de quo supra, dominus GREGORIUS, nescitur quo spiritu ductus, mutavit consilium recusans locum Saonæ, sicut apparuit ex verbis dicti Montonensis nepotis sui, qui instanter per media, & maxime per litteras scriptas fratri Johanni Dominici, quæ F sunt ut dominus gubernator Januæ vellet denegare locum Saonæ, & saltem quòd de alio loco usque ad mensem Martii tractatus haberetur, sicut hæc ad plenum retulit dictus Pulchri-nepotis, cùm Januam de Roma rediit, antequam dominus Patriarcha & alii qui per mare erant ituri Romam, arripuissent iter suum.

xi. Item, quasi eodem tempore dictus gubernator Januæ recepit litteras à pluribus nobilibus de Roma, per quas significabatur quod dictus GREGORIUS tendebat ad rumpendum tractatum prædictum sub occasione loci de Saona. Quo significato dictis nunciis regis, qui per mare erant ituri Romam, & erant adhuc in Janua, deliberaverunt ipsi quòd non deberent ad mutationem loci aliqualiter consentire; & de intentione etiam dicti GREGORII ad mutationem loci fuerant satis informati pars dictorum nunciorum regis, qui per terram jam ibant Romam, cùm essent in Viterbio, ubi repererunt cardinales de Ursinis & Leodiensem. Dicti etiam qui per mare ibant Romam, in portu Liburni viderunt litteras dicti Montonensis, qui jam erat factus episcopus Bononiensis, satis exprimentes de voluntate mutandi locum Saonæ, & de non acceptatione galearum, quæ jam in Janua paratæ fuerant ad requestam ejusdem nepotis, ut dictum est, & etiam receperunt quando venerunt in civitate veteri, quòd hoc jam publicè dicebatur apud omnes.

xii. Item, de mense Julii scripsit dictus GREGORIUS ante adventum nunciorum regis domino BENEDICTO, excusans se quòd non poterat ire ad locum Saonæ propter defectum galearum, quorum carentia sibi molesta erat; sed cùm posset habere significaret. Ad quas litteras dominus BENEDICTUS rescripsit, exhortans eum, quòd staret in promissis, & harum litterarum copias dictus GREGORIUS post recessum dictorum nunciorum regis de Roma, misit regi, per quas satis potest de hoc veritas apparere.

xiii. Et ex his adverte quòd manifestè apparet de intentione dicti GREGORII circa mutationem loci Saonæ, ante adventum dictorum nunciorum regis in Roma. Quare nullomodo potest impingi dictis nunciis quòd ipsi post eorum adventum dederint dicto GREGORIO occasionem quærendi loci mutationem, sicut postea aliqui de suis, dictis nunciis regis imponere voluerunt.

xiv. Item, pars nunciorum qui per terram iverunt, præcesserunt alios qui per mare debebant ire per xi. dies; quia applicuerunt Romæ iv. die Julii: & in illo tempore sollicitaverunt dictum GREGORIUM & omnes suos cardinales, quos sæpe & sigillatim visitaverunt ad bonum unionis, significantes quòd dominus patriarcha & alii episcopi, ac alii qui per mare veniebant, litteras eis directas præsentarent, & de negotio plenius loqui habebant, cùm venissent.

xv. Item, cùm dicti nuncii per mare venissent, & sic essent omnes simul, accesserunt primò ad exhibendum dicto GREGORIO reverentiam competentem; & tunc assignata est dies sequens ad audiendum suam credentiam. Sic enim voluit ipse GREGORIUS: quia dicebat se velle infra triduum recedere; & factis propositionibus tam ex parte regis, quàm ex parte Universitatis, ipse dixit palam quod locus de Saona non erat idoneus, nec honestus pro obedientia sua, sed omnino mutandus. Addidit de via cessionis, quòd non erat juridica, & multa sonantia recessum ab accordatis Massiliæ. Inter alia etiam dixit se esse verum papam, cui statim dixit patriarcha: Non fatemur.

XVI. Dicti nuncii non contenti supplicaverunt pro alia obedientia, quam habuerunt postea in camera sua pluribus vicibus per XXIV. dies manentes in Roma, & hoc negotium prosequentes nunc cum ipso, nunc cum cardinalibus suis, nunc per paucos, nunc ad partes, & aliàs, ut credebant posse proficere: & aliquando visus est manifestè flere dicens: Ego dabo pacem Ecclesiæ, rogando dicens: Non me deseratis, &c. Quod fuit in camera sua, ubi fuerunt sex de nunciis, quos sex ipse vocari fecerat, scilicet dominos episcopos Cameracensem & Belvacensem, & etiam abbates duos, qui tunc erant in Roma, scilicet Molismensem & Gemeticensem; cancellarium Parisiensem & magistrum Jacobum de Noniano. Et ibidem post aliquas argumentationes, dixit viam cessionis sic circumstantionatam, ut est hoc tempore, esse bonam & juridicam, ac justitiæ; & quòd ad eam ex voto tenebatur: & videbatur bonam habere voluntatem, licet semper diceret locum Saonæ esse mutandum, sicut aliàs dixerat. Dixit etiam quod licet rex daret salvum conductum, tamen aliqui domini de Francia fortè non tenerent, dicens ita nuper accidisse nunciis de Florentia, quos dominus Aurelianensis detinebat, &c. Cui respondit dominus Cameracensis, quòd illud negotium erat aliud quàm credebat: nec umquam visum fuit, quòd contra salvum conductum regis, aliquis quantumcumque magnus auderet attentare in regno, & quòd satis poterat habere confidentiam in salvo conductu regis.

XVII. Item, ad magis movendum dictum GREGORIUM, quia dicebatur per suum nepotem quòd erat egens: ne sub hoc prætextu reciperet occasionem differendi negotium, & ut posset de securitate sibi providere, obtulerunt superabundanter dicti nuncii quæ sequuntur sub conditione, si vellet ire ad locum Saonæ & uti galeis prædictis sibi ad hoc præparatis. Primò ad partem in introitu Romæ patriarcha nepoti suo ad hoc opus obtulit quatuor millia francorum: qui cùm misisset pro dicta pecunia, & peteret dictus patriarcha quòd daret cedulam recognitoriam de eundo Saonæ, & de receptione dictæ pecuniæ pro hac causa, &c. hoc negavit. Obtulerunt quòd laborarent ad hoc quòd ei status securus & honestus, eo cedente, ministraretur; & quòd quinque vel sex galeæ armarentur sumtibus regis pro ipso, durante tempore tractatus: adjiciendo quòd etiam aliàs adjuvarent, si opus esset, & quòd capitanei galearum jurarent sibi fidelitatem ex concessione domini gubernatoris; immò omnes de galeis; & quod ibi poneret de suis quos vellet, & aliqui de patronis, scilicet dominus Johannes de Marinis, adhuc obtulerunt dare filios proprios in obsides. Obtulerunt etiam ministrare cum galeis navigia minora, si opus esset, pro cardinalibus aut aliis secum venturis, sicut dictus nepos rogaverat gubernatorem in Janua, Obtulerunt ultra pro dicto gubernatore Januæ, quòd ipse daret nepotem suum in obsidem & duos milites, scilicet dominum Choletum & dominum Ro. *de Milly*, centum cives Januenses, & quinquaginta cives Saonenses, & seipsos in obsides, si opus esset. Obtulerunt etiam castra Januensia in manu sua & ad expensas Januensium solitas, sic quòd si plus oporteret, ipsi solverent. Quæ omnia offerebantur sub spe & in casu, quo dictas galeas vellet ascendere pro eundo ad locum Saonæ; & cum hoc etiam salvos conductus regis & gubernatoris in meliori forma quod fieri posset. Et licet ex parte sua dictum fuisset, quoad articulum galearum, quòd ipsæ deberent armari de gentibus alienis, non de Januensibus, expensis tamen regis; deductum est & ostensum clarè, quòd hoc minus fieri poterat quàm de galeis Venetorum habendis, quas profitebatur se non posse habere. Præterea quia ipse dicebat se dubitare de proditione Urbis & aliquorum locorum patrimonii Ecclesiæ, si ipse arriperet iter Saonam, propter regem LADISLAUM, &c. fuit sibi oblatum vel cardinalibus suis pro eo, quòd rex solveret per tres menses mediam partem stipendiorum & requisitorum pro ordinatis ad custodiam Urbis: quæ quidem medietas pro quolibet mense ad tria millia quingentorum Francorum. Numquam tamen voluit de certo respondere aut accordare de eundo Saonam pro adimplendo ea quæ fuerunt Massiliæ accordata.

XVIII. Item, quia nuncii habebant litteras ad Romanos, sicut in aliis legationibus factum fuerat apud eos: ipsi præsentaverunt litteras suas in Capitolio, præsente senatore, qui est officiarius suus, & pluribus de Urbe; & per Magistrum Johannem Parvi magistrum in theologia narratæ sunt diligentiæ, quas fecit rex & regnum ac Universitas in materia Ecclesiæ. Narratum est etiam de parte oblatorum dicto GREGORIO, quia non omnia contenta in præcedenti articulo fuerant oblata pro tunc; quia nec fuerat occasio illa offerendi. Narravit etiam responsionem dicti GREGORII, concludens quod vellet inducere dictum dominum suum ad adimplendum tractatum factum Massiliæ: sæpe dicendo quòd hæc facerent cum reverentia & caritate, & bonis modis, & honore: subjungendo quòd hæc unio erat eis necessaria pro spirituali & temporali prosperitate, quódque rex non quærebat tenere curiam in Avenione. Ad quæ dicti Romani gratissimè & honestè responderunt, laudantes totum factum, & offerentes se facturos, cum benevolentia tamen & honore dicti domini sui pro bono pacis & unionis, &c.

XIX. Item, verum est, nec ipse GREGORIUS aut alius in Roma poterat negare, quòd per totam Urbem currebant rumores, immo per totam Italiam contra eum & modos suos: quorum dicti nuncii erant, vellent nollent, auditores, non actores. Et aliqui de suis, sicut frater Johannes Dominici de ordine Prædicatorum, & alii, etiam ante adventum dictorum nunciorum in Roma, aliquotiens sibi hoc dixerant quòd multi contra eum obloquebantur ex eo quod non videbatur in accordatis permanere, nec tendere ad celeriter ponendum in Ecclesia pacem, ut debebat.

XX. Item, dum de prædictis haberetur ver-

bum cum dicto GREGORIO, ipse assiduè stabat in verbis generalibus dicens: « Tractemus istam materiam caritativè & prudenter. Aliquotiens dicebat: Veniamus ad practicam: Ego sum indigens, & oportet conservare honestatem meam & obedientiæ meæ super loco conventionis, & quod habeam galeas fidas. Illi qui fecerunt dictum tractatum in Massilia, magis innitebantur imaginationi quàm rei, credentes quòd de Venetia possem habere galeas, & similia. » Et dum pro remedio prædicta sibi oblata refferrentur & iterum offerrentur, ipse semper stabat in eadem cantilena usque ad tædium sine fructu. Quod attendentes dicti nuncii post multos dies & crebras conventiones sic consumtas inutiliter, dixerunt sibi, quod si non vellet aliud dicere, ipsi recederent, & capiebant licentiam: nihilominus tamen adhuc postea multis diebus remanserunt, & cum eo loquuti sunt valde sæpe; & inter alia sibi dixerunt: « Si pauca obtulimus, tamen adhuc parati sumus stare judicio cardinalium vestrorum, si aliquid ultra facere debeamus secundùm possibilitatem nostram, nihil tamen immutando de tractatu accordato Massiliæ. » Ad hæc nihil respondit.

XXI. Item, dum inter alia sibi diceretur, Nepos vester requisivit galeas pro vobis dum esset in Janua, &c. Respondit quòd non erat pro eundo Saonam, sed quia ipse nepos sciebat eum pro tunc per Paulum Ursini infestari, eas petebat, ut de Roma posset exire securè: & tunc etiam in præsentia dicti nepotis asserebatur per nuncios, maximè per dominum Meldensem, qui de dictis galeis fecerat diligentiam in Janua, quin immo per expressum dixerat quod pro hac causa eundi ad locum, &c. Dicebatur etiam sibi quòd ita bene poterat confidere in dictis galeis pro eundo Saonam, sicut pro eundo alibi extra Romam, maximè pro bono Ecclesiæ, & pro adimplendo juramentum & promissa sive accordata. Et cùm diceret quod galeæ Januenses erant exceptæ in dicto tractatu; responsum est sibi quòd non sunt exceptæ ad hanc intentionem quòd unus eorum non posset uti eis, maximè de consensu alterius. Ideo non oportebat ex hoc colore recusare eas. Item, offerebatur sibi quod caperet, si vellet, corpora galearum & eas armaret gentibus quas vellet, Januensibus amotis; & totum ad expensas regis Franciæ sicut prius; sed nihil voluit acceptare.

XXII. Item, dicti nuncii sæpe rogaverunt cardinales de Roma, ut inducerent dictum dominum suum ad adimplendum tractatum cum multis persuasionibus. Et respondebant se facturos & bene sperare de domino suo, addentes quòd in casu quo deficeret, ipsi nihilominus adimplerent promissa sua. Et adverte quòd ita continetur in responsione quam fecerunt in recessu nunciorum, quæ scripta est infra. Dicti verò nuncii eorum intentionem laudabant, dicentes quòd similiter si dominus BENEDICTUS promissa non teneret, alii christiani deberent procedere ad unionem spretis eis. Verum est quòd unus, scilicet miles qui ibi erat de nunciis, dixit in casu tali, ubi scilicet renuerent ipsi contendentes viam pacis, exterminari deberent & comburi. Et attende quòd iste fuit modus dicendi, & fuit hoc in capella palatii sancti Petri, ubi erant dicti nuncii cum dictis cardinalibus stando & de prædictis loquendo. Hæc dico pro advisando contra illum de Roma & aliquos de suis, qui imputant ex hoc dictis nunciis, quod prædicta debuerunt dici ad commovendum seditionem, &c. quia familiariter hoc dixit dictus miles & bona fide, &c. non intendens ad injuriam quovis modo.

XXIII. Item, cùm impingeretur contra dictos nuncios cur tam pertinaciter inniti videbantur illi loco de Saona, cùm facilius videretur provideri posse de alio loco, quàm de hoc contendere, &c. Ad hoc dixerunt quòd hoc esset dare materiam recedendi à jam accordatis, de quo nolebant esse in causa, & quòd sine consensu domini BENEDICTI hoc facere non debebant, nec sine consensu regis eos mittentis; & quòd æque placuisset eis, si fuisset de alio loco concordatum, cùm etiam haberent in instructionibus suis ex parte regis quòd placebat locus de Senis, de Pisis, & Florentiæ, &c. Et etiam erat verum quod dominus BENEDICTUS tempore quo cum eo agebatur de loco obtulerat Pisas, obtulerat etiam quòd quilibet eorum accederet circa fines obedientiæ suæ pro tractatu & collationibus mutuis: quæ tamen à nunciis GREGORII fuerant recusata; & in dicto loco Saonæ unanimiter concordatum & postea divulgatum ubique, & per eum aliquotiens apparatum tam per bullas, quas aliàs dederat Saonensibus, quàm alias. Immò, ut fertur, alias dicere debuerat, quod etiam si deberet ire Saonam cum bargueta & baculo, ipse iret priusquam deficeret in promissis. Et pro hoc adverte quòd ipse dederat ambaxiatoribus suis in mandatis quos miserat Massiliam, scilicet domino nepoti suo & episcopo Tudertino, &c. & de manu sua propria, quòd prius acceptaret locum Avenionensem vel Gandavum in Flandria, quàm recederet sine concordia de loco aliquo, & ita coram omnibus nunciis apud Aquensem civitatem retulit dictus Tudertinus.

XXIV. Item, semel in publica locutione, quia dicebatur sibi quod non deberet diffidere de rege; dixit, « Non debeo, nec volo me committere potentiæ quæ non utitur ratione, » loquendo de rege; & similiter in privato coram sex de quibus supra. Cùm ipse impugnaret litteras regis de verbo illo *sine tractatu*, quod tamen erat ex vitio scriptoris, quia debebat ibi esse *sine tractu*: Ipse satis idem dixit, subjungens quòd alias fuerant infracti salvi conductus regis in Francia, declarans de illis Florentinis de quibus supra fit mentio in quodam articulo, ad quod sibi fuit responsum in dicto articulo.

XXV. Item, advisati fuerunt dicti nuncii ad partem per graves & fide dignas personas, quòd aliqui familiares dicti GREGORII suggerebant sibi quòd poterat dictos nuncios detinere & arrestare, immo interimere, & quod sic fecisset BONIFACIUS prædecessor suus, vel nepos INNOCENTII alterius sui prædecessoris, & multa

similia: quibus ipse præbebat aures: nihilominus tamen dicti nuncii persistebant in prosecutione negotii, nihil inde minus reverentiæ & honoris impendentes; & cùm solùm sibi diceretur, quòd galeæ fuerant armatæ pro ipso, dictus nepos statim dixit: Ipsi dicunt ista ad dehonestationem vestram, pater sanctissime, &c. Et certum fuit de aliquibus injuriis illatis dictis nunciis, inter quas est illud de sacco portato penes dominum patriarcham, de quo tamen auctor est incertus. Hæc tamen omnia dicti nuncii patienter portaverunt, ne darent turbationis materiam.

XXVI. Item, nuncii domini BENEDICTI die XXIX. Julii ab eo recesserant, & responsionem acceperant quæ infra scribitur; & jam erant in Hostia, cum dictus GREGORIUS rogari fecit dictos nuncios, ut procurarent, quod prædicti nuncii domini BENEDICTI redirent, quod & fecerunt sub spe habendi meliorem responsionem quam dederat: Et cùm rediissent, ipse dedit eis illam responsionem longam quæ infra scribitur, scilicet ultima die mensis Julii, quæ satis efficaciter illico fuit impugnata: & postquam dicti nuncii recesserunt, adhuc manserunt nuncii regii; & die III. Augusti dedit responsionem de eundo ad Petram-sanctam, quæ etiam infra scribitur. Sequenti die ab eadem responsione recessit. Videntes igitur nuncii nihil posse ab eo haberi certum vel quod valeret, disposuerunt de recessu. Prius tamen supplicaverunt cardinales illius quòd ipsi vellent adimplere promissa, licet ipse non impleret, quódque si contingeret eum mori, ab electione alterius cessarent, & quòd super hoc procurarent fieri constitutionem, &c. Ad quod dicti cardinales responderunt accordando, prout infra scribitur.

XXVII. Item, post recessum dictorum nunciorum de Roma, aliqui de cardinalibus dicti GREGORII bonæ affectionis ad materiam, procurabant quòd ipse saltem veniret usque ad Petram-sanctam, villam finitimam territorii Januensis, in dominio domini de Luca. Ipso autem existente in Senis, postquam de Roma recesserat, dictus de Luca super hoc requisitus, quod sibi vellet concedere dictam villam & castrum, & ponere in sola manu ipsius GREGORII, &c. respondit & obtulit planè villam; castrum autem obtulit tradere in manu duorum de cardinalibus suis, quos vellet, vel in manu capitanei gentium suarum armorum, scilicet domini Bernardi, qui etiam est affinis dicti de Luca: vel si dictus GREGORIUS mallet, volebat dare in obsides duos filios suos: quæ omnia recusavit. Et nihilominus firmavit non venire ad dictum locum de Petra-sancta, nec ad Saonam.

XXVIII. Item, post festum omnium sanctorum, die scilicet IV. Novembris apud Saonam, ubi à festo S. Michaëlis steterat continue dominus BENEDICTUS, venerunt ex parte GREGORII tres ambaxiatores, scilicet unus protonotarius vocatus Jacobinus de Torso, & unus abbas dictus de Pratalia, Paduensis diocesis, & unus

A sæcularis Venetus, vocatus Franciscus Justiniani, qui excusaverunt absentiam dicti GREGORII, primò prætendentis quod non fuit obligatus ad ibi veniendum, ex eo quod illi nuncii sui scilicet nepos, & de quibus supra, licet haberent potestatem eligendi quemcumque locum idoneum pro unione, & eis nominasset dictus GREGORIUS XXXI. civitates, tamen ad partem exceperat civitatem Januensem: per quod intelligebantur omnia loca excepta, quæ sunt sub Janua, & per consequens locum Saonæ: quare,

B &c. Secundò quia in capitulis accordatis in Massilia erant conditiones aliquæ quæ impletæ non fuerant, puta de galeis habendis à Venetis, circa quod dictus GREGORIUS fecerat diligentiam & sui cardinales, mittendo ibi & alibi, licet tamen, ut dictum est, non teneretur, sed ex abundanti affectione hoc fecit, & nullas habere potuit. Alia conditio etiam non impleta, scilicet de pace facienda inter Venetos & gubernatorem Januæ, quod dicebat non fuisse impletum. Tertiò dicebat GREGORIUS ex eo non

C teneri ad locum Saonæ, quia rex LADISLAUS ei minatus fuerat de occupando terras Ecclesiæ, si ad Saonam accederet, & posuisset patrimonium Ecclesiæ in periculo, & dicebat quòd dictus rex jam ad hoc de facto processerat, occupans civitatem Tusculanam & alia loca, & idem requirebat rex Hungariæ, ut dicebatur: sic etiam multiplicasset novum dispendium & schisma veniendo Saonam. Quartò dicebat ex alio dictum GREGORIUM se retraxisse de veniendo, quia supervenit sibi copia litteræ in Francia

D ordinatæ, quæ faciebat mentionem quod ambo renuntiarent in manibus collegiorum, &c. cujus copia est infra scripta. Subjungebant etiam quòd nuncii Franciæ qui Romæ fuerant aliqua mala & injuriosa dixerant de GREGORIO, ex quo verisimiliter dubitabat pejora sibi accidere, si accederet in potestate regis Franciæ & in loco obedientiæ BENEDICTI. Subjungebant etiam quòd adhuc, hoc non obstante, ex affectione ad unionem voluit uti galeis quatuor sibi oblatis per dictos nuncios Franciæ; sed ipsi non per-

E stiterunt in oblatis, nec de securitatibus est provisum quas petierat. Finaliter obtulerunt tres modos ex parte GREGORII pro unione habenda, & non dicebant pro via cessionis prædicanda. Primus modus fuit quòd convenirent de aliquo loco idoneo, ubi ambo convenirent: qui locus poneretur in manibus utriusque. Secundus modus quòd unus iret in aliquo loco sibi securo, alter in loco propinquo etiam sibi securo, & in manu sua, ut sic possent loqui. Tertius modus quòd ambo simul capiant fidu-

F ciam de aliquo domino aut communitate sub quo conveniant. Dixerunt etiam quòd habita responsione de altero modorum, alia dicerent ad partem, &c.

XXIX. Item, post propositionem ipsorum papa dixit, quòd aliqua erant dicta per eos quæ concernebant ipsum, ad quæ responderetur per dominum Albanensem: Alia tangebant dominum gubernatorem Januæ quoad securitates dandas: Alia tangebant nuncios Franciæ, ibi

etiam præsentes. Ideo ad ista per ipsum gubernatorem ibi præsentem ex parte sua responderetur quantum eum tangit, & per nuncios Franciæ quantum eos tangit. Ex dictis ergo tam domini Albanensis, quam illius qui per gubernatorem loquebatur & domini patriarchæ, ac etiam domini Cameracensis, qui ambo pro nunciis Franciæ loquuti sunt, stetit responsio hæc: primò ad propositum quod fuit exceptum de loco Januensi. Et dictum fuit quòd incivile est, & tromperia quodammodo facere plenum procuratorium pro aliquo & ad partem facere restrictionem, nec excusat, immo accusat sic facientes. Ad secundum de galeis Venetorum, dictum fuit quod per dictum GREGORIUM stetit quominus haberet: nec enim præsumendum quòd Veneti recusassent galeas concedere pro facto unionis, cùm ipsi abundent in galeis, &c. De concordia autem inter Venetos, &c. Ex parte dicti domini gubernatoris fuit factum quod facere oportuit, quia factum fuit compromissum super tota discordia per comitem Sabaudiæ de consensu partium. Item, data fuit potestas nunciis aliàs missis Romæ per Januenses omnia complendi quæ petebantur à dicto gubernatore per os fratris Johannis Dominici super hoc à dicto GREGORIO deputati; & omnia facta & completa fuerunt per ipsum gubernatorem, de quibus fuit rogatus per dictum fratrem, sicut plenè & ad longum fuit ibi declaratum; & inter alia fuit lecta bulla directa Saonensibus ex parte GREGORII, per quam regratiatur de quibusdam securitatibus sibi oblatis per eos, quibus per bullam se velle uti asserit. Ad tertium de rege LADISLAO non erat verum, nec verisimile quòd ipse hoc factum unionis impediret: & licet iste GREGORIUS Roma jamdiu exisset, & esset in Senis, tamen dictus rex non facit istas usurpationes rerum ecclesiæ, nec est dubium quin facta unione, papa unicus totum habuisset: aliàs dictus rex posuisset statum suum in periculo. Nec est verum de rege Hungariæ, sicut nuper asserebat in Senis quidam abbas de Hungaria, legatus regis Hungariæ, qui contra quemdam archiepiscopum prædicta proponentem se opposuit. Ad quartum de nunciis regis Franciæ, per eos fuit responsum narrando modum quem tenuerunt in Roma & ostendendo contrarium, nec illa littera regis de qua ibi fit mentio dicit, quod cedant in manibus collegiorum, nisi ubi hoc vellent, quia fortè non possent convenire personaliter; nec est verum quòd nuncii Franciæ recesserunt ab oblatis galeis, &c. quia dictus GREGORIUS noluit uti eis. Et postquam multa fuerant altercando dicta, finaliter fuit dictum quòd cessarent istæ altercationes, & iretur ad factum principale de modo ulterius procedendi ad unionem, & sic recessimus illa die. Sequenti die redivimus in consistorio, ut supra, ubi dicti nuncii de Roma aliqua replicaverunt. Fuit tamen per nuncios Franciæ supplicatum, quod his omissis iretur ad principale, & eis obtulit dominus BENEDICTUS audire, si quid vellent exponere ad declarationem illorum quæ obtulerant.

xxx. Item, alia die quæ fuit x. Novembris super his quæ dicti ambaxiatores GREGORII nominaverunt multa loca ad conveniendum, secundum tres modos quos obtulerant, ut dictum est, quæ quidem loca sunt infra scripta, super hoc etiam quod ipsi exhibuerunt procuratorium suum sive mandatum, dominus BENEDICTUS dedit eis responsionem quæ scribitur infra de verbo ad verbum.

LITTERA REGIS SUPER instructione data ambaxiatoribus ex parte sua missis pro facto unionis Ecclesiæ ad papam Benedictum & ad illum de Roma.

Anno 1407. Ex ms. Colbertinum.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex universis præsentes litteras inspecturis notum facimus, quòd nos ad pacem & unionem sanctæ matris Ecclesiæ, auctore Domino, diligentiùs prosequendam apud sanctissimum papam BENEDICTUM & illum qui GREGORIUS XII. appellatur in Roma, eorumdemque collegia & successores ipsorum dilectos & fideles nostros, & Ecclesiæ regni nostri & Dalphinatus nuncios transmittimus, videlicet Patriarcham Alexandrinum, archiepiscopum Turonensem, Belvacensem, Meldensem, Cameracensem, Trecensem, Ebroicensem episcopos; montis S. Michaëlis, Gemeticensis, S. Dionysii in Francia, Claræ-vallis, S. Stephani de Divione abbates, Heremitam de Faya, Senescallum Bellicardi, Nicolaum de Callevilla milites & cambellanos nostros, Guillelmum *Boisratier*, utriusque juris professorem & hospitii nostri requestarum magistrum, Ægidium de Campis eleemosynarium nostrum sacræ paginæ professorem, Hugonem *le Renvoisié* decanum Rotomagensem in theologia magistrum, Guillelmum *Fillastre* in jure civili doctorem decanum Remensem, Dominicum Parvi, A. Brevis-coxæ, J. de Jarsonno, P. *Plaon*, J. Parvi sacræ paginæ professores, Gaufridum *de Pompador*, Radulfum de Refugio utriusque juris doctores. J. Guioti, Robertum de Quesnoyo decretorum doctores, J. *Voignon*, Henricum *Deigny* magistros in medicina, P. Cantelpii, Eustachium *de Fauquemberg*, licentiatos in jure canonico, Guillelmum Pulcrinepotis, Arnoldum *Wievvic*, Jacobum de Noviano secretarium nostrum bachalarios formatos in theologia, J. Bourileti dictum Francisci in decretis licentiatum, & Johanne de Rivello carissimi filii nostri ducis Aquitaniæ secretarium. Quibus quidem nostris & Ecclesiæ regni & Dalphinatus nunciis instructiones & mandata servanda & exequenda dedimus, præcepimus, & commisimus; damus & præcipimus continentiæ subsequentis.



C'est

C'EST L'INSTRUCTION DE CEULX qui sont ordonné à present par le Roy & l'eglise de France & le Dalphiné pour pourchassier la paix & union de l'Eglise entre le pape Benedict, & celuy que l'on appelle Gregoire à Rome & leurs colleges.

Anno 1407. *Ex ms. Gemmeticensi.*

I. ET premierement, quand lesdits messages vendront devers le pape BENEDICT & son college, ils remercieront le pape grandement & notablement de ce qu'il luy plaist à renoncier au droit qu'il a au papat pour mettre paix & union en l'Eglise, & l'oüveront & magnifieront sa bonne voulenté & entention sur ce, & le exorteront & induiront par toutes les bonnes manieres qu'ils pourront à constament perseverer en ce propos, & à mettre paix & union en l'Eglise par voye de cession.

II. Item, luy diront que à sa seurté & bon estat le roy est prest de proceder & faire en tant comme en luy en est tout ce qu'il avisera que le roy puet & doit faire.

III. Item, il luy montreront comment son adversaire offre plainement ladite voye de cession devant toutes autres, & exprime clairement comment il est prest de renoncier au droit qu'il se dit avoir au papat, pour mettre paix en l'Eglise, & confesse clairement que par voye de discussion des droits des parties on ne pourroit mettre paix en l'Eglise, consideré les difficultez qui sont en ce present schisme. Et pour ce luy suppliéront & requerront que plainement & clerement il veuille entendre à mettre paix en l'Eglise brievement par la voye de renonciation du papat, toutes autres voyes arriere mises, & sur ce requerront ses bulles plainement sans condition & ambiguité.

IV. Item, pource que en l'execution de la voye de cession, & en la conclusion de l'union de l'Eglise peuvent survenir moulte empeschement, tant pour la difficulté du lieu où l'en devroit aller, comme autrement, ils laboureront devers tous les deux, afin que un chacun d'eulx renonce en la main de son college sans venir à la convention personnelle, ou constitue procureur irrevocable pour renoncer. Et avant ladite renonciation, pape BENEDICT habilite les anticardinaulx de celuy de Rome, casse & adnulle tous les procés qui ont esté faits par luy & ses predecesseurs, contre GREGOIRE & ses predecesseurs, ses adherens, & ceulx de son obeissance : conferme les promotions, & dispensations & autres choses qui ont esté faites durant le schisme, par ceulx qui se disoient papes à Rome. Et pareillement GREGOIRE le face au regart de nostre partie, si comme autrefois fut advisé pour prattiquer la voye de cession. Et aprés ces choses faites, les cardinaulx pevent legiemment estre assemblez en aucun lieu pour eslire un pape.

V. Item, semble à plusieurs que se les seigneurs cardinaulx d'un costé & d'autre vouloient ceste fois eslire pape par voye de compromis, ils pourroient eslire des deux colleges certains Seigneurs cardinaulx compromissaires, qui auroient puissance de eslire pour tous, & sans grant difficulté pourroient convenir en aucun bien convenable & eslire pape.

VI. Item, se ils trouvoient en ce que dist est difficulté, s'informeroient se celuy de Rome & son college, & nostre Saint Pere sont d'accord de convenir en aucun lieu pour prattiquer & mettre à effet ladite voye de renonciation des deux pour parvenir à l'union de l'Eglise, & à l'election d'un pape paisible.

VII. Item, s'il est ainsy que tous deux ne soient point d'accord de renoncer en leur lieux, ne par procureurs, mais veullent convenir en un lieu pour la paix de l'Eglise, & pourchacier par la voye de renonciation, & non autre, & ils soient d'accord du lieu & du terme convenable, lesdits ambassadeurs poursuiveront devers tous les deux & leurs colleges, que ladite assemblée se face le plustost que faire se pourra, pour prattiquer la voye de cession, & faire l'election du pape paisible, & laboureront le plus diligemment qu'ils pourront à oster toutes les difficultez qui pourroient estre à l'empeschement de ceste bonne & sainte conclusion.

VIII. Item, pour ce qu'il a esté cy-dessus touchié de la difficulté qui pourroit estre en l'election du lieu, s'ils vouloient tous deux convenir ensemble, pourroient dire lesdits ambaxadeurs de par le roy, que le roy seroit content qu'ils fussent assemblés quelque part que bon sembleroit aux deux contendans & à leurs colleges. Car il ne quiert, ne ne desire de ceste matiere, fors que de veoir brievement la paix & union de l'Eglise ; & semble au roy que Sene la vieille seroit place bien convenable pour assembler les deux contendans & leurs colleges ; & aussi seroit Florence, Pise, Luques, ou Jennes ; & ne semble mie au roy que le pape BENEDICT doye refuser aucune de ces places ou cas que son adversaire en seroit d'accord.

IX. Item, pour eschiver toutes dilations, le roy veult & ordeine que ses messages, si-tost qu'ils seroient arrivez devers nostre Saint Pere, facent tres grand diligence d'avoir audience, & ne demeurent devers luy, en attendant la response sur la requeste d'accepter plainement la voye de cession, que dix jours, à compter du jour qu'ils arriveront à Marseille, ou autre lieu où ils se trouveront, & autres dix jours ensuite sur la response des autres choses.

X. Item, se dedans ce terme le pape leur respont clerement qu'il veut poursuir la voye de cession, & renoncer realement & de fait ou lieu où il est ; ou constituer procureurs irrevocables, comme dessus, pour mettre paix en l'Eglise, toutes autres voyes arriere mises, l'une partie des messages demourront avec luy & avec ses cardinaulx, pour poursuir & faciliter la bonne conclusion de ceste besoigne.

XI. Item, les autres se partiront, oye ceste response, informés le plus avant qu'ils pourront de l'entention du pape, du lieu & terme où ils pourroient convenir, & aussi se il vouldroit

renoncer en la main de ses cardinaulx, ou constituer procureur en la maniere que cy dessus a esté touchié.

XII. Item, pour obvier aux inconveniens, empeschemens, ou delais, qui par cas de mort subvenir pourroient, requerront lesdits messages nostre Saint Pere, qu'il veuille habiliter les anticardinaulx, & faire les autres choses necessaires, au moins en tant que necessité en seroit, pour pouvoir convenir & accorder avecques nos cardinaulx pour celebrer l'election aprés la renonciation, s'il avenoit le cas dit de ces deux ou de l'un des contendans. Et se nostre Saint Pere refusoit le faire dés maintenant jusques son adversaire le feist; luy sera dit & monstré, que attendu la justice & droit de sa partie, il est plus l'honneur de luy & de son obeissance habiliter les autres, que requerir estre habilitez d'eulx.

XIII. Item, en ce cas poursuivront devers ledit GREGOIRE & ses cardinaulx l'execution de la renonciation & autres choses dessus dites, pareillement comme avec nostre Saint Pere, afin que on puisse proceder à l'election d'un pape paisible, & avoir paix en l'Eglise. Et auront lesdits messages chevaucheurs avec eulx, tant ceulx qui demourront avec le pape, comme ceulx qui iront à Rome, pour certifier les uns les autres de l'estat des besoignes, & de tout ce qui peut regarder le bien de cette chose.

XIV. Item, poursuivront aussi par expres devers GREGOIRE qu'il veuille renoncer en la main de ses cardinaulx, sans venir à convention personnelle, en la fourme que cy dessus est dit de pape BENOIST, ou constituer procureurs irrevocables à faire comme dessus.

XV. Item, apres que lesdits ambassadeurs auront fait leur diligence devers le pape BENOIST durant le temps cy-dessus dit, se ils trouvoient que il ne voulsit plainement eslire la voye de cession, & la poursuivre, toutes autres voyes arriere mises, ils luy signifieront que le roy & l'eglise de France & du Dalphiné sont departis de luy & s'en departent de tout comme de homme precis de l'Eglise & schismatique, pertinax, & feront incontinent ces choses sçavoir au roy & à l'Université, afin que les lettres qui ont esté ordennées sur la conclusion, que le roy & l'Eglise ont print en ceste article, soient executées reellement & de fait, & luy signifieront cecy par vertu des lettres patentes qu'ils emportent.

XVI. Item, s'il avenoit que GREGOIRE pour avancer la paix de l'Eglise, & oster les inconveniens & delais que dessus; fust vrayment d'accord de renoncer sans venir à l'assemblée & convention personnelle, ou constituer ses procureurs irrevocables à ce faire, & nostre Saint Pere le refusast ou delaiast: en ce cas aussi, comme dessus, on luy signifiera que le roy & l'eglise de son royaulme & Dalphiné se departent de luy.

XVII. Item, supposé qu'il deist de bouche qu'il veult renoncier & poursuir l'union plainement selon que dessus, toutesfois se lesdits ambaxadeurs appercevoient qu'il voulsist mener ceste matiere par paroles sentans refus, contredit, ou dilations fustratoires; & qu'il refusast ou delaiast leur en bailler ses bulles pures, claires, & plaines; ils luy diront plainement que ce n'est mie l'entention du roy, ne de l'eglise de France de plus soufrir ce schisme durer: mais est son entention, attendu la bonne disposition de GREGOIRE, de poursuir l'élection d'un pape paisible, & se departent du tout de luy, comme dessus est dit.

XVIII. Item, posé que aucuns des messages par faveur desordenée voulsissent soustenir ou dissimuler le malice du pape, toutesfois ou cas contenu ou prochain article precedent, l'advis & deliberation des deux parts des messages sera tenuë & executée.

XIX. Item, s'il advenoit, que Dieu ne vueille, qu'ils ne trouvassent pape BENOIST bien disposé à poursuir l'union de l'Eglise par la voye de cession, & qu'il ne voulsit plainement respondre & accepter la voye de cession, ou voulsit mener par delais l'execution: lors ils labouront par devers les seigneurs cardinaulx, qu'ils se departent de luy du tout comme precis de l'Eglise & schismatique & pertinax; & procedent avecques les aultres à eslire pape paisible.

XX. Item, s'il y avoit aucuns des cardinaulx qui voulsissent ensuir le pape, & soustenir en son erreur; ils leurs diront comme le roy & l'Eglise de France & du Dalphiné les reputent precis & schismatiques; & est leur entention que les benefices qu'ils tiennent ou royaulme de France & Dalphiné, comme vacans de droit soient donnez par les ordinaires sans ce que jamais ils en joyssent.

XXI. Item, en ce cas laboureront avecques les aultres qu'ils procedent à l'élection du pape avecques ceulx de Rome, toutesfois est l'entention du roy & de l'Eglise, que ou cas que tous nos cardinaulx ou partie d'iceulx procederont à l'election de pape avec ceulx de Rome, que ce soit tousjours apres la renonciation de GREGOIRE. Car se GREGOIRE ne renoncoit, l'estand du schisme, ne les scrupules des consciences ne seroient mie effaciés.

XXII. Item, s'il advenoit que tous nos cardinaulx, que Dieu ne veuille, ensuissent pape BENOIST en son erreur, & voulsissent empeschier & retarder l'union de l'Eglise: en ce cas lesdits ambassadeurs leur signifieront de par le roy & de par l'eglise de France & du Dalphiné, qu'ils se departent d'eulx & dudit BENOIST comme precis de l'Eglise; & n'est mie l'entention du roy qu'ils tiegnent aucun benefice ou royalme de France & Dalphiné: mais a deliberé avecques l'Eglise que les benefices qu'ils tiennent à present ou royaulme & ou Dalphiné soient donnés par les ordinaires comme vacans de droit, sans ce que jamais ils en joyssent.

XXIII. Item, en ce cas laboureront eulx & les messagers des aultres royaulmes representant l'eglise de ceste obeissance, lesquielx scevent l'offre & disposition de ceulx de Rome & de nostre Saint pere, & auxquieulx le roy a fait

sçavoir son entention sur ce, afin qu'ils envoyent leurs messages à laditte assemblée, que celuy qui se dit GREGOIRE renonce: & apres sa renonciation soit procedé à eslire un pape. Et s'il advenoit que les messages d'autres royaulmes de notre obeissance ny viegnent, ou n'ayent puissance souffisante, ou ne voulsissent proceder avecques les cardinaulx de Rome pour l'élection d'un seul pape; en ce cas en leur deffaulx les desusdits messages pourchasseront & feront avec les dessusdits de Rome tant que paix soit mise en l'Eglise par élection d'un pape. Et est l'entention du roy & de l'Eglise de France & du Dalphiné obeir à celluy qui sera ainsy esleu comme au vray vicaire de JESUS-CHRIST.

XXIV. Item, parleront lesdits messages des libertez de l'Eglise de France, tant au regard des élections & collation des benefices, comme des finances & autres choses.

XXV. Item, parleront aussy & requerront de par le roy que toute diligence soit mise par celuy qui sera eslu, son college, & toute l'Eglise, afin de recouvrer à union de l'Eglise de Rome l'empire des Grecs.

XXVI. Item, s'il advenoit que nostre Saint Pere ou son adversaire allassent de vie à trespassement par avant que la renonciation fust faitte, pourchasseront diligemment que on ne procede point à l'election ou substitution d'un nouvel contendant: mais que celuy qui vivra renonce, & que aprés ce les deux colleges se assemblent pour proceder à l'élection d'un seul pasteur universel en sainte Eglise.

XXVII. Item, est ordené par le Roy que nulx des messagiers ne parle, ne escripve particulierement au pape, ne à GREGOIRE, ne à aucun de par eulx es choses touchant la presente legation, se ce n'estoit par la deliberation des aultres ou de la gregnieur partie. Car par telles particulieres paroles on pourroit empeschier ou delaier la conclusion de ceste besoigne. Et sera tenu par serment un chacun garder & observer cest present article loyaulment & communiquer aux aultres se aucune chose luy estoit diste & rapportée ou escripte touchant ceste matiere.

XXVIII. Item, pour obvier aux corruptions & seditions qui pourroient survenir à l'empeschement de cette besoigne, jureront les legats, qu'ils ne demanderont, requerront, ne ne pourchasseront estre pour eulx ou autres requis, ne demanderont aucuns benefices, dignités, ne promotions, ou aultres choses d'aucuns des contendans durant leur legation, & ne accepteront, ne ne prendront aucune chose, supposé que le pape ou son adversaire leur donnast sans demander ou aultres pour eulx. Et outre le serment des dessusdits, leur sera commandé cest article à garder & observer sur paine d'encourir l'indignation du roy perpetuelle; & jureront de non user de dispensation, se aucune leur estoit faite au contraire.

XXIX. Item, se pendant laditte legation aucune chose survient à deliberer entre les messagiers, oultre & sur la teneur des precedens articles, pour obvier aux inconveniens & delays, le roy veult que les messagiers ils puissent prendre conclusion, & appointer selon l'opinion de la greignieur partie d'eulx.

XXX. Item, s'il advenoit qu'apres le departement des messagiers le roy escripsist lettres closes ou aultres à l'encontre de ceste presente instruction, ou aucune partie d'icelle; nientmains procederont lesdits messages selon ceste presente instruction, nonobstant quelconques lettres au contraire: attendu que les choses contenues en icelle sont selon la deliberacion du roy & de nos seigneurs de son sanc, & de l'Eglise de France. Et soit maintenant defendu par le roy au Chancelier, au Chambellant & à tous les secretaires, qu'ils ne facent, ne ne seellent aucunes lettres au contraire. Ad quæ omnia, &c.

Expliciunt instructiones.

MEmoria quod die XVIII. Maii anno MCCCCVII. papa apud Massiliam respondit ambaxiatoribus Franciæ supra nominatis, quod licet nullam viam bonam intendebat excludere; tamen offerebat & declarabat se velle præmittere omnibus aliis viis viam cessionis per eum fiendæ, adversario similiter faciente, & ita faceret in conventione quæ fieri debet apud Saonam juxta accordum factum inter eum & ambaxiatores de Roma, scilicet ad festum S. Michaelis proximè venturum, &c. ut in forma, &c. De hoc non dedit bullam, nec voluit: sed ambaxiatores de hoc fieri fecerunt instrumentum. Dixerunt tamen sibi dicti ambaxiatores quòd non poterant bene contentari secundùm instructiones suas ex hoc quòd bullam non haberent.

Die autem XXI. Maii omnes dicti ambaxiatores apud civitatem Aquensem, ubi de Massilia redierunt, super actis in Massilia deliberaverunt, quòd omnibus attentis, quæ videbantur attendenda, supersedendum erat pro tunc & de præsenti de insinuando papæ subtractionem, reservata penes eos potestate eis data de insinuando aliàs si appareret quod papa ad executionem vel aliàs quæreret diffugia vel dilationes frustratorias secundùm formam instrumenti.

EXTRACTUM DE QUODAM alio papyro faciens ad practicam agendorum in facto unionis & habendi papam unicum, &c.

I. ITem, ils luy diront comme le Roy a advisé aucunes choses bonnes & profitables pour la poursuite, prattique & execution de ladite voye, & aussi pour empescher la diuturnité & longueur du schisme, & aussi que pour ce que pendant la poursuite & execution de la voye prinse & acceptée des parties, nostre Saint Pere ou son adversaire pourroit trespasser, par quoy la chose seroit empeschée. Est à faire que Anno 1407. Ex ms. Commercensi.

presentement nostre S. Pere & son adversaire revoquent toutes sentences & procés par eulx & leurs predecesseurs donnés d'une part & d'autre, au moins entant que touche les deux colleges & les personnes d'iceulx. Facent habilitation necessaire quand au fait de l'election. Et en ce cas qu'il ne sembleroit expedient de le faire par soy, qu'eulx le commissent à aultres qui le facent apres leur decés, tellement que leur commission ne expirast pas par leur mort.

II. Item, que toutesfois qu'il adviendroit que nostre Saint Pere ou son adversaire trespasseroit ou renonceroit, le college du trespassé ou renoncié ne procederoit point à aultre election ou subrogation jusqu'à certain temps. Et cependant le survivant & les deux colleges feront diligence possible de convenir ensemble, & assembleront en lieu seur. Et là le survivant se offrira à renoncer, & de fait renoncera; & dient aucuns qu'ils seroit expedient que audevant de ce il feist cardinaulx & ceulx qui ont esté fait cardinaulx par son adversaire au mieulx que faire se pourroit, & les autres choses en tant qu'a luy appartiendra contenues en la prattique de la voye de cession des deux, aprés on procedera à l'election.

III. Item, il seroit expedient de convenir & accorder presentement de certain lieu seur & convenable, pour faire accomplir ce que dist est, & les autres choses qui appartiennent au cas.

IV. Item, pourra estre ceste voye justifiée tant devers nostre Saint Pere que vers son adversaire, tant par les bulles de l'un & de l'autre, par quoy ils se sont obligiés à renoncer pour l'union de l'Eglise, que par plusieurs autres raisons.

V. Mais aucuns difficultent la convention & assemblée dessusdite pour empeschement de fait, qui pourroient estre en l'execution d'icelle. Car il pourroit advenir qu'ils ne pourront assembler.

VI. Item, difficultent la maniere de eslire pour plusieurs empeschemens de droits: car les cardinaulx de pardeça ne peuvent eslire selon l'opinion de par delà, *nec è converso*. Et ne souffriroit pas se semble à aucun la promotion que feroit le survivant des cardinaulx de son adversaire, comme dessus est dist: mais empescheroit le fait. Car il ne semble pas que on peut faire accumulation de divers tiltres incompatibles de cardinal en cest cas: mais que par l'acceptation & assecution du second tiltre on renonceroit au premier: ainsi demeureroient tous les cardinaulx d'une part tant seulement: ainsi ne pourroient faire election soufisante pour l'autre partie.

VII. Aucuns dient que pour oster ladite difficulté de fait, que puisque on seroit d'accord de certain lieu, s'aucun des colleges convenoit là, il pourroit proceder à l'election apres ce que il airoit attendu l'autre par certain temps dont on seroit d'accord, posé que l'aultre college ne vainsist, ne aucune personne d'iceluy. Et en ce cas seroit expedient que les absens fissent procureurs & en bonne fourme à eslire & à faire les autres choses necessaires. Mais ce ne pourroit estre prattiqué, fors en cas dont cy aprés est faite mention, c'est à scavoir quand nostre Saint Pere & son adversaire seroit trespassé, ou quand le survivant airoit renoncé.

VIII. Les autres dient, que pour oster les difficultez de fait & de droit dessusdit, qu'il seroit expedient que nostre S. Pere & son adversaire ordenassent de present, en cas dessusdits certains prelats qu'ils peussent eslire, nonobstant quelconques exceptions de schisme ou de excommuniement. Mais aussi faudroit il que primierement le survivant eust renoncé.

IX. Les autres dient que il seroit plus expedient, que comme dessus est couchié, nostre Saint Pere & celuy de Rome, *de consilio fratrum convenisset, commissione perpetua*, à aucuns povair de revoquer les sentences & procés, faire les habilitations, &c. & de faire des colleges un qui deust eslire *post mortem utriusque, vel unius, & renunciatione alterius.*

X. Les aultres dient que les colleges assemblassent & procedassent à l'election par voye de compromis: car le droit de eslire qui est en l'un college, ou en l'autre par ce seroit transfus es arbitres.

XI. Mais aucuns difficultent ceste matiere pour l'incapacité des arbitres, car nul excommunié ne schismatique ne peust estre arbitre, & par especial en fait d'election, selon l'opinion des docteurs. A ce on pourroit pourveir en revocant de present ou pour lors les procés & sentences, comme dit est, & faisant les habilitations necessaires ou en constituant que on peust proceder à l'election par voye de compromis, nonobstant quelconque exception de schisme ou excommuniement.

XII. Item, Les autres dient que les sentences & procés revoqués, & les habilitations faites d'une part & d'autre, comme dit est, le vray college ou cas de ladite convention pourroit communiquer aux personnes de l'aultre college le droit de eslire & donner voyes de eslire pour celle fois, selon ce que dient les droits & les docteurs en ceste matiere en aultres colleges. Et ainsi en ce cas doubteux & perples *respectu totius Ecclesiæ*, l'un college communiqueroit aux personnes de l'aultre le droit de eslire pour ceste fois, & seroient les voyes des personnes d'égale autorité. Toutefois il seroit molt expedient, que des presentement on fust d'accord en la maniere de eslire ou cas dessusdit.

XIII. Les aultres dient que on peust aisement pourvoir en cette matiere *per accessum*. Car posons que ils soient XXIV. soy disant cardinaulx, & toutesvois il n'en y a que XII. vrais cardinaulx, & qui puissent eslire XVI. de ceulx eslisent un, ainsi il n'est pas vray pape se les aultres *non accedunt hujusmodi electo & electioni animo & intentione consentiendi in ipsum ut verum papam. Per hoc acquirit jus in papatu, & est papa juxta notam in cap.* licet de vitanda.

XIV. Item, que ladite renonciation faite, il fust pourvu au survivant de bon estat & suffisant,

de quoy il peust avoir grandement & honnestement sa substentation & estat.

XV. Item, en cas que nostre Saint Pere ou son adversaire seroient trespassez en un mesme temps, les deux colleges cesseront de eslire jusques à ce qu'eulx eussent assemblés ensemble, & que ils eussent procedé à l'election d'un seul pape, ou qu'il eust esté procedé par aucune voye bonne & convenable, & seroit expedient de estre d'accord de present d'un lieu secur pour faire ladite assemblée, comme dit est, ou cas précedent, & de la maniere de eslire des aultres choses à ce profitables.

XVI. Item, semble expedient que des present on feist comminacions & intimacions aux deux colleges, que ou cas que eulx procederoient à election contre ce que dist est, ou contre ce qui seroit advisé & appoincté, on ne obeiroit point à leur eslu.

XVII. Item, que des choses dessusdites & de chacunes d'icelles, feussent données bonnes seurtés & aultres voyes possibles.

XVIII. Item, pourceque comme yci dessus est dit nostre Saint Pere a aultrefois accordé à fere cession, en cas que son adversaire seroit debouté, &c. & que par la cession de l'un on pourroit avoir paix & union en l'Eglise: lesdits messages luy pourront declarer sur ce, comme le Roy entent ledit deboutement ou dejection. C'est assavoir ou cas que son adversaire seroit debouté par son obedience du papat pour schisme, heresie, &c. *juxta cap. si papa*, pource qu'il seroit schismatique, fauteur de schisme, & ne vouldroit aucunement entendre à l'union de l'Eglise, toutesvois l'obeissance de lui ne vouldroit pas venir à l'obeissance de nostre Saint Pere: mais vouldroit qu'il renonçast au papat, & que les deux colleges esleussent un seul pape.

XIX. Le roy entend en ce cas, que nostre Saint Pere seroit tenu de renoncer, puisque par sa renonciation on pourroit avoir paix & union en l'Eglise. Et en yceluy cas on deuvroit reputer que ledit adversaire seroit mort civilement, & devroit-on faire & accomplir les choses cy dessus escriptes aussi comme s'il fust mort naturellement, ou qu'il eust renoncé.

XX. Item, combien que le roy ait advisé la prattique dessusditte en cas de la mort de nostre Saint Pere, ou de son adversaire, ou en cas de la dejection dudit adversaire, toutevois n'est-il pas si determiné à ladite prattique, qu'il ne soit prest de condescendre à chacune aultre bonne maniere pour l'execution des choses dessusdittes.

RESPONSIO DATA PER GREGORIUM in Roma ambaxiatoribus domini Benedicti anno Domini MCCCCVII. die Veneris XXIX. Julii.

Anno 1407 *Ex mss. Gemmeticensi.* IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Sanctissimus in Christo Pater & dominus noster, dominus GREGORIUS divina providentia papa XII. de consilio & assensu reverendissimorum in Christo patrum & dominorum fratrumque suorum, videlicet dominorum ANGELI Ostiensis, HENRICI Tusculani episcoporum; ANGELI tituli S. Potentianæ, CONRADI tituli S. Chrysogoni, JORDANI tituli S. Martini in Montibus, ANTONII tituli S. Praxedis presbyterorum; RAYNALDI tituli S. Viti in Macello, ODONIS S. Georgii ad Velum-aureum, PETRI S. Angeli, & JOHANNIS SS. Cosmæ & Damiani diaconorum S. R. E. cardinalium, circa responsionem faciendam in materia petitæ confirmationis capitulorum Massiliæ inter nuncios præfati domini nostri, & dominum Avenionensem XXI. Aprilis proximè præteriti firmatorum super extirpatione schismatis, & assecutione desiderabilis unionis, nunciis & oratoribus præfati domini Avenionensis, ac eorum qui pro suis cardinalibus se gerunt, pro responsione haberi voluit & vult infra scripta; eaque ordinavit pro salutari conclusione & consecutione præfatæ unionis; videlicet quòd habita consideratione quot & quanta possint evenire discrimina contra statum Romanæ Ecclesiæ, in perditionem maximè almæ Urbis ac provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum præfatæ Ecclesiæ propter novitates suscitatas in Urbe, provinciis, civitatibus, terris & locis hujusmodi, & quæ videntur verisimiliter formidabiliter & potenter terra marique emersuræ, contra statum ipsum propter locum Saonensem, & quòd utraque pars ex affectu unionis præfatæ, ac virtute juramenti à prælatis præstandi, ad conservationem ac defensionem præfati status & bonorum ejusdem Ecclesiæ, debet exponere se ac sua, quod domino nostro ac fratribus suis prædictis videtur saluberrimum, præmissorum intuitu, & propter inhabilitatem dicti loci Saonensis, & ex certis aliis rationabilibus causis, quòd locus ipse mutetur & assumatur per dominum Avenionensem alius locus in Italia, de obedientia præfati domini nostri cum debitis securitatibus, habilis tamen & idoneus utrique parti, non intendens ob præmissa recedere à salutari prosecutione consecutionis unionis hujusmodi. Nec tamen propter hoc credit recedere à tractatis Massiliæ circa materiam supradictam. De quibus omnibus, &c.

RESPONSIO PER DICTUM DOMINUM Gregorium in Roma ambaxiatoribus domini Benedicti & ambaxiatoribus regis Franciæ pro facto unionis sanctæ matris Ecclesiæ transmissis, data anno CCCCVII. die ultima mensis Julii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Cunctis per hoc præsens & publicum documentum pateat evidenter, quòd sanctissimus in Christo pater & dominus noster, dominus GREGORIUS divina providentia papa XII. de consilio & assensu reverendissimorum in Christo patrum & Anno 1407 *Ex mss. Gemmeticensi.*

dominorum fratrumque suorum, videlicet dominorum ANGELI Hostiensis, HENRICI Tusculani episcoporum, ANGELI tituli S. Potentianæ, CORRARDI tituli S. Chrysogoni, JORDANI tituli S. Martini in Montibus, ANTONII tituli S. Praxedis presbyterorum; RAINALDI S. Viti in Macello, ODONIS S. Georgii ad Velumaureum, PETRI S. Angeli, JOHANNIS SS. Cosmæ & Damiani diaconorum S. R. E. cardinalium, intendens sub alia forma respondere oratoribus & nunciis domini Avinionensis & eorum qui pro ipsius cardinalibus se gerunt, quàm nudius tertius egerit, in materia petitæ confirmationis capitulorum Massiliæ inter nuncios præfati domini nostri & dominum Avenionensem præfatum XXI. die mensis Aprilis proximè præteriti, super extirpatione diuturni & lugubris schismatis & consecutione saluberrimæ in Dei Ecclesia unionis firmatorum, aliis suadentibus rationibus, oratoribus & nunciis supradictis responsionem ordinavit, fecit, & facit in hunc modum, dicens quòd fratres sui prædicti desideraverunt atque desiderant locum civitatis Saonensis pro conventione domini nostri & ejus sacri collegii dominorum cardinalium, ac domini Avinionensis & illorum qui pro cardinalibus ejusdem ab aliquibus reputantur, secundùm formam contractus inter prædictos Massiliæ celebrati, & conventum mutari ex infra scriptis rationibus & rationalibus causis exortis post dictum contractum Massiliæ celebratum.

Et primò quòd locus ipse Saonensis est obedientiæ præfati domini nostri valde suspectus & gravis, maximæ potentiæ, terra marique formidabili, propter quam suspicionem per nuncios præfati domini nostri & suos diversis vicibus ostendit eidem domino nostro molestiam quam ex eo patitur, certas & graves informationes dando ac exhortando de mutatione dicti loci. Nec minus hanc illius molestiam sentiit ac sentit assiduè per operationes ejusdem, ex quibus eidem domino nostro & præfatis suis fratribus claris meritò formidaverunt & formidant de perditione omnium temporalium præfatæ Ecclesiæ in partibus his & præsertim almæ Urbis. Nec etiam suis vocibus hoc subticet, sed per ipsius domini nostri suosque nuncios jam diu declaravit eidem domino, & quòd dilatabit * celeriter statum suum, quod non dubitabit de aliquo, si verè daretur locus idoneus pro utraque parte, magna offert auxilia pro unione præfata.

* Al. taliter.

Secundò quod post diligentiam præfati domini nostri & dominorum fratrum suorum S. R. E. cardinalium de habendo galeas in quantum prædicto . . . . . de & pro quibus habendis, & aliis subsidiis opportunis potestatem eisdem cardinalibus dedit ac mandatum curandi & procurandi, etiam cum facultate plenaria per suas litteras pignorandi provincias, civitates, terras, loca, & bona ejusdem Ecclesiæ: & nihilominus clarè videt eas habere non posse: quin immo ex toto desperat. Cum quibus galeis eundo, stando, & redeundo, continuè fuisset in ejus potestate & juxta intentionem Massiliæ conventorum. Nunc verò propter deffectum dictarum galearum, ad Saonam accedere non potest, nisi se & partem suam ponat in potestate adversæ partis; nisi tentaret per viam Lombardiæ accedere, quæ difficilis dicitur propter continuas guerras, & tribulationes. Et quòd quantum hæc submissio dedeceat districtio rectè judicantis potest advertere: ac etiam quanta securitas in loco Saonæ, si ad ipsum eumdem contingat accedere.

Tertiò, cùm firmiter asseratur Faschinumcanem rupisse guerram contra gubernatorem Januæ ac Januenses; rationabiliter dubitari potest de incommoditatibus, impedimentis & damnis gravissimis in dicto loco & circumstantibus partibus.

Quartò, quia certissimè scribitur in Januensi & Riparia atque Massiliæ pestem esse gravissimam, & Saonæ propter metum pestis hujusmodi, ut locum & pertinentias salvent non permittere Riparienses & Massilienses intrare Saonam, ex quibus manifestatur præfatum dominum Avinionensem & aliis quæ pro meliori defensione sustinet, ut velit mutare locum Saonensem, sicut cum eodem domino nostro tenetur pro defensione temporalium præfatæ Ecclesiæ & salute fidelium quorum periculum imminet manifestè, ut in prima ratione superius aliqualiter reperitur. Ad quam deffensionem tam illi de parte domini nostri, quàm sua ex juramento fidelitatis redduntur obnoxii & tenentur. Et idcirco offert eidem domino Avinionensi omnem locum in Italia de obedientia ejusdem domini nostri per ipsum dominum Avinionensem eligendum, cum opportunis securitatibus; dummodo sit idoneus & habilis utrique parti, & specialiter almam Urbem tradendo sub potestate dicti domini Avinionensis, civitatem Leoninam cum ejus apostolico palatio, vel Transtiberim secundùm electionem dicti domini Avinionensis; & ponere castrum Crescentii, aliàs S. Angeli sub fide & custodia utrique parti, & obsides de sanguine suo dare: & de seipsis Romani dabunt obsides in numero congruo.

Item, offert ponere sub plena potestate ipsius domini Avinionensis civitatem & locum, unam vel unum specialiter conventum, qui vel quæ sit in potestate præfati domini nostri cum castris & fortalitiis ipsius domini & cum pleno dominio, mero ac mixto imperio in manibus ipsius domini Avinionensis, & pro ejus habitatione usque ad finalem conclusionem sacræ unionis; dummodo per ipsum dominum Avenionensem non steterit conclusio unionis hujusmodi. Quo casu, facta facti fractura, civitatem, terram, seu castrum & locum hujusmodi restituere teneatur & debeat incontinenti ipsi domino nostro. Si autem conclusio facta fuerit, restitutio fiat futuro summo pontifici ab utraque parte recepto: ita tamen quod interim universitas vel singulares personæ civitatis, terræ, castri vel loci hujusmodi ad aliqua nova onera realia, personalia vel mixta, directè vel indirectè gravari non debeant, nec à fidelitate ipsius domini nostri & Ecclesiæ præfatæ subtrahi, aut ad credendum

aliter quàm ad præsens quomodolibet coartari: ut existentes propinqui ad invicem habiliter tractare possint de præparatoriis, & aliis necessariis, quod sibi optabat fieri de aliquo loco sibi propinquo, ex eadem intentione si quem habilem invenisset, ad quem accedere potuisset, remanens in sua potestate, quemadmodum idem dominus Avinionensis accedens ad loca præfati domini nostri, in sua potestate etiam remaneret. Quibus tamen rationibus & multis aliis, quæ circa præmissa adduci possunt, non obstantibus, in casu quo idem dominus Avinionensis nolit mutare locum Saonensem prædictum, idem dominus noster pro zelo pacis & unionis dictæ Ecclesiæ, omnia & singula capitula in dicto contractu Massiliæ, ut præmittitur, celebrato, de quibus asseruit & asserit habere notitiam, contracta & conventa confirmat cum & sub modis, conditionibus & additionibus infra scriptis, eaque & ipsorum quodlibet, quæ præsentibus non repugnant, salvis & reservatis modis, conditionibus & modificationibus hujusmodi & non aliter, vel alio quovis modo approbat, omologat & acceptat. Modificationes autem & conditiones hujusmodi sunt, videlicet quod ipse dominus noster contentatur & offert quòd in casu quo præfato domino Avinionensi non placeat mutatio dicti loci Saonensis, quia idem dominus noster non habet galeas proprias in prædicto tractatu Massiliæ celebrato conventas, si & in quantum venerabiles & egregii viri oratores & nuncii serenissimi principis & domini regis Francorum illustres & patroni, comites & . . . galearum infrascriptarum galearum commodandarum dederint præfato domino nostro, pro sua & fratrum suorum & aliorum de parte sua securitatem plenariam, sufficientes & idoneas securitates, ultra securitates alias quas gubernator Januensis ac Januenses & Saonenses præstare debent, antequam idem dominus noster vel sui galeas ascendant, per tantum tempus ante quod obsides locare possit in locis, prout inferius denotatur velle Saonam accedere cum sex galeis vel quinque ad minus, bonis & bene munitis viris expertis ac fidis, & munitionibus opportunis, eidem domino nostro armandis, quas sex vel ad minus quinque oratores & nuncii præfatæ regiæ majestatis Franciæ de regia liberalitate pro conclusione unionis hujusmodi obtulerunt & offerunt domino nostro, sumtibus & expensis prædictæ regiæ majestatis armari & armare facere tam hominibus quàm munitionibus opportunis, & bene . . . juxta bene armandarum galearum, & commodare sine aliqua impensa vel onere pro accessu Saonam præfato domino nostro pro se ac fratribus ipsis & aliis quos secum ducet, ac pro rebus ac bonis omnibus . . . & dirigere ad omnem requisitionem ipsius domini nostri congruo tempore: ita ut idem dominus noster cum fratribus suis & aliis quos secum ducet, possit Saonam accedere, & ibi esse ad tardius, divina favente gratia, in calendis novembris proximè secuturis.

Item, quòd dominus Avinionensis debeat cum his quos ejus cardinales . . . per tantum tempus prius adesse Saonæ ante dictas calendas novembris, quod præfatus dominus noster cum fratribus suis & aliis quos, ut præmittitur, secum ducit, facta eidem notificatione per ipsum dominum Avinionensem de suo . . . commodè possit ad ipsum locum Saonensem se transferre: & quod quam primum idem dominus Avinionensis Saonam appulerit, teneatur & debeat omnia & singula ejus navigia armata & galeas tam hominibus quàm munitionibus quibuscumque, & quæcumque alia, quæ ad suum vel suorum usum conducta statim vel concessa fuissent . . . armari fecisse, & durante contractu unionis prædictæ & quousque omnia conclusa fuerint, & deinde per unum . . . postquam idem dominus noster de Saona recesserit, galeas seu navigium aliquod non armare nec . . . per se vel alium quovis modo, & examinationem hujusmodi navigiorum, & galearum notificasse deb . . . domino nostro tempore congruo, ut ad locum ipsum se conferre in dictis calendis Novembris . . .

Item, quod dominus gubernator Januensis & etiam Januenses teneantur & debeant usque ad calendas . . . proximè secuturas exarmari fecisse, protinus quæcumque eorum armata navigia & galeas, galea gardiæ ipsorum, & sex galeis vel quinque quas oratores præfati regis commodare præfato domino nostro, ut præmittitur, obtulerunt dumtaxat exceptis: quas quidem sex vel quinque galeas præfati oratores teneantur & debeant statim, & eo ipso quòd idem dominus noster fuerit in Saona exarmari facere hominibus & munitionibus, ut supra de aliis exarmandis est expressum, & quòd tam ipsi oratores quàm gubernator & Januenses hujusmodi non possint vel debeant armare vel armari facere aliquod navigium seu galeam, durante tempore in præcedenti capitulo denotato, & prout ibidem de domino Avinionensi exprimitur, dicta galea gardiæ dumtaxat excepta, & idem servetur de sexta galea exarmanda si fuerit commodata. Ceterùm ad observantiam omnium præmissorum & quæ per ipsum dominum nostrum adimplenda noscuntur, idem dominus noster adstringi vult pariter ac teneri, & ea observare promittit sic & in quantum supra & infra scripta serventur & impleantur eidem, juxta exigentiam tam Massiliæ quàm præsentialiter editorum, & non aliter ullo modo. Tenor verò capitulorum ultra præmissa præsentialiter editorum sequitur & est talis, videlicet:

In primis quòd dominus Johannes *le Maingre* alias *Bouciquaut* Januæ gubernator teneatur rediisse in Franciam, vel accessisse ad illam civitatem vel terram, de qua præfato domino nostro videbitur eidem gubernatori non suspectam, & in Francia, civitate, vel terra hujusmodi esse usque per medium mensem Septembris proximè secuturum: ita tamen quod si idem dominus noster elegerit aliquam civitatem vel terram, ad quam idem gubernator debeat se transferre, notificetur per ipsum dominum nostrum congruo tempore, ut commodè possit ad civitatem & terram hujusmodi se transferre, & in Francia, civitate, vel

terra hujusmodi continuè residere, quousque in facto unionis præfatæ conclusum fuerit, & postea per duos menses continuos immediatè sequentes, & nihilominus promittere solemniter & jurare præmissa & infra scripta omnia & singula ipsum concernentia efficaciter adimplere & observare, ac dicto durante tempore, nihil agere, tractare, præsumere per se vel alios directè vel indirectè, seu quovis colore quæsito, seu etiam attentare aut agere, vel attentare volentibus publicè vel occultè exhibere consilium vel favorem contra dominum & fratres suos, vel alios de parte sua in eundo Saonam, stando & redeundo, per mare seu terram, in personis, vel ære, seu quovis modo; & de præmissis per ipsum gubernatorem & Januenses communiter & divisim faciendis & implendis fieri debeat, prout ad quemlibet pertinuerit, opportuna ratificatio & approbatio per publicum documentum, quod præsentari debeat ipsi domino nostro usque & per totum mensem Septembrem.

Item, quòd Januæ ponatur & deputetur alius gubernator consimili potestate quam habuit & habet ibidem, & circumstantibus partibus idem gubernator, videlicet *Bouciquault*, & esse debeat unus ex prælatis de numero dictorum oratorum præfati regis Franciæ, & per ipsum dominum nostrum eligendus, ad minus pro tempore in præcedenti capitulo denotato: qui gubernator ponendus jurare & servare teneatur & debeat omnia ad quæ idem gubernator *Bouciquaut* tenebatur ex contractu Massiliæ celebrato, & debeat obsides dare eidem domino nostro si habeat.

Item, quod eidem domino nostro pro sua & fratrum suorum, & omnium aliorum securitate plenaria tam personarum, bonorum, quàm rerum, in eundo Saonam, stando, & redeundo, & tam per mare quàm per terram dari & assignari debeant centum Januenses & quinquaginta Saonenses cives de melioribus & notabilioribus in obsides, eligendi per ipsum dominum nostrum, & ponendi per ipsum in locis honestis subditis ipsi domino nostro & ecclesiæ ad arbitrium ipsius domini nostri. Alibi autem de illorum obsidum consensu, si eidem domino nostro videbitur; & quòd adventus, residentia & reditus hujusmodi, & quorumcumque aliorum obsidum præfato domino nostro promissorum, vel alicujus eorum occasione dependentium per quoscumque dandorum, fieri & esse debeat absque impensa, vel onere quocumque ipsius domini nostri vel suorum.

Item, quod pro securitate utriusque partis gentes armigeræ & balistarii tenendi per utramque partem, possint augeri ob defectum galearum, prout videbitur capitaneis ad custodiam dictæ civitatis Saonensis deputandis.

Item, quòd præfatus dominus Avenionensis, & illi qui pro cardinalibus se gerunt, teneantur supra dicta omnia in præsenti contractu denotata ratificasse & approbasse in ... forma & per eorum litteras seu publica documenta eidem domino nostro fidem fecisse usque ad dictas calendas Octobris ad plenam certitudinem & validitudinem præmissorum.

A Item, Quod si supradictus dominus noster eligeret potius ire per Lombardiam quàm per mare, & adesse Saonæ in præfato termino, videlicet in calendis Novembris prædicti ad minus, & via per Lombardiam impediretur, ut non posset adesse in termino prædicti temporis calendarum Novembris, vel nollet accedere, promittit procuratorem suum irrevocabilem adesse Saonæ in termino prædicto, cum pleno mandato implendi & perficiendi juramentum,
B votum, & promissionem ejusdem domini nostri, secundùm formam contractus facti in conclavi, dum erat in minoribus constitutus, & post assumtionem confirmatam & approbatam, ut in instrumento publico inde confecto continetur. Habilitationes autem & approbationes sive promotiones & assumtiones eorum quæ factæ sunt per partem alteram facit, & faciet per seipsum vel commissarium cardinalem, & quæcumque alia necessaria fuerint: promittens de consilio & assensu præfatorum fratrum suorum nobis &
C notariis publicis infra scriptis, ut publicis personis stipulantibus & recipientibus vice & nomine omnium & singulorum quæ in præsenti negotio tanguntur, & omnium aliorum quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum, præmissa omnia & singula quæ per ipsum implenda venerunt, salvis semper & reservatis moventibus modificationibus & conditionibus supradictis, si & in quantum ea quæ per alios eidem implenda venerunt observentur, impleantur, & fiant juxta exigentiam capitulorum tam Massiliæ, quæ præsentibus non con-
D tradicant, quàm præsentialiter editorum, & in præsenti contractu contentorum, & non aliter ullo modo attendere plenariè & observare. De quibus omnibus & singulis idem dominus noster fieri & expedire mandavit unum, vel duo, seu plura publicum vel publica instrumentum vel instrumenta ejusdem continentiæ & tenoris, per nos notarios infra scriptos & quemlibet nostrum in testimonium præmissorum. Actum Romæ apud S. Petrum in palatio apostolico in camera paramenti præsentibus ibidem reverendis in
E Christo patribus, & dominis PAULO Montis-Regalium, JACOBO Aquerentino archiepiscopis, BRANDO Placentino episcopo, ac magnificis viris Revero *Stagle*, & Baptista Pauligotii conservatoribus almæ Urbis, Carolo de Brancaciis comite Campaniæ, Poncello & Paulo quondam domini Francisci de Ursinis filiis, & pluribus aliis testibus ad præmissa habitis & rogatis. Datum anno MCCCCVII. die ultima Julii.

CUm hæc responsio legeretur ex parte dicti
F domini GREGORII, & in ejus ac suorum cardinalium præsentia, & legatorum domini Benedicti, ac etiam ambaxiatorum regis Franciæ; statim ea lecta petitum fuit ex parte dictorum legatorum & ambaxiatorum; si hæc procederet de voluntate & assensu dictorum præsentium cardinalium. Et sigillatim interrogati, primò respondit Florentinus aliquantulum vacillando, alii aliqui similiter dicendo quòd cedula satis exprimebat. Cardinalis verò Leodiensis

A fis ultimus eorum expressè dixit, se consentire in quantum non contradicebat articulis accordatis in Massilia, alias non. Postea, ut dicitur, accersito tabellario, Florentinus & de Ursinis cardinales, protestati sunt se non consensisse dictæ cedulæ.

ALIA RESPONSIO ADHUC DATA per dictum dominum Gregorium anno prædicto III. Augusti in Roma.

Anno 1407 *Ex ms. Gemmeticensi.*

B DOminus noster offert esse usque & per totum præsentem mensem Augusti in Petra-sancta, si eam habuerit in sua potestate, & pestilentia ibi non fuerit, & ibidem stare usque ad medium diem Septembris proximè venturi & non ultra . . . . si concordia inter ipsum dominum nostrum & dominum Avinionensem de mutatione loci Saonensi non fuerit, vult stare responsioni per ipsum dominum nostrum ultima mensis præteriti Oratoribus Avinionensibus factæ, à qua responsione nunc etiam non recedit. C Et in dicto casu Ambaxiatores Serenissimi regis Franciæ; ac in dicto termino medii Septembris prædicti debeant acceptasse contenta in capitulis dictæ responsionis, scilicet de obsidibus dandis & revocatione *Bouciquaut* & deputatione alterius gubernatoris Januæ, vel fecisse ipsum dominum nostrum super his contentum in dicto termino, & commodare ad præsens eidem domino nostro unam galeam armatam, pro mittendis nunciis ipsius domini nostri Massiliam & Saonam, pro accessu & reditu eorum & pro aliis apportabilibus circa materiam D tractatus unionis ad minus ex nunc usque & per totum mensem Septembris, & teneantur omnem diligentiam fideliter ponere, etiam mittendo de suis ad dominum Avinionensem prædictum, pro adventu ipsius ad Portum-Veneris. Obsides quoque dari de loco ipsi domino nostro, antequam recedat de terris obedientiæ suæ, si ire voluerit per terram, per tantum tempus ante quod possint locari in locis in quibus resi- E dere habeant, & quod idem dominus noster commodè possit esse Saonæ ad tardius in calendis Novembris. Actum Romæ III. Augusti anno CCCCVII.

POst multas collocutiones cum dicto GREGORIO & suis cardinalibus ac ejus consiliariis, die sequenti, scilicet die IV. Augusti, dictus GREGORIUS recedens ab hac cedula præcedenti, dixit se nolle ire ad Petram-sanctam, quamvis pluries personaliter alias obtulisset. F Et postmodum interrogatus quæ loca sibi placerent, si dominus BENEDICTUS ea eligeret, nominavit Pisas, si non esset pestis; ac etiam Florentiam & Senas, dicens non habere aliquem locum suspectum in dominio Florentinorum.



SEQUITUR RESPONSIO cardinalium de Roma, data ambaxiatoribus regis Franciæ, ad certam requestam per eos eis factam, quando volebant de Roma recedere. Cujus quidem requestæ tenor hic sequitur & præmittitur & est talis.

REQUESTA.

Anno 1407 *Ex ms. Gemmeticensi.*

COnsideratis difficultatibus, recusationibus & impedimentis, quæ, docente experientia, cognoscimus contendentes de papatu successivè electos, etiam juramentis & votis contentis, præbuisse ad pacem & unionem Ecclesiæ sanctæ Dei: Placeat RR. PP. dominis de isto collegio affectualiter providere, quòd si contingeret R. P. dominum dominum præsidentem inter eos de hac luce migrare priusquam Ecclesia uniretur, non procedatur per eos ad electionem futuri præsidentis, etiam quibuscumque promissionibus vel juramentis adjectis; donec futuris periculis cautius sit provisum. Insuper dignentur eorum dominationes & paternitates prudenter attendere quanto vinculo ex eorum voto, promissione, & obligatione pacem Ecclesiæ quærere per viam cessionis, &c. specialius sunt astricti, prout ex instrumenti serie Romæ confecti in assumtione hujus excellentis domini plenius patet cunctis. Quapropter juxta requisitionem instantissimam ambaxiatorum Serenissimi Principis domini Francorum regis & Universitatis studii Parisiensis, velint promissa & vota eorum quoad hoc specialiter attendere & servare, & ad locum Saonæ de ipsius domini præsidentis eorumque auctoritate, mandato & consensu promissum, receptum & concordatum personaliter in termino convento venire, etiam si præsidens inter eos ad dictum locum & terminum quavis occasione non veniret, & super præmissis aliisque sæpius requisitis placeat suam responsionem bonam, claram, & certam præsentialiter nobis dare in scriptis.

RESPONSIO DICTORUM Cardinalium ad dictam Requestam.

Anno 1407 *Ex ms. Gemmeticensi.*

REverendissimi in Christo patres & domini domini cardinales ad primum capitulum ambaxiatorum Serenissimi regis Franciæ & Universitatis Parisiensis respondent, quòd in eorum potestate non est obligare eorum confratres absentes: præsentes autem Ostiensis episcopus, Landensis, Miletensis, de Ursinis, Tudertinensis presbyteri, de Brancaciis, de Columna & Leodiensis diaconi S. R. E. cardinales diligentiam ponent, & instabunt quantum in eis erit, quòd dominus noster faciet & ordinabit unam constitutionem, per quam providebitur continentiæ dicti capituli; & alios nitentur inducere absentes ad præmissa. Et in casu quo absentes velint abstinere, ipsi etiam abstinebunt, etiam constitutione non facta. Ad secundum capitulum

respondent quod credunt & sperant indubiè quod dominus noster faciet debitum suum. In casu autem quod non, quod Deus avertat, ipsi domini cardinales in præcedenti capitulo nominati, facient debitum eorum.

F. de Monte-Politiano subscripsi.

SUPPLICATIO FACTA PAPÆ IN Marsilia, per illos de Ambaxiata regis qui ibi dimissi fuerant secundùm ordinationem totius Ambaxiatæ in hoc stat,

Anno 1407 Ex ms. Gemmeti. censi.

QUod ex nunc provideatur, quòd si ante perfectam & debitam unionem Ecclesiæ, contingeret quòd dominus noster vel ille de Roma decederet, quòd collegium defuncti non procederet ad electionem aut subrogationem alterius; sed quòd superstes & ambo collegia, vel utroque defuncto ipsa collegia deberent simul convenire in aliquo loco securo & congruo, de quo prius esset conventum, & infra certum terminum computandum à tempore notitiæ mortis, post vel ex nunc statutum vel præfixum: quodque superstes, si quis esset in dicta conventione, omissa qualibet juris discussione, & absque mora & dilatione, in præsentia utriusque collegii renunciet juri suo papali vero vel prætenso. Et quòd domini cardinales veri vel prætensi, servatis solemnitatibus, factisque renunciationibus processuum, habilitationibus, canonizationibus titulorum cardinalatus & aliis ad hoc necessariis & requisitis, procedant ad electionem veri & unici & indubitati pastoris, sic quòd per hoc schisma terminetur, & conscientiæ fidelium serenentur.

Ad hoc autem per modum advisamenti tradebatur per cedulam prattica prædicta complendi & faciendi, sic videlicet. Primò requiritur ad prædicta complenda quòd tollantur impedimenta quæ possent obstare executioni præmissorum, ut puta nota schismatis, sententiæ, & processus quilibet lati ab homine vel à jure: & quòd fiant habilitationes, & quòd ultra hoc assumantur ad statum cardinalatus per ipsum seu auctoritate ipsius, omnes qui ad hoc assumti fuerant per adversarium, & vice versa, &c. quodque fiant ratificationes & confirmationes promotionum hinc inde factarum: & fiant hæc de præsenti.

Quòd si fieri non posset vel non expediret de præsenti, utroque videlicet domino nostro & adversario suo in statu suo permanentibus, videtur expediens pro præmissorum impletione, quòd papa & suus adversarius quoad præmissa, cum deliberatione & consensu collegiorum suorum, ex nunc committant vices suas & auctoritatem præmissa exequendi commissione papæ & irrevocabili, aliquibus prioribus collegiorum vel aliis sub nomine dignitatis, qui præmissa & cetera adhuc necessaria auctoritate apostolica in forma debita valeant adimplere: casu scilicet mortis utriusque, vel alterius eorum & renunciatione superstitis se offerente, & utroque collegio simul conveniente.

Item, quòd casu hujusmodi se offerente, dicti commissarii, cum tempus affuerit, præmissa omnia & singula impleant; quodque de cardinalibus hinc inde creatis faciant unum verum & indubitatum collegium, quod postea ad electionem unici, veri, &c. pastoris procedat, secundùm formam & dispositionem juris communis.

Quibusdam tamen videtur, quod revocatis processibus & sententiis quibuscumque juris & hominis, factisque habilitationibus & renunciatione suprapositis, expediret tunc procedere ad electionem unici & indubitati papæ per viam compromissi, etiam cessantibus canonizatione, titulorum cardinalatus ratificatione, & confirmatione promotionum: ita quòd commissarii vice & auctoritate compromittentium seu veri collegii dominorum cardinalium, provideant Ecclesiæ universali de pastore.

Et istud idem etiam videtur fieri posse, interpositis revocationibus, habilitationibus, & renuntiatione, etiam absque unione collegiorum, si collegia sibi invicem communicarent vocem & potestatem eligendi ea vice.

Tractatus autem super his habendus vel provisio advisata videtur esse bullanda, quantum humanitus fieri poterit, constitutionum, provisionum, juramentorum ac pœnarum adjectionibus, &c.

Item, quia propter multos casus posset contingere quod conventio præmissa fieri non posset in loco dequo esset conventum, nec in termino præfixo aut præfigendo, providendum esset quod propterea tractatus vel provisio non rumperetur, nec schisma prorogaretur nec perpetuaretur.

LITTERÆ PER QUINQUE cardinales papæ directæ, per quas consulebant offerri civitatem Pisanam, &c.

SAnctissime pater & domine clementissime, supplici & humili recommendatione præmissa, litteras Vestræ Beatitudinis XXIII. mensis Augusti scriptas apud insulam S. Honorati recepimus die * XVI. ejusdem mensis, in eis inserto tenore responsionum factarum novissimè per intrusum ejusdem beatitudinis nunciis ad Urbem, pro complemento eorum quæ concordata fuerunt obtinendo: ac in ipsis subjungebatur litteris, quatenus per totum præsentem Augusti mensem Niciæ essemus infallibiliter cum V. S. quæ deliberata erat ad obviandum fraudibus quæ committi possent in conventis, loco & proximo termino non deesse. Ad quæ beatitudini vestræ cum omni devotione & reverentia respondemus, quod parati sumus, quantum nobis erit possibile, vestris obtemperare mandatis in quacumque materia, quæ per Vestram beatitudinem nobis fuerit injuncta; sed in ista maximè ubi agitur de procuranda & obtinenda unione Ecclesiæ, quam, Deo teste, super omnia totis desideriis affectamus. Desiderantes nihilominus V. S. assistere, ipsamque totis præcordiis ad prosecutionem tam sancti & pii operis coad-

Anno 1407 Ex ms. Gemmeti. censi.

* l. XXVI.

juvare. *Et post pauca sequitur in littera.*

Et quia in tam arduo Dei negotio locorum distantia & absentia corporalis retardare non debet cujuscumque conscientiam, quin fiat quod secundùm Deum videtur esse faciendum, videtur nobis, vestra reverentia semper salva, ut omnia fiant quæ sine notabili præjudicio vestræ beatitudinis & Ecclesiæ fieri possunt circa postulata per intrusum, ut in Saona fiat dicta conventio per sanctitatem vestram, ob Dei reverentiam & compassionem Ecclesiæ tam enormiter laceratæ, liberaliter vestra sanctitas concedat. Et in casu quo per adversarium vestrum staret, ut Saonæ nullo modo fieret conventio, ne negotium tam sanctum remaneret totaliter in ruptura, etiam videretur quod tunc esset per S. V. Pisana civitas offerenda, ut alias per B. V. solemniter in publico in civitate Massiliæ nunciis dicti intrusi fuerat oblata. Nam attenta dispositione novissimè facta per eum, ipsam non potest ulterius recusare. Et Pater sancte, quia res actæ & quæ aguntur sunt in futurorum providentia cautissimè attendendæ, supplicamus humiliter, ut de locis in quibus manet & ad quæ attendit V. S. sic consideret, ut dum pendet conventionis tractatus, adversarius & sui complices non habeant materiam per astutias suum, ut putarent, consequendi intentum. Et hoc scribimus sub fide qua Deo astringimur, Ecclesiæ, & vestræ sanctitati. Cum aliqua audiamus non contemnenda, & circa ista aliqua alia, quæ non honestè videntur committenda scripturæ, sumus plenè locuti venerabili & religioso viro Generali fratrum Prædicatorum, supplicantes quòd in his quæ ad beatitudinem vestram nostri parte retulerit circa dictam materiam, dignemini fidem credulam adhibere. Vestram prælibatam sanctitatem conservet & dirigat Altissimus feliciter, ad pacem dandam Ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum Avenione XXIX. Augusti.

Vestræ sanctitatis humiles filii { G. Penestrinus, N. Albanensis, P. de Thureyo, A. de Saluciis, P. S. Angeli. } cardinales.

ANNO MCCCCVII. DIE II. SEPTEMBRIS responsio data per dominum Benedictum ambaxiatori domini Gregorii, petenti mutationem loci de Saona.

Anno 1407 *Ex ms. Gemmeticensi.*

IN nomine Domini. Amen. Noverint universi hoc præsens publicum instrumentum visuri seu audituri, quòd cùm egregius vir dominus JACOBUS, qui se nominat episcopum Kyronensem & nuncium domini ANGELI-CORARIO, qui ab adhærentibus sibi in schismate, proh dolor! nunc vigente GREGORIUS nominatur, & sui prætensi collegii, nonnulla in cedula inferius inserta in effectu verbo, die secunda præsentis mensis Septembris, in præsentia sanctissimi domini BENEDICTI divina providen- A tia papæ XIII. apud monasterium S. Honorati insulæ Lyrinensis Grassensis diœcesis, constituti proposuisset, & deinde in scriptis prout infra continetur dedisset; præfatus dominus noster papa volens, ut dicit, dicto domino JACOBO respondere, quamdam cedulam nobis notariis infra scriptis tradidit, de qua per instrumentum præsens in autentica forma copiam tradi voluit dicto domino JACOBO: cujus quidem cedulæ tenor talis est.

B *Sequuntur exposita in præsentia sanctissimi in Christo patris & domini, domini* BENEDICTI *divina providentia papæ XIII. in monasterio S. Honorati insulæ Lyrinensis secunda Septembris per egregium virum dominum* JACOBUM, *qui se fatur episcopum Kyronensem nominari, ex parte domini* ANGELI *dicti Corario, qui ab adhærentibus sibi in hoc pernicioso schismate se fatur* GREGORIUM *nominari, & sui prætensi collegii, vigore credentiæ litterarum dicti domini Angeli & sui prætensi collegii, eidem domino nostro papæ directarum, quæ exposita dictus dominus* JACOBUS *postea in scriptis tradidit ipsi domino nostro papæ, sub tenore sequenti.*

C Ex parte sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini GREGORII divina providentia papæ XII. ac sacri collegii reverendissimorum sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominorum cardinalium, ut constat per litteras authenticas ipsius domini nostri ac dicti sacri collegii, coram vobis reverendissimo in Christo patre ac domino metuendissimo, domino PETRO DE LUNA, quem nonnulli in hoc miserabili schismate BENEDICTUM XIII. nominant, JACOBUS Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Kyronensis, proponit cum omnibus obsecrationibus caritativis, precibus & exhortationibus, quibus melius & oportunius fieri potest & debet, quatenus vos, metuendissime domine ac reverendissime pater, dignemini & velitis, non obstante loco Saonæ convento, locum ipsum mutare pro sacra unione feliciter & pacificè & facilius prosequenda. Et hoc propter pericula evitanda verisimilia & imminentia, maximè pro conservatione almæ Urbis, provinciarum, & terrarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quas publicè & notoriè nonnulli potentes minantur invadere, populos ac terras ipsas occupare, & suæ potestati subjicere: quibus malis is qui se in Pontificatu Romano jus canonicum habere prætendit, magis tenetur obviare, & propter quamplures alias veras, canonicas & notorias rationes & causas juridicè admittendas, allegatas, & transmissas aliàs ex parte dicti sanctissimi domini nostri GREGORII tam per solemnes oratores vestros, quàm per suas litteras publicas & authenticas ad V. R. paternitatem & dominationem metuendissimam: quæ causæ post conventionem dicti loci sunt exortæ & pericula experientia manifestat. Insuper dictus Jacobus præfatus episcopus quantum licet humiliter supplicat V. R. paternitati & metuendissimæ dominationi, quatenus dignemini sibi dare responsum ultimum & finale super his, per vestras autenticas litteras ad præfatum sanctissimum dominum nostrum dominum GREGORIUM.

Expositio Ambaxiat. domini Gregorii.

Responsio D. Benedicti.

Quibus pro parte dicti domini nostri papæ A Benedicti pronunc breviter respondetur. Cùm pridie tam isti articulo de mutatione loci quàm aliis ab eodem domino Angelo prætensis causis, quibus à conventione mutua in civitate Saonæ, sicut concordatum & firmatum fuerat, se nititur excusare, jam fuerit eidem domino Angelo sufficienter responsum, sicut patet per ejusdem domini nostri litteras datas Massiliæ apud S. Victorem, calendis Augusti proximè præteriti, eidem domino Angelo per suos proprios nuncios destinatas, quarum tenor inferius B est insertus, in quibus & in concordatis Massiliæ solemniter ac promissis & firmatis, quæ jam in parte idem dominus noster adimplevit, & residuum in quantum Deus permiserit, & in eo fuerit adimplere intendit, invariabiliter perseverat, dicit & præfato domino Jacobo nuncio, ut præfertur, à jam dicto domino Angelo destinato, iterato respondet, quod in tractatu capitulorum, ut præmittitur, concordatorum, omnia allegata, & alia multa inter partes discussa fuere plenariè, & facta collatione, ac ponderatis ponderandis, fuit concordia contentorum in dictis capitulis subsequuta, à qua recedendum non est, cùm rationes seu causæ allegatæ pro parte dicti domini Angeli nec veridicæ, nec sufficientes appareant, quia nec modo subsunt: immo etiam si prout ponuntur in veritate consisterent, minus quàm antea nunc subessent. Super quibus idem dominus noster papa, maximè ita de proximo tempore conventionis instante, alium contentiosum intrare processum, seu novum inchoare tractatum, qui potius ad dilationem & impedimentum optatæ unionis, quàm ad ejus perfectionem tendere videretur, non reputat expediens nec honestum. Cùm igitur puncta & conventiones hujusmodi servari debeant, dominus noster papa præfatum dominum Angelum requirit, hortatur, & rogat, quatenus pro Dei reverentia, & pro tanto bono perficiendo, attentis securitatibus jam datis & obtentis, velit, prout tenetur, de certis loco & tempore, prout dominus noster papa intendit facere, juxta concordata promissa & firmata inter partes, secum concurrere pro executione eorum per quæ Deo in excelsis gloriam, in terris pacem Ecclesiæ, in invio deviantibus salutis semitam, & sibi ipsis acquirant electis filiis præservatam æternæ retributionis coronam. Tenor vero dictarum litterarum domini nostri papæ Benedicti dicto domino Angelo directarum talis est.

Littera per D. Benedictum missa Gregorio de non mutando locum Saonæ.

Benedictus episcopus servus servorum Dei Angelo dicto Corario, qui in hoc perniciosio schismate se facit Gregorium nominari, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum. Litteras tuas sub eodem tenore recepimus iteratas, primas die XXIX. mensis Julii per quemdam cursorem, secundas verò die ultima dicti mensis, ultima hora diei, per illum conversum ordinis prædicatorum ad nos per te aliàs destinatum: quarum tenore perlecto, mirari cogimur, nec facilè credere possemus, te, sicut ex litteris hujusmodi innuitur, à concordatis inter nos & venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales ex una; & nuncios tuos habentes à te & tuo prætenso collegio potestatem, partibus ex altera, solemniter firmatis, ac fere per orbem totum divulgatis velle prætensis rationibus resilire; & causam Dei ubi de salute agitur tot hæsitantium animarum, quæ non admittit sine dispendio tarditatem, sub dubiæ dilationis ambiguo dimittere sic suspensam. Nosti enim, & nos experientia sæpe probamus, quòd res arduæ, maximè hoc nebuloso tempore, quo, proh dolor! multorum caritas refrigescit, non possunt sine perplexitatum & laborum dispendiis optato fine concludi. Non est tamen credulitatis nostræ, quòd Christus Dominus Ecclesiam sponsam suam dimittat, spe optatæ conclusionis ademta, sub tali labyrintho diutius evagari; sed tenendum felici arbitratu videtur, quòd eam in statum eriget meliorem, & si cuncta in arduis non ad vota succedunt, à bono proposito non est faciliter desistendum. Nos jam circa conventa hujusmodi expensas & C labores non modicos adhibuimus. Quòd si facultas non adesset eundi cùm galeis sex, saltim cum quatuor, aut duabus, etiam si tu haberes, ad locum decretum etiam fiducialiter pergeremus. Hortamur ergo te per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus consideratis quæ decet super tanto negotio in statera æquitatis appendere, resumtis viribus, de Dei gratia spe concepta, & in recta intentione quam gerimus, ipso teste, ad hanc pacem in decretis locis & termino pro complemento eorum quæ concor- D data sunt, velis infallibiliter convenire & dare operam quantum ad te spectare noscitur agenda. Nos autem non sine laboribus & expensis præmaximis, ut præmittitur, dispositis quæ necessario incumbebant, Domino concedente, ad alia restantia exequenda fiducialiter properamus, omnia ponentes ante oculos judicis cuncta cernentis, cujus clementiam humiliter imploramus, quod gressus illorum in viam salutis & pacis dirigat, qui in tam necessario negotio rectè secundùm eum incedunt, & cau- E sam ipsius sinceriter prosequuntur. Datum Massiliæ apud S. Victorem calendis Augusti, pontificatus nostri anno XIII.

Qua quidem responsionis cedula nobis notariis infra scriptis per dictum dominum nostrum papam, & de ejus mandato, præsente etiam dicto Jacobo lecta & publicata, mandavit idem dominus noster, & dictus dominus Jacobus requisivit sibi fieri unum, duo, aut plura, publicum seu publica F instrumenta in fidem & testimonium præmissorum. Acta fuerunt hæc Niciæ in camera retractus ipsius domini nostri papæ, anno à nativitate Domini MCCCCVII. indictione XV. & die nona mensis Septembris, pontificatus domini nostri papæ Benedicti anno XIII. præsentibus ibidem reverendis in Christo patribus dominis P. Ilerdensi, Jo. Montis-Aragonum, & Hieronymo S. Johannis de Parma Ostiensis diocesis abbatibus, &c.

ISTUD QUOD GREGORIUS FECIT prædicari & publicari die omnium Sanctorum Senis, anno domini MCCCCVII. pro excusatione sua de hoc quod non iverat Saonam.

IN primis quod dominus noster voluit, vult, & volet unionem Ecclesiæ per viam cessionis & omnem aliam viam rationabilem; & hanc prosequitur & prosequi intendit usque ad mortem inclusivè. Hanc conclusionem probant litteræ quas primò misit per orbem. Secundò oratores quos hinc inde dispersit per mundum. Tertiò quia misit ad partem adversam ad requirendum & conveniendum de loco. Quartò quia locum elegit in obedientia & dominio partis adversæ. Quintò quia electum locum de facto non de jure, cum prohibuerit suis oratoribus ne eligerent locum Januæ sub quo est Saona, quamquam videret incommodum & difficultatibus plenum, sperans posse adimplere conventa, acceptans ratificavit. Sexto quia pro adimplendis conventis, per suas bullas potestatem dedit dominis cardinalibus impignorandi omnes terras Ecclesiæ. Septimò quia per suos nuncios requisivit principes & comitates suæ obedientiæ, de subsidiis & auxiliis quæ pro tanto opere requiruntur. Octavò quia juramenta sua seu pacta conventionis Massiliæ sibi per Januenses acceptavit. Nonò quia per suum oratorem requisivit Januenses & gubernatorem eorum de securitatibus Venetis dandis, & simpliciter per eumdem requisivit Venetos de galeis armandis, & securitatibus mutuis acceptandis pariter & exhibendis, cum multis aliis rationibus quarum quædam infra patebunt.

Secundò quòd per suam Sanctitatem non stetit quin pacta conventionis Massiliæ: pacta dico essentialia & principalia, pro unione necessaria adimplerentur, & tamen non sunt adimpleta. Videlicet non est adimpletum quod Veneti & Januenses cum suo gubernatore mutuas securitates darent & acciperent. Secundò non est adimpletum, neque potuit per dominum nostrum adimpleri, quod haberet tutas galeas in pactis ordinatis, non pro commoditate itineris, neque solùm pro tutela suæ personæ, sed pro conservanda partium libertate in loco, sine qua unio vera introduci non potest. Tertiò non est adimpletum quod fuit in pactis principale & necessarium ex natura rei: quòd utriusque partis in loco potentia foret æqualis. Hoc autem dominus noster toto fervore nisus est adimplere per suum oratorem & per Gallicos oratores, Alteram partem requirens quod, ex quo ipse dominus papa tutas & conventas non poterat habere galeas, ipse quoque dominus PETRUS DE LUNA, aut ad locum sine galeis veniret aut eas desarmaret in loco, quorum utrumque negavit.

Tertiò, quòd postquam locus Saonæ fuit acceptatus, multis veritatibus patefactis quæ prius latebant, ipse locus redditus est meritò suspectus & unionis verisimiliter turbativus. Primò innotuit quædam determinatio Ecclesiæ Gallicanæ constituens domino PETRO DE LUNA spacium decem dierum ad renunciandum, aliàs tamquam schismaticus & hæreticus haberetur, & sine sua renunciatione ad electionem unici pontificis procederetur per utrumque collegium, verum scilicet & prætensum, nulla mentione de vero pontifice facta. Cùm ergo multa præparatoria præcedant cessionem, ne post electionem unici pontificis restet disputandum cum ense & tyrannicè, quæ pars habuerit veros pontifices & quæ falsos; videlicet propter matrimonia dispensata, regna & terras principibus concessas, dignitates Ecclesiasticas elargitas, canonizationes sanctorum factas, & alia plura quæ infra spacium decem dierum commodè fieri non possunt, factus est suspectus quilibet locus existens sub eorum dominio, qui usurpativè ad tam brevem terminum artant partes, cum hujusmodi rei nullam juridicam habeant facultatem.

Secundò per multas litteras fide-dignorum de Gallia missas, intimatum est domino nostro quòd eidem pararentur insidiæ, si veniret ad locum Saonæ, ad quem locum non accederet sine prudentibus cautelis & securitatibus validis, quas securitates etiam prius oblatas petivit, & obtinere nequivit.

Tertiò supervenit quod dominus PETRUS DE LUNA, papale palatium Avinionense incastellavit, & maximis balistis & bombardis aliisque ornamentis munivit, nec ad locum Saonæ voluit accedere, cùm tamen sit de obedientia illius, & gubernatum per amicum ejus, nisi esset fortis in mari & in terra: unde præsumitur quòd insidias timeat in obedientia sua & sub amico suo: quare magis dominus noster ibidem extraneus spiritualiter & temporaliter, illic ire non potest armis munitus ut ille?

Quartò, accidit præsumta violentia regis Apuliæ & violentia in terras & fideles Ecclesiæ, quos dominus papa ex juramento tenetur defendere, & sub ecclesiastico dominio conservare: quæ violentia & strages fidelium non exerceretur, ut rex præfatus pluries est protestatus, si locus Saonæ * abjiceretur: immò rex prælibatus promittit obedire Ecclesiæ, & unioni auxilia ministrare, dummodo locus Saonæ suspectus, in locum tutum mutaretur.

* Vide litteram Regis ad contrarium.

Quintò accessit solemnis legatio regis Hungariæ protestantis cum pluribus principibus & comitatibus de obedientia domini nostri, quòd ipse locus Saonæ esset unionis turbativus, cum comminationibus inobedientiæ, nisi unio alibi tractaretur in loco tuto, quorum rationabiles persuasiones tacentur: quia cùm honore alterius partis dici non possunt, quam dominus noster caritativè nititur conservare.

Item, supervenit sextò quòd oratores regis Franciæ, sub cujus dominio est locus Saonæ, Romæ existentes, nisi sunt dividere cardinales à papa, seditiones Romani populi contra dominum eumdem excitare, & tandem gravissimis contumeliis suam majestatem invaserunt.

Septimò considerans dominus noster non solùm quòd foret absolutus à loco Saonæ, sed pro-

pter bonum unionis obligatus non ire; cum A non propter locum unio, sed propter unionem locus eligatur, ut tamen fideles populi, qui solùm quæ exterius apparent considerant, non scandalizarentur, suum adhibuit conatum. Primò noviter se obligavit adire Saonam quibusdam mediis ordinatis humiliter, propter quæ pars sua ut semituta aliqualiter quiesceret, & adversa honorata petitionibus condescenderet. Primò petivit quòd gubernator Januæ multis rationibus suæ parti suspectus, pro tempore unionis rediret in Franciam, ad quod ipse se obtu- B lerat, Janua remanente sub gubernatione duorum ex oratoribus regis Franciæ, quos dominus noster eligeret. Ipse quidem dominus noster prius deserebat terras Ecclesiæ etiam invadendas, quàm dictus gubernator Januam non invadendam sed custodiendam. Secundò petivit quòd sibi darentur obsides, centum videlicet Januenses & quinquaginta Saonenses. Et hoc quidem obtulerant, dabat enim dominus noster illis se summum pontificem, & collegium suum, & totam Romanam curiam, cùm ad eorum C dominium se transferret quasi inermem. Petivit tertiò quòd dominus PETRUS DE LUNA aut sine galeis sit, & ipse dominus papa Saonam veniret, aut dearmaret conductas, ut utriusque partis in his accidentibus esset æqualitas, quamvis in essentialibus domini PETRI DE LUNA pars remaneret incomparabiliter magis robusta. Est enim inter suos, & noster ibat ad alienos: noster cùm sit verus papa, ibat ubi haberetur Antipapa, & Antipapa stabat ubi falsò veneraretur ut papa. Nimium offendebatur veritas quam defendit. D

Octavò petivit ut de omnibus his adimpletis sibi domino nostro constaret per totum mensem Septembris. Horum neutrum sortitum est effectum. Quare dominus noster ab obligatione secunda sponte oblata est absolutus. Secundò dominus noster propter tollendum scandalum pusillorum, de Roma recessit, non cum parvo dispendio & periculo suorum fidelium, & terrarum Ecclesiæ vadens Saonam, ut si suæ Sanctitati darentur petita, in termino posset adesse Saonæ, exponens se & totam curiam suam ma- E gnis periculis, cùm nullam videret viam sibi tutam, nisi per Lombardiam diuturnis & gravissimis guerris horridam & squallentem, ad quod perficiendum gravissimum iter requisivit potentes obedientiæ suæ de gentibus non multis armorum, quas non valuit obtinere.

Nonò idem dominus noster hujusmodi itineris difficultate percepta, non tamen prædictæ viæ dimittens conceptum pariter & tractatum, de mutatione loci adversarium suum humiliter requisivit, primò per suum oratorem, secundò per oratores Florentinorum, tertiò per oratores Senensium, quartò per oratores Lucanensium, offerentes eidem etiam illa loca quæ in principio conventionis Massiliæ, ipse dominus PETRUS DE LUNA obtulerat primò oratoribus domini nostri. Cujus loci mutationis affirmativam non habet.

Decimò igitur quia ex ultimo capitulo conventionis sæpius nominatæ, antipapa tenetur acceptare unum de locis primitus sibi oblatis per oratores domini nostri, aliàs evidenter est fractor promissi, humiliter & caritative dominus noster per suos oratores solemnes eumdem antipapam requirit, ut ad mutationem loci velit attendere, quorum expectat responsum.

Dicit ergo dominus noster, Quid debui facere & non feci? Illi locum defendunt, Ego unionem quæro. Sicut enim non homo propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem est institutum; sic non unio propter locum, sed propter unionem locus inquirendus. Quemadmodum itaque propter bonum expedit sabbato curare, sic propter bonum unionis oportet locum Saonæ mutari.

TRES VIÆ SEU MODI EXHIBITI SEU oblati domino BENEDICTO, pro parte GREGORII apud Saonam, sunt infrà scripti anno MCCCCVII. die VII. Novembris.

PRimus modus quòd reperiatur unus locus habilis ac commodus & utrique parti tutus, cujus loci dominium absque ullo medio esse debeat in manibus domini nostri & domini Avinionensis. Et pro isto primo nominata sunt

Bononia Forlivium Perusium Urbs-vetus Viterbium	Et ista sunt loca terrena.

Ancona Fanum Pensaurum Ariminium	Ista sunt loca maritima.

Secundus modus est, quod reperiantur duo loca propinqua, dominium quorum etiam positum sit in manibus domini nostri, & domini Avinionensis, id est unius dominium in manu præfati domini nostri, alterius verò loci dominium in manu præfati domini Avinionensis; & pro isto secundo modo nominata sunt,

Pro domino Avenionensi Portus-Veneris Sarzana Plumbinum Civitas-vetus.	Et ista sunt loca maritima.

Pro domino nostro nominata sunt ista, videlicet F

Petra sancta Massa Cornetum Viterbium.	Quæ quidem loca sunt vicina supradictis.

Vel si dominus Avinionensis vellet venire Cornetum prædictum, terram Ecclesiæ immediatè subjectam, oblata fuit sibi liberè, & do-

minus noster iret Viterbium, vel ad alterum A locum Corneto propinquum.

Vel si dominus Avinionensis vellet ire in Lombardiam, nominata fuit pro ipso domino Avinionensi villa quæ dicitur Nonas territorii Januensis prope Tardonam posita ad octo milliaria. Et pro ipso domino nostro nominata fuit Tardona, & ista omnia sunt ratiocinata pro secundo modo supradicto.

Tertius vero modus fuit quod ambo ipsi domini, videlicet ipse præfatus dominus noster & dominus Avinionensis cum partibus suis fidem B accipiant, & se ponant in manu unius tertii domini. Et pro isto modo nominata sunt,

Quælibet terra dominorum Venetorum
Dominorum Florentinorum
Dominorum Senensium
Luca
Mantua
Et terræ domini Marchionis Montis-Ferrati.

COPIA LITTERARUM REGIS C Ladislai ad dominum Gregorium, per quas apparet eum non dissuasisse conventionem ad locum Saonæ. *Edita est apud Theodericum Niem.*

RESPONSIO DATA PER DOMINUM Benedictum ambaxiatoribus Gregorii apud Saonam, super his quod sibi offerebant aliqua loca ad conveniendum, &c.

Anno 1407 *Ex ms. Lemmeti. ensi.* BENEDICTUS, &c. cùm nuper nobis Massiliæ residentibus pro extirpatione nefandi & D inveterati schismatis, & unione in Dei Ecclesia feliciter reducenda, inter nos & venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales ex una, & certos ANGELI CORRARII, qui se facit GREGORIUM nominari, oratores & nuntios, habentes ad hoc plenam potestatem & speciale mandatum ex altera partibus, fuit hæc Saonensis civitas velut habilis, idonea, ac utrique parti secura, pro conventione mutua per nos & dictum ANGELUM facienda in festo S. Michaëlis tunc instantis: vel si ipse certo casu non E posset in dicto termino interesse, in solemnitate sanctorum omnium proximè præterita, electa, certis adhibitis provisionibus, cautelis honestis, & securitatibus partem utramque ad bonum speratæ unionis concernentibus conventis, ac mutuo assensu ad concordiam deductis, & ex post per ipsum ANGELUM CORRARII verbo, scripto, ac facto multiplici approbatis. Et licet nostri ex parte fuerint adimpleta & inviolabiliter observata, & in præsenti Saonensi civitate in primo & in secundo terminis personaliter F cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus præsentes fuerimus; in qua & de præsenti etiam residemus, non sine magnis laboribus & expensis; ipseque ANGELUS CORRARII, nescimus quo ductus spiritu, in dictis terminis convenire nobiscum recusaverit: Et licet ex post certos ejus nuncios ad nos destinaverit, qui diversas, satis notorie impertinentes causas suæ absentiæ proponentes, petierunt locum mutari, & obtulerunt ut alium locum acceptaremus sub utriusque dominio ponendum, vel quòd nos unum locum, & ipse ANGELUS alium eligeremus vicinitate propinqua, seu quod sub alicujus dominio, sumta hinc & inde confidentia, locum mutuo assensu eligeremus, & specificando primam & tertiam vias plura loca & dominia nominarunt & obtulerunt in Italia & dicti ANGELI obedientia & potestate existentia, nullum locum seu dominium nostræ obedientiæ nominando. Circa autem secundam viam inter cetera loca nominarunt Portum-Veneris, &c. Sarzanam pro nobis & locum de Petra-sancta pro ipso Angelo obtulerant. Cúmque ab ipsis nunciis peteremus, si ad ipsa promissa concordanda ac firmanda aliqua essent sufficienti potestate muniti: nobis exhibuerunt certum ipsius ANGELI CORRARII mandatum, quo cavetur, ut declinata hac civitate Saonensi, super mutatione loci & locorum in Italiæ partibus de sua obedientia habilis, idonei, securi ac accommodi; securorum, habilium, seu accommodorum parti utrique posset convenire & concordare nobiscum, & quòd gratum haberet quidquid per dictos suos nuncios in præmissis factum foret, absque alia promissione de observandis quæ concordata forent, aut fidei vel juramenti interpositione. Tenor verò dicti mandati & forma talis est.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Jacobino de Torso Utinensi notario, Johanni abbati monasterii S. Mariæ de Pratalia Paduanæ diocesis, ac nobili viro Francisco Justiniano domicello Veneto ac hospitii nostri magistro, nostris & apostolicæ Sedis nunciis salutem & apostolicam benedictionem. Attendentes quòd media quæ ad finem aliquem ordinantur conferenda, veniunt ad finem ipsum, & illis non conferentibus sed impedientibus potius, prout in humanorum casuum eventibus plerumque solet accidere, rectè mutanda censeri debent; & considerantes quòd pro extirpatione inveterati schismatis & pestiferi, locus civitatis Saonensis, pro conventione nostra & PETRI DE LUNA, quem sibi adhærentes in eodem schismate BENEDICTUM XIII. nominant, & aliorum de nostra suaque parte Massiliæ à dilectis filiis commissariis nostris ex una & dicto Petro ex altera partibus electus asseritur: ex multis ad eumdem finem non conferentibus & ex multis aliis rationabilibus causis redditur incongruus, inhabilis, & plurifariam suspectus, prout per nuncios & litteras nostri parte sæpe & sæpius tam ipsi Petro quàm complicibus nonnullis ejusdem & quamplurimis aliis explicatum fuit, & propterea per nos, iisdem & nonnullis aliis suadentibus causis, declinatus extiterit, & ab intimis nostris præcordiis semper optaverimus & optemus schisma ipsum extirpari, ac unionem exurgere, & de vestræ districtionis fidelitate & probitate, ac gerendarum rerum experientia sumpserimus, & sumamus in Altissimo fiduciam specialem, discretioni vestræ nomine nostro iterato, ubi, quando, & quotiens

expedire noveritis declinandi ipsum locum civitatis Saonensis, & commutationem loci vel locorum in Italiæ partibus de obedientia nostra habilis, idonei, securi, & accommodi, securorum, habilium, seu accommodorum utrique parti petendi, & cum eodem Petro vel ejus commissariis uno vel pluribus, ad id ab eo specialiter constitutis, de ac super hujusmodi commutatione loci vel locorum conveniendi, & concordandi, & omnia & singula, quæ in præmissis & circa ea vel eorum aliquod utilia vel opportuna fuerint gerendi, faciendi, & exercendi, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem: ratum & gratum habituri, quidquid per vos factum fuerit in præmissis, idque faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Senis xv. calendas Novembris Pontificatus nostri anno primo. De curia Jo. de Montepolitiano. F. de Montepolitiano. M. de Stata.

Nos verò attendentes præmissi mandati insufficientiam tam ratione locorum in sua obedientia existentium, quàm inæqualitatis ac etiam imparitatis quæ ex forma dicti procuratorii, si acceptaretur, evidenter sequeretur: & etiam propter qualitates locis eligendis adjectas; ac etiam quia de tempore præfigendo in quo personaliter loco vel locis concordandis convenire deberemus, nulla mentio habetur, nec non propter repugnantiam mandati dicti ANGELI ad oblata, & ex aliis causis quæ ex tenore dicti mandati apparent & apparere possunt evidenter, & quòd super dictis oblatis seu eorum altero concordare non poteramus securè cum dictis nunciis, nec firmare, cum ipsi sufficientem potestatem non haberent, ut præfertur. Perpendentes etiam in præmissis aliquid posse latere, cùm omnem locum obedientiæ nostræ ipse ANGELUS CORRARII ex tenore dicti mandati declinet & excludat; & timentes quòd si cum dictis nunciis potestatem sufficientem non habentibus concluderemus, nobis illud posset * prout & aliàs cum habentibus sufficiens mandatum cum magnis laboribus & expensis per dilationes inutiles notoriè ducti sumus, cum dictis suis nunciis tutè & securè concludere nequivimus. Attamen ne hoc sanctum Dei negotium, cujus consummationis desiderium mentis nostræ intimis inhæret continuè, per suas frustratorias altercationes & anfractus, ulterius deducatur in longum, deliberatione habita cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, de ipsorum consilio de præsenti nostros solemnes nuncios destinamus ad ipsum ANGELUM CORRARII, cum plena potestate & speciali mandato concordandi & firmandi nostra ex parte & fratrum nostrorum prædictorum, quod nos & fratres nostri prædicti in confinibus obedientiæ utriusque personaliter accedemus, scilicet ad Portum-Veneris per ipsos nuncios prædicti ANGELI pro nobis nominatum, si ipse Angelus ad locum Petræ-sanctæ infra tempus breve cum dictis nostris nunciis concordandum se venturum obligaverit, ut sui nuncii verbo in nostra & fratrum nostrorum præsentia publicè obtulerunt. Et est nostra firma intentio, & propositum irrevocabile, quòd postquam firmata fuerint per dictos nostros nuncios & ANGELUM CORRARII, accedemus infra mensem ad dictum Portum-Veneris, vel alium terminum de quo concordatum fuerit, personaliter cum nostris fratribus facturi, auxiliante Altissimo, quantum nobis possibile fuerit, ut unio in Dei Ecclesia feliciter subsequatur. Si autem dictus ANGELUS CORRARII prædicta firmare noluerit, vel postquam firmaverit ad dictum locum Petræ-sanctæ venire recusaverit, in eo casu & casibus obligationem, qua efficaciter tenetur in hac civitate Saonensi nobiscum, lapsu dictorum terminorum non obstante, convenire eidem remittere nullatenus intendimus, nec ipsum ANGELUM ab illa quovis modo liberare. Et hæc dicimus, offerimus, & protestamur in præsentia nunciorum dicti ANGELI CORRARII existentium coram nobis, & de his petimus fieri publicum instrumentum & publica instrumenta. Datum Saonæ IV. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno XIII.

N. Clamengis.

*hic aliquid deest.

ACTA ORATORUM REGIS CASTELLÆ ad Benedictum XIII.

Anno 1408. Ex ms. Colbertino.

VEnerabiles viri domini ambassiatores regis Castellæ iter eorum petentes versus Romam ad intrusum. Primo loco applicuerunt Saonam, ubi dominus noster cum sua curia moram trahebat, cui exhibita reverentia, litteras credentiales pro parte Serenissimi regis domini Castellæ præsentaverunt, per quas significabatur, qualiter ipsi domini ambassiatores mittebantur ad intrusum pro pace Ecclesiæ per viam cessionis, & hoc idem in vim credentiæ domino nostro dixerunt.

Exinde iidem domini ambassiatores post diem naturalem, quo in dicto loco Saonæ steterunt, profecti sunt ad Urbem, ubi honorificè atque magnificè per intrusum & suos fuerunt recepti, & diebus continuatis videlicet XXVI. per dictum intrusum venerabiliter tractati, cum quo certam conclusionem habuerunt solo domino regi deferendam, dimiseruntque intrusum super facto unionis bene dispositum.

Demum vero ab intruso recedentes, transiverunt per præfatum dominum nostrum, quem in Sinario reperierunt. Cui reverentia exhibita, ambassiatam eis injunctam apud eum pro parte præfati Serenissimi regis Castellæ exposuerunt ad plenum, quatinus idem dominus noster pro tanto bono unionis & pacis Ecclesiæ viam cessionis absque morosa dilatione dignaretur acceptare. Qui de requesta turbatus non modicum, petiit dictam requestam in scriptis sibi dari, quod & fecerunt. Et super eo voluit dominus noster dilationem habere, postque aliquas dilationes, demum respondit, quomodo omnem operam dederat atque dabat pro quærendo pacem Ecclesiæ, & ad hoc ad partes illas accesserat, non

non parcendo senio, periculis, laboribus & expensis, & quod ad intrusum miserat frequenter, obtulerat ei vias pro pace Ecclesiæ omnimodas, & si quam illarum voluisset acceptare, illam libenti animo prosecutus fuisset, & prosequeretur, aut quamcumque aliam bonam, si eidem intrusus eamdem aperuisset seu præsentasset: subjungens quod, prout dixerat, frequenter etiam viam cessionis, si expediens foret, & eo casu quo unio sequeretur, minime recusaret etiam, nec mortem.

Cumque ambassiatores præfati eidem domino nostro dixissent, quod de tractatibus inter ipsum & intrusum non se intromittebant, sed solum præcisè humiliter supplicabant, quatenus formaliter & expressè ad eorum requestam responderetur. Respondit præfatus dominus noster, quod credebat sufficienter respondisse. De qua responsione dixerunt præfati ambassiatores, se nullatenus fore contentatos, & nihilominus instanter supplicaverunt, quod in illa parte in qua faciebat mentionem de sua responsione, videlicet de non recusanda via cessionis, si esset expediens & casu quo unio sequeretur: cum, prout notum est, totus mundus judicet eam unioni accommodam, vellet illas conditiones amovere, & loco illarum apponere, si intrusus hoc idem faceret aut fecisset. Quod præcisè facere recusavit, respondendo prout supra, nec aliud super his, licet per multorum temporum curricula expectaverunt, aliud potuerunt reportare, nisi solum bullam perclausam, prædicta, ut creditur, continentem, licet per eos pluries fuerit requisitus, ut si aliam viam pro pace & unione ecclesiæ accommodam haberet, illam dignaretur aperire. Quod nec fecit.

Post hæc vero prædicti domini ambassiatores ad præfatum dominum nostrum accedentes, & resumtis his quæ gesta erant, ut præfertur, pro parte serenissimi principis requisierunt atque supplicaverunt, quatenus ad dandam pacem Ecclesiæ taliter desolatæ & afflictæ, & cujus status per hujuscemodi pestiferum schisma tam graviter turbabatur, celebraretur concilium generale forma juris, & de hoc ipsum requisierunt instanter. De qua quidem requesta se turbatum multùm ostendit, voluit quod darent in scriptis, prout fecerunt, super dicta requesta deliberare volens.

Cùm itaque quadam die prædicti ambassiatores venissent ad præfatum dominum nostrum pro responsione habenda, idem dominus noster præmisit quædam interrogatoria ambassiatoribus prædictis, videlicet petendo & interrogando ab eisdem, quid erat concilium generale, & qualiter & cum qua prattica intelligebatur quod deberet celebrari: & si intelligebatur de concilio istius obedientiæ vel totius ecclesiæ: quia in ea hærebant diversæ opiniones dominorum & doctorum. Ad quæ responderunt ambassiatores præfati quod attento quod ipsi petunt, ut pro dando pacem & unionem Ecclesiæ celebraretur concilium generale in forma juris, & ipse dominus noster papa omnia jura in scrinio pectoris censetur habere, ipseque sit famosus doctor doctorum, & omnia quæ petit sunt clarè in jure scripta & tradita, talibus interrogatoriis & difficultatibus non erat utendum, sed simpliciter respondendum & concedendum. Et requisierunt instanter ut supra, vel quod responsum, dare vellet, in scriptis traderet, ut de ejus intentione præfato domino regi magis constare posset. Qui quidem dominus noster nec aliud respondere voluit, nec concedere, nisi unam bullam clausam, in qua prædicta sua responsa continentur, & ut rex deliberaret de quo concilio intelligit, & cum qua prattica illud remitteret domino nostro, qui tunc deliberabit.

Hoc est quicquid prædicti ambassiatores à domino nostro per... dies quibus steterunt in eo non sine laboribus & periculis potuerunt reportare.

CONSILIUM DE MODO PROCEDENDI ad tollendum schisma.

Istæ sunt viæ quæ putantur super unione Ecclesiæ, unionem & statum utriusque partis concernentes.

I. PRimò quòd numerus cardinalium utriusque partis reducatur ad æqualitatem, & quòd omnes confirmentur per utrumque præsidentem, ipso secundùm antiquitatem invicem alternativè collocando, prout videbitur convenientius. *Ex ms. Gemmeticensi.*

II. Item, quia in eodem titulo plerumque sunt duo cardinales, antiquis in eorum statibus dimissis propter reverentiam unitatis Ecclesiæ sub qua fuerunt assumti, novis æqualiter provideatur. Qui habebunt concurrentem in titulo; & si tituli non sufficiunt ad numerum, quòd novi tituli noviter erigantur per utrumque, qui minoribus de qualibet parte æqualiter distribuantur.

III. Item, jurabit uterque præsidens cum suo collegio, ultra numerum æqualiter præfixum, nullum quamdiu vivet assumere ad cardinalatum, donec Ecclesia perfectè reducta sit ad unitatem, nec in collegio aliquid innovare dum episcopi cardinales morientur, sed de consensu communi communiter ordinabitur duobus communibus, de quibus dicetur capite sequenti, tractantibus & procurantibus, ita quòd in qualibet parte dumtaxat sint tres episcopi cardinales.

IV. Item, duo solemnes eligentur, quilibet per suam partem, qui negotia communia, tamquam in hac parte legati, jurabunt fideliter exercere, plenariam super inferiùs dicendis quilibet à sua parte habebit auctoritatem: tamen cum ea utentur insimul, neminem nominabunt; sed dicent: Auctoritate apostolica qua fungimur.

V. Item, quòd per utrumque præsidentium de consensu suorum fratrum fiat constitutio nova, quod attenta malitia præsentis schismatis, vivente summo pontifice, licitè successor potest eligi, quo sic electo, ut post mortem summi pontificis ipse electus succedat in plenitudinem potestatis, à nullo possit impugnari, & qui hoc

facere attentaverit, juxta c. *licet de evitanda de electione*, totius sacri ordinis privatione multetur, ut ibidem.

VI. Item, supra & infra vocatis & confirmatis, ac securitatibus habitis ab utraque parte, cardinales qui sunt de Roma, seu qui sunt in Urbe, jam in continenti eligent vigore constitutionis factæ ex nunc pro ex tunc in papam, post mortem dumtaxat illius de Roma, præsidentem in Avenione, sibi de præsenti mittendo decretum electionis debitè roboratum, valiturum irrevocabiliter post mortem illius de Roma, & consimiliter cardinales de Avenione in omnibus & per omnia, ut præfertur, eligent illum de Roma, casu quo supervivat, modo & forma quibus supra.

VII. Item, jurabit præsidens in Avenione, quod si ipse supervivat alio de Roma, quòd ipse certificatus de morte illius, unà cum suo collegio, infra certum tempus communiter limitandum ibit ad Urbem in sede B. Petri ibidem mansurus, omni excusatione postposita. Et si ipse infra dictum tempus non accesserit, quòd tunc per illam negationem accessus, seu per illam moram ex nunc pro tunc, lapso dicto termino, seclusa quacumque exceptione in contrarium, cedit & renunciat oneri & honori summi pontificatus, perpetuò se expolians de eisdem, dans auctoritatem plenariam cum suo collegio cardinalibus qui pro tunc erunt in Urbe, lapso dicto termino, libere eligendi novum papam, unà etiam cum cardinalibus de Avenione, si infra dictum tempus ad Urbem venerint aliqui ex ipsis.

VIII. Item, jurabunt illi qui sunt in Roma quòd si præsidens eorum prius moreretur, quòd incontinenti mittent personam sufficientem ad Avinionem, ad notificandum mortem præsidentis eorum; & tunc ille de Avenione cum suis cardinalibus infra tempus præfixum, ut dictum est, teneatur ire ad Urbem, aliter fiat juxta caput immediatè præcedens.

IX. Item, dicti cardinales qui erunt pro tunc in Urbe, interim destinabunt quatuor ex ipsis usque ad civitatem Januensem, ad recipiendum papam venturum cum suis cardinalibus: & ibi dicti quatuor habeant ipsum expectare usque ad tempus communiter præfixum; & casu quo tunc ille de Avenione non venerit, quòd dicti quatuor habeant reverti ad Urbem unà cum cardinalibus de Avenione, si qui veniant & ire volunt; & tunc incontinenti, nullo alio expectato, procedant ad electionem futuri Pontificis.

X. Item, cardinales de Avenione jurabunt quòd si, mortuo illo de Roma, infra tempus certum viderint quòd ille de Avenione non veniat ad Urbem, quod lapso dicto termino, ipsum nullomodo haberent in Papam; sed omnium excusatione postposita, irent ad Urbem infra tempus eis præfixum, pro futuro pastore eligendo: & nisi hoc facerent, quòd nunc pro tunc cedunt oneri & honori cadinalatus, omne jus quod haberent, in cardinales tunc in Urbe existentes totaliter transferendo.

XI. Item, jurabunt dicti cardinales qui erunt in Avenione, quod si contingat eorum præsidentem decedere ante illum de Roma, infra certum tempus eis præfigendum ibunt ad Urbem, omni excusatione postposita; nisi aliunde per Papam qui tunc esset, haberent gratiam infra dictum tempus remanendi: & nisi essent in Roma in tempore præfixo, quod nunc pro tunc cedunt de facto honori cardinalatus, de ipsis se exspoliando.

XII. Item, jurabunt dicti cardinales qui sunt in Avinione, quod si contingeret insimul vel quasi ambos præsidentes mori, quod ipsi infra certum tempus communiter præfigendum ibunt ad Urbem: ita quòd extra pro tunc nulla fiat electio, nisi cardinalibus qui pro tunc erunt in Urbe, pro bono Ecclesiæ videatur aliud tunc esse faciendum. Alioquin nunc pro tunc casu quo non irent dicti cardinales cedunt oneri & honori cardinalatus, omne jus quod haberent in electione transferendo totaliter in cardinales in Urbe existentes. Verùm quòd dictæ pœnæ non intelliguntur, nisi dumtaxat quoad translationem juris electionis de cardinalibus qui evidenter antiquitate ac infirmitate excusarentur: quia hic non agitur de status alicujus destructione, sed præcisè de Ecclesiæ Dei unione & fraudis evitatione.

XIII. Item, jurabit quilibet præsidens cum suo collegio à modo nihil ordinare de his quæ sunt in obedientia alterius, cùm talia sint in derisionem Ecclesiæ beneficiare sine beneficio. Sed duo communiter electi, de quibus dictum est supra c. IIII. providebunt, non nominando aliquem præsidentium, sed dicendo auctoritate apostolica, de omni prælatura & beneficio divisim: ita quod nullus præsidentium à modo provideat de Ecclesiis seu beneficiis divisis, quæ partim sunt in obedientia utriusque; sed dicti duo, ut præfertur, ipsam in quantum poterunt ad unitatem reducendo.

XIIII. Item, quia propter schisma pestiferum christianitas in multis passa est, ac continuè patitur per infideles, pro eo quòd milites religiosi qui habent stare in fronteriis infidelium propter dictum schisma, proventus consuetos non recipiunt à toto eorum ordine: ideo dicti communiter electi, de quibus supra cap. IIII. dicitur, habeant auctoritatem ab utroque præsidentium, quoscumque ordines incontinenti uniendi, præsidentem cujuslibet partis, omni appellatione cessante, compellendo ad cessionem, etiam si opus est, ipsos privando, & novum præsidentem eligi faciendo, ut ante schisma in quolibet statu fuit consuetum.

XV. Item, quòd pro securitate conscientiarum inferiorum & aliorum quorumcumque, interim quilibet præsidentium cum suo collegio approbet & ratificet quicquid per alium & suum prædecessorem factum exstiterit, seu eorum auctoritate quoad ordinationes & promotiones; omnes pœnas & sententias quas una pars tulit in aliam aut in singulares ejusdem totaliter annullando: confirmando etiam & ratificando quidquid alter à modo in sua obedientia faciet, dum tamen non obviet præsenti ordinationi;

& hoc præcisè intelligendo de promotionibus & aliis ordinariè conferendis.

xvi. Item, quòd mortuo altero præsidentium, ille qui remanebit celerius quo poterit, generale concilium habeat convocare ad remediandum super necessariis, & ne aliàs tam horribile schisma possit subintrare.

xvii. Item, quòd præsentes articuli bullentur per utramque partem, & mittantur in omnibus provinciis per totam universalem Ecclesiam in forma publica, ut altero eorum de medio sublato, Ecclesia de suo jam sit informata pastore.

xviii. Item, quòd interim per utramque partem in sua obedientia certæ preces & assiduæ ad Deum fundantur, ut ostendat quem elegerit ex his duobus; quod adimpleat Dominus qui regnat trinus & unus. Amen.

Versus qui dicebantur super collusione quam super papatu dicebantur habere P. de Luna dictus Benedictus XIII. *& Angelus Corrario dictus Gregorius* XII.

Offeres & renuam, proponam, reppudiabis,
GREGORIUS terris præsit, BENEDICTUS in aquis,
Et sic papatus mediando sic mediatus,
Serviet ambobus, bene sufficit ille duobus.

COPIA APPELLATIONIS interpositæ per cardinales illius de Roma à papa suo, postquam ipsi ab eo recedentes, venerunt de Luca apud civitatem Pisanam.

Anno 1408 *Ex ms. Gemmeticensi.*

IN Christi nomine. Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octavo, indictione prima, die dominico, trigesima mensis Maii, hora tertiarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini GREGORII divina providentia papæ XII. anno secundo, in civitate Pisarum, in archiepiscopali palatio, videlicet in camera, in qua infra scriptus reverendissimus dominus ANTONIUS episcopus Penestrinensis præsentialiter residebat, præsentibus ibidem magnifico & egregio viro JOHANNE quondam domini Francisci de Ursinis, LAURENTIO Amballi de Stepha & Necis, VALERIANO de Fregia, paribus de Urbe, regionis Transtiberim, domino Bartholomæo Johannis de Monte-Guvatio, domino Angelo Fuscis canonico Lateranensi & Lopo Ginisalvi canonico Laviacentii, & aliis quampluribus testibus ad hoc specialiter vocatis & rogatis.

Cùm hoc sit, quod pridie, videlicet die Veneris quarta præsentis mensis Maii, hora tertiarum, vel quasi, præfatus dominus noster dominus GREGORIUS papa XII. infra scriptis & aliis reverendissimis dominis cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc residentibus in civitate Lucana, certa mandata fecerit, de quibus infra fit mentio, ipsique infra descripti domini cardinales quamvis prædicta mandata crederent, reputarent, immo tenerent fuisse & esse nulla & omnino invalida de jure, & in quantum forent aliqua, quod non credunt, vellent & cuperent appellare, & contra ea appellationis remedio se tueri, quod ad sublevationem gravatorum & oppressorum dignoscitur institutum; quia tamen eis facultas appellandi non affuit, propter justissimum metum qui cadere poterat in constantem, ut seriosius infra patet: Idcirco prælibati domini cardinales, quorum, ut præfertur, nomina describuntur inferius, nunc consistentes in civitate Pisana & loco eis tuto, ac in quo omnis metus cessare dignoscitur, quàm primum potuerunt opportunitate captata, ad præservationem juris sui, cùm copiam personalem prælibati domini nostri papæ non haberent, nec etiam hic personaliter existentem, coram reverendis in Christo patribus dominis THOMA episcopo Carlioliensi & BARTHOLOMÆO episcopo Alariensi, BERNARDO S. Michaëlis de Podio Boniti ordinis S. Benedicti Florentinensis diocesis, GUILLELMO Wasmonasterii ejusdem ordinis Londoniensis, & VALDASSARO S. Michaëlis de Passingnano ordinis Vallis umbrosæ Fesulantis diocesis, monasteriorum abbatibus, tamquam coram venerabilibus & honestis personis in dicto loco personaliter existentibus & sedentibus, infra scriptam appellationem infra scriptis legi fecerunt, ac ipsam interposuerunt & interponunt, ac Apostolos petierunt & petunt, omni via & forma quibus melius & efficacius de jure possunt & debent: cujus quidem appellationis de verbo ad verbum tenor sequitur & est talis.

Coram sanctitate vestra, sanctissime Pater, cum omni debita reverentia in his scriptis appellando proponunt humiles servitores vestri ANGELUS Hostiensis, ANTONIUS Penestrinensis episcopi, CONRARDUS tituli S. Chrysogoni, JOURDANUS tituli S. Martini in montibus presbyteri, & RAYNALDUS sancti Vitti in Macello, ODO S. Georgii ad Velum-aureum, & JOHANNES sanctorum Cosmæ & Damiani diaconi S. R. E. cardinales, quòd ad notitiam suam pervenerit, quod eadem vestra sanctitas nuper, nondum decem diebus elapsis, dum in civitate Lucana moram traheret, minus bene informata, eisdem aliqua præcepta fecit, quæ de jure sunt nulla, & quatenus essent aliqua (cum omni semper reverentia loquendo) sunt iniqua & injusta.

Primi mandati tenor talis est. Præcipimus omnibus & singulis cardinalibus existentibus in Romana curia sub pœna privationis cardinalatus & omnium beneficiorum, quam quilibet eorum incurrat ipso facto, ne à die quarta videlicet Maii in antea, aliquis eorum exeat de Luca, sine speciali & expressa licentia nostra, per nos oretenus sibi facta: cujus mandati nullitas & iniquitas manifestè patet. Primò quia non poterant ibi morari cum securitate personarum suarum, sine metu carcerum & mortis, & aliis quæ cadere possent in constantem virum: maximè quia die Veneris quarta Maii cum irent ad palatium, invenerunt domum habitationis vestræ esse intrinsecus plenam viris & satellitibus armatis ultra solitum modum custodiæ, & in locis insolitis, & ultra armaturam

solitam; & dictum fuit eis à fide dignis & veridicis personis, quòd aliqui ex dictis cardinalibus debebant interfici: quod postea rei declaravit eventus: nam cum dominus cardinalis Leodiensis de Luca recessisset, fuerunt, ut notoriè patuit, nonnulli ex dictis armatis destinati, quibus etiam mandatum extitit, ut eum caperent, & si ipsum capere & deducere non possent, eumdem dominum cardinalem deberent occidere. Qui etiam insequentes post reditum eorum, per dominum Lucanum capti fuerunt & in carcerem detrusi. Item, quia domum præfati domini cardinalis postea pergentes, sanctitatis vestræ ultra omnem modestiam, posita fuit ad saccamannum in Luca, & familiares ejus capti, & torti, & reliqui omnes dictorum cardinalium carcerati; & hoc absque aliqua justa causa, sed tantum quia sollicitabant causam unionis sanctæ matris Ecclesiæ, prout de jure ex juramento & voto tenentur: & quia non consentiebant creationi novorum cardinalium, prout de jure non poterant nec debebant, quia nec vos, sanctissime Pater, de jure creare potestis nec debetis, obstante obligatione facta in conclavi, & per vos ratificata & iterata post assumtionem vestram ad apicem summi apostolatus. Item, quia in domo vestra nocte præcedente fuerunt fabricati cippi & compedes pro carcerandis & detinendis dictis cardinalibus. Item, quia non consuevit, nec de jure debet aut potest tam gravis pœna pro tam levi culpa talibus viris & talis conditionis imponi, cùm ex gravissimis tantum culpis & cum magna solemnitate, quæ in tali præcepto servata non fuit, possint seu debeant cardinales privari cardinalatu & non aliter. Item, quia secundùm obligationem factam in conclavi, & votum, ac juramentum ipsorum, oportet eos convenire cum alio collegio in loco idoneo. Cùm autem civitas Lucana fuerit jam per aliam partem recusata, tamquam locus non idoneus, necesse erat ipsos exire civitatem Lucanam, pro prosequendo negotio unionis, & servando juramento suo. Item cum per vos, sanctissime Pater, & per ipsos cardinales de voluntate vestra fuerit oblatum de eundo ad civitatem Pisarum, si altera pars veniret Liburnum; quæ oblatio per aliam partem certo modo fuit acceptata, necesse erat se conferre Pisas, ut servarent fidem & oblationem suam: quare dictum mandatum fuit omnino nullum & injustum. Item, per hujusmodi mandatum contra jus & justitiam eis indicebatur carcer, & cùm nihil distet quod carceribus mancipari, vel inter parietes murorum coartari, & sic incipiebatur ab executione & à carceribus contra viros in tanta dignitate constitutos, quod omnia jura detestantur.

Aliud mandatum quod fecit sanctitas vestra eisdem cardinalibus fuit tale. Item, sub pœna perjurii, quam incurrant ipso facto, præcipimus & mandamus eisdem, ne ulterius congregentur in aliquo loco sine expresso mandato nostro: cujus quidem præcepti nullitas & injustitia manifestè patet. Primò quia mandatum hoc est contra jus collegii, quod habent cardinales de

A jure & antiqua consuetudine à tanto tempore, cujus initii memoria non existit: quod jus collegii principaliter consistit in conveniendo simul ad tractandum negotia ad ipsum collegium pertinentia, quod jus & facultas ab eis sine causa auferre non debuit. Item, quia cardinales de jure tenentur collegialiter inter se tractare & conferre de causis fidei, hæresum, & schismatum; & in conclavi etiam se obligaverunt solemniter per votum & juramentum, ac mutuam

B fidem tractare universaliter & singulariter de uniendo ecclesiam, quod fieri non potest, nisi collegialiter congregentur. Hanc igitur facultatem eis interdicere, est non solùm nolle per se attendere ad unionem Ecclesiæ, sed etiam prohibere ipsis ne ad ipsam attendant: quod omnino est iniquum & abominabile. Item, cùm numquam juramentum fuerit per ipsos cardinales vel per aliquem ipsorum quod se non congregabunt, & juramentum fidelitatis vel obedientiæ sicut præstiterunt non extendatur ad

C hoc quod de jure facere possunt; incongrua est omnino & inconveniens atque injusta fuit pœna perjurii transgressioni talis mandati seu præcepti.

Tertium mandatum quod fecit cardinalibus sanctitas vestra fuit tale. Item, sub eadem pœna perjurii, quam incurrant ipso facto, præcipimus & mandamus eisdem, ne aliquis eorum participet cum oratoribus PETRI DE LUNA, neque cum oratoribus Gallicis sive per se, sive per interpositam personam. Cujus quidem præ-

D cepti nullitas & iniquitas manifestè patet. Primò quia cum ex voto & juramento sunt astricti nihil omittere de contingentibus necessariis vel quomodolibet opportunis, seu utilibus ad sanctam unionem, quæ obtineri & perfici non potest, nisi habendo tractatus & colloquia cum altera parte, & cum nunciis ad hoc missis, maximè cùm per vos, Beatissime Pater, ad hoc tractandum fuerunt acceptati, & præceptum manifeste est contra dictam obligationem, juramentum & votum, & per consequens nullum

E & injustum. Item, quia præceptum hoc est contra caritatem, in qua qui non manet cum Deo non manet. Et quia quilibet fidelis christianus tenetur quantum potest errantes ab erroris semita revocare, quod utique fieri non potest absque participatione & colloquio. Non ergo debuit prohiberi, maximè talibus viris, quorum officium esse debet revocare Christianos ab hæresibus & scissuris. Quare, Beatissime Pater, præfati S. R. E. cardinales & servitores vestri cum omni reverentia & humilitate exponunt

F & dicunt talia præcepta esse nulla, & de jure nullatenus eos adstringi ad observantiam ipsorum. In quantum autem fortè forent aliqua seu alicujus roboris vel momenti, dicunt ipsa fuisse & esse iniqua & injusta; & se ex dictis præceptis fuisse & esse gravatos contra omnem justitiam & debitum juris, & ab ipsis præceptis ac omnibus aliis gravaminibus post prædicta fortè secutis: & si qua in posterum sequuntur, præfati cardinales quantum eis licet, & quantum possunt, provocant & in his scriptis appellant. Et

primò quia ratio appetitu noscitur esse superior, intellectus dominari sensibus, à vobis, Pater Beatissime, irrationabiliter & secundùm non rectam informationem decernente, ad vosmet secundùm rectam rationem & melius informatam. Item, si personarum distinctio requiritur, à vobis, Pater sanctissime, ejus vicario ad dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, qui judicaturus est vivos & mortuos & sæculum per ignem. Item, ad generale concilium, à quo & in quo solent gesta summorum pontificum, quæcumque judicari possunt, decerni & judicari. Item, ad papam & pontificem futurum, cujus est gesta inordinata sui prædecessoris in melius reformare.

Super qua appellatione cardinales antedicti apostolos instanter, instantius, instantissimè petunt sibi tradi & exhiberi debere, protestantes quòd hac eorum appellatione pendente nihil contra ipsos & in eorum præjudicium debeat quomodolibet attentari. Et quia in civitate Lucana eis non licebat sine maximo & eminenti suarum personarum periculo talem appellationem interponere & intimare: ideo ex tali justo metu distulerunt donec ad locum tutum devenerunt. Quare protestantur ne ex lapsu temporis præjudicium eis fiat. Quam quidem appellationem prædicti domini episcopi & abbates coram quibus, ut præfertur, interposita fuit, omnimoda via & forma quibus melius de jure potuerunt, & prout admiserunt, pariter & admittunt; super quibus etiam omnibus & singulis prælibatis domini cardinales petierunt à nobis notariis infra scriptis fieri & confici unum vel plura publica instrumenta ad dictamen si expediret sapientis. Actum in civitate Pisarum anno, mense, ac indictione, pontificatu, & loco quibus supra, ac præsentibus testibus suprascriptis.

(a) QUÆDAM (a) DELIBERATA PER concilium Ecclesiæ Gallicanæ Parisius durante substractione servanda circa quatuor. Primò circa absolutionem peccatorum reservatorum. Secundò circa dispensationes fiendas. Tertiò circa ministrationem justitiæ in appellationibus & aliis. Quartò circa distributionem beneficiorum ecclesiasticorum.

Avisamenta super modo regiminis Ecclesiæ Gallicanæ durante neutralitate, deliberata & conclusa per concilium dictæ Ecclesiæ XXII. *Octobris anno* MCCCC.* *quarto.*

* l. octavo.

Anno 1408 *Ex ms. Gemmeticensi.*

ET primò quantum ad peccata & sententias à jure latas, quorum aut quarum absolutio est sedi apostolicæ reservata, absolvere potest pœnitentiarius sedis apostolicæ in foro conscientiæ tam exemtos quàm non exemtos.

Item, si absolvendus in casibus supradictis nunc vel in posterum habeat impedimentum perpetuum aut temporale, vel fortè superveniret causa propter quam non deberet ad dictum pœnitentiarium haberi recursus, talis si fuerit non exemtus, per proprium episcopum poterit absolvi, cum injunctione quòd, quamcitò commodè poterit, conspectui illius ad quem est absolutio reservata repræsentet, &c. Si autem fuerit exemtus qui ex privilegio vel aliàs habeat superiorem in eum potestatem episcopalem exercentem; per illum: si autem non habuerit, per episcopum ordinarium absolvi poterit in forma supradicta. *Transivit per concilium in forma.*

Item, si fuerit sententia excommunicationis à papa lata, auditore, vel delegato, aut subdelegato sedis apostolicæ, propter cujus absolutionem esset ad excommunicatorem habendus recursus: sive exemtus, sive non exemtus, hoc tempore durante, per loci ordinarium potestatem episcopalem habentem absolvi poterit in foro conscientiæ, ut in articulo præcedenti, cum sit impedimentum quominùs ab excommunicatore absolvi valeat juxta caput *Eos qui.* de sent. excommunicationis lib. VI. ibi *sive hominis.* In foro verò contentioso fiet absolutio per ordinarium quoad non exemtos, per judices de quibus infra dicetur, vocata parte, ubi de jure fieri debet. *Transivit in forma.*

De dispensationibus fiendis.

ITem, si super defectu ætatis quoad ordines sacros citra episcopatum, & quoad dignitates & beneficia curata, citra tamen majores dignitates post episcopalem in cathedralibus, aut principaliores in ecclesiis collegiatis, in quo etiam tenent aliqui doctores, quòd episcopi pro necessitate valeant dispensare, dispensent episcopi cum graduatis & nobilibus de duobus annis tantummodo, ubi secundùm Deum & justitiam, causæ cognitione præmissa viderint expedire. *Concilium remittit ad jus commune.*

Item, super defectu natalium quoad ordines sacros, dignitates, & beneficia curata, dispenset pœnitentiarius in casibus, in quibus dispensare consuevit. Alias si non posset, satis tolerandum videtur quòd episcopi pro utilitate Ecclesiæ cum nobilibus & graduatis dispensare valeant, causæ cognitione præmissa, & capituli sui vel majoris partis adhibito consensu, majoribus tamen dignitatibus post episcopalem in cathedralibus & collegiatis ecclesiis exclusis. *Ad jus commune remittit.*

Item, super irregularitate propter violationem censuræ ecclesiasticæ, dum tamen non fuerit ex contemtu, si sit casus super quo pœnitentiarius sedis apostolicæ consueverit jure suo dispensare, ad eum habeatur recursus. Si verò non possit haberi, vel si causa superveniret propter quam non esset dictus pœnitentiarius adeundus, dispensent episcopi, & cum episcopis & etiam cum exemtis dispensent superiores potestatem episcopalem habentes in absolvendo, nisi fuerit scienter facta violatio censuræ interdicti generalis, quo casu dispensandus adhuc

(a) Inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ hæc anno 1408. deliberata referuntur, non tamen omnia, sed ea dumtaxat quæ hic *Transivisse in forma* dicuntur.

poterit expectare. *Transivit in forma.*

Item, super irregularitate quæ propter crimen, quod etiam post pœnitentiam impedit executionem officii, ut in homicida, simoniaco in ordine, & similibus, vel propter mutilationem membri, vel judicium sanguinis incurretur. Si sit casus in quo pœnitentiarius prædictus posset jure suo dispensare, ad eum super hoc recurratur; aliàs expectet dispensandus. *Transivit in forma.*

B Item, quoad impedimenta matrimonii usque ad quartum gradum consanguinitatis vel affinitatis: si pœnitentiarius sedis apostolicæ in hoc consueverit & valeat jure suo dispensare, ad eum recurratur. Si autem magna reipublicæ utilitas exigerit fortè cum aliquo rege vel principe dispensandum super hoc; tunc causæ cognitione præmissa, concilium provinciale, citra tamen casus lege divina prohibitos, valeat dispensare, & etiam de quarto gradu cum illis quibus viderit dispensandum. *Transivit in forma.*

C Item, circa impedimenta matrimonii provenientia propter cognationem spiritualem, videtur satis tolerabile hoc tempore durante, quod concilium provinciale cum magnis nobilibus inter susceptum & filium suscipientis valeat dispensare. *Transivit in forma.*

Item, de impedimento proveniente propter publicæ honestatis justitiam, satis tolerandum videtur, quod concilium provinciale valeat dispensare in tertio & quarto gradu. *Transivit in forma.*

D Item, quoad illa quæ concernunt episcopos & majores, sicut electiones episcoporum per suos archiepiscopos, vel, sede Metropolitana vacante, per capitulum ecclesiæ Metropolitanæ possunt de jure confirmari: sic electiones archiepiscoporum per suum primatem, si habeant, aliàs si non habeant, aut dubitetur qui sit ille, per suffraganeos provinciæ congregatos poterunt confirmari, & etiam approbari, juris solemnitate servata: ad quos etiam dicti archiepiscopi consecratio indubitanter noscitur pertinere: sed pallii receptionem expectabit sic promotus, nisi sit aliquis à quo possit recipere pallium. *Transivit in forma.*

E Item, quoad defectus qui concernunt personas episcoporum vel promovendorum ad dignitates episcopales vel majores, si assumendus ad episcopatum aut archiepiscopatum patiatur in ordine defectum, attento quòd infra breve suppleri valet hujusmodi defectus, & quòd aliqui doctores tenuerunt etiam per alium quàm per papam posse super hoc dispensari, satis tolerandum videtur quod hoc tempore durante per superiorem immediatum valeat super hoc dispensari. *Ad jus commune remittit concilium.*

F Item, si promovendus ad episcopatum aut archiepiscopatum patiatur in ætate defectum, cum tali nullatenus dispensetur, nisi fortè sit talis persona quæ sit in sacris, & in ætate sacerdotali constituta, & regem in secundo aut tertio gradu consanguinitatis attingat: quo casu poterit cum tali per concilium Ecclesiæ Gallicanæ, aut per provinciale concilium loci pro Ecclesiæ utilitate, & causæ cognitione præmissa, dispensari. *Concilium remittit ad jus commune.*

Item, si aliquæ dispensationes super pluralitate beneficiorum, defectu natalium, vel ætatis, vel super impedimento matrimonii contrahendi, aut aliàs per PETRUM DE LUNA ante tempus publicationis neutralitatis repeP riuntur cum aliquibus esse factæ, etiamsi tunc vel modo nondum suum sint sortitæ effectum, auctoritate hujus concilii ratæ maneant, & per ordinarios locorum vel executores datos ad dictas dispensationes exequendas valeant secundùm suum tenorem auctoritate hujus concilii executioni debitæ demandari, dum tamen non sint personæ, quæ de fautoria schismatis comperiantur esse culpabiles. *Transivit per concilium in forma.*

Item, die xxv. Octobris dicti anni CCCCVIII. dictum concilium voluit & ordinavit, quòd quæcumque dispensationes super quibuscumque materiis vel aliis concessæ per dictum PETRUM DE LUNA, ante tamen datam illarum nefandarum litterarum, dum tamen per ipsas subtractioni aliàs factæ aut conditionibus positis in restitutione vel neutralitate præsentialiter currenti præjudicium non afferant, valeant & teneant, & ipsis uti & gaudere possint dispensati, auctoritate tamen hujus concilii & non aliàs, etiamsi super hoc litteræ non fuerint confectæ, dum tamen valeant probari per testes aut alia legitima documenta. *Transivit.*

De ministratione justitiæ.

PRimò archiepiscopi teneantur quolibet anno certo tempore advisando per se, vel, si fuerint legitimè impediti, per alium celebrare concilium provinciale in tali loco suæ provinciæ, quo reperiri valeat sufficiens copia peritorum, in quo etiam ipsi & suffraganei ac eorum quilibet, cessante legitimo impedimento, in suis propriis personis teneantur interesse, & perstare, ac negotiis expediendis efficaciter intendere. Et similiter si qui sint qui ad hoc consueverint vocari & debent de consuetudine, vel aliàs eisdem conciliis interesse. *Transivit.*

Item, si propter legitimum impedimentum, de quo se excusare tenebuntur, non possent in sua propria persona eisdem conciliis interesse, eo casu idoneos & litteratos viros cum potestate sufficienti ad eadem concilia pro se suis propriis expensis mittere teneantur, qui ea possint & valeant facere & expedire, quæ ipsi facere possent & deberent, si præsentialiter interessent. *Transivit in forma.*

Item, si domini archiepiscopi vel episcopi hoc non adimpleverint, puniantur pœna juris. *Transivit in forma.*

Item, si aliquis archiepiscopus renuerit vel distulerit concilium provinciale convocare, episcopus inter suffraganeos decanus, vel habens aliam præeminentiam inter eos præsens in provincia, vel si in provincia non sit talis aut dubitetur quis sit ille, antiquior creatione possit & teneatur concilium convocare, & in eo præ-



sidere sub poena juris. *Transivit in forma.*

Item, in isto præsenti concilio Ecclesiæ Gallicanæ ordinabitur de tempore & loco pro primo provinciali concilio celebrando in qualibet provincia, & in dicto primo concilio provinciali ordinabitur de sequenti, & sic deinceps. *Remittitur pro anno præsenti propter concilium generale.*

Item, quodlibet concilium provinciale durabit per mensem ad minus: ante cujus lapsum non poterunt concilium celebrantes sine magna & urgente causa recedere, nisi prius negotia ibi tractanda fuerint expedita. *Transivit in forma.*

Item, quia in dicto provinciali concilio comparentes, etiamsi fuerint numero minores illorum qui debent concilium celebrare: nihilominus dictum concilium celebrare & statuere statuenda in eo possint & valeant, aliorum absentia non obstante. *Transivit in forma.*

Item, quòd in dictis conciliis provincialibus fient debitæ correctiones & reformationes, &c quæ juris sunt; & si quis conqueratur de archiepiscopo ibidem, de hoc statim sine alia citatione auctoritate hujus concilii cognoscatur & judicetur, pro ut majori parti fiendum videbitur. Si verò contra episcopum agatur, terminabitur, concilium provinciale quasi loco papæ poterit diffinire. *Remittit ad jus commune.*

Item, de cetero celebrentur capitula generalia monachorum Ordinis S. Benedicti & canonicorum regularium, secundùm juris formam & statuta concilii generalis & sanctorum patrum, ad quod per suos ordinarios viriliter astringantur tam exemti quàm non exemti, prout in jure noscitur esse cautum. *Transivit in forma.*

Item, in præsenti concilio ex nunc deputentur præsidentes pro singulis provinciis, qui prima concilia seu capitula generalia monachorum nigrorum & canonicorum regularium valeant convocare, & eis præsidere, & cetera peragere ad hæc necessaria ac etiam opportuna. *Transivit in forma.*

Item, quia difficile est aliquibus propter temporis malitiam, viarum discrimina & locorum distantiam, limitationem provinciarum secundùm ordinationem bonæ memoriæ domini papæ Benedicti XII. qui communiter duas provincias, ut Rotomagensem & Turonensem in unum conjunxit, de præsenti observare, dispensetur & permittatur; quod quælibet provincia vulgari opinione & reputatione sic reputata, si velit, hoc tempore durante per se hujusmodi capitula ac secundùm formam juris valeat celebrare. *Transivit in forma.*

Item, fiant appellationes per media & gradatim coràm ordinariis, prout infra declaratur, nisi sit consuetudo in contrarium; aliter factæ non valeant, utpote de archidiacono ad episcopum, de episcopo ad archiepiscopum, de archiepiscopo ad primatem, si quem habeat, etiam ad seipsum ut primatem, si archiepiscopus fuerit & primas, & de archiepiscopo primatem non habente, vel ubi est dubium an habeat primatem, vel qui sit ille ad concilium provinciale, & à primate ut primate ad concilium provinciale suæ provinciæ. Et si causa exordium haberet coram archiepiscopo superiorem non habente, vel propter appellationem primo loco ad eum interpositam, procederetur in causa coram eo: Et si fortè ab eo ad concilium provinciale contingeret appellari, cum eo casu possit iterum appellari, concilium dabit commissarium vel commissarios ad cognoscendum & diffiniendum de causa à quorum commissariorum sententia si fuerit appellandum, ad concilium item poterit appellari. Quod rursum ubi opus erit, poterit dare commissarium aut commissarios pro finali terminatione negotii, vel per se terminare & sententiam executioni facere demandari, dum tamen fuerint tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, vel altera sententiarum in rem transiverit judicatam. *Transivit in forma.*

Item, si contigerit appellari à judice superiorem non habente, vel de quo sit dubium an habeat, si per judicem à quo appellans fuerat excommunicatus, propter periculum animarum quod immineret expectando concilium provinciale, decanus episcoporum vel antiquior creatione præsens in provincia poterit talem excommunicatum absolvere ad cautelam, in forma juris parte vocata. *Transivit in forma.*

Item, si à vices gerente alicujus conservatoris habentis conservatoriam perpetuam auctoritate apostolica dati fuerit appellandum, ad dictum conservatorem poterit appellari, qui etiam, si placet, causam appellationis alicui committere poterit, à quo etiam, si sit opus, poterit ad dictum conservatorem iterum appellari, & iterum per eum alteri committi: & si conservator per se cognoscat de causa, & ab eo fuerit appellandum, ad concilium provinciale loci, loco sedis apostolicæ, poterit appellari: quòd concilium etiam dare poterit commissarios, & procedere sic & taliter quod habeantur tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, prout in superioribus fuit dictum. *Transivit de conservatoriis perpetuis concessis ante datam nefandarum litterarum.*

Item, in conciliis provincialibus, quando ibi fuerit procedendum, procedatur, quantum commodè fieri poterit, summariè & de plano. *Transivit in forma.*

Item, si causa inchoata in uno concilio provinciali non possit ibidem totaliter expediri, dabuntur à præsidente cum deliberatione majoris partis commissarius vel commissarii qui cognoscent & procedent in causa juris ordine servato, & secundùm formam juris vel aliàs à concilio præfigendam. *Transivit in forma.*

Item, commissarius vel commissarii cum eos vel eum contingerit propter causam sibi commissam extra domicilium proficisci, habebunt à partibus expensas arbitrio concilii provincialis moderandas: Et si non proficiscantur, ad instar emolumenti sigilli ordinarii, sint sui sigilli emolumento contenti. *Transivit prout de jure.*

Item, appellatione interposita ad concilium

provinciale, tenebitur appellans citationem impetrare, & facere exequi infra duos menses à tempore appellationis interjectæ numerandos, aliàs pro deserta habeatur. Sic tamen quòd appellatus à die concessionis apostolorum habeat unum mensem ad comparendum in provinciali concilio, quam citationem impetrabit à decano episcoporum seu habente præeminentiam inter eos; vel si non sit talis in provincia, vel dubitetur qui sit ille, ab antiquiore creatione ut supra, vel committendo seu committendis qui ad hoc in primo provinciali concilio poterunt deputari. *Transivit in forma.*

Item, quòd appellationi ad sedem apostolicam interjectæ non deferatur, & talis appellatio auctoritate hujus concilii Ecclesiæ Gallicanæ, hoc tempore durante, declaretur esse nulla. *Transivit in forma.*

Item, quòd omnia & singula supradicta & sequentia auctoritate hujus concilii ordinentur & statuantur, & perpetuam obtineant roboris firmitatem. *Transivit in forma.*

Item, sic provideatur & fiat quòd ad forum sæculare de prædictis nullo modo causæ cognitio transmittatur, sed potius executio, cum brachium sæculare fuerit invocandum. *Transivit in forma.*

Item, de litigiis in curia Romana coram auditoribus vel aliis, aut in partibus coram executoribus vel judicibus delegatis pendentibus indecisis, si altera partium hoc requirat, coram judice ordinario procedatur in eo statu in quo lis pendebat, nisi fuerit ab eo appellatum: quo casu ad proximum superiorem recurratur. Et si fuerit appellandum, ad proximum superiorem appelletur, sicut supra dictum est in articulis loquentibus de appellationibus. *Transivit in forma.*

Item; si aliqua partium non habeat jura seu munimenta sua, & velit à notariis seu aliis quibuscumque ea detinentibus recuperare, detinentes per judicem causæ ea tradere compellantur, & in subsidium invocabitur brachium sæculare, Si verò munimenta necessaria diligenter super hoc adhibita, de quo legitimè constet haberi non possint, à processu coram judice supersedeatur, donec potuerint haberi. *Transivit in forma.*

Item, quia forsan multæ sententiæ definitivæ & interlocutoriæ fuerunt latæ in curia Romana antequam neutralitas in dicta curia esset nota, quòd hujusmodi sententiæ quarum processus erant inchoati antè datam nefandarum illarum litterarum latæ, etiam infra mensem à die publicationis neutralitatis computandum, auctoritate hujus concilii, & non aliàs valeant, & per ordinarios aut aliàs executioni demandentur; dum tamen substractioni aliàs factæ, & conditionibus appositis in restitutione ac neutralitati præsenti nullatenus præjudicetur. *Transivit in forma.*

Item, quòd in monasteriis seu abbatiis exemtis, pendente neutralitate, electi possint & teneantur confirmationes & benedictiones suas recipere à diocesanis episcopis, sine præjudicio exemtionum suarum pro futuro tempore, & quòd hoc expressè ponatur in litteris super hoc conficiendis, nisi confirmationem & benedictionem ex privilegio eis concesso ab aliis recipere possint. *Transivit in forma.*

Item, postea fuit deliberatum quod in causis procedatur secundùm dispositionem juris communis, non secundùm regulas cancellariæ, nisi sint conformes juri communi. *Transivit in forma.*

Isti articuli sequentes pro exemtis fuerunt conclusi, &c. ut in spicilegii tom. 6. p. 166.

Circa modum providendi beneficiis & circa distributionem eorumdem.

PRimò circa electiones, postulationes, & collationes, fiant ut jura volunt, omni abusu sæcularium vel magnatum & oppressionibus quibuscumque cessantibus, & factæ de procurante vel ratum habente talia fieri non valeant, nec confirmentur. Et si contra electionem vel postulatum talia opponantur, superior cognoscat. *Transivit in forma.*

Item, si de electione archiepiscopi superiorem non habentis, vel quando est dubium an habeat superiorem, vel quis sit ille, vel si de electione primatis agatur; concilium provinciale cognoscat, & si sit opus confirmet, ad quod suffraganeos & alios convocare tenebitur decanus episcoporum seu habens præeminentiam inter eos: vel si non sit talis, aut dubitetur quis sit ille, antiquior creatione præsens in provincia, nisi inter quatuor menses debeat sequi concilium ordinatum: Ita tamen quòd contra electum vel postulatum non currat tempus juris. *Transivit in forma.*

Item, in casu videlicet, quando de confirmatione archiepiscopi primatem non habentis, vel ubi dubium est an habeat superiorem, vel quis sit ille, vel quando de confirmatione primatis agitur, decanus episcoporum, sive habens præeminentiam inter eos, vel si non sit talis, vel dubitetur quis sit ille, antiquior creatione faciat processum & edicta, & referat ad sæpedictum provinciale concilium, in quo dictus decanus, vel habens, &c. vel antiquior creatione præsens in provincia præsidebit, & dictum concilium confirmabit vel infirmabit prout de jure.

Item, collationes & institutiones aliorum quorumcumque beneficiorum fiant per ordinarios ad quos de jure vel consuetudine pertinere noscuntur, personis tamen idoneis. *Transivit in forma.*

Item sicut sæculares nominabuntur in rotulo Universitatis, sic etiam regulares seu religiosi nominentur, ut eis de beneficiis regularibus debeat provideri. Quantum ad religiosos recurratur ad abbates vel superiores, & provideant auctoritate concilii, aut concilium providebit, si non provideant. *Transivit in forma.*

Item, dignitates, personatus, & administrationes, aliaque beneficia quæcumque electiva, tam in cathedralibus quàm in collegiatis ecclesiis dimittantur electoribus, qui ad eas seu ea viros idoneos eligere teneantur. *Transivit in forma.*

Item,

A Item, ad evitandum fraudes & ambitiones aliquorum qui possent diversis rotulis diversorum studiorum aut dominorum, vel unius studii seu unius principis imponi, & per hoc occupare multa loca personarum idonearum, rationabile est quemlibet unico rotulo dumtaxat inscribi. Quod si aliquis de facto diversis imponeretur rotulis, talis infra mensem à tempore nominationis habeat se ad unum illorum rotulorum determinare, non habiturus regressum ad alterum; quod si non, & scienter, sit ipso facto privatus ambabus nominationibus. *Concilium relinquit communi dispositioni collatorum.*

B Si verò alicui nominato provideatur per ordinarium, seu jure ordinario, vel aliàs de aliquo beneficio incompatibili, tunc per assecutionem beneficii incompatibilis aliàs quàm causa permutationis, suæ nominationi renunciasse censetur quoad incompatibile beneficium ejus virtute assequendi. *De jure est.*

C Item, & quòd dictæ nominationes fiant cum decreto, ita quòd collatio seu præsentatio & quidquid contra præmissa aut aliquod vel aliqua ex eis fuerit factum, non valeant. Primò sint ipso facto nulla omnia quæcumque fuerint in contrarium attentata. *Transivit in forma.*

Item, quod in nominationibus fiendis fiat mentio per nominandos de beneficiis obtentis, & de numero ac valore ipsorum in portatis, aliàs nominatio censeatur subreptitia. *Transivit in forma.*

D Item, quòd si nominati beneficia sub nominatione sua cedentia non acceptent, vel declarent infra mensem à tempore notitiæ vacationis in loco, se ea nolle habere: patroni seu collatores ex tunc poterunt liberè præsentare & conferre. *Transivit in forma.*

Item, quòd non provideantur nisi neutralibus, nec illis de quibus erit dubium, donec sint declarati neutrales. *Transivit in forma.*

E Item, quòd non nominetur habens beneficia valentia cccc. libras Turonenses in portatis: & si contrarium fiat, nominatio, collatio, & quidquid in contrarium factum fuerit sint ipso facto nulla, nisi fuerit nobilis ex utroque parentum, vel in theologia, jure canonico, vel civili, aut in medicina licentiatus, aut in theologia bacalarius formatus, aut de magistris requestarum regis clericis, aut eleemosynarius, medicus, aut primus capellanus regis, reginæ, domini delphini & dominorum ducum. *Remittitur ad collatores.*

F Videtur etiam quod non deberent nominari habentes tres præbendas in ecclesiis cathedralibus, nisi sic quod per assecutionem alicujus beneficii virtute suæ nominationis unam de tribus præbendis dimittere tenerentur infra mensem, nisi fortè esset nobilis ex utroque parentum, vel in theologia, jure canonico, &c. ut in articulo præcedenti. *Remittitur ad collatores.*

Item, si qui post obtentam nominationem deprehendantur alteri contendentium obedientiam præstitisse vel præstare, ipsa nominatione & beneficiis virtute nominationis hujusmodi obtentis privati sint ipso jure, & contra præstantes obedientiam hujusmodi fiant, processus auctoritate hujus concilii, prout durius fieri poterit. *Transivit in forma.*

Item, quòd permutationes beneficiorum per PETRUM DE LUNA ante tempus publicationis litteræ, &c. debite factæ & etiam receptæ & quæ quoad possessionem non sunt sortitæ suum effectum, possint & debeant auctoritate hujus concilii ad effectum perduci per ordinarios, dum tamen non sint fautores dicti PETRI DE LUNA, & consentiant partes juxta opinionem aliquorum. *Transivit in forma.*

Item, si qui ante tempus datæ litterarum ipsarum PETRI DE LUNA gratias expectativas habuerint in rotulis universitatum aut alias, quorum bullæ & processus facti fuerint ante tempus dictum, & post datam ipsarum litterarum, ante tamen neutralitatem, virtute ante dictarum litterarum beneficia acceptaverint, & sibi provideri fecerint, si competitorem habeant, coram ordinariis super talibus habeatur recursus, qui auctoritate hujus concilii cognoscere habeant, & fiat partibus justitia *Transivit in forma.*

Item, si contingat aliquos sua beneficia coram ordinariis permutare, collationes hujusmodi non computentur in turno collatoris sive patroni, cùm non sit liberum nominatis talia beneficia causa permutationis vacantia acceptare, nec collatoribus sit liberum aliis quàm permutantibus ea conferre. *Trasivit in forma.*

Item, fiat articulus quod si unus nominatorum nolit beneficium vacans acceptare, alius post eum ad eamdem collationem nominatus illud expectare valeat, dum tamen infra mensem super hoc suam declaret voluntatem, & in uno articulo superius fuit dictum. *Transivit in forma.*

Item, ad tollendas fraudes quas collatores facere possent, procurando quòd unus nominatorum unum modicum beneficium vacans acceptaret, ut fortè dare posset in turno suo unum grossum & pingue beneficium quod in proximo vacare speraretur, advisetur de remedio, puta quod beneficium de tali modico valore videlicet centum solidorum non computetur in turno, nec impediat quin nominandus beneficium proximè vacans valeat acceptare, vel alias advisetur super hoc si sit opus *Provideant collatores.*

Item, quod nominatus & quicumque alius non possit aut debeat prælatum & collatores molestare de sibi conferendo beneficium in turno prælati, & quod si per se vel alium preces importunas super hoc apud regem vel dominos impetraverit, vel statim quod ad ejus notitiam venerit, ab hujusmodi precibus non destiterit cum effectu, cadat à jure nominationis suæ, & ad sequentem nominatum jus suæ nominationis ipso facto transferat. *Transivit in forma.*

Item, quoad capitula, ubi hebdomadarii conferre habent vel præsentare in terminis suis ipsis nominatis, in locis assignatis conferat aut præsentet capitulum nominato, reservando subsequens beneficium illi qui erat in turno suo. *Transivit in forma.*

A

LITTERA JANUENSIUM de neutralitate seu de non obediendo alteri contendentium de papatu.

Anno 1408 *Ex ms. Gemmeticensi.*

UNiversis has visuris pateat quod nos Johannes *le Maingre*, dictus *Bouciquault* marescallus Franciæ locum-tenens regius & Januensium gubernator pro serenissimo rege Francorum domino Januæ, consilium ancianorum, & officium provisionis civitatis Januæ, optantes summopere videre in Dei Ecclesia sanctissima unionem, receptis quanta decet reverentia, & diligenter inspectis litteris patentibus regiis, & aliis clausis per eumdem serenissimum & supremum dominum nostrum devotioni nostræ directis, datis Parisius die XII. Januarii proximè elapsi, continentibus se non sine maturo & tantæ rei convenienti consilio viam neutralitatis in prosecutione sancti præsentisque operis unionis Ecclesiæ amplecti, decrevisse in festo Ascensionis Dominicæ proximè lapso, ut denegatio obedientiæ utrique contendentium de papatu afferat Christi fidelibus tandem perpetuam & salutiferam Ecclesiæ ipsius unionem, nec minus causas urgentes motusque laudabiles, qui pietatem regiam ad viam ipsam eligendam decernendamque impulerunt. Et auditis his quæ super hoc venerabilis dominus magister Petrus *Plaout* orator regius nobis eloquenter exposuit, exhortando nos pro parte regia, sicut & per dictas clausas litteras exhortamur, quòd viam ipsam neutralitatis tamquam præparatoriam & aptissimam dictæ unioni similiter amplecti vellemus: continuò ut super hac tam grandi re maturè deliberare possemus, doctores melioresque cives cum principalibus cleri Januensis coram nobis congregari fecimus, & re ipsa illis pandita, datoque cogitandi aliquo dierum spatio, tandem cum ipsorum civium ac cleri concordi consilio & deliberatione matura, in Dei nomine viam ipsam neutralitatis amplecti, regia imitando laudanda vestigia, & tenere decernimus, sperantes in Christi Salvatoris nostri misericordia, quòd via ipsa sicut ab animorum nostrorum sinceritate procedit, ita erit salutifera toti christiano populo, horrendum schisma conteret, pacem tantis expectatam desideriis jamdiu ab Ecclesia exulantem restituet, & pariet ecclesiasticam unionem. Mandamus omnibus & singulis regis subditis nostro subjectis regimini, quatenus dictam neutralitatis viam, neutri in papatu contendentium obediendo, amplectantur & teneant. In quorum omnium testimonium & fidem præsentes litteras fieri fecimus, sigillique nostri impressione muniri. Datum Januæ anno Domini millesimo quadringentesimo octavo die XXI. Julii.



SEQUUNTUR ALIQUÆ propositiones utiles ad exterminationem præsentis schismatis per viam consilii, traditæ per episcopum Cameracensem.

Tempore concilii Pisani ex articulo ultimo. Ex ms. Gemmeticensi.

I. IN unitate capitis Christi plenè & perfectè consistit unitas corporis mystici totius Ecclesiæ Christianæ juxta illud apostoli, Christus est caput Ecclesiæ, & illud Ber. omnes unum corpus sumus in Christo.

B

II. Licet papa in quantum Christi vicarius quodammodo dici possit caput Ecclesiæ, tamen Ecclesiæ unitas non necessariò dependet, aut originaliter ab unitate papæ. Patet ex prima, & etiam quia nullo existente papa semper Ecclesia remanet una, juxta illud in canticis: Una est columba mea, & illud Symboli, unam sanctam & apostolicam Ecclesiam.

III. A Christo capite ejus corpus mysticum, quod est Ecclesia originaliter, & immediatè potestatem habet & auctoritatem ad suam unitatem conservandam, ut ritè valeat seipsam ad generale concilium ipsam repræsentans congregare. Patet ex illo verbo Christi: *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum sum.* Ubi attendendum est quod non dicit in nomine Petri, vel in nomine papæ, sed in nomine meo, dans intelligere quòd ubicumque ac à quocumque congregentur fideles, dum tamen fiat in nomine suo, hoc est in Christi fide, & pro Ecclesiæ suæ unitate, ipse assistit eis tamquam director & infallibilis rector.

C

IV. Non solum auctoritate Christi, sed etiam communi jure naturali præmissam potestatem habet corpus mysticum Ecclesiæ Dei. Patet quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni & destructioni, & sicut corpus animatum naturaliter congregat omnia membra, omnesque vires suas ad conservandum suam unitatem, & repellendum suam divisionem: simili quoque modo & quodlibet corpus civile, seu civilis communitas vel politia rectè ordinata; ideoque corpus spirituale seu mysticum Ecclesiæ christianæ quod ordinatissimè compositum est, propter quod Ecclesiastica politia in Canticis describitur velut castrorum acies ordinata, simili jure uti poterit ad suam unitatem conservandam, & quamlibet schismaticam divisionem repellendam, tamquam suæ ordinatæ compositionis destructivam.

D

V. Præmissa auctoritate & auctoritativa potestate usa fuit primitiva Ecclesia. Patet quia in actibus apostolorum quatuor leguntur concilia generalia congregata, & non habetur quod auctoritate Petri fuerint convocata, sed communi consensu Ecclesiæ; & in uno concilio Jerosolymis celebrato non Petrus, sed Jacobus illius loci episcopus legitur præfuisse, & sententiam protulisse.

E

VI. Post incrementa nascentis Ecclesiæ primitivæ præmissa auctoritas & potestas congregandi generalia concilia rationabiliter limitata fuit & restricta, sic scilicet quod sine auctori-

F

tate papæ nulli liceret hujusmodi concilia congregare. Patet ex juribus communibus quæ habentur in decreto & decretalibus. Et ratio fuit, ut honoraretur sedes apostolica, & ut obviaretur hæreticis vel schismaticis, qui quandoque ad libitum per potentiam principum sæcularium concilia vocari & congregari procurabant ad suorum errorum fulcimentum.

VII. Præmissa limitatio seu restrictio non tollit, quin prædicta auctoritativa potestas semper absolutè remaneat in ipsa universali Ecclesia. Patet quia jura positiva non possunt ab Ecclesia absolutè tollere illam potestatem, quæ ei competit divino ac naturali jure.

VIII. Non obstante limitatione seu restrictione præmissa, in certis casibus Ecclesia sine auctoritate papæ potest generale concilium celebrare. Patet ex prædictis, & etiam quia illud quod est in favorem Ecclesiæ introductum, non est in ejus damnum & grave periculum observandum. Sed prædicta limitatio seu restrictio, quæ in favorem Ecclesiæ jure positivo legitur introducta, ut dictum est, posset in certis casibus eidem gravissimè præjudicare, & specialiter possunt tres casus assignari. Primus est, si vacante sede occurreret hæresis, vel alia Ecclesiæ persecutio, cui esset per generale concilium obviandum. Secundus est, si in casu necessitatis vel manifestæ utilitatis vocandi concilium, papa esset furiosus aut hæreticus, vel alias ad hoc inutilis, aut insufficiens, vel si super hoc requisitus concilium convocare recusaret, aut damnabiliter negligeret. Tertius est, si plures essent contendentes de papatu, ita quòd nulli eorum tota obediret Ecclesia, nec ad alicujus eorum aut amborum simul vocationem compareret, sicut esse videtur in præsenti schismate. In his ergo aut similibus casibus clarè patet ex præmissis, quòd absque auctoritate papæ posset & deberet etiam generale concilium celebrare.

IX. Jura positiva quæ communiter dicunt, quòd absque auctoritate papæ non est fas generale concilium celebrari vel congregari, debent civiliter intelligi, scilicet quando est unicus papa concorditer ab Ecclesia receptus ad congregandum hujusmodi concilium, & currente evidente utilitate idoneus est paratus. Patet ex prædictis, & ex doctrina Aristotelis in Ethicis, ubi loquitur de Epicheia.

X. Pro sedando præsenti schismate absque papæ auctoritate, immo ipso contradicente, potest auctoritate universalis Ecclesiæ generale concilium congregari, & non solùm per dominos cardinales convocari; sed etiam in casu per quoscumque fideles, qui vel auctoritativa potestate vel caritativa monitione scirent & possent ad executionem tanti boni cooperari. Patet ex præmissis, & etiam quia in tanta necessitate omnes fideles & specialiter majores & potentiores debent Ecclesiæ succurrere & malis ejus tam evidentibus celebrius occurrere. Possent autem ad præmissa rationes & auctoritates tam divini quàm humani juris induci; sed bene affectatis ista sufficiunt. Et in fundamento prædicto possent superædificari aliquæ aliæ propositiones magis particulariter respicientes concilium nunc in civitate Pisana convocatum, quas dimitto: quia ita clare sequuntur ex præmissis, ut eas non sit necessarium bene intelligentibus amplius declarare.

RESPONSIO PER DOMINOS cardinales obedientiæ Gregorii data ambaxiatoribus Venetorum & Florentinorum ad capitula tradita in scriptis per nobiles viros dominum Rossum Marino ambaxiatorem illustris ducalis dominii Venetorum, & dominum Bartholomæum de Poplenchis legum doctorem ambaxiatorem magnificæ civitatis Florentinorum, quæ sequuntur in hac forma videlicet.

HÆc est brevis nota eorum quæ dicuntur coram R. Papa & dominis dominis cardinalibus, &c. per dominum Rossum Marino ambaxiatorem illustris ducalis dominii Venetorum, & dominum Bartholomæum de Poplenchis doctorem ambaxiatorem magnificæ communitatis Florenciæ. *Ex ms. Gemmeticensi.*

Et primò quòd dominus papa GREGORIUS notificavit per nuncium apostolicum præfato dominio Venetorum publicasse concilium generale in exarchatu Ravennatensi vel patriarchatu Aquilegiensi in festo Pentecostes proximo, requirens præfatam illustrem dominationem Venetorum, de consilio & favore, & etiam de uno loco dicti domini Venetorum, in quo dictum concilium posset congregari.

Et similiter pro parte dictorum dominorum cardinalium scriptum fuit & notificatum per eorum litteras præfato illustri dominio quod publicaverant concilium generale tenendum per eorum collegium in annunciatione B. M. Virginis de mense Martii proximè futura, rogantes & exhortantes præfatum dominium, ut operaretur juxta posse quod dominus papa GREGORIUS veniret ad illum concilium, vel mitteret procuratorem suum ad solvendum debitum suum.

Unde consideratis prædictis visum fuit præfato dominio Venetorum, quod si tenerentur dicta duo concilia separatim, erit materia novi schismatis potius quàm effectus unionis; & ideo deliberavit per proprium oratorem respondere tam domino papæ quàm præfato collegio, & insuper notificare idem præfato communi Florentiæ, & requirere magnificos dominos civitatis Florentiæ, ut vellent concurrere in eodem negotio, & transmittere oratorem proprium super hoc ad præfatum dominum papam & collegium dominorum cardinalium. Qui domini Florentini audita expositione ambaxiatæ factæ per oratorem præfati domini Venetorum, annuerunt requisitioni per eos factæ, & concorditer transmiserunt oratorem suum ad dominum papam, qui ambo ambaxiatores supradicti exposuimus præfato domino papæ infra scripta videlicet.

Quod placeret sanctitati suæ velle operari pro posse quòd concilium tenendum per eum & per dictos dominos cardinales sit unum & idem,

tam respectu loci quàm temporis, & non diversa; quia sic agendo erit unum generale concilium, & dabitur pax Ecclesiæ, aliàs est periculum inducendi novum schisma.

Respondit dominus papa quòd totis viribus intendebat ad unionem Ecclesiæ, & hac de causa indixerat concilium suum, & quod concilium tenendum per eum erat verum concilium generale, & debebat præcedere tam ratione primitatis, quia primò indixerat concilium quàm dicti domini cardinales, quàm ratione potestatis, quia ad solum papam spectat convocare concilium, quàm etiam ratione ordinis, quia ipse caput & alii membra; & pro vera unione erat paratus dimittere omnem injuriam sibi factam, & accipere & amplecti suos cardinales ad gratiam, & quòd possunt gaudere suis beneficiis, prout primò gaudebant ante suum discessum, & similiter recipere quemcumque venire volentem ad dictum concilium.

Hac responsione habita, nos ambaxiatores suprascripti replicavimus prout nobis fuit visum expediens. Et venimus ad præsentias reverendissimarum paternitatum vestrarum dominorum nostrorum cardinalium, & exposuimus illud idem quod diximus domino papæ Gregorio, scilicet ut vobis placeat velle quod sit unum generale concilium, ut Ecclesia sancta Dei habeat quietem & pacem.

Respondent domini cardinales de collegio Italico de voluntate & assensu reverendissimorum dominorum cardinalium alterius collegii, olim nunc per Dei gratiam uniti ad prosequendam & perficiendam cum adjutorio Spiritus-sancti fidelium christianorum extirpationem inveterati detestandique schismatis, & dandum pacem & unitatem, quantum in eis est, divisæ & laceratæ Ecclesiæ.

Et primò, quia dictum dominium Venetorum audita requisitione & precibus dominorum cardinalium deliberavit per proprium oratorem respondere dictis dominis, & requirere magnificum commune Florentiæ, ut vellet concurrere in eodem negotio, & mittere oratorem proprium tam ad ipsos dominos unicum & indubitatum collegium facientes, quàm ad dominum Gregorium: quod realiter adimpleverunt, de quibus tam dicto ducali dominio, quàm dictæ magnificæ communitati Florentinæ, omnes domini gratias referunt, & rogant quod velint in prosecutione tam pii & sancti operis usque ad finem firmiter & constanter persistere, cum domini sint parati quidquid rationabiliter possunt & debent usque ad mortem veraciter adimplere; & gaudent de præsentia vestrorum dominorum ambaxiatorum, quos sciunt viros notabiles & prudentes & affectatos ad bonum unionis Ecclesiæ.

Et antequam ad petitorum per vos responsionem perveniant, atque ad frivolarum domini Gregorii rationum solutionem; aliqua intendunt pro veritatis manifestatione & vos mittentium atque vestra summaria informatione præmittere. Dicunt igitur præfati domini, ad hoc ut rerum gestarum plenius veritas innotescat, & cum magna & sincera fide notificant, quòd ex quo ipsi perpenderunt dominum Gregorium & Benedictum de papatu ultra quàm expediret contendentes, nolle venire ad viam mutuæ cessionis per eos oblatæ, juratæ, & voto multiplici roboratæ, ac ab omnibus Christi fidelibus approbatæ, nec in loco seu loca concordare, in quo seu quibus fieret partium conventio pro pace Ecclesiæ danda per viam antedictam & electionem unici veri & indubitati pastoris: quódque ipsi duo contendentes se invicem separabant, & transferebant ad loca valde remota, taliter ut de cetero, quantum ex facto ipsorum colligi poterat, de pace Ecclesiæ & extirpatione schismatis nulla spes haberetur: ipsi domini cardinales cum reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus alterius partis se congregaverunt, & caritate sincera convenientes in unum communi assensu, & concordi per Dei gratiam ad invicem deliberatione fore necessarium perspexerunt, & ordinaverunt, ut concilium generale utriusque partis & obedientiæ congregaretur in uno loco & termino: ad quod concilium vocarentur & provocarentur prædicti duo de papatu contendentes, & Ecclesiam in schismate in magnam Dei offensam tenentes. Non æstimantes ita de facili saltim propter simplices & vulgares aliter Ecclesiam posse uniri & schisma extirpari, attentis ipsorum duorum contendentium indispositionibus, discordiis & subterfugiis illicitis & damnatis, ad hoc ut præsente & approbante concilio renunciarent mutuo, aliàs provideret Ecclesia & concilium prout foret secundùm Deum, divinas & canonicas sanctiones, meritò providendum.

Et cùm ipsi duo contendentes sciverunt concordiam, deliberationem, & ordinationem ipsorum dominorum cardinalium ad invicem unitorum, non contenti quod ex ipsorum discordiis & separatione mutua pax Ecclesiæ erat evidenter, quantum ad eos pertinet, impedita: immò volentes impedimento perpetuo pacem Ecclesiæ in desperationem ponere & concilium generale utriusque obedientiæ impedire, quadam mutua collusione, ut verisimiliter apparet, ad invicem habita, deliberaverunt sua particularia tenere concilia, immo potius conciliabula, in locis longa distantia separatis, terminis variis ac diversis: videlicet Benedictus in festo omnium sanctorum proximè futuro in loco Perpiniani Elnensis diœcesis regni Aragoniæ, & dominus Gregorius in festo Pentecostes tunc futuro in Ravennatensi, seu Aquilegiensi patriarchatu, per quæ concilia sic tenenda divisim particularia seu ipsorum alterum schisma nullo modo extirpari valeret, nec optata haberi unio: immo potius impedimenta præstari, cùm nec in ipsorum conciliorum altero, nec utroque haberet Ecclesia generaliter convenire, maximè quia cum plures sint ab obedientia & communione ipsorum duorum contendentium subtracti noviter, seu neutrales effecti, ipsi ad eorum vocationem nullatenus venirent, seu in eorum conciliis interessent,

neque illa quæ in ipsis conciliis erant deliberata, seu eorum altero, aliquatenus acceptarent.

Item, dicunt quòd ipsi domini cardinales ad invicem sic uniti cum aliis dominis cardinalibus in prædicta deliberatione & ordinatione perseverantes, de generali concilio utriusque obedientiæ congregando in uno loco & termino, per quod potest evidenter schisma extirpari & unio haberi, subterfugiis ipsorum contendentium vel alterius non obstantibus, ordinaverunt concorditer, quod in hac civitate Pisana nominata, & aliàs oblata pro loco habili & idoneo ad mutuam partium conventionem per ipsos dominos GREGORIUM & BENEDICTUM teneatur generale concilium utriusque partis convocandum certo modo per ipsos dominos cardinales ad invicem unitos, ad XXV. Martii proximè futuri ad fines & effectus prædictos, cum insinuatione & solemni requisitione facienda & hodie facta in Senis, ipsis domino GREGORIO & BENEDICTO, ut ipsi concilio generali utriusque partis velut viæ ordinariæ in causa duorum contendentium de papatu præbere habeant consensum & opem, & quod ipsi duo contendentes in ipso concilio intersint, debitum suum facturi, & aliàs ut concordatum extitit, exhibituri. In quo casu honorabuntur, & securi manebunt, ut decet & convenit, exhibitis sufficientibus & honestis provisionibus, & super materia & via sic mature digesta & concordata direxerunt de omni communi assensu & deliberatione eorum patentes litteras & clausulas prælatis, regibus & principibus, & aliis quampluribus viris ecclesiasticis eorum partis & obedientiæ, notificantes pariter deliberationem prædictam & vocantes ad prædictum utriusque partis & obedientiæ concilium in loco & termino antedictis. Ex quo, operante Spiritus-sancti gratia, effectum est quòd omnes prælati, reges, & principes, & alii fideles, ad quos de hac via pervenit veridica relatio, illam approbant & extollunt, eamque parati sunt prosequi, illique præstare consilium, auxilium & favorem.

Item, dicunt quòd super prædicta via ordinaria maturè & sanctissimè deliberata & conclusa domini cardinales partis alterius de communi deliberatione eorum litteras clausas & patentes direxerunt BENEDICTO, per quas eidem notificant prædictam deliberationem, & requirunt quòd prædicto concilio generali utriusque obedientiæ præstet auxilium & opem, licet ex superabundanti & ad majorem cautelam, & quòd in ipso concilio personaliter intersit debitum suum exhibiturus, & speratur à multis quòd in prædictis non contradicet, sed potius suum præstabit assensum, cùm huic viæ velut ordinariæ & necessariæ contradicere non possit, nisi inimicus Dei & Ecclesiæ, ab illius unitate & fide præcisus, & factus suis ambitionibus & erroribus alienus.

Item, dicunt & notificant quòd quamvis hæc notoria sint, & manifesta ipsis ambassiatoribus, quòd his diebus proximè elapsis, ipsi domini cardinales de consensu & communi deliberatione dominorum cardinalium alterius partis ad

A dominum GREGORIUM destinaverunt reverendissimos in christo Patres dominos Aquilegiensem & Mediolanensem vulgariter nuncupatos S. R. E. cardinales, ad sibi notificandum præmissa, faciendo eidem pares & similes requisitiones, quas alii domini cardinales destinaverunt & fecerunt BENEDICTO, & alias etiam ad ostendendum per quam viam ambulare deberet secundùm evangelii veritatem, dicta & gesta sanctorum patrum aliàs in Romana Ec-
B clesia utiliter observata: quos nullatenus videre voluit, & minus per se vel alium audire, licet per plures dies ejus præsentiam præstolati fuerint, existentes in civitate Senarum, in qua tunc residebat ipse dominus GREGORIUS, sicut & residet de præsenti, nec profuit humilis instantia opportunè & importunè magnificorum priorum & capitanei populi & multorum aliorum venerabilium civium civitatis Senarum, prout vobis venerabilibus oratoribus plenè constat, quia præsentes eratis in Senis; ostendens per hoc idem
C dominus GREGORIUS suæ indurationis ad turbandam pacem Ecclesiæ pertinaciam, adeo notoriè & evidenter quòd nulla valet tergiversatione palliari seu quovis alio quæsito colore vel velamine excusari.

Istis igitur summariè præmissis, ad responsionem vestræ ambassiatæ veniendo respondetur pro parte prædictorum dominorum, quòd prudente & circumspecto oculo considerantes ipsi domini cardinales quod concilium generale totius universalis Ecclesiæ tam de jure quàm de facto, quod factum in isto casu permultum con-
D siderandum existit, potest lacessitam Ecclesiam reintegrare, & extirpato damnabili schismate, dare pacem populo christiano; hoc deliberaverunt, illud procuraverunt, & pensantes quòd nulla partium de per se sola hoc potest, nec de jure, nec de facto, ut inferius ostendetur, sed quòd necesse erat ambas partes concurrere, quia juxta Augustinum de Civitate Dei, concordia seu pax & unio est convenientia partium ad invicem discordantium: quod ad sensum percipimus evidenter, Spiritus-sancti gratia ope-
E rante, cui operationes unionis & pacis specialiter attribuuntur, ipsi domini se unierunt unione indissolubili in vinculo caritatis & pacis, cum reverendissimis dominis alterius collegii cardinalium pro reintegratione facienda, exitiali præfato schismate extirpando à populo christiano, ut sic à seipsis incipiendo possent decentius postea unitatem ponere in Ecclesia sancta Dei per convocationem concilii generalis: quæ ad eos dominos sic unitos de jure spectare minimè in dubium vertitur sapientibus, & aliquantulum
F prout nunc expedit inferius patefiet. Quapropter ut operatio intentioni concordaret, dicti domini se omnes tam de eorum collegio quàm de altero olim diviso, nunc per Dei gratiam unito convocata est tota Ecclesia, videlicet obedientia ipsorum per istos dominos, & obedientia eorum per ipsos dominos præfati collegii in unum locum, videlicet locum Pisarum, & liberaliter & cum caritate eis traditum à magnifica communitate Florentiæ, & in unum diem, videlicet XXV.

A Martii proximè futuri. Nec immeritò dictum locum elegerunt comuniter & concorditer: nam commoditatibus ejus omissis, quas habet accommodas utrique obedientiæ, ille locus est qui ab ipsis duobus contendentibus vel alterutro ipsorum recusari non potest, qui ab ambobus oblatus cum justificationibus atque per ipsos de ejus voluntate & mandato per solemnem ambaxiatam extitit, constetque quod talis locus pro concilio generali eligi deberet, qui rationabiliter à nullo ipsorum duorum contendentium valeret recusari, cùm ipsi duo contendentes ad dictum
B locum sint evocandi, prout & evocati sunt. Hæc fuit voluntas ipsorum dominorum cardinalium. Hæc est & erit cum ipsius adjutorio in cujus laude & nomine quæcumque peracta sunt, fecerunt, optimè namque cognoscunt quod concilia particularia, quæ potius conciliabula meritò appellantur, nedum quod schisma possint auferre, immo illa unionis inimicus adjuvet, ut schisma confirmet, & ut hidra capita pullulet pluriora.

Et ut nihil inresponsum remaneat, dicunt prædicti domini, quòd si prædictus GREGORIUS
C vellet venire ad hoc sanctum concilium, prout de jure tenetur secundùm Deum & bonam conscientiam, & prout requisitus istis diebus extitit in Senis, ipsum recipient cum caritate & honorificentia debita, & contentantur quòd idem dominus GREGORIUS vocet sibi obedientes, dum tamen ad hunc locum Pisarum & ad eumdem diem sicut ipsi domini cardinales. Et si sic fiat, prout optant & sperant, vestris magnificis favoribus intercedentibus, proculdubio unio & pax in Ecclesia Dei subsequentur ad laudem Dei, in cujus finem omnia vota nostra tendere de-
D bent, atque ad communem utilitatem christianorum, quam præferre debemus privatæ: quæ omnia nobis concedat qui facit in domo Domini unanimes habitare cum consensu, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

Restat respondere ad rationes prænominati domini GREGORII, quibus nititur asserere & persuadere, quòd ad ipsum spectet hujusmodi convocatio concilii. Primò quod hoc, salva pace, aliter se habet verum. Nam rei veritas ita se habet, quòd cum circa principium mensis Junii
E nuper elapsi in Liburnio ambo collegia convenerunt, Sancto-spiritu illustrante corda eorum, subito & repente simul unita & conjuncta ad effectum prosequendæ unionis fuerunt, deliberaveruntque & concluserunt simul & conjunctim prosequi unionem, dimissis eorum capitibus velut omnino indispositis ad illam, & concluserunt generale concilium convocare, quia de cetero non videbatur alia via, per quam posset ad unionem Ecclesiæ sanctius & securius perveniri. Istud fuit publicum & notorium, &
F potissimè in Portu-Veneris, & in Luca. Quod audiens BENEDICTUS circa medium dicti mensis Junii publicavit & indixit velle concilium apud Perpinianum convocare in proximo festo omnium sanctorum, credens quòd per hoc convocatio sacri collegii frustraretur effectu, & statim post idem BENEDICTUS istud per suas litteras intimavit eidem domino GREGORIO adhuc existenti in Luca. Idem vero dominus GREGORIUS in mense Julii sequente concilium indixit se celebraturum in exarchatu Ravennensi vel patriarchatu Aquilegiensi, & per consequens non solum fuit præventus per collegium, sed etiam per BENEDICTUM: immo attenta alternatione vocationis factæ per dominum GREGORIUM, nulla convocatio potest intelligi adhuc facta aut indicta.

Secundò etsi sic verum esset quod hîc non potest habere locum præventio; in quem enim nulla est jurisdictio non potest exercitium præventionis cadere; sed jurisdictio, congregandi concilium in isto casu non potest cadere in eum, ut statim succinctè dicetur, posito etiam quod esset verus papa, in hoc casu stantibus terminis. Ergo hîc non potest habere locum præventio: immò omnia attentata per ipsum in impedimentum concilii generalis, ad quod tendunt ipsi domini cadinales, tamquam facta in defectum jurisdictionis, sunt ipso jure nulla.

Ad secundam rationem, & per consequens ad tertiam ipsius domini GREGORII, quæ effectualiter idem sunt, dum dicit quod ad ipsum tamquam papam, & demum ad ipsum tamquam caput,&c. sic breviter respondetur, quòd jura dicentia quod ad Romanum pontificem congregatio concilii spectet, quibus ipse innititur, tamquam ea certitudinaliter legens, non potest in isto casu sibi vindicare locum, duabus pro nunc principaliter rationibus, primò quia jura illa loquuntur de unico indubitato Romano pontifice ab universali Ecclesia pacifice recepto, licet eidem tractu temporis quæstio aliqua moveatur, non tamen de titulo papatus, ut etiam statim tangetur. Cùm igitur neuter ex contendentibus, videlicet domini GREGORIUS & BENEDICTUS, posito quod esset unus ipsorum Romanus Pontifex, neuter eorum est indubitatus, unicus, & non levi dubitatione, immo nimis difficili & involuta tam juris quàm facti, quod utinam non esset. Ritè igitur concluditur quòd nullus ex prædictis duobus contendentibus auctoritate jurium prædictorum de convocatione concilii loquentium in Romanum pontificem possunt sibi congregandi potestatem vindicare.

Secunda ratio est, posito quod isto casu dubio sibi vindicaret locum, alio tamen respectu in isto casu locum habere non posset. Nam quia hîc agitur de titulo papatus inter duos contendentes, non potest reperiri in jure quod ad ipsum Romanum Pontificem, quamvis verum, dubitatum tamen, spectet congregatio concilii, immo reperitur contrarium, ut in suo loco & tempore ostendetur, & ubi dominus GREGORIUS se dicit caput, cardinales autem membra, advertat ne nutriendo hoc schisma, prout facit, fovendoque ipsum, factus sit minor quocumque catholico.

Tertia ratio est, videlicet carentia finis ad quem omnia tendere debent. Videatur effectus ipsius concilii. Ipse convocat concilium suum in Ravenna vel Aquilegio, & ut magis ostendat magnam prudentiam sui concilii, alternavit Capuæ vel Ephesi, ut sint bene certi qui habent

convenire quò vadant. Ponamus igitur concilium congregatum in quo erunt pauciores quàm credat. BENEDICTUS convocat aliud in Perpiniano, ad quod etiam ibunt qui volent, sed scimus quòd pauci. Quis erit effectus istorum conciliorum? nullus habebit forte quintam vel decimam partem Ecclesiæ. Quilibet judicabit de jure suo. BENEDICTUS, approbante concilio, judicabit se papam. Idem dominus GREGORIUS. Erit-ne istud concilium? erit judicium? erit sententia? determinationi BENEDICTI stabit dominus GREGORIUS vel econtra? Certè non. Frustra ergo aliquis vel ambo dictorum duorum contendentium de papatu sic concilia congregant, cum bono & suo careant fine propter quem congregari debet concilium.

Convocatio autem per dominos cardinales utriusque uniti & unici collegii per quam congregabitur tota catholica universalis Ecclesia utriusque obedientiæ, tamquam facta per illos ad quos in isto casu solos & principaliter pertinet, ut suo loco & tempore lucidius ostendetur, & per determinationem dictæ universalis Ecclesiæ congregatæ, Spiritus-sancti gratia coadjuvante, extirpabitur mucrone dictæ Ecclesiæ schisma pestiferum, & ad unitatem & pacem orthodoxorum fidelium, regum & principum & notabilium comitatum, maximè Venetorum & Florentinorum, ac totius populi Christiani favoribus justis & rationabilibus & debita assistentia concurrentibus, ad ipsarum magnificarum comitatum meritum animarum, & gloriam sempiternam votivè & feliciter deducetur.

Ea propter deprecantur affectuosè, quantum possunt, ipsi domini cardinales insignes comitates Venetorum & Florentinorum, & vos ipsarum ambaxiatores & oratores notabiles, quatenus ipsæ & vos velitis prædicta earum nominibus omnia significare domino GREGORIO, & procurare cum illo, ut ad ipsum concilium in hac Pisana civitate celebrandum venire velit in termino antedicto, prout de veritate juris nedum humani, sed & divini censetur esse astrictus, debitum suum exhibiturus: in quo si venerit, honorabitur, ut decet & convenit. Alias si hoc recusaverit, necessitate fidei hoc exposcente, providebit concilium generale & Ecclesia prout & secundùm Deum & divinas & canonicas sanctiones fuerit providendum, subterfugiis non obstantibus illorum qui Ecclesiam in schismate damnabiliter tenere conantur. Et si dominus GREGORIUS vel sui aliqua prætendunt quàm præmissa superius narrata, in quantum in facto & jure consistunt, ipsi domini cardinales offerunt-se paratos ostendere, quod præmissa vera sunt, & de jure procedunt, & illa deffendere in concilio generali. Et ultra si aliqua rationabilia, & factibilia, tendentia ad accelerationem desideratæ unionis videntur posse & debere fieri ipsis insignibus comitatibus & dominis Venetorum & Florentinorum, ipsi domini cardinales sunt parati illa audire & admittere semper in quantum ad bonum, & accelerationem pacis poterunt pertinere.

Die Veneris quinta Octobris hora vespero-

A rum vel quasi, Indictione prima MCCCCVIII. assignata, tradita, & præsentata fuit similis responsio, facta prius collatione per me Angelum notarium infra scriptum per reverendos in Christo patres & dominos, dominos H. Tusculanum & A. Penestrinum episcopos, A. Laudensem, C. Melitensem, J. de Ursinis presbyteros, R. de Branchaciis, L. Barrensi, A. de Salutiis, O. de Columpna, P. de S. Angelo antiquiorem, & P. de S. Angelo juniorem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconos Cardinales, nobi-
B libus & egregiis viris domino Rosso Marino ambaxiatori illustris ducalis dominii Venetorum, & domino B. de Populenchiis oratori magnificæ comitatis Florentinorum coram dictis dominis Pisis existentibus in camera residentis domini Aquilegiensis, ipsaque responsione de verbo ad verbum lecta, audita, & collationata, dictus dominus B. pro se & præfato domino Rosso recepit; præsentibus ibidem R. in Christo Patre domino episcopo Meldensi &c.

C

MEMOIRE DONNE' A MAISTRE Adrien Cottin, pour le fait des libertez de l'eglise de France.

I. ET primò, peut-on monstrer que le pape ne peut & ne doibt lever ne exiger les vacquans des prelatures, ne des autres benefices les premieres années pour les raisons qui s'ensuivent, ne aussi prendre les fruits tant qu'elles
D vacquent, ne les procurations deuës aux prelats pour cause de visitation, ne les fruits des benefices qui ont vacqué durant la substraction, qu'ils appellent fruits mal pris; & des dépoilles des prelats quand ils meurent ne faut point faire question: quar le Roy en a pieça ordené, & l'ordenance en est en parlement enregistrée. Et aussy les premieres années des benefices qui sont en patronages lays. *Ex ms. Gemineticensi.*

II. Et pour venir à la matiere, il fault supposer que la puissance que nostre Sauveur bailla
E à S. Pierre, fut à l'édification de l'Eglise, non mie à la destruction, si comme dit la sainte Escripture I. *ad Corint. ultimo c.* & in canone *petenti*, cum sedis privilegio non recepit licentiam peccandi, sed necessitatem benefaciendi, XL. di. c. I.

III. Item, l'Eglise de Rome n'est mie dame des autres eglises, mes mere; ne le pape n'est mie seigneur des évesques, mes est un d'eulx. Et aussy le dist monsieur S. Bernard *ad Eugenium*: *Scias, inquit, Romanam ecclesiam, cui auctore Deo*
F *praees, aliarum ecclesiarum matrem esse, non dominam: te verò non dominum episcoporum, sed unum ex ipsis.* Sic archi. in c. I. de Sum. Tri. & si. ca. in VI.

IV. *Item*, est sa puissance limitée, tellement qu'il ne puet ne vendre ne aliener les biens immeubles de l'eglise: & se il le fesoit, on l'i devroit resister de fait, si comme dit expressement le chapitre *Non liceat papæ*, là où Jehan Glosseur du decret dit, *quod licet papa sit solutus legibus, tamen secundùm leges debet vivere.*

V. *Item*, ad ce propos dit Pierre Bertrant, qui fu cardinal d'Ostun en la Clementine *Ne Romani de elect.* que si le pape vouloit vendre une notable partie du patrimoine de l'eglise, ou faire aultres choses semblables, on l'i doit resister *in facie. sicut Paulus restitit Petro, ad Gal. 2. c.* Et les choses dont cy-dessoubs sera faite mencion sont plus dommageables à l'Eglise.

VI. *Item*, Il est vray que les fruis des eglises vacquans de droit commun doivent estre convertie, *in utilitatem beneficii vel futuro successori reservari* in cap. de off. ord. in VI.

VII. *Item*, ceste loy est saincte, juste, & raisonnable, *in c. erit autem lex.*

VIII. *Item*, toutesfois que le pape ou autre fait contre la loy juste & raisonnable par ambition ou convoitise d'avoir argent, il peche mortellement, *ut ponit Innocencius de consuctudine in rubrica, & Jo. An. in c. generali de elect. l. VI. & Henricus post cardinalem in cap. Cum ad monasterium di. penultima de Statu monachorum*, là où il dit, que si le pape fait *scienter* aucune chose contre raison, il peche mortellement, & dit aussi que, supposé que le pape ait *plenitudinem potestatis*, toutesfois *non habet eam ut dominus, sed ut minister & dispensator domini principalis*; & s'il dispose des biens de l'eglise autrement que par raison, il fait mal, *ut potestas sub ratione restringatur XI. q. in c. illa.* Et ad ce propos parle S. Bernard, *ad Eugenium* par les paroles qui s'ensuivent. *Quid autem tam indignum tibi, quàm voluntate pro lege uti? quid tam bestiale, quàm non judicio agi, sed appetitu? quid tam indecens, quàm ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi inimicitias quasdam & exiguas portiones aliorum adhuc velis facere tuas?*

IX. Or veons les maulx & les inconveniens qui aviennent par les exactions que le pape fait.

X. Premierement par les vacquans des prelatures qu'il prent, lesquelles il faut payer devant la main quant un évesque ou un abbé est promeu, il faut payer une grosse somme d'argent, de laquelle somme on ne peut finer sans vendre l'heritage de l'eglise, ou l'engager à la vie d'un homme ou de deux ou de trois; si comme il est avenu en l'abbé de S. Germain des Prez, qui pour payer le vacquant, fallu qu'il vendit à Mestre Martin Double le plus bel heritage de l'eglise à sa vie, de sa femme & de son fils. Dieu scet combien il y en a d'aultres ou royaume de France & de l'abbaye de Clerevaux, où estoit une noble châsse, là où estoit le corps de S. Bernard, qu'il fallu vendre pour VII. vacquans.

XI. *Item*, se l'abbé fust trespassé aprés un an, ou deux ou trois, comme il avient bien souvent, il eut fallu vendre de l'aultre heritage de l'eglise, & aprés aussy d'un aultre, & tellement que les religieux qui font le service divin n'eussent de quoy vivre, & eust fallu que le Moustier eust esté desemparé & les édifices cheus, & Dieu sçait quantes fois ces cas sont avenus en ce royaume, & quantes abbayes & quantes priores, où il souloit avoir grant quantité de religieux, où il n'en a aujourd'huy nuls ou bien pou, & sont les édifices cheus en grant ruine, & les heritages desers, tellement que c'est grant orreur de veir la grant desolation de ce royaume.

XII. *Item*, supposé qu'il ne faille rien vendre pour payer le vacquant de l'heritage de l'eglise, toutesfois il le faut emprunter, ou prendre des biens de l'eglise. S'il est emprumpté, il le faut payer; s'il est pris des biens de l'eglise, l'eglise en est tant plus povre, car ce qui deust estre converti en la reparation & es autres usages profitables s'en va.

XIII. *Item*, quant à la consciens, messieurs les theologiens dient aprés monsieur S. Thomas, lequel recite l'Archidiacre en Rosaire XII. di. c. I. que le pape en prenant argent *pro re spirituali* commet simonie. Or poves considerer quel inconvenient c'est, se les prelas qui payent les vacquans devant la main, & aucune fois plus que le vacquant, sont promeus par simonie.

XIV. *Item*, en la vacquant des prelatures, les cardinaulx prennent la moytié, c'est assavoir ceulx qui sont cardinaulx ou temps de la promotion; & quand ils sont mort, le deibte vient à leur heritiers, qui sont de Lombardie, ou d'Espaigne, ou aultres estrangiers, qui viennent pasturer sur les povres eglises du royaulme de France; & tant en verité que les arrerages que les chamberlans du college demandent au royaulme de France, ne seroient pas payés pour six mil frans.

XV. *Item*, Vees cy la maniere que on y tient. Les prelas qui doivent au college, envoyent de l'argent pour estre absoubs quand le terme est passé, & leur donne l'en un autre terme bien court, mais il faut poyer l'absolution, & pour le terme x. ou XII. floriens quatre fois l'an; & par ainsy par tels termes avient souvent que le vacquant double.

XVI. *Item*, de nouvel il ne souffit pas au pape d'avoir la vacquant, mes prent es pays où il n'a point de regale, durant la vacquation tous les fruits du temporel & de l'esperituel, & fait vacquer les éveschés & abbayes bien longuement, & vont cependant les benefices en ruine & les heritages en desers. Et en verité l'eveschė de Besiers a ja vacqué six ou sept ans, & l'éveschė de Sarlat autant, & plusieurs autres en ce royaulme, & ou pays-là où il y a regale, il prent l'espirituel. Demandes-le à l'archevesque de Sens & à l'évesque de Ses combien ils ont trouvé d'argent des fruis, *qui debebant futuro successori reservari.*

XVII. *Item*, des aultres benefices on ne souloit point prendre de vacquant, mes Jehan XXII. si comme l'en dit, le reserva jusques à deux ans, & par telle maniere fut introduit le vaquant des prelatures, premierement jusques à deux ans, & maintenant c'est l'heritage du pape.

XVIII. Il faut maintenant exprimer en sa succession la valeur du benefice que l'en demande, & ne faut point mentir, car la grace seroit subreptice. Or est la supplication signée devant que

que le suppliant puisse avoir ses bulles, il faut bailler ce que le benefice vault, selon qu'il a exprimé en la supplication, & toutesfois par le *c. extra. suscepti regiminis*, ils ne doivent payer que le taux ou le residu, & par ainsy qui n'ara point d'argent n'ara point de benefice, & pour ce les hommes estudians sont hors d'esperance de bien.

XIX. *Item*, ad ce fault ceulx qui veulent avoir les benefices endebter, & s'ensuient les inconveniens qui ont sus estés touchés des prelatures.

XX. *Item*, ceste nouvelle maniere de exiger argent pour les fruis mal perceus, est proprement une fraude & tirannie; car ceulx qui ont eu les benefices par la collation des ordinaires, ou la election ou confirmation de leur Souverain, ils les onteu justement en la fourme de droit commun, & ce qu'ils ont receu est bien receu, & ce que l'en exige d'eulx pour ceste occasion, est mal receu. On appelle le pape *nostre Saint Pere*, & l'Apostre dit, *quod filii non debent thesaurizare parentibus*, *sed parentes filiis*; & pour ce *multum longè à paterna pietate videtur*, *si papa suis subditis gravis existat*, *quos in certis necessitatibus pastoris debet more fovere*.

XXI. *Item*, quant ad ce que le pape reçoit toutes les procurations ou la moitié, s'ensuivent grands inconveniens, car le droit office du prelat si est visiter diligemment ses subjets, & en visitant il doit vacquer à predications, exhortations, corrections, & reformations. Et en faisant l'office de visitation la procuration luy est deuë, non aultrement.

XXII. *Item*, en ostant la procuration aux prelas, il oste ce semble le bien de predication, & les aultres dessus touchés que les prelas doivent faire en visitant, & attempte folement contre la determination de l'Apostre, en laquelle il ne puet rien muer ne changer, mes les doit garder & deffendre *usque ad animam & sanguinem. Si ergo* le pape mesme *in c. Sunt quidam xxv. q. 1.* & ceulx qui ont cecy introduit, *non sunt constructores*, *sed eversores*, dit S. Gregoire, *in c. si ea xxv. q. II.* & en verité de cecy s'ensuient mult de erreurs, & sont les chrestiens, *tamquam aberrantes sine pastore*, car ils ne sont point visités.

XXIII. *Item*, il est vray pour ce que dit est *papæ etiam indubitato*, on ne le doit point tolerer ne souffrir à faire telles exactions, mes dit expressement Innocent, qui fust pape, que se un Prince, un Souverain fait constitution pourquoy il oste les biens d'un pour bailler à un aultre, telle constitution n'est pas à garder, *nec in foro conscientiæ*, *nec in foro judiciali*, *in c. quia plerique de immu. ecclesiæ*. Et dicit Johannes Glossator, *quod si sunt occasione talium exactionum latæ*, *non sunt tenendæ*. Et faust ces choses entendre du pape, *quia* Innocent qui fust pape, & Ho. qui fust cardinal, dient que se le pape commande aucune chose de quoy l'estat de l'eglise cheist en turbation ou aucuns grans maulx, en ce cas on ne doibt point obeir au pape, *quia futura mala præcaveri debent*, *nec debet juvari ad illa committenda*. Et ceulx qui luy obeissent en tel cas pechent mortellement ce dit Jo. An. *in c. inquisitione de sententia excommunicationis in novella*.

XXIV. *Item*, se à un pape paisible, on ne doibt point obeir en faisant ces griefves exactions par les raisons dessus touchées, par plus fortes raisons, ne doit-on pas soufrir à cestuy-cy que l'en dit pape en tel schisme. Car certainement les finances que ces deux contendans levent sont nourriture de scisme, & par especial celles qu'on leve ou royaulme de France. Car en nul aultre royaume on ne fait mie de si grandes exactions. Et en verité l'en prouveroit bien par gens notables, que des finances que on lieve en ce royaulme & ou Dalphiné, reçoivent plus que ne faisoient ou temps du pape Clement le VI. ne de Innocent, ne de leurs successeurs, toutes les revenues de l'Eglise universelle.

XXV. *Item*, monsieur S. Augustin dit, que ceulx ne doivent avoir rien de l'Eglise, qui ne tiennent l'eglise en pais par la constitution des empereurs; & dit qu'ils ne peuvent point dire que au Roy n'appartient point de faire telle constitution *in c. quo jure VII. di. c. qui contra pacem XXXII. q. 1.* Et vault mieulx leurs oster les revenues qui les nourrissent en celle division, que les leur laisser pour perpetuer le schisme. Car si comme dit monsieur S. Augustin, *Utilius esurienti panis tollitur*, *si de cibo securus justitiam negligat*, *quàm esurienti panis frangatur*, *ut justitiæ seductus acquiescat XXIII. q. IV. c. nimium sunt inquieti v. q. v. c. non omnis*. Et en verité, en ce cas de schisme il appartient proprement au Roy leur oster les revenuës, & pour ce, dit S. Augustin, que Nabucodonosor roy lays fist une constitution, que quiconque diroit blaspheme contre le Dieu de Sydrac & Abdenago, il seroit mort & ses maisons destruites. Vees se dit le saint docteur, que un roy lay fist ceste constitution qui estoit payen, pourquoy ne pevent faire loys les roys chrestiens contre ceulx qui offensent si grievement Dieu, & font si horrible schisme?

XXVI. *Item*, supposé que messire Benoist fut paisible pape, encore dis-je que le roy ne personne ne doibt tollerer que ces exactions lievent ne exigent par la main, comme l'en a fait par aucun temps, & pour cecy monstrer il faust loys de l'eglise.

XXVII. L'eglise est proprement *universitas fidelium*, & pour garder ceste université en bon estat & en bonne disposition qui.... l'eglise militante, tout aussi comme *ad stabilitatem fundamenti ordinavit Deus solem & lunam*, ainsy il a ordené pour le bon estat de l'eglise *sacerdotalem dignitatem & regalem potestatem in c. solitæ de ma. & obe.* & ont les princes temporels puissance de .... ceste eglise & en est necessité, afin que quand ceulx qui font turbation en l'eglise, ne se veullent corriger par l'exortation des prestres & gens d'eglise, que les princes les mettent à raison par leur puissance, & se les princes ne le font, ils en rendront compte devant Dieu, & ce dit le chapitre *princeps sæculi* XXIII. q. & le chap. *quando eadem causa* q. IV.

XXVIII. Cecy est entendu par especial, quand les roys & les princes en sont requis par l'Eglise. Car ainsy comme les clers sont tenus à prescher la verité de l'evangile franchement & hardiement; aussi est tenu le roy celle verité, quand elle est preschée par les clers, defendre & executer, autrement *proditor est veritatis, in cap. nolite timere XI. q. III. c. administratores XXIII q. v.* ou autrement les princes sont excommuniés, s'ils n'en font leur diligence, si comme dit ledit chapitre. Car un roy sert comme homme & comme roy. Comme homme il sert *vivendo fideliter*; comme roy il sert en executant les loys qui commandent les choses justes, & defendent les mauvaises. *in c. si ecclesia* XXIII. q. IV.

XXIX. *Item*, considerons si le roy a esté & est requis tous les jours solemnellement par l'Eglise de ceste matiere. Premierement, quand tous les prelas du Royaume de France furent autrefois assemblez ou temps de la substraction, requirent le roy solemnellement & les seigneurs qu'ils feissent ces griefs & exactions au regard du pape; & pareillement ou temps de la restitution: & fust chargié Monsieur d'Orliens d'en parler au pape; & luy en parla de par le roy. Et depuis les prelas estant en ceste ville, l'ont n'agueres supplié au roy par la bouche du patriarche, & devant son conseil publiquement.

XXX. *Item*, je suppose que les prelas du royaulme pour paour, desplesance, ou pour esperance de promotions, ou autrement ne n'en eussent oncques requis le roy, ou ne l'en voulsissent encores requerir.

XXXI. *Item*, que l'Université de Paris en requiert le roy, ainsi que fait ja pieça, & fait continuellement tous les jours & presentement. Certe il est vray à dire, que le roy en est deüement & suffisament requis par l'eglise. La raison est: car l'ordre de docteur est en l'Eglise *ordo praecipuus. in c. cum ex injuncto de Haereticis*: & sont les docteurs les piliers de l'Eglise, & le fondement en Jesus-Christ *in c. fundamenta de elect. in VI.* Et peut-on bien dire de verité, qu'il y a plus de docteur en l'Université de Paris en diverses sciences, que en tout le revenant du royaulme de France, & se les prelas & aultres font leur devoir, la puissance de requerir quand ad ce, demeure toute entiere à l'Université de Paris, *per c. vestra de potestate praelatorum.* Et par ainsy ne puet-on dire que le roy ne puisse & ne doive faire ce que l'Université de Paris requiert & la court de Parlement, qui represente le roy quand ad ce.

XXXII. *Item*, est vray que les roy de France y ont autresfois proveu, si comme on treuve par les chroniques en plusieurs lieux, & le roy qui est present, quand aux despoilles des prelas, & quant aux fruits des benefices vacquants qui sont en patronages lays.

XXXIII. *Item*, y pourveurent pieça les rois de France par aultre maniere; car ils defendirent pour ceste cause, que on ne portast point hors du royaulme or ne argent, & sont les ordenances anciennes en la chambre des comptes. Et en verité seroit bien besoing à y pourveir aujourd'huy pour ceste raison, & n'en y eust point d'autre. Car le royaulme devient à povreté, pource que les finances vont à si grandes sommes dehors; & sera plus, se remede n'y est mis.

XXXIV. *Item*, ne vault ce que aucuns s'efforcent de dire que le pape a besoing, & que en cas de necessité ses subgies sont tenus à luy fere subside. En verité se une necessité venoit à l'Eglise, & nous avions un pape paisible; en ce cas nous luy devrions aider, mes sous ombre d'une necessité, faulte qu'il puisse ainsy grever & destruire les eglises? nul prudhomme ne le devroit dire.

LITTERÆ JOHANNIS DUCIS BITURICENSIS.

Quibus episcopatum Biterrensem & bona restitui jubet Bertrando de Maúmont episcopo, qui tempore neutralitatis aliquandiu remanserat cum Petro de Luna.

Jehan fils de roy de France, duc de Berry & d'Auvergne, Comte de Poito, d'Etampes, de Bouloigne & d'Auvergne, Lieutenant de monsieur le roy en ses pais de Languedoc & duché de Guienne, au senechal de Carcassonne ou à son lieutenant, Salut. Oye à nous l'humble supplication de nostre bien amé Messire Bertrand de Maumont evesque de Beziers, contenant que long-temps paravant la neutralité du triennement faite par mondit seigneur nous & aultres de son sang & le Clergié de son Royaulme aux contendans du papat, ledit suppliant avoit esté promeu & transferé bien & deument audit evesché de Beziers, & en avoit pris la possession, & ordonné gens & officiers pour luy: & par aucun temps aprés Pierre de Lune dernierement élû pape, se partit du lieu de Porte-venus pour aller en Aragon, & fit mettre ledit suppliant, qui estoit & avoit esté avant par aucun temps en sa compagnie en un vaissel où ledit Pierre de Lune se boutta, & le mena avec luy là où bon luy sembla, & l'a detenu par aucun temps; mais sitost que s'est pu echapper dudit de Lune, il s'est departy de luy & de son obeissance, & s'en est venu en son royaulme où il est à present: toutesfois il se doute, que sous ombre de certaines lettres par mondit Seigneur & nous baillées & commises à nôtre amé & feal Conseiller Etienne de Montigny & autres, contre les fauteurs & adherans dudit Pierre de Lune, que nostredit conseiller, ou aultres nos commis, ou dudit nôtre conseiller, ne luy mettent ou fassent mettre aucun detourbier ou empeschement en corps ou en biens, qui seroit au tres grand prejudice & dommage dudit suppliant, se par nous ne luy estoit sur ce pourvû de nôtre gratieuse provision, si comme il dit en nous requerant humblement icelle. Pourquoy nous consideré ce que dit est, & attendu que ledit suppliant,

Anno 1401. *Ex archivis episcopatus Biterrensis.*

sitost qu'il a pu bonnement, s'est departy de A l'obeissance & pouvoir dudit de Lune, & s'en est venu en ce royaulme, prest d'ensuir mondit seigneur, nous, & le clergé dudit royaulme en la conclusion de la neutralité, & aussy en toutes autres conclusions prises par mondit seigneur, pour le fait de l'union de l'Eglise, comme nous avons esté acertenez par gens dignes de foy, & que ledit suppliant n'est en rien coupable de ce, surquoy nosdites lettres adressans audit Montigny sont fondées ; & que ledit evesché est assis en vôtre senechaussée, vous mandons & expres- B sement enjoignons de par mondit seigneur & de par nous, en comettant, ce metier est, que ledit suppliant, lequel nous voulons estre maintenu & defendu en la possession dudit evesché, vous faites joir & user paisiblement de sa possession, & des droits, fruits, profits, revenus, & emoluments d'iceluy, nonobstant l'empeschement qui luy avoit esté mis par avanture esdites choses par ledit Montigny ou autres nos commis, & voulons & nous plaist que se aucune chose du sien, tant de sondit evesçhié de Beziers, comme de C ses autres dignitez qu'il a eues paravant, estoit par cause de ce que dit est, & aussy les biens tant d'eglise que de patrimoine de messire Jean Sesalle, & messire Pons Rogier ses officiers & serviteurs, lesquels pour occasion dudit evesque auroient esté pris, arrestez, ou empeschez, vous les luy faites mettre tantost, & sans delay à pleine delivrance, car ainsy nous plaist-il, & voulons estre fait, & audit suppliant l'avons octroyé & octroyons de grace special & autorité royal, dont nous usons en ceste partie, nonobstant lesdites D lettres par nous adressées & commises audit Estienne de Montigny & aultres, contre lesdits fauteurs & adherans dudit Pierre de Lune & quelconques autres lettres subreptices empetrée ou a empetrer au contraire. Mandons & commandons à tous les Justiciers, Officiers & Subjets de mondit seigneur & de nous, que à vous & à vos commis & deputez, en ce faisant obeissent & entendent diligemment. Donné à nostre chatel de Lesignan le IV. jour du mois de Janvier l'an de grace 1408. E

Par monsieur le Duc & Lieutenant
DE GIVES.

EPISTOLA MAGISTRI JOHANNIS GUIART.

De sua ad Benedictum apud Perpinianum legatione.

Anno 1409. Ex ms. Coislin.

CHer frere, vueilles savoir que le XXII. jour d'Octobre je arrivé à Asperiman à heure de vespres, & celuy jour ne parlay à luy, mais escris lettres, qui m'estoient necessaires, & lendemain je parlé à messeigneurs les cardinaux de Flisco & de Chalan, & alla monseigneur de Flisco parler à nostre Saint Pere, s'il luy plaisoit que je parlisse à luy, & presentasse les lettres que je luy portois de par messeigneurs les cardinaulx, qui sont à Pisse. Si me rapporta monseigneur de Flisco que je attendisse apres vespres, & il me meneroit devers le pape. Si fu moult interrogué de plusieurs gens quelles nouvelles je apportois au pape. Je luy portois lettres. A vespres je fu au palais, & monseigneur de Flisco n'y trouvay pas, & trouvay monsieur François Dorande, qui parla à moy & me demanda plusieurs choses, & atendy jusques issue nuit, & lors je dis que je m'en voulloye aller, car je ne savois pas la ville. Si parla monsieur François au pape, & me apporta que lendemain apres le consistoire je luy parleroye, & luy presenteroye mes lettres. B Landemain je revins au palais, & apres le conseil le pape s'en entra en sa chambre avec le cardinal Challant, messire Pie Rinar maintenant cardinal de Tho, l'arcevesque de Taragonne, messire François Dorem, & plusieurs aultres jusques au nombre de quinze ou XVIII. & puis me fit appeller le pape par ung de ses chamberiers, & entray en la chambre, & luy fit la reverence, & puis luy presenté mes lettres, & luy dis en public & en secret, ce que mesdits seigneurs me avoient enchargé. Et pour ce qu'il vouloit savoir toutes C nouvelles, me interrogea de assés de choses ; si luy respondis, & dis assés de choses, de quoy on ne m'avoit point chargé. Mais pour ce qu'il me falloit respondre à ses interrogatoires, & que ma response estoit bien convenable pour la matiere que nous devons, je luy respondis plusieurs choses, qui seroient trop longues à escrire, mais quand je m'en yray, si je vous treuve, je le vous diray de point en point : & soies certain que ledit jour que je arrivay à Asperiman, le D pape avoit tenu consistoire public, & fut proposé par l'advocat fiscal contre l'Université de Paris, se elle se doit ainsi appeller, contre monseigneur le patriarche, l'evesque de Meaulx, contre Jehan Petit, contre monsieur Pie Plou, le prieur des Mathurins, Estienne de Montigny, Jehan Guiot Connerte, Jehan François autrement Chauce Sourret, & plusieurs aultres dont à present ne me souviens : mais si je puis auray la coppie des bulles sur ce faites, & sont citez au E LX. jour apres la datte, comme suspects de la foy à respondre sur aulcuns cas touchant la foy, que l'Université comparoisse par procureurs, & tous les aultre personnellement. A mondit le pape fait l'office, & doibt prescher l'archevesque de . . . & croy qu'il touchera de la matiere du concile. Et sçay bien que le pape fait faire instruments de toutes les ambassades qu'il fait faire touchant l'union de l'eglise, depuis qu'il fut pape, & ay vu l'instrument de la legation, que les siens quatre firent quand nous fusmes à F Rome. Et doit-on en ce conseil proposer toutes les legations, & les monstrer par instrument à la justification du pape. Et puis on doibt proposer aulcunes conclusions, & diffinir icelles, & ay entendu qu'il doit faire proces contre son adversaire, & contre plusieurs aultres, toutesfois petit du plus sont venus audit concile, & ne sçay se la solemnité sera telle comme le pape cuidoit. Car il a fait faire quatre haultes chaires patriarchaux, & six haulx grans bancs pour les quatre patriarches, & les chaires & les bancs

pour les cardinaulx & les prelats. Je ne sçay que se sera, mais tous s'escript: & en retournant à ma premiere matiere, l'on scet & ma-on dit que les lettres que j'ay apportées sont pleines de mensonges, & aultres choses que je ne vous rescrits, ainsy que j'ay veu parler au pape, je luy dis tout eussient s'il navoit point eu de lettres patentes, & il me dit que non. Et je repliqué que messeigneurs les cardinaulx luy avoient envoyé, mais par adventure celuy ou ceulx qui les apportoient, ne les osoient les lui apporter pour doubte, qu'ils ne lui tournissent en desplaisance. Et il me respondit, qu'il vouloit qu'on luy porta toutes les lettres & patentes & closes. Car il estoit en ville seure, & qu'il ne doubtoit point le roy de France, mais il aimoit de tout son cœur, & aussi ne doutoit point le roy d'Arragon; car il estoit bien seur de luy, que pour sa seureté il luy bailleroit tout son royaulme. Et apres je luy dis, que j'avois asses d'aultres lettres à presenter, & puisqu'il avoit eu les siennes, s'il luy plaisoit que je presentasse les aultres. Et il me dit que je les presentasse seurement, car il vouloit que liberalement & franchement je fisse ce que je avois à faire, & qu'il me connoissoit bien. Toutesfois il s'emerveilloit moult comme messeigneurs les cardinaulx faisoient ce qu'ils faisoient, & qu'ils n'avoient pouvoir de le faire, & me dit sur ce assez d'aultres choses, qui sont assez longues. Passé Luncier du Coustel je m'en vais à Barchinone devers le roy d'Aragon. On a fait plus de quatre-vingt copies de lettres que j'ay baillés au pape, & crois qu'on fait allegation au contraire, & dit-on que le pape envoyra à Pise de ma besongne, dont vous aves de par delà les lettres. Je vous prie que les choses soient mises en celle ordonnance, que elle soient bien & solempnellement * excusées, & quant je m'en iray, que treuve tout prest. Et à Dieu soiez, car je vais ouyr le sermon. Escript le jour de Toussains à heure de la grant messe.

* f. executées.

C'est la lettre que maistre Jean Guiart a escripte à communauté, &c.

FRAGMENTUM TRACTATUS de potestate & jure cardinalium ad convocandum concilium tempore schismatis.

Ex ms. Gemmeticensi.

HIc in primo capitulo protestor primum quod propter dubitationem principalis schismatis, quis scilicet duorum contendentium & eorum prædecessorum sit vel fuerit, verus apostolicus, de quo non disputatur ad præsens, immo disputatio talis foret impeditiva totaliter ejus quæ tractatur unionis: super quo jam elapso biennio tractatum edidi; & in eo partem non tenens, ostendo difficultatem maximam & dubia quamplurima hoc in arduo negotio sic vigere, quod non nisi audaciter & præsumtuose nimium potest quis indubitatum asserere magis hunc quam illum verum pontificem extitisse. Cujus tractatus copiam communicavi jam pluribus. Intendo absque injuria alicujus, dum contingет, prædictorum, aut alterius, seu cardinalium alterutrius partis, personas vel collegia

A nominare, sub vocabulo papæ vel cardinalium, & non antipapæ vel anticardinalium, pari honore & reverentia discribere.

Cum igitur grave schisma de papatu contendentium jam annis * XXXII. aut circa christicolas in universo perturbasset; dominus Benedictus papa XIII. qui in Avinione præsidebat, solemnes legatos ad felicis recordationis dominum Bonifacium papam IX. qui Romæ residebat, cum eo tractantes super facto unionis

* Error in numero.

B Ecclesiæ sanctæ Dei, certis modis & viis laudabiliter & honorifice destinavit. Sed statim ante expeditionem eorum idem dominus Bonifacius diem clausit extremum. In hoc tamen profuit illa legatio, quod domini cardinales Romani collegii moti zelo pacis & unionis prædictæ, deliberaverunt eligendum per eos papam certo modo juramenti vinculo perstringere, quo necessitatus ad consummandum pacem & unionem prædictam toto conaretur ingenio: non tamen præcise statuentes, quod renunciationis viam

C eligeret. Elegerunt itaque de suo collegio felicis recordationis Innocentium VII. Et idem etiam infecto negotio in fine biennii post suam creationem de medio sublatus est. Cardinales itaque videntes quod dominus Innocentius satis tepidus ad efficiendam unionem exstiterat, in imminente futura electione cautiores effecti, antequam eligerent inter se concorditer firmaverunt, ut eorum quisque juraret Deo, & B. Mariæ Virgini, sanctis apostolis Petro & Paulo, & toti cælesti curiæ, ac etiam ipsismet vicissim,

D unus alteri voveret & promitteret, quod quisquis eorum contingeret in Papam eligi, pro reintegratione & unitate christianorum renunciabit effectualiter juri suo & papatui pure & libere ac simpliciter, secundum tamen modum & formas in ipso juramento descriptas, in cujus etiam forma de modis tenendis circa locum cum altera parte conveniendi, & de cardinalibus non creandis, pendente hujusmodi tractatu unionis, nisi pro numero coæquando, distincte videri potest: & generaliter concluserunt, quod

E tam eligendus ipse cum electus fuerit, quam ipsi cardinales usque ad finem omni modo & forma possibili, omnino perseverabunt, ut ipsa reintegratio & unio locum & finem habeat, nihil de contingentibus omittendo; & quod contra tale juramentum & votum nulla absolutio seu dispensatio petetur, obtinebitur, nec obtenta ab aliquo eorum utetur, prout in dicta forma, quæ hic habeatur pro expressa, plenius continetur.

Præstitis igitur juramentis hujusmodi, & venientes ad factum electionis, cardinales ipsi res-

F picientes in personam domini Angeli Corrario, tunc tituli S. Marci presbyteri cardinalis, qui reputabatur totus sanctus, & devotus, & ad prædictam unionem fervidus ultra modum; sperantes ut ipse facilius, citius, & efficacius unionem prædictam effectualiter adimpleret; ipsum in Apostolicum elegerunt & præfecerunt, vocatusque est Gregorius papa XII. Post cujus assumptionem, ipse quòd de juramentis fecerat iteratis vicibus tam in secretis quam in publicis consistoriis, prædicta vota & juramenta confir-

mando de novo etiam innovavit, processum etiam unionis intentavit, mittendo scilicet suos ambassiatores juxta juramenti formam ad supradictum dominum Benedictum, cum potestate disponendi locum mutuæ conventionis, utrique parti tutiorem: ipsique ambassiatores cum prædicto domino Benedicto ejusque dominorum cardinalium collegio de loco civitatis Saonæ concordarunt, de tempore etiam infra quod ibidem pars utraque conveniret: quam loci electionem & gesta ab ipsis ambassiatoribus per suas patentes bullas ratificans approbavit.

Sed heu! post hæc parum, diabolo suggerente cum ministris ejus viris adulatoribus, cœpit Gregorius iste corde, verbis, & opere, totus esse retrogradus, in tantum ut quivis adulatorum unionem dissuadebat, hic acceptus erat & factus amantissimus, & econtra. Consilia peritorum quærit si juramentis prædictis se posset absolvere, excusationes frivolas quæritat, quibus ad conventum locum se dicit accedere non teneri: sicque tandem domino Benedicto infra statutum terminum cum suis cardinalibus Saonam ingrediente, non curavit accedere. Sed dissimulans aliquid agere, se transtulit usque ad Senas; & inde tandem tractato prius ut dominus Benedictus ad locum Portus-Veneris se transferret, prout & fecit, ipse dominus Gregorius quasi tractus usque ad civitatem Lucanam cum sua se curia transtulit. Ex quibus locis ambarum partium hinc inde vicissim diversis legationibus destinatis pro loci convenientia, post multorum per alterutrum oblationes locorum, conclusum tandem extitit, quod dominus Benedictus cum suo collegio ad castrum Liburni, & dominus ipse Gregorius cum suis pariter ad civitatem Pisanam se transferret, in quibus propter vicinitatem locorum tractatum unionis faciliter expedirent.

Conclusione vero sic facta, & cum paratus esset Benedictus pro parte sua hoc efficere, & similiter domini cardinales utriusque partis; iste dominus Gregorius pravam intentionem suam occultare non valens, cum omnis excusationis cessaret occasio, nedum causa; manifeste recusavit, nec erubuit contra suum juramentum, & voluntatem suorum cardinalium duos suos nepotes & alios duos adulatores & unionis apertissimos turbatores, cardinales, quantum in eo fuit, pronunciare & assumere, quos tamen domini cardinales antiqui renuerunt pro cardinalibus acceptare.

Post hæc videntes ipsi domini cardinales induratum & obstinatum cor ipsius domini Gregorii, & certis exterioribus signis formidantes ne in eos manus apponeret, ac non minus unionis affectu, & quod eorum propriis juramentis ab initio præstitis, etiam papa recusante, ad profectum unionis implendæ, quantum in eis esset, ex eorum posse tenerentur; inito concilio, de civitate Lucana descendentes ad Pisanam, exceptis tribus (Isti tres postea venerunt cum aliis cardinalibus & fuerunt unanimes) accesserunt; & de ibi repetitis vicibus unum ex eis ad eumdem Gregorium transmiserunt, obsecrantes eum, ut in observationem juramenti ac voti sui pro reintegratione & unione christianorum vellet ad locum Pisarum accedere, impleturus quæ sibi incumbebant omnia pro salubri consummatione concordiæ & unionis Ecclesiæ: protestantes quod aliter, quantum cum Deo possent & jura permitterent, intendebant corruentem Ecclesiam catholicam, depulso schismate, reintegrare. At ipso prorsus indurato & obstinato, auresque suas obturando, requisitiones justas & sanctas dominorum cardinalium contemnente, præfati domini cardinales cum aliis dominis cardinalibus alterius partis, hoc est domini Benedicti, venerunt in loco Liburni; & non solum ipsi præsentes in dicto loco, sed aliis etiam absentibus utriusque partis, qui nondum commode potuerunt illuc accedere, exceptis forte paucissimis aliquibus, unus spiritus, una mens, unum corpus & collegium effecti sunt, tractantes & quærentes præfatum Gregorium nunc notorium Ecclesiæ turbatorem, & pertinacem; ac etiam alterum Benedictum, si & ipse incumbentia sibi recusabat efficere omni via possibili de jure & facto, & cum invocatione & præsentia concilii generalis deponere, anathematizare, seu depositum vel depositos ostendere & declarare, & ad novam summi Pontificicis concordem electionem, qui universalem in unione & pace regat Ecclesiam, schisma tollat, & ad unum ovile divisum Christi gregem collectum pascat. Demum attente hunc eorum intentum cunctis prælatis, principibus & populo christianis insinuant; poscentes ab eis consilium, favorem, & consensum: intendentes, ut prædixi, generale concilium convocare cum voluntate prælatorum, principum & populi christiani prædictorum, cum omnes hoc velint & appetant, aut saltem pro tanta parte, quod reliqua valde minima censeatur, in Dei nomine prædicta sibi vel cum quibus poterunt commode salubriter adimplere. Hic potest dici casus in effectu. Hoc tamen addito quod quoniam ea quæ dixi de mediis tentis per præfatum dominum Gregorium, ita sunt toti sæculo notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari: Et utinam sic non esset. Nam, Deo teste, nulla privata passione moveor ad hoc dicendum. A principio quidem suæ creationis propter ejus celebrem famam sanctitatis & bonitatis: sperans quod ipse redempturus esset Israhel à carcere divisionis & umbra mortis, eumdem in maxima reverentia cordialiter nec solus habui. At postquam non mihi soli, sed universitati cognitus est talis, ut prædixi, & nullum in eo caritatis zelum ad oves Christi vigere, quem pietas ulla christianæ plebis anhelantis ad pacem ipsam, juramenti religio, voti vinculum, honestas propria, & si qua est bonitas alia non retrahit; nec nisi ad magnificandum nepotes suos vana pompa sæculi totaliter hebetatus tendat, nec advertat quomodo factus sit in fabulam omni vulgo, in opprobrium ac derisum toti Ecclesiæ, præterquam certis fratricellis hypocritis, quos in specie locustarum B. Johannes in Apocalypsi prævideraт, existimans

forte quod talium sic concione vallatus, sapientibus possit illudere, qua deceptus quid aliud de ipso nisi quod omnes prædicant ipse loquar?

EPISTOLA JOHANNIS PAPÆ XXIII. ad Bernardum comitem Armeniac,

Mittit ad eum episcopum Vaurensem qui certum eum faciat de his quæ pro pace ecclesiæ procuranda gesserit.

Anno 1410 *Ex archivis Ecclesiæ Albiensis.*

JOHANNES episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro BERNARDO comiti Armeniaci salutem & apostolicam benedictionem. Ad hoc Dominus nos prætulit gregi suo, licet insufficientibus meritis, functuros officio pastorali, ut oves suas pascamus, & hœdos repellamus, & ex hiis fortes roboremus, & abigentes nociva, foveamus singulos in quiete. Ad hoc siquidem curis invigilantes assiduis, sicut novit ille almus scrutator cordium, quem nihil latere potest, ab omnium etiam in minoribus constituti accurata mente flammatoque animo quæsivimus, & instanter quærimus vias ac modos, quibus commissum ipsum nostris gregem omni peste depulsa nutriamus spiritualiter & temporaliter, salutifera pace, compositum in tranquillo. Novissime quoque ad hæc ut cumque possumus procuranda dirigimus ad plures mundi partes & principes nostros solemnes legatos & nuntios, nec ad hanc assequendam quietem parcere decrevimus laboribus vel impensæ; quin imo supremi exemplo magistri, nedum substantiam, sed & ubi expedierit, animam nostram dare. Ad te autem, dilecte fili, qui dudum ad sacrum generale concilium Pisis ultimo celebratum nuntios tuos, viros quidem multa virtute præditos transmisisti, & quem per relationem ipsorum instructorum plene de singulis informatum non dubitamus, qualiter perditionis alumni PETRUS DE LUNA Benedictum XIII. & ANGELUS CORRARIO Gregorium XII. ausu se nefario nominantes, olim in ludibrium religionis christianæ, contemtumque Dei & fidei ac scandalum plurimorum, de papatu damnabiliter contendentes, fuerunt notorii schismatici & pertinaces hæretici justo Dei judicio sententialiter condemnati, & ab ecclesia Dei præcisi; quemque scimus fortem potentemque ac devotum ipsius Ecclesiæ filium pro visitando te zelo quidem paterno, venerabilem fratrem nostrum PETRUM episcopum Vaurensem, referendarium nostrum, exhibitorem præsentium providimus destinandum, super præmissis ab ore nostro suscepta per extensum alloquia nobilitati tuæ latius fidei organo relaturum. Tuam itaque eamdem nobilitatem hortamur, quatinus hujusmodi ejus organo non minus fidei placeat adhibere, quam nostro super beneplacitis tuis, nihilominus ad quæ nos benignos invenies rescripturus continuo, nil metuens de repulsa. Datum Bononiæ sexto cal. Septembris, pontificatus nostri anno primo.

Hiis ipsis ferme verbis scripsit eodem die ad comitissam Armeniaci BONAM *nomine.*

Item, ad JOHANNEM *Vicecomitem Leomaniæ.*

Ad GLAYOLUM *militem magistrum hospitii comitis Armeniaci.*

Ad BERNARDUM DE LABATUT *consiliarium comitis Armeniaci.*

Ad GUILLELMUM DE SOLAGIIS *militem consiliarium comitis Armeniaci.*

Ad RAYMUNDUM DE SESTAROLIS *militem.*

JOHANNIS PAPÆ XXIII. ad Alamannum archiepiscopum Pisanum & Gaufridum electum Xantonensem.

Ut colligant in ecclesiis Franciæ & Delphinatus decimam unius anni ad subveniendum expensis numerosissimi exercitus ad Urbem Romam recuperandam.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri ALAMANNO archiepiscopo Pisano, & dilecto filio GAUFRIDO electo Xantonensi in regno Franciæ & Delphinatu Viennensi, & nonnullis aliis partibus nuntiis nostris salutem & apostolicam benedictionem. Anno 1411 *Ex archivis Albiensis episcopatus.*

Dum in nostræ considerationis speculam diligentes adducimus, & paterna meditatione pensamus, quot & quam varia & innumerabilia expensarum onera plus solito nobis incumbant, ut statum militantis ecclesiæ sponsæ nostræ, & cui auctore Domino præsidemus, ac salutem fidelium nobis & præfatæ ecclesiæ tam spiritualiter quam temporaliter subjectorum, ab imminentium guerrarum turbinibus possimus & deffensare salubriter, & à cunctis noxiis præservare, & præsertim nostram peculiarem & prædilectissimam filiam almam Urbem apostolorum principis prælectissimam sedem, & in qua divinitas esse voluit suæ militantis ecclesiæ fundamenta, quamque LADISLAUS de Dirachio hostis atque rebellis manifestus & impius præfatæ ecclesiæ, qui se regem Siciliæ ausu temerario nominare præsumens, sub potentissimo, formidabili extentoque brachio atque velamine nefario perditionis alumni ANGELI CORRARIO schismatici atque hæretici, per generale Pisanum concilium, suis culpis & demeritis exigentibus, ac justo Dei judicio, sententialiter condemnati, omnibus viis ac modis hostilibus conspirationibus & indefessis etiam studiis, à complexu, fidelitate, obedientia, ac devotione nostris & ejusdem ecclesiæ seducere nititur & occupare, ad hoc potissime, ut præfatum Angelum Corrario ultra occupationem dictæ præfatæ Urbis & partium in præfata sede scelestissimo conamine possit intendere, ac lugubre schisma diu nutritum pariter & adauctum per ipsum Angelum & iniquitatis filium PETRUM DE LUNA Benedictum tredecimum se nominare ausu simili præsumentem, hæresiarchas, & contendentes dudum, quin verius colludentes damnabiliter de papatu, & per ipsum generale concilium justissima ac toti orbi saluberrima provisione de vinea

Domini Sabaoth ad pacem & unionem totius gregis fidelium extirpatum ac . . . secare ac repullulare, & denuo mittere in perturbationem tranquillitatis unionis & pacis præfatæ ecclesiæ universorum matris & magistræ fidelium valeat, ac provincias, civitates, & terras nobis & eidem ecclesiæ suppositas invadat, diripiat, ultra alias occupatas, & reliqua faciat, per quæ statum nostrum & ejusdem ecclesiæ dare queat, quantum in ejus scelesta dispositione fuerit, præcipitem in ruinam divina pariter & humana pervertat, & pro cujus Urbis tuitione necessaria, hoc præsertim tempore, adversum præfatos ANGELUM atque LADISLAUM, eorumque sequaces, adhærentes, fautores & complices, sic publica necessitate poscente, ac civitate nostra Bononiensi, & partibus illis dimissis, in illo sperantes qui Petrum ambulantem in undis ac naviculam suam ne mergeretur in fluctibus salutis perduxit ad portum, & in quem agitatus nostros, & anchoram nostræ spei jactavimus, & jactamus, decrevimus ad urbem ipsam cum nostra curia personaliter & præsentialiter nos transferre. Itemque sumpsimus ad eamdem conti . . . sine aliqua intermissione progressus, & ut defensioni necessariæ possemus incumbere maximas armigerarum gentium, sicut exigit & facti gravitas, & hostilis malignitas atque potentia, conductas fieri fecimus, pro quorum satisfactionibus & aliis supportandis oneribus, inestimabilia provenerint expensarum profluvia, ad quorum supportationem necessariam & urgentissimam nostræ & præfatæ ecclesiæ apostolicæque cameræ, ne miserabiliter depereant, negotia sine aliorum præsidiis atque suffragiis non suppetunt quomodolibet facultates, & quod non solum ecclesiæ utile, sed necessarium reputamus, aliorum invocare præsidia, & dextras in tantæ necessitatis articulo subventrices, & quoniam de præsidiis atque juvamine & opportunis suffragiis venerabilium fratrum nostrorum primatum, archiepiscoporum, episcoporum & dilectorum filiorum electorum, administratorum, abbatum, priorum, ac aliorum quorumcumque in quibusvis dignitatibus tam regularibus quam sæcularibus, & ordinum quorumcumque exemptorum & non exemptorum constitutorum in regno Franciæ ac Delphinatu Viennensi, qui tamquam benedictionis filii, in emergentibus opportunitatibus supradictæ ecclesiæ subventrices manus filiali integritate semper impendere consueverunt, & exhibuerunt in quibusvis ingruentibus casibus liberales, in Altissimo spem sumsimus & sumimus singularem, quod nobis, ecclesiæ, & cameræ præfatis non solum requisiti, sed spontaneè ac ultroneè nobis erogabunt, ad tantas & tam saluberrimas res gerendas, subsidia & favores, discretioni vestræ implorandi ab hujusmodi archiepiscopis, episcopis, &c. & non exemtis præfatis in regno & Dalphinatu prædictis beneficia ecclesiastica obtinentibus & infra unum annum à d . . . præsentium computandum quomodolibet obtenturis, & quibus nulla privilegia etiam ab apostolica sede concessa, quoad hæc, volumus suffragari, unum subsidium caritativum, seu subventionem vel donum munificum seu gratuitum, attendens ad summam unius decimæ integræ unius anni in regno & Dalphinatu prædictis per vos vel alios clericos dumtaxat fide & facultatibus idoneos, quos duxeritis deputandos venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus qui onera præfatæ ecclesiæ nobiscum jugiter subvehunt ac FRANCISCO archiepiscopo Narbonensi camerario nostro ac beneficiis eorumdem quæ obtinent, & infra dictum annum quomodolibet obtinebunt dumtaxat exceptis, ac nostræ ecclesiæ atque cameræ præfatarum nomine doni gratuiti vel alias petendi ac solvi mandandi & faciendi illis tem poribus terminis modis atque formis prout discretioni vestræ videbitur, &c. Datum Senis secundo nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.



BONIFACII FERRERII quondam majoris Carthusiæ prioris

TRACTATUS PRO DEFENSIONE BENEDICTI XIII. EDITUS.

Ex ms. codice Carthusiæ Vallis-Jesu-Christi.

ADMONITIO PRÆVIA.

CUM exortum post Gregorii papæ XI. obitum schisma perniciosissimum totam divisisset ecclesiam, scissuram illam experti sunt etiam ordines religiosi, qui suum in utriusque pontificis obedientia præpositum generalem habere cœperunt. Cum itaque majoris Carthusiæ domus totius ordinis caput in terris obedientiæ Clementis VII. subjectis existeret, Urbanus VI. ne adhærentes sibi Itali Germanique patres acephali remanerent, proprio motu præfecit eis Johannem Barrensem priorem domus Trisulti sub titulo visitatoris generalis, qui decreto capituli generalis Romæ anno 1382. *celebrati Generalis ordinis Carthusiensis renuntiatus est, sedemque fixit in domo Florentiæ, cujus tunc prior institutus est; tametsi eam anno* 1391. *in domum Seitzensem, utpote antiquiorem ac commodiorem transtulerit. Eodem anno defunctus mense Octobri successorem habuit D. Christophorum priorem Maggiani, cui anno* 1398. *suffectus est Stephanus Maco prior Mediolanensis, vir religione ac sanctitate in primis commendandus. Interim majorem Carthusiam administrabat Guillelmus Raynaldi, qui anno* 1402. *fato functus successorem sortitus est Bonifacium Ferrerii, priorem Portæ-Cœli, S. Vincentii Ferrerii fratrem, nec ei fortè san-*

ctitate imparem. Hæc cum ita se haberent congregatum est Pisis concilium generale, in quo Bonifacius ut Benedicti XIII. legatus interfuit, aliique nomine ordinis Carthusiensis patres duo deputati, qui facta Alexandri V. electione, nomine totius ordinis obedientiam ei promiserunt. Tunc mirando nec satis laudando uterque generalis exemplo, Bonifacius & Stephanus, præfecturæ nuncium remiserunt, sperantes hac ratione ordinis scissuram facili negotio resarciri posse. Hos si imitati fuissent ambo summi pontifices, optatam ecclesiæ pacem actutum reddidissent. Verum non ea erat mens Benedicti, qui auditam Bonifacii cessionem, ægrè tulit, dureque increpatum officium prioris majoris Carthusiæ iterum assumere coegit. Hinc Bonifacius sumta occasione, ut suos Carthusienses ad Benedicti obedientiam reduceret, sequentem edidit tractatum in ejus gratiam in quo etsi paulo iniquiorem adversus Gallos, qui extinguendo schismati adeo laboraverant, censuram tulerit, multa tamen singularia scituque dignissima habet quæ alibi facile non reperies. Sed tandem agnita Benedicti XIII. pertinacia, ab ejus se obedientia omnino substraxit, uti & ejus frater S. Vincentius Ferrerii, cujus potissimum cura rex Aragonum eidem Benedicto amplius parere regum ultimus recusavit.

RESPONDET IN HIS SCRIPTIS R. P. D. Bonifacius Ferrarius monachus Portæ-Cæli, & tunc prior majoris Carthusiæ, ad ea quæ adversus se dicebantur in quodam Memoriale.

CAPUT I.

SAlutem & pacem. Frater Bernarde, vidi memoriale vobis directum per fratrem Guillelmum de Mota monachum & procuratorem domus Carthusiæ, & ut mihi videtur, omnia quæ allegant in sui excusationem, vehementer accusant eos. Et in primis de renunciatione mea, satis est mirandum, quod eam impugnent vel subsannent, cum ad cordialem requisitionem & supplicationem eorum ego miseram eam; nec me pœnitet tunc misisse, tum quia optabam valde liberari ab illo onere, ut multi veridice sciunt, & in secreto & in publico; tum quia autumabam sibi per dictam cessionem tantum bonum futurum, quod dixissent eis non evenisse ex non facta cessione: tum quia vitabant minas & pericula, quæ eis abundanter imminebant, ut dicebant, ex mea præsidentia: tum quia oportebat me nunc, sicut quolibet anno, ex ordine petere misericordiam, quæ habet vim cessionis, quia sic dicitur, *Peto me absolvi ab officio prioratus*, & istud virtualiter vult

A dicere *cedo*; & sic non multum addebat cessio missa, nisi quod liberalius, & honorificentius, & clarius, & magis ad eorum voluntatem & ad saturitatem inimicorum fiebat. Si ergo feci quod ipsi requirebant; & ordo volebat; & ego optabam; & secundum eos erat summe necessarium & utile; in quo ego culpor? respondeant vobis.

CAPUT II.

B QUod autem dixerim vel nominaverim in ea capitulum generale, quod ego sciebam non esse capitulum generale, &c. Istud oportuit de necessitate ordinare. Nam cessio, vel misericordiæ petitio oportet quod fiat apud superiorem; & tunc immediate alium non cognoscebam. Quod autem sciebam debere illuc schismaticos concurrere; istud non impediebat: nam consulueram eis ante, per magnum tempus quod non facerent aliquam declarationem de papa: sed saltem remanerent C in indifferentia, & mitterent aliquas personas ordinis, ad obedientias utrasque, & informarent se de veritate, & tunc possent se applicare sicut Deus ministraret eis, quod ipsi laudaverunt, & approbaverunt, & dixerunt se facturos, & ista spe ego misi cessionem meam, quia tunc in dubio ex quo non declinabant ad partem aliquam, reputabam eos capitulum legitimum: & sic me canonice absolutum & in pace quieturum.

D

CAPUT III.

ITem, dicunt quod caput eorum habens curam animarum ipsorum sic ordinavit, ut ipsi eligerent partem illius intrusi, &c. quomodo non attendunt quod vocant caput? dubito ne intestina plena stercoribus mutent in caput. Considerandum enim est, quod ibi dicebant esse quatuor genera hominum: primi de domo Carthusiæ, secundi illi priores de Sabaudia; tertii E illi de Francia, quarti illi de alia obedientia. Isti ultimi, certum erat eis, quod erant & fuerant condemnati & declarati tam per dominum Clementem septimum, quam per dominum nostrum Benedictum, veros Romanos pontifices, sub quorum obedientia tunc illi de Carthusia erant, schismatici, rebelles, & excommunicati, immo & hæretici, & extra Ecclesiam. Quâ ergo conscientiâ communicarunt cum illis maxime in divinis illi de Carthusia? vel quomodo F poterant esse caput vel membrum capituli? quis poterit excusare à sententiis latis illos de Carthusia? Tertii vero qui erant Gallici se substraxerant jam per annum ab obedientia Domini nostri ante illud conventiculum Pisanum, notoriè contra omnem rationem injustè & impiè; & per consequens fuerunt eisdem sententiis ligati & innodati, sicut præcedentes per processus domini Clementis VII. ac etiam per constitutionem domini nostri Benedicti publicè promulgatam & latam de jure, immo secundum veritatem juris magis

magis erant schismatici, inexcusabiles, & hæretici subsequenter, quam illi de alia obedientia, qui habebant aliquem colorem in peccatis eorum: & sic nec etiam isti poterant esse capitulum, nec capituli membrum. Ego igitur credidi quod domus Carthusiæ in qua totum jus capituli generalis in isto casu residebat cum prioribus de Sabaudia, qui non erant adhuc culpabiles, vel non tantum deliberarent inter se quid agendum; & tamen omni deliberatione postposita miscuerunt se cum impiis, & inhabilibus, excommunicatis, schismaticis, condemnatis, & prohibitis. Quis potest eos excusare à culpa, & peccato, & à nullitate omnium quæ fecerunt, cum omnia ista essent eis notoria de jure & de facto, & erant facta tempore quo ipsi obediebant summo pontifici tam moderno quam prædecessori suo?

CAPUT IV.

IN excusationem prædictorum allegat frater Guillelmus quod domus Carthusiæ deliberavit non curare sed totum dimittere eis, &c. Ista excusatio velociter condemnat eos; includit enim triplex grave peccatum: primum negligentia propriæ salutis, agebatur enim de tanto periculo & discrimine animarum suarum, & ipsi deliberarunt non curare, nec velle scire, vel informari: aliud est committere membris diaboli, id est notorie schismaticis & excommunicatis curam & examen animarum suarum: tertium affectantes ignorare consenserunt oculis clausis in eorum judicium; adhærendo antipapæ, dimisso eorum summo pontifice. Quis posset eos excusare in omnibus istis à gravibus peccatis? & tunc si domus Carthusiæ sola cum illis de Sabaudia ante mixturam aliorum repræsentantes capitulum generale recepisset renuntiationem meam, reputassem legitime factum.

De istis autem impedimentis, excommunicationibus & prohibitionibus, &c. illorum schismaticorum in duplici genere constabat illis de Carthusia à notorio antequam venirent ad eos: quo ergo colore vel qua fronte ausi fuerunt se immiscere iisdem nulla habilitatione vel præparatione præcedente? videtur vobis justa excusatio quam prætendunt *non curamus scire?* & tamen vocat istos lupos, & vulpes pastores animarum suarum. Videtis quam excusationem possunt habere apud Deum vel apud homines ex quacumque ruditate, simplicitate, vel ignorantia nolentes scire aliquid de ipsorum salute, nec etiam intervenire, ut dicunt.

CAPUT V.

ITem constabat illis de Carthusia omnes venientes ad suam domum, tunc esse à notorio inimicos capitales hujus partis, & partiales determinatos ad partem contrariam, scilicet contra istam quam ipsi de Carthusia tenuerant ante heri. Quomodo ergo submiserunt se judicio tam

A suspecto & partiali, nulla audita ratione de alia parte, & sic per solam assertionem inimicorum publicorum dimiserunt & abnegaverunt fidem summi pontificis, in qua vixerant per xxx. annos & ultra? Credo quod non debuissent ita summarie & indiscrete repellere à se minimum famulum de capitulo, & dicunt *non curavimus aliquid scire*. Videte notabilem excusationem hominum, qui credunt servire Deo: contra quos dicit Jeronymus in epistola ad Paulinum tomo IV. quod servitores Dei quanta ædificant

B in Ecclesia Dei ex merito vitæ, tantum nocent si destruentibus non resistant: quia qui bestialiter vivit, bestialiter condemnatur: & sic hîc fuit affectatissima negligentia & ignorantia, quæ includit multiplex peccatum ut prædixi, & non inconvincibilis ignorantia, ut subjecit illis deceptorie diabolus. Quis ergo non diceret fomentum fuisse in hoc illum qui habebat præeminentiam & poterat disponere & præparare ista & similia, ut saltem habuissent colloquium ad partem cum prioribus de Sabaudiâ, & scirent

C voluntatem minus suspectorum, & sic requisiissent tempus ad deliberandum trium vel quatuor mensium, & non venissent sic promtissimi ad præcipitium, vel saltem protestari in secreto & ad partem de prædictis, ex quo dicitur & constat impressionem ita notoriam.

CAPUT VI.

D ET cum opponitur quod omnes recessimus ab illo primo intruso Bartholomæo, sub cujus obedientia fueramus: ideo nil mirum, si ipsi recesserunt nunc ab obedientia domini nostri papæ Benedicti: longe distat quantum album & nigrum; tunc enim verum & indubitatum collegium cardinalium tempore obitus domini Gregorii antequam procederent ad electionem vel intrarent conclave, habuerunt tumultus & minas & impressiones, in tantum quod dicebatur publice, iste actus non valebit, & similia: ita

E quod res fuit dubia & litigiosa antequam inciperetur, & istud constabat à notorio, illis tunc præsentibus, & postea toti mundo exinde fuit secutus ille actus cum sua putredine & infectione, nos distantes & ignorantes per litteras fuimus certificati quod electio fuerat facta de tali Bartholomæo, &c. & sic oportuit pro tunc credere, & obedire. Et consequenter cardinales positi in securo & libertate omnes concorditer cum solemni juramento & publicis instrumentis eorum manibus subscriptis, dixerunt nobis illud factum

F fuisse per impressionem notoriam, & timore mortis, & tunc nostri principes ultra hoc plenissime informati per solemnes homines qui fuerant præsentes in illis actibus, & facto processu, & partibus auditis solemniter, & ad plenum reperta veritate, eam amplexati sunt, & adhæserunt collegio indubitato, & eorum assertioni, cum per actum jam in sui principio dubium & infectum, & litigiosum, vel per ea quæ inde secuta sunt non cessaverit eorum vera potestas. Quid ergo habet commune hoc nego-

tium modernum cum illo, in quo illud verum collegium cardinalium, habita opportunitate & securitate personarum, publicavit nobis veritatem; quod totum factum fuit inter duos vel tres menses: in isto autem omnes cardinales antiqui & veri & alii subrogati, & nos omnes perseveravimus in obedientia domini Clementis & successivè domini Benedicti summorum pontificum plenè & inconcussè, per triginta annos & ultra; & quod illi de Carthusia nulla habita informatione, nisi per tumultum inimicorum schismaticorum publicorum & excommunicatorum, se præcipitaverint in abissum damnationis, abnegando impie summum pastorem & pontificem, & verum vicarium Jesu-Christi. Quæ similitudo est ista? persuasiones diabolicæ sunt istæ ad excusandas excusationes in peccatis, prælatio enim summi pontificis non est cappa pluvialis, quæ pro libito possit excuti à dorso.

CAPUT VII.

ETsi illi de Carthusia sic in dubio, quod prætendebant, volebant adhærere suo pastori, & curato animarum suarum & ei credere, non debebant haurire aquam de cisternis dissipatis, quæ non valebant continere aquam, nec bibere aquam turbidam vel amarissimam, sicut fecerunt. Habebant enim prælatum indubium & in his instructissimum. Forte dicent: Suspectus erat, nec debebat unus præferri tot personis qui erant etiam illi superiores, quia capitulum generale, &c. Quantum est quod essent capitulum generale ostensum est clarissime quod non; dicetur saltem ut singulares plures erant & notabiles, dico tamen quod quamvis plures essent in personis; tamen virtute vel efficacia non, sicut si centum testes testificarentur, quod talis interfecit talem, & omnes interrogati, quomodo sciunt, responderent quia audierunt à Petro; isti centum testes non est nisi unus, & nihil valent nisi quantum solus Petrus. Sic in proposito, omnes priores qui dicuntur congregati in Carthusia nihil sciunt, nisi quantum audierunt in partibus suis à dominis & prælatis. Ex destructo ergo illo fundamento, sicut fiet inferius, omnis eorum scientia est annihilata & devorata, & per consequens illi de Carthusia damnabiliter egerunt sequendo eos vel dando eis fidem.

CAPUT VIII.

QUantum vero ad suspiciones quas ipsi vel alii potuissent concipere contra suum prælatum, qui eis tunc de jure, & de facto præsidebat, cui tenebantur de necessitate salutis credere & obedire, debitis circumstantiis adhibitis; nullus nisi solus Deus potest eas de cordibus hominum evellere, ex quo aliquis eas sibi incapitavit, sed consideratis his quæ cadere possunt in humano examine, nulla suspicio vel partialitas debet, vel potest sibi imponi saltem per vehementes

A præsumtiones quæ tollent omnes alias contrarias, & istud allegabitur pro illis de Carthusia dumtaxat, (quod poterit honestè fieri) quod apud alios forte adscriberetur vanitati. Tamen sequor dictum Apostoli 2. ad Corinth. 12. *si gloriari voluero, non ero insipiens: veritatem enim dicam, secundum ignobilitatem tamen dico, quasi infirmus fuerim in hac parte.* Certum enim erat illis de Carthusia, quod prælatus eorum, quamvis & magnus peccator, erat tamen sicut unus

B ex eis, qui adhærens consiliis nostri Redemtoris, dimiserat omnia quæ habebat propter Christum, odiendo patrem & matrem, uxorem & filios, domos, agros, & vineas; adhuc autem & animam suam. Item, quod non est, nec fuit ambitiosus super honores, prælationes, dignitates, officia & beneficia: immo sibi oblata & in aperto præparata contemsit. Item, quod non fuit nec est avarus vel cupidus in persona sua, cum ea quæ sibi data fuerunt, quæ etiam intuitu personæ ex quo est prælatus, quæ etiam

C licite poterat retinere pro usibus suis, & de jure & de licentia speciali, tradidit & dedit in magnis quantitatibus dictæ domui Carthusiæ, & antequam præsideret aliis domibus ubi præsidebat, etiam privando se aliquibus necessariis, præferendo semper necessitates & utilitates domorum suis propriis, & alia similia. Ecce ergo unde ingerit vehementissima præsumtio, quod illa quæ solent pervertere judicium humanum & trahere ad affectiones illicitas videntur cessare in eo. Nam omnia prædicta propter Christum arbitratus est ut stercora. Item, in negotiis

D istis præsentibus, schismaticis, & divisionibus, tantum audivit de jure, & tantum scivit de facto, quantum unus solus homo qui hodie vivat in mundo: ita quod non oportet per auditum incertum & dubium ab aliis informari. Intervenit enim inter papam & cardinales in prima substractione, tractando pacem inter eos per multos annos, ubi vidit & audivit hinc inde de materia currenti quantum homo mundi, etiam interrogando papam & cardinales, tam citra quam ultramontanos; prorsus etiam & in secreto audiendo frequenter arcana verba quæ non

E licet homini in publico loqui. Tractavit etiam ista negotia per magnum tempus cum dominis in Francia, fuit in concilio generali Perpiniani tamquam coactus, quia strictissime vocatus; fuit in illa congregatione Pisana tamquam unus de ambaxiatoribus papæ, & totius concilii sacri generalis ecclesiæ catholicæ & omnium regum & principum illius obedientiæ, & quamvis de jure non sit in tantum avisatus ut expediret, tamen est doctor talis qualis, nec ex toto, ut illis de Carthusia constabat, bestialis, qui de his quæ

F audiverat ab aliis in jure pro istis negotiis tam poterat discernere quam unus imperitus sibi similis, vel fortè quam multi incapellati de utroque colore in illo regno magistrorum tuorum.

CAPUT IX.

ET si diceretur, dilectio nationis vel patriæ forsitan, vel timor provocat in hoc affectio-

A nem. Istud non est verisimile. Primò, qui tot propria odivit propter Christum, quæ solent corda hominum & affectiones penetrare usque ad interiora velaminis & adipem concutere; & sunt intra viscera hominum & quasi naturalia, nec propter illa dimittenda, vel adipiscenda commisit vel commiserunt in suo judicio aliquod sinistrum, nullus sanæ mentis præsumeret, quod propter auram tenuem affectionis patriæ perverterunt consilium & judicium verum, nec propter timorem; in primo, quia in patria sua,
B sicut est notorium toti mundo, quilibet loquitur libere, & nulli in voto suo vel consilio fit violentia, vel inferuntur injuriæ publice vel private; & apparuit in votis & consiliis suis ubicumque expediens fuit. Jam constabat illis de Carthusia à notorio, quod prælatus eorum tractans ista negotia in Avenione & alibi, dixit & dicebat pro bono negotiorum dura & aspera, & valde displicibilia & onerosa, licet reverenter sicut dicebat, tam papæ quàm cardinalibus perseveranter & publicè, & ad partem ubi habebat
C majorem & vehementiorem rationem timendi, tamquam habitans cum draconibus & scorpionibus non sine minis, & comminationibus quam nunc. Si ergo in periculo tormentorum & personæ non divertit à veritate judicii & consilii, quomodo diverteret in loco pascuæ & pacis, & maximæ libertatis?

CAPUT X.

D Dicetur fortè sibi, quem te ipsum facis? Videtur quod tu præferas dicta tua omnibus dominis prælatis & litteratis de Franciâ; & quantæ temeritatis hæc sint tu vides? Ad quod ego: In hoc me non extollo; sed annuntio Christum & veritatem Ecclesiæ, illis quibus obligor, & quibus à Deo prælatus sum, à principio displicenter, & nunc porto eos in humeris cum eadem & majori displicentia; ut in extremo judicio possim dicere cum Paulo, act. 20. *mundus ego sum à sanguine omnium vestrûm. Non enim subter-*
E *fugi quominus nuntiarem omne consilium Dei vobis; ego enim non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet.* Ille autem qui non appetit nisi in Domino gloriari, quando in salutem aliquorum oportet aliquid in laudem suam exprimere, potius punitur respectu sui, quam delectetur. Sicut enim Spiritus-sanctus, ut per ea ad quæ inclinamur & afficimur, nos traheret ad sui amorem; turpia verba, crura & ubera mulierum, tactus & oscula, & similia nobis suggessit in Cantico-
F rum Cantico: ita aliquis maxime prælatus ad vitandum suam pœnam vel notam vanitatis, non debet tacere illa, honesta vel turpia, laudabilia vel vituperabilia, quæ verisimiliter præsumit posse prodesse suis, secundum illud Apostoli 2. ad Corinth. 12. *Insipiens factus sum, vos coegistis me*; & alibi, *Factus sum infirmus infirmis*; & iterum, *si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens.*

CAPUT XI.

Veniendo ergo ad argumentum Judaicum de multitudine & sapientiâ mundanâ, &c. valde faciliter & patenter repellitur, ita quod nullum nocumentum præstat supradictis vel adjumentum in excusationem illis de Carthusia per sequentes evidentes rationes.

CAPUT XII.

Primo enim; constabat à notorio illis de Carthusia, quod tempore quo ipsi erant in plena obedientia domini nostri papæ Benedicti; illi de Franciâ nunc secunda vice fecerant sibi subtractionem obedientiæ, reddentes se neutrales, nulla justa causa vel occasione præcedente; nec de causa vel causis pertinebat ad subditos judicare: istam saltem publicè prætendebant, quia assignaverant domino nostro papæ, quod usque ad tunc proximum venturum festum Ascensionis, vel Pentecostes dedisset unitatem Ecclesiæ, alias nunc pro tunc subtrahebant se ab ejus obedientia, & jam ante privaverant eum omnibus emolumentis cameræ. Audistis blasphemiam, nisi transferas montes, vel nisi facias viam siccam in mari, velquòd sol stet immobilis per unam diem, & similia (alias fiet tantum sic) recte; minus impossibilia erant ista quam illa; quia ut dicit B. Augustinus, plus est justificare impium quam creare cælum & terram; præcipuè ipsis impedientibus per subtractionem temporalium, & per alia multa detrimenta notoria, prosecutionem unitatis. Ubi est ergo vestra jactata sapientia, prudentia, vel scientia? etiamsi vixisset mulier Judith subsannando reprobasset eos assignantes, & præfigentes tempus miserationi divinæ, Judith 8. obligando homines simpliciter ad impossibilia; videtis in quo consistit scientia & sapientia eorum. Considerate qualem occasionem invenerunt subtrahendi obedientiam; creditur quod rustici de montibus invenissent magis colorata; sed excœcavit eos odium, & iniquitas & malitia ipsorum. Ex hoc ergo fuerunt & sunt excommunicati sententiâ juris & hominis; & effecti inhabiles ad omnem actum legitimum in judicio vel extra. Fuerunt etiam & sunt finaliter schismatici, & inexcusabiles apud Deum & homines incomparabiliter plusquam illi de prima obedientiâ, quapropter nulla fides erat, vel est dictis eorum adhibenda, nec eis in aliquo credendum, non solum per homines qui dicunt se timere Deum; sed nec per bruta animalia; & hæc fuerunt acta attentatam longè per magnum tempus ante illud conciliabulum vel conventiculum Pisanum, ad quod illi omnes venerunt, & se injecerunt ut capitales & notorii inimici, & ut patentissimi hostes.



CAPUT XIII.

SEcundo, quia constabat, etiam à notorio toti mundo, quod publica edicta præconisationis in tota denuntiatione Franciæ fuerunt promulgata & publicata, jam in illis diebus; quod rex Franciæ & totum regnum suum reputabant & dabant in publicum hostem & inimicum capitalem Petrum de Luna, loquendo B suo vano modo de domino nostro papa Benedicto, & talem volebant eum haberi & teneri, & reputari ab omnibus prælatis, principibus & baronibus, & aliis personis illius regni, cujuscumque status, præeminentiæ, vel conditionis existerent, sub periculo personarum & bonorum, &c. Quis ergo sanæ mentis ad informationem suæ conscientiæ, vel judicium exercendum reciperet informationem ab aliqua persona illius regni in isto negotio, vel illi daret aliquantulam fidem, cum publice fateantur, & constet eos esse hostes & inimicos hujusmodi veritatis & papæ? C

CAPUT XIV.

TErtio ultra hoc, sunt inimici capitales habiti & reputati, de jure communi, vigore subtractionis obedientiæ, & bonorum & totius honoris & status papalis, quantum in eis est & fuit; nam substractio & privatio talium æquiparatur morti & gravissimo periculo personali de jure.

CAPUT XV.

QUarto & vehementius, certum est enim & erat illis de Carthusia, quia toti mundo publicum & notorium, quod publicum edictum emanavit in Francia, & per publicas præconisationes divulgatum, quod sub pœna mortis & bonorum, beneficiorum, & statuum, & dignitatum nullus adhæreret domino nostro papæ Benedicto XIII. quem illi nominant suo vitio consueto Petrum de Luna; nec ipsum diceret, E nominaret vel vocaret papam, vel aliquam gratiam, vel litteram ab eo obtineret, & hoc fuit factum jam ante illud conventiculum Pisanum, & vehementius post, illo videlicet dissipato & dissoluto; in tantum quod aliqui notabiles prælati & ecclesiastici scientifici, qui principio incœperunt loqui aliquid secundum eorum conscientiam, quæ videbantur illis adversariis veritatis favorabilia domino nostro papæ Benedicto, fuerant capti & duris carceribus traditi, & omni- F bus beneficiis, & bonis privati: ex quo oportuit voluntati eorum cedere; cum graviori tamen extorsione & redemtione pecuniarum incomparabiliter quam apud Turcas, vel ceteras barbaras nationes exegissent. Oportuit enim (omni humanitate rejecta) quod abbas sancti Dionysii emeret se quinque millibus scutis auri, & alius tribus mille, & alius duobus mille & sic de ceteris; prout illi piratæ terrigenæ in A suis tartareis tumultibus ordinabant. Ergo quæcumque dicta, allegationes, positiones, testificationes, vel assertiones audieris ab aliquo domino prælato magistro doctore, vel populari illius sectæ, debes reputare nulla, & nullius efficaciæ, auctoritatis vel valoris; tamquam per publicam impressionem & violentiam prolata & dicta & facta; nec ab aliquo est danda illis fides; & istud non recipit aliquod dubium etiam apud infideles.

CAPUT XVI.

PRæterea quia si prædicti prælati, doctores, magistri, vel alii viri de Francia litterati, impugnarent vel improbarent illa quæ acta sunt & perpetrata Pisis; quid aliud esset dicere, nisi confiteri se fuisse & esse proditores, schismaticos, perfidos, & infideles? præcipue cum omnes illi prælati teneantur de fidelitate promissa & jurata domino nostro papæ; & alias sibi obedire de necessitate salutis. Confiterentur ergo se tales, si approbarent fidem & veritatem hujus partis, ac etiam dominos suos principes & præpositos esse & fuisse schismaticos, rebelles, sacrilegos, & omni honore, dignitate, statu, præeminentia, officio vel gradu, simul cum eis ipso jure privatos, tam à jure quam per constitutionem domini nostri papæ publice editam & illis præsentatam, & publicatam, quam alias per processus generales, & speciales factos per dictum dominum nostrum papam & prædecessorem suum. Quis est igitur inter Christi cultores D nisi ex toto superni luminis fulgore privatus, vel à rationis judicio penitus alienus, vel Judaïcæ cæcitatis caligine involutus, qui talibus personis crederet; vel super his fidem aliquam adhiberet?

CAPUT XVII.

ET idcirco ut fingerent se evadere dictas pœnas in suo conspectu fascinati & obtenebrati fecerunt dictam subtractionem obedientiæ; addentes in excusationem unius gravis peccati, alia plura graviora & inexcusabilia. Nam ut excusarent, vel tegerent grave peccatum inobedientiæ, quam commiserant contra papam & verum vicarium JESU-CHRISTI, quod est, ut dicit textus, peccatum sacrilegii, fecerunt subtractionem obedientiæ, quod est schisma formatum, rebellio & infidelitas, quæ postea cum perseverantia transiit in hæresim. Istud est simile, sicut si aliquis christianus inobediens mandatis ecclesiæ, ex quibus aliquas graves pœnas incurrisset, vehementius formidaret futuras; ut omnia evaderet, & se liberum & innocentem redderet, subtraheret se ab obedientia sui domini vel prælati, vel efficeretur de facto Sarracenus; dicens: ego non incurri vestras pœnas, nec eas timeo, etiam in futurum, quia non sum de vestra obedientia vel credentia, crederes tu talem liberum vel immunem?

Recte tales sunt supradicti qui te (ô Carthusia) deceperunt, ut vides in aperto; fecerunt subtractionem ut excusarent inobedientiam commissam & ejus pœnas; & postea procedentes ulterius ad alios actus magis damnatos, perpetrarunt illa quæ audisti in Pisis, ad suam perniciem etiam alios pertrahentes; ut validius pro excusatione eorum quæ commiserant & incurrerant, oculi eorum tenebrarum caligine involverentur.

CAPUT XVIII.

PRo quibus nunc defendendis & approbandis, ut residuum locustæ comederet bruchus, & residuum bruchi comederet rubigo, superseminant errores & hæreses super potestate papæ, & ecclesiæ; quarum aliquæ jam pervenerunt ad dictos Carthusienses, sed fortius ex nunc convalescunt. Itaque fides ecclesiæ & papæ jam videretur corruisse & defecisse apud illos, quia numquam magni errores & hæreses possunt defendi vel palliari, nisi supponendo, vel addendo alia fortiora & graviora, ut infra latius dicetur.

CAPUT XIX.

VIdes ergo quod nullus sanæ mentis crederet vel daret fidem talibus personis, nec eorum dicta, argumenta, allegationes, vel rationes reciperet, nec ex eis apud Deum vel homines etiam judicio rusticorum excusaretur, vel aliquod velamen excusationis, vel ignorantiæ sibi assumere posset. Ista sunt fundamenta affectata ignorantiæ tuæ, ô Carthusia: quæ tibi portaverunt illi pastores tui, quibus omnia commiseras, nihil volens scire, ut tenebris ignorantiæ adderetur infectio malitiæ & nequitiæ.

CAPUT XX.

ET si dicas, quomodo potest fieri quod inter tot magnos prælatos & litteratos religiosos, & alios, nulli credatur? dico tibi quod ita volunt & ordinant, jura, ratio & omnis secta etiam infidelium, quod ubi præcedit, violentia, timor, vel impressio nihil valet quidquid fit, vel dicitur, vel ordinatur vel asseritur; nec datur fides alicui, de illis maxime, additis aliis infectionibus & suspicionibus, de quibus dictum est. Nec est novum hoc in ecclesia Dei quæ legit historias, præcipue ecclesiasticam, tempore hæreticorum, maxime Arianæ perfidiæ, illi enim adversarii veritatis prælati & magistri potentes in opere pravo & sermone perfidiæ applicabant sibi imperatores & dominia temporalia, & sic cum impressionibus & minis & terroribus celebrabant conciliabula sua, in quibus catholici non audebant apparere: quia pauci, & volentes etiam vitare pericula; & quia nihil profecissent; & sic illi ordinabant sicuti volebant, errores suos, cogendo eos ad eorum credulitatem & obser-

A vantiam; per talia media sicut nunc factum est in Francia & alibi, quousque Deus aliter providebat, demergendo eos in infernum, sicut faciet de istis. Propter pericula enim personarum, privationem bonorum, & dignitatum multa mala commissa sunt per multos valentes viros. Legitur enim de Osio episcopo Hispaniæ, qui fuit tantæ sanctitatis, & auctoritatis temporibus illis, quod quando papa non poterat interesse in illis conciliis, subrogabat loco sui Osium episcopum, & ille quando catholici B prævalebant, præsidebat in conciliis contra hæresim Arianam; tandem post multas pugnas, timore personæ, bonorum, & dignitatum, subscripsit se in illa perfidia Ariana, & post aliquod tempus percussus à fulgure, projectus est in infernum. Item, non legisti tu, quod tempore antichristi, cujus hæc tempora sunt figura, tanta erit persecutio, quod etiam electi, si fieri possit, deducentur in errorem? Oportet ergo, quod in aliquo, figura respondeat figurato. Omnia ista C ostendunt & probant quod nulla fides est eis attribuenda, maxime quia in conciliis non permittunt aliquem libere pronuntiare quod sentit, sed minis, terroribus, & injuriis cogunt stare decisioni eorum, quam tres aut quatuor grammatici fecerint in abscondito, applicando sibi aliquos de majoribus cum certis fraudulentiis & machinationibus.

CAPUT XXI.

D ITem, quia hodie quasi nullus intrat illic ad dignitates vel beneficia per portam, sed aut precibus armatis dominorum, minis & comminationibus, supplicationibus illicitis, ambitionibus, tractatibus, muneribus & donis, ex quibus quoad Deum non habent titulum, nec faciunt fructus suos. Quomodo ergo tu credis quod aliquis prælatus propter favorem Benedicti sic in mundo per eos calumniati & lacerati dimittat statum & honorem, thesaurum, patriam, parentes, & fratres? Ille qui jam primo per pravum titulum renuntiaverat Christo E & omni virtuti & honestati, forte in suo servitio, addendo socias & prolem; in vanum credis quod tales vadant mendicando per mundum, ante expectabunt in isto statu judicium divinum. Dicam tibi unam trufam, sed veram. Tempore domini Clementis VII. erat Parisius unus magnus magister; immo de majoribus; sed tenuiter beneficiatus; qui continue in scholis & in sermonibus, & in congregationibus, clamabat voce magna & clara, de unitate ecclesiæ, de cessione, &c. ita quod videbatur quod magno F zelo agitaret se ipsum, imponendo illi & illi & justificando se. Fuit petitum à domino Clemente quoddam pingue beneficium per quemdam, quod vacabat, respondit non dabo tibi, quia ego servo ad obstruendum os cujusdam draconis qui continue emittit ignem per os; & sic fuit. Contulit illi, & statim effectus est raucus, habens illud in gutture: subsequenter addita fuit sibi una magna dignitas episcopalis, & tunc ex toto fuit mutus plusquam Zacharias; quia

ille non recuperavit vocem; & tamen fit magnum festum de isto. Ex eo volo dixisse vobis, ut addantur ambitiones, propter quas, ut dicit Apostolus, multi aberraverunt à fide, tum impressionibus & aliis prædictis, & sic nullam fidem illi de Carthusia debebant dare talibus personis, nec recipere eos incuratos & pastores animarum suarum, ut fecerunt.

CAPUT XXII.

ET numquid istæ impressiones venerunt usque ad domum Carthusiæ? numquid de eis constat illis quibus mandatum est & intimatum per multas & certas notabiles personas, quod nisi transirent ad eorum credentiam, quod traderent eos incendio & spoliarent omnibus bonis; immo quod pejus facerent quam Templariis? Videntur tibi ista argumenta insolubilia. Ecce qualibus rationibus probant fidem vel sectam suam. Talem doctrinam dedit mahometus Saracenis, quod semper cum ense in manu, nulla prædicatione audita vel ratione in contrarium admissa, deffensarent sectam suam. Videtur illis de Carthusia quod debuerint istos recipere in pastores animarum suarum; & videtur eis quod sit congrua informatio ad serenitatem conscientiarum ipsorum. Isti sunt, illi priores qui venerunt de Francia talibus doctrinis pleni, & nullis aliis. Ecce omnes informationes quas portaverunt eis, impressiones & minas, terrores, & comminationes; quia nihil aliud sciebant, vel sapiebant: & tamen illi de Carthusia dicunt quod totum commiserunt eis; & quod nihil ulterius scire voluerunt. Ista excusatio à publico damnat eos, ut prædictum est, nec in hoc possunt prætendere aliquam ignorantiam, secundum illud, *si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadent*. Et dicit textus quod in schismate recedendo à vero papa, magis sunt culpabiles ignorantes quam literati, 24 qu. 1. c. *schisma* in textu; & in glossa sub verbo *schismatici*, nisi literati facerent ex odio & malitia, sicut magistri tui.

CAPUT XXIII.

NUmquid debebant etiam attendere illi de Carthusia qualiter se habuerant illi de Francia in alia subtractione, quam eodem nequam spiritu attentarunt, & cum eisdem minis, & impressionibus, terroribus & comminationibus, sicut nunc, ut dicetur infra, & non sine gravi verecundia & confusione revocarunt eam eodem impetu quo fecerant, quia nunc ordinant unum, & cras mutant, & post cras aliud; & sic agitabantur à spiritu tempestatis, sicut vult, & ex hoc dicitur vulgariter in Italia, de quo est dolendum, superba levitas Gallicorum; unde dicit Franciscus Petrarcha in quadam epistola contra Gallum, Gallici leves homines lætique sunt, faciles & jucundi convictus, qui semper nituntur spernere curas, assumunt gaudia, edendo, bibendo & canendo. Etsi illi de Carthusia fuissent illas vanitas levitates tunc secuti, cum eadem verecundia & periculo oportuisset revocare, sicut faciunt nunc, nam jam illa perversitas agit de substractione facienda suo idolo; & etiam de eligendo quartum; quia quousque habeant papam obedientem eis & de eorum natione, numquam cessabunt, ut videtis, & jam forte fuisset factio, nisi quia ille de Tureio non acceptaret papatum. Oportebit ergo tunc quod illi de Carthusia sequantur & subtractiones & novas intrusiones, & alias varietates, & levitates eorum, quia sic consulent eis prætensi incapitati sibi pastores animarum suarum; & dicunt, totum dimisimus eis, & non curavimus.

CAPUT XXIIII.

ET qui super proxime dictis vellet altius contemplari, videret clarissime ita se habere, in tantum quod videntur habere pro firmo inter se, quod quandocumque aliquis papa facit aliquid contra eos vel domum Franciæ, juste vel injuste, dum tamen eis non placeat, statim desinit esse papa; nam protinus procedunt ad faciendum processus contra eum & subtractionem. Item diffamant quod sunt hæretici & schismatici, & alias quamplures vanas & damnatissimas adinventiones eis imponentes, reputant & constituunt se superiores & judices supra eos; extendentes nihilominus manus eorum prophanas & sacrilegas ad occupationem bonorum & jurium cameræ apostolicæ, & ad beneficia & ceteros reditus, & proventus ecclesiæ; scribentes in velamen tantæ iniquitatis & malitiæ per mundum mendacia, fictiones, & falsitates contra eos. Considerate, rogo, super hoc quod fecerunt domino Bonifacio papæ VIII. qui in civitate propriæ originis Anagnia fuit interfectus, vel illa occasione mortuus, per quemdam Guillermum Nogueret de illo regno, consentientibus illis & tractantibus de Columna de Roma, ex quibus duos deposuerat Papa propter eorum scelera jam ante à Cardinalitatus honore, &c. ut habetur in C. *uno* de schis. libro septimo. Nec non omnes thesauri ecclesiæ deprædati & dissipati & asportati, ac etiam prædicatum & scriptum per eos universo orbi, quod non erat papa. Et hoc habuit ex mercede, quia canonisaverat sanctum Ludovicum regem Franciæ, ut ista latius habentur in chronicis, tam fratris Martini, quam fratris Bernardi Guidonis; sed qui fuerunt de illa natione ex timore vel affectione multa in verbis & sententiis palliantes & colorantes, quamplurima omiserunt & tacuerunt quæ habentur ex aliis chronicis magis authenticis.

CAPUT XXV.

IDem inceperunt facere contra dominum Johannem XXII. Sed quia erat de eorum natione, non ita dure egerunt, aliquibus tra-

ctatoribus se interponentibus.

CAPUT XXVI.

ITem attentarunt contra omnes Romanos Pontifices, qui in aliquo contra eos, vel illud regnum procedere voluerunt, ita quod in finali conclusione, nisi in omnibus papa faciat eorum voluntatem, numquam obedient ei; & sic quod ipsi volunt esse de obedientia papæ activa non passiva, alias statim fabricant & imponunt sibi errores & hæreses, ut habeant colorem talia perpetrandi: ita quod contra illos dictum videatur, Actuum 7. *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Ita fuit una causa valde impulsiva, quare D. Gregorius bonæ memoriæ papa XI. post cujus mortem ortum est istud schisma, recessit de Avinione versus Romam, ut dixit multis, quia non poterat tolerare & satiare voraginem & abyssum illarum gentium, vel satisfacere petitionibus injustis eorum. Hæc etiam fuit una de causis, quare Græci recesserunt ab obedientia ecclesiæ, ut legitur in historiis, videlicet intolerabilis superbia & vorago insatiabilis Gallicorum, nec non ultra prædicta, fraudes, machinationes & infidelitates, & avaritia Italicorum; de quibus videbis latius infra secundum B. Bernardum.

CAPUT XXVII.

EOdem modo fecerunt de domino nostro papa BENEDICTO XIII. Ordinata namque & publicata per eum mature & digestè quadam facta constitutione decretali, & illis intimata; quia per illam videbant refrenari à suis iniquitate & malitiis; & omnibus eorum machinationibus & fraudibus videbatur provisum, graviſsime & durè tractarunt nuntios eas præsentantes, ipsos capientes & durissimis carceribus mancipantes, prius multis irrisionibus & ludibriis & injuriis affectis: propter quæ apud eos dominus noster papa secundum eorum errores protinus desiit esse papa, facientes immediate sibi subtractionem: & ex istis odiis, rancoribus, & iniquitatibus sunt secuta, (istis tractantibus & deducentibus) omnia illa detrimenta & scandala Pisanica.

CAPUT XXVIII.

NEc mirum, si eis ista eveniant, & ita pure sapienter & discretè & mature agitentur negotia apud eos; quia habent in alio sæculo protectorem specialissimum, illum famosissimum quondam virum JOHANNEM DE GRANGIA, vocatum Ambianensem olim glebæa scriptitium domus Cluniacensis, cum utroque parente, qui dum vixit fuit eis exemplar & dux, homo major omni exceptione, virtutis cujus opera sunt nota toti mundo: ideo non expedit hic miracula recitare. Habent hodie gradientes passibus suis

A super terram illum benignissimum virum liberum & mundum omni virtute, nulla ambitione in conscientia vexatum, D. PETRUM DE TUREYO, qui alias dixit super hoc in sono suo *Quam planctus*, vel in sono de *Vexilla regis* ita bene miser est ille qui optat istum statum (loquendo de papatu) Et ex hoc agebat tunc solum de vicariatu, obtinendo etiam de manu laicali domus Franciæ, quia de papali non curabat, sicut etiam nec obtinuit vicaria-

B tum intrusi, in hoc clare ostendens quod non reciperet principalem papatum quacumque violentia impulsus, prout poteris videre latius infra c. 40.

Habent etiam illam lucernam sulphuream ardentem & fumigantem in medio nebulæ SIMONEM DE CREMAUDO, virum utique simplicem & rectum, omni divino timore respersum, residentem in omni notitia in tantum, quod supra Job transit, imo totum librum Job & omnes sequentes usque ad Canticum canticorum, & ibi residet, de quo habuit & habet tantam noti-

C tiam & experientiam, quod totum exposuit & exponit ad litteram, quod beatus Gregorius non potuit facere, ducens continue secum expositionem litterralem, ut semper aliquid addat, immò frequentissime totum divinum officium omittit contemplatione dicti libri absorptus. Habentes ergo tales pontifices & episcopos animarum suarum, conductores & directores, in actibus eorum, (ut de ceteris taceamus) quomodo possunt errare? ab istis originaliter, &

D à suis satellitibus processit informatio vel impressio illorum priorum qui venerunt ad Cartusiam, quorum aliquis sicut Muntanius jam raptus fuit, & vivens devoratus à vermibus: præcessit enim ad parendum eis locum. Alter vocatus *Converte* collector jurium cameræ apostolicæ per eos occupatorum in absentiâ suâ habet substitutam collectricem in isdem juribus in Villa-nova, ad illam enim oportet pro istis juribus spiritalibus recurrere. Ista enim pote-

E stas muliebris in novo testamento; ab illis de novo inventa est, quod comitatur meretrici propter eorum plenitudinem tempestatis: de qua infra, & utinam illorum nomina jam à Deo reprobata & de libro vitæ deleta, etiam in hoc mundo nusquam scire vel audire licuisset.

CAPUT XXVIIII.

ISti supra-dicti & similes, sunt dii tui, ô Cartusia, qui extulerunt te de terra pro-

F missionis, & præcipitaverunt in terram Ægypti & Babilonis. Istos vocas pastores & rectores animarum vestrarum, istis commisisti curam omnium agendorum pro salute animarum in domo vestra; & nihil voluisti scire, & istud allegas pro cœca excusatione tua, vel ulterius in cumulum damnationis.



CAPUT XXX.

ET cum addis ad illud fomentum iniquitatis & malitiæ, illos antipriores alterius obedientiæ, qui ad te venerunt, istud multiplicat infectionem materiæ & formæ; si tu umquam habuisti veram fidem de ecclesia vel de vicario Jesu-Christi vero, illos non debebas tibi aggregare, qui ut tibi constabat à notorio fuerunt semper & origine schismatici, excommunicati & maledicti, & tales tu semper illos reputasti; & extra ecclesiam judicasti, tam à domino CLEMENTE, quam à domino nostro BENEDICTO, veris Romanis pontificibus. Si tu ergo umquam eis adhæsisti, vel credidisti; qua fronte, qua conscientia ausi fuistis cum illis communicare, maxime in divinis? quis eos potuit collegio vestro incorporare? quis excusabit vos à gravibus peccatis notoriis, excommunicationibus, irregularitatibus, & aliis censuris, sententiis, & aliis maledictionibus? Responde. Induratum est cor Pharaonis. Ecce quos vocas pastores animarum tuarum, ecce quibus commisisti totam vitam & conscientiam tuam, nihil volens scire, ut sicut eratis, cæci, more Judaico, efficeremini & surdi. Considera in qua conscientia, in qua libertate, & animi serenitate vivis, & confingit tibi diabolus: Excusatus sum quia nihil scivi, nec volui scire, ut sanguis sanguinem tangeret, & peccatum adderetur peccato.

CAPUT XXXI.

ULterius, frater Bernarde, illi de Carthusia in velamen tantæ iniquitatis addunt, quod dominus comes Sabaudensis celebravit solemne concilium, & deliberatione prælatorum & doctorum, &c. declinavit ad illam partem, &c. Si illi de Carthusia non clausissent sibi oculos; sed voluissent considerare fundamenta illius adhæsionis, potius fugissent ab eis, quam secuti fuissent eos. Totum enim fundamentum illorum est relatio nuntiorum missorum & instructorum per illos Vivariensem, de *Chalent*, & Franciscum de Narbona olim camerarium; & sic totum quidquid fecit dominus comes, non plus valet quam opinio, vel consilium illorum: quod quantæ auctoritatis sit vel credentiæ supra late deductum est & inferius ostendetur. Quid enim poterant consulere nisi quod ipsi fecerant, & cum aliis perpetraverant? aliter enim consulentes confessi fuissent, quod erant, videlicet se notorios proditores. Videtis ergo quod super facto & super criminibus per eos commissis, dabant consilium, & tamen ut facilius deciperent dominum comitem, & suum consilium, superposuerunt multa mendacia, de quibus non fit conscientia apud eos, nec de eis solvunt gabellas, quæ plus ascenderent quam gabella panis, vini, & carnium. Habent enim illi de illo damnato conventiculo artem mentiendi, ita promptam sicut volunt. Scribunt enim per

A diversas partes mundi, confingentes mendacia inexplicabilia, ornantes illa aliquibus circumstantiis verisimilibus, ut audientes trahant ad suam perversitatem, sicut scripserunt dicto domino comiti & suo consilio, & per dictos nuntios subjecerunt dicentes: Domine, favor vester & adhæsio ad illum PETRUM DE LUNA nocet & nocuit multum unitati ecclesiæ, induratur enim ex talibus in sua pertinacia; nos habemus litteras de regno Castellæ & de regno Aragoniæ, quod volunt adhærere statim nobis,
B & sancto concilio Pisano: ostendendo illis litteras falsas, fictas & fabricatas ex parte aliquorum prælatorum vel dominorum: Ideo non scitis de ultimis, detis vobis honorem, alias oportebit etiam ad finem, quando omnes erunt nobiscum, idem facere, & tunc sine honore vestro & merito & mercede; habebitis etiam decimas supra clerum, & alias gratias abundanter pro vobis & vestris, quas ille ex duritia sua denegabat vobis: & alia similia mendacissima: habuerunt enim artem istam mentiendi
C apertissimam in ista materia; specialiter ille nunc hæresiarca SIMON DE CREMAUDIS deturpatus tunc nomine Patriarchæ; & ille profanissimus tunc infectus nomine anticardinalis Hispaniæ, & sui similes, & super hoc in prima subtractione fuerunt convicti publice de multis mendaciis. Videte qualis est eorum structura, ubi fundamenta sunt mendacia, fictiones, fraudes, & falsitates? Iterum considerate, qua conscientia, quo spiritu, qua rectitudine judicii & consilii in tractatu unitatis ecclesiæ & catholicæ fidei negotiis agitabantur.

D

CAPUT XXXII.

ET nota quod iste ANTONIUS, tunc vocatus cardinalis *de Chalant*, secutus est papam in omnibus quæ facta sunt usque ad reditum ad Perpinianum, ubi in concilio ante & post publice & secrete testificatus est perseverans continue per octo vel decem menses dominum nostrum papam fecisse omnia & singula pro unitate ecclesiæ ad quæ tenebatur, & ultra, &
E ipse ore suo legit & pronuntiavit omnes processus & actus factos usquead illam diem, illos approbans & laudans, &c. & confitens ibi esse verum collegium cardinalium, & concilium generale ecclesiæ, ut etiam tangetur infra; sed auditis his quæ tractabantur Pisis, & receptis nuntiis & litteris à suis in damnatione consortibus, conversus est in arcum pravum, & nocte fugiens devenit Sabaudiam, & ibi aliquibus seminatis mendaciis, adhuc dicebat se pro domino
F nostro papa stare, & ire, & sic dixit aliquibus ex nostris, qui viderunt eum in via, dum ibamus Pisas, & hoc dicebat expectans finem agendorum in Pisis, & sic fides sua non formabatur ex aliquibus præteritis, sed solum ex his quæ fierent Pisis: ubi ingressus statim negavit publice & abjuravit dominum suum verum papam, & omnia quæ antea confessus fuerat. Credis tu quod jam primo per litteras & nuntios quos à suis

suis in errore consortibus recipiebat, & ex se ipso non fuisset infatuatus de promotione ad papatum per quasdam similitudines, sicut, Domine non contemnatis statum vestrum & honorem qui super vos cadere videtur; vos scitis quod una pars istorum cardinalium qui sunt in Pisis, sunt Italici, & alia Gallici, forte non convenient, sicut videtur dispositum, & vos qui estis gratus omnibus, & dimittitis propter eos magistrum vestrum, & totum statum apud eum, & non estis nec Italicus plene, nec Gallicus, sed medius inter eos, & sic quod sors recte veniet super vos, & alia similia. Et homo iste spiritus vadens & non rediens, avidus honoris & nominis, præstitit fidem dictis fictionibus & falsitatibus. Quia, ut dicit B. Ambrosius, ambitioni datus, jam non res ipsas, sed suæ passionis phantasias videt, quia quod quis vehementer desiderat facile credit; sicut cum aliquis credens videre rem armatam, amplexatur etiam & umbram. Et sic traditus in reprobum sensum injecit se in perditionis baratrum cum aliis. Et hoc concordat, quia ipse respondens in Pisis cuidam de prælatis nostris olim suo amicissimo in cedula dixit, & nuncio portitori, non potest loqui mecum, &c. & dicatis sibi quod non ponat me & statum meum in periculo; non cogitans damnatissimus hominum, quod magni domini & etiam alti, ut perficiant quæ conceperunt, diligunt proditiones, sed valde odiunt proditores & contemnunt, & de his trufantur & cavent, & hoc apparet quia tantum mentio fuit de illo facta in intrusione, quanta de uno tabernario; & ex hoc in illa congregatione ecclesiæ sancti Martini, ubi fuimus vocati Pisis, stans de directo ante nos, numquam ausus fuit elevare oculos ad aspiciendum nos, immo confusus semper statuit oculos suos declinare in terram, & jam in facie videbatur quod audisset sententiam ad ignem. Considera ergo tu, Carthusia, quod iste est ille, qui fundavit & conclusit totum concilium Domini comitis cum aliis duobus complicibus suis, per quos libri juris parum inquietantur, & qui & quales sunt & fuerunt, causa brevitatis & pudoris hic recitari omittuntur, maxime quia ubique sunt notoria. Est tamen verum quod hactenus sciverunt practicando materiam, & de præscriptis verbis ambo illorum simul & uterque in solidum: tamen tene firmissime pro vera & indubitata conclusione approbata per omnes illos qui aliquid sentiunt de veritate fidei christianæ, quod isti & alii sui complices, tantum habent de fide Christi, quantum ascendunt reditus beneficiorum suorum & non plus, & sic mensura fidei illorum sunt beneficia, pro quibus conservandis vel non perdendis, & augmentandis committerent omnia mala quæ cogitari possent in mundo, & consentirent in quibuscumque peccatis, scandalis, periculis, detrimentis vel damnis; sicut multifariam jam fecerunt; & sic non restat (nisi sit spes de eorum alias desperata conversione) aliud; sed quod terra aperiens os suum, velociter deglutiat eos; & cum Chore, Dathan & Abiron eorum consortibus, præparatam eis recipiant portionem; quæ nobis in

A Jesum Christum Dominum nostrum, & ejus doctrinam & in ipsius Ecclesiam & vicarium firmiter credentibus & perseverantibus in terra viventium est promissa.

CAPUT XXXIII.

Quod autem suggesserunt falsum de Castella & Aragonia, vos frater Bernarde, scitis & videtis, quod numquam cum majori B credulitate & reverentia adhæserunt istæ terræ alicui summo pontifici, sicut domino nostro Benedicto faciunt nunc, & semper devotio omnium est circa eum in augmento, & major etiam post obitum regis: quia illi patres & magistri mendaciorum ingerebant auribus populorum, quod propter sequelam & favores regis populi tacebant, licet aliud in corde servarent.

Scitis enim, frater Bernarde, quod nuper dum dominus noster papa erat in Terraconia, civitas Barchinonensis fecit sibi solemnem am- C baxiatam, supplicando humiliter ut dignaretur redire ad Barchinonam; & papa rationabiliter excusavit se; nam quia tota terra regis per Dei gratiam est in pace & in tranquillitate, specialiter quia illæ bandositates de Valentia cessarunt & sopitæ sunt, & nunc imminebat & crescebat quædam satis valida bandositas etiam inter illos de genere suo in Aragonia, quæ est terra nativitatis ipsius papæ, oportuit appropinquare illum ad illos pacificandos, & alia similia. Hæc dicuntur ex eo quod illi doctores & fundatores mendaciorum scribunt & seminant, quod papa fugit, D quia populi nolunt eum videre, & similes confictas falsitates & vanitates consuetas.

CAPUT XXXIV.

Videtis ergo cum quibus mendaciis & fraudulentiis perverterunt domini comitis judicium & consilium; vultis super hoc evidentem probationem. In alia enim subtractione, de qua supra, quamvis dominus comes instructus & con- E sultus per multos discipulos antichristi, quæ etiam prædicta nunc fecerunt & perpetrarunt, quod se subtraheret sicut ipsi, tamen tunc sapienter & discrete agens voluit informari super veritatem, & misit solemnem ambaxiatam ad Avenionem, me præsente & vidente, & ab utraque parte audivit ad plenum quæ dicere voluerunt, & sic remansit in veritate Ecclesiæ & obedientia dicti domini nostri papæ, cum magno merito, laude & gloria sua: quia postea omnes reversi sunt ad deliberationem suam: nunc F autem ad suggestionem illorum membrorum antichristi optavit ignorare veritatem, & non solum noluit informari, vel veritatem scire, sicut fecerat in prima, sed etiam quemdam solemnem doctorem, quem papa miserat ad eum, etiam ad conversionem suam noluit audire, nec permisit, sicut ille retulit, quod loqueretur in publico. Videtis quia nunc affectavit ignorantiam, quomodo cum suis cecidit in præcipitium, quod

nullatenus fuisset, si scrutinium veritatis audire A voluisset; sed elongavit se à notitia veritatis, & veritas ab ipso.

CAPUT XXXV.

ET cum dicitur, quod dominus episcopus Gebennensis, & quidam doctor sæcularis, qui tenebant pro veritate papæ in concilio comitis, videntes alios in contrarium concordes, mutarunt consilium, &c. Et quomodo tu credis B quod episcopus Gebennensis dominus JOHANNES BERTODUS, qui nuper in studio in antichristi ætate penurie vivens, nunc factus episcopus & dominus civitatis Gebennensis, etiam in temporalibus, propter unum verbum tacendum in concilio vellet perdere tam pinguem episcopatum, & statum & vitam ponere in periculo? quis est inter ambitiosos, qui pro acquirendo unum beneficium saginatum, non dico episcopatum, non diceret viginti septem mendacia, & alias simulationes & fictiones adderet, C sicut fit quotidie; quanto magis pro non perdendo obtentum, ita honorificum pingue, & notabile, pro taciturnitate unius verbiculi, æquivoci, dubii, & captiosi? Dixit enim: ex quo omnes sunt istius opinionis, ego etiam nolo contradicere tot sapientibus & prudentibus, vel similia verba: quæ si tacuisset, propter ea quæ dixerat ante, satis carè emisset illam taciturnitatem. Erant enim qui observabant os ejus, vigilantes super suam dignitatem. Videas tamen tu quod ipse in secreto conscientiæ suæ sentit sicut & D multi alii, si auderent dicere: nec mireris, quia major fuit Pilatus & sapientior in naturalibus, & secundum statum illum reputatur justissimus, & tamen ad unum verbum timoris de perdendo officio, *non es amicus Cæsaris*, condemnavit ad mortem turpissimam hominem, quem sciebat innocentissimum, & per invidiam traditum & accusatum, & quem antea multis occasionibus voluit liberare. Major etiam & sanctior fuit Osius episcopus, de quo superius est habitus sermo, majores etiam fuerunt multi summi pon- E tifices, prælati, magistri, doctores & litterati, qui pro minori periculo negabant in publico, etiam fidei veritatem. Paucissimis enim datum est desuper pati, etiam in bonis temporalibus pro Christo, & hoc prædixit Christus Matthæi 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum*, Et iterum, *Dico vobis, quia facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum*, & discipuli clamaverunt, *quis poterit ergo salvus fieri*? Hoc F etiam dicit Apost. 1. ad Timoth. 6. *quam quidem appetentes*, scilicet avaritiam vel ambitionem, *erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*, ideo non facias tibi argumentum, quod in aliquo se moveat à veritate retractatio illius episcopi, etiamsi fuissent mille tales vel centum mille.



CAPUT XXXVI.

DE illo autem doctore sæculari, vel de omnibus aliis similibus non facias etiam tibi festum cujuscumque apparentiæ: doctores enim & prædicti sæculares sunt medici bonorum temporalium, & conservatores. Sicut enim medici corporum pro conservanda sanitate carnis non dubitant consulere contra Deum & ejus clara præcepta: consulunt enim frequenter etiam prælatis & religiosis pro sananda infirmitate vel conservanda sanitate, committere fornicationes & adulteria, seu habere usum mulierum, vel alia similia peccata. Ita faciunt medici bonorum temporalium, scilicet juristæ, quorum aliqui tamquam animales homines & carnales, non intelligentes quæ Dei sunt, nec fundamenta veræ fidei christianæ, nec quantum ponderat & pendet in firma credulitate & obedientia veri summi pontificis & vicarii JESU-CHRISTI dogmatisant dicentes: non est istud de fidei articulis, nec magni ponderis, vel necessitatis, sed super contentione duorum hominum, &c. idcirco propter ista pericula & discrimina, non perdatis bona vestra, nec ponatis personam in periculo, sequamini dominos & majores, & similia verba: scriptum est enim, *Legisperiti spreverunt consilium Dei in semetipso.* Luc 7. Si enim in ecclesiasticis, magnis prælatis, & religiosis non invenitur consilium sanum, quid fiet de ovibus? propter hoc scribitur, *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum.* Et finaliter: *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, &c.* propter paucitatem enim vera consulentium, & secundum Deum loquitur sic excessivè, *non est usque ad unum*; *pecuniæ enim obediunt omnia*, Ecclesiast. 18. Sumitur ibi pecunia pro omni prosperitate temporali, & ex eadem difficultate recti consilii dixit Ecclesiastes, c. 7. *virum de mille unum reperii*; sumendo virum pro virtute & rectitudine consilii, *quia pauci sunt electi*, & *messis multa*; *operarii vero pauci.* Vides tu quod ab origine mundi usque nunc semper boni fuerunt paucissimi; transiverant enim à creatione mundi usque ad Noë 2000. annorum & ultra, & solus Noë fuit inventus justus, Gen. 70. *quia stultorum infinitus est numerus*, Ecclesiast. 1. Vides enim quod tempore regum Juda & Israël, veniebant pauper propheta unus vel plures, & nuntiabant populo eorum defectus & errores; & stulti reges, & principes, sacerdotes & ceteri litterati & populares irridebant eos & subsannabant, contemnentes illorum consilium & monitionem, ut habetur 2. Paralip. ultimo ad idem Isai 28. *manda, remanda, &c.* propter quod propheta orabat contra tales Psalm. 16. *domine à paucis*, scilicet bonis, *de terra divide eos in vita eorum.*

CAPUT XXXVII.

ISti enim anticardinales ultra malitiam, alias consuetam & eis innatam, in hoc depravaverunt

& deceperunt seipsos; formaverunt enim sibi grande peccatum, & terrorem quod quomodocumque in illa congregatione hæresis Pisanæ intruderent unum, & sic totus mundus sequeretur eos; & sic saltem de facto repellerent dominum nostrum papam Benedictum, quod ultra salutem animarum suarum optabant; & postea detegerunt illum, & purgarunt illum in aliquo concilio vel congregatione, & hoc dixit unus de illis anticardinalibus, scilicet PETRUS BLAVI, vocatus sancti Angeli, cuidam de nostris ambaxiatoribus missis Pisas, & testificor coram Deo sub periculo extremi judicii, quod non mentior, quod ille *de Chalent* traxit me ad partem in Perpiniano, suggerens mihi aliqua ut me traheret ad suam opinionem, quæ videbantur mihi erronea. Et ego respondens dixi hæc vel similia verba: Domine mi, non videtis, quod isto modo quo vos dicitis, fiet unus tertius, qui erit antipapa & intrusus notorius. Tunc ipse quasi cum metu dixit in maledictione non curandum de hoc, dum tamen habeamus unum etiam antipapam vel diabolum, vel similia verba, quia postea purgabitur. Et exinde ego tamquam gravissime scandalisatus ex istis verbis hæreticalibus & damnatis, observavi me ab iniquitate, & viis illius tamquam ab immunditiis, & ex tunc ille scribens hinc inde diffamavit me potenter, per se & per suos, mentientes coram Deo & hominibus, quod ego turbabam unionem Ecclesiæ, & ita scripserunt mihi illi de Carthusia. Videte si mundus deberet eos sustinere. Volebant deducere totam Ecclesiam de christianitate in errorem perpetuum & indelebilem; ita quod numquam habita fuisset fides de vero papa, sicut seipsos & multos præcipitarunt, & talis fuit intentio eorum: quia iste dicebat mihi ista, sciens mentem firmiter aliorum, à quibus quotidie recipiebat litteras & speciales nuntios conventiculantes in domo sua; me pro tunc ejus vicino ista vidente & sciente, nam ita credunt illum quem intruserunt, esse papam (saltem isti anticardinales Ultramontani) quantum asinum, sed confusione oculorum vitant per damnationem animarum suarum & multorum sequacium.

CAPUT XXXVIII.

ET si desideratis vel vultis hoc videre in aperto; statim enim facta intrusione Pisis, quilibet ipsorum captavit horam & modum ad recedendum ab illo, & sic factum est. Ecce enim in partibus Franciæ quilibet est in beneficio suo, sub ficu sua, sub oliveto suo, bibens aquam de cisterna sua in quiete corporis; introduxerunt enim errorem in mundo, & nunc vacant otio & deliciis, in non modicum detrimentum & damnationem acerbam animarum suarum, videlicet domini, GUIDO Penestrinus, PETRUS DE TUREYO & DE SALUCE, ille DE BARO; PETRUS BLAVI dictus sancti Angeli; Defunctus est iste, olim cardinalis, & FRANCISCUS olim camerarius, cum proposito eum numquam videndi, vel eorum in intrusione successores. Videte qualem Papam fecerunt, quem nolunt videre, immo corpore & mente separaverunt se ab eo? Concordat autem hoc, quia ille Penestrinus loquens in Pisis cum quodam nobili viro de nostris ambaxiatoribus, etiam post intrusionem, loquens de domino nostro papa BENEDICTO, semper vocabat eum dominum nostrum. Et ille non potuit sustinere, dixit sibi: Domine ex quo fecistis vobis alium, non dicatis, dominum nostrum. Et tunc ille respondit quasi verecundando, hè! olim idem dixit ille Vivarensis, cum per eumdem ambaxiatorem diceretur sibi post intrusionem: Domine quid ponitis contra dominum nostrum? videamus crimina. Respondit non curemus de criminibus, sed non videtis vos, si istud expediat toti mundo quod sic fieret. Ecce pro expedienti ejecerunt à se papam verum, contra omnem justitiam & æquitatem; & idem attentarunt & fecissent in prima subtractione, si habuissent, vel cogitassent potuisse habere sequelam aliquam in mundo. Nam jam tunc omnes collegialiter, quibusdam paucis fidelibus exceptis, fecerunt instrumentum civibus de Avinione, quod non erat papa dominus noster, ut eos attraherent ad sequelam suam, sicut fecerunt, ut constat mihi quod postea ex timore & verecundia fecerunt cancellari & deleri, ut infra dicetur.

CAPUT XXXIX.

DE illis aliis anticardinalibus qui remanserunt Bononiæ cum intruso, non est arguendum. Nam ille Albanensis est Italicus, & cum toto hoc residet & trahit moram in Florentia. Ille olim Hispanus non habet ubi caput suum reclinet; ideo oportet, quod vivat de reliquiis mensarum dominorum. Ille Vivarensis propter officium quod exercet diabolicè vicecamerarii. Ille de Podio dicit se pœnitentiarium infernalem, & talis dispositionis, quod non potest se movere, & solus iste est rectè de regno Franciæ; quia omnes alii fugerunt, ut dixi, & iste non potest, alias vidissetis quid fecisset. Ille de *Chalant* est sequela Vivariensis & ejusdem nationis, & anhelat sequens voraginem suæ ambitionis ad alia grandia beneficia in terra sua: Ex quo enim petierat pro se abbatiam sancti Michaëlis de Monte; & dominus noster papa denegavit sibi, & justissime, dicens quod non erat congruum, quod in eadem terra principalis Metropolis Tarantasiensis, & nunc principalis abbatia magni nominis & famæ, & temporalitatis, essent privatæ residentia suorum prælatorum, & quod eadem persona obtineret talia beneficia, ex tunc concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ex tunc enim cogitavit quomodo eum opportunè traderet, nec umquam, me teste in his quæ vidi, recto oculo aspexit eum. Hoc eodem modo abnegavit ille Sergius qui nutrivit Mahometum, tantæ enim elationis sunt, & tanta superbiæ insania vexantur, quæ

ſemper in eis eſt in augmento, quod niſi ad votum obtineant quod volunt, nullum inconveniens vel peccatum, quantumcumque grave, eſt eis difficile vel recuſabile ad committendum: & ideo cum quidam eccleſiaſticus pauper, qui in diverſis conſiſtoriis infeſtaverat quemdam papam, petens pro ſe privilegium cardinalis, fuiſſet ſæpe repulſus, tandem in uno conſiſtorio interrogatus quod intendebat nomine privilegii cardinalis; reſpondit, Pater ſancte, quod poſſim peccare ad libitum ſine reprehenſione. Ideo ſuper iſtis prophetatum eſt Iſaiæ c. 56. *Speculatores ejus cœci, omnes ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam*; & ſequitur: *Omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſſimum, &c.* id eſt ad beneficia, ambitione & avaritia acquiſita & extorta. Quis poteſt credere, ut de ceteris taceamus, quod ille Peneſtrinus, qui obtinuit nunc epiſcopatum Agathenſem, ubi nunc reſidet in deliciis ſuis, cum plena poſſeſſione, & ultra hoc habet VIII. vel X. millia Francorum in reditibus in Francia, ſarcinatus pecunia, auro & argento, circumvallatus frequentia magnæ familiæ, homo LXX. annorum & ultra; quod propter confeſſionem PELRI DE LUNA, vel BENEDICTI perdat omnia cum periculo perſonæ, & vadat mendicando? certe immo expectabit in hoc ſtatu plenam damnationem ſuam: quia diabolus ſuggerit eis quædam velamenta excuſationum, ut ſic eos detineat, ſicut: Iſtud facis pro unitate Eccleſiæ, iſtud: facis pro bona intentione, & ſimilia quæ quamvis nulla, videntur eis grandia, & inſolubilia, propter affectionem bonorum temporalium... non inveteratè dierum malorum, & ſic non recognoſcunt ſe quouſque poſſideant infernum pacificè, & ſic de aliis.

CAPUT XL.

PRopter quæ juſto Dei judicio illi de Francia fuerunt turpiter decepti & illuſi. Fecerant enim ubique, maximè Piſis, inexplicabilia præparatoria, ut intruderetur in illo conventiculo Piſano de natione illorum, cum multis muneribus & donis altiora & majora promittentes tam in beneficiis, quam in aliis, illis anticardinalibus Italicis, ſicut ſemper conſueverunt, & poſtea niſi in omnibus conſentiant eis, etiam velociter eos privant, nec in hoc multum deliberant. Quanta vina, quot munuſcula, quot blanditias ille PETRUS DE TUREYO jactavit erga illos anticardinales, non poſſet explicari. At illi aſtutiſſimi & callidiſſimi natura & arte, quorum unus venderet centum, ſimulantes eis complacere verbis palliatis, ordinaverunt præſidentem illum de Tureyo in illo conventiculo, ut ſic inflatus diceret primam miſſam, id eſt poneret Chriſtum in domum Caiphæ, & ſic illudendo illis traxerunt eos, uſque ad clauſuram damnati conclavis, vel verius latibuli, & ibi quid paſſi ſunt, oſtendat mora quam illic traxerunt, & loquatur effectus productus? Ex eo enim dixit ille Peneſtrinus poſt intruſionem quaſi eadem

A vel ſequenti die cuidam de noſtris regiis ambaxiatoribus inter alia verba: Teneatis pro firmo, quod numquam fiet electio in Italia, quæ non fiat ad voluntatem eorum: ſignificans aliquid, vel fortè nimis de violentia & impreſſione intervenìſſe, & ex inde illi anticardinales de Francia, capta opportunitate, receſſerunt ab eo, ut dictum eſt: quidquid aliter ad evitandam eorum confuſionem fingant ab extra in verbis, & ſic eluſi & fruſtrati, remanent hic & illic & B ubique à ſuo deſiderio de habendo papam de eorum natione: quia credunt quod caracter papalis non poſſit cadere niſi in eis: quia guſtarunt de brodio à centum annis citra. Et ex eo poſt mortem Clementis papæ VII. dicebatur inter cardinales, ſicut eis plene conſtabat, niſi expediamus nos celeriter de eligendo, major impreſſio eſt nobis præparata de Francia, quam fuit illa de Roma, juvantibus etiam ad iſta & promoventibus & tractantibus illis gehennalibus viris tunc cardinalibus memoriæ reprobatiſſimæ, C quorum dies qua nati ſunt vel concepti maledicta ſit in æternum, videlicet JOHANNE Ambianenſi, & PETRO DE TUREYO. Iſte enim promiſerat centum mille ſcuta auri quibuſdam dominis de Francia, ſi facerent eum qualitercumque eligere. Et jam ſuper his nuntii & executores proceſſerant feſtinanter, ſed antequam pervenirent, audita concordiſſima electione domini noſtri papæ BENEDICTI, finxerunt ſe longius ire: & omnia iſta pro tunc in collegio & alibi tamquam notoria habebantur, & propter hoc dixit ille NICOLAUS Albanenſis D poſt electionem novam domini noſtri papæ BENEDICTI, quaſi ad ſuam jactantiam & illorum confuſionem: Sufficit mihi quia ego extraxi iſta vice papatum de manibus Gallicorum. Ille enim anticardinalis Bononienſis nunc patriarcha intruſus tractaverat jam Piſis cum Florentinis, eis multa permittens, quo deligeretur, & ſic publicè dicebatur, & ex hoc vel emit Piſas in manu forti & robuſta, firmans ſe quod aliter non fieret nec liceret, ſed quia non erat ad hoc etiam judicio vetularum de tabernis, videns ſibi pro tunc E impoſſibile, dedit locum, quod ille PETRUS DE CANDIA, quem ſemper habuerat quaſi in famulum comedentem de micis quæ cadebant de menſa ſua intruderetur: cogitans ſicut fecit. Traduxit enim ad nutum ſuum in Bononiam, ubi ipſe tyranniſabat, & illo præcipitato qualitercumque in morte, quia iſta ſecretè fiunt, & in tenebris perpetrantur, fecit ſe intrudere, nec fuit fas contradicere vel aliter agere: & ideo videntes Gallici ſic ſe eluſos, excœcati incredibili furore ſuperbiæ cogent ſuos anticardinales, ut eligant alium de Francia, & illi timen- F tes perdere beneficia, propter quæ omnia mala operati ſunt, & operabuntur uſque ad damnationem æternam incluſivè, proculdubio conſentient & alium eligent, nec credo quod ſim propheta mendax, quia etiam ſic publicè & communiter omnes populi autumant.



A

CAPUT XLI.

Oportet ergo nunc aliquid dicere de illo damnatissimo dæmoniorum conventiculo, seu conciliabulo Pisano, quod videtur fundamentum præcipitii illorum de Carthusia, & quicumque vellet rectè considerare, etiam rustici trufarentur de hoc, nam nullo colore vel sapore potest illa prophana congregatio dici concilium. Et primo si attendas ad personas, ibi enim fuerunt congregati illi qui semper fuerunt de alia obedientia, tam anticardinales quam ceteri, &c. Si tu ergo, Carthusia, credis, quod aliquid per illos factum vel attentatum fuerit validum, & quod nomine Ecclesiæ sit factum, clarè es convictus, quod numquam habuisti veram fidem in vicario Domini nostri Jesu-Christi domino Clemente, vel domino nostro Benedicto; & si sic, jam judicatus es, & sic exinde omnis monitio vel prædicatio esset inanis & frustra, nisi quantum cum aliis schismaticis es monendus & prædicandus. Illi enim secundum veram fidem nostram numquam à tempore schismatis fuerunt inter catholicam Ecclesiam, ita declararunt tibi dicti summi pontifices successivè, quos reputabas veros vicarios Jesu-Christi. Ergo in catholica Ecclesia quæ congregabatur in concilio numquam fuerunt vel esse potuerunt caput vel membra. De hoc sunt jura indubitata, præcipuè quia etiam à suo intruso Gregorio tam illi anticardinales quam eorum sequaces fuerant depositi, excommunicati, & privati omni honore, &c. Ecce ergo quomodo apud Ecclesiam veram & illam simulatam illi non erant nec esse poterant membra Ecclesiæ. Si vis loqui de Gallicis secundùm veram fidem, & doctorum determinationem, schismatici, excommunicati, & extra catholicam Ecclesiam jam per magnum tempus fuerunt ante illam reprobam congregationem, potiusquam alii antiqui qui saltem habuerunt colorem, licet tunc etiam jam effusi & acepati; quia ut prædictum est, illi sine omni causa justa, propria temeritate se substraxerant ab obedientia summi pontificis, & facti sunt acephali. Si ergo summus pontifex, cui tu adhærebas, & quem credebas esse verum papam, & processus sui & prædecessoris, quibus tenebaris credere, & rei evidentia ostendebant tibi ad oculum, illos non esse membra Ecclesiæ. Quis incorporavit illos Ecclesiæ? quis eos absolvit? quis habilitavit? &c. Et si illi vel illorum prælati, magistri vel doctores, litterati vel scioli, in suis tenebris involuti dicant, prædicent, scribant, vel pronuncient contrarium, quantæcumque sint auctoritatis vel famæ, non vides tu quod loquuntur in facto proprio per se, & eorum causa allegantes, & confabulantes, ad excusanda peccata & crimina quæ commiserunt, pœnas & censuras quas incurrerunt.



CAPUT XLII.

Tu ergo, Carthusia, cui tenebaris in periculo animæ adhærere vel illis testificantibus in propria causa, in propria affectione, in propriis criminibus & peccatis, & adde si vis, ut superius deductum est, cum terroribus, timore & impressione & periculo rerum & per- B sonarum notoriis, vel tuo summo pontifici & vero vicario Jesu-Christi, quem tu, ut prædictum est, talem credebas à xxx. annis citra? Quam habes apud Deum vel homines in hoc excusationem vel excusationis velamen? Illi veniunt ad congregationem Pisanam per eos procuratam & impressam, veniunt ut pars in causa propria, & ut evadant pœnas quas incurrerunt juris & hominis, faciunt se judices, ut liberentur quocumque colore, saltem de facto quoad opinionem hominum à laqueis, quibus ligabantur efficaciter quoad Deum. Dic mihi, C tu Carthusiane qui credis eis, & per assertionem illorum recedis à summo & vero pontifice, cui semper adhæsisti, quid dices in judicio divino in excusationem damnationis tuæ, ex quo apud homines nec times, nec erubescis? Ecce quid poteris dicere: Schismatici antiqui semper & ab origine excommunicati, damnati ab Ecclesia, cum istis novis inexcusabiliter magis reprobatis & infectis, congregarunt se, & dixerunt se judices, & Ecclesiam & concilium in causa propria, inimici capitales notorii veritatis nostræ, D & veræ credentiæ nostræ antiquæ & summi pontificis nostri; & statim adhæsimus, & credidimus eis, contemto & repulso à nobis nostro vero summo pontifice. Dicas, mihi, quis fecit eos Ecclesiam vel Ecclesiæ membrum, nisi ipsi seipsos? Quis congregavit eos, ut dicerentur concilium vel Ecclesia? vel quis extinxit veram Ecclesiam & catholicam quam tu nuper credebas esse apud dominum nostrum papam Benedictum & ejus concilium, & creavit istam E novam in te & in tua credentia, vel quis eam transtulit? Vides hic damnationem tuam adhærere illis quos sciebas vel scire poteras & debebas, nihil habere in unitate Ecclesiæ, vel tuum aliquid commune; secundum quod dicit Apost. 2. ad Corinth. 6. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* nisi dicas cum insania illorum quod vera ecclesia est Gallicana, loquendo more illorum erroneo; & dicitur Gallicana à levitate galli cantus, qui ad solum pulsum manuum statim F cantat & obliviscitur, &c. Et tunc jam amplius condemnatus es. Responde ergo mihi, Carthusiane, quam fidem habuisti de Ecclesia vel de summo pontifice ab electione & obedientia domini Clementis citra, & quidquid mihi respondebis, condemnabit te in ista materia, maxime quia tibi notorie constat, quod omnes prælati Franciæ iverunt Pisas, & congregati sunt per notoriam impressionem. Observabantur enim vestigia & labia illorum, & mittebantur com-

minationes terribiles multis qui nolebant ire, sicut revera multi dixerunt nobis in secreto, & in aperto constabat. Vide quot nullitates, quot putredines, quot abusiones, & infectiones, & tu vocas concilium Ecclesiæ? Quod non facerent, nec faciunt vetulæ de tabernis: immo etiam rustici & populares ubique subsannant & trufantur. Dicebatur enim in Janua, isti Gallici intra unum annum fecerunt nos habere tres papas vivos. Habent enim bursam plenam de Papis, & perducunt, sicut volunt.

CAPUT XLIII.

Et cum mihi offers dicta domini Petri episcopi Cameracensis, vide ut me expediam breviter in isto pro omnibus, quia videbatur in fama quasi columna. Revera quando fuit Pisis, videns quæ ibi fiebant & præparabantur, incepit impugnare, & tandem audita salutatione in similibus consueta, fugit & regressus est Januam, ubi nos ambaxiatores invenimus eum. Verum est quod non vidi eum nec volui videre; & ibi dixit aliquibus ex nostris quod ideo venerat, quia non placebant sibi quæ fiebant in Pisis, & subsequenter audivit aliqua in secreto suo de materia currenti ad aurem. Et venit tunc cardinalis de Baro & reduxit eum Pisas; nec recipias verba sua in Evangelium; nec etiam in competentem epistolam, sed unius magistri in Theologia nondum canonisati, mundani & temporalis, inducti de rubeo croceoque bis tincto, vermiculato & bisso, opere plumario, appetentis & sequentis honores, famam & divitias. Quomodo tu credis episcopo Cameracensi, qui, ex quo cogis me, est ille cujus os obstructum fuit, qui cum tot sudoribus, ambitionibus, & periculis acquisivit de melioribus episcopatibus qui sint in Francia, & quamvis civitas Cameracensis sit extra Franciam; tamen tota quasi diœcesis vel major pars est in terra ducis Burgundiæ & ejus fratris, quem obtinuit contra voluntatem ducis mortui patris istius viventis, cui ut tunc posset reconciliari, dedit operam cum tot periculis, anxietatibus, terroribus, & laboribus, quæ non possent exprimi; pro quo oportebat eum in habitu dissimulato scutiferi venire, manens extra civitatem in tuguriis, me vidente & audiente, cum quo de ista materia multoties locutus est; & tandem obtinuit eum ceteris tacitis pactis & subintellectis conditionibus, sed nondum tunc plene firmatus fuit. Item quomodo tu credis quod Petrus de Aliaco nuper in studio penuria & inedia visitatus & vexatus, nunc factus prælatus, qui ita acquisivit beneficium suum, & qui habet plus in reditibus annuatim ipse solus, quam habeat in pecunia tota villa Compendii, unde traxit originem, in qua civitate Cameracensi sunt canonici & subditi plures, qui secundum naturam dedignarentur quod tangeret eorum sotulares, & cujus patrem omnes posuissent cum canibus gregum ipsorum; cujus episcopi os à multis æmulis ini-

A micis & invidis, qui sibi abundant, observatur, & omnes gressus ejus etiam usque ad motum labiorum, ut invenirent aliquam quantamcumque occasiunculam, ut expellerent eum ex episcopatu; sicut fuit frequenter invitatus. Quomodo tu credis, quod satis scribat, loquatur, vel asserat etiam in secretissimo, ea quæ sentit? immo est sibi plusquam necessarium, quod magis quam alii, ostendat se partialem pro eis propter suspiciones antiquas; & sic habeas confessionem illius, sicut facta in duris tormentis,
B cui non est standum, maxime quia in his quæ alias mihi misit in scriptis, nihil allegat penitus nisi rationes generales & communes, & partiales, & retortas, & reflexas: & si doctoribus sanctis non creditur, nisi probent, ut dicit Augustinus 9. di. c. *ego solis;* multo minus tali Cameracensi: præcipuè quia materia conciliorum non est Theologalis in aliquo. Quomodo ergo tu credis tam carissimum sibi jocale, maximè taliter acquisitum, quod ipse ex ore suo exponat tanto periculo & discrimini & perditioni?
C desipis, si sic sapis. Recipe ergo, ut dixi, & per ea quæ dixi confessionem suam, & quidquid dixerit verbo & scriptis, tamquam emissum, pronunciatum & testificatum in duris tormentis; & sic à simili de omnibus aliis prælatis, quia quilibet habet super se substitutum & successorem vigilantem, & oculis apertis expectantem casum naturalem vel occasionalem, vel violentum; & potes hic repetere ea quæ superius dixi de episcopo Osio in omnibus, tunc majoris auctoritatis quam Cameracensis, nec aliqua com-
D paratio. Et pro hoc facit quod ille Petrus, vocatus olim sancti Angeli, dum eramus Pisis, etiam post intrusionem, dixit cuidam prælato de nostris ambaxiatoribus, loquens de domino nostro papa Benedicto: Si dominus noster posuisset me in securo de tribus mille franchis vel duobus mille extra terram regis Franciæ, numquam dimisissem eum. Vides quomodo ex redditibus, ut dixi, pendet fides eorum? Quid oportebat vobis Carthusiensibus producere alias probationes super intrusione, terroribus, & com-
E minationibus, de quibus vobis constat in vobismetipsis, & experti estis, quia si hodie etiam aliquid diceretis contra eorum opinionem, essetis in periculo personarum & bonorum? Videtur ergo vobis salutiferum & severum istud concilium vestræ sequelæ & adhæsionis? non videtur vobis hoc simile cultui vitulorum aureorum Jeroboam regis Israël, ne populus iret ad templum veri Dei, & sui legitimi vicarii, 3. reg. 12. vel erectioni statuæ Nabucodonosor,
F cui qui non flectebat genua adorando ad sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, &c. id est ad vocem Petri de Tureyo, Simonis de Cramaut & similium, &c. mittebatur in caminum ignis ardentis Danielis 3. væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim! Isai 28.

CAPUT XLIV.

Etsi dicitis, Quid ergo faciemus? ad quem aspiciemus in tanto discrimine? Dico vobis,

quod non ad quadringentos prophetas Achab, qui dicunt se habere spiritum Domini, & loqui ex parte Dei & zelo pacis, eloquentes, sapientes, & magistros in plebe, indutos purpura & bisso, & ventilantes cornibus suis Syriam, sed ad pauperculum pannosum Micheam solitarium: & Paral. 18. & 3. reg. ultimo, haec dixerat Spiritus-sanctus per os Isaiae 66. *Ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Etsi tu non potes pati, sicut Daniel, vel tres pueri, vel sequens consilium Christi dicentis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. quia valde paucissimis datum est pati pro Christo vel pro veritate quae Christus est, saltem sequeris consilium ejusdem nostri Redemptoris: *Si vos fuerint persecuti in una civitate, fugite in aliam*; & exemplum apostoli Pauli: *Per murum dimissus sum in sporta*, &c. exempla etiam David in multis locis, & Athanasii, & Johannis Chrysostomi, & aliorum sanctorum patrum, secundum quod dicit Spiritus-sanctus, quod valde convenit tempori praesenti & personis; per os Isai 48. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldaeis.* Cum enim Elias quaereret Dominum, & transisset ante eum spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras, audivit *Non ibi Dominus*; iterum *nec in commotione Dominus*, iterum *nec in igne Dominus, & cum venisset sybilus aurae tenuis, audivit ibi Dominus* 3. reg. c. 19. Non legistis *Credendum est magis soli Mariae veraci, quam Judaeorum turbae fallaci*? Jam enim apud illos perdita est fides Ecclesiae, honor, praeeminentia & reverentia summi pontificis, ut dixi. Tot enim errores dogmatisant & somniant circa potestatem papae universalem, quod jam verba Evangelica redemptoris nostri videntur apud eos absorpta. Et haec sunt de nuntiis adventus antichristi, ut dicit Apostolus 2. ad Thessalon. 2. nisi venerit discessio primum, scilicet ab obedientia Ecclesiae fidei, & reverentia ejusdem, &c. Nam mysterium jam operatur iniquitatis, ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, &c. Non videtis quomodo occupant potestatem contra & super papam, & non solum praesentis temporis, sed contra summos pontifices antiquos, faciendo processus contra eos, declarando & praedicando eos haereticos & schismaticos, ac si essent in plenitudine potestatis assumti. Ita quod non papae, sed eis, asserant suis operibus, fuisse dictum, *quodcumque ligaveris super terram, &c.* Ex his ergo & similibus, quilibet fidelis christianus deberet eos fugere tamquam, immo plusquam rabiem, epidimiam, vel pestem, nec commemorare nomina eorum per labia sua. Separamini ergo à tabernaculis impiorum, ne terra absorbeat vos cum eis.

CAPUT XLV.

Etsi diceret Carthusiensis: Saltem propter tot terrores, pericula, minas & comminationes sum excusatus apud Deum; non bene dicit; verum est à tanto, non à toto. Dicit enim decretalis, metus culpam attenuat, sed non excludit, etiamsi in corde aliter credatur. Quia *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ex hoc non excusantur à gravi peccato mortali & à poenis & censuris, &c.

CAPUT XLVI.

Quid ergo dicendum, quod tot doctores utriusque juris & Theologi ecclesiastici & litteratissimi viri, tam de Bononia quàm in aliis studiis & universitatibus mundi famosissimi, & qui pugnant & repugnant contra canones & leges & sacram scripturam, allegarunt in scriptis solemniter per multa jura & rationes illam congregationem Pisanam valuisse, & quae in ea facta sunt processisse de jure, & esse valida & firma, &c. Numquid ego pauper Carthusianus ignorans jura, existens in nemoribus & in sylvis, teneor credere tot doctoribus & litteratis? saltem per eorum dicta excusabor. Ista persuasio colorata, sed diabolica fraude fabricata. Et attende quod Christus Dominus voluit servos suos non columbina tantum simplicitate gaudere, sed astutia serpentina, laqueos diaboli & fraudes mundi praecavere & vitare, & quia tu forte non vidisti malitias hominum, astutias & dolos; ideo crede experto, maxime si per palpabiles considerationes te instruat & demonstret. Unde debes circa doctores & juristas considerare pro praesenti materia, quod secundum magnitudinem personarum contendentium, & bonorum super quibus contendunt, formant dubia & allegationes suas. Unde à quocumque doctore vel jurista mundi si petas de aliqua quaestione quantumcumque difficili tamquam scholaris volens instrui & doceri, ita quod non habeas adversarium, statim dicet tibi clarè veritatem & decisionem dubii & quaestionis, addens tibi, & ista est veritas de jure absque omni dubio, maxime si est solemnis doctor, & idem faciet super eadem quaestione, si aliqui contendunt, sed sunt pauperes, & res de qua contendunt est modica vel vilis. Si autem praedicta quaestio in eisdem terminis & totaliter, & omnibus similis occurrat, inter magnos dominos, & super magnis castris, villis, regnis, comitatibus & terris, beneficiis vel dignitatibus, vel aliis rebus cum magnis reditibus & temporalitatibus, tunc omnia jura efficiuntur eis dubia, quousque declinent ad partem eis utilem: ita quod secundum acceptiones personarum metiuntur & ponderant jura & eorum decisiones, & in velamen tantae nequitiae & peccati format eis diabolus excusationes; inter alia dicunt sic: ubi est majus periculum, ibi cautius est agendum; multum pendet in ista quaestione, valde est periculosa & dubia, multum advertendum est & considerandum in ea, & quae prius erat indubia & clarissima ex parvitate personarum & rerum, nunc effecta est difficillima & intricata; & videtis tunc oriri dubia ex dubiis, & hic sunt tot membra, & tale membrum distinguitur in tot partes, & tale in tot iterum

subdistinctiones, corollaria & incidentia quasi A inexplicabilia. Vide quomodo vitula macerrima heri, hodie ex sola consideratione humana est impinguata. Vide quomodo intellectus hominis scientifici & subtilissimi heri valde disertus, & clarus ad discernendum, hodie est effectus ita dubius & involutus ex solo aspectu personarum & rerum, quod non potest invenire decisionem plenam; nisi uno modo, quod una partium petat suffragium suum ab eo præcedente pinguissima mercede, realiter in manu apposita, & cum sponsione & spe de argumento in futuro; tunc B quæstio pro illa parte clarissima, cum viginti, triginta vel centum cartis de allegationibus, & inveniuntur solutiones clarissimæ ad omnia contraria quæ possent fieri pro alia parte.

deserunt lites, nisi deserantur à pecuniis. Unde super illo verbo Isaiæ c. 1. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*, &c. dicit notabiliter Gloss. ordinaria pro ista materia. Qui amicos non putant, nisi qui donant, quorum non os, sed manus considerant, & tantum quorum marsupia exhauriunt, sanctos judicant; illis donant à quibus sperant, illis favent, illos extollunt, & laudant eorum causas. Ecce hic quales sunt de quorum dictis tu facis fundamenta tua. Videntur tibi satis firma? Adde ut supra, quod Salvator noster dixit, Luc. 7. legisperitis *consilium Dei spreverunt in semetipsos*. Idem omnino faciunt medici, qui secundum pinguedinem bursæ infirmantium, aggravant infirmitates, & asserunt eas periculosas, non leves.

CAPUT XLVII.

ETsi alia pars adversa venisset ante heri ad istum cum eadem vel pleniori pinguedine, idem invenisset, & omnia jura fecissent pro illo C hesterno, quæ nunc sunt pro isto hodierno, & inventæ solutiones clarissimæ ad contraria quæ fuissent tunc, quæ nunc sunt fulcimenta hujus partis: & sic quicumque vadat, ad quemcumque doctorem vel juristam (paucissimis exceptis) manibus non vacuis, requirens eum, quid alleget in tali quæstione pro parte sua, faciet potenter & solemniter; & alter ita solemnis & fortè plus, idem faciet pro alia parte, & sic fecisset primus pro ista, si ante venisset ad eum, nec de hoc fit conscientia inter eos, quia di- D cunt, quod allegationes juris sunt. Videat judex quid est magis justum vel rationi consonum, immo dicam tibi fortius; sunt inventæ allegationes contrariæ factæ ab eodem solemnissimo doctore super eadem vel simili quæstione infra duos menses vel tres, datæ & cum sigillo proprio illius doctoris signatæ; quod illa erat veritas cum copiosissimis allegationibus in utraque. Ita audivi dum eram in Perusio, de D. Baldo solemniore doctore utriusque juris quam esset in tota Italia, & de nonnullis aliis, fortè E obliviosè & inadvertenter, & non malitiosè, vel fraudulenter, sed adducuntur tibi ista exempla ad ostendendam in similibus varietatem, inconstantiam, & instabilitatem naturæ humanæ, in magnis clericis, doctoribus, & juristis. Nam cognovi doctorem solemnissimum & bonæ conscientiæ & famæ, qui protulit in quadam quæstione sententiam, & post aliquot annos venit ad ejus judicium similis quæstio in omnibus, & pronuntiavit contrarium: immo unus idem judex hodie pronuntiavit unam interlocutionem, F & cras revocabit eam, & faceret aliquando idem de definitiva si posset. Vis pro consideratione prædictorum, & confirmatione videre unum insolubile? Rogo te, dic mihi si umquam vidisti vel audisti quod aliquis litigans actor vel reus non invenerit etiam usque ad tres sententias definitivas advocatos solemnes & magnos, quantumcumque malam causam foveat? Videntur homines magnæ compassionis, quia numquam

CAPUT XLVIII.

ATtentis ergo prædictis & aliis quamplurimis quæ subticeo, & quæ per te potes deducere, quis sanæ mentis cogitaret; quod Petrus de Alcarano, vel Martinus de Peste, vel Johannes de Rabie, vel quicumque doctor jurista vel theologus Bononiensis, vel Italiæ; ubi pro majori parte sunt tyranni, auderet allegare, immo nec somniare, nisi pro parte dominii ubi trahit moram, vel facere aliquod dubium verisimile contra partem suam? quid enim esset hoc dicere, nisi quod dominus eorum in temporalibus & spiritualibus est tyrannus, schismaticus, proditor, hæreticus, & rebellis? & quis auderet dare hanc sententiam, vel in suis allegationibus proferre, vel dubium ponere, quin statim esset dissipatus & dilaceratus per quarteria, & sic cum tota domo & frequentia traditus incendio? Si autem essent in partibus istis, cum omnibus bonis suis; videres tu, quomodo non obstantibus allegatis illic, clara voce cantarent canticum Domini, quod esset via, veritas & vita. Si enim pro viginti, triginta vel centum florenis inveniunt jura secundum eos apertissima ad dandum consilia contraria, in eisdem terminis quæstionum, ut prædictum est, quid faciunt in prædictis, ubi pendet eis periculum & vita cum omnibus bonis, personis & rebus suis? & si scires & videres qualiter ille heresiarcha Bononiensis est promtus ad ista, ita quod quasi, ut notorie dicitur, ad solum anhelitum vel gestum pro similibus trucidat & devorat homines, omni pietate repulsa. Ad idem invenies solemnes doctores & juristas pro alio primo intruso ANGELO allegantes in terra ubi præsidet; jura enim & dicta doctorum volubilia sunt eis ad quam partem volunt, & propter hæc narratur, quod dictus dominus Baldus de Perusio, quem oportuit deserere civitatem Perusii propter illas partialitates Italiæ: & cum legeret in aliis civitatibus Italiæ, & fuissent sibi ostensæ allegationes contrariæ per eum factæ in negotio primi schismatis; respondit, considera in cujus dominio eram quando feci, & sic erit tibi soluta admiratio: & idem narratur de multis aliis, & sic in nullo movearis tu in conscientia tua

tua propter allegationes quantumcumque latas & magnas, maxime factas in illis partibus tyrannorum, schismaticorum vel inimicorum.

CAPUT XLIX.

IN patria autem nostra regis Aragoniæ & Castellæ per Dei gratiam, quia Domini nostri sunt natales, & habent titulos justos, ritus perpetuos, indubitatos & firmos, tam in spiritualibus quam temporalibus, & nulli facimus in similibus vel aliis impressionem, vel violentiam, rapinas bonorum vel occupationes: immo, si apud nos rex debet uni rustico aliquid, conveniet ipsum regem, vel ejus procuratorem coram judice competenti, & faciet eum condemnare, & executionem facere in bonis regis. Habemus etiam in reverentia magna & honore ecclesiasticos prælatos, & ecclesiasticas personas, nec invadimus bona eorum. Habemus ulterius fidem veram & immobilem de potestate papæ generali & auctoritate clavium. Tenemus verum papam, & veros & catholicos prælatos. Quilibet inter nos potest dicere, allegare, & scribere ad libitum; prout conscientia dictat, etiam contra eos, dum tamen reverenter & modestè loquatur. Me audiente, fuit dictum regi Aragonum nunc defuncto: Domine, tales qui erant tunc in illa civitate præsentes, faciunt dubium in regno vestro, quod non habetis jus. Qui respondit valde modestè: Bene deffensabo eis, vel similia verba. Audivi etiam à fide dignis, quod regi HENRICO Castellæ potentissimo, fuit aliquando dictum: Domine, ecce aliqui juristæ allegant in judiciis quod vos non estis rex, quare sustinetis? Qui respondit, Ita lucrantur isti Juristæ pecunias suas, ideo permittite eos lucrari dum possunt. O qui talia dixisset in Bononia, vel in tota Italia, vel alicubi, quid fecisset?

CAPUT L.

COnsidera ergo tu, Carthusia, & eleva oculos tuos ad lumen cœli, quia, ut dicit Boetius 4. de consolatione, nequeunt mali oculos tenebris assuetos ad lucem veritatis attollere, & videbis qualem fidem debes dare allegationibus vel dictis illorum prætensorum solemnium doctorum, vel moveri ex eis, & qualiter te excusant. Nihil enim vidisti, vel audisti de his quæ te deduxerunt ad tantum casum & ruinam, quod non sit infectum, corruptum, putridum, reprobatum, & damnatum. Habeto ergo serpentis astutiam ad discernendum inter malitias hominum, & simplicitatem columbæ, ad firmiter veritati adhærendum. Quomodo tu potes vel audes committere animam vel conscientiam tuam talibus personis: vel ex dictis eorum recipere aliquod firmamentum, cum habeant consilia notorie venalia, labilia, & mutabilia, declinantia ubi cadit statera lucri, utilitatis, timoris, favoris vel amoris, sicut prædictum est in præcedentibus? Considera tales allegationes vel consilia cum quot tormentis saltem mentalibus sunt exacta & extorta, & semper in conspectu tormentorum & tortorum. Ideo præsidentibus talibus dominis vel tyrannis illa faciunt & confirmant, ideo in nullo judicio, vel in nullo conspectu hominum facerent aliquam probationem vel fidem. Non attendis tu. Octavianus intrusus cum duobus sibi invicem succedentibus, cui adhærebat tota Italia & tota Alemania, & aliquæ aliæ nationes, sic habebant allegationes, magistros, doctores, & magnos litteratos prælatos & religiosos pro se in magna abundantia, contra D. Alexandrum III. verum papam, tunc propter persecutionem per mundum evagantem. Numquid tales & similes defuerunt vel desunt hodie, & suis temporibus illis magnis notoriis & famosissimis tyrannis BARNABOVI GALLEATIO, & ejus filio duci Mediolanensi primo, & aliis similibus & magnis sceleratis; pro quo primo etiam fuit & de ejus sequela ille filius perditionis PETRUS DE CANDIA, tunc contra veritatem famosus magister in Theologia? Credis tu quod facinus canis non inveniat nunc pro se & fulcimento suarum rapinarum alios similes & majores cum centum foliis de jurium allegationibus & conclusionibus theologalibus, quæ magis propter generalitatem sunt applicabiles ad omne propositum, & sic de similibus?

CAPUT LI.

NEc obliviscaris etiam tu, Carthusia, circa illos doctores magistros vel litteratos Italicos, qui tot fecerunt, ut dicis, allegationes, quod tota Italia vel major pars jam antiquitus rebellavit, tam papæ in temporalibus quam imperatori dominis eorum. Quælibet enim civitas, castrum vel villa, quæ plus potuit, occupavit sibi dominium temporale, imperium & jurisdictionem, expellendo dominos naturales suos, legitimos & veros, occupando omnia jura, præeminentias, regalias, & quidquid est de dominio vel imperio; nec in aliquo recognoscunt eos superiores, ex quibus sunt & fuerunt lezæ majestatis rei; & omnia eorum bona perdita & confiscata. Ita non solvunt decimas aliquas etiam prædiales, sed sibi usurpant, & applicant quilibet suis juribus. Credis tu quod de hoc habeant conscientiam? immo si aliquis eis loquitur de similibus, ridendo trufantur & subsannant. Jam vides Florentia quale jus habet in Pisana civitate, quam occupavit, & tyrannisat crudeliter & durè: emit tamen eam, ut dicit, à duce quondam Mediolanensi JOHANNE GALLEATIO, vel ab ejus meretrice Agnete, vel ipsius bastardo Gabriele; qui dux emerat à quodam nobili de Pisis vocato Jacobo, qui dominum vel tyrannum dictæ civitatis Petrum de Gambacurta interfecerat, & sibi dominium occupaverat, ut semper habeat locum inter eos successivè; ait latro ad latronem. Et sic qualibet die occupant civitates, castra, villas, districtus & terras cujuscumque sint. Hoc eodem ritu vivunt om-

nes alii domini & communitates Italiæ potentes, & credis tu quod de hoc habeant conscientiam, vel credant errare, vel peccare? immo habet quilibet in dominio suo magnos & solemnes doctores utriusque juris, & magistros in theologia famosos, & nominatissimos, qui per multas allegationes probant & fundant, quod hoc facere possunt & licite faciunt, nec est habenda conscientia in similibus. Cogita tu quod magnus Alexander in occupatione totius orbis non invenerit similia suadentes, sed de illo non mirum qui Dei notitiam non habebat; ita quilibet apud eos omnia quæ possunt de facto & per potentiam facere & occupare, omnia eis licere credunt: ita quod solo nomine sunt & vocantur christiani.

CAPUT LII.

TEmpore etiam domini Gregorii papæ XI. quo papa & Ecclesia possidebat in temporalibus plenè & pacificè Perusium & alias multas in circuitu civitates in magna abundantia, videres tu dominum Baldum illic actualiter legentem, ac ceteros solemnes doctores & magistros disputantes, & allegantes quod non poterat præscribi, vel possideri ab aliquo, dominium vel jurisdictio temporalis contra papam vel imperatorem; & quod omnes civitates & alii domini Italiæ erant occupatores & tyranni, & idem de jure decimarum, &c. sed postea dictæ civitates adtractatu Florentinorum rebellarunt contra Ecclesiam, & expulerunt eam, & ejus dominium, omnibus extraneis interfectis: in qua civitate Perusii ego tunc præsens eram, & miraculosè cum uno socio evasi mortem. Vidisses tu etiam per dictos doctores eosdem solemniter & per multas rationes allegantes, quod illud licitum erat, & quod fieri poterat, &c. An ignoras tu, quod jura & textus scripturæ trahuntur & exponuntur secundum affectionem illorum qui illa allegant, vel pro quibus allegantur, ad illum enim sensum probandum inducuntur sicut vult qui loquitur, sicut de sono campanæ, volvendo & girando illa, sicut nasum in imagine erea? & tu, Carthusiæ das fidem & fundas conscientiam tuam dicens ad tegendum tuum peccatum, & errorem, Solemnes doctores allegaverunt super hoc.

CAPUT LIII.

NEc graveris, tu lector vel auditor, vel mireris si aliqua forte superius vel inferius terantur vel replicantur: quia plaga inveterata & infecta cancro non recipit fomentorum vel unguentorum medicinam; sed ferro candente opus est. Idcirco cauteria communiter multiplicantur, & recipias auctoritatem vel geminationem verborum per impressionem cauteriorum; & quia non h beo ultra quid faciam, saltem verbis geminabo & replicabo cauteria & ferra ignita, si forte aud ant & revertantur ad Dominum, sicut fecit Moises in Deuteronomio, & similis replicatio & iteratio habetur in diversis locis sacræ scripturæ, & libris sanctorum doctorum: quia scriptum est, Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, scilicet his qui secundum propositum vocati sunt sancti: maxime si efficiantur fervore caritatis igniti, quoniam, ut scribitur 2. ad Corinth. 10. *Epistolæ graves sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma & sermo contemtibilis.*

CAPUT LIV.

DEducto ergo illo turbine, sive concursu turbato facto in illa tempestate Pisana per schismaticos originaliter, & alios in simile, immo in pejus se præcipitantes, sub titulo neutralitatis damnatissimo, cum quibus comprehenduntur Provinciales, quorum dominus bis fecit solemne homagium & fidelitatem domino nostro papæ BENEDICTO, primum me præsente & teste: Videndum est de nostris tunc cardinalibus, circa quos sciendum, quod cum dominus noster papa BENEDICTUS fuisset in Portu-Veneris, & complevisset judicio omnium amicorum & inimicorum omnia quæ promiserat circa unitatem Ecclesiæ, immo plurima ultra offerret, & daret operam usque ad ultimum de potentia; & hoc est notorium, & ita etiam scripserunt tum ambaxiatores Franciæ: inter quos erat in capite ille SIMON DE CREMAUDIS tunc vocatus patriarcha; fuit mandatum ex parte regis Franciæ quod dominus noster papa in persona caperetur cum quibusdam de suis, nonobstante salvo conductu per ipsum pro se & suis concesso, dominus noster avisatus & incautatus per aliquas personas Deum timentes, ac etiam per nonnullos de tunc suis cardinalibus, habito consilio cum eis & aliis prælatis deliberavit, quod ex quo culpa notoria illius intrusi ANGELI omnes illos tractatus fuerant rupti, quod poneret personam suam in securo cum suis, & statum Ecclesiæ: & volens his nonobstantibus dimittere in partibus illis solemnes nuntios & speciales, qui possent adhuc tractare super dicta unitate, fuerunt salvi conductus tam ab illis de Francia, quam ab intruso petiti & requisiti, & expresse denegati. Tunc de consilio suorum cardinalium & multorum aliorum deliberavit convocare generale concilium in viciniori loco qui posset inveniri, ubi ipse & alii essent securi; & sic vocavit ad villam Perpiniani, quæ est prima villa post dominium Franciæ; & tunc fuit ordinata & mandata convocatio, & inceptæ bullæ vocationis generaliter pro omnibus, & tunc sui cardinales qui hoc consuluerant, & quibus fuit mandatum & intimatum, dixerunt & promiserunt, se, sicut proculdubio tenebantur, in dicto concilio interesse, & creditur quod tunc veraciter & ex corde dicebant.



CAPUT LV.

DIc ergo tu mihi, quid ulterius poterat facere dominus noster summus pontifex, vel quid restabat sibi, nisi venire in publicum, convocare Ecclesiam suam, & ibi paratus reddere rationem de his quæ egerat, & petere & habere concilium? Quid ulterius pro unitate Ecclesiæ esset faciendum, mittens litteras vocationis ultra illis qui sibi actu obediebant, in Franciam, Provinciam, & Januam, ubi nuncii portitores qualiter fuerunt tractati per captionem personarum, vincula, injurias, tormenta & deprædationes bonorum, sciunt qui passi sunt? Ordinaverant enim jam in Francia commissarios & satellites, qui per omnem viam impedirent quocumque etiam de extra Franciam volentes venire, sicut fecerunt. Ultra hoc publicantes edicta, quod nullus iret ad dictum concilium, sub pœna personarum & bonorum, quibus nonobstantibus, adhuc venerunt de comitatibus Fuxi & Armaniaci, & aliqui de Lotaringia. Furtive tamen isti & in habitu dissimulato transiverunt per terram Franciæ, & isto timore illi tunc cardinales non audentes venire ad dictum concilium ne perderent beneficia, pro quibus conservandis etiam adorarent idola, ad terrorem & impressionem aliorum de Francia conspiraverunt, quod ipsi convocarent concilium in Pisis, & scripserunt domino nostro tamquam papæ & domino eorum, ut patet per litteras originales, quas ego vidi, requirentes ut veniret ad eorum concilium, &c. Vide tu hic patentes errores. Dominus noster convocaverat concilium; ad quod venerat cum suo collegio cardinalium, quia ubi est papa, ibi est verum collegium cardinalium, de jure, etiamsi non essent nisi duo vel tres cardinales. Illi autem absentes erant ut singulares, dato etiam quod essent plures in personis, fuerant tamen vocati & citati, & tenebantur, & promiserant venire, & ipsi è contra vocarunt summum pontificem ad eorum conciliabulum; subditi superiorem; vassalli dominum, convocando eum ut papam & ut dominum, dicendo quod facerent sibi reverentiam papalem & honorem, & reciperent ut papam. Audistis blasphemias, & errores patentes. Numquid enim concilium generale fuit congregatum, vel potuit congregari in Ecclesia catholica, nisi de mandato papæ? Ista est determinatio doctorum, & sunt expressi specialiter in capite, *Significasti* de electionibus & in aliis locis, & ponit B. Thomas in parte 1. quæstione 36. art. 2. in solutione ad 2. ac in fine.

CAPUT LVI.

ET cum dicunt, papa requisitus per cardinales noluit convocare concilium, &c. tu vides quod istud in aperto est mendacium insolubile: quia jam convocaverat & celebrarat cum Ecclesia sua catholica in villa & loco omnibus securo &, assecurato. Et cum addunt: noluit convocare Pisis, patet à notorio, quod illa civitas erat locus incompetens, & perhorrescentiâ & timore vallatus, & sub dominio, immo tyrannide Florentinorum, qui, ut infra etiam tangam, deduxerunt Ecclesiam ad istum statum; de qua civitate illi olim nostri cardinales colloquentes, cùm aliud fieret verbum, dixerunt specialiter per organum illius olim Penestrini: Pater sancte si vos concederitis convocare concilium Pisis, etiam post quantamcumque securitatem datam à Florentinis, ego solus recedam, & numquam interero: ego enim expertus sum qualiter servant fidem promissam, & similia verba. Non videtur tibi etiam cæco & obtenebrato quod longe honestius & congruentius erat convocare ad insignem villam Perpiniani, quæ sapit in omnibus unam magnam & notabilem civitatem: sed vocatur villa, quia titulus civitatis recipitur ab uno burgo parvo vocato Elna, quia est de temporali dominio Ecclesiæ, sicut dicitur de Magalon & Montepessulano, quæ villa erat in terra & dominio regis Aragonum, principis utique catholici, & justi, fidelis & christianissimi: ubi etiam Saraceni & Tartari post fidem datam fuissent securissimi; quam in Pisana civitate nunc per Florentinos vi & potentia occupata, invasa, & deprædata, quæ per eos tyrannisatur in manu potenti & robusta, qui raro vel numquam servarunt fidem alicui, dùm tamen videant rupturam eis utilem. Et quomodo servabunt alicui fidem, qui Ecclesiæ & suis dominis naturalibus sunt & fuerunt semper & continuo rebelles & proditores? & quomodo confidendum est latroni, qui tenet continue res raptas in manu, paratus & dispositus ad plura rapiendum & invadendum? quidquid enim possident in villis, & castris, & terris, in magna abundantia habent ex rapina, invasione, & ocupatione illicita & damnata; nisi quia illi magni & solemnes doctores Italici, per multas allegationes, argumenta, & auctoritates justificant, & dant eis titulum, ut supra dixi, in quibus tu, Carthusia, jacis fundamenta tua, &c. Vide quis posset confidere in talibus personis. Absit à sæculo; ante confidendum esset in leonibus, vel ursis rabidis, vel in ursa etiam catulis raptis.

CAPUT LVII.

DIcitur ergo tibi: In culpa est, (loquendo ore fœtido) PETRUS DE LUNA, quia noluit convocare Pisis, & tu credis eis de culpa, & non credis quod papa legitime convocaverit in loco omnibus tutissimo & securissimo. Et si dicitur tibi: Non venissent illi anticardinales vel alii de alia obedientia, respondetur tibi, quod non fiebat convocatio pro illis, quia non erant membra Ecclesiæ, nec poterant ante reconciliationem interesse concilio, nec erat spes quod venissent. Tu ergo credis quod papa tenebatur in Pisis convocare, vel ad illorum vocationem venire, & non credis quod illi te-

nerentur, (loquor de olim nostris,) ad vocationem papæ, in loco tutissimo & securissimo venire. Ista potius sunt & videntur deliramenta & vanitates, quam rationes vel dubia; & si venissent, tunc canonice & rite fuisset ordinatum, quid esset faciendum pro vera unitate Ecclesiæ, jure & secure, & sine omni impressione, timore, vel terrore: & sic Spiritus-sanctus auctor & amator pacis & charitatis creditur indubie, quod inspirasset quæ sibi placita & accepta fuissent.

CAPUT LVIII.

Ulterius immiscuerunt se illi nostri olim cardinales cum aliis vocatis anticardinalibus, & simul dicebant se utrumque collegium. Videtis hic hæresim & errorem expressum unum supra alium? supponentes & confitentes duo collegia cardinalium in Ecclesia; & per consequens duos papas, & duas Ecclesias, & sic conjuncti, vel verius infecti & conjurati, miserunt litteras hinc & inde, cum quot mendaciis & fictionibus videatur in eis, & omissis aliis multis causa brevitatis, quæ hic possent narrari. In villa Perpiniani dominus noster papa celebravit concilium rite & juridice congregatum, cum sua Ecclesia catholica, & multis aliis ibidem decisis & expeditis, deliberatum fuit, quod mitterent solemnes ambaxiatores Pisas, non ut astricti, vel ligati, vel tanquam ad concilium, sed ut saltem tractando, si posset inveniri hic vel ibi aliquis modus unitatis ecclesiæ, & ostenderunt illis qualiter ipsi aliter facientes perducebant novum errorem in Ecclesia; habentes plenissimam potestatem pro exequendo & complendo effectualiter quidquid esset necessarium pro vera unitate Ecclesiæ. Et cum dicitur quod non fuerunt tempore assignato, istud erat impossibile: quia tam in dominio Franciæ, quam Provinciæ, Januæ, de Luca, de Pisa, imminebat eis periculum evidens personarum & bonorum; ideo oportuit laborare pro salvis conductibus obtinendis à tot dominis, nec in Francia potuerunt haberi, nisi per medium regis Aragonum, qui misit nuntios suos, & data omni diligentia, & habitis salvis conductibus, ambaxiatores arripuerunt statim viam suam, gradiendo celeriter, & dietis continuatis. Et hæc notificaverunt illis de Pisis, cum litteris suis & nuntiis specialibus, jam antequam se præcipitassent ad aliquem actum. Ergo non stetit per eos, sed per impedimenta adversariorum, & tamen cum toto hoc fuerunt Pisis per quatuor vel quinque dies, ante ingressum latibuli illorum, id est loci intrusionis.

CAPUT LIX.

Et quamvis tam per se quam per medium solemnium ambaxiatorum regis Aragonum requirerent illos cum magna diligentia, & instantiis geminatis, quod audirent eos in

A publico: numquam tamen potuerunt obtinere; sed loco audientiæ dandæ, succedebant terribiles minæ, impressiones, terrores, injuriæ & opprobria, tam contra eos, quam contra eorum familiam, de trucidando eos & tradendo igni, & similia, quæ essent longissima & tædiosa, si hic singulariter exprimerentur. Ideo tam propter eorum notorietatem, quam quod super his tant publica instrumenta, hæc latius explicari omittentes: in tantum quod in una congre-

B gatione ubi fuimus & ubi credebamus audiri saltem in parte, sicut fuerat data spes, ubi erant de illis vasis iræ, anticardinalibus decem vel duodecim, loco pacificæ audientiæ, fuit tanta commotio & seditio contra nos, nulla causa in nobis procedente, quod illa vasa iræ, & quidam dictus inter eos marescallus curiæ, dixerunt nobis patenter, Non possumus vos deffensare ab istis periculis. Vos videtis: addentes subsequenter: Non recedatis hinc quousque omnes recesserint propter evidens periculum

C personarum vestrarum. Et sic aliquantulum dispersis illis seditiosis, oportuit quod potestas vel capitaneus, vel ejus filius loco sui, & aliqui notabiles cives cum suis apparitoribus & servientibus, sociarent nos usque ad hospitia nostra, peditando tamen, quia non fuimus ausi equitare sicut veneramus, ne lapidaremur, sicut videbamus paratum; nec aliqui de dominis cardinalibus vel amicis nostris antiquis prælatis, vel aliis audebant nobiscum loqui, nec recipere aliquem de nobis in suis domibus ad collo-

D quium quodcumque, nisi semel unus, sed caute in tenebris & occulte.

CAPUT LX.

Inierant enim, conspiraverant, & conjuraverant quædam capitula, pacta & colligationes cum dominio Florentinorum, qui tunc tyrannisabant civitatem Pisanam, sicut & nunc, plena & respersa tot insidiis, & machinationi-

E bus, quod quidquid diceremus, & ad quamcumque partem nos verteremur, eramus in periculo personarum & bonorum, nonobstantibus salvis conductibus quibuscumque, & secundum quod dietis peractis, vel verius conspirationibus, & conjurationibus continebatur; ipsi inimici nostri & veritatis, in tali casu erant constituti judices nostri, & nisi quia fuimus per quemdam civem Florentinum de societate delibtra, qui creditur quod moreretur ex hoc, ne societas sua perderet bona quæ habebat in

F magna quantitate in terra regis Aragonum, avisati & incautati, proculdubio in eorum insidias, & per eos excogitata pericula, & discrimina cum nostra plena innocentia evidentissime cadebamus.

CAPUT LXI.

Dederant enim Florentini consensum & locum in illis pactis, & captiosis capitulis

tum quia in superficie litteræ non videbatur tanta captiositas & malitia, propter verba generalia, quæ possunt exponi & applicari prout volunt, qui dominantur quamvis essent plena veneno & dolo abundantissimè usque ad summum, tum quia, tam illi de Florentia, quam anticardinales Italici dabant locum ad complacendum in his præparatoriis, tam illi SIMONI, tunc vocato patriarcha, qui omnia ista principaliter agitabat, quam aliis de regno Franciæ, ne ex istis impediretur, sed votivè agerent propositum principale eorum super intrusione de ipsorum natione, & sic præambula etiam illicita & reproba concesserunt, ut damnatissimam conclusionem obtinerent, sicut fecerunt: & hoc eodem modo vel simili repulerunt ambaxiatores regis Castellæ, & alios qui venerant ex parte primi intrusi, qui obligabant se cum maximis pœnis, quod facerent illic magistrum suum, habita securitate, & præparatis quæ erant pro necessariis veræ unionis præparanda. Et sic illis ingressis latibulum intrusionis, oportuit nos dictos ambaxiatores secretè & cautelosè exire civitatem Pisanam, quia tunc imminebat vehementia periculi & timoris. Commiserant enim custodiam portarum civitatis illi SIMONI, qui tunc dicebatur patriarcha: ita ut, nulla, maxime Ecclesiastica persona, exiret civitatem sine illius voluntate & bulleta: de quo scriptum est: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit*, &c.

CAPUT LXII.

VIde igitur tu nunc, & considera qualem intentionem & propositum habebant ad veram unitatem Ecclesiæ; quia nos ambaxiatores domini nostri papæ BENEDICTI & totius generalis concilii, & omnium regum & principum nostræ obedientiæ, qui habebamus firmum propositum numquam redire ad papam, quousque unitas vera & cum effectu obtenta fuisset, & ire ad primum intrusum, & ad omnes illos qui in his opem, favorem, auxilium & consilium poterant dare, habentes super his agendis, tractandis, & perficiendis plenissimam potestatem, & copiosissimas instructiones tam patentes quam secretas: parati nihilominus obligare & ponere nos in vinculis, quod ea quæ promitteremus opere & efficaciter complerentur, dum tamen fierent debito modo & canonico, ne novum scandalum in Dei Ecclesia oriretur: & sic firmiter speramus cum divino adjutorio, qui in tanta necessitate non permisisset suam sanctam Ecclesiam cum tot discriminibus ulterius fluctuare.

CAPUT LXIII.

SEd filii perditionis & membra collegii infernalis, qui non impinguantur, nisi in scandalis, & in seditionibus, & divisionibus, pascuntur in periculis, damnis & perditionibus proximorum gaudent & lætantur, & exultant in rebus pessimis & cum male fecerint, gloriantur, obturantes more aspidis aures suas, quorum superbia ascendit semper, oculos suos statuerunt declinare in terram, & perficientes opera diaboli patris sui, perduxerunt tale idolum, ut vidistis & audistis. Cui jam præcipitato in supplicium æternum, submissus est alter, qui tantæ nequitiæ & malitiæ est inventor & auctor, quod sub nulla fide, ritu, vel secta vivit. Jam enim dum erat sub obedientia illius primi intrusi, vocati apud eos GREGORIUS, comitatum Bononiensem commissum sibi occupavit, rebellando publice contra dominum & magistrum suum; & alia fecit, commisit, & perpetravit in omni statu in quo fuit, quod nequitia & malitia illius primi PETRI DE CANDIA quamvis præter intrusionem, abundans & magna, respectu istius videretur innocentia. Et vis videre in uno minimo exemplo excessum malitiæ & iniquitatis illius. Cum nos embaxiatores disponentes ire de Pisis ad illum GREGORIUM primum intrusum pro tractatu unitatis Ecclesiæ, requirere fecissemus istum de securitate habenda per terram Bononiæ quam tyrannisabat, respondit: Dicatis eis, quod vel cum securitate vel sine, si illic possum eos reperire, ego tradam eos igni vivos concremandos. Vides, ô tu generatio cæca, prava atque perversa, quales sunt conductores, directores & præceptores tui?

CAPUT LXIIII.

COntemplare hic ergo, tu Carthusia, si in toto orbe ab origine mundi usque nunc, est vel fuit, nec credo erit, natio, ritus, vel secta, universitas, congregatio vel collegium, princeps, judex, rector, populus vel turba, genus, vel sexus, fideles, infideles, Saraceni Judæi, gentiles vel pagani, qui ambaxiatores maxime ad ipsorum instantiam & vocationem ad eos missos, etiam per capitales & publicos inimicos & hostes etiam portantes & & volentes ferre & explicare blasphemias, diffidamenta, vel banninamenta, vel alia quæcumque injusta & odiosa, quod non audierint illos? ô damnatissimi hominum! aut illi ambaxiatores domini nostri papæ & totius concilii generalis exposuissent & portabant utilia & accommoda pro unitate Ecclesiæ, sicut veraciter faciebant; & tunc non debebant respuere eos, sed amplexando extollere & laudare; aut irrationabilia, & tunc poterant repellere & reprobare; sed non audire, istud excedit omnem humanam, immo diabolicam iniquitatem & malitiam. Et si dicis, Jam ipsi sciebant quid portabant (sicut aliqui delirant) dico tibi quod istud transit in stultitiam & dementiam: quia istud soli Deo competit, videlicet scire corda hominum, & futura, & secreta: & nescis tu quod in similibus negotiis, alia est potestas patens, alia secreta: aliqua sciunt duo vel tres quæ ceteri conscii forte ignorant: & si aliqua alia fuissent necessaria, misissent ad suos dominos & magi-

stros, & statim habuissent. Quomodo ergo audiendi sunt illi qui dicunt quod sciebant omnia? & quamvis falso modo dicerent se judices illa profana congregatio, tamen igorabant ut judices, etiamsi aliqua scivissent ut singulares.

CAPUT LXV.

Vides ergo quod nec gestu, opinione, vel veritate illa profana congregatio potuit B dici concilium, sed quædam adunatio hominum impiorum, singularium, sine capite, ut locustæ vel formicæ, non habentes formam, materiam, saporem, vel colorem synodi, vel concilii, vel alterius licitæ congregationis, sed quasi quoddam insolitum spectaculum vel irridenda chimera. Et ut ista sub epilogo tibi constent, & ne replicem verba, vel te aggravem in recitando, mitto tibi copiam inferius cum præsenti affixam, quorumdam dubiorum factorum in duplici genere, videlicet nunc isto anno, per C quemdam de illis anticardinalibus Italicis, qui vocatur apud eos Berrensis, qui cum fuisset mandatus per suum magistrum hæresiarcham, illum Bononiensem, nunc intrusum, ut veniret, antilegatus ad terras regis Aragonum misit sibi illa dubia, ut ante omnia faceret eis respondere, & satisfacere: & sic elusit & evasit antilegationem sibi comminatam. Aliud genus dubiorum fecerant illi nostri olim anticardinales, dum erant Pisis, antequam illa damnatissima congregatio fieret, videntes quod nullo D modo poterat fieri, sed non audebant exprimere, ut infra videbis, nisi per viam, & in formam dubiorum, quæ in utroque genere patenter & luce clarius concordant in nullitate & reprobatione illius simultatis Pisanæ, immo insolubiliter concludunt; nam si illi qui fecerant dicta dubia, scivissent eis juridice & in veritate respondere & illa solvere, ipsimet fecissent.

CAPUT LXVI.

Concludatis ergo, frater Bernarde, illis de Carthusia per modum sequentem. Ipsi enim habebant & reputabant verum papam dominum Benedictum XIII. sicut & prædecessorem suum dominum Clementem VII. qui dominus Benedictus convocavit concilium generale in villa Perpiniani, ad quod vocavit per bullam specialem in virtute sanctæ obedientiæ prælatum eorum, nomine totius ordinis, qui tam propter imminentia pericula & viarum discrimina, quam propter observantiam ordinis, F quam alia, excusavit se, rescribens per famulum specialem multis allegatis rationibus, (sicut eis constabat): quibus, & dicta excusatione repulsis, iterum habuit in mandatis de eundo, cui obtemperavit, videns quod sine Dei offensa non poterat excusare: & ivit, & omnia prædicta egit de concilio & voluntate illorum de Carthusia. Celebrat igitur summus pontifex concilium

A cum suo vero collegio cardinalium, ubi à principio fuerunt novem cardinales, sed mortuis duobus semper fuerunt septem. Et cum sua catholica Ecclesia, ubi fuerunt præsentes omnes prælati de Hispania, quæ est longe major terra quam tota Francia. Fuerunt etiam ibi omnes prælati dominationis regis Aragonensis quæ nequaquam minima est inter filios Israel potentia, sapientia, scientia, & virtute, sicut multi eorum experti sunt de Lotharingia & de Sabaudia, & de Francia aliqui prælati, scilicet de comitatu Fuxi, & de comitatu Armaniaci, & nonnulli alii episcopi, sicut Biterrensis, & similes alii quamplurimi se excusarunt propter impressiones notorias, & edicta facta in Francia. Fuerunt etiam ibi procuratores & syndici regum & principum ac ceterorum absentium prædictorum regnorum & terrarum. Regnum Scotiæ propter distantiam magnam, & notoria pericula, non venit, sed postea gratum & ratum habens confirmavit. In quo concilio, recitatis & publicatis omnibus processibus, gestis, & agitatis per dictum dominum nostrum papam à tempore suæ creationis usque ad illam diem, & per organum illius tunc in aspectu extrinseco fidelis cardinalis *de Chalent* publice, distincte, & clare lectis, recognitis, & auditis, petiit dictus dominus noster concilium. Quid ulterius posset vel deberet facere pro Ecclesiæ celeri unitate, cum esset promtus & paratus ea exequi & complere? Habita ergo matura deliberatione, totum concilium concorditer, nemine discrepante, dixerunt, asseruerunt, & confessi suntquod dominus noster papa fecerat in prosecutione unitatis Ecclesiæ, quantum sibi vel homini possibile erat, & quod apud Deum & homines erat immunis & liber ab omni culpa & nota cujuscumque negligentiæ vel omissionis, & tenebant eum & reputabant verum papam & vicarium Jesu-Christi. Et talem confitebantur, nec credebant eum alicujus hæresis vel erroris macula respersum, vel apud catholicos notatum: supplicantes sibi, ut in ulteriori prosecutione unitatis daret operam, & adhiberet omnem diligentiam & curam, & in omnibus his fuit legens, E publicans, approbans, & laudans ille profugus, ille, ille, sic notatus & prædicatus ubique, fugitivus & apostata, dictus tunc cardinalis *de Chalent*, cum suo in omnibus carnali germano epicopo Lausanensi, ut prædicta clare constant per publica instrumenta: & in omnibus ego fui præsens, videns & audiens, laudans & approbans, vice & nomine meo & ordinis.

CAPUT LXVII.

His pendentibus, insurgunt aliqui cardinales existentes sub obedientia dicti domini nostri de jure & de facto, & mentientes se esse collegium, cum esset impossibile à notorio, per ea quæ dicta sunt. Satagunt aliud convocare concilium, ad quod provocant dictum dominum nostrum, fatentes in suis litteris illum verum papam & dominum eorum ad civita-

tem Pisanam publicam, capitalem inimicam, & notorie odiosam, & periculosam eidem domino nostro & suis, & in plena obedientia adversarii sui intrusi, & in pleno dominio Florentinorum, qui & primum schisma, & durationem ipsius, & istud novum, & rebellionem terrarum Ecclesiæ ipsi ex toto inceperunt, & perfecerunt & perpetraverunt, ut toti mundo notorie constat: & in quibus quantum confidendum sit, quia superius dictum est, nunc subticetur. Et prædicti tunc cardinales miscentes se cum aliis profanis anticardinalibus illius intrusi ANGELI, à quo tamen fuerant privati & depositi, & quos anticardinales de consilio & consensu prædictorum tunc cardinalium nostrorum dominus CLEMENS VII. & successive dominus noster BENEDICTUS, pronunciaverant excomunicatos, schismaticos, hæreticos, & extra Ecclesiam catholicam, & nullam potestatem habentes; & sic simultati vocantes se utrumque collegium, & confitentes duplex collegium esse in Ecclesia, tentant vocare prælatos & dominos ad eorum congregationem, ad quam venerunt aliqui originaliter schismatici & alii schismatici & neutrales, & adunati, conspirati & conjurati, dicunt se concilium & synodum, & sic facti publici hostes, & inimici capitales notorii dicti domini nostri & suorum, nulla vocatione præcedente vel intimatione, nam illa profana congregatio, etiam sic damnata & nulla, prout erat, numquam vocavit dictum dominum nostrum, & inter se debaccantes, pronuntiant illum & sibi adhærentes hæreticos & schismaticos, &c. & nuntios missos per totam Ecclesiam catholicam, ad finem superius expressum, qualiter tractant & recipiunt tamquam de publico & notorio, & in publicis instrumentis expresso, & superius jam aliqualiter enarrato, hic non fit alia mentio, vel prosecutio specialis.

CAPUT LXVIII.

O Spurcitia, fæces, & scoria, omnis iniquitatis & malitiæ, congregatio damnatissima & maculatissima, & si te fatebaris concilium, quare non audiebas venientes ad te? si enim non erant de tuis, quare vocabantur? si autem erant, quare non audiebantur? & si nolebas nuntios dicti domini nostri papæ audire, saltem audisses nuntios regum & principum omnium, prælatorum & dominorum supradictorum, qui te requirebant, volentes scire fundamenta & rationes, processus, &c. in hac materia, si forte habebas, & quia nec ratio nec fundamentum, causa justa vel processus, te vel facta tua poterant palliare, ideo repulisti eos confusibiliter & ignominiose, ut supra latius est expressatum. Et si tu eras concilium vel synodus, ut damnabiliter mentiebaris, numquid illi erant de membris tuis? qui etiamsi fuissent errantes, vel non recta sapientes, debebas eos reducere ad te. Quis umquam denegavit audire etiam condemnatum, jam ligatum in collo ad furcam; vel hæreticum jam vinculatum ad ignem, si forte requirebat aliqua revelare vel dicere? & unde tibi condemnare de hæresi vel de alio crimine, absente non vocato, & sine omni audientia & processu? & quomodo ex superabundantia, & vehementia iniquitatis & malitiæ tibi obstruxeras oculos in tui damnationem, non considerans quod etiam de crimine hæresis verus contumax, antequam condemnetur ut hæreticus, expectatur per annum? Dicas mihi, putridissima & fætidissima congregatio, credebas tu, loquor schismaticis antiquis & novis, habere dictum dominum nostrum papam Benedictum capitalem inimicum & publicum hostem, cum sic per publica edicta maxime in Francia fuisset publicatus; quare ergo, & qua fronte recipiebas partem vel personam judicis contra eum vel suos?

CAPUT LXIX.

ITerum credebas tu, ô infectissima, & maculatissima conspiratio, quod dominus noster papa cum suis gauderet plena securitate in Pisis, quantumcumque promissa vel firmata; quam licet dicti olim cardinales nostri spopondissent dare, tamen numquam habuerunt, vel miserunt. Considera qualiter tractasti suos nuntios habentes plenos salvos conductus, & constabat quid de eo factum fuisset, quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet. Oro, rogo te, deposita omni cæcitate palpabili ab oculis tuis, si potes, dic mihi in recto judicio quod caves, credis tu arctatum fuisse dominum ad veniendum ad tuam congregationem, vel tu consuluisses sibi venire, vel tu si fuisses in persona sua venisses? vel credis quod aliquid valuerit ibi gestum? Tu taces, licet videas clarissime, sed non audes exprimere, quod non solum nulla & irrita omnia prædicta figmenta tua, sed ridicula & deliramenta in æquali judicio, etiam apud infideles judicarentur, maxime si hic addas quæ ad litteram scribuntur de ipsa eadem civitate Pisana, in cap. pasto. de re judic. in Ele. præcipue in paragrapho eisdem igitur causis, &c. per unam columnam.

CAPUT LXX.

SEd respondent mihi illi olim nostri cardinales, quia alia pars jam in putredine suæ cæcitatis involuti, non possunt videre lumen solis, quia sol justitiæ non illuxit eis, & increpando me dure de hebetudine & ruditate intellectus mei, dicunt. Si tu credis & quod verbo tibi respondeamus quæ scimus, credimus & sentimus, satis insipienter æstimas; securis enim jam ad radicem arboris posita est, sed contemplare per te in his quæ fecimus & diximus, & in verbis, dictis, gestis, & factis nostris usque nunc, & tunc clare videbis & deprehendes cor nostrum & intentionem nostram, & sub secreto aperiemus tibi aliqua, & exinde sapiens architectus ædificet super illis. Nonne tu vides,

quod positi in aliquali libertate consuluimus domino nostro papæ in Portu-Veneris & alibi, postquam ille primus intrusus ruperat pacta, fœdera, & promissa, quod poneret se & Ecclesiam in securo, quia aliqui ex nobis revelavimus sibi injunctam captionem de persona sua ex parte regis Franciæ, nonobstantibus salvis conductibus & securitatibus datis; & quod vocaret concilium generale, ad quod nos promisimus tunc interesse vel aliquos ex nobis, sicut tunc firmum propositum habebamus? sed auditis edictis, bannis, terroribus & impressionibus Franciæ de non accedendo ad dictum concilium, quia in eorum manu pendet & pendebat tota vita nostra, & totus status, magis timuimus, & tunc fuimus impulsi, ut cum dictis anticardinalibus, qui fugerant à primo intruso, convocaremus concilium, quod fuit nobis fas abnuere, vel negare, differre vel tergiversare, quantum diligebamus vitam & statum, non credentes etiam tunc, quod sic ultra & contra omnem ordinem juris & rationis, & sine omni modo, forma, ordine, vel regula, & cum tanto impetu, tumultu, & impressione negotia fierent, sed ibi poneretur debitus ordo in agendis, & inveniretur via aliqua canonica & justa, per quam cum divino adjutorio posset vera unitas subsequi & haberi. Et subjunxit dicens mihi ille dominus NICOLAUS olim vocatus Albanensis, Non vidisti tu in littera quam scripsi tibi, & misi per illum qui portabat convocationes ad papam, qualiter rogabam te affectuose, ut venires Pisas, quia alias intervenisti in istis negotiis, cogitans quod aliquid boni fieret & tractaretur pro universali Ecclesiæ unitate? Dixi ergo verum est & littera est, nimis humilis, & curialis, & præamassem effectum laudabilem, quam verba nimis humilia & insolita: Et tamen cum fuisti Pisis, non fui ausus te videre, nec tecum loqui in publico vel secreto, licet invitatus & requisitus per illum qui portavit litteram prædictam; & ego dixi Verum est. Et ut videatis, frater, Bernarde, pono vobis hic tenorem dictæ litteræ in modum qui sequitur.

CAPUT LXXI.

REVERENDO AC RELIGIOSO Patri domino domno Magnæ Carthusiæ priori amico nostro carissimo.

Reverende ac Religiose Pater, amiceque carissime, audivi vos nuper ivisse Perpinianum ad dominum nostrum papam, quod cordi meo magnum gaudium attulit, æstimans & confidens in Domino præsentiam vestram ibi fore fructuosam. Et quia istius tam longæ tribulationis, attenta bona disposione totius cleri & populi christiani, sedationis via divinitus videtur aperta, vos quem experientia probata scio a certo extirpandi schismatis & unitate Ecclesiæ fervidum zelatorem, ex abundanti cum sciam vos non indigere calcaribus, humiliter requiro & hortor, ut hoc sanctum piumque Dei negotium nullo A modo velitis imperfectum dimittere; sed vestra familiari consuetudine apud divinam misericordiam devotis orationibus, & apud dominum nostrum efficacibus rationibus & persuasionibus (ut vestræ circumspectæ prudentiæ fiendum videbitur) instare velitis, ut tam parata materia diabolica arte, & diversis astutiis non ruat incassum; certificans vos quod dominos meos omnes hic existentes usque ad mortem invenietis paratos pro tam sancti operis complemento, firmos, attentosque in hujusmodi prosecutione negotii; & licet B sciam me vestras litteras non mereri, tamen si ultra meritum mihi dignamini scribere, beatum me æstimabo, excusando me si domino nostro non scribo, quia scio quod aliorsum recipit verba mea. Recommendo me intercessionibus & Deo acceptis suffragiis vestræ benevolæ caritatis, salutante me per te fratrem VINCENTIUM germanum vestrum, amicum meum carissimum, cum quibus utinam possem habere colloquium de præsenti. Conservet vos Altissimus C ad ejus sanctum servitium feliciter & longæve. Scriptum Pisis die penultima mensis janu. 1409.

N. CARDINALIS ALBANENSIS.

CAPUT LXXII.

Sed tu vides quod ea quæ potuimus facere sine periculo parabolice & ænigmatice fecimus, ad ostendendam nullitatem, & infectionem omnium agendorum, & nostram cordia- D lem contradictionem, sed cautissimè: quia etiam inter nos aderat qui vendidisse nos, saltem ille PETRUS DE TUREYO, propter cœcitatis & ambitionis suæ condensam voraginem, quam habebat & habuit semper ad papatum vel antipapatum, quia dicebat sic fuisse prophetatum in domo patris sui. In convocatione enim quam fecimus ad illud concilium, vocavimus nos utrumque collegium, & in provocatione quam misimus papæ nominavimus dominum E nostrum papam, & confitentes eum dominum nostrum in honore, & obedientia, & reverentia convocavimus eum ad civitatem Pisanam notorie suspectam, & capitalem inimicam ipsius & suorum, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, & alia similia quæ tu potuisti videre in litteris nostris, propter quæ eisdem nostris litteris vel vocationibus de jure vel de facto non arctabatur, nec tenebatur venire, nec mittere à notorio; maxime quia illa congregatio numquam vocavit eum, quia nondum erat in rerum F natura; exprimentes nihilominus errores intolerabiles, & notorias impossibilitates, & inconvenientias in illis, quæ ipso jure & facto ostendebant & reddebant omnia præsentia & futura, nulla irrita & infecta; & in conspectu omnis plebis, nullius efficaciæ seu valoris.

CAPUT LXXIII.

Consequenter quis umquam audivit quod cardinales aut concilium deponerent vel judicarent

judicarent papam, cum utrum papa possit deponere cardinales sit quæstio mota per Ostiensem & alios. Unde totus mundus congregatus, nullo deficiente, propter quodcumque crimen notorium vel scandalosum, sicut de Johanne XII. vel similibus, etiam pro hæresi non posset deponere papam, vel dare sententiam contra eum 21. di. *nunc autem* & c. *in tantum* & 79. di. *Ejectionem*, cum multis similibus: quia sibi soli dictum est *tibi dabo claves regni cælorum*, & *quodcumque ligaveris*, & *pasce oves meas*; & de hoc est determinatio Ecclesiæ in extravaganti, *unam sanctam*, & alibi; sed si constat papam hæreticum contra aliquem articulum fidei, vel male sentire de fide, & est pertinax, seu incorrrigibilis, & de hoc constat inexcusabiliter rite & canonice, tunc non datur sententia contra eum per quodcumque concilium, synodum, vel congregationem, sed receditur ab eo, quia ipso facto desinit esse papa. Nec tunc judicatur ab aliquo, ut habetur expresse in prædictis juribus. Nec privandus est papa deffensionibus suis de quocumque crimine impetitus, plusquam alter quicumque homo de mundo, etiam criminosus, vel sceleratus, non dico litteratarum personarum, nec in judicio caprarum vel asinorum.

CAPUT LXXIIII.

PRæterea, non valentes, vel verius non audentes directe impugnare quæ disponebantur agenda, & introducenda, fecimus & produximus in viam dubiorum quasdam conclusiones insolubiles, quarum copia ad vos devenit in Perpiniano, & ibi considerare poteratis quid nos sentiebamus, quia non est litteratus in mundo, qui eas posset solvere, vel in veritate respondere. Ulterius scis tu cum aliis consociis, quod in illa congregatione in Ecclesia sancti Martini, ad quam vocati fuistis Pisis pro audientia danda, ubi factus fuit contra vos insultus, nullus de nobis principalibus fuit, nisi ille Aniciensis, qui tantæ firmitatis est, quantæ folium in arbore contra ventum. Jam enim ab omnibus actibus legitimi esset repellendus tamquam inhabilis corpore & spiritu. De alio vero de Hispania nulla commemoratio fiebat inter vos in rebus alicujus existentiæ vel auctoritatis, loquendo tibi in secreto tamquam de homine levissimo, & mendacissimo, & procace. Vidisti præterea, quod post illam electionem non ostendimus magnam lætitiam, propter illa quæ in nostro secreto inter nos, & à nobis acta sunt & fuerunt, & ista pro nunc non exprimeremus tibi; nec scripsimus per mundum principibus & prælatis, & aliis sicut consuetum est, immo nullibi, ut credimus, factum fuit festum, vel solemnitas celebrata: & tunc ego confirmans ista, dixi, verum est quia nos stetimus in Janua post intrusionem prædictam per multos dies, nec una campana fuit pulsata, nec alicubi ostendebatur gaudium, sed tristitia. Subsequenter vidisti, & audisti qualiter nos, opportunitate

A captata, recessimus ab illo, venientes in Franciam ad beneficia nostra, & camerarius archiepiscopus Narbonensis nobiscum, excepto domino Albanensi, qui residet in Florentia; & ex causa, alias venisset nobiscum; alii autem non possent aliud facere ex quadam necessitate inevitabili quæ postea scietur. Quando vidisti tu quod cardinales, maxime quinque vel sex, ut ita loquamur, de notabilioribus, & camerarius per tantam distantiam & locorum & temporis se elongarent ab illo quem crederent verum papam, quia est ita bono cardinali, curia papæ, B sicut vero religioso claustrum, & uxori pudicæ domus viri. Credis tu nos ita rudes & ignaros quod non viderimus & consideraverimus omnia prædicta, & alia quæ unus etiam biennalis scolaris in jure non ignoraret, immo nec unus probus sæcularis?

CAPUT LXXV.

C ET tunc ego dixi eis, Quid igitur facietis? expectabitis mortem & divinum judicium super vos in isto statu? Respondent mihi? Vide propter peccata nostra vel aliorum, Deus conclusit nos & vias nostras in circuitu, ut vere dicamus, angustiæ sunt nobis undique. Si enim vadimus ad dominum BENEDICTUM, oportet nos mendicare, quia omnibus rebus & bonis continuo expoliabimur. Et ego: Numquid esset eligibilius vobis hoc, quam mori in tali statu? Respondent mihi: Facilius suadetur patientia D quam toleretur, & paupertas bono animo commendatur, sed tristi vultu & impatienter sustinetur. Cogita si unum prandium vel una cœna deficit, quantus rumor, quantus tumultus, quanta murmuratio de familia contra dominos & dominorum in se. Si ergo ad horam penuriam pati est intolerabile, quid tibi videtur de perpetuo egere? Summum enim infortunii genus est fuisse felicem; & sic non expectes à nobis latiorem super hoc disputationem. Et ego: Non legistis E apostolum Paulum dicentem: *horrendum est incidere in manus Dei viventis*? dicunt, Legimus; sed potius elegimus cum misericordia Dei disputare, quam incidere in furorem hominum & brutalem insaniam perversorum, & sufficiant hæc. Et ego provocans eos ad contristationem, dixi: Numquid cardinales dicuntur columnæ ecclesiæ, sicut scriptum est, *& posuit super eos orbem?* Quærunt de qua materia sunt istæ columnæ? suntne ferreæ an argenteæ vel ligneæ, vel de qua materia? Et respondent cum stomacho F (quamvis verè) & dicunt, De stercore. Et dixi eis, Verum est, bases sunt de stercore, sed columnæ de sulphure tamquam quædam vasa lutea divini furoris plena, & figmenta contumeliæ.

CAPUT LXXVI.

SEd mutando materiam, quia, ut asserunt, ista est eis satis onerosa, odiosa, ingrata & periculosa; dicunt mihi: Si posses laborare, vel

alios ad hoc inducere, ut in dominio Franciæ revocarentur edicta & impressiones, ita quod quilibet sine periculo & damno personarum vel rerum, posset loqui libere veritatem, & eam prosequi & deducere, & illam pacifice vellent audire, tunc nos diceremus patenter & publice quæ sentimus: Num in eorum conciliis in nulla deliberatione requirunt vel audiunt, audire vel requirere volunt pacifice & quiete votum nostrum, opinionem, vel delibrationem, vel cujuscumque? sed illi paucissimi qui occuparunt sibi regimen, deliberant, & exinde oportet sine omni repugnantia, contradictione vel dubitatione illud sequi, sub periculo dumtaxat personarum & rerum, nec aliquis ausus est in contrarium verbum facere, vel mutire.

CAPUT LXXVII.

ET tunc ego respondi eis: Quamvis ista videantur rationabilia & justa, tamen non pertinent ad me, nec sum ad tam grandia, qui aliàs libentissime laborarem, etiam cum periculo personæ, sed non video modum; precipue quia videtur nonnullis, quod istud apud illas gentes, & consequenter in vobis tamquam eorum appenditiis & sequela, sit plaga nimis dura & insanabilis, secundum illud Jeremiæ *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua, insanabilis est dolor tuus, &c.* & cum admiratione subjungendo dixi eis: Quare ergo ita dure reprobavit ista natio Gallicorum illam impressionem factam Romæ post mortem D. Gregorii, & ita eam damnavit, impugnavit & contemsit, cum tamen quasi nulla sit, vel fuerit modica in comparatione istius, quia illa ad horam, sed ista à magnis temporibus citra & adhuc continue durat? Et illa facta per rusticos & gentes populares, & ista per principes potentes & dominos. Illa in solis personis, ista contra personas, bona, statum, beneficia, parentes & amicos. Illa contra solos cardinales, ista contra omnes generaliter, cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ, sexus, vel ætatis existant, etiam usque ad mingentem ad parietem, comminantes eis, & suis etiam usque ad internecionem infra regnum Franciæ, & etiam si possent extra: sed videtur quod ab extra ubique plus timent pulices quam minas illorum; incipiendo à Janua, & sic de aliis. Non videtur ergo vobis ista impressio & perhorrescentia incomparabiliter major, quam illa de Roma, & quam alia quæcumque in nostris temporibus nata? propterea considera si in eorum dominio immineret electio celebranda, quid facerent. Credendum est quod ex hoc Deus, ut eadem mensura eis remetiatur, permittit quod illi de illa natione ubique feriuntur, percutiuntur, interficiuntur, & eis rebellatur, repelluntur & castigantur, valde improperose & confusibiliter, & ipsi semper emittunt minas suas verbales à quatuor ventis & quatuor plagis terræ. Dolendum est vehementer de tam nobilissimo regno, & in tantum ab olim prosperato, quod ita se permittit conculcari, & in tot errores deduci per tres vel quatuor grammaticos, cum tribus vel quatuor nominatis prælatis, qui omnes sunt patentia membra diaboli, quia hic nihil dicitur in detrimentum, contemtum, vel notam regis, vel dominorum, vel notabilium personarum, quæ in illo excellentissimo regno abundant, vel honorabilium popularium qui in similibus optimam habent intentionem; sed contra tyrannidem illorum hominum damnatorum, qui ista suggerunt & deducunt, sub nomine pietatis, in confusionem & detrimentum irreparabile dicti nobilissimi regni. Solebant enim hactenus vocari pro Ecclesia & ejus munimine, deffensione & reparatione, murus & antemurale; nunc autem coguntur publice omnes etiam indigenæ, in suis tamen secretis dicere *vah, qui destruis templum Dei.* Et ideo quidquid inveniatur hic scriptum de gentibus illius regni, intelligitur de illis membris diaboli & filiis Belial, qui omnia ista mala perpetrarunt: ita quod nec pœna in hac vita sufficeret contra eos, sicut scriptum est, *Et Libanus non sufficeret ad eos succedendum, & animalia ejus non sufficerent ad holocaustum*: immo ubique de illo regno subsannando dicitur, Hæccine hæc est illa Babylon? dicunt mihi vasa iræ: Require, qui tibi respondeat ad ista, quia nos nec scimus, nec possumus; & ista firmius secundum propositum nostrum & ea quæ superius diximus.

CAPUT LXXVIII.

MUtabo ergo vobis materiam, & videtur mihi quod illa rebellio facta per vos, & civitatem Avinionensem contra dictum dominum verum papam; quando inclusistis eum in palatio Avinionensi, & tenuistis obsessum & incarceratum per quatuor vel quinque annos, fortiter pugnando contra illum cum machinis, & bombardis, ballastris & ceteris armorum generibus, faciendo rebellare civitatem & comitatum Venaxini, constituendo vos & cives & habitatores comitatus prædicti, notorios proditores, & læzæ majestatis crimine reos, occupando ad vos bona, reditus, beneficia & omnia jura sua & ad eum pertinentia, cum quibus erexistis vobis capitaneum, conducendo gentes armorum contra eum & suos, &c. fuerit de ista materia vel simili. Nam videtur mihi, prout cives Avinionenses nobis, qui tunc concordiam tractabamus, dixerunt, cum eos argueremus de rebellione contra dominum suum, &c. responderunt, quod vos vocastis eos ad Villam-novam in domo Carthusianorum, & requisivistis eos, quod jungerentur vobis in rebellione prædicta: qui dixerunt quod non facerent, cum prædictum dominum recepissent ut papam in dominum eorum, &c. Et tunc vos dixistis, & cum publico instrumento asseruistis, ipsum non esse papam in vestris conscientiis, vel cum juramento ipsum negando esse papam & dominum vestrum; & tunc illi habentes duces cæcos, vobiscum præcipitaverunt se ipsos. Postea vos verecundantes, sed plus timentes pro futuro, præ-

cepiſtis notario qui receperat inſtrumentum, quod non groſſaret, immo abraderet & cancellaret illud, ut conſtat de hoc clarè: & ſic quod ſolum feciſtis ad decipiendum illos miſerabiles cives Avenionenſes & comitatus.

CAPUT LXXVIIII.

ET reſponderunt mihi: Vide, nimis patenter & nude loqueris, maxime contra magnos dominos, quia quamvis omnia ſint vera, & negari non poſſint, tamen omnia tranſierunt, & non ſunt nunc deducenda in publicam notionem. Ad quod ego reſpondendo dixi: Scriptum eſt, reatus omnem honorem excludit, præcipue, quia ego ex ignorantia mea neſcio nominare res niſi ſuis nominibus, quia deficiunt mihi circumlocutiones; & ideo neſcio nominare adulterium niſi adulterium, & furtum furtum, & homicidium homicidium, & ſic de aliis; & ſic nominavi prædicta per vos & per illos commiſſa rebellionem vel proditionem. Et dicunt mihi: Non poſſes vocare Subtractionem, ſicut nos vocabamus tunc? Et ego: Iſtud eſt exprimere actum criminis; ſed nomen criminis non exprimitur: ſicut uſurarius vocat uſuram intereſſe, & piratæ vocant rapinas precarium ſive lucrum, & adultera vocat adulterum amaſium ſive dilectum. Et tamen ego utens verbis veſtris, domine Albanenſis, quæ alias in publico frequenter dixiſtis, de quibus infra ſequetur, non debeo increpari.

CAPUT LXXX.

SEd dimittamus iſta, quia ego non deduco vel commemoro rebellionem illam ad alium finem, niſi ut omnis fidelis chriſtianus incautetur, quanta fides eſt vobis attribuenda in his quæ commiſiſtis & perpetraſtis in Piſis, vel in futurum facietis, maxime ſicut pronoſticatur à multis de quarta electione ſive intruſione in Francia.

CAPUT LXXXI.

ET reſpondent mihi: Credas tu quod quamdiu erimus in illis impreſſionibus & terroribus, de quibus ſupra diximus, & illis durantibus, abyſſus invocabit abyſſum. Et ego: Si ergo requirant vos ſub prædictis conditionibus & modis, ut eligatis quartum, etiam facietis. Et eſpondent mihi: Tu videbis quid fiet. Quid enim eſt plus facere, tertium, quartum vel quintum, vel quotquot voluerint, ex quo incepimus, nulla difficultas eſt.

CAPUT LXXXII.

ET addunt mihi ulterius: Vis tu videre in aperto, quare fecimus prædicta in Avinio-A ne, nec oportet quærere alibi probationes? Numquid vidiſti tu de illis qui tunc remanſerunt in obedientia domini BENEDICTI qualiter tractati fuerunt, & inter alios domini olim cardinales Pampilonenſis & S. Adriani, nam fuerunt incarcerati, & duriſſimo & intolerabili carceri deputati, & ſic propter periculum mortis valdé propinquum dederunt omnia bona ſua tunc capitaneo Avenionenſi Buſicaudo, id eſt inter pecunias & bona, decem vel duodecim millia ſcutorum. Et poſt hæc ille dominus cardinalis S. Adriani B repertus in dominio Franciæ, fuit iterum inhumano carceri traditus, & ibi tam ſqualore carceris, quam aliis crudeliter interfectus, qui clarens miraculis, veneratur ut ſanctus. Vidiſti quo modo ille abbas tunc capitaneus Venexini pro papa, impie fuit etiam interfectus, & bona ejus occupata; & ſic fiebat de quocumque, qui hoc nomen tunc invocabat, & ſic potius elegimus fieri teſtes, quam litigantes vel partes. Nam ita cum tanto furore & inhumanitate procedebant, quod inauditum eſt à ſæculis. Et ego: C immo vidi vos totaliter & principaliter agentes, cooperantes & auctoriſantes. Et dicunt: Quod fecimus, ſic oportuit, alias veniſſet ſuper nos indignatio & furor, & audiviſſemus in ſono quo alii ſupradicti, Qui non eſt mecum, adverſum me eſt.

CAPUT LXXXIII.

D ET tunc addidit loqui mihi D. NICOLAUS tunc vocatus Albanenſis: Non recordaris tu, qualiter te præſente in Avenione, & aliis qui tecum laborabant in pace tractanda, ex quo aliqualiter ille furor quieverat, quod ego dixi, quod non erant majores proditores in mundo, quam nos cardinales, quia ne perderemus beneficia in Francia, negabamus dominum noſtrum, & tenebamus eum captum, & pugnavimus contra eum hoſtiliter; & quod ex hoc fieret magnum ſacrificium Deo, qui nos tamquam E proditores ſuſpenderet per collum. Ad quod reſpondi ego: Verum eſt, quia iſta & duriora frequenter dixiſti in publico, ultra alia mihi expoſita in magno ſecreto, de ſuſpenſione autem vel combuſtione veſtra, creditur quod omnes concurrerent cum gaudio ad videndum quaſi ad nuptias diu optatas.

CAPUT LXXXIV.

F ET ſubjunxit, Vis videre qualiter & quantum Deus offendatur in iſtis? conſidera mirabilia, & terribilia quæ exercuit contra nos, primo nos in Villa-nova fecimus capitaneum tunc ad expugnandum papam, dominum cardinalem, vocatum de Novo-caſtro, qui ſtatim in prima elevatione manus contra eum, fuit à Deo graviter percuſſus, & mortuus ſine verbo, & numquam reductus ad ſe, & nullis receptis ſacramentis. Et dixi ego: In iſto non fui præſens, ſed audivi à multis, & ita eſt notorium in Avenione, immo

audivi à quodam honorabili & devotissimo religioso, qui fuit præsens, quando moriebatur, quod non erat ausus eum provocare ad pœnitentiam; saltem nutibus super facto rebellionis, propter satellites cardinalium ibidem præsentes, qui hoc strictè observabant, ne fieret, inducti & ordinati à magistris suis, qui timebant ne ex vera pœnitentia confitentis veritatem ipsi confunderentur, eligentes potius illum damnari, quam veritatem eis odiosam, inimicam & exosam publicari. Et exinde mortuus fuit ille vocatus cardinalis de Muriolo & portatus ad civitatem Claromontensem in Alvernia, & sepultus in domo fratrum Minorum, & inde cum maximis terroribus, ut fratres testificantur, cadaver ejus fuit sublatum à dæmonibus. Ad quod ego: De isto audiveram, & sic narrabatur publicè in Francia; & quando fui in dicta civitate Clarimontis inquisivi diligenter, & ita reperi in veritate fuisse sepultum. Et exinde subjungendo dicunt mihi: Vidisti tu qualiter mortui sunt, vel verius præcipitati in morte in ictu oculi, nulla quasi præcedente infirmitate, successivè domini cardinales de Agrifolio, & de Jerusalem? Dixi ego: Verum est, & ad istos ego fui præsens in civitate Avenionensi, & mortui sunt sine die & consule, & sine numero, pondere & mensura. Et addidi ego: Et quid vobis videtur de illo Roberto Cordeler, qui fuit causa mortis illius cardinalis S. Adriani, quomodo ex rabie comedit brachia sua, & sic in ista agitatione fuit extinctus à dæmonibus? Et respondit mihi: Illud notorium est. Et iterum dixi: Quid etiam vobis videtur de illo Montanii, qui fuit commissarius ad debacchandum contra illos qui veniebant ad concilium Perpiniani, quia audivi quod vivens corrosus fuit à vermibus? Et dicunt mihi: Illud etiam notorium est in Francia, quia nuper hoc accidit.

CAPUT LXXXV.

Et tunc ego: Quare ergo non formidatis tam duram divinam ultionem contra vos? Dicunt mihi: Quilibet credit vivere & videre finem. Non enim est homo ita senex in mundo, quin speret vivere per unum annum, & ille annus numquam incipit: & sufficiant tibi ista. Et ego: Alia est enim ratio magis efficax: Et dicunt, Quæ? Et ego: Numquid majora terribiliora & duriora expertus est Pharao? & mirabiliora & altiora viderunt magni sacerdotes & principes Judæorum tempore Christi? tamen cor insipiens eorum induratum est? Et dicunt: Istud tangit viscera nostra. Et ego: Verum est, ad illa excœcanda & induranda.

CAPUT LXXXVI.

Subsequenter dixi ego: Si ergo prædicta ita injustè, notoriè & damnabiliter fiebant, sufficiebat vobis de facto; sed tot allegationibus, & tractatibus factis & publicatis per vos prædicta confirmabantur & dicebantur licitè & justè A facta fuisse & fieri potuisse. Nam ille cardinalis de Gifono qui videbatur inter vos summus in theologia, fecit magnas allegationes, & tractatus. Idem ille cardinalis S. Angeli, qui videbatur inter vos primicerius in jure. Idem multi alii prælati in Francia magistri de universitate, multum litterati & famosi concludentes & determinantes, etiam verbo deffensantes, me præsente & audiente, in multis congregationibus, parlamentis & audientiis, quod papa pro tunc erat B hæreticus, nec erat papa, nec sibi obediendum, & alia similia & graviora. Et in istis perseverastis per magnum tempus & continuum. Postea papa egresso de palatio de nocte subreptitiè & furtivè in confusionem vestram, statim adhæsistis sibi ut papæ & obedivistis, & idem illi de Francia, & inter alia ille de Gifono prosternens se ad pedes in via publica inter luta, confessus est se graviter errasse, & facta scripsisse damnabiliter & proditoriè, & idem de multis aliis. Quare illa jura tunc allegata, rationes theologicæ, & allegatio- C nes tunc apud vos & illos vocatæ efficaces & insolubiles, quomodo per solum exitum palatii fuerunt annihilatæ, & perdiderunt veritatem, auctoritatem & efficaciam suam? maximè quia dicitur quod ille cardinalis de Gifono poterat glossare Bibliam, tamen Deus liberet nos ab his quæ verbo & exemplo docuit, commentavit, seu glossavit super tertio præcepto secundæ tabulæ præceptorum decalogi. Tantæ enim obscuritatis sunt & profunditatis, quod usque in abyssum cum auctore suo descendunt; & quasi palbabilibus tenebris involvuntur, & videtur D quod multi ex vobis utamini indifferenter, in extrajudicialibus tamen, dictis glossis ampliora superaddentes.

CAPUT LXXXVII.

Ad ista respondent mihi quasi subsannando & subridendo de ineptitudine mea, dicentes: Non consideras tu altius istam materiam, quod ad unum inconveniens sequuntur multa, ut dicit E etiam Philosophus: & quando majus est inconveniens principale, majora sunt quæ sequuntur. Numquam enim peccatum legi vel deffendi potest, nisi cum alio peccato æquali etiam graviori, quia ejusdem naturæ habent esse conclusio & probationes ad eam, & idcirco non est persona in mundo, quæ requiescat in aliquo peccato cum firma deliberatione & proposito vel obstinatione, quæ pro illius deffensione, vel ut compleat desiderium sic firmatum, non committat centum alia etiam graviora peccata si occurrant. Vides F tu in exemplo, uxor quæ summè diligit maritum suum, cui nollet nocere etiam in capillo capitis, si cadit in adulterium, ut illud deffendat, vel se ipsam à periculo liberet, tractabit & consentiet in mortem viri, & in alia peccata gravia, sicut frequentissime est repertum. Iterum mater quæ cum quanto excessu amoris diligit filios nemo ignorat, & tamen quædam regina excœcata ambitione regnandi vel dominandi, ne impediretur à filiis, interfecit eos; & fratres

germani & alii parentes idem fecerunt, ut patet A in diversis locis sacræ scripturæ; sicut etiam potes videre de David 2. Regum, 11. c. & de Athalia matre Ochosiæ regis Juda quarto Regum, 11. c. & 2. Paralip. 22. c. & de similibus. Idem in illis qui fervent ambitione dignitatum & beneficiorum, quia in eorum conspectu nihil est, immo nec reputant peccata venialia, committere simonias publicas, fraudes, pacta, & machinationes damnatissimas, ut veniant ad optatum: immo agunt de turpi & crudeli morte illorum qui obtinent tales dignitates vel B beneficia, ut transeant ad illa, sicut non ex diu contigit, & pluries factum est. Vides ergo conclusionem pro te: Nos enim per impressionem, minas, terrores, & oppressiones illorum de Francia habentes etiam inter nos hujus tantæ nequitiæ & malitiæ principales auctores, conductores, cooperatores & promotores, ut de ceteris taceamus, illos videlicet D. JOHANNEM Ambianensem, & PETRUM DE TUREYO prædictæ nationis tunc cardinales, incepimus illud grande inconveniens, immo gravissimum C crimen rebellare contra papam & dominum nostrum in sua propria civitate, & abnegare eum, & pugnare hostiliter & horribiliter contra eum & suos, &c. nisi defendissemus illud tantum nefas facto & verbo, totus mundus venisset super nos; ideo oportuit allegationibus, tractatibus, monitionibus, persuasionibus, inductionibus, & litteris fictis & mendaciis, & fraudulentiis, & aliis quibuscumque modis, etiam injustissimis & damnatissimis uti, & nos juvare, deffensare & palliare, ut alii sequerentur nos, & sic essemus D fortiores, & alii efficerentur dubii & tepidi, & sic non juvarent illum, nec nos impugnarent; & sic factum est, & etiam cum omnibus istis satis fuit nobis difficile posse nos sustinere vel evadere: & nisi illa fecissemus, statim fuissemus extincti, & totus mundus invasisset contra nos. Ecce quid faciunt allegationes & instructiones magnorum prælatorum, doctorum & magistrorum; quia jura & argumenta præcipue in viris magnæ litteraturæ volubilia sunt ad quam partem volunt; & sic cessantibus periculis cessaverunt E allegationes; immo versæ sunt in contrarium, & sic quod in magnis scandalis, criminibus, & periculis jura & argumenta principaliter fiunt ad evadendum pericula, & se sustinendum, & cooperiendum, & ad habendum sequelam, & subtrahendum eam adversariis, quam ad probationem veram alicui propositi principalis; & ex eo subrisimus de quæsito tuo; quia tu tamquam grossus non elevas intellectum ad ista. An etiam ignoras tu, quod is qui majorem fovet injustitiam, & F magis notoriam in judiciis, fortius convalescit ad allegandum & inveniendum rationes & palliationes varias, ut sic turbato & offuscato adversarii jure, citius obtineat pactum & compositionem pro se pinguiorem? rarissime enim aliquis etiam rusticus fatetur se non habere jus, quanto magis nos pingues vaccæ Samariæ, inflati, impinguati, dilatati & realcitrantes? Et sic conclude quod allegationes, libelli, & tractatus nostri contra papam non fuerunt inutiles & superflui, sed efficacissimi ad deffendendum nos à periculis, & subtrahendum suffragia & sequelas papæ; & ista constant clarè per evidentiam, quia statim cessantibus periculis, ut diximus, omnia sicut fumus evanuerunt. Et tu scis quod etiam, durantibus prædictis rebellionibus & allegationibus, nos pro spiritualibus per medium tui recurrebamus in secreto ad papam. Et dixi ego: Verum est quod concluditur, dicunt ipsi, visibiliter quod non fiebant illæ allegationes pro veritate, ut diximus, & sic oportuit super hoc imponere digitum ori meo.

CAPUT LXXXVIII.

ET ex hoc subjungunt sua bonitate ad me ulterius instruendum dicentes, quod numquam confidendum est in multitudine, eloquentia & litteratura. Nam si tu legisti historias antiquas à tempore nascentis Ecclesiæ usque nunc, specialiter Ecclesiasticam historiam, videbis de tempore illius hæresiarchæ Arii, cujus error totum mundum occupavit & infecit, quod valde pauci erant pro veritate catholicæ fidei. Nam statim ille Arius homo litteratissimus in omni scientia, & acutissimus, & in apparentia magnæ honestatis & reputationis; cui ille vir magnæ sanctitatis Alexander patriarcha Alexandrinus prælatus & dominus suus commiserat emendationem & correctionem sacrorum librorum, videns quod non poterat pervertere magistrum suum rationibus vel argumentis, recedens ab eo conjunxit se cum aliis prælatis magni nominis, litteraturæ & famæ pomposis, folratis & faleratis; & sic simul adeuntes imperatorem, & cum eo suis conciliis fascinato & decepto inceperunt à terroribus & impressionibus, rectè sicut nunc factum est in Francia & alibi. Et credis tu loquentes tibi in magno secreto, quod si haberent jus, veritatem & rationem pro se, quod non vellent in publico & coram multis & in loco omnibus securo eum examinari & deduci? non dubites de hoc: sed nunc volunt loqui solum infra dominium suum, ubi in omni disputatione, primum replicatum est carcer, captio, invasio, infamiæ, injuriæ, periculum personæ & occupatio bonorum, & similia dumtaxat. Vide quis sciret respondere talibus argumentis: credimus quod soli martyres; quo nomine nullus saltem ex nobis vult hodie insigniri. Ex hoc ergo solo concluderetur ubique insolubiter & efficacissime quod quidquid agunt est contra Deum, veritatem, & rationem; nam omnes antiqui hæretici ita fecerunt: & ita etiam faciet antichristus, & numquam aliquis qui secutus est veritatem tenuit istos abominabiles & damnatissimos modos.

CAPUT LXXXIX.

ITerum non consideras tu quod antequam congregaremur Pisis, vel dum illuc perpetranda agitabantur, ducebantur, & tractabantur;

quod quilibet prælatus, magister, doctor, litteratus, immo sciolus, vel sæcularis discretus, tam amici quam inimici in diversis partibus mundi vehementer dubitabant, quod actus ille agitandus in Pisis per modum quo fiebat & ducebatur, vel impressus, vel conceptus fuerat, non valeret, nec aliquam firmitatem haberet, sed esset novus error in Ecclesia Dei; & super hoc tam per nos, quam per alios multos fuerunt facta dubia nimis pungentia, nec erat qui recto judicio solveret illa. Ad quos ego: Clare, ista vidimus & cognovimus omnes: nam etiam ille PETRUS Cameracensis tunc misit mihi in scriptis multa & magna dubia contra prædicta, ad quæ non respondebat, immo videbatur in eis residere; sed nunc, ut prædixi, omnia liquefacta sunt in ore suo. Sed dicunt ipsi: Attende & vide; quia ex quo aliqui nimio odio & rancore furentes, alii ambitione inexplicabili frementes, alii quibusdam ludificationibus fascinati, & alii timore & terrore, minis & impressionibus perterriti & conquassati, & alius sic, & alius sic, ut de ceteris taceamus, processimus ad illum actum, quem ut audisti & vidisti in Pisis, statim omnia dubia cessaverunt: immo oportet & oportuit eodem spiritu, quo acta sunt impellente, quantum diligimus vitam, honorem & statum; quod quilibet vacet & totis viribus intendat ad dicendum & allegandum, defensandum & sustinendum, verbo & scriptis, solemniter & potenter, per magnos tractatus, dictatus, & elegantes stylos, sopitis & extinctis dubiis primo factis, quod omnia prædicta fuerunt licitè & canonicè facta, & sunt valida & firma, & non recipiunt aliquam dubitationem: quia vides quod si taceremus vel contrarium diceremus, vel etiam aliquod faceremus dubium, essemus confusi & lacerati, & mundus lapidaret, & discerperet nos; & sic est nobis de necessitate status & vitæ, illud quod erat olim nobis & omnibus nimis dubium, quod nunc sicut cernis perpetratum, cum pertinacia & totis viribus deffendamus & approbemus tamquam verissimum & licitè factum. Et sic allegationes, & rationes, tractatus, argumenta & jura habent nunc saltem illum effectum, de quo locuti fueramus supra de prima inclusione & subtractione in Avenionensi facta, quia quicumque actus quantumcumque nullus, injustus vel pravus, & cetera hominum gesta etiam invalida ex multitudine allegationum & rationum apparentium, & cum eleganti stylo dictantium, & studio scribentium leporino videntur valida, vera, justa, & legitima, vel saltem ponunt audientes in stupore & dubio, & cum pravo impulsu favoris, timoris, vel honoris, ut audisti de multis, transeunt ad illam credentiam vel sequelam; & hoc est quod dicit B. Augustinus in simili de factis Atheniensium libro 18. de Civitate Dei c. 2.

CAPUT XC.

IGitur dixi ego: Non est spes quod aliter recognosceretis in publico veritatem, saltem ne vos cum tot millibus vestris sequacibus æternaliter pereatis, præcipue super re ista patenter & notoriè invalida & nulla, sicut est illa hæresis Pisana: quia quando quis plus cogitat, validius provocatur ad compassionem vel risum, quam ad impugnationem. Et dicunt: Respondimus tibi superius ad omnia, idcirco non oportet toties replicare, vel nos verborum multiplicatione gravare. Et ego: Non facio ad vos gravandum; sed opto, oro & laboro opportune, vel importune, vel etiam improbè, quod Deus reduceret vos ad viam veritatis, à qua video vos nimium alienatos, & elongatos; sed videtur mihi quod verba Job. 18. c. rectè habeant locum in vobis, cum dicit: *Immisit in rete pedem suum, & in maculis ejus ambulat, tenebitur planta ejus laqueo, & exardescet contra eum sitis, &c.* Ubi dicit B. Gregorius lib. 14. Moralium, qui pedes in rete mittit non cum voluerit ejicit, sic qui in peccatis se dejicit, non mox ut voluerit surgit; & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, ut cum se expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Et post pauca: Perversa enim mens cum in peccatis venisse se conspicit, quadam cogitationis superficie evadere laqueos quærit, sed vel terrores vel opprobria hominum timens potius eligit in æternum mori, quam ad tempus aliquid adversitatis perpeti. Et hic ipsi tacuerunt se mutuo aspicientes.

CAPUT XCI.

AD quos ego: Saltem sufficit mihi, quia per verba vestra illuminastis intellectum meum, ita quod deficit mihi ratio ad ulterius quærendum vel interrogandum, nec scirem respondere, & reputo me conclusum, & ista satiant & confortant animam meam & conscientiam quasi demonstrative, & de secreto mihi superius injuncto non dubitatis; quamvis cuilibet altiora contemplanti notoria sint quæ dixistis. Sed ego ex hebetudine mea non valeo attingere ad ista ex me, sed nunc sic per vos enucleata, effecta sunt mihi & omnibus clariora, & ulterius non inquietabo vos, immo doleo, quia habui sic dure & aspere loqui contra vos, olim dominos meos, nunc autem subjugalia dæmoniorum effectos.

CAPUT XCII.

SEd unum restat mihi in viam admirationis de vobis, nec expectabo responsum. Videtur quod vos sitis involutissimi in duobus gravibus & immobilibus peccatis, ultra alia scelera & crimina, currentia & mobilia; scilicet in duabus speciebus peccati in Spiritum-sanctum, cui, ut dicunt doctores, sunt sex species. Sed duæ præcipuæ tenerent eos oppressos cum vestris sequacibus, ut non possitis videre lumen cœli; de quibus scribitur quod in hoc sæculo vel futuro non remittentur; & tunc & nunc impugnatio agnitæ veritatis & obstinatio quasi inemendabilis, ex quo videtur quod Deus efficiatur vobis

implacabilis, ut dicit B. Gregorius in homil. A
super Evang. in viam gentium ne abieritis, & æstimatur à multis, quod in pœnam istorum & aliorum vestrorum inexplicabilium peccatorum Deus permittat per vos committi & perpetrari tam grandia scandala, pericula, & discrimina in Ecclesia sua, ut cum eritis in gradu damnationis vobis paratæ, subito cadatis in destinatum vobis locum ab origine mundi, & simul catervatim vestri sequaces vobiscum corruant, præcipue quia audio quod paucissimi ex vobis, vel nullus habuistis ingressum ad dignitates vestras per B
portam, sed aliorsum per quosdam anfractus, & vias difficiles, & subreptas, & solis ibicibus pervias; alius quidem ad preces armatas principum, alius favore vel timore nationis vel patriæ, alius prætextu consanguinitatis, parentelæ, vel carnalis amicitiæ; alius per fraudes & excogitatas baraterias, sicut mendicando sibi titulum consiliarii, præsidentis vel cancellarii alicujus principis, ut dolo dante causam contractui, promoveretur sub quodam fastu, vel prædicamento illius tituli simulati, fraudati, sub- C
repti, corrupti & mendicati; alius per rubicam & per vim vel alio modo, ut de ceteris taceamus, & sic nonnulli qui rectè considerant non possunt videre, quod aliquis vestrum intraverit per portam, dicentes, quod nullum titulum habetis quoad Deum, & reputent in vobis completum illud propheticum, Oseæ 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt & non cognovi.* Et sic inferunt isti valde probabiliter quod vestra congregatio cardinalitia sit rectè illa
vel omninò similis illorum principum synagogæ D
sacerdotum & scribarum de tempore prædicationis & passionis Christi, qui jam tum eisdem modis per potentiam & manus principum, per corruptiones & fraudes, pretio & favore præficiebantur, ut expresse narrant historiæ; & quod ex hoc etiam in eorum tenebrosa perfidia & cœcitate condensa videamini successisse.

CAPUT XCIII.

E

ITerum addunt isti, quod videtur eis, quod nunc tempore tanti excitati furoris dominici contra Ecclesiam suam, & nos, quia quando quærimus pacem non venit, immo elongatur à nobis, & quando expectamus tempus curationis, adest turbatio, Jerem. 14. c. in quibus diebus vacandum esset in cinere & cilicio cum lacrymis, gemitibus & suspiriis, ad placandum iram Dei, quæ fremit super nos; & si non exemplo fidelium, saltem exemplo infidelium, de quibus in multis locis legitur, sicut Jonæ 3. & in simi- F
libus, quod recurrerunt ad talia suffragia pœnitentiæ, abstinendo se à licitis, unde dicunt doctores, immo habetur ex textu subtiliter contemplando, & combinato cum præcedenti cap. Genes. 8. quod tempore quo ira Dei sæviebat super homines per diluvium, quod Noë & filii ejus, immo bestiæ & volatilia insimul habitantia, per totum annum integrum; quo steterunt in arca, non coiverunt in signum pœnitentiæ. Videtis quod à licitis amplexibus tempore divinæ visitationis etiam bruta animalia abstinent, & homines super omnem cœcitatem & brutalitatem, maximè prælati Ecclesiæ vacant continue desideriis corporis, seminantes carnis corruptionem: ô qui per tantum tempus fecisset aliquos ex eis abstinere à concubinis suis & meretricibus, quantum illa bruta animalia à comparibus suis? nec ille Ecclesiasticus fecisset hoc, qui tempore validissimi naufragii, & ad punctum quasi submergendi, vacabat in navi cum meretrice sua in fœditate venerea. O si iste vel similes fuissent in arca Noë, vidisses tu quod perdices masculinæ, hirci, asini, & porci, & similia animalia quæ fervent in luxuria, docuissent eos continentiam & pudicitiam, quasi quodam nutu & instinctu, vel saltem reipsa eis prædicantes; sed creditur quod non acquievissent monitis vel doctrinis illorum, quia super omnem fœditatem bestialem debacchantur in talibus: ita quod solus ignis infernalis extinguit ignem illorum. Ista dicuntur propter hoc; quia narratur quod nunc alius vestrûm patitur gravellam, & totus se dat medicinis, & de omnibus quibus potest juvat se de magnis, pretiosis & parvis, etiam de curru Israël, & auriga ejus, de sartore & ratorio coquinario & ceteris eis annexis. Alius contemplatur continue in materia illius textus sacræ scripturæ Eccles. 2. c. in principio quasi pro quarta parte capituli, quærens glossas & postillas super illis. Et alius sic, & alius quidem sic, ut istam materiam taceamus. Ex quo præsumunt isti veri catholici, quod hic habebit locum quod scriptum est Isaiæ 42. *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar; dissipabo, & absorbebo simul, & illud excitabitur tamquam dormiens dominus, tamquam potens crapulatus à vino.* Ista dicuntur ad vestram avisationem, quia isti qui sic loquuntur, diligunt vos in veritate: de illis autem olim in universitate Parisiensi non curant loqui, quia nunc sunt in tanto gradu honoris vel dignitatis in Ecclesia, sicut vos.

CAPUT XCIV.

REspondent mihi: Loquuti sumus ad te avisandum, & aperuimus tibi materiam, & tu de eis parasti arma adversum nos, acuens linguam tuam sicut sagittam contra nos, melius fuisset nobis tacuisse: quantum de illis de universitate, dicimus tibi quod longe sunt nobis potentiores, & astutissimi: habent enim plenam potestatem dispensandi supra sacram scripturam, & interpretandi & applicandi sicut volunt, & vis videre unum stupendum super potestatem illorum? Tu scis quod scriptura ponit septem peccata mortalia; & septem opera misericordiæ; ipsi transtulerunt jam duo peccata mortalia, in numero operum misericordiæ, scilicet gulam & luxuriam, & sic quod solum habent quinque peccata mortalia & novem opera misericordiæ. Nunc autem & jam diu inceperunt, & laborant ut transferant alia duo, scilicet superbiam & avaritiam, quam exercent circa rapinam & invasionem bonorum & rerum, Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum

& subditorum. Et sic aliquando erit quod apud A eos erunt solum tria peccata mortalia & undecim opera misericordiæ, & nesciebas tu hoc? Ad quod ego: Aliquando audiveram aliqua, sed non distincte. Retribuat vobis Deus judex opera vestra de tot avisationibus, quia etiam propria crimina indefensa dimittitis, ut me circa alios avisetis. Et videtur mihi quod de materia prædicta aliquid tangat ille magister Normanorum Nicolaus de Lyra super Isaiam 28. c. in principio, & istud secundum eos videtur laudabile, quia est diminuere de numero malo- B rum, ut crescat numerus bonorum quia scriptum est Proverbiorum 21. *Lucerna impiorum peccatum.* & legi alias quod ex longa consuetudine peccandi gravia peccata non reputantur ab illis esse peccata. Et videtur de hoc textus Sapientiæ 14. c. sicut etiam fuit apud Sodomam cum suis; nec prædicta sunt imputanda ad risum vel trufam. Non enim carent magni mysterii formidine, quia illa sunt urgentissima signa de propinquo adventu antichristi eorum magistri, ut dicit glossa 2. ad Thessal. 2. c. ut infra etiam C dicetur.

CAPUT XCV.

EXcitatur nunc frater Bernardus & tamquam religiosus devotus & sine magnis litteris admiratur circa prædicta de uno, & dubitat de alio. Admiratio sua stat in hoc, quomodo tot & tanti litterati, viri famosi, prælati, magistri, & alii ita sunt in tenebris ignorantiæ involuti, D ut ista sic clara & aperta, quæ rustici & vetulæ intelligunt, ipsi non videant vel considerent. Videte, frater Bernarde, ad ista jam videtur mihi superius disputatum & declaratum in aperto, sed ut vestræ admirationi iterum satis fiat; ista sunt judicia Dei occulta, de quibus à nobis non potest reddi ratio, nisi illa quam Christus dominus assignavit Luc. 10. & Math. 11. quando exultavit in Spiritu-sancto & dixit; *Confiteor tibi, pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea* E *parvulis*; & sequitur ratio: *Ita, pater, quia sic fuit placitum ante te, &c.* Scriptum est enim, *Venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum, qui convertit mare in aridam,* &c. Super quibus verbis dicit beatus Gregorius homil. 4. in Evang. Oculto Dei judicio à quorumdam auribus, veritatis notitia subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur: unde necesse est, ut in omni quod agimus omnipotentis Domini super nos consilia occulta timeamus. Et post F pauca: Alius enim misericorditer vocatur; & alius justitia exigente repellitur, & quia alia parcendo, alia irascendo Dominus disponit, expavit Psalmista quod penetrare non potuit, quia quem non solum investigabilem, sed etiam in quibusdam suis sententiis inflexibilem vidit, terribilem in consiliis commemoravit. Hæc Gregorius, & propter hoc clamat Apostolus, *O altitudo divitiarum, &c.* & *Noli altum sapere, sed time*, &c.

CAPUT XCVI.

MAgni enim magistri & doctores proponentes ante oculos suos vel elationem propter scientiam, quasi contemnendo alios, quia, ut dicit Apostolus, *scientia inflat*, statim excæcantur, ut dicit Gregor. 23. Moral. timor mentis dum inflat obnubilat, vel ambitione ad dignitates, maxime cum importunitate petendi, additis armatis supplicationibus principum, promissionibus, sponsionibus, &c. quia ut dicit Apostolus de ambitione vel cupiditate, *quam quidam appetentes erraverunt a fide & inseruerunt se doloribus multis* 1. ad Tim. c. ultimo. Et sic in his duobus vexantur fere omnes viri litterati, maxime in illis partibus, nec obtentis dignitatibus liberantur, immo eis crescit quotidie: quæ cæcitas! quia cum peccatis acquisiverunt, & possident, nam ut dicit beatus Augustinus 19. de Civitate Dei & alii doctores loquendo etiam de dignissimo, & ad bonum usum non licet alicui petere vel ambire dignitates: immo, ut dicit textus, nullus est dignus, nisi fuerit promotus invitus. Et quamvis polleant eloquentia, & sciant mira distinguere, declarare, & allegare; tamen nihil sapit eis in anima; ut dicit B. Gregorius 23. Moral. in hæc verba: Superbi magistri secreta quædam intelligenda percipiunt, & eorum dulcedinem experiri non possunt; & si noverint quomodo sunt, ignorant tamen quomodo sapiunt. Unde additis illis de quibus supradictum est, scilicet impressionibus, odiis, rancoribus, &c. ecce palpabilis cæcitas in oculis mentis eorum. Ista est sententia Salvatoris, cum dicit, *In judicium ego in mundum hunc veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.* Joan 9. in fine. Tunc illi sacerdotes & principes, viri litteratissimi, sapientes, & doctores & magistri in lege, qui erant super omnes in statu illo, dixerunt quasi irridentes, numquid & nos cæci sumus? Respondit Christus, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Paucissimi enim magni litterati inveniuntur devoti, habent enim scientiam illam inflatam cum superbia, & multitudine peccatorum, & sic fabricant sibi fundamenta in suis erroribus: in simplicibus autem, & mulieribus devotio abundat, quibus Deus dat scientiam sanctorum non inflatam; ut dicitur Sap. 11. *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam sanctorum.*

CAPUT XCVII.

ET ita fuit semper, ut supra dictum est, ab origine nascentis Ecclesiæ. Majores enim magistri & litterati, magni prælati, & pompose induti, & bene sociati, splendide potati & soporati, impugnarunt catholicos, & fuerunt ex parte hæreticorum, durante persecutione: nam, ut dicit glossa super Isai. c. 29. & beatus Hilarius

Hilarius in prologo super Psalterium numquam aliquis ab origine mundi usque nunc potuit habere verum intellectum scripturæ sacræ, nisi habuerit veram fidem Mediatoris Christi Jesu, ante adventum in Venturum, post adventum quia jam venit. Et tales supra expressati apud Deum non videntur habere veram fidem; ut videtur dicere textus, maxime cum glossa Theophili Luc. 12. ante finem. Videtur vobis mirabile quod super omnes magistros, principes & sacerdotes illius status, qui erant majoris reputationis pro illo tempore, quam isti sint nunc, illa paupercula Cananæa sic fuerit laudata à Christo de fide dicente; *O mulier, magna est fides tua*, Matth. 15. c. & centurio, *non inveni tantam fidem in Israel*; Matth. 4. Et tamen illi doctores, & magistri, principes, & sacerdotes, dicebant: *dæmonium habes*, & *in principe dæmoniorum ejicit dæmonia*: & audire meruerunt, *vos ex patre diabolo estis*; & *cæci estis*. Et hoc est quod dicit B. Johannes *quia nemo aperit librum*, scilicet intelligentiæ sacræ scripturæ, *nisi sanctus & verus, qui habet clavem David; & hic est dignus aperire librum*, &c. Apoc. 3. & 5. ideo illi qui repellunt à se istam clavem per superbiam, ambitionem, & alia peccata, statim clauditur eis liber & intellectus sacræ scripturæ verus; licet abundent in verbis alta & magna sapientibus; veritas tamen clausa est eis, ut dicit beatus Augustinus latius, in homilia *Qui non intrat per ostium*; Johan. 10. Et ista exprobranda sunt illis in futuro judicio & suis sequacibus etiam illiteratis, ut prophetavit Isaias 29. c. dicens: *claudet oculos vestros, prophetas, & principes vestros, qui vident visiones operiet, & erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras dicent, Lege ista, & respondebit, Non possum: signatus est enim.* Ecce quomodo sapientibus clausus est liber ex superbia sua, & sic volunt excusare damnationem ex clausura libri; & sequitur: *Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque eis, Lege. Et respondebit, Nescio litteras*, &c. quasi dicat in illis scientibus litteras, Ego confidi, & illos secutus sum. Ideo sequitur sententia contra utrosque, *eo quod appinquant*, &c. *& timuerunt me mandato hominum & doctrinis*, &c. ut ibi. Et videritis vos, frater Bernarde, super his profanationem evidentem. Si illi superbi magistri viderent istam scripturam; qualiter contra eam debaccarent per multas allegationes, & cum quanto contemtu & opprobriis & subsannationibus, dicentes inter alia: Ista est una bestia, & nescit quod balat, &c. nos autem sumus magistri tales, &c. in peccatis totus natus es, & tu nos doces, & similia in multis locis dicta Salvatori nostro per illos cæcos magistros; & in conspectu suo, & sequacium annihilarent omnia hic scripta per rationes apud eos insolubiles, & totum hoc adderet, & probaret evidentius cæcitatem eorum: ideo non ostendatis extra ordinem, ut infra dicam, ne amplius & gravius peccent, & magis obstinati efficiantur. Sufficiant eis quæ possident, & hic facio finem pro ista admiratione, quia multa alia possent applicari, & etiam quia superius ali-

A qua tetigi pro hac materia.

CAPUT XCVIII.

Dubium autem fratris Bernardi stat in hoc: quia forsitan legentes istam scripturam, & præcipue illi qui punguntur, dicent: Iste nimis loquitur invective, & judicabunt maledicta, detractiones, & diffamationes. Ad hoc
B respondetur vobis, quod sufficit mihi super hoc reddere rationem Deo, coram quo conscientia mea non me accusat. Ego enim videns illos de Cartusia cum eorum sequacibus corruisse in præcipitium damnationis, & in errorem oculis apertis fallaci sugestione pessimorum hominum reproborum & mente corruptorum, qui videntur ab extra in conspectu hominum, in scientia, eloquentia, auctoritate, dignitate, & potestate; quædam mundi spectacula & monstra, qui per quædam fabulosa figmenta in figura anti-christi
C traherent in errorem, si fieri posset, etiam electos. Per tales enim & similes mundus fuit deductus frequentissime in hæreses & scandala gravia. Nam sartoribus, textoribus, vel hostaleriis, vel similibus nulla daretur fides talia suadentibus. Et sic magnus error oportet quod a magnis hominibus in apparentia suscitetur, & deffendatur. Volens ergo illos simplices homines & ignaros, quorum cura à Deo mihi invito imposita est, liberare & præservare, quantum in me erit, scripsi prædicta. Et si conquerantur
D illa vasa iræ, quod eos vocem nominibus abjectis & contemtibilibus, oportet sic fieri de necessitate salutis, aliàs incurrerem pænas in sententiis contra eos per summum pontificem dominum nostrum Benedictum Papam XIII. promulgatis expressas, qui eos privavit omni statu, honore, gradu, præeminentia, nomine & dignitate. Crimina autem vel defectus eorum exprimere oportuit, maxime cum sint notoria, & ne sub specie agni gerentes lupum, sub figmento hypocrisis animas pauperum & simplicium trahant in perditionem. Nec hoc est detrahere; sed incautare, instruere, & avisare; exemplo
E Christi cujus omnis actio nostra est instructio, Luc. 12. *Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis* Matth. 16. Item Marc. 8. *Videte, cavete à fermento Pharisæorum & fermento erroris.* Item, Luc. 17. loquens de Herode rege, dixit: *Ite, & dicite vulpi illi*; Et Math. 23. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c.* & quasi per totum illud capitulum improperat eis peccata gravia, fraudes, & hypocrises coram populo & turbis. Item, Luc. 11. ubi quidam legisperitus conquerens nomine
F omnium, quia ita diffamabat eos, & publice improperabat peccata, dixit illi: *Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis.* Ecce hic, frater Bernarde, ubi est legisperitus gerebat personam contra redemtorem nostrum, illorum qui vobis dictum dubium contra me suggesserunt. Et respondens Dominus, & loco excusationis addidit tunc contra istos legis doctores multa graviora peccata, inter quæ etiam

posuit; *Væ vobis legisperiti, qui tulistis clavem scientiæ & ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.* Ubi dicit glossa Aug. Clavis scientiæ est humilitas Christi, quam nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant, &c. vides tu hic quod est clavis David, quæ sola aperit librum clausum, de quo supra dixi. Unde dicit ibidem alia glossa: Christus invectivam legisperitis ingerit, ut deprimat eorum vanum supercilium; sed redargutio quæ mansuetos transfert in melius; superbis hominibus, maxime si fiat à paupere & humili, intolerabilis esse solet, ut subjungit ibidem glossa. Quid oportet in similibus immorari? tota enim scriptura sacra est talibus exemplis plena, sicut ad Roma. 1. ad Collos. 2. primæ ad Corinth. 1. & secundæ ad Timoth. 2. & 8. ad Titum 10. & ubique nominando etiam personas. Quæ si essent detractiones, non fuissent scripta à sanctis sicut peccata David, Salomonis & aliorum regum & principum, negatio Petri, fuga discipulorum, trucidatio innocentium, & similia infinita, immo talia tacere, maxime ubi est tanta necessitas, esset peccatum grave: alias tempore quo Ecclesia catholica impugnabatur ab hæreticis, vel tyrannis, vel aliarum persecutionum, vel tempore antichristi, quo multa detrimenta fideles in spiritualibus patientur, non esset licitum dicere, scribere, vel prædicare, dixisse, vel prædicasse, maxime in doctrinam & avisationem simplicium & fidelium christianorum: tales sunt hæretici, tales hypocritæ, tales perversi, fraudulenti, & dolosi, & aliis criminibus irretiti; caveatis ab eorum conversatione, non detis eis fidem; pessimi sunt, sceleratissimi sunt, vel doctrinam falsam & perversam dogmatisant, & similia, quod est nefas: quia ista tacere, esset permittere & dissimulare, & quasi consentire, & approbare, ut alii cadant in errorem, & decipiantur ab hominibus perversis & simulatis, quod est contra doctrinam Christi nostri Redemtoris, & sanctorum patrum exempla.

CAPUT XCVIX.

Et vultis videre clarum exemplum, per quod eritis avisati etiam contra Italicos; nam supra solum locuti sumus de Ultramontanis, & parum de Citramontanis, videlicet Romanis & aliis Italicis, qui non minus ardent in talibus iniquitatibus & malitiis. Ecce pono vobis hic verba Beati Bernardi, qui ad incautandum papam Eugenium 4. libro de Consideratione ad eumdem sic ad litteram dicit: » Quid de » populo illo loquar? & sequitur quid tam no- » tum sæculis quam protervia & fastus Romano- » rum? gens insuetæ paci, tumultui assueta, gens » immitis & intractabilis, usque adhuc subdi nes- » cia, nisi cum non valet resistere, &c. & post » multa quæ hic ponere omitto, sequitur: Quem » dabis mihi de tota maxima Urbe qui te in pa- » pam receperit pretio, seu spe pretii non inter- » venientis? & tunc potissimum volunt dominari » cum professi fuerint servitutem: fideles se spon- « dent, ut opportunius fidentibus noceant, &c. « Et pauca similia subjungit: Ante omnia sapien- « tes sunt ut faciant mala; bonum autem nes- « ciunt, impii in Deum, temerarii in sancta, se- « ditiosi in invicem, æmuli in vicinos, inhumani « in extraneos, quos neminem amantes amat « nemo, & cum timeri affectant ab omnibus, « omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse « non sustinent, præesse non norunt, superiori- « bus infideles, inferioribus importabiles; hi in- « verecundi ad petendum, ad negandum fron- « tosi; hi importuni ut accipiant, ingrati ubi « acceperint, docuerunt linguam suam grandia « loqui, cum operentur exigua, largissimi pro- « missores, & parcissimi exhibitores, blandissimi « adulatores, & mordacissimi detractores, sim- « plicissimi dissimulatores, & malignissimi prodi- « tores. Hæc Bernardus. Videtis, frater Bernarde, quanta dicit B. Bernardus, & tamen non reputatur detractor vel invectivus, sed sanctus, & totus plenus charitatis: qui si fuisset hoc tempore, non tacuisset etiam altiora & magis grandia de sua natione, & de ecclesia Gallicantina, nam suo tempore non transtulerant ita patenter & ad plenum omnia supradicta magnalia in suum jus & proprietatem.

CAPUT C.

Et quia, fr. Bernarde, ego scripsi ista pro illis de quibus Redemptor noster dixit: *Ego scio quos eligerim*, & pro illorum informatione & avisatione contra vasa iræ & iniquitatis bellantia; & si adhuc illi qui fecerunt vobis dubium, & qui nesciunt eligere de auro nisi fæces & scoriam, perseverant in murmure, nec quiescunt, juvemus nos de verbo Salvatoris Mat. 16. *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Sunt enim synagoga satanæ, quam possidet princeps tenebrarum, quia si in talibus complaceatur hominibus, offenditur Deus, saltem peccato pusillanimitatis: & hoc totum potest colligi ex psalmo 52. & ad Galatas 1. *An quæro hominibus complacere?* & secundæ ad Corinth. 5. & ideo contendimus sive absentes, sive præsentes, illi soli complacere: tamen ista non sunt communicanda extra personas ordinis, ut supra dixi, ne medicina pro salute istorum confecta, fiat illis in interitum & venenum. Sicut dicit B. Leo papa in sermone de Epiphania: Insanis magistris veritas scandalum est, & cæcis doctoribus fit caligo quod lumen est, *Christi enim bonus odor sumus in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Non enim sumus sicut illi adulterantes verbum Dei*, &c. secundæ ad Corinth. 2. & hæc pro nunc sufficiant pro dubio vestro.

CAPUT CI.

Restat consequenter aliquid dicere super eo quod vobis scriptum est, videlicet quod mea cessio missa ad Carthusiam fuit ab

omnibus laudata & approbata, & ego valde commendatus, &c. & quod nunc retinendo nomen regiminis generalis ordinis, vel Prioris Carthusiæ, absorbebitur tanta fama, tanta laus, tanta commendatio, & in nigredinem infamiæ commutabitur, &c. Videte, frater Bernarde, ego non sum chamæleon qui vivit de vento vel de aëre, ego non pascor talibus statibus ore; cuilibet enim satis est de fumo assumere unum haustum, quod dicitur in lingua nostra *de fum tot hom na prou de una golada*, nec ut alias dixi, quæro gloriam meam, sed cupio (nunc reputatus verax, nunc seductor) complere voluntatem Dei, cujus nomen sit benedictum in sæcula. Si enim vitæ rectitudo & fama conservari possunt, laudabile est propter proximum; sin autem, potius est deserenda fama, quam vita: Ego enim misi prædictam cessionem puro, veridico, & simplici corde, ut supra dixi in principio istius scripturæ, credens quod illi de Carthusia complerent quod per litteras mihi missas intimaverant, elegerant, laudaverant, & approbaverant, videlicet de remanendo omnes indifferentes, & de hoc solicitavi eos in cessione mea prædicta, cum dixi: nec dicatur inter vos, ego sum Pauli, ego sum Apollo, sed omnes dicamus, Nos sumus J. Ch. Et videmus eos sic ruisse in baratrum impiorum, & ita inique egisse contra Deum & veritatem, quorum actus, & facta revera nulla erant, tamen adhuc placuisset mihi summe, quomodocumque sive per occasionem, sive per veritatem ab illo regimine liberari ex toto; sed deducto ad notitiam papæ, non per me, immo semper celaveram, ne forte per aliquos impedirer, de quo, & forte non immerito, fui postea durissime increpatus; sed nescio per quos, ac etiam per priorem Vallis-benedictionis nostri ordinis de Villa-nova, qui ut dicitur dedit copiam prædictæ cessionis cuidam familiari papæ, quam portavit ad curiam, & ostendit multis, sic finaliter quod devenit ad notitiam papæ, qui ad instantiam quorumdam priorum, & personarum ordinis in curia tunc præsentium, mandavit mihi absenti litteras & bullas, de quibus cum præsenti affixas mitto vobis * copias emendatas.

* Extant ad calcem prolixæ hujus epistolæ.

CAPUT CII.

ET revera sine fictione suggesseram illis personis de contrario, videlicet ut juvarent me ad liberandum ex toto: nam notifico vobis coram Deo, quod nec in sæculo nec in Ecclesia delectatus sum in regimine aliorum, nec delector, immo quasi naturaliter mihi displicet præsidere, & suppono quod partim veniat à natura, quoniam mei non fuerunt dominati, tamquam de plebe humili & communi; ideo ex hoc cum ipsis inter quos utriusque parentis sors inter Dei electos computata est, immaculatus ero & emundabor à delicto maximo; ac etiam ex hoc & principaliter quia video me in tantum occupatum de gubernatione animæ meæ miserrimæ, quod nescio quò me vertam, & sic nolle infra corpus meum ponere vel addere animas aliorum, ut dicit Beatus Gregorius XXXIII. Moralium in fine in hæc verba: Penset ergo qui ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quia qui regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Et sive in prophetis, sive in quibuscumque libris sacræ scripturæ sive in libris doctorum legere voluero, non invenio nisi minas, terrores, & comminationes contra præsidentes. Considero enim quid divina sapientia dicat contra eos, &c. Sapientiæ 6. *Horrende & cito apparebit vobis, quoniam durissimum judicium iis qui præsunt fiet, exiguo enim conceditur misericordia, sed potentes potenter tormenta patientur.* Considerans ergo ista verba Beatus Johannes Chrysostomus dicebat: Aut insanus est, aut salutem propriam odit, qui ad prælationem voluntarius venit.

CAPUT CIII.

COgitans igitur ista quicumque præsidens, numquam ridere, numquam lætus apparere deberet, sed omnes compages corporis dissolvi deberent, & viscera commoveri. Illi autem qui ridendo, epulando, delectando in his & similibus, non cogitant cum dolore & cordis anxietate, nec remedium apponunt, jam judicium damnationis clausum & obtectum in manibus portant. Et iste est liber divini amoris & timoris, zeli & rectitudinis, qui in hac vita, ex propria negligentia est, & fuit eis clausus, quem sic clausum repræsentant in judicio divino, & ibi aperitur, in quo legunt sententiam damnationis contra se. Nec eos excusat, immo accusat dicere: clausus enim fuit mihi liber. Isai. 29. cap. nec in condemnatione subditorum admittitur etiam excusatio: nescio litteras, sed in cumulum damnationis prælatorum illud retorquetur, quasi dicat: Iste tenebatur nos instruere, quia ego nescio litteras, &c. ut supra dixi. Istæ sunt litteræ, quas portabat Urias ad Joab clausas, in quibus continebatur contra eum sententia mortis, quam per earum apertionem incurrit. Ideo his & inexplicabilibus aliis consideratis, demens essem, immo fræneticus, si præsidere optarem: tamen quia vicarius Christi mihi imposuit, ut continuarem regimen solitum, sine Dei offensa notoria non poteram excusare. Et si his adhuc non saturantur illi temerarie judicantes, respondeatis eis ut supra verbum Christi: *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum*; nam talis est processus electorum Dei, inter infamiam & bonam famam vitam transigere, & ut seductores & veraces, &c. ut deducit Apostolus latius secundæ ad Corint. 6.

CAPUT CIV.

ILla autem vasa iræ consueverunt his duobus generibus armorum, in sui interitum, uti

A contra eos qui non sequuntur iniquitates & impietates eorum; quæ sunt videlicet detractiones & diffamationes, item minæ & terrores; & sic utrumque genus armorum habent in ore, cujus effectus est labilis, levis & transitorius; & quidquid procedit à lingua irridendum potius quam metuendum: de his duobus Psalmista in uno versu locutus fuerat Psal. 56. *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ*. Ecce minæ, quæ communiter fiunt cum fremitu dentium. *Et lingua eorum gladius acutus*. Ecce diffamationes & detractiones. Contra primum dicitur sequenti Psal. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*; contra secundum, Psal. 63. *Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Videntur vobis satis linguæ eorum infirmæ, quæ tam grandia, tam magnifica effari se jactant, quod ita nunc illas deturpant in loquendo, ut potius sit ridendum vel eis compatiendum, quam insultandum. Vocant enim dominum nostrum papam in maxima vindicta, Petri qui: Considerate supremam vindictam, recipere lutum in ore, & revolvere per linguam, dicere Petriqui! ô vindicta inexplicabilis! Petriqui! Ista & similia per eos introducta potius videntur rixæ puerorum in scholis vel plateis, seu muliercularum in tabernis vel furnis, quæ istas vindictas exercent post potum contra vicinas, in diminutionem scilicet nominum, replicatione fædorum & turpium. Certe magna est vindicta tantorum simulacrorum; ideo hic verificatur quod salvator dixerat Matth. 11. *Cui nunc similem æstimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro*, &c. Ideo dicatis eis in nostra lingua *que rata de Esglesia no sespanta de Crits*, quod est dicere ab assuetis non fit passio. Uxor enim fabri ferrarii, quando super incudem malleis operando fortiter percutitur, firmius dormit.

CAPUT CV.

Nunc ergo pro conclusione videtur mihi, frater Bernarde, quod illi de Carthusia scribunt vobis, quod sunt parati audire informationem super prædictis. Istud videtur satis congruum & commendabile in tantis viris. Uxor quæ stetit cum marito per viginti quinque vel triginta annos pacifice & quiete, recipiens ab eo & grandia dona & munera; & videns quod aliqui æmuli, & maligni insurgebant contra eum, transivit ad adulterum, cum quo inhabitans dicit, quod est parata informari, si ille fuit vir suus, videtur vobis satis rationabile istud? uxor enim fidelis, pudica, & verecunda, ubi juste fuit in conscientia vexata super cohabitatione mariti, posuisset se in secreto cum aliquibus matronis honestis, vel in aliquo loco securo, & non transisset inverecunde ad adulterum, in cujus fœtore & contaminatione perseverans, dicit se esse paratam audire informationem. Istud videtur mihi somnium Scipionis, vel paradoxa Tulliana, vel tragediæ poëtarum, & quasi quædam res ignominiosa, nostri honestate & verecundia privata.

CAPUT CVI.

Et nunc attendite, frater Bernarde, ego nescio homines in mundo, qui ab examinatione dictorum negotiorum fuerint corpore absentes plenius informatos quam illos de Carthusia, & si vultis videre; dicam vobis quando eorum prælatus de consilio, & voluntate eorum recessit ab eis, & venit ad sacrum concilium Perpiniani, ut superius dixi; illi non cognoscebant alium Romanum pontificem & vicarium Jesu-Christi, nisi dominum nostrum BENEDICTUM papam XIII. & illi obediebant, & reputabant papam, qui celebravit concilium cum suis prælatis, principibus & tota Ecclesia catholica in dicta villa, & ita credebant & tenebant illi de Carthusia, in quo concilio habebant pro se & toto ordine prælatum suum præsentem: nam jam tunc illi de Francia se subtraxerant ab obedientia dicti domini nostri, constituendo se in rei virtute firmatissimos schismaticos; durante dicto sacro concilio fuerunt certificati, avisati, & incautati de omnibus per litteras dicti prælati eorum, & de manu sua scriptas, nihilominus in fine concilii, jam concitata illa sacrilega conspiratione Pisana, fuit eis missa carta papalis magna & patens, quasi in una pelle vituli, cum bulla plumbea, in qua omnia seriose continebantur ab origine negotiorum usque tunc valde rationabiliter, ordinate & distincte cum rationibus juridicis; prælatus etiam eorum qui fuit Pisis, eundo & redeundo semper scripsit illis de omnibus occurentibus in veritate, mittens famulos & nuntios speciales. Si prædictis non crediderunt, nec dederunt fidem, aperte convincuntur, quod per se, & ante illam conspirationem factam in Carthusia, quam vocant capitulum, effecti fuerant inobedientes, schismatici & rebelles, quia ante illam per magnum tempus, quasi per annum omnia illa contingerunt, alias quæratis ab illis sub cujus papæ vel prælati fuerunt obedientia, à recessu sui prælati de Carthusia de fine mensis Septembris 1408. usque ad illam congregationem profanam, quam dicunt capitulum factam in mense maii 1410. Et si dicunt quod domini nostri papæ BENEDICTI & prælati sui. Ergo tenebantur eis credere & obedire de necessitate salutis, quia illi erant veri pastores. Et tamen crediderunt ad motum labiorum illis lupis rapacibus, quos sibi impudentissime præfecerunt in pastores.

CAPUT CVII.

Nec est capitulum vel conventus in mundo Ecclesiæ etiam collegiatæ, nec episcopus parvus vel magnus, nec universitas vel villa, quæ habeat in aliquo negotio procuratorem vel syndicum (dum tamen eum reputet fidelem nec corruptum) quæ non det ei fidem in his quæ agentur in illo. Et si illi de Carthusia nolebant credere papæ & toti concilio & Ecclesiæ

Catholicæ, quæ illic congregata erat etiam A secundum ipsos, sicut tenebantur facere, ut dixi, de necessitate, saltem prælato & procuratori eorum tenebantur dare fidem, quem sciebant liberum & immunem saltem vehementissimis conjecturis, ab omnibus his quæ possunt pervertere & corrumpere humanum judicium & consilium, ut prædixi, & jam ipsi allegant in frivolis fundamentis suis, quod comes Sabaudiæ fecit declarationem suam, à relatione nuntiorum suorum, quos tamen constabat notorie corruptos esse & deceptos, & fascinatos per illa vasa B iræ, de quibus supra dixi.

CAPUT CVIII.

SI autem dicunt quod jam non obediebant illis in tempore illo, tunc tamquam dati in reprobum sensum convincuntur notorie de multis mendaciis, infidelitatibus & proditionibus, quæ subticentur. Quæratis ergo ab eis, de quo vel super quo petunt informari; post tot avisationes, informationes, incautationes, bullas, litteras, scripturas. Ego reputo impossibile ulterius ad informationem aliquid addere posse, nisi quia ad excusandas excusationes in peccatis; & ut eorum peccata tegantur & pallientur, reddunt se ignorantes, vel verius affectant habere ignorantiam. Videtur vobis illud simile cœcitati pharisiacæ, & principum Synagogæ, qui post tot & tanta miracula, petebant signum de cælo pro eorum informatione Lucæ 11. dicentes: *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* Johan. 11. Ideo dicatis eis quod non dabitur eis signum, D etiam Jonæ prophetæ, sed damnationis æternæ, nisi resipiscant, & pœnitentiam egerint. Mittatis eis solemnem legationem cardinalium & episcoporum pro eorum informatione, quia parati sunt audire. Ista sunt ridicula & ludificatoria: habuerunt Moysen & prophetas, & si illis non crediderunt, nec si unus ex mortuis resurrexerit credent.

CAPUT CIX.

NOn tardarunt tantum ad credendum illis duobus prioribus qui contra Deum, ordinem, & obedientiam jam effecti schismatici & infideles, iverant Pisas, ubi unus semper fuit absens, & alter semper infirmus. Crediderunt etiam statim illis prioribus schismaticis antiquis conjunctis cum aliis formatis schismaticis & novis, qui numquam aliquid sciverant vel viderant in facto, vel in jure, nisi ex auditu, & sine alia examinatione, ut dicunt, commiserunt eis animas suas, ostendentes quod parum diligebant eas. Et dicatis eis, frater Bernarde, quare non petebant tunc informari, sed dederunt eis plenissimam fidem, hominibus ignorantibus in jure & in facto, prophanis, schismaticis, & infidelibus etiam secundum illos de Carthusia, contemta, rejecta, & oblita plena & veridica informatione summi pontificis, totius concilii & Ecclesiæ catholicæ, & sui veri prælati, qui omnia viderant, omnia sciebant, omnia noverant, omnia palpaverant, etiam usque ad interiora velaminis. Videtur vobis etiam laicis & sæcularibus, quod ista sint trufæ, vel potius deliramenta, nescio si transirent in speciem dementiæ propter tam apertam cœcitatem & obstinationem.

CAPUT CX.

FOrsitan petunt allegationes juris quinquaginta vel centum argumenta: Dicatis eis quod Judæi signa petunt, & Græci quærunt sapientiam, & quod dicant vobis cujus sectæ sunt. Nam si quærunt signa, expectent antichristum, quia nec Judæi per miracula Christi sunt conversi, immo fiebant eis in scandalum & in augmentum cœcitatis. Si autem quærunt argumenta & scientiam sicut Græci, jam habent copiose, ut supra dixerunt, quæ ministrarunt eis illa vasa iræ, de quibus scriptum est: *Perdam* C *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*: Et iterum: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam istius mundi?* &c. 1. ad Corinth. 1. Et dicas mihi, tu Carthusia, ut asseris, audisti vel vidisti allegationes factas per illos solemnes magistros, &c. ut supra. Veritas autem nostra inexpugnabilis tamquam fundata supra firmam petram, qui est Christus, non indiget magnis allegationibus; quia veritas per se omnia vincit; sed illi qui deffendunt falsitates & errores, satagunt multa allegare, palliare, & revolvere, ut superius late deductum est. Ponamus ergo quod mitterentur tibi centum folia de allegationibus, quæ cito fierent vel facta sunt saltem ad reprobandum verbositates, simulationes, & falsitates adversariorum; iterum illi reprobi allegabunt ducenta folia contra istas, quia facillimum allegare multa & grandia verè vel false, vel apparenter, ut dictum est, & sic in infinitum. Dicas nunc mihi, quis judicabit ex vobis esse meliores, justiores, & clariores, istas vel illas? Numquid Eustachius, vel Petrus Armareti, vel frater Pinotus? vel quis faciet judicium inter vos? E eritis-ne vos judices, vel remittetis illas ad illa vasa iræ, vel ad Ecclesiam Gallicantinam, vel ad illos antiquiores quos erexistis vobis, ut dicitis, in pastores animarum vestrarum? à quibus satis sustinenter & leviter habebitis declarationem, sicut habuistis, nec ista erit vacua, sicut prima, multis terroribus, impressionibus & comminationibus. Vulpes ibat frequenter cum filiis suis ad comedendum de gallinis ad quamdam parvam villam; & cum filii timentes & trementes comederent, illa confortabat eos: Ne ti- F meatis quia habeo bona instrumenta & allegationes juris super hoc copiosas, quod illud possum facere, ideo non paveatis; & cum dominus damnificatus de gallinis præparasset in insidiis canes, & insequerentur vulpem cum filiis clamantibus ad matrem: Domina, producite instrumenta, allegetis de jure vestro, respondit, Filii, pronunc juvetis vos de tibiis; quia istæ gentes non audiunt instrumenta vel allegationes juris,

&c. Jam videtis quantum valuerunt abbati sancti Dionysii vel aliis prælatis & magistris, de quibus supra, vel nuntiis papæ, vel ambaxiatoribus illius, & sacri concilii generalis Perpiniani, vel similibus infinitis? Cum enim in suis seditionibus & tumultibus clamaverint bonum est, bonum est, fiat, fiat, tunc sciscitantur de qua materia erat hodie concilium? scriptum est enim. Anima mea non veniet in eorum concilium, & in cœtu eorum non sit gloria mea.

CAPUT CXI.

ITem dicas mihi, posito quod videris veritatem per illas allegationes, auderes illam in illa patria confiteri, asserere vel publicare? dicas veritatem, quia certissime dico tibi quod non auderes, nisi parares te ad vincula & ad mortem, ad quæ propter illa quæ præcesserunt non video nec credo te paratum. Ut quid ergo vobis dies Domini? quare ergo fingitis, vel palliatis petere allegationes vel argumenta quæ essent vobis inutilia, & incommoda? immo potius in argumentum damnationis & cœcitatis quam in revelationem, cognitionem, vel confessionem alicujus veritatis. Si te enim jam periclitatum in profundum tenebrarum, patentia miracula non reducerent, ut dicunt scripturæ, quid facerent verba vel allegationes, quæ quantumcumque justæ & verissimæ & efficaces, per te & tuos magistros, & pastores deducerentur in contemtum, stultitiam, subsannationem & derisum? Nos enim prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Eo enim ipso quod tu in his quæ sunt fidei, vel credentiæ veritatis christianæ principaliter vel consecutivè; ponis spem tuam in sapientia vel scientia hominum, in allegationibus magnis, vel in multitudine argumentorum, vel potentia, vel eloquentia, maxime ubi aperte vides & audis tot fraudes, odia, simulationes, impressiones, & terrores, de quibus supra, es proditus & deceptus, ut deducit Apostolus, 1. ad Corinth. 1. & 2. c. *Quia quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Secundum enim ista, si fuisses tempore Arii & aliorum hæreticorum, qui super omnes catholicos abundant sapientia, eloquentia, & facundia, in multis argumentis & allegationibus & rationibus, dictis famosissimorum doctorum, libris & tractatibus, sine aliqua difficultate credidisses & adhæsisses eis. Nam in conspectu hominum sine comparatione excellebant in disputationibus & allegationibus illi hæretici contra catholicos, ut narrant historiæ.

CAPUT CXII.

ILli etiam hæretici dicentes se veros catholicos volebant disputare, loqui, & ostendere in publico, quod habebant justitiam & rationem, & quod illorum adversarii erant hæretici & perfidi in eorum dictis: & tamen hoc illa vasa A iræ magistri tui non fuerunt ausi attentare, sed in occulto & in tenebris, ut nullus cognosceret vel videret tractatus proditorios, falsas criminationes, & attestationes per eos confictas & fabricatas; nec etiam nunc auderent venire ad colloquendum in publicum, nisi in loco suæ potestati subdito, ut ibi facerent argumenta tortoria consueta, ut supradictum est: ex quibus clare concluditur, quod tu incunctanter adhæsisses tunc illis hæreticis sic in omni mundiali B apparentia fundatis; quia tunc ita promte & insipide credidisti talibus magistris tantæ iniquitatis, & malitiæ inventoribus, in suis erroribus & fraudibus, omni velamine vel colore, & etiam apud rusticos totaliter & fundamentaliter destitutis.

CAPUT CXIII.

ET ex quo hanc materiam subintraverimus, æmulamini charismata meliora, loquor discipulis veritatis, & uberius & clarius istam materiam in confusionem adversariorum veritatis vobis deducam.

CAPUT CXIV.

ET considerate contra deceptiones & fraudes futuras antichristi, quot regulas, quot doctrinas, quot avisationes & prævisiones Salvator noster ore suo sacratissimo nobis edidit ad eas præcavendas, fugiendas & vitandas. Consequenter Paulus ac ceteri apostoli & doctores Ecclesiæ catholicæ, nec non & prophetæ, multa jam prædixerant: & tamen cum omnibus istis scriptum est, quod in errorem deducentur, si fieri potest, etiam electi, Matth. 24. & Marc. 13. Ultra hæc ostendit nobis per multas significationes & exempla, fraudes futuras ipsius antichristi; quot enim fuerunt persecutiones tyrannorum contra martyres & Christi discipulos; & quot fuerunt impugnationes & invasiones hæreticorum per falsas doctrinas contra Ecclesiam & Christi fideles; quot fuerunt inobedientiæ & rebelliones contra vicarium Christi & ejus Ecclesiam, quot fuerunt schismata & divisiones, tot fuerunt antichristi, & ejus figuræ & exempla, ut ponit B. Johan. 1. epist. 2. c. ultra medium, & c. 4. prope principium, & Beatus Gregorius expressius 25. lib. Moralium c. 5. ibi vide.

CAPUT CXV.

NOn cogites ergo tu futurum adventum antichristi sicut mulierculæ pernoctantes in suis lanificiis vel texturis, & in suis garrulationibus confabulantes cum dicunt, quod dicetur tempore antichristi, Iste est antichristus, vis credere in eum, vel in JESUM-CHRISTUM Salvatorem nostrum? Quia hoc modo etiam jumenta repellerent illum: sed considera, prout est ve-

ritas suæ futuræ malitiæ, quia ipse se dicet Deum seu æqualem Deo, ut ponit Apostolus 2. ad Thessalonic. 2. ubi dicit Glossa, quod major erit superbia antichristi, quam luciferi: quia iste dixit *similis ero Altissimo*, & ille dicet se æqualem Deo, prædicabit etiam & docebit JESUM-CHRISTUM, cujus nomen sit benedictum amen, fuisse seductorem & falsum prophetam & omnia ejus miracula falsa, & per quasdam illusiones, deceptiones, & figmenta cum suffragio dæmoniorum facta & producta, & quod omnia scripta de ipso nostro Salvatore, quem vocabit seductorem, sunt falsa & per multa mendacia conficta, & quod ipse est Salvator mundi, de quo omnes prophetæ & sacræ scripturæ locuti sunt, & alia multa similia, & ad hæc probanda primo habebit sequelam omnium Judæorum, quia circumcidet se in Jerusalem; item potentiam & divitias, & omnia quæ excogitari possunt ad prosperitates & delectationes humanas, ut trahat ad se gentes: habebit scientiam & eloquentiam, sapientiam & facundiam, tam ipse quam discipuli sui & sequaces, quanta apparuerit in aliquo homine in hac vita, ostendentes illius doctrinam verissimam esse per multas & inexplicabiles rationes & allegationes & argumenta, tractatus, & libros, fundando illa per textus sacræ scripturæ, facient nihilominus ipse & sui magna miracula, & inaudita mirabilia, signa, prodigia, & portenta, ut prædixit vobis Salvator noster Matth. 24. & Marc. 13. ulterius habebit sequelam regum & principum, & dominorum, prælatorum, doctorum & magistrorum, qui videntes magnalia istius hominis, in suis conciliis, congregationibus & parlamentis determinabunt se pro illo; habebit etiam universitates & collegia studiorum, magistrorum, & doctorum theologiæ, & utriusque juris & cujuslibet facultatis. Celebrabuntur auctoritate regum, principum & prælatorum, ac ceterorum dominorum generalia concilia, ubi quasi omnes declinabunt in publico ad partem & sequelam illius: emanabunt edicta sub pœna mortis crudelissimæ & bonorum, quod omnes adhæreant sibi & suæ doctrinæ tamquam veræ & catholicæ, & non Christi Jesu, cujus nomen sit benedictum in sæcula Amen, quem dicent & publicabunt deceptorem, falsum prophetam & seductorem. Promittent nihilominus, & actualiter dabunt honores & divitias, delicias, & cetera omnia quæ homines in hoc mundo desiderant, & quæ possunt pervertere judicium humanum adhærentibus & credentibus eis, & quamvis omnia fuerint mendacia, tamen videbuntur illis insolubiliter vera.

CAPUT CXVI.

Videbis tunc qualiter illi magni prælati, magistri & doctores, quos nos catholici credebamus columnas fidei Christianæ, & clavem, & fundamenta totius scientiæ, sapientiæ & doctrinæ in suis dictis, allegationibus, disputationibus & prædicationibus publice clamabunt asserentes & dicentes: O miseri decepti fuimus in illo seductore JESU-CHRISTO, cujus nomen sit benedictum in æternum amen, & ejus doctrina omnes sumus damnati, nisi adhæreamus veritati istius veri prophetæ, qui est virtus Dei: & super hoc producent patentes scripturas & secundum eos veras & authenticas, per quas clare apparebunt omnia quæ dicunt esse vera, & nullus in contrarium audebit allegare, postponere, vel mutire. Omnia prædicta, similia, majora, & duriora operabuntur illi discipuli & sequaces antichristi, Deo & domino nostro JESUS-CHRISTO, cujus nomen in sæcula sæculorum sit benedictum amen, hæc permittente. Et ista quod sic sint futura clare possunt deduci & habentur per verba sacratissima ejusdem nostri Redemptoris Matthæi 24. & Marc. 13. & Beati Pauli 2. ad Thessa 2. Si enim Ecclesia catholica multifarie multisque modis similes persecutiones passa est; excepto de vehementia prodigiorum & signorum; & Christus dicit quod tanta tempore antichristi erit tribulatio, qualis numquam fuit ab initio mundi, nec erit in futurum; ita quod in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi; & quod nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Cogita igitur quantas tribulationes & adversitates passa est Ecclesia ab origine mundi, vel à nativitate Christi usque nunc, quasi nihil erunt respectu istius, & majora & graviora superius expressatis, potes per te deducere, & cogitare juxta verba nostri Redemptoris.

CAPUT CXVII.

Quid ergo facies tu, ô Carthusia, quando illi tunc pastores tui venient ad te cum fortiori manu & potentia, terroribus, & impressionibus, & minis ferventioribus, & cum majoribus & evidentioribus argumentis, rationibus & allegationibus, & cum abundantiori sequela & frequentia, determinationibus & conclusionibus factis unanimiter & concorditer in Italia & in Francia, & alibi, quam nunc sine comparatione, præsentabunt nihilominus mirabilia, miracula, prodigia, signa & portenta, quæ nunc in isto tuo præcipitio defecerunt, quid eliges? sequeris-ne illos? Omnes enim rationes tuæ quæ te induxerunt ad eos sequendum, nunc fortissime & insolubiliter concludent quod sic: quia aut tu nunc pessime elegisti eos sequendo, aut tunc eisdem & abundantioribus, clarioribus rationibus & allegationibus oportebit te illos sequi. Vides ergo quomodo planè factus es discipulus antichristi, nec potest per aliquem sani capitis aliud videri, quia per verba tua, & electionem tuam, & rationes tuas insolubiliter remanes conclusus. O damnatissime hominum, negasti Christum tuum, verum Deum & verum hominem, redemptorem & salvatorem humani generis, & adhæsisti ex sequela hominem cum fraudibus & figmentis filio perditionis.

A

CAPUT CXVIII.

DIces mihi, non est simile quod jam sum de his incautatus & avisatus per verba Salvatoris & apostolorum, quod sic eveniet, ideo non sequar illos. Deceptus es in tua cogitatione, nam illi filii Belial ostendent tibi & probabunt clare secundum eos, & tibi videbitur verissimum, qui quæris allegationes, & rationes & sequelas hominum, quod ille quem tu credebas Christum, cujus nomen sit benedictum in sæcula amen, sit seductor, mendax, & deceptor cum omnibus suis apostolis & discipulis. Ergo fundamentum tuum de avisatione nihil valet, quia avisator vel doctor mendax secundum eos, non poterat tibi dare doctrinam veritatis: & ita dicent tibi concorditer omnes pastores animarum tuarum, quos eliges tunc tibi, nihil volens scire, & ita clare probabunt tibi per mille folia de allegationibus subscriptis de manu magistrorum doctiorum, universitatum & studiorum & prælatorum, & per omne aliud genus probationis apparenter, quod possit fieri in hac vita etiam cum miraculis & signis magnis, ut dictum est: quia numquam fuit, nec erit tanta tribulatio secundum verbum Christi. Ergo adhuc remanes patenter discipulus antichristi per confessionem oris tui, & per evidentiam rationum tuarum, quæ nunc induxerunt te ad istud præcipitium. Quid ergo dicis? non respondebis mihi aliud? & quia video te confusum, perditum & seductum, aperiam tibi ex sola charitate aliter materiam.

CAPUT CXIX.

SAlvator enim Deus & Dominus noster Jesus-Christus, quamvis suo justissimo & sacratissimo judicio nobis ignoto, tot & tantas tribulationes permittat abundantissime contra Ecclesiam suam introduci; tamen cum firmitate & securitate fidei, circa suos electos multas significationes, avisamenta, & doctrinas, exempla, & figuras per omnia tempora præscripta ostendit & dedit illis, ad illos muniendum, ut possint evitare & repellere insidias diaboli, & tela nequissimi extinguere machinationes, fraudes, & deceptiones hominum perversorum, qui sunt membra illius divertere & cavere. De his monuit nos Apostolus ad Ephes. 6. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, &c. in omnibus sumentes scutum fidei,* &c. Ista prædixerat propheta, loquens de adversitatibus & tribulationibus electorum, & de eorum suffragiis, Ps. 34. *Deus repulisti nos & destruxisti nos, &c.* sequitur, *commovisti terram, & conturbasti eam, &c.* & iterum, *ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Videtis abundantiam tribulationum; nunc autem sequitur doctrina in genere & avisatio circa talia, *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.*

CAPUT CXX.

QUando autem aliqua nova doctrina, vel novus ritus vivendi introducitur, est advertendum circa modum & formam introductionis, circa zelum personarum introducentium, & circa vitam & mores, & consuetudines talium personarum, & circa eorum fundamenta, & non circa eloquentiam, allegationes, conclusiones, & disputationes. Videmus enim quod Deus creator omnium rerum, in publicatione & introductione legis veteris, nulli fecit violentiam ad credendum, vel ad se sequendum, sed per signa, prodigia, & miracula, prædicationes, monitiones, & exhortationes attrahebat eos; immo liberam voluntatem requirebat, quando per Moysen & alios faciebat interrogare, in multis locis veteris testamenti, populum si volebat ex corde adhærere Deo suo, & illum diligere & amare, &c. Exod. 19. & Deut. 30. & expressius Josue ultimo. Hoc idem Deus incarnatus servavit, ut habetur in multis locis in novo testamento. Nam inter alia, cum circa sacramentum corporis & sanguinis sui loquentem audiissent, scandalizati sunt & multi discipulorum abierunt retro, nec jam cum illo ambulabant. Tunc Salvator noster dixit duodecim apostolis: Numquid & vos vultis abire? quasi dicat, ut beatus Augustinus exponit, non retineo vos invitos, sed si vultis recedere, potestis sicut & illi. Quamvis enim in fide recepta cogatur quis perseverare, & propter se, & propter perniciem proximorum vitandam, numquam tamen Ecclesia aliquem ad credendum cogit. Ideo papa cum suo generali concilio reprobavit factum illius principis, qui coegit Judæos ad fidem catholicam, de quo habetur 45. Di.. c. de Judæis, & ex quo est una avisatio, significatio, & vehemens argumentum, quod doctrina non est à Deo, quando introductio fit per violentiam & impressionem; & potest esse ratio, quia confessio ad extra nihil valet, ut dicit Apostolus ad Romanos 10. c. nisi corde credatur & animo, cui non potest fieri violentia. Et hunc modum servarunt omnes hæretici & persecutores Ecclesiæ & veritatis, qui fuerunt potentes ad hoc, jungentes se cum principibus & dominis temporalibus, ut superius latius tactum est.

CAPUT CXXI.

ITerum deprehenditur non esse à Deo, quando sic traditur & introducitur in occulto, nec admittit disputationes vel discussiones liberas circa illam, sed sola impressione & violentia quærit sequelas & adhæsiones. Et talis fuit doctrina vel secta Mahometi. Redemptor enim noster proponens nobis legem evangelicam dixit Johan. 18. ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil, nihilominus posuit doctrinam suam ad examen publicum Johan. 3. quis ex vobis arguet me de peccato?

peccato. Hæc secuti sunt apostoli & discipuli A ejus. Unde beatus Petrus apostolus exhortando nos ad istud dixit 1. epist. 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos de ea quæ in vobis est fide & spe*; quamvis enim Ecclesia non permittat publice disputare inter populares, turbis adunatis, de fide catholica; & hoc etiam prohibuerunt imperatores in legibus suis, ex causis justissimis tamen omnibus fidelibus & infidelibus est parata plane & pacifice reddere rationem.

B

CAPUT CXXII.

SUbsequenter si in tali introductione vertitur præjudicium, vel interesse aliquorum, debent vocari & esse præsentes & audiri plene & pacifice & secure omnes quos tangit cum omnia jura, tam divina quam humana, naturalia & civilia, municipalia & gentium, immo brutalia & infernalia damnent & reprobent in contrarium acta & attentata, & reputent om- C nes similia agentes & attentantes injustissimos, reprobos, ministros infernales, ac damnatissimos sceleratos, immo brutales insensatos. Nam tauri, leones ac ceteræ bestiæ feræ in suis invasionibus & concursibus neminem audiunt in contrarium; sed omnibus more magistrorum tuorum denegant audientiam, & tunc auditis omnibus & discussis & digestis hinc inde allegandis, & omnibus impugnationibus examinatis & purificatis, eligantur conclusiones & ordinationes, statuta & leges inexpugnabiles, Deo gratæ, & D acceptæ, & hominibus optatæ, placabiles, amplexandæ, laudandæ & servandæ.

CAPUT CXXIII.

POrro debet adesse zelus rectus, quòd non moveatur ex odio, vel rancore personæ, generis, nationis & tribus, nec ex propria affectione, utilitate, honore, gloria, fastu vel E laude. Debent etiam tractare & agere mature, modeste, discrete, non properanter vel præcipitanter, sine judicio, sine deliberatione, quasi videantur levitate quadam & insania, commotione vel indignatione procedere: quia scriptum est, præcipitatio noverca justitiæ: ita quod non sit acceptio personarum, patriæ, nationis, carnis vel sanguinis, quia scriptum est, *qui cognoscit in judicio faciem, etiam pro bucella panis deserit veritatem.* Qualiter autem illa vasa exuberantia divini furoris circa prædicta erraverint & excesserint, dicant & declarent tibi odium an- F tiquatum, rancor inveteratus, furor & fervor iniquitatis, & malitiæ abominatio & detestatio, quæ in eorum visceribus viperinis, gratis, & sine causa conceperant, & sibi causaverant contra dominum nostrum papam Benedictum.



CAPUT CXXIV.

ISta & alia multa erunt quæ Salvator noster inspiravit dilectis suis, ne cadant in laqueos vel insidias illius filii perditionis & suorum, at quæ lingua humana non sufficit exprimenda. Et ex hoc modo tu, Carthusia, si optasses ex corde perseverare in unitate Ecclesiæ catholicæ, & domini nostri papæ Benedicti XIII. summi pontificis, potuisses in multis & variis judiciis & significationibus faciliter deprehendere fallacias, iniquitates, & deceptiones illius damnatissimæ factionis Pisanæ. Si enim quæ ibi fiebant erant in zelo Dei, pacis, & unitatis Ecclesiæ, quare non communicabant in publico toti mundo processus, & alia quæcumque imponebantur dicto domino nostro papæ, vel primo intruso pro sua obedientia, quia si talia fuissent revera, ut aliqui ex eis mentiebantur, sine difficultate habuissent sequelam omnium. Sed quod pejus est requisiti solemniter & publice per multos magnos & potentes principes, prælatos, communitates utriusque obedientiæ, immo per nos ambaxiatores concilii generalis & catholicæ Ecclesiæ, numquam voluerunt dare copiam, nec aliquid ostendere, sed invenerunt, pro fraudibus & malitiis suis palliandis, modum ab Ecclesia catholica, à veræ fidei documentis penitus alienum, à ritu fidelium, & sacrarum scripturarum doctrina, & utriusque juris sanctionibus reprobatum & damnatum, videlicet legebatur in publico unus articulus super criminibus per eos falsissime depictis & confictis, quo lecto, surgebat unus de ministris mendaciorum, & latrando dicebat, iste articulus probatur, per duos cardinales, per tres episcopos, per quinque abbates, per duos religiosos, &c. & sic faciebant de aliis subsequentibus, subticendo semper nomina testium & verba attestationum, quia exprimendo apparuisset evidenter reprobatio tam notoriæ & tam apertæ falsitatis & simulationis: immo nec hodie possunt, nec audent ostendere processum, vel aliquid aliud per eos agitatum, quamvis per principes & alios requisiti. Scio enim quod rex Aragonum bonæ memoriæ requisivit quosdam ambaxiatores, qui missi fuerant ad eum de Francia, quos ego vidi, quod ostenderent ei processus, & responderunt quod non habebant, nec sciebant aliquem processum. Immo dicam tibi unum damnabile, vel potius irrisorium, vel trufatile, quod post præparatos per illa vasa iræ dictos excessus, & facta intrusione tum fabricabant, & compingebant processus ad justificandum vel palliandum ea, quæ falso & perperam commiserant; & cum toto hoc non sunt ausi illos ostendere vel publicare. Vide si ista etiam in conventu rusticorum irriderentur, sicut narratur de quadam villa, quod suspenderunt hominem & postea fecerunt processum, & constito de innocentia, mendicabant per Ecclesias pro illo, dicentes, faciatis eleemosynam suspenso, quia injuste suspensus est. Et tu, Carthusia, elegisti illos in magistros,

doctores & instructores tuos, adhærendo immobiliter eis, & nunc petis informari, cum potius debuisses provocari ad ridendum & subsannandum, quam ad credendum vel adhærendum illis.

CAPUT CXXV.

INterroga igitur nunc illos filios perditionis, saltem de Ecclesia Gallicantina, si credebant quod illa quæ tractabant vel frabricabant in Pisis, essent vel fierent secundum Deum & veram justitiam, & æquitatem: & si dicunt quod sic, scias iterum ab eis, quare ergo non fiebant publice & in conspectu omnium, communicando illa omnibus volentibus, & petentibus. Cogitare enim debebant quod opus eorum, si erat ex hominibus, destrueretur & dissolvetur, sicut fiet; si autem ex Deo, inexpugnabile & indissolubile esset, & nullus posset illud mutare, ut dicitur Actuum 5. in fine. Scriptum est enim: *Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.* Eo enim ipso quod tu, Carthusia, vidisti vel audisti ista sic in tenebris deducta & agitata, debebas illa habere vehementissime, immo insolubiliter suspecta de falsitate & corruptione, saltem ad non adhærendum eis, dimittendo ita claram, veram, firmam & patentem fidem & credentiam de tuo vero summo vero pontifice, quem possederas per xxx. annos & ultra, & sic secutus fuisses doctrinam Apostoli ad Ephes. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite, quæ enim in occulto fiunt ab ipsis turpe est dicere, &c. omne enim quod manifestatur lumen est*, &c. ad idem 2. ad Corinth 4. in principio, & illud Johannis 7. *Nemo quippe in occulto aliquid facit & quærit ipse in palam esse.* Ista omnia detestando prædixerat salvator noster Johan. 3. cum dixit: *Erant enim mala eorum opera: omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Poteras ergo ex hoc solo tu, Carthusia, & quilibet clarissime deprehendere, & arguere secundum doctrinam Salvatoris nostri, quod opera illorum erant damnatissima, & reprobatissima, quæ sic in tenebris, occulte, subreptitie, dolose, insidiose, & præcipitanter agitabantur contra summum pontificem & verum vicarium JESU-CHRISTI & suam catholicam Ecclesiam; contra quos reprobos & perfidos homines prophetaverat David cum dixit Ps. 10. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Et iterum Psal. 63. *quia exacuerunt ut gladium linguas suas.* Ecce falsa crimina, quæ domino nostro imposuerunt, & sequitur *Intenderunt arcum rem amaram*; ecce insidias & machinationes, quas in occulto fabricant, satis amaras & scandalosas fidelibus, & maxime suis damnatissimis animabus. Et sequitur effectus, *ut sagittent in occultis*, scilicet per fraudes & mendacia conficta *im-*

A *maculatum*, id est dominum Papam. Et iterum Psal. 9. loquens de illo heresiarcha SIMONE DE CREMAUDIS, qui solus fuit principalis dux & minister eorum & tantæ malitiæ nunc perpetratæ, & etiam primæ subtractionis, dicit, *sedet in insidiis cum divitibus in occultis:* Isti divites erant, alii reprobati prælati illius sequaces, ad litteram tractantes, & conspirantes in occultis; & sequitur, ad quid? *ut interficiant innocentem*, id est dominum nostrum verum papam, quem reputabant eis scandalum & lapi-
B dem offensionis; & qui non poterant corporaliter, ut tentaverant in captione ordinata & mandata, de qua supra saltem in quantum in eis fuit, per privationem status & famæ, honoris & dignitatis, quæ est quasi quædam mors civilis amarissima & dura; secundum illud Jerem. 13. *Venite & percutiamus eum lingua.* Ex quo sequitur in eodem Psal. *insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua*, contra quem continue orat Ecclesia dicens: *Contere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius & non invenie-*
C *tur*, ab eo scilicet ut ipse cognoscat quousque demergatur in profundum inferni cum interitu laquei sui: quia, ut dicit B. Gregorius, oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Et illic videbit peccata sua, ubi æternaliter cruciabitur, recipiens cum infidelibus portionem. Et tu cum eo, nisi pœnitentiam egeris, illius sequelam & dogmata abnegando, contra quos omnes scriptum est Psal. 48. *hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Erit enim
D tunc eis mors in pabulum, quia hic in operibus mortuis & mortiferis delectati, & occupati fuerunt, contra quos Ecclesia catholica conquerendo ad Deum continue mittit preces suas Psal. 54. *veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes; quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum*; nec est dubitandum, quin sic eveniat, nec tardabit, quia scriptum est Job. 20. *laus impiorum brevis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

E

CAPUT CXXVI.

NUnc transit Carthusia ad aliud velamen excusationis, cum dicit: Nos continue, & in publico & in secreto, tam conventualiter quam singulariter oravimus Deum, ut nos dirigeret & nobis ostenderet quid essemus facturi: ideo credimus quod Deus exaudiverit nos, & quod non permiserit errare, &c.
F Vide & attende quia credere hoc, est valde periculosum, & forte est unum de principalibus, sub cujus fraude diabolus acquirit & trahit ad se multos, & statim repellam & destruam ad litteram, tuam cogitationem. Nam alii non minoris meriti quam tu in omnibus fecerunt idem, & forte magis devote, ferventer & perseveranter, & cum recta intentione, & tamen remanserunt in obedientia domini nostri BENEDICTI XIII. Quæro à te, qui sunt exauditi à Deo? Si tu credis quod tu, & illi etiam credunt

A quod ipsi, & sic quis judicabit vel discernet inter vos, quis verius vel rectius existimet vel credat? Et si laboratur ad istud discutiendum, oportet de necessitate incidere in pristinas disputationes de allegationibus & rationibus juris, & de adhæsione tuorum quos elegisti tibi pastores, & similium quæ diffusius superius tacta sunt, quod erit superfluum, & inutile iterum deducere & disputare.

CAPUT CXXVII.

ET propter hoc oportet magis loqui specialiter de orationis exauditione. Circa quod considerandum est, quod aliqui orantes exaudiuntur à Deo, & non credunt nec recognoscunt se exauditos, sicut cum aliquis petit à Deo aliquid temporale ad bonum usum & recta intentione, & Deus mutat illud in spirituale, videlicet in salutem animæ, in directionem & emendationem vitæ spiritualis, & tunc ille quia non C habet quod directè petit, non credit se exauditum, & in hoc deficit. Nam si tu peteres ab aliquo unam vineam cum magno fervore, & ille non daret, sed daret tibi mille florenos, vel unum castrum; quia videret tibi illud esse utilius & congruentius, numquid exaudiret te? Hoc modo fuit exauditus Paulus super stimulo carnis, quamvis ipse non ignoraret esse melius quam quod petebat. Hoc eodem modo fuit exauditus Job, qui ante afflictionem, & in afflictione non est dubium quod orabat. Job. 19. c. D & sic de multis.

CAPUT CXXVIII.

ALii orant nec credunt exaudiri, nec exaudiuntur in his quæ petunt, & tamen exaudiuntur; sicut cum aliquis orando petit aliquod injustum vel iniquum. Nam tunc cum non exauditur, exauditur. Nec ipse pro tunc credit exaudiri, & hoc dicit Propheta Psal. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, & E sequitur, *propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.* Vides quia in eo quod non exaudivit eum, dicit quod est exauditus.

CAPUT CXXIX.

ITem sunt nonnulli qui in conspectu hominum videntur non exaudiri, immo totum contrarium, & tamen illi plenissime exaudiuntur. Sicut dicit beatus Augustinus super Psalm. 63. F Orabant martyres, *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam*, & orando trucidabantur & exaudiebantur. Et alii qui deficiebant & adversariis consentiebant eruebantur ab inimicis, & tamen absorbebant & viventes peribant. De primis enim scriptum est: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.*

CAPUT CXXX.

ALii vero etiam pro se nullatenus exaudiuntur, in eo quod petunt, sicut cum orant pro aliqua re injusta, vel pro peccato complendo, ut prædixi, nisi aliquando pro malo peccatoris & in vindicta, dum permittit Deus peccatorem adhuc amplius ruere in peccata, secundum illud Apocalypsis ultimo, B *qui nocet adhuc noceat, & qui in sordibus est sordescat adhuc*, & secundum illud Psalmi 108. *& oratio ejus fiat in peccatum.* Nam, ut dicit Augustinus, quædam Deus negat propitius, quæ concedit iratus.

CAPUT CXXXI.

ALii autem quamvis sanctissimi viri, non exaudiuntur orando etiam pro bono aliorum, quia illi operibus suis se & orationes impediunt, Jerem. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia ego non exaudiam te.* Ad idem Jer. 11. *Noli orare*, &c. Ad idem 14. & Ezechielis 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job, &c. nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur.* Idem de Samuele pro Saüle 1. Regum 16. in principio.

CAPUT CXXXII.

SUnt nonnulli qui orant & petunt, credunt vel sperant exaudiri per miraculum, scilicet illi qui omittunt circa sua pericula & necessitates recurrere ad auxilia possibilia per naturam, & hic causatur peccatum, videlicet tentare Deum contra illud Matth. 4. Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quando enim aliquis in suis necessitatibus optat aliquid & orat, & omittit opportuna auxilia & possibilia, quæ possent eum juvare, tunc tentat Deum, sicut si tu, ponamus, orares vel peteres à Deo pisces pro tali festo, & faceres ex parte tua diligentiam, mittendo ad loca consueta, & alia faciendo quæ ad similia sunt solita & opportuna, & haberes pisces; tunc debes te reputare exauditum à Deo: Si autem interponere omitteres dicta auxilia, vel adhibere curam, & expectares quod Deus mitteret tibi sine tuo labore & sollicitudine per orationes tuas, tunc petis & expectas miraculum, & præsumptuose agis, immo negligis, & est tentare Deum, ut dixi. Unde dicit B. Gregorius 23. Moralium super illo verbo. Job. 33. *Semel loquitur Deus; & secundo idipsum non repetit.* Deus singulorum cordibus privatis vocibus non respondet, sed tale eloquium, &c. & sequitur: Nec opus est ut in eo quod specialiter quisque tolerat, responderi sibi divina voce specialiter quærat, &c. Et in hoc reprobantur illi qui quærunt vel expectant in declaratione schismatis, vel aliis similibus dubiis, scire veritatem per re-

velationem angelicam, vel divinum miraculum, quibus etiamsi evenirent, non crederent, sed illa calumniarentur, sicut Pharao tempore Moysis, & Judæi tempore Christi.

CAPUT CXXXIII.

TU igitur, Carthusiane, orabas ut Deus dirigeret te & liberaret te à periculis, & non preparabas te ad sustinendum in persona vel bonis pro veritate, quam primam tenebas, propter pericula quæ videbas, sed propter minas, terrores, & impressiones tibi intimatas, oblatas, præsentatas, & promptas, quæsivisti occasionem & colorem, ut illa sub aliquo velamento excusationis evaderes; & omnibus auxiliis possibilibus per naturam omissis, & neglectis, jactasti te in manibus inimicorum & persecutorum veritatis, nihil volens scire, & alia multa superius latius deducta; & sic secundum primum modum orandi supradictum fuisti exauditus in tuis orationibus, quia ut dicit B. Augustinus, non illud quod os petit, sed quod cor desiderat est oratio. Cedendo enim & consentiendo inimicis veritatis, & eorum erroribus & fraudibus, fuisti liberatus à timore inimici; secundum quod orabas, sed ab eis absorptus. Non potes ergo conqueri quod non fueris exauditus. Iterum omittendo prædicta auxilia, & illa contemnendo, ut supra probatum est, fecisti contra legem divinam, quæ talia hortatur, præcipit, & suadet: unde dicit B. Augustinus 16. de Civitate Dei, 19. qui periculum quantum cavere potest non cavet, magis tentat Deum, quam speret in Deum. Considera etiam super hoc quid B. Paulus apostolus fecerit, quamvis enim à Deo certissimum responsum habuisset, quod Romam oportebat eum ire & evangelisare, tamen pro liberando se à Judæis, & eorum insidiis, impressione, & furore, quot cautelas, quot remedia, & quot auxilia humana adhibuerit, videre poteris tutissime Actuum 21. cum quinque capitulis sequentibus, & sic tua oratio in eo quod nunc prætendis non fuit exaudita, secundum illud proverbiorum, 28. *Qui declinat aures suat ne audiat legem, oratio ejus fiet excecrabilis.* Et Jacob. 4. c. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.*

CAPUT CXXXIV.

QUare saltem non faciebas illis tuis incapitatis pastoribus de Ecclesia Gallicantina unum quæsitum pro serenitate tenebrarum tuarum, videlicet dicatis mihi vos, tenuistis umquam pro vero papa domino BENEDICTO XIII? & si dixissent quod non; tunc non oportebat ulterius cum eis disputare vel loqui: si autem dixissent quod sic; tunc quærere iterum ab eis, quare desiit esse Papa? Si forte ex eo, quia nimis ponebat de aqua in vino, vel quia non faciebat voluntates eorum pravas, vel quia non dabat abundanter de vino ad potandum Gallicis quando veniebant ad curiam, ista vel similia respondissent tibi: quia alia rationabilia non habebant; sicut ille buticelaus papæ, cum increparetur de excessu vastandi vinum respondit, numquam vinum ita laudabiliter fuit expositum sicut istud; quia cum centum scyphis de vino cum bono & læto vultu oblatis ego acquiro & reduco ad obedientiam papæ centum Gallicos. Poteras etiam interrogare, quando perdidit papatum? Si forsitan quando exivit de Avinione, vel de Massilia, vel de Saona, vel quando intravit mare, vel quando dixit missam, vel quando per eos mandabatur capi, vel quando bibebat de vino albo, vel dicerent tibi per quem actum perdidit papatum: quia in responsione cognovisses trufas, & irrisiones, & levitates illorum. Et istud pro certo non debebas omittere ad interrogandum, ut saltem scires propter hoc, & ex isto actu ego perdo papam verum; nec tu eras puerulus ut crederes simpliciter pædagogis; nec quia multi, debebas eis adhærere; quia scriptum est Exod. 33. in principio *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.*

CAPUT CXXXV.

ET si forte diceres, ideo perdidit papatum, quia concilium declaravit, &c. & quia noluit renuntiare, &c. jam superius ostensum est non fuisse concilium, sed quædam damnatissima congregatio, conjuratio, & conspiratio hominum impiorum, & ecclesiarum malignantium. Et posito quod fuisset verum concilium; numquam concilium potuit vel potest judicare papam, cum concilium recipiat auctoritatem à papa, & non est contra, ut est textus expressus, in Cap. *significasti*, ex. de Elect. & notatur de Elect. *ubi majus* in principio super in generali concilio lib. 6. cum multis aliis juribus & glossis, ut superius est tactum in cap. 55. & habetur expressius in dubiis inferius post finem dicendorum explicandis. Nec esset danda fides cuicumque concilio vel synodo etiam veræ & canonicæ, nisi dicerent & ostenderent de causis legitimis & veris & sufficientibus ad hoc. Via autem cessionis quamvis à principio schismatis & subsequenter per multos annos per omnes fere universitates studiorum & per quoscumque viros litteratos expresse reprobata & damnata, tamquam injustissima nutu claudicans & inæqualissima, & futuris electionibus scandalosa & perniciosa, & nusquam in Dei Ecclesia praticata, sicut quilibet mentis compos, ut dicebant, & intellectu vigens poterat deprehendere in aperto; in qua opinione quamplurimi magni clerici urgente conscientia adhuc hodie perseverant, contrariam erroneam reputantes; tamen pro nunc sic communiter recepta & incapitata, nisi caute & prudenter practicata & deducta, potius esset novorum schismatum & divisionum inductiva, quam pacis vel unitatis præparativa. Quid enim fuisset papam renunciare; non dispositis & præcedentibus præambulis ne-

cessariis ad futuram electionem in loco securo & congruo canonice & concorditer celebrandam, nisi perdere ex toto papam verum, & fluctuare cum scandalis & periculis, divisionibus, & novis schismatibus & dubiis facti & juris, ad habendum alium ita certum nobis & indubitatum; & rem dimittere propter umbram; nauclerus etenim, si non disposito navis clavo, ac præparatis ceteris illius armamentis, solverit de portu navem, mari præcipue rugiente, potius quærit naufragium, quam salutem. Nullus B etiam sapiens agricola jactat semen, nisi terra prius arata, & debite præparata, aliàs spinas & sentes metere verisimilius expectet quam fruges. Idcirco qui dicunt dominum nostrum papam proviso circa scandala, fraudes, pericula, & discrimina verisimilia futura & prompta, debito modo, tempore congruo & opportuno, noluisse renuntiare, in caput suum gravissime & notorie mentiuntur. Nam ad hoc perficiendum quidquid fuit sibi possibile fecit; nisi viri illi tartarei, filii diffidentiæ, multiplici fictione, arte & fraude impedivissent, etiam fide mentita & C rupta, ut supra latius est deductum, & evidentissime constat per multa autentica documenta.

CAPUT CXXXVI.

DIcunt ulterius illi de Carthusia, quod magister VENCENTIUS dixit in Janua nescio quædam verba, &c. Dicatis eis quod omnes non intelligunt verba illius; & sufficiat pro expositione & solutione omnium verborum D ipsius, quod discurrendo & informando gentes publice prædicat Benedictum papam XIII. esse verum papam & verum vicarium JESU-CHRISTI, & nullum alium vivente eo; quamvis hactenus tacuerit propter majorem utilitatem. Nunc autem videns tam notorios errores & hæreses insurgere in Dei Ecclesia, non potest, nec debet tacere: aliàs lapides clamabunt. Et ideo secundum tempora, status, personas, & loca, sunt accipienda verba & intelligenda, maxime quia in congregatione illius seditionis Pisanæ, E ipse credebat, sicut & multi, quod illa præparatoria fierent, & aliter ducerentur negotia & tractarentur, quam factum sit, & superius dictum est; quia tunc omnes fuissemus ejusdem opinionis & sequelæ.

CAPUT CXXXVII.

ET si sic volebant illi de Carthusia dare fidem aliis personis alterius nationis, numquid sciebant à notorio, & etiam quia per me F scriptum fuerat eis, & cum domino nostro papa illos reverendissimos patres, & dominos, cardinales, Auxitanum & Tolosanum, & à principio etiam illum de Armaniaco, sed cessit vocatus à Deo; ac etiam illos reverendissimos patres, dominos, episcopum Senescensem, magistrum generalem ordinis Prædicatorum, & ministrum generalem ordinis Minorum, & D. GUIDONEM Flandrini solemnissimos & famosissimos A doctores in utroque jure, & magistros in theologia, & illum famosum doctorem dominum JOHANNEM episcopum Mimatensem, qui reveniens de Pisis, dum moriebatur in Avenione dixit: Ego morior in fide & credentia domini nostri papæ BENEDICTI; qui omnes sunt origine de illa natione & dominio Gallicorum, quorum opinionem & electionem illi de Carthusia debebant inexpugnabilem reputare. Nam omnia bona, status & beneficia perdiderant in Francia, & in Provincia propter hanc fidem; & si promittebantur eis à contrario, & quot & quanta tam per nuntios quam per litteras, sunt qui viderunt & audierunt; & tamen voluerunt potius sequi, & sequuntur veritatem, etiam in paupertate, & penuria, quam propter favores, patriam, parentes, nationem, statum vel beneficia recedere à veritate fidei Christi & sui vicarii, & sic de multis aliis. Isti enim sunt similes Moysi, de quo dicit Apostolus ad Hebræos 11. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*; & certissime major fides erat danda istis paucis, attentis omnibus debitis circumstantiis, quam centum millibus de aliis superius expressatis & derivatis, & per longum & latum explicatis.

CAPUT CXXXVIII.

DIcatis ergo eis, Quis instruxit eos quod ista prompte, & in momento abnegarent verum vicarium JESU-CHRISTI? habuerunt magistros & instructores, ut prædictum est, illos quos jactant pastores animarum suarum, & recte docuerunt ipsos eo ritu & stylo quo didicerant: Impressione enim magistra conceperant nequitiam, quam cum terroribus, minis, & comminationibus effuderunt in genimina viperarum, quæ optabant præservari, & fugere à ventura ira & furore pendentibus super capita eorum. Habebant enim Syriam ab oriente, & Philistiim ab occidente, & dracones in medio, ut devorarent toto ore Israel: & illis plenarie crediderunt, & illos constituerunt pastores suos, & quod gravius est, petunt nunc informari, & dicunt quod oraverunt Deum, & tamen super veritate scienda renuntiaverunt ejus auxilio & illuminationi divinæ. Nam illa vasa iræ præceperunt eis quod exinde non orarent pro unitate Ecclesiæ, quia jam unita erat: & isti cæci discipuli obedientes magistris caligine involutis, cessaverunt ab oratione, revocantes & cassantes orationes super hoc speciales, quotidianas, & consuetas; obstruentes sibi in posterum omnem illuminationem divinam & veritatis notitiam: firmantes se more Judaico in sui pertinacia, & sic speratur quod amovebunt de canone Missæ, *quam pacificare, custodire & adunare, &c.* quia dant eis intelligere, quod Ecclesia est unita, nec oportet exinde orare. Vide tenebras palpabiles affectatas, contra quos prophetaverat Jerem. 3. c. ibi dicentes *Pax pax*, cum non esset pax, confusi sunt quia abominationem fecerunt.

CAPUT CXXXIX.

MUltis ergo, frater Bernarde, imponendo finem verbis, videre casum breve de cunctis quæ illi de Carthusia fecerunt, ne sic in omnibus judicemus eos culpabiles, procul dubio credendum est, quod si fuissent in libertate & plena securitate, aliter egissent, & forte melius, vel minus male, sed offuscato in eis judicio rationis per minas, terrores, & comminationes, jam per annum ante suam prætensam congregationem, eis verbis & scriptis illatas & transmissas, aliter eis secundum carnem agere non licuit, secundum illud Job. 18. *& præcipitabit eum concilium suum*: ubi dicit beatus Gregorius, quia recte agere non valent, cum hujus mundi amatoribus displicere timent. Nam quamvis vexatio det intellectum, tamen verum est ubi habet locum electio ad diversas opiniones vel conclusiones: sed quando super una absolute fit impressio, tunc ratio ex timore obtenebratur secundum illud Psalmistæ, *Cor meum conturbatum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Et iterum: *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Et si eligit consentire, quærit tunc fulcimenta totis viribus, si posset quomodocumque illam electionem justificare, vel saltem excusare vel palliare, sicut illa puella vi oppressa, cum increparetur quare non clamabat, respondit, quia in tenebris & in obscuro eram, & non videbam ad clamandum. Sic fuerunt recte illi de Carthusia: videntes quod aliud agere non licebat, dixerunt illos esse pastores animarum suarum, supponentes etiam sibi in velamen illas allegationes, opiniones, & dicta illorum carnalium magistrorum, quamvis revera, nulla, ut prædictum est, & sic ut non viderentur aliquid facere totum, & animas & corpora sua, & statum prælati eorum posuerunt in manibus inimicorum Dei Ecclesiæ, ipsius prælati, & veritatis: quasi dicerent instructi à sacerdotibus sacrilegis Judæorum: omnia faciamus, & nihil fecisse videamur: & sic existentes in tenebris affectatis, non videbant ad clamandum vel contradicendum, unum tamen omiserunt, scilicet lavare manus suas, dicendo mundæ sunt manus nostræ, &c.

CAPUT CXL.

ET ex hoc aliqui scripserunt argumentum de infidelitate & de alio graviori commisso per eos contra prælatum suum, nam ut dicunt cogitantes illum promtissimum ad cedendum, requisiverunt eum sub aliquibus coloribus de cessione, & illam obtentam tradiderunt in manus inimicorum capitalium ipsius, quod idem est, sicut tradere personam, cum status & persona in similibus de jure æquiparentur, & retraxerunt se ut illi possent liberius operari, & submiserunt cum eis quemdam de suis, qui dixerat in Avenione coram multis & alibi, quod si ille prælatus veniret ad Carthusiam, quod ipse numquam rediret, & similia, ut magis concordaret cum ipsis. Et isto modo illi de Carthusia nihil fecerunt, sed solum oculis clausis in perpetrata per alios se præcipitarunt. Et forte frater Pinotus dedit in his consilium, qui jam tunc reputans se liberum à jugo, Ferrandum nuntium de Castella, multis opprobriis affectum, & constipatum remisit. Tamen, frater Bernarde, istis & similibus non debet dari fides, nec est curandum, dum tamen cessio & absolutio mea canonice, rite & catholice factæ & receptæ fuissent, quia quamvis apud eos me omnino & se ipsos forsitan reputent liberatos, tamen non sum apud Deum, ad quem debemus nostras considerationes reflectere, & non ad ludibria hominum, nihil tamen de his scribatis eis, quia non multum faciunt ad propositum; sed quando illi erunt sub obedientia papæ, & in unitate catholicæ ecclesiæ, quod Deus concedat eis, si optant, tunc quod ad utrumque brachium reputabo me plenissime absolutum & liberatum, quod concedat nobis qui potens est, & sanctum nomen ejus. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, nec ego scribere propter festinantiam portitoris & solemnia festa occurrentia, ideo indigeste & repente scripsi, & sic mittatis eis illa quæ vobis cum consilio priorum qui vobiscum sunt videbuntur congrua, quia ita grosso stylo & rudi decocta sunt, immo cruda, quod non apponerentur in qualibet mensa honeste. Supponendo tamen omnia & singula correctioni sanctæ matris Ecclesiæ, & cujuslibet melius sentientis, & valere semper in Deo & domino nostro JESU-CHRISTO, cujus nomen sit benedictum in sæcula amen, qui vos & nos conservet sine querela usque ad introitum gloriæ suæ amen, & orate pro me. Scripta & perfecta celeriter die Mercurii in crastino Epiphaniæ Domini anno à nativitate Domini 1411. per manum rudem vobis notam.

EPISTOLA BONIFACII FERRERII prioris Majoris Carthusiæ ad fratrem Bernardum.

De conversione fratris Guillelmi de Meta & ejus ad Benedicti XIII. obedientiam reversione.

FRater Bernarde, noveritis quod postquam misi vobis prædicta, dictus fr. Guillelmus de Mota fuit ad me in hac domo Vallis JESU-CHRISTI die Veneris 19. Junii anni præsentis, pro expeditione quorumdam temporalium domus Carthusiæ, totus obstinatus, & imbutus de erroribus suæ consuetæ perfidiæ, excusans coram me, verborum multiplicatione, ea quæ commiserant & perpetraverant in Carthusia, adhærendo illi congregationi Pisanæ, quam vocabant concilium Ecclesiæ. Et ego post aliqua pauca tradidi sibi ad legendum, dum deliberarem super his pro quibus venerat præsentem Speculam, quam tenuit per multos dies; finaliter

nullo inducente, aut impellente, nisi solo Spiritu-sancto, cum abundantissimis lacrymis & singultibus venit ad me, asserens se enormiter errasse, & alios errare fecisse, & esse in statu damnationis, paratus sustinere vincula, carceres, & mortem pro veritate nostræ fidei, & credentia domini nostri papæ summi Pontificis domini BENEDICTI XIII. obtestans publice, & promittens, quod si ante eorum anticapitulum ista vidissent, quod omnes fuissent antea mortui quam consensissent illis erroribus & falsitatibus adversariorum; quamvis enim prædictum opusculum pro aliqua parte sibi misissem, tamen quia devenit ad manus illius prioris Parisiensis intrusi in Carthusia, statim occultavit, ne ad alicujus notitiam deveniret, volens se & alios in consueta cœcitate & perfidia conservare, & à veritatis notitia elongare. Tandem in nomine Domini dictus fr. Guillelmus de Mota die Veneris tertia Julii ejusdem anni veniens ad me cum magna humilitate, & devotione, & uberrimis lacrymis, petiit humiliter se absolvi & reconciliari, paratus recipere quamcumque pœnam vel pœnitentiam sibi imponendam, ac cetera facere & complere, &c. & ego videns ejus humilitatem & ferventem devotionem, abjurato potius per eum schismate publice & solemniter, de numquam adhærendo illi damnatissimo, intruso BALTHASARO COXA vocato ab aliquibus filiis diffidentiæ JOHANNE vel suis complicibus, vel dare sibi vel suis sequacibus auxilium, consilium seu favorem, verbo vel facto, &c. absolvi eum, habilitavi & dispensavi, &c. auctoritate apostolica, suspendendo eum ad tempus à celebratione missæ, & quod esset novitius, quodque cum magna humilitate & devotione recepit & implevit, & sic non reductus ad suum statum & locum more solito in fervore devotionis perseverat. Ista scribo vobis, ut gaudeatis quia ovis quæ perierat inventa est, orando Deum, ut ceteros obstinatos illuminet, & ad vitam veritatis reducat. Amen. Saluto omnes; orate pro me. Scripta in domo Vallis-JESU-CHRISTI ultima Julii anno à Nativitate Domini 1411.

BONIFACIUS Prior Carthusiæ nunc per schismaticos occupatæ.

Sequitur copia bullarum de quibus supra fit mentio.

EPISTOLA BENEDICTI XIII. ad Bonifacium Ferrerii.

Irritam declarat electionem Prioris Parisiensis in priorem majoris Carthusiæ, mandatque ut Bonifacius Prioris officium exerceat, eique cuncti obediant.

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio BONIFACIO FERRARII, priori majoris domus ordinis Carthusiensis Gratianopolitanensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad sacri ordinis Carthusiensis statum & utilitatem, præsertim in his quæ salutem concernunt animarum, nostræ diligentis considerationis dirigentes intuitum, ipsius ordinis professores libenter præservamus à noxiis, & ipsorum animarum periculis, quantum in Deo possumus, obviamus; Nuper siquidem te de mandato nostro pro negotiis arduis, concernentibus ecclesiasticam unitatem, in Romana curia moram trahente, cum sicut accepimus tempus celebrandi generale capitulum in majori domo dicti ordinis, Gratianopolitanæ diœcesis instaret de proximo, tu celebrationi hujusmodi ex causis legitimis commode non valens personaliter interesse, per certum nuntium tuas ad dictum capitulum litteras destinasti, per quas inter cetera juxta constitutiones dicti ordinis & morem hactenus observatum, humiliter petiisti, ut te à dicto prioratu & ejus onere ac præsidentia & honore, quibus per hujusmodi litteras cessisti, & præfato nuntio cedendi & renuntiandi simpliciter facultatem concessisti, absolverent, & sibi ac dictæ domui de priore alio providerent; præsentatisque litteris per dictum nuntium in capitulo memorato, ad quod multi convenerant schismatici, & ab obedientia nostra & Ecclesiæ præfatæ subtracti, hujusmodi tua cessione admissa, statim de facto ad eligendum priorem alium processerunt, ac quemdam priorem Parisiensem ibidem præsentem in eorum prælatum assumserunt: qui quidem prior se schismaticis adjungens, ad obedientiam filii Belial PETRI DE CANDIA, in sede apostolica violenter intrusi, una cum dictis schismaticis declinavit; licet nonnulli priores & monachi dicti ordinis, qui in dicto capitulo interfuerunt, & alii qui in eodem non fuerunt præsentes, tacti de tanto scandalo dicti ordinis, dolore cordis intrinsecus, in nostra remaneant obedientia, sicut prius. Verum quia obedientes isti, hæsitantes an dicta electio, sicut præmittitur, facta de jure præcesserit, dubitant acephali remanere; à nobis humiliter postularunt ipsis & eorum conscientiis super præmissis de opportuno remedio provideri. Nos itaque, considerati præmissis, ad omnem hæsitationis materiam submovendam, electionem de priore illo Parisiensi factam nullam esse, & nullis omnino viribus subsistere declaramus, ac ordini prædicto, sicut tenemur ex debito, providere volentes; te priorem dictæ majoris domus & ipsius ordinis generalem constituimus, & ordinamus, & non obstantibus præmissis de novo creamus: dantes tibi in spiritualibus & temporalibus facultatem omnia illa perinde faciendi, ordinandi, disponendi, & exequendi, quæ ad priores dictorum domus & ordinis pertinent, tam de consuetudine quam de jure, quæ etiam per dicti ordinis statuta, ac si dicta renuntiatio & alia, ut præfertur, attentata nullatenus præcessissent: prioribus, monachis, & personis aliis dicti ordinis, dantes harum serie in mandatis, quatenus tibi ut eorum vero prælato, tam in temporalibus quam in spiritualibus, in his quæ ad officium tuum pertinent, pareant & intendant, ac præstent obedientiam & reverentiam consuetas. Quocirca discretioni tuæ per apostolica

A scripta mandamus, quatenus dicti prioratûs onus ac præsidentiam suscipiendo humiliter & devote, commissum tibi officium; juxta datam tibi prudentiam exerceas fideliter & utiliter, ac ejus curam & regimen in spiritualibus & temporalibus geras, sicut prius. Nos enim sententias quas ritè tuleris in rebelles, ratas, & gratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, B ordinationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beati Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Turrim de Plano, extra muros Barcinonis 18. Junii Pontificatus nostri anno 16. Anno à nativitate Christi 1410.

EPISTOLA BENEDICTI XIII. ad Bonifacium Ferrerii.

C *Ut capitulum congregare possit in eo quo libuerit monasterio.*

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio BONIFACIO FERRARII, priori majoris domus Carthusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, Salutem & apostolicam benedictionem.

Provida sedis apostolicæ circumspectio, personarum & temporum qualitate pensata, nonnulla de novo libenter indulget, quæ subditorum quieti & animarum novit expedire saluti. Cum itaque ex statuto & consuetudine in ordine Carthusiensi hactenus observatis, prior majoris domus ordinis prædicti Gratianopolitanæ diœcesis pro tempore existens super reformatione dicti ordinis & aliis necessariis, generale capitulum in dicta domo consueverat quolibet anno convocare, & in eodem capitulo præsidere, tuque ad præsens id facere commode nequeas, propterea quod domus illa in partibus à nostra & Romanæ Ecclesiæ obedientia, inimico humani generis procurante, subtractis, constituta, per schismaticorum violentiam occupatur. Nos volentes dicti ordinis dispendiis obviare, ac ipsius professorum saluti quantum cum Deo possumus providere, discretioni tuæ in domo aliqua nostræ obedientiæ ejusdem ordinis, quam ad hoc duxeris eligendam, capitulum generale præfati ordinis convocandi, & in eo definitores pro dicto capitulo etiam citra numerum consuetum, & in ipsius ordinis statutis expressum nominandi & constituendi, ac omnia & cetera statuendi, & ordinandi, & faciendi, quæ tu & prædecessores tui in capitulo dictæ domus Grationopolitanæ diœcesis præsidentes statuere, ordinare & facere consuevistis & potuistis, statutis & consuetudinibus ac privilegiis dicti ordinis à sede apostolica, vel quibusvis aliis quacumque auctoritate, & sub quacumque verborum forma concessis, etiamsi de illis & totis eorum tenoribus esset præsentibus specialis & expressa mentio facienda, nonobstantibus quibuscumque, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Turrim de Plano extra muros Barcinonis 18. Junii, Pontificatus nostri anno 16. Anno à Nativitate Christi 1410.

EPISTOLA BENEDICTI XIII. ad Bonifacium Ferrerii.

Mandat ei ut non obstante cessione, officium prioris majoris Carthusiæ exerceat.

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Bonifacio Ferrarii priori majoris domus ordinis Carthusiensis.

Super facto prioratus majoris domus Carthusiæ tibi commissi, credimus per nos sufficienter fore provisum; tamen quia adhuc litteræ non sunt expeditæ, cum superiori modo expeditionis pendeat deliberatio; volumus, tibique mandamus, quatenus tamquam prior generalis majoris domus ordinis Carthusiensis omnia quæ ad officium tuum spectant, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, D proinde exerceas, ac si cessio tua & alia quæ supervenerit nullatenus præcessissent. Scias enim dictum prioratum cum plena potestate prout prius tibi per nos nunc fore commissum. Datum Terracone die 26. Septembris, sub signato nostro secreto. Anno à nativitate Domini 1410.

EPISTOLA BENEDICTI XIII. ad capitulum generale ordinis Carthusiensis.

E *Hortatur eos ad preces pro pace ecclesiæ effundendas, eisque concedit indulgentias.*

Dilectis filiis priori majoris domus, & ceteris prioribus, & fratribus ordinis Carthusiensis in generali capitulo apud Vallem-JESU-CHRISTI, Segobricensis diœcesis, de proximo celebrando congregatis.

F BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis priori majoris domus, & ceteris prioribus, & fratribus ordinis Carthusiensis in generali capitulo apud Vallem JESU-CHRISTI Segobricensis diœcesis de proximo celebrando congregatis, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilecti filii, appropinquante vestri generalis capituli solemni celebritate, nobis in itinere constitutis, se facultas opportuna non exhibet apud vos prolixioris scripturæ vacare mysterio, sed ne in oblivionem præterisse videatur mos laudabilis

laudabilis, quem sedes apostolica consuevit annis singulis observare, exhortationis verba depromere in caritate satagimus. A Nostis, filii carissimi, quanta mundum nostris temporibus tempestas involvit, quot sunt schismata in Dei Ecclesia suscitata, non sine periculo multarum animarum, quot etiam in christiano populo non faciliter numeranda discrimina, ministri satanæ procurarunt, quia plura cernimus quam in codicibus legamus, ad explicandum per singula non descendimus, sed Christi Dei nostri ducti B discipulorum exemplo ad celeste præsidium confugimus, caritatem vestram paternis obsecrantes affectibus, quatenus in hac sacra vestra congregatione nos inter tot persecutionum fremitus, in mari hujus sæculi fluctuantes orationum vestrarum velitis tabula sustentare, & Moysis manus debiles genuaque infirma juvare, ut ipse Deus qui potest & solus qui novit in his congruentia ministrare remedia, nos non permittat ex humana fragilitate deficere, sed corroboret humeros debiles, ad tanti oneris sarci- C nam facilius portandam, & tandem concedat in Ecclesia sua sancta, extirpatis vepribus jurgiorum, perpetuam tranquillitatem & pacem. Nec vos terreat, filii amantissimi, si pauci fideles sitis, procurante inimico homine à pluribus derelicti. Nam in exordio nascentis ecclesiæ post Christi passionem in paucis fidem remansisse sacra scriptura commemorat, & Dominum exercituum in paucis fidelibus consuevisse multorum domare superbiam. Agite ergo viriliter, & in Domino figite anchoram spei vestræ. Ipse enim pius & misericors, qui cum iratus D fuerit, non obliviscitur misereri, non dabit in æternum fluctuationem justis, sed dimittet si quod conscientia metuit, & adjiciet quod oratio non præsumit: nos vero devotionem vestram spiritualiter consolantes, indulgentias vobis solitas apostolica auctoritate concedimus, & aliis beneficia temporalia mandavimus suffragia ministrare. Datum Bonifacani Dertusensis diœcesis sub signeto nostro secreto VII. Idus Maii, Pontificatus nostri anno XVII.

P. SORIANI.

AVISAMENTA PETITA PER anticardinalem Barensem Italicum, quem intrusus Johannes, Bononiensis olim dictus cardinalis, mittendum antilegatum ad partes istas decreverat anno 1410.

QUia fide attestante minus feriunt jacula F quæ prævidentur, reddatur avisatus dominus noster, si expediret quod per doctores Bononienses, & alios litteratos curiales, de quibus videbitur faceret deliberari consulte, ac consultius super impugnationibus infra inserendis, quas PETRUS DE LUNA & sui possunt faciliter contra processum & sententiam contra eum in concilio generali Pisano factam & promulgatam allegare.

1. Et primo poterit dicere de facto idem PETRUS & sui, quod ipse fecit per omnia debitum suum juxta oblationem suam, veniendo Saonam juxta oblata, conventa & concordata in Massilia.

2. Item, ad convincendam malitiam adversarii sui pro tunc ANGELI CORRARII, ad ipsius requisitam ipse Petrus cum collegio suo personaliter transtulit se ad Portum-Veneris.

3. Item, obtulit se in limitibus obedientiarum, utriusque improbe contendentium.

4. Item, in loco de Petra-sancta in dominio Lucano & obedientia dicti Angeli pro tunc situato.

5. Item, Angelus prædictus acceptare recusavit locum de Liburnio.

6. Item, cum Lavensa & Carrara loca prompta ad duo vel tria milliaria in dominio Lucano & ipsius Angeli obedientia pro conventione utriusque damnabiliter de papatu contendentium, per ambaxiatores Venetiarum nominata in Luca per nuntios dicti PETRI fuerant libere acceptata, quod valde placuit omnibus ambaxiatoribus diversorum & terrarum ibidem præsentium, qui etiam illa duo accomoda idonea & secura valde commendarunt.

7. Item, allegabunt quod dictus ANGELUS adversarius suus solus ruperit tractatum unionis Ecclesiæ, nolendo dare seu prorogare salvum conductum nuntio dicti PETRI, etiam congeriendo eos expresse à civitate, & interdicendo suis cardinalibus quod dictis nuntiis non loquerentur.

8. Item, forsan allegabunt, quod unus maximus Princeps præpotens, mandaverat ipsum PETRUM DE LUNA & aliquos prælatos suos in Portu-Veneris capi, licèt ab eodem haberet litteras de conductu & securitate & negotio unionis infecto pro securitate personæ suæ & suorum, de consilio D. cardinalium suorum pro tunc, ut dicit, habuit se reponere in securo, & sic ad partes Cataloniæ in Perpiniano se reduxit.

9. Contra concilium generale mandatum E per utrumque tunc collegium, nunc autem unicum & unitum, Pisis congregatum & celebratum, scio quod allegabunt jura communia, dicentia sine auctoritate Ro. Pontificis concilium generale non posse convocari & congregari 17. di. q. *hinc etiam*, & quasi per totam illam di. 3. q. 6. c. *mandastis*, ubi dicit quod ubicumque reperitur mandatum & congregatum concilium generale, intelligitur de auctoritate & mandato Ro. Pontificis; & si allegatur contra eos nota Hugucionis dicentis in cap. *si duo contra fas*, & c. 79. di. quod ad dominos cardinales illos tunc dicitur pertinere convocare concilium generale sive universale, replicabunt quod Hugucio nihil allegat, & ideo vel non ei standum pro c. *ego solis* 11. di. potissime per jura etiam statim allegata, quod dictam notam non posuit Arch. in rosario quasi contemnendo, cum sit expresse contra textum in capite *significasti* extr. de electis.

10. Item, quia aut vacabat papatus aut non; si non, domini cardinales non habuerunt potesta-

tem, sive jurisdictionem aliquam ad instar capitulorum ecclesiarum cathedralium. Si vero vacabat, non habuerunt potestatem extra cap. *ubi majus* & c. *ne Romani* de electis 51. 6. & in Clemen.

11. Item, contra processum agitatum in dicto concilio contra dictum PETRUM poterunt allegare, quod dictus Petrus non fuit citatus seu vocatus ad dictum concilium generale, dato quod etsi legitime convocatum & congregatum esset judex contra papam competens in causa hæresis, vel schismatis, aut incorrigibilis contumaciæ notoriæ, vel criminis notorii scandalisantis totam Ecclesiam, non tamen domini cardinales, qui non faciunt concilium generale, nec totam Ecclesiam repræsentant, & sic non potuerunt citare seu provocare per jura communia, dicentia quod à non judice est, valet citatio emanata, & contra non legitime citata, seu aliter provocata agitatus fuit processus & sententia lata, & sic nulla ipso jure.

12. Item, allegabit se exspoliatum fuisse notorie, & per subtractiones obedientiæ, & jurium papalium, & sic ante restitutionem omnium prædictorum non potuit vocari ad concilium nec judicari, in c. *in scripturis*, & c. *nullus* 11. q. 11.

13. Item, nullus episcopus spoliatus ante restitutionem integerrimam potest de crimine accusari. in. c. *nullus* in primo. & c. finali 2. q. 2. & constat quod dictus PETRUS erat pro tunc episcopus, &c.

14 Præterea allegare poterunt, quod ab inimicis notoriis dicti PETRI fuit factus processus, videlicet à prælatis regni Franciæ, Provinciæ, Ripariæ, Januæ, & aliis qui se notorie subtraxerunt ab ejus obedientia, quia qui nostra tollit notorie inimicus est notorius c. *accedens* 2. ut lit. Non contextus. Et etiam à prælatis alterius obedientiæ pro tunc qui sui inimici notorii semper fuerunt, & sic non potuerunt esse judices, III. q. 5. v. c. *quia suspecti*.

15. Item, allegabunt quod non potuit nec debuit citari in civitate Pisana, eo quod esset odio sibi provocata in Clem. *pastor.* q. notorium 1. *Pisana de* re judi. & quod esset provocata contra dictum PETRUM patet, quia in obedientia sua non erat, sed adversarii sui, unde Christus, qui non est mecum, contra me est; & si dicatur quod habebat salvum conductum, & securitates legitimas seu debitas. replicabunt, quod non debebat se submittere suis inimicis capitalibus, licet haberet litteras de salvo conductu, & in c. *accedens* 11. ut lit. *non potest* allegato, prout fuerat expertus etiam in Portu Veneris, ut dictum est supra. Hæc quidem de jure timentur, hæc de more vitantur, hoc refugit ratio, hoc abhorret natura, in allegato c. *pastoral.* 11. *Pisana*, de re. Judi. in Clem. Et est verum, quod numquam habuit salvum conductum, ut pars dicti Petri allegat.

16. Item, allegabunt quod fuit agitatus processus à subtractis ab ejus obedientia, & sic schismaticis per q. hinc etiam ante si 17. di. allegatæ, & sic non habuerunt jurisdictionem super eum, quia schismatici nullam jurisdictionem habent 24. q. 1. c. *didicimus*, & prælati alterius partis pro tunc secundum suam fidem etiam erant schismatici, & sic nullam etiam jurisdictionem habuerunt, & sic processus & sententia fuerunt nulli.

17. Item, allegabunt quod à publice excommunicatis fuit factus processus, quia à publice schismaticis, & sic non valet processus, nec sententia in c. *approbando de* re. judi.

18. Item, allegabunt quod congregationes schismaticorum non faciunt concilium generale, seu non repræsentant Ecclesiam universalem, in c. *clericus* 24. q. 3. & dicetur quod tales erant illi de concilio, vel major pars ipsorum per superius dicta in tertia proxima ratione.

19. Item, allegabunt quod licet prælati de parte sua non essent schismatici, non erat dubium secundum fidem suam, quod illi de parte adversarii sui tales essent, & sic prælati de parte sua non potuerunt, nec debuerunt quoquo modo cum talibus schismaticis convenire in concilio generali in cap. statim allegato in c. *cum quibus*. & ca. & q. allegatis. Et illi de alia parte erant publice excomunicati ab homine & à jure, non valuerunt processus, nec sententiæ c. cum sup. quæstionum in q. si vero duo de offic. dele & in allegatis c. ad probandum.

20. Item, forsan allegabunt, quod non valuit sententia contra non legitime citatum ac mandatum, & per consequens indeffensum, per Clem. pastora. q. *denique* de re. judi. allegatus, & nuntii sui per eum missi auditi non fuerunt, qui forte talia aperuissent, de quibus concilium fuisset contentum, maxime stante occasione, quod nihil dicerent contra pacta, sed ut ponunt fuerunt pessime & dure tractati.

21. Item, allegabit forte quod Marcellinus papa licet esset crimine idololatriæ irretitus, non fuit judicatus per concilium, licet ad hoc confessus in q. *nunc autem*, 21. di.

22. Item, poterunt allegare quod propter vehementem suspicionem vel præsumtionem non est dictus de tam gravi crimine condemnandus in c. *cum contumacia* & c. *accusatus de hæresi*, p. 1. 6. & c. litteras de præsumpt. & de pugna c. *inter* versu *attendentes*.

23. Item, ejectionem Romani pontificis à papatu solus sibi Deus reservavit. 11. c. fi. 69. di.

24. Item, nemo judicabit primam sedem, neque ab augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo judicabitur. in c. *nemo*. 9. q. 3.

25. Item, aliorum quæstiones sive causas Deus per homines voluit judicari, Romanum pontificem solus Deus suo judicio voluit terminare. in c. *aleorum* & c. *factam* eadem causa & quæstione.

26. Item, suspectus de hæresi, etiam citatus ut de fide respondeat, excommunicandus est: quam sententiam si per annum sustinuerit animo indurato, ex tunc velut hæreticus condemnetur, in c. *cum contumacia* de hæretico 6.

27. Item, licet citatus ut ad concilium conveniat, si fuerit contumax, possit excommunicari, non tamen suo statu privari, de judi c. 1.

28. Item, forsitan allegabunt, quod iste processus & sententia fuerunt valde præcipitati, quia infra duos menses agitati & lata sententia, infra quos de meritis ipsius causæ concilium non videbatur plene fuisse instructum infra tam modicum tempus per c. *tuum ex litteris* vel *prospeximus* de integr. rest. & in allegato q. *denique* cum etiam in causis similibus instantia judicii duraret etiam ultra triennium saltem de jure canonico c. *venerabilis* de judi.

29. Item, forsan etiam allegabunt, quod in processu non nominantur testes primo nomine, ex quibus dicuntur probati esse articuli, & sic non videtur valere processus, ut in c. *qualiter* in q. de 6. de causa.

30. Item, allegabunt quod non tenebatur constituere procuratorem ad resignandum, quia ardua causa per c. *querelam* de procura.

31. Item, forsitan dicetur quod ipse PETRUS qui præsul erat, non potuit condemnari, nisi articulis criminum oppositorum contra dictum Petrum probatis p. 7. *testes* 11. q. q. 4. c. *præsul* & c. sequenti.

32. Item, poterunt allegare, quod ipse PETRUS in concilio suo cum instrumentis publicis ibi factis & scriptis, publice aut occulte per eum, supposuit se, & facta, & scripta, & dicta hujusmodi determinationi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, per quod videtur excusari ab hæresi & schismate, in c. *damnamus*. ante fi. de summa Trinitate & in cap. *hæc est fides* 24. q. 1. & 24. 9. 8. c. *dixit apostolus*.

33. Item, fortassis allegabunt quod per concilium dicti PETRI in Perpiniano super prosecutione unionis Ecclesiæ celebratum, ad quod per bullam suam affixam publice in valvis ecclesiæ & sui palatii in Portu-Veneris, fuerunt vocati omnes vocandi de obedientia sua, ipse Petrus fuit approbatus catholicus & verus Christianus: & de hoc constat per instrumenta publica etiam manibus prælatorum, qui ibi interfuerunt, paucis exceptis, subscripta.

34. Item, quod dictus PETRUS tenendo suum concilium in Perpiniano, vel saltem ipso mandante fuit ipse convocatus ad concilium Pisanum, & non potuit nec debuit ad dictum concilium venire.

Et idem de aliis dubiis occurrentibus.

INSTRUMENTUM PUBLICUM editum in concilio Parisiensi de deputandis ex provincia Rothomagensi ad concilium Constantiense, & de subventione ipsis facienda.

Anno 1414 *Ex ms. Gemmeticensi.*

IN nomine Domini amen. Noverint universi & singuli præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo quarto decimo, indictione octava, die vero decima mensis Novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini JOHANNIS divina providentia papæ XXIII. anno quinto, in camera viridi regalis palatii Parisius, in nostrum notariorum publicorum testiumque infra scriptorum constituti præsentia, & congregati quamplurimi reverendi in Christo patres & domini domini archiepiscopi, episcopi, abbates, procuratores nonnullorum dominorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & aliorum Ecclesiasticorum absentium, aliique notabiles viri magistri & doctores, concilium Ecclesiæ Gallicanæ de mandato domini nostri Francorum regis celebrantes, in præsentia magnifici viri domini cancellarii Franciæ, & plurimi aliorum, tam de magno consilio, quam de curia parlamenti ipsius domini nostri regis, super hiis quæ perfectionem unionis & prosperum statum universalis Ecclesiæ conspiciunt celebrandis, & pro ampliori ac maturiori deliberatione agendorum in concilio Constantiensi, per præfatum dominum nostrum papam pro prosecutione unionis, & reformatione Ecclesiæ decreto & ordinato celebrari deliberant tractantes, cupientesque mandatis domini nostri sanctissimi pontificis præfati, generale concilium apud Constantiam actu celebrantis, ex debito obedire: attendentes quod nimis grave & sumtuosum foret clero regni & Dalphinatus, si indifferenter omnes mandati ad concilium accederent, quodque hoc in detrimentum ecclesiarum & regni nimium redundaret: providere in hiis indemnitatibus ecclesiarum & regni cupientes, inter alia salubriter & concorditer ordinatum fuit, quod ad præfatum generale concilium, de qualibet provincia aliqui domini archiepiscopus, episcopi, abbates, magistri, doctores, & notabiles viri tam pro seipsis, quam aliis prælatis, & clero suæ provinciæ absentibus transmittantur, & in dicto concilio compareant, ac pro eorum sumtibus & expensis supportandis ordinaverunt quod de . . pro parte cujuslibet provinciæ provideatur de vadiis & stipendiis competentibus, & quod quilibet dominus archiepiscopus mittendus ad dictum concilium Constantiense pro qualibet die de decem francis, quilibet dominus Episcopus de octo francis, quilibet dominus abbas de quinque francis, quilibet doctor aut nobilis vel officiarius regis seu in dignitate constitutus de tribus francis, quilibet non doctor vel licenciatus de duobus francis, quamdiu huic commissioni & negotio eundo, stando, & redeundo intenderint. Nominavitque dictum sacrum concilium pro provincia Rothomag. de consensu illorum de provincia dominos & magistros ad præfatum generale concilium destinandos, scilicet reverendum in Christo patrem dominum Episcopum Ebroicensem, venerabiles patres dominos Gemeticensem, sanctorum Wandregisilii, Georgii de Bauquiervilla, de Cruce sancti Leuffredi, & de Bellobecco abbates, venerabiles & circumspectos vivos dominos & magistros archidiaconum Ebroicensem Ursinum de *Talevande*, Jordanum Morini canonicum Rothomagensem, sacræ Theologiæ professores, & magistrum Johannem de Masticone legum doctorem Thesaurarium Lexoviensem: pro quorum solutione stipendiorum dictorum dominorum ad præfatum con-

cilium iturorum decrevit & ordinavit dictum sacrum concilium levari in dicta provincia Rothomagensi unum subsidium, ad valorem unius mediæ decimæ, ab omnibus & singulis personis ecclesiasticis, regularibus, & sæcularibus, exemptis & non exemptis, privilegiatis & non privilegiatis, beneficia ecclesiastica, administrationes, vel officia taxata & non taxata obtinentibus: nominavit que & ordinavit dictum sacrum concilium pro provincia Rothomagensi prædicta receptorem generalem, venerabilem & circumspectum virum magistrum Johannem *Filleul*, magistrum in artibus, & in utroque jure licentiatum: disposuitque & ordinavit dictum sacrum concilium, per receptorem generalem dictæ provinciæ Rothomagensis præfatum, de pecuniis per ipsum levandis, dictis dominis ad prædictum concilium generale mittendis persolvi integraliter de suis stipendiis, secundum formam superius expressatam, per quatuor menses integros, à die recessus computandos, si ipse receptor generalis receperit. Si vero contingat dictos commissarios aut eorum aliquos ultra dictos quatuor menses in dicto viagio insistere pro negotiis superius expressatis, voluit & ordinavit dictum sacrum concilium, quod eisdem provideatur de dictis suis stipendiis de pecuniis supradictis, si supersint, aut de noviter imponendis, si videatur expediens. De quibus præmissis & singulis dicti reverendissimi patres ac domini concilium Ecclesiæ Gallicanæ repræsentantes & facientes petierunt & requisiverunt à nobis notariis publicis infrascriptis publica instrumenta, unum vel plura. Acta fuerunt hæc sub anno, indictione, mense, die, pontificatu, & loco prædictis, præsentibus ad hæc venerabilibus & circumspectis dominis & magistris Petro *de Ogeix* decano Ebroicensi, Gerardo *Perriere* Johanne Gerardi, Adam de Cameraco consiliariis præfati domini nostri regis in sua curia parlamenti, nec non Johanne Marchia curato de Maranco Xandonensis diocesis, Michaele de Rivo, & Martino de Brueriis, cum pluribus aliis notabilibus viris testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Johannes Perrini diaconus Remensis diocesis, bacalarius in decreti, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, quia præmissis supra scriptis, dum sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent, una cum dictis testibus & notario subscripto præsens interfui, ideo huic præsenti publico instrumento manu aliena scripto signum meum solitum signorum subscriptione ejusdem notarii apposui requisitus *Petrini*.

Et quia ego Johannes *de Laubrelle* Laudunensis diocesis oriundus subdiaconus & baccalarius in decretis, publicusque apostolica & imperiali auctoritate notarius, dum præmissa, sic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum testibus & notario præscriptis præsens fui. Ideo huic publico instrumento aliena manu scripto, me pluribus occupato negotiis, solitum signum meum hic me subscribendo una cum signorum subscriptione prædicti notarii apposui requisitus.

LITTERÆ VICARIORUM generalium G. episcopi Ebroicensis continentes litteras Constantiensis concilii ad Ludovicum archiepiscopum Rothomagensem & ejus suffraganeos de subsidio concedendo ad dictum concilium deputatis.

Nos vicarii generales in spiritualibus reverendi in Christo patris ac domini domini, G. miseratione divina Ebroicensis episcopi in remotis notoriè nunc agentis, & capitulum ecclesiæ Ebroicensis decano ejusdem ecclesiæ nunc absente, tenore præsentium notum facimus universis, nos litteras Sacrosanctæ & generalis synodi Constantiensis sigillo plumbeo in cordula canapis sigillatas, sanas & integras cum reverentia recepisse debita, sub hac forma: Sacrosancta & generalis synodus Constantiensis venerabilibus fratribus Ludovico archiepiscopo Rothomagensi ceterisque suffraganeis suis & dilectis ecclesiæ filiis eorum capitulis salutem & Dei omnipotentis benedictionem. Etsi altari servientibus debita veniant alimenta præstanda, quanto æquabilius necessaria pro supportando expensarum oneribus provisionum sunt exhibenda remedia, pro reformatione status ecclesiarum omnium civitatum diocesis atque provinciæ suarum, quorum gerunt & prosequuntur negotia: propensiùs tamen vigilantibus circa concernentia bonum inæstimabile cunctis mortalibus, atque desiderabile integerrimæ unionis & pacis in universali Ecclesia sancta Dei cunctorum matre & magistra fidelium. Cum itaque sicut fide dignorum insinuatione percepimus, in natione Gallicana, occasione indictionis hujus sacri generalis concilii Constantiensis, fuerit inter cetera provisum & ordinatum pro reformatione status Romanæ & aliarum ecclesiarum tam in capite quam in membris, & consequutionis effectus pacis & unionis hujusmodi, quod de qualibet provincia nationis prædictæ aliquæ personæ notabiles deputarentur ad hujusmodi venturæ concilium, ac mansuræ ibidem quousque dictum foret concilium absolutum, ne inexpletis concernentibus effectum reformationis & unionis prædictarum concilium ipsum posset quoquo modo dissolvi, fuerintque propterea pro vestris Rothomagensi civitate, diocesi atque provincia nominati & specialiter deputati sex de numero decem pro eadem provincia ad ipsum concilium de Parisius destinati, videlicet dilecti in Christo filii Simon de Gemeticis, Johannes sancti Vuandregesili, Guillermus sancti Georgii decretorum doctores, ac Ægidius Bellibecci vestræ Rothomagensis diocesis monasteriorum abbates, ac magister Ursinus de *Talvende* & Jordanus Morini sacræ paginæ professores, & cum eis pro capitulo Rothomagensis Ecclesiæ Andræas *Marguerie* in artibus magister ac licentiatus in jure civili & bacallarius in decretis, canonicus & archidiaconus parvi Caleti in eadem ecclesia, & post adventum eorumdem

Anno 1415
Ex ms. Gemmeticensi.

semper in eodem concilio circa publica tam Romanæ quam vestrarum & aliarum ecclesiarum negotia effectus hujusmodi concernentia curis vigilantibus perstiterint & persistant, sicque ex ipsa provincia ipsis incumbat sic ordinatis necessitas in dicto concilio usque ad ipsius finem continuò permanendi, & rationi congruat, ut nemini labor suus sit damnosus, divisaque in plures onera facilius supportentur. Et attendentes laudabilem eorum providentiam ac diligentiam circa præmissa omnia & dependentia, altitudine scientiæ & salutaris consilii semper exhibitas, ob id discretionem ac diligentiam vestras toti affectibus requirimus & hortamur in Domino, quatenus pro cultu justitiæ, consideratione laudabilium actionum virtutis, scientiæ ac excellentiæ singularis eorum, & ne virtus videatur ipsorum à recognitione debita sequestrari, & ne etiam oporteat nos in talibus aliquid ulterius ordinare, suadente justitia placeat, prout expedire videbitis, providere, quod condignam recompensam à prælatis, capitulis, & conventibus, atque clero exemptis & non exemptis civitatum diocesum atque provinciæ vestrarum suscipiant & ab oneribus relevamen, ut præbeatur eis & reliquis major affectio ob provisionem condignam, in singulis vestris opportunitatibus accuratissimis semper studiis insudandi, etiam consideratione habita juxta vestri examen judicii, ad negotii magnitudinem & personarum excellentiam tam dirigentium quam missarum, ut fructus exinde proveniant, subveniatur indigentibus, & pro meritis laborantibus, & negotia vestra publica & privata continuatis successibus prout cupimus jugiter in Domino coalescant. In præmissis igitur tam efficacem curam velitis impendere, ut oratores ipsi, prout est rationi consonum, recompensam hujusmodi tam pro præterito tempore quam futuro, quousque in hoc sacro concilio ipsos immorari contigerit, effectualiter consequantur. Alioquin in præmissis mediante justitia procedentes contra vos & alios, qui provisionem ipsam præfatis oratoribus tenentur persolvere, per alia scripta nostra executionem debitam facientia, de opportuno remedio curabimus providere. Datum Constantiæ VI. calendas Septembris, anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octava, apostolica sede vacante. Sic signatum B. de Monte-Policiano.

Quibus quidem litteris superscriptis per nos reverenter receptis, ut præfertur, à nobis visis, & cum maturitate inspectis, consideratisque, & attentis contentis in eisdem, volentes ac pro bono & unitate sacrosanctæ matris Ecclesiæ totis nisibus appetentes, ad executionem contentorum in ipsis litteris quantum in nobis est ac nostra interest, procedere, ut decet diligenter. Nos Vicarii generales & capitulum præfati, matura deliberatione super hiis inter nos præhabita: considerato etiam quod reverendissimus in Christo pater dominus Rothomagensis archiepiscopus, ac venerabiles & circumspecti viri domini decanus & capitulum ecclesiæ Rothomagensis quartam partem unius integræ decimæ concesserunt, prout in eorum litteris sigillis suis sigillatis vidimus plenius contineri, propter causas valde rationabiles in præscriptis litteris latius designatas, ad providendum personis etiam in eisdem præscriptis litteris nominatis, de quarta parte unius integræ decimæ, secundum tamen reductionem felicis recordationis Urbani papæ sexti super prælatis, abbatibus, capitulis, conventibus, curatis, Ecclesiarum parrochialium rectoribus, & personis aliis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, cujuscumque status, gradus, ordinis, aut conditionis existant, civitatis & diocesis Ebroicensis in termino seu festo sancto Paschæ proximè venturo, levanda exigenda & colligenda certo receptore ad hæc per nos specialiter deputato, nostrum consensum præbuimus & præbemus pariter & assensum, volentes & ordinantes hujusmodi quartam partem unius integræ decimæ super nos & alias personas ecclesiasticas supradictæ civitatis & diocesis Ebroicensis in dicto termino Paschæ proximè venturo exigi, recipi, & levari, ut personis suprascriptis in dicta sacrosancta Synodo Constantiensi pro dicta provincia Rothomagensi existentibus, ut decet, succurratur juxta & secundum earumdem præscriptarum continentiam litterarum, de & pro quibus executioni debitæ demandandis nostras alias patentes litteras duximus concedendas, prout hæc & alia in eisdem litteris plenius etiam continentur. In quorum testimonium præmissorum præsentes litteras sigilli magni curiæ Ebroicensis ac etiam sigilli magni capituli Ebroicensis impressione fecimus communiri. Datum & actum in dicto capitulo Ebroicensi, die Lunæ 17. mensis Februarii, anno Domini millesimo quadringentesimo quinto decimo secundum usum ecclesiæ Gallicanæ. BACHELÆ.

INSTRUMENTUM PUBLICUM
Deliberationum nationis Gallicanæ in concilio Constantiensi super materia annatarum.

Anno 1415. Ex authentico, quod fuit olim cardinalis Saluciarum, & acceptum à domino Mallet communicavit dominus de Clairambeau.

IN nomine Domini, amen. Per hoc præsens instrumentum cunctis tam præsentibus quam futuris pateat, & manifestum existat, quod anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinto decimo, indictione octava, & die Martis quinta decima mensis Octobris, hora tertia post meridiem, fuit Constantiæ in domo fratrum Prædicatorum de mandato reverendi in Christo patris & domini, domini JOHANNIS miseratione divina patriarchæ Antiocheni, tunc venerabilis & inclytæ nationis Gallicanæ præsidentis, eadem natio solemniter congregata, ad tractandum & avisandum nonnulla in sacro generali concilio Constantiensi, & aliis nationibus proponenda & communicanda: Inter quæ reverendus in Christo pater & dominus, dominus JOHANNES eadem miseratione patriarcha Constantinopolitanus tenens in manibus quam-

A dam papyri cedulam, dixit quod ipse cum quibusdam aliis advisaverit quædam utilia vacantium fructuum primarum annatarum prælaturarum, quas summi pontifices & collegium reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Ecclesiæ cardinalium hactenus perceperunt & percipiunt concernentia: Quæ quidem advisamenta in dicta cedula plenius continebantur, quam quidem cedulam idem dominus patriarcha Constantinopolitanus in medium produxit, & de verbo ad vebum legit B sub tenore sequenti.

Schedula super facto vacantiarũ præsentata à Johanne patriarcha Constantinopolitano.

» Sacro sancta Constantiensis synodus volens » imitari traditionem sanctorum patrum, qui non » solum uti prohibuerunt in statu ecclesiastico » quæ de se mala erant, sed etiam quæ in eo » occasionem mali dare poterant; & his diebus » novissimis expertum fuerit, quantam mali scan- » dalosi occasionem dederit reservatio, præstatio, » & solutio fructuum primi anni prælaturarum, » dignitatum, administrationum, & officiorum » vacantium cameræ apostolicæ, & cœtui reve- C » rendissimorum patrum dominorum cardina- » lium, qui jure proprietatis conantur hoc sibi » vindicare: unde multi prælati se & ecclesias, » sive monasteria sua nimium reputaverint op- » pressos & gravatos, ac reputent, & vanas que- » relas deposuerint, per quæ parantur viæ ad » scandala. Obviare volens igitur his malis, & » scandalis declarat, statuit, & ordinat, quod » deinceps nec à cetero tales fructus sive præsta- » tiones, nec etiam similes, quocumque colore » vel occasione quæsitis, etiam pro minutis ser- D » vitiis, pallio, aut sacræ benedictionis munere » solvatur, præstetur, vel exigatur donec per » sanctum generale concilium aliud super hoc » fuerit ordinatum, quicumque in contrarium » attentaverit recipiendo, exhibendo, vel præ- » stando; aut solvi vel exigi mandando cujus- » cumque status, gradus, vel præeminentiæ exi- » stat, etiamsi cardinali, patriarchali, archiepis- » copali vel episcopali, aut quacumque alia præ- » fulgeat dignitate, velut symoniacus & gie- » ziacus, eo ipso & incontinenti, ab omni E » statu ecclesiastico & liminibus ecclesiæ sit exclu- » sus & privatus, dignitasque talium & beneficia » quæ tunc obtinebant, aliis dignis & idoneis » dentur & etiam conferantur. Et quia in Pisano » concilio super his generalis remissio facta fuit » opportune, & de præsenti evidentior causa vi- » geat ad pariter remittendum, maxime quia » causa debendi exquisita est, & stipulatio inde » secuta extorta, & per quamdam volentiam, eo » quod per litterarum retentionem. Et propter » hæc sancta synodus omnia & singula debita ca- F » meræ apostolicæ vel cœtui dictorum dominorum » cardinalium occasione præmissa generaliter » remittit, & etiam cassat, & annullat quascum- » que obligationes, instrumenta, notulas, abbre- » viaturas, & stipulationes super ipsis & eorum » occasione facta & recepta & quoscumque pro- » cessus inde secutos, dans & concedens quibus- » cumque archiepiscopis & patriarchis, & cuilibet » ipsorum, plenariam potestatem absolvendi à » sententia excommunicationis (eos) qui se petie-

rent absolvi simpliciter vel ad cautelam, etiam « ab irregularitate, si sic ligati se divinis immis- « cuerint, habilitandique, & alia faciendi quæ « ipsorum animarum saluti fructuosa extiterint, « litteras oportunas sub eorum sigillis petentibus « concedendo, & etiam omnes & singulos contra « hanc generalem remissionem, cassationem, & « annullationem, venientes vel etiam attentantes, « per censuram ecclesiasticam compescendi, auxi- » lium brachii sæcularis si opus fuerit invocando. «

Qua quidem cedula lecta venerabilis & circumspectus vir magister Pontius Symoneti magister in theologia exhibuit & præsentavit in medium & præfato domino præsidenti quamdam aliam papyri cedulam, quæ multum faciebat, ut asseruit, ad materiam vacantiarum prædictarum, quam instanter publice legi petiit, & quam de mandato præfati domini præsidentis, ego Johannes Guiardi sacri Constantiensis concilii & dictæ nationis notarius alta & intelligibili voce de verbo ad verbum legi sub hiis verbis.

Caroli VI. litteræ adversus annatas.

CAROLUS Dei gratia, &c. Universis, &c. Si « dotare vel dotari novas ecclesias, vel veteres « opibus ampliare, opus est perspicuæ caritatis, « multo præstantius est relevare depressas, & gra- « vatis congrua suffragia exhibere. Lacrymabilem « siquidem querimoniam nostri ac plurium prin- « cipum prosapiæ nostræ procuratorum, necnon « prælatorum, capitulorum, collegiorum, con- « ventuum, ac cleri regni nostri & Dalphinatus, « ac etiam dilectæ filiæ nostræ Universitatis Pari- « siensis recepimus continentiæ subsequentis: vi- « delicet. «

Quamvis secundum apostolicam doctrinam « papæ potestas à Christo sit ad ecclesiæ ædifica- « tionem non ad destructionem ordinata, ad ju- « stitiam rectumque judicium exercendum, cui « non competit pro libito facultas exactiones, « angarias & tyrannides super ecclesias aut sub- « ditos exercendi, cum Dominus docuerit pascere « gregem & docere, non terrenis lucris inhiare « aut avaritiis delectari, sintque fructus ecclesia- « rum & beneficiorum quorumcumque etiam va- « cantium, tam secundum definitiones concilio- « rum generalium & jurium, quam secundum piam « intentionem fundatorum ordinati ad sustenta- « tionem ministrantium, in divinum & ipsius di- « vini cultus augmentum, alimentationem pau- « perum, redemtionem captivorum, ecclesiarum, « suorumque ædificiorum reparationem, terra- « rum & possessionum ecclesiæ culturam, terrarum « ipsarum conservationem, ceterorumque one- « rum incumbentium supportationem, adeo & « quod bona per prælatos post eorum obitum di- « missa futuris debent successoribus reservari in « ecclesiæ utilitatem convertenda, nisi forte in « illis locis regni ubi de usu & consuetudine no- « torie observatis licitum sit prælatis ipsis & aliis « viris ecclesiasticis & sæcularibus de eisdem bonis « facere testamentum, quibus etiam ab intestato « in dictis bonis secundum consuetudinem & ob- « servantiam supradictas sui succedunt hæredes. « Quique licet fuerit decretum sanctorum patrum « institutum, ut prælati ecclesias sibi subditas « annis singulis visitare deberent, quatinus sic do- «

» cerent indoctos, corrigerent excessus, mores
» reformarent, ecclesias restaurarent, & cetera
» prælatis incumbentia ad Dei honorem exerce-
» rent, & per hoc procurationes in victualibus aut
» pecunia reciperent ad optionem visitati: nihilo-
» minus tamen aliqui collectores & aliqui officiarii
» Romanorum pontificum, præsertim papæ mo-
» derni, ab aliquibus annis citra ecclesiam & viros
» ecclesiasticos præfatorum regni & Dalphinatus
» contra prædicta pluribus jugibus & importabilibus
» servitutibus oppresserunt & afflixerunt potissime
» bona prælatorum & virorum ecclesiasticorum
» decedentium, tam regularium quam sæcularium,
» quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur,
» reservando & usurpando fructus ecclesiæ tempo-
» re vacationis prælaturarum aut beneficiorum ec-
» clesiasticorum, obventiones levando, & capien-
» do arreragia præteritorum & incognitorum tem-
» porum tamquam debita, per fulminationem
» censurarum ecclesiasticarum exigendo à bene-
» ficiatis quibuscumque primam annatam, expe-
» tendo & extorquendo, cujus annatæ medieta-
» tem, quoad majores dignitates, collegio do-
» minorum cardinalium consueverunt assigna-
» re: & hanc annatam una cum quadam pecuniæ
» summa, quam vocant *minuta servitia*, & quam
» pro familiaribus esse dicunt, cum exactione ju-
» ramenti, & sub pœnis perjurii & aliis diversis
» modis & censuris exegerunt, procurationesque
» prælatis & aliis, ratione factæ visitationis, tan-
» tummodo debentur, capiendo & levando in
» pecunia numerata licet visitationis officio non
» impenso. Ab illis autem qui ad procurationem
» nullatenus tenebantur, tantumdem quod tunc
» vocant *æquivalens* exigendo, decimas & alia
» subsidia tractatu non habito cum prælatis, pro
» libito voluntatis imponendo. In hiis etiam exi-
» gendis sicut nec modus, sic nec misericordia
» nec æqualitas servatur aut mensura. Et cum præ-
» latus prohibeatur administrare sine bullis, quid-
» quid placet solvere compellitur, quia bullæ non
» expediuntur sine pecuniis pro annata. Unde sic
» beneficium ecclesiasticum obtineri videtur cum
» pretio vel mercede, quod pro bono communi
» potius debetur, scientia, aut virtute, & qui suf-
» ficientissimi sunt, si pauperes, nullatenus promo-
» ventur. Propter quæ & alia innumera gravami-
» na, ipsæ ecclesiæ, & monasteria, & earum ædi-
» ficia multis in locis dictorum regni nostri & Dal-
» phinatus irreparabiliter corruunt, hereditagia
» conspiciuntur inculta, immobilia interdum de
» facto alienantur aut impignorantur, mobilia
» etiam pretiosa, reliquiarum vasa, ecclesiastica
» ornamenta, calices, libri & similia interdum
» etiam vili pretio distrahuntur, nemora non cæ-
» denda frequentius inciduntur & venumdantur,
» & ecclesiæ innumerabilium mole debitorum im-
» portabiliter onerantur, numerus Deo servien-
» tium magistrorum qui sustentari in consueto nu-
» mero non valent minuitur, & qui remanent
» Deo & Ecclesiæ servientes propter frequentes
» excommunicationes & censuras occasione dicta-
» rum exactionum, quibus satisfacere non debent,
» de facto prolatas, à divino servitio plurimum
» retrahuntur, & interdum aliqui mendicare com-

A pelluntur, & in maxima penuria rediguntur, «
non habentes de quo valeant Deo serviendo, «
aut in studiis existendo sive commorando susten- «
tari, & regnum nostrum, quod inter alia regna «
viris scientificis communiter floruerat copiose, «
& per quos etiam regni justitia gubernari con- «
suevit, talibus viris his temporibus, proh dolor! «
nimium vacuatur. Inde cultus divinus & opera «
caritatis quæ fieri debuerant multipliciter de- «
fraudantur & cessant, & intentio fundatorum «
non servatur. Hiis etiam modis regnum redditur «
B pecuniis & opibus plurimum depauperatum, & «
infinita vixque enarrabilia scandala quotidie «
oriuntur. Quæ omnia licet sint satis ad oculum, «
manifesta, & fini ad quem est papæ potestas ordi- «
nata de directo censeantur obviare, fuitque papa «
modernus & alii prædecessores sui super revoca- «
tione aut moderatione dictorum gravaminum, «
ac de congregando concilium generale ad pro- «
videndum super præmissis pluries requisiti: at- «
tamen sic omnia absque remedio diuturna con- «
tinuatione perdurarunt, donec dudum super «
C quibusdam per nostram regiam ordinationem, «
& novissime super aliis ex dictis gravaminibus «
per quoddam arrestum nostræ curiæ parlamenti «
sub ea forma ordinatum, quod cessarent, quo- «
usque per eamdem curiam fuisset aliter ordi- «
natum, provisum extitisset, & ut ad perpetuum «
uberius & plenius provideatur in prædictis, nu- «
per per procuratorem nostrum regium, in con- «
cilio prælatorum & cleri dictarum ecclesiarum «
Gallicanæ & Dalphinatus Parisius celebrato, «
ubi erant archiepiscopi, episcopi, abbates, & «
prælati, & procuratores capitulorum, & colle- «
D giorum, & universitatum, & alii viri ecclesia- «
stici notabiles in grandi numero solemniter «
congregati, ubi etiam consanguineus noster rex «
Siciliæ Ludovicus, & primogenitus noster dux «
Aquitaniæ, & duces Bituriæ patruus, & con- «
sanguineus noster Burgundiæ, & Borbonii avun- «
culus pro nobis illo tunc præsidebant, proposi- «
tum fuit & requisitum, quod taliter ordinaretur «
& fieret, quod exactiones & gravamina, de «
quibus supra, cessarent penitus & omnino. Super «
quæ, plurimis repetitis intervenientibus discus- «
E sionibus & maturis, per prælatos & alios viros «
ecclesiasticos supradictos deliberatum pariter «
& conclusum, quod, attentis illis quæ supra præ- «
missa sunt, & aliis attendendis, talia gravamina «
& usurpationes secundum Deum & conscien- «
tiam non valebant commode, nec debebant «
amplius tolerari. Supplicabant igitur humillime «
quatenus ad Dei laudem, reipublicæ utilitatem, «
& ecclesiasticarum libertatum, dictarum eccle «
siarum regni & Dalphinatus conservationem, «
super præmissis efficaciter & ad perpetuum de «
F remedio opportuno providere dignaremur, præ- «
dicta omnia & singula dicta gravamina cassare «
faciendo, & nihilominus prædictas ordinationes «
alias per nos factas & dictum arrestum parla- «
menti confirmando, & ad perpetuum extenden- «
do, nostram super hoc ordinationem regiam «
ubique publicam teneri & observari facientes. «
Nos igitur attendentes quod ad stabilitatem «
ecclesiæ est potestas regia divinitus ordinata, «

» & quod per regnum terrenum cæleste regnum A
» tunc proficit, quando destruentes ecclesiam ri-
» gore principum conteruntur: immo sacri cano-
» nes, quando talia per majores ecclesiæ perpe-
» trantur, ad reges docent habere recursum, &
» in hiis de quibus notorie turbatur status eccle-
» siæ, etiam papæ non obedire consulunt sancti
» doctores, recognoscentes, ut tenemur, quod
» propter ecclesiam quam, in quantum ad nos
» spectat, etiam ex speciali debito juramenti Chri-
» sto tuendam suscepimus, Deo sumus rationem B
» reddituri, progenitorum nostrorum exemplis
» edocti, qui sacrosanctas Dei ecclesias & viros
» ecclesiasticos zelo fidei ac piæ devotionis ac-
» censi, immensis muneribus atque privilegiis
» munientes, ecclesias ædificantes, & contritas
» restaurantes, eas concussionibus & quibusdam
» novitatibus indebitis præservare curarunt: qua-
» rum etiam nos promti defensores & pugiles
» existere gloriamur, prædictis omnibus cum de-
» bita præmeditatione pensatis, habita etiam prius
» deliberatione cum principibus nostræ prosapiæ
» regalis, & aliis proceribus, multisque viris pru- C
» dentibus & notabilibus regni nostri, nobis in
» consilio nostro assistentibus, tam gravem &
» manifestam deformationem atque destructio-
» nem ecclesiarum prædictarum regni Dalphina-
» tus virorumque ecclesiasticorum desolationem
» sub conniventia oculorum amplius dissimulare
» non valentes, ordinavimus, & tenore præsen-
» tium ordinamus, quod omnia & singula exactio-
» nes & gravamina, proxime declarata, & enar-
» rata cessare debeant, & cessabunt de cetero in D
» nostris regno & Dalphinatu prædictis, & quod
» illa quæ per dictum arrestum curiæ nostræ par-
» lamenti circa hoc fuerant, donec fuisset aliud
» ordinatum, dicta atque pronunciata, de cetero
» in dictis regno & Dalphinatu perpetuo tenean-
» tur, & inviolabiliter servabuntur. Hæc autem
» præsentium litterarum scripto annotari publi-
» carique, & inter regias nostras ordinationes
» regestrari mandavimus, ut harum præsentium
» interventu plenam inde notitiam habeat poste-
» ritas successura. Quocirca vobis omnibus & E
» singulis supradictis, & vestrum cuilibet, qui super
» hoc fueritis requisiti, committimus & manda-
» mus, quatenus hanc nostram ordinationem in
» dictis regno & Dalphinatu nostris publicari,
» custodiri, & inviolabiliter observari faciatis,
» dictas ecclesias & personas ecclesiasticas ab om-
» nibus & singulis exactionibus supradictis liberas
» & immunes servare, & in hac libertate manu-
» teneri facientes. Contradictores, &c. Quia sic
» volumus, &c. Datum anno CCCC. sexto, decima
» octava Februarii. F

Qua quidem cedula lecta, reverendus Pater in Christo dominus HELIAS episcopus Aniciensis primò ac subsequenter præfatus magister Pontius Simoneti dixerunt, quod dictæ vacantiæ debebant tolli, quia etiam hoc serenissimus princeps & christianissimus dominus noster rex Franciæ, & concilium ecclesiæ Gallicanæ Parisius solemniter celebratum, hoc ordinaverat; & statim aliqui clamaverunt: Placet, placet. Aliqui dixerunt quod materia erat ardua, & quod super hoc erat bene mature & digeste deliberandum, & quod audirentur super hoc vota singularium. Aliqui vero dixerunt quod super hoc, ut liberius quilibet posset dicere votum suum, fieret scrutinium secretum; aliqui etiam dixerunt quod antequam procederetur ad ulteriora, erat bonum quod darentur & deputarentur aliqui notabiles, qui irent ad alias nationes, ad finem quod in ista materia omnes nationes essent concordes, & cum hora esset tarda & diversæ essent opiniones, materia sic remansit indiscussa, & omnes recesserunt.

Die vero Martis, quæ fuit vicesima secunda dicti mensis Octobris, hora tertia post meridiem, in prædicta domo Prædicatorum fuit dicta natio Gallicana congregata, & post multa ibidem proposita præfatus magister Pontius Symoneti proposuit de dicta materia vacantiarum, prout alias proposuerat, & qualiter alias fuerat posita in deliberatione, & quod continuetur & concludatur ante omnia, & antequam procedatur ad alia, & super hoc requisivit ex parte regis omnes ambassiatores regis & regni ac cleri Franciæ & Dalphinatus, & omnes regnicolas, ut in hoc sibi assistant, & faciant debitum suum, quod omnino tollantur, & fiat voluntas regis, qui hoc, ut asseruit, ordinavit, & de præmissis petiit publicum sibi fieri instrumentum. *Vota singulorum de tollendis annatis.*

Quibus per dictum magistrum Pontium Symoneti dictis, propositis, & requisitis; quidam dixerunt quod esset providendum super exactionibus quæ fuerint in regno, & quod prius super hoc provideatur, & multi clamaverunt, Fiat. Deinde cum quibusdam aliis fuit positum in deliberatione utrum esset tractandum tunc, vel supersedendum de dicta materia vacantiarum, & super hoc sunt petita, recepta, & audita publice vota illorum de dicta natione, certis, & interpolatis, & sequentibus diebus, ut inferius describitur.

Et primo eadem die Martis vicesima secunda dicti mensis Octobris ibidem præsidente præfato reverendo in Christo patre JOHANNE patriarcha Antiocheno per ordinem fuerunt interrogati subsequentes.

Primò reverendus in Christo pater dominus JOHANNES patriarcha Constantinopolitanus, qui dixit quod sibi videbatur quod pro nunc dicta materia vacantiarum non erat tractanda, sed supersederetur, & ad tempus differretur. Item, magister JORDANUS MORINI magister in theologia præfati domini nostri Francorum regis ambassiator, dixit quod deliberaretur super hoc, & etiam de modo providendi de statu domini nostri papæ & cardinalium, & quod tollantur dictæ vacantiæ, & simul debite & honeste provideatur præfato domino nostro papæ & cardinalibus, sed adhuc non publicetur. Item, magister Petrus de Vercellis magister in theologia, prior prioratus de Calvomonte ordinis S. Benedicti Rotomagensis diocesis, ambassiator præfati domini nostri Francorum regis, dixit ut præfatus magister Jordanus Morini immediate præcedens. Item, dominus Petrus *Cauchon* vicedominus ecclesiæ Remensis ambassiator illustris principis domini JOHANNIS ducis Burgundiæ, dixit

quod simul tractetur de revocando dictas vacantias, & de providendo papæ & cardinalibus, & quod ista materia differatur & supersedeat per hebdomadam. Item dominus Johannes de Perusio, quod simul provideatur papæ & cardinalibus, & tollantur vacantiæ. Item, dominus HELYAS episcopus Aniciensis dixit, quod nullomodo differatur deliberatio; * sed tollantur vacantiæ prædictæ, sed differatur publicatio in sessione generali concilii. Item dominus STEPHANUS episcopus Dolensis, dixit quod simul tractetur de removendo dictas vacantias & de providendo papæ & cardinalibus, & quod ad hoc dentur deputati, sed pro nunc differatur. Item dominus VITALIS episcopus Tholonensis dixit ut dominus episcopus Dolensis. Item, dominus Johannes *Basger* decretorum doctor & litterarum apostolicarum corrector dixit ut dominus episcopus Dolensis. Item, dominus ALANUS episcopus Leonensis dixit quod ista materia differatur. Item, dominus JOHANNES episcopus Vaurensis dixit quod differatur. Postea dixit quod tollantur vacantiæ, & provideatur papæ & cardinalibus, & proposuit de dandis bonis deputatis super provisione fienda. Item, dominus LUDOVICUS episcopus in Wallia dixit ut dominus episcopus Dolensis, & post istum cùm hora jam esset tarda, nullus locutus fuit, sed omnes recesserunt. Sed fuit ordinatum quod crastina die hora secunda post meridiem fieret congregatio dictæ nationis, & continuaretur materia, & auditio votorum, præsentibus reverendis in Christo patribus dominis JOHANNE Vaurensi, OGERIO Augustensi episcopis, JOHANNE abbate Cisterciensi ac venerabilibus & circumspectis viris Amedeo *de Talaru* decano Lugdunensi decretorum doctore, Nicolao de Gonnessa sacræ theologiæ professore, Petro Gajetani canonico Conseranensi, sacræ pœnitentiariæ scriptore, Johanne de Monteacuto notario publico, clerico Laudunensis diocesis, & pluribus aliis reverendis in Christo patribus, & dominis episcopis, abbatibus, necnon reverendis magistris, & doctoribus, & aliis notabilibus personis dictæ nationis, in multitudine copiosa, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

* f. &

Adveniente vero dicta die crastina, quæ fuit dies Mercurii vicesima tertia dicti mensis Octobris hora secunda post meridiem in refectorio Prædicatorum Constantiæ fuit dicta natio congregata, qua congregatione facta, proposuit aliqua dominus patriarcha Antiochenus præsidens, & antequam procederetur ad auditionem votorum super dicta materia vacantiarum, supervenerunt domini episcopi Feltrensis & Verdensis & magister Robertus *Apulton* cum multis aliis nomine trium nationum, videlicet Italicæ, Germanicæ, & Anglicanæ, & nomine dictarum trium nationum dominus Feltrensis episcopus proposuit, dicens quod dictæ tres nationes intellexerant, quod in ista venerabili natione Gallicana per aliquos fuerat dictum & persuasum, quod in dictis tribus nationibus erat conclusum, quod annatæ seu vacantiæ tollerentur omnino, & pro natione Italica dixit quod Italici, nec ipsa natio Italica numquam istam materiam tractaverunt, nec super hoc aliquid concluserunt. Et subsequenter dominus episcopus Verdensis dixit, quod in natione Germanica licet fuerit aliquando tractatum, tamen non fuit continuatum, nec aliquid conclusum. Et præfatus magister Robertus *Apulton* Anglicus pro natione Anglicana dixit, ut dominus Verdensis. Post quæ dominus Patriarcha præsidens regratiatus fuit ipsis dominis & nationibus præfatis, & dixit eis quod materia per illos exposita & proposita numquam fuit dicta in ista venerabili natione Gallicana & proposita, nec aliquid auditum de eadem. Quibus auditis, incontinenti recesserunt.

Postmodum dominus JOHANNES episcopus Vaurensis super dicta materia vacantiarum narravit plura, & post multa dicta dixit, quod deputentur certi nobiles de natione, qui vadant ad dominos cardinales; qui videant cum ipsis modum providendi domino nostro papæ, & ipsis cardinalibus in aliis, & simul provideatur & tollantur. Item dominus OGERIUS episcopus Augustensis dixit, quod domini deputati in materia reformationis super hoc deliberaverunt, & dixit quod videatur eorum deliberatio, & si sit bona, stetur ei; alioquin simul provideatur & tollantur. Item, dominus JOHANNES episcopus Silvanectensis pro universitate Parisiensi, dixit quod declaretur quod dictæ vacantiæ non debentur & tollantur, & quod bene provideatur ecclesiæ Romanæ, & super hoc dentur deputati, & differatur ista materia per unam hebdomadam. Item, dominus JOHANNES abbas monasterii Cisterciensis dixit quod provideatur papæ & dominis cardinalibus, & super hoc deputentur aliqui, qui videant de modo providendi, & interim supersedeatur. Item, magister Thierricus licentiatus Aurelianensis pro universitate Aurelianensi dixit, ut domini Dolensis & Tholonensis episcopi, videlicet quod simul tractetur de removendo vacantias & providendo similiter, & quod dentur deputati ad hoc, sed pro nunc differatur. Et postmodum magis declaravit quod primo provideatur papæ & cardinalibus, & postea tollantur dictæ vacantiæ. Item dominus PETRUS abbas S. Maxentii ordinis S. Benedicti Pictaviensis diocesis, decretorum doctor dixit, quod dentur deputati, qui videant de omnibus, & de modo providendi papæ & cardinalibus, & quod dictæ vacantiæ tollantur. Item doctor antiquus Tholosanus ordinis S. Augustini pro universitate Tholosana dixit, quod dictæ vacantiæ removeantur, & loco ipsarum provideatur papæ & cardinalibus de decima decimæ simul. Item, dominus abbas Claræ-vallis Cisterciensis ordinis multa dixit super deliberatione domini nostri Francorum regis & ecclesiæ Gallicanæ, & postmodum conclusit quod primo tollantur, & postmodum provideatur papæ & cardinalibus loco illarum condecenter, & quod hoc tractetur cum aliis nationibus. Item, dominus HERVEUS Abbatis, legum doctor, ambassiator universitatis Andega-

vensis pro ipsa universitate dixit, quod simul tollantur, & provideatur loco earum debite & honeste statui papæ & dominorum cardinalium. Item, dominus abbas de Cellis ordinis S. Augustini Bituricensis diocesis, post multa proposita dixit & conclusit, quod dentur deputati, qui videant & concordent de deputando domino nostro papæ & cardinalibus. Item, dominus abbas de Cormeriaco dixit, quod ipse stat cum ordinatione domini nostri regis & regni: placet tamen sibi quod dentur deputati, qui concordent de provisione fienda domino nostro papæ & cardinalibus. Item dominus Amedeus *de Talaru*, decretorum doctor, decanus Lugdunensis pro universitate Avenionensi dixit, quod simul provideatur & tollantur, & quod super hoc deputentur de quolibet statu duo, videlicet de episcopali & abbatiali capitulorum & rectorum, qui cum deputatis per dominos cardinales tractent & concordent de modo providendi papæ & cardinalibus. Item, præfatus dominus Amedeus de *Talaru* decanus dixit illud idem pro domino archiepiscopo Lugdunensi, & pro capitulo, ac tota provincia Lugdunensi; & cùm hora esset tarda, continuata fuit dicta materia usque ad primam futuram congregationem dictæ nationis, præsentibus magistris Ursino *Talevende*, Matthæo *Rodel* sacræ Theologiæ professoribus & Oliverio *Guennec* in artibus & medicina magistro, & pluribus dominis episcopis, abbatibus, magistris & doctoribus, & aliis notabilibus personis dictæ nationis in dicta congregatione existentibus.

Subsequenter vero die Veneris vicesima quinta dicti mensis Octobris in loco supradicto fuit dicta natio de mandato dicti domini præsidentis solemniter hora tertia post meridiem congregata, & continuata vota suppositorum dictæ nationis super dicta materia vacantiarum, fuerunt ut sequitur.

Primo licentiatus & procurator universitatis Montispessulani pro eadem universitate dixit in omnibus, ut dominus Amedeus *de Talaru* decanus Lugdunensis, qui in alia præcedenti dieta congregationis ultimus dixerat votum suum, & sic stat cum opinione sua pro se & dicta universitate. Item, dominus abbas de Ursicampo Cisterciensis ordinis, Noviomensis diocesis, dixit ut dominus JOHANNES episcopus Silvanectensis dixit pro universitate Parisiensi. Item, dominus abbas de Bello-beco dixit ut dominus abbas immediate præcedens. Item, dominus abbas Villælupensis dixit idem. Item, dominus abbas S. Lupi Trecensis dixit quod primo provideatur papæ & cardinalibus, & quod bonus modus reperiatur providendi, & post tollantur, & dentur in omnibus deputati. Item, dominus abbas Belli-fontis dixit, quod dictæ vacantiæ declarentur non debitæ, postea tractetur de providendo honorifice domino nostro papæ & cardinalibus, & dentur deputati qui videant & advisent modum in omnibus tenendum. Item, dominus prior Celsiniarum pro abbate, conventu & ordine Cluniacensi dixit quod simul tractetur de utroque, de providendo & tollendo. Item,

A magister Ursinus *Tallevende* sacræ Theologiæ professor dixit, quod dictæ vacantiæ cessent, & non habeant cursum de jure, sed deputentur aliqui qui videant de modo providendi domino nostro papæ & cardinalibus. Item, magister Matthæus *Rodel* sacræ theologiæ professor dixit, quod quoad inferiora beneficia & quoad reservata tollantur, sed dentur deputati ad providendum statui domini nostri papæ & dominorum cardinalium. Item, dominus archidiaconus sancti Flori dixit quod tollantur dictæ vacantiæ & provideatur simul & semel, & deputentur de quolibet statu ad videndum & tractandum de omnibus, & communicetur aliis nationibus. Item, magister Pontius Symoneti sacræ theologiæ professor supradictus multa proposuit super dicta vacantiarum materia, & fecit longum sermonem, & post plura conclusit, quod primo dictæ vacantiæ tollantur, & deinde tractetur de modo providendi papæ & cardinalibus, & provideatur ipsis. Et cum fecisset longum sermonem, & esset hora tarda, fuit congregatio dissoluta, & omnes recesserunt.

B

C

Postmodum vero die Lunæ vicesima octava dicti mensis Octobris in loco prædicto hora octava post mediam noctem fuit de mandato dicti domini præsidentis natio prædicta congregata, & in eadem congregatione fuit dicta vacantiarum materia posita in deliberatione, & petita vota fuerunt illorum qui non dixerant. Et primo magister Guillelmus Pulcri-nepotis sacræ theologiæ professor, ambassiator serenissimi christianissimique principis domini nostri Francorum regis dixit, quod dictæ vacantiæ non debentur, & ideo tollantur & provideatur domino nostro papæ & cardinalibus, & super hoc deputentur aliqui. Item, magister Nicolaus de Gonnessia sacræ theologiæ professor dixit, quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus usque ad primum futurum generale concilium. Item, procurator capituli Senonensis dixit quod simul dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, prior beatæ Mariæ Deauratæ Tholosanæ dixit, quod dictæ vacantiæ tollantur & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Anthonius *Coste* ordinis Prædicatorum, sacræ theologiæ professor, procurator domini episcopi Gratianopolitani, dixit, quod provideatur domino nostro papæ & cardinalibus. Item magister Bertrandus Baquini ordinis beatæ Mariæ de Monte-Carmeli, magisterin theologia, dixit quod dictæ vacantiæ moderentur. Item, magister Johannes *Dolier* archidiaconus de Sabolio in ecclesia Cenomanensi dixit, quod simul tractetur de tollendo dictas vacantias, & de providendo papæ & cardinalibus. Item, dominus Camerarius monasterii Majoris-monasterii prope Turones, dixit quod dictæ vacantiæ tollantur & provideatur domino nostro papæ & cardinalibus. Item, magister Rocha ordinis fratrum minorum, sacræ theologiæ professor, dixit quod dictæ vacantiæ non tollantur, sed tollatur abusus. Item, magister Andræas Bernardi canonicus Bisuntinus, sacræ theologiæ professor,

D

E

F

dixit, quod primo tollantur, & postea provi- A deatur domino nostro papæ & cardinalibus. Item, procurator ordinis Præmonstratensis magister in sacra pagina dixit, quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item magister Johannes Hugoneti licentiatus in utroque jure dixit, quod non debentur dictæ vacantiæ, & ideo tollantur & simul provideatur papæ & cardinalibus; & cùm hora esset tarda omnes recesserunt, & fuit continuata materia usque ad primam congregationem.

Rursum die Martis vicesima nona dicti mensis B Octobris hora tertia post meridiem in loco consueto, dicta natio de mandato præfati domini præsidentis solemniter congregata, & in eadem processum ad audientiam illorum qui non dixerant in dicta vacantiarum materia, ut sequitur.

Et primo dominus archidiaconus Parvi-Caleti in ecclesia Rothomagensi, procurator capituli Rothomagensis dixit, quod declaretur quod dictæ vacantiæ non debentur, & quod provideatur papæ & cardinalibus, & si aliàs non possit C eis provideri nisi de vacantiis quod modificentur & sub modificatione ordinetur & tollantur. Item, procurator Cluniacensis dixit quod declarentur non deberi, & tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Petrus Salomonis, ordinis fratrum Minorum sacræ theologiæ professor, ambassiator domini ducis Burgundiæ dixit, quod primo provideatur papæ & cardinalibus, & postea tollantur, & dimittatur arbitrio papæ quod provideatur sibi & ecclesiæ Romanæ condecenter & honeste. D Item, dominus prior Electensis dixit, quod dictæ vacantiæ tollantur & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Nicolaus *Cavache* sacræ theologiæ professor dixit in omnibus, ut dominus episcopus Silvanectensis dixit pro universitate Parisiensi. Item, dominus prior S. Maclovii, procurator domini abbatis de Rothono, ordinis S. Benedicti, Rhedonensis diocesis dixit quod dictæ vacantiæ tollantur & provideatur papæ & cardinalibus. Item, dominus decanus Lemovicensis dixit ut immediate præcedens. E Item magister Thomas Avis ordinis B. Mariæ de Monte-Carmeli, sacræ theologiæ professor dixit, quod provideatur papæ & cardinalibus & quod dictæ vacantiæ modificentur. Item, magister Odo Gabini ordinis fratrum Prædicatorum magister in theologia dixit, quod simul provideatur papæ & cardinalibus, & tollantur vacantiæ prædictæ. Item, magister Oliverius *Guennec* in artibus & medicina magister dixit, F quod provideatur domino nostro papæ & cardinalibus, & tollantur dictæ vacantiæ simul. Item, magister Johannes *Ademare* sacræ theologiæ professor dixit quod dentur deputati quibus dicet opinionem suam. Item, dominus abbas Victoriæ dixit ut dominus episcopus Tholonensis, videlicet quod simul tractetur de removendo dictas vacantias, & de providendo simul domino nostro papæ & cardinalibus, & dentur ad hoc deputati, sed pro nunc materia differatur. Item, magister Symon *Bocheux* archidiaconus Vapincensis dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur domino nostro papæ & cardinalibus. Item, magister Johannes Symonis, procurator illustris principis domini ducis Borbonii, dixit quod provideatur domino nostro papæ & cardinalibus, & tollantur dictæ vacantiæ. Item, dominus Johannes Veteris canonicus Gratianopolitanus pro capitulo Gratianopolitano dixit quod dictæ vacantiæ tollantur & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Guilermus *Guignon* magister in artibus, licentiatus in decretis, canonicus Aniciensis dixit quod dictæ vacantiæ tollantur & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Petrus Negraudi canonicus Pictavensis, procurator illustris principis domini ducis Bituricensis, dixit quod simul provideatur domino nostro papæ & cardinalibus & præfatæ vacantiæ tollantur. Item, magister Nicolaus de Hubanto canonicus & procurator ecclesiæ & capituli Autissiodorensis dixit in omnibus, prout dominus episcopus Silvanectensis dixit pro universitate Parisiensi Item, magister Egidius *Achane* in utroque jure licentiatus dixit, quod dictæ vacantiæ tollantur, & quod provideatur papæ & cardinalibus; & cùm hora esset tarda, non fuit processum ad ulteriora, sed continuatum usque ad primam congregationem, & sic omnes recesserunt.

Consecutive autem die Jovis ultima dicti mensis Octobris fuit de mandato dicti domini præsidentis dicta natio in loco consueto congregata, & quia idem dominus Præsidens aliis arduis negotiis sacrum concilium concernentibus occupatus non potuit in dicta congregatione interesse, substituit loco sui ad præsidendum in dicta congregatione reverendum in Christo patrem dominum VITALEM episcopum Tolonensem, qui tunc loco domini præsidentis in dicto loco hora tertia post meridiem præsedit in eadem congregatione, & continuata sunt vota suppositorum dictæ nationis in dicta materia vacantiarum. Et primo magister Guido Martus canonicus Ambianensis in utroque jure licentiatus dixit, quod simul tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur domino nostro papæ & cardinalibus. Item, magister Guillermus de Spelunca in artibus & medicina magister dixit, ut immediate præcedens. Item, magister Johannes Grasseti canonicus capituli Aniciensis, procurator ecclesiæ Aniciensis, dixit ut dominus prior Celsiniarum, videlicet quod simul tractetur de utroque, de providendo & tollendo. Item, magister Johannes Martini dixit ut dominus episcopus Tolonensis, videlicet quod simul tractetur de removendo dictas vacantias, & de providendo domino nostro papæ & cardinalibus, & quod ad hoc dentur deputati, sed pro nunc differatur. Item, reverendus in Christo pater dominus episcopus Cameracensis dixit quod tenet se cum opinione universitatis Parisiensis. Item, magister Johannes Nicolai canonicus Tullensis, & Virdunensis ac procurator domini episcopi Virdunensis & capituli Tullensis dixit, quod simul provideatur papæ & car-

dinalibus, & tollantur dictæ vacantiæ, & quod non sit præjudicium minorum beneficiatorum, & petit instrumentum. Item, magister Gaufridus *d'Auly* procurator domini episcopi Lemovicensis dixit quod dictæ vocantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Petrus Presbyteri procurator capituli Cameracensis dixit quod provideatur domino nostro papæ & cardinalibus, & si dictæ vacantiæ non debeantur, quod tollantur. Item, magister Petrus Quibleti archidiaconus & canonicus in ecclesia Cabilonensi, & procurator domini comitis Sabaudiæ, dixit, quod simul tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Vivianus magister in artibus & licentiatus in utroque jure dixit, quod tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, dominus prior de Massano diocesis Leodiensis, dixit ut dictum fuit pro universitate Parisiensi. Item, dominus præpositus S. Andreæ Gratianopolitanæ diocesis dixit quod provideatur domino nostro papæ & cardinalibus, & tollantur dictæ vacantiæ. Item, dominus præpositus S. Andreæ canonicus Gebennensis dixit idem pro capitulo Gebennensi. Item, Johannes Bartholdi de Pennatis sine titulo, dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & non provideatur papæ neque cardinalibus. Item, magister Symon *Loyson* pro capitulo Virdunensi ut asseruit, dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & non provideatur papæ neque cardinalibus. Item, dominus Johannes Vigerii archidiaconus in ecclesia Leonensi dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, procurator monasterii Belli portus dixit ut dictum est super ista materia pro universitate Parisiensi. Item, dominus prior Talardi dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, dominus eleemosynarius Cluniacensis dixit idem. Item, dominus prior de Duratio dixit idem. Item, magister Guillermus *Lavaley* magister in artibus, dixit quod provideatur papæ & cardinalibus, & quod dictæ vacantiæ tollantur. Item, magister Petrus *Amiot* magister in artibus, dixit ut immediate præcedens. Item, dominus prior S. Michaelis de Castro Bituricensi dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, dominus prior S. Johannis Andegavensis diocesis dixit idem. Item, procurator domini episcopi Redonensis dixit idem. Item, magister Jacobus Britonis licentiatus in legibus, dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & quod non provideatur papæ neque cardinalibus. Item, magister Johannes de Perona, canonicus & procurator capituli Turonensis, dixit quod provideatur papæ & cardinalibus, & dictæ vacantiæ simul tollantur. Item, procurator præpositi Piniacensis in Provincia dixit ut immediate præcedens. Item, Petrus Beguelli canonicus Nannetensis dixit idem ut præcedens. Item, dominus abbas de Sableyo dixit quod tollantur dictæ vacantiæ & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Symon *de Grandi* canonicus

A Metensis & procurator domini episcopi Metensis dixit quod per deputatos videatur & referatur. Item, procurator domini episcopi Tornacensis, dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & quod provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Petrus de Archa licentiatus in decretis, dixit ut fuit dictum pro universitate Parisiensi. Item, dominus procurator capituli Venetensis, canonicus ecclesiæ Venetensis, dixit quod provideatur papæ & cardinalibus, & dictæ vacantiæ simul tollantur. Item, dominus *Pichot* procurator capituli ecclesiæ Andegavensis, dixit quod
B dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus simul. Item, magister Robertus *Sanat* licentiatus in legibus dixit, quod dictæ vacantiæ tollantur, & provideatur papæ & cardinalibus. Item, magister Johannes de *Closse* magister in artibus dixit ut immediate præcedens. Item, procurator dominorum episcopi Conseranensis & abbatis monasterii S. Saturnini Tholosæ, dixit ut universitas Tholosana, videlicet quod dictæ vacantiæ removeantur, & loco
C earum provideatur domino nostro papæ & cardinalibus de decima decimæ simul. Item, procurator capituli Conseranensis dixit quod simul provideatur papæ & cardinalibus & tollantur.

Item, magister Bernardus Baptista licentiatus in theologia, dixit quod tollantur, dum tamen provideatur quod ordinarii nihil recipiant à subditis suis. Item, procurator Domini episcopi Autissiodorensis, dixit quod tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur domino nostro papæ & cardinalibus.

D Et tunc fuit petitum per aliquos præfato domino episcopo Tolonensi, quod ipse concluderet, quia sufficiebat de votis auditis; & aliqui clamaverunt: Audiantur vota omnium. Et cum idem dominus episcopus Tolonensis diceret quod volebat deliberare, nec ille tunc concluderet, fuerunt multi de supra nominatis qui dixerunt, quod ipsi volebant uti pluribus votis, nominibus procuratoriis prælatorum, & aliorum absentum, & capitulorum aliorum, quorum erant procuratores, & dixerunt pro illis
E sicut dixerant pro seipsis. Et primo dominus HELYAS episcopus Aniciensis dixit nomine serenissimi Christianissimique principis domini nostri Francorum regis, & pro regno suo, & toto clero regni Franciæ, prout alias dixerat, videlicet quod tollantur dictæ vacantiæ sine dilatione, sed postea provideatur honorifice & decenter domino nostro papæ & cardinalibus: quod declaravit magis per hunc modum, videlicet quod intelligebat & intelligit quod fiat declaratio, quod dictæ vacantiæ tamquam in-
F debitæ, sive non debitæ tollantur; sed antequam practicetur, & publicetur in sessione publica & generali dicti sacri concilii Constantiensis, quod provideatur honorifice & decenter statui domini nostri papæ & dominorum cardinalium. Item, magister Matthæus *Rodel* sacræ theologiæ professor, nomine procuratorio dominorum episcopi & Capituli Trecorensis, dixit ut prius dixerat, videlicet, quod quoad inferiora beneficia, &c. & quoad reservata tol-

lantur, ſed dentur deputati ad providendum domino noſtro papæ & cardinalibus. Item, dominus JOHANNES epiſcopus Vaurenſis pro dominis epiſcopis Tutelenſi & Appamiarum, & pro capitulo Agathenſi, & pro quatuor abbatibus, & pro tota provincia Tholoſana dixit, ut ipſe prius dixerat, videlicet primo quod differretur, & poſtea tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur papæ & cardinalibus, & plura alia dixerat, videlicet quod certi deputarentur qui irent ad dominos cardinales, & viderent modum providendi in iſtis & ſimul provideatur. Item, dominus VITALIS epiſcopus Tolonenſis, procurator & procuratorio nomine domini FRANCISCI archiepiſcopi Narbonenſis, dixit prout dixerat pro ſe, videlicet quod ſimul tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur domino noſtro papæ & cardinalibus. Item, dominus STEPHANUS epiſcopus Dolenſis, procurator domini GATIANI epiſcopi Coriſopitenſis, dixit pro eodem domino epiſcopo Coriſopitenſi ut pro ſe dixerat, videlicet quod ſimul tractetur de removendo dictas vacantias & providendo domino noſtro papæ & cardinalibus, & quod dentur ad hoc deputati, ſed pro nunc differatur. Item, dominus ALANUS epiſcopus Leonenſis dixit pro domino epiſcopo Nannetenſi tamquam ejus procurator, ut ipſe dixerat, videlicet quod eſſet differendum, & quod differatur. Item, dominus OGERIUS epiſcopus Auguſtenſis, procurator capituli Auguſtenſis, dixit pro eodem capitulo, ſicut pro ſe dixerat, videlicet quod domini reformatores ſuper materia dictarum vacantiarum deliberaverant, & quod videretur eorum deliberatio, & ſi ſit bona, ſtetur eidem, alioquin ſimul provideatur. Item, dominus ALEXANDER abbas Belli-fontis, procurator domini epiſcopi Lucionenſis, dixit pro eodem domino epiſcopo, ſicut dixerat pro ſe, videlicet quod dictæ vacantiæ declarentur non debitæ, poſtea tractetur de providendo domino noſtro papæ & cardinalibus, & ſuper hoc dentur deputati, qui ſuper hoc habeant videre & deliberare. Item, dominus PETRUS abbas S. Maxentii decretorum doctor, dixit pro provincia Burdegalenſi ſicut dixerat pro ſe, videlicet quod videatur modus providendi papæ & cardinalibus, & ſuper hoc dentur deputati, & addidit quod omnino ante omnia tollantur dictæ vacantiæ. Item, dominus decanus Lugdunenſis dixit pro dominis archiepiſcopo & capitulo & tota provncia Lugdunenſi, ſicut dixerat pro ſe, & pro univerſitate Avenionenſi, videlicet quod ſimul provideatur domino noſtro papæ & cardinalibus, & deputentur de quolibet ſtatu, duo videlicet de epiſcopali, abbatiali, & duo de capitulis, ac etiam duo de rectoribus qui cum dominis deputatis per dominos cardinales tractent & concordent de modo providendi domino noſtro papæ & cardinalibus, & de tollendo dictas vacantias. Item, procurator S. Amati Duacenſis Atrebatenſis diœceſis, qui non dixerat votum ſuum, dixit quod dictæ vacantiæ tollantur, & quod provideatur domino noſtro papæ & cardinalibus.

Poſt quæ magiſter JORDANUS MORINI ſacræ theologiæ profeſſor, ambaſſiator præfati domini noſtri Francorum regis, propoſuit de domino patriarcha præſidente, quod erat multum impeditus aliis arduis negotiis, ſic quod non poterat vacare in præſidentia, & quod forſan non erat expediens quod præſideret plus, & tempus præſidentiæ ultra determinationem nationis occupaverat, & neſciebatur qualiter, & quomodo, & quod menſis primus tranſierat, & per alium ſine electione aut confirmatione tenuerat, & quod hodie erat finis alterius menſis, & quod etiam honores debebant partiri, & propterea petiit quod alius eligeretur, & multi pro majori parte clamaverunt, Placet: & alii dixerunt quod adhuc audirentur vota, & illo tunc fuit dictum, quod illi qui non dixerant dicerent, & tunc incepit procurator capituli eccleſiæ Viennenſis, qui dixit quod ſimul provideatur domino noſtro papæ & cardinalibus, & dictæ vacantiæ tollantur. Item, dominus procurator capituli eccleſiæ Vivarienſis dixit, ut immediate præcedens. Item, dominus procurator capituli eccleſiæ Pictavienſis dixit quod dictæ vacantiæ non tollantur, ſed tollantur abuſus & moderentur. Item, magiſter Oliverius *Guennet* in artibus & medicina magiſter dixit pro ſex abbatibus, ut pro ſe dixerat, videlicet quod provideatur domino noſtro papæ & cardinalibus, & dictæ vacantiæ tollantur ſimul. Item, quidam magiſter Judocus procurator dixit idem. Item, dominus procurator domini epiſcopi Æduenſis dixit idem.

Et poſt ea fuit clamatum per aliquos quod concluderetur. Et dictus dominus epiſcopus Tolonenſis noluit concludere, cum non eſſet deliberatum per ipſum, nec vota erant concordata, & etiam quia præfatus dominus patriarcha Antiochenus, cujus vices in præſidentia pro iſta congregatione gerebat, fuerat depoſitus, & non erat plus præſidens, & tunc aliqui ſurrexerunt & dixerunt: Eligatur alius qui concludat in dictarum vacantiarum materia; & tunc omnes in turbine ſurrexerunt, & aliqui poſt modum iverunt ad dominum epiſcopum Anicienſem, dicentes quod eſſet præſidens, & quod præſidentia ſibi de jure debebatur, cum eſſet antiquior in prælatura omnium dictæ nationis, & quod omnino præſidentiam acceptaret, & reciperet, & in dicta vacantiarum materia concluderet, & fuit illo tunc magna turbatio; & quaſi omnes receſſerunt, & ſic nihil fuit concluſum, & omnes receſſerunt paulatim, & multa fuerunt petita de omnibus fieri inſtrumenta per diverſos à notariis dictæ nationis, præſentibus reverendis in Chriſto patribus & dominis, dominis JOHANNE Vaurenſi, JOHANNE Silvanectenſi epiſcopis, PETRO S. Maxentii, ALEXANDRO Bellifontis monaſteriorum abbatibus, JORDANO MORINI, Nicolao de Gonneſſia, Matthæo *Rodel* ſacræ theologiæ profeſſoribus, Oliverio *Guennet* in artibus & medicina magiſtro, & pluribus aliis dominis prælatis, epiſcopis, & abbatibus, ac dominis magiſtris, & doctoribus ceteriſque notabilibus perſonis in multitudine copioſa.

Conclusio de tollendis Annatis, minutis serviciis &c.

Subsequenter vero die sabbati secunda mensis Novembris, anno, indictione & loco supradictis, hora secunda post meridiem, fuit dicta natio Gallicana congregata, & in eadem natione proposuit reverendissimus in Christo pater dominus JOHANNES patriarcha Antiochenus prædictus tria, primo de facto præsidentiæ, & quod eligeretur præsidens, qui præsideret in dicta natione, & regratiatus fuit de honoribus sibi impensis, & excusavit se ut est moris. Secundo proposuit de concordia habita & facta inter reverendissimos in Christo patres & dominos, dominos cardinales de Ursinis & Ragusinum super officio majoris pœnitentiarii curiæ Romanæ. Tertio de materia vacantiarum, & incontinenti ad clamores & voces clamantium & dicentium, quod in dicta materia vacantiarum concludatur, ipse dominus patriarcha nulla alia examinatione & concordia votorum facta, neque concordata, dixit quod major pars & duplo major fuit opinionis, quod dictæ vacantiæ non sunt, nec fuerunt debitæ, & quod tamquam indebitæ tollantur. Et tunc dominus JOHANNES episcopus Silvanectensis dixit quod non solum vacantiæ, sed etiam communia & minuta servitia, & omnia contingentia, & dependentia tollantur. Et plures clamaverunt quod placet. Et tunc idem dominus patriarcha dixit quod concludebat cum majori parte, quod dictæ vacantiæ & servitia communia & alia inde sequuta tamquam indebita tollantur, tam de præteritis, quam præsenti & futuro temporibus. Et tunc fuit magnum murmur in natione & tumultus maximus, & magna turbatio clamantium hinc inde ad diversa: & inter ceteros dominus HELIAS episcopus Aniciensis multa clamavit. Et tunc fuit lecta opinio sua, prout supra in declaratione sua dixerat. Et dixit quod illa quæ dixerat declarando dictum suum dixit, quod loquebatur opinative, & quod dominus abbas S. Maxentii non advocavit eum. Et dominus episcopus Dolensis dixit, quod ipse & plures alii fuerunt opinionis, quod tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur simul domino nostro papæ & cardinalibus, alias non tollantur. Et magister Johannes Ponceti canonicus Bisuntinus surrexit & dixit, quod ipse erat procurator plurium prælatorum, & capitulorum & nondum dixerat votum suum, & dixit quod simul deberet provideri: & si forte dictæ vacantiæ tollerentur, & non provideretur, protestatus est quod onus non cadat super capitulis & alio clero inferiori, & casu quo alias fieret & concluderetur, appellabat & appellavit, ut in quadam cedula, quam porrexit, plenius continetur. Qua cedula porrecta, fuit quasi per omnes clamatum, quod dicta cedula legeretur: sed propter tumultum sic transivit, quod non fuit lecta, sed remansit penes me Johannem Guiardi dictæ nationis notarium infra scriptum. Et incontinenti magister Thierricus de S. Deodato licentiatus in legibus, ambassiator universitatis Aurelianensis dixit, quod se opposuerat in hoc quod tollerentur dictæ vacantiæ, nisi alias provideretur papæ & cardinalibus: sed propter

Protestationes & appelationes adversus eam.

aliquos, qui contra eum propterea scripserant in Francia, ipse suam opinionem revocabat, & de hoc petiit sibi fieri publicum instrumentum. Et tandem idem dominus Patriarcha iterato dixit ad vocem clamantium, quod concluderetur, Concludo quod tam de tempore præterito quam futuro tollantur vacantiæ cum communibus & minutis servitiis: sed videatur de modo providendi domino papæ & cardinalibus, & eisdem provideatur condecenter & honeste, & deputentur certi notabiles, de quolibet statu ad providendum in præmissis. Et incontinenti magister Johannes Grasseti canonicus & procurator capituli ecclesiæ Aniciensis narravit qualiter præfatus dominus HELIAS episcopus Aniciensis dixerat alia die, quod in provisione facienda domino nostro papæ & cardinalibus, episcopi contribuant, & quod eorum subditi in aliquo non graventur: quod approbavit idem episcopus Aniciensis, videlicet quod ipse bene vult contribuere: & hoc dixit pro se & successoribus suis. Et de hoc dictus magister Johannes Grasseti petiit sibi fieri publicum instrumentum: & ulterius dixit, quod si tollantur vacantiæ, & imponatur aliud onus in præjudicium capituli Aniciensis, & cleri inferioris beneficiatorumque pro providendo papæ & cardinalibus, quod se opponit & opposuit, & petiit instrumentum. Et incontinenti dominus decanus Lugdunensis pro capitulo & interesse capituli Lugdunensis, & pro sibi adhærentibus, & adhærere volentibus se conclusioni opposuit protestando quod nullum onus seu servitium in providendo domino nostro papæ & cardinalibus imponatur super capitulo Lugdunensi, & clero ejusdem capituli, & sibi subjectis, & aliis adhærentibus, & adhærere volentibus, nisi ipso præsente & vocato. Item, dominus prior Celsiniarum ambassiator, & missus per dominum abbatem Cluniacensem Matisconensis diocesis, tamquam unus de electis per concilium ecclesiæ Gallicanæ ad comparendum in hoc generali concilio pro provinçia Bituricensi se opposuit, ut in cedula per ipsum tradita continetur, cujus tenor talis est:

Cedula prioris Celsiniarum.

« Reverendissimi patres ac domini mei venerabiles, quia quæstio ventilatur utrum vacantiæ seu communia servitia, &c. primo & ante omnia præcise debeant tolli papæ & dominis cardinalibus & curiæ, & postea de eorum statu provideri, an simul debeat tractari materia, videtur mihi quod deputandi sunt aliqui notabiles viri de hac venerabili natione in pauco numero, qui concurrentes cum deputatis super hoc aliarum nationum, simul tractent de hoc cum dominis cardinalibus cum bona modestia: qui attendere debeant quantum ascendunt vires patrimonii ecclesiæ Romanæ, & de quo congrue papa futurus cum sua curia debeat sustentari cum minori detrimento subditorum. Unde & si vacantiæ illæ solverentur, non ante annum, sed post unum, duos, aut tres annos à tempore possessionis adeptæ, reductæ tamen ad taxam prætactam, casu quo papa cum sua curia indigeat, minus oneris videtur esse vobis subditis, quam si papa ipse in defectu va-

„ cantiarum annuatim pro suo libito nos faceret „ suos tributarios, vel per modum decimarum, „ vel alterius compositionis, & quam si domini „ cardinales in defectum præmissarum vacantiarum, & in supplementum occuparent beneficia „ vestra, unde magna incommoda in spiritualibus & temporalibus nobis provenient, tam „ regularibus quam sæcularibus, & dicto casu quo „ per præmissos deputatos reperiretur, papam, „ dominos cardinales, & curiam pro nunc indigere tanto subsidio, cum quadam tolerantia sic „ expectate aliud concilium, quod in brevi ordinatur celebrandum, & quicquid ego dicam per „ modum avisamenti, remitto me tamen ad deliberationem prædictorum dominorum deputandorum, & determinationem sacri concilii „ generalis, &c. ex casu quo vos velletis aliam „ conclusionem capere, ego ut missus per reverendum patrem & dominum meum, dominum „ abbatem Cluniacensem Matisconensis diocesis, „ pro se & suo ordine, & etiam tamquam unus „ de electis per concilium ecclesiæ Gallicanæ ad „ comparendum in hoc sacro generali concilio „ pro provincia Bituricensi, in quantum quidem „ acciperetis aliquam conclusionem mihi & dominis meis pro quibus sum, aut eorum ecclesiis & „ beneficiis incommodam & damnosam, & in „ quantum redargui possemus de irreverentia super hoc, vel injustitia erga sedem apostolicam, „ non consentio, sed me oppono.

Item, reverendus in Christo pater dominus ALANUS episcopus Leonensis opposuit se nomine ducis & cleri Britanniæ. Item, magister Petrus Quibleti procurator domini comitis Sabaudiæ opposuit se pro ipso domino comite & clero Sabaudiæ & alias, ac pro aliis, ut in quadam cedula quam postmodum tradidit plenius continetur. Cujus cedulæ tenor de verbo ad verbum tale est.

Oppositio pro curatoris comitis Sabaudiæ.

„ Quia extitit facta quæstio, an vacantiæ seu „ communia servitia, &c. primo & ante omnia „ præcise debeant tolli papæ, & dominis cardinalibus, & curiæ Romanæ, & deinde de eorum „ statu provideri, an simul debeat tractari materia prædicta, mihi videtur, quod ante omnia „ sit providendum papæ, & collegio, & Romanæ „ curiæ, antequam tollantur, & decenter & honeste secundum eorum statum, aut saltem, si „ tollantur, quod fiat dicta provisio simul & semel, „ & si dictæ vacantiæ solvantur, quod moderentur & reducantur ad taxam debitam, & non „ solvantur ante annum, sicut solebat fieri; sed „ post unum, duos vel tres annos à tempore adeptæ „ possessionis, & ad finem quod ecclesiæ quæ sunt „ liberæ & personæ ecclesiasticæ non efficiantur „ annuales & perpetuo tributariæ, aut alias per „ impositionem, decimas, aut alias quotidianas „ exactiones vexentur, & in supplementum beneficia haberent occupare, & in provisione ista „ fienda mihi apparet quod esset bonum quod „ darentur certi boni deputati de hac venerabili „ natione, qui conferant cum aliis deputatis super hoc aliarum nationum, qui simul tractent „ de hoc cum dominis cardinalibus, & cum bona „ modestia, & qui attendere debeant valorem & onera patrimonii ecclesiæ Romanæ, de quo „ congrue & decenter papa futurus cum sua curia, „ & sui successores ac domini cardinales debebunt sustentari cum minori detrimento subditorum ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, & in casu quo dictos deputatos dare „ velletis, & aliquid contra præmissa & in præjudicium ecclesiarum terrarum domini mei Sabaudiæ & personarum ecclesiasticarum dictorum territoriorum concluderetis, ego Petrus „ Quibleti procurator prædictus, & nomine procuratorio præfati domini mei, nec non & procurator capituli ecclesiæ Cabilonensis, ac archidiaconus & canonicus in eadem ecclesia, meo „ nomine & adhærentium mihi & adhærere volentium me oppono nominibus prædictis, & „ potissime ubi dicta conclusio reperiretur damnosa præfatis dominis meis, & eorum ecclesiis, „ & beneficiis, & mihi, vel erga sanctam sedem „ apostolicam injusta, cum tamen determinatione hujus sacri concilii & dictorum deputatorum reverentia & honore quibus decet. „

Aliæ oppositiones.

Item, magister Guillelmus Brilleti procurator illustris principis domini ducis Britanniæ se opposuit pro eodem domino duce, & toto clero Britanniæ, protestando quod nullum aliud novum onus perpetuum singulis annis perpetuo solvendum imponatur super clero, & exinde efficiatur clerus alias perpetuo tributarius. Item, magister Petrus de Vercellis prior de Calvomonte Rothomagensis diocesis, magister in theologia, se opposuit pro toto ordine S. Benedicti, & protestatus fuit solemniter, quod dictus Ordo per aliqua alia quæ evenire possent, non gravetur in aliquo, nec subjiciatur alicui annuo & perpetuo tributo. Item, dominus JOHANNES abbas monasterii Cisterciensis, sacræ theologiæ professor dixit, quod non consentit, quod perpetua annualia subsidia seu tributa noviter imponantur in ordine Cisterciensi, immo est plus contentus quod solvantur vacantiæ, dum tamen moderentur monasteria nimis taxata, & quod post possessionem pacificam solvantur vacantia æquis portionibus infra duos vel tres annos; & si sic fiat, non videatur sibi magnum onus, & quamplures alii nomine capitulorum & cleri diversarum provinciarum protestati fuerunt solemniter, & se opposuerunt, & petierunt instrumentum & instrumenta sibi fieri per notarios dictæ nationis & quemlibet ipsorum. Et quia nomina non poterant in tali turba rescribi cum una voce plures se opponerent, & instrumenta peterent, fuit dictum per me Johannem Guiardi dictæ nationis notarium alta voce, quod omnes se opponentes darent nomina & cognomina sua, pro quibus se opponebant, & causas suarum oppositionum, quod facere promiserunt & tacuerunt.

Concordia inter cardinales de Ursinis & Ragusinum.

Postmodum idem patriarcha Antiochenus narravit concordiam factam inter duos cardinales, de Ursinis & Ragusinum, videlicet quod officium majoris pœnitentiarii remaneat domino cardinali de Ursinis, & quod camera apostolica provideat domino Ragusino singulis annis de trecentis florenis, donec aliter fuerit sibi pro-

visum. Et petiit si placeat nationi, quod auctorisaretur in sessione generali dicti sacri concilii. Et omnes dixerunt, Placet, excepto domino ELIA episcopo Aniciensi, qui multa dixit in contrarium; sed non obstantibus dictis suis, iterato omnes dixerunt, Placet.

Patriarcha Antiochenus eligitur præses nationis gallicanæ.

Deinde idem dominus patriarcha Antiochensis exposuit de facto præsidentiæ, & quod dicta natio provideret sibi de novo præsidente, regratiatus fuit de honore, &c. & obtulit se semper paratum obedire mandatis dictæ nationis, & sibi prompto animo servire, ut merito tenetur, & excusavit se, ut est moris. Et tandem B fuit processum ad electionem futuri præsidentis, & auditis votis singulorum, idem dominus patriarcha per conclusionem votorum fuit iterum reelectus, & confirmatus, ut præsideret in natione per totum mensem Novembrem cum potestate & auctoritate consuetis, & omnes clamaverunt, Placet, Placet. Et quamquam recusaret, tamen finaliter dictam præsidentiam acceptavit: de quibus omnibus dicta die factis per promotores dictæ nationis & nonnullos alios fuerunt petita & requisita publica instrumenta per nos notarios dictæ nationis, & quemlibet C nostrum sibi fieri ad æternam rei memoriam. Et præfatus magister Johannes Ponceti petiit & requisivit de omnibus istam vacantiarum materiam tangentibus integraliter sine divisione quacumque & de interpositione suæ appellationis, sive præsentatione & datione dictæ cedulæ de qua supra fit mentio, & aliis per ipsum dictis & propositis sibi fieri publicum & publica instrumentum & instrumenta per nos notarios dictæ nationis, & quemlibet nostrum, præsentibus reverendis in Christo patribus do- D minis HELIA episcopo Aniciensi, MARTINO episcopo Atrebatensi, JOHANNE episcopo Silvanectensi, JOHANNE abbate Cisterciensi, PETRO abbate S. Maxentii, dominis & magistris JORDANO MORINI ambassiatore domini nostri Francorum regis, Nicolao de Gonnessia sacræ theologiæ professoribus, Petro Cajetani canonico Conseranensi, litterarum sacræ pœnitentiæ scriptore, Oliverio *Guennet* in artibus & medicina magistro, & Johanne de Monte- E acuto notario publico, & nonnullis aliis dominis episcopis, abbatibus, magistris & doctoribus, & aliis notabilibus dictæ nationis in multitudine copiosa testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Tenor vero dictæ appellationis cedulæ per præfatum magistrum Johannem Ponceti traditæ de verbo ad verbum sequitur & est talis.

Appellatio Johannis Ponceti canonici Bisuntini

» Coram vobis reverendis patribus & dominis » præsidenti ceterisque prælatis, & aliis vene- F » rabilis nationis Gallicanæ Constantiæ convoca- » tis pro generali concilio celebrando, & in loco » præsenti pro congregatione ipsius nationis con- » gregatis, ipsamque nationem repræsentantibus, » personaliter constitutus Johannes Ponceti in » decretis licentiatus, canonicus Bisuntinus & re- » ctor parochialis ecclesiæ de *Ornans* Bisuntinensis » diocesis, clericus sacri collegii reverendissimo- » rum patrum dominorum S. R. E. cardinalium

procuratorque in hoc sacro concilio plurium « dominorum ecclesiasticorum, videlicet reve- « rendi patris domini episcopi Lombariensis, do- « mini abbatis S. Pauli Bisuntini, & capituli ec- « clesiæ Bisuntinensis suo proprio & prædictorum « dominorum suorum & aliorum sibi in hac parte « & in hac materia adhærere volentium, quo « rumcumque nominibus appellando dicit, quæ « sequuntur. Et primo quod licet dudum in qua- « dam congregatione hujus venerabilis nationis « Gallicanæ in ista domo Prædicatorum Con- « stantiensium de anno Domini MCCCCXV. so- « lemniter celebrata, maturè digestum, & per di- « ctam nationem deliberatum & conclusum extitit « pro bono unionis, pacis, & reformationis univer- « salis ecclesiæ, & ad hoc quod liberius sine turba- « tione vel impedimento quocumque, omnes & sin- « guli de dicta natione sua, vota valerent explicare « libere & sincere, secundum suas conscientias, « sine incurrendo indignationem cujuscumque, « vel aliud periculum sive damnum, videlicet « quod quandocumque contingeret aliquam ma- « teriam arduam in dicta natione & per dictam « nationem tractari, illa materia hujusmodi per « scrutinium secretum de cetero tractaretur, « dando singulorum vota certis fidelibus ad hoc « deputatis, qui votis ad invicem compositis, domi- « no præsidenti, qui pro tempore foret in prædicta « natione referrent, & facta relatione in hujus- « modi negotio, concluderetur secundum majo- « rem & saniorem partem votorum hujusmodi, « facta collatione zeli & numeri: quæ ordinatio, « & definitio, seu statutum in materia inventio- « nis & electionis viæ pacis & unionis ecclesiæ, « videlicet cessionis papatus & aliis arduis nego- « tiis tentata & practicata & per dictam nationem « feliciter observata extiterint, salvis scilicet in- « fra dicendis. Licet etiam in hoc sacro generali « Constantiensi concilio fuerit statutum & or- « dinatum per nationes, & præsertim per hanc « venerabilem Gallicanam, & usque nunc « hactenus laudabiliter observatum, tentum & « practicatum, quod venerabiles deputati gene- « rales quatuor nationum, tam per advisamenta « aliorum dominorum de concilio, quam per scri « ptum materias tractandas in congregationibus « nationum proponendas aperirent & eligerent, « & singuli præsidentes seu deputati ipsarum na- « tionum ad singulas nationes suas easdem mate- « rias pertractandas traderent seu deferrent, ut « in eisdem nationibus tractaretur, & in delibera- « tione seu conclusione concorditer concurrerent « & convenirent, ut deinde easdem in sessionibus « publicis deffinirent. Et quondam JOHANNES « papa XXIII. à tempore suæ creationis usque ad « tempus suæ depositionis de papatu, ceterique « summi pontifices sui prædecessores à X. XX. XXX. « XL. L. LX. & centum annis proxime præteritis « citra & ultra, & à tanto tempore, & per tantum « tempus, cujus initii memoria hominum non « existit, pro sustentatione status sui & reveren « dissimorum patrum dominorum cardinalium « fuerunt in possessione pacifica habendi, levari « faciendi, & recipiendi per omnes & singulas « Galliæ provincias sub dominio Christianissimi « &

» & illustrissimi Francorum regis existentes, ac
» etiam per alia regna & provincias christianitatis
» primo anno vacationis beneficiorum annatas
» seu vacantias, id est beneficiorum primo anno
» sive vacationis fructus, & reditus cum modera-
» tione in camera apostolica declarata, præsertim
» beneficiorum auctoritate apostolica habitorum,
» sitque summis pontificibus, qui ad universalis
» ecclesiæ gubernationem deputantur, de bonis
» ecclesiæ debite providendum de jure divino pa-
» riter & humano, & major pars sustentationis pa-
» palis status & suæ curiæ in hujusmodi annatis
» seu vacantiis dignoscatur consistere, adeo quod
» ipse summus pontifex statum suum de præsenti,
» & stantibus rebus prout sunt, non possit com-
» mode sustentare sine hujusmodi vacantiis, nisi
» aliunde sibi provideretur: attento præsertim
» quod propter schisma, quod, proh dolor! in Dei
» ecclesia longo tempore viguit, & malam guber-
» nationem aliquorum ecclesiæ Romanæ præsi-
» dentium, malitiamque temporis, & cariem ty-
» rannorum patrimonium ecclesiæ est totaliter
» collapsum, & camera apostolica funditus exina-
» nita, & prædictis Johanni & sibi adhærentibus,
» nominibus quibus supra videatur in judicio con-
» scientiarum suarum statui papæ & cardinalium
» de bonis ecclesiæ secundum jura divina & hu-
» mana fore sufficienter providendum, sicut etiam
» major pars votorum hujus venerabilis nationis
» in hoc concordat, nec videatur eis convenien-
» tior modus, & pauperibus clericis & ecclesiis
» minus onerosus, quam huic vacantiæ seu anna-
» tæ, moderatæ tamen in quantitate, loco, & tem-
» pore solutionis eorumdem, & prout dicitur, per
» dictum collegium dominorum cardinalium jam
» est oblatum, videlicet quod sicut sentiunt iidem
» Johannes & adhærentes in scriptis inter illos,
» qui pro parte nationum deputati sunt super re-
» formatione, quod communia servitia prælato-
» rum non possunt solvi etiam à volentibus ante
» annum, & quod fiat talis constitutio, quæ ser-
» vetur ex necessitate, quod à die habitæ pos-
» sessionis in fine anni solvatur medietas, & in
» fine alterius anni alia medietas; & si pluries in
» anno vacaverit, non solvatur nisi semel, &
» quod ecclesiæ & monasteria indebite taxatæ de-
» bite taxentur. Item, spolia prælatorum defun-
» ctorum & fructus medii temporis ecclesiarum
» seu beneficiorum vacantium, & procurationes,
» quæ ratione visitationis debentur, & decimæ
» per alias constitutiones advisatæ per reforma-
» tores prædictos sunt sublatæ papæ & Romanæ
» sedi: unde etiam si tollantur annatæ prædictæ,
» nihil dimittitur papæ & cardinalibus & suæ
» curiæ unde vivant; quod non est aliud dicere,
» nisi quod vel non sint papa, nec cardinales, nec
» curia, vel qui serviant reipublicæ totius eccle-
» siæ. Quæ res si bene intelligeretur, non fuisset
» processum cum tanta levitate, nec procedere-
» tur, sed magis mature & cum majori & matu-
» riori deliberatione. Præmissis tamen non obstan-
» tibus, nonnulli reverendi patres domini episcopi,
» & nonnulli domini abbates, & alii de ipsa natio-
» ne ei adhærentes, nescitur quo spiritu ducti, nisi

forte quia ipsorum aliqui sunt debitores dictarum «
annatarum, & volunt hoc modo se liberare: non «
advertentes quod sede vacante, nihil est in præ- «
judicium vacantis ecclesiæ innovandum, & quod «
per innovationem hujusmodi damnaretur, im- «
mo destrueretur status summi pontificis; quod «
est totum ecclesiasticum ordinem confundere, «
nisi aliter provideatur super materia annatarum «
seu vacantiarum hujusmodi in prædicta natione «
per importunitatem & minus consulte, & præ- «
sertim, ut dicitur, aliis nationibus inconsultis, «
introducta: quæ etsi fuisset debito modo & bono «
zelo introducta, & in deliberatione posita, de- «
buerit & debet, sicut fuit per plures petitum & «
petitur hujusmodi materia per scrutinium secre- «
tum tractari: attenta ejus arduitate, juxta con- «
stitutionem & observationem prædictas ejusdem «
nationis: & tamen hoc petentes non solum non «
exauditi, immo nec auditi fuerunt, immo au- «
dientia & libertas dicendi vota sua fuit eis de- «
negata, & quod pejus est, per minas, terrores, «
& allegationes voluntatum aliquorum princi- «
pum temporalium, comminationes de ipsis & «
impressiones alias verbales quamplures ad suam «
voluntatem trahentes: alios vero timore terri- «
tos ad non exprimendum vota sua juxta ipso- «
rum conscientias inducentes, in præjudicium li- «
bertatis hujus sacri generalis Constantiensis «
concilii, vota etiam dicentium expediens fore «
papæ & cardinalium statui provideri expresse «
interrumpentes, salva ipsorum debita reveren- «
tia, in præmissis ad deliberationem publicam vo- «
calem per rata verba sua perperam, & inique, «
indebite & injuste procedentes, dictas primas «
annatas non esse debitas, ipsasque tollendas «
fore omnino taliter qualiter per sua vota, ut «
dicitur, declaraverunt & concluserunt, quan- «
tum in eis est, ac per vos dominum præsiden- «
tem & per venerabilem nationem prædictam «
nituntur facere declarari & concludi, nulla per «
prius provisione facta, seu fieri ordinata per eos «
pro sustentatione status papæ & dominorum «
cardinalium, licet hoc in deliberatione votorum «
hujusmodi fuerit per magnam & majorem par- «
tem dictæ nationis dictum & deliberatum, con- «
clusum & petitum, quod si dictæ vacantiæ tol- «
lantur, provideatur statui prædictorum domi- «
norum papæ & cardinalium, & quod super hoc «
dentur deputati; & hoc fecerunt & faciunt in «
præjudicium & enormem læsionem honoris & «
status ordinis clericalis, dignitatis & status papæ «
& cardinalium, & totius reipublicæ ecclesiasticæ «
Ea propter prædictus Johannes Ponceti nomi- «
nibus quibus supra tam conjunctim, quam di- «
visim sentiens se & dominos suos, sibique «
adhærere volentes in præmissis & per præmissa «
læsos & gravatos, timensque per præmissa alte- «
rum ex duobus evenire, & totius ordinis cleri- «
calis, cui in vilipendium reputatur, si unus cle- «
ricus mendicare cogatur, subversionem & con- «
fusionem, aut novi oneris & gravioris super ipso «
clero impositionem, volensque imitari sanctos «
patres, qui in concilio Viennensi similiter con- «
siderantes quod statui papali non poterat me- «

» lius & lenius provideri, quam per dictas vacantias seu annatas, circa hanc materiam tunc * causam tractatam nihil immutare voluerunt. Et etiam timens ipse Johannes, ne per hujusmodi novitatem unio ecclesiæ impediatur, & graviora sequantur scandala, cum inter dominum regem Romanorum & nuncios PETRI DE LUNA, super modo conventionis faciendæ, quæ jam pendet, fuit conventum & ordinatum quod pendente dicta conventione, nihil hinc inde fieret novitatis, maxime in illis quæ concernunt statum papatus & ecclesiæ Romanæ. Constat autem quod hæc est maxima novitas, per quam nimium præjudicatur, immo subvertitur status ecclesiæ Romanæ: timens etiam ulterius per eos aggravari in futurum tam per impositionem novorum onerum, quam ex causis prætactis aut aliis quibuscumque ab ipsis dominis episcopis eorumque adhærentibus in præmissis, & contra eos & eorum quemlibet, ab eorum & cujuslibet ipsorum voce, deliberationibus & conclusionibus, & contra eas, & contra reverendum patrem dominum præsidentem, si, quod absit, ad conclusionem procedat sic indeliberate, ad eorum petitionem, seu alias nominibus quibus supra, in his scriptis ad sacrum generale concilium & ad summum pontificem futurum, & ad sanctam sedem apostolicam conjunctim provocat & appellat, & apostolos petit instanter, instantius, & instantissime, & cum debita instantia per vos dictum dominum præsidentem dictæ nationis, vel alium seu alios, qui eos dare velit & possit, seu velint & possint, & super præmissis omnibus singulis una cum responsione, vel sine prædictus appellans petit, nominibus quibus supra, sibi confici & fieri instrumentum publicum, & instrumenta publica, unum & plura, tot quot necessaria fuerint per notarios dictæ nationis, seu per eorum alterum, & cum protestatione corrigendi, addendi, minuendi, vel mutandi, prout videbitur.

* f. casu.

Deputantur ad alias nationes.

Subsequenter vero die Lunæ quarta dicti mensis Novembris, de mandato domini præsidentis nationis Gallicanæ præfatæ, in refectorio domus fratrum Prædicatorum Constantiæ, hora secunda post meridiem, fuit eadem natio solemniter congregata, fuitque propositum per dominum præsidentem, quod darentur aliqui notabiles deputati ad eundum ad alias nationes, ut velint concurrere cum dicta natione Gallicana super conclusione vacantiarum facta die sabbati, secunda præfati mensis Novembris proxime lapsa, & fuit conclusum quod dentur deputati, & fuerunt nominati atque dati, videlicet domini episcopi Aniciensis & Silvanectensis, PETRUS abbas S. Maxentii, magistri Ursinus *Talvande*, Pontius Simoneti sacræ Theogiæ professores, dominus Amedeus de *Talaru* decanus Lugdunensis, & dominus archidiaconus Parvi-Caleti, & quod referant quicquid in aliis nationibus & cum ipsis repererint proxima die Veneris, vel proxima die sequenti. Et in continenti magister Oliverius *Guennet* in artibus & medicina magister, & Petrus Negrandi archidiaconus de Brianceyo in ecclesia Pictavensi, litterarum apostolicarum scriptor, nonnullorum absentium procuratores dixerunt, & protestati sunt, quod vacantiæ, quas recipiunt præfati episcopi, archidiaconi & alii, omnino tollantur, alias non consenserunt quod imponatur onus aliquod super clero inferiori, nec quod vacantiæ supra contentæ, super quibus vota audita fuerunt, tollantur, & de hoc petierunt instrumentum.

Relatio deputatorum.

Adveniente vero dicta die Veneris, quæ fuit octava mensis prædicti Novembris, fuit dicta natio Gallicana de mandato domini præsidentis ejusdem nationis in loco prædicto post prandium congregata: & dominus patriarcha præsidens præfatus proposuit, qualiter in ultima congregatione fuerant certi deputati ad eundum ad alias nationes super facto vacantiarum, & quod hodie debent facere eorum relationem. Et præfatus dominus Aniciensis episcopus unus & primus de deputatis super hoc fecit relationem de his quæ super dictis vacantiis repererant tam in Italica, quam Germanica & Anglicana nationibus: & in effectu dixit & retulit, quod natio Italica in facto dictarum vacantiarum erat contraria, nec vult quod tollantur. Natio vero Germanica super dictis vacantiis non deliberavit, & etiam dixit quod natio Anglicana non deliberavit adhuc super iisdem vacantiis; sed habet spem quod concordabunt. Post quæ magister Pontius Simoneti dixit, qualiter fuit hic pridie facta & data in materia vacantiarum una appellatio, & quod videatur & sciatur quod continet & cur fuit data. Secundo, sciatur qui sunt & quot sunt opponentes, & sciantur causæ suarum oppositionum. Tertio quod sciantur minieras & merita votorum, auditorum, & scriptorum in præfata materia vacantiarum. Quarto quod conclusio super hoc facta redigatur in scriptis, & tradatur in forma publici instrumenti, & de his petiit publicum instrumentum.

Die vero dominica præfati mensis Novembris, dicta natione post prandium in domo Prædicatorum de mandato præfati domini præsidentis congregata, supervenit magister Johannes de Scribanis procurator fiscalis sedis apostolicæ, dicens quod à decem diebus citra venit ad notitiam suam, quod in ista congregatione fuerunt aliqua facta in præjudicium sedis apostolicæ, &c. & propterea infra decem dies existens appellabat, & appellavit, prout in quadam cedula in duobus foliis papyri descripta, quam exhibuit continetur, & tradidit legendam, apostolosque petiit sibi dari: & lecta fuit in congregatione prædicta. Qua lecta, dictus magister Johannes de Scribanis repetiit apostolos sibi dari, & petiit de omnibus sibi fieri publicum & publica instrumentum & instrumenta per nos notarios dictæ nationis, & quosvis alios præsentes, & quemlibet nostrum. Et in continenti magister Pontius Simoneti petiit copiam dictæ appellationis, & protestatus fuit de injuriis & hæresibus in ea contentis. Et præ-

fatus dominus præsidens, collatione facta & habita ad partem cum dominis prælatis, dixit multa bona verba exhortatoria ad pacem, &c. Postea respondit dicto magistro Johanni de Scribanis. Primo petiit copiam dictæ suæ appellationis, secundo potestatis suæ, & tertio respondit quod domini de natione dictam appellationem videbunt, & super ea deliberabunt, & postea sibi respondebitur, & ad respondendum sibi assignavit diem quintam decimam proxime futuram, retento sibi termino juris, quem terminum aliis in ista materia appellantibus assignaverat, & assignare intendebat. Et idem magister Johannes de Scribanis procurator petiit copiam hujusmodi responsionis. Tenor vero dictæ cedulæ appellationis per præfatum magistrum Johannem de Scribanis traditæ, ut præfertur, de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Appellatio Johannis de Scribanis procuratoris fiscalis sedis apostolicæ.

» Coram vobis reverendissimis patribus dominis præsidentibus, ceterisque prælatis & aliis » nationis Gallicanæ Constantiæ congregatis » pro generali concilio celebrando præsentibus, & personaliter constitutis, appellando » proponit Johannes de Scribanis de Placentia, » procurator fisci sedis apostolicæ & curiæ Romanæ, fisci ejusdem sedis, & cameræ apostolicæ, sibique adhærentium, & in hac materia » adhærere volentium: & dicit quod licet dudum » in quadam congregatione venerabilis nationis » Gallicanæ, in domo Prædicatorum de anno Domini MCCCCXV. solemniter celebrata mature di» gestum, & per dictam nationem deliberatum » & conclusum exstiterit, pro bono pacis & re» formatione ecclesiæ, ad hoc ut liberius sine tur» batione quacumque omnes & singuli de dicta » natione sua vota explicare valerent sine indig» natione cujuscumque, videlicet quod quando» cumque contingeret, aliquam materiam arduam » in dicta natione & per dictam nationem trac» tari, hujusmodi talis materia per scrutinium » secretum de cetero tractaretur, dando singulo» rum vota certis fidelibus deputatis, qui votis ad » invicem compensatis, domino præsidenti qui pro » tempore foret, præsente prædicta inclyta na» tione, referrent, & facta relatione in hujusmodi » negotio concluderetur. Quæ ordinatio, defini» tio, seu statutum in materia inventionis & ele» ctionis viæ pacis & unionis ecclesiæ, videlicet » via cessionis papatus & aliis arduis negotiis tenta » & practicata, & per dictam nationem fideliter » observata exstiterit, salvis infra dicendis. Et licet » etiam in hoc sacro generali concilio Constan» tiensi fuerit hactenus laudabiliter observatum, » tentum, & practicatum, quod venerabiles de» putati quatuor nationum, tam per advisamenta » aliorum dominorum de concilio, quam per » seipsos materias in congregationibus nationum » proponendas eligerent, & singuli deputati ad » singulas nationes easdem materias pertractan» das deferrent, ut in eisdem conclusionibus con» currerent, & easdem in sessione publica diffi» nirent. Licet etiam Romanis pontificibus, qui» bus imminet universalis cura regiminis, omni » jure sit subveniendum ab inferioribus ecclesiis, » quæ omnes à Romana ecclesia descenderunt, pro sustentatione status eorum, & supportatione « onerum eis pro universali regimine incumbentium, & reverendissimorum patrum dominorum « cardinalium, qui eisdem in officio coadjutores « existunt, & etiam aliorum officialium Romanæ « curiæ ipsi Romano pontifici & universo orbi « servientium, cum etiam in quibusdam aliis « rebus publicis, regiminibus seu regnis aut comitatibus hoc semper observatum fuerit, & hodie « servetur, quod his qui insistunt regimini rerum « publicarum, de publico providetur, unde possint honeste vivere. Cum etiam ipsi Romani pontifices & domini cardinales & officiales prædicti « à quiquaginta, centum, ducentis annis & ultra « tempus de quo memoria non existit fuerint, prout etiam de præsenti existunt sedes & apostolica « camera in possessione pacifica & quieta prælatis inferiorum ecclesiarum, immo & conciliis « generalibus pluribus interim congregatis scientibus & patientibus & non contradicentibus: « immo postquam de hoc tractaverunt saltem « tacite approbantibus percipiendi & levandi fructus & communia servitia per omnes & singulas « Galliæ provincias, præsertim sub dominio christianissimi & illustrissimi Francorum regis existentes primo anno vacationis beneficiorum annatas, seu beneficiorum primo anno suæ vacationis fructus, reditus & præsertim beneficiorum « auctoritate apostolica habitorum, ac major « pars sustentationis status papalis & suæ curiæ in « hujusmodi annatis seu vacantiis & communibus « servitiis; quæ ideo communia servitia appellantur, quia pro servitio quod communitati & reipublicæ per papam & cardinales impenditur « solvuntur, dignoscuntur consistere: adeo quod « statum suum papa non posset commode sustentare sine hujusmodi vacantiis & communibus « servitiis, nisi aliunde sibi provideretur: attento « præsertim quod propter schisma, quod, proh « dolor! longo tempore viguit, & malam gubernationem Romanæ ecclesiæ præsidentium, malitiamque temporum & rabiem tyrannorum, « patrimonium ecclesiæ totaliter est collapsum, « & camera apostolica funditus exinanita, nec « videatur sibi nomine quo supra, convenientior « modus, nec pauperibus clericis minus onerosus « ad providendum statui papæ & reverendissimorum patrum dominorum cardinalium, quibus « de bonis ecclesiæ secundum jura divina & humana providendum existit, prout nec visum « fuit sanctis patribus in concilio Viennensi in « copioso numero congregatis de hac materia tractantibus, qui circa hanc materiam nihil immutare voluerunt, consuetudinem & privilegium « prædicta per hoc saltem tacitè approbantes, « quam sint vacantiæ seu annatæ moderatæ, tamen in quantitate, loco & tempore solutionis « earumdem, &, prout dicitur, per collegium « dictorum reverendissimorum patrum dominorum cardinalium jam est oblatum, videlicet « quod sicut audivit idem appellans in scriptis « inter illos, qui pro parte nationum deputati « sunt super reformatione, quod communia servitia prælatorum non possint solvi etiam à volentibus ante annum, & quod fiat talis consti- «

„ tutio, quæ ſervetur ex neceſſitate, quod à die „ habitæ poſſeſſionis in fine anni ſolvatur medie- „ tas, & in fine alterius anni alia medietas, & „ ſi pluries in anno vacaverint, non ſolvatur niſi „ ſemel, & quod eccleſiæ vel monaſteria inde- „ bite taxatæ debite taxentur. Item, ſpolia præ- „ latorum defunctorum & fructus medii tempo- „ ris eccleſiarum ſive beneficiorum vacantium & „ procurationes, quæ ratione viſitationis deben- „ tur. Item, decimæ per alias conſtitutiones advi- „ ſatas per dictos reformatores prædictos ſunt „ ſublatæ papæ & Romanæ ſedi, unde ſi etiam „ tollantur annatæ prædictæ, nihil dimittitur „ papæ, & dictis reverendiſſimis patribus dominis „ cardinalibus & ſuæ curiæ unde vivant: quod „ non eſt aliud dicere niſi quod vel non ſint papa „ & cardinales, nec curia, vel quod ſerviant rei- „ publicæ totius eccleſiæ, & cum voluerint pran- „ dere, vadant oſtiatim mendicando: quæ res ſi „ bene intelligeretur, non fuiſſet proceſſum in ea „ cum tanta levitate, nec procederetur. Præmiſ- „ ſis tamen non obſtantibus, nonnulli reverendi „ patres domini epiſcopi, & nonnulli domini ab- „ bates, & alii eis adhærentes, neſcitur quo ſpi- „ ritu ducti, niſi forte quia aliqui ipſorum ſunt „ debitores dictarum annatarum, & volunt ſe hoc „ modo liberare: non advertentes quod ſede va- „ cante, nihil eſt in præjudicium vacantis eccle- „ ſiæ innovandum, & quod innovatione hujuſ- „ modi deprimeretur ſtatus ſummi pontificis, à „ quo poſt Deum ſtatus hominum chriſtianorum „ dependet: quod nihil aliud eſt, quam eccle- „ ſiaſticum ordinem confundere & prorſus extin- „ guere & adnihilare ſuper materia annatarum „ ſeu vacantiarum in prædicta natione ad inſtan- „ tiam prædictorum dominorum epiſcoporum & „ ſibi adhærentium, ut creditur, aliis nationibus „ inconſultis, deducta: volenteſque ac petentes „ hujuſmodi materiam per ſcrutinium ſecretum „ tractari, attenta ejus arduitate, juxta conſtitu- „ tionem prædictam ejuſdem nationis non ſolum „ non exaudientes, immo nec audire volentes, & „ quod pejus eſt, per minas & terrores & allega- „ tiones voluntatum aliquorum principum tem- „ poralium quamplures ad ſuam voluntatem tra- „ hentes, alios vero timore territos ad non ex- „ primendum vota ſua juxta ipſorum conſcientias „ inducentes, in præjudicium libertatis generalis „ Conſtantienſis concilii, vota etiam dicentium „ expediens fore papæ & dominorum cardina- „ lium ſtatui provideri expreſſe interrumpentes, „ ſalva ipſorum debita reverentia in præmiſſis per- „ peram, & inique, indebite & injuſte proceden- „ tes, etiam, ut veriſimiliter creditur, præter con- „ ſcientiam, & conſenſum chriſtianiſſimi principis „ domini regis Francorum, & aliorum principum „ domus ſuæ, quorum prædeceſſores Romanam „ eccleſiam ſæpius in multis & magnis neceſſita- „ tibus ſublevarunt, & per conſequens non cre- „ ditur eos nunc in deſtructione ipſius eccleſiæ, „ intendere primas annatas papæ non eſſe debi- „ tas, ipſaſque de præſenti, præterito & futuro „ tollendas fore omnino totaliter, qualiter per „ ſua vota, ut dicitur, declaraverunt & conclu- „ ſerunt, quantum in eis eſt, nulla per prius pro-

A viſione facta ſeu ordinata per eos pro ſuſtenta- « tione papæ & dominorum cardinalium, licet « hoc fuerit per magnam partem dictæ nationis « deliberatum, concluſum, & petitum : immo, « quod videtur prorſus inhumanum, nulla de « hac re facta intimatione vel requiſitione reve- « rendiſſimorum patrum dominorum cardinalium « & ipſorum ſacro collegio, ad quod de jure & « antiqua & diutiſſime per tempus cujus contra- « rii non eſt memoria, obſervata conſuetudine « pertinuit & ſpectavit, pertinet & ſpectat prote- « B ctio Romanæ & apoſtolicæ ſedis, ea vacante, & « ſimiliter ipſius apoſtolicæ cameræ. Qui etiam « domini cardinales hic erant & ſunt cauſa unio- « nis in Dei eccleſia procurandæ, & hoc fece- « runt in præjudicium & enormem læſionem ho- « noris & ſtatus ordinis clericalis, ab excellentia « dignitatis & ſtatus papæ, & dictorum domino- « rum cardinalium poſt Deum, ut præmittitur « dependentium: immo etiam, ut dicitur, nitun- « tur aſſerere ſimoniacum fuiſſe, & eſſe eas in præ- « teritum ſolviſſe & hodie ſolvere; non adver- « C tentes, quod per hoc videntur damnare totum « eccleſiaſticum ſtatum à multis annorum cen- « tenariis, & concilia etiam generalia, quæ præ- « teritis temporibus facta ſunt, quorum tempori- « bus prædictæ annatæ ſeu communia ſervitia « fuerunt ab omnibus chriſtianis & maxime cle- « ricis & prælatis recepta & obſervata ſine ulla « contradictione; non advertentes etiam quod « iſtud munus ſive onus annatarum ſeu commu- « nium ſervitiorum eſt impoſitum eccleſiis non « perſonis: ita quod etiam ſi promotus, qui debet « D annatam, transferatur, tamen onus non ſequi- « tur eum, ſed eccleſiam, & ſucceſſor & eccleſia « remanent obligati: unde nullus reſpectus habe- « tur ad perſonam, ſed ad eccleſiam; & ſic non « apparet unde dici poſſit, quod ipſe promotus, « qui in effectu ad nihil ſe obligavit, poſſit dici « ſimoniam commiſiſſe. Ea propter prædictus « Johannes de Scribanis procurator dicti fiſci & « ſedis apoſtolicæ, nomine quo ſupra, & ſibi in « hac parte adhærere volentium, ſentiens nomine « præfato in præmiſſis & per præmiſſa læſum & « E gravatum, timenſque per præmiſſa alterum de « duobus evenire, vel totius chriſtianitatis, præ- « ſertim ordinis clericalis, cui in vilipendium re- « putatur ſi unus clericus minimus mendicare « cogatur, ſuperverſionem & confuſionem aut « novi oneris & gravioris ipſi clero impoſitionem, « ac etiam timens, ne per hujuſmodi novitatem « unio eccleſiæ impediatur, cum in conventioni- « bus inter sereniſſimum principem dominum re- « gem Romanorum, & nuncios domini Petri de « F Luna ſuper modo conventionis fiendæ, quæ « jam pendet, fuit conventum & ordinatum, quod « pendente iſta conventione, nihil hinc inde fieret « novitatis. Conſtat autem quod hæc eſt maxima « novitas, per quam nimium præjudicatur, immo « pene ſubvertitur ſtatus eccleſiæ Romanæ, nec « non timens per eos ulterius aggravari in futu- « rum ab ipſis dominis epiſcopis & abbatibus eo- « rumque adhærentibus in præmiſſis contra eas « & eorum quemlibet, ab eorum votis, delibera- « tionibus & concluſionibus hujuſmodi, & contra «

A » eas, & contra reverendum patrem dominum » præsidentem, & ab omni alio gravamine, quod » ex prædictis colligi & elici potest, & ad appel- » landum sufficiat, nomine quo supra, in his scri- » ptis ad sanctam sedem apostolicam, & ad sum- » mum pontificem futurum provocat & appellat, » & apostolos petit instanter, instantius, instan- » tissime, & cum debita instantia per vos dictum » dominum præsidentem dictæ nationis, & alium » seu alios, qui dare velit & possit, seu velint & » possint, & super præmissis omnibus & singulis » una cum vestra responsione vel sine, prædictus B » appellans petit sibi nomine quo supra, fieri & » confici unum & plura publicum & publica in- » strumenta, & tot quot fuerint necessaria.

Postmodum die Martis duodecima dicti mensis Novembris, in domo Prædicatorum, in loco consueto, fuit post prandium de mandato præfati domini præsidentis, præfata natio congregata, & proposuit in ipsa congregatione præfatus dominus præsidens, continuando materiam vacantiarum, & narravit de appellatione interposita per procuratorem fiscalem, videlicet C magistrum Johannem de Scribanis, & etiam per magistrum Johannem Ponceti, & alios nomine dominorum cardinalium, & qualiter assignata fuit dies ad respondendum dictis appellantibus, videlicet quinta decima, computando à prima appellatione per procuratorem fiscalem, videlicet magistrum Johannem de Scribanis interposita, & conclusit, quod dentur deputati, qui videant dictas appellationes, videlicet appellationem primo per magistrum Johannem Ponceti traditam, secundo appellationem per dictum magistrum Johannem de Scribanis da- D tam, quarum tenores superius sunt descripti, necnon appellationem secundo per dictum magistrum Johannem Ponceti interpositam, & appellationem per alios, videlicet dominum Johannem de Reate decretorum doctorem, & magistrum Johannem Nicolai sacri collegii procuratores, nomine dictorum dominorum cardinalium; dictique deputati videant & advisent dictas appellationes, & modum respondendi dictis appellantibus, & referant in congregatione nationis ante diem assignatam, ut eisdem appel- E lantibus debite valeat responderi. Post hæc supervenerunt plures domini prælati, ac doctores, & magistri ex parte duarum nationum, videlicet Germanicæ & Anglicanæ. Et magister Job nationis Germanicæ nomine proposuit & narravit materiam dictarum vacantiarum, & discordias inde ortas, & de gestis per ipsas nationes, & post multa eleganter dicta, rogando conclusit, quod natio Gallicana deputaret aliquos certos notabiles viros, sicut aliæ nationes fecerunt, qui videant & examinent materiam F dictarum vacantiarum, & cessent omnes appellationes & lites. Et dominus patriarcha præsidens regratiatus fuit eisdem ex parte nationis, & dixit quod super propositis per dictum magistrum Job dicta natio deliberabit, & deputabuntur certi super petitis, & sic recesserunt. Postea fuit positum in deliberatione super petitis per prædictos, & auditis rationibus singu-

Deputati ad alias nationes designantur.

lorum, fuit conclusum quod eligantur quatuor, & quod dominus præsidens sit unus de illis quatuor, & quod ipse nominet alios tres, qui videant cum deputatis aliarum nationum materiam supradictam, & non habeant potestatem nisi pro prima conventione cum aliis deputatis aliarum nationum, videlicet ad tractandum, audiendum, & referendum dumtaxat, & relatione eorum audita, si videatur, alii deputati addentur, vel deputabuntur, & incontinenti præfatus dominus præsidens habita deliberatione cum certis prælatis & aliis, idem dominus præsidens nominavit alios tres, videlicet Vaurensem & Silvanectensem episcopos, & magistrum JORDANUM MORINI ambassiatorem præfati domini nostri Francorum regis, sacræ theologiæ professorem, quibus nominatis, placuit nationi. Tenor vero dictarum duarum appellationum per præfatos magistrum Johannem Ponceti secundo & dominum Johannem de Reate & magistrum Johannem Nicolai interpositarum, de quibus superius fit mentio, de verbo ad verbum sequitur & sunt tales. Et primo sequitur tenor appellationis secundæ præfati magistri Johannis Ponceti.

Tenor secundæ appellationis Johannis Ponceti.

Non recedendo ab oppositione & appella- « tione nuper per Johannem Ponceti licentiatum « in decretis, canonicum Bisuntinum & rectorem « parochialis ecclesiæ de *Ornans* Bisuntinensis dio- « cesis, ac sacri collegii reverendissimorum pa- « trum dominorum S. R. E. cardinalium cleri- « cum, procuratoremque plurium dominorum ec- « clesiasticorum, in dicta oppositione seu appel- « latione nominatorum suo proprio nomine, & « dominorum suorum, & aliorum sibi in hac ma- « teria adhærere volentium, facta & interposita « in venerabili natione Gallicana, à quibusdam « dominis prælatis, & aliis sequacibus mentibus « sanctam sedem & cameram apostolicam, & sa- « crum collegium dictorum dominorum car- « dinalium S. R. E. juribus & possessionibus suis « antiquis, præsertim vacantiis, seu primis annatis dignitatum & beneficiorum vacantium tanto « tempore, & per eos pacifice possessis, quod de « initio hominum memoria non existit, spoliare, « & à quibusdam deliberationibus & prætensis « conclusionibus super illa materia factis, immo « verius extortis, post, & contra præfati Johannis, & plurium aliorum oppositiones, seu appel- « lationes. Sed potius ipsis inhærendo, & atten- « ta re declarando illas per istam, & istam per « illas justificando, ac nullitatis, iniquitatis, & « injustitiæ ipsarum prætensarum deliberationum « declarando dicit & asserit quæ sequuntur: « Primo quod processum fuit ad dictam delibe- « rationem præter & contra ordinationem, & « observantias hujus sacri concilii & nationum in « eo existentium, præsertim dictæ venerabilis na- « tionis, & specialiter contra ordinationes, qui- « bus cavetur quod nulla materia ponatur in de- « liberatione alicujus nationis seorsum, donec « prius fuerit advisata inter dominos generales « deputatos ipsarum nationum simul congrega- « tos, & inter eos deliberatum, an sit repellenda « vel differenda, aut quando in deliberatione «

» ipſarum nationum ſit ponenda. Item, quia quan-
» do aliqua materia, ut præmittitur, debet poni
» in deliberatione, hoc fieri debet per dominum
» tunc præſidentem in natione, & non per quem-
» cumque alium, cujuſcumque ſtatus vel gradus
» exiſtat. Item, quod nullus, cujuſcumque gradus
» vel ſtatus exiſtat, poſſit vel debeat aliquid con-
» cludere in dicta natione, niſi ſolus præſidens de-
» bite per majorem partem dictæ nationis electus,
» quorum omnium contrarium hic exſtitit obſer-
» vatum, nam contemto domino præſidente dictæ
» nationis, ac etiam contemtis dominis genera-
» libus deputatis & aliis nationibus, dominus
» patriarcha Conſtantinopolitanus primo dictam
» materiam poſuit in deliberatione, & poſtea ma-
» giſter Pontius Symoneti, nulla fultus auctoritate
» vel poteſtate, niſi ſicut unus alius ex aliis ma-
» giſtris, poſuit eam ſecundo in deliberatione, &
» ad clamores ipſius, & quorumdam aliorum fuit
» nulliter & taliter qualiter dicta deliberatio fa-
» cta, & materia ſine præſidente concluſa. Nam
» in congregatione immediate præcedenti domino
» epiſcopo Tolonenſi loco reverendiſſimi patris
» domini patriarchæ Antiocheni præſidenti in
» dicta natione per proſequentes iſtam materiam,
» contra eumdem dominum patriarcham Antio-
» chenum fuit facta magna murmuratio, impo-
» nendo ſibi quod diſſimulabat, & ſcienter diffe-
» rebat procedere in iſta materia, & tandem tunc
» revocaverunt eum à dicta præſidentia, & pete-
» bant quod concluderetur per dictum dominum
» Tolonenſem, & ipſe noluit concludere, ſed reſ-
» pondit eis, quod poſtquam revocaverant à præ-
» ſidentia dictum dominum patriarcham Antio-
» chenum, loco cujus venerat ipſe dominus Tho-
» lonenſis, nullam habebat poteſtatem conclu-
» dendi, & ſic receſſit, & nihilominus in congre-
» gatione ſequenti, videlicet die ſecunda Novem-
» bris, poſtquam dictus dominus patriarcha An-
» tiochenus gratioſè propoſuiſſet in dicta natione
» aliquas excuſationes, excuſando ſe à dicta præ-
» ſidentia, & rogando quod eligerent quem elige-
» re vellent: præfati proſequentes, dictam ma-
» teriam * vacantium contra ſedem apoſtolicam
» & dictum collegium, propter nimiam & inor-
» dinatam affectionem, ſalvâ eorum reverentiâ,
» quam habebant ad illam materiam, non expe-
» ctaverunt, nec permiſerunt quod eligeretur ali-
» quis præſidens: ſed primo per clamores & im-
» preſſionem fecerunt concludi, ſicut voluerunt,
» & aliter quam eſſet per majorem partem deli-
» beratum; & poſtmodum etiam pluribus cla-
» moribus interpoſitis, elegerunt in præſidentem
» dominum patriarcham Antiochenum, & ſic
» clare patet, quod quando ipſe concluſit jam
» non erat præſidens, quia in congregatione præ-
» cedenti, ut prædictum eſt, fuerat revocatus, &
» poſt dictam concluſionem fuit electus. Ulterius
» dicit, quod licet per majorem & ſaniorem partem
» dictæ venerabilis nationis fuiſſet aliter delibera-
» tum, videlicet per aliquos, quod prædictæ vacan-
» tiæ ſimul tollerentur & provideretur, & quod
» darentur deputati notabiles viri non paſſionati
» in hac materia, qui cum aliis nationibus prius
» tractarent, & adviſarent quomodo iſta materia

* l. vacantiarũ.

A eſſet tractanda ad honorem & utilitatem Ro- «
manæ eccleſiæ, ceterarum eccleſiarum, & to- «
tius cleri; & per alios, quod iſta materia dif- «
ferretur: nihilominus prædicti hanc materiam «
proſequentes, ut præmittitur, procurarunt per «
magnos clamores ſuos, poſt oppoſitionem ſeu «
provocationem prædicti Johannis appellantis, «
& nonnullorum aliorum, concludi quod dictæ «
vacantiæ tollerentur. Poſtea non aſſignando ali- «
quem terminum, nec tunc ordinando de de- «
putatis ſuper alia proviſione. Item, dicit quod «
B in arduis materiis, quando eſt diſcordia inter «
partes, debent audiri omnes quos tangit, & «
quorum intereſt, & ſi ſint aliqui opponentes «
antequam concludatur, debent examinari cauſæ «
ſuarum oppoſitionum: quæ hic non fuerunt ob- «
ſervata: nam licet ipſe Johannes & multi alii «
parati eſſent dicere & aſſignare cauſas ſuarum «
oppoſitionum, ſuis & dominorum ſuorum, quo- «
rum ſunt procuratores, nominibus; non tamen «
fuerunt exauditi, ſed fuerunt impediti dicere «
C vota ſua per clamores & terrores illatos, pa- «
tenter & ſecrete, per dictos materiam proſe- «
quentes, qui inferebant minas de procurando «
damna contradicentibus ſuæ opinioni, & de «
procedendo contra ipſos dicentes quod contra- «
rium facere eſſet contra eorum inſtructiones, «
cum tamen eo modo quo dicunt, non conti- «
neatur in ſuis inſtructionibus, prout referunt & «
aſſerunt multi qui viderunt eas. Item, dicit quod «
diu antequam de hac materia vacantiarum tra- «
ctaretur, domini Cardinales ſponte & gratioſe, «
D etiam non requiſiti, dominis per ſacrum conci- «
lium deputatis ſuper reformationibus obtule- «
runt quod dictæ vacantiæ moderarentur, & ec- «
cleſiæ minus taxatæ reducerentur ad debitam «
taxam, & ordinaretur de temporibus & modis «
ſolutionum faciendarum ut dictæ eccleſiæ non «
eſſent nimis gravatæ vel oneratæ, & nullus ha- «
beret cauſam conquerendi, nec oporteret im- «
ponere nova onera ſuper eccleſiis. Qua obla- «
tione penitus contemta, prædicti hanc ſubla- «
tionem vacantiarum proſequentes, ad dictam «
E concluſionem, ut præmittitur, de facto proceſ- «
ſerunt: ſic volentes, ut dicitur, ſe ipſos libe- «
rare, & dicentes, quod aliter bene provide- «
retur eccleſiæ Romanæ: quod fieri non poſ- «
ſet, niſi imponendo nova onera ſuper mi- «
noribus beneficiis, ad quod dicti hanc ma- «
teriam proſequentes tendere videntur, & per «
quod totus clerus nimium gravaretur, & ſeque- «
retur in exactionibus nimia oppreſſio ſubdito- «
rum. Ex quibus cauſis apparet ſemper loquen- «
do cum debita reverentia dictam concluſionem «
F fuiſſe factam per clamores inordinatos, nulli- «
ter, indebite, per impreſſionem, & contra «
juſtitiam, & etiam contra conventiones habitas «
cum domino rege Romanorum & nunciis PETRI «
DE LUNA, videlicet quod pendente tractatu ſeu «
conventione quæ nunc pendet ſuper facto pro- «
ſequendæ unionis nihil innovaretur, in hiis «
maxime quæ concernere poſſent ſtatum papæ «
& eccleſiæ Romanæ. Iſta enim tanta eſt novi- «
tas, quod poſſet impedire, vel ſaltem differre «
dictam unionem, propter contradictiones & «

» discordias. Ea propter dictus Johannes videns » prædictos dominos suos, seipsum, & sibi in hac » parte adhærere volentes, ac statum ecclesiæ » Romanæ, & totius cleri læsos, gravatos, & perturbatos ex causis prædictis, timensque ulterius » aggravari per impositionem novorum onerum » super ecclesiis suis & sibi subditis, nominibus » quibus supra provocat & appellat in iis scriptis » conjunctim ad sacrum generale concilium & » futurum summum pontificem, & apostolos » petit instanter, instantius, instantissime, & cum » debita instantia per dominum præsidentem dictæ nationis, & alium, seu alios qui eos dare » velit & possit, seu velint & possint, super præmissis omnibus & singulis una cum vestra responsione vel sine, prædictus appellans petit nominibus quibus supra sibi confici & fieri instrumentum publicum & instrumenta publica, » unum, plura, & tot quot fuerint necessaria, & » cum protestatione corrigendi, addendi vel diminuendi prout videbitur expedire.

Alterius vero appellationis cedulæ per dominum Johannem de Reate & magistrum Johannem Nicolai supradictos datæ & interpositæ tenor sequitur in hunc modum.

Tenor appellationis Johannis de Reate, & Johannis Nicolai procuratorũ sacri collegii.

» Coram vobis reverendis patribus dominis » præsidente ceterisque prælatis, & aliis nationis » Gallicanæ Constantiæ congregatis, ac coram » ipsa natione pro generali concilio celebrando, » præsentes & personaliter Johannes de Reate » decretorum doctor, & Johannes Nicolai Tullensis, & Virdunensis ecclesiarum canonicus, » procuratores sacri collegii reverendissimorum » patrum dominorum cardinalium, sanctæ Romanæ ecclesiæ constituti, appellando proponunt, nomine sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sacri » collegii prædictorum, & omni huic appellationi » adhærere volentium, & dicunt quod licet Romanis pontificibus, quibus imminet cura universalis regiminis, omni jure sit subveniendum » ab inferioribus ecclesiis, quæ omnes à Romana » ecclesia descenderunt, pro sustentatione status » eorum, & supportatione onerum eis pro universali » regimine incumbentium, & reverendissimorum » patrum dominorum cardinalium, qui eisdem » in officio coadjutores existunt, ac etiam aliorum officialium Romanæ curiæ ipsi Romano » pontifici, & universo orbi servientium, sicut ecclesiarum aliarum pontificibus, per alias inferiores, etiam ex ordinatione Lateranensis concilii providendum est; cum etiam in quibuslibet aliis rebus publicis, regiminibus, seu regnis, aut communitatibus, hoc semper observatum fuerit, & hodie servetur, quod aliis qui » insistunt regimini rerum publicarum, de publico » provideatur: cum etiam ipsi Romani pontifices » & domini cardinales ac officiales prædicti à » quinquaginta, centum, ducentis annis & ultra » tempus de quo memoria non existit fuerint, » prout etiam de præsenti existunt sedes & apostolica camera in possessione pacifica & quieta, » prælatis inferiorum ecclesiarum primo & conciliis generalibus pluribus interim congregatis, » scientibus, patientibus, & non contradicentibus, immo postquam de hoc tractaverunt, saltem tacite approbantibus, percipiendi & levandi annatas, vacantias, communia servitia per « omnes & singulas provincias christianitatis, & « major pars sustentationis status papalis, & suæ « curiæ in hujusmodi annatis seu vacantiis, & « communibus servitiis, quæ ideo communia servitia appellantur, quia pro servitio quod communitati & reipublicæ per papam & cardinales « impenditur solvuntur, dinoscantur consistere; « adeoque statum suum papa & cardinales non « possent commode sustentare sine hujusmodi « vacantiis & communibus servitiis: Attento præsertim, quod propter schisma, quod, proh « dolor! in Dei ecclesia longo tempore viguit, « malitiamque temporis & rabiem tyrannorum « patrimonium ecclesiæ totaliter est collapsum, « & camera apostolica est funditus exinanita, nec « videatur prædictis appellantibus, nomine quo « supra, convenientior modus, & universo « clero minus onerosus, ad providendum statui « papæ, & reverendissimorum patrum dominorum cardinalium, quibus de bonis ecclesiæ secundum jura divina & humana & consuetudinem præscripta providendum existit, prout & « visum fuit patribus in concilio Viennensi in copioso numero congregatis, de hac materia « tractantibus: qui circa hanc materiam nihil immutare voluerunt, consuetudinem & privilegium prædicta per hoc saltem tacite approbarunt. Quod sint vacantiæ communia servitia « seu annatæ, moderatæ tamen quantitate, loco, « & tempore solutionis earumdem, & prout per « collegium dictorum dominorum cardinalium « jam est oblatum in scriptis, inter illos, qui pro « parte nationum deputati sunt super reformatione, videlicet quod communia servitia prælatorum non possint solvi etiam à volentibus « ante annum, & quod fiat talis constitutio quæ « servetur ex necessitate, quod à die habitæ possessionis in fine anni solvatur medietas, & in fine « alterius anni alia medietas; & si plures in anno « vacaverint, non solvatur nisi semel, & quod « ecclesiæ vel monasteria indebite taxata debite « taxentur, attento præsertim quod spolia prælatorum defunctorum & fructus medii temporis « ecclesiarum, sive beneficiorum vacantium, & « procurationis, quæ ratione visitationis debentur. Item, decimæ per alias constitutiones advisatas per reformatores prædictos sunt « sublatæ papæ & Romanæ sedi, unde si etiam « tollantur annatæ prædictæ, nihil dimittitur « papæ, & dictis reverendis patribus dominis cardinalibus & suæ curiæ unde vivant, quod non « est aliud dicere; nisi quod vel non sit papa, & « cardinales, nec curia, vel quod serviant reipublicæ totius ecclesiæ, & non habeant unde valeant sustentari. Quæ ratio si bene intelligeretur, « non fuisset processum in ea cum tanta levitate, « nec procederetur: præmissis tamen non obstantibus, nonnulli reverendi patres domini episcopi, & « nonnulli domini abbates, non curantes juramentum per eos in eorum promotione eidem Romanæ ecclesiæ præstitum, & alii eis adhærentes, nescitur quo spiritu ducti, nisi forte quia « ipsorum aliqui sunt debitores dictarum anna- «

» tarum, & volunt se hoc modo liberare, jura- A
» menta etiam per eos præstita in camera aposto-
» lica parvipendentes, non advertentes quod sede
» vacante nihil est in præjudicium vacantis ec-
» clesiæ innovandum, & quod per innovationem
» hujusmodi deprimeretur status summi pontificis:
» quod nihil aliud est, quam totum ordinem ec-
» clesiasticum confundere, & prorsus extinguere,
» & adnihilare, super materia annatarum & va-
» cantiarum in prædicta natione ad instantiam
» prædictorum dominorum episcoporum & sibi
» adhærentium, ut creditur, aliis nationibus incon- B
» sultis, deducta per minas, terrores, & allegatio-
» nes voluntatum aliquorum principum tempo-
» ralium, quamplures ad suam voluntatem tra-
» hentes, alios vero timore territos ad non ex-
» primendum vota sua juxta ipsorum conscientias
» inducentes, in præjudicium libertatis generalis
» Constantiensis concilii, vota etiam dicentium
» expediens fore papæ & dominorum cardinalium
» statui provideri expresse interrumpentes, salva
» ipsorum debita reverentia, in præmissis perpe-
» ram & inique, indebite & injuste procedentes, C
» etiam, ut verisimiliter creditur, præter con-
» scientiam & consensum Christianissimi principis
» domini regis Francorum, & aliorum principum
» domus suæ, qui & quorum prædecessores Ro-
» manam ecclesiam sæpius in multis & magnis
» necessitatibus sublevaverunt, & per consequens
» non creditur eos nunc ad destructionem ipsius
» ecclesiæ præsertim vacantis, & plurimum laces-
» sitæ intendere primas annatas papæ non esse
» debitas, ipsasque de præterito, præsenti, & fu- D
» turo tollendas fore omnino taliter qualiter per
» sua vota, ut creditur, declaraverunt & conclu-
» serunt, quantum in eis est; & postea his non con-
» tenti, alias nationes hujus sacri concilii pro si-
» mili conclusione facienda totis viribus sollicita-
» verunt, nulla per prius provisione facta seu or-
» dinata per eos pro sustentatione papæ & dicto-
» rum dominorum cardinalium: immo, quod vi-
» detur prorsus inhumanum, nulla alia de hac
» re facta mentione, vel requisitione reverendis-
» simis patribus dominis cardinalibus & ipsorum E
» sacro collegio, ad quod de jure, & antiqua, &
» diutissime per tempus cujus contrarii non est
» memoria, observata consuetudine, pertinuit &
» spectavit, pertinet & spectat defensio Romanæ
» & apostolicæ sedis, ea vacante: qui etiam do-
» mini cardinales hic erant, & sunt causa unionis
» in Dei ecclesia procurandæ. Et hæc fecerunt
» in præjudicium & enormem læsionem honoris
» & status ordinis clericalis: immo etiam, ut di-
» citur, non verentur asserere simoniacum fuisse
» & esse eas in præteritum solvisse vel hodie sol- F
» vere: non advertentes quod per hoc videntur
» damnare totum ecclesiasticum statum à multis
» annorum centenariis, & concilia etiam gene-
» ralia quæ prædictis temporibus facta sunt: quo-
» rum temporibus prædictæ annatæ, seu com-
» munia servitia fuerunt ab universo clero rece-
» pta, & observata sine ulla contradictione: Ea
» propter procuratores prædicti sentientes, se no-
» minibus quibus supra læsos, timentesque per
» præmissa alterum de duobus evenire, vel totius

christianitatis, præsertim ordinis clericalis, cui «
in vilipendium reputatur, si etiam unus mini- «
mus clericus mendicare cogatur, subversionem «
& confusionem aut novi oneris & gravioris ipsi «
clero impositionem: ac etiam timentes ne per «
hujusmodi novitatem unio ecclesiæ impediatur, «
tam in conventionibus inter serenissimum prin- «
cipem dominum regem Romanorum & nun- «
cios domini Petri de Luna super modo con- «
ventionis faciendæ, quæ jam pendet, fuit con- «
ventum & ordinatum, quod pendente ista con- «
ventione, nihil hinc inde fieret novitatis. Con- «
stat autem, quod hæc est maxima novitas, per «
quam nimium præjudicatur, immo pene subver- «
titur status Romanæ ecclesiæ: nec non timen- «
tes per eos ulterius aggravari in futurum ab «
ipsis dominis præsidentibus episcopis & abbati- «
bus, eorumque adhærentibus in præmissis, & ab «
ipsa natione, nomine quo supra, in his scriptis «
ad sanctam sedem apostolicam & ad summum «
pontificem futurum cum concilio, si congrega- «
tum reperiretur tempore quo hujusmodi appel- «
lationis per ipsos prosecutæ fiet, alioquin sine «
concilio, provocant & appellant, & apostolos «
petunt instanter, instantius, instantissime; & «
cum debita instantia, per vos dictum dominum «
præsidentem dictæ nationis & alium seu alios, «
qui eos dare velit & possit, velint & possint: & «
super præmissis omnibus & singulis una cum «
vestra responsione vel sine prædicta appellantis, «
nomine quo supra, petunt sibi fieri & confici «
unum & plura, publicum & publica, instrumen- «
tum & instrumenta, & tot quot fuerint necessa- «
ria salvo jure corrigendi, &c. & protestatur. «

Rursus die Veneris XXII. dicti mensis Novembris, in domo Prædicatorum, post prandium, fuit dicta natio de mandato domini præsidentis congregata: in qua congregatione præfatus dominus episcopus Aniciensis proposuit de facto annatarum seu vacantiarum, de quibus supra fit mentio, & narravit appellationes propter dictam materiam vacantiarum interpositas, & alia facta & inde secuta, & petiit in congregatione prædicta, quod in termino per præfatum dominum præsidentem appellandi assignato dentur apostoli, & quod domini deputati ad visitandum & videndum dictas appellationes, & ad advisandum responsionem fiendam dictis appellantibus faciant diligentiam, & in congregatione dictæ nationis relationem faciant de omnibus, & de propositione sua petiit & requisivit sibi fieri per nos notarios dictæ nationis, & quemlibet nostrum publicum & publica instrumentum & instrumenta. Et subsequenter die Dominica XXIV. dicti mensis Novembris, in domo Prædicatorum Constantiæ, post prandium fuit de mandato præfati præsidentis dicta natio Gallicana congregata, & in dicta congregatione præfatus dominus patriarcha Antiochenensis præsidens proposuit de duabus appellationibus, prima per magistrum Johannem de Scribanis nomine sedis apostolicæ, & secunda per quosdam nomine collegii dominorum cardinalium, & de aliis super dicta materia vacantiarum appellationibus interpositis,

sitis, & de assignatione termini facta ab hodie respondendi dictis appellantibus, retento termino in iis & de deputatis ad deliberandum super præmissis, ac responsione facienda hodie, & de forma responsionis sibi heri tradita, quam vidit hac nocte præcedenti, in quodam quaterno papyri, & de verbis sibi per dominum episcopum Bathoniensem & certos alios, ad concordiam tendentibus dictis appellantibus, & de responsione eis facta, & etiam qualiter aliqui de majoribus sacri concilii & nationum petebant, quod nihil innovaretur in materia vacantiarum prædicta, sed videretur bonus, honorabilis & competens modus de providendo statui & honori summi Romani pontificis, suæque curiæ, & dominis cardinalibus. Quibus propositis, magister Pontius Simoneti supra nominatus dixit, quod habebat in scriptis in quodam quaterno papyri responsionem dictis appellantibus faciendam: quem quaternum tradidit magistro Ægidio Zachariæ in utroque jure licentiato, dicendo quod ipse magister Pontius Simoneti pro se & suis adhærentibus dabat illa quæ in dicto quaterno continebantur pro responsione. Postmodum vero fuit dictum per dominum præsidentem, & multos alios de dicta natione in eadem congregatione existentes, quod domini deputati super ista vacantiarum materia audiantur, & suam faciant relationem, ut tenentur, prout fuit per dictam nationem in congregatione ordinatum, & tunc fuerunt lecta nomina dominorum in ista materia deputatorum, videlicet primi & adjuncti, scilicet domini episcopi Aniciensis, Dolensis & Silvanectensis, abbas S. Maxentii, magister Ursinus Talavendo, Nicolaus de Gonnessia, Poncius Simoneti sacræ Theologiæ professores, decanus Lugdunensis, archidiaconus Parvi-Caleti, & nonnulli alii, qui non sunt hic descripti. Quibus nominibus lectis, præfatus dominus episcopus Dolensis super ista materia retulit multa, & specialiter quod responsio dictis appellantibus facienda non fuerat per dominos deputatos bene visa, nisi per unum ipsorum dumtaxat, & quod ille referret, & alii domini in ista materia deputati consimiliter dixerunt, & unus eorum, videlicet magister Pontius Simoneti subjunxit, quod supervenerat in visitatione scripturarum super dicta materia confectarum aliquod inconveniens, propter quod ipsi domini deputati insimul videre non potuerunt, subjunxitque dictam causam, videlicet quod ille qui habebat omnia penes se, & visitabat, & in debita forma ponere debebat, obdormitavit, & casualiter una pars earum est combusta: tamen dixit quod omnia iterato per cedulas fuerunt debite recollecta, & debite in præfato quaterno papyri descripta, & quod erant vera & in debita forma posita, & hoc per suum juramentum, suamque conscientiam, manum dextram ad pectus ponendo, juravit & affirmavit. Post quod juramentum & affirmationem prædictam, præfatus dominus episcopus Aniciensis, & idem magister Pontius Simoneti clamaverunt dicentes, quod fiat responsio secundum quod continetur in quaterno per præfatum magistrum Pontium Simoneti dicto magistro Ægidio Zachariæ tradito. Et incontinenti quasi omnes de dicta natione in eadem congregatione existentes, dixerunt quod legeretur dictus quaternus, alii vero dixerunt quod audirentur vota, & fuit auditio dictorum votorum inchoata. Et primo dominus patriarcha Constantinopolitanus dixit quod fiat responsio dictis appellantibus, prout in quaterno continetur, reservato dicto quaterno pro correctione in manu notarii dictæ nationis per unum diem. Magistri Jordanus Morini, Guillelmus Pulcri-nepotis, Petrus de Versaliis sacræ theologiæ professores præfati, domini nostri Francorum regis ambassiatores dixerunt, quod viderunt dictum quaternum, nec non contenta in eodem; dominus episcopus Atrebatensis dixit quod illi de ambassiata domini ducis Burgundiæ non fuerunt ad hoc vocati, & quod detur alia dilatio, videlicet terminus juris, & interim videatur & deliberetur. Alii clamaverunt iterum quod audiantur vota, & dominus decanus Lugdunensis, prior Celsiniarum, Nicolaus de Gonnessia, magister Oliverius *Guennec*, & plures alii dixerunt quod non viderunt dictum quaternum, nec contenta in eo, & quod ipsum volunt videre & audire contenta in eo, & quod legatur & differatur responsio usque ad terminum juris, alias se opponunt, & realiter opposuerunt, & plures alii. Postmodum iterum clamaverunt, audiantur vota. Et tunc propter murmur diversa clamantium hinc & inde dominus præsidens præfatus surrexit de sede sua, & venit ad loquendum cum dominis prælatis, & consulendum ipsos dominos prælatos singulariter singulos ex utroque latere dicti loci: & dum dominos prælatos consuleret, surrexerunt de locis suis domini HELIAS Aniciensis & JOHANNES Silvanectensis episcopi, & locuti sunt cum dicto domino patriarcha præsidente ad partem, & post eorum locutionem idem dominus præsidens rediit ad sedem suam & ait: Video quod frustra laboravi: nam habebam consensum dominorum cum quibus fui locutus, quod differretur hæc responsio, & prorogaretur terminus usque ad terminum juris, si pars appellans consentire vellet: Sed dominus episcopus Sylvanectensis dixit quod universitas vult quod statim fiat responsio. Et illo tunc superveniunt magister Johannes de Scribanis procurator fiscalis, dominus Johannes de Reate decretorum doctor, Magister Johannes Nicolaï, & magister Johannes Ponceti procuratores supradicti; & dictus magister Johannes de Scribanis ceterique procuratores dixerunt, quod venerant ad petendum apostolos in termino eis præfixo & assignato, & illico præfatus dominus episcopus Aniciensis primo dixit, & post eum dominus patriarcha præsidens supradictus, quod dictus magister Johannes de Scribanis ante omnia debet facere fidem de mandato suo, & ita dixit aliis, videlicet domino Johanni de Reate, magistris Johanni Ponceti, & Johanni Nicolaï. Et magister Johannes de Scribanis respondit & dixit, quod notorium est ipsum esse procuratorem fiscalem. Et dominus Johannes

de Reate, & magister Johannes Nicolaï dixerunt, quod notarius qui recepit instrumentum potestatis eorum erat ibi præsens, & idem notarius retulit quod instrumentum potestatis eorum receperat, ipsique Johannes de Reate & Johannes Nicolaï obtulerunt loco & tempore necessariis, debitis & opportunis ipsum instrumentum producere & tradere, ubicumque fuerit opportunum, & tunc fuit discutatum in dicta natione utrum hæc sufficiebant, & si ante omnia tenerentur docere de mandatis & potestatibus eorumdem. Et tandem præfatus dominus patriarcha Antiochenus præsidens, ad petitionem & requisitionem dictorum dominorum Aniciensis & Sylvanectensis episcoporum, protestatione præmissa per ipsos appellantes, dixit quod nec aliquem ipsorum prætendit in præsenti actu propter aliqua quæ dicet vel faciet habilitare, nec admittere, si alias de jure non forent admittendi; dixitque quod in dicto quaterno erant aliqua verba descripta, quæ viderat, quæ sibi non placebant; sed quia tunc non poterat propter murmur & turbationem aliter deliberare, & quod placebat majori parti nationis, & aliqui etiam de deputatis volebant quod fieret incontinenti responsio, respondit prælatis appellantibus prout in præfato quaterno continetur, quem quaternum penes me Johannem Guiardi notarium publicum infra scriptum dictus magister Ægidius Zachariæ de præcepto dicti domini præsidentis tradidit, & præcepit idem præsidens, quod dictum quaternum apud me retinerem per unam diem, pro corrigendo, vel addendo, aut diminuendo, si aliquid corrigendum, addendum, vel diminuendum foret, antequam copia dicti quaterni, & contentorum in eodem alicui traderetur. Et incontinenti illi qui supra se opposuerant, & nonnulli alii se opposuerunt, & quamplurimi non consenserunt, quod dicta responsio sive aliqui apostoli dentur nomine nationis, prout continetur in quaterno prædicto, quia non viderunt responsionem, nec sciunt quid continet ille quaternus papyri, dixeruntque quod prorogetur terminus juris juxta assignationem primo factam, in qua fuit reservatus terminus juris.

Post hæc autem præfatus magister Johannes Ponceti petiit apostolos super appellationibus suis sibi dari, asserens tamen quia vidit in congregatione & natione prædictis turbationem & contradictionem prædictas, quod consentire volebat, & consentiit, si dicto præsidenti placeat, quod idem dominus præsidens proroget terminum ad diem de qua sibi videbitur, & interim cum bona maturitate fiat deliberatio super dicta responsione fienda vel apostolis dandis. Et similiter dominus Johannes de Reate & alii appellantes illud idem dixerunt, & de hoc fuerunt contenti, & statim factum est murmur dicentium, quod ita fiat; & aliorum, quod statim respondeatur; & tunc dominus præsidens dixit, quod respondet dicto magistro Johanni Ponceti, prout aliis appellantibus responderat; videlicet prout in dicto quaterno superius designato continebatur, protestando de ipso magistro Johanne Ponceti, quod non intendit ipsum habilitare, nec admittere in aliquo, prout protestatus fuit de aliis appellantibus supradictis. Tenor vero præfati quaterni papyri responsionem & apostolos de quibus supra fit mentio continentis, de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Apostoli dati per nationem Gallicanam ad oppositionem ex parte Collegii Cardinalium factam.

Cum evangelica veritas dicat, nihil cum scandalo fiendum esse, subjungit tamen quod necesse est ut veniant scandala: sed imputet sibi per quem venit scandalum, maxime activum, quia passivum vel defensivum communiter non est in dolo nec in culpa. Cum autem venerabilis natio Gallicana, & ipsius honorabilia supposita, tam majora, mediocria, quam inferiora, Constantiæ congregata pro majori concilio inibi convocato & debite congregato, pro deliberando deducenda in eo, in quo habent voces judicativas, consultivas, & querelosas, secundum materias suppositas & relationes debitas, cogatur respondere, & apostolos ad quos teneri posset dare cuidam interpositæ appellationi pro parte magistri Johannis de Scribanis asserentis se procuratorem fiscalem nomineque cameræ apostolicæ & omnium sibi adhærere volentium, & pro ipsius nationis honore & conclusione in ea habitæ, ex qua oriri dicitur interposita appellatio, justificatione, ac veritatis manifestatione, in responsione hujusmodi, & apostolorum petitorum datione ordietur veritas: quæ si scandalum ingerant apud aliquos, vel etiam alicubi, hoc causam activam præstantibus, non autem venerabili nationi Gallicano defensivam assumenti, suæque & ecclesiarum, ac monasteriorum, ceterorumque beneficiorum apud ipsam positorum necessitatibus prospicienti ascribatur.

I. Descendendo igitur ad materiam novit idem magister Johannes de Scribanis dominique cardinales & eorum collegium, ac ceteri universi qui tunc & nunc pro generali concilio sunt & fuerunt Constantiæ congregati, fuisse ordinatum quod deputarentur de singulis nationibus certi, qui cum deputatis dominis cardinalibus convenirent ad advisandum quæ essent reformanda in curia Romana tam in capite quàm in ipsius membris, & de modo pro futuro providendi, sicut factum fuit, & est inter sic deputatos nationum, cum quibus fuerunt & tunc erant domini cardinales Pisanus, Cameracensis, & Florentinus: qui domini cardinales, contradicentibus deputatis nationis Gallicanæ, aperuerunt materiam annatarum & communium ac minutorum servitiorum, & quantum potuerunt fundaverunt eas esse debitas, adducendo in medium rationes & justificationes quas per prius longè advisaverant, & discussione inter omnes facta, validioribus & efficacioribus rationibus & auctoritatibus juris divini pariter & humani demonstratum est non esse debitas. Et quamvis dedissent operam ad trahendum ad eorum opinionem quos potuerant: inductione tamen facta de singulorum deputatorum votis, longè major fuit pars quod non deberentur, nec ulterius tolerari deberent, propter quod domini cardinales concludere noluerunt, sicut in aliis fecerant. Et sic fuerunt primi qui materiam promoverunt & aperuerunt: unde secuta inde sibi imputent & nulli alteri.

» II. Novit etiam idem de Scribanis dictique
» domini cardinales & ceteri alii deputatos fuisse
» certos alios de singulis nationibus ad advisan-
» dum de remediis & modo procedendi & pro-
» videndi in exorbitantiis exorbitanterque & in-
» debitè factis de præterito in curia Romana per
» olim JOHANNEM tunc papam & alios de tem-
» pore suo, inter quos fuit advisatum quod do-
» minus JOHANNES præfatus, & camera sua apo-
» stolica, & domini cardinales, & eorum collegii
» camerarius, sive pro camerario se gerens, à
» beneficiis prælatisque & prælaturis vacantibus,
» & quotiens vacabant, etiamsi ter aut pluries
» vacassent in anno pro qualibet mutatione tituli
» voluerunt habere & exigere fructus primi anni
» beneficii sive prælaturæ vacantis, & aliquando
» longè ultra: & quandoque papa qualibet vice
» integram annatam vacantem habebat, & car-
» dinales nihilominus mediam, quodque propter
» vacantiam quandoque fuerunt privati prælati,
» translati inviti, & quandoque propter plus of-
» ferre, sumtis aliis coloribus, aliquando assumti
» & alii prælati, qui fortè non erant præferendi,
» ex quibus secutæ sunt strages, guerræ, & scan-
» dala etiam nondum sopita, & quia exorbitan-
» ter factum fuerat, & contra jus & justitiam, in
» oppressionem prælaturarum, ecclesiarumque,
» monasteriorum & beneficiorum, & etiam per-
» sonarum quibus contigerat, & ita factum fue-
» rat: ideo per eosdem deputatos pluribus ratio-
» nibus fuit conclusum non esse debitum, & esse
» tollendum de præterito, & per aliquos ex eis-
» dem fuit etiam dictum eisdem rationibus & infra
» dicendis esse extendendum ad futura, & super
» hoc fuit concepta cedula, & inter eos lecta,
» & sicut solet fieri communicata, & deinde ad
» nationes singulas missa, saltim per deputatos
» dictæ venerabilis nationis Gallicanæ fuit relata
» in eadem atque lecta, & consequenter super ea
» solemniter septem diebus deliberatum succes-
» sivè, sciente dicto de Scribanis, dominis car-
» dinalibus collegialiter & singulariter ut singulis,
» qui etiam in hujus odium & vindictam dixe-
» runt aliquos notabiles prælatos excommunica-
» tos contra rei veritatem.
» III. Etiam pro ipsorum parte, eorum nomi-
» nibus non expressis, magister Johannes Ponceti
» pro eorum collegio, clerico & promotore se
» gerente, se interponere appellationem dixit,
» aliisque nationibus & cunctis Constantiæ pro
» generali concilio congregatis scientibus, & de-
» bitè in ea conclusum fuit de præterito, præ-
» senti, & futuro esse tollendum. Causæ verò,
» motiva, rationesque, & jura recollecta, quan-
» tum fieri potuit, ex dictis diversorum, qui in
» dicta natione deliberaverunt, & aliàs aperta
» fuerunt, subsequenter exprimentur, & juxta
» Gregorii responsionum oraculum & concilii La-
» teranensis prohibitionem, edictum, initium, &
» causam debendi istarum vacantiarum & præ-
» stationum fructum primi anni prælaturarum di-
» gnitatis vel beneficii vacantis, qui asseruntur
» debiti, & quas voluit exigere, diligentius inqui-
» rentes, privilegio, consuetudine aut præscri-
» ptione non posse defendi certum est, sicut fuit

A observatum, & de non vacantibus in curia se- "
cundùm antiqui juris ordinem nullum reperiri "
posse initium, præterquam reservationem quam- "
dam triennalem primò per JOHANNEM papam "
XXII. factam pro certo passagio ultramarino "
& quibusdam aliis necessitatibus suis de omni- "
bus dignitatibus & beneficiis, exceptis abbatia- "
libus, propter quod servatum est in Anglia usque "
ad hodieruum diem nihil sedi apostolicæ sol- "
vere pro hujusmodi fructibus abbatiarum vacan- "
B tium. Excepitque etiam episcopales & alias "
supra majores per expressum: certasque post- "
modum fecit super illis deliberationes. Deinde "
nonnulli Romani pontifices ipsius successores "
etiam certis temporibus similes fecerunt reser- "
vationes, certis causis expressis, quas clerus, "
principes, & populus aliquo tempore tolera- "
verunt: sed postmodum nimium gravati ex eis "
in aliquibus regnis & provinciis recusaverunt "
solvere, prout fuit factum in Anglia & qui- "
busdam aliis partibus, eo quod per modum "
C facultatis toleratum fuerat: & sic quæcumque "
eis placuit licitè potuerunt atque possunt recu- "
sare, maxime quia cessant causæ quæ tunc "
erant, eo quòd non fit passagium ultramari- "
num, nec aliud virtuosum ex talibus pecuniis, "
& quia Italiæ, Galliæ, Almanniæ, & Angliæ "
partes per Dei gratiam sunt unitæ adinvicem, "
propterea amplius tolerari non debent, cùm "
propter divisionem temporibus retroactis ali- "
quantulum diutius fuisset toleratum. "
IV. Nec sine reservatione aut contradictio- "
D ne, quæ impedivit & cessare fecit exactionem, "
reperitur talis præstatio decem annis continuata, "
& quando essent talia, præscriptionem non in- "
ducunt, maximè de supremo ad inferiores, & "
minus consuetudinem, ut est jure notum & "
infra expressius dicetur. "
V. De vacantibus verò & fructibus primi "
anni majorum prælaturarum, abbatialium vi- "
delicet, episcopalium, & supra, nullum aliud "
initium fuisse invenitur, quàm voluntaria & "
gratuita oblatio quorumdam, qui in discordia "
E electi ad abbatialem vel cathedralem ecclesiam, "
prosequentes in curia per appellationem devolu- "
tam in ea factam per eum qui obtinebat finalem "
sententiam seu victoriam, & promovebatur sive "
eligebatur, & talis oblatio & gratuita datio juxta "
vulgare Italicum dicta fuit servitium, & secun- "
dùm Almannos propina dicitur, & dicta fue- "
runt communia, quia communiter inter omnes "
dividebantur, eò quòd singulos quibus dare "
volebat non convocabat, & quia singulis dare "
fuisset nimis onerosum. "
F VI. De quibus tunc agebatur in publico con- "
sistorio, sed postmodum deductum est ad con- "
sistorium secretum, quod tamen fuerat & est "
simoniacum, vel de simonia multum suspectum, "
& species mali evidens etiamsi prætextu con- "
suetudinis. Tum quia ante & post promotionem "
ad hujusmodi dignitates aliquid hujus prætextu "
dare vel recipere secundùm sacros canones "
simoniacum est & etiam pro hibitum. Tum "
quia alienatio est talis datio, oblatio, vel "
obligatio, quam etiam facere non potest "

» electus vel promotus; & successivo tempore vo-
» lentes gratuitè dare & voluntariè offerre sum-
» mam certam vel aliquid, eò quòd tunc nulla
» certa taxa constituta erat, quæ hodie taxata
» est in camera, quoad aliqua ad tertiam partem
» valoris episcopatus vel monasterii, aliqua verò
» ad mediam: in aliquibus etiam taxa duas va-
» loris partes excedit, prout in libris cameræ
» scriptæ sunt. Et ultra pro minutis servitiis com-
» pulsi sunt dare & offerre, & ad solvendum, se
» & monasterium sive ecclesiam obligare, per
» suarum litterarum retentionem. Et novissimè
» additum est: & compelluntur per eamdem
» retentionem se obligare ad id solvendum quod
» reperiretur esse debitum in libris eorumdem
» cameræ sive dominorum cardinalium per obla-
» tionem vel obligationem alicujus prædecesso-
» ris, monasterii, vel ecclesiæ, ad quam assumitur
» vel transfertur.

» VII. Ex quo resultat periculum & maxima
» absurditas propter diversitates librorum, in qui-
» bus diversimode possunt scribi solutiones, vel
» non scribi, secundùm diversitatem vel oblatio-
» nem aut fortè malitiam officiariorum qui præ-
» sunt talibus, prout quandoque expertum est,
» quemadmodum de hoc plenius per formas obli-
» gationum, quas super hoc habent in camera,
» & quas in talibus observant, quarum copia in-
» ferius describetur, poterit constare pleniùs,
» & nullus talis modus inducit consuetudinem,
» præscriptionem, nec justam causam talia exi-
» gendi vel etiam observandi: tum quia gra-
» tuita vel voluntaria oblatio unius vel plu-
» rium singularium non inducit consuetudinem
» vel oblationem ad quam teneantur alii, nisi
» velint; cùm hoc sit per modum facultatis quod
» præscribi non valet, nec est jus confinium, quia
» respectu diversorum & separatorum corporum
» oblatio & datio facta est, quæ per successores
» continuata non est; & si continuata foret, nihil
» refert ad alios. Et quia etiam quamplures ex
» illis qui obtulerant & dederant, seque ad sol-
» vendum obligaverant, postmodum recusaverunt
» solvere tamquam indebitum, nec etiam solve-
» runt. Tum quia nullo statuto, privilegio, con-
» suetudine, præscriptione, aut alio titulo potest
» induci, quod propter conferre aut consentire
» promotioni aut electioni alicujus monasterii vel
» ecclesiæ cathedralis, sive ut præficiatur admi-
» nistrationi, prælaturæ beneficii, sive ecclesiæ,
» constat aliud non posse vel debere peti vel exigi,
» eò quòd secundum apostolicas & canonicas tra-
» ditiones constat clarissimè fore simoniacum.
» Tum quia non petuntur, neque exiguntur hæ
» annatæ per cameram apostolicam & dominos
» cardinales ex eo quod vacant, sed quia confe-
» runt, seu quia collationi & promotioni quæ fit
» per papam assentiunt: & hoc est clarè secun-
» dùm canones simoniacum. Tum quia constat
» quia propterea exigunt quia conferunt, seu
» electioni vel promotioni vel collationi consen-
» tiunt, & non quia vacant, eò quòd ab illis qui
» promoventur ad prælaturas hujusmodi extra
» curiam & per alium quàm per papam, nihil ha-
» bent vel exigunt. Et constat etiam ex eo quòd

A nihil percipiunt in tali exactione, nisi domini «
cardinales, qui actu sunt præsentes, & tamen «
de jure communi omnes cardinales etiam ab- «
sentes participarent, si quia vacant deberentur «
vel exigerentur. Tum quia talis usus est vitiosus «
& inhonestus, continens speciem mali, & de «
jure prohibitus: propterea nulla consuetudo «
potest super eo situari, & minus præscriptio «
induci. Tum quia violentantur qui in curia pro- «
moventur ad dandum & offerendum, seque & «
B monasterium sive ecclesiam, ad quod sive «
quam promoventur, obligandum ad solvendum «
taxam sive quotam quæ refertur eis esse in li- «
bris cameræ cum minutis servitiis, & omne illud «
& quidquid reperiretur debitum per dationem «
vel obligationem consimilem factam cameræ «
apostolicæ & dominis cardinalibus suorum præ- «
decessorum per litterarum suæ promotionis re- «
tentionem & detentionem, & tales modi num- «
quam inducunt consuetudinem, neque præs «
criptionem cum sint violenti. Tum quia resul- «
tat alia violentia, quia quantumcumque sint «
C promoti, benedicti, vel consecrati, & notum sit «
monasteriis vel ecclesiis quibus præficiuntur, «
tamen sine litteris hujusmodi non possunt in- «
trare possessionem propter constitutionem pœ- «
nalem factam in favorem hujusmodi indebita- «
rum exactionum, quæ incipit *Injunctæ*. Tum «
quia simoniacum vel suspectum de simonia, quia «
petuntur fructus primi anni, & solvitur in curia «
realis pecunia pro fructibus colligendis in parti- «
bus, & quia solvitur ante tempus, & quia quando- «
D que solvitur totum cameræ apostolicæ, & ante «
adeptam possessionem, & nihilominus cardinales «
taxam requirunt, & per detentionem litterarum «
exigunt re vel obligatione quando possunt. Tum «
quia ex præmissis infertur rationabiliter diffa- «
matoria murmuratio contra Romanam curiam, «
quam decet servare puritatem & justitiam, & «
ab omni specie mala abstinere. Resultatque in- «
fectio & nullitas omnium & singulorum, quæ «
fiunt in præmissis datione, obligatione, senten- «
tiarum contra obligantes fulminatione, & sub- «
E missione, propter modum & causam ex quibus «
fit concurrentia in actu qui non tenet: propterea «
qui dicuntur incidere in sententiis quæ hujus «
occasione sequuntur, non debent eas tenere, «
nec videntur absolutione indigere. Propter enim «
prædictam concurrentiam continet errorem in- «
tolerabilem, & quia contra juris constitutionem. «
Nam viderentur obligare hominem ad inciden- «
dum in hæresim, largo sumto vocabulo, vide- «
licet quòd sit licitum spiritualia emere, vel pro «
spiritualibus pecuniam & temporalia dare. Tum «
F quia talis consuetudo, præscriptio, seu privile- «
gium, quando essent, nimium forent ecclesiis, «
clero, & provinciis onerosa, & substantiarum «
ecclesiarum destructiva, & propterea de jure «
nulla, præscriptioque nullatenus procederet, & «
privilegium, si quod apparet, non solùm de «
jure decurtandum, sed etiam totaliter submo- «
vendum, utroque jure hoc clarè testante. Tum «
quia quilibet prælatus qui in curia promovetur «
ad monasterium vel ad ecclesiam cathedralem, «
antequam suæ expediantur litteræ in cancel- «

» laria, jurat nihil de juribus monasterii vel ecclesiæ alienare, & ipsis litteris in cancellaria expeditis, & deinde bullatis, ac etiam registratis portantur ad cameram, à qua haberi non possunt, nisi primo se obliget, ut præfertur: quæ obligatio est alienatio clara, & sic promotus videtur cogi committere simoniam, & similiter perjurium. Tum quia non fuisset credendum, sicut nec est, cameram apostolicam, neque dominos cardinales, aut quoscumque alios, propter quodcumque lucrum sive temporale B commodum velle sustinere aut etiam defendere tantam inhonestatem, prætextu cujuscumque consuetudinis, præscriptionis, aut privilegii, etiam quando essent, in quibus includitur labes simoniæ, & clarum perjurium, scandalumque & * damnatio animarum. Tum quia adhuc præmissis cessantibus, & supposito quod annatæ petitæ deberentur, tollendæ sunt ex toto, causis & inconvenientibus ac scandalis sequentibus. Nam licet secundùm apostolicam doctrinam papæ potestas à Christo immediate sit: tamen est ad ecclesiæ ædificationem & non ad ipsius C destructionem; quæ tamen resultaret in observatione prædictorum. Estque hujusmodi papæ potestas ordinata ad justitiam & rectum judicium exercendum, quod obligaret & cessaret in exactionibus præmissis: habetque præsidere propter bonum publicum & salutem animarum, & non propter seipsum, qui aliter videretur abusus, nec videtur facultas papæ nec ecclesiæ ratione concessa, neque eis competit pro libito voluntatis exactiones sive præstationes aliquas imponere ecclesiis aut personis ecclesiasticis, D cùm eorum non sint domini, sed tantummodo Christus, maximè per quas censetur ipsorum oppressio; vel inde oriatur scandalum, deturque causa murmurandi, vel etiam resultet detrimentum animarum, aut frustretur intentio fundatorum ecclesiarum cathedralium, monasteriorum & aliorum inferiorum beneficiorum. Tum quia per exactionem dictarum annatarum tam ardenter & inhonestè exactarum sine cleri principumque in quorum sunt dominio, & eorum E de genere qui ea fundaverunt expresso consensu, & levem decimæ impositionem secutæ sunt oppressiones in clero & in ecclesiis, & inde murmurationes graves exortæ, & apud reges magnosque principes & alios nobiles illos de populo usque ad plebeios scandala grandia & possent inde graviora sequi. Tum quia videntes pati ruinam ecclesias cathedrales, monasteriaque & alia beneficia, quæ sui progenitores & alii magnates fundaverunt & uberanter dotaverunt, & largiti sunt ducatus, comitatus & F alias dignitates temporales, baronias, castra, terras, jurisdictiones, & alia temporalia bona pro sustentatione ministrantium in divinis, & ad divini cultus laudem & augmentum suorumque peccaminum expiationem, alimentationem pauperum, redemtionem captivorum, ecclesiarum & ipsarum ædificiorum reparationem; terrarum ac possessionum ecclesiarum & monasteriorum culturam, jurium ipsarum prosecutionem, conservationem, & defensionem: quæ omnia cessant, nec fieri possunt, sed numerum in ecclesiis sic fundatis ministrantium juxta fundatorum ordinationem minuere oportet propter dictas intolerabiles exactiones. Tum quia scandalizantur & inde murmurant cùm recurrunt ad causas propter quas talia contingunt, dicentes non fuisse intentionis fundatorum, nec eorum existere, quòd propter tales exactiones aut etiam similes vel propter replere quadraginta aut plures personas debeant frustrari intentionibus & ordinationibus suis fundatores, & ipsi in hoc pati verecundiam; quòd dotata per eos & largita tam uberanter deducantur ad ruinam, & patria reddatur infirmior ad se defendendum contra hostes, eò quòd castra & munitiones retinere neque defendere possunt, quibus collata sunt; & propterea nolle pati omnino dicunt, cùm talia in nullo subdantur papæ, nec cardinalibus, ut fiant eis tributaria, cùm sint feudalia aut merè temporalia. Tum quia scandala & murmurationes insurgunt dum vident & sentiunt exigi hujusmodi vacantias & præstationes sine pietate, misericordia, aut aliqua remissione, quantumcumque impotentes, & hoc notum fuit, sicut contigit in abbate S. Saturnini Tolosani compulso obligari ad taxam sibi relictam, quæ est quatuor millia & ducentorum florenorum, & non valet in omnibus etiam uniendo supra locum quingentos, & tam ipse quam plures alii compelluntur per exactores deputatos usque ad impignorationem terrarum dotalium ecclesiæ vel monasterii, & usque ad venditionem calicum etiam non conflatorum, librorum & aliorum ornamentorum & bonorum aliorum ecclesiæ quæ petuntur solvere. Tum quia scandala & murmurationes insurgunt, quod propter hujusmodi exactionem prælati & alii ecclesiæ ministri reputantur per exactores excommunicati, & per processus & litteras quas affigunt in locis publicis eos denuntiant, injuriantur & verecundiam faciunt, & diebus solemnibus, nec aliis audent celebrare, licet in veritate non teneant sententiæ; & inde scandalizantur principes & alii de populo, & in tantum artantur ad solvendum, quod pro dilationibus non dantur nisi tres menses, & pro littera & sigillo relaxationis sententiæ oporteat realiter solvere tres vel quatuor florenos, quod si sit simoniacum, videat unusquisque, & sunt in anno xx. floreni, sine eo quod dare oportet clericis ad hujusmodi prosecutionem deputatis, & quod expendit nuntius in eundo & redeundo, nec per hoc principale minuitur. Tum quia scandala sunt exorta & non cessant propter exactiones prædictas, ex eo quod postquam ecclesia Romana continuavit tales exactiones, non cessavit à guerris, & major sollicitudo Romani pontificis & suorum cardinalium usque ad JOHANNEM inclusivè novissime depositum, fuit de guerrarum continuatione, in qua fit effusio humani sanguinis. Et licet Ecclesia habeat orientale imperium, non tamen cadunt honestè talia in viris tam perfectis; & quia per humilitatem, & sanctimoniam, & devotionem solebant jura ecclesiæ inesse, conservari, retineri, & acquiri sine «

* Al. Perditio.

Papæ potestas immediate à Christo.

» artificiali gladio aut alia violentia, & idem posset hodie. Tum quia propter tam promtam numerationem hujusmodi vacantiarum, & aliarum exactionum, camera ac domini cardinales non curaverunt, neque soliciti fuerunt de dote & patrimonio ecclesiæ Romanæ, de quo vivere possent & debent, neque de recolligendo tributa, pensiones, & debita, quæ rationabiliter eis debentur, sed ea per expressum remiserunt & remittunt, prout fecerunt aliquibus communitatibus, & jam etiam moderni domini cardinales centum millia Florentinis cum quibusdam aliis regi Apuliæ tributa, pro quindecim annis Marchioni Ferrariæ, & ita fecerunt pluribus aliis, quibus concesserunt dare terras & castra patrimonii ecclesiæ, de quorum fructibus vivere habent, & videntur quodammodo affectare occupationem dicti patrimonii, & non solutionem dictarum pensionum & etiam tributorum, ut sub illo colore possint dictas vacantias & alias exactiones exigere, ac per hoc collationem beneficiorum & promotionem ad prælaturas retinere, ut inde magis ab illis de clero timeantur, & universalius revereantur, & etiam honorentur, sicut de facto observant. Tum quia scandala propter præmissas & similes exactiones & impium modum exigendi in Galliis exorta sunt, eò quòd superstites de genere illorum, qui ecclesias, monasteria, & alia beneficia dotaverunt, audientes referri quòd pro pecuniis beneficia habebantur in Romana curia, & quòd propterea ruinæ & præmissæ beneficiorum destructiones sequebantur, querelam fecerunt fieri apud regem Francorum eorum supremum principem, in cujus parlamento & suo consistorio, auditis quæ fuerunt proposita pro parte cameræ apostolicæ & dominorum cardinalium, quod bene sciunt aliqui ex eisdem, fuit clarè & ad plenum solemniter apertum & evidenter monstratum, quòd nullo jure deberentur, & quod clara simonia in modo se habendi includebatur, quæ plurimum erat sibi periculosa, & ad ipsum spectabat, ut dicebant, in suo dominio reprimere tales abusus & vitiosos excessus, ne consentiendo iram Dei provocare videretur in seipsum, juxta Gregorii epistolam Theodorico & Theoberto Francorum regibus missam in decretorum volumine insertam. Fuitque clarè demonstratum, quòd ultra præmissa & multa alia inconvenientia, per tales exactiones vacuabatur regnum & dominium suum pecuniis & divitiis, quæ ad nullam pietatem applicabantur, sed postmodum malos atque pessimos pariebant exitus, & causabant effectus; quódque Romani pontifices pluries fuerant moniti & requisiti, ut in his tam scandalosis & causantibus animarum damnationem providerent, & canonicum ordinem darent, quod facere neglexerunt, certam tunc provisionem super his rationabiliter edidit, quæ per quoscumque regnicolas & in dominiis suis domiciliatos, sub divina & regia offensa servanda est, & quando deberentur, propter tale scandalum tollendæ sunt. Tum quia nec dicta provisio totaliter suffecit, quin per ptatticam Romanæ ecclesiæ, æque pecuniis intervenientibus in dominiis suis beneficia * conferrentur, & resultaret quod prius per solemnes suos ambaxiatores, adjunctis nuntiis notabilibus pro parte prælatorum & cleri regni sui atque universitatis Parisiensis, destinatos ad urbem Romanam inter cetera domino Johanni tunc in sede apostolica & Romana sedenti proponi, eumque requiri, exhortari, & moneri fecit, ut tales exactiones, per quas tales abusus sequebantur, & perditio animarum, submovere curaret, & providere non tardaret. Qui verbo respondit hoc sibi placere, & totaliter submovere velle, & super hoc onerare legatum, quem destinaturus, ut dicebat, erat ad Franciam, & quia nulla provisio secuta est, licet justè potuisset atque posset juxta dicti Gregorii epistolam, & aliàs de jure per seipsum providere, magis mitem in favorem & honorem Ecclesiæ volens se in hoc habere, distulit; & suis ambassiatoribus & aliis pro prælatis atque clero regni sui, & Dalphinatus destinatis ad præsens generale concilium injunxit hanc provisionem & remediationem prosequi, quam multipliciter conantur quidam impedire, plus curantes de quæstu quàm animarum profectu. Tum quia multiplicatum est scandalum, & causa nova adjuncta, ex eo quod dominus Johannes olim papa novissimè destitutus, testificatur, & se publicè facit audiri, quòd unum milionem & septuaginta millia florenorum auri habet in diversis locis reposita; & collegium dominorum cardinalium ad medietatem summæ tantumdem præsumuntur habuisse, quorum fortè major pars de Galliis processerunt; quod principes, clerus & populus attendentes, magis commoventur ad exquirendum remedium, cùm dictæ pecuniæ nullum profectum fecerunt; sed plures animas maculaverunt, & causa destitutionis dicti Johannis & magni scandali fuerunt. Ergo talis causa tollenda, ne similia futuris temporibus eveniant aut etiam contingant. Et si prædicta locum non habuissent vel habere possent, sicut tamen habent, adhuc prædictæ annatæ, & vacantiæ, ac indebitæ hujusmodi exactiones sunt tollendæ, & totaliter submovendæ, quia dant causam proximam simoniæ committendæ in curia diversimode, infamantque curiam Romanam, & infinitorum malorum dant occasionem, & quia sunt & fuerunt causa quod venderentur beneficia ecclesiastica, prælaturæ, & dignitates, & mercarentur, sicut fuisse factum reperitur cum domino olim Johanne papa. Quod quando simoniacum non esset, sicut est, tamen turpissimum abominabileque & scandalosum valde est. Tum quia sub prætextu & colore solvendi vacantias secundùm verum valorem atque taxam antiquam prætensam triplicaretur, & quadruplicaretur, juxta verbum quorumdam dicentium, quòd sicut offert juxta taxam, ita potest offerre & dare totum valorem unius vel plurium annorum, & per hoc promoventur ambitiosi; & malè morigerati, illiterati, & quibus desunt aliæ virtutes, recurrunt ad pecunias, repelluntur litterati & virtuosi viri non habentes pecunias, & futurum est de proximo «

* Al. Conferantur.

quòd ſicut factum eſt, continuaretur in promotionibus & beneficiorum diſtributionibus, ſtudia efficerentur deſerta, nulluſque curaret ſcire vel etiam ſtudere, & poſſet inde pati fides & religio chriſtiana propter defectum doctrinæ maximum detrimentum.

VIII. Sunt etiam tollendæ & removendæ, quia juxta taxam prælaturæ vacantis, cui committitur inquiſitio & proceſſus, mercatur & vult limitare ſalarium, quod aſſerit ſibi debitum ab illo pro quo debet relationem facere, & in ſecuro vult habere antequam referat, prout in hac venerabili natione Gallicana per egregium dominum Paulum doctorem alterius nationis conquerendo fuit notabiliter propoſitum, & aliquantulum caſus unus apertus, videlicet quod quia erat conventum cum tunc papa pro vacantia debere ſolvere tria millia, qui relationem facere debebat volebat habere trecentos, quos oportebat detrahere de prædicta ſumma, eò quòd promovendus nihil plus habebat, & tunc papa de ſuo proprio ſolvit quinquaginta, & centum procuravit pars propria, & ſic pro quolibet milliario habuit quinquaginta; ſi ſit ſimoniacum judicent audientes. Idem facit notarius qui ſcribit in proceſſu, ſcutifer papæ, & ſcutifer domini cardinalis referentis, qui de more mittuntur ad promotum ut plurimum, ad intimandum ſuam promotionem, qui ſua ſalaria dicunt eſſe limitanda ſecundùm quantitatem vacantiarum; & idem trium portarum oſtiarii, & quàm plures alii conſimiles, qui non exprimuntur de præſenti. Tum quia promotus in curia propter tales angarias cogitur eſſe paſſivè uſurarius, & intrare manus mercatorum, qui pro quingentis mutuatis volunt habere & recuperare mille cum aliquo intereſſe, quod clarè expertum eſt, & adhuc cogitur fieri ſimoniacus propter hujuſmodi maculatas exactiones, eò quòd oportet ſecundùm limitationem taxæ pro jure ſacræ vel benedictionis munere realiter pecunias ſolvere, quod abhorrendum eſt. Tum quia ex hujuſmodi vacantiis inſurrexit quædam turpiſſima venalitas, eò quòd licet fuerit commiſſum pro aliquo notabili promovendo ad prælaturam vacantem, quantumcumque notabilis & ſufficiens fuerit, nihilominus pro omnibus aliis volentibus concurrere ſimiliter committetur, & quandoque eidem commiſſario, quandoque diverſo; & qui melius vacantias ſolvere poterit, & ſe commiſſario gratum reddere, & apud campſores quibus pecuniæ ſunt numerandæ de ſolvendo certos & cautos facere, ille ſufficientior eſt, & præfertur alii ſecundùm modum quandoque obſervatum; & inde ſecuta ſunt ſcandala diverſa, & pro nunc taceamus illa.

IX. Rurſus quia propter retinere ſolutionem vacantiarum, decimæ & ſubſidii caritativi, quando indicuntur, & aliarum exactionum hujuſmodi, venundatus eſt clerus & libertas eccleſiaſtica ſublata & totaliter remiſſa, & eſt data & conceſſa principibus & communitatibus participatio in hujuſmodi exactionibus, ne contradicerent & nullatenus clero aſſiſterent, & ut ea per brachium ſuum ſæculare poſſent facere exigi, & ultra illa alia tributa & exactiones aliquibus conceſſa ſunt ſuper clerum: ita quòd in pleriſque dominiis facti ſunt prælati, clerus, & quicumque religioſi deterioris conditionis quàm laici, quod fortè papa facere non potuit, neque poteſt, cùm ſit in ſubverſionem & turbationem univerſalis ſtatus eccleſiaſtici, abſorbendo privilegia & libertates eorum qui ſervare eas habent, ut in pace & quiete Deo valeant famulari, & iram Dei pro populo placare. Præmiſſis igitur omnibus ſtantibus, dicere eas debitas & exigere poſſe, ut præfertur, & pertinaciter hoc tenere eſſet fortè hæreticum & periculoſum valde.

X. Ex ipſis igitur & quibuſdam aliis de præſenti non expreſſis & ex cauſa & reſultantibus ex eis, & parte eorum, quæ ſufficere ad hoc poterant ſive poſſunt, concludit rationabiliter & de jure hæc venerabilis natio & ſuppoſita ejuſdem, matura deliberatione habita, dictas annatas ſive vacantias, & quas appellant communia & minuta ſervitia, de præſenti vel de præterito, nec aliquo tempore ut continuari debeant, nec per modum tributi ſeu debiti imponi poſſe monaſteriis vel eccleſiis, aut beneficiis aliis ſeu perſonis eccleſiaſticis non eſſe debitas, & quatenus de facto, prætextu eorum, quæ præterierunt, conaretur quis eas exigere vel levare totaliter eſſe tollendas, & reſiſtendum etiam de facto. Modo ad cauſas & rationes quibus nititur juſtificare & cauſare ſuam appellationem interpoſitam præfatus de Scribanis & qui eam compoſuerunt, & ſibi adhærentes reſtat reſpondere.

XI. In primis enim dicit idem de Scribanis fuiſſe deliberatum in natione procedendum eſſe in arduis per ſecretum ſcrutinium, & ita fuiſſe practicatum, &c.

Reſpondetur quod in actibus particularibus, de quibus actum eſt, quod per ſcrutinium fieret deliberatio, ita obſervatum eſt. In aliis verò in quibus ſpecialiter actum non eſt, nequaquam: quia repugnat honeſtati & naturæ concilii & plenariæ libertati; & quando ita ordinatum fuiſſet, non eſt ſubſtantiale formæ, nec decretum irritans in contrarium; & quia nationes ſingulæ deliberant apud ſe quæ videntur eis utilia vel neceſſaria ſine aliarum nationum concurrentia, ſicut factum fuit de procedendo in cauſis pendentibus & committendis ſupervenientibus in curia ſede apoſtolica vacante, quod non eſt de jure, in quo deliberatum fuit & etiam concluſum in quibuſdam nationibus antequam fuiſſet datum verbum in natione Gallicana. Quæ quidem natio conſtringi non debet, nec plus ancillare ceteris nationibus, & ultra quandoque fuit actum, ut in actibus certis per ſecretum ſcrutinium deliberaretur, in quo fuit ſolemniter & debitè oppoſitum. Quare ſuper falſò fundat ſe & nulliter præfatus de Scribanis.

Cùm dicit ultra & in ordine idem de Scribanis appellans, quod materiæ in nationibus deliberandæ primo deliberari debent apud deputatos quatuor nationum, &c.

Reſpondetur ita factum fuiſſe, ut ſupradictum eſt, & quando non eſſet ſubſtantiale non eſt.

Cùm dicit idem appellans esse papæ subveniendum ab inferioribus ecclesiis, quas asserit descendisse à Romana, &c.

Respondetur, quòd quilibet episcopatus debet certos suos habere reditus pro dotatione & sustentatione sua sive episcopi, sicut habuit, & habet episcopatus Romanus, qui suffecerunt & sufficere possunt cum industria, & alia quæ extraordinarie superveniunt: nam Apostolus ex industria quærebat sibi victum, ne quibus ministrabat esset nimium onerosus; & si non sufficiant reditus episcopatus Romani de præsenti, primò habet requirere subsidium & subventionem à clero suæ civitatis & diocesis, deinde suæ provinciæ, per modum subsidii caritativi temporalis & non perpetui census, postmodum ab aliis ecclesiis mediatè subditis potest subsidium benigniter implorare, quæ causâ necessariâ suppositâ, expressâ quoque & verâ, honestè non possunt denegari ad tempus, nec tunc fortè venit exactio subventionis respectu datæ temporalitatis per fundatores ecclesiis, ut certum onus supportetur, aut aliquid aliud fiat secundùm eorum ordinationem, ne frustrentur ordinatione & intentione eorum, sed tantùm respectu eorum quæ proveniunt ratione spiritualitatis & dotis constitutæ à jure, ut sunt decimæ, oblationes, portio canonica mortuariorum & similium.

Quòd autem ecclesiæ aliæ descenderunt à Romana, præcessit etiam Græca, in qua primò sedit Petrus Antiochiæ & Christus Hierosolymis, & fuerunt aliquæ quæ contendebant de pari, & quæ præcesserunt ab ea non videtur descendisse. Verumtamen ab omnibus recognoscitur tamquam suprema domina & magistra omnium propter virtutes & merita eorum qui præfuerunt in ea, cujus ultima non correspondent primis.

Subjungit postmodum præfatus appellans, quod subveniendum est dominis cardinalibus, qui coadjutores sunt papæ, &c. sicut dicit.

Respondetur, quòd domini cardinales duplicem habent statum: primævum, cujus retinent titulum, & principales dignitates in collegiatis ecclesiis in urbe Romana obtinent, vel sunt curati parochialium ecclesiarum ejusdem: & illo respectu dicuntur cardinales, id est principales, quod non competit eis specialiter; sed multæ sunt ecclesiæ, sicut Ravennatensis, quæ obtinentes dignitates in ea nominat cardinales, & ita est in pluribus aliis ecclesiis in diversis regnis & provinciis. Et ex ista prima institutione eorum primum officium fuit, est, & esse debet confessiones audire, prædicare, ac etiam baptizare, &c. quoad presbyteros. Episcopi vero cardinales hoc habent facere & exercere in suis diocesibus. Et isti de suis titulis & eorum emolumentis isto respectu debent & tenentur contentari, sicut alii de clero in singulis diocesibus; si non valent quantum valuerunt, limitent expensas, vel petant sibi provideri debitè & per modum canonicum. Et ille status fuit in caritate fundatus, & valde humilis, & benignus. Alium statum assumserunt quando Constantinus

A imperium occidentale contulit Ecclesiæ Romanæ, quam voluit habere senatum, & quòd senatorum vestibus, honore & ornatu decorarentur qui statum illum repræsentarent, & illum tenent, & repræsentant, domini cardinales, ut dicit Innocentius, quorum officium est principi consulere, videlicet papæ, sicut consulebant principi temporali, sciens Constantinus ecclesiam non posse onera talis status sufferre, nec expensas sustinere, & quod statum eorum propter hoc nollet admittere, nisi aliter provideret,

B contulit & dedit eis patrimonium & temporalia pro statu eorum, quod postmodum augmentatum est. Et si illud occupatum fuerit, culpa & negligentia eorum factum est, sicut supra dictum est, ideo vel recuperent, vel sint contenti eorum primo statu, cùm status eorum sit nimium Ecclesiæ onerosus, & non est necessarius, sicut prætendunt multi, maximè cum tanto Ecclesiæ onere.

Quòd enim domini cardinales sint papæ coadjutores, sicut dicit qui appellat, nihil est,

C super falso se fundat; quia episcopi sunt papæ coadjutores, & supra cardinales de jure. Cardinales verò tantummodo consultores sunt papæ; & patet quia dudum cardinales qui bene servierant, in eorum remunerationem & pro quiete ipsorum promovebantur ad cathedrales ecclesias. Patet etiam quod episcopi majores esse videantur cardinalibus, quia cùm florebat temporalitas eis data, Ecclesia & generale concilium statum eorum limitavit ad xxv. familiares tantùm, episcoporum verò ad xxx. quos

D tamen contemnunt hodie, & per violentiam eos & alios de clero opprimere conantur, atque volunt sibi facere tributarios, & per eos faciunt nimis familiariter serviri, nec pro quocumque prælato etiam prone adorante eos & supinato in terra ponerent manum ad capellum aut salutarent eum, quod numquam aliquis rex aut princeps fecit, neque hodie permitteret, cùm immediatè recipiant episcopi potestatem & dignitatem à Christo, domini verò cardinales ab

E homine, quoad statum assumtum senatorie dictum! & futurum est atque necessarium in statu eorum providere, ut certus constituatur numerus, status quoque eorum limitetur, tacendo quod fierent tantummodo temporales, sicut aliqui dixerunt, & quod in quolibet generali concilio, qui bene se habuissent, confirmarentur; qui verò malè, ejudicarentur, & ad domos suas remitterentur, quod non esset bene factum.

Cùm ulterius subjungit appellans, quod papa & cardinales sunt in possessione percipiendi à

F prælatis annatas, præsertim in dominio regis Franciæ, &c.

Respondetur, prout supra, & ultra, quòd nullus umquam illis competiit titulus percipiendi; & si aliquando perceperunt, hoc fuit per modum permissivæ facultatis & benignæ tolerantiæ, quæ secundùm Innocentium & quoscumque doctores potest revocari quandocumque: & est mirum, litteratos talia pro fundamento allegare, quam à cetero sufferre nec

tolerari

» tolerare intendunt, quia quando esset eis aliter subveniendum, contribuendum esset æqualiter per nationes & provincias, & talis provisio solutionis annatarum esset nimium excessiva. Nam taxa vacantiarum secundùm quod descriptum est in libris cameræ apostolicæ & ecclesiis cathedralibus & abbatialibus Galliarum taxatis, ascendit ad sexcenta nonaginta septem millia septingentos quinquaginta francos, sine prælaturis non taxatis & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis quæ fere ad tantumdem ascendunt. Quæ summa infra sex annos, ut clarè demonstraretur, integraliter solvitur, & singulis annis divisa ascenderet ad ducenta millia, prælaturis & minoribus beneficiis junctis. Quod si in singulis nationibus tantumdem reciperetur & haberent, ascenderet summa, & essent in universo sex milliones nonaginta septuaginta septem millia & quingenti floreni, quod esset excessivum valde, etiam quando non solveretur, nisi tota in decennio. Et ultra domini cardinales moderni obtinent in Galliis sex cathedrales ecclesias & alias dignitates, & alia beneficia infinita, quæ fere annis singulis ascendunt de sexaginta ad septuaginta millia, de quo deberent contentari, sine tanto quæstu vacantiarum, & recurrere ad alias nationes, ut tantumdem eis facerent quomodo esset rationabilius. Quando enim Italica, Germanica, Hispanica & Anglicana nationes tantum facerent eis, essent ad minus trecenta & quinquaginta millia annis singulis. Detrahunt enim & obloquuntur nationi Gallicanæ, quæ sola plus facit quàm totum residuum, & sustinet pondus & æstus diei.

» Quod autem communia servitia, sicut dicit appellans, debeantur propter servitium, quod communitati & reipublicæ impenditur per papam & cardinales, &c.

» Respondetur, quod papa administrans justitiam, & regnans ad ædificationem Ecclesiæ & salutem animarum, & non propter seipsum, servit quàm plurimum, & tali serviendum esset, etiam realiter. Quoad dominos cardinales, si non debeatur eis, nisi quia serviunt, quàm plures ex eis de nihilo serviunt, immo nocent & officiunt supersedendo ab expressione causarum, quæ suo tempore locum habere poterunt.

» Quando ulterius subjungit appellans, quòd sine vacantiis vivere non possunt, attento quòd patrimonium Ecclesiæ propter schisma & malum regimen ecclesiæ Romanæ & præsidentium in ea est occupatum, &c.

» Allegat suam turpitudinem, & devorantibus substantiam suam non est dandus recursus ad alienas; & qui præsiderunt in Romana Ecclesia fuerant cardinales, & de illo statu assumti, & eos qui præfuerunt elegerunt domini cardinales etiam qui sunt moderni, & præsumuntur elegisse meliores, qui ut confitentur appellantes & sibi adhærentes, totum destruxerunt. Imputent ergo sibi ipsis.

» Et cum ulterius appellans dicit, quod si removerentur vacantiæ, cardinales servientes reipublicæ non haberent unde viverent, & sic eas non debere solvi nimia levitate, fuit conclusum in natione Gallicana, &c. «

Respondetur quod ex supradictis potest apparere, si ex nimia levitate vel digesta deliberatione processerit conclusio, & si nimia cupiditate conetur eam impedire. «

Procedendo ulterius dicit idem appellans, quòd procurantes fieri dictam conclusionem erant debitores cameræ apostolicæ, &c. «

Respondetur, quod si debitores reputet propter vacantias quas asserit debitas, patet per supradicta non esse debitores, nec etiam debitas, nec esse solvendas. Si ex alia causa dicat eos debitores, justificet actum. «

Quod sede apostolica vacante, sicut dicit ipse appellans, nihil sit innovandum, &c. «

Respondetur, quòd nihil innovatur, sed quod est vitiosum, simoniacum, scandalosumque, & indebitum, tale esse declaratur, & declarari petitur. «


Quando ulterius progreditur antedictus appellans, quod inconsultis aliis nationibus ad conclusionem Gallicana natio processit, &c. «

Respondetur, quòd per medium deputatorum aliarum nationum qui omnes consenserunt, quod de futuro tollendæ essent, satis nationes consultæ videntur, & quod super illis natio Gallicana deliberaret, omnes sciverunt nationes, & etiam domini cardinales, & ultra deliberationem, motiva & conclusionem suam communicare voluerunt aliis nationibus ad effectum concurrentiæ & provisionis dandæ: quod domini cardinales per exquisita media impediverunt, & inter nationes non est quæ in tantum gravata fuerit, sicut Gallicana, in istis exactionibus, & propterea magis sollicita esse debet: & constat quòd in Anglia nihil percipit, nisi de episcopatibus qui sunt pauci, camera, nec domini cardinales, nec paterentur quòd in ea cardinales obtinerent beneficia. In Hispaniis pragmatica sanctione sancitum est cardinales non posse obtinere beneficia, & in certis regnis Hispaniarum ordinatum est quòd camera nihil totaliter recipiat. In Italia verò beneficia, prælaturæ, & dignitates modici sunt valoris, & cùm hoc domini temporales & communitates prohibent, quando videtur eis atque placet, quòd dicta camera nihil recipiat. Et novissimè communitas Florentiæ, papa JOHANNE qui tunc erat, & dominis cardinalibus in eorum civitate existentibus, propter unicum abusum, quem papa commisit in conferendo unam abbatiam sitam in eorum dominio, privaverunt papam potestate conferendi beneficia in eorum dominio usque ad quinque annos, nec tunc appellaverunt, & tamen per hoc perduntur fructus annatarum. In Almania in certis diocesibus & provinciis percipit aliquid, in aliis verò nihil, immò nec admittuntur litteræ apostolicæ nisi quantum placet episcopis, qui recusant in denegando *Vidimus*. Et propterea Gallia quia nimium gravata fuit & obedivit, nimium gravata est, & adhuc opprobriis laceratur. «

Quando verò subjungit sæpedictus appellans, quod minis, & terroribus, & certorum principum voluntatibus allegatis, fuerunt impediti- «

» volentes deliberare, &c.
» Respondetur, quòd, sicut dictum est, ad op-
» probria & injurias prorupit appellans sibique
» adhærentes & appellationis compositor. Et bene
» intelligitur, & est falsum quod asserit, sed do-
» mini cardinales fuerunt illi qui incutiebant ter-
» rores, inferebant minas, atque dicebant inju-
» rias prælatis, & aliis notabilibus viris nationis
» Gallicanæ, & eorum familiares cum nimia
» austeritate, ut liberè non auderent quod con-
» scientia dictaret super illis exprimere, & ali-
» quibus dixerunt, quod inquireretur contra eos
» ad finem destructionis status eorum, aliis dixe-
» runt injurias, aliis verò spem dabant promotio-
» nis & exaltationis status, de quo adhuc confi-
» dunt aliqui, & familiares suos venire faciebant
» ad nationem Gallicanam ad vociferandum &
» clamandum, sicut de facto fecerunt ad delibera-
» tionem impediendam, & ultra videntes non
» posse impedire deliberationem quæ fiebat, ad
» invicem congregati omnes prothonotarios, au-
» ditores palatii, scriptores, notarios, cursores,
» & quoscumque alios, etiam mœchantes curiam
» Romanam sequentes convocarunt, & ad se
» venire fecerunt, & cum gemitibus eis dixerunt
» quòd natio Gallicana sola per se præsumebat
» velle destruere statum papæ, & cardinalium,
» prothonotariorumque, clericorum cameræ,
» auditorum palatii, scriptorum, & notariorum,
» advocatorum, cursorum, & ceterorum quorum-
» cumque Romanam curiam sequentium, & ipsam
» curiam, incitative loquendo, & quod oportebat
» se illis opponere & ad contrarium laborare, &
» conclusionem receptam de non solvendo vacan-
» tias, facere per media ut non admittatur per alias
» nationes; & fuit dubium & etiam periculum de
» magna commotione contra natos de Galliis,
» nec talia attentarunt, quando natio Anglicana
» & eorum rex illustris interdixit tales exactiones
» nolle plus sustinere in regno suo Angliæ. Et vi-
» dentes propter hoc non posse proficere, quia
» rationabile est, quod petitur, & irrationabile
» quod impedire conantur, converterunt se ad
» appellationes & unam interposuerunt nomini-
» bus suis, & aliam interposuerunt seu interponi
» fecerunt per dictum de Scribanis, aliam vero
» per magistrum Johannem Ponceti eorum pro-
» motorem & clericum, per tales appellationes
» & oppositiones volentes impedire & illibertare
» dicentes vota sua, & in prædicationibus publi-
» cis materiam procurarunt prædicari ad inten-
» tum eorum, & per verba magistralia notari non
» sibi propitios, quod bene fuit intellectum. Quare
» quod imponit aliis, apud semetipsum & sibi
» adhærentes quærat.
» Cùm enim subjungit ipse idem appellans,
» quòd ad dictam conclusionem processum est,
» sine prius providendo dominis cardinalibus, &
» quòd in hoc natio Gallicana insufficienter con-
» sulta fore tollendas dictas annatas vacantias
» conclusit, &c.
» Respondetur quòd quoad ipsam nationem
» satis lautè & amplè provisum est dominis cardi-
» nalibus apud ipsam in beneficiis quæ in ea ob-
» tinent, quæ ascendunt de sexaginta ad septua-

A ginta millia, ut supra dictum est, & consultissimè «
conclusit, & mirum est quòd tanto tempore «
toleravit. «
Cùm ulterius dicit idem appellans, quod de «
laudabili consuetudine protectio & tuitio Ro- «
manæ curiæ & cameræ sede apostolica vacante, «
ad cardinales spectat, qui non fuerunt requisiti «
in dicta conclusione, &c. «
Respondetur quòd bene facit allegare con- «
suetudinem pro titulo putativo, quia de jure «
B est eis interdictum, ne de factis cameræ in ali- «
quo se intromittant sede apostolica vacante. «
Et si qua sit consuetudo, est occulta & taliter «
ignota, nec debuerunt vocari nec etiam requiri. «
Conclusio est nationis, quæ quò ad nationem «
respectu aliarum nationum est consultiva, & «
quoad totum concilium est querelosa, quam «
concilio intendunt insinuare, & apud eum pro- «
sequi, ut remedietur in eis, ut redeuntes ad pro «
pria suis principibus, prælatis, & clero qui ibi «
remanent, & ceteris de populo possint referre «
C diligentiam quam fecerunt, ne videantur con- «
sensum præbuisse nec acquievisse tolerantiæ abu- «
sivæ in vacantiarum prædictarum præstatione, «
ut si concilium provisionem non dederit, con- «
stet quod per eos non steterit. «
Progrediendo ulterius dicit idem appellans, «
quod domini cardinales sunt causa unionis, «
&c. «
Respondetur, quòd utinam ita esset, quo- «
niam de præterito non fecerunt, nec usque nunc «
est factum: quid fiet videbitur postea, nec quo- «
D ad hoc exprimuntur quæ in facto consistunt «
etiam de præsenti, quæ contrariantur unioni. «
Cùm dicit ulterius ille idem appellans quod «
removere vacantias, est subversio totius ordinis «
clericalis, &c. «
Respondetur, quod de inordinato & vitioso «
ordine vellet facere ordinem ad ipsius commo «
dum, nec curaret de nutrimento peccati, nec «
de quocumque scandalo, dummodo affluant «
aurum & pecuniæ. Si debeat subverti ordo cle- «
ricalis propter tollere vacantias, potest videri «
E ex jam præcedentibus. «
Ulterius præfatus de Scribanis dicit, quod «
attestare simoniam intervenire in solutione ea- «
rumdem, est venire contra vota plurium con- «
ciliorum, &c. «
Respondetur, quia numquam in aliquo gene- «
rali concilio fuit ordinatum quòd quis possit «
recipere pecunias, ut spiritualia aut beneficium «
conferat, vel aliquem eligat ad dignitatem vel «
prælaturas, sed bene jure divino, canonico, & «
civili, & per generalia concilia reperiuntur talia «
F prohibita, quæ etiam damnant actum aut con- «
suetudinem. «
Quando ulterius progreditur contra claram «
rei veritatem & ipsius conscientiam, videlicet «
quod solutio istarum vacantiarum, est onus «
reale, nec in hoc versatur aliqua obligatio per- «
sonalis, cùm per aliam maneat beneficium obli- «
gatum & non persona, &c. «
Respondetur, quòd mirabiliter justificat ac- «
tum ex istis appellans, sicut supra dictum est. «
Clarum est quòd litteræ promotionum haberi «



» non possunt, donec obtulerit quod petitur ab
» eo, seque & monasterium vel ecclesiam obli-
» gaverit, nec aliter exigitur. Modo si ista sit obli-
» gatio personalis, aut jura omnia fallunt, aut est
» personalis. Nec potest esse realis, quia per obli-
» gationem quam facit de monasterio vel ecclesia
» non est hypothecaria, quia dominus non est, &
» quia non possidet tempore obligationis, & quia
» non vergit in utilitatem ecclesiæ vel monaste-
» rii; & quia ex turpi causa, & quia sine consensu
» conventus vel capituli, & quia tempore fun-
» dationis non fuit tale onus impositum, nec post
» per consensum illorum qui consentire haberent
» necessario, aliter non potest esse reale, & quando
» esset hypothecaria, adhuc discuteretur primò
» persona quæ antea fuerat obligata. Quòd mu-
» tata persona remaneat onus supra ecclesiam vel
» monasterium quod dimittit, non est verum nisi
» quantum per retentionem dictarum litterarum
» eum obligare faciunt ad solvendum, in quo
» reperiretur obligatus fuisse antecessor, & sic
» possunt exigere ab utroque totum debitum
» quando volunt. Et quòd ita sit verum patet
» per formam obligationis, quam observant in
» talibus in camera apostolica; & domini car-
» dinales quæ talis est.

Primo rubricat formam obligationis patriarchæ, archiepiscopi, vel episcopi aut electi quando in propria ut sequitur:

Vos, domine patriarcha, archiepiscope, episcope, aut electe, de licentia & auctoritate apostolica vobis in hac parte concessa, gratis & sponte offertis, dare promittitis, & donatis pro vestro communi servitio cameræ sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini, &c. Alexandri papæ V. & sacro collegio reverendissimorum in Christo patrum dominorum S. R. E. cardinalium, videlicet, &c. Florenos auri de camera boni & legitimi ponderis, & quinque servitia consueta pro familiaribus & officialibus domini nostri papæ & dominorum cardinalium prædictorum.

Item, recognoscitis eisdem cameræ & collegio ac familiaribus & officialibus omnes illas pecuniarum quantitates, in quibus prædicta vestra ecclesia reperiretur in libris ipsorum cameræ & collegii per aliquorum prædecessorum vestrorum personas obligata, quos quidem florenos, cum quinque servitiis & recognitis supradictis promittitis reddere & solvere realiter cum effectu in Romana curia ubicumque fuerit, videlicet Reverendissimis in Christo patribus & dominis dominis divina miseratione Henrico *episcopo Sabinensi, &* Amedeo *S. Mariæ novæ diacono Neapolitano & de Saluciis vulgariter nuncupatis S. R. E. cardinalibus &* Francisco *eadem miseratione archiepiscopo Narbonensi, domini nostri papæ & sacri collegii cardinalium camerariis, vel eorum successoribus aut deputatis ab eis, medietatem scilicet in festo, &c. & aliam medietatem in festo, &c. Recognita vero in alio simili festo, &c.*

Quòd si dictis loco & terminis dictorum florenorum summam & quinque servitia consueta & recognita supradicta non solvatis, ut est dictum, promittitis redire ad Romanam curiam infra quatuor menses post elapsos terminos hujusmodi vel alterum

A *eorumdem immediatè sequentem, & coram dictis dominis camerariis seu eorum successoribus aut deputatis ab eis personaliter comparere, & inde non recedere donec per vos fuerit de prædictis integraliter satisfactum. Super hoc obligatis vos & ecclesiam vestram & successores vestros ac omnia bona ecclesiæ vestræ mobilia & immobilia, præsentia & futura, ubicumque sint & consistant: & ut sitis vinculo fortioris obligationis astrictus, submittitis vos & successores vestros jurisdictioni & coertioni dictorum dominorum camerariorum, & cujuslibet eorum*
B *in solidum, ac etiam successorum suorum & deputandorum ab eis, & de voluntate vestra, quoniam hoc vultis & petitis, & hanc jurisdictionem in eos prorogatis, præfati camerarii & quilibet eorum eamdem juridictionem in se suscipientes & suscipiens in vos, mandatum faciunt & præceptum, ut de re confessata de solvendo dictam florenorum summam, & quinque servitia ac recognita supradicta, & de reveniendo ad Romanam curiam, & de non recedendo ab ea absque satisfactione, & quòd omnia alia & singula supradicta efficaciter compleatis,*
C *& attendatis; quod si non feceritis, suspensionem ab administratione spiritualium & temporalium dictæ ecclesiæ, & ab exsecutione pontificalium, & majoris excommunicationis sententias ex nunc prout ex tunc in vos canonica monitione præmissa proferunt in his scriptis: comminantes nihilominus dicti domini camerarii, & quilibet eorum, se contra vos dictum dominum patriarcham, archiepiscopum, episcopum vel electum processuros & processurum, absque alia vocatione seu monitione ad graviores pœnas & sententias spirituales & temporales, & aggra-*
D *vationes earum, prout eis seu eorum alteri placuerit seu visum fuerit expedire, & quòd vos denuntiabunt & denunciari facient per se vel alium seu alios excommunicatum, suspensum, perjurum, & aliis pœnis & sententiis astrictum, quas propter hoc in vos duxerint proferendas. Et vos, domine patriarcha, archiepiscope, episcope, vel electe, renunciatis super hoc omnibus litteris, privilegiis, indulgentiis apostolicis impetratis vel impetrandis, concessis vel concedendis quibuscumque, & beneficio appellationis & restitutionis in integrum, ac omni foro, usui,*
E *præscriptioni, & juri revocandi domum & omni auxilio juris canonici & civilis, per quod contra præmissa de jure vel de facto venire possetis, vel aliquod præmissorum, & omnia præmissa & singula juratis ad sancta Dei Evangelia tenere, servare, & approbare, & in contrarium non venire, directè vel indirectè, per vos aut alium vel alios. Si verò ante satisfactionem hujusmodi vos contingat mori, cedere vel transferri; & ille vel illi qui ad regimen ipsius ecclesiæ vobis substitutus seu substituti fuerint, infra quatuor menses post substitutionem & dictæ*
F *ecclesiæ possessionem adeptam de prædictorum florenorum summa, & servitiis, ac recognitis satisfacere non curaverit, seu curaverint, ex nunc prout ex tunc easdem pœnas & sententias in eosdem substitutos, & eorum quemlibet infligunt & proferunt in his scriptis, prout dictum est & narratum, auctoritate dictorum dominorum cardinalium & nostra proferimus in his scriptis. Et vos dominum patriarcham, archiepiscopum, episcopum vel electum, volentem, petentem & requirentem ad prædicta recitata*

condemnamus; & nihilominus monemus vos semel, secundò, & tertiò, & peremtoriè, & sub excommunicationis pœna, ut prædicta adimpleatis, attendatis, & observetis: alioquin excommunicationis sententiam in vos proferimus in his scriptis. Et vos domine patriarcha, archiepiscope, episcope, vel electe, vultis quòd per nos clericos vel notarios cameræ qui sumus hic præsentes de præmissis omnibus & singulis fiant unum vel plura publica instrumenta.

» Similes formæ sunt pro eisdem quando fit » per procuratores, & idem pro abbatibus; & sic » per tenorem dictæ formæ obligationis, constat » quòd non est reale, sed violentum personale, » sicut supradictum est, eò quòd per litterarum » retentionem ad hoc compelluntur; & licet com» posuerint formam aptiori modo quo potuerunt, » ad justificandum & colorandum factum suum, » verumtamen vitiosa est & reprobanda valde; » & propterea numquam super hujusmodi obli» gationibus voluerunt grossare instrumentum, » nec copiam obligationis dare. Peccat enim in » quatuor vel quinque substantialibus secundùm » formam juris, quòd per quemlibet intelligentem » potest clarè intueri, nec etiam cardinales, aut » eorum prætensus camerarius umquam habue» runt juridictionem, nec habent potestatem ad » hoc quam prætendunt.

» Cùm dicit ulterius idem de Scribanis appel» lans, quòd attentis conventionibus per regem » & PETRUM DE LUNA factis, videlicet quod » nihil debet innovari, unde per hoc posset im» pediri unio Ecclesiæ, cùm sit in vilipendium » totius christianitatis removere vacantias, &c.

» Respondetur, quòd removere causam quæ » præstat & occasionem dat peccati, damnationis » animarum, per quam etiam parantur scandala » & fiunt, per quam destruuntur ecclesiæ, & uni» versaliter personæ ecclesiasticæ opprimuntur, & » stant in errorem, intentioque fundatorum ec» clesiarum & beneficiorum fraudatur, & per » quæ opera pietatis impediuntur, & justitia læ» ditur, est adornare christianitatem, & eam in » debita devotione confovere, nec per hoc fit » innovatio vel immutatio contra promissum vel » conventum. Et quando hæc facta non essent aut » fierent, Romanorum rex illustrissimus & omnes » alii reges, & quicumque christiani haberent in» terpellare totum generale concilium, quòd » mora in hoc data fuisset, & ultra quod citius » veniunt qui obediunt PETRO DE LUNA, de » quo modica spes quòd voluntariè aliquid boni » faciat, & faciliùs propter hoc inclinabunt ad » recedendum ab ejus obedientia.

» Subjungit, quod ex illis appellat ad sedem » apostolicam & summum pontificem futurum, » & apostolos petit, &c. omittens concilium ge» nerale fraudulenter, non dubium quod deberet » esse judex competens in causa hujusmodi, & » quòd sedet de præsenti, & ad eum potest haberi » recursus faciliter. Et appellando ad papam, tan» tùm facit causa diffugii, ne papa videretur judex » competens, eò quòd sit pars formata, & ejus ca» mera apostolica & consilio cardinalium in hoc » uteretur, qui affectum quem ad hoc habent o» stendunt.

» Ideo ex præmissis & resultantibus ex eis tam conjunctim quàm divisim appellationem dicti « de Scribanis, neque aliam interpositam nomine « dictorum dominorum cardinalium & eorum « collegii, nec aliam interpositam per magistrum « Johannem Ponceti seu quoscumque alios in « materia hujusmodi & ipsius occasione, hæc ve« nerabilis Gallicana natio propter hoc solem« niter congregata, matura deliberatione habita, « non duxit admittendum, nec eos admittit ap« pellantes, nec eorum frivolis appellationibus « vel alteri earum esse deferendum neque defert. « Parata eadem venerabilis natio, & se offerens « velle respondere plenius ac singulariter singulis « causis ex quibus causantur & justificare nituntur « dicti domini cardinales & dictus Ponceti appel« lationes per eos suis nominibus interpositas, « quarum copiam etiam, facta debita diligentia, « habere non potuit, quandocumque dabitur ei « vel habere poterit, protestando etiam de speci« ficatione quorumdam aliorum hîc non expres« sorum. Hanc responsionem eidem de Scribanis « procuratorique collegii dominorum cardina« lium, & ipsis dominis cardinalibus, ac præfa« to Ponceti singulariter singulis quibuscumque « suis adhærentibus & adhærere eis volentibus « conjunctim & divisim pro apostolis ad quos te« neri posset dans & eis faciens & præsidens ejus« dem nationis de consensu & mandato totius « nationis, protestans eadem venerabilis natio, « & præsidens, ac singularia supposita ejusdem, « maximè & specialiter destinati pro parte præ« latorum atque cleri Galliarum ad hoc generale « concilium, de prosequendo receptam eorum « conclusionem apud præsens generale concilium, « & ubicumque de jure debitè poterit & licebit, « & de eam referendo, intimandoque & scriben« do serenissimo principi Francorum regi & ger« mano suo regi Siciliæ LUDOVICO nominato, « illustri duci Aquitaniæ primogenito regis Fran« ciæ illustris, ceterisque ducibus, & comitibus, « ac baronibus, Galliarum prælatis, ac illis de « clero qui in partibus remanserunt nobilibus, & « illis de populo omni Galliarum, ad ipsorum « excusationem, & exonerationem, & ad debitam « provisionem consequendam. «

Postmodum vero die Jovis vicesima octava dicti mensis Novembris, anno à nativitate Domini supra dicto, de mandato præfati domini patriarchæ præsidentis, fuit dicta natio Gallicana post prandium in loco solito congregata, in qua congregatione venerabilis & circumspectus vir magister Poncius Simoneti sacræ theologiæ professor supra nominatus petiit; Primo quod domini deputati pro natione Gallicana prædicta, super facto vacantiarum ad sollicitandum alias nationes faciant diligentiam apud alias nationes, quod consentiant, & ordinent, & concludant quod dictæ vacantiæ tollantur omnino. Secundo quod legatur in dicta congregatione dictæ Gallicanæ nationis responsio de quibus supra fit mentio. Tertio quod super his & omnibus connexis grossentur instrumentum & instrumenta, & quod notarii dictæ nationis in prima congregatione ejusdem nationis ostendant minutam super hoc factam & confectam.

Post quam quidem petitionem, fuit in dicta A natione apunctuatum, quod crastina die in loco prædicto legeretur prædicta responsio præfatis appellantibus facta, prout in supradicto quaterno continetur, & quod super omnibus aliis fiat bona diligentia. Et subsequenter die Lunæ secunda mensis Decembris anno supradicto, de mandato præfati domini præsidentis, fuit dicta natio Gallicana in refectorio domus fratrum Prædicatorum Constantiensium post prandium congregata, in qua congregatione fuerunt multa proposita & petita, inter quæ præfatus magister B Pontius Simoneti petiit legi responsionem & apostolos super facto prædictarum vacantiarum supradictis appellantibus factam & datos, cum usquequaque nulla lectura facta fuerit de eisdem in natione prædicta. Qua petitione facta, placuit nationi quod legerentur responsio & apostoli prædicti, prout in quaterno dato & superius descripto continetur: quem quidem quaternum decem & septem folia papyri ab utraque parte descripta continentem C ego Johannes Guardi, notarius publicus infra scriptus legere incœpi; & cum quasi medietatem perlegissem, & esset hora tarda, petitum fuit à me per multos si supererat multum ad legendum, & ego respondi quod nondum erat lecta medietas. Et cum attædiati essent, dixerunt quod crastina die residuum legeretur: & multi clamaverunt, & dixerunt quod compleatur lectura. Et tunc dominus JOHANNES patriarcha Constantinopolitanus suprascriptus recepit quaternum prædictum & lecturam perfecit usque ad D finem. De quibus omnibus & singulis suprascriptis reverendi in Christo patres aliique domini & magistri domini, Aniciensis, Vaurensis, Silvanectensis episcopi, Pontius Simoneti, Oliverius *Guenec*, ac etiam opponentes & appellantes supradicti, & nonnulli alii diversorum statuum de dicta natione in diversis congregationibus dictæ nationis, ut superius describuntur, petierunt & requisiverunt diversimode & diversis vicibus sibi per me Johannem Guiardi, & magistrum Michaelem Absalonis notarios pu- E blicos, & ad conscribendum acta, propositiones, conclusiones, & alia in congregationibus dictæ nationis facta, & fienda, per eamdem nationem deputatos, ordinatos & electos, & quemlibet nostrum fieri & confici, unum & plura, publicum & publica, instrumentum & instrumenta. Acta fuerunt hæc Constantiæ anno, indictione, diebus, mensibus, horis, loco, & congregatione, quibus supra, præsentibus reverendis in Christo patribus & dominis dominis JOHANNE patriarcha Constantinopoli- F tano, JOHANNE patriarcha Antiocheno præsidente dictæ nationis, MARTINO ATTREBATENSI, STEPHANO Dolensi, ALANO Lehonensi, VITALI Tolonensi, JOHANNE Vaurensi, OGERIO Augustensi, JOHANNE Silvanectensi episcopis JOHANNE Cisterciensi, PETRO S. Maxentii monasteriorum abbatibus, JORDANO DE MORINIS, PETRO DE VERSELLIS sacræ theologiæ professoribus, Serenissimi & Christianissimi domini nostri Francorum regis ambassiatoribus, Petro *Cauchon* Vice-domino Remensi, Petro Salomonis ordinis fratrum Minorum, in Theologia magistri, illustrissimi principis domini JOHANNIS Burgundiæ ducis una cum dicto domino Attrebatensi nunciis & ambassiatoribus, Ursino *Talevende*, Nicolao de Gonessia, Mathæo *Rodel* in dicta sacra theologia magistris, Johanne Hugoneti, Ægidio Achariæ in utroque jure licentiatis, Petro Gajetani canonico Conseranensi, litterarum sacræ pœnitentiariæ scriptore; Johanne de Monte-acuto notario publico & nonnullis aliis dominis prælatis magistris & doctoribus, ac principum, prælatorum, universitatum, studiorum, capitulorum, conventuum & aliorum diversorum dictæ nationis Gallicanæ nunciis, procuratoribus, & ambassiatoribus, multisque aliis notabilibus, & egregiis, ac scientificis viris in grandi numero & multitudine copiosa, diversis vicibus ad præmissa testibus vocatis specialiter & rogatis.

Et subsequenter interpolatis aliquibus mensibus & diebus, discretus vir Jacobus de Sabaudia apostolicæ sedis cursor, die Veneris xx. mensis Martii circa horam vesperorum anno à nativitate Domini MCCCCXVI. indictione VIIII. mihi Johanni Guiardi notario publico infra scripto præsentavit & exhibuit quasdam litteras patentes à Reverendo patre domino ANGELO de Ballionibus de Perusio decretorum doctore, archipresbytero ecclesiæ Perusinæ, sedis apostolicæ capellano, ipsiusque & ejus camerarii & causarum curiæ, cameræ apostolicæ generali auditore emanatas, & sub sigilli proprii dictæ curiæ, quo utitur, impressione sigillatas, & signo Cyni de Lambardis dictæ curiæ notarii signatas, meque monuit, ut in dictis litteris continetur, mihique dixit, quod magister Michael Rolosonis erat & fuerat bene certificatus de præmissis litteris, quibus sic per dictum cursorem peractis, copiam dictarum litterarum petii, quam mihi tradidit cursor præfatus, & de dicta copia cum præfatis originalibus litteris collationem feci diligentem: quarum litterarum tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis.

« ANGELUS de Ballionibus de Perusio, decretorum doctor, archipresbyter ecclesiæ Perusinæ, sedis apostolicæ capellanus, ipsiusque & ejus camerarii & causarum curiæ cameræ apostolicæ generalis auditor, honorabilibus magistris notariis sive tabellionibus & scribis publicis per inclytam nationem Gallicanam in præsenti sacro concilio Constantiensi existentibus ad scribendum & publicandum gesta seu per dictam nationem gerenda seu deliberanda specialiter deputatis, salutem in Domino. Querelam pro parte venerabilium & cicumspectorum virorum dominorum procuratoris fiscalis sedis & cameræ apostolicæ, nec non clericorum sacri collegii dominorum S. R. E. cardinalium recepimus effectualiter continentem, quod cum per aliquos de natione prædicta asseratur in eadem natione fuisse deliberatum & conclusum, quod deinceps annatæ in Romana curia solvi consuetæ omnino remitterentur, & nullatenus sol-

» verentur, & per nonnullos alios nationis præ- A » fatæ conclusioni hujusmodi oppositum, contra- » dictum fuerit & etiam appellatum, & appella- » tionibus hujusmodi coram responsum & plura » dictam conclusionem præcedentia & præam- » bula, & plura alia concomitantia connexa & » alia etiam inde secuta dependentia, emergentia, » & cetera quæ ad rei veritatem & ejus clarifica- » tionem & verificationem non modicam facere » & servire videntur, & per aliquos estis, ut as- » seritur, requisiti, ut omissis seu prætermissis op- » positionibus, contradictionibus, anteceden- B » tibus, præambulis, concomitantibus & con- » nexis, nec non appellationibus, responsionibus, » dependentibusque emergentibus & inde secutis, » dictam prætensam conclusionem tantum nudam » & crudam, quæ nequaquam uniformis & con- » corditer facta extitit, & absque circumstantiis » suis debitis in formam publicam reducatis, & » etiam formam publici instrumenti expediatis, » quodque vos votis eorumdem annuere nolen- » tes, licet pro parte dictorum procuratoris, fiscalis » sedis apostolicæ & clericorum alias pluries debite C » fueritis requisiti, ut ipsi pro dictæ sedis & sacri » collegii interesse & ceteris quorum interest de » præmissis omnibus in bona & debita forma nihil » de contingentibus omittendo, instrumenta pu- » blica faceretis & expediretis, mediante salario » competenti: quod tamen usque nunc facere » distulistis in grave damnum sedis & cameræ » apostolicæ, & sacri collegii dominorum car- » dinalium prædictorum præjudicium, & bonæ » consuetudinis Romanæ curiæ violationem. Su- » per quibus à nobis iidem procurator & clerici » præfati sedis & cameræ ac collegii prædicto- » rum nominibus de opportuno remedio sibi pro- D » videri imploraverunt, vobisque inhiberi, ne de » dictis prætensa conclusione & aliis dictum pro- » cessum concernentibus alicui in publicam for- » mam tradatis frustatim, separatim, & divisim, » contra formam juris & stylum officii tabellio- » natus: immo quod vos utraque simul in formam » publicam reducatis, & eis & quibuslibet peten- » tibus, quorum intersit tribuatis. Nos igitur au- » ditor præfatus non valentes neque volentes » alicui debitam & postulatam justitiam dene- E » gare, sed eam potius, ut tenemur, unicuique » debite ministrare, vos omnes & singulos præ- » sentium tenore requirimus & monemus, & per » quemcumque apostolicæ sedis cursorem moneri » volumus & mandamus, vobisque nihilominus » & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedien- » tiæ sub excommunicationis pœna, quam in vos » & vestrum quemlibet ferimus in his scriptis, nisi » feceritis quæ mandamus, discrete præcipimus, » ac præcipi volumus, vobisque ac vestrum cui- F » libet districtius inhibentes, quatenus vos & ve- » strum quilibet, seu alter vestrum, hujusmodi » prætensam conclusionem, oppositiones, contra- » dictiones, appellationes & alia supradicta depen- » dentia & connexa frustatim & per se, sive di- » visas aut separatas nulli personæ tradatis aut » publiceris: immo eas & utrasque seu quaslibet » earum simul & in uno contextu, ac sub eadem » publicatione quibuslibet petentibus obligetis, expediatis atque tradatis: vestra tamen com- « petenti mercede recepta & semper salva. Verum « si vos vel aliquis alius ex præmissis senseritis aut « senserit se aggravatum, compareatis, aut com- « pareat coram nobis causam vestri aut aliorum « gravaminis ostensuri vel ostensurus, atque re- « cepturi vel recepturus à nobis jus & justitiæ com- « plementum. Alioquin si monitionibus & man- « datis nostris hujusmodi non paruerit cum ef- « fectu, ad declarationem, denunciationem & « publicationem dictæ excommunicationis senten- « tiæ & alias ut juris fuerit contra vos & vestrum « quemlibet procedemus, vestra contumacia non « obstante. Datum Constantiæ provinciæ Magun- « tinensis in audientia domus nostræ residentiæ & « sub sigilli proprii dictæ curiæ quo utimur im- « pressione sigillatis die Jovis XIX. mensis Martii « nonæ indictionis sub anno à nativitate dominica « MCCCCXVI. apostolica vero sede vacante. Sic si- « gnatum CYNUS DE LAMBARDIS. «

Et quia ego Johannes Guiardi clericus Picta-vensis diocesis publicus apostolica & imperiali auctoritate & sacri generalis concilii Constantiensis pro natione Gallicana, & ejusdem nationis notarius, præmissis omnibus & singulis dum sic ut superius describuntur in congregationibus dictæ nationis diebus, horis interpolatis dicerentur, proponerentur, responderentur, agerentur & fierent una cum dominis testibus supra scriptis præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi: ideo huic præsenti publico instrumento alia manu in septem membranis conglutinatis fideliter scripto manu mea propria me subscripsi, & signum meum consuetum, apposui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum requisitus specialiter & rogatus. Conglutinationes autem signo meo prædicto signatas, nec non dictiones in fine prædicti instrumenti ante meam præsentem subscriptionem post dictionem *Lambardis* & ante signum meum manuale ad supra diversa positas approbo, ne de eisdem hæsitari valeat, seu quomodolibet dubitari.

VARIÆ EPISTOLÆ oratorum Universitatis Coloniensis ad concilium Constantiense directorum; aliorumque, nonnullaque monumenta de schismate, & actis in concilio Constantiensi.

Ex mſ. Bigotiano.

EPISTOLA I.

Seu littera Universitati directa per ambaxiatores ejusdem.

Significant suum in Constantiam adventum, quomodo à summo pontifice excepti fuerint, & alia nonnulla.

HUmili recommendatione præscripta reverendi Patres & domini, civitatem Con- Anno 1415

ſtantienſem poſt longas laborioſi itineris fatigas, ſumtibus etiam excreſcentibus propter augmentum pretii curruum & bigarum ultra ſolitum, intravimus ſani & ſalvi in craſtino circumciſionis Domini noſtri: & ſumus recepti in hoſpitio competenti, in quo pro hoſpitio, lectis, utenſilibus, & igne expendimus ſingulis menſibus XVI. florenos Rhenenſes. Ad quantum verò expenſæ noſtræ quas mandamus, ut poſſumus, ſe extendant ſingulis menſibus aut ſeptimanis, adhuc ſcire non valemus. Venerabilis dominus JOHANNES DE NOVOLANDE intravit in vigilia Epiphaniæ, & in craſtino Epiphaniæ fuimus in miſſa papæ, & valde reverenter una cum domino JOHANNE collocati, & ad trinum oſculum velut magnates, quia ambaxiatores civitatis & univerſitatis Colonienſis, admiſſi. Et quia idem dominus JOHANNES ante miſſam papæ fuit locutus cum domino papa, & ei de præſentia noſtra fecit mentionem; nos poſt miſſam papæ, præſentante nos reverendiſſimo cardinali de Columnis, dominus Apoſtolicus audivit in publico coram dominis cardinalibus & aliis prælatis quàm pluribus ibidem congregatis. Et brevi collatione facta per ſocium noſtrum M. THEODERICUM DE MONASTERIO, dominus Apoſtolicus cum ſingulari gratitudine zelum noſtræ univerſitatis valde approbavit. Et ſicut idem M. THEODERICUS eamdem univerſitatem coram papa humilem fore, & ad vocationem tanti Patris, & ad tanta negotia ſe reputare indignam peroravit; ita vice verſa dominus Apoſtolicus eamdem univerſitatem revera multum magnificavit, allegando & aliquantulum proſequendo *Qui ſe humiliat exaltabitur*, quodque vellet eamdem univerſitatem non ad parva tantùm ſicut in collatione petebatur admitti; immo ad majora & maxima deputari, & majoribus parificari. Inſuper bona hora venimus ad concilium; quia jam negotia concilii incipiunt efficaciter diſponi & ordinari. Et de provincia Colonienſi quoad extraneos curiæ nos primò comparuimus; & fuimus jam in duabus convocationibus nationis Alemanniæ cum multis prælatis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, præpoſitis, ambaxiatoribus, & doctoribus reverenter ſuſcepti & collocati, & ſperamus de conſolatione Eccleſiæ Dei: non poſſumus tamen reverentias veſtras particularius informare. Ambaxiatores contendentium cum domino JOHANNE papa nondum intraverunt, nec Francigenarum, nec Anglicorum, neque dominus Maguntinus; ſed iſti & plures expectantur de propinquo venturi & præcariſſimi patres & fratres, placeat pro conſolatione Eccleſiæ fideliter exorare; & à toto clero & aliis perſonis devotis exorari procuretis; quia hujus negotii neceſſitas & difficultas exigunt quod divinum auxilium devotiſſimè imploretur. De rotulo vero etiamſi adſtatim nobis mitteretur, nihil facere poſſemus: tum quia non eſſet honor univerſitatis jam in principio concilii pro hujuſmodi perſonalibus commodis inſtare. Hoc etiam an gratiæ apoſtolicæ revocentur, aut non, eſt incertum, & veriſimiliter ſciri non poteſt, niſi ſuper puncto unionis Eccleſiæ prius concludatur. Hæc ſcribimus ne videamur ſitire pecuniam inrotulatorum amplius quàm profectum & commodum eorumdem. Si tamen alia poſtea contingat occurrere, veſtris reverentiis curabimus quantocius intimare; quas feliciter conſervet Altiſſimus per tempora longiora. Datum Conſtantiæ anno Domini MCCCCXV. in craſtino Epiphaniæ Domini ſub ſigillo M. ANTONII DE VELME.

EPISTOLA II.

Oratorum Univerſitatis Colonienſis.

De mittendo rotulo, adventu prælatorum & aliorum in Urbem, & detenſione Johannis Hus.

REverendi Patres & domini, de introitu noſtro alias ſcripſimus reverentiis veſtris cum quodam N. & ſecundùm quod nobis videtur, niſi cariſtia notabilis creſcat, poterimus ſtare de pecuniis nobis aſſignatis per tres menſes vel circa à tempore introitus computando: utrum autem concilium ad tantum tempus durabit vel non, ignoramus. Si igitur placet mittere rotulum, ordinetis quod conficiatur; & cùm confectus fuerit, mittatis nobis eumdem, ſi placet: Sumus enim parati facere diligentiam noſtram tempore opportuno, ſi tamen uſque ad illud tempus poterimus perdurare in Conſtantia. Intelleximus etiam ab aliarum Univerſitatum ambaxiatoribus, præſertim Viennenſis, Erfordenſis, & Lybicenſis, quod Univerſitates ipſorum etiam intendant ſub ſpe mittere rotulos. Idem intelleximus de Univerſitate Pariſienſi; ſed quid ſit neſcimus. Inſuper eſt in Conſtantia maxima multitudo prælatorum, cardinalium, archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, ambaxiatorum & doctorum, inter quos dominus Maguntinus intravit multum ſolemniter in profeſto Octavarum Epiphaniæ cum ſeptingintis equis. Et videtur nobis quòd prædicti domini & prælati habent magnum zelum, & præcipuè rex Romanorum ad reformationem Eccleſiæ: Dominus Deus dignetur perducere ad effectum optatum. Francigenæ & Anglici, Poloni & Bohemi adhuc expectantur, propter quorum abſentiam ſeſſio, quæ fuiſſet celebrata in craſtino octavarum Epiphaniæ, eſt prorogata uſque ad feſtum converſionis S. Pauli, ad requiſitum domini regis hoc petentis propter abſentiam prædictorum. Moguntinus archiepiſcopus cum 700. equis ingreditur Conſtantiam.

De JOHANNE HUYSS capto & detento per concilium ſuo tempore ſcribemus: quia revera eſt hodie occaſio perturbationis non modicæ propter ſalvum conductum ſibi præſtitum: de quo non plura nunc. Inſuper licet Ambaxiatores PETRI DE LUNA ſint in Conſtantia, ac regis Arragoniæ, & auditi per dominum regem & deputatos per concilium, de hoc finaliter ſcribere non poſſumus, licet illi auditioni interfuimus. Ambaxiatores verò ANGELI DE CORRARIO nondum intraverunt, licet ſtent & diu ſteterint in propinquo: cujus cauſam non ex- Johannes Hus detentus.

pedit vobis scribere pro præsenti. Non plura A pro nunc. Sed quàm primùm meliora occurrerint, vestris reverentiis, quantocius poterimus, intimabimus. Item, de nulla provincia totius Alemanniæ sunt tam pauci in concilio sicut de provincia Coloniensi: speramus quòd plures sint venturi. Valete feliciter & longæve, & omnino ordinetis pro posse vestro apud clerum Coloniensem ac dominos de concilio, quòd pro reformatione Ecclesiæ devotissimè exoretur, ne tot gloriosi prælati, ambaxiatores & doctores sine optato fine separentur. Scriptum Constantiæ B ipso die S. Antonii. Magistri THEODERICI sub sigillo.

EPISTOLA III.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De adventu plurium prælatorum, & zelo Regis Romanorum.

REverendi Patres & Domini, Sessio quæ fuisset in profesto Conversionis S. Pauli, propagata est ad octo dies ex certis causis. Frater JOANNES DOMINICI heri intravit, & ex conniventia concilii dominus rex permisit eum intrare sub forma Cardinalis. De mandatis suis & potestate, ac de bono fine qui à multis expectatur informabimus vos suo tempore. Verum est quòd in introitu ejus Dux LUDOVICUS Heydelbergensis, nec non episcopi Wormatiensis & Spirensis ipsum associaverunt. Item, D Ambaxiatores domini archiepiscopi Trevirensis sunt in Constantia, Anglici pridie intraverunt in magno numero, & quotidie confluunt alii de omnibus mundi partibus, & præsertim de Alemannia, de qua habemus jam quatuor archiepiscopos, plures episcopos & abbates diversarum ecclesiarum, prælatorum ecclesiasticorum ac sæcularium, ac sex Universitatum ambaxiatores, scilicet Pragensis, Viennensis, Heydelbergensis, Coloniensis, Erfordensis & Lybicensis; inter quos non minimi reputamur. Et E revera non gratis panem nostrum manducamus, utinam felicem finem videre mereamur. Verum est quòd Serenissimus dominus Rex magnum zelum habet ad reformationem Ecclesiæ, de quo laudandus est in sæcula: qui etiam ad alleviandum civitatem Constantiensem ab excessiva hominum multitudine, mille equos de suis ad alia loca destinavit. Ista referre poteritis magistris nostris & dominis doctoribus ac aliis Universitatis nostræ suppositis. De rotulo bis scripsimus videre nostrum, verum- F tamen vestræ committimus prudentiæ, quatenus sicut vobis visum fuerit faciatis, quoniam magnam spem de fructuosa signatura vobis facere non præsumimus, nisi alia occurrerent quæ adhuc ignoramus. Valete feliciter & longæve. Scriptum Constantiæ in profesto Conversionis S. Pauli, magistri THEODERICI socii nostri sub sigillo.

EPISTOLA IV.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Significant quid actum fuerit ad inducendum papam ad viam cessionis.

REverendi domini, ad firmandum reverentias vestras in majori spe xv. die mensis Februarii de jussu Regis miserunt tres nationes Gallicana, Germanica, & Anglicana suos deputatos, inter quos fui, ad nationem Italicam; intimè supplicantes quatenus & ipsi vellent unà cum eis instare pro via cessionis apud Sanctissimum Dominum nostrum JOHANNEM XXIII. papam nostrum. Et quamquam petitio ista erat coram eis pulcherrimè per episcopum Toletanum proposita, surrexit episcopus Castellanus, & consolabatur nos de sanctissima intentione domini nostri, quam ipse à C multo tempore cognovisset. Postea quidam excellens juris utriusque doctor dominus RAPHAEL, quem papa adduxit, & est sibi multùm secretus, illud amplius confirmavit, dicens inter cetera, quòd eodem mane sanctissimus dominus noster papa dixisset, quod omnino vellet dare pacem Ecclesiæ, etiam per viam cessionis, & quatenus Spiritus sanctus numquam permitteret eum cadere ab illo proposito, vellet celebrare missam, & pro illo divinam majestatem toto corde implorare. Post hoc duo episcopi cubicularii & secretissimi domino nostro idem confirmaverunt, & addiderunt, quod si aliæ nationes prius eos requisivissent; prius libentissimè cooperati fuissent. Novissimè ille egregius doctor PETRUS DE ANCHORANO adhuc fortiùs idem confirmavit; & adjunxit quia nec sanctissimus dominus noster vellet quærere provisionem; quia magnam habuisset gloriam in mundo, ipse vellet jam aliam gloriam quærere, & ad illam habendam vitam suam dirigere. Et statim sequenti die facta sunt quæ in littera principali continentur. Sitis jam firmiter sperantes quod dominus noster est tam magnifici cordis, quod non velit videri nutritor antiqui schismatis. Idem domnus PETRUS DE ANCHORANO ibidem proposuit in natione Italicana coram aliarum nationum deputatis. *Ita desinit hæc epistola quæ videtur imperfecta.*

EPISTOLA V.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Ejusdem argumenti.

REverendi Patres & domini, noviter scripsimus vobis de inchoatione tractatus pro unione Ecclesiæ: in quo tractatu multùm affectuosè proceditur; & Celsitudo Regiæ Majestatis supra modum commendabilis de inaudita diligentia unà cum plurium Regum ambaxiatoribus,

xiatoribus, & tribus nationibus, Germanica, Anglicana, & Gallicana post longa & varia concilia super via ad unionem de sanctiori, breviori, dulciori, certiori, & magis serenativa conscientiarum apud omnes homines, inclinaverunt se ad viam cessionis omnium trium contendentium: quam etiam viam hoc die nationi Italicæ cum pulcherrimis motivis dominus Rex & aliæ nationes obtulerunt. Et non credimus aliud quin libenter velint se ad eamdem viam promovendam inclinare, præsertim quia sanctissimus dominus noster JOHANNES XXIII. licet habeamus eum pro vero papa, se ad eamdem viam coram regia majestate, & coram pluribus aliis inclinavit, reputans hoc sibi pro maxima gloria, si sic possit dare pacem Ecclesiæ; & sic omnium nostrum corda à certo tempore citra multis angustiis & melancholiis concussa exhilarata sunt. Ille qui incœpit per suam infinitam misericordiam perficere dignetur, & sicut sæpe supplicavimus, ita adhuc supplicamus, quòd ordinetis, & pro posse vestro procuretis fieri processiones & alia pietatis opera, pro consolatione Ecclesiæ sanctæ Dei, quatinus illa solemnissima congregatio sacri concilii Constantiensis non frustretur. Et quam primum ad aliqua ulteriora processum fuerit, libenter scribemus. Et rogamus quod ista referre velitis domino HENRICO URUNC pastori S. Martini, quod & ipse, si sibi videatur, referat dominis nostris de consilio. Dominus Maguntinus quia per aliquot dies infirmus fuit, post convalescentiam propter aëris illius contrarietatem se absentavit, rediturus ad mandatum regiæ majestatis, ut ab eodem domino rege audivimus. Recommendetis nos omnibus doctoribus & magistris totique universitati. Et scitote quod omnes cibi quadragesimales sunt valde cari in Constantia, exceptis offis, brionibus & fabis. In materia fidei contra errores *Wycleiff*, & *Huyss*, & suorum sequentium procedetur, isto negotio unionis aliquo modo fundato: quod non potest ita cito perfici propter insufficientia procuratoria PETRI DE LUNA. Et utinam ante dissolutionem concilii compleatur plenè. Faciliùs erit hoc concilium prolongari, quàm novum super eo congregari: quid tamen fiet ignoramus. Valete feliciter & longæve. Scriptum Constantiæ xv. Februarii.

Episcopus Moguntinus propter infirmitatem recedit à concilio.

RESPONSIO DOMINI NOSTRI PAPÆ ad petitiones nationum, quibus petebatur Constitutio procuratoria; & quòd concilium non dissolvatur ante perfectam unionem & reformationem ecclesiæ, & quòd non transferatur ad alium locum sine consensu concilii, facta die Martii in palatio apostolico publice coram omnibus.

VEnerabiles fratres & dilecti filii, ad illud quod dicitur de constituendo procuratorio ad cedendum nostro nomine papatui, videtur nobis & certi sumus, nec aliquem prudentem credimus in dubium revocare, quòd ipsa cessio ad pacem ecclesiæ multò certiùs, multò securiùs, multò celeriùs, multò honestiùs, & generaliter multò meliùs fiet per nos in persona propria, quàm per procuratores. Etenim circa procuratoris officium & respectu formæ mandati, & respectu litterarum, & alia multa opponi possunt & plura dubia oriri: quæ omnia cessant quando agit negotium persona principalis.

Secundò, quis dubitat quòd in illa conventione, antequam perveniatur ad effectum cessionis, ex parte PETRI DE LUNA & ANGELI CORRARIO, multa proponentur, plura petentur, & exponentur, & quæ nunc excogitari non possunt, quæ requirent magnum tractatum, magnam deliberationem, non solùm nostram, immo collegii & totius concilii; & ad quæ agenda nec facilè, nec securè, nec certè possent constitui, nec instrui procuratores; & propter quæ necesse esset de illo loco Nyciæ huc mittere & remittere & pluries: quæ requirerent magna temporum curricula: quæ tamen si ipsi præsentes simus, uno die poterunt expediri, & ita celeriùs fient.

Tertiò, fertur hic satis publicè; & hæc dicunt ambaxiatores regis Aragonum & PETRI DE LUNA hic stantes, quod idem PETRUS DE LUNA numquam per procuratores, neque cum alterius procuratore cedet. Quod si ita est, ut creditur, videtur necessarium quòd in propria persona fiet.

Quartò, quis dubitat hujusmodi negotium & respectu rei, & respectu nostri, & respectu totius Ecclesiæ, & hujus concilii honestiùs fieri per nos in propria persona, quàm per procuratores? Quis insuper dubitat rem multùm meliùs agi in persona propria, quàm per procuratorem? Cùm hæc attendimus, miramur satis unde procedunt ista consilia, attento quòd nos parati sumus promissa nostra exequi in propria persona. Cur à nobis qui volumus & possumus exigitur procurator? quod tamen non negamus, si essemus infirmitate detenti vel alias legitimè impediti. Miramur insuper quòd in re tam ardua, qua nulla major inter mortales est, nulla singularior (quia credimus ante nos in hoc casu similem non habuisse, & nescimus si sequentem habebit,) à nobis exigitur procurator, cùm in rebus multis quis de jure non cogitur.

Nos autem hujusmodi petitioni respondentes, volumus promissam per nos fiendam cessionem secundùm formam cedulæ per nos datæ in propria persona nostra, cessante infirmitate vel alio legitimo impedimento, exequi & perficere, accedendo ad locum Nyciæ vel alium locum vicinum per totum mensem Junii proximè futuri. Quod si fortè dubitetur de hoc, si volumus divertere, sive alias purè & sincerè non procedere & non exequi promissa; ex nunc volumus & consentimus nos efficaciter obligare, quòd in casu quo per nos stabit, quominus pax detur Ecclesiæ per nostram cessionem personaliter faciendam, quemadmodum promisimus, juravimus, & vovimus; tunc per venerabiles fratres nostros cardinales, præsens sacrum con-

cilium, & universalem Ecclesiam haberi pro non papa, & perinde ac si papatui renunciassentus. Volumus insuper quod iidem fratres nostri S. R. E. cardinales jurent pro tali nos in casu prædicto habituros; & ipsos & omnes alios in casu prædicto absolutos esse volumus ab omni vinculo juramenti & obedientiæ, quo nobis tenemur astricti. Volumus autem quòd infirmitate corporali, vel alio modò legitimo impedimentò, existent præterquàm si nobis invitis detineremur, quominus personaliter prædictam cessionem implere possemus, procuratores constituere ad præmissa per nos promissa fideliter exequenda. Et si non fecerimus, locum habeat provisio securitatis capituli præcedentis. Et nihilominus si qua alia securitas præmissorum videbitur vobis rationabilis ultra præmissa, adhuc illam vel plures non recusamus.

Ad articulum vero quod præsens concilium non dissolvatur, &c. respondemus quod optimè nobis placet & volumus.

Quantùm ad ipsum concilium transferendum ad partes illas, vel hic vel alibi manendum, videtur nobis meliùs & expedientiùs concilium ad partes illas vicinas loco Nyciæ, ubi debet esse conventio, transferri in loco habili; & hoc propter rationes prætactas.

EPISTOLA VI.

Oratorum Universitatis Coloniensis.

De zelo regis Romanorum ad procurandam viam cessionis & aliis nonnullis.

REverendi Patres & Domini, alias scripsimus reverentiis vestris quod sanctissimus dominus noster JOHANNES papa XXIII. inclinat se ad viam cessionis de papatu, si &, inquam, alii cedant. Et licet sanctum propositum ejusdem domini nostri totum concilium lætificaverit, tamen idem concilium institit apud sanctitatem suam, quatenus offerret se ad cessionem, non solùm in uno casu, scilicet cessionis aliorum, sed etiam in aliis casibus, juxta deliberationem concilii Constantiensis. Et finaliter adhoc deventum est, quod idem sanctissimus dominus noster prima die Martii post missam secretam, quam legebat in ecclesia sua, intravit palatium apostolicum, ubi coram Christianissimo rege nostro, cardinalibus pluribus, ambaxiatoribus, & aliis quàm pluribus inclinat se læto & sereno vultu ad viam cessionis juxta formam cedulæ inferius insertæ; quam clarè, plenè & planè obtulit ad magnum gaudium astantium. Ideo dominus noster rex verè Christianissimus & magna gloria dignissimus fuit præ gaudio ad fletum provocatus, ac alii prælati. Super id decantabatur alta voce usque ad finem ille dulcissimus hymnus *Te Deum laudamus*, &c. omnes campanæ civitatis pulsabantur, & idem dominus rex postea dicebat coram nationibus, quòd nunc vellet se citiùs morti exponere pro domino nostro, quàm prius ascendisset equum

Papa offert viam cessionis.

A pro ipso. Quin immo dux Heydelbergensis & prælati sui sunt propter illam gloriosam oblationem domini nostri multum ad ipsum inclinati: & credimus quod habito hoc fundamento, mittetur ad PETRUM DE LUNA; quia de ANGELO CORRARIO non dubitatur, quatenus ipse similiter faciat. Asserunt namque sui ambaxiatores, quòd hanc viam nullatenus recusabit. Et clementissimus dominus noster rex in hoc negotio unionis pugil fortissimus paratus erit in propria persona ire ad Nyceam, & ibi convenire cum rege Aragonum & dicto PETRO DE

Ad quæ inclinat Angelus Corrario.

B LUNA, juxta postulationem ambaxiatorum eorumdem. Illam namque conventionem dictus dominus noster rex in Italia existens fieri procuravit: sed aliquibus impeditus intervenientibus, non fuit impletum. Et prælati in Constantiensi concilio congregati videntur esse inclinati ad hoc quod concilium non dissolvatur ante reditum regis, seu illorum qui mittendi sunt ad regem Aragonum & PETRI DE LUNA, pensantes quòd minus difficile est hoc concilium

C continuare, quàm novum congregare, & medio tempore tractabitur de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, & de extirpatione hæresum. Et sic verisimiliter credimus quòd dictum concilium vix infra quinque menses à data præsentium finiri possit. Præsertim quia nuncii regis Aragonum dicunt, quòd conventio domini nostri regis cum rege suo non possit fieri ante primum Junii, & post hoc ad tractandum ibi & respondendum notabile tempus requiretur. Propter quam causam reverendus dominus doctor JO-

D HANNES DE VOIRB Coloniam redire deliberavit: quid autem de nobis aliis fieri volueritis, quantotius poteritis rescribatis: quoniam pecuniæ nostræ tendunt ad finem. Hoc tamen pensare velitis, quod non foret pro honore Universitatis nostræ quòd omnes recederemus: quoniam inter alias Universitates Alemanniæ existentes sex in numero, modo fuit & est satis reputata in dicto concilio. Sunt etiam bene septem Universitates de Gallia & Anglia. De rotulo

E quid expediat, informabit reverentias vestras dominus doctor supra scriptus & reverendi patres. Credimus quod illa quæ facta sunt processerunt ab immensa Dei misericordia: unde instantissimè rogamus devotiones vestras, quatenus divinam bonitatem incessanter imploretis, ut hoc quod misericorditer incœpit, ad sui nominis gloriam, & totius fidelis populi consolationem misericordissimè consummet, alios ad idem faciendum efficaciter inducendo. Vestras reverentias conservet Altissimus feliciter & lon-

F gæve. Scriptum Constantiæ prima die Martii THEODORICI socii nostri sub sigillo. Informetis de contentis in hac littera dominum N. ad referendum ea dominis nostris de concilio.



COPIA BULLÆ DOMINI JOHANNIS PAPÆ XXIII. super cessione sui papatus.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus, salutem & apostolicam benedictionem. Pacis bonum bonorum omnium excellentissimum, &c. *ut in appendice ad concilium Constantiense conciliorum tom. XII. pag. 1459. & apud Raynaldum ad annum 1415. num. 3.*

COPIA LITTERÆ QUAM IN CRASTINO S. BENEDICTI MISIT PAPA domino regi Romanorum post recessum ejus occultum de Constantia.

CArissime fili, gratia Dei omnipotentis liberi & in convenienti aëre sumus in Schafhusa; & venimus istic absque filio nostro duce Austriæ, non animo declinandi ab his quæ promisimus per renunciationem nostram facere pro pace Ecclesiæ sanctæ Dei; sed ut in libertate ac salute propriæ personæ possimus, prout indubiè volumus, ea executioni demandare. Datum in Schafhusa die XXI. Martii MCCCCXV.

Carissimo filio nostro Sigismundo regi Romanorum.

EPISTOLA VII.

Ambaxiatorum universitatis missa de Constantia ad eamdem.

De recessu papæ à concilio, de zelo Cancellarii & doctorum Parisiensium, & bellis inter regem Romanorum & Austriæ ducem.

VEnerabiles patres & domini, post recessum domini nostri papæ, qui fuit in nocte S. Benedicti, turbatus est & justè christianissimus dominus noster rex, totumque concilium, pro eo quòd tantum scandalum positum est in Ecclesia Dei. Et revera si clara die cum omni solemnitate recessisset, nec rex, nec civitas, nec aliquis alius eum impedivisset. In prima nocte ivit ad Schafhusen, & ibi remansit usque ad diem parasceves; & tunc inde recessit ad aliud quoddam castrum distans à Schafhusen per tria milliaria, & per dominos cardinales offert dare procuratorium ad cedendum tempore & loco congruis, & multa alia, de quibus non est sacrum concilium adeo contentum, sicut fuisset de sua præsentia usque ad finem ejusdem concilii, & quòd fideliter cum concilio laborasset pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, & ad faciendum alia pro consummatione unionis juxta circumstantias occurrentes opportuna. Multi enim, & valde multi propter suum occultum recessum timent ipsum aliter intendere quàm promisit & juravit, quod Deus avertat. Dominus Remensis archiepiscopus in Fran-

A cia venit de domino nostro papa cum littera credentiæ ad dominum nostrum regem; & dixit inter cetera quòd dominus papa non recessisset de Constantia metu domini regis aut suorum: & super hoc rex requisivit notarios nationum, & deputatos nationum qui præsentes erant in testimonium. Deinde dominus papa evocavit suos officiarios per quoddam mandatum de Constantia, quod tamen suspensum est usque ad *Quasi modo geniti*. Contra quod mandatum concilium providit in illa Sessione quæ fuit in vigilia Paschæ, & ut credo latiùs providebit. Item quidam

B de dominis cardinalibus secuti sunt dominum papam; alii sunt in Constantia: & vox cardinalium est ista, quod si papa prosequi velit, & prosequatur negotium unionis, sicut promisit & juravit; velint sibi favorabiliter assistere: quod si secus fecerit, velint eum deserere, & sacro concilio adhærere.

Item, post recessum papæ fuit solemnis congregatio concilii & in loco Sessionis, tamen sine

C Sessione; & ibi egregius doctor & magnus unionis zelator cancellarius Parisiensis post brevem cujusdam thematis introductionem proposuit XII. considerationes, quarum copiam vestris reverentiis transmittimus. Universitas Parisiensis bene se habet in negotiis Ecclesiæ, & habet magnam audientiam. Solent enim in arduis doctores & magistros suæ universitatis Constantiæ existentes cc. in numero vel plures congregare & de consilio eorum concludere. Item post recessum papæ sunt habitæ duæ Sessiones; una feria

D tertia post festum Palmarum, alia in vigilia Paschæ. Diffinitum in illis Sessionibus vestris reverentiis transmittimus.

Insuper dominus noster rex movet duras guerras contra FREDERICUM ducem Austriæ; & habet dominus rex magnam assistentiam principum & civitatum. Verum est quod domini cardinales cum quibusdam aliis valde instant, quod dominus rex supersedeat de illis guerris; sed res jam posita est in executione. Deus pacis intercipere dignetur, ne pauperes & innocentes luant, &c. Item, ambaxiatores domini nostri

E Coloniensis avidè expectant; & utinam omnes prælati habentes abundantiam seu competentiam de stipendiis Ecclesiæ jam non tepescerent aut dormitarent, sed sanctæ Ecclesiæ suæ matri in istis duris angustiis suis consiliis; si non in propriis personis, tamen per alios idoneos nuncios suos succurrere non negligerent: quia nisi in hoc concilio veniat Ecclesiæ salus, quando veniet? Dominus novit. Non possunt omnes prælati in hoc concilio existentes in ipso permanere usque in finem propter gravitatem expen-

F sarum, & propter ardua negotia suis ecclesiis incumbentia. Et utinam alii qui nondum venerunt nec miserunt, adhuc mitterent, ut sic hoc sacrum concilium ad consummationem unionis consummari posset. Quos prælatos sive majores, sive minores, sive alios non prælatos de beneficiis ecclesiasticis & stipendiis abundanter ditatos merito movere deberet, quod ille christianissimus Romanorum rex nullis expensis, nullis laboribus parcit, sed quasi infatigabilis

existat, & cum inexplicabili humilitate pro bono A unionis Ecclesiæ ferventissimè laboret. Vestras reverentias Deus conservet feliciter, & longæve, ad quem vestras devotas orationes incessanter effundatis, & ab aliis effundi procuretis: quoniam oratio continuata pro bono fine, inefficax esse non poterit. Scriptum Constantiæ in sancto die resurrectionis.

CEDULA AFFIXA AD VALVAS palatii episcopalis Constantiensis die Lunæ B VIII. * mensis Martii 1415.

AUdite qui sequimini quod justum est, quia, ut ait Johannes in canonica sua, nunc antichristi multi exierunt in mundum, multi adulatores, & veritatis detractores, Deo & mundo odibiles, quæ sua sunt non quæ Jesu-Christi quærentes, ponentes tenebras lucem & è converso, mortificantes animas quæ non moriuntur, &c. quos scriptura commemorat dicens: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ea propter ne decipiamini, ne fallamini, placeat se- C
Matth. 7. 16. quentia parumper attendere.

1. In primis quidem quòd hoc sacrum concilium Constantiense tam solemniter congregatum à primo mensis Novembris citra fuit per papam & cardinales mirabiliter protractum per devia tractatuum multorum inutilium usque ad primam diem Martii, in qua dominus noster papa cedulam sibi super libera cessione exhibitam acceptaverat, promisitque, vovit, & juravit se cessurum, & cetera quemadmodum in D illa continetur.

2. Item, ex post requisitus quatinus procuratorem aut procuratores constituere vellet ad cedendum, &c. semper renuit, nec acquiescere voluit, ut bene ageret: Et domini cardinales sibi in hac parte faventes protrahendo hujusmodi negotium, semper dederunt certas exceptiones, cautelas & cavillationes, ne tantum bonum haberet effectum in animarum suarum grave periculum, & istius sanctæ congregationis jacturam & vilipendium. E

3. Item, istis pendentibus, dominus papa JOHANNES XXIII. suorum promissi, voti, & juramenti immemor, volens hujusmodi negotium, videlicet istud sacrum concilium dirimere & dissolvere, quod Ecclesiam Dei militantem repræsentat, clam, furtivè, & nocturno tempore, sui cordis sequens tenebras, ab hinc cum suo comite duce Austriæ, & in habitu vili recessit, oves deserens, pro quibus seipsum impendere tenebatur, in dedecus, scandalum, ac vilipendium istius sacri concilii. F

4. Item, quòd statim serenissimus princeps dominus rex Romanorum viriliter agens ne concilium dirimeretur, corda nutantia confortavit, & sanctæ congregationi procuravit stabilimentum, totus in certamine positus. Sed non sic isti patres reverendissimi, qui à via veritatis hanc sacram congregationem avertere conantur suis cautelosis consiliis & cavillationibus: quoniam magna pars ipsorum secuti sunt patrem suum, sperantes Italiam aut aliunde ad placitum se ituros. Et quia non sperabant reperire bonam coquinam, aliqui miserè & verecundè sunt reversi; alii in Schafhusen confusè remanserunt, ne sibi deteriora contingerent.

5. Item, post hæc iste pater sanctissimus, qui est lapis offensionis & petra scandali in Ecclesia Dei, suam volens palliare malitiam, scripsit in dolo Romanorum regi litteras mendaces & falsas, quod absque scitu ducis Austriæ recesserat: & hoc constat esse falsissimum.

6. Item, quòd ex post domini cardinales inceperunt tractare cum concilio, tenentes homines in verbis, & in suspenso trahentes ex adverso, de quibus Psalmista ait, *loquuntur pacem* Psal. 27. 3.
cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Et ut istud pateat evidentissimè, advertite qualiter iste pater reverendissimus cardinalis Florentinus cedulam, quam nationes concordaverant in sessione quæ facta fuit penultima martii, suorum fretus consilio sociorum & favorum detruncavit & decurtavit, deludendo ac vilipendendo hanc sacram congregationem, in qua talia præsumentes non sunt digni ut à modo admittantur juxta illud 2. ad Corinth. *Et quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* Exite de medio eorum & separamini ab eis, & immundum ne tetigeritis.

7. Item, quales isti cardinales fuerint seu 2. Cor. 6. 14.
sint, manifestè patet in electione domini papæ JOHANNIS XXIII. per eos facta, si sanè attendatur. Nam juraverunt sanctiorem, justiorem, meliorem, & sufficientiorem ex ipsis eligere. Ipsi autem istum BALTHASAR, quem tunc sciebant tyrannum, homicidam & Symoniacum (alia prætermitto vitia quàm plura) elegerunt. Qui si eorum sanctior & melior fuit, quales dici possunt ceteri cardinales? certe deteriores. Considerent ergo oculi justorum, & videant, & judicent veritatem & mala quæ nunc sunt. Ex præmissis videmus insurgere illud quod habetur 1. q. 1. *principatus.* Difficile ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

8. Item, isti domini papa & cardinales & eorum sequaces quotidie quærunt per eorum longas oblationes, tractatuum prolongationes, ut istud sacrum concilium tædio affectum, laborum & expensarum afflictum & exhaustum dissolvatur, & dissipetur, de quibus psalmista: *In circuitu impii ambulabunt*; & ideo non am- Psal. 11. 9.
plius eis credendum, sed faciendum juxta illud 1. q. 1. *si quis.* Separamini, inquit, à viis istis durissimis, ne simul pereatis in peccatis eorum.

9. Item, istis à modo non est credendum, quoniam illusores sunt, pro quo notatur illud XXIII. q. c. Transferunt principes Juda terminos quos posuerunt patres eorum, qui immutant mendacio veritatem. Nam aliud prædicant quàm ab apostolis acceperunt.

10. Quia à Deo sacerdotes positi fuerunt & prophetæ, id est speculatores. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum, ponentes ubique scandalum. Verba sunt Hieronymi.

* Hic error irrepsit in numero. Nam hæc cedula mentionem facit fugæ Johannis papæ quæ contigit 21. Martii ac pro inde ante diem octavam.

11. Item, considerate quis umquam Ecclesiam Dei magis scandalizaverit, quam iste JOHANNES XXIII. & sui fautores cum eorum sequacibus mercatoribus, qui tam enormiter & publicè velut porcos in foro dignitates archiepiscopales, episcopales, abbatiales, canonicatus, & præbendas, ac parrochiales ecclesias pretio appretiato vendiderunt? Immo quod pejus est, bullæ non expediebantur in cancellaria apostolica, sed in barreo nummulariorum seu usurariorum & mercatorum, maxime Florentinorum.

12. Item, sol justitiæ Christus Deus & Dominus noster ementes & vendentes de templo ejecit. Illos verò papa JOHANNES XXIII. & sui sequaces in templo introducere nisi sunt, & mensas nummulariorum in templo erexerunt, quas Christus subverterat. Ista & plura alia manifesta sunt & notoria, nam in omnem terram exivit sonus eorum.

13. Item, si quæratur utrum tales simoniacos accusare necesse sit. Respondet B. GREGORIUS super Genesim de morte Abelis: Evidentia patrati sceleris clamore non indiget accusatoris. Ex quibus concludi potest, quòd isti Simoniaci sunt perfecti hæretici, quibus non est sors neque pars in hac fide Christi, quia cor eorum non est rectum coram Deo, ut habetur I. q. I. *Petrus*. Omnis avaritia cum multis aliis ibidem.

14. Item, cùm omnis Simoniacorum hæresis damnabilior esse comprobatur, ut dicta I. q. c. *eos qui*. Igitur ab eis recedendum. Nam ut ait Apostolus ad Rom. I. *qui talia agunt, morte digni sunt: & non tantum qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus*.

Papæ depositi. 15. Item, attendatur quod populus commendabiliter zelo fidei commotus CONSTANTINUM episcopum, qui erat Ecclesiæ oculus, privavit & deposuit.

16. Item, HENRICUS secundus Romam transiens BENEDICTUM IX. & duos alios qui contentionibus suis scandalizabant Ecclesiam Dei, imperiali & catholica censura deposuit, & CLEMENTEM II. Romanæ Ecclesiæ papam constituit.

17. Item, OTTO primus JOHANNEM XII. qui luxuriosus & venator fuerat, fugientem etiam à concilio deposuit; & ut dicit quidam solemnis doctor Parisiensis, violentiam gladii ipse illo abutendo potest repellere per gladium suum cum moderamine, nec agere contra papam ut papa est, sed contra hostem suum & hostem reipublicæ, sicut Ayoth qui Eglon regem Moab interfecit sagitta infixa in femore ejus, eo quòd gravi servitute populum Dei premebat, non est reputatus interfecisse rectorem, sed hostem. Hoc enim agere, non est contra Ecclesiam agere, sed pro Ecclesia.

18. Item, etiam multis aliis quæ causa brevitatis omitto attentis, consurgere necesse est cum Psalmista clamante, *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum advesus operantes iniquitatem*? Et ne amplius seducant istam sanctam congregationem fallacibus *Psal. 93. 16.* verbis & promissionibus dolosis, magna cum instantia reddere illusoribus iniquitatem ipsorum necessarium & expedit, videlicet procedendo jugiter ad sacras Sessiones & determinationes juxta canonicas sanctiones, prout tempus & personarum merita requirunt. Nam ad hoc data est huic sacro concilio potestas & virtus ab Altissimo, quæ non veretur magnitudinem cujusquam. Viriliter igitur agite & confortetur cor vestrum in Domino. Et ut docet Machab. *Verba hominis precatoris ne timueritis, quoniam stercus & vermes sunt. Nam hodie extollitur, & cras non invenitur*: sed estote fortes in bello & pugnate cum antiquo serpente. Nam si in Constantia constantes fueritis, videbitis auxilium Domini super vos, & accipictis vitam æternam, quam vobis & mihi concedat Altissimus. Amen. *1. Mach. 2. 62.*

SEQUUNTUR XII. PROPOSITIONES, quas in vigilia Palmarum proposuit coram omnibus prælatis & aliis in concilio existentibus eximius sacræ theologiæ doctor* Cancellarius Parisiensis, unus de ambasiatoribus regni Franciæ.

* Johannes Gerson

1. Ecclesiastica unitas ad unum caput Christum fit & agglutinatur per amorosum Spiritus-sancti vinculum mediantibus divinis carismatibus tamquam qualitatibus, dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam vivificam, & docentem ad opera vitæ spiritualis exercenda.

2. Ecclesiastica unitas ad unum caput secundarium, quod dicitur summus pontifex Christi vicarius, fœcundior est, multiplicior, copiosior, & major, quàm fuerit congregatio Synagogæ, & quàm sit congregatio civilis sub uno rectore, rege, vel imperatore.

3. Ecclesia habet potestatem seu facultatem ex vivifico germine sibi insito per Spiritum-sanctum, quod seipsam potest continuare inintegritate membrorum suorum tam cericalium seu formalium, quàm materialium seu fluentium.

4. Ecclesia habet sponsum indefectibilem Christum; sic quòd lege stante, nec Christus potest ipsi sponsæ suæ Ecclesiæ dare libellum repudii, nec è contra.

5. Ecclesia non ita ligatur matrimoniali vinculo ad vicarium indefectibilis sponsi, quin mutuò se possint absolvere & dare libellum repudii.

6. Ecclesia vel generale concilium eam repræsentans est regula à Spiritu-sancto directa, tradita à Christo, ut quilibet cujuscumque status, etiam papalis existat, eam audire vel eidem obedire teneatur: alioquin habendus est ut ethnicus & publicanus. Patet ex immutabili lege divina Matthæi XVIII. promulgata. Concilium generale sic describi potest; concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni statu hierarchico totius Ecclesiæ catholicæ, nulla fideli persona quæ audiri requirat exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt. *Concilii generalis diffinitio.*

7. Ecclesia vel generale concilium, dum dictat aliqua regimen Ecclesiæ concernentia, papa non sic est supra jura, etiam positiva, quòd possit pro libito disponere talia dictata per Ecclesiam eo modo & intentione, quibus dictata conclusaque sunt.

Concilii auctoritas in papam.

8. Ecclesia vel generale concilium, quamvis non possit tollere plenitudinem potestatis papalis à Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ; potest tamen usum ejus limitare sub certis regulis ac legibus in ædificationem Ecclesiæ: & in hoc est totius ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.

Concilium quando non consentiente papa possit congregari.

9. Ecclesia vel generale concilium potuit & potest aggregari sine expresso consensu vel mandato papæ etiam ritè electi & viventis in multis casibus. Unus inter ceteros est, si accusatus sit & evocatus, ut audiat Ecclesiam juxta legem evangelicam allegatam, cui legi subjectus est, & ipse renuit contumaciter Ecclesiam convocare. Alius casus ubi materiæ generales continentes regimen Ecclesiæ veniunt terminandæ per generale concilium, & papa renuit contumaciter illud convocare. Alius si jam dictatum sit per generale concilium, quòd debeat tali vel tali tempore convocari. Alter casus est ubi probabilis est dubitatio super contendentia plurium de papatu.

10. Ecclesia seu generale concilium, si viam aliquam concluserit seu dictaverit acceptandam esse à papa pro terminatione schismatis; ipse tenetur illam acceptare; & ita secundùm præparationem animi tenetur ad cessionem; & dum ultrò offert eam, & prævenit, ipse redditur multùm commendandus.

Conciliorum finis.

11. Ecclesia seu generale concilium præcipue debet intendere cum prosecutione unionis perfectæ, ad extirpationem errorum & emendationem errantium sine personarum acceptione. Similiter ad hoc quod hierarchicus ordo ecclesiasticus prælatorum & curatorum multipliciter turbatus, reformetur ad similitudinem cœlestis hierarchiæ, & conformiter ad regulas primitus institutas.

12. Ecclesia non habet efficacius medium ad generalem sui ipsius reformationem, quàm si statuatur generalium conciliorum continuatio, celebrationem provincialium non omittendo.

DECRETA ET DEFINITA IN PRIMA Sessione, quæ fuit feria tertia post festum Palmarum, pronuntiata ibidem per cardinalem Florentinum.

AD honorem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, &c. *ut in editis ad Sessionem* 3.

DECRETA ET DEFINITA IN SECUNDA Sessione, quæ fuit in vigilia Paschæ pronunciata ibidem per cardinalem Florentinum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Amen. Hæc

A sancta Synodus Constantiensis, &c. *ut in editis ad Sessionem 4. excepto articulo quarto, qui in nostro ms. desideratur.*

LITTERA UNIVERSITATIS PARISIENSIS AD CONCILIUM.

EGregii & inclyti patres, &c. *ut in Historia Universitatis Parisiensis, tom. 5. p.* 283.

B

COPIA LITTERÆ MISSÆ PER UNIVERSITATEM PARISIENSEM suis nunciis, cui littera quam scribunt papæ est inserta.

GRaviter & cum magna cordis acerbitate, &c. *ut in edit. Sessione VI. pag.* 33.

SESSIO *III. *I.V.

C Anno Domini MCCCCXV. die Sabbati sexta mensis Aprilis serenissimo & invictissimo Romanorum rege SIGISMUNDO & reverendissimo patre domino cardinali de Ursinis præsidentibus, reverendus pater dominus electus episcopus Posnaniensis de mandato & jussu totius concilii generalis publicavit conclusiones & ordinationes infra scriptas in plena Sessione.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Amen. Hæc D sancta Synodus Constantiensis, &c. *ut in edit. Sessione V pag. 22. usque ad ea quæ littera, ut vocant Italica, impressa sunt.*

EPISTOLA VIII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De actis in Sessione die VI. Aprilis, & de Bulla papæ qua fugam excusare conatur.

E VEnerabiles patres & domini, de gestis in sacro concilio Constantiensi post recessum papæ usque ad festum Paschæ inclusivè, scripsimus vestris reverentiis. Noviter de Sessione habita sexta die mensis Aprilis, conclusa in eadem fuerunt in parte conclusa in Sessione præcedenti, sed non ita extensè. Tunc enim aliqua ad instantiam dominorum cardinalium fuerunt omissa & aliqua addita, ut vestræ reverentiæ videre poterunt utriusque Sessionis diffinita inspiciendo, & in proxima Sessione, ut F credo, agetur in materia fidei contra WYCLEIFF, contra HUYSS. & eorum sequaces. Dominus noster Apostolicus stat in Louffenberch in dominio ducis Austriæ septem milliaribus à Constantia. Et heri habuimus Bullam suam in Constantia, in qua scribit universis Christi fidelibus, quomodo propter metum cadentem in constantem recesserit de Constantia, & post hoc de Schafhusa: de qua Bulla dominus Romanorum rex verè christianissimus unionis zelator ac totum sacrum concilium malè contentantur:

quoniam rex die præcedenti noctem recessus papæ, fuit cum domino papa, & coram quinque cardinalibus, & coram principibus dixit sibi, quòd nullomodo deberet timere, quia deberet esse securissimus: de quo papa tunc videbatur multum contentus. Quapropter si contingat aliquam talem bullam pervenire ad conspectum vestrum; non propter hoc intret in corda vestra aliqua sinistra suspicio contra serenissimum dominum regem; aut contra sacrum concilium: quoniam in brevi dictum sacrum concilium & rex scribent regibus, principibus, universitatibus, comitatibus, hujus rei planam veritatem. Insuper domini cardinales qui sunt in Constantia jam satis coaptant se sacro concilio, & procurabunt quòd dominus apostolicus dabit procuratores ad cedendum papatui in omni casu sub oblatione facta alias comprehenso. Quod procuratorium si dominus apostolicus dederit in illa forma quam concilium ordinavit; ex tunc omni mansuetudine ibi concilium dicto domino nostro complacebit. Si verò hoc recusaverit, ex tunc de modo procedendi congruo concilium deliberabit. Et constanter oretis Altissimum quòd bono & optato fine feliciter concludatur. Qui vos conservet feliciter & longævè. Scriptum Constantiæ IX. die Aprilis.

BULLA PAPÆ, IN QUA ALLEGAT METUM.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus, &c. *ut in Appendice ad concilium Constantiense, pag. 1471.*

LITTERA DUCIS AUSTRIÆ.

NOs Fridericus dux Austriæ, &c. Recognoscimus, &c. quod cum serenissimi principis domini SIGISMUNDI Romanorum & Hungariæ regis indignationem inciderimus, venimus in propria persona ad conspectum dicti domini regis Constantiam, &c. *ut in editis Sessione VIII. pag. 51.*

LITTERA CONCILII SCRIPTA UNIVERSITATI COLONIENSI.

Concilium significat furtivam summi pontificis fugam.

SAcro-sancta synodus in civitate Constantiensi generale concilium legitimè faciens, dilectissimis Rectori & Universitati studii Coloniensis, gratia vobis & pax.

Magnam in Domino qui glorificatur in concilio sanctorum bonæ voluntatis fideles omnes concepere fiduciam, quòd per hanc congregationem, tanto studio, tantis sumtibus, multo labore, miroque viarum discrimine, tam concordi communique totius fere Christianita-

A tis assensu collectam; loco uberi & sufficienter accommodo, fieret in primis schismatis pestiferi jam lustris septem lacerantis Ecclesiam, extirpatio diutius expectata, rediret pulcra pax velut ab exilio, tollerentur insuper hæreses & errores mille locis periculosè pullulantes, fieret consequenter errantium correctio, & denique ecclesiastici status tam in capite quàm in membris reformatio salutaris. Propter hos etenim fines hæc synodus convocata: super quorum

B desideratæ consummationis initio dum jam magna opera Domini per assumtæ cessionis viam claruissent, quibus gratulando exultabamus & gloriabamur in Domino: conversus est in luctum chorus noster, dum Pastor noster, quod mœsti referimus, noctu clam abiit, habitu transformato, insalutatum deserens gregem suum, ipsumque suo facto dissipans, & hujus sacri concilii auctoritatem miserabiliter evacuans, quantum in ipso fuerat, si desuper non providisset Altissimus. Compellebat quo-

C que officiarios curiæ suæ tremendis edictis sua sequi vestigia; propter quod ipsum plures numero cardinales comitabantur, & concurrebant ad eum quàm plurimi, fortè prædam sequentes, non hominem: quorum tamen pars major; pastore sic per abrupta gradiente derelicto, ad hoc ovile dominicum est reversa. Ceterùm cùm nullum efficacius nocumentum excogitare potuerat malignus hostis ad invalidationem prædictorum tam feliciter inchoatorum, & plausibiliter receptorum super oblatione viæ cessionis; allegata est per ipsum dominum

D papam super suo recessu causa justi metus cadentis in constantem. Ita enim publicis litteris inseruit: Adjiciens ad recessum, inquit, nostrum, non tam movit nos metus mortis, quæ omnium terribilium ultimum est, sicut hoc unum, ne hac occasione captata, PETRUS DE LUNA olim BENEDICTUS XIII. & ANGELUS CORARIO GREGORIUS XII. in eorum obedientiis nominati, allegantes impressionem nobis illatam, se quoquo modo retraherent à cessione prætensi juris quomodolibet in papatu. Existi-

E mamus autem, veracissime Deus, hoc edictum quale perspicuum existat cuilibet intuenti. Mira siquidem est vis veritatis, falsitas verò sibi ipsi dissona est, seque destruit. Nam per sanctos sanctasque omnes quo pacto potuerat efficaciùs, ne dicatur callidiùs, oblatio viæ cessionis jurata, vota, & promissa per ipsum dominum papam reddi calumniabilis apud alios contendentes? quod tamen refugere videri conatur plusquàm mortem, prætendendo metum, ubi nulla erat, coram Deo loquimur & testamur, judicio nostro

F causa vel occasio justi metus. Si saltem non aliunde metus inerat, quem conscientia solet præsumere turbata, quæ fugit nemine prosequente. Justus autem ut leo confidit. Quæ singula inspector cordium judicet Deus. Porro viderit ipse dominus papa, pudet dicere, sed dicendum est, quid à modo de suis promissionibus, juramentis, & votis sperare fas habemus, quando suspicionem hanc ingerit: quod dum magis se paratum omnibus exibere videtur, tunc

inquiet, non mea libera voluntate, sed pro alieno arbitrio hæc feci, vel obtuli. Hoc verò dicere quid aliud esse videtur, quàm à promissis & juratis occasionem quærere discedendi? Ita-ne docuit Christus bonum pastorem fugere, & non dare potiùs animam pro ovibus, omnibus se confidenter exponendo periculis, & ubi timor non est aliquatenus non trepidare? Quid præterea, quid pollicitus erat idem dominus papa? pridie & paucis ante diebus semel & pluries ab hoc loco Constantiensi se nequaquam discessurum, præsertim clandestinè, cùm de serenissimo Romanorum & Hungariæ rege semper Augusto, hujus sacræ conventionis fidelissimo protectore, plenissimam se gerere fiduciam apertiùs affirmaret: & utique satis esse debuerat ad non timendum salvus conductus ab eodem rege probatissimæ & antiquæ fidei principe, & unionis optatæ ferventissimo zelatore jam concessus. Offerebat nihilominus alteram omnem, quæ ad tutè manendum peteretur & avisaretur, securitatem ante & post ipsius cessionem. Hæc idcirco summatim volumus in vestram & omnium perferre notitiam; quatenus nulla adversus hoc sacrum concilium & eorum quæ gerit, gestaque sunt, informatio sinistra prævaleat, sive per litteras sive per relationes falsas, subdolas, atque fictas: provisuri ad ulteriora, sicut visum fuerit Spiritui-sancto & nobis, tam super hoc recessu scandaloso, probroso, & damnoso, quàm super omnibus propter quæ saluberrimum hoc concilium tamquam efficacissimum ecclesiasticæ libertatis & honestatis reformativum & ordinatum existit congregatum: tantum modo qui cœpit Deus ipse perficiat, & à nostra nos expectatione non confundat, orationum totius Ecclesiæ catholicæ sedulò propitiatus interventu. Ad quæ omnia & similia vos & omnes zelum Dei ac suæ Ecclesiæ habentes cum omni celeritate & efficacia concursuros speramus. Denique super ceteris omnibus actis & agendis certam proponimus informationem tempore opportuno transmittere, quandoque in scriptis, quandoque per nuncios. Hæc tamen interim suscipiantur ut acta fuerant de præsenti. Verùm quia honorabilis GOTFRIDUS DE DURSEM artium magister ac sacræ theologiæ baccalareus vestri præsentiam cum præsentium exhibitione visitabit: ideo sicut eidem præmissa singula vobis distinctiùs & latius referre commisimus; ita sibi tamquam sufficienter instructo in suis dicendis fidem adhibere velitis creditivam. Datum Constantiæ provinciæ Magutinæ in publica sessione die decima septima Aprilis, reverendorum patrum JOHANNIS patriarchæ Antiochensis, JOHANNIS archiepiscopi Rigensis, ROBERTI episcopi Saresberiensis & JACOBI episcopi Jadriensis sub sigilis.

Illuminatis & scientificis viris Rectori & Universitati studii Coloniensis zelatoribus pacis & unionis Ecclesiæ devotissimis.

EPISTOLA IX.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De actis in concilio post papæ fugam.

VEnerabiles patres & domini, recessu domini nostri papæ, de quo alias scripsimus vobis, non obstante, sacrum Constantiense concilium adhujus schismatis extirpationem & ad Ecclesiæ sanctæ reformationem in capite & in membris, quantùm Deus dederit, efficaciter est intentum & erit in futurum: Et quatuor nationes sunt, Deo dante, in prosecutione præmissorum amplius quàm pridem sperabatur, concordes; & ut speratur de contingentibus nihil omittetur. Mittimus reverentiis vestris actitata in quarta sessione post recessum domini nostri papæ, quæ fuit XVII. Aprilis, & revera multum solemnis. Formam verò procuratorii nondum mittimus; quoniam nondum nobis constat de assensu domini nostri papæ. Verum est quod idem procuratorium est valde studiosè confectum, ut per gratiam Dei suo tempore videre poteritis: ita quod quilibet duo ex universo numero procuratorum constituendorum, aliis invitis aut nescientibus, etiam papa invito, præsente vel absente, cessionem papatus facere possunt in omni casu in cedula cessionis cujus copiam alias misimus comprehenso. Et domino nostro jam existente in *Friborg* oppido ducis Austriæ, distante à Constantia fere per tres diëtas, vadunt ad ipsum ex parte totius concilii duo cardinales cum aliis per concilium deputatis pro illis expediendis quæ in prædicta Sessione decreta sunt; & hodie, videlicet XVIII. die Aprilis sunt exituri. Insuper recessus papæ de Constantia statim innotuit universitati Parisiensi, quæ sacro concilio & papæ & regi, & dominis cardinalibus atque suis nunciis scripsit super eodem. Copias verò litteræ missæ ad concilium ac alterius litteræ missæ ad nuncios suos vestris paternitatibus unà cum dictis actitatis transmittimus, quatenus illius almæ universitatis zelus utique commendabilis cunctis cedat in exemplum. Insuper credimus quod dominus Coloniensis, & civitas, & vestræ reverentiæ, sint in brevi à sacro concilio litteras certas suscepturi. Sic enim est in prædicta sessione decretum, quòd hujusmodi litteræ per universam Christianitatem sint ad veritatis testimonium contra forsitan dicto concilio aut domino regi minus justè detrahentes, & indecentem fugam papæ colorantes. Alia de præsenti non occurrunt; sed ut scripsimus, sitis sine intermissione orantes pro Ecclesia Dei, ut consolationem ab illo recipiat cujus misericordiæ non est numerus, qui & vestras paternitates in omni felicitate conservet per tempora longiora. Scriptum Constantiæ XVIII. mensis Aprilis THEODERICI DE MONASTERIO sub sigillo.

DECRETA

DECRETA XVII. APRILIS IN PUBLICA Sessione quæ fuit quarta post recessum papæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Hæc sancta synodus Constantiensis generale concilium faciens, & Ecclesiam catholicam repræsentans, in Spiritu-sancto congregata ad consequendum facilius pacem & unionem Ecclesiæ decernit, declarat, ordinat, statuit & definit ut sequitur.

Et primo decernit & declarat procuratorium &c. *ut in editis in Sessione VI. p. 26.*

EPISTOLA X.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Significant acta in papam post ejus fugam, reconciliationem ducis Austriæ cum rege Romanorum, & alia nonnulla.

VEnerabiles magistri & domini, alias scripsimus reverentiis vestris de statu sacri concilii per dominum PETRUM DE ERPEL. Misimus vobis etiam acta quartæ sessionis post recessum papæ: post cujus domini PETRI recessum, misit sacrum concilium duos cardinales cum aliis octo prælatis & doctoribus, qui credentes eum invenire in *Friburg*, non invenerunt eum ibi, quia processerat ad Brisacum, ubi invenerunt eum. Et prima die ipse prætendens infirmitatem non dedit eis audientiam; sed die sequenti audivit eos, & post auditionem dixit se velle deliberare & respondere; & die immediate sequenti mane recessit ab illo loco, ipsis insalutatis & insciis, tendens ad Burgundiam. Sed Deus aliter ordinavit: quia dux Austriæ ipsum licet invitum reduci fecit in *Fryburg*: ad quem locum nuncii dicti concilii ipsum comitabantur: sed quod rationabiliter petebant nomine concilii non obtinuerunt, nisi sub conditionibus difficilibus, concilio non placentibus. Præsumsit etiam concilium quod cum allegasset metum se habuisse in Constantia, quòd à fortiori suo tempore allegaret metum se habuisse in *Friburg*, & propter hoc totum quod ibi fecisset fore irritum& inane. Quapropter sacrum concilium concorditer quoad omnes nationes deliberavit amplecti viam justitiæ & rigoris contra papam; & in secunda die Maii in sessione publica citatus fuit papa ad comparendum nona die sequenti in publica sessione, visurus decerni & declarari suum recessum clandestinum esse, & fuisse damnosum, & opprobriosum Ecclesiæ sanctæ Dei, de hæresi suspectum, deviativum à juramentis & votis per ipsum factis; & alias responsurus cur propter malam administrationem ac alia crimina universalem Ecclesiam notoriè scandalizantia ejici non debeat de papatu.

A Interea dum hæc agerentur dominus FREDERICUS dux Austriæ sub salvo conductu regis, sacri concilii, ac etiam civitatis, venit personaliter ad Constantiam ob spem gratiæ à rege consequendæ, & post multos tractatus ad hoc deventum est, quod quinta die Maii hora tertia post meridiem, domino rege existente in refectorio fratrum Minorum cum multis prælatis & aliis deputatis quatuor nationum, præsentibus etiam pluribus illustribus, prædictus dux FREDERICUS per illustres LUDOWICUM B de Bavaria fratrem Reginæ Franciæ, & Borgravium de Norembergа præsentatus fuit regiæ celsitudini, ubi procidit ad genua sua; & Borgravius pro eo dixit hæc verba vel similia in effectu. « Avunculus meus dux Austriæ de omnibus offensis factis sacro concilio, & regiæ celsitudini humiliter petit indulgentiam; & suam personam ac totum suum dominium, totam terram, ac omnem populum sibi subjectum plenè & planè ponit ad gratiam vestram, rex serenissime, ut de illis facere possitis sicut vestræ C placuerit celsitudini. Promittit etiam quod faciet dominum papam ad hunc locum Constantiensem reduci, & sacro concilio præsentari. Supplicat tamen idem avunculus meus pro honore suo conservando, quatenus per sacrum concilium & vos dominum regem papa de vita sua assecuretur, & etiam de bonis ad suam personam pertinentibus, quæ secum adducet ad dictam civitatem; & quod similis securitas detur venturis cum eodem; & quod etiam idem sacrum concilium velit eidem papæ post cessio- D nem suam de statu competenti providere. » Istis propositis per dominum Borchgravium, dictus dominus FREDERICUS aperta & intelligibili voce personaliter dixit hæc verba ad dominum regem: « Dilecte gloriose domine, sicut avunculus meu à parte mei petiit; ita & ego peto, quod recipiatis me & mea ad gratiam vestram; & illa quæ dicta sunt volo bene & fideliter adimplere, & vestræ celsitudini semper servire. » His gestis, Rex verba proposita per dominum E Borgravium distinctè repetiit, & quæsivit an ita dixisset. Quo respondente sic, & duce consentiente, & super genibus sedente, recepit eum ad gratiam, & surgere fecit. Et sic pater misericordiarum & Deus totius consolationis, iterum suæ Ecclesiæ zelatores post tristitiam duplici gaudio non modico exhilaravit; scilicet de papæ reductione, & restitutione terræ ad pacem. Nec modica necessitas impulit dominum ducem ad faciendum ea quæ promissa sunt: quia certum est quòd dominus rex per suam F potentiam latam & extensam jam abstulit ab eo vi armorum quadraginta fortalicia, civitates, & castra, & visibiliter ipsum exterminasset.

Insuper CAROLUS DE MALATESTA est in via veniendi ad Constantiam cum magna comitiva episcoporum, abbatum, & doctorum, habens plenissimum mandatum ex parte GREGORII vocati in sua obedientia. Et dominus rex post hunc mensem movebit se versus Nyciam; & ex certis conjecturis firmissimè speratur quod ibi

A habebit de vocato BENEDICTO quoad negotium unionis suam voluntatem: vel fortè si obstinatio ipsius vocati BENEDICTI recalcitraret, quòd ad minus habebit suam obedientiam pro sua voluntate: ita quòd sumus in magna spe consequendæ unionis diu expectatæ: quod nobis ille concedat cujus potentia atque sapientia & insuperabilis bonitas omnem malitiam sufficit superare: cujus misericordiam vestræ reverentiæ dignentur pro isto fine devotissimè implorare, & quatenus ab aliis Christi fidelibus similiter fiat pro posse ordinare, quas vestras reverentias eadem divina bonitas conservet incolumes feliciter & longæve. Scriptum Constantiæ VII. die Maii.

EPISTOLA XI.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De reductione & suspensione papæ: de damnis in Hungaria illatis à Turcis, & detensione Johannis Hus, &c.

Venerabiles patres, magistri & domini, improvisus occursus nuncii coegit me scribere cursoriè de actis in concilio. In crastino Ascensionis Domini fuerunt missi per concilium & dominum Regem ad conducendum papam, archiepiscopus Rigensis, & quidam archiepiscopus de natione Gallicana, & dominus Burggravius Norembergæ, nobilis genere & virtute; quos papa multum sponte, ut apparuit, secutus est, & erunt hac nocte in oppido *Selle* prope Constantiam ad duo milliaria; & quo cras ibunt, non certifico. Insuper XIII. Maii fuit sessio in qua accusabatur contumacia papæ, suorumque sequentium & receptatorum. Et fuerunt deputati commissarii ad audiendum testes super mala administratione sua & criminibus: & fuerunt deputati judices ad audiendum causas devolutas & devolvendas ad concilium. Et fuit lecta littera universitatis Parisiensis missa concilio: quæ universitas plenè & constanter se concilio conformat. Et licet in eadem sessione fuerit per dominum cardinalem Florentinum exhibitum procuratorium pro parte papæ, ubi constituit cardinales, Cameracensem, S. Marci, & Florentinum in procuratores; nullus tamen ipsorum onus acceptavit: Et non apparet aliud quin cardinales velint stare cum concilio. Et eadem die post prandium domino rege existente apud fratres Minores cum deputatis nationum, fuit primò lecta copia bullæ apportatæ per quemdam de cancellaria comitis Palatini: in qua GREGORIUS vocatus in sua obedientia concedit suæ obedientiæ quod conjungat se concilio Constantiensi in quantum BALTHASAR papa noster non præsideat.

Damna in Hungaria à Turcis illata.

Item, tunc lectæ fuerunt tres litteræ missæ domino Regi per fideles suos de Ungaria, in quibus continebatur inter alia, quod Turci valde damnificarent quædam regna Ungariæ, & hoc ad suggestionem Venetorum, qui præstitissent eis sexcentos balistarios & bumbardos, seu pixides, & victualia. Quibus lectis dixit Christianissimus rex: Et si oporteret perdere totum regnum Ungariæ, non dimittam Ecclesiam & hoc sacrum concilium. Item, tunc lectæ fuerunt litteræ missæ domino regi & nationibus concilii per CAROLUM DE MALATESTA, qui est in via ex parte GREGORII cum plenissimo mandato, impeditus propter defectum salvi conductus, quem jam habiturus est post reconciliationem ducis Austriæ cum domino rege.

Nota pietat...

B Item, tunc domino rege recedente, quidam nobiles de Polonia & Ungaria intraverunt ad deputatos nationum, allegantes pro magistro JOHANNE HUYS detento per concilium de hæresi, quod duo milites ibidem præsentes ipsum adduxissent sub salvo conductu regis Romanorum, ut ibi respondeat de fide sua omnibus volentibus sibi objicere; & quomodo nec auditus, nec convictus incarceratus esset, & usque ad hunc diem graviter detentus; in quo honor Regis & honor ipsorum valde læderetur, C cum pluribus aliis, quæ longum esset scribere. Quorum occasione sacrum concilium in causa illa procedet ante recessum domini regis de propinquo instante de benignitate & justitia, prout ordo juris & rationis dictaverit: & cras de mane domini cardinales Cameracensis cum octo deputatis de nationibus, quorum unus inutilis sum Ego, ibunt ad castrum propinquum civitati Constantiensi, ubi pro nunc iste *Huys* detinetur, ad loquendum secum super certis. Item, D XIIII. Maii fuit sessio publica, in qua sacrum concilium præmissis præmittendis amovit papam ab amministratione tam spiritualium, quam temporalium per suam sententiam, cujus copiam pro nunc non mitto, quia tempus non habui. Alia non occurrunt, sed dignentur vestræ devotiones divinam pulsare misericordiam, quatenus tot & tantis angustiis & difficultatibus suam Ecclesiam non derelinquat; sed optatum finem feliciter & breviter videre faciat cum lætitia. Scriptum Constantiæ in vigilia Pentecostes meo sub sigillo.

E *In ms. codice sequitur parvum spatium in pagina vacuum, deinde sine titulo sequentes quinque articuli.*

1. Et prima veritas est quod nequaquam in hoc sacro concilio debent interesse papa & cardinales, seu in tractatibus qui fiunt in eodem concilio. Ratio quia ibi est agendum de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris principalibus, scilicet de papa & cardinalibus; sed illi non possunt nec debent esse judices in facto proprio, & per consequens etiam ipsa non reformata in illis, remaneret deformata in ceteris F membris.

2. Quia cùm ipsi domini cardinales electores domini JOHANNIS papæ scientes eum esse talem prout fuit & est, nihilominus ipsum elegerunt in papam, ubi optimum debebant elegisse, vel saltem mediocriter bonum & utilem, abusi sunt potestate eligendi, & debent privari electione; & alias sunt maximè puniendi, propterea quòd per talem abusivam electionem ipsorum totam

nostram ecclesiam scandalizarunt; & sic nullatenus hujusmodi concilio & ejus actibus debent interesse.

3. Quia cùm ipsi domini cardinales dictum dominum papam post ejus turpem fugam de Constantia, & per quam totam scandalizavit & obumbravit Ecclesiam, illicentiati per hujusmodi concilium secuti fuerunt, eo ipso se reddiderunt suspectos vehementer prædicto concilio; quasi approbantes dictam fugam: quod etiam plures actus sequentes ipsorum aliqui huc reversi amplius declararunt; & sic etiam perinde reddiderunt se valde suspectos, qui ad hoc quod ex tunc non poterint sive possint eisdem concilio & actibus interesse.

4. Quia cùm ipsi domini cardinales vel plures ipsorum huc reversi post eamdem fugam, etiam aliqui eorum qui hic remanserunt publicè asseruerunt, quòd post recessum dicti domini JOHANNIS papæ talem qualem de Constantia, dissolutum fuit concilium prædictum: ita quod ex tunc non fuerit concilium, sed conciliabulum, videntur enormiter errasse, salva pace tantorum patrum, hoc casu saltem quo agitur quod schisma tollatur, & vera unio fiat in ipsa ecclesia, & ut illa in capitibus reformetur: quia concilium in illis casibus est supra papam & cardinales, & dependet immediatè à Deo; Et hoc non fallit secundùm theologos & doctores juris canonici expertos & veraces, ac evidentissimas rationes; & per consequens ipsa dicentes seipsos excluserunt à concilio & actis antedictis; nec non reddiderunt se suspectos vehementer quoad illa, nisi faterentur ante omnia se errasse; & submitterent se ordinationi concilii memorati.

5. Quia interim quod revocabuntur vel suspenduntur generales reservationes papales dignitatum, &c. numquam poterit ipsa ecclesia reformari in capite & in membris per quemcumque etiam ingeniosum & potentem, nec per ipsum concilium, neque etiam provideri super hoc, quin ipse dominus papa inveniat sibi favorabiles & fautores potentes, ut lac sugant de eo, scilicet aurum, quod plures sole libentiùs speculantur: invenietque semper emptores dignitatum in copia, & ab eis habebit aurum copiosè: & quamdiu hoc durabit, ipse suique sequaces, nec non ceteri ambitiosi, quorum infinitus est numerus, hujusmodi concilium dividebunt.

LITTERA QUAM UNUS CARTUSIANUS SCRIPSIT ALTERI.

De reductione & suspensione papæ, de custodia ducis Austriæ, de regis itinere Nyciam & Johannis Hus examine.

VEnerabilis domine, de novis scitote, quod die Veneris papa reductus est ad Sellam distantem ab hoc loco ad duo milliaria, & ibidem stabit quousque deputetur sibi locus tutus, &c. Omnes dereliquerunt eum, excepto *Bokenheim* coquo, & *Francisco Policiano*: & hodie in cœna venit *W. Boicholta* qui fuit secum in prandio & nobiscum in cœna, qui retulit nobis lamentabilem ejus vitam. Venit in desperatione personæ, in continuo fletu, accusat multos de malo consilio, & præsertim *Vischop Henken Van. Menss.* dux Austriæ non est captus, sed honestè stat hic in bona custodia, non potest abhinc recedere; & *Svvitzch* ac alii inimici sui capiunt possessionem suorum castrorum, oppidorum, &c. Perdidit huc usque XLVIII. oppida & castra, quæ vidi nominatim in scriptis. Verum quod concordia facta est, sed tradimentum conceptum contra regem in recessu suo versus Nyciam in Francia, de quo totum concilium turbatur, videlicet, quomodo Venetiani, Florentini, & JOHANNES papa procurarunt per pecunias apud ducem Austriæ, comitem Sabaudiæ, ducem Burgundiæ de interceptione regis. Absit quod hoc verum sit Sed hoc in publico & in præsentia omnium nationum hodie hora vesperorum in præsentia ducis Austriæ dux LUDOVICUS Bavariæ coram rege exposuit. Ambaxiatores ducis Burgundiæ & comitis Sabaudiæ surrexerunt, & flentes excusaverunt eorum dominos. Rex valde benignè & providè respondebat, asserens hæc non posse credere, &c. sic quòd ex his maxima est tribulatio concilii, quia rex paratus est, iturus versus Nyciam: nec credo quòd propter ista recedet à proposito. Omnia fuerunt hic in competenti foro, immo multo meliori, quàm umquam in Bononia aut Roma.

Die Mercurii proxime futura erit Sessio in qua JOHANNES HUYS, ut credo, judicabitur ad ignem. Heri præsens fui in examine ejus & numquam vidi ita audacem & temerarium ribaldum; & qui ita cautè sciret respondere detegendo veritatem. In ultima Sessione præterita quæ fuit die Martis XIV. Maii papa fuit suspensus ab administratione tam in spiritualibus quam in temporalibus, tamquam suspectus & notorius dilapidator bonorum ecclesiarum. Et bulla hodie est sibi subtracta, ut audivi; & vidi hora vesperorum bullatores intrare hanc civitatem. In prima Sessione post sententiam *Huyss.* feretur sententia diffinitiva contra papam: quia de multis criminibus accusatus est; & timeo quod probata sint, maximè Simonia, homicidia, & intoxicatio ALEXANDRI. Alia non occurrunt quæ possum ad præsens scribere. Valete, &c. Scriptum Constantiæ, XIX. Maii.

Johannis Hus audacia.

HÆC SENTENTIA LATA FUIT XIV. MAII.

IN Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, Amen. Quia nobis constat dominum JOHANNEM papam XXIII. à tempore, &c. *ut in editis ad Sessionem x. pag. 66.*



EPISTOLA XII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De papæ depositione & aliis multis.

VEnerabiles patres & domini, nuper per quemdam familiarem BALDEWINI DE DIICK scripsi reverentiis vestris quòd die XIV. mensis Maii fuerat papa suspensus ab amministratione tam spiritualium quàm temporalium in Sessione publica cùm est celebrata; & de quibusdam aliis quæ nunc non repeto, processurus ad alia quæ facta sunt. In XXVI. die Maii in Sessione publica fuerunt lecti quàm plures articuli, L. aut plures contra papam, sufficienter probati, & alii multi articuli, quia nimis sordidi erant omissi, quamvis scripti fuerunt & probati. Die verò sequenti missi fuerunt ad ipsum in *Selle*, ubi ipse jam stat, quatuor prælati de quatuor nationibus cum notariis & testibus, ad exhibendum sibi hujusmodi articulos cum attestationibus eorumdem, ut responderet ad quemlibet eorum prout sibi videretur, &c. Quibus nunciis comparentibus coram eo, recusavit hujusmodi articulos videre, vel audire, & dixit quòd vellet se in omnibus dare ad gratiam sacri concilii; & si contingeret ipsum sacrum concilium procedere ad sententiam contra ipsum, illi sententiæ nollet contradicere, sed potius eam laudare & approbare, eisdem nunciis supplicando quatenus vellent eum sacro concilio & regiæ majestati fideliter recommendare: qui domino regi, per eosdem nuncios litteram scripsit valde provocativam ad clementiam & pietatem, sibi supplicando, quatenus suam solitam clementiam & pietatem circa personam suam non negligeret, cum pluribus aliis de quibus transeo. Deinde mensis Maii XXIX. scilicet in profesto Sacramenti, in Sessione publica valde solemni, in præsentia domini regis & dominorum cardinalium XVI. in numero, fuit dictus JOHANNES papa per sententiam concilii depositus & ejectus de papatu; & omnibus fidelibus inhibitum, ne in antea aliquis ipsum pro papa habeat, nominet, aut ei obediat. Et ex parte concilii dominus rex tamquam advocatus & protector Ecclesiæ ipsum tenere debeat sub bona custodia, quamdiu sacro concilio visum fuerit expedire: pœnas quoque sibi infligendas pro suis criminibus sacrum concilium sibi reservavit. Quæ sententia erit per omnes cardinales, alios prælatos, & nuncios, & ambaxiatores subscribenda.

Item in eadem Sessione decretum fuit, quòd nullo modo procedatur ad electionem novi pontificis, donec videatur huic sacro concilio expedire, suspendendo omnia jura positiva, etiam conciliorum, quibuscumque super eo concessa, & consuetudines in contrarium facientes. Item, decretum fuit in eadem Sessione, quòd nec BALTASAR DE COSSA, nec ANGELUS CORARIO, nec PETRUS DE LUNA ullo umquam tempore eligi deberent in papam. Item, decretum fuit quod judices concilii, qui sunt quatuor A prælati de quatuor nationibus alias deputati, deberent prælatos absentes vocare ad concilium sub pœnis, prout visum fuerit, illos præsertim, qui non habent suos procuratores legitimos in eodem. Item, licet notabilis numerus armatorum sit pro custodia pridem papæ deputatus, tamen ultra sunt duo notabiles de qualibet natione, & paucissimi de suis sunt secum. Et licet multi etiam extranei sibi compatiantur de hoc magno casu: tamen tolerabilius est hoc fieri, quam honestatem Ecclesiæ Dei ab intoleB rabili malitia, quæ jam à pluribus annis citra crescendo pervenit ad excessum, penitus absorberi.

Insuper quidam magister HIERONYMUS qui famatur de hæresi suspectus, fuit feria quinta post Pentecostes festum præsentatus concilio per illustrissimum Bavariæ ducem, comitem Palatinum Rheni, & tenetur in carceribus. Quem dominum ducem LUDOVICUM intendit dominus rex instituere, ut post suum recessum sit C sacri concilii protector. Sed omnino vult dominus rex quod idem dux LUDOVICUS, antequam hoc fiat, cum suis ab obedientia vocati GREGORII recedat plenè & expressè, ac sacro concilio se conjungat & conformet, nec alias sacrum concilium ipsum reciperet in protectorem. Alia non occurrunt. Dignetur Altissimus vestras reverentias longæve conservare incolumes: quem pro sua Ecclesia militantem quatenus contra suos adversarios triumphare valeat, fidelissiD mè exorare non cessetis. Scriptum Constantiæ in profesto Sacramenti.

Item, hodie scilicet in festo Sacramenti dominus noster rex recepit duplicia bona nova, quæ fecit publicari in præsentia deputatorum nationum. In primis quòd CAROLUS DE MALATESTA, qui stetit in via impeditus propter defectum salvi conductus, quem sibi denegavit vocatus dominus Mediolanensis, jam illo sibi præstito, de mandato domini regis est in veniendo; & cito erit in Constantia cum plenissiE mo mandato ex parte vocati GREGORII. Item, idem dominus rex recepit litteras à rege Aragonum propria ejus manu scriptas, in quibus efficacissimè hortatur nostrum regem ad conveniendum secum juxta condictum, & offert se concursurum cum omni conatu ad unionem ecclesiæ Dei. Recepit etiam duo instrumenta publica unum à dicto rege Aragonum, aliud à vocato BENEDICTO, ratificantia & approbantia omnia capitula per nuncios eorum cum domino rege conclusa & jurata super conventione F eorum cum rege nostro in Nycia, &c. Et sic non restat aliud nisi quod habita conclusione cum CAROLO DE MALATESTA dominus rex iter arripiat.

SENTENTIA QUA JOHANNES XXIII. privatur papatu per generale Constantiense concilium, quæ lata fuit XXIX. mensis Maii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Sa-

cro-sancta generalis Constantiensis synodus in Spiritu-sancto legitimè congregata, invocato Christi nomine, &c. *ut in editis Sessione XII. pag. 95.* A

COPIA LITTERÆ QUAM JOHANNES PAPA PROPRIA MANU SCRIPSIT DOMINO REGI.

CArissimo in Christo filio SIGISMUNDO Romanorum regi semper Augusto, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. regi. Ea salute, &c. *ut in edit. Sess. XI. pag. 87.* B

EPISTOLA XIII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De cessione papatus facta à Gregorio XII.

REverendi patres, magistri & domini. Diu non scripsi dominationibus vestris, quia non occurrerunt aliqua scribi digna. Jam verò desiderans dominationes vestras gaudiorum sacri concilii fore participes, eisdem duxi intimandum, quod post introitum CAROLI DE MALATESTIS ad Constantiam, nuncii quondam domini GREGORII XII. multi tractatus fuerunt habiti cum eo super renunciatione papatus domini sui prædicti: ad quam faciendam loco & tempore opportunis plenissima mandata exhibuit. Et quia sibi videbatur hujusmodi cessio seu renunciatio differenda usque ad Nyciam, quo se iturum cum rege Romanorum spoponderat, ad videndum quid vocatus BENEDICTUS facere vellet, post multos tractatus super eo habitos, vix precibus & rationibus inclinavit se ad faciendum hujusmodi renunciationem in Constantia, Christianissimi regis Romanorum solita diligentia & instantia concurrente, sine quo revera nihil potuissemus, nec in his, nec in aliis. Et postquam capitula super utriusque obedientiæ honore salvando concepta fuerunt & conclusa per deputatos, & approbata per nationes; domini cardinales difficultates aliquas ingesserunt, pro eo quod sacrum concilium tempus, modum, formam electionis futuri pontificis sibi reservavit juxta tenorem capitulorum vestris reverentiis transmittendorum: sed Deo volente, cui nullus resistere potest, iidem domini cardinales post sacri concilii rationabilem informationem & requestam, in eadem capitula omnia & singula plenè consenserunt: asserentes quod nedum in istis, sed in omnibus aliis parati essent se sacro concilio conformare. Et sic de communi omnium nationum, dominorum cardinalium, ac illorum de parte GREGORII consensu facta fuit Sessio publica quarta die Julii, quæ fuit dies S. Udalrici, in qua dominus cardinalis Pisanus missam celebravit, & ante inceptionem missæ sacrum generale concilium Constantiense fuit per nuncios dicti GREGORII juxta tenorem bullæ ibi lectæ approbatum; & quantum ex parte sui erat ex superabundanti convocatum. In quam approbationem ex superabundanti cautela, & in favorem unionis sacrum concilium Constantiense expressè consensit. Et statim cardinalis GREGORII ibi præsens nostris cardinalibus, & patriarcha patriarchis, episcopi episcopis in publica Sessione se fraternaliter conjunxerunt. Quo facto, decantabatur solemnis missa de sancto Spiritu, infra quam post evangelium fuit per me quidam sermo factus, quem tamen propter intensos calores, quibus illa intensa multitudo, quæ præsens erat, æstuabat, ad votum perficere non potui. Deinde finita missa, multa capitula fuerunt per sacrum concilium diffinita & conclusa, honorem & concordiam ambarum obedientiarum concernentia. Quo facto, magnificus & magnæ sapientiæ vir CAROLUS DE MALATESTIS prædictus, collatione præmissa super excusatione honoris & famæ domini GREGORII bene longa & matura, sine omni pacto prævio occulto vel manifesto, ex parte domini sui, tamquam procurator irrevocabilis & sufficiens, liberè & sponte cessit & renunciavit papatui domini sui, amministrationi & omni juri quod domino suo quomodolibet competiit, aut competere potuit in eodem. Quo facto, decantabatur per sacrum concilium alta & læta voce *Te Deum laudamus*; & omnes campanæ pulsabantur, & omnes unionis zelatores gavisi fuerunt gaudio magno. In proxima Sessione quæ erit post cras, ut creditur, feretur sententia damnationis contra *Huyss.* Et credo quod tradetur judicio sæculari, pro eo quòd licet dixerit se prius velle stare informationi & directioni sacri concilii, jam tamen abrenunciationem & revocationem quam sacrum concilium dictavit recusare videtur. Capitula concordata inter sacrum concilium & CAROLUM prædictum vestris reverentiis quàm primò potero transmittam. Christianissimus rex noster est statim iturus versus Nyciam, pro cujus prosperitate & salute ordinetis in omnibus sermonibus & alias per zelatores Ecclesiæ Dei fideliter exorari, quia à tempore CAROLI MAGNI nescio si fuit similis illi. Alia pro præsenti non occurrunt. Scriptum Constantiæ quarta die Julii meo sub sigillo.

Sequuntur acta Sessionis XIII. sed aliquanto contractiora quam in editis.

EPISTOLA XIV.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Significant regem Romanorum ad procurandam Ecclesiæ unionem Nyciam esse profectum, & privilegia Gregorio post cessionem indulta.

POst humillimam recommendationem venerabiles patres, magistri & domini, vestris reverentiis præsentibus duxi intimandum, quod hoc die XV. mensis Julii, in quo celebratur festum divisionis sanctorum apostolorum in omnem terram se dividentium, ut omnes per orbem à vera fide deviantes in unum recollige-

rent, christianissimus dominus rex, ad eumdem finem à sacro concilio post missam de Spiritusancto & letaniam cum orationibus & benedictionibus ad hoc congruis, cum sibi adjunctis se divisit, iter versus Nyciam arrepturus quantocius, ad perfectam ejusdem Ecclesiæ unionem procurandam, qui una cum comitibus suis itineris sit vestris devotionibus fideliter recommissus. Et quatenus ejusdem regis pia intentio vestras reverentias non lateat, scire dignemini, quòd dicti mensis die XIII. vocatis prælatis, & aliis deputatis quatuor nationum sacri concilii, loquebatur cum eisdem in effectu, quomodo omnibus suis negotiis neglectis, jam diu laborasset in negotio Ecclesiæ, & vellet inchoatum laborem continuare cum divino adjutorio usque ad totalem schismatis extirpationem; quamvis regnum Hungariæ impatientissimè ferret tam diutinam suam absentiam. Et adjunxit quòd non solùm intenderet ad pacem Ecclesiæ, sed etiam ad pacem omnium regnorum & principum christianitatis, non ob gloriam mundanam sibi per hoc acquirendam, de qua nihil curaret, quia expertus esset quàm fallax & vana illa existeret, sed ad gloriam Dei; & ut per hoc medium pacis in christianitate habitæ posset succurrere cum auxilio christianorum per generale passagium terræ sanctæ, in qua Christus Dominus noster est crucifixus, mortuus, & sepultus, ut illa non per blasphemos nominis Christi, sed per veros ejusdem Christi cultores inhabitaretur. Et multùm humiliter supplicavit sacro concilio, quatenus in omnibus istis sibi efficaciter cooperari vellet. Addens quòd in hac via vellet tractare de perpetua pace inter Franciam & Angliam, inter duces Aurelianensem & Burgundiæ, inter regem Poloniæ & Cruciferos de Prussia. Tractatus inchoati sunt in Constantia, & speratur omnino de bono fine ante dissolutionem concilii. Multum etiam seriosè recommendavit dominus rex sacro concilio ecclesiam Coloniensem, multùm dolens de ejus oppressione, & alias ecclesias oppressas generaliter; & petiit provideri per sacrum concilium, quòd prælati ecclesiastici non foverent in terris suis prædones & maleficos pacem terrarum turbantes. Recommendavit etiam sacro concilio imperium, & quod inter imperium & ecclesiam semper mutuus amor nutriretur. Et deinde proposuit quomodo comitem Palatinum Rheni ibidem præsentem in protectorem sacri concilii pro tempore suæ absentiæ deputasset. His & aliis per dominum regem disertè & humiliter propositis, responsum fuit sibi ex parte sacri concilii in effectu, quod ipsum sacrum concilium non sufficeret ad plenum regratiari suæ regiæ majestati de suis immensis laboribus & sanctissima intentione, & paratissimum esset ad sequendum monita sua, desiderans quatenus ipse dominus rex dignaretur in favore solito ad sacrum concilium perseverare usque in finem.

Insuper in Sessione publica, quæ fuit XV. mensis Julii supra dicta, fuerunt lectæ & decretæ quædam provisiones pro statu domini GREGORII pro eo quòd sponte & liberè sine omni pacto papatui quem prætendebat renunciavit. Prima quod debeat habere aliquem titulum cardinalium episcoporum, & gaudere commodis & privilegiis eorumdem. Secunda quòd debeat esse legatus de latere in Marchia. Tertia quòd pro nullis per eum gestis debeat inquietari. Alia non occurrunt, nisi quòd Turci reliquerunt Hungariam, & quòd CAROLUS DE MALATESTIS cum omnibus fratribus & amicis suis vult firmissimè stare cum Ecclesia & cum domino rege. Et dilectissimi patres, quia prædictus dominus noster rex agit commune negotium totius Christianitatis, lex gratitudinis exigit quòd ab omnibus pro ipso, ut salvus vadat & cum optato fine redeat, suppliciter exoretur: unde sacrum concilium in hodierna sessione ordinavit, quòd singulis diebus dominicis usque ad reditum Regis debeat fieri solemnis processio cum missa per sacrum concilium, & omnis qui intererit habebit centum dies indulgentiarum. Et similiter quicumque missam celebraverit ubicumque terrarum, & pro salute regis ut salvus vadat & cum optato fine redeat, oraverit, habebit totidem. Et qui alias dixerit *Pater noster* cum *Ave Maria* ubicumque terrarum pro salute ejusdem Regis, XL. dies indulgentiarum consequetur. Valeant vestræ paternitates feliciter & longævè, & omnino ordinetis quatenus pro domino rege fideliter exoretur, quia à sua persona dependet salus Ecclesiæ plus quàm ab alio aliquo mortali. Scriptum Constantiæ mensis Julii die XV.

Sequuntur positiones & articuli dati contra papam Johannem per procuratores sive promotores concilii Constantiensis infra scripti, omnia fere ut in editis sessione XI.

EPISTOLA XV.

Oratorum Universitatis Coloniensis.

De regis itinere & tractatu de reformatione Ecclesiæ.

VEnerabiles domini, nova specialia non occurunt, nisi quod dominus noster rex ivit per Sabaudiam viam brevissimam ad Nyciam; & Comes Sabaudiæ occurrebat sibi cum magna reverentia, ipsum diligentissimè conducendo, & credimus firmiter quòd jam sit in Nycia. Item, intelleximus quòd ex parte obedientiæ BENEDICTI sit optima dispositio ad unionem, & quòd renunciatio BENEDICTI celeriter fiet: & quòd dominus noster rex sit citiùs quàm credebatur cum optato fine Constantiam rediturus. Item, Constantiæ tractatus de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris est inchoatus, & ut spero cum maturitate continuabitur; quia ad illum tractatum tres de dominis cardinalibus & de qualibet quatuor nationum sunt sex deputati ad concipiendum. Inter quos Ego licet inutilis sum pro natione Germaniæ deputatus. Deus det nobis intelle-

ctum & voluntatem bene faciendi. De confectione rotuli nescio quid adhuc scribere, quia de collatione beneficiorum per quem vel quos fiet indubiè tractabitur; & nondum est tractatum. Videtur expediens quòd rotulus esset paratus; & si postea inveniretur quòd esset expediens ipsum mittere, mitteretur: Si verò non esset expediens, cuilibet restitueretur suum. Nescio quid aliud consulere. Valeant vestræ reverentiæ feliciter & longævè. Universitatum nuncii existentes Constantiæ non dormient, sed vigilanter curabunt pro Universitatibus laborare. Scriptum Constantiæ prima die Augusti.

EPISTOLA

Nuntiorum concilii Constantiensis ad Petrum de Luna.

Directi cum rege Romanorum ad Petrum de Luna significant suum in Narbonam civitatem adventum, nihilque hactenus actum, obsistente Regis Aragonum ægritudine.

Reverendissimis in Christo patribus & dominis præstantissimis præsidentibus ceterisque almæ nationis Germanicæ concilii Constantiensis.

Reverendissimi patres domini præstantissimi post recommendationem & promptam obsequii voluntatem vestris dominationibus innotescat, quòd pridem, die videlicet decima mensis præsentis, corporibus, equis, ac rebus nostris Dei gratia sanis & salvis, venimus ad hunc locum, quem eadem gratia dirigente Serenissimus princeps & dominus noster SIGISMUNDUS Romanorum, Ungariæ, &c. rex inclitissimus die dicti mensis xv. eo quòd feriùs applicandi Narbonam de Serenissimi domini FERDINANDI regis Aragonum & domini PETRI DE LUNA voluntate pariter & assensu ad eamdem diem fuerat prorogatus, cum tota sua comitiva sospes & salvus ingressus est, & ex post die xx. mensis præfati per notabilem ambasiatam dicti Petri de Luna, qui pro parte sua die XIX. præcedente in magna episcoporum, doctorum, atque militum multitudine huc applicuit, sub hoc themate *Descendit justificatus in domum suam*, reverenter & honorificè nobis & aliis sacri concilii nunciis assistentibus salutatus fuerat & susceptus, quemadmodum hæc & alia in litteris per præfatos nuncios dicto sacro concilio communiter destinatis plenius & latius continetur. Verùm patres reverendissimi, quòd his sic gestis, nihil in principali negotio, maximè quoad visiones mutuo celebrandas & alia nobis injuncta negotia usque in hunc diem fieri poterat, seu congruis modis pertractari, ægritudine corporali dicti domini regis Aragonum etiam usque ad horrendæ mortis periculum obsistente. Nunc autem idem Rex Redemtoris nostri gratia saluti seu sanitati pristinæ restitutus in parte, non absque medicorum suorum dissuasione manifestâ, divinæ se penitus committens dispositioni, iter de Valentia per mare arripuit, & heri Deo duce ad prope villam Perpigniani prosperis appulit successibus, eamdem per currum in diem crastinum ingressurus, totaliter & peroptimè, quantum nos concipere possumus, ad pacem Ecclesiæ, nec non Christi fidelium totalem reintegrationem dispositus & cordialiter inclinatus, quemadmodum etiam ex copiis litterarum prædicto domino nostro Romanorum regi infra biduum per eumdem transmissarum, quas vestris circumspectionibus reverendissimis præsentibus inclusa destinamus, luce clarius poterit apparere. Jam igitur tempus acceptum mutuæ visionis & practicæ finalis super nobis commissis cum desiderio per nos expectatum advenit: in quo ea quæ fient & concludentur præfatis vestris dominationibus quantocius fieri poterit curabimus intimare. Quas Altissimus pro salubri & felici Ecclesiæ reformatione, &c. salubriter & feliciter juxta vota dignetur conservare. Supplicamus nihilominus instanter, quatenus nos de mora scribendi eædem vestræ paternitates velint habere excusatos: quia per recessum nostrum de Gebennis usque in diem istum nihil certi de quo scribere congrueret occurrebat. Datum Narbonæ die XXV. Augusti MCCCCXV. mei Ripensis sub secreto.

Earumdem reverendissimarum paternitatum humiles nuncii, PETRUS Ripensis episcopus, CONRADUS de Susato sacræ Theologiæ, & LAMBERTUS de Stipite sacrorum canonum professores.

EPISTOLA

FERDINANDI ARAGONUM REGIS AD SIGISMUNDUM ROMANORUM REGEM.

Intineri se commisisse significat pro indicto colloquio.

Serenissimo principi SIGISMUNDO Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. regi, fratri nostro præcarissimo FERDINANDUS eadem gratia Rex Aragonum, Siciliæ, &c. salutem & operis gloriosi propositum votivo exitu consummare.

Serenissime princeps, frater nobis præcarissime, in hujusmodi data, noctis crepusculo ante locum *Conit* in nostri galea recto tramite nostrum iter continuantes vestras recepimus litteras, nostris aliis novissimis responsivas, quarum glorioso contextu perlecto, serenitati vestræ præsentibus intimamus, quòd die mercurii proximè transacta mare cum proposito ingredi, ad gradum civitatis Valentiæ accessimus: sed superveniente aura contraria, oportuit nos in quibusdam ambulatoriis equites ad monasterium B. Mariæ *Delping*, ubi proposueramus accedere, flectere iter nostrum: & post vigiliam illa nocte ibidem in aliquibus exeniis celebratam, Jovis die sequenti ingressi maria, accessus nostros tenuimus continuo & sine aliqua digressione,

marisque nulla passione in nos operante, huc attigimus Deo propitio gloriosè; & ipsius gratia cooperante intendimus cras in logia civitatis Barchinonensis, prandio sine cœna solum assumto, idem nostrum iter celeriùs quò poterimus maturare, ut negotia gloriosissima quæ vos & nos illuc flectunt, quæque à cunabulis citra menti habuimus infixa, à quibus nulla pericula, nulli labores, nec alia quæque contingentia seu sinistra nos retrahent, operis experientia & vestri & nostri continuo participata labore in actum ut discimus perducantur, & tantum patrem & principem actuali visione, ut concupivimus, contemplemur. Moram igitur, serenissime princeps, frater nobis præcarissime, totis præcordiis rogamus vestram serenitatem patienter admittat, quem nostræ personæ ægritudo & indispositio produxerunt. Hæc enim, princeps serenissime, frater nobis præcarissime, quæ intra manus geritis & augent vestri nominis gloriam per universum dilatatam orbem, & Christi, cujus res agitur, caritate vos imbuunt, & ad Ecclesiam venire vos facient suam beatitudinem cum electis. Datum in nostri galea in maritimis *Conit*, xxv. die Augusti sub nostro sigillo secreto anno à nativitate Domini MCCCCXV.

Præsentata xxviii. die mensis Augusti.

EJUSDEM EPISTOLA ALTERA AD EUMDEM.

Hac littera quamvis de data anteriore fuit similiter cum prioribus datis xxv. Augusti præsentata significat se quàm citiùs profecturum ad colloquium pro negotio unionis indictum.

SEreniſſimo principi SIGISMUNDO Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. regi, fratri nobis carissimo, FERDINANDUS eadem gratia rex Aragonum, Siciliæ, &c. salutem debitam cum honore.

Serenissime princeps, frater noster carissime, serenitatis vestræ literas hilari fronte recepimus, quarum tenore plenius gratuito animo intellecto contextu hujusmodi intimamus, quod de infirmitatis ac diræ nostræ ægritudinis articulo & nonnullis aliis jam vos & intimante fideli consiliario & ambaxiatore nostro PETRO *de Falche* legum doctore, & nostris diversis litteris satis plenè reddidimus certiores. Et licet, excellentissime Princeps, medici & alii nostri accedentes habentes notitiam, recessum nostrum tam per mare quàm per terram non sine præstationibus dissuadeant, diversa profutura nostræ personæ pericula prævidentes: eorum verumtamen pro tanto Dei servitio spreto consilio, infra hebdomadam secuturam auxiliante Deo, quodcumque grave immineat periculum, avidissimi & incœptum propositum sacrum prosequi, & personam tanti principis videre, quod summè optamus, proposuimus per mare, quia celerius iter, absque alia diversione proficisci, A & ad villam Perpiniani sine itineris ulla reflexione personaliter nos conferre: ita firmiter sperantes in Domino, cujus res agitur, quod ab omni periculo nos servabit illæsum. Et etiam si placeret altissimo aliter de nobis disponere, non verebimus pro tam almo redemtore nostro, ut credimus, acceptissimo famulatu personam & vitam nostram eidem ut victimam immolari. Hoc quidem, Christianissime princeps, frater nobis carissime, vestræ excellentiæ deducimus B non ambiguum sed jocundum, quàm interno rogamus affectu, quatenus pro bono & directione negotii, si jam civitatem Narbonæ attigeritis, placeat cum sanctissimo domino B. papa XIII. seu aliis quibusvis in nullo materiam unionis Ecclesiæ sacro-sanctæ in particulari aliqua specie practiquare, quousque nos ibi aderimus personales: ut eo tunc diurnum ad quod anhelamus, gratius & acceptius prosequamur. Et si qua, serenissime princeps, frater nobis carissime, de regnis & terris nostris grata vobis oc- C currant, nobis fiducialiter intimetis. Datum Valentiæ sub nostro sigillo secreto XVII. die Augusti anno, &c.

EPISTOLA TERTIA EJUSDEM AD EUMDEM

SEreniſſimo principi SIGISMUNDO Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. regi, fratri D nostro præcarissimo, FERDINANDUS eadem gratia rex Arragonum, Siciliæ, &c. salutem debitam cum honore.

Serenissime princeps, frater nobis præcarissime, excellentiam vestram volumus non latere, quod hodie die mercurii per centum milliaria navigantes, huc in villam Canquiliberi vergente sole in occasum appulimus; & cum intendissemus ad locum *de Conit* per mare nos conferre, qui distat à villa Perpiniani per solam leucam; quia plaga est malefida carinis, ad E moram evitandum & syrtes, proponimus cras duce Deo hinc discedere, & per totum diem sabbati, ut parcamus indispositioni personæ nostræ, villam Perpiniani prædictam intrare. Datum in villa Canquiliberi XXVIII. die Augusti anno, &c.

Præsentata * *XXII. die Augusti*,

EPISTOLA

F SCRIPTA CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI PER ANGLEUM CORARIO

Post factam per Gregorium XII. cessionem concilio humiliter se subiicit.

SAcro sancto Universali concilio Constantiensi devotionem & subjectionem cum humili recommendatione.

* Error in numero, nam si die 28. Augusti fuit scripta, die 22. præsentari non potuit. Forte legendum 31.

humili

Humana conditio post peccatum primi parentis fragilis facta est, nec ullum ex suis operibus perfectum consistit, quin adjici ad perfectionem non possit, vel non accidat ad intentionem obstaculum: quia cùm homo partes in se habeat ab invicem dissidentes, secum rixatur; & ille felix est, cui de cælo datum est appetitum voluntate, & voluntatem integra regi ratione. Et cùm sit difficile ascendere ad felicitatem, à se excludere rixam non est facile: quantò magis societatem humanæ mentis finibus divisam, suspicionibus agitatam, detractionibus seductam, adversis voluntatibus laceratam, opinionibus variatam, passionibus corruptam à discordia liberari & in perfectam uniri formam est arduissimum reputandum? & hinc omne magisterium in actibus est arduum humanis, nec aliud est magnum in illis nisi recta ratione approbandum, Sed cùm duo mala incidimus, si alterum sine peccato nostro sequimur, magnum reputamus. Ea propter cùm ad congregationem per regiam majestatem in Constantia habitam & vocatam potestatem Beatissimi Petri à Salvatore nostro Jesu-Christo capite nostro sibi Petro pro se & successoribus datam, quam tunc in persona nostra esse indubiè tenebamus, quomodo potuimus participandam, misimus per magnificum virum filium nostrum carissimum CAROLUM DE MALATESTIS tamquam personam nostram, ut ejus sacratissimæ potestatis usu schismata extirparentur, & universalis pax haberetur Ecclesiæ, & clerus & verus papa sequeretur quem licite & affectuosissime adorarem: qua potestate per modum participationis plenæ sufficienter ad & circa præmissos effectus per vos recepta, ô synode inde sacrata & sanctificata, habita simplici credulitate de nostra renuntiatione obtemperavimus votis vestris. O synode sancta, cui me subjicio, desiderans ex intimis cordis in usu illius sacratissimæ potestatis beatissimi Petri vobis participatæ nullum fuisse defectum, & circa provisionem ex benigna providentia pro honestate papatus, ut pote mihi gratiam factam benivolam cognosco, & fidelibus laboribus sacro concilio me submitto: supplicans humiliter eidem, ut fideliter & efficaciter intendat ad reintegrationem & schismatis extirpationem: cui sacro concilio tardavi scribere expectans ambasiatam ejusdem, quæ dicebatur mihi destinari, quatuor ambassiatorum, quæ nondum applicuit. Datum Racaneti die septimo Octobris millesimo quadringentesimo quinto decimo, octava indictione.

Humilis & devotus vester ANGELUS *episcopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis.*



A

EPISTOLA XVI.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De colloquio Perpiniani habito inter regem Romanorum & Petrum de Luna, ac regem Aragonum.

B POst humilem recommendationem, venerabilis domini & amici. Heri novissimè recepimus nova de domino nostro rege, ista scilicet, quod rex decima nona die Septembris intravit Perpignianum, ubi fuerunt rex Aragonum & BENEDICTUS, non obstante quod quàm plures hoc sibi dissuaserant propter pericula quæ timebant sibi per hoc imminere, volens inchoatum Dei negotium prosequi ut incœpit. Et citò post introïtum suum ascendit ad castrum munitissimum, in quo erat BENEDICTUS, à quo erat honestissimè receptus: & habuit singulare colloquium cum eo per duas horas vel ultra, ex C quo ipse BENEDICTUS fuit ad profluvium lachrymarum permotus, & posuit regem nostrum in bona spe, dicens quòd intentionis suæ esset omnino dare pacem Ecclesiæ. Deinde idem rex noster sequenti die visitavit regem Aragonum in lecto decumbentem & expectantem parochismum suum, qui cum magna lætitia recepit eum & omnes sui, promittens efficaciter se cooperaturum ad finem pro quo venerat. Et ipsa lætitia quam conceperat ex præ- D sentia regis, parochismum exclusit, & ipsum regem Aragonum ad statum convalescentiæ reposuit. De honore vero ipsi regi nostro per ipsum BENEDICTUM & per regem Aragonum & per civitatem, & de variis pretiosis donariis multa scribuntur & famantur. Et post hæc processerunt ad tractatus pacis Ecclesiæ, qui eò usque perducti fuerunt, quòd scribentes erant in firmissima spe optatæ confirmationis negotii inchoati. De statu verò concilii Constantiensis aliud scribere non possum, nisi quòd multum E laboratur circa reformationem Ecclesiæ, & avidè expectantur diu optata nova renunciationis BENEDICTI: quæ omnia perficere dignetur ille qui solo verbo restaurat universa, cujus clementia vestrarum reverentiarum salus & protectio. De rotulo scribo sicut sæpe scripsi, quòd in omnem eventum compleatur; sed ejus missio differenda videtur, donec vestras reverentias super hoc avisavero. Videtis etenim quod istud negotium electionis novi pontificis F dilationem capit, & nequaquam expediret quod pecuniæ de rotulo provenientes ante tempus consumerentur. De collatione beneficiorum adhuc nihil est conclusum, nec, ut credo, cito concludetur. Et tota mentis meæ angustia atque sollicitudo circa hoc versatur, si possit Universitatibus studiorum utiliter provideri. Scriptum Constantiæ XI. die Octobris.

RESPONSIO FINALIS FACTA DOMINO IMPERATORI PER PETRUM DE LUNA IN PERPINIONE XIII. OCTOBRIS PRÆSENTIS 1415.

CUm per Sereniſſimum dominum D. SIGISMUNDUM regem Romanorum fuerit ſupplicatum domino noſtro papæ BENEDICTO, quòd ipſe qui propter antiquitatem, ſcientiam, & negotiorum experientiam debet præ ceteris iſta ſcire, velit viam ſeu vias aperire per quam vel quas poſſit in Dei Eccleſia breviter unio haberi.

B

Prædictus Dominus noſter quoad providendum ſaluti animarum & ad obviandum erroribus & ſchiſmatibus quæ ſunt & oriri poſſunt, reſpondit: via ſecurior & ſalubrior eſt via juſtitiæ, quam ipſe ſemper obtulit & offert, & quæ faciliter videri poteſt.

Si tamen præfatus dominus rex & alii ad prædictam viam condeſcendere nolint; ſed in via renunciationis perſiſtant; dominus noſter reſpondet, quòd remoto obſtaculo Piſano, ſicut continetur in cedula tradita per epiſcopum Samorenſem, prout alias obtulit, nullam aliam excludendo, paratus eſt propter Dei ſervitium & ipſius Eccleſiæ unionem renunciare papatui; proviſo prius ſufficienter quòd per reges & principes Chriſtianitatis aſſumendo ſeu eligendo in poſterum in papatum tamquam vero Chriſti vicario obediatur; & quòd futura electio fiet canonicè & in loco ſecuro ſtatim poſt ejus renunciationem, ſuper quorum prattica & exſecutione placeat domino noſtro aliquas perſonas eligere, quæ ſimul cum aliquibus per dominum regem aſſignandis præmiſſa breviter videant & concordent.

C

D

S. & ſignata ff. REUNA.

PRÆSENTATA EST HÆC CEDULA IN PERPINIONE XIV. DIE MENSIS OCTOBRIS 1415.

ANte omnia per Sereniſſimum principem dominum imperatorem congregentur exiſtentes in Conſtantia ſimul cum collegatis & præfato domino noſtro hic in Perpinione exiſtente in unum locum notabilem & liberum, ad quem omnes nationes liberè poſſint venire, ſtare, redire. Et inter cetera loca offerantur per dominum imperatorem & præfatos legatos villæ ſeu civitates ſequentes, videlicet Lugdunenſis, Avenionenſis, vel Montiſpeſſulani, Tholoſa, Marcilienſis, Vig. Nemauſenſis, Vitterenſis. Quo facto, fiat & determinetur per totum ſacrum concilium, ſicut dictum eſt congregatum, in modum qui ſequitur, ante renuntiationem.

E

F

Sacro ſancta Conſtantienſis Synodus in Spiritu-ſancto congregata decidit, declarat, determinat, concludit proceſſus omnes & ſingulos

A factos ſeu promulgatos in concilio Pyſano contra dominum PETRUM DE LUNA tunc BENEDICTUM XIII. in ſua obedientia nuncupatum eſſe nullos, caſſos, irritos, & inanes: quos tenore præſentium caſſat, irritat, & annullat, & ſimpliciter nullos eſſe aut fuiſſe aſſerit & judicat, ſive dicti proceſſus facti fuerint contra ejuſdem domini noſtri perſonam mediatè vel immediatè, ſive contra aliquem vel aliquos conjunctim vel disjunctim de ſua obedientia.

Ex pari forma ibidem annullentur, ipſo domino & illis de ſua obedientia præſentibus, omnes & ſinguli proceſſus per ipſum quovis modo facti contra quaſcumque perſonas vel quemcumque alterius obedientiæ, ſeu aliarum obedientiarum: quibus ſic completis, convocabitur per ipſum dominum B. totum concilium univerſalis Eccleſiæ tam aliarum obedientiarum quàm ſuæ: & ibidem fiet habilitatio & abſolutio per ipſum dominum B. de conſenſu pariter & voluntate totius ſacri concilii tunc ibidem congregati, ſi & in quantum fuerit opportunum; Et immediatè poſt ibidem & in eadem ſeſſione fiet renunciatio per ipſum dominum B. & deponet toto concilio præſente inſignia papalia, &c.

Antequam tamen imperator concilium in Conſtantia exiſtens vocet ad locum per dominum BENEDICTUM deputandum; ipſe dominus P. præfatum dominum imperatorem reddat certum & ſecurum de ſua renunciatione forma & modo melioribus, quibus judicabit ordo rationis.

PRO VERO STATU DICTI DOMINI P. POST EJUS RENUNTIATIONEM OFFERENTUR SIBI SEQUENTIA.

PRimò quòd ipſo remanente in ſtatu cardinalatus habeat vicariatum ſeu legationem à latere cum pleno dominio in ſpiritualibus & temporalibus in tota obedientia quam actu habet, & omnibus viis & modis quibus nunc habet: hoc tamen excepto, quòd non vocabitur nec denominabitur papa, nec erit papa niſi univerſaliter omnibus in concilio exiſtentibus, ſeu in electione vocem habentibus, juxta determinationem totius ſacri concilii tunc, ut dictum eſt, congregati, deputaretur.

Item, * afferentur eidem domino B. quòd omnes promoti ſeu aſſumti per ipſum ad quamcumque dignitatem ſeu ad quodcumque officium maneant in ſuis dignitatibus ſeu officiis juxta dicti domini noſtri arbitrium ſeu diſpoſitionem: & interim etiam poſſit aſſumere ſeu promovere illos qui ſibi ſerviunt ſeu ſervierunt in ſua obedientia, niſi aliter videretur dicto domino ſimul in toto concilio generali providendum.

* f. aſſerentur.

Item, quòd reverentia & honor per univerſum orbem fiat ſibi per omnes mundi prælatos, & dominos temporales, & ſpirituales poſt papam, ubi contingat ipſum non remanere papam; nec reeligi.

Item, quòd illi qui habebunt competitores maneant ſicut ſtant in dignitatibus ſuis & officiis uſque ad deceſſum unius vel alterius, & uno decedente, alter ſuccedat in toto, niſi concilium generale univerſaliter congregatum aliter pro bono utriuſque pariter provideret.

Si præmiſſa per dominum imperatorem & legatos ſacri concilii præfato domino BENEDICTO offerentur, habebitur ante receſſum domini imperatoris unio vera & perfecta, aliter autem non ſperetur quovis modo de unione. Et ſi præfatus dominus benignè, humiliter, & non rigorosè tractetur, habebitur quod petitur, & non aliter.

Via electionis hujuſmodi ſummi pontificis futuri videtur hæc aliquibus clauſulis ſervanda; quod priorum Cardinalium epiſcoporum trium obedientiarum, videlicet JOHANNIS, domini B. & GREGORII, & priorum cardinalium presbyterorum, & priorum cardinalium diaconorum utriuſque obedientiæ dumtaxat habeant eligere ſummum pontificem ſimul cum tribus notabilibus prælatis ſeu perſonis bonæ conſcientiæ cujuſlibet quatuor nationum: qui quidem prælati eligentur per ſuam nationem. Cardinales vero ſupradicti eligentur ſeu deputabuntur per totum generale concilium univerſalis Eccleſiæ; & ſic eſſent XXIV. electores dumtaxat, de quibus nulla natio ſeu obedientia, ut videtur, conqueri poſſet.

Præſentatæ Petri de Luna domino Imperatori in Perpinione.

EPISTOLA WLADISLAI POLONIÆ REGIS ad Conſtantienſe concilium.

Novos ad concilium mittit oratores, ſignificatque deſiderium ſuum de reconciliandis Eccleſiæ ſchiſmaticis, & quæ cum Turcis in gratiam regis Romanorum egerit exponit.

SAcro ſanctæ Conſtantienſi ſynodo Univerſalem Eccleſiam repræſentanti.

Reverendiſſimi patres & metuendiſſimi. Quamvis circa principium ſacri concilii noſtros ambaxiatores reverendiſſimos in Chriſto patres N. Archiepiſcopum Gneſnenſem, JACOBUM epiſcopum Poltzenſem, & ANDRÆAM electum Poznanienſem ad hanc ſanctiſſimam ſynodum in Spiritu-ſancto congregatam expediverimus ad reverentiam debitam & aſſiſtentiam efficacem U. P. faciendam quantum ad reintegrationem ſanctæ matris Eccleſiæ, quam ſemper diligentiſſima ſollicitudine optabamus, & exquiſita diligentia, quantum in nobis fuit, quærebamus. Conſiderantes tamen quòd multi zelatores unionis prædictæ propter longam protractionem ipſius multis & intolerabilibus turbationibus afficiuntur & tædiis: Immo ſpes ipſorum jam in toto deficeret, ſi non cognoſcerent, ſeu viderent vos ita fortes & ſolidos in ſancto propoſito, per quod utique, præſtante Altiſſimo, ipſam ſanctam Eccleſiam ad pacis dulcedinem perfectam vultis reducere, & in eadem etiam unitatem optatam & debitam conſummare. Pro quo nos primum Deo, ut vos confortet in eodem ſancto propoſito, cum omnibus ſubditis noſtris ſemper devotas preces offerimus. Demum & veſtræ ſanctitati, qui pro ſanandis vulneribus ſectionis deteſtandæ viriliter & intrepide laborantes, commodo utilitatis reipublicæ vultis prodeſſe, cathedramque ſanctiſſimam ſedis apoſtolicæ multis inquinamentis deformatam ab omni morbo peſtifero expurgare, ad debitas & jugi tempore recolendas cum omni devotione gratiarum aſſurgimus actiones, eidem U. S. humiliter ſupplicando quatenus in nomine illius qui vos vocavit & congregavit ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, multiplicare velitis ſollicitudinis veſtræ ſtudia & diligentiam virium veſtrarum denuo acuere, qui jam in vinea Domini laborantes pondus diei & æſtus ſufferre conſueviſtis; laboribus corporeis & ſumtibus non parcentes, quatenus audacter & ſine cujuſvis perplexitatis aut tentationis formidine omnes errores & defectus in ipſa ſancta Dei Eccleſia pullulantes poſſitis radicitus extirpare. Vos enim, patres reverendiſſimi, conſtituit Dominus ſuper gentes & regna, ut evellatis & deſtruatis in eadem Eccleſia Dei plantationes iniquas, & quòd de veſtra felici proviſione ipſa ſancta mater Eccleſia ſtatum ſemper mereatur obtinere pacificum & tranquillum, & ut in conſummatione ipſius deſideratiſſimæ unionis vos aliqualiter confortare valeamus, non dubitantes ex longa abſentia ſereniſſimi principis domini SIGISMUNDI Romanorum Regis ſemper Auguſti fratris noſtri cariſſimi, pro ipſa Eccleſiæ ſanctiſſima unione ferventiſſimè laborantis, U. P. multis affici moleſtiis & tædiis, quorum nos vobiſcum volumus eſſe participes. Et ecce nunc per novos recenteſque ambaſiatores noſtros primis noſtris ambaſiatoribus applicatos & adjunctos, nos ad bene placita veſtra fideliſſimè offerimus cum veſtra concione in vita & in morte permanere, & vobis aſſiſtere satagentes, pro facto, tali devotione nos cum ſubditis noſtris U. S. merè ſubjicimus, quaſi obedientes filii virtuoſis patribus ſubjici ſunt ſoliti. Illudque vobis nos debere profitemur, quod devoti diſcipuli ſuo tenentur facere præceptori.


Præterea U. S. per venerabilem fratrem THEODORUM Vicarium ordinis fratrum Prædicatorum peregrinantium de Conſtantinopoli per certas ſcriptorum noſtrorum ſeries intimavimus, quomodo multitudines ſchiſmaticorum in ſubjectionibus dominiorum noſtrorum, & alios in erroribus gentilium exiſtentes ad unitatem fidei cum ſumma devotione vellemus reducere, & gremio ſanctæ matris Eccleſiæ aggregare: Nunc tamen ad hoc ipſum conſummandum major nos pulſat devotio, quòd prædicti ſchiſmatici, & alii erronei fidei orthodoxæ, interim quòd vitam ducimus in

humanis, adunentur. Formidantesque quod circa sucessores nostros fervor devotionis hujusmodi nostræ poterit frigescere; U. S. humiliter supplicamus, quatenus nobis salubre consilium & auxilium opportunum ad hoc præbere velitis juxta modum,& doctrinam, quam juris periti & viri prudentissimi in hoc sacro concilio congregati poterint exquirere, quod prædicti schismatici, * catholicis veram fidem in amplianda sancta fide catholica impedire consueverunt, compescantur, & ne nos amplius impediant. Nam si circa primordium regenerationis nostræ non fuissemus impediti, tantus fructus in dilatatione sanctæ fidei provenisset, de quo tota hierarchia sanctæ matris Ecclesiæ potuisset jugiter gratulari.

* f. qui catholicos.

Ceterum scripta vestra noviter nobis oblata de casu deflendo & dolendo stragis nobilium gentium armorum regni Ungariæ, quos rabies Turcorum crudelis & impia nuper in bello cum ipsis habito dejecit & prostravit, cum omni reverentia & gratitudine recepimus: per quæ inter cetera per U. P. prudentissime declarata & descripta nos benignissimè & sollicitè dignati fuistis requirere & hortari ad subventionem regno Ungariæ & regnicolis ipsius faciendam: & ut ex hoc nos ostenderemus catholicæ fidei scutum solidissimum & firmissimum ac verissimum defensorem. Sed quia ante exhibitionem litterarum vestrarum à quibusdam mercatoribus nostris de eadem strage lamentabili & amara informati, damnis & periculis prædicti Serenissimi principis domini SIGISMUNDI regis Romanorum, &c. fratris nostri carissimi non minus quàm propriis condolentes, illico dum nobis de hoc casu doloroso innotuit, ad reverendum in Christo patrem dominum JOHANNEM archiepiscopum Strigoniensem ipsius serenissimi principis domini S. regis vicarium, & ad alios prælatos & barones regni Hungariæ, quamvis per ipsos non fuimus requisiti, litteras nostras direximus, exhibentes nos eisdem prælatis & baronibus regni Hungariæ ad omnem subventionem possibilem ipsis fideliter per nos faciendam; & sic concurrentibus ipsorum & nostris ad hoc consiliis, attento eo quod propriarum guerrarum insidiis & incommodis nos, regnum, & terras nostras gravissimè urgentibus modus haberi non potuit, quo exercitus nostros contra insultus Turcorum prædictorum sine detrimento proprio potuissemus ita celeriter conducere: ad hoc tandem concorditer devenimus, quòd ambasiatores nostros ad *Christem* magnum Turcum & alios ad Bosnam, ad *Hervvoy* transmisimus: imponendo ipsis quod eosdem *Christem* magnum Turcum & *Hervvoy* informarent, & certos redderent ac significarent eis seriosè, quòd nos cum eodem serenissimo principe domino nostro SIGISMUNDO rege Romanorum fratre nostro carissimo sumus indissolubili fœdere reciprocè colligati, ipsumque nullatenus possumus nec volumus deserere. Ideo quidquid damni per eosdem *Christem* & *Hervvoy* eidem domino S Regi & regno ipsius Hungariæ illatum est vel inferri poterit; nobis, personæ nostræ propriæ factum reputamus, & jugiter volumus reputare. Et ut iidem *Cristem* Turcus magnus & *Hervvoy* à molestatione & turbatione regis & regni Hungariæ resipiscant, ipsis ambasiatoribus nostris prædictis mandavimus commonere, ac eos aliquibus mediis congruentibus inducere, quòd ad tempus certum cum eodem serenissimo principe, Romanorum rege, & regno ipsius Hungariæ treugas statuerent, & omnes Barones & quosvis armigeros circa hanc stragem captivatos & detentos ad fideijussoriam dimitterent cautionem; ut interim durantibus treugis de pace perpetua inter ipsos Turcos & ipsum regem Romanorum ac regnum ipsius Hungariæ disponere possemus. Quod si disponi non poterit, ex tunc post decursum treugarum hujusmodi potentiis nostris cum ipso serenissimo principe domino S. Romanorum rege fratre carissimo adunatis, pacificatisque, ab omnibus finibus terris nostris crudelitatem & impietatem ipsorum Turcorum, quorum magna est potentia, reprimere, divino nobis auxilio suffragante, valeamus. Et quamvis nos ad semovenda damna & pericula ejusdem serenissimi principis S. Romanorum regis fideliter & nitidè exponimus; quidam tamen æmuli nostri propriæ salutis immemores famam nostram innocentem denigrare non desinunt, asserentes quòd strages prædicta Baronum & armigerorum regni Hungariæ memorati de nutu & conniventia nostra processisset, cùm tamen hoc ipsum difficulter credi poterit per quemlibet probum & fidelem & Christianum, ut illum nos supplantare vellemus, pro quo parati sumus exponere vitam nostram. Ideo ad reclamandum hoc nuncios nostros direximus ad Constantiam & alia loca, quibus circa expurgandam innocentiam nostram petimus sinceram & benevolam exhibere dignemini voluntatem. Quibus quidem nuntiis & ambasiatoribus nostris exhibitoribus præsentium, videlicet validis & nobilibus viris JOHANNI DE THOLISCOVO Castellano Calisiensi, GEORGIO alias *Gedigolt* capitaneo Podoliæ & NICOLAO SEPYNSKY consiliariis nostris fidelibus alia satis ardua U. S. in præsentia Serenissimi principis domini SIGISMUNDI prædicti regis Romanorum, &c. fratris nostri carissimi exponenda & referenda commisimus, quibus fidem in referendis exhibere dignemini credulam atque firmam, & eos habere gloriosè recommissos. Datum in Leopoli XVIII. die mensis Octobris.

Vestri filii humiles & devoti WLADISLAUS *Dei gratia rex Poloniæ, Lituaniæque princeps supremus, heres Russiæ, &c. &* ALLEX. *Alias* WITHOUDUS *magnus dux Lichvvaniæ, &c*



EPISTOLA XVIII.

Oratorum Universitatis Coloniensis.

De Petri de Luna obstinatione.

VEnerabiles domini, nondum percepimus finalia nova certa de negocio pro quo ivit dominus noster, nisi quod ille obstinatus Petrus de Luna malivolè se habet. Verum est quod jam per aliquot dies volavit fama de subtractione obedientiæ sibi facta per reges sibi adhærentes, de quo tamen certitudinem non habemus, & de tanta mora regis nostri multum angustiamur, desideranter expectantes consolationem. Mitto vobis copias duarum litterarum scriptarum noviter sacro concilio, & alia nova non occurrunt, nisi quod propter absentiam regis fructum habemus exiguum, quamvis labores plurimos. Recommendetis me dominis de concilio & matri meæ Universitati. Scriptum Constantiæ vii. Decembris.

EPISTOLA XVII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Fausta nuncia ab imperatore accepta significant.

POst humilem recommendationem & omnem serviendi promtitudinem venerabiles patres magistri & domini, scire placeat quòd post diuturnum mœrorem quadam desperatione mixtum, Verbum incarnatum infra festi suæ nativitatis octavas misit Ecclesiæ suæ sponsæ in Constantia congregatæ quædam consolatoria in litteris sacro concilio per illum angelum pacis christianissimum regem nostrum & per ambassiatores ejusdem concilii destinata. Unde quinta die post nativitatem Domini, ipso die scilicet Thomæ martyris hora vesperarum venerunt litteræ ad Constantiam, & aliæ diversæ litteræ missæ singularibus personis, omnes nunciantes pacem hominibus bonæ voluntatis, de quorum numero non est ille malignissimus hostis pacis Petrus de Luna. In quarum litterarum apertione sacrum concilium ac totus populus magno gaudio exultavit in Domino, *Te Deum laudamus* sonora voce perstrepentes, omnes totius civitatis campanas iteratis vicibus usque ad profundam noctem compulsando; & sequenti die solemnem missam cum multis cereis & tubis decantando. Copias verò litterarum principalium vestris reverentiis duxi pro informatione transmittendas, & post adventum sacri concilii vos de singulis plenius informabo. Utrum verò dominus noster rex citò sit rediturus Constantiam nescimus, licet unus ad partem scripsit, quod rex disposuit festum nativitatis tenere in Avenione. Videtur mihi quòd tempus aliquantum transibit antequam ambassiatores illorum regum & aliorum de obedientia Petri de Luna veniant Constantiam ad consummandum omnia conclusa, prout ex aliis litteris concepi: quia conclusio facta inter dominum regem & alios reges ac reliquos de obedientia Petri de Luna tendit ad hoc, quòd dictus Petrus vel in Constantia per se vel procuratores resignet, vel quòd in Constantia ejiciatur aut declaretur ejectus, quatenus non relinquantur vestigia schismatis; & quòd ipsi cum nostris eligant summum pontificem. De his tamen certiùs scribam post reditum ambassiatorum, Domino concedente. De honore & gloria quibus rex noster per omnes nationes magnificatur ad plenum scribere non sufficerem. Sint igitur illius electissimi principis humilitas, sollicitudo & mira patientia, quibus in hoc negotio triumphavit, V. P. semper recommendatæ: pro quo & Ecclesia Christi vestras orationes placeat effundere, & ut à toto clero & populo fundantur, cum diligentia procurare ad gloriam summi Dei, qui vestras paternitates conservet incolumes cum felicibus incrementis. Datum Constantiæ penultima Decembris.

Sequuntur in ms. litteræ Sigismundi, quas quia ignoto nobis idiomate, scilicet Germanico, scriptæ sunt, prætermittimus.

EPISTOLA

Jacobi Turonensis archiepiscopi

Ad concilium Constantiense.

Negotia feliciter consummata fuisse significat.

SAcro sanctæ generali Constantiensi synodo, reverendissimis in Christo patribus & dominis nostris præstantissimis.

Reverendissimi patres & domini, humillima recommendatione præmissa cum obsequio promtissimo. Altissimus qui sperantes in se non deserit, sed res penitus desperatas suæ virtutis magnitudine consummat, post permaximos labores & turbines varios & ingentia tædia dignatus est quos diligit consolari. Hinc manum ad fortia ponens, cervices antiqui hostis confringendo, rem unionis Ecclesiæ, pro qua firmi & intrepidi certatis, felices & nos, quantum ex alto elargitum est, grandi cum patientia qua potuimus complevimus. Adeo disposuit, quòd ejus dirigente dextra, existat factum, in unum ovile reducti canticum pacis & lætitiæ referre poterunt sacræ dominationes vestræ. Idcirco R. V. P. præfata scribimus, quatenus spes vos pulcherrima fovet pacem & unionem ecclesiæ diu desideratam & consequendam, veluti per nos latius eisdem in brevi explanabitur, Domino concedente, qui R. V. P. conservare dignetur, ut ea quæ sua sunt, pacem & alia virtutum opera feliciter compleatis. Scriptum Narbonæ Decembris die xiv.

Vestrarum R. P. humiles & devoti Jacobus *Turonensis & ceteri collegæ legati nuncii vestri.*

EPISTOLA

SIGISMUNDI REGIS ROMANORUM

Ad concilium Constantiense.

Significat nonnulla determinata fuisse capitula, ex quibus unio optata sequatur.

SAcro sanctæ generali Constantiensi synodo in Spiritu-sancto congregatæ universalem Ecclesiam repræsentanti SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. rex filialem obedientiam cum debito honore.

Quamquam pervigili cura, omnique sollicitudine post ingressum nostrum ad terras istas pro bono sacratissimæ unionis feliciter consummando non cessavimus, quemadmodum etiam in votis habuimus fideliter laborare: quia tamen tractatus desuper habiti, Deo permittente, continuæ mutationi subjacebant, sic quòd hodie adpunctuata, & circa circumstantias occurrentes fere conclusa, crastina die vel variata fuerant, vel saltem penitus retractata; V. S. super actitatis à certo nequivimus avisare. Verùm quia Christus JESUS sponsus Ecclesiæ, cujus res agitur, oculis misericordiæ suæ nos respicere dignatus est, & vestræ sanctitati consolationem hujusmodi communicare cupientes, præsentibus intimamus, quòd die hesterna parte nostra, & nuntiorum præfatæ vestræ sanctitatis cum ambaxiatoribus & procuratoribus regum & principum obedientiæ illius quem B. appellant super certis capitulis, punctis, & articulis, ex quorum prattica unionem in Ecclesia Dei perfectam & completam pervenire nullatenus dubitamus, conclusum fuerat, & optato fine determinatum & concordatum, super quibus nuntii breviter ad Constantiam reversuri, supradictam sanctitatem plenius & expressius informabunt: quam Altissimus pro felici & salubri suæ Ecclesiæ reformatione feliciter dirigere & salubriter dignetur inspirare. Datum Narbonæ sub sigillo secreto nostro Lutzelburgensi XIV. die Decembris regnorum nostrorum Ungariæ, &c. vigesimo nono, Romanorum vero sexto.

Ad mandatum regis MICHAEL *cancellariensis Wratislaviensis.*

EPISTOLA XIX.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Mittunt duas epistolas regis Aragonum ad Sigismundum regem, capitula apud Narbonam determinata, deinde recitant ea quæ cum Petro de Luna acta fuerunt.

HUmili recommendatione præscripta, venerabiles patres, magistri & domini, alias infra octavas nativitatis Christi misi vestris reverentiis litteram loquentem in genere de concordia feliciter conclusa inter christianissimum regem Romanorum & ambassiatores sacri con-

A cilii Constantiensis ex una; & ambassiatores regum Aragonum, Castellæ, Navarræ, &c. parte ex altera, cum copiis quarumdem litterarum sacro concilio Constantiensi super eo missarum. Jam vero post reditum ambassiatorum dicti concilii, qui istis tractatibus intererant; & post veracissimam & felicissimam relationem eorumdem factam per archiepiscopum Turonensem, discurrentem fere per singulos dies post domini regis, atque eorum introïtum ad Narbonam:
B quam relationem quia in illa extentione scribere non suffeci, saltem XII. capitula concordata, ubi principalis vis consistit, vobis duxi transmittenda unà cum copia subtractionis obedientiæ BENEDICTI factæ per dominum regem Aragonum, & cum copiis duarum litterarum, quas idem rex Aragonum post dictam subtractionem dicto domino regi scripsit. Primam ipso die subtractionis, quæ fuit dies Epiphaniæ Domini; secundam die sequenti, ex quibus litteris satis apparet quanto ardore accensus est ille
C serenissimus rex Aragonum ad celerem unionis consummationem.

Et nedum ex relatione dictorum ambaxiatorum concilii Constantiensis, sed etiam ex forma subtractionis vobis missa constat de inflexbili pertinacia cum impietate impermixta illius crudelissimæ bestiæ, quæ sibi sumsit nomen BENEDICTUS suis nefandissimis operibus omnino dissonum usurpare. Vix sermone posset explicari quantis dolis, quantis astutiis & nequissimis machinationibus se nitebatur & nititur in
D suo prætenso papatu conservare, ut odibilis Deo & hominibus memoria sua in maledictione perseveret. Quanto tempore tenuit christianissimum regem nostrum fortissimum zelatorem unionis? qui tamen illius bestiæ malitiam sua humilitate, sua longanimitate, sua patientia superavit. Quot vicibus ille refuga conatus fuit ponere divisionem in ambassiatoribus sacri concilii? Sed ille, cujus opus agebant, conservabat eos in perfecta animorum unitate. Demum quando processum fuit ad finales tractatus, dictus refuga petiit totalem cassationem concilii Pisani. Item petiit quod * renunciationem suam * l. post denunciationem.
E ipse solus eligeret papam, quia ipse solus superesset de cardinalibus ante schisma. Quando istud negabatur, petiit quod soli sui cardinales eligerent, vel quod illi de sua obedientia. Et novissimè adjunxit se velle in hoc condescendere quod fierent duæ conclaves; una pro suis, alia pro electoribus de aliis obedientiis: ita tamen quòd quemcumque eligerent electores de nostris obedientiis non esset papa, nisi duæ partes de electoribus suæ obedientiæ consentirent in eum. His & his pluribus delu-
F sionibus conabatur dominum nostrum regem & alios pro renunciatione sua laborantes frustrare suo fine. Etiam istis tractatibus pendentibus, ipse dolosè practicavit cum Romanis & aliis quibusdam comitatibus Italiæ, & dominos ipsos variis modis ad suam obedientiam alliciendo: sed sicut Domino placuit, sua versutiarum maligna machinatio tam clarè patuit universis, quòd pene omnes reges, principes, & prælati

ipsum tamdiu manutenentes sibi facti sunt inimici, volentes toto conatu cum sacro concilio Constantiensi pro dicti vocati BENEDICTI ejectione ac unici summi pontificis electione efficacissimè laborare. Et licet tenor dictorum capitulorum videatur quam longam dilationem innuere; verumtamen ex relatis per dictos ambaxiatores concilii Constantiensis, & ex litteris dicti domini regis Aragonum confidenter speratur quod res ista consummabitur termino breviori. Serenissimus rex noster, prout ex eorumdem ambaxiatorum relatione didicimus, declinavit versus Franciam, ad interponendum se pro pace inter reges Franciæ & Angliæ procuranda. Quæ quidem pax ad perfectiorem Ecclesiæ unionem proficere non dubitatur. Non tamen intendit idem dominus rex ibidem facere longam moram; sed quantocius poterit, ad sacrum concilium Constantiense, cujus salus revera multipliciter ab ipso pendet, se transferre. Vix tamen speratur quòd ista poterit ante Septembrem proximè futurum plenariè consummare. Nihilominus omnino magis expedit isti miseriæ tam inveteratæ uno contextu finem dare, quàm ipsam Christi sponsam jam in bona convalescentia existentem relinquere in periculo recidivæ gravioris, christianissimo rege nostro ejus fidelissimo medico circa alia in futurum occupato: quam Christi sponsam una cum dicto suo advocato vestris dominationibus humiliter recommendo, ut easdem vestras devotiones Ecclesiæ sponsus copiosè remuneret in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Datum Constantiæ VII. Februarii.

SECUNDA LITTERA MISSA DOMINO NOSTRO REGI PER REGEM ARAGONUM post subtractionem obedientiæ, sed prima littera ponitur infra statim post copiam subtractionis.

SErenissimo principi SIGISMUNDO Dei gratia Romanorum regi semper augusto, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. regi, fratri nostro præcarissimo FERDINANDUS Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ, &c. salutem debitam cum honore.

Serenissime princeps, frater nobis præcarissime, heri sexta die præsentis mensis serenitati vestræ intimasse meminimus publicationem subtractionis obedientiæ domini BENEDICTI, cujus formam vobis nostris litteris misimus interclusam; & certa alia quæ in eisdem vidistis, ut credimus, contineri. Sed quia, serenissime princeps frater nobis præcarissime, parum prodesset dare instrumenta rei, nisi suo exitui associetur votivo, excellentiam eamdem summè precamur, quatenus cum instantia vigilis operis studere velitis, quòd litteræ vocatoriæ, quantocius fieri poterit, transmittantur, adeo quod dilationis otio, quo nullum bonum proficit, tam sancta negotia non torpescant. Nos enim vice versa hujusmodi exemplo vigile adhibebimus studium in agendis. Et si qua, serenissime princeps, frater nobis præcarissime, de regnis & terris nostris placida vobis occurrant, audaci fiducia rescribatis. Datum Perpiniani sub nostro sigillo secreto, & propter indispositionem personæ nostræ signata manu nostri secretarii, die septima Januarii anno à nativitate Domini MCCCCXVI.

COPIA SUBTRACTIONIS PER REGEM ARAGONUM FACTÆ DOMINO P. DE LUNA olim BENEDICTO in ejus obedientia XIII. nominato.

NOs FERDINANDUS, &c. *ut in Appendice ad concilium Constantiense*

COPIA PRIMÆ LITTERÆ CLAUSÆ EX PARTE DOMINI REGIS ARAGONUM directæ Domino imperatori.

Serenissimo principi Sigismundo, &c. solliciti cura præcipua, &c. *ut ibidem.*

DIe Veneris XIII. mensis Decembris, anni Domini MCCCCXV. indict. VIII. in capitulo novo sanctæ Ecclesiæ Narbonensis, hora secunda post meridiem, ante tamen prandium, & in camera magnæ turris novi palatii archiepiscopalis, capitula sequentia per serenissimum principem dominum Romanorum, &c.... concordata extiterunt cum Dei adjutorio modo infra scripto, *ut in Sessione xx. p. 177.*

EPISTOLA SIGISMUNDI IMPERATORIS Ad Ludovicum Bavariæ ducem.

Mittit ei litteras Ferdinandi regis Aragonum de subtractione obedientiæ Petri de Luna.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. rex illustri principi LUDOVICO duci Bavariæ & comiti Palatino Rheni avunculo nostro carissimo.

Illustris princeps, avuncule carissime, die hesterna hora quasi tertia noctis civitatem Viennensem ad Rodanum sitam nobis feliciter ingredientibus, litteræ serenissimi principis domini FERDINANDI regis Aragonum fratris nostri carissimi, Perpiniani die septima præsentis mensis Januarii scriptæ, quas præsentibus inclusas tibi dirigimus, nostræ præsentatæ fuerunt majestati, in quibus idem serenissimus frater noster rex Aragonum, qui etiam diem constitutum & condictum in subtractione obedientiæ PETRI DE LUNA prævenit, prout & ex litteris ejusdem serenissimi fratris nostri ac forma subtractionis præmissæ nuper per dilectum secretarium nostrum JODOCUM tibi transmissis plenius elucescit, & quem nos ad sacrum generale Constantiense concilium pro hujus facti incœpti felici negotii terminatione requirere & sollicitare deberemus, nos effectuosissime pro faciendo nostri vigili operis studio requirere studuit, ut litteræ voca-

toriæ pro præmissi negotii celeriori expeditione A quantocius sibi transmittantur. Quapropter te instanter rogamus, tibique seriosè committendum edicimus, ut præsentatis litteris præfati serenissimi fratris nostri annotato sacro Constantiensi concilio in specie pro parte exhibendis, idem sacrum concilium instantissime pro hujusmodi litterarum vocatoriarum ipsi serenissimo regi Aragonum celerrima transmissione ac aliorum in talibus pro honore Dei & Ecclesiæ sanctæ ejus reintegratione, prædictorum peractione, uti eidem sacro concilio meliùs & consultiùs B videbitur nostri parte requiras. Datum Lugduni die XXII. mensis Januarii prædicti, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XXIX. Romanorum verò sexto nostri sub signeto.

B. PRÆPOSITUS ALBENSIS.

EPISTOLA XX.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De bulla Petri de Luna in regem Aragonum post subtractam ei obedientiam, & de ejusdem Petri recessu in insulam maritimam, ubi obsidebatur.

HUmili recommendatione præmissa, reverendi patres & domini. Hodie intellexi à veridicis quod illa regna quæ fuerunt de obedientia BENEDICTI sint optimè disposita pro acceleratione unionis Ecclesiæ, & quod efficaciter se disponunt ad cito mittendum ad Constantiam. Et aliqui ambaxiatores regis Aragonum hodie intraverunt Constantiam; & alii ambaxiatores ejusdem in majori numero sunt in via veniendi. Et dicitur quod ille infelicissimus hominum PETRUS DE LUNA post subtractionem obedientiæ sibi factam, misit bullam regi Aragonum privationis & maledictionis: quam bullam ipse rex in præsentia nuntii portantis fecit coram se comburi; & addidit quod si haberet magistrum suum, faceret sibi similiter, vel mitteret eum ad Constantiam. Et adjunxit dicens: Magister tuus tot habet maledictiones à populo christiano, quot possent sufficere pro omnibus maledicendis; sed spero me non esse de numero illorum. Revertatur ergo maledictio in suum auctorem. Et post hæc idem PETRUS DE LUNA recessit de loco in quo fuit, & retraxit se ad unam insulam in mari, ubi dicitur esse obsessus tam in mari quàm in terra; & coram fortalitio in quo stat sunt erecta patibula pro illis qui dictum PETRUM non relinquent, & pro apportantibus sibi victualia: & sic est jam odiosus Deo & hominibus, sua malitia qua jamdudum flagellavit Ecclesiam nequiter & impudicè, hæc exigente. Et utinam hæc vexatio daret sibi intellectum, ut spiritus ejus salvus fieret. Valeant vestræ reverentiæ feliciter & longævè. Scriptum Constantiæ ultima die Februarii.



EPISTOLA XXI.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De oratore regis Aragonum, de Jacobo Siciliæ rege, & de Manuele imperatore Constantinopolitano.

VEnerabiles Domini, post illa quæ alias scripsi reverentiis vestris, alia non occurrunt, nisi quod ille venerabilis sacræ theologiæ professor generalis ordinis beatæ Mariæ de Mercede ambassiator regis Aragoniæ, alias multum pulchrè & attentè informavit sacrum concilium de sancta & firma intentione domini sui pro unione Ecclesiæ celeriter consummanda. Post quæ alia nova suscepimus quod propter rigorosum edictum dicti regis Aragonum multi de his qui PETRUM DE LUNA comitabantur C recesserunt ab eodem. Et isto mane sacrum concilium recepit litteras de JACOBO, qui se gerit pro rege Siciliæ; & duxit in uxorem sororem regis proximè defuncti, qui multùm seriosè se recommendat sacro concilio ad præstandum opem pro defensione Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus; & satis placent ista nova, quia fama erat quod serpentina astutia dicti PETRI DE LUNA conaretur dictum JACOBUM ad sibi obediendum allicere: & etiam certum est quòd ad hoc procurandum aliquos angelos satanæ D idem PETRUS DE LUNA dudùm emiserat. Insuper noviter venerunt ambassiatores MANUELIS imperatoris Constantinopolitani proponentes de angustia, quam patiuntur à Turcis, & petentes auxilium Christi fidelium; spondentes etiam per medium regis nostri posse effici quod ipsi Græci Romanæ Ecclesiæ se in suis ritibus & fidei articulis conformarent. Alia non occurrunt de præsenti. Dominus vos conservet feliciter & longævè. Scriptum Constantiæ in crastino annunciationis B. Mariæ.

E

EPISTOLA XXII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Significant Hispanos accedere ad concilium, & omnes à Petro de Luna discedere.

REverendi patres & Domini, hodie post missam solemnem lecta fuit littera JOHANNIS Apicis auditoris, qui cum litteris convocaF toriis Hispanorum missus fuerat, in qua scripsit de earumdem litterarum præsentatione per eum facta; & quòd Hispani essent dispositi ad veniendum, si ipsi haberent litteras salvi conductus à rege Franciæ, Delphino, &c. Et per alios percepimus quomodo diu est quòd nuntius exivit Parisius cum eisdem litteris: ita quòd omnino speramus illas litteras salvi conductus jamdudum pervenisse ad eos; & ita speramus quod cito se movebunt versus Constantiam. Non percipimus

cipimus aliud, nisi quod rex Aragonum & alii firmiter stant in conclusionibus alias factis. PETRUS DE LUNA pene ab omnibus deseritur: immo unus cardinalis, qui secutus fuerat eum per funem se submisit de illo fortalitio in quo stat PETRUS DE LUNA, cùm aliter non posset ab eo recedere. Si aliqui fortè rumores venerunt ad aures vestras de turbatione concilii ex dissensione inter sacrum concilium & cives Constantienses super moneta, super pretio domorum & victualium, non moveant vos: quia omnia vel concordata sunt, vel in optima dispositione ad concordiam. Verum est quòd patimur aliqualem panis caristiam; sed hoc est non solùm in Constantia, sed in aliis locis: quam caristiam illi qui causam ignorant impatienter tolerant, pretia domorum minorata sunt. Reditum domini regis desideranter expectamus. Altissimus vos conservet. Scriptum Constantiæ festinanter ipso die Paschæ post prandium.

Cardinalis Petro de Luna addictus per funem de turre evadit.

EPISTOLA XXIII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De actis ab imperatore pro pace inter Franciæ & Angliæ reges, & de felici obitu regis Aragonum.

Anno 1416

VEnerabiles patres & domini, quamvis de negotiis principalibus in sacro concilio occurrentibus me lateat, & scire placeat, quòd penultima die Aprilis loco nationis Germanicæ ante prandium lectæ fuerunt quædam litteræ christianissimi regis nostri Romanorum directæ episcopo Strigoniensi de Ungaria, in quibus idem dominus rex eidem scripsit, quomodo fuisset Parisius, & iret versus Calesium ad regem Angliæ, ibidem sibi prima die Maii occursurum; ad concludendum ibidem super pace inter reges Franciæ & Angliæ, aut longis treugis; & super matrimonio inter filiam regis Franciæ & regem Angliæ; & quòd omnino speraret de consummatione istorum prædictorum. Eadem verò die post prandium in eodem loco fuerunt lectæ litteræ illius auditoris sacri palatii, qui fuit missus per sacrum concilium cum litteris convocatoriis Hispanorum, in quibus inter cetera scripsit de flebili obitu regis Aragonum valde contristante sacrum concilium: qui rex secunda die Aprilis circa meridiem emisit spiritum post decoctionem longæ ægritudinis, quæ ipsum invaserat ante tempus congregationis ejusdem cum rege Romanorum. Verum est quòd idem rex Aragonum sentiens ægritudinem suam mortem inevitabilem comminari, accersivit ALFONSUM primogenitum suum, necnon matrem ejusdem, reginam scilicet, cum multis regni proceribus; & eumdem suum primogenitum valde devotè instruxit, quatenus omnibus diebus suis Deum & Dei Ecclesiam diligeret; & quod negotium unionis Ecclesiæ, prout ipse pater incœpisset, fideliter prosequeretur. Et post hoc desideravit quod nec regina, nec primogenitus ad ipsum de cetero ingrederentur, quatenus posset in antea se liberius cum suo creatore reconciliare, & de animæ suæ salute cogitare. Deinde verò ultimo die Aprilis in loco Sessionis coram prælatis & aliis in causa Argentinensi congregatis fuerunt prædictæ litteræ relectæ. Et primùm per dominum Laudensem, deinde per ambaxiatorem dicti regis Aragonum fuerunt propositæ breves collationes provocantes ad compassionem, & deinde ad consolationem propter bonitatem dicti ALFONSI primogeniti suæque matris ad prosecutionem inchoatæ unionis inclinatorum, totiusque populi applausum ad eum finem. Item rex noster scripsit eidem episcopo de quo supra, quòd in festo Pentecostes velit esse in Constantia. Alia non occurrunt de præsenti. Scriptum Constantiæ ultima die mensis Aprilis.

EPISTOLA XXIV.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De prorogatione treugæ inter regem Poloniæ & dominos de Prussia & de litteris ex Aragonia receptis.

Anno 1416

VEnerabiles patres & domini, nona die mensis Maii duo solemnes prælati, archiepiscopus Gnesnensis de Polonia, & Strigoniensis de Ungaria venientes de domino rege, inter alia intimaverunt sacro concilio de ejusdem regis mandato. Referebant quòd dominus noster rex esset citò venturus Constantiam; & quòd treugæ inter regem Poloniæ & dominos de Prussia essent prorogatæ usque ad festum B. Margaritæ ad annum. Die vero XI. mensis Maii venerunt litteræ Aragonià missæ per nuncium concilii continentes in effectu quòd quidam magni prælati ecclesiastici regni illius sollicitarent regem modernum primogenitum regis proximè defuncti super restitutione obedientiæ PETRO DE LUNA; & quòd erga negotium Ecclesiæ non esset sine periculo. De quibus novis aliqui malivoli non doluerunt, boni verò zelatores pacis Ecclesiæ non modicum tristabantur. Sed juxta verba Christi Ecclesiæ sponsi in evangelio dominicæ tunc currentis, tristitia eorum versa est in gaudium; quoniam XIIII. die dicti mensis venerunt litteræ ALFONSI moderni regis Aragonum, quarum copiam vestris reverentiis transmitto; & consimilem in effectu scripsit idem dominus rex comiti Palatino Rheni, & ultra illam quamdam litteram credentialem suo ambassiatori, quæ viva voce in loco sessionis proposuit, quomodo sine omni ambignitate rex modernus vellet inchoata per patrem suum efficaciter prosequi toto posse. Et quod ipse rex modernus hoc jam per suos ambasiatores & litteras patentes multis regibus, principibus, & comitatibus intimasset, & quod pater ejus in extremis existens ipsum suum primogenitum modernum regem ad hoc validissimè hortatus esset; & sub omnis maledictionis imprecatione, si secus faceret, constrinxisset; de quo gloriantur omnes recti corde. Vestras


reverentias dirigat Altissimus ad omne bonum. A Constantiæ xv. die Maii.

COPIA LITTERÆ ALFONSI REGIS ARAGONUM MISSÆ, &c.

Significat obitum patris sui Ferdinandi, & unionem ecclesiæ quantum in ipso fuerit procuraturum se promittit.

Anno 1416 REverendis venerabilibus in Christo patribus, amicis carissimis, dilectis & devotis nostris dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque prælatis & aliis in Constantia Maguntinensis provinciæ congregatis ALFONSUS Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ, &c. salutem & honoris augmentum.

Flebilis tragœdiæ calamo non sine alta cordis amaritudine & lacrymarum fluvio nunciamus, quòd illustrissimus dominus rex pater & dominus noster, recordationis eximiæ in villa Aquælatæ die Jovis secunda Aprilis instantis circa meridiem suæ debitum, quod saucia mente referimus, fatalitatis exsolvens, ab hoc sæculo migravit ad Christum. Et quamquam de tanti principis patris & domini obitu nequeamus amarissimè non tristari, considerato attamen quod nihil humanæ naturæ decentius ad nihilque certiùs in hanc vallem lacrymarum venimus, quàm ut tremendæ mortis janua exeamus, nostram aliquatenus obtemperamus tristitiam: præcipuè tamen in suæ vitæ glorioso exitu, ut Christianissimus princeps cum tota cordis contritione ecclesiastica sumsit sacramenta. Ex quibus tenemus de firmo quod ultra gloriosum nomen & famam quam ob sua magnifica gesta & opera virtuosa, & inter multa alia quæ ad arctam unionem sanctæ matris Ecclesiæ devotè peregit, reliquit in terris, animam ejus diriget in excelsis. Ideo paternitates vestræ, quas credimus, ut humanum est, tantæ amaritudinis acerbitate dolere, pro refrigerio animæ suæ ut libeat ad dominum intercedant, ut si quid maculæ purgandum remanserit, devotorum orationibus abstergatur, scituræ quòd si vivente dicto serenissimo Domino genitore nostro, prout nostis, ex hinc negotia dirigebantur Ecclesiæ; non minus nos qui igne paternæ caritatis adurimur, voluntate prona, studio pervigili, & intentione sincera præter omnia ad consummationem tam meritorii & sacri negotii gloriosissimè initiati, ejus suffragio dirigente, cujus res agitur, procedemus, parati si qua restent quæ super his vobis occurrerint, ut pote à paterno non degenerantes affectu, pro viribus adimplere. Datum in monasterio Popleti sub nostro sigillo secreto XIIII. die Aprilis, anno à nativitate Domini mellesimo quadringentesimo sexto decimo.



EPISTOLA XXV.

Oratorum Universitatis Coloniensis.

De Johanne de Prussia. Oratores regis Castellæ nondum missos fuisse, & de triumphis de Turcis reportatis.

B HUmili recommendatione præscripta, venerabiles patres & domini, litteras vestras scriptas XIX. mensis Maii, loquentes de fratre JOHANNE DE PRUSSIA recepi primùm XVII. Julii in die S. Alexii; & M. JOHANNES DE MONTE & ego matura deliberatione præhabita decrevimus præsentationem litteræ sacro concilio directæ suspendere usque ad reditum venerabilis domini CHRISTIANI DE ERPELL. qui vidit declarationem, cui innititur dictus frater JOHANNES, super qua & aliis hoc negotium concernentibus loqui habet venerabili M. JA- C COBO DE SUSATO inquisitore, & etiam fortassis cum reverentiis vestris, si opportunitas affuerit, per quem si processus vel copia ejusdem contra dictum fratrem habitus apportatus fuerit ad Constantiam, tunc deliberari poterit cum aliquibus expertis de modo tenendo circa prosecutionem hujus negotii: quo processu non habito & non viso, non video quomodo expediret aliquid contra dictum fratrem JOHANNEM attentare. Etiam habito processu multùm erit laboriosum & sumtuosum in illo negotio procedere, prout dictus dominus CHRISTIANUS poterit vos latius informare. Verum- D tamen vestris mandatis in his & aliis parere sum paratus. Credo etiam quod dictus frater JOHANNES non præsumet contra dominum inquisitorem aliquid attentare. Anno 1416

De statu concilii credo vestras reverentias per dictum dominum CHRISTIANUM sufficienter informatas fore. Post cujus recessum pauca nova emerserunt. Expectamus & reexpectamus reditum Christianissimi domini regis, & illorum de Hispania, & utrumque contra spem pro- E trahitur in longum. Ambasiatores regis Aragonensis creduntur esse in via, de quo plena certitudo non habetur. Rex Castellæ, & Regina mater ejus scripserunt sacro concilio infra tres dies, excusantes moram mittendi ambasiatores suos propter illam turbationem non modicam, quæ surrexit in regno illo post obitum regis Aragonum, qui erat tutor regis Castellæ. Et quia si hujusmodi turbatio jam sedata esset, jam vellent sollicitam operam dare ad mitten- F dum suos ambasiatores ad Constantiam pro consummatione unionis Ecclesiæ Dei.

Insuper venerunt nova de Hungaria, quòd Hungari habuissent magnum triumphum contra Turcos. Et venerunt nova alia de Venetiis quòd Veneti obtinuerunt in mari sex galeas Turcorum & multas galiotas. Quæ nova dux eorum scripsit ad Constantiam. Insuper JACOBUS qui jam tenet regnum Neapolitanum, mittit solemnem ambaxiatum ad sacrum concilium, quæ Hungari de Turcis triumphum reportant.

stat in Tridenti; & scripsit pro salvo conductu A ad comitem Palatinum protectorem sacri concilii. Alia specialia non occurrunt. Verum est quod quia hoc negotium sacri concilii sic protrahitur in longum, libenter scirem intentionem vestram de persona mea, an manere debeam vel redire ad vos. Quamvis enim ad honorem nostræ Universitatis & ad commodum ejus si opportunitas se offerret procurandum, libenter vellem manere sub expensis propriis ad duos menses vel tres, diutius tamen continuare non possem: quia revera quamvis de vestris ac B insignis civitatis Coloniensis stipendiis hucusque in principalibus sustentatus sum expensis: tamen in extraordinariis satis expendi de propriis. Super his vestrum humiliter peto responsum. Vestras reverendissimas paternitates confortet Altissimus in omne bonum. Scriptum Constantiæ XXIII. mensis Julii.

EPISTOLA XXVI.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Regem Aragonum sacro concilio fuisse incorporatum.

Anno 1416 HUmili recommendatione præscripta, post multos & varios tractatus prævios habitos cum egregiis ambaxiatoribus regis Aragonum, hoc die sanctorum Maurorum martyrum, quæ est XV. Octobris, est ipse rex Aragonum cum toto regno suo in publica sessione, D multis adhibitis solemnitatibus, ipsi sacro concilio per dictos ambaxiatores plena potestate suffultos incorporatus & unitus juxta formam capitulorum in Narbona conclusorum; & sic ex gratia Dei omnipotentis passim proceditur ad optatæ unionis complementum. Quod quidem isti fecerunt, illos de regnis Castellæ & Navarræ, qui omnino ex litteris scriptis certis personis jam sperantur esse in Avenione, dum venerint Constantiam, facere nullatenus dubitamus. Etiam ex litteris Christianissimi Romanorum regis noviter susceptis celerem ejus adventum ad Constantiam speramus in Domino, qui negotium suæ ecclesiæ de sua clementia hucusque perductum dignetur mirum consummare; vestras quoque reverentias in omni bono confortare feliciter & longæve. De beneficientia vestra qua meam personam exilem & immeritam tanto tempore dignati fuistis in dicto Constantiensi concilio confovere, vobis regratior toto corde. De ulteriori sacri concilii protelatione nescirem vestras paternitates certitudinaliter informare, donec super processu tenendo contra PETRUM DE LUNA concordetur; quod si ante adventum aliorum Hispanorum fieri possit, ignoro. Scriptum Constantiæ ipso die quo supra.



EPISTOLA XXVII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De dissensionibus in concilio exortis.

VEnerabiles patres & magistri, post humilem recommendationem vestris reverentiis, ne qualiscumque volatilis fama, quam multorum levitas passim consuevit dilatare, vestros plusquam oportet conturbet animos, duxi intimandum, quomodo suadente pacis inimico, quædam dissensiones ortæ sunt in Constantiensi concilio negotiorum gerendorum retardativæ, & nisi citiùs sopirentur multipliciter impeditivæ. Una dissensio orta est inter ambasiatores regis Aragonum, qui nunc in concilio repræsentant quintam nationem, scilicet Hispanicam ex una, & nationem Anglicanam parte ex altera, pro eo quod dicta natio Hispanica instare videtur, C & quod dictæ nationi Anglicanæ præferatur: quæ petitio, in quantum prætenderetur procedere quasi ex debito, est dictæ nationi Anglicanæ plurimùm ingrata. Quin immo ex juribus, ex antiquis observantiis, & ex certarum litterarum olim inter horum regnorum reges scriptarum serie, suam prælationem dicta natio Anglicana etiam ad justitiam se offerendo publicè defensare proponit: Et natio Hispanica etiam instat pro justitia sibi ministranda; & licet natio nostra Germanica, eo quod concilium est in Germania, & omnes alii sunt advenæ, fuit disposita & deliberata ad tenendum saltem per istud concilium, cum debitis tamen protestationibus, locum ultimum, non tamen fuit per hoc dicta dissensio hucusque sopita. Anno 1416

Alia dissensio sumpsit exordium occasione cujusdam tractatus, quem dominus cardinalis Cameracensis de auctoritate concilii & quibusdam aliis noviter compilavit, & pronunciari fecit. In quo tractatu dicit inter cetera multis videri, quòd post adventum Hispanorum debeat ista natio E Anglicana reduci ad nationem Germanicam: quod ipsa natio Anglicana multum ægre recipit, & ad impugnationem ejusdem tractatus in aliquibus locis efficaciter se disponit.

Alia dissentio exordium sumsit occasione quarumdam protestationum, quas dictus dominus cardinalis Cameracensis fecit, primam nomine regis Franciæ; & secundam, in qua metum quemdam allegavit, nomine proprio. De cujus metus allegatione consiliarii Christianissimi regis nostri, videlicet dominus LUDOWICUS comes Palatinus, ac dominus Borchgravius F Noremburgensis, atque alii, & tota natio Germanica, ac totum fere concilium malè fuerunt contenti, cùm certissimum sit in dicto concilio plenam fore securitatem atque libertatem, quam prædicti principes usque ad sanguinem conservare volunt illæsam. Verumtamen omnes prædictæ dissensiones laudabiliter & absque magno strepitu, auctore pacis afflante, ut omnino speratur, sopientur. Ad hoc enim dicti sacri conci-

lii prælati dictique principes sunt multùm inclinati, & modus est datus, & in prattica positus; & ut omnino speratur, omnino consummandus.

Insuper credo satis quod concilium longum accipiet tractum propter citationem PETRI DE LUNA quæ nondum exivit: cito tamen exibit ut speratur; & illi de regnis Castellæ & Navarræ nondum advenerunt. Regem etiam nostrum non habemus; & dum certiora intelligere potero, vestris reverentiis intimabo. Scientes etiam quod nisi ad mandatum vestrum redire non præsumo; B quia de singulis studiis Alemanniæ sunt aliqui in Constantia, excepto studio Erfordensi, & hucusque perseverant. Altissimus vos conservet feliciter & votive. Scriptum Constantiæ XVI. die mensis Novembris.

EPISTOLA XXVIII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Dissensiones in concilio esse sedatas, ac Petrum de Luna fuisse citatum.

Anno 1416 HUmili recommendatione præscripta, venerabiles patres, magistri & domini, materiæ dissensionum alias ortæ in concilio, de quibus noviter scripsi ad finem ne vestræ reverentiæ turbarentur, sunt modo per gratiam Dei sedatæ: & citatio contra PETRUM DE LUNA de consensu & voluntate omnium nationum est in publica sessione, & etiam in audientia D contradictarum exsecuta XXVIII. die mensis Novembris; & citatus est personaliter ad diem centesimum post dictam exsecutionem, quæ erit, ut credo, VIII. Martii, vel ad diem septuagesimum post exsecutionem fiendam ex superabundanti in regno Aragoniæ: pro qua exsequenda sunt certæ personæ deputatæ, quæ statim exibunt. Et verisimiliter est quòd post terminum sibi præfixum, sive venerit personaliter, sive non venerit, ut veriùs creditur, aliquantum temporis transibit antequam unius summi pontificis electio celebretur, & alia fienda per sacrum concilium plene perficiantur. Et licet libenter vellem, si saltem Deo & vestris reverentiis placeret & expediens videretur, permanere usque ad finem: tamen illis quæ de sanctæ civitatis Coloniensis liberalitatibus immeritus recepi exhaustis, non possem si vellem de tenuitate proventuum meorum tanto tempore continuare. Placeat igitur infra trium mensium à data præsentium computando, mihi voluntatem vestram F super his intimare. Nam usque ad tantum tempus volo libenter, si saltem vobis placeat, de meis continuare. Et spero quod in hoc tempore circa reformationem Ecclesiæ sacrum concilium, sancti Spiritus accedente gratia, diligenter vigilabit, pro cujus consummatione vestræ devotiones dignentur suppliciter exorare. Nihil enim magis necessarium est viris Ecclesiasticis, religiosis, & sæcularibus ubilibet tribulatis, quàm cum humili acceptatione necessariæ re- A formationis confugere pro auxilio ad illum, cujus cultui & servitio sunt peculiariter deputati, qui vos confortare dignetur ad omne bonum. Scriptum tertia die mensis Decembris.

EPISTOLA XXIX.

Oratorum universitatis Coloniensis

Comitem Fuxi & regem Navarræ concilio fuisse unitos.

VEnerabiles patres, magistri & domini, Anno 1416
Quatenus vestræ reverentiæ confortentur in spe videndæ unionis Ecclesiæ sanctæ Dei, ea quæ ad dictam unionem consummandam disponunt, vestris reverentiis intimare decrevi, prout teneor; videlicet quòd in crastino B. Luciæ fuit comes de Fuxi cum omnibus suis dominiis & triplici statu eorumdem, scilicet clero, nobilibus, & communitatibus, per solemnes C eorumdem & procuratores & ambaxiatores sacro concilio unitus juxta tenorem capitulorum in Narbona conclusorum. Et post hæc in vigilia nativitatis Domini fuit eidem concilio similiter unitus rex Navarræ cum omnibus suis dominiis & tribus statibus eorumdem per ambasiatores & procuratores ipsorum. Et sic quoad Hispaniam expectatur adventus illorum de Castella, de quorum adventu non dubitatur. Etiam non dubitatur de regno Scotiæ: quibus habitis & unitis, tota Christianitas concors est pro unico summo pontifice eligendo. Alia de præsenti non occurrunt; sed sicut alias scripsi humiliter rogo, quatenus voluntatem vestram de persona mea de manendo vel non manendo in concilio placeat ante finem Februarii intimare velitis. Placeat etiam pro felici consummatione dictæ unionis ac etiam necessariæ reformationis Ecclesiæ fideliter exorare. Scriptum Constantiæ ipso die S. Johannis Evangelistæ.

E

COPIA LITTERÆ QUAM UNUS nuntiorum qui per concilium Constantiense fuerunt missi ad citandum PETRUM DE LUNA scripsit episcopo Rigensi.

REverendissime pater, post humilem & devotam recommendationem cum omni Anno 1417
promtitudine mei proni servitii. Scire dignetur vestra reverenda paternitas, quòd de præsenti non scribo inclytæ & almæ nationi vestræ, ne videar sigularis esse, aut aliquid aliud scribere, aut sapere, quàm quod collegæ mei sciunt aut sapiunt; sed refero me ad litteram nostram communem, quam scio veram, & quam propria manu signavi unà cum aliis sociis meis. Etiam non scribo serenissimo domino nostro domino imperatori, quia nescio an sit in Constantia, an non; sed vestræ reverendæ paternitati aliqua scribo latiùs pro consolatione, cum tamen omnimoda vestri benigna supportatione. Et primò in solo verbo regio sine salvo

A conductu PETRI DE LUNA, etiam sine comitiva armigerorum magister BERNARDUS Anglicus & ego Alamannus personaliter intravimus Paniscolam, habentes nobiscum tres notarios apostolicos, quos nobiscum de Constantia duxeramus; etiam unum ex parte domini regis Aragonum, duos milites, & alios scutiferos & personas honestas pro testibus, &c. Et in introïtu villæ Paniscolæ reperimus dominum RODIGONEM nepotem PETRI DE LUNA, associatum bene cum ducentis armigeris satis bene armatis: qui læto animo, ut apparebat, nos suscepit. Et quidam vocatus SIMON SALVATORIS doctor venit in obviam nobis per medium milliare, tractans ut vellemus retrocedere usque ad crastinum; quia suus dominus volebat nos amplius honorare. Renuimus ista; ita quòd contra voluntatem suam intravimus, ut præscripsi. Isti diaboli videntur salvari quando possunt materiam unionis differre, etiam per horam. Reverende pater, quanta fuit nobis gloria, quando vidimus istum PETRUM DE LUNA in tanto timore positum, quòd propter duos monachos inermes fecit talem armaturam, ut ostenderet suam potentiam, aut magnificentiam. Ipse bene poterit plus timere quando Deus & homo erunt contra eum, & jam quasi sunt. Confundatur ejus malitia & non resurgat, quia mala est.

Die XXI. Januarii beatæ Agnetis virginis & martyris in crastino nostri introïtus statim post octavam horam comparuimus in castro Paniscolæ, ubi reperimus ipsum PETRUM DE LUNA cum tribus cardinalibus suis, aliis episcopis, ac clericis, & laïcis usque ad numerum trecentorum virorum utriusque generis; & inclinatione facta sine genuflectione more monachorum, facto summo silentio, ego incœpi exordiri factum nostrum, & alta & intelligibili voce, prout potui, legi totam citationem distinctè. Demum eum citavi de verbo ad verbum, prout in citatione continebatur, nihil omittendo. Unde iste homo tantam impatientiam habebat, quando eum nominabam schismaticum & hæreticum, quòd non poterat continere: Immo dicebat non esse verum; alia via, non est sic, alia, mentiuntur, & sic de singulis. Ipso sic citato per me & notarios requisitos & rogatos super confectione instrumentorum, &c. magister BERNARDUS voluit legere sibi citationem; sed ipse habuit pro lecta, ex quo erat ejusdem tenoris. Deinde ipse dominus BERNARDUS citavit eodem modo sicut ego feceram in latino; & quia ibidem erant milites & aliæ personæ sæculares latinum non intelligentes, ipse dominus BERNARDUS intelligibili voce eum citavit in vulgari de verbo ad verbum, sicut fecerat in latino: unde ipse PETRUS DE LUNA fuit satis confusus propter simul discumbentes. Et rogatus & requisitus notorie, &c.

Ipse PETRUS DE LUNA respondit in gallico & latino, quod quia materia erat magna & ardua; ideo finaliter non poterat ibidem respondere: sed habita deliberatione cum suis cardinalibus in brevi responderet. Quo dicto, ad justificationem suam dixit se quatuor dicturum: & non dixit nisi tria; quia adeo se commovit in loquendo, quod quartum dimisit in capsa. Totus malus est. Incœpit primum ab exemplo cujusdam abbatis, de quo recitatur in vitis patrum, quem discipuli sui non poterant provocare ad impatientiam donec vocaverunt eum hæreticum. Et recitando totam illam historiam dixit, sic de seipso; quod si dixissemus sibi defectus corporales, cum sit peccator, patientiam habuisset; sed quia schismaticum & hæreticum nominabamus; ideo vix patientiam habebat. Verumtamen aliqua contradicturus erat, cum majori honestate verborum diceret prout posset, dicendo quòd non malè contentaremur si aliqua diceret quæ forte non libenter audiremus; quia hoc faciebat in impatientia sua quam habebat ex eo quod vocabamus eum hæreticum. Primùm quod proposuit fuit de nullitate concilii Constantiensis, secundum fuit de justificatione sui, quod non est impeditor unionis, tertium quod ipse non sit neque schismaticus neque hæreticus.

Circa primum institit multis verbis, sed in effectu resolvuntur in hoc, quod in Constantia nulli sunt prælati; quia aut fuerunt de obedientia sua, aut de Romana: si fuerunt de sua, omnes sunt privati, inhabiles per suos processus, &c. si sint de Romana, eodem modo sunt privati, inhabiles, &c. per sententias GREGORII olim. Est processus amborum. Istud deduxit multis verbis frivolis.

Secundum deduxit per historiam multum prolixam, incipiendo ante nativitatem suam. Dixit enim quod antequam natus fuisset, fuit promissus Ecclesiæ ut esset clericus (melius fuisset, ut laïcus,) &c. narrans quomodo in scholis & ubique fuit honestæ vitæ; & iterum quomodo invitus fuit assumtus ad papatum; demum quomodo prosecutus est unionem Ecclesiæ. Et hic tenuit nos per dimidiam horam, recitans totam fabulam quam gessit in Riparia Januensi, semper concludens pro se, videlicet quod unionem prosequebatur Ecclesiæ. Evomit tamen in hac recitatione, quod numquam ante suam assumtionem laudaverat viam cessionis. Confitebatur tamen quod ipse juraverat cedulam in conclavi; sed ad cessionem minimè tenebatur, nisi aliis tentatis, ut sæpius consuevit dicere ipse; & sui etiam publice dixerunt, quod via cessionis numquam apparuit melior, nec apparet, nec sibi apparebit: sed etiam acceptavit cum certis modificationibus seu pratticis ad satisfaciendum mundo; quia reputat alias vias meliores, scilicet viam justitiæ, &c. Et hic recitavit omnia quæ obtulit in Perpiniano, & ibidem fixè manet. Et breviter, nulla dispositio ejus est ad cedendum secundùm verba sua, nisi servetur modus datus per eum in Perpiniano; & super hæc mittet suos ad Constantiam, credo episcopum Conchensem, fratrem Minorum, qui noluit ire pro domino rege Castellæ ut proficeret; sed nunc vult ire ut noceat. Et per istos quos mittet, intendit negotium unionis rumpere, aut in Constantia divisionem procurare,

aut negotium taliter differre, quod habeat intentum, quare provideatur, quia firmus est in opinione de Perpiniano.

Quoad tertium, scilicet quod non sit schismaticus neque hæreticus, patet per præmissa; & maximè quia paratus est stare Ecclesiæ judicio; & super isto ipse alias fecit solemnes protestationes, ut licebat. Nam à quocumque melius in fide sapiente vellet edoceri, quia Deus quandoque revelat minori quod celat majori. Et sic istis verbis insistendo descendit ad istam conclusionem sive propositionem. Dixit enim quod ipse paratus est capere viam cessionis, sed hæc per petita sua & per ipsum data, quia non vult cedere nisi sequatur vera unio. Et quia non cedit sicut placet illis in Constantia, ideo non sequitur quod sit hæreticus, quia ibi non est Ecclesia, sed in Paniscola est vera Ecclesia. Et verberando manum ad cathedram dixit: Hic est arca Noe & vera Ecclesia. Subjunxit: Illi de Constantia dicunt quod ego sum schismaticus & hæreticus, quia impedio unionem Ecclesiæ, & quia non pono Ecclesiam in manu ipsorum, quod non faciam: à manibus eorum liberet me Dominus. Ego dicebam, ipse prosequar unionem, & jam est dimidius annus quod unionem habuissemus, nisi fecissent illi de Constantia. Igitur ex quo impedivi? potius sunt schismatici & hæretici quàm ego. Lata est differentia inter ipsos & me; ego laboro ut veniant ad veram opinionem, & ipsi volunt me hæreticare. Deduxit istam materiam quoad saturitatem. Quo silente, ego petivi instrumentum super sua responsione, & maxime super illo verbo quo dixerat se responsurum citò, quod erat tempus incertum. Statim festinanter dixit: Non, non do vobis istud pro responso; sed habita deliberatione cùm cardinalibus meis infra paucos dies dabo vobis responsum; & ita debetis expectare circa formam citatorii in fine. Et requisivit notarios ne clauderent instrumenta, donec fecisset responsum. Iterum cepi instrumentum super ista responsione incerta, & dixi nos velle recedere. Institit ipse deceptor ut vellemus ibi manere ad finem quod nos corrumperet, aut multa bona diceremus de eo dum ad Constantiam veniremus. Sed non sic impii, non sic, quia vel magis est obstinatus, quàm umquam fuit, & nullo modo bene dispositus, sed ad omnia male paratus.

Ad convincendam ejus pertinaciam, ibidem dimisimus penes eum secretarium domini regis Aragonum, quia consuetudo est patriæ, quod secretarii seu notarii regis non claudunt instrumenta factis talibus actis usque post triduum; & ita recessimus; & venimus hic hodie de sero in civitate Derthusen, ubi est dominus rex Aragonum. Et expectato notario regis per tres dies, intendimus recedere & venire Constantiam, Deo dante.

Reverendissime Pater, sciatis quod huc usque nos omnes nuntii sacri concilii sumus concordes & unius animi. Et quod non ivimus omnes Paniscolam, hoc fuit de consensu regis, & nostrûm omnium, & pro bono, & securitate negotii. Item ante recessus de Avenione supplicavimus domino Camerario quatenus mitteret post nos unum cursorem, ut completo negotio concilium redderemus certum de nostra executione; quod & fecit, & cras recedet ipse cursor portans nostras litteras; quem Deus conservet. Plura alia & magis ampla referemus V. R. P. dummodo per Dei gratiam Constantiam veniremus. Finaliter quidquid dicatur, iste Petrus de Luna est in posse domini regis Aragonum; & quamquam habeat forte castrum & armigeros, armigeri sunt omnes desperati, & quoniam prodige sua exposuerunt, nihilominus tamen quando rex voluerit, nullus ibidem remanebit. Et ita festinetur ad ejus ejectionem, quia dignus; & Deus pacis erit nobiscum, qui custodiat V. R. P. ut optatis. Scriptum festinanter, malè, & ineptè, ut consuevi, in Derthusa civitate XXII. mensis Januarii. Nova iocosa consideretis, quomodo duo monachi nigri colore diaboli intraverunt infernum, & ibidem citaverunt Belsebut magnum diabolum, ut veniat ad judicium. Item duo Benedictini monachi citaverunt Benedictum, alio proprio nomine Maledictum. Item reperimus ambaxiatores regis Castellæ, duos milites in Perpiniano, ut prius scripsimus, & duos episcopos eadem die, scilicet v. Januarii, qui recesserant à domino rege Aragonum de Terragona. Et reperimus duos milites bene affectatos, & episcopum Conchensem pro Petro de Luna satis arguentem, quia fuerat nunc cum eo v. dies. Sed quidquid sit secundùm instructiones eorum non possunt se separare ab opinione domini regis Aragonum. Et quidquid fecerint in Paniscola isti duo episcopi, quia milites non fuerunt, sciemus à domino rege Aragonum, quia hoc nobis promisit, & vobis referemus. Consulo ut non acquiescatis prima facie eis, quia credo quòd aperient opinionem Petri de Luna, prout ipse Petrus aperuit in Perpiniano.

EPISTOLA XXX.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Certa nuntia advenisse de citatione Petri de Luna, oratores regis Castellæ & Scotiæ necdum advenisse.

Venerabiles magistri & domini, de benigna vestra liberalitate in continuando personam meam exilem in sacro concilio Constantiensi per pecuniam mihi alias per medium honorabilis magistri Gotfridi de Bursten directam regratior toto posse; & utinam rerum futura dispositio mihi faveret ad vestrarum reverentiarum & totius universitatis matris meæ commodum & honorem posse proficere. Spero omnino quòd pro viris litteratis & universitatibus studiorum, ut plus solito promoveantur, sacrum concilium & futurus papa velint providere, multorum contradictione non obstante. Et si pro aliis Universitatibus aliquid factum fuerit, Anno 1417

spero nostram universitatem à similibus gratiis non excludi.

Heri recepimus certa nova de exsecutione citationis contra PETRUM DE LUNA facta, ut in copia immediate subscripta cujusdam litteræ, per dominum LAMBERTUM DE STIPITE priorem ordinis S. BENEDICTI Leodiensis diœcesis, archiepiscopo Rigensi directæ, plenius continetur. Qui magister LAMBERTUS una cum magistro BERNARDO priore ejusdem ordinis S. BENEDICTI nationis Anglicanæ citationem exsequebatur. Et quia post diem citationis currunt sic dies septuaginta, non potest procedi ad ejus ejectionem ante primam diem Aprilis. Et creditur quod illo transacto, processus erit brevis. Quo ejecto, indubie festinabitur ad futuri pontificis electionem, & ad conclusionem illorum quæ super reformatione Ecclesiæ avisata sunt & avisabuntur.

Ambaxiatores regni Castellæ licet aliquandiu fuerint in via, non tamen adhuc venerunt propter infirmitatem cujusdam episcopi inter eos existentis retardati. Verumtamen de unione ipsorum ad nos, & etiam illorum de regno Scotiæ non dubitatur, nonobstante quòd ille callidissimus serpens PETRUS DE LUNA suis venenosissimis sibilis ab hac re istos & illos retrahere nisus est. Non est diu quod misit nuntios suæ malitiæ ad regem Franciæ, si fortassis quoquo modo potuisset illum & regnum suum à favore & prosecutione concilii retraxisse: sed omnimodam passi sunt repulsam. Et ita malis sine cessatione accumulatis, maximum Ecclesiæ inimicum omnibus se ostendit & persecutorem atrocissimum. Fient igitur dies pauci, & episcopatum ejus accipiet alter. Altissimus vos conservet, quem pro felici consummatione in concilio agendorum dignentur vestræ devotiones suspiriosis precatibus invocare. Scriptum Constantiæ XVI. die mensis Februarii.

EPISTOLA XXXI.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Accusatam fuisse Petri de Luna contumaciam.

Anno 1417 HUmili recommendatione præscripta, venerabiles magistri & domini, ne spes unionis in longum dilatæ vestros nimis affligat animos: de omnibus ad hunc finem disponentibus vestras reverentias soleo, prout teneor, de tempore in tempus libenter informare. Scire igitur placeat quòd in crastino *Reminiscere* in sessione publica fuit accusata contumacia PETRI DE LUNA quoad terminum citationis ejus factæ in Constantia per edictum ad diem centesimam; & nihilominus in principio Aprilis accusabitur iterum contumacia ejus in termino exsecutionis contra ipsum in facie sua, & suorum cardinalium ac aliorum plurium suorum prælatorum & armatorum tam in lingua latina, quàm etiam in lingua vulgari. Post quam exsecutionem idem PETRUS DE LUNA longo sermone se nitebatur excusare de continuatione schismatis, de hæresi, & obstinatia. Et tandem post prædictos dies respondebat in scripto. Sed tam verba sua quàm scripta sunt testimonia suæ pertinaciæ, impietatis & malevolentiæ, prout illi egregii viri qui dictam exsecutionem exsecuti sunt, in sua relatione facta feria quarta post *Reminiscere* coram sacro concilio plenius explicarunt. Et sic de sua cessione quoad prætensum papatum desperatur. Et solum superest quod ad ejus ejectionem citius quo fieri poterit procedatur. Ambaxiatores verò regni Castellæ sunt in foribus, pro quibus nostrùm sunt in Constantia hospitia recepta. Placeat igitur, si poteritis, implorare invincibilem virtutem: quatenus adversarios & turbatores unitatis & reformationis suæ militantis Ecclesiæ cohibeat, & omnes malivolos sic compescat, quod tam necessarium bonum impedire non præsumant. Alia non occurrunt de præsenti. Altissimus vos ab omni malo protegat. Scriptum Constantiæ XVI. die Martii.

EPISTOLA XXXII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De disceptatione inter nationes & Castellanos, & de schedula à cardinalibus data super forma eligendi summi Pontificis.

VEnerabilis domine Rector, aliquandiu non scripsi matri meæ universitati, quod non omisi ex desidia; sed de die in diem sperabam sentire meliora, dictam matrem meam exhilarantia, quæ nondum sentire potui. Fuit namque & est quædam disceptatio inter nationes & Castellanos, qui hucusque distulerunt se unire sacro concilio; volentes prius certificari de forma & modo electionis futuri summi pontificis, sentientes quod super hujusmodi electione domini cardinales aliter sentiunt quàm nationes, & sic ista materia adhuc stat in tractatibus satis arduis. Novissimè, scilicet pridie, obtulerunt domini cardinales domino regi & nationibus cedulam super forma electionis continentem in effectu, quod in electione summi pontificis essent omnes cardinales, & quod secundùm numerum cardinalium reciperent in æquali numero simul de omnibus nationibus; & quicumque eligeretur per bonas partes cardinalium, & per duas partes illorum de nationibus, esset papa. Sed utrum hæc cedula acceptetur à nationibus singulis, an non, ignoro, quia super hoc hodie & deinceps tractabitur in nationibus. Quarta feria fiet relatio de processu habito contra PETRUM DE LUNA. Præpositus in *Nydegghen* fuit heri mortuus & sepultus. Alia non occurrunt de præsenti; & quàm primum occurrerint meliora, quæ speramus, scribam indilate. Placeat me recommendare matri meæ universitati & singulis ejus suppositis. Dominus conservet eos in omni bono. Scriptum Constantiæ ultima Maii. Anno 1417



EPISTOLA XXXIII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De disceptationibus Castellanorum in concilio.

Anno 1417 VEnerabiles patres & domini, alias scripsi matri meæ universitati de unione regnorum Castellæ & Legionis, &c. cum sacro concilio. Sed licet illa unio facta sit; tamen ut non dubito vos intellexisse & forte gravius quàm res exposcat, pendet adhuc quædam disceptatio in concilio, verumtamen ut spero cito concordanda, si Deus suam gratiam apponere dignabitur. Propter quam disceptationem agendam in concilio dilationes accipiunt iteratas: quæ disceptatio si, ut spero, sublata fuerit; de gratia Dei omnia planius, celerius, & fructuosius consummabuntur. Concedat Altissimus quod super his citò se offerat materia vestris reverentiis scribendi lætiora. Verum etiam est quod febres & fluxus incœperunt aliquantulum Constantiam flagellare, quos ille compescat cujus virtutis verbo omnia obtemperant. Recommendetis me matri nostræ universitati & simul ejus magistris & suppositis: quorum orationibus sit Ecclesia Dei & mea paupercula persona semper recommendata. Scriptum Constantiæ tertia die mensis Julii.

EPISTOLA XXXIV.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De quibusdam dissensionibus in concilio exortis.

Anno 1417 REverendi patres & domini, post unionem Castellanorum cum sacro concilio, quædam materia dissensionis, quamvis prius exorta multùm invaluit, & sacrum concilium quasi per medium divisit: una parte volente quod ante ejectionem PETRI DE LUNA tractaretur de modo & forma eligendi futurum summum pontificem: & alia parte volente quod primò fieret ejectio, deinde reformatio, præsertim quoad curiam Romanam; & deinde procederetur ad videndum de modo electionis, & consequenter ad canonicam & sinceram electionem. Et istum ordinem tamquam conformem capitulis in Narbona juratis, & postea juratis similiter in concilio per omnes, serenissimus dominus noster rex una cum inclytis nationibus Germanica & Anglicana observari petierunt, aliis renitentibus. Sed sicut placuit auctori pacis, ipsa die B. Margaritæ Virginis, quæ fuit XIII. Julii, sunt hæc negotia ad meliorem statum deducta: qua die hora quarta post meridiem certis tractatibus pacis præcedentibus, totum concilium cardinalium misit quatuor Cardinales, qui vice & nomine omnium in loco nationis Germanicæ, in præsentia domini regis & totius nationis Germanicæ & quàm plurium prælatorum aliarum nationum publicè per organum domini Pysani dicebant quod sequitur. Primò quòd de salvo conductu domini regis sub forma qua datus est starent optimè contenti. Secundò quòd cassarent & revocarent quascumque protestationes super defectu plenæ libertatis factas. Tertiò quòd ipsi promti essent & parati statim procedere cum aliis de concilio ad ejectionem PETRI DE LUNA, & post hoc ad reformationem Ecclesiæ quoad curiam, & consequenter ad electionem sinceram & canonicam unici summi pontificis. Et sic nihil occurrit, quod pacifico processui in negotiis peragendis videatur obviare, nisi quædam dissensio inter Aragonenses & Castellanos, orta occasione cujusdam decreti per Aragonenses ante adventum Castellanorum obtenti: cui ipsi Castellani efficaciter se opponunt. Pro qua dissensione sedanda efficaciter laboratur. Et supposito quod illa sedetur, post cras citabitur PETRUS DE LUNA ad audiendam sententiam ejectionis quinta die sequente. Alia non occurrunt; sed satis gravor ex dilatione tanta. Scriptum Constantiæ XIV. Julii. Isti litteræ inclusa fuit cedula præsentis tenoris quod post datam litteræ nova quædam difficultas orta est, quæ dilatationem quamdam facit & spero quod citò tolletur.

EPISTOLA XXXV.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Petrum de Luna in proxima sessione citandum ut compareat ad audiendam sententiam in ipsum ferendam. Dissensiones inter Castellanos & Aragonenses nondum esse sopitas.

VEnerabiles patres, magistri & domini, Noviter scripsi vestris reverentiis, quomodo post impetuosas perturbationes ortas in sacro concilio tranquillitas successisset: & ita fuit verum; sed statim post iterum turbata fuit aqua, & ad pacificum progressum in agendis perveniri non potuit: quæ tamen turbatio per illum qui non reliquit sperantes in se vix heri sedata fuit, taliter quòd hodie, scilicet ipso die B. Mariæ Magdalenæ XXII. die mensis Julii de mane hora septima, de consensu & voluntate dominorum cardinalium, & omnium nationum, etiam Hispanorum tenta est solemnis sessio præsentibus omnibus supradictis, in qua decreta est citatio contra PETRUM DE LUNA, ut die lunæ proxima ipse PETRUS DE LUNA compareat in sessione publica sacri concilii ad audiendam sententiam per sacrum concilium ferendam, juxta processum factum contra ipsum, &c. Et sic divino adjutorio à die præsenti die quinta delebitur iniquitas terræ, & conculcabitur illud crudelissimum caput draconis quod machinabatur sanctam Ecclesiam absorbere. Et ita firmiter speramus, quod major difficultas quæ nos retraxit ab agendis, Deo miserante, sit sublata. Anno 1417

Dissensio novissima, de qua supra scripsi, fuit in natione Hispanica inter Aragonenses & Castellanos,

ſtellanos, pro eo quòd Aragonenſibus prius venientibus ad concilium antequam ſe vellent unire cum ſacro concilio concedere oportuit, ut in natione eorum omnes prælati tam regni Aragoniæ, quàm Siciliæ & quarumdam aliarum terrarum, quæ dicuntur eſſe ſub ditione regis Aragoniæ, voces haberent licet abſentes tamquam præſentes. Et ſuper hæc editum fuit quoddam decretum per ſacrum concilium. Promiſerunt tamen quod ipſi de hoc facerent Caſtellanos in ſuo adventu contentos: cui decreto ipſi Caſtellani totis viribus ſe oppoſuerunt & opponunt allegantes quòd regnum Caſtellæ omnia regna Hiſpanorum excedat. Et licet tam per ſacrum concilium quàm per ſereniſſimum dominum noſtrum regem multæ viæ concordiæ ſint attentatæ; tamen nullatenus potuit iſta diſſentio per viam amicabilis concordiæ ſopiri: & vix ad hoc deventum eſt, quod partibus conſentientibus iſta cauſa in via juſtitiæ per judices ad hoc per ſacrum concilium deputandos terminabitur. Et ita ſpero quod die Lunæ prædicta tranſacta procedetur celeriter ad reformationem, & conſequenter ad electionem.

Placeat igitur veſtris Reverentiis cogitare de expeditione Rotuli, quia ſi peſtis de fluxu, quæ incœpit Conſtantiam flagellare, continuata fuerit, fortaſſis ſingula pe agentur. Recommendo ſanctam Eccleſiam veſtris devotis orationibus, & perſonam meam veſtram modicam ſervitricem. Altiſſimus vos conſervet & dirigat ad omne bonum. Scriptum Conſtantiæ ipſo die ſanctæ Mariæ Magdalenæ XXII. Julii.

Huic litteræ incluſa fuit præſens cedula tenoris ſequentis de manu ipſius M. THEODORICI DE MONASTERIO, videlicet:

Dies optata advenit, & hodie in ſolemniſſima ceſſione, domino rege in regalibus inſigniis, dominis cardinalibus, omnibuſque nationibus copioſiſſimè congregatis & conſentientibus, nemine reclamante, PETRUS DE LUNA dejectus, quia perjurus, turbator eccleſiaſticæ pacis, ſcandaloſus, incorrigibilis, ſchiſmaticus, hæreticus. Fuerunt præſentes Caſtellani & Aragonenſes, &c. Et ſic modo procedetur ad reformationem, & deinde ad electionem. Oretis ut omnia bene concludantur. Scriptum craſtino Jacobi apoſtoli XXVI. Julii.

In mſ. ſubjicitur ſine titulo ſequens ſchedula.

Quia bonorum laborum juxta ſententiam ſapientis glorioſius eſt fructus, conſiderantes S. R. E. cardinales quanto religionis zelo fideique fervore ſereniſſimus & chriſtianiſſimus dominus SIGISMUNDUS Romanorum rex & Hungariæ ſemper auguſtus ad procurandam pacem & unionem Eccleſiæ ſtudia & labores; nullis parcens periculis & expenſis, impenderit; volenteſque, ut etiam tenentur ex debito, quantùm in eis eſt, perpetuam tantis meritis gratitudinem exhibere, & ut inter Romanam Eccleſiam & imperium ac eis præſidentes atque cardinalium collegium pax, amicitia, atque concordia perſeverent; eidem ſereniſſimo regi

A ſponte & libera voluntate promittunt & jurant ſingulariter ſinguli, quòd ipſi ſtatum & gloriam, honorem, bonaque & jura perſonæ ſuæ, imperii & regnorum ſuorum ſuo poſſe conſervabunt, & in illorum conſervatione aſſiſtent favoribus & conſiliis opportunis; nec umquam procurabunt, neque procurantibus auxilium, conſilium, vel favorem, aut conſenſum præſtabunt, quod ſit in diminutionem ſeu læſionem ſtatus gloriæ, honoris, bonorum & jurium perſonæ ſuæ, ſacri imperii, ac regnorum ſuo-
B rum. Et quantum in eis erit, idem procurabunt apud futurum ſummum pontificem & ſuos ſucceſſores. Et ut ipſi ſummi pontifices ſtatum, gloriam, honorem, bona, & jura prædicta conſervent, & eumdem ſereniſſimum regem in filiali ac ſpeciali & caritativa dilectione habeant, & ſpecialibus favoribus proſequantur; idem ſereniſſimus rex qui ſpecialis advocatus, protector & defenſor Eccleſiæ Romanæ exiſtit, vice mutua promittit fide regia & jurat Romanæ Eccleſiæ, ac eiſdem cardinalibus, quod ſta-
C tum, honorem, bona, & jura ſanctæ Romanæ Eccleſiæ atque collegii cardinalium ſingulariumque perſonarum ipſorum cardinalium ſubſcriptorum ſuo poſſe conſervabit, & in illorum conſervatione aſſiſtet favoribus & conſiliis opportunis, nec umquam procurabit, aut procurantibus conſentiet; neque auxilium, conſilium, vel favorem præſtabit, quod ſit in diminutionem ſeu læſionem ſtatus, honoris, bonorum, & jurium Eccleſiæ Romanæ, ſacri cardinalium collegii, vel ſingularium perſonarum
D prædictarum; illoſque tamquam veros amicos habebit, fovebit, & honorabit veraciter cum effectu.

Inclytæ Germanica & Anglica nationes hujus ſacri generalis Conſtantienſis concilii, nec non aliarum, videlicet Italicæ, & Gallicanæ nationum reverendiſſimi patres domini cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, magiſtri & doctores atque ambaxiatores regum, principum, univerſitatum, communi-
E tatum atque dominorum multitudo copioſa, in hoc dictis nationibus adhærentibus, unà cum ſereniſſimo & glorioſiſſimo principe & domino domino SIGISMUNDO Romanorum rege ſemper auguſto; & qui ex infuſa ſibi cælitus gratia diutinis maximiſque rerum, corporis, regnorum, terrarum, conjugis, prolis, & amicorum periculis vigilanter & ſollicite velut Dei miniſter & Eccleſiæ defenſor, ſciſſam dubiamque diverſitatem trium obedientiarum in dicto ſacro Conſtantienſi concilio congregari procuravit;
F exclamant, apertiſſimè proteſtando, quòd dictis ſacri concilii decretis diffinitis & capitulis Narbonæ ſolemniter, auctoritative, & ſub multis juramentis ibidem & in hoc concilio factis & præſtitis, clarè determinatis & concluſis, ſine cujuſcumque diſputatione ambigua firmiter inhærere, nec ab eis quemlibet recedere volunt, intimantes ad hoc cetera ſuppoſita hujus ſacri concilii, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtant, & per viſcera miſericordiæ Dei in Domino exhortantes & requi-

rentes, quatenus cum ipsis in omnibus & per omnia concurrere velint usque ad hujus negotii sacratissimi complementum, juxta modum, ordinem, atque formam conventorum, atque providè decretorum: ut videlicet ille primò notorius & probatus schismaticus, continue pertinax, PETRUS DE LUNA schisma faciens atque fovens, à suo prætenso papatu & pestilentiæ cathedra abjiciatur.

Secundò quòd Ecclesia Dei saltim in capite & Romana curia reformetur, ut in futuris promotionibus & ceteris agendis secundùm solitos abusus ipsa curia amplius non erret; & demum capite & curia reformatis, & singulis dubitationibus amotis, taliter tamquam justè, sanctè, & canonicè, ad electionem unici summi pontificis tanta certitudine procedatur, ut etiam nullus catholicus de electione & electo possit aut debeat rationabiliter dubitare.

Protestantur quod si qui, quod absit, forsan illas cautiones & securitates de non fienda impressione quo ad electionem futuram per dictum serenissimum regem secundùm deliberationem hujus sacri concilii determinandas, liberaliter exhibitas, acceptare nollent, & ordine prætermisso supradicto, seorsum se colligere aut disputationum involutionibus se propter privata commoda aut inordinatas affectiones tractatibus vellent quomodolibet perturbare, quod contra illos generaliter & specialiter tamquam contra turbatores sacri concilii, reformationis, & unionis impeditores, schismaticos, & schismaticorum fautores & nutritores omni modo quo possunt procedere, & processum contra eos promovere intendunt usque ad justitiæ complementum.

SENTENTIA LATA CONTRA PETRUM DE LUNA.

De vultu ejus hoc judicium prodeat, &c. *ut in editis Sessione 37.*

CONSULTATIO THEOLOGORUM DE NONNULLIS PROPOSITIONIBUS

Erroneis circa materiam unionis.

AD obviandum multis erroribus qui nunc oriri videntur circa materiam unionis Ecclesiæ, petitur consilium & deliberatio theologorum supra dubiis infra scriptis, quæ JOHANNIS HUYSS doctrinam erroneam sapere dicuntur.

1. Utrum dicere quòd oblatio super modo electionis futuri summi pontificis facta per dominos cardinales & acceptata per nos nationes, est erronea, aut Ecclesiæ periculosa, vel scandalosa, sit erroneum & injuriosum, ac pacis & tranquillitatis sacri concilii turbativum.

2. Utrum dictam conditionem non acceptare, nec aliam æque bonam vel meliorem offerre, & non velle super hac materia cum aliis conferre, sed rem istam tam necessariam in longum periculosius differre, sapiat fautoriam schismatis & impedimentum unionis.

3. Utrum inducere potentiam sæcularem ad prohibendum seu de facto impediendum, ne super dicta oblatione deliberent aut respondeant aliæ nationes, sit libertatis concilii turbativum, & impressivum metus, aut Ecclesiæ unionis impeditivum.

4. Utrum dicere quòd apostolica sede apud omnes nationes vacante, non est facienda electio futuri summi pontificis secundùm canonicas sanctiones; sed quòd post dictam vacationem Ecclesia diu & sine determinato tempore manet acephala, id est sine apostolico capite seu pastore, & absque canonica provisione super forma & modo futuræ electionis; sit contra jus divinum, videlicet ordinationem Christi de instituendo sibi vicario Petri successore.

5. Utrum prædicta assertio sit hæretica, vel sapiat fautoriam pravitatis hæreticæ, & specialiter hæresis, contra JOHANNEM HUYSS per hoc sacrum concilium condemnatæ, videlicet quod Ecclesia melius potest regi sine papa.

6. Utrum quantumque hujusmodi consilii decreta, capitula, vel juramenta sanè intellecta possint obstare præfato juri divino seu ordinationi Christi de substituendo sibi vicario, & utrum hoc dicere sit erroneum & sapiens hæresim & huic sacro concilio injuriosum.

7. Utrum dicere & efficaciter procurare quòd non solùm electio futuri summi pontificis, sed etiam provisio super facto, modo & tempore futuræ electionis differatur, donec & quousque prius fiat reformatio capitis, videlicet papæ, cardinalium, & Romanæ curiæ hujusmodi reformatio bene fieri nequeat papa præsidente; sit erroneum & sapiens hæresim JOHANNIS HUYSS supradictam.

8. Utrum canonica provisio super futura electione sit prima & principalis, aut saltem præponenda; & an dicere contrarium sit erroneum, & debito ordine reformationis turbativum, & hæc deformitas, scilicet ut Ecclesia, ut præmittitur, maneat, sit periculosissima, & per consequens hujus deformitatis reformatio sit per totum nociva.

9. Utrum dicere quòd minus inconveniens est Ecclesiam carere capite, quàm carere capitis reformatione, sit erroneum & à bonis moribus ecclesiasticis alienum.

10. Utrum dicere quòd Romanus pontifex aut universalis Ecclesia non possit perfectè & debitè reformari, nisi per subtractionem bonorum temporalium, quibus à principibus superflue est dotata; sit erroneum & expressè favens hæresim contra JOHANNIS HUYSS, per hoc concilium condemnatam.

11. Utrum consulere vel inducere potentiam sæcularem, quòd exerceat viam facti vel brachium sæculare ad certas personas ecclesiasticas hujus sacri concilii absque auctoritate & expresso decreto, seu sub prætenso colore, quod isti vel illi sint perturbatores concilii, reddat sic consulentes & inducentes reos pœnarum juris, statutarum contra violatores ecclesiasticæ liber-

tatis: quarum pœnarum aliquæ confirmatæ sunt & noviter institutæ per hoc sacrum concilium.

12. Utrum tales consulentes & persuadentes, quod dominus rex Romanorum ratione suæ dignitatis vel alio prætenso titulo, sive conservatoris hujus concilii, sive decretorum ab eodem concilio statutorum, possit aliquam jurisdictionem in ecclesiasticos exercere absque speciali ejusdem concilii mandato, dicendi sint errantes in moribus & in jure, & de fautoria schismatis vehementer accusandi tamquam præsentis concilii turbatores, & violatores ecclesiasticæ libertatis, prædictas juris pœnas damnabiliter incurrendo.

Super materia dictarum quæstionum offerunt se multi notabiles doctores theologiæ probare & defendere tres conclusiones sequentes, videlicet:

Ex articulis fidei clarè deducitur quòd Ecclesia non debet absque unico summo pontifice derelinqui usque ad consummationem sæculi; & hoc de lege communi.

Ex articulis fidei clarè deducitur quòd præceptum divinum & affirmativum super electione summi pontificis fienda, dum sedes apostolica vacat, obligat omnem Christianum ad non impediendam hujusmodi canonicè & salubriter faciendam.

Ex articulis fidei deducitur quòd prædictum præceptum obligat adultum hominem Christianum ad procurandum juxta qualitatem sui status quòd electio summi pontificis nequaquam differatur, ubi & quando non occurrit dilationis ratio, dum scilicet electio deteriorem exitum probabiliter non haberet.

Ex prædictis tribus conclusionibus sequitur responsio affirmativa ad prædicta duodecim dubia.

Sequuntur rationes ad declarationem præmissorum contra nonnullos qui, sub prætextu & pallio reformatorum status Romani pontificis & collegii dominorum cardinalium ac Curiæ Romanæ, moliuntur differre non solum electionem futuri Romani pontificis, immo nituntur impedire ne provideatur de forma, modo & tempore electionis.

Pro fundamento trium conclusionum prædictarum, in primis præsupponendum est, quòd ex institutione Christi, qui est principale caput usque ad consummationem sæculi, debet succedere aliquod caput ministeriale Christo subordinatum, quale caput papam vel summum pontificem appellamus; & secundùm canonicas sanctiones valde periculosum est, quòd sede apostolica vacante, diu differatur electio talis capitis sive pontificis, & maximè sine determinatione modi, & formæ, & præfixionis temporis electionis, maximè considerato longo tempore & inaudito quo jam vacavit Ecclesia, ut per suas litteras testatur concilium: quoniam aliter Ecclesia exponitur discrimini ut remaneat acephala à tali capite, quæ est maxima deformatio Ecclesiæ: cujus deformitatis reformatio præ ceteris est necessaria; & per consequens exponere Ecclesiam tali discrimini, sine manifesta provisione contra scandala quæ inde possint

A oriri, est favere schismati, & præbere impedimentum ecclesiasticæ unitati, quod sapit hæresim JOHANNIS HUYSS per hoc sacrum concilium condemnatam; & maximè in illis qui alios volentes contra prædicta scandala providere, vocant turbatores concilii & fautores.

Hoc itaque fundamento præsupposito, quod tam jure divino quàm humano potest multipliciter stabiliri, consequenter dicendum est, quòd contradicentes conclusioni præmissæ; B quantùm in se est, manifestè se reddunt suspectos fautoriæ inveterati schismatis, aut generativi novi, quod sic potest probari. Certum est quòd si istud concilium solveretur antequam haberetur Romanus pontifex, quòd haberemus schisma pejus quàm aliud, propter difficultatem iterum congregandi concilium: quoniam difficillimè congregaretur sub quocumque principe Christiano, propter multa quæ faciliter considerari possunt.

Item, quia secundùm omnes suspensa sunt C jura virtute quorum ipsa electio pertinet ad collegium dominorum cardinalium, & sic non valeret electio eorum, dato quòd eam vellent facere & celebrare. Sed certum & notorium est, quòd nos sumus in eminenti periculo & quasi inevitabili solutionis prædictæ, & hoc propter multas causas. Prima propter longam & diutinam moram quam fecimus hic, ex qua longa mora non solùm attædiata sunt nobilia supposita hujus concilii; immo hæc civitas Constantiensis cum tota patria circumvicina. Secunda D propter periculum pestilentiæ aëris ad quam secundùm judicium astronomorum & medicinæ peritorum tempus valde disponitur Tertia propter divisiones, odia, & dissensiones, quæ durante isto concilio exortæ sunt inter regem Romanorum & nonnullas nationes; nec non ambaxiatores aliquorum regum & principum, ut notorium est. Quarta propter strages & guerras quæ invalescunt in aliquibus regnis & regionibus, propter quas invaduntur & dissipantur bona & monasteria plurimorum prælatorum & aliorum hic existentium. Quinta propter diffidentiam quæ habetur de aliqua bona reforma- E tione obtinenda in hoc concilio, viso quòd per duos annos licet major pax, dilectio, & concordia inter nationes tunc esset, vix tunc potuit plenè & perfectè concordari unum solum capitulum super dicta reformatione de qua tractatur, videlicet de statu papæ & collegii dominorum cardinalium. Et sic viso imminenti & verisimili periculo solutionis prædictæ: quo periculo non obstante, prædicti machinatores non curant providere circa factum electionis præmissæ; sed nituntur occupare tempus circa F dictam reformationem, vehementer se reddunt suspectos de fautoria antiquati schismatis in conspiratione & generatione novi: & videntur Ecclesiam reddere acephalam, nec curant de hujusmodi periculo.

Item, & si dicta reformatio est in suo tempore necessaria, nullus tamen sanæ mentis dicet quòd sit præferenda electioni Romani pontificis, vel saltim provisioni dictæ electioni & determina-

tioni modi, formæ, & temporis ejus, & hujusmodi, eo quòd dicta electio est principale negotium hujus concilii; & si non perficitur, quod Deus avertat, viget periculosum & nocivum: immo est quasi tota & unica spes universi principalis Christiani. Valde absurdum est tantum principale propter unum accessorium ponere in periculo, immo quodammodo postponere.

Item, non solùm pro hoc quod volunt dictam reformationem præponere, & in ea tempus occupare, se reddunt prædicti suspectos. Sed potiùs & veriùs ex hoc quòd nolunt quod concurrerent, provideatur circa electionem vel saltem determinationem modi, formæ, temporis ejus & hujusmodi: cum tamen convenientissimè uno & eodem tempore posset provideri super utroque, nec unum in aliquo possit aliud impedire.

Nunc restat ad aliqua eorum objecta respondere. Primò dicunt quòd creato papa bono modo, non possit fieri dicta reformatio, primò quia ipse per præsentiam suam impediet eam, &c. Respondeo, aut dicta reformatio potest canonicè absque eo & consensu suo fieri, aut non: si sic, absurdum est dicere quòd impediet eam, cùm non posset impedire dejectionem suam. Si verò sine eo & consensu suo non potest fieri, nec modo poterit fieri: quoniam paris consensus esset, vel eum creatum non vocare, vel tandem non expectare: immo plus nocet consensus paucorum, quam contradictio multorum.

Secundò ad hoc quòd dicunt quòd plurimi vellent sibi complacere, alii timerent sibi displicere: & ideo nunc majorem haberent libertatem, &c. Respondeo primò, tales quicumque sunt, non sunt amici veritatis, qui favore vel timore negarent veritatem; neque per tales debet fieri hæc reformatio; & impudens est istud objectum & sapit corruptionem.

Tertiò ad hoc quòd dicunt quòd habito papa, quilibet nitetur recedere, & dant exemplum de concilio Pisano. Repondeo: Istud objectum repugnat eis qui tantùm cupiunt ipsam reformationem: quoniam si tantùm desiderarent eam, non cito recedent quàm priùs perficiatur: etiamsi ipsi pauci deberent remanere ob hanc causam dumtaxat, viso quòd in ipsis in hoc casu poterit remanere auctoritas concilii. Item, unum est quod concilium non poterit ita providere post electionem sicut ante, ne prælati recedant. Item, quod datur exemplum de consilio Pisano. Respondeo quod de dilatione ipsius reformationis fuerit libere concors totum illud concilium, nec fuit culpa papæ, vel collegii dominorum cardinalium; sed potius totius concilii, si pro tunc dicta reformatio non fuit facta. Item, dicta reformatio non fuit impedita propter creationem papæ, sed solùm propter consensum totius concilii ex causa rationabili. Item deformitas Ecclesiæ in hoc quod vacet papa, est præ omnibus deformitatibus generalior: quia tangit bonos & malos, & omnes generaliter Christianos.

Item, periculosum est, ut supra dictum est, A quòd ex dilatione ejusmodi status Ecclesiæ non mediocriter deteriorari possit tam in fide quàm in moribus.

Item, tam longa expectatio futuri Romani pontificis est præ ceteris deformitatibus populis magis scandalosa, quam pauci cogitant in ista reformatione capitis: quamvis non negatur quin sit expediens & necessaria, sed electioni prædictæ nullo modo præponenda: patet igitur quàm vehemens suspicio laborat contra præ- B dictos, quòd non rectè tendant ad ea quæ sunt Jesu-Christi & gloriosæ sponsæ ejus. Et fortè intendunt sic expendere tempus, & attædiare concilium, ut paucis tandem remanentibus, eligatur papa ad vota sua.

Allegationes autem tam divini quam humani juris leviter poterunt fieri ad præmissa, &c.

Sacro sancta Synodus Constantiensis, &c. statuit & ordinat quòd futurus summus pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum ex hoc concilio deputandis per singulas C nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & curia Romana secundùm æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ antequam hoc sacrum concilium dissolvatur super materiis alias per nationes in reformatorio oblatorum quæ sequuntur, scilicet de annatis tollendis, de collationibus beneficiorum, de numero cardinalium, contra simoniacos, de revocatione alienatorum tempore schismatis, de providendis ad beneficia & officia, de exemptionibus & privilegiis tempore schismatis impetratis revocandis, &c. Videlicet hoc adjecto, quòd facta per nationes D deputatione prædicta, liceat aliis de licentia ad propria remeare. Istud decretum per singulas nationes & collegium cardinalium est admissum. De modo verò electionis summi pontificis nondum est concordatum, &c. isti quinque articuli subsequentes fuerunt XI. die mensis Octobris præsentis ad sacrum concilium Constantiense in plena & publica Sessione conclusi & publicati. Primus de futuris conciliis celebrandis, videlicet proximum ad quinquennium, secundum ad septennium; tertium, quartum, quintum E ad decennium. Secundus articulus de provisione adversus futura schismata. Tertius de provisione facienda per papam. Quartus ne prælati transferantur inviti. Quintus de spoliis & procurationibus.

Sequuntur in ms. decreta de quinque articulis prætactis, 1. de conciliis generalibus celebrandis & provisione adversus futura schismata. 2. De professione facienda pro papa. 3. Ne prælati transferantur inviti. 4. De spoliis & procurationibus. *Omnia ut extant in editis Sessione* 39 *p*. 238.

F

EPISTOLA XXXVI.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De modo providendi ab beneficia.

VEnerabilis domine Rector, agitur in concilio de collationibus beneficiorum, in Anno 1417

qua materia ambaxiatores nationis Germanicæ sunt valde angustiati, nescientes quid eligant. Si opponant se prælatis & ambaxiatoribus prælatorum, & domino regi, qui ad hoc efficaciter tendunt quod ordinarii conferant, timent quòd eis invitis transeat, & quòd tunc nihil facient pro studiis. Si conforment se eis, iterum timent si forte alii prævaleant. Reputo me hoc certum, quòd natio nostra bene in hoc consentiet, quòd certa portio omnium beneficiorum deputetur pro graduatis, ad minus sexta pars. Sed timeo de difficultate introïtus ad beneficia. Deus per suam misericordiam disponat sicut noverit pro sua Ecclesia & pro consolatione studiorum expedire. Fuimus cum rege, qui dicit quòd velit pro viris doctis fideliter laborare: & ita incœpit facere publice in natione nostra, ubi dicebat quòd ipse vellet in hac materia esse mediator, si aliqua dissensio oriretur inter prælatos & ambaxiatores prælatorum ex una; & nuntios studiorum parte ex altera. Et sitis certi quod dictorum studiorum nuntii non quærunt se, sed utilitatem studiorum suorum. Verum est quòd Parisienses formaliter se opponunt, ne collationes veniant ad ordinarios; quibus ex certis causis non audemus expresse assistere, timentes pericula. Videretur mihi quòd super hac materia loqueremur secretè cum paucis, & intimaretis mihi consilium vestrum; quia fortassis non ita citò concludetur. Verum est quòd ædificatur conclave, sed super modo electionis nondum est deliberatum. Altissimus vos conservet. Scriptum Constantiæ ultima Augusti manu propria. De tempore electionis nescio vos adhuc certificare.

RESPONSIO AD PRÆCEDENTEM EPISTOLAM.

Utilius esse publico bono collationes beneficiorum fieri per papam quàm per ordinarios.

Anno 1417 VEnerabilis magister & domine, recepimus litteras vestras sub data ultima Augusti nobis directas, in quibus inter cetera continebatur in effectu qualiter in concilio Constantiensi sit magna altercatio inter dominum regem & prælatos ac ambaxiatores prælatorum nationis Germanicæ ex una; & ambaxiatores studiorum Parisiensium & aliorum parte ex altera, de & super collatione & dispositione beneficiorum, qui debeant de ipsis disponere, an dominus papa, an ordinarii collatores; & ideo perplexi estis, cui parti adhærere debeatis, propter certa motiva per vos saltem implicitè in eadem littera tacta. Quapropter consilium nostrum super his & aliis in littera vestra contentis à nobis petitis, quia de facto nostro agitur, & vos & alii ambaxiatores studiorum, ut scribitis, & bene credimus, non quærunt quæ sua sunt, sed bonum & utilitatem studiorum suorum. Idcirco vobis sub brevitate rescribimus, quod videtur nobis omnibus expedire, immo necessarium esse pro utilitate ecclesiarum, & totius cleri, & maxime ecclesiarum collegiatarum & monasteriorum, non solùm civitatis & diocesis Coloniensis, sed totius provinciæ Coloniensis & partium circumvicinarum, quod collationes & nominationes & dispositiones beneficiorum maneant in potestate papæ; quia ut melius nobis scitis, si ordinarii collatores haberent collationes eorumdem, tot ad eos venirent preces armatæ dominorum, nobilium, & ruterorum, quòd non possent de eis disponere ad utilitatem ecclesiarum, nec conferre ea dignis & bene meritis; sed oporteret condescendere precibus eorum, nec in hoc satisfacerent: quia ubi complacerent uni, displicerent aliis; & illi statim se vindicarent incendiis, rapinis, & bona ecclesiarum & maximè collegiatarum & monasteriorum in brevi funditus destruerentur. Quare his maximè attentis & aliis exorbitantibus, quæ ab ipsis ordinariis collatoribus fierent & visibiliter fieri deberent, si collationes eorum in manibus eorum remanerent; consilium omnium nostrum est, quòd fideliter, fixè, & totis viribus assistatis ambaxiatoribus studii Parisiensis; & resistatis, ne collationes & dispositiones beneficiorum veniant in partibus nostris ad manus ordinariorum collatorum. Et inducatis etiam ad hoc ambaxiatores aliorum studiorum nationis Germanicæ, prout scitis, & noveritis expedire: nec curetis quid inde vobis aut studio possit evenire: quia qui sincera intentione laborant, Deus, qui novit corda hominum & scit quid ipsis expediat, ipsis assistet, ita quod non frustrabuntur effectu. Si autem in præmissis obtentum obtinueritis, laboretis ulterius pro utilitate studii nostri, prout alias nostris litteris vobis scripsimus, quarum etiam copiam vobis transmittimus interclusam, & alias facietis prout melius noveritis expedire. Si vero in præmissis intentum vestrum cum aliis ad hoc collaborantibus nullatenus possetis obtinere, quod absit, tunc laboretis quòd concilium & papa futurus provideant regentibus, graduatis, & studentibus nostræ universitatis, quòd ordinarii collatores habeant eis prævidere præ ceteris, prout vos melius cum aliis scietis adinvenire, quàm nos pro nunc sciremus excogitare.

In ms. sequuntur acta in Sessione xl. ut in editis, sed ordine nonnihil immutato.

EPISTOLA

UNIVERSITATIS COLONIENSIS ad T. archiepiscopum Coloniensem.

REverendissimo in Christo patri & domino T. sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo ac sacri imperii per Italiam archicancellario, ducique Westphaliæ, &c. domino nostro gloriosissimo. Anno 1417

Post humilem in Christo recommendationem, reverende pater & domine, noscat vestra pia dominatio quòd universitas nostra, vestra filia, in brevi missura est suos ambaxiatores ad

dominum nostrum apostolicum juxta morem cum suo rotulo. Quare ipsa eadem vestræ dominationi humiliter supplicat, quatenus vestra clementia generosè dignetur imitari vestigia venerandæ memoriæ prædecessoris vestri, & pro eadem dicto domino nostro papæ ac cardinali vestræ gratiæ protectori, juxta litterarum copias eidem vestræ dominationi per M. Henricum de Brylon nostræ universitatis venerabile membrum præsentandas, exhibere eidem aurem credulam in his quæ nostri ex parte desideramus per eumdem vestræ venerandæ paternitati exponere, quam dominus Deus dignetur conservare sanam & incolumem per tempora longiora. Datum Coloniæ die, &c.

Vestri humiles filii Rector & universitas studii Coloniensis.

EPISTOLA

Martini papæ V.

Ad Universitatem Coloniensem.

Significat suam in summum pontificem electionem.

Anno 1417 MARTINUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis rectori & universitati studii Coloniensis, salutem & apostolicam benedictionem.

Misericors & miserator Dominus unigenitus Dei filius Jesus Christus, qui cælestia simul & terrena suæ majestatis omnipotentia dirigit & gubernat, sacrosanctam Romanam catholicam Ecclesiam sponsam nostram, quam non facto solùm, sed sui proprii & sacratissimi sanguinis aspersione fundavit, suæ pietatis oculis ab alto respectans, ipsius Ecclesiæ viduitatis incommoda post resignationem juris papatus per olim Johannem XXIII. & subsequenter per Gregorium XII. ipsiusque Johannis depositionem ab ipso papatu; & per privationem & depositionem de Benedicto XIII. etiam à papatu hujusmodi, ut toti orbi jam debet esse compertum, in hoc generali concilio Constantiensi ac per ipsum canonicè celebratas, deplorare ulterius non est passus: Nam post longos varios diutinosque tractatus inter collegium venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, de quorum numero tunc eramus, ac quosdam venerabiles prælatos nationum præfati concilii super electionis Romani pontificis celebratione solemniter habitos, & consilia repetita diebus præteritis ad instar miraculi, divina superillustrante clementia, in ipso concilio extitit summo omnium consensu pro effectu saluberrimæ unionis in præfata Ecclesia consequendo, ac totali extirpatione nefandi schismatis salubriter ordinatum, quòd collegio ipsorum cardinalium ad eligendum ipsum futurum pontificem, per quinque nationes in eodem concilio existentes, sex pro qualibet in coëlectores adjungerentur: ita quod ille qui per duas partes ipsius collegii concorditer, & subsequenter per duas partes coëlectorum cujuslibet ipsarum nationum in papam etiam concorditer eligeretur, pro unico vero & indubitato Romano pontifice à cunctis Christi fidelibus haberetur, prout in decretis dicti concilii confectis desuper ac solemniter latius continetur. Unde, sicuti quidem Altissimo placuit, est effectum, quòd celebrata per nationes ipsas electione dictorum coëlectorum triginta numero, & approbata per ipsum concilium die Lunæ octava præsentis mensis, circiter horam quartam post meridiem, in illius nomine qui perpetua mundum ratione gubernat, cardinales numero viginti tres & coëlectores triginta hujusmodi cooperante Spiritus-sancti gratia, conclave libertate, ac securitate, & celeberrima ab extra custodia munitissimum, ad pacem Ecclesiæ aspirantes intraverunt; missarumque celebratis de more solemniis, ac deinde consiliis habitis repetitis, prout tantæ rei sublimitas exposcebat, die Jovis undecima hujus mensis celebratis B. Martini confessoris atque pontificis * hora quasi decima, eodem Spiritu, qui fidelium corda vivificat, illustrat, ac dirigit semper in bonum mentes nostras, uniformiter & humillimè, ac etiam concorditer inspirante, ad Altissimi laudem & gloriam ac statum ipsius Ecclesiæ, avulsionem totalem ex agro dominico præfati schismatis, cardinales & coëlectores præfati, in nos tunc S. Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem, licet ex fragilitate humanæ conditionis ad tantum onus regiminis universalis Ecclesiæ insufficientibus humeris eorum vota unanimiter, discrepante nemine, direxerunt, in jubilo *Te Deum* & cantico decantantes: moxque inthronizavere ac etiam adoravere solemniter, ut est moris. Post quæ sacris servatis solemniis apud Constantiensem ecclesiam regali, cardinalium, prælatorum, & procerum, ac aliorum notabilium immensa multitudine astante præsentia, hac præsenti die ad Altissimi laudem, & pacem universi gregis fidelium, coronationis nostræ insignia cum omni exultatione, (in altissimis sit gloria) cum humilitate suscepimus. Quæ universitati vestræ, ad cujus incrementa & statum paternis aspiramus affectibus, ad vestrorum cordium jocunditatem specialiter decrevimus intimanda: quam etiam status & honoris nostri & præfatæ Ecclesiæ sanctæ cognoscimus zelatricem. Illam quoque de nobis certam devotionem vestram volumus habere fiduciam, quòd vestram prosperitatem & pacem paterno zelantes affectu, illas conservare proponimus; & in quibus cum Deo poterimus, facultate succedente, favorabiliter promovere. Erga statum verò nostrum pariter & honorem, ac ipsius Ecclesiæ præfatam devotionem vestram hortamur, sic velit, ut speramus & cupimus, invigilare sedulo, ut ultra nostram ac apostolicæ sedis benedictionem, & gratiam ab æterno rerum opifice indeficientis vitæ munera post hujus labilis vitæ cursum consequi mereatur. Datum Constantiæ XI. calendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

* Deest solemniis aut quid simile.

EPISTOLA

COLLEGII CARDINALIUM

Ad universitatem Coloniensem.

Significant celebratam electionem summi pontificis.

MIseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales egregiis viris rectori & universitati studii Coloniensis salutem in domino sempiternam. Anno 1417

Pater futuri sæculi Princeps pacis de throno ejusineffabilis pietatis atque clementiæ ad statum Petri naviculæ, variis & calamitosis undarum turbinibus per quadraginta annorum lugenda curricula ob schisma pestiferum lacrymabiliter lacessitæ, prospiciens; ac misertus jam tandem super illam, nec passus diutius sacrosanctam Romanam Ecclesiam catholicam post cessionem juris papatus dudum per olim JOHANNEM XXIII. & subsequenter GREGORIUM XII. in eorum obedientiis nuncupatos factas, & depositionem à papatu de dicto olim JOHANNE per sacrosanctam & generalem synodum Constantiensem; ac deinde de BENEDICTO XIII. in ejus obedientia nuncupato, & per ipsam synodum legitimè celebratas, suo præsule viduatam in maximum & enorme præjudicium animarum & corporum, & interitum deplorandum fidelium christianorum, ipsius viduitatis ulterius deplorandæ incommoda non ferens per infusionem Spiritus-sancti paracliti diebus his proximis in corda hominum inspirare in maximo rerum turbine (nam ubi vult spirat) inæstimabiliter est dignatus, ut post multos, diutinos, varios, laboriososque tractatus inter nos & deputatos commissarios nationum in præsenti synodo existentium, quas divina majestas ad pacem, reformationem, & unionem dictæ Ecclesiæ de universis christianitatis, & nonnullis aliis partibus in unum mirabiliter adunavit, super electione summi Romanique & futuri tunc proximi pontificis habitos, in ipsa generali synodo concorditer provisum extitit, & conclusum super modo & forma electionis ipsius Romani & futuri proximi pontificis, quòd collegio nostro præfatæ Ecclesiæ cardinalium, sex coëlectores pro qualibet quinque nationum in ipso concilio seu synodo existentium ad peragendum unà nobiscum electionem hujusmodi adjungerentur: ita tamen quòd electus in papam per duas nostri collegii & duas alias partes coëlectorum cujuscumque nationum prædictorum, concorditer à cunctis Christi fidelibus pro unico vero & indubitato pontifice præfatæ Ecclesiæ catholicæ haberetur, prout in decretis ipsius synodi latius denotatur. Post quæ nationes ipsæ supremis aspirantes affectibus, ut pro universali bono christianitatis electio ipsa in Altissimi gratiam concluderetur celeriter, ad electionem coëlectorum hujusmodi procedentes, sex inter prælatos & alios viros gradibus, scientia, & virtute conspicuos ad electionem hujusmodi pro earum quinque nationum qualibet, nobis & nostro collegio adjunxerunt; & deinde dictorum sex pro natione numero triginta coëlectorum ad electionem ipsam celebrandam, electione per nationes, ut præmittitur, celebrata, in eadem synodo fuit confirmata solemniter cum potestate in decreto dicti concilii alias declarata. Quibus opportunè & solemniter peractis, die Lunæ octava instantis mensis circiter horam quartam post meridiem nos & dicti coëlectores, servatis de more servandis, decretum conclave in domo communitatis Constantiensis notabili accommodo, libertate atque securitate amplissimis communitum, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, pacem, statum & unionem præfatæ Ecclesiæ ac totalem extirpationem schismatis prædicti in Spiritus-sancti nomine exultantes intravimus. Illoque qui de supero cardine ubi vult spirat, & fidelium corda vivificat, & illustrat, mentes nostras & nostrorum coëlectorum inæstimabiliter ac divinitus inspirante, die Jovis XI. præsentis mensis, circa horam decimam, & ad tam sacratissimum negotium, eodem Spiritu humillimè, prout tam sublimis materia exposcebat, ab intimis præcordiis invocato, unà cum coëlectoribus præfatis consultatione & deliberatione maturis super statu ipsius Ecclesiæ, tranquillitate fidelium, & electione hujusmodi, præfati schismatis confusione universali, vota nostra cum eisdem coëlectoribus unanimi consensu ac libera voluntate, nemine discrepante, in reverendissimum in Christo patrem & dominum ODONEM DE COLUMNA tunc S. Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem confratrem nostrum, ejusdem Ecclesiæ verum & indubitatum pontificem suprema cordium nostrorum affectione direximus, ac ipsum elegimus & præfecimus eidem Romanæ Ecclesiæ in hujusmodi pontificem & pastorem. Mox-que cum hymnis de more & canticis ipsum, mutato ODONIS nomine in MARTINUM papam quintum, solemniter inthronizavimus, & adoravimus juxta morem, confectis super his omnibus ad futuram rei memoriam publicis documentis. Et deinde solemniis juxta ritum præfatæ Romanæ Ecclesiæ hac præsenti die in ecclesia Constantiensi canonicè & solemniter celebratis, adstante multitudine percelebri, in præsentia serenissimi principis domini SIGISMUNDI regis Romanorum & Ungariæ illustris, prælatorum, procerum, nobilium, ceterorumque ipsius domini nostri coronationis insignia celebravimus cum exultatione præmaxima. Quæ licet dominus circumspectioni vestræ latius affectibus per suas litteras intimet; nos etiam significare decrevimus ad lætitiam singularem. Offerentes nos prona semper affectione dispositos apud ipsum dominum nostrum tranquillitatem vestram pariter, & honorem fraternaliter amplectentem pro omni statu & honore vestris interponere, totiusque vigilantiæ nostræ curas, casu quolibet ingruente. Vos autem, prout de vestra circumspectione, & integritate erga statum, honorem, & gloriam præfatorum domini nostri & Ecclesiæ abunde confidimus, sic vos exhibeatis diligentissimum & solertem, ut

merito valeatis in Altissimo collaudari & condignæ remunerationis impendia promereri. Datum Constantiæ provinciæ Maguntinæ sub trium priorum nostrorum sigillis, XXI. Novembris ab assumtione pontificalis culminis ipsius domini nostri anno primo millesimo quadringentesimo decimo septimo, indictione decima.

INSTRUMENTUM STUDII HEYDELBERGENSIS TRADITUM NUNTIO sibi nutianti electionem domini Martini papæ V.

Anno 1417 IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Noverint universi præsentes & futuri hoc præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno nativitatis Dominicæ MCCCCXVII. indictione X. die nona mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini MARTINI digna Dei providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ & summi pontificatus papæ V. anno primo coram venerabili & egregio doctorum doctore domino magistro JOHANNE DE NOET rectore ad præsens almæ universitatis Heydelbergensis Wormatiensis diœcesis, necnon venerabilibus viris dominis NICOLAO DE JANWER, HENRICO DE HOEMBORCH, WILLELMO DE EPPENBACH sacræ theologiæ professoribus, NICOLAO DE BERTEMBERG, NICOLAO DE TREYSSET sacrorum canonum, WILLELMO DE DAVANTICIA in medicina doctoribus, WILLELMO DE LYRA decano facultatis artium, totoque cœtu aliorum regiminis & non regiminis nobilium baccaleorum, scolarium & suppositorum almæ Universitatis per bedellum ejusdem, ex commissione dicti domini rectoris, ut moris est, ad hunc audiendum specialiter evocatorum, personaliter constitutus venerabilis LUDOVICUS DE MUTLIANA Faventinæ diœcesis artium & medicinæ magister & doctor egregius, à præfato domino nostro papa ad hujusmodi almam universitatem nuntius specialiter destinatus, quasdam litteras, unam videlicet secretam præfati domini nostri papæ, ejus vera bulla in cordula canapis more Romanæ curiæ impendente bullatam, & aliam papyream reverendissimorum in Christo patrum & dominorum S. R. E. cardinalium sub tribus sigillis priorum cardinalium eorumdem de cera rubea per impressionem signatam, modum & formam electionis & coronationis dicti domini nostri papæ in se continentes in præsentia dictæ almæ universitatis hujus rei causa, ut præmittitur, congregatæ, in medium produxit, atque præfato domino rectori tamquam capiti ejusdem universitatis honorificè præsentavit. Quas idem dominus de manibus humiliter & devotè ac cum omni qua decuit reverentia suscipiens, ipsas mihi notario tradidit publicè legendas, & eidem universitati publicandas: quas ego notarius infra scriptus de mandato ejusdem rectoris aperiens, easdem publicè alta & intelligibili voce perlegi & publicavi. Quibus quidem litteris sic, ut præmittitur, debitè perlectis & publicatis cum collatione & assumtionis, electionis, coronationisque præfati domini nostri papæ recitatione, ac ipsius & universalis sanctæ matris Ecclesiæ status, & horum recommendatione per præfatum dominum LUDOVICUM nuntium ad ipsam universitatem laudatis, factis & expeditis; egregius sacræ theologiæ professor magister NICOLAUS prælibatus præfato nuntio præsenti & astanti, ac suæ collationi nomine dictæ universitatis respondit hujusmodi verba, videlicet: *Hæc est dies boni nuntii* pro themate assumendo: quod quidem thema per similia membra subtiliter distinguendo & introducendo solemniter & honorificè cum jubilo & gaudio immenso conclusit: Hæc est dies boni nuntii, unionis videlicet sanctæ matris Ecclesiæ per tot annorum lugenda circula lamentabiliter lacessitæ, ac electionis & assumtionis præfati Sanctissimi domini nostri domini MARTINI papæ V. unici veri & summi pontificis per omnes cardinales & deputatos singularum nationum in civitate & concilio Constantiensi tunc in conclavi existentes, unanimiter, eorum nemine discrepante factæ & celebratæ: cui domino nostro papæ tamquam vero & indubitato Romano & universalis Ecclesiæ summo pontifici & pastori, & B. Petri legitimo successori; ipsiusque præceptis, monitis, & mandatis, ipsa hujusmodi universitas sæpedicta, tamquam filii humillimi volunt & intendunt irrevocabiliter in omnibus, & per omnia, prout decet, devotè & humiliter obedire. Recommendantes se & sua cum humilibus reverentia & subjectione ad præfati sanctissimi domini nostri papæ pedum oscula beatorum: hymnumque *Te Deum laudamus* de principio usque ad finem cum antiphona de B. MARIA Virgine gloriosa solemniter cum exultatione maxima decantantes, ad laudem, gloriam & honorem omnipotentis Dei ac pacem & unitatem universalis Ecclesiæ & totius populi christiani. Super quibus omnibus & singulis præfatus M. LUDOVICUS nuntius petiit sibi per me notarium infra scriptum unum vel plura publica fieri instrumenta. Acta fuerunt hæc in ecclesia regali S. Spiritus Heydelbergensi dictæ Wormatiensis diocesis, sub anno, indictione, die, mense & præsentibus quibus supra, hora vesperorum vel quasi; præsentibus ibidem supradictis doctoribus & magistris aliisque suppositis dictæ Universitatis ad hoc, ut præfertur, inibi congregatis, aliorumque notabilium virorum in multitudine copiosa, tenores & fines dictarum litterarum, de quibus fit mentio sequuntur per ordinem & sunt tales: MARTINUS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis rectori & universitati Heydelbergensi salutem & apostolicam benedictionem. Misericors & miserator dominus, *&c usque* deplorare non compassus, &c. & sibi fiant. Datum Constantiæ XI. calendas Decembris pontificatus nostri anno primo. Alterius vero litteræ dominorum cardinalium principium sequitur in hæc verba: Miseratione divina episcopi, presbyteri, diaconi S. R. E. Cardinales egregis viris Rectori & universitati

versitati studii Heydelbergensis salutem in domino sempiternam. Pater futuri sæculi, Princeps pacis, de throno ejus, *&c. usque ibi* suo præsule viduata, &c. *& sic finit*: Datum Constantiæ provinciæ Maguntinæ sub trium priorum nostrorum sigillis XXI. * Decembris ab assumtione pontificalis culminis ipsius domini nostri anno primo MCCCCXVII. Indictione X.

* I. Novembris.

Et ego JOHANNES DE WERTHUSEN clericus Trajectensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum præfatis rectore, doctoribus & magistris, nec non totius Universitatis suppositis interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum instrumentum manu mea propria scriptum ... confeci, publicavi, & in hanc formam publicam redegi, signumque meum solitum & consuetum apposui rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Similes litteras iisdem pene verbis conceptas & expressas nomine universitatis Coloniensis die prima Januarii anni MCCCCXVIII. *datas continet idem codex ms. quas hic exscribere non multum juvat.*

EPISTOLA XXXVII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Mittunt nonnulla decreta proposita circa reformationem.

Anno 1418. VEnerabiles magistri & Domini. Infra scripta sanctissimus dominus noster apostolicus die XVIII. mensis Januarii obtulit nationibus, aperiens quid circa subscriptos XVIII. articulos reformationis, super quibus primò agendum erat, suæ sanctitati videatur. Non tamen sunt adhuc per nationes approbata. Sed tractabitur circa illa. Misi tamen illos vestris reverentiis, ut possitis intelligere quò negotia tendant, & secundùm hoc vos regere. Videretur mihi bonum quod mittendi per vos venirent, & sub tali numero quòd non deficiant in expensis. Magnum murmur est in concilio contra conservatorias Universitatum, contra injuriatores & offensores: & multi tam principes quàm comites & alii nobiles conqueruntur. Expedit quod ista adhuc teneantur apud vos sub secreto.

Sequuntur decreta pro reformatione, de numero cardinalium, de provisionibus Ecclesiarum, monasteriorum, &c. ut in edita appendice ad concilium Constantiense pag. 1450. & seq.



EPISTOLA XXXVIII.

Oratorum universitatis Coloniensis.

De modo conferendi beneficia.

DOmini & magistri dilectissimi, valde perplexus sum in materia collationis beneficiorum nesciens quid pro quo eligere. Parisienses omnino sunt inclinati ad hocquod omnes collationes maneant apud papam. Oxonienses non, & alia quædam studia. Et attenta dispositione Almanniæ durum esset quòd universitas nostra faceret contra prælatos Almanniæ, & similiter si faceret se partem pro eis. Deus det illud fieri quod melius & sanctius fuerit. Sentio quòd multi sunt inclinati ad hoc quòd provideatur Universitatibus principaliter; sed solidum & securum modum difficillimum est invenire propter diversos status diversarum nationum, regnorum & provinciarum. Fortè non expedit ista coram tota Universitate publicare. De rotulo scripsi aliquoties quod fiat in omnem eventum: tamen non consulo nisi aliud scripsero, quod cum pecuniis de rotulo colligendis aliqua ambaxiata mittatur: quoniam si non sequeretur effectus, esset hoc ad confusionem nuntiorum. Verum est tamen quòd multùm expediret quòd aliquis vel aliqui de sociis meis redirent ad me ad promovendum negotia Universitatis per unum modum vel per alium; & spes esset quòd etiam personis ipsorum aliquo modo provideretur. Scriptum Constantiæ XIX. Septembris. Anno 1418.

EPISTOLA XXXIX.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Hispaniam vero summo pontifici obedire, & Græcos ad Romanam ecclesiam reverti.

VEnerabiles magistri & domini, sicut prius scripsi; videretur mihi expedire quòd nuntii Universitatis nostræ venirent; quia dominus apostolicus jam aliquos rotulos signavit, præsertim pro Hispania, & etiam pro magistris de natione Gallicana præsentibus in concilio. Non tamen intellexi quòd aliquem signaverit pro principe aut prælato nationis Germanicæ. Alia non occurrunt, nisi quod in profesto Purificationis B. MARIÆ fuit missa celebrata de sancto Spiritu propter nova certa recepta de Hispania. Ista scilicet quòd omnes reges Hispaniæ derelinquunt PETRUM DE LUNA, & obediunt domino nostro apostolico. Et illi prælati cardinales & alii qui adhærebant dicto PETRO, omnes dimiserunt eum, tribus demtis. Item, venerunt certa nova de baptismo generaliter suscepto per Samaycas, & de firma spe reversionis Græcorum ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ. Alias per N. nuntium civitatis misi vobis avisamenta domini nostri; non tamen concordata. Et circa avisamentum de exemtionibus, Anno 1418.

quoad finem ejus sum satis perplexus quia posset fortè esse præjudiciale nostræ Universitati, si in illa forma transiret.

EPISTOLA XL.

Oratorum universitatis Coloniensis.

Quæ fuerit mens summi pontificis de collatione beneficiorum.

Anno 1418. REverende magister & amice carissime, recepi hodie duas vestras litteras, ex quarum ultima intellexi exitum vestrum fore suspensum usque ad scripturam meam. Et revera super digestione negotiorum concilii non possum adhuc scribere conclusive, sed juxta ea quæ hodie intellexi cras aperiet papa mentem suam super illis XVIII. punctis reformationis concernentibus curiam. Et si mens papæ placuerit nationibus, citiùs erimus expediti. Citò scribam pleniùs. Verum est quòd jam pluribus diebus expectavi adventum vestrum; & non credidissem de tanta tardatione, quæ si expediat nescio. Et utinam jam essetis mecum. Verumtamen contra deliberationem Universitatis scribere non præsumo. Et nisi fallor, tempus est veniendi. Quoad numerum mittendorum non decet me dare legem matri meæ Universitati: tamen videtur mihi quòd duo sufficerent. Hodie, scilicet vicesima Januarii papa aperuit mentem suam in scriptis, & quoad collationem beneficiorum disposuit quod ipse conferat beneficia reservata, clausa in corpore juris, & juxta extravagantem *Ad regimen*. Et de residua parte beneficiorum ipse conferet duo prima, ordinarius tertium, quando velit dare gratias expectativas nescio adhuc. Nec scio an nationes acceptabunt avisata per papam. Alia non occurrunt de præsenti. Scriptum Constantiæ XVIII. Januarii.

AVISAMENTUM.

REverendissimi patres & domini, Quia post usurpationem collationum beneficiorum ecclesiasticorum ad Romanam curiam, gravis contra eamdem à collatoribus ordinariis querela surrexit, nimiæ exorbitantiæ ex multiplicitate gratiarum, confusio & distorta inordinatio litigantium, intrudentium & intrusorum rebellio, & depauperatio universarum mundi provinciarum & regnorum; immo & omnimoda desolatio generalium studiorum factæ sunt: quia omnes in unum, dives & pauper currebant, & afferebant munera prælatorum, qui coquinis & stabulis inservierunt, & quod pretio pecuniarum aut præsidio scientiarum non poterant, servitiis & ejusmodi mercede ab honestate clericali penitus alienis comparare satagebant. Ideo modis omnibus sacrum concilium propter reformationem status ecclesiastici tam in capite quàm in membris salubriter congrega- A tum de istis debet & habet necessario providere, Et ne status summi pontificatus in hoc nimium deprimatur; & ex adverso ordinariorum collatorum potestas, quæ etiam nimis laxata evidenter exorbitat, nimiùm exaltetur, attendantur avisamenta quæ sequuntur.

Primò quia papalem gravitatem, quæ maximis negotiis continuè agitatur, non decet se circa minima occupare, sed illa inferioribus expedienda relinquere: ideo statuat hoc generale concilium quod summus pontifex nullatenus B conferat illa minora beneficia, quæ taxam octo marcarum argenti non excedant: & si qua provisio de illis fiat, aut si gratiam habens tale beneficium acceptare præsumserit, & sibi de illo provideri obtinuerit; sint provisio & acceptatio hujusmodi nullæ ipso facto, nec sub gratia cujusquam quoquo modo cadat.

Item, ad evitandam nimiam multitudinem gratiarum expectativarum hactenus in gravamen ordinariorum, & tam diffusè factarum, disponat sacrum concilium quòd hujusmodi C gratiæ cum tantis ordinatione & moderamine fiant: ita quòd alternativè summus pontifex primum & collator secundum; & iterum papa tertium, & collator quartum; & ita consequenter habeant conferre beneficia personis habilibus & idoneis; & quilibet in ordine suo acceptet vel sibi providere faciat, ut non sit cuiquam optio suum ordinem prætereundi, & ex fomite avaritiæ pinguius beneficium expectandi. Et de isto caveatur in litteris apostolicis per clausulas ad hoc aptas. Et contra hujusmodi alternationem & apostolicum ex- D pectantem in ordine suo post publicatas litteras sub decreto papali non liceat ordinario sub pœna suspensionis à collatione sua per tempus vitæ suæ quemquam in beneficium intrudere, aut alteri conferre quoquo modo.

Item, ultra hoc habeat summus pontifex conferre omnia & singula beneficia apostolicæ sedi in corpore juris & in extravaganti *Ad regimen* reservata, summam prædictam excedentia.

Item, habeat ultra hoc disponere de beneficiis inhabilium & irregularium, & de qui- E bus ordinarii male disposuerunt, aut quæ ad ipsius dispositionem secundùm dispositionem juris devolvuntur aut forent devoluta.

EPISTOLA

UNIVERSITATIS COLONIENSIS AD PRÆCEDENTES RESPONSIVA

F *Non expedire beneficia conferri per ordinarios: si tamen aliter fieri non possit, quid tunc agendum.*

VEnerabilis magister & domine, super materia litteræ vestræ nobis directæ juxta contenta ejusdem aliquos de universitate nostra convocavimus, cum quibus deliberavimus; & finaliter omnium nostrùm deliberationes in hoc resederunt, quod nullo modo expedit ecclesiis in partibus nostris quòd ordinarii collatores & Anno 1418

collatrices beneficia sua conferant, propter preces principum & dominorum armatas, & propter multa damna & mala quæ inferrentur ecclesiis & prælatis, ac aliis personis ecclesiasticis, si hujusmodi preces non exaudirent, prout etiam vos nobis melius sentire potestis. Verumtamen si ordinationi concilii in his resistere non possitis, quia timetis quòd ipsi prævalere debeant, prout scribitis: propterea propter inidoneitatem personarum ecclesias parochiales in partibus Almanniæ regentium, immo verius absentium, ut super his cum prælatis inibi congregatis tractetis de opportunitate congruentissima quæ erit sanctæ civitati Coloniensi & toti Universitati bene grata & acceptata, &c. visum est nobis, salvo consilio vestro meliori, quòd Universitatibus in genere provideatur hoc modo, videlicet, quòd sacrum concilium statuat & ordinet, & papa postea electus confirmet, quod ordinarii collatores & proinde ecclesiastici ecclesias parochiales x. marcas puri argenti & ultra valentes non conferant nisi in aliqua facultate graduatis & de alia provincia natis, qui nullum aliud habeant beneficium, & in eisdem perpetuam jurent & faciant residentiam. Item, quòd ad dignitates non eligantur aut assumantur, nisi illustres aut in theologia professores, vel in eadem aut in altero jure licentiati, aut bachalarii in theologia formati, vel ad minus ex utroque parente de militari prosapia procreati, de eadem provincia nati, & competentis litteraturæ, unicum beneficium dumtaxat & compatibile habentes, qui similiter in eis continuam residentiam facere jurent & faciant. Et si aliis personis conferantur, irrita sit ipso jure collatio, & ipsi collatores sint eo ipso potestate conferendi illas hac vice privati; & ad proximum superiorem devolvatur conferendi potestas, qui personis prædictis de illis providere habeat, & non aliis sub pœnis prædictis. De aliis autem beneficiis, videlicet præbendis, ecclesiis parochialibus minoris valoris, ac vicariis, disponant ordinarii collatores pro servitoribus & amicis suis; sic tamen quòd ultra tria beneficia simplicia nulli conferantur. Si quis autem quartum beneficium tria habenti contulerit, per annum suspensus sit & maneat à collationibus omnium beneficiorum; & potestas conferendi ea devolvatur pro illo tempore ad proximum superiorem. Et ille qui quartum beneficium acceptaverit, amittat ipso facto tria priora. Si prædictus modus per ordinarios collatores observetur; ipsi sufficienter providere poterunt suis servitoribus & amicis; & scientia cum graduatis fulgebit in ecclesia Dei; & per eosdem gratia ipsius populus regetur in plenitudine pacis; & multi undique confluent ad studia litterarum, ut promoveantur ad gradus & ad dignitates exaltentur. Insuper videtur nobis expedire, ut obtineatur confirmatio privilegiorum Universitatis nostræ, quorum copias vobis trasmittimus, ut super his plenius deliberare possitis. Item, videtur nobis expedire, si obtineri possit, quod impetraretur pro fundatione & incorporatione nostræ Universitatis, & sibi incorporaretur totum collegium ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis: ita quod cedentibus aut decedentibus iis qui ibidem jam sunt præbendati, in locum ipsorum non assumerentur nisi birretati de Universitate studii nostri prædicti, qui ibidem perpetuè Deo & Ecclesiæ ac Universitati nostræ servirent, & continuè residerent. Scimus quòd pro vobis & pro præmissis pecuniæ sunt necessariæ; & ideo laborabimus apud dominos de consilio civitatis Coloniensis, & inter nos, prout melius poterimus, pro eis habendis & mittendis.

LITTERÆ JOHANNIS OSTIENSIS EPISCOPI AD UNIVERSITATEM COLONIENSEM.

Mittit capitula reformationis in concilio Constantiensi edita.

UNiversis & singulis JOHANNES miseratione divina episcopus Ostiensis S. R. E. cardinalis & vicecancellarius, salutem in Domino & præsentibus fidem adhibere. Anno 1417.

Si juxta laudabilem antiquorum sententiam & providum sapientum consilium, dignum est ea quæ majorum consultissima providentia in subditorum gratiam & commoda geruntur, scripturæ testimonio redigere: dignum per consequens est & rationi consentaneum, ut adeo nota fiat eorum veritas, quòd inde nec desit pacificis opportuna provisio, nec usquam perversis sub ignorantia variandi supina facilitas relinquatur. Cùm itaque nuper inter sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum MARTINUM divina providentia papam quintum, & reverendos patres prælatos, nec non egregios & circumspectos viros ambaxiatores, procuratores, doctores, & magistros, ceterosque venerabilem nationem Germanicam in generali Constantiensi concilio * repræsentantes & facientes nonnulla capitula concordata & ab utraque parte sponte suscepta, nec non de dicti domini nostri papæ mandato in libro cancellariæ S. R. E. in quo Romanorum pontificum constitutiones & ordinationes solent conscribi, ad futuram rei certitudinem, nobis operam dante, prout ad nostrum spectat officium, die xv. mensis Aprilis pontificatus domini nostri papæ anno primo conscripta fuerunt, ac de simili mandato in audientia contradictarum die secunda mensis Maii anno quo supra lecta & publicata: adjecto quod sub nostrarum litterarum testimonio indigens quisque sibi testimonium sumere valeat in toto, vel in ea parte qua indigeret earumdem, nos ad venerabilium nunciorum universitatis studii Coloniensis instantiam capitula hujusmodi sic, ut præfertur, concordata & sponte suscepta ex integro ex libro prædicto de verbo ad verbum fideliter conscribi & præsentibus annotari fecimus: quorum tenor sequitur in hunc modum.

* Deest ecclesiam.


De numero & qualitate cardinalium.

Statuimus, ut deinceps cardinalium numerus S. R. E. adeo sit moderatus, quòd non sit gravis Ecclesiæ, qui de omnibus partibus christianitatis proportionaliter, quantùm fieri poterit, assumantur: ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium faciliùs haberi possit, & æqualitas regionum in honoribus ecclesiasticis observetur: Sic tamen quòd numerum XXIV. non excedant, nisi pro honore nationum quæ cardinales non habent, unus vel duo pro semel de consilio & consensu cardinalium assumendi viderentur. Sint autem viri in scientia, moribus, & rerum experientia excellentes, doctores in theologia, aut in jure canonico vel civili, præter admodum paucos, qui de stirpe regia vel ducali aut magni principis oriundi existant: in quibus competens litteratura sufficiat. Non fratres aut nepotes ex fratre vel sorore alicujus cardinalis viventis, nec de uno ordine mendicantium ultra unum. Non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota respersi. Nec fiat eorum electio per auricularia vota solummodo; sed etiam de concilio cardinalium collegialiter, sicut in promotione episcoporum fieri consuevit. Qui modus etiam observetur quando aliquis ex cardinalibus in episcopum assumetur.

De provisione ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum.

Sanctissimus dominus noster papa MARTINUS V. super provisionibus ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum quorumcumque utetur reservationibus juris scripti & constitutionis *execrabilis* & *ad regimen* modificatæ ut sequitur. Ad regimen ecclesiæ generalis quamquam immeriti fraterna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiæ studium ad quorumlibet ecclesiarum & monasteriorum regimina, & alia beneficia ecclesiastica, juxta divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsint & prosint committendis eis ecclesiis, monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum namque consideratione inducti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus, & officia, nec non canonicatus & præbendas, & ecclesias, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, sæcularia & regularia, quæcumque & qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa consueverint seu debuerint personæ per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem apostolicam quoquo modo vacantia & in posterum vacatura, nec non per depositionem vel privationem seu translationem per nos seu auctoritate nostra factas & in antea faciendas ubilibet, nec non ad quæ aliqui in concordia seu discordia electi vel postulati

A fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, & admissa nostra auctoritate constiterit; seu quorum electorum vel postulatorum & in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari, vel postulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos, aut auctoritate nostra contigerit apud sedem prædictam, vel alibi ubicumque, & etiam per cardinales ejusdem Ecclesiæ Romanæ aut officiariorum dictæ sedis, quamdiu ipsa officia aliqualiter tenebunt, videlicet vicecancel-
B larii, camerarii, septem notariorum, auditorum litterarum contradictarum, & apostolici palatii causarum auditorum, correctorum cetuum & unius, scriptorum litterarum apostolicarum, & XXIV. pœnitentiariæ dictæ sedis, & XXV. abbreviatorum, nec non verorum commensalium nostrorum, & aliorum XXV. capellanorum sedis ejusdem in epitaphio descriptorum, & etiam quorumcumque legatorum seu collectorum, ac
C in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum, & thesaurariorum deputatorum, seu missorum hactenus, vel deputandorum ac mittendorum in posterum vacantia & in antea vacatura, dictos legatos, vel collectores, seu rectores aut thesaurarios antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam curiam venientium vel etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distan-
D tibus jam forsan obierint, vel eos in antea transire de hac luce contigerit, & etiam simili modo quorumcumque curialium peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacumque causa ad quævis loca secedentium, si eos antequam ad dictam curiam redierint in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, jam forsitan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, nunc per obitum hujusmodi vacantia vel in posterum vacatura. Rursus monaste-
E ria, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, & ecclesias, ceteraque beneficia sæcularia & regularia cum cura vel sine cura, quæcumque vel qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos vel auctoritate nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium & episcopalium ecclesiarum, necnon monasteriorum regimina obtinebant
F tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocumque modo vacantia seu in posterum vacatura, necnon etiam quæ per assecutionem pacificam quorumcumque prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, ecclesiarum aut beneficiorum aliorum per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiat, nunc vacantia & in antea vacatura, plena super præmissis omnibus & singulis cum fatribus nostris collatione præhabita, &



matura deliberatione secuta; ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ usque ad quinquiennium de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica reservamus : decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentatum : non obstantibus quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis pontificibus editis, quatenus obsistere possent superius enarratis articulis, vel alicui seu aliquibus eorum dicto quinquennio durante. Nulli ergo, &c.

In ecclesiis cathedralibus & etiam in monasteriis apostolicæ sedi immediatè subjectis fiant electiones canonicè, quæ ad sedem apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum, & in constitutione NICOLAI III. quæ incipit *Cupientes* papa expectet. Quo facto, si non fuerint præsentatæ, vel si præseotatæ minus canonicæ fuerint, papa provideat : si verò canonicæ, papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili vel evidenti, & de fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerit providendum : proviso quòd confirmati per papam nihilominus Metropolitanis & aliis præstent debita juramenta, & alia ad quæ jure tenentur.

In monasteriis quæ non sunt immediatè subjecta sedi apostolicæ, nec non aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem apostolicam, non teneantur venire electi seu illi, quibus providendum est ad curiam, ad habendam confirmationem seu provisionem : nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis expectativis. Ubi autem in monasterio ad curiam Romanam pro confirmatione venire vel mittere consueverunt, ibi papa non aliter confirmet aut provideat, quam superiùs de ecclesiis cathedralibus est expressum. De monasteriis monialium papa non disponet, nisi sint exemta; & tunc per commissionem in partibus.

De ceteris dignitatibus & beneficiis quibuscumque sæcularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes jam dictas, majoribus dignitatibus post pontificalem in cathedralibus & principalibus & collegiatis ecclesiis, exceptis de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores ad quos pertinet, nec computentur in turno seu vice eorum ; idem dominus noster papa declarat, quòd per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, seu quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma per eum aut ejus auctoritate factam vel faciendam non velit, neque vult; neque intendebat, nec intendit, facere aut fieri quominus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt, alternis vicibus, prout ad ipsos spectabit de consuetudine vel de jure : ita quòd cum de una dignitate, personatu, officio, vel beneficio ex illis ad electionem, provisionem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem primo loco pertinebat, de alio immediatè postea vacaturo provideat aut disponat prout ad eum pertinebit : & ita consequenter de singulis hujusmodi dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis vacaturis auctoritate ejusdem domini nostri papæ & aliorum prædictorum alternatis vicibus disponatur : reservationibus aut aliis à præmissis dispositionibus domini nostri papæ factis vel faciendis non obstantibus quibuscumque. Quotiens verò aliquo vacante beneficio cadente in vice & gratia expectativa non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo secundùm prædictas ordinationes fuerit apostolica auctoritate provisum ; ordinarius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponat, nec sibi in sua vice computetur.

Sanctissimus dominus noster papa MARTINUS V. ad exaltationem fidei catholicæ & spiritualem profectum populi christiani de consensu & beneplacito nationis Germanicæ statuit, ordinat & decernit, quod deinceps in metropolitanis & cathedralibus ecclesiis nationis Germanicæ ejusdem sexta pars canonicatuum & præbendarum pro doctoribus aut licentiatis in sacra pagina aut altero jurium, vel in theologia bachalariis formatis, aut magistris in medicina, qui per biennium ; seu magistris in artibus, qui per quinquennium post magisterium in theologia aut altero jurium studuerint in studio generali : sic videlicet quod ubicumque non fuerit sexta pars canonicorum præbendatorum in metropolitana vel cathedrali ecclesia taliter graduatorum ; ibi quicumque deinceps vacaverit canonicatus aut præbenda quacumque etiam apostolica vel alia auctoritate, nonnisi taliter graduatis conferatur, quousque dicta sexta pars compleatur taliter graduatis. Si tamen infra mensem à tempore vacationis cujuslibet præbendæ numerandum repertus fuerit taliter graduatus & alias idoneus, qui per se vel procuratorem voluerit acceptare : quòd postmodum continuetur, ut ad minus dictus numerus sextæ partis canonicorum, ut præmittitur, graduatorum in ipsis metropolitanis & cathedralibus ecclesiis habeatur. Ubi autem soli consueverunt illustres aut de comitum & baronum genere, vel ex utroque parente militares in canonicos admitti, taliter graduati qui acceptare voluerint, si taliter nobiles, ut præmittitur, fuerint in illis Ecclesiis, ceteris etiam nobilibus usque ad dictum numerum præferantur.

Item, quòd in aliis collegiatis ecclesiis ejusdem nationis similiter sexta pars canonicatuum & præbendarum deinceps præmisso modo conferantur sic, ut præmittitur, graduatis, aut saltim in medicina, vel in artibus magistris, vel licentiatis, aut in theologia aut altero jurium bachalariis examinatis per rigorem.

Item, quòd parochiales ecclesiæ habentes communicantes, qui secundùm famam publicam attendantur duo millia communicantium vel plures, deinceps non conferantur etiam apostolica vel alia quavis auctoritate, nisi doctoribus aut licentiatis in sacra pagina, aut jure canonico vel civili, vel bachalariis in theologia formatis : si tamen infra mensem à die vacatio-

nis ecclesiæ numerandum reperiatur taliter graduatus, qui per se vel procuratores voluerit acceptare: Decernatur irritum & inane, si secus in præmissis, tam circa canonicatus & præbendas, quàm parochiales ecclesias, vel eorum aliquod à quoquam, quamvis auctoritate etiam apostolica fuerit attentatum: salvis semper laudabilibus consuetudinibus & statutis ecclesiarum, quæ præmissis non adversantur; in contrarium autem facientibus non obstantibus quibuscumque.

Item, quatenus prædicta ordinatio pluribus prosit, & humanæ ambitioni frænum imponatur; ordinat, statuit, & decernit idem dominus noster papa, quòd vigore præsentis constitutionis seu ordinationis nemo graduatorum possit ultra unum beneficium ecclesiasticum adipisci.

Beneficiorum pluralitas damnata.

Item, vult quòd in pari data ad eamdem collationem graduatus non graduato præferatur, prærogativis & diligentia non obstantibus quibuscumque.

Item, quòd vicariæ ad certa chori officia in ecclesiis cathedralibus & collegiatis deputatæ, non conferantur, etiam auctoritate apostolica, nisi talibus, qui hujusmodi officia cantando, legendo, & alias sciverint, & potuerint personaliter adimplere.

De Annatis.

De ecclesiis & monasteriis virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis, solventur pro fructibus primi anni à die vacantiæ summæ pecuniarum in libris cameræ apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur. Si quæ verò excessivè taxatæ sunt, justè retaxentur; & provideatur specialiter in gravatis regionibus secundùm qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur. Ad quod dabuntur commissarii qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solventur: & pro media parte alia infra sequentem annum. Et si infra illud tempus bis vel pluries vacaverit, semel tantum solvetur, nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat. De ceteris autem dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis sæcularibus quibuscumque, quæ auctoritate sedis apostolicæ conferuntur, vel providebitur de eisdem; præter quàm vigore gratiarum expectativarum aut causa permutationis, solvatur annata, seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore unionis infra annum; & debitum hujusmodi in successorem in beneficio non transeat. De beneficiis verò qui valorem XXIV. florinorum de camera non excedunt, nihil solvatur: debitis omnibus præteriti temporis usque ad administrationem domini nostri communium servitiorum & annatarum pro medietate relaxatis solventibus aliam medietatem infra sex menses à die publicationis.

De causis tractandis in Romana curia vel non.

Sanctissimus dominus noster papa MARTINUS V. statuit & ordinat, quòd nullæ causæ in Romana curia committantur, nisi quæ de jure & natura causæ in Romana curia tractari debebunt: & quòd causæ quæ ad forum ecclesiasticum de jure vel consuetudine non pertinent, per Romanam curiam, & etiam prætextu crucesignationis laïcorum extra tempus passagii generalis non recipiantur, de illis cognoscendo in curia, vel extra committendo, nisi de consensu partium. Quæ verò ad forum ecclesiasticum pertinent, & de jure per appellationem, aut alias ad curiam Romanam sunt devolutæ, ac de sui natura in eadem tractandæ; tractentur in ea. Ceteræ committantur in partibus, nisi forsan pro causæ & personarum qualitate in commissione exprimenda, illas tractari in curia expediret pro justitia consequenda, vel de partium consensu in curia tractarentur.

De commendis.

Ordinat dominus noster papa, quòd in posterum monasteria aut magni prioratus conventuales his partibus ultra x. religiosos & officia claustralia, dignitates majores post pontificalem in cathedralibus, sive ecclesiæ parochiales nulli prælato etiam cardinali dentur in commendam. Datæ autem & dati quàm primùm commendatariis loco illarum de æquivalenti providebitur. Post pacificam possessionem adeptam illas dimittant. Una ecclesia metropolitana uni cardinali vel patriarchæ concedi poterit provisionem sufficientem alias non habenti.

De Simonia.

Ut autem considerata malitia aliquorum temporum proximè præteritorum, de quibus labes simoniaca tam in ordinibus, quàm in beneficiis ecclesiasticis tunc conferendis & percipiendis, ac religionibus ingrediendis, fuit, heu! nimium frequentata; læsis in hoc conscientiis ad puriorem administrationem & perceptionem sacramentorum ecclesiasticorum salubriter consulatur: omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis, ceterisque prælatis, nec non clericis & personis ecclesiasticis, religiosis & sæcularibus utriusque sexus, ut quilibet eorum infra tres menses post publicationem aut insinuationem præsentium sibi, aut in dioceси ubi domicilium habuerit, factam, aliquem in sacra pagina, vel in jure canonico doctorem aut licentiatum vel bacchalarium formatum, ubi talis commode poterit reperiri; vel ubi talis non reperiretur, lectorem, aut alias intelligentem sacerdotem, discretum, ac bonæ famæ curatum vel non curatum eligere valeat confessorem, qui infra prædictum tempus, quantocius commodè fieri poterit, ejus confessione audita, ipsam personam confitentem à suis peccatis, & à quibuscumque excommunicationis, suspensionum, ac interdicti aliisque sententiis, censuris, atque pœnis, quas forsan propter simoniam in ordine vel beneficio ecclesiastico, religionis ingressu, aut alias qualitercumque

A activè vel passivè commissam, usque ad tempus publicationis prædictæ dignoscitur incurrisse, in foro conscientiæ dumtaxat absolvere: nec non secum super irregularitate pro eo quòd hujusmodi sententias vel eorum aliqua ligata forsan missas vel alia divina officia celebrasse, aut se illis immiscuisse censebitur, usque ad tempus prædictum contracta. Ipsaque propter præmissa vel eorum aliquod à suorum ordinis vel officii executione suspensa, quòd in illis nihilominus ministrare, illa exercere, adepta beneficia vel statum in quo est retinere & ad ulteriora promo- B veri possit, in dicto foro valeat dispensare, & eidem beneficia quæ obtinet ob hoc forsitan vacantia vel vacatura, si & postquam dimiserit reconferre, omnemque inhabilitatis & irregularitatis, nec non infamiæ maculam sive notam atque aliam labem per eam occasione prædicta usque ad tempus prædictum contractam in eodem foro abolere, fructus quoque beneficiorum ecclesiasticorum quos forsitan indebitè percepit, & quos percipere potuisset, ac quidquid occasione prædicta fuerit refundendum, dummodo C persona ipsa ad refusionem faciendam deductione egeat in statu in quo tunc fuerit, aut alias absque nota vel scandalo sufficiens non fuerit, in dicto foro remittere, ac eas de his quittare & liberare, tenore præsentium indulgemus, constitutionibus apostolicis, ac aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Insuper ad vitandum scandala & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium . . . indulgemus, quòd nemo deinceps à D communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ à jure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur absolvere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, vel universitatem, ecclesiam, communitatem, aut locum certam aut certum à judice publicata vel denunciata specialiter & expresse, E constitutionibus apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in clericum sententiam latam à canone adeo notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam à communione illius licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones.

De dispensationibus.

F Ordinat etiam dominus noster quod ad ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus, conventuales, aut parochiales ecclesias super defectu ætatis ultra triennum nullatenus dispensare, * nisi fortè in ecclesiis cathedralibus ex ardua & evidenti causa de consilio cardinalium seu majoris partis eorum videretur aliter dispensandum.

* Deest *de-* *at*, aut iid simi-

Item, dominus noster in gravibus & arduis casibus sine consilio cardinalium non intendit dispensare.

De provisione papæ & cardinalium.

Romano pontifici & S. R. E. cardinalibus pro eorum sustentatione, rebus Romanæ Ecclesiæ stantibus ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quàm hucusque factum est, scilicet per beneficia & communia servitia, quæ vacantiæ nuncupantur. Verùm circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quòd nulli cardinali monasterium, prioratus conventualis ultra numerum x. religiosorum secundùm moderna tempora habere consuetus, nulla major dignitas post pontificalem in cathedrali, aut parochiali ecclesia, nullum officium claustrale, nullum xenodochium, hospitale, eleemosynaria, seu leprosaria in titulum vel administrationem conferantur. Et si qua talia nunc obtinent, quàm primùm papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneantur, sicut superius de commendis est dictum.


De indulgentiis.

Cavebit dominus noster papa in futurum nimiam indulgentiarum effusionem, ne vilescant; & in præteritum concessas ab obitu Gregorii XI. adinstar alterius indulgentiæ revocat & annullat.

Item, sanctissimus dominus noster & inclyta natio Germanorum consenserunt & protestati sunt, quod omnia & singula supradicta durare & tolerari debeant usque ad quinquiennium dumtaxat à data præsentium numerandum: constitutionibus apostolicis, regulis cancellariæ factis vel fiendis, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: quodque per observantiam eorum nullum jus novum Romano pontifici, Romanæ, aut alicui alteri ecclesiæ, vel personæ acquiratur seu præjudicium generetur. Et lapso dicto quinquiennio, quælibet ecclesia & persona prædicta liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo, non obstantibus supradictis. Et quòd capitula prædicta & quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti communiter aut divisim in authentica forma sub sigillo domini vicecancellarii cum subscriptione notarii, sic quòd fidem faciant exhibita ubicumque.

Hæc itaque Universitati vestræ tenore præsentium attestamur, easdem nostras patentes litteras in horum fidem & testimonium præfatis concessimus nostri sigilli munimine roboratas. Datum Constantiæ provinciæ Maguntinæ in domo habitationis nostræ. Anno quo supra, die mensis Maii, pontificatus domini nostri papæ anno primo.

Lobenxius.



EPISTOLA UNIVERSITATIS COLONIENSIS

Ad Concilium Constantiense.

De Johanne de Prussia suspecto de hæresi.

SAcro sanctæ generali Constantiensi Synodo, præsidenti, patribus & dominis nostris reverendissimis.

Humillima subjectione & obedientia præmissis. Vobis præstantissimis dominis nostris & ecclesiæ universalis ac sacrosanctæ Synodo Constantiensi præsidentibus summarie exposuimus, quòd ad nos supervenerat quidam frater JOHANNES DE PRUSSIA moram nobiscum Coloniæ trahens, qui suspectus de hæresi habebatur, non initiativè apud nos inventus, sed in aliis locis pluribus, in quibus antequam se applicuerit provinciæ nostræ, ut sufficit intelleximus, pro tali habebatur. Idem JOHANNES apud nos per sententiam canonicam venerabilis JACOBI DE SUSATO Ordinis fratrum Prædicatorum sacræ theologiæ professoris inquisitoris hæreticæ pravitatis, carceri satis facili pro custodia mancipatus; & ne ab eodem illicentiatus exiret juramento per eum præstito ad hoc astrictus: Universitate nostra & prælatis ecclesiarum ad hoc specialiter vocatis, & in illam sententiam unanimiter consentientibus: Illicentiatus tamen abiit, allegans se post abscessum suum à GREGORIO papa absolutionem ab omnibus suis excessibus obtinuisse. Processum contra eum factum vestris paternitatibus referent magistri nostri venerabiles THEODORICUS DE MONASTERIO & JOHANNES DE MONTE ordinis fratrum Prædicatorum sacræ theologiæ professores. Supplicamus igitur humillimè quatenus singulis auditis & attentis quæ concernunt factum istud, dicto M. JACOBO & nobis scribere dignemini, qualiter nos in hoc facto habere debeamus, ut nec ecclesiæ sanctæ, cujus caput apud nos pro tunc censebatur & tenebatur papa JOHANNES, confusio vel ignominia generentur. Factum & totum processum contra eum factum noverunt magistri Universitatis nostræ prædicti, videlicet T. de Monasterio & Johannes de Monte, quibus scripsimus rogantes, ut Reverentias vestras super istis plenius informent. quas dignetur dirigere, & sanas ac incolumes conservare ad honorem & unionem suæ Ecclesiæ sanctæ gratia nostri Salvatoris. Scriptum XXI. Maii.

Vestri humiles devoti & Rector & universitas studii Coloniensis.

EJUSDEM EPISTOLA

Ad Theodoricum de Monasterio & Johannem de Monte.

Ejusdem argumenti.

VEnerabilibus & scientificis viris magistris T. DE MONASTERIO & JOHANNI DE MONTE Ordinis fratrum Prædicatorum sacræ theologiæ professoribus amicis nostris prædilectis.

Reverendi magistri & domini honorandi, intelleximus à magistro JACOBO DE SUSATO ordinis fratrum Prædicatorum inquisitore hæreticæ pravitatis per provinciam Coloniensem deputato, nobis exponente, quatenus dominus Jo. MALKAW de Prussia judicem obtinuerit dominum cardinalem Ragusinum contra dictum magistrum JACOBUM in causa fidei alias per eumdem magistrum JACOBUM adversus præfatum JOHANNEM institutum: & quod olim GREGORIUS XII. tunc in sua obedientia sic nominatus, ipsum dominum JOHANNEM absolvisse debuisset à sententiis excommunicationis in eumdem dominum JOHANNEM ab ipso magistro JACOBO in causa fidei promulgatis; quodque præfatus dominus cardinalis Ragusinus requirit & desiderat, ut ipse magister JACOBUS in congregatione Universitatis nostræ desuper habita consilium nostrum imploraverit, quid esset facturus in præmissis, ut nihil honori suo, cleri, neque nostro derogaret. Ubi nostra concordavit deliberatio quod si dicta absolutio facta fuerit secundùm formam juris *Cap. ut officium §. si vero de hæreticis lib. VI.* æquanimiter tolerari debeat quod ibidem suum sortiatur effectum. Sed si idem dominus JOHANNES DE PRUSSIA ad civitatem & provinciam Coloniensem descenderit, & ibidem malum semen suum, ut prius, spargere voluerit; à prædictis sententiis in eum latis non censeatur immunis: quia dictus GREGORIUS, de cujus obedientia tempore prætensæ absolutionis prædictæ nos non eramus, ipsum dominum JOHANNEM præfatum absolvere non poterat à sententiis prædictis in eum promulgatis, maximè pro excessibus & delictis per eum in nostra obedientia perpetratis & commissis, ut à nobis pro absoluto haberetur. Si tamen concilium declaraverit ipsum fore absolutum & pro tali habendum, huic declarationi sit acquiescendum. Et ideo consultum fuit, ut copia processus per dictum inquisitorem contra præfatum dominum JOHANNEM facti vobis mitteretur, ut ex eo & cardinalis prædictus & alii de concilio magis & melius de factis & erroribus dicti domini JOHANNIS possint informari. Insuper, reverendi magistri, misimus etiam litteras nostræ Universitatis toti Synodo supplicantes, quatenus audita & cognita veritate facti processus contra dominum JOHANNEM, &c. ipsi nos dirigant & informent quomodo nos habere debeamus in ista prætensa absolutione, &c. ab eo obtenta, scilicet an validam & canonicam eam censere debeamus, de quo certi non sumus, præcipue ex eo quòd tempore hujusmodi absolutionis, si talis dici mereatur, eramus sub obedientia JOHANNIS papæ. Nec credimus, si idem frater JOHANNES veritatem processus plenariè narrasset, absolutionem à quocumque discreto tanta saltem facilitate obtinuisset. Unde in literis nostris synodo generali directis eos ad vestras reverentias ad habendam plenam informationem super facto

facto & processu, in quo ipsos plenarie & certitudinaliter informari poteritis, remisimus; & supplicamus quatinus utique diligenter de processu in hac causa per magistrum Ja. & nos una cum ipso habito dominos de synodo informetis & certificetis.

Rector & Universitas studii Coloniensis.

ALIA EJUSDEM ARGUMENTI.

NOveritis magistrum Jacobum de Susato ordinis fratrum Prædicatorum, inquisitorem hæreticæ pravitatis per provinciam Coloniensem nobis litteras magistri Theoderici de Monasterio sacræ theologiæ professoris exhibuisse, quomodo frater Johannes Malkaw de Prussia obtinuerit judicem cardinalem Ragusinum contra dictum magistrum Jacobum, qui scribit sibi quod Gregorius xii. in sua obedientia sic nominatus absolvit prædictum fratrem Johannem de Prussia à sententia excommunicationis, quam idem M. Jacobus tulit in causa fidei contra eumdem fratrem Johannem: qui nos & totum clerum Coloniensem congregari fecit, requirens nos quid sibi & nobis expediret in hoc facto. Nos verò concorditer sibi dedimus responsum, non dubitantes de consensu domini nostri archiepiscopi Coloniensis, ob reverentiam dicti domini cardinalis sub istis modo & forma: Reverendo, &c. Primo ad ultimam clausulam litteræ ipsius M. Theoderici de Monasterio. Nam si Johannes papa ipsum absolvisset à dictis excommunicatione & perjurio, oportuisset hoc vos tolerare; quod ex hoc sequerentur multa absurda, scilicet divisio ecclesiarum, disparitas collegiorum, parochiarum bicipitum, tricipitumque multiplicatio. Nec disparitatis esset finis. Sed quidquid Gregorius fecit legitime in sua reali obedientia esse approbatum non contradicimus; sed facta in nostra obedientia non sunt talia quæ concernunt obedientiam dicti Gregorii. Ergo non habemus nos de his factis implicare. Et quia idem M. Jacobus inquisitor numquam post concilium Pisanum tenuit ipsum sic nominatum Gregorium pro papa, sicut nec clerus Coloniensis, nec etiam nos. Ergo facta nostræ obedientiæ non sunt revocata. Idcirco sententia in ipsum lata stat & stabit in suo vigore. Maneat ergo ille in sua obedientia, nec occupabimus nos cum ipso, nisi venerit ad loca nostræ quondam obedientiæ. Item ob reverentiam & honorem dicti domini cardinalis concordes sumus sub istis modis & forma: Si absolutio facta est debito juris ordine secundùm tenorem capituli & officium inquisitionis §. *1. Si vero aliqui, extra de hæreticis lib. vi.* ubi sic dicitur: Si vero aliqui ex prædictis hæretica labe primitus abjurata, redire voluerint ad ecclesiæ unitatem, eis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem quod injungi talibus consueverit. Ubi Glossa super verbum *consueverit* notat modum secundùm capitulum *Quotiens cordis 1. q. vii.* &c. *Saluberrimum. & de consec. di. secunda. Ego Berengarius.* Si sic legitimè factum est, & habere poteritis legitimum documentum de quo dominum archiepiscopum, Universitatem, clerumque totum Coloniensem, & dictum magistrum Jacobum certos reddere poteritis, placebit omnibus prædictis & nobis quod dictus frater Johannes se gerat pro absoluto, dummodo maneat extra provinciam Coloniensem, certis rationibus nos ad hoc moventibus. De istis petimus informari sacrum concilium, & dominum cardinalem Ragusinum prædictum, ut supersedeant de isto facto, quia non possumus nos à domino nostro archiepiscopo & toto clero Coloniensi separare.

EPISTOLA UNIVERSITATIS COLONIENSIS

Ad Johannem Ostiensem episcopum.

REverendissimo in Christo Patri ac domino domino Jo. episcopo Hostiensi S. R. E. cardinali presbytero & vicecancellario, domino & promotori nostro gloriosissimo. Humillima recommendatione cum salute in eo qui est salutis auctor.

Reverendissime Pater, exposuit nobis quidam dominus Antonius de Velme artium & medecinæ doctor regens pro præsenti in facultate medecinæ in nostra universitate Coloniensi, habens quasdam lites in Romana curia de & super canonicatu & præbenda ecclesiæ S. Pauli Leodiensis contra quemdam Theodericum de Hoekelem, minorem quatuor-decim annis, filium naturalem & illegitimum domini Theoderici de Hoekelem ejusdem Ecclesiæ S. Pauli Leodiensis canonici presbyteri, in presbyterio genitum. Sed cùm indecorum sit & juri scripto obvium patrem & filium in eadem ecclesia in æqualibus beneficiis Deo ministeria offerre: unde etiam devotio minuatur laicorum & aliorum sic quod exinde magnum in partibus scandalum orietur & generaretur plurimorum. Hinc vestram paternitatem deprecamur & exoramus in Domino devotè, quatenus contra præmissum scandalum, ut penitus extirpetur, dignemini de remedio providere opportuno, prout advocati & sollicitatores dicti magistri Antonii vestram paternitatem reverendissimam plenius quàm sufficeremus verbo vel scripto informabunt: quam Dominus noster Jesus-Christus ad salutem conservet in ævum. Scriptum Coloniæ in crastino beati Francisci nostræ rectoriæ sub sigillo.

Vestræ paternitatis humiles & devoti filioli Rector & Universitas studii Coloniensis.

AD EUMDEM

HUmillima recommendatione præmissa in eo qui est vera salus. Reverendissime pater, intelleximus qualiter paternitas vestra

causam inter dilectum nobis honorabilem virum magistrum ANTONIUM, &c. in eadem medicinæ facultate in nostra Universitate regentem ab una parte; & quemdam T. *de Hoekelem* à parte altera super canonicatu & præbenda ecclesiæ S. Pauli Leodiensis in Romana curia vertentem: super qua etiam alias eidem vestræ paternitati scripsimus; & pro dicto M. ANTONIO & Ecclesiæ honore humiliter supplicavimus * usque ad futuri summi unici pontificis assumtionem suspenderit. De quo vestræ paternitati devotas gratiarum referimus actiones, sperantes indubiè quod vestra paternitas ad sustollenda scandala, & hujusmodi indecentibus Theodorici desideriis nobis relatis, quæ in notoriam confusionem præfatæ ecclesiæ S. Pauli, & totius cleri cedere videretur, artiùs obviandum, debitas diligentiæ servabit excubias. Nec ignoramus paternitatem vestram, licet adversariorum parte multa frequentatione quotidie fatigetur, abhujusmodi rectitudinis proposito & ab eo quod semel ritè placuit, non posse deflecti. Causam itaque præfatam ac dicti magistri ANTONII justitiam, ac ejus & in eo nostrum simul honorem ecclesiæque & vestrum, de præteritis grati, in futurum continuata prece vestræ paternitati sæpedictæ recommendamus attentè. Quam Altissimus conservare dignetur feliciter & longæve ad honorem Ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum Coloniæ ipso die B. Thomæ apostoli nostri rectoratus sub sigillo.

* hic deest aliquid.

EPISTOLA GERALDI DE BRIE.

Ad consules Albienses.

Ut Johannem Carrerii in oppido de Turenna, Panisculeta dicto, obsidione cingentes copiis & victualibus adjuvent.

Anno 1421 *Ex archivis civitatis Albiensis.*

GEraldus Brie alias de Regno canonicus Narbonensis legum doctor, Cameræ apostolicæ clericus & sanctæ sedis apostolicæ per SS in Christo patrem dominum nostrum D. MARTINUM divina providentia papam quintum ad partes Linguæ Occitanæ & ducatus Aquitaniæ nuntius specialiter destinatus, honorabilibus viris dominis consulibus Albiæ, salutem in domino sempiternam.

Devotioni vestræ notum facimus per præsentes hæresiarcham & filonem illum JOHANNEM CARRERII, scandalum orbis, & læzæ majestatis reum, per Ecclesiam cum suis fautoribus & complicibus, justo Dei judicio, condemnatum, & velut membrum putridum ab eadem rescissum & abjectum, nec non & ab illustri principe Armaniaci ad submovendum multorum dubietatem, & à suis fertur disavoatum, in spelunca illa residentiæ suæ de Turrenna, dicta Panisculeta, per nonnullos Christi fideles nobiles & militares viros zelo fidei & ardore devotionis incensos, cum quibus adjuncti sunt certi commissarii pro parte sanctæ sedis apostolicæ, & inclytissimi principis domini Dalphini regnum regentis, specialiter deputati fuisse & esse obsessum. Vos igitur tamquam veros & devotos Ecclesiæ filios, ac legis dominicæ deffensores, per viscera misericordiæ JESU-CHRISTI, & ejus pretiosi sanguinis aspersionem, in vestrorum remissionem peccatorum, obsecramus in Domino, & sub pœnis in litteris & processibus apostolicis & præfati serenissimi principis promulgatis requirimus & hortamur, & per vos universitatem dictæ civitatis, ut omni dissimulatione postposita, quæ in tali facto perniciosa est nimium & damnata, & gravis notæ fautoriæ schismatis & hæresis inductiva, tam in gentibus bellicis, armis, victualibus, quam aliis præmissis necessariis secundum vestrarum virium facultatem, sic in adjutorium causæ Dei, moris quibuscumque postpositis, exsurgatis, ut certamine hujusmodi feliciter consummato, sedis apostolicæ gratiam, & de vera obedientia apud superiores vestros commendationem, ac post hujus labilis vitæ decursum gloriæ coronam valeatis adipisci. In quorum omnium fidem & testimonium, præsentes litteras fieri & sigilli nostri quo in talibus utimur fecimus appensione muniri. Actum & datum loco de Mirandolio dictæ diocesis, anno à nativitate Domini MCCCCXXI. diè octava mensis Maii, indictione decima-quarta, pontificatus vero domini nostri domini Martini papæ præfati anno quarto.

EPISTOLA SIGISMUNDI IMPERATORIS

Ad B. tituli S. Clementis S. R. E. cardinalem.

De bello inferendo hæreticis Bohemiæ.

Anno 1421 *Ex ms. Gemmeticensi.*

REverendissimo in Christo patri domino B. tituli S Clementis sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali Placentino, amico nostro carissimo.

Reverendissime pater, amice carissime, convenientibus cum serenissimo principe domino WADISLAO rege Poloniæ fratre nostro carissimo, inter nos, ipsum, & etiam WYTOLDUM ducem Lituwaniæ, pace restaurata, & fraterno fœdere reformata, ut in antea, sopitis dissensionibus, nulla mutuæ caritatis violatio posset oriri, secum conclusimus, quod alter eorum in propria persona, cum omnipotentia regni & principatuum ipsorum, suis propriis sumtibus & impensis adversus hæreticos in Bohemiam super proximo S. Johannis Baptistæ festo debeant proficisci, immo esse in Bohemia constituti. Debet etiam illustris FREDERICUS dux Saxoniæ, Marchio Misnensis, & Lantgravius Daringæ, princeps electus avunculus noster carissimus cum duobus millibus lancleariis & totidem balistariis etiam in Bohemia super die prædicto figere castra sua. Paramus & nos exercitum de Hungaria, ad cujus cumulum magnificè ad agendum adjicimus duces Slesiæ, fideles Bohemiæ, & Moraviæ. Et non minus illustrem ALBERTUM ducem Austriæ filium nostrum ca-

rissimum cum tota potentia sua monemus, ut nobis, ut præmittitur, dirigente nos dextra regis regum, virtutibus, erectis vexillis, hæreticos Bohemiæ conteramus;& tota christianitas,ut & sancta mater Ecclesia in fide solida roborata, ab impulsis hæreticorum & machinamentis frivolis liberentur, & in pacis & honestatis pristinæ dulcedine conquiescant. Idcirco ad tale grande negotium fideliter consummandum & finem optatum salubriter deducendum, credimus fore congruum, immò penitus necessarium, nedum fidei honestatis intuitu, ut seipsa tota Almania reddat participem, non tanti laboris expertem, ne dici posset peregrinis procedentibus contra infideles Ecclesiæ in succursum, ubi est sacrum Romanorum imperium? ubi electores imperii? ubi totus populus christianus? quem hoc negotium quodammodo videtur tangere in medulla. R. P. V. studiosius requirimus & rogamus, quatenus hoc grandi præfato negotio, nedum electores, verum totam Almaniam placeat commovere, inducere, & prout industria novit, solicitius exhortari, quatenus etiam ipsi electores, vocatis ad se aliis principibus, comitibus, baronibus, militibus, clientibus, populo, & communi omnium nationum se præparent festinanter, & ad festum S. Johannis veniant ad Bohemiam, & cooperentur viriliter pro hujusmodi hæreticis conculcandis, & funditus extirpandis, prout etiam de hoc R. P. CONRADO archiepiscopo Maguntino archicancellario, &c. principi, electori, locum tenenti & nepoti nostro carissimo de hoc latè scripsimus: quem sollicitare placeat huic operi diligentiam adhibere, sicut etiam vos & eumdem archiepiscopum spectabiles ADOLPHUS DE NASSAUWE & MICHAEL DE WERTHEIM comites nostri & imperii sacri fideles dilecti præsentes litteras celerius secuturi clarius informabunt. Datum Letwotzowic proxima feria v. post festum Paschæ, regnorum nostrorum anno Ungariæ, &c. XXXVII. Romanorum XIII. & Bohemiæ III.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, &c. Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex.

Ad mandatum domini regis D. GEORGIO episcopo præsente cancellario, &c. referente, FRANCISCUS princeps Strigoniensis.

JOHANNIS DE THURENA ANTICARDINALIS LITTERÆ

Ad Johannem Armaniaci comitem & universos Christi fideles.

De publicatione electionis Benedicti XIV. antipapæ ab ipso electi in papam.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUSSANCTI. AMEN. SALVE BENIGNE JESU. AVE MARIA.

Anno 1429 *Ex archivis castri Fuxensis.*

MIseratione divina JOHANNES tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis dominorum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacrum collegium totum in hac parte & vicem ejus repræsentans, serenissimo principi ac illustri domino JOHANNI Dei gratia comiti Armeniaci, Ruthenæ, ac Insulæ, &c. ceterisque in Christo fidelibus christiano nomine insignitis, & eorum cuilibet, cujuscumque dignitatis, potestatis, præeminentiæ ecclesiasticæ vel sæcularis aut conditionis existant, salutem in Domino JESU-CHRISTO, de cujus causa agitur, sempiternam, & Ecclesiæ Dei ejus sponsæ sacrosanctæ fere dissipatæ & desolatæ restaurationem & consolationem.

Adversarii catholicæ fidei, & dictæ Ecclesiæ matris nostræ, dum contra regulas veritatis, diabolicis armis contra ipsas pugnare nituntur; nos sollicitudine repugnandi faciunt cautiores, se vero decipiunt antequam nostrorum aliquem valeant vulnerare. Cum enim cœci alios fidei orthodoxos, veros ecclesiæ filios, & Dei electos excœcare conantur, & ipsam Ecclesiam spe fidei evacuare jam fessi certant tanto magis à patre luminum Spiritu-sancto, lumine veritatis illustrantur, & Dei gratia ipsam opitulante, amplius fide, spe & caritate uberius repletur, & in agendis dirigitur, Christo duce, & dum hypocrisi vigilant, (noscitur de quibus per prophetam dictum puto: Propterea ablatus est somnus ab oculis eorum. Non enim dormiunt nisi malè fecerint) nos quodammodo excitant dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falsitatibus eorum corde resistere vigilemus, evangelica tuba nostris auribus personante: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*: & ideo hæreses & scandala futura prædicta sunt, ut contra inimicos erudiamur, ac sic & fides & dilectio nostra possit esse probabilior: fides itaque, ne ab eis decipiamur: dilectio autem, ut & ipsis quantum possumus consulamus, non solum instantes ne infirmis noceant, atque ut ab errore nefario liberentur; sed etiam orantes pro eis, ut Dominus aperiat sensum illorum, ut intelligant sacras scripturas. Horum hostium etenim Ecclesiæ alii murmurant, & inani livore torquentur, aut quæ sua sunt quærunt in Ecclesia, quamvis videantur catholici, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici, aut curiositatem humanæ lætitiæ perdere timentes & pagani. Sed Ecclesia catholica per totum orbem longè lateque diffusa, impetus eorum prioribus temporibus frangens magnos, magisque roborata non resistendo sed perferendo, nunc insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit, intelligentia dissolvit, criminatores palearum suarum non curat, quia tempus messium, & tempus arearum, & tempus horreorum cautè diligenterque distinguit. Criminatores autem frumenti sui aut errantes corrigit, aut invidentes inter spinas aut zizaniam computat. Sanè quidem vestram serenissimam ac illustrem dominationem, ceterorumque in Christo fidelium serenissimas ac illustres seu superillustres dominationes, reverendissimas ac reverendas paternitates, & dilectissimas in eodem Domino nostro JESU-CHRISTO fraternitates, ut opinamur non latuit, quomodo bonæ memoriæ domino

GREGORIO XI. papa indubitato de anno Domini MCCCLXXVIII. die XXVII. mensis Martii vita functo, viginti tribus cardinalibus indubitatis, sexdecim ex illis existentibus, uno absente apud Florentiam, ad quos pertinebat electio, ceteris à curia Romana absentibus, tumultu militari & populari Romanorum, per seditionem & impressionem notoriam & metu justo ducti, qui nedum in constantem, immò constantissimum caderet virum, de facto elegerunt, verius intruserunt quemdam dictum BARTHOLOMÆUM CASCAVELLI, pro tunc archiepiscopum Barrensem nuncupatum, qui scienter eamdem prætensam electionem, sic infectam & ipso jure nullam, papatum ambiens, in Roma pro tunc personaliter existens, & dictam impressionem videns & audiens, gratis acceptavit: licet secundum sacros canones, quos quilibet verus, christianus, & Ecclesiæ constitutiones & epistolas decretales, & apostolicas imitari & observare tenetur, quos nemo etiam mutare, tollere, supprimere vel abrogare potest sine sedis apostolicæ expresso consensu, eadem prætensa electio esset per expressum repressum reprobata, & ipso jure nulla, & cum decreto papæ maximè secundum illa decreta papæ Nicolai secundi, de quibus habetur III. c. *In nomine Domini* XXIII. di. & in c. *Si quis pecunia* LXXIX. di. quæ nullo modo sunt correcta, per illud caput seu constitutionem domini Alexandri III. quod & quæ incipit *Licet de evitanda*, &c. de elect. secundum omnes fere doctores & canonum magistros, & maximè qui ad tres casus de quibus dicto c. *In nomine Domini*. q: quod si quis contrahere & dicto c. *Si quis pecunia*, ad quos tres casus restringitur decretum ejusdem papæ Nicolai, ut ex dicto capite patet. Unde ipse BARTHOLOMÆUS scienter eamdem acceptans electionem talem, ab inde ineligibilis factus extitit active & passive. Quod considerantes iidem eligentes, tam ultra quam citramontani cardinales, uno demto, scilicet cardinali S. Petri, jamque in Roma mortuo, eamdem electionem jam satis cassatam à canone scientes, & cum dicto decreto ipsius papæ Nicolai II. ut per dicta jura, sic quod non fuit necesse eam amplius cassare ab homine, maximè cum fieret ab eisdem electoribus, qui non erant propter prædicta privati ipso jure eligendi, etiam pro illa vice, propter dictum justum metum excusati, in Fundis jam per ipsos adepta libertate, quæ in talibus electionibus maximè requiritur, de qua privati extiterant fere à morte dicti domini GREGORII, quamdiu in Roma fuerunt, & donec in dicto loco de Fundis applicuerunt, eodem justo metu semper usque tunc perdurante, cum jam in ipsum Bartholomæum jam excommunicatum & anathematizatum, & antichristum factum non pœnitentem consentire non possent, præsertim cum in errore suo perseverans nollet corrigi seu resipisci, & se absolvi & habilitari jam monitus recusaret, dominum ROBERTUM DE GEBENNIS, pro tunc cardinalem Gebennensem nuncupatum elegerunt, qui ab omnibus tandem cardinalibus post

A mortem dicti domini GREGORII superstitibus approbatus in papam verum fuit receptus, etiam per serenissimos reges Franciæ, Castellæ & tandem Aragoniæ, Navarræ, & Scotiæ, & Johannam Neapolis reginam, præfectumque Urbis Romæ, & alios plures reges & mundi principes, nobiles clericos & populares acceptatus fuit: qui eidem domino ROBERTO electo ut vero summo pontifici obedierunt. De cujus jure in papatu tam ex jam dictis sacris canonibus

B constat jure & in facto, tam ex depositionibus ipsorum dominorum cardinalium & plurium aliorum, qui dictos tumultus populares & militares, ac ipsam impressionem & seditionem viderunt & audiverunt, verum & experti sunt pro tunc in Roma personaliter existentes, quam ex illo solemni processu coram serenissimo & illustri principe domino JOHANNE Dei gratia Castellæ & Legionis rege, & domino HENRICO ejus genitore similiter rege, de voluntate & expresso consensu utriusque de papatu contenden-

C tium agitato, & ex attestationibus testium per utramque partium prædictarum in dicta causa, & coram dicto rege & domino ejus genitore productorum, etiam de communi consensu eorumdem auditorum & examinatorum, etiam de voluntate utriusque partis publicatorum, & ex dicti domini regis nobili declaratione, quam in præsentibus tamquam præcipuam propter titubantes super dicta electione, & ad consolationem partis veræ inserere libet tenoris sequentis.

JOHANNES Dei gratia Castellæ & Legionis rex Universis Christi fidelibus salutem & in

D pastorum notitia non errare. A Solis ortu usque ad occasum, heu! turbinis excitata subversio satis innuit evidenter quanta malignatus est inimicus in sancto, dum adversus Dominum & adversus Christum ejus pestiferas instruens solitæ iniquitatis insidias, & in nova furentis incendii horrenda præstigia voraces conflans truculantibus machinationibus officinas, divini & humani imperii principatum nefariæ collisionis acerbitate discerpsit, & fidei ac religionis integritate fuscata, vinculum catholicæ unitatis

E arrupit. Erroris sentibus dominica seges suffocata necatur, & totius pietatis humanitate calcata, in matris injuriam devotio filialis armatur, & sordidæ cœcitatis monstruosa ludibria ad unius sponsæ complexum geminos vocant dubitata sponsalia, & unius familiæ binos patres conformia duorum pollicentur insignia, inter pastores diversos unius gregis cura sectatur. Fit de cælestis sponsi hæreditate contentio, sponsæ patrimonium hinc inde distrahitur, passim expellitur hereditas & veri notitia patris à pupillis ignoratur, & christianæ plebis enervata de-

F votio præceps impietas, prodigiosa caligo. Quomodo obscuratus est sol & splendidæ veritatis auriga luciferos convertit in tenebras? ubi fides, ubi religio, ubi lex & vinculum caritatis. Nimirum ergo Christi cultores & orthodoxæ fidei strenui sectatores & reges terræ hoc videntes admirati sunt, conturbati & commoti sunt, & stupor apprehendit eos. Nam his sane strepitibus, his perniciosis clamoribus excitatus glo-

riosæ recordationis dominus Rex HENRICUS genitor noster illustris, pio mentis affectu, dum ageret in humanis solemniter attendens, quibus esset onusta dispendiis, quantis plena periculis hujuscemodi, expositave ruinis nefandæ pestis calamitas incarnata, ne fuscata coloribus multorum suspecta loquacitas execrabilem nutriret excessum; ad rei gestæ scrutanda remedia, divinum nobis prælibavit initium, cujus laudanda vestigia, sic nobis cælestis dignatio imitanda proposuit, ut quem sibi fecit in regni solio regiæ claritatis culmine successorem, eumdem probaret in zelo fidei atque devotionis sinceritate consortem. Quapropter prædictæ pestis vagabunda piacula intra pectoris claustra, non absque amaritudine sollicite revolventes, qualesve esset exitus paritura diutius neglecta pensantes, præsertim ubi longa arcem capitis occupat; tunc fluxus ad inferiora plerumque membra diffusus, aut ea consumendo depascit, aut male torquendo cruciatu atrociore consumit. Illud etiam nihilominus recensentes, quod credulum vulgus non suo judicio, sed peregrinis, ut plurimum, rumoribus innitens, sæpe per devia & errorum abrupta convolvitur, & quasi per tenebras alienis insistens vestigiis, periculosas & inexplicabiles superstitiones ingrediens, eousque passim labendo reptatur, donec suis una cum ducibus in æternæ mortis baratrum obruatur: cum ea sit dignior & officiosa magis tranquillitas publicæ rei, & tamen splendidior in regnante, per quam pacis dulcedo humanis non tantum paratur corporibus; sed salus & quies animabus ad illius laudem & gloriam, per quem reges regnant, cujusque ductu omnia incœpta feliciter finiuntur, & cujus cultus non nisi pacis tempore religiosa devotio disponitur, ad vestri fideliumque vestrorum ac omnium vere & rite credentium animarum salutem, ad scrutandum grandis causæ scientiam, & veri pastoris notitiam, subscripto ordine prosequentes, & breviore quo possumus stylo reperta per nos in primis fideliter declarata narrantes, omnibus fidelibus præsentibus aperimus, & quod divinæ lucis veritas nos sequi docuit in præmissis totis affectibus indicamus. Dudum beatæ memoriæ domino GREGORIO papa XI. sicut Domino placuit vita functo, & ex ejus obitu sede Romana vacante, tam fama communi quam spiritualium relationibus litterarum, claræ memoriæ domino HENRICO regi Castellæ & Legionis genitori nostro illustri tunc in humanis agenti nobis luculenter insonuit, & ad quos summi pontificis spectabat electio, populi Romani Italicum petentis vel Romanum pontificem sibi dari interveniente tumultu, de quo levi quamvis murmure erumpens tunc infamia susurrabat, quod electus fuerat archiepiscopus Barrensis in papam, & per eos subsequenter inthronizatus, & demum solemniter coronatus. Post vero non longi temporis intervallum, litteras dictorum cardinalium, qui, ut asserebant, ob illatam violentiam, coactionem & metum, ac injurias à Romanis, cedentes ab Urbe apud Anagniam præituri, deinde vero apud Fundanam convenerunt civitatem, idem genitor noster dignæ recordationis accepit, quod post benignæ monitionis notitiam eidem Barrensi archiepiscopo, ut dicebatur, à cardinalibus ipsis factam, contra ipsum ejusque electionem, ut allegabant, per impressionem violenter extortam, in dicta civitate Anagniæ procedentes, quamdam suam declarationem publicaverunt in præmissis: post quam quidem declarationem, subsequenter in dicta civitate Fundana convenientes in unum, ut asserebant, reverendissimum patrem cardinalem Gebennensem collegialiter & canonice summum pontificem elegerunt. Ex quarum diversitate rerum & novitate gestorum dictus piæ recordationis genitor attonitus & perplexus, de suorum consilio tutius æstimavit, in hoc ancipiti periculo ab utriusque obedientia se subducere & indifferenter habere, quam ad alteram eorumdem, indiscusso negotio, improvide declarare: quamvis pro eliciendа ex hac intricata ambiguitate veritate, ad actus aliquos processisset, quos fatali sorte præventus, ad optatum non perduxit effectum. At nos sicut in regno, Deo auctore, successimus, sic in his quæ ad ejus cultum & reverentiam diriguntur successisse confidimus, quæ per eumdem genitorem nostrum laudabiliter fuerant inchoata, ad Dei & Ecclesiæ suæ laudem prosequi cupientes, in felicibus nostræ coronationis initiis, convocatis & congregatis regni nostri prælatis, proceribus, ac divinæ & humanæ legis doctoribus universis, deliberato consilio, paternæ indifferentiæ viam elegimus in præmissis, quod ipse qui veritas est veritatem nobis propitius aperiret: pro qua suo munere discernenda, de cujus tractatur, non pepercimus laboribus, nec expensis, scribendo principibus christianis, nec non cardinalibus ceterisque prælatis, & aliis singularibus privatisque personis, quæ aut in præmissis interfuerant, aut specialem de illis notitiam habere credebantur, eos per speciales nuncios effusis precibus exorando, ut si quid in his ambiguitatibus & dubiis certi eis forsitan constitisset, nobis communicare amica caritate placeret, ad laudem Dei & salutem animarum populi christiani, ceteraque operando, scrutando, & inquirendo, per quæ optatum finem per ipsius veritatis callem pure & simpliciter gradientes, possemus Deo dirigente contingere. Et ne quicquam de contingentibus videretur obmitti, eoque majorem processus nostri efficaciam sortirentur, quo principalium personarum assertionibus contingeret communiri, ad utrumque dictorum electorum nuncios & ambasiatores nostros direximus, dirigendo viros utique circumspectos, nostrosque fideles, ut prudenter & discrete siscitarentur ab eis in eorum periculis animarum, in quantum fas erat, suarum salva reverentia dignitatum, de falsitate & veritate gestorum, & sic de his & omnibus dictarum electionum circumstantiis ac juribus utriusque ab ipsis & à quibuscumque videretur, ac etiam ubicumque deligenter inquirerent, & se informare curarent, quod per ea scriptis fideliter redigenda rei gestæ veritatem in posterum nobis

aperirent. Qui quidem nuncii nostri ad dictorum electorum se præsentiam conferentes, eis injuncta diligenter & sollicite adimplentes, exhibitas eis & traditas, omnia & singula pro parte dictorum electorum informationes, &c. nec non eos Romæ & Avenioni à fide dignis etiam civibus & custodibus conclavis ubique reperta, & in scriptis etiam fideli manu redacta, & specialiter à reverendissimis de Florentia & de Mediolano cardinalibus, qui una cum aliis reverendissimis cardinalibus interfuerunt, & indifferenti, ut dicebant, ambiguitate suspensi, ab utroque secesserunt, nobis exacta diligentia legaliter detulerunt, cum quibus nunciis nostris fuerunt ad præsentiam nostram destinati per dictum primum electum venerabilis frater noster FRANCISCUS Faventinus episcopus decretorum, & FRANCISCUS DE CHATLENIS de Papia legum doctores, qui quemdam casum sub nomine sui, bullas & certa alia scripta dictam causam tangentia ex parte ejus nostræ mansuetudini tradiderunt. Interea autem dicti de Florentia & Mediolanensis cardinales apud civitatem Niciæ audientes adventum, quorum ad nos, ut promiserant, sperabamus accessum, ad pleniorem informationem & instructionem super præmissis habendam ab eis oraculo vivæ vocis, misimus ad eos venerabilem patrem decretorum doctorem consiliarium & collateralem nostrum episcopum Zamorensem, cum certo numero galearum in decenti & debito apparatu, ut si eis placeret personaliter nobiscum convenirent ad dandam scientiam salutis nobis, & etiam regnicolis nostris, qui se à promisso ad nos accessu certis rationibus excusantes, informationes suas eidem episcopo Zamorensi dederunt, quas ipse apud Medinam del Campo Salmantinensis diocesis reportavit: ubi tunc propter hoc convocatis & accersitis regnorum nostrorum prælatis, proceribus, doctoribus, religiosis, & multis magnæ auctoritatis viris, nostra serenitas residebat, ibique pro parte secundi electi reverendissimus pater PETRUS S. Mariæ in Cosmedim diaconus cardinalis, dictus DE LUNA ex speciali sibi facta commissione convenerat: præsentibus quoque pro parte primi electi episcopo Faventino, & magistro Francisco præfatis, aliisque pluribus pro parte utriusque electorum assistentibus, quibus omnibus & singulis sic per nos sollicita investigatione collectis, quoniam ardui negotii magnitudo, & assertorum hinc inde diversitas maturum ordinem, & repertorum productorumque hinc inde discussionem exactissimam requirebant, scrutatis prius per nos casibus nobis exhibitis pro parte dictorum, & ceteris circumstantiis prædictorum cardinalis de Luna, FRANCISCI episcopi Faventini & Francisci doctoris: demumque in nostri consistorii & consilii præsentia super præmissis, & aliis nonnullis articulis per eos productis, palam & publice interrogationibus & responsionibus à præfatis cardinali & episcopo ac Francisco hinc inde prolatis, dictisque attestationibus prælatorum, doctorum & aliorum fide dignorum, qui hujus rei credebant habere notitiam, sub sacramenti relatione, & ea qua decuit reverentia receptis & apertis, ac publicatis disputationibus & collocutionibus alternatim inter partes prædictas in dicti nostri consilii præsentia continuatis dubiis super punctis allegatis ambiguis & toto processu tam in facto quam in jure sequutis, prout hæc & alia in processu per nos & consilium habito latius continetur, & tamdem ab omnibus & singulis dictum negotium tangentibus per memoratos religiosos & clericos sæculares, in theologia magistros, juris utriusque doctores, & alios venerabiles & authenticos, & magnæ auctoritatis viros totius consistorii nostri judicium cum magna maturitate ac firma deliberatione discussis, omnium unanimiter judicio declaratum extitit, & conclusum, ac irrefragabiliter terminatum, sub eorum conscientiis & periculis animarum, & sub virtute præstiti juramenti dictum BARTHOLOMÆUM primo electum olim Barrensem archiepiscopum, fuisse & esse apostolici culminis invasorem, & in apostolica sede violenter intrusum, utpote electum per popularem tumultum & notoriam impressionem ipsis cardinalibus publice illatam per Romanos: secundum vero electum, videlicet reverendissimum in Christo patrem dominum ROBERTUM tunc cardinalem Gebennensem fuisse & esse summum verum pontificem Christi vicarium, & Petri verissimum successorem CLEMENTEM VII. à Deo electum, & gregis indubitatum beatissimumque pastorem, & eidem fore tamquam vero papæ ab omnibus obsequendum. Quorum consilium lætis desideriis virtute Altissimi amplectentes, dominorum principum progenitorum nostrorum in morem, quorum fidei constantia & illabata devotio erga Deum & Ecclesiam suam sincera semper integritate resplenduit, toto mentis affectu & cordis puritate eorum vestigia sectantes, & Deo laudes & gratias referentes, qui nobis dedit digni sui vicarii notitiam divina illustratione scrutari, peractis præmissorum solemniis, & Christi nomine invocato, de prædictorum nostrorum consilio in eorum præsentia publicè, in conspectu cleri & populi hac die & hora infra insertis, præfatum BARTHOLOMÆUM, ut præfertur, in apostolica sede damnabiliter intrusum respuentes, evitantes, ac serenissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum CLEMENTEM VII. præfatum in verum papam & Christi vicarium ac gregis dominici directorem devotè suscipientes, & ejus obedientiæ inhærentes, omnibus & singulis subditis & fidelibus nostris declaramus, indicamus & etiam publicamus præfatum B. fuisse & esse, sicut præfertur per notoriam impressionem in apostolica sede violenter intrusum, eumque non esse apostolicum, sed apostaticum nominandum, nec ei fore obediendum, aut quomodolibet adhærendum, præfatumque sanctissimumque patrem dominum CLEMENTEM fuisse & esse verum papam Christi vicarium & Petri verissimum successorem, eidemque devotè & humiliter, ut vero papæ esse parendum. Ipsis omnibus & singulis subditis & fidelibus nostris, cujuscumque status, eminentiæ seu con-

ditionis existant districtè præcipiendo mandantes, sub divinæ animadversionis & indignationis nostræ pœna, hanc declarationem, denunciationem, publicationem & mandatum nostrum præfatum custodiant, & totis affectibus studeant observare. De quibus omnibus & singulis ad perpetuam rei memoriam publica instrumenta mandamus & majestatis nostræ bullæ plumbeæ munimine roborari: præsentibus ad præmissa reverendo in Christo patre PETRO DE LUNA cardinali, nec non venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis regnorum nostrorum prælatis, &c. Faveat igitur nostris clementia æterna judiciis, & ita nostræ sinceræ devotionis dignetur acceptare primitia, ut quod ad ejus gloriam & laudem ipso inspirante pura mente peregimus, ad omnium fidelium animarum salutem proficere comprobemus: & sic ecclesiæ Dei totique mundo resarciatur scissa concordia, quod per hoc gaudia mereamur æterna. Datum Salmanticæ XIV. Junii MCCCLXXXI. regnorum nostrorum anno secundo. Ego Petrus Ferdinandi. Ego Fernandus Martini notarii, &c.

Cui etiam declarationi adjungi posset declaratio venerabilis universitatis Parisiensis tenoris subsequentis.

Universis Christi fidelibus sacro sanctæ matris Ecclesiæ nostræ filiis, & alumnis unum Deum, unum Dominum, unam fidem, unumque baptisma, in quibus orthodoxæ disciplinæ residet intemerata structura & formula tenentibus inconcusse Parisiensis universitas primogenita studiorum, in tetragono celebrium doctrinarum fundata, in apicibus à sui exordio hactenus stabiliter radicata, terram suis imbribus saporosis ad modum fluvii paradisi irrigans universam, limitibus veritatis indesinenter adhærens, singulis falsigraphis subplantatis, scibilia cuncta sorbens, aliis abundantissime resplendens, motuum naturalium, intellectualium & moralium tenens dextram, eliminansque sinistram, non decidens in adversis, in prosperis absque tumore perdurans, fons proprius, cui non convenit alienus, gratiam & amorem, reverentiam & honorem in salutari supremo, in quo est omnium singulariter vera salus. Notum igitur facimus per præsentes omnibus & singulis præsentibus & futuris, has nostras litteras inspecturis, quod in veritate scienda plenarii schismatis in Ecclesia sancta Dei, proh dolor! tam diuturnè vigentis, & diuturnius durare dispositi, nisi Dominus JESUS-CHRISTUS Ecclesiæ veræ sponsus manus apposuerit adjutrices, interposuimus vices nostras, quantum potuimus efficaces, modis nedum patentibus sed secretis, nedum penes proximos, sed longinquos, nedum penes favorabiles sed adversos, nedum penes clericos sed plebanos; nedum penes Gallicos sed Italicos & Lombardos, nedum penes dominos cardinales, ad quos spectat in solidum, sed etiam penes cives. Et finaliter omnibus ponderatis concorditer invenimus BARTHOLOMÆUM olim Barrensem in sede apostolica per notoriam impressionem intrusum, & nullum per consequens in papatu jus habere, aut umquam habuisse: dominum verò CLEMENTEM electionem canonicam habuisse, & pro vero papa debere ab omnibus catholicis affirmari. Ea propter veraciter consulti, deliberato animo & diuturno, non præcipitato, sed maturo, à Philosopho eruditi quod sermones in principio debent esse longi, executio vero velox, veritate præmissorum pensata, & matre rerum experientia declarata, quam qui negant ratiunculis frivolis hærentes sunt debilis intellectus, unanimiter & concorditer sub nostris publicis patentibus litteris & membranis declaravimus mentes nostras & etiam declaramus pro justa sancta & canonica electione domini CLEMENTIS papæ VII. ad summi pontificatus apicem, electum per dominos cardinales unanimiter assumtum, dictum vero BARTHOLOMÆUM nullum jus habere aut alias habuisse, sed seipsum in sede B. Petri damnabiliter intrusisse de facto tantummodo non de jure, prout omnia jura divina pariter & humana testantur, suam intrusionem damnabilem detestando, & electioni domini CLEMENTIS tamquam ritæ & canonicæ inviolabiliter adhærendo. Datum Parisius in capitulo fratrum Prædicatorum anno MCCCLXXXII. die III. Februarii in nostra congregatione per juramentum celebrata.

Et etiam declaratio universitatis magistrorum Parisiensium, cujus tenor sequitur in hunc modum

Universis Christi fidelibus sacro sanctæ matris Ecclesiæ nostræ filiis universitatis Parisiensium magistrorum, ad quos præsentes pervenerint, honorem & salutem in supremo in quo consistit vera salus.

Notum facimus singulis præsentibus pariter & futuris has nostras litteras inspecturis, quod cum patres nostri orthodoxæ fidei catholicæ consueverunt bona dare, mala reprobare, nescientibus quid agant, quid expectare debeant nunciare & intimare, dantes illis escam doctrinæ salubris in tempore opportuno, nos eorum vestigia, prout nobis fuerit possibile, imitantes, tacti dolore cordis intrinsecus, schisma Ecclesiæ sanctæ audientes, proh dolor! tam diuturne viguisse, & diutius paratum in dispositione longiori, nisi Dominus noster JESUS-CHRISTUS, verus ipsius Ecclesiæ sponsus apposuerit misericorditer vires suas, sub cura vigili non unius diei tantum, sed in multorum curricula temporum, quantum potuimus melius ad elucidandam veritatem, quam tenere, in aliis docere debemus, insudamus. Tandem partibus per sua scripta auditis, ac etiam consideratis & diligentius multis præhabitis deliberationibus, comperimus & in veræ fidei unitate tenuimus, tenemus & firmiter confitemur omnes simul unanimiter confitentes sanctissimum in Christo Patrem & dominum nostrum dominum CLEMENTEM VII. unicum verum summum pontificem universalis sanctæ Ecclesiæ Romanæ sponsum, & Christi ac B. Petri vicarium, prout in nostris aliis litteris, alias super hoc confectis clarius declaravimus & tenore præsentium declaramus. Datum Parisius in congregatione nostra generali in S. Mathurino propter hoc specialiter

celebrata die IX. mensis Februarii, anno Domini MCCCLXXXVI.

Quibus declarationibus posset adjungi tractatus solemnis reverendissimi patris domini P. cardinalis S. Eustachii super ista materia schismatis editus, qui incipit *Quia res memoratu digna*, una cum replicatione, quam fecit domino archiepiscopo Toletano, qui ipsum tractatum impugnaverat. Quæ impugnatio incipit *Reverendissimo in Christo Patri*, & dicta replicatio incipit *Reverendo Patri*. Posset etiam adjungi Tractatus domini ROBERTI FRANSOLA Januensis, & Tractatus magistri VINCENTII FERRERII, qui incipit *Vestræ regiæ majestati*, & brevis Tractatus domini RAYMUNDI BERNARDI militis & legum doctoris, qui incipit *Cæsar*, qui pro parte domini CLEMENTIS concludunt evidenter: non obstantibus allegationibus domini Johannis de Linhano, quia in suis tertiis allegationibus se correxit, quæ incipiunt *Quia post completum*, qui tractatus omnes possent inseri, sed ad evitandam prolixitatem obmittuntur & causa brevitatis.

Post quæ idem dominus CLEMENS VII. ferè papatus sui sexdecim annis exaratis, vel circa, feliciter in domino expiravit, BARTHOLOMÆO prædicto jam præmortuo, cui in antipapatu quidam PETRUS DE THOMASELLIS, BONIFACIUS IX. appellatus, & alter COSMATUS INNOCENTIUS VII. nuncupatus, & post ANGELUS CORRARIO, GREGORIUS XII. vocatus successivè pariter & vitio successerunt, sedis apostolicæ invasores, totius christianitatis destructores, absque dubio antichristi ministri & præcursores. Post mortem autem dicti CLEMENTIS VII. dominus PETRUS DE LUNA pro tunc tituli S. Mariæ in Cosmedim diaconus cardinalis canonicè fuit electus, nedum per ipsius domini Clementis cardinales, quin immo & ab omnibus post mortem dicti domini Gregorii XI. indubitatis cardinalibus superstitibus, qui erant isti, scilicet cardinalis Portuensis dictus Florentinus promotus per Urbanum papam V. & cardinalis Penestrinus Pictaviensis promotus per papam Gregorium XI. qui non interfuerant in electione Clementis VII. prædicti, & cardinalis Ambianensis promotus per eumdem papam Gregorium, qui interfuerat in electione ipsius Bartholomæi, & cardinalis S. Martialis promotus per papam Innocentium VI. qui in nulla prædictarum electionum fuerat, & cardinalis de Agrifolio promotns per papam Urbanum V. & cardinalis de Brenhio promotns per papam Gregorium XI. & ipse idem cardinalis de Luna promotus ab eodem; in quibus & ad quos, etsi neutra dictarum electionum Clementis VII. & Bartholomæi teneret de jure, quod absit, jus eligendi verum summum pontificem residebat seu devolutum fuerat in totum. Per quod patet quod si dictus dominus Clemens VII. verus apostolicus non fuisset, dictus tamen BENEDICTUS XIII. sic canonicè, ut præmittitur, electus, etiam ab illis qui non peccaverant in primis electionibus receptus in papam, fuit verus Christi vicarius, & ab universali Ecclesia talis recipi debuit, tamquam verus papa situs & receptus ab omnibus prædictis cardinalibus fuit; præmissisque regibus & principibus, & aliis antedictis, & tandem à dominis regibus LUDOVICO Cypri & Scotiæ, per totum comitatum Provinciæ, cum omnimoda obedientia, quam idem dominus BENEDICTUS ab Hispanis inclusive etiam per totam fere rippariam Januensem usque ad Portum-veneris in Domino feliciter ampliavit. Quomodoque, licet sacri canones clare habeant, quod papa ex quo semel verus est, à papatu dejici vel expelli aut deponi non valet, præterquam à Deo, nisi cum pertinacia & incorrigibilitate fuerit à fide catholica devius, & nullo alio casu, nisi gratis & sponte suo papatui renunciaret, &c. præter quodcumque crimen enorme, quodcumque sit illud, secundum veram & communem doctorum sacrorum in decretis & magistrorum in sacra pagina, reverendorum etiam sanctorum opinionem, & communem doctrinam & determinationem. Et merito, cum alia crimina non sic ab unitate fidei præcidant sicut hæresis: Nihilominus tamen ad incitationem seu requestam quorumdam domini BENEDICTI æmulorum & capitalium inimicorum, eumdem dominum BENEDICTUM aut odio gratis habentium, aut ex eo quod ab eo dignitates & beneficia, seu officia, aut alia subsidia, sive bona, aut honores ad votum habere non poterant, & eum utique probum & sanctum virum verum summum pontificem, ut præmittitur, criminantium & hæreticantium de hæresi nec vera in facto aut jure aut possibili secundum ipsos sacros canones contra omnimodam veritatem diffamantium; iidem domini cardinales dicti domini Benedicti, seu eorum quidam, qui etiamsi veri essent cardinales, nullam jurisdictionem seu superioritatem aut potestatem supra papam etiam de hæresi diffamatum inveniuntur de jure habere, seu habuisse, nec habent, prius ab obedientia ejusdem domini BENEDICTI notorie subtracti, & jam schismatici facti, per prædictum dominum BENEDICTUM anathematizati & excommunicati & depositi, tam de jure communi, quam per processus & constitutiones per dictos tam dominum Clementem VII. quam dictum dominum Benedictum XIII. factos & factas & editas forent privati, temere & sine causa justa & rationabili, una cum anticardinalibus ejusdem Angeli Corrario antipapæ prædicti, & in antipapatu dicti Bartholomæi, & vitio successoris, cum quibus existentibus extra Ecclesiam, ipsi existentes intra, si veri essent cardinales & catholici, unum collegium facere non poterant, obstante jure naturali & divino quo existentes intus & existentes extra non possunt facere unam unitatem Ecclesiæ, vel unum collegium; falcem suam in messem alienam ponentes, cum nec reperiatur jure cautum, nec umquam casu simili in Dei Ecclesia practicatum, quod collegium dominorum cardinalium, Ecclesia vacante, vel non vacante, sed maxime non vacante, concilium generale convocare possit, seu etiam præbere auctoritatem, sed totum contrarium reperitur, nisi papa sit à fide devius, & de hæresi ipse veniat accusandus, & ipse sufficienter &

A & canonice requisitus recuset convocare ipsum concilium generale: quo casu secundum quosdam, licet non reperiatur in sacris canonibus expresse decisum, plus dicitur Ecclesiam quam concilium generale congregari. Nec est locus in casu isto c. *Si duo, quæ fas in decretis* LXXIX. di. quando loquitur, in quo neuter ex electis erat notorie verus papa, & cardinales nullo modo de electione se valebant concordare: unde ad electionem procedi debet, ut ibi dicitur; sed in casu nostro unus erat verus papa; & primo non est idem, ut patet ex q. sequenti.

B Hoc autem concilium contra eumdem dominum BENEDICTUM & contra dictum ANGELUM CORRARIO absque licentia, consensu, & auctoritate dicti sanctissimi domini nostri papæ BENEDICTI prædicti, de facto in civitate Lucana prius vocaverunt, non obstante quod etiamsi de hæresi sibi imposita veniret accusandus, ad ipsum dominum BENEDICTUM tantùm, quem in verum papam receperant, qui hæresim & crimina sibi imposita expresse negabat, & se verum esse catholicum affirmabat, & non C ad quemvis alium convocatio concilii generalis pertineret, ad quod & non ad ipsos cardinales de hæresi sibi false imposita, an vera esset in facto & jure vel non, secundum quorumdam opinionem, pertinebat tantum, & quod deterius est ipsum dominum BENEDICTUM ad dictum locum de Luca ad certam diem minus canonice citari fecerunt, quem locum assignatum mutaverunt in Pisis, absque eo quod loci & diei mutationem sibi domino BENEDICTO notificarent, seu notificare facerent, saltem bona hora: D Quamquam dicta loca sint diversorum districtuum & diversarum jurisdictionum, & sub diversis dominis, & eidem domino BENEDICTO fuissent loca notoriè non tuta, & de obedientia partis adversæ, videlicet dicti Corrario. Quod fecerunt etiam iidem domini cardinales: quamquam idem dominus BENEDICTUS à Portu-Veneris congediatus, à domino gubernatore Ripariæ Januensis discedens, de voluntate & expresso consensu dictorum dominorum cardinalium pro tunc ibidem existentium, jam concilium generale in Perpiniano, ipsos in con- E vocatione concilii generalis præveniens, convocasset. In quo concilio iidem domini cardinalis jam præventi promiserunt interesse, ut constat de dicta convocatione per quoddam publicum instrumentum de præmissis manu notarii publici confectum, ex quo liquide patet secundum ipsosmet canones & dominorum doctorum in decretis sententiam, quod etiamsi quovis modo, quod non reperitur, tantum jure ad ipsos dominos cardinales pertineret ipsius concilii F generalis convocatio, quod super eadem convocatione præventi extiterant, & generale concilium aliud convocare non poterant jam præventi per convocationem præcedentem dicti concilii generalis in Perpiniano factam, maxime reluctantibus & non consentientibus aliis cardinalibus, dicto domino BEENEDICTO actu obedientibus, & secum in Romana curia residentibus, quod subsequenter ibidem congregatum extitit & canonice celebratum: coram quo & trecentis fere patribus, qui in eodem concilio interfuerunt, de præmissis hæresis & schismatis criminibus & fautoria eorumdem & ceteris criminibus, sibi, ut præmittitur, impositis, liquide se purgavit. In quo tamen concilio iidem domini cardinales dictum conciliabulum in Pisis convocantes, licet actu obedientiæ in eodem concilio Perpiniani * interfuerint, interesse noluerunt: immo in tantam vesaniam, verum & cæcitatem inciderunt, quod eis visum fuit, quod caput eorum membra sua & non membra caput sequi debent & deberent: quod nedum abominabile audire, immo quasi monstrum esset in humanis. quibus non obstantibus in dicto Pisano concilio, immo verius conciliabulo per eosdem dominos cardinales convocato & congregato, idem dominus BENEDICTUS de eisdem super eisdem criminibus & singulariter schismatis, hæresis & fautoriæ eorum, de quibus accusatus seu inquisitus extitit, ipso in partibus Aragoniæ existente, & sic absente & indefenso, nec legitime & per non habentes ullam potestatem ad dictum conciliabulum convocato, maxime attenta dicti loci mutatione, etiam facta ad locum notorie non tutum, & insuper contra ipsum sic absentem inauditum & indefensum, etiam non expectato anni lapsu post ejus contumaciam & excommunicationem, si quæ essent, & tantum semel vocatum, & non iterum ad audiendum sententiam, ut decebat & oportebat, processum fuit usque ad definitivam sententiam, si talis dici mereatur, inclusivè. Nec eos retinuit à tanta vesania seu stultitia, ut citra eorum injuriam loquamur, expoliatio notoria, qua idem dominus BENEDICTUS spoliatus de facto exstiterat ab obedientia regni Franciæ per medium cujusdam neutralitatis, & plurium aliorum regnorum & terrarum, in qua obedientia erat reintegrandus ante omnia secundum sacros canones, sic quod ante eamdem rationalem restitutionem, nec ad dictam synodum, etiamsi vere & canonice fuisset convocatus, ire seu mittere, vel si esset ibi præsens respondere cuiquam tenebatur, nec etiam legatio dominorum notabilium, quam ad Pisas jam miserat ad dicendum causas suæ absentiæ, & allegandum quod locus non erat sibi tutus, immo notorie non tutus, & ad alios certos fines pro unione habenda accommodos. Qui in Pisis legati applicuerunt ante sententiam prætensam, quos minimè audire, immo vix videre voluerunt, & inauditos cum injuriis & opprobriis ignominiosè cum minis remiserunt, immo quod stultius fuit, & de facto, præmissis non obstantibus, ad dictam prætensam sententiam processerunt, absque alia citatione. Et post hæc, vigore talis judicati prætensi, quatenus in eis fuit, dominus B. à papatu, licet ipsum numquam reperissent à fide catholica devium, & de hoc eis non constaret, nec constare poterat, quia nec verum erat, nec recte, sed inique, ut citra injuriam cujusque loquamur; non rite, sed irrite; non canonicè sed canicè deponentes, non judices, sed cæcorum duces existentes, à

* f. interesse debuerint.

fide apostolica & ab Ecclesia abegerunt. A

* f. inexcusabilem.

Post quam vesaniam & temeritatem *excusabilem, ipso domino BENEDICTO adhuc in humanis agente, seu vivente, nec canonice deposito, seu ejecto, nec gratis renunciante papatui, contra dictos sacros canones, seu præter, quemdam alium pro papa in sede apostolica intrudere attentarunt, nomine PETRI FILARDI DE CANDIA, quem ALEXANDRUM V. pollutis labiis nuncuparunt. Post cujus mortem quemdam alium BALTAZAREM COSSA nominatum in eodem antipapatu & vitio substituerunt, qui B JOHANNES XXIII. extitit apud suos pro papa nuncupatus, qui concilium, verius conciliabulum Constantiæ asseritur subsequenter convocasse: quamquam concilia generalia convocandi antipapa, qui & inter antichristos computatur, & destructor totius christianitatis, seu quamvis aliam jurisdictionem in Ecclesia exercendi nullam habeat, aut intra Dei Ecclesiam, potestatem seu facultatem habere valeat, quam maxime supra papam. In quo conciliabulo Constantiæ, aliquam auctoritatem sufficientem non C habentes aut potestatem, sed eis omnimode carentes, præsertim supra Christi vicarium, qui tantum subest Dei judicio, nisi dum est à fide catholica devius, pertinax, & incorrigibilis, & de hoc constat Ecclesiæ militanti, dicti domini BENEDICTI æmuli & capitales inimici, contra eumdem dominum BENEDICTUM eadem crimina, quæ in Pisano conventiculo, de quibus se purgaverat canonice in dicto concilio generali Perpiniani convocato & celebrato, refutaverunt, & duas hæreses eidem domino BE- D NEDICTO contra veritatem facti & juris impingere ausi sunt, unam metaphorice dictam, quæ potius contumacia vocatur, quæ à fide catholica, seu fidei catholicæ unitate non deviat, etsi vera esset: propter quam, etiamsi vera esset in facto, papa semel verus nullo modo deponi posset, etiam per generale concilium, etiam canonice convocatum, seu deberet: quidquid dicat una falsa glossa decreti in capitulo *si papa* XL. di. ferè per omnes doctores juris canonici & reve- E rendos in sacra pagina magistros pluries justissime reprobata: & merito, cum de directo sit contra suum textum illiusmet capituli, & omni legitimo careat fundamento, de hæresi æquivocando, quæ hæresis metaphorica non devians ab unitate fidei catholicæ allegabatur contra eum: quia, ut dicebant, non obstante cedula jurata in conclavi ante electionem tam per ipsum dominum B. quam etiam per alios dominos cardinales, suo noluit cedere, ut promiserat, papatui, pro unione in Dei Ecclesia celebriter obtinenda, sæpe sæpius requisitus & monitus: quod F quam falsum sit in facto patet clarissimè, tam ex responsionibus per ipsum factis super dicta materia etiam ANGELO CORRARIO cum bullis patentibus, processuque per ipsum tento & facto, ex quo ambaxiatores ANGELI CORRARIO pro pace Ecclesiæ cum ipso domino B. & unione ejus tractanda convenerunt in Massilia, tam in eodem loco, Saonaque, & Janua, quam in Portu-Veneris, usque ejus ad ultimum discessum de ipso Portu-Veneris, ut supra dictum est, violentum: tam etiam ex gestis in dicto concilio in Perpiniano celebrato, etiam ex oblatis per ipsum in villa Perpiniani serenissimis dominis Romanorum & Aragoniæ regibus ambaxiatoribus dicti conciliabuli Constantiæ, de anno Domini MCCCCXV. de mense Octobris, & post: ex quibus de contrario eorum quæ sibi impingebantur constat, & etiam quod per ipsum non stetit, quominus cum efficacia & celeriter fuerit habita unio in Ecclesia Dei præoptata: quamquam etsi dictam cedulam & juramentum minime servavisset, & servare per expressum recusasset, quod absit, pro suæ promissionis & juramenti violatione reus perjurii tantum apud Deum puniendus esset, & ex hoc notari non posset nec debuisset per peritos à fide catholica devius, hæreticus, vel schismaticus; sed apud Deum & homines perjurus, & ut ita dixerim, malus christianus, teste Augustino, dicente: Inter catholicos malos & hæreticos interest, quod hæretici falsa credant, illi autem vera credentes non vivunt ita ut credunt. Schismatici autem ab hæreticis distant, cum schismaticos non fides diversa faciat, sed communis disrupta societas. Ex perjurio igitur nec fuisset à fide catholica devius, sed malus christianus; sed non ex hoc per concilium generale à papatu dejiciendus, prout jura canonica & dicta sanctorum sunt super his satis clara, & determinationes sacrorum doctorum in decretis: alias quilibet perjurus, vel in mortali peccato constitutus, perseverans in peccato, se corrigere recusans, obmittens aut differens plus debito, esset hæreticus vel schismaticus censendus, quod est falsum secundum communem scholam dominorum theologorum & canonicorum: nec obstat si dicatur, quod perjurium in causis Dei hæresim importat: quod verum est cum hæresis præcedit, quæ abjuratur, & juramentum per relapsum in eamdem hæresim violatur: in quo casu hæresis præcedens & perjurium, & sequens hæresis eadem repetita concurrunt, quod quam longè distet à casu nostro, in quo de perjurio tantum agitur sine hæresi præcedenti vel sequenti norunt periti.

Aliam vero hæresim sibi imponentes ex schismate indurato ipsum fuisse schismaticum, & ex duratione ipsius schismatis hæreticum acclamarunt: quæ tamen hæresis nec cadit, nec cadere potest in vero papa: cum verus papa nisi incipiat ab hæresi, non possit incidere in schismate, nec propter schisma in hæresim, prout Glossæ dicunt duæ ad hoc singulares comprobatæ communiter per doctores, & patet ex definitione schismatis, & dictorum sacrorum doctorum, tam theologorum, quam sacrorum canonum, & patet vivaci ratione, cum schisma præscindat à capite, & papa verus non possit præscindi à seipso capite Ecclesiæ, nisi præscindatur à Christo per hæresim. Ex quibus patet quod non solum de falsis hæresibus in facto & jure, immo & de impossibilibus seu minus veris in jure ipsum dominum BENEDICTUM damnabiliter & contra veritatem diffamaverunt & accusaverunt fautoriam, &c. præterea sibi impegerunt notam

schismatis, juxta calumniantes & veritatem, cum A patiens schisma papa verus contra suam voluntatem, non possit dici fautor schismatis nec schismaticorum, quos viriliter excommunicat, anathematizat & condemnat, & evitari præcipit, ut fecit idem dominus BENEDICTUS, & patet per processus per ipsum factos, & sententias per ipsum latas, & per constitutiones apostolicas per ipsum editas. Unde liquidius claret, quod inter homines Deum timentes & scientificos, nec fautor est schismatis, suum verum jus quod in papatu habebat continuando, exercendo, seu defen- B dendo, nec fautor schismaticorum potuit seu debuit æstimari vel judicari, maximè cum per ipsum non steterit, quominus per vias justas & pratticatas, securas, per ipsum apertas & oblatas, schismate extirpato, unio in Dei Ecclesia habita fuerit, ut patet per oblata per ipsum in Perpiniano, de quibus tacuerunt in Constantia malitiosè, & quod deterius est, post hæc os suum ponentes in cælum præter & contra jurium & sacrorum canonum omnimodam dispositionem, cum & dictæ falsæ hæreses verius nullæ, seu C earum fautoria prætensa ipsi conciliabulo Constantiæ, etsi alias canonicè fuisset convocatum & celebratum, nec jurisdictionem aliquam aut auctoritatem aliquam attribuerunt, nec attribuere potuerunt. Præmissis non obstantibus contra ipsum tamquam contra notorium schismaticum & hæreticum, & schismatis & hæresis fautorem processerunt usque ad definitivam sententiam inclusivè, quamquam concilium generale supra papam nullam habeat jurisdictionem, nisi cum est à fide catholica devius: quod D vix possunt fundare doctores hoc tenentes.

Post quem processum irritum & inanem & dictam prætensam sententiam, tam ex causis præmissis, quam ex pluribus aliis, suis loco & tempore declarandam ipso jure nullam & nullius efficaciæ seu valoris, ipso domino B. XIII. adhuc vivente, non canonice de papatu ejecto, & nullo modo papatui renuntiante aut mortuo, sed vero papa perdurante, dominum OTHONEM DE COLUMNA antipapam hodiernum intrudere ausi sunt, contra eorumdem sacrorum E canonum dispositionem & determinationem, habentium quod vero Romano pontifice adhuc in humanis agente, quamdiu est papa, non potest eligi vel superaddi alius, & quod talia attentantes, ut rei crimine læsæ majestatis puniendi, diversis pœnis plectendi sunt. Quem OTHONEM postea pro vero papa adorandum acclamaverunt, ipsumque seu eorum aliqui ipsum ut talem adoraverunt, & ab aliis nequiter adorari præceperunt & adorari fecerunt. Unde & reges F omnes & principes, nobiles, clerumque & populum, proh dolor! deceperunt, quos ad fornicandum cum dicto idolo antichristo spiritualiter induxerunt & adduxerunt; quamquam non obstantibus tam in Pisis quam in Constantia gestis verius attentatis, idem dominus BENEDICTUS verus papa in Dei Ecclesia remansisset & remanserit, teste ipso cujus vices gerebat in terris, qui veritas est inconvincibilis apud omnes, usque ad ejus obitum inclusivè.

Ceterum nec etiam vos latere credimus, quod dominus idem BENEDICTUS successivè in Paniscola, creatis per ipsum primo quatuor cardinalibus inferius nominatis, senio confractus feliciter migravit ad Dominum. Post cujus felicem transitum de hoc sæculo nequam ad regnum æternum, ut firmiter credimus, tres ex dictis cardinalibus in Paniscola existentes, nobis extra curiam Romanam pro tunc agentibus, & in castro de Torena diocesis Ruthenensis moram nostram trahentibus, ad electionem Romani pontificis, adversus antipapæ intrusionem, post lapsum certi temporis processerunt, nobis non vocatis, nec de ejus morte certificatis ullomodo, & alias fecerunt & dixerunt, prout in facto quodam per nos in terminis posito, & cum pluribus catholicis viris verificato & examinato, ad quod post plura alia tandem nos reduximus & reducimus seriosius, continetur tenoris subsequentis.

Novembris die XVII. anni Domini MCCCC. XXIV. sanctæ memoriæ dominus BENEDICTUS XIII. papa verus, incipiens infirmari eodem mense, die XXVII. quatuor cardinales, duos videlicet Aragonenses & duos Gallicos creavit, videlicet JULIANUM tituli XII. apostolorum & EXIMINUM tituli S. Laurentii in Lucina Aragonenses, DOMINICUM tituli S. Petri ad vincula; JOHANNEM tituli S. Stephani in Cælio monte Gallicos: quibus creatis, die penultima ejusdem mensis inter septimam & octavam horam in Domino expiravit. Est verum quod tempore mortis ejus duo cardinales Aragonenses prædicti erant in curia, in qua applicuit cardinalis S. Petri sabbatho quatuor temporum mensis Decembris proximè sequentis. Cardinalis autem S. Stephani extra curiam residebat, in castro videlicet de Torena Ruthenensis diocesis, cui numquam fuit significata mors dicti domini BENEDICTI per dictos cardinales nec alios, usquequo mense Junii proximè sequenti fuit significata sibi per serenissimum principem dominum comitem Armaniaci: immo dicta mors eidem cardinali fuit celata ex industria per alios cardinales, usque ad electionem inclusivè, de qua inferius habetur mentio, quam etiam celaverunt omnibus catholicis in curia residentibus, & aliis, paucis demtis, à dicta die penultima Novembris usque ad XXIII. mensis Maii proximè sequentis, & ultra ferè usque ad septimam Julii. Quo pendente tempore bona Ecclesiæ non fuerunt administrata per camerarium apostolicum seu ejus locum tenentem, nec per manum cameræ, seu ejus aliquem rectorem seu regentem: immo dicti cardinales ad administrationem & gubernationem tam bonorum dicti domini BENEDICTI quondam, quam Ecclesiæ se propria auctoritate immiscuerunt, bonorum dictæ Ecclesiæ & domini Benedicti quamplurima recipientes, occupantes, & inter se dividentes, sicut sunt pecuniæ aureæ & argenteæ, anuli cum lapidibus pretiosis, reliquiæ S. Crucis & sanctorum, calices aurei & argentei, & alia vasa aurea & argentea, sicut sunt taccæ, librique diversi &

diversarum facultatum, ornamenta, paramenta, A capellæ munitæ, supellectilia diversa, & alia multa bona non modici immo maximi valoris. Hoc etiam tempore pendente, dicti cardinales fingentes dictum dominum BENEDICTUM vivere, in Missis diebus consuetis dabant indulgentias solitas ac si papa viveret. Scripserunt seu scribi fecerunt plures litteras diversis personis nomine dicti papæ ut viventis, & plures bullas plumbaverunt seu plumbari fecerunt cum plumbo dicti domini BENEDICTI jam mortui; B & ferè in omnibus utebantur ac si viveret. Pendente etiam hoc tempore, cardinales Aragonenses, & dominus RODERICUS DE LUNA mortem prædictam regi Aragonum, pro tunc circa partes Neapolitanas existenti secretè nunciaverunt, & interim intrare conclave, eligere, & Ecclesiæ de pastore providere prætermiserunt malitiosè, ut creditur, prout experientia expost docuit. Cum autem cardinalis S. Petri instaret sæpe & sæpius, ut conclave intrarent, & Ecclesiæ providerent de papa, sibi dicebant: C Domine, non curetis, quia non intendimus alium eligere quam vos, & tam separatim quam insimul pluries sibi dixerunt, & promiserunt, quod ipsum eligerent in papam: adjicientes quod nolebant alium, dum tamen ipse vellet acceptare: & sic per tales fictas & vanas promissiones, quas dictus cardinalis S. Petri ante ingressum conclavis non acceptavit ullo modo, ipsum duxerunt, absque eo quod Ecclesiæ providerent, usquequo habuerunt responsum à dicto rege ferè circa medium mensis Maii proximè sequentis, ut D infra dicetur. Hoc etiam pendente tempore, diversi tractatus habiti sunt inter dominum RODERICUM DE LUNA, & dominum ÆGIDIUM SANCII MUNIONIS tam in loco de Villa-nova, quam in loco de *Bemeasse*; & sic post completas locutiones, dictus dominus Rodericus in comessationibus mutuis faciebat fieri probam sive credentiam dicto domino ÆGIDIO, licet sibi non consuevisset fieri proba sive credentia, nec esset status seu dignitatis quod ei fieri deberet: unde assistentes præsumserunt, E sicut expost apparuit, fore verum, quod dictus dominus RODERICUS promiserat eidem domino ÆGIDIO ipsum facere papam. Post hæc autem habito responso à rege super præmissis, litteræ regiæ lectæ fuere in domo dicti domini ÆGIDII in Valentia per bajulum Valentiæ: quare percepto tenore, non expectans, ut vocaretur ut Aaron, sed ambiendo papatum se ingerens, procuravit sibi dari commissionem à bajulo Valentino socero suo sororio nomine regio, & ejus, notificandi dictis dominis cardinalibus F contenta in dictis litteris regiis. Quamobrem & Paniscolam vadens eisdem dominis cardinalibus jam de responsione regia certificatis, & jam in conclavi existentibus, ex parte regia & dicti bajuli notificavit, quod voluntas erat regia, quod omnimodo à quacumque electione abstinerent, vel si eligebant, eligerent Aragonensem, vel de terris subditis regi Aragonum. Asseritur tamen à quibusdam, quod litteræ regiæ continebant, quod eligerent omnimodo, & undecumque vellent: sed ut veniret ad id quod optabat, dominus prædictus aliter retulit, ut præfertur: adjiciens etiam quod per dictos dominos cardinales nihil sibi responderetur, quod & ÆGIDIUS ipse consulebat eis quod eligerent eum, cum hoc tamen quod complacentes regi eligerent Aragonensem, vel de nationibus dicto regi subjectis, & ab inde à dictis cardinalibus recessit. Post cujus recessum eisdem cardinalibus remanentibus in conclavi in discordia, & inter se diversa verba injuriosa habentibus, cardinali XII. apostolorum eligente cardinalem S. Petri, & vice versa, cardinalis vero S. Laurentii nominavit dictum ÆGIDIUM in papam: qui illico ab aliis duobus tamquam vilis & abjecta persona fuit refutatus: quod audiens idem ÆGIDIUS adhuc in Paniscola existens, tamquam furibundus recessit: & existens in itinere, &, ut fertur, dum applicuit in loco de Cabanis Dertusensis diocesis vel circa, scripsit quasdam litteras dicto domino RODERICO ejus & generis sui diffamatorias, inter cetera continentes, quod malum erat servire sibi & suis, quia non consueverunt attendere quod promittebant, & quod non erat hoc quod promiserat sibi: quas dictus dominus RODERICUS non sine aliquali indignatione recepit. Post hæc cum dictus Ægidius suum iter versus Valentiam continuaret, molestus obviavit dicto bajulo, & gubernatori ad Bellicardonem accedentibus: qui videntes ipsum molestum ex præmissis per ipsum eisdem explicatis, fecerunt eum retrocedere cum ipsis usque ad Bellicardonem: ubi dum fuerunt, prædicto ÆGIDIO, & in favorem ejus scripserunt domino RODERICO, magnalia promittentes & offerentes: qui cornua flectens, promissis devictus, accedens ad portam conclavis vocavit duos cardinales, Aragonenses dumtaxat, non vocato domino S. Petri; & eisdem duobus dixit talia verba, vel in effectu similia: Cur non eligitis dominum Ægidium Sancii Munionis in papam, qui tenet viginti vel triginta millia florenorum in capsa: unde cum tendatis ad personam potentem & divitem, quæ possit sustinere statum vestrum, ille est quem quæritis. Dicti autem duo cardinales, dictis verbis auditis, & favore regis & patriæ, ut creditur, & ad instantiam dicti domini RODERICI, post recessum dicti domini RODERICI, ad invicem inter se loquentes, illico declinaverunt ad personam dicti domini ÆGIDII, quam gratam fore regi credebant, & notificaverunt dicto domino S. Petri, quod ipsi erant concordes de eligendo dictum dominum ÆGIDIUM: quod audiens cardinalis S. Petri & graviter ferens: videns tamen quod ipsi erant duo & faciebant duas partes collegii in conclavi, & quod in vanum contradiceret eis super coeligendo, eisdem tandem adquievit. Advertentes autem dicti cardinales quod multa de bonis dicti domini Benedicti & Ecclesiæ administraverant & receperant, verum & rapuerant, & sibi appropriaverant, & quod pensionem octuaginta trium florenorum Aragoniæ pro quolibet mense sibi & inter se taxaverant, & ordinaverant de bonis

Ecclesiæ recipiendam pro sustinendo statu suo: scientesque dictum dominum ÆGIDIUM fore terribilem & malignam personam, timentesque de raptis & habitis ab eodem vexari & pensionem diminui, si ipsum eligerent, volentes prospicere & providere in futurum, fecerunt ordinari quamdam cedulam, cujus tenor inferius describitur, per manum cardinalis S. Laurentii scriptam, septem articulos continentem: cui post fuit additus octavus articulus, & in principio posita data, & inter cetera quod eligendus non turbaret executionem testamenti B dicti domini BENEDICTI, immo de bonis Ecclesiæ traderet usque ad dictæ executionis complementum inclusivè; & dictos cardinales teneret in eodem statu, in quo hactenus fuerant usque tunc, & quod haberet eos recommissos; & numquam eis deficeret, & quod gratias expectativas familiarium & servitorum dicti domini Benedicti, nondum sortitas effectum, non revocaret: immo ipsos haberet recommissos, prout in dicta cedula latius continetur. Est verum quod cardinales intelligebant illa verba in eodem C statu, quod nihil de raptis, perceptis, & administratis per eos peteret ab eisdem, & pro quolibet mense solveret eis dictam pensionem absque aliquali diminutione. Qua cedula sic ordinata & scripta manu dicti S. Laurentii cardinalis, intra conclave mandaverunt dictum dominum ÆGIDIUM ad se venire, quod & fecit, cui notificaverunt quod ipsi erant concordes de ipsum eligendo in papam: attamen volebant quod ante electionem ipse promitteret & juraret tenere & servare & complere contenta in D dicta cedula, quam copiatam & scriptam manu domini cardinalis pro tunc XII. apostolorum ei exhibuerunt, & quod propria manu ea subscriberet, ut ÆGIDIUS SANCII MUNIONIS, & quod post electionem similiter promitteret & juraret iterum de novo se subscribere. Quæ promisit & juravit, & ut præmittitur bina subscriptione ante electionem, & post vallavit, ut ex tenore dictæ cedulæ liquet, & cum præmissis, & post præmissa ipsum in papam elegerunt & E inthronizaverunt, receperunt & publicaverunt, absente & nesciente S. Stephani cardinali, qui in præmissis nullo modo peccavit. Tenor vero cedulæ de qua superius habetur mentio sequitur & est talis.

Actum die decima Junii anno Domini MCCCCXXV. quæ sequuntur debent promitti & jurari per quemcumque ad papatum promovendum seu eligendum.

Primò quod prosequetur unionem Ecclesiæ, quantum honestè fieri poterit sine offensione F Dei, & infamia, & dejectione hujus partis, maximè propter illa quæ sunt facta contra sanctæ memoriæ dominum BENEDICTUM papam XIII. & sequaces ejus, seu de obedientia ejus semper & cum consilio cardinalium.

Secundò, quod ubi talis via reperiretur, per quam sine offensa Dei & scandalo hujus partis unio posset dari, quod revocentur ante omnia gesta contra dictum dominum BENEDICTUM & sequaces ejus seu de obedientia ejus; & hæc omnia fiant de & cum consilio cardinalium.

Tertiò, quod executionem sanctæ memoriæ dicti domini BENEDICTI non impediet, & bona assignabit ad complementum dictæ executionis juxta facultates Ecclesiæ.

Quartò, quod cardinales manutenebit, durante hoc tempore prosecutionis, in statu quem hactenus usque nunc tenuerunt: & quod numquam eis deficiet, & privilegia & libertates Romanæ Ecclesiæ eis concessa servabit.

Quintò, quod familiares qui hactenus servierunt & fuerunt cum domino nostro BENEDICTO, sive in beneficiis & aliis gratiis & beneficiis habebit propensius recommissos.

Sextò, quod provisiones & gratias concessas familiaribus, quæ hactenus non fuerunt sortitæ effectum, non revocabit.

Septimò, quod nullum tractatum faciet circa unionem Ecclesiæ sine, sed de & cum consensu dinalium.

Octavò, quod dominus ÆGIDIUS SANCII MUNIONIS jurabit nunc dicta capitula observare, sicut nos tres, videlicet JULIANUS Basilicæ XII. apostolorum de Urbe, EXIMINUS tituli S. Laurentii in Lucina, & DOMINICUS tituli S. Petri ad Vincula collegium facientes juravimus. Et casu quo assumtus esset, illico illa ratificabit per juramentum, & quod subscribat se propria manu Ego ÆGIDIUS SANCII MUNIONIS prædictis omnibus per me juratis & promissis subscripsi manu propria. Nos CLEMENS divina providentia papa octavus prædictis omnibus per nos juratis & promissis subscribimus nos manu propria; & ita juravimus attendere & complere.

Post hæc autem dictus dominus ÆGIDIUS una die mensis Septembris proximè sequentis vocavit dictos tres cardinales, qui ipsum elegerunt, dicens quod maturius pensaverat super dicta cedula & ejus tenore, & super contentis in eadem consilium habuerat cum peritis; qui sibi retulerant quod dicta cedula importabat simoniam, cujus labes nedum tangebat ipsum & ejus electionem, immo famam ipsorum cardinalium, cum ipse & ipsi in hoc essent participes. Adjiciens quod postquam præmissa audiverat, fuerat tristis & infirmus; & ita infirmum se fore fingebat, persuadens dictis cardinalibus quod vellent sibi restituere dictam cedulam, eis quamplurima promittens. Qui tandem promissionibus devicti, ipsam sibi restituerunt, quam igne combussit & in aygueria sive cloaca projecit, & sic ut tutus de præmisso, in papatu remansit.

Cardinalis autem S. Stephani de Thorena vi ejectus, Paniscolam applicuit XII. die mensis Decembris anno Domini MCCCCXXV. qui aliqualiter præmissa sentiens, licet non plene informatus, in dubio ad vitandum pœnas juris, volensque Ecclesiæ sacrosanctæ providere, antequam se præsentaret in conspectu dicti domini ÆGIDII, coram notario & tribus testibus fide dignis solemniter protestatus fuit, quod non intendebat consentire in eum, nec per aliquos actus coram ipso exercendos aliquod jus sibi attribuere vel ampliare, nisi quantum ex vera & canonica ele-

ctione sibi competebat, prout latius continetur in instrumento sumto manu dicti notarii. Post quam protestationem dictus cardinalis S. Stephani in Paniscola residens paulative & secrete, ut melius potuit se informavit; & præmissa fore vera, præsertim contenta in dicta cedula; & sic dictam electionem, si talis dici mereatur, simoniace factam, ex pluribus capitibus ipso jure nullam, Ecclesiæ Dei sacrosanctæ sic à morte dicti domini Benedicti vacanti providens, prout tenebatur, ex tenore sui officii juxta decretum domini Nicolai papæ II. quod incipit *Si quis pecuniam* LXXIX. di. quemdam Gallicum Aquitanum elegit in papam. Quo facto in terminis posito pro vero supposito, saltem quoad contenta in dicta cedula, & quantum sufficiunt ad nullitatem dictæ electionis probandam, quoad superfluam probationem nullatenus non astringit, electionem prædictam de dicto domino ÆGIDIO per dictos tres cardinales factam juxta dictum factum in terminis positum, cum quibusdam viris catholicis etiam litteratis per certa dubia juris ex dicto facto elicita examinavimus, & examinari fecimus: ad quæ tandem nos reduximus quæ sequuntur in effectu.

Primò an antedicta electio prima de dicto domino ÆGIDIO facta ex præmissis censeatur simoniaca seu simoniace facta, super quo videatur c. *Talia* VIII. q. III. cum c. sequenti cum ibi notis in Rosario. Secundò, an electio papæ simoniace facta sit ipso jure nulla vel non, super quo videatur c. *Si quis pecuniam* & can. *In nomine Domini* XXIII. di. & in q. I. §. *Patet*. Tertiò, dato quod electio dicti domini ÆGIDII sit ipso jure nulla, an dictus cardinalis S. Stephani potuerit procedere ad secundam electionem, prima non cassata. Casus videtur quod sic in dicto capitulo, *Si quis pecunia* rejecta materia c. *Consideramus*, de electione quæ locum habet in inferioribus electionibus. Et circa istud etiam quæritur utrum dictus cardinalis S. Stephani antequam procederet ad secundam electionem, habuit necesse declarare vel facere declarari electionem primam, si talis dici mereatur, scilicet de dicto domino ÆGIDIO SANCII MUNIONIS factam simoniace fuisse nullam ipso jure, dominosque cardinales ipsum eligentes simoniace fuisse privatos ipso jure eligendi, ipso domino ÆGIDIO seu ejus parte non vocato seu vocata & plene audito seu audita. Quartò, dato quod dictus cardinalis S. Stephani non delinquens potuerit ad secundam electionem procedere, an de necessitate teneretur in secunda electione vocare alios cardinales delinquentes in prima. Videatur materia in cap. *Cum Viccomen.* & can. *Audit.* de elect. & in can. *Gratum* de postulatione episcopi. Quintò, juxta nullitatem dictæ electionis posset videri, an electio papæ facta à falsariis, raptoribus, excommunicatis, & suspensis cardinalibus, & anathematizatis collegialiter valeat vel non. Videtur quod sic pro Clemente ne Romanus; sed aliter intelligitur. Sextò, an electio dicti domini ÆGIDII laboret pari morbo, sicut electio prætensa Bartholomæi Cascavelli sive Barrensis facta in Roma populo acclamante *Romano lo volomo*, *ho almancho Italiano*, cum prædictus rex Aragonum mandaverit cardinalibus Aragonensibus quod non eligerent nisi Aragonensem, vel de terris sibi subditis, maxime attenta congregatione facta in Bellicardone ad unam horam Paniscolæ, per quemdam vocatum Cormano regis Aragonum secretarium & ejus socium, qui nomine regis & reginæ Aragonum, qui venientes cum minis & terroribus volebant occupare castrum Paniscolæ, bonaque dicti domini BENEDICTI, & ecclesiæ Paniscolensis obsidionem comminantes. Quibus tam per nos quam per alios viros catholicos etiam litteratos examinatis & discussis, satis liquide comperimus dictam prætensam electionem de dicto ÆGIDIO factam, si talis nuncupari debeat, simoniacam & simoniace factam, ac callido & doloso tractatu factam, verius attentatam, & ex pluribus capitibus ipso jure nullam, & sic Ecclesiam universalem canonico papa & vero Christi vicario viduatam, usque ad nostram electionem remansisse & esse vacantem, dicti domini ÆGIDII prædicta intrusione non obstante, ipsosque tres dominos cardinales ipsum modo prædicto eligentes, qui vigore talis electionis ipso jure nullæ, ipsum ÆGIDIUM in papam admiserunt & ceperunt, & ab aliis adorari fecerunt, ex pluribus capitibus ipso jure fuisse privatos jure eligendi, saltem pro ista vice, sicut præmittitur. Vacanti ab obitu dicti domini BENEDICTI de pastore Romano pontifice vero papa canonico & vero Christi vicario providere cupientes, prout ex injuncto nobis officio tenebamur, juxta decretum papæ Nicolai II. de quo supra fit mentio, ad electionem viri Romani Pontificis & Christi vicarii processimus, prout in instrumento dictæ electionis publico exinde confecto superius inserto est expressum; qua facta propter multa & grandia pericula, quæ dictæ Ecclesiæ & personæ nostræ & nostris servitoribus & ceteris catholicis verisimiliter poterant contingere, & evenire, à dicto loco de Paniscola, de nocte, hora captata opportuna, cum de die commode non possemus, S. Spiritus gratia, qua Ecclesia militans regitur, nos & iter nostrum salubriter dirigente, & de consilio quorumdam catholicorum & Dei electorum, ut credimus, qui more Pauli, personam nostram cum funibus submiserunt per murum, quam citius discessimus, & ad regnum istud Franciæ continuatis dietis, quamquam gravi infirmitate febrium essemus lacerati, tute ipsa dirigente gratia, applicuimus: de quibus Domino Deo gratias non quales debemus referentes, dum peritorum copiam habere potuimus in theologia & decretis, facto eis & eorum cuilibet in terminis prædictis tradito & ostenso, cum præinsertis dubiis, easdem electiones, videlicet nostram & dictorum dominorum trium cardinalium pro majori securitate nostræ & Ecclesiæ utilitate, antequam ipsam electionem præsentaremus, cujus necdum copiam habebamus, nec commode habere poteramus, cum vix inveniremus locum tutum in quo reclinare

possemus caput, per solemnes magistros in sacra A pagina & utriusque juris doctores, & licentiatos examinari fecimus eadem præinserta dubia: qua diligenti examinatione facta super utraque electione, electionem, verius intrusionem per dictos dominos tres cardinales de dicto domino Ægidio factam ipso jure nullam fuisse & esse, & nostram prædictam validam & canonicam fore electionem luculentius comperimus, ac ipsos tres dominos cardinales fuisse & esse ipso jure privatos, saltem pro ista vice, jure papam eligendi invenimus, & eamdem nostram ele- B ctionem canonicam repertam successivè, dum commode potuimus, prius eidem electo per nos secretè denunciavimus, & subsequenter præsentavimus. Post cujus consensum electi habitum, fuimus aliquandiu opinionis ipsam nostram electionem non publicandi, donec per concilium generale cognitum fuisset, an non obstantibus in Pisis & Constantia gestis contra dictum dominum Benedictum, & exinde scandalis subsequutis, & per dictos tres cardinales post dicti domini Benedicti decessum C attentatis, & aliis superius explicatis, dicta nostra electio secundum canones procederet, vel non: coram quo ostendere disposueramus omnia quæ nobis in facto vel jure contra in Pisis & Constantia gesta & exinde subsequuta, & contra intrusiones dictorum Othonis de Columna & Ægidii Sancii Munionis secundum sacros prædictos canones veridice pro tunc nobis occurrebant; & sic in dicta opinione per aliqua dierum intervalla remansimus, donec ad nos reversus occurrit limpidius quod non solum ipsa D concilii convocatio & celebratio nimis forsitan diu posset retardari, ex quo tamdiu Ecclesia non esset consolata pastore sibi noto: quin immo quod nec dictum concilium poterat, obstantibus sacris canonibus, canonicè convocari, cum non sit hodie vivens in orbe, nisi ipse per nos electus, vel ab ipso specialiter deputatus, qui super præmissis vel aliis concilium generale valeret convocare; unde nostram opinionem in melius reformantes, dictum concilium non fore expectandum decrevimus, ipsam electionem nostram E publicare intendentes quam citius, quod & fecissemus: sed rabies schismaticorum & hæreticorum quorumdam absque dubio antichristi ministrorum, sic contra Ecclesiam & nos invaluit, quod hoc facere commodè non valuimus, nec ausi sumus, nec utile fore pro tunc æstimavimus, ne rabies ipsa sic semper superbiens & sæviens, omnes Dei electos aut plures diræ neci traderet, & à præsente sæculo nequam eriperet ante tempus. Quapropter à dicta publicatione F magis abstinere placuit, Ecclesiæ prædictæ silentii remedium, ut nobis videtur prophetatum per præscios, adhibentes, donec commodius absque tantorum scandalorum dispendio publicari valeret in tempore opportuno. Utque etiam falleretur qui fallere & delere nititur Ecclesiam crucifixi, ipsa Ecclesia sit sub utili ad tempus silentio, non tamen pastore destituta humiliter remanente. Verum hoc intermedio temporis intervallo, multi veri catholici de nullitate electionis ipsius domini Ægidii & aliis præmissis ad plenum informati, scientesque ipsum jus papam eligendi hac vice solum devolutum fuisse seu in nobis recidisse, ipsosque tres dominos cardinales fuisse privatos ipso jure papam eligendi ad minus pro ista vice: nostram tamen prædictam electionem nescientes, & non mirum, ignorantes, de salute animarum, & conservatione ipsius Ecclesiæ tamen solliciti: quorum etiam exuberantem caritatem in Domino meritò commendamus, sæpe & pluries, oportunè & importunè, & etiam per medium quorumdam magnorum dominorum, nos tam supplicando, quam requirendo infestarunt, ut ad electionem Romani pontificis, quæ ad nos solum in hoc casu pertinebat, procederemus breviter, propter vitanda pericula, quæ ex tam diuturna vacatione ipsi Ecclesiæ possent verisimiliter evenire, maximè si, Domino permittente, nos subtrahi contingeret à luce. Alii autem sanius existimantes, quod non eramus tam ridiculi, tantæque dementiæ, nec tam malæ conscientiæ, nec sic salutis Ecclesiæ atque nostræ immemores, quod sic scienter & ex proposito teneremus Ecclesiam Dei sic diu vacantem, quod nec per sanæ mentis viros debuit æstimari, & verius opinantes, scilicet quod jam elegeramus, licet electionem secretam teneremus, pro publicatione dictæ electionis apud nos magnam fecerunt instantiam: asserentes quod omnimodo ipsam expediebat publicare, propter plura scandala, potissime schismatum, quæ ex silentio dictæ nostræ electionis Ecclesiæ possent evenire, si aliqui eamdem electionem ignorantes in nostri defectu, alium seu alios eligere niterentur, sed nec his, sicut nec aliis aures adhuc præbere volumus, sed consilio Apostoli usi dicentis, *Omnia tentate, quod bonum est tenete*, hoc utique pendente silentio dictam electionem nondum factam per nos fingentes cautè tentare volumus; quod & fecimus, scilicet an per medium dictæ nostræ electionis nondum publicatæ atque nostri, an per ejus publicationem, contendentes de papatu Romanum & Paniscolensem ad pacem reducere valeremus, & totam christianitatem ad tam optatam & desideratam unionem; nos felices æstimantes, si ad tantum bonum faciendum in hoc mundo vivere nos reservasset ipse de cujus causa agitur Jesus-Christus dictæ Ecclesiæ verus sponsus. Super quibus per medium serenissimi principis domini comitis Armaniaci, cui super hoc major opportunitas occurrere videbatur, quamdam viam, ut credimus, justam & rationabilem utrique ex dictis contendentibus præsentari fecimus, videlicet ipsi domino Othoni de Columna per nobilem virum dominum Antonium de Capralario primo, & per R. P. dominum Auxitanum secundo, ambaxiatores ad ipsum per dictum dominum comitem successivè destinatos, & dicto domino Ægidio in Paniscola per reverendum in sacra pagina magistrum Johannem Fabri, & Johannem Martini familiarem dicti domini Auxitani, nuncios per ipsum dominum comitem super hoc ad illum

de Paniſcola miſſos, qui de Paniſcola litteratoriè ſatis congruam ſuper præmiſſis, licet, ut credimus, ficte & ſimulatoriè feciſſe videbatur, reſponſionem. De qua reſponſione, cujus copia eidem OTHONI miſſa fuit, & dicta via per nos oblata, idem dominus OTHO fuit ſufficienter informatus: cui etiam certo modo ſcripſimus diſcrimina plura & ſcandala, quæ ipſi Eccleſiæ ad cauſam tam, proh dolor! inveterati ſchiſmatis evenerant, & damna quæ ejus occaſione patiebatur Eccleſia irreparabilia, & quæ ei in futurum amplius imminebant reſerando; eumdem in viſceribus Chriſti exhortantes, ut eamdem viam eidem qui penitus nullum jus habet in papatu etiam multum favorabilem acceptare, & pacem Eccleſiæ dare favorabiliter & breviter dignaretur, in dictis noſtris litteris, certis, juſtis cauſis & rationabilibus inſertis, quibus etiam durior cervice ipſo in tam favorabili materia flecti deberet &, ſperaretur. Dictus autem de Columna, qui prius aures ipſis nuntiis præbere inceperat, more vulpino uſus, terga vertens ipſi Auxitano, & nunciis ſereniſſimi principis domini regis Aragonum faciem præbens, cum quibus de iſta materia utilius ſibi tractare videbatur, licet in contrarium recto Dei judicio, ut credimus, res ſit verſa, partem noſtram ferè ad nihil reputans, tandem more aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, ipſam viam per nos apertam penitus refutavit; & tacitè per ſuos ſatellites plura nobis præſentari faciendo, ſe per nos eligi de novo procuravit. Quibus data repulſa, cum ſit omnino ineligibilis, niſi reſipiſcens abſolvi & habilitari meruiſſet, papatu etiam realiter dimiſſo, perſonam noſtram ſub umbra cujuſdam ſalvi conductus, per quoſdam abbates prætenſos Bonævallis & Bonæcumbæ, ac quemdam Heliam Kadrageſime, nec dubium antichriſti miniſtros & executores, occidi aut capi proditoriè procuravit, nos turpiſſima morte prævenire cupiens, ne ad electionem alterius, quam credebat nondum factam, procedere valeremus, cum ipſum non lateret, ipſum jus eligendi ad nos pertinere, & etiam per multos alios multas & magnas ſummas dignitates & beneficia nos occidentibus vel capientibus promittendo, id ſæpius conati ſunt deducere ad effectum per multas vias exquiſitas & veneficas, & alias in tanto ſolio præſidenti de facto & hominibus de tam claro genere, ſicut ſe eſſe aſſerunt, minus honeſtas, viris eccleſiaſticis maximè inceſtuoſas, ut ita diximus, & nefarias, utriſque juribus, divino, naturali & poſitivo evidentiſſime reprobatas. Sed dominus noſter JESUS-CHRISTUS, de cujus cauſa agitur, ad preces, ut firmiter credimus, ejus genitricis ſemper Virginis B. Mariæ glorioſæ, beatique Michaelis, & omnium patronorum noſtrorum & patronarum, & omnium ſanctorum & electorum & ſanctarum Dei, quos pro Dei Eccleſia inceſſanter orare nec dubitamus, à tam nefandis & reprobatis proditoribus & eorum laqueis nos liberare miſericorditer dignatus eſt, & ut ſperamus, præſervabit ſalubriter in futurum: ad quæ pericula electi Dei & fideles quamplurimi Eccleſiæ prædictæ

A atque noſtri antedicta etiam pluſquam nos advertentes, mortem noſtram aut captionem dubitantes Eccleſiæ fore damnoſam, ſi ſic contigiſſet aut contingeret in futurum, multo magis ſolliciti extiterunt de nos inſtigando etiam importune; ut quam citius ad dictam electionem, ſi facta non eſt, procederemus, aut factam publicaremus. Ad quam etiam nos inſtigare non ceſſant, jam factam ignorantes, & factam publicari cupientes: pro qua etiam nobis plus ſolito ſupplicarunt.

Nos igitur præmiſſa attendentes, & quod B dicti duo de papatu contendentes OTHO & ÆGIDIUS ad pacem Eccleſiæ dandam deſideratam diutius venire minime curant, ſuper quo jam per tres annos & ultra eos expectavimus; ſed negligunt & malitioſe differunt, ſic cauſam Dei ſine remedio dimittentes, intentioni noſtræ ſinceræ jam data repulſa; quodque dictæ noſtræ electionis ſilentium Eccleſiæ matri noſtræ catholicæ nec prodeſt amplius, cum propter hoc ſchimatici & hæretici ab ipſius Eccleſiæ damnoſa & ſæva proſecutione notoria non deſiſtant, ſæpe & ſæpius repetita: quinimmo C noſtram electionem jam factam neſcientes & futuram dubitantes, morte aut perſonali captione & detentione, ne eligere poſſimus, prævenire conantur, & ſuperbia repetita plus ſolito proſequuntur, & amplius proſequi moliuntur, juxta illud: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*; Sancti Spiritus gratia, qua Eccleſia militans regitur, recepta pro vexillo, ſub cujus protectione & ſalva gardia ſpeciali nos & Dei Eccleſiam catholicam ſupponimus, qui ut firD miter credimus fragilitatem noſtram & defectus ſupplebit, maxime quantum ad ea quæ ulteriori indigebunt probatione, precibus catholicorum inclinati, quidquid de perſona noſtra contingat, quas in hac parte ad nunc juſtas & ab eodem Spiritu-ſancto procedere reputamus, eorumque voto & devotioni annuentes, quod & quam in Domino multipliciter commendamus, ab onere quod ex debito noſtri cardinalatus officii nobis incumbere confitemur, liberantes, exitus aquarum oculorum, & gemitus E ſacro ſanctæ ipſius Eccleſiæ matris noſtræ catholicæ continuos advertentes, ipſam de paſtore canonico dudum deſolatam conſolantes, reintegrantes, & reformantes quatenus in nobis eſt & ad nos pertinere dignoſcitur, vobis ſereniſſimo Principi prædicto, ceteriſque univerſis & ſingulis in Chriſto fidelibus volumus eſſe notum, & notificamus, & publicamus per præſentes, quod illud quod ipſi veri fideles & catholici & vos à nobis cum tanta inſtantia petierunt & F petunt, petiiſtis & petitis, factum eſt, videlicet quod vacante Eccleſia ſeu ſede apoſtolica per obitum ſanctæ memoriæ dicti domini BENEDICTI XIII. non obſtantibus in Piſis & Conſtantia temere geſtis, attentatis, & ſubſequutis exinde intruſionibus, & aliis ſcandalis ipſo jure nullis, & à canone & cum decreto caſſatis & annullatis, ſcilicet dictorum OTHONIS & ÆGIDII, quos inter antichriſtos nec dubium computamus, & invaſores ſedis apoſtolicæ & totius chriſtianitatis

christianitatis destructores æstimamus, & qui ex præmissis jam tales patent inter peritos, determinatione ipsius sacro sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ in omnibus semper salva, cui nos & facta & dicta nostra subjicimus & submittimus, fidem ipsius Ecclesiæ & doctrinam in omnibus & semper nostræ opinioni præferentes, Nos pro nobis & vice & nomine totius sacri collegii & dominorum sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, eligimus in summum Romanum pontificem, papam verum, & sanctum Christi vicarium, in terris videlicet dominum BENEDICTUM XIIII. papam hodiernum anno, mense, die, loco, & regnantibus in instrumento publico de dicta electione manu notarii publici confecto latius contentis & expressatis, & ex causis & rationibus jam superius liquidissime deductis, & in eodem instrumento & facto in terminis supra inserto jam expressis, ex quibus de justitia & sinceritate nostræ prædictæ electionis jam limpidissime peritis liquet, & aliis cum caritate & humilitate veritatem quærentibus clarere potest & poterit quibuscumque in scripturis sanctis & canonicis.

O Serenissimi reges & principes, vosque serenissimi principes, & ceteri domini & fratres carissimi, veram Ecclesiam & verum Christi vicarium cum mansuetudine & humilitate requiramus, bene tamen intellectis & non in falsa glossa, vel doctorum aliquorum particularibus opinionibus, seu sophismatibus aut terminorum intricationibus communiter per sanctos doctores reprobatis; quia scriptum est: Proteges eos à contradictione linguarum. Super quo Augustinus: Contradicunt linguæ multæ diversis hæresibus, diversa schismata personant, multæ linguæ contradicunt veritatis doctrinæ. Recurramus igitur ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam teneamus, & ejus veram, sanam & communem doctrinam, à regulis veritatis & sacris canonibus non discedamus, & protegamur in tabernaculo à contradictione linguarum. Nam non ob aliud hæretici sunt qui scripturas catholicas legunt, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt & defendunt; sed cadunt in meridie quasi in media nocte. Hoc omnium hæreticorum est, quod veritatem manifestissimam in luce omnium gentium constitutam videre non possunt. Sed nec terreantur catholici, quia pauci sunt respectu adversariorum qui multi sunt. Dominus enim in Evangelio dicit: *multi sunt vocati, pauci vero electi*. Et in Exodo: *non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum adquiescas sententiæ, ut à vero devies*. Unde in Ecclesiastico legitur: *non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium*. Et sequitur: *ne jocunderis in filiis impiis, si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei cum illis. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in laboribus illorum: melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii.*

Item, schismatici & hæretici nec sua multitudine glorientur, catholicos quia pauci sunt deridentes, nec ex sua multitudine sibi auctoritatem usurpent; multo quippe plures cum Mahometo sunt, & cum antichristo erunt, quam cum Christo & Ecclesia nunc sunt seu erunt eo tempore. Sed numquam ex hoc dimittere debemus Christum & sequi Machometum vel antichristum; & absit hoc à nobis & cunctis fidelibus. Nam B. Johannes Evangelista in Apocalypsi de fumo abyssi obscuratum dicit solem, non occidisse. Peccata omnium malorum vel superborum quæ passim committuntur per orbem obscurant solem, id est Ecclesiam, & sanctis & justis interdum faciunt obscuritatem; sed lumen eorum extinguere non possunt: quia illis ad malum non adquiescunt. Sed nec hos timet Ecclesia, templum Dei sanctum ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera catholica: quæ contra omnes hæreses pugnans pugnare potest, & expugnari non potest, ut succumbat. Hæreses omnes ex illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de ipsa jam præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua; portæ inferorum non vincunt eam. Ceterum propter persecutiones quas pars nostra patitur, vera Ecclesia, nec desperent catholici, qui eas patiuntur: quoniam in Evangelio dicitur, ut etiam si fieri potest, varient electi. Nempe consueta est Ecclesia catholica tribulationes & persecutiones pati, non solum hodie, sed à juventute sua. Unde Augustinus, Non solum à tempore temporalis præsentiæ Christi & apostolorum ejus, sed ab ipso Abel, quem primum justum impius frater occidit, & deinceps usque hujus sæculi finem inter persecutiones mundi & consolationes Dei peregrinando percurrit Ecclesia. Et ideo dicit: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea*. Ecclesia loquitur de his quæ tolerat & quos tolerat: & tamquam si diceretur, numquid modo solum ex quo vocantur Sancti est Ecclesia in terra? quasi dicat, non. Nam ut B. Augustinus dicit, aliquando in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre malo & perdito Caino; aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis; aliquando in sola domo Noe Ecclesia erat, & pertulit omnes qui diluvio perierunt, & sola arca natavit in fluctibus & evasit ad siccum; aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quanta pertulit ab iniquis novimus; in solo filio fratris sui Loth, & in domo ejus, & in Sodomis Ecclesia erat, & pertulit Sodomorum iniquitates & perversitates, quousque eum Deus de medio eorum liberavit; & cœpit esse in populo Israel Ecclesia, & pertulit Pharaonem & Ægyptianos. Cœpit esse in ipsa Ecclesia, id est in populo Israel numerus sanctorum, ut Moyses & ceteri sancti, & pertulerunt iniquos Judæos populum Israel. Ventum est ad dominum Jesum Christum, prædicatum est Evangelium; non solum illi crediderunt, qui pertinent ad numerum sanctorum, sed & super numerum intraverunt multi inscii, sed plures iniqui, & pertulerunt justi iniquos in Ecclesia, & numquam modo solum, sed ex quo commemoratur; ideo non miretur modo Ecclesia, ut nec miretur quisquam in Ecclesia. Audite, *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea*,

jam modo severius Ecclesia expugnatur, sed non timeat: nam non cessaverunt illi, scilicet quandiu vixerunt expugnando, sed delere non potuerunt. Consoletur ergo Israel, consoletur se ipsam Ecclesia de præteritis exemplis, & dicat, *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea.* Sed à Christo citra fuitne expugnata? etiam sub Herode, sub Nerone, sub Domitiano, sub Trajano, sub Adriano Helio tempore Sixti primi, sub Marco Antonino, sub Severo Augusto, sub Maximiano, sub Decio, sub Valeriano & Galieno, sub Decio juniore, sub Ameliano, sub * Diadeciano & Maximiano, sub Maximiano & Severo, Constantino, Gallerio & Maxentio, sub Constantino, sub Juliano apostata, Valente, Acilla, Zenone, Anastasio, Cosdroe, Macometo, Constante, sive Constantino, Theoderico, Justiniano secundo, Philippo secundo, Leone tertio, Constantino quarto, Leone quarto, Ludovico tertio, à quatuor Berengariis, cum uno Lothario, ab Henrico, Frederico primo, & Frederico secundo, & pluribus aliis imperatoribus & regibus etiam Christianis, Judæis, infidelibus & tyrannis ex chronicis summorum Pontificum & imperatorum, ac plurium regum aliorum satis patet. An autem fuerit expugnata diversis hæresibus & à diversis hæreticis & eorum fautoribus ex eisdem chronicis patet. An autem etiam expugnata fuerit à schismatibus & schismaticis Ecclesia in Cornelio papa per Novatianum, in Damaso I. per Ursinum, in Symmacho per Laurentium, in Bonifacio II. per Dioscorum, in Silverio per Constantinum seu Vigilium, in Formoso per Stephanum I. in Christophoro per Sergium III. in Johanne XII. per Leonem, in Gregorio V. per Johannem XVII. in Leone per Benedictum, in Alexandro II. per Cadulum, in Gregorio VII. per Gibbertum, in Paschali II. per tres Antipapas, in Callixto II. per Burdinum, in Innocentio II. per Petrum Leonis, in Benedicto VIII. per quemdam alium, in Benedicto IX. per episcopum Sabinensem, in Alexandro III. per quatuor Antipapas, in Johanne XXII. per Petrum Rainaldi de Corbario, in Clemente VII. per Bartholomæum Cascavelli, in Benedicto XIII. per antipapas * Urbanum IX. Innocentium VII. Gregorium XII. Alexandrum V. Johannem XXIII. & Othonem de Columna Martinum V. Et post mortem dicti domini Benedicti & nunc per dictos Othonem & Ægidium, & etiam diversis aliis schismatibus & schismaticis pluribus etiam ex chronicis patet, juncta chronica ultimo confecta Episcopi Cluensis nuper vita functi. An autem hodiernis temporibus à Roma, ab Imperatore Sigismundo, & ab omnibus regibus & fere omnibus principibus Christianis, clero & populo mirabiliter deceptis, exceptis paucis electis, patiatur vera Ecclesia & expugnetur. Heu me! plus est experiri quam docere; & an pugna de qua apocha decima septima vigeat in præsenti contra Ecclesiam, videant domini Theologi & qui vacant in prophetiis, & quibus donum eas intelligendi datum est desuper. Quid plus dicamus? Hodie nedum ab Oriente & à Meridie, à Saracenis, à Moreis & Africanis, paganis & infidelibus vexatur & expugnatur Ecclesia: quinimmo ab Aquilone & ab Occidentalibus partibus, ab schismaticis & hæreticis, & ferè undique à tyrannis circumdatur, vexatur, & expugnatur persecutione violenta simul & fraudulenta, de qua aut simili Augustinus ait super Psalmum LIX. dicens, Prima persecutio Ecclesiæ violenta fuit dum proscriptionibus, tormentis, cædibus christiani ad sacrificandum cogerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per hæreticos & falsos fratres agitur. Superest per antichristum ventura, qua nihil est periculosius: quoniam & violenta & fraudulenta erit, vim habebit ex imperio, dolum ex miraculis. Sed numquid propter hoc desperabit Ecclesia? absit. Sed sicut scriptum est, mulier fugit in eremum. Mundum istum non incongrue eremum accipimus, ubi usque in finem Christus Ecclesiam suam gubernat & pascit, in quo ipsa etiam superbos & impios homines tamquam scorpiones, viperas, & omnem virtutem Satanæ per Christi adjutorium calcat & conterit. Unde Augustinus, Navis Petri in altum hujus sæculi natat, ut prætereunte mundo omnes quos suscipit servet illæsos, cujus figuram jam in veteri videamus testamento. Sicut enim Noë in arca, naufragante mundo, quos susceperat cunctos incolumes reddidit: ita & Ecclesia Petri, naufragante sæculo, omnes quos amplectitur reservabit illæsos; & sicut adhuc in transacto diluvio ad arcam Noë columba signum pacis detulit: ita in transacto judicio Christus ad Ecclesiam Petri gaudium pacis defert, quod ipse columba & pax est: quia ut ipse promisit, *Iterum*, inquit, *videbo vos & gaudebit cor vestrum.* Non igitur desperabit Ecclesia, sed dicat: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, sed non potuerunt mihi:* quia expugnaverunt me, exercuerunt me, non oppresserunt, scilicet in totum, valuerunt mihi sicut ignis aurum, non sicut ignis ad fœnum: quia sordem tollit, non in cinerem vertit. Ergo non potuerunt mihi, quia non consensi eis, quia non me fecerunt quales erant ipsi. Super dorsum meum fabricaverunt, fecerunt quod tollerem, non fecerunt ut eis consentirem. Prolongaverunt iniquitatem, longè fecerunt injustitiam suam. Florent illi qui regnant iniqui; & ut sermonem loquamur vulgi, dominantur iniqui, extolluntur in tympos & in calumnias, sed non semper. Sequitur: *Ideo Dominus justus concidet cervices peccatorum: ideo confundantur & revereantur qui oderunt Sion*, id est Ecclesiam veram, qui oderunt eam nolunt observare verbum Dei; *Ideo fient sicut fœnum tectorum.* Advertite, rogamus, extra istam Ecclesiam non est veritas, quisquis autem à ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est ut loquatur falsa, ut ait Augustinus super psalmo LVII. & ibidem potest fieri ut homo vinciatur, non potest fieri ut veritas vinciatur. Ex veritatis ore cognosco Christum ipsam veritatem, ex veritatis ore cognosco Ecclesiam participem veritatis. Nemo mihi falsa loquatur. Sed qui loquuntur falsa currant, cur-

* f. Diocletiano.

* l. Bonifacium IX.

rant ab utero in visceribus Ecclesiæ. Nec igitur nos catholici desperemus, ut Ecclesia mater nostra; toleremus mundum, toleremus tribulationes ipsius, toleremus scandala tentationum, non recedamus à via veritatis, teneamus unitatem Ecclesiæ, teneamus Christum, teneamus caritatem, non divellamur à membris sponsæ ipsius, non divellamur à fide ejus, non divellamur à sacris scripturis, non divellamur propter falsas glossas & opiniones damnatas & reprobatas à sacris canonibus, non divellamur à vera & catholica & sancta doctrina, ut gloriemur in præsentia ipsius; & securi manebimus in eo, modo per fidem, tum per spem, cujus tamen habemus donum Spiritus-sancti. Non divellamur à vera Ecclesia & vero papa propter multitudinem adversariorum; in paucis frequenter est veritas. Errare multorum est. Non intelligis quomodo sit dictum ad non paucos intrare per angustam portam? Etenim electi Dei pauci sunt in comparatione longè plurium, qui cum diabolo puniendi sunt juxta prædicationem tertii angeli, de quo Apoc. 14. cap. Præmissis igitur attentis, & vos illustrissimi reges, serenissimi principes, resumtis viribus, veram Ecclesiam in vero papa, & papam verum in Ecclesia vera perquirite, & per litteratos vestros in scripturis sacris & sanctis canonibus cum humilitate & ferventi caritate, non declinantes ad dextram, neque ad sinistram, & per probos & sanctos viros perquiri facite, libertatem dicendi veritatem in facto & jure peritis concedite: sic quod veritatem dicentes ex hoc non vexentur seu tribulentur in corpore, vel in bonis patrimonialibus vel ecclesiasticis per dictos antipapas, seu eorum sequaces aut fautores. Edicta vestra in contrarium edita tollite. Volentes vobis dicere veritatem patienter audite. Sed & vos fuisse, proh dolor! deceptos à sophistis, & antichristi ministris & præcursoribus cognoscite, sicut & de vobis scriptum videbatur in Apoc. cap. 17. Deus enim dedit & promisit in corda illorum, scilicet regum & principum, de quibus loqnutus est supra, ut faciant quod illi, scilicet regi Romanorum in persecutione Ecclesiæ & Agni, id est Christi, placitum est ut dent, id est accommodent regnum suum, id est regiam potestatem, sive brachium sæculare, pro dicta persecutione facienda & complenda: quatenus in eis est, vestræ scilicet, regi Romanorum & regno, quod bestia quarta dicitur in Daniele, donec consumantur verba Dei, & compleantur prophetiæ super hoc editæ per sanctos Domini prophetas prophetantes verba Dei. Post quam deceptionem cognitam facite, sicut & de vobis scriptum ibidem videtur, dum dicitur: Hi, scilicet reges, de quibus supra loquutus est, cognita veritate odient fornicariam, id est falsam ecclesiam, de qua in psalmo: *Odivi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo*; & desolatam facient illam, ab illa animo & corpore recedendo, & nudam facient illam, scilicet omnem obedientiam eidem subtrahendo, ad veram Ecclesiam & verum papam redeuntes, & carnes ejus manducabunt, scilicet rapinas suas & divitias simoniace acqui-

A sitas, & alia illicitè eidem auferendo, & ipsam concremabunt in igne, id est penitus ipsam annihilabunt, diversis pœnis eam affligentes, & implete quod scribitur in Psalmo 2. Et nunc reges intelligite, scilicet veritatem in facto Ecclesiæ, & erudimini, id est erudiri vos sinite, & procurate, & juxta doctrinam veram, quam repereritis, ut vere eruditi agite qui judicatis terram, scilicet in temporalibus, in regnis vestris. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore; scilicet ne puniat vos æternaliter Deus, B & forsan temporaliter pro inobedientia, & rebellione, & persecutione præstitis contra Ecclesiam veram inadvertenter, & verum Christi vicarium pro ceteris peccatis per vos commissis; apprehendite disciplinam, id est facite dignos fructus pœnitentiæ, scilicet pro dictis peccatis, & aliis per vos commissis, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via justa, scilicet jam per vos deceptos obmissa. Quid ultra? Si in præmissis dubitaveritis concilium generale, seu Ecclesiam convocari, congregari universalem C & celebrari procurate per illum seu illos ad quem seu ad quos pertinebit convocatio concilii. Discutiatur ibi canonicè an apud illum Othonem vel Ægidium, aut apud electum nostrum Ecclesia vera sit, & quis eorum verus papa est. Electus noster de jure suo confidit, ut credimus, convocare concilium præsto est, si requiratur. Vos etiam, ceteri ecclesiastici, & alii Ecclesiæ filii boni, amate tantam matrem, sic sæpius expugnatam, desolatam, & tribulatam. D Filii boni, nolite deserere quotidie vos requirentem. Rependite vitam, & ex quo in tanta tribulatione sexta tuba jam terrenis dedita, ferè postposita omni regulari disciplina, qui habet aures audiendi audiat, matrem nostram Ecclesiam veram sic vexatam, sic tribulatam in tanta tribulatione, in qua diabolus sævit ut leo, & decipit occulte ut draco, & insidiatur, desinit consolari de prædicatione communi, de quibus non est quæstio contenta, merito faciens locum septimæ tubæ, quæ videtur pertinere ad electos E & fideles catholicos nostri temporis, in quibus nunc restat & residet Ecclesia vera. Vos filii boni, ad hoc à Deo reservati, electi, fideles & catholici matrem vestram amate. Considerate, tanta est, talis est, à quo fine data est & super quo fundamento; clangite, buccinate, & ipsam desolatam confortate. Apprehendite manum ejus dextram, à leone pariter & dracone ipsam præservate, totis viribus ipsam defendite. Regia prole fœcunda est, non eam patiamini aut filiorum malorum, hæreticorum & schismaticorum, F aut pessimorum servorum injuriis affici, aut insidiis lacerari seu macerari, neque à virginitate sua deflorari. Pia regina est, virgo est, munda est, quæ non recipit maculam, neque rugam. Agite causas matris nostræ, exercete ejus amplissimam dignitatem; decepti qui à vera Ecclesia discesserunt, ad ipsam revertantur, quæ non claudit gremium redeuntibus. Servus malus non insultet dominæ. Hæretici & schismatici, & dictus Otho & Ægidius & eorum sequaces non insultent Ecclesiæ. Lupi sunt & fures sunt,

agnoscite. Serpentes sunt, eorum capita conquassate & dicite arguendo, reprehendendo in vestris prædicationibus, quare fremuerunt gentes & quare meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Et facite quod sequitur, Dirumpamus vincula eorum, scilicet ipsos pœnitentes absolvendo, & projiciamus à nobis jugum ipsorum, scilicet per modum præmissum, quoad pœnitentes. Contra autem impœnitentes: Qui habitat in cœlis, &c. usque ad versum: Et nunc, reges, intelligite. Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum. Nec quovis modo de Christi adjutorio desperetis, de cujus agitur causa: quia scriptum de his persecutoribus videtur: hi cum Agno, id est Christo in persona sui vicarii eum sequentes pugnabunt, & Agnus eos vincet, quoniam dominus dominorum est, & rex regum; & qui cum illo sunt vocati & electi & fideles. Qui potest capere capiat. Quod nobis & vobis concedat & breviter videre faciat ipse Dominus JESUS-CHRISTUS, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus benedictus, Amen. Datum sub sigillo nostro parvo in absentia majoris die vigesima mensis Januarii, anno à nativitate ejusdem Domini MCCCCXXIX. & à dicta nostra electione anno quarto.

LITTERÆ JOHANNIS COMITIS FUXENSIS.

Ad dominum d'Audous & Nicolaum de Bologne.

Ut ad Podium Laurentii se transferant, & Carrerium cardinalem apprehensum tradant summo pontifici.

Anno 1432. *Ex archivio Fuxensi.*

JOHAN Comte de Foix & de Begore Loctenen general per lo Rey nostre Sire en son pais de Languedoc & du gat de Guiayne, à nostres ben amats lo senhor d'Audause & Nicolas de Bolonhe, Saluts.

Comme il soit notoire à toute la chretienté, qu'il est advenu de grands dommages & inconveniens à l'eglise universelle, & ce par les divisions & schismes qui ont esté au temps passé & ont duré long-temps; & depuis par ordonnance du Concile celebré en la ville de Constance, lesdits schismes & division ayent finy, & fait un pape unique, auquel tous chrétiens, prelats, gens d'eglise, ont esté, sont, & doivent estre obéissants; & nonobstant l'ordonnance de l'eglise & dudit Concile universel, un nommé Carriere, qui auparavant & aprés ledit Concile de Constance tenoit & favorisoit ledit schisme, & se disoit estre cardinal au grand scandale de l'eglise; & pour continuer ledit schisme secretement & en habit deguisé, se feroit naguieres transporté en certains endroits suspects, & portés à rompre l'union susdite, & auroit esté trouvé sous ledit habit, & prins, & arresté par quelques bons & fidels catholiques, au grand bien de l'eglise universelle, & de la susdite union. Pour ce est-il, que nous, qui de tout nostre pouvoir au temps passé, avons esté attachez au bien & union susdites, & y sommes encore attachez comme bon & fidel catholique, desirans que semblables schismatiques & contraires à l'union de l'eglise, soient reduits à bonne vie: vous mandons, & à chacun de vous, de par nostre Sire & nous, que d'effet, vûës les presentes, vous vous transportiez au lieu de Picglaurens, & en d'autres parts où besoing sera, & preniez ledit Carrier, & l'ayant pris l'ameniez devers nous pour le rendre à nostre seigneur le pape, & à l'eglise, pour en faire ce que par raison nostredit seigneur le pape en devra faire. De ce faire vous donnons plain pouvoir & mandement special. Mandons pareillement de par nostredit Sire & nous aux Senechauxs de Thoulouse, Carcassonne, & Beaucaire, Viguiers & Juges desdits lieux, & à tous autres Justiciers, officiers, & sujets de nostredit Sire, à peine de tant qu'ils peuvent mesfaire envers nostredit Sire, & d'estre fauteurs dudit Carrier, & des autres qui sont en sa compagnie, ils vous donnent conseil, faveur, & ayde, si besoin est, & qu'ils en soint requis, ils vous fassent compagnie de leurs personnes, & vous baillent conducteurs asseurez; & leur mandons en outre, & vous donnons pouvoir, que de la part de nostredit Sire, vous puissiez demander sous les grandes peines ou autrement, comme bon vous semblera, aux susdites ou autres qui que ce soint, qu'ils vous ayent à accompagner, & ouvrir les lieux & forteresses par où vous passerez, & vous donner des gens pour vous conduire & vous obeir en toutes choses susdites. Données à Maseres le XIV. jour de Fevrier l'an MCCCCXXXII.

Par Monseigneur le Comte & Lieutenant,
Jean DE CARRESSA.

LITTERÆ CAROLI VII. REGIS FRANCORUM.

De præstanda Eugenio papæ IV. obedientia.

Anno 1440. *Ex archivio episcopi Biterrensis.*

CHARLES par la grace de Dieu, Roy de France, à tous ceux qui ces presentes Lettres verront, Salut. Comme en ensuivant nos predecesseurs tres catoliques, qui toudis les scismes de l'eglise ont eu en tres grande déplaisance, & de leur force & puissance ont labouré & procuré à les extirper, oster & tollir. Nous ayans de tout nostre cuer tres grande douleur de ce present scisme nagaires mis en l'eglise, eussions mandez les prelats, chapitres, universitez, gens d'eglise, & autres notables personnes, clers bien experts de nostre royaulme & Daulphiné, assembler en nostre ville de Bourges pour trouver maniere dudit scisme pacifier & oster de nostre puissance, & avoir conseil & avis avec eux sur ce que avons à faire sur la matiere dudit scisme, à laquelle assemblée soint convenus en bien grand nombre, & aussi

les ambaſſadeurs de noſtre S. Pere le pape Eugene & ceux de Bâle & autres adjoints avec eux, leſquels ambaſſadeurs tant d'une part que d'autre nous ont requis eſtre ouis, auxquels en obtemperant à leur requeſte, nous avons donnez audience ſucceſſivement les uns aprés les autres, & ouy bien au long en la preſence de pluſieurs ſeigneurs de noſtre ſang & lignage, & ceux de noſtre grand conſeil & deſdits prelats, chapitres, univerſitez, & autres perſonnes notables pour ce aſſemblez en noſtredite ville; & aprés ce que les avons ouy bien au long à tout ce qu'ils ont voulu dire d'une part & d'autre pardevant nous, avons par pluſieurs & diverſes journées en conſeil & avis avec ceux de noſtredit ſang, ceux de noſtredit grand conſeil & autres deſſuſdits ſur leſdites matieres, & la choſe longuement debattuë, n'a ſemblé à nous ne aux deſſuſdits que par choſe qui ayt eſté dite, ayent eſté alleguées raiſons ſouffiſants, par quoy duſſions adherer à la ſuſpenſion, depoſition, privation & election faite à l'encontre de noſtredit ſaint pere le pape Eugene, ne nous departir de ſon obéiſſance; leſquelles choſes attenduës & conſiderées ſçavoir faiſons, que noſtre intention eſt de perſiſter en la bonne & vraye obéiſſance d'iceluy noſtre ſaint pere le pape Eugene, & voulons que noſtredite intention ſoit publiée & denontiée à tous nos ſugiez, en deffendant que nul ne ſoit ſy hardy de dogmatizer ou de precher contre noſtredit entention; & que à lettres de quelconque que ce ſoit, intitulée de quelconque ſoy-diſant, avoir droit au papat ne d'autres quelconques ſous tiltre de conſeil de Baſle, ne ſoit obéy en nos royaulme & Dauphiné, voulans que laucuns en uſent ou publient, que les uſans ou publians avecques leurs lettres ſoint prins & punis ſelon que le cas le requiert: & entendons requerir noſtredit S. Pere, qu'il veuille aſſembler & celebrer concile general dedans un an, & procurer devers les autres roys & princes nos aliez & bienveillans; que pareillement requierent noſtredit S. Pere pour la celebration dudit concile general pour l'appaiſement des opinions diverſes eſtans es matieres deſſuſdites, ſur leſquelles avons toûjours eſtez, ſommes & ſerons preſts d'obéir à toute verité catolique. Si donnons en mandement par ces preſentes à nos amez & feaulx conſeillers, les gens de noſtre parlement, au prevoſt de Paris, à tous nos ſenechaux & baillis, & autres nos juſticiers & officiers de noſdits royaulme & Dauphiné & obéiſſance; que noſdites volonté, entention & declaration faſſent tenir & garder ſans enfraindre, & publient & faſſent publier par tous les lieux de noſdits royaulme & Dauphiné, ou métier ſera ces preſentes, au *vidimus* deſquelles fait ſous ſeel royal ou autentique, voulons plaine foy eſtre ajoûtée comme à ce preſent original: en temoint de ce nous avons fait mettre à ces preſentes noſtre ſeel ordonné en l'abſence du grand. Donné à Bourges le 2. jour du mois de Septembre l'an de grace 1440. & de noſtre regne le dix-huitiéme.

EPISTOLA UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS.

Ad Pariſienſem.


Conſulunt Univerſitatem Pariſienſem de præſtanda Nicolao V. papæ obedientia.

EXimii præſtantiſſimique patres, doctores & magiſtri, præceptores noſtri, domini, amici & fratres in Domino Jeſu colendiſſimi, divinæ & humanæ ſapientiæ eruditi. Litteris illud imitandum ſtatuimus, ut majorum in omnibus ſequamur veſtigia, ſic quod verum ſcire cupiamus, ut uniuſcujuſque prudentia efficiamur doctores. Equidem tria eſſe genera hominum veterum traditione præclarum eſt, meique optimi illum eſſe aiunt, qui per ſe ipſum quæ agenda ſunt conſpicatur, ſequenti autem gradu qui aliorum conſilia ſequitur, qui vero ad neutrum horum aptus eſt, eum penitus eſſe inutilem; atque ideo ſi nobis fortaſſe deſit perſpicacia videndi quod rectum eſt, illud etiam volumus deeſſe, ut aliorum monitis & doctrinis non adquieſcamus. Verum quia eam rem agimus, in qua non quod potentes ſæculi ſeu imperitum vulgus utrumque ſequatur approbandum arbitramur, ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quo quaque eundum eſt, ſed quo itur, quærimus tantum quid optime factum eſt, non quid uſitatiſſimum, & quod nos in hac infauſta diviſione ſanctæ Eccleſiæ in agnitione tentioneque veri conſtituat. Quo pacto vos viros & patres præcipuos, doctores, & magiſtros, quorum graviſſimum & integerrimum eſt judicium, convenire merito inſtituimus, ad quos à priſcis patribus veracium ſcripturarum auctoritas & intelligentia certiſſima ſucceſſione pervenerunt, ad profecto ſacram Univerſitatem tamquam ceterarum Univerſitatum matrem, & ſi cunctis veritatis auctoribus generali quadam ratione poſſit eſſe refugium, nobis id ſpeciali conſideratione convenit, quoniam ut apoſtolicæ ſedis atteſtantur privilegia, ſtudium ſacræ paginæ Univerſitati noſtræ ad inſtantiam ſereniſſimi & celebris memoriæ principis, domini Wladiſlai regni Poloniæ eſt conceſſum, ut quemadmodum rivus à fonte ab Univerſitate veſtra noſtra videatur emanaſſe. Atque ideo audire viſceroſius dignetur nos ſacra concio veſtra, & quod juſte obtinere cupimus, gratioſe concedat. Superioribus quippe temporibus poſtquam concilium in civitate Baſileenſi pro extirpatione ſchiſmatis & reformatione Eccleſiæ in capite & in membris congregatum fuiſſet, nulluſque ambigeret de auctoritate illius, quam conſtaret ad ipſius legitimam congregationem concilii Conſtantienſis & duorum ſummorum pontificum, videlicet Martini & Eugenii auctoritatem acceſſiſſe, furore diviſionis inſtigante, ne unitas & reformatio diutius jam expectatæ in Dei eccleſia ſubſequerentur, gravis inter concilium & ſum-

Anno 1448. Ex mſ. Coiſliniano.

mum pontificem mox oborta est divisio; interea accedentibus ad regnum hoc sacri concilii oratoribus, requisiti fuimus sub debito professionis nostræ ut veritatem, quam ex scripturis divinis & canonicis super hujuscemodi differentia sentiremus, verbo profiteremur & scripto. Fecimus debitum nostrum, & innixi scripturæ sacræ auctoritate, imitati doctorum approbatorum sententias, scripsimus sub correctione ecclesiæ & apostolicæ sedis concilium Basileense prædictum fuisse legitime congregatum, atque illud & quodlibet aliud generale repræsentare ecclesiam catholicam militantem, & habere potestatem immediate à Christo, etiam super papam in hiis quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris, & potuisse causa extante legitima deponere papam & alium instituere, cui ab omnibus veluti vicario JESU-CHRISTI esset obediendum. Hoc quoque hic ad custodiam fidei inter hæreticos & schismaticos positi docuimus hactenus, omnibusque respondimus petentibus de ea quæ in nobis est fide rationem. Temporis successu, dum à serenissimo principe Kasimiro rege moderno domino nostro gloriosissimo data fuisset obedientia domino THOMÆ de Sarsona, quem NICOLAUM papam vocant, venit ad regnum hoc Reverendus pater dominus BAPTISTA DE ROMA episcopus Camerinensis tamquam nuncius apostolicus, etiam cum potestate legati de latere ad regiam majestatem missus. Recipere eum tamquam veri papæ legatum recusavimus, ne contrarii haberemur doctrinæ & scripturæ nostris prædictis, magno profecto cum scandalo populi, cum magna etiam infamia nominis nostri, cum offensa quoque nostrarum conscientiarum, ex quo non videremus scripturas magis efficaces, aut rationes valentiores contrarium concludentes. Arguimur ob eam rem temeritatis magnæ, contemtores summi pontificis dicimur, & conschismatici coram regia majestate per legatum illum criminamur, qui etiam demum ut pellamur de sedibus nostris, aut exsolvamus debitas pænas graviter instat. Respondimus mansuete ad singula, prout ratio exigebat, nulla nos ratione à veritate, quam professi fuimus, discedere velle aut posse, constanter protestantes nisi aliud nobis ex scripturis probabilius ostendatur. Terrores, comminationes & alia plura quæ intervenerunt missa facimus. Ad illud quod urget, & quod menti nostræ præcipuum est narrandum acceleramus. Postquam enim inter alternos sermones prædictus legatus ad rebellandum intentionem „ nostram talibus verbis inter alia uteretur; „ omnes Christianitatis reges dederunt jam obedien- „ tiam sanctissimo domino nostro NICOLAO papæ, „ sed & Universitates omnes pro ipso etiam se declaraverunt,& complures enumerans,Universitatis vestræ almæ Parisiensis inter illas etiam memoratus est. Nos propter hujuscemodi verba coram regia potestate precati sumus attentius dari nobis inducias, quibus Universitatem vestram veluti principem & matrem nostram super ea re possemus consulere. Semper enim inter loquendum protestati sumus nihil nos pertinaciter asserere, sed quod omnia sub correctione magis peritorum poneremus, parati semper illud complecti, non quod vulgus conclamitat, sed quod sapientium judicio comprobatur. Placuit sane multis ejusmodi oblatio nostra, sed resistente dicto legato, nihilominus per regem & regni proceres conclusum extitit, ut super his quæ taliter nobiscum & per nos agitata dictaque fuerunt, per dictum legatum, qui ad Urbem proficisceret informaretur Nicolaus papa;& demum quicquid de nobis ipse decerneret rex exequeretur. Inter hæc itaque pericula constituti, quo nobis opportune consulamus, fulciamurque præsidio, directione, & auxiliis vestris, dignum rati sumus refugere ad sacram Universitatem vestram, vosque patres, majores & seniores nostros per viscera miserentis Dei & salvatoris nostri petimus, precamur & obsecramus, ferte opem nobis, nostras levate curas, præscindite laborem, & periculum submovete. Scribite, quæsumus, si ita res se habeat, quemadmodum hic de vobis dictus legatus testatus est Et si ita quidem, quid vos ad id permoverit, ut & nos illis intellectis, sequamur quod solidius est, & apud eos quos docuimus merito simus excusati. Fieri enim potest quod plura quæ ad rem hanc scitis nos ignoremus. Quod si relationi prædicti legati veritas non assistat, quemadmodum vehementer præsumimus, & magna nobis fiducia persuademus, & illud potius scribite pro magno profecto adjumento & fulcimento nostro. Ex hoc enim intelliget rex noster rem aliter se habuisse,quam sibi fuerat illa narratione suggestum. Sub hac quoque habitudine si & præmemorato domino regi nostro pariformiter scribere dignum duxeritis. Si quoque efficiente virtute vestra, christianissimus princeps dominus rex Franciæ in favorem nostrum aliquid scribere dignabitur, eidem domino regi nostro, super opes Crœsi illud computaremus, & suæ strenuitatis ad sidera semper attolleremus nomen. Et ut finem faciamus, iterum & iterum petimus, favete votis nostris, non redeat vacuus nuncius iste noster,nec repellere preces nostras duxeritis, pro quibus Christus dominus mori dignatus est. Datum Cracoviæ XVI. die mensis Julii anno Domini MCCCCXLVIII.

Rector, magistri & doctores Universitatis studii Cracoviensis.



ORATIO GUILLELMI DE PERRERIIS
IN ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS.

Ex ms. RR. PP. Cœlestinorum Metensium.

Sermo habitus Romæ in basilica principis Apostolorum per reverendum patrem dominum Guillelmum de Perreriis auditorem apostolicum super electione futuri pontificis anno MCCCCLXXXIIII. die Jovis XXVI. Augusti.

QUoniam miserandam ecclesiæ Romanæ calamitatem & infinita christianæ reli- Anno 1484

gionis pericula, reverendissimi patres, cunctorum fidelium corda cognoscunt: eo magis vobis annitendum & summopere laborandum est, ut puris mentibus & recto judicio dignus eligatur antistes. Nam etsi universi sanctæ matris Ecclesiæ filii maternis necessitatibus occurrere debeant, vos tamen præcipue, qui gradum excelsum in ejus gremio tenetis, constanter & celeriter de optimo sibi debetis providere pastore. In cunctis namque Dei sacerdotibus eligendis curam semper oportet esse conspicuam. Ad summum tamen pontificatum talis ac tantus, hac præcipue necessitatis tempestate provehendus est, cui tuto periclitantis Ecclesiæ gubernacula committantur. Nam ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, magno gubernatore ac peritissimo opus est. Non tranquillo certe mari navigavimus, sed multis adversitatum procellis submersi pene sumus. Idcirco magis evigilandum est. In domo Domini, id est sancta Ecclesia nihil corruptum, nihil præposterum esse debet. Sed attente prospiciendum est, ut in electione illius qui super omnes gradus constituitur, nullatenus erretur. Nam, affirmante B. Leone, *totius familiæ Domini status & ordo mutabitur, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.* Pensandum est itaque diligenter, ac pia cogitatione mentibus vestris revolvendum est, quantum Ecclesiæ & universæ Christianæ religioni detrimentum sit, parum bonum, aut inutilem, vel aliter quam decet habere pastorem.

In Romano pontifice magna exiguntur merita cum vita, quia dum honor vitia remunerat, omnis pervertitur Ecclesiæ majestas. Ait enim B. Leo: *principatus quem aut seditio extorsit aut ambitus occupaverit, etiamsi moribus atque artibus non offenderit, ipsius tamen initii sui perniciosus est exemplo, & difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Vulnerato pastore,* ut B. Gregorius inquit, *quis curandis ovibus adhibebit medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tuebitur, qui jaculis hostium sese feriendum exponit? aut qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix inficitur? Major ergo tunc est metuenda calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis iracundiam in se provocent, quam per semetipsos placare debuerant.* Imminentem militantis Ecclesiæ ruinam contemplari debetis. Diutius Theucrorum rabies religionem nostram continua persecutione devastat, & singularis ferus depascit Ecclesiam, hostilibus gladiis christianus sanguis effunditur: augentur morbi, & medicina nulla paratur. Ecclesia quæ olim inter omnes orbis nationes gloriosissima fuit, nunc ignominiâ plena est, & inter hostiles incursus humiliata conculcatur. Facta est vidua non habens consolatorem. Christianorum principum videtur esse destituta præsidiis, sacerdotum denudata consilio, vitiorum insurgentium sordibus contaminata, ab adjutore Deo dicitur esse deserta: & quæ virtutum claritate & sanctorum suffragiis redundare consueverat, nunc squallida sedet inter malorum angustias, & procellis magis ac magis intumescentibus, sagena summi piscatoris pene cogitur in naufragii profunda submergi. Et vere Romana Ecclesia princeps olim provinciarum facta est sub tributo peccantium. Nam laïcis pariter & hostibus propter demerita facinorum nostrorum adversus nos insurgentibus, sacerdotium sub miserabili quadam servitute redactum est: & multi sæcularium hominum cùm plus vitam sacerdotum quàm suam discutiunt, in magnum divinorum sacramentorum contemtum incurrunt, & libertatem ecclesiæ penitus abolere moliuntur. Hæc omnia in præsidentium culpam atque desidiam retorquentur. Omnes quæ sua sunt quærunt & nemo quæ Jesu-Christi: & cum nullus se opponat murum & antemurale pro domo Domini, omnis Ecclesiæ libertas enervatur, & Ecclesia Dei rursum peccatis nostris exigentibus captiva reducitur in Babilonem. Omnes amici ejus spreverunt eam, & propter ministrorum defectum ab interi s & exterius oppressa conculcatur. Omnes portæ ejus, ac veri sensus vagi & dissipati sunt, & mors intrat per eas, dum per malam præsidentium vitam inferiorum corda vulnerantur. Unde, inquit B. Gregorius, scire prælati debent, quia si perversa *umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Litterarum scientia ab omni fere sacerdotio rejicitur, & ideo squallet fidelium caritas. Et gemit regale sacerdotium, dum pro virtutibus replemur amaritudinibus vitiorum, nec ab his angustiis eripitur: quoniam aurum ejus optimum obscuratum est, & inter infinitas sæculi vanitates color sanctitatis evanuit, subsequentibusque iniquitatum tenebris, justitiæ lumen extinctum est, & dum christianitas intra se populorum & hominum furore collisa viribus suis concutitur, ecclesia minutatim per frusta discerpitur, & vineam domini Sabaoth vulpes quæ ab oriente procedunt dietim exterminant. Nam cum inimici nostræ fidei cunctum pene orbem subjectum teneant, extrema pars occidui nobis miseris relicta est. Eia ergo, reverendissimi Patres, propensius attendere dignemini in quantas miserias sumus præcipitati, in quanta necessitate Romana versatur Ecclesia, quæ super electione pontificis fidem à vobis exposcit. Attendite quantum & quam arduum vobis onus incumbit, cum de creatione vicarii Jesu-Christi agitur, qui successor est Petri, & summus gregis dominici ac totius Ecclesiæ rector: quem scitis non solum vestrûm, & hujus sedis apostolicæ, sed omnium ecclesiarum atque pontificum esse primatem. Omni itaque privatæ affectionis inordinatione remota, misereamini omnium fidelium & Ecclesiæ collabentis, & sola utilitate publica mature pensata, puris ac liberis mentibus, nuda & integra conscientia, talem studeatis pontificem eligere, qui habeat Spiritum Dei in semetipso, & qui omnes actus vitæ suæ didicerit in timore Domini dirigere, per quem misericors Deus in diebus nostris expugnet impugnantes nos, muniat fidem nostram, multiplicet devotionem, indicet bellum vitiis & pacem virtutibus. Nam,

ut ait B. Gregorius, *in eligendi pontificis causa nullus vestrum, utilitate communi neglecta, suo lucro prospiciat, ne si quisquam prospera commoda appetat, frivola æstimatione fallatur: quia nec in libero judicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat.* Tanto igitur nunc à vobis subtiliter antequam eligatur discutiendus est, quanto postmodum à vobis non erit judicandus, sed ipse cunctos judicabit: nec illi vos legem imponere poteritis, quem timor Dei & recta conscientia à malis operibus non revocabunt. Ille namque pontifex eligendus est, qui, ut ait B. Hieronymus, *sit ex omnibus præstantior, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute sit eminentior*, qui testimonium bonæ vitæ habeat ab iis qui foris sunt, qui non ambulet in magnis neque in mirabilibus super se, qui modestiam servet in honore tam sublimi, qui Ecclesiam in manibus laïcorum prostituendam non exponat, qui sentiat impositum sibi ministerium, non datum dominium. Discat sese ex ore prophetico non tam ad impetrandum, quam ad fatigandum assumtum. Discat opus esse sarculo, non sceptro; pace non bello, virga correctionis non gladio perditionis. Quoniam si verus Petri successor esse velit, curam potius hæreditabit quàm gloriam & divitias. Nam eum, qui hæreditatem Christi gubernandam accepit, non convenit torpere otio, non resolvi divitiis, non pompis, non vanitatibus insistere; quia nihil horum tabulæ testatoris assignant. Non blandiatur sibi eminentia cathedræ quæ plena est laboris & vigiliarum. Nam idcirco Romanus pontifex in eminentiori loco super omnes constituitur, ut inde prospiciat universa, & speculetur ad sollicitudinem omnium ecclesiarum. Hostiles incursus prævideat, ad gregis sibi commissi custodiam, cleros ac populos non recte viventes, velut oves errantes corripiat. Potentatus sæculi Ecclesiæ libertatem opprimentes reprimat, & pastorali auctoritate coerceat. Inde clamet sine fine, sine timore, & velut tuba evangelica pro lege Domini vocem suam in omnem terram exaltet, & canonum censuram dum opus fuerit exerceat. Inde legatos ad gentes & regna suggerenti necessitate transmittat, qui sedis apostolicæ vices impleant: qui ab eo bonis exemplis & virtutibus instructi, non quæstuosis facultatibus suffarcinati egrediantur, qui ad extirpandum vitia, non ad seminandum scandala proficiscantur. Erit, inquam, talis pontifex qui plus Ecclesiæ prodesse studeat quam præesse. Nam primatum honoris gratia concupiscere vanitas est, & gentilium est talem quærere principatum. Unde bene Chrysostomus ait, principes Ecclesiæ fiunt, ut serviant membris & ministrent eis quæcumque acceperunt à Christo, ut suas voluntates negligant, & illorum procurent, & mori non recusent pro salute filiorum. Primatum ergo Ecclesiæ concupiscere neque justum est, neque utile. Quis enim vult ultro se subjicere servituti ac periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia, nisi fortè qui non timet Dei judicium, abutens primatu ecclesiastico sæculariter, ut illum convertat in sæcularem? Erit præterea qui

A eligetur pontifex justitiæ cultor, & gratiarum cum discretione distributor, pauperibus & oppressis benignus auxiliator. Sit in audientia facilis, & in concedendo non prodigus, sed prudens atque discretus. Non est autem Romano pontifici conveniens, ut de illorum sit numero, de quibus ait Chrysostomus, inter principes ecclesiæ multi sæpius inveniuntur, qui omnes principatus mundi superbia excedere videantur, accessu difficillimi, & qui nullam affabilitatem,
B maximè pauperibus adhibent; sed velut in quodam arrogantiæ culmine positi, nesciunt quicquam inferre aut respondere modestè. Alios ut longè infra se positos velut in ima respiciunt; quibus non consulendo, sed vix dominando loqui dignantur. Familiam quoque modestam & honestam, non inutilem atque profanam Romanus pontifex debet secum habere, non per ambitionem inductam aut per alluvionem aggregatam, sed cum discretione & pro necessitate receptam. Quoniam ad magnam ejus gloriam
C redundat tales circa se jugiter habere, qui Romanæ curiæ sint honestatis speculum & forma virtutum. Unde B. Bernardus ait, inter mitratos non decet discurrere calamistratos. Si bonus erit pontifex ac timens Deum, ardua quæque, ut decet, juxta majorum instituta maturo ac sapienti sacri senatus vestri consilio & assensu tractabit, examinabit atque concludet: alioquin si sine vobis & pro libito disponet universa, ad conclusa vocabimini ut testes, non ut consultatores. Cum bono pontifice simul & jura dignitatis ve-
D stræ vobis restituentur, quæ qualiter amisistis, vos ipsi recogitetis. Ita quoque futuri pontificis incumbet officio, ut quicquid prædecessorum facilitate usquam reprehensioni obnoxium, aut corruptionis vel alienis usurpatione præsumtum invenerit, absque personarum acceptione pastorali studeat gravitate corrigere. Erit ipse verax in sermone & constans in opere. Nam pontificis lingua nullius debet mendacii contaminatione fœdari. Ejus quoque sententia, ut Gregorius inquit, tanta semper debet consilii moderatione concipi, tanta sapientiæ maturitate decoqui, tanta deliberationis gravitate proferri, ut ne-
E cessarium postea non sit, eam cum levitatis nota mutare; persequetur vitia & virtutes augebit. Giesitas ut Elisæus, Symoniacos ut Petrus, fornicantes notorios ut Paulus, quorum opibus ecclesiæ Romanæ laceratur auctoritas, pastorali severitate damnabit. Non ædificabit Sion, id est Ecclesiam in sanguinibus, quam Petrus non per carnem & sanguinem, sed per Patrem cælestem & Filium Dei cognovit. Præterea B. Hieronymus ait, Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem loquutus est Deus, potuit utique succes-
F sores principatus sui filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem. Sed extraneus de alia tribu Jesus erigitur, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. Et subdit: At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium habere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel


pro

pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent muneribus impetrarunt. Non desunt autem plurimi qui ex hoc sedis apostolicæ dignitatem impugnant, dicentes quod Ecclesiæ ædificantur in sanguine, quodque prælati ex sanguine nascuntur, & ex voluntate carnis generant. Sanguis sanguinem invocat, & caro carni indicat malitiam. His detractionibus obstruendis, opus nobis esset tali pontifice, qui ut rex Salem, nec patrem, nec matrem, nec genealogiam haberet, aut B inordinatam carnis affectionem. Felix certè ille pontifex erit, qui insultanti contra debitum caritatis sanguini cum psalmista respondere poterit: quæ utilitas in sanguine meo cum descendero in corruptionem? Si bonus erit pontifex, ad collegium vestrum, quando necessitas exegerit, modo canonico, & determinatis temporibus, viros probos & graves assumet expertos, non probandos merito, non ambitiosos; virtutibus & litteris divites, non qui pecuniarum abundantia glorientur. Alios quoque prælatos C non præcipitanter, sed matura morum & vitæ discussione præmissa promovebit: nec contra doctrinam Apostoli, cito, id est inconsideratè promovendis manum imponet. Romanam curiam facto non inanibus verbis reformare curabit, ut ex ea tantus vanitatis, corruptionis & carnalis immunditiæ fœtor procul abigatur. Nam ex his letale venenum conficitur, quod fidelibus visu vel fama propinatum omnem in eis devotionem religionis extinguit, & ecclesiæ D Romanæ perimit auctoritatem. Paulatim hæc vitia primo per quamdam alluvionem multorum animos occuparunt, & interdum etiam vindicata fuerunt: at nunc illorum contagio velut generalis pestilentia totam curiam invasit, & corrupti mores, quos hæc pessima ac diversa inter se mala luxuria atque avaritia gignunt, curiam ipsam ab omni honestate dispoliarunt: quodque deterius est & magis perniciosum exemplo, inveniuntur multi, quibus non satis est hæc mala impunè perpetrare, nisi etiam velut de pudicitia ceterisque virtutibus subversis trium- E phantes, in malefactis publicè glorientur. Olim dum boni mores in Romana curia colebantur, gradus ad dignitates & honores, non nisi per virtutes & litteras aperiebantur. At nunc postquam inter bonos & malos nullum discrimen est, & omnia virtutis præmia ambitio possidet, ac avaritia cunctas bonas artes subvertit, homines adigunt animum, ut malis artibus ad dignitates ascendant, & talibus doctrinis imbuti ad omnes libidines facile se conferunt: & ne

A mali mercatores fuisse videantur, quod multis nummis emerunt, carius ipsi aliis vendere laborant. Eligatur ergo pontifex qui talia abhorreat, & pastorali sarculo radicem illorum extirpet, ac curiam ita reformet, ut unde quondam sanctæ religionis emanavit auctoritas, inde morum & recte vivendi prodeat disciplina. Ipsam vero curiam inutilium officiorum novitate non angariabit, & quæ sine ratione inducta sunt ac reipublicæ penitus inutilia submovebit. Nam Romanam curiam majores nostri paucis ac manifestis necessariorum officialium taxatis præmiis semper in libertate conservarunt; & sic eam tot tantisque superinductis oneribus nec convenit, nec expedit aggravari, longeque melius ac utilius est, ut onera consueta sponte ferantur, quam si aggravato nimis pondere tota simul sarcinâ deponatur ad terram. Generale concilium velut quamdam immanem belluam bonus pontifex non effugiet, sed convocabit. Nam ad recuperandam ecclesiæ libertatem, hoc unicum salubre remedium nobis relictum est. Quæ enim major esse potest Romano pontifici gloria, quam generali concilio præsidere ad reformandam universalem Ecclesiam? qui autem aliter vivunt & regunt quam honestatis & justitiæ ratio dictat, generalia concilia abhorrere consueverunt.

Superest tandem, reverendissimi patres, ut ego pro temporis qualitate finem dicendi faciam, & vos quæ de optimo pontifice creando audivistis, cooperante Spiritu-sancto opere compleatis, ac electionis sanctæ ministerium, quod apud vos ecclesia Romana deposuit, & reposcenti cum omni fidelitate persolvatis; & postpositis cujuslibet pravitatis studiis obicem Spiritui-sancto non opponatis. Et si forsan aliquis corruptionis spiritus corda vestra tentaverit, eo repulso, magna voce cum Petro clametis, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri*: ut inexpiabili peccato rejecto, ecclesia Dei incontaminata servetur, & vos divinum quod non fallitur judicium ac æternæ damnationis interitum evitetis. Deus autem noster per viscera misericordiæ suæ, sicut facit in sublimibus concordiam, ita vos faciat in bene eligendo sua pietate concordes, ut populus christianus merito gaudere possit, viduatam ecclesiam dignis ac fidelibus ministris fuisse creditam, quorum ministerio sponsum optimum consequatur. Amen.

FINIS.



ROBERTI GILLESBII

MAXIMILIANI ROMANORUM REGIS, ET PHILIPPI AUSTRIÆ ARCHIDUCIS ORATORIS AD SEDEM APOSTOLICAM

ORATIO CORAM SUMMO PONTIFICE DE EPISCOPATU TORNACENSI.

Ex mſ. RR. PP. Cæleſtinorum Metenſium.

Anno 1492



BEATISSIME PATER, sereniſſimus rex Romanorum ſemper auguſtus, ac illuſtriſſimus ejus filius PHILIPPUS archiduces Auſtriæ Burgundiæque duces, &c. domini mei metuendiſſimi, ſe Veſtræ Sanctitati ſanctæque Romanæ Sedi devotiſſimos, deditiſſimoſque commendant, offerentes ſe facultateſque ſuas Veſtræ Sanctitati, cujus diuturnam incolumitatem & felicitatem vehementer affectant. Qui cum negotium ſuum Tornacenſe vehementer cordi habeant, me licet indignum ſervitorem ſuum oratorem cum his litteris ad Veſtram Sanctitatem miſerunt, aliquaque referenda mandata dederunt: quæ cum placuerit Veſtræ Sanctitati, conſiſtorio congregato, referre paratum me offero.

Sacro collegio cardinalium.

Ea ſemper fuit, beatiſſime pater Innocenti pontifex maxime, voſque reverendiſſimi in Chriſto patres, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ digniſſima culmina. Ea, inquam, ſemper fuit ſereniſſimi Romanorum regis ſemper Auguſti MAXIMILIANI, ejuſque illuſtriſſimi filii PHILIPPI archiducum Auſtriæ, ducumque Burgundiæ, &c. dominorum meorum metuendiſſimorum, totiuſque antiquæ Burgundiæ domus erga hanc ſanctam Romanam ſedem, tuamque divinam Sanctitatem præcipuè, conſtans firmaque devotio, & obſervantia, ut cùm mihi humillimo eorum ſervitori ac ſubdito perexiguo aliquid dicendum eſſe juſſerint, quod præfatæ eorum devotioni fortaſſe non convenire videri poſſit, oneroſam atque difficilem humeris meis ſarcinam impoſitam fuiſſe conſpiciam: quippe qui in hoc divino conſpectu veſtro, quem ipſe, ut debeo, omni ſincera devotione & colo & obſervo, ea quæ non omnibus fortaſſe grata ſint futura, nunciare compellar. Det igitur veniam, quæſo, tua clementiſſima Sanctitas, piiſſime pater, veſtræque reverendiſſimi patres humaniſſimæ dominationes ignoſcant, ſi non quæſitum, ſed invito potius impoſitum onus attulerim, quod certe, ſalva fide, ſereniſſimis principibus meis jubentibus, detrectare non potui. Spero quidem cum ipſa mandata æquis mentibus veſtris ſuſcepta fuerint, omnia tam rationi & æquitati conſona fore, ut nulli meritò debeant diſplicere. Cum præſertim devotiſſimi principes hoc unum me præfari, proteſtarique juſſerint, quicquid pro ſuo patriarumque ſuarum jure tutando dici fecerint: ſuam tamen innatam perpetuamque devotionem in ſanctam Romanam ſedem, niſi ab ea coactos, ſe numquam immutaturos: quin immo ſacræ regiæ majeſtati moleſtum eſſe (Filium enim propter imbecillem adhuc ætatem in patre ſemper intelligo) eam ſibi neceſſitatem imponi, ut Tuæ Sanctitati ſe videatur opponere: in qua tamen illam credit eſſe juſtitiam, veramque prudentiam, ut ſe non tam oppoſuiſſe, quam jus ſuum defendiſſe, rebus cognitis, ſit judicatura.

Episcopatum Tornacensem etiam apud hanc tuam sedem vacantem nulli, nisi à se nominato, conferri posse sua regia majestas intendit. Etsi enim episcopales dignitates, præsertim familiarium morte & in hac urbe vacantes, Tuæ Sanctitatis dispositioni antiquorum patrum decreto reservari non ignoret; id tamen ita moderandum esse intelligit, ut nulli fiat injuria, quam sibi non parvam fieri censet, si de ipso episcopatu, se inconsulto, qui jus nominandi habeat, facta provisio maneat.

A

Cùm enim, ut inquit, nullus tam exiguus christianus sit princeps vel communitas, (ut pragmaticos reges ac potentatus huic sanctæ Romanæ sedi parum obedientes omittamus) ad cujus nominationem ac petitionem, etiam de minimis episcopatibus non provideatur, suam præcipuam devotionem ait obstare non debere, immo potius præ aliis suffragari, ut tam communi omnium jure & consuetudine, cum ceteris, quibus longè major, nedum par esse censetur, potiri debeat.

B

Illustrissimam Burgundorum ducum familiam, huic sanctæ Romanæ sedi devotissimam, semper hactenus in hujusmodi episcopalibus dignitatibus, ditioni suæ subjectis, eo jure nominandi usam fuisse reperit. Illi enim prudentissimi duces, tum pro necessitate & utilitate patriarum suarum, tum pro suo honore, ecclesiarumque ipsarum decore, semper, ut par fuit, aliique principes faciunt, servaverunt & obtinuerunt sibi subditis ac fidelibus servitoribus, non autem extraneis ac ignotis, de suis episcopatibus provideri, qui sua continua residentia atque præsentia, ut boni pastores debent suis gregibus succurrere ac providere, eosque à seditionibus & rebellionibus, quibus naturaliter inclinantur, avertere & deterrere, & ecclesias sibi commissas protegere ac defensare, suosque principes eorumque senatum prudenti doctrina, gravitate, digno fidove comitatu, honestarent atque decorarent.

C

D

Et ne longe exempla petamus, in hac eadem Tornacensi ecclesia, de qua nunc agitur, consistentes: quæ quidem civitas imperialis juris est, licet nunc rege Franciæ custode gubernetur, comperiemus olim mota controversia inter Franciæ reges ac Burgundionum duces seu comites Flandriæ, pro episcopis ad eam ecclesiam nominandis, ipsos Burgundos obtinuisse, quod sub eorum ditione tota fere diocesis ac ejus utilitas jaceat, quorumve potissimum intersit, de sibi fidis, idoneis, & gratis episcopis provideri: sicque per felicis memoriæ Martinum, Eugenium, Nicolaum, Calixtum, & Pium pontifices maximos declaratum decretumque fuisse.

E

F

Patet etiam recenti memoria episcopum quemdam SEVROTUM nomine, illustrissimi quondam PHILIPPI Burgundiæ ducis servitorem, ab eo nominatum, hanc eamdem ecclesiam obtinuisse contra archiepiscopum Narbonensem genere illustrem & regis Franciæ servitorem domesticum. Patet præterea dominum GUILLELMUM abbatem S. Bertini præmortuum pariter obtinuisse contra episcopum Constantiensem, contraque alium de illustrissima Burbonia domo, cui ipse Constantiensis jus suum renunciaverat, quive postea archiepiscopus fuit Lugdunensis, & licet hic Burboniensis nepos charus esset ipsi illustrissimo duci PHILIPPO, contra illum tamen ipse GUILLELMUS abbas per eumdem dominum suum PHILIPPUM ducem nominatus obtinuit.

Qua de re conquerenti olim regi Franciæ per divæ memoriæ PIUM pontificem maximum conscriptæ litteræ æquiorem Burgundorum partem ostendunt, cum inquit, *si doles hominem duci Burgundiæ subditum illic esse præpositum, minor culpa hæc nostra est, quam fuerit prædecessorum nostrorum, qui plures Burgundos illic statuerunt. Nos rem novam non fecimus, veterem & usitatam sumus sequuti. Hoc quoque ad transferendum Tullensem proniores nos fecit, quod, sicut serenitas tua intelligit, tota Tornacensis diocesis sub dominatu est Burgundionum; nec putamus videri inconveniens posse, si ex dominio illo daretur episcopus, intra cujus limites major est & amplior jurisdictionis illius pars.*

Quod quidem nominandi jus & consuetudinem non modo in hac Tornacensi, verum etiam in aliis suis episcopatibus iidem Burgundorum duces obtinuerunt, testis est, aliis ob brevitatem omissis, Atrebatensis ecclesia, de qua cum per sedem apostolicam cuidam domino QUINTINO MANART, ipsius illustrissimi PHILIPPI ducis fideli servitori provisum fuisset; ipse tamen dux eo à se non nominato rejecto, pro altero de FORTIGUERRA appellato, quem ipse sibi gratum nominavit obtinuit. Sicque semper observatum, aiunt, usque ad obitum reverendissimi quondam in Christo patris domini FRIDERICI cardinalis Tornacensis, ubi cùm sanctissimus piæ memoriæ SIXTUS pontifex maximus providisset domino JOHANNI MONISARDO, cujus anima requiescat in pace, existimans illum serenissimo regi nostro tunc Burgundorum duci gratum fore, quod ejus fidelis servitor ac subditus esset; ipse tamen serenissimus rex suorum jura sustinendo, illum à se non nominatum multis annis exclusum tenuit, nec ad possessionem prius admitti passus est, quàm suæ majestati promissum fuerit, quod eo decedente, ejusdem ecclesiæ futurorum episcoporum libera nominatio ad se suosque successores esset reditura, sibique episcopus ipse Monissardus promitteret ad actualem se residentiam perventurum: quibus quidem mediis, sua sacratissima majestas, illum qui suus subditus fidelisque servitor erat, ad possessionem venire permisit, præsertim multis litteris tua Sanctitate suadente, ei possessionem negari non debuisse, qui suæ serenitati deditissimus subditus, deque ea bene meritus esset.

Inquit præterea regia majestas, cum superioribus annis per suos oratores tuæ Sanctitati obedientiam præstari faceret, sibi promissum fuisse quod in omnibus majorum suorum juribus & consuetudinibus, præsertim in nominationibus episcoporum suarum patriarum, tam sua ma-

jestas, quam omnes ejus posteri servarentur illæsi: quæ quidem jura omnia, si sua majestas nunc istam provisionem ratam haberet, possessionemque concederet, ex hoc repetito actu consensus, amitteret, cum maxima suæ majestatis ignominia, patriarumque suarum intolerabili damno. Aliam autem horum episcopatuum quam Italorum, qui exiguas fere dioceses nullaque dominia temporalia possident, habendam esse rationem: cùm hi perexigui per absentes prælatos & regi valeant & gubernari; illos vero propter magnitudinem actuali prælatorum suorum residentia non debere nec posse carere, omnibusque notum esse, suæque majestati nimis constare quantam jacturam, quantasve calamitates ex absentia ultimorum episcoporum, tota Flandria passa sit. Qui quidem episcopi, si in sua diocesi suis temporibus permansissent, suum gregem, quem sine gravi suarum conscientiarum onere deserere non potuerunt, à tot intestinis bellis, factionibus & rebellionibus, ad principum suorum obedientiam, pacem, atque concordiam, tum cohortando, tum cogendo, tum etiam per alios prædicari faciendo, procul dubio revocassent, suamque ecclesiam ferventiori atque decentiori cultu circa divina decorassent, ipsamque diocesim sua necessaria quotidianæ vitæ expositione ditassent.

Ea propter suam majestatem, si populi, si honoris, si juris sui, immo etiam animæ curam habere velit, omnino cogi ad hujusmodi provisionem factam impugnandum, suamque ac majorum suorum nominationem sustinendam, ac tot patriarum suarum periculis & calamitatibus obviandum, cum Reipublicæ tanta utilitas unius amici favore vel commodo sit omni judicio sine controversia præferenda.

Ipsum vero reverendissimum in Christo patrem dominum cardinalem S. Anastasiæ Regia Majestas inter ceteros exteros se ut amicum vel gratum habere non negat, tum quia Tuæ Sanctitati affinis sit, tum quia eum multis rationibus benemeritum putet. Sed cum sua reverendissima paternitas personalem residentiam in ipsa diocesi facere, & supradictis necessariis rebus intendere, nec possit, nec debeat; suam Serenitatem nullo modo ad ejus provisionem inclinari posse, nec ei possessionem quæ tantam suo honori ignominiam, tantamque patriis suis perniciem, atque ruinam perductura sit, quovis pacto debere nec posse permittere: quam etiam si annueret, sui & honoris & patriæ utilitate posthabita, attamen proceres nobiles ac patriarum illarum populum universum, ea jam de re murmurantes, prædictis rationibus numquam fore permissuros: & ea ratione potissimum quod in ea ecclesia in limitibus hostium constituta fidus & in patria natus, practicus & aliorum exemplo cautus providusque prælatus, qui mores hominum vitasque cognoscat, qui regere dictis animos pectoraque mulcere calleat, regiusque tandem fidus servitor existat, etiam pro aliarum patriarum securitate vigilanter debeat residere, quive ipsam ecclesiam atque diocesim tot bellis desolatam sua actuali residentia, ut ubique passim conquerendo loquuntur, & consoletur, & in pristinum suum statum restaurare conetur, quod certe absens, & ut ipsi inquiunt, Romæ vivens prælatus omnes reditus & fructus ecclesiæ veluti ejus patriæ viscera extra ducendo, nullo modo facere posset, sed in breve potius ipsam ecclesiam totamque diocesim cum maximo ipsorum principum tolerantium scandalo, & ignominia, gravique eorum conscientiarum onere vastaret atque deleret.

His omnibus difficultatibus circumspectis, regia serenitas ipsum reverendissimum cardinalem ab incepto desistere cohortatur, cum supradictis necessitatibus se sufficere non posse conspiciat. Qui si suæ majestati desistendo complaceat, nec tam claris tamque necessariis suis rationibus obstet, sua serenitas de aliis beneficiis in suis patriis vacaturis, quæ talia non secum ferant incommoda, cum is postulaverit, se omnem ei favorem daturum promittit.

Ea propter, Beatissime Pater, cùm tuæ divinæ clementiæ sit tantorum regis ac principis pias justasque preces non absurda aure recipere, nec eorum præcipuam devotionem & obedientiam in perniciem suam convertere: ipsi Tuam Sanctitatem vehementer orant, rogant & obsecrant, ut provisionem in manifestam suæ patriæ cladem factam revocare, & per se nominando de ipsa ecclesia providere, ac sua majorumque suorum jura sibi illæsa servare, & de ceteris huic materiæ necessariis, ut æquum piumque patrem decet, opportune providere digneris, & eos erga te tuamque sanctam Romanam sedem devotissimos atque promtissimos semper inveniet tua clementissima sanctitas. Cui se rex pater & filius dux iterum atque iterum commendari præcipiunt. Dixi.


INNOCENTII PAPÆ VIII.

Ad Maximilianum Romanorum regem.

INnocentius papa VIII. Maximiliano Romanorum regi illustri.

Carissime in Christo fili noster, salutem & apostolicam benedictionem. Cum ecclesiæ Tornacensi de persona dilecti filii nostri A. cardinalis S. Anastasiæ providimus, non tam meritis ipsius cardinalis affinis nostri satisfacere, quam ejus ecclesiæ commoditati prospicere cogitavimus: non igorantes præterea, quod præter utilitatem, quæ ecclesiæ ex ea provisione oriebatur, unicuique hac præsertim tempestate sicuti alias Majestati Tuæ in minimis cujusque contentionis occasio adimebatur. Nemini est enim ecclesia Tornacensis nec esse debet majori curæ quam nobis, & cum postremo vacavit, non nisi ad ejus opportunitatem oculos mentis nostræ direximus. Præfecimus enim illi in pastorem talem ac tantum S. R. E cardinalem, qui omni laude dignissimus habetur, quique pro ejus instituto, ut nobis satis compertum est,

in ea ecclesia dominicum cultum conservabit A
& augebit, atque illi utilitati commodius quam simplex episcopus multis modis intendet, rebusque majestatis tuæ multo utilius adesse poterit, cum ei singulariter afficiatur. Quod quidem dum pingues illas conditiones pro hac ecclesia ab aliis ei propositas, pro dignitate tuæ majestatis ita constanter respuit, manifeste demonstravit. De quo etiam tua majestas & dilectus filius nobilis vir PHILIPPUS archidux Austriæ in postremis litteris suis ad nos & sacrum venera- B
bilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium collegium scripserunt. Non est igitur aliqua causa propter quam tua majestas ad tradendam præfato cardinali ejus ecclesiæ possessionem nostris hortationibus flecti non debeat. Si enim in hoc omnia recte pensaveris, secundùm cor suum ecclesiæ Tornacensi à nobis provisum fuisse existimabit. Non deest præterea qui ex adverso multiplices atque efficaces rationes afferat, quibus de persona sibi accepta eidem ecclesiæ deberet provideri. Eo itaque modo quo C
providimus omnis contentionis suspicionisque occasio sublata fuit, quod majestati pro singulari affectu ipsius cardinalis erga eam gratissimum debet accedere. Si quod in hac re à nobis petit fieri non videat, non est quod ejus desiderio in omnibus quæ cum Deo liceant, paterno affectu gratificari non velimus. Sed quia in hoc neque apostolicæ sedis, neque etiam ipsius ecclesiæ opportunitas versatur, facta est consistorialis provisio in personam cardinalis, quæ si abrogaretur, neque dignitati apostolicæ conveniret, neque justitiæ esset satisfactum. Si vero ipsi ecclesiæ de D
persona aliqua his temporibus per tuam majestatem nominata provideretur, his temporibus propter inextricabiles controversias, quæ ea causa orirentur, extremæ ejus ecclesiæ desolationis seminarium pararetur. Facta est canonica provisio cardinali nemini jure suspecto, & qui ad divellendas radices quas jam egit ejus ecclesiæ vetustas occupator satis accommodus erit. Hortamur tuam majestatem, ut non solum pro justitia, quæ in hac re manifestissima est, & pro ipsius solita erga nos & hanc san- E
ctam sedem reverentia, quam in omnibus semper præcipuam fuisse cognovimus, sed etiam pro acceptissima & singulari complacentia nostra velit efficere, ut cardinali præfato possessio ipsius ecclesiæ diutius non denegetur: in quo & nobis mirum in modum complacebit, & pro rerum suarum & ipsius ecclesiæ commoditate se id fecisse in dies magis ac magis gaudebit. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo piscatoris die XVIIII. Maii 1492. pontificatus nostri anno VIII. *Sic signatum* Hie. Balbanus *Et à tergo* F
carissimo in Christo filio nostro MAXIMILIANO Romanorum regi illustri.



SEQUITUR EPISTOLA SACRI COLLEGII DOMINORUM CARDINALIUM


Ad præfatum regem Romanorum super eadem materia.

SERENISSIMO principi & excellentissimo domino, domino Maximiliano Romanorum regi dignissimo, majori nostro honorandissimo.

Serenissime princeps & potentissime domine rex, miseratione divina episcopi, presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales post sinceram in Domino commendationem. Intelleximus quæ vestra celsitudo & serenissimus ejus filius de ecclesia Tornacensi ad sanctissimum dominum nostrum & ad nostrum sacrum collegium scripserunt, desiderantes provisionem jam de ea factam domino cardinali S. Anastasiæ abrogari; illique de persona ab eis nominata provideri: quibus profecto nobis plurimum displicet ea respondere non posse, quæ ipsius Celsitudinis Vestræ desiderii forent. Nam vacante apud sedem apostolicam ipsa ecclesia, in sacro consistorio omnibus rationibus ac horum temporum qualitatibus diligenter ac mature prospectis, pensatisque, ut quibuscumque controversiis, quas oriri posse prospiciebamus occurreretur, unanimi apostolico judicio eidem ecclesiæ de persona nemini suspecta providendum esse, decretum fuit, pro qua reverendissimus dominus cardinalis S. Anastasiæ præfatus communi omnium voto delectus est. Ipsi enim singularibus meritis suis & probitate nihil à quoquam potest objectari, quin hujusmodi canonica apostolica dispositio non solum effectum debitum sortiatur, verum omnibus debeat esse gratissima & ante alias majestati vestræ, cui ipsum reverendissimum cardinalem mirifice affectum fore cognovimus. Vidimus enim & clare intelleximus, quando nomine occupatoris ejus ecclesiæ cum eo conventio tentata fuit, ipsum ut majestati vestræ non displiceret, pingues & firmissimas conditiones respuisse. Consideret, si placet, majestas vestra tempus, conditiones; consideret jus reverendissimo domino cardinali jam quæsitum, & ejus erga ipsam singularem devotionem; animoque suo revolvat, qua honestate consistorialis provisio facta uni ex S. R. E. cardinalibus de sede apostolica, immo & de ipsa majestate vestra, ob ipsius erga eam dispositionem optime merito irritari possit. Si res integra esset & posset vestræ majestatis desiderio absque indignitate sedis apostolicæ satisfieri, quemadmodum post lectas intelligibili voce litteras suas, & ejus illustrissimi filii in sacro consistorio sermo habitus fuit, præsente etiam domino oratore vestro ROBERTO GISLESBII & hujus negotii sollicitatore. Procul dubio tanta est clementia sanctissimi domini nostri, & caritas erga vestram majestatem, & illustrissimum filium suum, quod ejusmodi desiderio suo omnino annuisset, & nos summo studio, summis

precibus suæ beatitudini propterea supplicavissemus. Verum quod factum est aliquo pacto infectum esse non potest. Igitur obsecramus vestram majestatem, velit pro suo probatissimo more huic apostolicæ dispositioni acquiescere. qua nulla quidem convenientior fieri potuisset, & quæ rebus ipsius ecclesiæ ac vestræ majestatis & illustrissimi filii sui quotidie majori commodo accedet. Novimus naturam & mores hujus reverendissimi cardinalis. Vidimus quam ferventer rebus majestatis vestræ semper affuerit. Potest itaque ipsa vestra majestas, nunc suo laudabili instituto, satisfacere justitiæ, desiderio sanctissimi domini nostri morem gerere, sicut ex brevi beatitudinis suæ dignoscere poterit; nobis, qui ejusdem apostolicas dispositiones pro debito justitiæ & dignitate hujus sanctæ sedis effectum sortiri cupimus, gratiam præstare omni tempore memorandam. Atque hunc reverendissimum cardinalem, amicum fidissimum, ingenio & dexteritate præstantem ad quæque commoda sua sibi conservare: pro quo ipsam iterum atque iterum obsecramus. Bene valeat serenitas vestra, cui nos commendamus. Datum Romæ die 20. mensis maii anno 1492. sub signetis nostrorum trium in ordine priorum. H. Brunus.

Episcopi / Presbyteri / Diaconi — Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales.



LEONELLI EPISCOPI CONCORDIENSIS,

ORATIO IN FUNERE INNOCENTII PAPÆ VIII.

Ex ms. RR. PP. Cælestinorum Metensium.

Reverendissimi in Christo patris domini Leonelli episcopi Concordiensis oratio habita Romæ in ecclesia S. Petri in funere felicis recordationis domini Innocentii papæ VIII. coram sacro cœtu reverendissimorum dominorum cardinalium, & tota curia, die XXVIII. mensis Julii MCCCCXCII. apostolica sede vacante.

RUrsus ad hoc studium dicendi, à quo jamdudum desueveram, arescente, si qua usquam in me fuit orationis vena, repente quodam modo revocor, Patres amplissimi, nec tam pium à me contendentibus officium audeo contradicere, ne ingratitudinis erga principem meum, qui me plurimum dilexit, nec minus, ut palam est, ornavit, etiam postquam inter homines esse desiit, accuser. Sed unde præ dolore initium dicendi faciam non satis constituo. Flere tamen magis libet, quam vel laudationem, vel consolationem attingere. Quis erit quæso tam ferreus? quis tam saxeus, Patres amplissimi, qui non potius ubertim effundatur in lacrymas? Summus pontifex INNOCENTIUS VIII. discessit à nobis, dereliquit nos pontifex mansuetissimus, prudentissimus, integerrimus. Destituta est Ecclesia magno in rerum turbine humano rectore. Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum, & communem amissi tanti pontificis una nobiscum calamitatem plorabo? Sic filii Israël defunctos Aaron & Moysen XXX. diebus deflevere, quamvis utrique successor jam designatus esset à Domino: huic ad regendum populum Josue; illi ad obeundum pontificatum Eleazarus. At quanto magis lugendum est nobis, non tam obdormientis pontificis, qui tranquillam translatus in requiem nos ancipiti in certamine dereliquit? Quam miseram vicem nostram quos undique tot mala circumstant! Imminet quotidie christianis cervicibus immanissima Turchorum ferocitas. Sævit adhuc cum potest in catholicos fratres furibunda & armata Hussitarum perfidia. Pullulant ubique adversus orthodoxam fidem nefandissimi errores. Crescit in dies magis pervicax in sacrosanctam Romanam Ecclesiam universalis Ecclesiæ matricem radicemque contumacia. Viget ingens tam in clero quam in populo luxus. Quassatum est intestinis dissidiis B. Petri apostolorum principis patrimonium, eminentiores christiani nominis principes ardentissimis odiis in mutuum, nisi celeriter occurratur, armantur excidium. Turbatus est ager Romanus, Urbs ipsa quotidie cædibus & rapinis quorumdam temeritate cupiditateque fœdatur. Tanta denique, ut Jeremiæ verbis utar, super contritione vocata

est contritio, ut ad ipsam matrem nostram Ecclesiam conversi, cum eodem Jeremia merito lamentari valeamus: *Filia Sion, magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Sumus enim adhuc incerti quem elegerit Dominus locum & apostolatum accipere, qui tot tantaque pericula non secus repellere, quàm nubes sol oriens valeat dissipare. Sed videamus qualem pontificem amiserimus, ut vel succincta eximiarum laudum ejus enumeratione acerbissimo levemur dolore, vel vota nostra non inferiorem habendi successorem Salvatori nostro pandamus. Patria ortus Genua, Ligurum metropoli, terra marique potentissima, cujus amplitudinem ad claritatem consequendam non parum conferre, Themistocles apud Platonem objicienti sibi Athenas Seriphio non diffitetur. Familia Ciborum vetusta nobilitate apud Neapolitanos quoque sub Tomacellorum cognomine insigni, ex qua & Romanus pontifex BONIFACIUS ejus nominis Nonus, & cardinales & episcopi complures tamquam ex equo Trojano prodiere, parentibus honestissimis, ex bonis enim, ut idem Plato ait, boni nascuntur; & bona arbor, ut Salvator noster adstipulatur, bonos fructus producit. ARONIUS siquidem pater, equestris ordinis, vir probatissimus, & in regenda Neapoli, & in prætura urbana, quem nunc senatum appellant, administranda mirificè claruit. Liberalibus quàm primum per ætatem licuit à parentibus traditus disciplinis, ad eruditionem magis quam ostentationem profecit. Initiatus ecclesiasticis sacris Romam veniens, in clientelam PHILIPPI cardinalis Bononiensis, NICOLAI V. primæ sedis antistitis germani, se contulit: qui ejus virtuti tantum tribuit, ut ipsius fidei ac diligentiæ proprii corporis ac rerum suarum curam crediderit, & per omnes ejus gradus ad episcopatum usque provexit: quo in statu tantam omnium suavissimis moribus benevolentiam sibi conciliavit, ut assumtus ad supremam SIXTUS ejus nominis IV. quem prius ob ingenii amœnitatem, dexteritatem atque modestiam, majorem in modum dilexerat, in domesticum & datarium, quod est, ut nostis, non parvæ existimationis officium, ascivit. In quo ita se industrium, fidum, vigilantem & integrum se gessit, ut crescente in dies magis magisque apud ipsum SIXTUM gratia & auctoritate, non solum ex Saonensi ecclesia ad Melfitensem translatus, verum etiam secundis cardinalium creandorum comitiis in amplissimum ordinem vestrum, summo omnium consensu, nec minori gratulatione fuerit cooptatus. Hic mihi in tanta non vulgarium laudum occurrentium copia immorandum foret, præstantissimi Patres, ut eas si non exornarem, at saltem aliqua ex parte recenserem: sed tam stricta temporis angustia premor, ut unica probataque sententia illas ante oculos vestros ponere statuerim. Neque enim, ut ait ille, quisquam aliquando ad summam rerum pervenit, qui non prima ætate gradibus virtutis ascenderit. Expectatis fortè, Patres amplissimi, ut qualem se cardinalem habuerit edisseram; sed id ego supervacaneum puto. Ipsi audistis,

A ipsi vidistis, quàm crebro, quod est optimi senatoris, in senatum ventitabat, quàm graves, quàm liberas, quàm opportunas de rebus magnis & arduis sententias dicebat. Aderat assiduus publicis solemnitatibus rei divinæ, & præter suam, quam promtissime obibat, aliorum quoque desiderium, vicem hilari & devota mente supplebat. Alebat præterea vir ditissimæ paupertatis multam honestamque familiam tanta moderatione, ut in recta privatæ domus gubernatione juxta scitam divini Apo-
B stoli traditionem, optimum se universalis Ecclesiæ rectorem futurum demonstrarit, præbuit tamen prius majus de se specimen probitatis; demandatam siquidem turbulentissima pestilentiæ tempestate, legationem Romanam, SIXTO maximo pontifice cum tota curia Urbem Romam deserente, sancte, integrè, ac etiam pacatissimè administravit. Senensem quoque difficillimis sanè temporibus tanta prudentia & magnanimitate gessit, ut ex ea splendidissimam laudem reportaverit. Designatus est deinde in
C Germaniam legatus, cum in cunctis ad Ecclesiæ dignitatem prosperitatemque spectantibus se obsequentissimum, omni labore postposito, summo pontifici exhiberet: sed visum est postea SIXTO per inferiorem minore incommodo rem peragi posse. Hæc summatim per capita percurro, Patres amplissimi, nec decoro sermone singula narro, cum quia vobis notissima sunt, tum quia nolo vos diutius detinere, ut commodius his, quæ in tanta Ecclesiæ necessitate in horas accidunt, prospicere valeatis. Quare ad ponti-
D ficatum festinat oratio, quo se tot tantisque meritis dignum reddidisse judicastis, ad quem vos ipsi propenso studio divinæ providentiæ ministri unanimiter evexistis. Cujus si in Christi vicariatu rectè administrando immensa præconia exactè pergerem reserare, haud equidem observare propositæ brevitatis institutum, & ejus vitæ historiam potius texere quam epitaphium dicere viderer. Cuperem nihilominus vehementissime singularem, ac inauditam, atque ipsi
E innatam humilitatem, quæ non minus in eo jam pontifice, quàm in omni anteacta vita excellenter emicuit, idoneis exprimere verbis; cùm nihil, ut magnus Gregorius est auctor, in pontificali cervice splendidius fulgeat, quàm humilitas Vidimus ipsum, quod sane rarissimum est, eadem se in pontificatu adeuntes humanitate, affabilitate, ac benignitate suscipere, qua & episcopus & cardinalis antea consueverat: ut idem semper, servato tamen decoro, fuisse videretur; nec immutati in eo mores, sed aucta tantum dignitas agnosceretur. Quanta verò
F sermonis dulcedine & elegantia, quanta perspicacia atque memoria, quàm aptis rationibus & postulata colligeret & petentibus responderet, nemo umquam sine admiratione potuit audire. Observabat illud, quod est principis proprium, ut sive concedendo, sive negando, neminem à se tristem dimitteret. Quis autem tanta facundia præditus, qui magnificas ac salutares de republica cogitationes apposito valeat explicare sermone? Omnem curam mentemque ac dili-

gentiam ad subditorum commoda, ad tuendam dignitatem Ecclesiæ, & econtra ipsam rebelliones delendas, ac religionem, habito jam maximis laboribus * Zizimo Sultano propagandam converterat. Quibus in rebus cum mea, quantulacumque sit, opera, sicut nostis, uti voluerit, multa mihi sæpenumero illum sapientissime loquentem audivisse nequeo reticere. Constantissimus justitiæ cultor, pacis studiosissimus amator, & exuberantis annonæ vigilantissimus ordinator, sedatis honorificè sibi ingruentibus bellis, peculiares Ecclesiæ populos & Romanos in primis, quam felicissimos exoptavit. Exultavit enim summopere cum ad majores dignitates viros extulit eruditos & probos. Erat enim ipsi vera insita bonitas, quæ illum ad quascumque optimas actiones propensissimum super omnia reddebat. Fuit præterea in pauperes misericors, afflictorum non minus consolator, quàm principum susceptor liberalis, & Dei ac sanctorum ejus piissimus venerator. Pontificale palatium miro sumptuosoque opere exornavit, amplificavitque, & multiplici pretiosissimaque supellectili tam divinis quam domesticis usibus apta largissime decoravit. Visitatus à Domino pluribus longisque morbis, quos patientissime toleravit, multa sancta & utilia cogitata perficere nequivit. Adveniente demum divinæ vocationis hora, sumtis ex ritu christiano devotissimo animo salutaribus sacramentis, intrepide adeo spiritum reddidit Creatori, ut securus de immarcessibili gloria videretur, sicut erat, cælestem vitam cum morte commutare. Ecce qualem quantumque pontificem amisimus, Patres amplissimi, ideo planctus magnus est in Ecclesia, quam vos facile consolari poteritis, si proprio affectu, si ambitu, si impressione, ut speramus, eliminatis, divinæ cooperatores voluntatis, nihil nisi de sanctimonia, doctrina, & rerum peritia, fulgente pontifice deligendo cogitaveritis. Sunt enim totius Ecclesiæ in vos oculi conjecti, Patres optimi. Date illi pontificem qui solo boni nominis odore cunctos post se fideles populos ad salutem trahere queat. Sicut enim, ut est in Legibus Ciceronis, cupiditatibus principum & vitiis solet infici tota civitas, sic emendari & corripi continentia. Nam qualiscumque mutatio morum in principibus extiterit, eadem & in populo sequetur, planeque verissimum est illud, principes plus exemplo quam peccato nocere. Optimus itaque constituendus est princeps, quem facile cognoscetis, si Platonem audiveritis, qui eum deligendum putat, qui singulis semper ætatibus probatus fuerit, & immaculatum se præstitit, ac perseveranter id agere studuit, quod reipublicæ conducere arbitraretur: aliter quasi ex divino oraculo censet rempublicam perituram. Eadem ferme sententia vos instruit Leo pontifex, ut illum eligatis, cujus omnis ætas à puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia ecclesiastica cucurrerit: cuique testimonium præbeat prior vita, quia non potest de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis, celsioris loci præmium debetur. Exhorreatis terribilem illam Domini vocem, Patres amplissimi, ne umquam de vobis exclamet, Fecerunt sibi regem, & non per me; principem, & non per consilium meum. Consilium autem Domini est, si Hieronymo credimus, ut qui præstantior est omnibus, qui doctior, qui sanctior, ille purè sincereque sine ambitu ad summum sacerdotium eligatur. Recordamini, ut reliqua prætermittam, quod Abimelech qui Israelitici populi principatum ambivit, & modico tempore turbulentissime imperavit, & turpi tandem cæde vitam finivit. Infigite cordibus vestris, ut brevi clausula universa comprehendam, & exsequimini sacros canones vobis notissimos, de Romani pontificis & aliorum pontificum electione conscriptos, & iterum sub expectato successore novo proculdubio florebit Ecclesia, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

* *Videtur hic deesse* colloquio cum Zizimo, *aut quid simile.*

JOHANNIS VALESII

Ad Didacum *de Muros* archidiaconum Carmonensem.

Mittit ei orationem Pacensis episcopi de eligendo summo pontifice.

Didaco *de Muros* archidiacono Carmonensi reverendissimi domini cardinalis Hispaniæ secretario meritissimo Johannes Valesius decretorum doctor, salutem.

Cum debeam tibi plurimum, ornatissime Didace, quod meis rebus non secus ac tuis auxilio fueris, quid autem rependam non satis habeam; cogitavi vel partem meæ obligationis implere, idque non mediocriter absolvam, cum orationem sapientissimam, quam de eligendo summo pastore nuper Pacensis antistes, nostri ævi splendor ac portentum, apud sacratissimum senatum, INNOCENTIO VIII. demortuo, cum magna omnium laude, immo admiratione habuit, tibi in primis destinandam censuerim. Conjecta in ea simul aspicies moralia, theologica & oratoria universa. Sed nescio quid vivæ vocis actus divinus perstrepebat: ut si ipsum audisses, sua resonantem verba, Demosthenis memor esses. Accipe igitur illius luculentissimæ orationis primitias, communes eas facias domino meo reverendissimo cardinali Hispaniæ, ac illustri marchioni Villenæ, ac mihi observandæ plurimum nobili nutrici serenissimi Hispaniarum principis. Lege eam feliciter & vale.



BERNARDINI CARVAJAL EPISCOPI PACENSIS, ORATIO DE ELIGENDO SUMMO PONTIFICE.

Ex mſ. RR. PP. Cæleſtinorum Metenſium.

Oratio de eligendo ſummo Pontifice habita Romæ in eccleſia S. Petri ad ſacratiſſimum ſenatum cardinalium, Innocentio VIII. demortuo, per reverendum in Chriſto patrem Bernardinum Carvajal, Pacenſem epiſcopum, & reginæ Hiſpaniæ oratorem, die Transfigurationis dominicæ, ſexto Auguſti, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo.

Ne læteris inimica mea ſuper me; ſi cecidi, conſurgam. Scribitur verbum Michææ VII.

SI umquam Romanæ Eccleſiæ opus fuit, Patres ampliſſimi, illuſtrari ſuperno ac divino lumine, hoc ipſum vel præcipuum eſt tempus, quando deſtituta paſtore & capite, feliciſſimo tranſitu ſanctiſſimæ recordationis INNOCENTII papæ VIII. ad ſuffectionem paſtoris alterius appropinquat. Cum enim oculus & ſpeculator deficiunt, grave eſt admodum ovibus bene dirigi ni ſuperiori paſtore ducantur. Mihi quoque in hac re tam ardua de mandato veſtri ſacratiſſimi ſenatus, orationem habituro operæ pretium fuerit, ſupplicatione divina, Spiritus-ſancti aſſiſtentiam impetrare. Nempe qui hodierna die in miſſarum ſolemniis ab Eccleſia invocatus eſt, ut electioni ſummi pontificis aſſiſtat, iſdem mihi ſuppliciter implorandus erit, quatenus jejunæ ac nudæ orationi meæ, de perſuaſione ejuſdem optimæ electionis, efficaciam tribuat, cogitatus meos inſtruat, mentes veſtras illis & ſibi conformes reddat, linguam meam dirigat, aures veſtras benigniſſime adaperiat, mea verba vivificet, corda veſtra ad illa capeſcenda foveat & alliciat. Nec diffidendum eſt, quin occurrat hodie Eccleſiæ in tantis calamitatibus & periculis conſtitutæ, qui juxta Apoſtoli verbum non permittat illam ultra poſ-

A ſibilitatem tentari, & qui in Evangelio futurum ſe medium pollicetur, ubi duo vel tres in ſuo nomine convenerint, quique numquam ſe deſerturum Eccleſiam uſque ad conſummationem ſæculorum Mathæi ultimo calce promiſit. Igitur Spiritus-ſancti ſingularem aſſiſtentiam vulgata illa Eccleſiæ oratione ſupplicabimus dicentes, *Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* Amen.

Non arbitror futurum moleſtum beatiſſimo veſtro cœtui, Patres reverendiſſimi, militantis Eccleſiæ fulgentiſſimæ columnæ, ac hodie ſpes unica ſalutis mundi, ſi vobiſcum de meo more ſcholaſticè eloquar, ac dicenda breviore per-
B ſtringam ordine, ea quoque quæ mihi conſideranda occurri, in electione pontificis maximi thematis proſecutione expediam. Erit igitur oratio noſtra tripartita. Prima pars de ipſo INNOCENTIO demortuo, ſecunda de illius pontificatu vacante, ultima quæ moralior & aptior erit, de illius clariſſima ſponſa Romana & univerſali Eccleſia reſtauranda, & horum trium nomine trifariam thematis verba claudemus, *Ne læteris inimica mea ſuper me; ſi cecidi, conſurgam.*

In primo conqueritur forſan quiſpiam Innocentianus, quod abſumſerit mors inimica bene-
C factorem ſuum, quod clementiſſimum & indulgentiſſimum dominum, ac verè humaniſſimum & pientiſſimum patrem ſæculo eripuit. Lego hinc oculis complures, qui etiam lacrymas cohibere nequeunt, memores dulciſſimæ converſationis ſuæ. Ego quoque illius beneficio plus meis meritis delinitus, niſi ratione in aliud traherer, crudelem illius mortem incuſarem, & graviter lugendam cenſerem. Verum enim vero Chriſtianis moleſtè admodum lugere mortuos non licet: nam & apud gentes Liciorum feruntur eſſe præcepta, Ambroſio teſte, quæ viros

jubeant mulierum vestes induere, si mœrori indulgeant, quod mollem & effeminatum judicaverint in viro luctum, fuisse etiam ejusdem testimonio feruntur populi gentium, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent. Nec imprudenter quidem. Eos enim qui in hoc vitæ salum venissent mœrendos putabant: eos vero qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non injusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Et si hæc apud gentes constantia, in quibus fuit carnis imperium, non spiritus; apud illuminatos & spirituales christianorum animos multo esse debet uberior; atque inde nos natales dies defunctorum obliviscimur, & eum quo obierunt diem celebri solemnitate quot annis renovamus. Mors igitur christianorum corda non frangat, primum quia communis est & cunctis debita, & hac lege naturam ex contrariis mixtam induimus, ut illam exuamus quotiens placuerit auctori naturæ. Unde & juxta Apostoli verbum, statutum est hominibus semel mori, in quo & Dei Filio in humanis non est indultum; nempe si non pateretur, senio defecisset, prout nostri seniores scribunt. Quid igitur absurdius, quàm ut id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores. Hoc est enim supra conditionem extollere, legem non recipere, commune naturæ consortium devitare. Deinde & mors gravius deflenda non est, quoniam sæculi hujus nos absolvit ærumnis. Nulla nempe vera potest esse jocunditas inter tot vitæ nostræ amaritudines, quæ velut ex ipsius corporis infirmitate, quasi certa ac necessaria officina generantur. Quid enim in hac vita non experimur adversi? quas non procellas tempestatesque perpetimur? quibus non agitamur incommodis? & quibus parcitur meritis? Lege patriarchas, animo volve prophetas, considera Dei sanctos & amicos, omnis eorum vita, labor, anxietas, langor, ærumna, militia. Unde & sapiens Salomon apud Ecclesiasten ait, *Laudavi ego magis mortuos, quàm viventes.* Inde & sanctissimus Job perire voluit diem nativitatis suæ, quasi malorum omnium initium. Generationis quidem diem perire voluit, ut resurrectionis diem acciperet. Juxta quod & Paulus *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Et alibi: *Mihi vivere Christus est & mori lucrum.* Mors igitur tamquam ærumnarum omnium laborumque perfugium, fida securitatis statio, quietis portus, amarè christianis deflenda non est. Et rursus somno quietem nanciscimur, laboresque vitamus, ac nemo amici somnum gravius lugendum censeret. Mortem verò christianus somnum deputat. Unde & magister Christus de Lazaro quatriduano, *Lazarus amicus noster dormit, venite à somno excitemus eum.* Et Ecclesia cum meminit defunctorum ait, *qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis.* Postremo non est christiani officium frangi mœrore ex morte carorum, cum eos sciat non prorsus demori, quinimmo pretiosam esse in conspectu Domini sanctorum mortem, qua esse beatificum, & vivere consequitur æternum, ac expeditis vinculis carnis quæ aggravant animam, jubar splendidissimum quod oculus non vidit, nec auris audivit, meritis superioris vitæ contingunt. Et præterea revivenda corporis expectatio christianis demortuis non adimitur. Quo fit ut minus contristari habeant carorum excessu, cujus rei & Paulus meminit ad Thessalonicenses scribens: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem*, videlicet resurrectionis *non habent*, & reliqua. Unde claret profundius consternatos animo christianorum interitu spe resurrectionis carere, aut christiani consolatione & fructu privari. Plangat igitur Christianus carum perperam morientem, quoniam utrobique demoritur. Verum ubi beata est mors, ubi in Domino dormitio, cum bona videlicet recognitione conditoris, criminum fletu, sacramentorum participatione, feratur æquo animo talis exitus.

De INNOCENTII autem excessu nuper dignissime Concordiensis antistes sapientissimus atque ornatissimus Orator plura disseruit, & uti pax concordiæ convenit, ita Pacensis Concordiensi conveniet præsuli in hac re sapienter, quæ universæ ecclesiæ est notissima. INNOCENTIUS igitur sanctissimæ & recolendæ memoriæ VIII. pontifex universo pontificatu suo clementiam, pietatem, humilitatem, humanitatem, & affabilitatem servavit egregie. Justitiam custodivit præ ceteris, pacem & abundantiam verbis nutrivit & auxit, compluraque alia præclara egit, quæ enumerari longum esset, inter quæ hæreticos Hispaniæ & Valdenses Galliæ exterminio dedit, ac Granatensi bello ad ultimam usque victoriam auctoritate, consilio, & auxilio christianissimi Hispaniæ regi & reginæ semper astitit. Tandem octavo sui pontificatus anno longo ac diutino morbo laborans, ad certam suæ mortis notitiam Dei singulari munere devenit. Flevit anteactam vitam, credidit Creatori, viaticum & alia salutis sacramenta devotè suscepit, unde merito juxta verba thematis increpitat morti, confisus de Dei misericordia & auxilio, *Ne læteris, mors inimica super me*, ne jacteris quod cecidi: nempe si cecidi, si ruinam per mortem & somnum corporis passus sum, consurgam denuo & vita beata & resurrectionis gloria. Et vero, Patres, christianissimus hic exitus INNOCENTII singulari nos implet spe futuræ bonæ electionis. Voluit nempe Deus & PAULUM II. & SIXTUM IV. felicis recordationis pontifices maximos prædecessores suos quasi repentina morte de medio tollere; INNOCENTIUS vero, quantum ex parte Dei fuit, magno illius beneficio longè aliter ad patres suos adgregatus est. Cui sanctissimo fini beatissimum quoque initium futuræ creationis adjunget in Ecclesia sua divina clementia, quæ in necessariis non deficit, & in se sperantes consolatur. Quare vale ultimum Innocentio dicentes, & ei beatam requiem deprecantes, ad aliam orationis partem transeamus. ubi de illius summo pontificatu verba thematis explicaturi sumus, ac si pontificatus ejus summus & maximus per excessum Innocentii vacans ex seipso hodie innuebat morti dicens: *Ne læteris inimica mea super me, Si cecidi consurgam.* Pro

Innocentii VIII. elogium.

A cujus introductione duplex erit problema. Primum utrum plenitudo potestatis clavium à Christo collata Petro par consurgat in successore. Secundum utrum ista plenitudo potestatis maneat in Ecclesia vel collegio sede vacante.

Duo hæc disposueram copiosius expedire, verum ut videre videor, & temporis brevitas & major Ecclesiæ occupatio, ac æstus immensa vis non permittunt explicare concepta : quare summatim duo verba faciam. Quod B. Petrum Christus constituerit caput & principem apostolorum, universarum animarum pastorem, immediatum vicarium suum, ac eidem concesserit plenitudinem potestatis clavium, & apostolicæ dignitatis primatum nemo ambigit qui christianè sentit. Hoc enim omnis historia evangelica, apostolica & conciliaris habet exploratissimum. Nempe Petrus est cui Dominus dixit, *Tu vocaberis Cephas*, quod Isidorus interpretatur caput. Fuit enim caput & os apostolorum, vertexque collegii, dicente Chrysostomo : Hinc Dominus singularius dicit, *Tibi dabo claves regni cælorum*, hinc *rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quod est officium pastoris & principis, inquit Chrysostomus. Eidem Dominus ascensurus ad cœlos provisurus Ecclesiæ de universali rectore, in aliorum apostolorum præsentia reliquos pertransiens juxta verba Chrysostomi, ter Ecclesiam pascendam & gubernandam commendavit, dicens antonomastice primo pastori, Pasce agnos meos, pasce oves meas, hoc est mei loco præpositus esto & caput fratrum tuorum, inquit Chrysostomus. Huic eodem loco Dominus dixit, *Sequere me*, quod non tantum de genere martyrii, in quo Petrus præ ceteris successit Christo, Theophilus, Chrysostomus & Bernardus interpretantur. Et in solutione didragmæ quam Dominus pro se & Petro fieri jussit, & quæ solum erat capitis census, ostendit jam Dominus Petrum caput esse, vel post suam resurrectionem futurum esse apostolorum, juxta Augustini sententiam. Idem in lotione pedum, cùm ad Petrum veluti caput primarium Dominus primum venerit : quod etiam inde Cyrillus argumentatus est, ipse solus pro collegio interrogare & respondere solitus more promotoris, & ducis Origenes inquit. Post ascensionem quoque Domini universa apostolica historia plena est, quod in conciliis & congregationibus apostolorum ipsis astantibus Petrus fuerit primus loquens, primus docens, primus definiens. Patet in electione S. Mathiæ apostoli, in confutatione irrisionis Judæorum de dono linguarum in apostolis, in disputatione cum Judæis, in sententia contra Ananiam & Saphiram, in repulsione Simonis magi, in aggregatione gentium ad fidem quæ sub Cornelio cœpit, in definitione cessationis legalium, quibus & aliis plurimis universa actuum apostolicorum scriptura respersa est. Hæc autem Petrus beatissimus Spiritu-sancto plenus, præcipuus humilitatis cultor minime attentasset, inquit Didymus, nisi ea ex officio sibi incumbere cognovisset, & se ceteris prælatum fore institutione divina minime dubitasset. Inde & Cyrillus divinissimus doctor Alexandrinus patriarcha in libro Thesaurorum ait : quod apostoli in suis evangeliis & epistolis & in omni doctrina affirmarunt, Petrum esse loco Domini in ejus Ecclesia, dantes ei primum locum in omni concilio & synagoga, in omni electione & confirmatione. Primatum quoque Petri & pro eo Romanæ Ecclesiæ duo illa prima œcumenica concilia de quatuor principalibus, quæ Gregorius uti quatuor evangelia venerari profitetur, definierunt, Constantinopolitana videlicet & Chalcedonensis synodus, & ordinatissime quidem Deus Ecclesiæ suæ unicum P. & universalem pastorem præfecit, ad quem rerum omnium summa deferretur, ne destitueretur ecclesia gubernatione unius, quam regnum aut monarchiam vocant, quamque omnis humana & divina sapientia ceteris prælationibus anteponit. Tollit enim confusionem, auget reverentiam, exequitur deliberationem, quæ sunt potiora optimi principatus. Hinc sapientissimus Aristoteles, Entia nolunt malè disponi, nec est bona pluralitas principatuum, unus ergo princeps. Inde vetus illa mater synagoga, quæ nostram figurabat Ecclesiam, unicum habuit pontificem summum, & cælestis Jerusalem, quam nostra quoque in terris militans præfigurat, unico rectore gaudet. Media igitur nostra pastori unico convenientissime commendatur. Quod vero in eodem primatu & plenitudine potestatis aliquis succedere debeat Petro in Ecclesia, ex eo evidentissime constat, quod Christus instituit Ecclesiam usque in finem sæculi duraturam Mathæi ultimo. Non durat autem Ecclesia absque capite. Caput autem ex superinductis est apostolicus thronus & primatus. Hic igitur duraturus est usque in sæculi finem. Verum Petrus felicissimo martyrio nobis assumtus est. Consurgit ergo apostolicus primatus in successore Petri Romano pontifice, in eadem potestatis & jurisdictionis plenitudine, quæ in Petro præfuit : nec enim alias esset primatus apostolicus, nec alias staret Ecclesia, nec portas inferi superaret, si nullus in plenitudine potestatis Petro succederet. Hinc habet canon concilii Constantinopolitani primi, *Veneramur secundum scripturas & canonum definitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum primum esse & maximum episcoporum.* Et in canone concilii Chalcedonensis scribitur : *Si quis episcopus prædicatur infamis, liberam habet licentiam appellandi ad beatissimum episcopum antiquæ Romæ, quem habemus Petrum, petram refugii, & omnia definita ab eo teneantur tamquam à vicario apostolici throni.* Et in eodem concilio Chalcedonensi legitur, quod tanta Synodus Leoni papæ primò acclamaverit, dicens : *Leo sanctissimus apostolicus & œcumenicus*, id est universalis, *patriarcha per multos annos vivat.* Juxta quod Johannes XXII. in quadam extravaganti hæreticum damnavit Marsilium de Padua, & Constantiensis synodus Johannem Hus, quod asseruerint non esse de necessitate salutis obedire Romano pontifici.

In altero dubio utrum iste summus pontificatus, aut hæc plenitudo potestatis maneat in

Ecclesia vel in collegio sede vacante solitum est per sapientes distingui. Aut enim hic pontificatus appellat auctoritatem ipsam & summam jurisdictionem in fonte, & sic non perit, decedente pontifice. Manet enim in Christo primo pastore, qui resurgens ex mortuis jam non moritur, quique eam potestatem Petro & ejus successoribus immediate legavit. Aut hic pontificatus materialiter acceptus notat facultatem eligendi & determinandi personam quæ summo pontificatu fungatur, & in ea acceptione manet immediate in collegio cardinalium, mediate autem in Ecclesia universali, quæ tamen facultas ex auctoritate pontificum senatui cardinalium accessit. Aut summus pontificatus in propria acceptione notat Christi vicariatum, & executionem sive administrationem illius summæ jurisdictionis, & plenitudinem potestatis clavium. Sic enim cessat morte pontificis. In Ecclesia nempe non manet, nec in collegio, cui nulla talis plenissima administratio competit, nisi quantum sibi statuto prædecessoris conceditur. Nec rursum in Christo, qui de lege communi post ascensionem non est exsequutus hujusmodi potestatem in Ecclesia, nisi summo pontifice mediante. Cessat igitur, vacat, perit hujusmodi pontificatus, hoc est exsecutio & administratio plenissima potestatis clavium peremto pontifice, nec usque ad alterius suffectionem consurgit. Quare grave est in Ecclesia periculum differri summi pontificis electionem. Caret enim interim perfectissimo illo munere exsecutionis & administrationis plenissimæ potestatis clavium. Hic igitur summus INNOCENTII pontificatus illius quodammodo morte demortuus, confisus de sua optima & celeri resurrectione, actione quidem vestra, Patres, quoad personæ determinationem, Christi vero actione, quoad continuationem & exsecutionem illius summæ potestatis à Christo Petro & successoribus traditæ. Increpitat morti, *ne læteris inimica mea super me*, ne gratuleris quod cecidi, quod Innocentii transitu exsecutionem plenitudinis clavium intermisi: nempe nec sic diu detinebis purgandos, nec alias spirituales gratias inimica mors diu differes. Non speres ea ratione portas tuas posse contra Ecclesiam prævalere, brevi enim consurgam in optimo novo ac dignissimo deligendo pastore. Et de secunda parte satis.

Sed jam ultimo revocat nos carissima INNOCENTII sponsa Romana & universalis Ecclesia, quæ verba thematis pro sua restauratione non corporali sed spirituali morte desiderat posse dicere. Hic autem adeste, Patres, æquo animo, hæc nempe portio hodiernæ orationis proprior est. Verum sustinete obsecro, si paucula ligna in plenissimam vestram deduxero silvam, & modicam aquæ guttam in vestrum oceanum effudero. Par enim fuerit quod insipiens ego sapientissimum cœtum vestrum de his quæ ad se spectant admoneam. Verum quoniam ea mihi provincia à vobis demandata est, prosequar iter cœptum oportet. Indulgendum tamen mihi magis expostulo si familiarius aut liberius quæ


A sentio eloquar. Nempe conscendi hunc locum ut mederer Ecclesiæ, non blandirer, & caris ad interitum properantibus vera omnia aperienda sunt. Et quis hæc aperit, nisi ceteris carior & notior? Ego vero vester vernaculus, Patres, vester cliens, vestrarum opus manuum. Aperiam igitur censum nostrum, ruinam nostram, interitum nostrum, si quomodo vel ex cognito relevemur interitu. Cecidit, cecidit quæ stare solebat majestas illa & gloria Romanæ Ecclesiæ, immutatus est color vultus ejus, obtexit caligine Dominus filiam Syon, projecit de cælo in terram inclytam Israel. Egressus est à filia Syon omnis decor ejus; & quæ vere olim magistra fuit disciplinæ, virtutum schola, locuples sanctis & doctis, proh dolor! his omnibus in majori parte vacua, universorum civium amaritudine repleta est. Et quod Johan. partitur omne mundanum crimen triplici capite, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, nonne id omne nos quatit, Patres? utinam quateret modo, utinam pulsaret tantum, & non jam irruisset, quin immo rupisset & violasset claustra pudoris & integritatis Romanæ! Famosam peccatricem qui ambigit urbem Romam, de qua & utinam Deus sicut ab illa Evangelica septem ejiciat dæmonia, quorum servit multitudini. Bone Deus! quanta istic criminum alluvio! Horret tamen animus dicere, quando meminit sedem Petri. Sed numquid nos blandiendo silebimus quod in plateis malefactis nostris publicavimus? Quid enim apud nos non sibi vendicat luxus? quem locum superbia non implet? cui parcit avaritia? quem non subjicit auri sacra fames? Quid sibi ulterius descendam? Jubeat tamen hic & Plato quiescere. Fumabunt nempe vitiorum stercora, & sola ipsa enarratio templum hoc sacratissimum polluet. Consulto præteream Urbis & curiæ nostræ excessus, ac deformia membratim distinguere, ne parentis videar pudenda revelare. Sed dicet mihi quispiam: Jam hæc præcesserunt in sæculis quæ fuerunt ante nos. Præcesserunt quidem, non inficior, in Ecclesia Romana crimina. Nam & septies in die cadit justus, verum non paria, verum non ita crebra, verum non ita publica, verum non sic impunita, adde verum non sic præmiata, adjunge rursum verum non sic capitalia, hoc est capita ferentia, & capitis salus membris etiam infectis tunc salubriter influebat. Unde fit, Patres, ut tempestate nostra majora vulnera patiamur. Hæc nos exponunt inobedientiæ subditorum, hæc contemtui populorum & principum, hæc irrisioni & prædæ Turcorum; dum enim libidinibus, ambitionibus, & cupiditatibus nostris vacamus, majestas perit ecclesiastici throni, & vigilantia curæ pastoralis eliditur. Concidit igitur magna ex parte Ecclesiæ Romanæ majestas, libertas, auctoritas. Gloriæ & misericordiæ Domini est quod non profundius cecidit: immo quod juxta Hieremiæ verbum consumti non sumus. Universa hæc mala unde procedunt, Patres? à capite, inquam. Infirmi nempe capitis omne membrum languet. Quando speculator cæcus, quando exemplar corrup-

tum, quando caput morbidum, perperam inde venire omnia necesse est. Sed caput orbis à quo nobis erigitur? à senatu nempe vestro. Indulgete, obsecro. Vos igitur estis in causa aut universæ salutis, aut universæ ruinæ totius orbis. Advertite quale vobis hodie onus incumbat. Datur vobis optio, aut summi meriti, si bonum; aut summi demeriti, si malum elegeritis pastorem. Nullum quippe in universitate criminum huic par est, quo malus deligitur orbis rector. Veniunt nempe omnia mala, omnia crimina pariter cum illo. Quorum enim iniquus elector in culpa est, quidquid enim successor pontifex, si, quod absit, rectus non est, exorbitantiæ, crudelitatis, scandali, iniquitatisve commiserit, hoc omne scelus ad malos electores defertur. Reddetis illius rationem in examine districti judicis. Cogitate vos morituros, Patres, & brevi quidem: quotidie nempe morimur, attendite quid profuerunt hujusmodi cogitatus & somnia Paulo, Sixto, Innocentio, quorum recens est memoria; quid collegis vestris, quos omnes absumsit mors, ut nunc esculenta vermibus præbeant. Intendite gregi dominico, in cujus sollicitudinis potiorem partem vocati estis. Quod si vos æterna non movent, quæ etiam moverent ferreos, & velut magnes attraherent. Consulite saltem conservationi temporalis dignitatis vestræ, cujus vel maxima summa est in electione Romani pontificis. Attendite rursum, Patres, attendite, & mihi, vera dicam, dicam equidem, indulgete: Non habuit semper vestra dignitas, quamvis in Ecclesia excellentissima omnimodam electionem Romani pontificis. Fuit aliquando imperatoribus credita, quod & jure constat. Adriani pontificis tempore. Aliquando cœtui vestro simul cum clero & Romano populo juxta ordinationem Nicolai secundi, deinde propter scindenda schismata & saniorem ac breviorem electionem ad senatum vestrum & merito quidem unice delata est. Non interfluere tamen multa tempora, quando universalis Ecclesia hoc tantisper immutavit. Quia enim variæ electiones à dominis cardinalibus celebratæ apud universam Ecclesiam de ambitione simulatæ & avaritia graviter suspectæ fuerant; ordinavit Ecclesia in Constantiensi synodo, quod præcise in electione MARTINI V. viginti alii electores, oratores principum & prælati ex parte nationum deputati senatui cardinalium adjungerentur: inter quos & Jo. tunc meæ Pacensis ecclesiæ antistes pro parte nationis Hispanicæ annumeratus est. Non tamen hæc eveniant, Patres, non digna sunt ut aliquid immutetur de solita & convenientissima Ecclesiæ ordinatione, qua electio capitis orbis ad cardinales Urbis unice ac meritissime defertur. Verum non sit in vobis abusus muneris. Nempe si, quod absit, crebræ essent & assiduæ in vos simultates, ambitiones, pactiones, in electione vicarii JESU-CHRISTI, & non pro utilitate publica, sed privata sponsum Ecclesiæ instituereritis, cogitabit Ecclesia, cogitabunt principes, ne is error cunctis fidelibus & universo orbi in perniciem sit. Considerare debetis, Patres, quam artissimo vinculo Ecclesiæ Romanæ teneamini, quæ vos carissimè fovet in sinu pectoris sui cum summa gloria & summa venerationis gratia. Rependite illi vicem, respondete in actione, occurrite labenti ac fluctuanti Petri naviculæ, quæ etiam non modo jam magnis operitur fluctibus, verum carybde & scylla importunis periculis involvitur. Præficite illi ductorem qui merito dicatur & sit vicarius Christi, successor Petri, universalis Ecclesiæ sponsus, director & pastor. Verum dicet aliquis: Satis mihi est, si bonum deligam, cui nihil obsistat canonicum. Longe ego aliter in hac summa electione sentio. Nempe non est mihi tutus quoad Deum, quamvis in contentione nihil timeat. Quæ cum agitur de summo eligendo pastore, relicto meliore, saltem in collegio bonum deligit. Inde Hieronymus: *Sciant omnes quod qui doctior, qui sanctior, qui omni virtute eminentior, is ad summum sacerdotium eligendus est.* Nempe si in ceterorum episcoporum electionibus attendenda sunt & pro possibili servanda illa capitula apostolicæ regulæ ad Timotheum, oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed domui bene præpositum, & alia reliqua; quanto uberius in electione episcopi episcoporum, & universalis pastoris animarum hæc discutienda sunt? Inde Symmachus papa beatissimus ait, Vilissimus reputandus est cum non excedit sanctitate & scientia qui est honore præstantior. Et Bernardus de Consideratione ad Eugenium III. Monstruosa res est gradus summus & animus infimus; sedes prima & vita ima. Si ergo, Patres, ad summum pontificatum semper & omni tempore melior assumendus fuit; quanto magis tempestate nostra, quando propter ruinam auctoritatis, libertatis & reformationis Ecclesiæ difficilior est illi regiminis via: adeo ut non modo videatur indigere hodie pontifice successore Petri in plenitudine potestatis clavium, verum & in plenitudine gratiæ miraculorum, cum fere miraculo adscribi debeat ex tanta ruina, ac fere ex stercore Ecclesiam erigere. In tanta ergo calamitate & necessitate, ac servitute Ecclesiæ plurimum oportebat inter alia capitula apostolicæ regulæ hodie cogitare, Patres, de quinto capitulo *prudentem*, de viro aliquo videlicet prudenti, provido, circumspecto sufficiendo pastore. Prudentia omnia fere bona sub se continere videtur, & maxima Ecclesiæ ruina ex ignavia & modica circumspectione pontificum pullulavit. Deligatur igitur à vobis prudentior quispiam, qui contra huic languori medeatur, restituat cum prudentia jura, privilegia & libertatem Ecclesiæ; principes & populos in bona obedientia continebit. Prudentia enim sine scandalo reformabit domum suam, Romanam curiam, & inde facile omnem Ecclesiam, quam etiam in pace & cum prudentia generaliter congregabit, vel in Laterano saltem, cum ea vel sola sit relicta medicina auctoritatis & libertatis & reformationis ecclesiasticæ restaurandæ, & Mahumeticæ expugnandæ

perfidiæ, per viam scilicet unius prudentis & pacifici generalis christianorum conventus rescindet, quantum par fuerit, exactiones novas, & servitutes curiæ, fideles & prudentes servos super familiam Domini constituet, fideles, inquam, ne fraudent; prudentes, ne fraudentur. Profligabit cum prudentia Turcos infestissimos hostes à fidelium terminis, qui quotidie imminent dorso nostro, ac membratim christiana dominia conscindunt. O mirabilem & exitialem somnum ac ignaviam Romanorum pontificum christianorum principum! Expergiscimini, expergiscimini. Jam prope est hostis, est in janius, & nos somno vinoque sepelimur. Non curamus cum ad nos hodie non devenerit hostis, quod ad Pannoniam vel christicolas alios descenderit. Omnibus tamen debet Romana Ecclesia, Patres, omnium est universalis parens, curam & sollicitudinem universi gregis dominici à Christo Domino suscepit, & vicissitudinem plagarum expectemus, verius timeàmus ab hoste, qui ita assuevit, nunc hos, nunc illos percutere. Consurgite, christiani Principes, vigilate omnes, devitate securim, quæ ad radicem vestram, verius ad cervicem sæpius apponitur. Si vellet bonus pontifex, quod utique summe velle debebit, animare christianos principes in exterminium istius feræ pessimæ, quæ universam depascitur Ecclesiam; non ambigo, quin bene suæ menti occurret Deus, zelus christianorum non deerit, juvabitur expeditio ex Zenzemnio nobiscum agenti, qui vires fratris sui tyranni Turcorum schismate minuet. Nempe si solum, Patres, ut nostra tueamur, exercitum comparemus, dietim exspurcissimus hostis nostra corrodet dominia, nec existimo divino carere mysterio quod hoc tempore hostis exercitum in christianos dimiserit, ut vobis, Patres, Innocentio demortuo magis ac magis necesse sit cogitare de optimo pastore, & dignissimo defensore christiani cœtus deligendo.

Verum si hæc omnia quæ sunt maxima & potissima missa faceremus, solum vestri gratia meliorem & prudentiorem eligere deberetis. Is enim solus poterit restituere vobis, libertatem, auctoritatem, existimationem, reputationem, gloriam deperditam. Et præterea numquam respondet gratitudine & amore qui bonus non est, nec fundamentum aliquod stabile amicitiæ & dilectionis teneri potest ubi virtus abest. Date igitur, Patres, pastorem, cui & vos merito subjiciamini, & terrarum principes cum Valentiniano dicant, talem in pontificali constituite sede, cui & nos qui gubernamus imperium sincere nostra capita submittamus, & ejus monita, dum tamquam homines delinquimus, velut curantis medicamina suscipiamus. Est enim merito Romanus pontifex, juxta Bernardum de Consideratione ad Eugenium, sacerdos magnus, pontifex summus, princeps episcoporum, hæres apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Attendite igitur patres accessuri ad tantum mysterium, tantum sacramentum, ad tam summam electionem. Circumcidite preputium cordium vestrorum, hoc est ambitionem, rancorem, æmulationem, ac simultatem omnem deponite. Spoliate veterem hominem cum omnibus actibus & tractatibus suis. Reddite hanc vicem Deo & Ecclesiæ, quæ apud vos hoc electionis munus deposuit. Nec vacare divino arbitror mysterio, quod prima dies istius veræ electionis in celebritate dominicæ transfigurationis incœperit. Nempe solemnitates Ecclesiæ imitationes sunt earum rerum, quas Ecclesia celebrat, Augustino dicente, solemnitates martyrum exhortationes sunt mysteriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Eia igitur, transformamini, transfiguramini, Patres, in viros alios, transformate Ecclesiam columnæ Ecclesiæ in splendorem alium, ita ut resplendeat facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus albescant sicut nix. Per faciem autem quid nisi caput & sponsum Ecclesiæ intelligam, per vestimenta quid nisi illius membra concipiam? Constituite ergo, Patres, in novo Ecclesiæ sponso deligendo tria illa tabernacula, quæ Petrus in excessu mentis constitutus fieri petebat, Christo videlicet, Moysi & Eliæ. Tabernaculum Christi ut fidelis & catholicus sit futurus pontifex & Christi imitator cujus vicarius. Moïsi, ut legislator optimus & mansuetissimus sit super terram. Heliæ, ut divini amoris zelator & Ecclesiæ reformationis & gloriæ æmulator vehementissimus sit. Confidite, sperate, Patres, in Christo Domino: illuminabit vos, juvabit vos, si recte in bonum tenderitis. Magna nempe est sibi de Ecclesia cura, unde Chrysostomus ait dignissime in quadam homelia: propter Ecclesiam cælum extensum est, aer sparsus est, mare diffusum est, terra fundata est, paradisus plantatus est, mirabilia magna facta sunt. Propter Ecclesiam mare dividebatur, & iterum suebatur. Propter Ecclesiam prophetæ, propter Ecclesiam apostoli, propter Ecclesiam unigenitus Dei filius factus est homo. Ipse illam fundavit, qui angelos & cælum creavit. Propter cælum crucifixus non est, propter cælum cæleste corpus non accepit, nec naturam cælorum assumsit, ut discas quoniam cælo angelus & omni creatura honorabilior est Ecclesia. Hæc Chrysostomus. Cui igitur tanta est de Ecclesia cura; non erit de capite & sponso ecclesiæ? Erit profecto summa & maxima. Illuminatio quippe, motio, & inspiratio divina in electione capitis Ecclesiæ major quam in ceteris futura est, nisi nos obicem divinæ motioni apposuerimus, quod nostris quandoque demeremur criminibus, juxta quod scriptum est, regnaverunt & non ex me, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Hoc tamen vestro ministerio & divina clementia in tanta Ecclesiæ necessitate non expectamus, Patres, utinam verba nostra, quæ non nostra sed Dei sunt, eo suscipiantur animo, quo dicuntur. Vobis ergo, Patres, sit bona mens, non deerit divina illuminatio, concordia & inspiratio. Nobis omnibus inde erit optima spes, erit vobis auxilio his diebus universa Ecclesia oratione continua, & ad Christum, de cujus vicario

agitur; & ad Petrum, de cujus successore. Dabitis nobis pastorem qui reformabit & eriget collapsam Ecclesiam, sub quo ad spiritualem audeat dicere, *Ne læteris inimica mea super me*, nempe *si cecidi*, ignavia, infamia, crimine; ab his omnibus sub optimo pastore *consurgam* quem nobis concedat Christus Dominus in sæcula benedictus. Amen.



CHRISTOPHORI MARCELLI ELECTI CORCIRENSIS ORATIO

AD LEONEM DECIMUM PONTIFICEM MAXIMUM, DE SUMENDA IN TURCAS PROVINCIA.

Ex ms. S. Vincentii Cænonamensis.

A Quod erat optandum maximè, Pater sancte, & quod unum ad christianæ reipublicæ salutem, Romanique imperii dignitatem pertinebat, id non humano consilio, sed divinitus donatum, ac oblatum his temporibus esse videtur. Quibus te in excelsa hac pontificatus sede collocatum tamquam Deum alterum veneramur. Quippe quoniam partim discordia, ac ignavia principum, partim atrocissimorum hostium impietate ferè prorsus sit collapsa religio, ducem alium Deus optimus instituere non poterat, neque nos desiderare pontificem, qui melius aut sanctius, citius aut integrius eam erigeret, augeret, confirmaret, quam tu cui tam felicibus auspiciis in florentissima ætate, quod nullis aut paucis contigit, datum est sacratissimi hujus imperii habenas regere, omniumque principum virtutem ac felicitatem facilè superare. Si enim perturbationem, qua pontificia prius dignitas agitabatur, quodque illi ex fidelium & armis periculum imminebat, respicimus, non aliunde profectò putandum est te tamquam unicum felicitatis jugum nobis apparuisse, neque alia ex causa effrenes, ac immoderatos eorum animos tibi conciliasse, quam quod Dii immortales ita ex proposito voluerunt, ut pacatis fidelium animis, communi utilitati, ac reipublicæ saluti consuleretur, atque ideo adversus impias Turcarum gentes, quandoque manus nostras dirigere, vires & arma tamdiu infausto cruore madentia experiri auderemus. Sperat, immo inflammata est universa Christi religio ad tam pulchrum, tamque necessarium expediendum opus, quod tantopere commendatur assiduè, sed numquam potuit inchoari. Expectata venit (si libeat) jam illa dies, quæ te felicissimæ hujus provinciæ auctorem habere potest, statutum tempus habetur, quo si volueris immanissimas Turcarum feras facilè superabis. Si enim potentissimum ac felicissima victoria potitum regem, cui armis jam coactus es cedere, & quem ad imponendam tuæ ditioni manum fortuna impellere videbatur, sola auctoritate continere, ac inflectere potuisti, quid quando auctoritati jungentur arma, & adversus truculentissimos Dei hostes dimicandi data erit occasio? eo tempore de totius reipublicæ salute non agebatur, neque adversus impios acies erant instructæ, aut validissimæ Elvetiorum phalanges, at B modo (si dabitur) & pro universa religione provinciam sumes, & impiissimis te objicies hostibus. Id voluit divini numinis auctoritas, non tuis armis efficere, ut & in tui benevolentiam christianum regem facilius concitares, & majorem quamdam tibi inesse facultatem rex ipse cognosceret, cui nulla armorum vis, nullus gentium apparatus, nullum robur legitime valeat comparari, si victus itaque victorem exsuperas, si ad exorandam pacem tuosque sanctissimos exosculandos pedes supplicem reddis, quid C in nequissimum tyrannum fieri posse putas? Si quandoque bellum illi, & quam justissimum inferas, subque sanctissimo Christi vexillo ultricia fidelium arma commoveas? Certe id ipsum palam fecit, antequam hunc dignitatis attingeres apicem, divina virtus, cum pro ecclesia in castris legatum agens victus caperis, è manibus hostium nulla vi mortalium liberaris, redderis patriæ, immo ipsa tibi redditur patria, ac demum præter omnium, & tui etiam ipsius expectationem, quod à Diis immortalibus numquam ausus fuisses expetere assequeris, in chri-

ſtianæ reipublicæ principem omnium votis eligeris. Sunt hæc præludia, ac manifeſtiſſima tuæ felicitatis indicia Quæ profectò cum nulli ex pontificibus contingere viſa vel audita ſint umquam, neque major principi gloria debeatur, quam quæ ex communium hoſtium debellatione conſurgit, hæc tibi à cælo ipſo provincia demandata eſſe videtur. Id nobis tua virtus, ſummaque ſapientia pollicetur, ac ingens animi magnitudo, qua pro viribus ſemper meliora proſequeris, obliqua dirigis, & quæ ad reipublicæ dignitatem faciunt fieri majora procuras. Nullus eſt qui velut rei hujus ardentiſſimo deſiderio detinetur; ita etiam id fieri non poſſe putet, ut tuis auſpiciis omnia ad vota, & facilè deducantur. Sciunt omnes te ex tuo munere & chriſtianæ pietatis amantiſſimum, & Romani amplificandi imperii cupidum fuiſſe, & jure optimo debuiſſe. Conſiderant quanta ſit tua apud chriſtianos reges auctoritas, fides, poteſtas, atque ita ex fide auctoritatem, ex auctoritate virtutem conjiciunt, ut in certiſſimæ victoriæ ſpem maximam erecti diem illam non videant, qua compoſitis fidelium animis explicentur ſacratiſſima crucis vexilla, ut tam diri hoſtes noſtra quoque arma pungere intelligant, debitaſque luant tantorum ſcelerum pœnas, quorum impietas quanta ſit, quam fœdiſſima vitæ conſuetudo, ſævitia, & præcipuè in chriſtianum nomen odium, furor, immanitas, nemo eſt qui poſſit æquis verbis exprimere. Gens crudelis ab origine, & impia ferarum more non inter homines educata virtutem omnem abjicit, omne ſcelus admittit, juſtitiam violat, furori cedit, libidini indulget, rapinæ, cædibus, proditioni vacat ſine certis legibus, ſine certo Deorum cultu, ſummum bonum in voluptate, ac humani generis diſſipatione conſtituit. Nulla ei amicitiæ, aut affinitatis eſt ratio, non fratribus, aut parentibus, neque (quod ferè incredibile) liberis parcit, qui ſolent eſſe cariſſima vitæ pignora, non dominandi gratia, ſed immaniſſimam puto ſitim explendi, quod ſemper humanum genus ex prava conſuetudine conſectatur.

Quippe cujus progenitores Scythas fuiſſe compertum eſt, qui aſperrimos ad mare Caſpium adjacentes montes inhabitant, quos & humanis carnibus veſci, & volutari cruore, teſtis eſt Ariſtoteles.

Quomodo enim juſti, aut cujuſpiam legis cultores appellandi ſunt hi, qui in minimis dumtaxat vix quamdam juſtitiæ umbram ſequuntur, in maximis nihil obſervant? Horum plurimi ex aliena fide venientes chriſtianis utuntur ritibus, & ipſi inter ſe varias ſectas habent, quibus nullum certum religionis cultum præ ſe ferre videntur, chriſtiani tamen nominis indiſcriminatim omnes oſores acerrimi, præſertim hi, qui varietate legis, ſuam reſpiciunt in melius commutaſſe fortunam. Id omni ſublata ratione ipſa rei experientia docuit, qua à LXX. jam annis tot populationes, incendia, præclariſſimarum urbium everſiones, tot cruentiſſimæ, & ſine numero viſæ ſunt cædes, tot eorum hoſtium per omnem

A Greciæ oram, per Illyricum in Italiam uſque debacchantium horribiles diſcurſiones, provinciæ hinc inde in Aſia in magna Europæ parte vi captæ, ſubjugata imperia, nulla fidei, aut pietatis habita ratione, ut dum conſidero à lacrimis continere non poſſim, & præ aliis dum hæc refero, in mentem venit dira illa ac crudelis nimium Conſtantinopolis captio, à qua tamquam à fonte quodam uberrimo omnium malorum & ingentia quidem flumina prodiere, ubi numquam major viſa eſt in chriſtianos diritas, ubi ſacrorum omnium defœdatio, pol-

B lutio virginum, templorum profanatio, uterorum exſectio, imaginum everſio, abuſu, conciſio, incendium, & quædam alia (proh dolor) quæ pudet dicere, immo cogitare ſcelus eſſe videtur? Idipſum (ut alia taceamus) apud Methonem ſolas in tanto terrarum numero Peloponeſi reliquias, noſtris temporibus captam exercuerunt nefandiſſimi Turcæ. Quo tempore tota trepidavit Italia, nedum urbs Venetiarum ampliſſima. In qua paſſim cernere erat lacry-

C mas, ſingultus, & ad cælum uſque adeo elata ſuſpiria, ut cujuſque jugulo Turcarum enſibus proximè inferendum exitui videretur. Hæc ſunt gentis hujus in nos odia, hæc quotidie horum hoſtium corda corrodentia, exurentiaque venena; quibus die nocteque nil aliud cogitant, quam de adimendo à Chriſtianis imperio, nullam rem magis affectant, ac ipſi palam ingenuè profitentur, quàm ſanctiſſimam tuam occupare ſedem, teque è tuo ſolio pellere, tuum ſceptrum accipere, Chriſti ſervatoris nomen delere, univerſo terrarum orbi leges imponere, hoc &

D nil aliud moliuntur, hoc concipiunt animo, hoc ſatagunt, hoc indeſinenti cura ſollicitant. Feres æquo animo tantam inſolentiam? imminens capiti tuo periculum non formidabis? voles hanc ignominiam pati? tolerabis ſuper beatorum apoſtolorum (ut minantur) aram truculentiſſimi Regis equum depaſci? ſacra omnia deturpari, conculcari, inverti? tolerabis hæc iniqua omnia, an potius chriſtianorum ignaviam concitabis, arma movebis, quæ rubigine exeſa in communes hoſtes dirigi non potuerunt, inter fi-

E deles novo quotidie ſanguine ferveſcere conſpecta ſunt? Nonne memoriæ proditum eſt Sixti Quarti pontificis tempore hanc peſtem apud * Idiutum præclaram Apuliæ urbem Italiæ invaſiſſe, ibique tamdiu immoratam eſſe, ut non facilè dimoveri potuerit? revoca in mentem quantus inde ut pellerentur hoſtes, virium conatus affuit, quanta trepidatio animorum, quam ingenti periculo ſubdi res eccleſiæ videbantur. In caput properabat furor ille contendere, ut uno ictu cetera membra langueſcerent, ac ſuo

F deinceps imperio ſubderentur: Quid putas aliam illis modo mentem adeſſe, vel animum? an imbecilliores ingenio aut viribus facti ſunt Turcæ, quorum fortuna ab eo tempore hactenus ſemper increvit? Crede mihi, dira eadem ac effrenata eis eſt dominandi libido, idem impetus & flamma furoris, quæ tantùm incrementi aſſiduè ſuſcipit, quantùm ipſa voti conſecutio retardari videtur. Neque quod ſævisſimus

* f. Idruntum.

simus ille tirannus in Persas est à principio bellum adortus, Venetisque nescio quoddam pacis præstigium pollicitus, credendum est eum à majorum suorum instituto nullatenus dissentire. enim fratres omnes ferro necaverit, ne solus nepos, qui ad Persarum regem Sophenum sic appellatum fortè confugerat, superesset, furore quodam potius actum fama erat, quam sponte eam belli provinciam suscepisse. At si secus forsan conceperit animo, (ut jam passim, & certus factus est rumor, eum Alexandri Macedonis instar, parto oriente, in occidentem arma moturum) ad totius terrarum orbis imperium ita sibi facilius vindicandum aspirat. Nonne rei hujus manifestissimum indicium habitum est? Quum ubi se in Sophenum denuò iturum insimulans, copias in Syriam deflexisset, cum Mauris decertasse, vicisse, jamque defuncto eorum rege, quem Soltanum appellant, eam occupasse provinciam totus orbis intonuit, quo pacto ad credendum quispiam adduci potest, qui fratres interemit, qui patrem spoliavit imperio, qui jura omnia tam divina, quam humana pervertit, in eos quos semper habuit hostes mitescat modo, refrigeat, ac, ut ita dixerim, à semetipso recedat. Jamque ingens ex triremibus classis, quæ ad navigationem facile deducatur, non in Persas neque ad Bosphori custodiam, cum longe minor sufficeret, sed potius ad Ægeæ Ioniique maris insulas, ad Cyprum omnium electissimam capiendam, mox & fortasse prius ad Italiæ invasionem, ad tui perniciem, ad supremum nostræ religionis excidium præparatur. Timenda est omnino hujus ferocissimæ belluæ immanitas, qua, audio, progenitores suos, & avos, & proavos furore, sævitia, impetu, uno, & eodem ordine superavit. Neque velut in Persas admotum, quamquam minus ei prospere bellum successit, nos docuit pavere fortuna, itamodo, sed longe magis pertimescendum est, quum in soltanum regem maxima potitus victoria post Syriam Ægyptum quoque (ut puto) paulo post suo adjunget imperio. An nesciebamus quam anceps & dubius esse solet fortunæ motus, & qui interdum ad internecionem deductus est, respirare statim, vires assumere, qui victus erat victorem fieri, hostemque magno discrimine superare? Ut Romani in Hannibalem, Lacedemonii in Persas, ut Cesar, Marius, Lucullus, ac his demum temporibus Veneti insperatæ victoriæ compotes extitere? Qui amissum fere totum imperium recipere nisi sunt, ac in pristinam pene ditionem restituti. Nulla profecto est culicis ad elephantem, lepusculi ad leonem, columbæ ad aquilam comparatio. Supererat ab eo conflictu tyranno ingens copiarum vis, eaque junctis opibus auctoritas, qua tantum sibi (ut par erat credere) comparavit imperium. Non est itaque pellendus pavor, non abjicienda sed augenda suspicio, non postponenda, sed quam ullo umquam tempore suscipienda magis hæc tam celebris, tam necessaria, tamque diu expectata provincia. Gens hæc dira nimium antequam orientali potiretur imperio terrarum modicum possidebat, quæ mox parvo interjecto

A tempore pluribus & Asiæ, ut vides, & Europæ ne dicam urbibus, sed regionibus latissimè dominatur. Crede mihi velut ex modicis initiis aucta est, inque maximum dignitatis culmen evecta, ita nunc immò longè facilius in alias victorias erigi, sibique totum terrarum orbem vendicare posse si præstolabimur, si diutiùs vili hac soporis ignavia detinebimur. Quum de diruenda Carthagine apud priscos Romanos in dubium verteretur, ac ipse Cato Censorius id omnino suadere vellet, in senatum recentes at-


B tulit ficus, quas ex Carthagine allatas esse dicebat, sique ulterius eam sibi infensam urbem servatam vellent, numquam de pace, sed quotidie in majori discrimine rem Romanam constitui cogitarent. Cujus tantæ vis ea fuit oratio, ut evertendam quo citius fieri posset illam decernerent. Num minùs propinqua nobis est Turcarum regio, aut minus infensa quam Carthago Romanis? An illis ex eorum hostium viribus majus periculum imminebat, quam nobis

C ex nostris? Cingitur quod in Græcia terrarum modicum possidetur à Turcis, immo præter insulas quasdam, maritima tantum, neque omnis nostræ ditionis est ora. Totum Illiricum occupant, unde acerrimè, & assiduæ fiunt discursiones in paucas illas Dalmatiæ urbes, quæ sine agris solæ vix continentur à Venetis. Ita scire potest (si velis) hos hostes nostris esse non regionibus, sed penetralibus intimos, ut una tantum, & brevissima quidem velificatione nobiscum in Italiam veniant hospitatum. Si Ro-

D manis rerum dominis cordi erat pro servanda pace unam tantum urbem evertere, quid nobis in animo esse debet, & tibi imprimis hujusce reipublicæ principi in admovendis quandoque copiis, in inferendo bello pro consequenda victoria adversùs maximæ auctoritatis Tyrannum, qui tam felix à fidelibus prius, mox à sui generis infidelibus ademit imperium, qui nostris cervicibus imminet, quodque reliquum est spiritus & vitæ, nisi refragetur, arripiet. Verè ipse Deus optimus maximus, neque aliud tantis

E impiorum furoribus obstitit, neque struxit..., quamque suis manibus fundavit, everteretur Ecclesia. Quem etiam quandoque spero (dum velis, nostraque non obsistat ignavia) in tam pio aggrediendo munere ita præsto futurum, ut omnia pro votis sis facilè assecuturus. Neque ita nos perterreant hostes, ut timeamus tantam provinciam sumere. Ceterum is timor adsit qui nos animosiores efficiat, qui cum fortitudine bene compositus in causa sit, cur prudenter &

F viriliter omnia conficiantur. Duplex enim timoris est species, ut voluit Plato; altera qua id quod timemus, tamquam perniciosum quoddam effugimus; altera qua in id quod opponitur vehementius concitamur. Muliebris quidem, & effeminati est ita in rebus arduis absterreri, ac concidere animo, ut agere quicquam, vel audere non liceat. Vir fortis ac magnanimus inde cognoscitur, quod nonnisi magna & difficilia aggreditur, quæ cum timeat, ne majora interdum, difficilioraque fiant, sese illis opponit. Formidemus hostes, quum assequi victoriam audeamus. Ti-



meamus bellum, quum pacem, restitutamque rempublicam esse velimus. O quam probus, quam felix est timor ille, qui mortales ad quicquam egregium excitat, quam prava & detestabilis hominum arrogantia, quæ ita segnes illos, ac desides habet, ut de futuro non cogitent, imminentia mala non spectent, incautique ruant in præceps. Consideremus quæ sustinuimus, & quæ cito laturi sumus diligenter prospiciamus, ut reipublicæ salutem & restitutionem curemus. Idque in primis ante oculos habeamus quodusque adeo difficillimum extitit, ut fieri numquam potuerit, Christianorum scilicet principum conspirationem, quæ tamen superioribus annis in Venetos ita fieri potuit, ut magis adversus impios fuisse quandoque debuerit, & facilius futura credatur, si nos ipsos patriam, Dei immortalis pietatem ante oculos habuerimus. Tantæ animorum discordiæ, tantæ injuriarum, ac ultionum intentiones, votorum disparitates, odia, æmulationes numquam credebantur, non dicam in Venetos, sed ullatenus posse conjungi. Quæ tamen, & junctæ sunt, & longè deteriores peperere fructus, quam si à Turcis ipsis reipublicæ maxima illata fuisset afflictio. Non enim hic, exclamare liceat, ô Reges (mihi parcite) ullam tantæ conspirationis causam habebatis in Venetos, omnem in Turcas. Hæc numquam fieri potuit, quod noluistis, quod mille oblatis occasionibus torpore quodam acti tam gloriosam provinciam semper abhorruistis. Quam utilius vestra in communes hostes cum Venetis arma coïssent, quam magnificentius cum Christiana republica ac gloriosius ageretur, quam lætiores adessent victoriæ, quam feliciores triumphi. Non extitisset tanta mortalium cædes, neque tanto cruore maduisset sæpius hæc infelix Italia. Gauderet Tuscia, exultaret Æmilia, utraque Gallia jubilaret, quam maximè omnium lætaretur Venetia. In qua non alia ex causa (ut reor) præclaram urbem solam adversus tot & tantos bellorum impetus Dii immortales subsistere voluerunt, quam ut sine Venetorum ope felicem hanc expeditionem fieri non posse pateret. Quis enim umquam princeps, quæ civitas, qui populi, quæ respublica jam tot annos veluti propugnaculum quoddam his sese opposuit hostibus, quæ opibus, & sanguine rem Christianam tutata est, quæ barbaricam rabiem, ne ad tuam usque sacratissimam sedem ac universam occidentis plagam proripere intercepit, repressit, minuit, præterquam Veneta? Quoties munitissimas, numerosissimasque classes in Thraciam, Epyrum, Liciam, Pamphiliam, aliasque orientales provincias pro re fideli miserunt Veneti, quot felices victorias reportaverunt, nemo est qui mente referre non possit, an nescis alias una cum Gallis eos, & Constantinopolim, & maritimam Syriæ oram usque ad Hierosolymam, & Domini sepulchrum cœpisse? Conciliandi sunt itaque fidelium animi, sancta hæc veraque pax & concordia componenda, sedanda discordia, impia hæc & atrocia inter christianos diutius agitata arma ponenda. Tu illis suade, qui supremæ auctoritatis es pontifex, cui à cælo

A ipso datum est terrena hæc omnia moderari; tu, inquam, suade, quoniam præstantissima est, & à sæculorum principe in hereditatem nobis ac unicum thesaurum condonata. Omnia pace vivunt, concordia constant, conspiratione subsistunt, amicitia coeunt, & animalia, & stirpes, & elementa, & cælum ipsum, & divinarum mentium chorus, & denique quidquid in universo rerum ambitu continetur, hinc apud Orpheum ante Deos omnes productus amor ab absolutissimo universi principio canitur. Et celeB bratissimus ille, sanctusque ex ore Dei locutus vates, verbo Domini cælos firmatos dixit; & spiritu oris ejus, quem amorem appellant, omnem eorum prodiisse virtutem. Quid enim vera pace dulcius, quid consensu suavius? quid ad omnia aut inchoanda, aut conficienda præstantius? quid denique in humana societate felicius? Natura enim socialis homo cum sit, inclinat ad pacem. Hanc Deus optimus præcipit, ratio suadet, justitia petit, & tanta malorum moles C cogere, nedum expostulare videtur. Huc tuum admove animum, in hoc tuas vires exerce, mentem ac ingenium adhibe, omne studium & auctoritatem impone. Jam vides (sic permittente Deo) quemadmodum Veneti in tantis bellorum fluctibus durare, seque secundis servare potuerint. Jam divina, si umquam irata fuerint (ut reor) placata sunt numina, neque amplius cædes, furores, diffidia, sed pacem & concordiam affectare videntur. Facilè si quid superest dissensionis tua auctoritate sedabis, omnibus communem D hunc animum & voluntatem impones. Quam certe dicunt ita ex tuo pendere arbitrio, ut eam in manibus teneas, & quotiescumque volueris præstare possis. Jam diluta, abolitaque sunt, ac esse debent (si qua fuerint) crimina. Jam indignatio tollenda, extinguendum odium, ut justissimum & gloriosissimum bellum adortis pax illa qua major in terris dari non potest, suo jure succedat. Jamque in vulgatum passim habetur, hanc si volueris, expectatissimam venisse pacem, qua res Italiæ, à tanto bellorum turbine conE quiescant. Cui auctoritate tua in Turcas est adjiciendus consensus, si veram, si probam, si Deo gratam, si denique perpetuam esse velimus. O quam felicem (si id fieri quandoque contigerit) quamque gloriosam habebimus pacem? Qua post tantam belli amaritudinem, vastamque sanguinis effusionem in tanto rerum discrimine cælestis patriæ instar, tua hæc respublica amore flagrans, sibi ipsi consentiat, vires uniat, hancque tam præclaram expeditionem suscipiat. Numquam hæc christianorum conspiratio F confecta fuit, numquam etiam vel tanta necessitas institit, vel nobis major data est, ut conficiatur occasio. Non enim tyrannum habuit aut feliciorem, aut sæviorem impietas, neque alterius Pontificis auctoritas similis affuit, excusatur Pius secundus, qui morte præventus id muneris non potuerit exsequi, sed non eam quidem, si superstitisset, habuisset erga se fidelium animorum propensionem. Neque tam in promtu eo tempore habebantur arma, aut adeo pugnaces militum animi, quemadmodum tempestate

hac præsto erunt (si volueris) magnanimine pontifex. Adest in Italia christianissimi & invicti regis exercitus, qui pluribus animatus victoriis se ad felicissimam accinget militiam. Non tergiversabunt hanc provinciam quamvis agitatissimi Veneti, immo si solus eis vitæ spiritus nedum arma, vel opes superessent, eum quidem ita pro communi omnium voto æquo exponerent animo, ut nihil umquam egisse libentius viderentur. Sunt illis etiam ingenuæ satis, neque animatæ minus militum copiæ, quæ (si vera sint quæ publicus attulit rumor) superiori anno in præstando Gallis subsidio ita eorum spem confirmarunt, auxerunt, ut & ipse qui tum aderat rex invictissimus & Galli omnes, & fracti Elvetii, ac universus denique terrarum orbis attestetur à Venetis memorabilem illam victoriam processisse. Eoque facilius tam præclarum subibunt onus, quo se viderint & à tanto pontifice concitatos (cui parere regnare est) & præter communem in recuperandis urbibus, propriam etiam utilitatem inspexerint. Non deerunt fortissimæ Elvetiorum phalanges, quas tuo semper nutu quocumque volueris admovebis. Non deerit Hispanus, non Britannicus, non ipse Cæsar deerit, quem (ut audio) cum suapte natura sit clemens, ac animi satis ingenui, pro re tam pia in tuam venire sententiam non dubitamus. Potuit cum infensissimo sibi & honoris, & imperii hoste componi adversus immanissimos Dei hostes, cum tam pio, tamque magno pontifice coïre non poterit? Nonne illa mens illi semper fuit, & animus, præsertim eo tempore quo magnum, neque amplius auditum, creditumve fœdus percusserunt maximi reges in Venetos? Quibus attritis, aut sublatis è medio tamquam gradibus quibusdam liceret impiis hostibus pro communi pace commune bellum incutere? si tantam adorti provinciam sine Venetis se confecturos sperabant, eosdemque modo (ipsis consistentibus) & longè faciliores gradus Deus, & fortuna concedit, quid negliget amplius, aut aspernabitur una cum ceteris Cæsar tam felicem belli occasionem? Utinam non fuissent alii huic tam præclaro apparatui impedimento, quam Veneti; tam egregie nobiscum ageretur modo, ut hac de re de qua nunc impensissime agimus, non esset sermonis locus. Non enim impedimento christianis rebus, sed adjumento semper maximo Veneti extitere: quippe qui Barbaricos toties continuere & repressere tumultus. O quam probrum id, quam justum fuit hisce regibus impedimentum, de quibus ita oppido benemeritum extitit, ut illius causa ea molirentur nescii in sui perniciem, quæ Deus optimus & oculatissimus avertere statuit, ac eorum votis pro communi omnium salute obstitit, suaque (sic dixero) intentissima tela direxit. Id maximè tuum debet confirmare animum, ac in spem meliorem erigere, quod videas non dicam sine numine divum, sed maxima Deorum omnium prudentia factum fuisse. Non erit Cæsari pro ullo discrimine tam necessarium omittendum opus, tam felix postponenda provincia, tam amplum, tamque faustum dimittendum imperium. Coïbit certe cum ceteris, si hæc illi, & alia commemoraveris, quæ sunt imperatorio nomine digna, si vehementer institeris, eumque sæpius tuo, christianæ reipublicæ & servatoris nomine fueris adhortatus. Quo facto tibi reliquos non dubito principes adhæsuros, qui tuis pareant votis, quosque forsan tam ardentiori animo, quam viribus aliàs paratos invenies. Qui gentium apparatum subministrare non poterit, supplebit opibus, & inter alias præclarissima Florentina respublica, quæ ita tuo subest imperio, ut pro re hac nihil suffragii, aut virium ab ea sis petiturus, quin sit ex animo, & facillimè concessura. Quippe quæ & divino cultui, & communi pietati semper intenta floruit, & nunc maximè tua amplitudine floret. Quid de invictissima Pannoniorum gente commemorem? Quæ nil aliud magis affectat aut cogitat, quam ut tam sanctæ rei hujus intueatur initia, sævaque hæc christianorum principum sedetur discordia, coeant vires, subministrentur opes, quibus sola, ne dum alienis adjuta viribus, non hostium modo, quos diu sustinuit, conatus impediat, sed vincat & superet, est eis gentibus validissimus equitatus, & frequentes sunt, numerosissimæ, & ad id peragendum munus flagrantissimæ peditum copiæ, quibus audeant ingenue profiteri, dum opes adsint, posse Turcarum impetus facilè superare. Nulla sanè gens aut populus pro christiana pietate magis est ad pugnandum (sique oportuerit) moriendum paratus, quod fides & religio ea sit quæ ita illos inflammet, & diutina in hujusce generis hostes præliandi consuetudo. Vidimus his superioribus annis, dum apud eos in Turcas, ficta-ne, an vera (nescio) convocatio fieret, tantam animorum accessionem, tantumque bellandi ardorem, ut in communem locum omnibus fortunis depositis, maximoque facto concursu, ferventi animo arma è vestigio caperent, peditesque soli (relictis equitibus) auderent tantam provinciam aggredi. Utinam sic ipsi equites promti extitissent animo, ac pariter christianæ rei præsto fuissent, non accidisset inter eos tam dira, tamque crudelis & truculenta seditio, qua equites conati sunt peditum ardorem illum optimum una cum vita restinguere. Jam extincta seditio est, tumultus abiit, adest pristina animorum concordia, idem omnes quod prius, modo concupiunt, neque à tua voluntate dissentient. In communem itaque sententiam, postquam eos principes tua auctoritate deduxeris, facillimum quidem erit modum, viamque statuere, qua hæc suscipiatur provincia, ubi congregentur copiæ, an terra marique præparandum sit bellum. Hoc uno principio maximè laborandum, cetera suo cursu ac ratione succedent. Semper enim difficilia hæc habuerunt initia, ut faciliores, melioresque sequuti sint exitus, & quæ principio modica viderentur, maxima circa finem sint amplitudine aucta. Incipe igitur ac feliciter auspicare; quodque opus est jam bono omine aggredere. Et (ut mea fert opinio) cum classico, & terrestri indigeas apparatu, utrumque tibi pro viribus efficiendum. Hinc per planiciem Pannoniæ terrestris deducendus exercitus, inde


validissima classis, quæ non urbem hostium ullam, (A) aut insulam adeat, sed utrimque uno, & eodem tempore (si fieri possit) Constantinopolim illam regiam accedendum, ut ea capta reliquas omnes cœpisse proculdubio videaris. Hoc enim caput habet, ut dum languet & patitur, membra similiter omnia patiantur, neque diutius queant sine illius ope subsistere. Is urbis situs est, quo juxta Pontum in Græciæ finibus constituta fere Asiam ab Europa disterminat. Ubi hostilis imperii medium residet, ac in ea velut (B) in corde suas Turcæ colligunt vires, unde opes & robur accipiunt. Huc animum tuum appone, huc tende, huc dirige oculos, in hanc tuos statue in primis exercere conatus. Terrestris exercitus Elvetiorum, Germanorumque instructissimum habeat peditatum. Galli, Itali, ac Hispani sint equites. Ad eumque militum numerum deducendæ sunt copiæ, quo nec multitudo nimia confusione, nec paucitas imbecillitate ignominiam pariat. Nec te itineris longitudo deterreat, quin & Germanas, & Gallicas in Pannoniam (C) rationes deducas. Nam per Danubium eò cito Germani devenient, à Mediolano Galli ad Budam Pannoniæ metropolim mensis unius commodissimum iter habebunt. Neque pro tam felici provincia via ulla potest esse difficilis, aut longitudine tædiosa, cum & montium asperitatem, & marium amplitudinem pia hæc intentio leniret atque minueret. Dabunt suam Veneti Classem, qui cum alias apud Jopensem Ciliciæ portum ducentas numero naves habuerint, remque modo sint feliciorem acturi eam munitissimam (D) quidem habebunt. Rex christianissimus in hoc quoque suam præstabit opem, si & cognominis dignitatem, & animi præstantiam præ se ferre voluerit. Itidem Genuenses agent, & piissimi Rhodii, qui in maritimis versati negotiis, & pugnaces & viriles semper habiti sunt, qui etiam adversus hæc fœdissima impietatis monstra & præsertim in sua civitate servanda multos, ac strenuos edidere conatus. In hunc modum obsessa (si dabitur) civitas (quod futurum facilè creditur cum in Syriam sit Turcarum omnis translatus exercitus) diutius contineri non poterit, laborabit rei frumentariæ (E) inopia; quæ ex mari plurimum advehi solet, neque ob classis amplitudinem vel præclusus Bosphori habebitur aditus, vel ex Asia ulterius copiarum deductio fieri poterit: triremium ille maximus apparatus, si solertes erimus, impedietur. Quod si forte antequam utrimque vires accesserint cum hostibus conserendæ sint manus, non est propterea de victoria dubitandum, si quas commemoravimus habueris copias. Etenim non ea sunt Turcarum arma, quæ præferunt, aut frequentia militum, cujus terrore (F) sæpius res christiana est in discrimine posita. Levis est equitibus armatura, peditibus certè levissima. Nostri equites eorum comparatione turres armatæ videntur, Elvetiorum fortissimæ, stipatissimæque phalanges nostri erunt exercitus mœnia, & longis illis, quarum Turcæ nullam habent experientiam, interfectis Sarissis, muri cujusdam instar & cum equitibus pugnabunt acriter, & omnem peditum ordinem commutabunt. Neque hostium usque adeo maritimæ expavescendæ sunt vires, cum & navium multitudine, & tormentorum præstantia & hominum peritia tua erit (spero) classis longè superior. Certè si hæc gentium arma eo usque collecta deduxeris, victoria tua est, atque ita tua, ut non alterius futura sit, neque ullo umquam tempore esse potuerit. Sæpius gens hæc immanis ob nostram nobis ignaviam, maximumque dissidium terrorem pariter & jacturam incussit. Numquam talia Turcæ experti sunt arma, numquam tales hostes oppositos habuere. Ferè semper vel sine congressu in populos debacchati sunt, vel in regem aliquem ab aliis destitutum suos intulere conatus. Quemadmodum & imperator ille infelicissimus concidit, & urbes quæ pro Venetis habebantur captæ, & totum occupatum Illyricum, & novissime Maurorum defuncto rege, à quibus alias semper belli ignominiam passi sunt Turcæ, in Syria subactum imperium. Si enim id quandoque, quod tantoperè desideravimus, datum fuisset à cælis, ut nostra tam felix militia sese his hostibus opposuisset, numquam profecto, neque minimam victoriam reportassent, semper occubuisset. Nonne Mathias ille Pannoniæ rex invictissimus (cui similem numquam habebit posteritas) id palam sæpius fecit? Nonne eos terga vertere, secumque turpiter victos pacem componere docuit? Sæpius rex iste fortissimus ac maximus belli splendor cum inferioribus copiis, sed longè superioribus animis hisce cum hostibus manus conseruit, ac felices victorias reportavit. Quos medius fidius edomuisset si vel majori adjunctus præsidio, vel tam cito ejus felicitati fata non fuissent invisa. Quid referam quam strenuè, quam viriliter apud Belgradum maximam illam ex centum millibus armatorum obsidionem solverit & Crucis Vexillo munitus, & firma in Deum optimum pietate animi roboratus? Ubi maximus & ferocissimus Turcarum qui aderat imperator si alias pluribus clarus victoriis dictus est felix, ob eam quam tunc passus est ignominiam, certe fuit infelicissimus, supersunt iidem populi una cum viribus, eadem arma supersunt. Adsunt etiam Bohemi viri quidem in armis experti, ac ipsis Pannonibus loco, & in hac potissimum re semper affines. Si solæ hæc hominum vires potuerint in Turcas proficere, quid putas te tuo facturum exercitu tanto robore, & numerosa militia prædito. Potuerunt Balduinus, Gefredus, & Roberti duo ex Gallia principes una cum Venetis paucis quibusdam copiis ad Hellespontum felicia asportare signa, ac inde in Asiam devecti totam martimam Siriæ oram ad Ægyptum usque & Hierosolymam occupare. Qui non erant tibi aut regibus auctoritate pares, sed viribus dispares, opibus longè inferiores, minori bellandi occasione compulsi. Tu vero qui maximorum regum tibi socia arma conjunges, qui christianæ religionis es unicum in terris exemplar, qui quotiescumque volueris ex toto terrarum orbe, & fortunas, & militem comparabis, qui pro sola fidelium

pietate contendes, non poteris hanc provinciam æquo marte suscipere, ac susceptam feliciter, & ad vota conficere? Aliàs ex triginta tantum triremibus instructa Venetorum classis cum Peloponesum appelleret, ita hujusce gentis hostes aspectu solo deterruit, ut trucidatis illis incolæ subitam fecerint deditionem. Quid fiet si magno navium apparatu christianam rem agi conspicient? Sunt per ea passim loca, qui christianis ritibus & religione viventes his odiis Turcas, quos etiam multitudine superant, prosequuntur, quibus die nocteque nil aliud cogitant, quam nacta occasione in eos statim insurgere, sese à teterrimo servitutis jugo redimere, antiquissimam patriam libertati & legibus restituere, qui si tuum id sanctissimum institutum intelligent, non expectabunt ut classem aut exercitum intueantur, verum ad hujus tamdiu expectatæ provinciæ famam animati, ac ardore quodam accensi armis consurgent in hostes, eosque si qui superfuerint, cogent ad regni intima penetrare. Jam vigesimus & secundus agitur annus, quo Carolus Francorum rex cum felices admodum ac insperatos in Italia habuisset fortunæ discursus, acceptum est Turcas omnem maritimam Græciæ oram sola nominis auctoritate perterritos destituisse. Mira quidem res, & forsan à sæculo non audita eos qui tot victoriis & imperio aucti res nostras diutius afflixere, unius regis fama terreri & ad munitora loca undequaque confugere. Quanto id celerius fieri credimus, cum te non unius populi regem, sed totius christianæ reipublicæ principem, qui & sanctitatis, & apud Deos immortales, & homines summæ auctoritatis es habitus, armis admoturum intelligent. Quot credis quotidie pias matres pro liberis ad Deum optimum maximum juges preces effundent, ipsosque liberos ante ora parentum statim cum servitutis miseriam agnoscere incipiunt, ab eis sciscitari quando erit illa dies qua liberabimur, christianoque jure vivemus? Continua ac indesinens hæc est apud eos cura, & cogitatio cordis visceribus insita, hac spe vivunt, hujus beneficio respirant, ad hanc tamquam ad unicum suarum miseriarum solamen confugiunt. Quanti beneficii hæc expectatio sit, jam ipse considera, ab expectatione animos, vires, ipsumque belli exitum metire. Tuum ad id animum præpara, teque immensa hac liberalitate uti posse confide. Aude summo omnium conditori hoc in magnifico munere assimilari. Nullas umquam majores opes, vel thesaurum præstare posses, si mille adhuc annos viveres, quam tempestate hac præstandi tibi offert occasio. Magnum quidem est, & ingenuo Principe dignum suas mortalibus communicare fortunas, sed longè majus, ac preciosius est libertatem impendere, ac eam libertatem, qua non tantum humani corporis jus, verum etiam animi sanctio, candor & puritas servatur illæsa. Omnes te liberalissimum, piissimum, ac justissimum prædicant, fac ut largas profusionis manus hi mortales miseri sentiant, qui impietatis vinculis detinentur tuam eis divinam justitiam impartire, ut quod suum est tuæ probitati & amplitudini acceptum referant. Redde illis sacratissimum vivendi cultum, ut tuæ fiant pietatis in sancta religione participes. Cogita hoc tempore novum tibi instaurare mundum, novam erigere patriam, sanctaque hac suscepta provincia, cælos ipsos novissimis exornare luminibus, quibus longè magis, ante splendeat universum. Tuis viribus id eis beneficium præsta, auctoritate amplifica, Principum communione confirma, & tanti denique apparatus militia injunge. Neque in exercitu gentium varietatem extimeas, cum rem unam tam salutarem tamque unicuique propriam sint milites omnes acturi, qui hunc ipsum neque alium finem inspiciant. Afflabit divinus ille Spiritus, cujus nutu tantam inchoabis provinciam, suoque ineffabili numine intra discrepantes (si qui fuerint) animos summam concordiam ponet & pacem. Afflabit, inquam, viresque majores dabit, quam cuipiam credere, aut exprimere liceat. Id in Romanos quod ei maximæ laudi adscribitur, virtute obtinuit Hannibal. Tu adversus summi Opificis hostes, qui excelsi Olympi claves in manibus detines, divina afflatus aura idipsum obtinere non poteris? Dissident quoque inter se quam maxime Turcæ ac mutuis odiis ita se invicem prosequuntur, ut majoribus fortasse non possint. Namque alii indigenæ, adventitii alii cum sint, de militia jugiter, de nobilitate, de religione decertant. Sume igitur læto magnoque animo hanc provinciam, Leo Pontificum Maximè, cum eam tibi Deus vincendi præbeat occasionem, qua plenis velis ex maxima ventorum ac fluctuum jactatione in salutis portum navigium Petri deducas, qua cælestis militia angelorum chori, mentium supernarum exercitus tibi præsto sint, ac totius orbis terrarum innovationem, procurent. Dissident inter se Turcæ & novissime cum Turcis infideles ferè ceteri dissident. Jam asperrima, & cruentissima inter eos aguntur, & quotidie exaugentur bella. Jam sævissimus eorum furor excanduit, lateque per totam pene Asiam debacchatur, surrexit defuncto patre, quem regno privaverat in Persas impius Turcarum Tyrannus, ad Taurisium regiam, ac remotissimam Persiæ civitatem progressus, contra Sopheni regis egregiæ militiæ ac splendentibus armis instructus exercitus impetum fecit, eique jacturam pariter, & fugam incussit. Instat denuò atrox ille tyrannus, & denuò ab hostibus superatur. Sævit magis ac magis ferocissima bellua, gentes undequaque congregat, fortunas arripit, congerit, distribuit, parat exercitum, suis quoque viribus freti Persæ certamen non detrectaturi videntur, immo ad Euphratem usque eos devenisse compertum est. Neque Maurorum magnus ille Princeps ab armis potuit contineri. Iniit cum Persis fœdus, in belluæ rabiem extinguendam molitus, quodque alias auditum est numquam ipse è suo solio motus, ex Ægypto in Syriam una cum viginti quoque millibus electorum equitum profectus, ut sua Persis socia arma conjungeret. Qui sua defraudatus spe cum hoste, qui jam citius quam Persicus affuisset exer-

citus, adventaverat, præ nimio (ut aiunt) dolore qui senex erat interiit. Quippe cum prima Turcarum acies in congressu inclinare cœpisset, seque propterea putantes Mauri forè victoriæ compotes, huc atque illuc prædatum euntes à supervenienti acie tormentorum ictibus fusi, fugatique relictis aliis urbibus in Damascum præclaram Syriæ civitatem se contulere. Tantum equidem orientis motum non alia de causa factum arbitror, quam ut quandoque ignava hæc christianorum principum militia concitetur, expergiscatur, armetur in Turcas. Timuerunt opibus, ac viribus potentissimi reges, non semel, sed bis turpiter superatum Tyrannum. Nos longè inferiores ab eo toties victi, conculcati, accisi, furorem ejus, ac vires non pertimescimus, præstolamur quotidiè, maximis bellorum tumultibus dissentimus, in nostram perniciem ac dissolutionem intendimus. O infelix nostra hæc hominum conditio, ô miserrima tempora, quibus in tanto rerum discrimine oblata etiam vincendi occasione torpescimus, deque civitatibus unus ab alio dirimendis, non de totius reipublicæ salute, aut christiano ab atrocissimis hostibus servando imperio cogitamus. Unde jam per octennium effusus cruor, si pro fideli pietate commune profluvium habuisset, non torrentis, sed vasti fluminis instar acceptissimum Deo sacrificium exhibuisset. O quam justiores tum facti fuissent tumultus, quam certiores victoriæ, quam feliciores transitus animorum! Revoca tu in mentem, qui eorum es princeps, & custos, quanta modo ob injusta dissidia rabidumque dominandi furorem apud inferos molestiam patiuntur, qui tunc fuissent cælesti Laurea coronati. Verè velut est in se divina quædam res animus ac post Deum ipsum colenda (ut voluit Orpheus) ita cum perenni privatur bono, nihil eo vilius est, nihil deterius, nihil infelicius. Si singulam tuæ ditionis civitatem amisisses, optime pontifex, nonne magna quidem affectus molestia quam citius posses illam totis viribus redimendam velles? Si non unicam, sed plures, longè major tibi esset afflictio, si omnes, maxima & incredibilis, qua vitam quoque pariter malles amittere, quam te tuo, quod tamen temporis est, spoliatum imperio superesse. At quanto spirituale majus, quod etiam tuum est, immo magis tuum, quanto dignius, quanto præstantius? Velut enim animus nobilitate corpus exsuperat, ita etiam animorum, quæ rei perennis est, gubernatio, & jura sunt temporalibus juribus præferenda. Temporalem igitur tuo jure ditionem servabis, quam certè majorem quam habuerit umquam, obtinere modo sese jactat Ecclesia, & spiritalem quotidie voles amittere? Non turmas, vel legiones, sed numerosos exercitus, non oppida vel civitates, sed latissimas provincias animorum in præceps ire permittes? Non est sensu perceptibilis animus, neque ad oculum ipsius bona queunt ostendi, verum mens ipsa est, quæ sinceritate sua, cum se à terrenis sordidisque rebus abjunxerit, ea quanta sint intuetur & meminit. Quæ si alioqui corporeis luminibus mortales inspicerent, non essent adeo ad sanguinis effusionem parati. Tuum id est munus, qui tanto Deorum immortalium afflatu animis præes. Tua est cura, tuum considerandi officium, ut hæc omnia cum recto mentis examine ponderaveris, cures tuam penè collapsam rempublicam instaurare, ac veluti Deus quidam suum, cui præsit, ne corruat orbem, admota benignitatis, & justitiæ manu contineas. Intende itaque virtute tua tantum reipublicæ bonum, neque hanc bellandi occasionem dimitte. Invade prius quam ex Syria pestis hæc maxima in tuum redeat caput, truculentissimi hostis imperium, quod in Europa nihil armorum habet, aut virium, omnem militiam in Asiam transtulit, ut sese tantis objiceret hostibus. Qui se fortè fortuna, (ut credi potest) quod allatum est à pugnæ loco tum Persicas parum distare copias, utrique coiverint, fiantque victoriæ compotes, quomodo res tua erit in tuto? Ideoque vincant ipsi, seu vincantur ab hoste, quam citius fieri potest tibi est Turcarum invadendum imperium. Tutius ac facilius in alieno agro ignis extinguitur, quam cum in proprias domos irrepserit, ubi multoties extingui non potest. Si id facies, res tua non erit in discrimine posita, non erunt tibi barbarorum formidandæ vires, aut impetus. At si segnis dubiusque ad provinciam istam accesseris, aut eadem cum novissimis quæ cum prioribus difficultas habebitur, aut tyranno qui ad totius orbis aspirat imperium inserviamus operæ pretium est. Surge igitur, teque una cum lectissimis copiis maximoque navium apparatu ad eas oras jam adventare constitue. Surge, inquam, & hanc christianorum principum ex oculis somnolentiam excute, quodque jamdiu concepisti animo aggredere. Juvenis hostis iste tuus acerrimus, ac alicujus modo armis implicitus, ex quibus si explicabitur, totum in tuum corruet caput. Præverte, provide, exsequere, te ad sanctissimum bellum accinge. Tua hæc est, cui tanto cum fastu & gloria præsides, patria, cuique parentibus magis, quam nobis ipsis longè debemus. Hæc nutrix est nostra, hæc parens, hæc (ut Plato voluit) nobis est Dea. Quid si pro sua Socrates, Curcii, Decii, aliique complures mori non dubitarunt, pro tua tu, quæ vera & singularis est Patria, quæ divinitùs fundata est, servata, & aucta, pro qua etiam in humanis agere, morique voluit maximus ille, ac rerum omnium Dominus, Princeps pacis, verusque Patriæ liberator, quid inquam tu in tanta opportunitate pro tua efficies Patria? Nonne summo studio, & celeritate opes, vires, conatus ad id egregie peragendum expones, si vitam illi intrepide exposuere, malueréque gloriosam pro patria mortem oppetere, quam cum illius detrimento aliquo superesse? Parum est, quod petimus, multum certe quod dabis, atque ita reipublicæ necessarium, ut inde illi & tota vivendi spes & salus ipsa dependeat. Non habet unde subsistat, unde vitam, nedum quietem, aut pacem (si qua sit) diutius protrahat, nisi te in hanc sanctam actionem direxeris. Tua erit hæc gloria, tuum decus, tuum ad sydera elatum nomen, quo omnium sæculorum immor-

talitatem facilè comparabis, dum magno cum animo felicem hanc provinciam aggressus expedias. Neque vana, vel fluxa, aut populari aura celebrata tua erit hæc gloria, sed perennis, sed immarcessibilis, sed divina, tuum quæso fatum considera, te ipsum animumque tuum adverte, in alterius oculo (ut Plato monuit) tuum inspice oculum, clarius quidem atque sublimius mentem tuam, officium, auctoritatem, intelliges, Deum ipsum, qui te ad summi apostolatus apicem evexit, id tibi demandasse munus invenies. Ille suo te vocat numine, tibi maximorum regum furorem mitigat, conciliat animos, vires inflectit, ac felicius quam umquam alius habuerit pontifex concessit imperium. Vocat te Deus, & mille modis universo terrarum indicat orbi te eum fore Pontificem, qui terrena omnia moderetur, qui post varios fortunæ casus nobis pacem & salutem restituat, qui aurea denique mundo efficiat sæcula. Id tibi delata ab Indis munera prætulerunt. Id fidelium ad inaccessas orbis partes ostendit accessio, ubi nomen tuum, dignitas & religio prædicata est. Id denique (quod maximum puto) Divinæ hujus voluntatis extat indicium, quod tempestate hac, qua in suprema terrarum sede consistis, temporum mutandus sit ordo, ac innovandum anni principium, ut sub tuo augustissimo principatu, leges, mores, sacra, imperium, ac cetera omnia commutandos in melius intelligantur. Tuis itaque cede fatis, maximis indulge mortalium votis, Diis immortalibus hære, pro eis suppliciter oramus omnes, ac ipsa te orant numina, ut tam celebrem, tamque expectatam provinciam sumas. Indue loricam fidei, apprehende justitiæ clipeum, benignitatis arma conquire. Quibus te, filiosque tuos, quos in fide quotidie parturis, & aras, & focos, & templa, & penates, & ipsam denique patriam liberes, serves, amplifices. Ne quando dicant impiissimæ Turcarum gentes,

Ubi est Deus eorum ?



CLEMENTIS PAPÆ IV. EPISTOLÆ QUATUOR SUIS LOCIS ADDENDÆ.

EPISTOLA I.

Ad Hugonem comitem Ruthenensem.

Permittit ei habere altare portatile.

Anno 1266 Ex ms. Colbertino addenda ad paginam 278. post epistolam 231.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro HUGONI comiti Ruthenensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Quia Deo & apostolicæ sedi devotus & ecclesiæ Romanæ specialis vassallus esse dignosceris, te libenter prosequimur favoris gratia specialis. Cum itaque te, sicut asseris, frequenter ad loca, in quibus non sunt ecclesiæ vel capellæ, devenire contingat, timeasque propter hoc interdum divinis officiis defraudari. Nos tuis devotis supplicationibus inclinati, apostolica tibi auctoritate concedimus, ut capellanus tuus, qui pro tempore fuerit, secum possit habere altare portatile cum debita reverentia & honore, in quo tibi & familiæ tuæ, cum ad hujusmodi loca perveneris, vel alias evidens necessitas imminebit, missarum solemnia celebrare valeat, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hæc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii XII. calendas Martii, Pontificatus nostri anno II.

EPISTOLA II.

Ad Heliam de Caturco canonicum Parisiensem.

De electione abbatissæ SS. Trinitatis Cadomensis.

Anno 1266 Ex ms. olim Fossatensi nunc S. Germani à Pratis addenda ad paginam 431. post epist. 415.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro Heliæ de Caturco canonico Parisiensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Monasterio S. Trinitatis de Cadomo ordinis S. Benedicti Bajocensis diocesis abbatissæ regimine destituto, duæ partes conventus ipsius monasterii dilectam in Christo filiam BEATRICEM DE SARQUEX monialem dicti monasterii in abbatissam ipsius concorditer elegerunt, quibusdam aliis monialibus licet paucis NICOLAAM monialem dicti monasterii nominantibus in abba-

tissam monasterii memorati. Sanè hujusmodi A electione venerabili fratri nostro Bajocensi episcopo præsentata, & eadem Beatrice ac illis quæ illam elegerunt petentibus electionem confirmari prædictam ab eodem episcopo, Lucia de Bosvilla, Lucia de *Crievecoer* & quædam aliæ moniales prædicti monasterii in hac parte consortes, electionem impugnantes prædictam, eam infirmari ab eodem episcopo petierunt. Idem vero episcopus in hujusmodi negotio procedens, sententialiter electionem cassavit eamdem, & de dicta Lucia de *Crievecoer* de facto, B cum de jure non posset, in abbatissam auctoritate propria providit: propter quod BEATRIX & electrices ejus prædictæ ad Rothomagensem curiam appellarunt. Porrò venerabilis frater noster archiepiscopus Rothomagensis hujusmodi provisionem factam de dicta Lucia eidem monasterio per episcopum supradictum sententialiter cassans & irritans, quod circa cassationem ipsius electionis per eumdem episcopum factum extitit, confirmavit, ac nihilominus de Johanna de Castro moniali monasterii S. Salvatoris Ebroïcensis ordinis S. Benedicti eidem C monasterio S. Trinitatis providit de facto in abbatissam auctoritate propria pro suæ libito voluntatis; quæ provisioni hujusmodi de se factæ noluit consentire. Ab hujusmodi autem confirmatione ac provisione ipsius archiepiscopi BEATRIX & electrices ejus prædictæ ad sedem apostolicam appellaverunt, nosque dilectum filium nostrum V. S. Eustachii diaconum cardinalem dedimus in eodem negotio partibus auditorem: qui hujusmodi processum, prout ex propositis D coram ipso & actis ipsius causæ sibi exhibitis constitit, coram nobis & fratribus nostris fideliter recitavit. Nos autem attendentes quod episcopus & archiepiscopus prædicti, non in casu negligentiæ sibi concesso à jure, cum secundum generalis statuta concilii providendi potestas ad eum qui proximè præesse dinoscitur, nonnisi in casu hujusmodi devolvatur, cum conventus sæpedicti monasterii sanctæ Trinitatis in eligendo non fuerint negligentes, hujusmodi pro- E visiones, quas de prædictis Lucia de *Crievecoer* & Johanna fecerant monasterio memorato provisiones, easdem irritas & inanes de fratrum nostrorum consilio decrevimus, pròut erant, injuncto tibi per nostras litteras, ut eamdem Luciam de *Crievecoer*, quæ administrationi bonorum prædicti monasterii in spiritualibus & temporalibus prætextu dictæ provisionis factæ de ipsa supradicto monasterio S. Trinitatis per episcopum memoratum se ingerere dicebatur, ab administratione ipsius prorsus amovens, duas vel tres personas idoneas ejusdem monasterii, F vel etiam aliunde de quibus videres deputares ad colligendum reditus & proventus monasterii memorati, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Qui mandatum tibi super hoc injunctum à nobis fuisti laudabiliter executus. Eidem quoque injunximus cardinali, ut diligenter attenderet, si per acta sibi exhibita, sive per ea quæ partes in ipsius præsentia proposuerant, de dicta electione ipsius Beatricis,

& his quæ contra eam fuere proposita posset ad plenum liquere. Qui actis priorum judiciorum diligentius recensitis, & his in quibus procuratores partium circa factum convenerant examinatis, prudenter à nobis & eisdem fratribus nostris plenariè retulit universa. Nos igitur meritis totius negotii plene discussis, in duobus articulis alicujus materiam disputationis invenimus, ceteris omnibus reprobatis. Nam ex partium assertione constabat, quod perfecto scrutinio & in communi, prout juris & moris est, publicato, scrutatrices in partem secesserant, & videntibus ceteris monialibus, non tamen audientibus, una legente voce demissa scrutinium & duabus aliis personas numerantibus, prout eis earum nomina legebantur, ad sorores conversæ inibi congregatas, eis manifeste dixerunt: Collationem fecimus & invenimus, quod quadraginta ex vobis in BEATRICEM DE SARQUEX, & in NICOLAAM DE BOSVILLA quindecim convenerunt, & sic nos quæ in ipsam Beatricem consensimus, majorem habentem numerum, zelum etiam meliorem, quia eadem consanguineas in monasterio ipso non habet, quibus conferat bona ejus. Pars vero impugnans electionem ipsius Beatricis dicebat quod per hæc verba non fuerat facta collatio debita: quia licet quadraginta septem plures sint numero longè quam quindecim, & sic major pars esset dictam eligentium Beatricem, partis comparatione minoris, non tamen ex hoc inferri poterat, quod pars major esset conventus cujus totalis numerus tacebatur. Sed & seorsum collatio facta fuerat per tres sodales scrutatrices prædictas, quæ fieri debuit in communi, quoniam coram aliis recitando, tunc novam collationem facere dici non poterant, sed factam potius nuntiare. Ad quod pars Beatricis respondebat prædictæ, quod eum satis liqueret ex actis, omnes interfuisse scrutinio quæ noluerunt & potuerunt commodè interesse, & omnium vota monialium fuisse recepta præterquam quatuor, quæ vota sua exprimere voluerunt, per expressionem prædicti numeri plene potuit in eamdem Beatricem majorem partem totius conventus ipsius monasterii convenisse, & quod omissa non fuerit collatio in communi, cum prædictæ scrutatrices recitando in communi quod sub earum oculis fecerant, conferre denuo videbantur: præsertim cum post expressum numerum de zelo & merito coram eodem conventu contulerunt, omnibus ratum habentibus quod fiebat, & statim mandaverunt electionem celebrari communem. Objiciebatur etiam Beatrici prædictæ, quod una die antequam eligerent, electioni de se consenserat faciendæ, quod per tres testes dicebatur fuisse probatum, videlicet per Luciam de Altaribus, Floridam dictam *Havart*, & Æliciam de Bosvilla moniales monasterii sæpedicti. Ad quod pars ipsius Beatricis respondit, quod duæ ex illis tribus, scilicet Lucia de Altaribus & Florida erant de adhærentibus Luciæ *de Crievecoer*, & Lucia de Bosvilla prædictis quæ ipsius L. *de Crievecoer* negotium fuerant prosecutæ in appellationis

A lationis causa ab eodem episcopo ad prædictum archiepiscopum interpositæ, cum eidem Lucia *de Crievecoer* & Lucia de Bosvilla ac coram cardinali prædicto, procuratores constituisse monstrabant aperte, propter quod non erat super hoc earum testimonium admittendum. Nos igitur collationem hujusmodi sufficere in casu proposito decernentes, maxime inter tales personas, quibus sexus fragilitas, claustri silentium & religiosa simplicitas jure possunt necessitatem adimere tam districte de juris apicibus disputandi; discretioni tuæ per apostolica scripta B præcipiendo mandamus, quatenus super hoc ex nostro mero procedens officio diligenter inquiras, an Lucia de Altaribus, & Florida præfatæ prædicti monasterii moniales, eo tempore quo contra prædictam Beatricem fuerant ex officio in testes receptæ per eumdem episcopum Bajocensem, vel ante pendente hujusmodi negotio coram eo, fuerint de adhærentibus Luciæ *de Crievecoer*, & Luciæ de Bosvilla prædictis, quæ pro se ac sibi adhærentibus negotium prosequebantur. Et si de hoc tibi constiterit, C cum Luciæ de Altaribus & Floridæ prædictarum testimonium in hoc casu fidem non faciat, & remaneat sola dicta Ælicia quæ deponit Beatricem prædictam electioni de se faciendæ, requirente Juliana præposita, præbuisse consensum; electionem prædictam celebratam de dicta BEATRICE auctoritate nostra confirmes, faciens ei munus benedictionis impendi, & à suis subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Alioquin ipsa cassata, prædicto monasterio S. Trinitatis, de persona idonea in abbatissam auctoritate nostra provideas, & D eidem obedientiam & reverentiam debitam à suis subditis facias exhiberi: contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Viterbii v. Idus Decembris, &c.

EPISTOLA III.

E

Ad Henricum natum Hugonis comitis Ruthenensis.

Concedit ipsi ut à nullo judice sedis apostolicæ legato, aut subdelegato possit excommunicari.

Anno 1268. Ex ms. Colbertino addenda ad pag. 573. post epistolam 600.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro HENRICO nato dilecti filii nobilis viri HUGONIS comitis Ruthenensis, salutem & apostolicam benedictio- F nem.

Intendentes quieti tuæ, paterna qua te nostrum & ecclesiæ Romanæ devotum prosequimur, benevolentia providere, tuis supplicationibus inclinati, ut nullus judex à sede apostolica delegatus, vel subdelegatus ab ipso, executor, aut etiam conservator à sede deputatus eadem, in te possit excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare sine speciali mandato sedis prædictæ faciente plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, auctoritate tibi præsentium indulgemus, præsentibus post triennium minimè valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii decimo secundo calendas Februarii, Pontificatus nostri anno III.

EPISTOLA IV.

Ad episcopum Conseranensem.

Ut per censuram ecclesiasticam cogat comitem Fuxensem, & ejus asseclas ad cedendum terram de Carcassesio executoribus testamenti Rogerii comitis Fuxensis.


CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Conseranensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. *Anno 1268. Ex ms. Colbertino addenda ad pag. 598. post epistolam 642.*

Sua nobis venerabilis frater noster AMANEVUS archiepiscopus Auxitanus, de Bolbonio & Mansi azilis monasteriorum abbates executores testamenti quondam ROGERII comitis Fuxi petitione monstrarunt, quod idem Rogerius intendens conscientiæ consulere ac saluti, in ultima disposuit voluntate, ut executores ipsi terram de Carcassesio ad dictum comitem pertinentem tamdiu ad manus suas tenerent, donec de illius fructibus & proventibus de damnis per eum, dum viveret, quibuscumque locis aut personis datis, ac aliis forefactis suis, super quibus ad emendam vel restitutionem aliquam tenebatur, per eosdem executores, per quos fructus ipsos omnes ac proventus in hujusmodi usus converti præceperat, foret congrue satisfactum. Verum magister Bartholomæus de Podio clericus, nobilis vir comes Fuxi, Guillelmus de Coardona miles, Petrus Provin. Bartholomæus dictus, magister Robertus de Senonis, Raymundus Willelmi de Tribus bonis, Raymundus Senherii & Petrus Addonis laïci Tholosanensis, Carcassonensis & Conseranensis civitatum & diocesum, magnam partem hujusmodi fructuum & proventuum post ipsius comitis obitum contra justitiam occuparunt & detinent taliter occupatam, illam dictis executoribus restituere indebitè recusantes: propter quod salubris in hac parte præfati comitis nondum impleta dispositio impeditur.

Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est eosdem clericum, nobilem, militem ac laïcos, quod fructus ac redditus ipsos quos detinent executoribus eisdem sine difficultate ac diminutione aliqua restituant, per executores ipsos in usus hujusmodi convertendos, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, prævia ratione compellas, non obstante

si eis seu ipsorum aliquibus vel alicui à sede apostolica est indultum, quod excommunicari, vel interdici, sive quod extra vel ultra certa loca conveniri non possint, sive qualibet indulgentia dictæ sedis, per quam effectus justitiæ in hac parte impediri valeat vel differri, & de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, proviso ne in terram dicti nobilis excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi super hoc à nobis mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Viterbii xv. calendas Junii pontificatus nostri anno iv.

FINIS.





INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS.

A

A Cardinalis S. Anastasiæ Innocentii VIII. consanguineus ad episcopatum Tornacensem nominatus, 1764. d. 1765. e.

A. tituli XII. apostolorum cardinalis, 89. e.

Abbas benedicendus juramenrum sedi apostolicæ præstare debet, 356. a.

Abbates & majores prælati etiam suspecti non possunt capi, 264. e.

Abbates vitiosi amovendi, 438. e. f.

Abbatissa non facienda vidua aut aliàs corrupta, 401. b.

Abbatiis boni monachi præficiendi, 562. d.

Absentes canonici privandi retributione, 206. a.

Absentes in ecclesia Aniciensi censendi, qui sex abfuerint mensibus, 480. a.

Absolutio à gravioribus peccatis, & excommunicatione, à quibus facienda tempore subtractionis, 1398. f. 1399. b.

Absolvendi à censuris impedientes transvehi frumentum ad curiam si resipiscant, facultatem donat Innocentius VI. 907. f.

Abulensis episcopus pro facto unionis à Benedicto XIII. missus ad dominum regem Franciæ, 1143. a. Ejus ad regem verba 1143. b.

Acceptilatio ducentorum florenorum acceptorum à nuntiis regis ad pontificem Romanum pro unione ecclesiæ, 1328. c.

Accursius inquisitor hæreticæ pravitatis, 743. b.

Acerrarum comes pacem facit cum Carolo rege, 302. c.

Acerrarum comes vir sanguinum, 340. b. Ejus conversio, 356. c.

Acherontinus episcopus Laurentius, 465. e.

Aconensi civitati subsidium mittit Clemens IV. 426. e.

Ademarius de Pictavia comes Valentinensis, 502. b. d.

Ademarius comes Valentinensis animatur ad repellendos à civitate Sancti Spiritus prædones, 872. c. 874. c.

Adolfus comes *de Nassauve* 1714. d.

Adrianus Cottin, 1419. c.

Adulatores regi vitandi, 252. f. 255. b.

Adulterorum natis dispensatio non danda, 401. a.

Advocati malas lites non deserunt, nisi deserantur à pecuniis, 1468. f.

Æduensis episcopus Reginaldus, 874. d. 937. d. 995. b. 1006. a. 1013. b. 1042. e.

Ægidia femina pauper domum religiosam ædificat, 587. d.

Ægidius Tyrensis archiepiscopus, 127. b. 355. b. 383. e. colligendis pro terra sancta subsidiis ab Urbano IV. destinatus 7. a. 47. b. & seq. 421. c.

Ægidius episcopus Sabinensis, 870. c. 886. f. 889. f. 907. b. 909. b. d. 921. a. 932. b. e. 934. c. 944. f. 952. c. 970. f. 975. f. 984. d. 987. c. 994. c. 999. d. apostolicæ sedis legatus, 864. c. præcipuum ecclesiæ membrum 997. e. de vicariatu Bononiensi tractat cum Aldebrandino Marchione Estensi, 897. f. conditiones ipsi præscribit papa 900. d. & seq. Ei committitur inquisitio de moribus officialium Urbis, 1069. f. & seq. Ejus beneficia in Hispania detenta 997. c. 998. c. Ipsum recusat revocare à sua legatione Innocentius VI. 1068. f. & seq.

Ægidius Tusculanus episcopus, 1073. b.

Ægidius episcopus Vicentinus, 985. e. 1005. b. 1012. c. 1014. a. Nuncius papæ ad imperatorem 990. a. Mittitur ad Carolum imperatorem ad terminandum via arbitrali negotium Bononiense cum Bernabove, 970. a. Ad procurandam pacem inter Carolum imperatorem & Rodulfum Austriæ ducem, 971. e. 978. e. 979. d. 980. b. Recusantes sibi concessa solvere subsidia per censuram ecclesiasticam cogere potest, 973. a. Marchioni Brandeburgensi commendatur, 974. f.

Ægidius Sancii Munionis papatum ambit, 1732. d. & seq. Eligitur antipapa, 1733. b. per Simoniam 1733. d. 1735. d. jurata quadam schedula sibi exhibita, 1734. e. Clementis VIII. nomine accepto, 1737. c. schedulam juratam comburit, 1735. e. Ejus electioni se opponit Johannes de Thurena, 1735. e. circa quam proponit dubia, 1736. c. & seq.

Ægidius abbas Belli-becci deputatus ad concilium Constantiense, 1539. f. 1541. f.

S. Ægidii villa patria Clementis IV. 619. f.

S. Ægidii monasterium, 375. d. Monasterium sanctum 370. a. Illud commendat S. Ludovico Clemens IV. 372. à b. Ejus privigia confirmat, 518. d. & seq. eique brachium S. Georgii concedit, 538. b. est reformandum, 325. d.

S. Ægidii abbati scribit Clemens IV. ut P. de Montepesato monachi studio vacantis provideat expensis, 572. c.

Afflictiones tamquam summi regis filiæ excipiendæ, 563. a.

Agathensem episcopum à percutienda moneta dehortatur Clemens IV. 404 b.

Agathensis episcopus Guido Prænestinus cardinalis, 1460. b.

Agennensis episcopus Deodatus, 1056. b.

Agnetis de Castro cum Petro rege Portugalliæ matrimonium approbare recusat Innocentius VI. 1030. f.

Agnes meretrix Johannis Galeatii ducis Mediolanensis, 1471. f.

Alamannus archiepiscopus Pisanus, 1433. b.

Alanus episcopus Lehonensis, 1550. b. 1558. c. 1562. c. 1606. f.

Alariensis episcopus Bartholomæus, 395. b.

Alatrinenses ne gubernatores ex Romanis accipiant absque suorum officialium consensu vetat Innocentius VI. 930. d.

Alazacia neptis Clementis IV. 591. d.

Albanenses episcopi Angelus, 1128. b.

Anglicus, 1073. a. Nicolaus 1378. d. 1461. c. 1491. d. R. 339. b. e. Radulphus 207. c. 388. c. 471. f.

Albertus dux Austriæ, 1153. d. 1713. f.

Albertus Marchio Estensis 953. c. 994. f.

Albertus Urbani IV. notarius, 21. e. 23. a. Scriptæ ad eum Urbani 4. epistolæ, 19. 21. 23. 26. 30. b. ad sedem apostolicam revocatur, 89. c.

Albiensis episcopus cum rege tractat de temporali juridictione urbis Albiensis, 94. b. & seq. Temporalem urbis Albiensis juridictionem in fevum tenet de archiepiscopo Bituricensi, 94. c.

Albonetus ecclesiæ proditor, 83. c.

Alcuinus è Gallia in Franciam transiit Carolum magnum edocturus, 1242. d.

Aldobrandinus Marchio Estensis, 994. f. Civitatis Ferrariensis vicarius, 953. c. Ei, Vicariatum urbis Bononiensis, quibusdam conditionibus committere meditabatur Ægidius Sabinensis episcopus, 898. a. & seq. Conditiones ipsi prescribit Innocentius VI. 901. c. Ipsius juramentum vicariatum Bononiensi acceptando, 904. e.

Alefinus electus episcopus Quinquevvinc minus grammaticus, 400. e.

Alemannia variis lacerata scissuris languet & deficit, 313. c.

Alexander III. ab antipapa Roma pulsus, 1471. b.

Alexander papa IV. à Manfredo vexatus, 90. b.

Alexander episcopus Alexandrinus Ario commisit sacrorum librorum emendationem, 1495. c.

Alexander abbas-Belli fontis, 1558. d. 1559. f.

Alexander Brancacius Siciliæ Marescallus, 886. e.

Alexandrinus patriarcha Simon Cremaudi, 1335. f. Ejus epistola ad Cantuariensem archiepiscopum, 1230. f.

Alfonsus confessor regis Castellæ, 1180. c.

Alfonsus rex Aragonum obedientiam Petro de Luna etiam sollicitatus negat, 1663. d. Ecclesiæ unionem prosequi paratus, 1663. f. Moriens unionem ecclesiæ filio suo commendat, 1662. f. 1663. f.

Alfonsus Aragonum rex patris sui obitum concilio Constantiensi significat, atque ecclesiæ unionem se procuraturum pro posse promittit, 1664. c. & seq.

Alfonsus rex Portugalliæ, 1031. a.

Alfonsus comes Pictavensis, 20. a. b. 40. c. 527. c. 561. e. 589. a. Siciliæ regi sine liberis morienti in regno succedere debet, 225. e. Clemens IV. se excusat de impotentia ministrandi ei subsidii pro Terræ sanctæ negotio, 313. b. 385. a. 427. b. Pecuniarium subsidium promittit, 494. a. b. quod postea dare non posse dicit, 495. c. d.

Allegata coram rege Castellæ pro Clemente VII. contra intrusum, 1094. e.

Alphantus de Terrasone Clementis IV. nepos, 121. d. 300. f. 548. a. 591. c. e.

Alvicia neptis Clementis papæ IV. 590. a. Eam à secundis nuptiis dehortatur, 590. b. & seq. Rationis ipsius usus hebetatus, 591. b.

Amalricus de Rupe Magister domorum Mi-



litiæ Templi in Francia Carolo Siciliæ regi pecunias procurat, 534. b.
Amanevus archiepiscopus Auxitanus 1817. c.
Ambaldus XII. apostolorum cardinalis, 107. d. 221. c. 222. e. 223. d.
Ambianensis episcopus Johannes de Grangia, 1440. f. 1461. c. 1494. b.
Ambitioni datus jam non res ipsas, sed suæ passionis phantasias videt, 1454. b.
Ambrosius Theodosium imperatorem excommunicavit, 710. c.
Amedeus de Saluciis cardinalis, 1266. f. 1378. e. 1458. f. 1602. e.
Amedeus de *Talaru* decanus Lugdunensis, 1550. d. 1552. b.
Amedeus comes Gebennensis, 856. b.
Amedeus comes Sabaudiæ, 850. b. 873. e. Ipsi in gratiam Arnoldi de Rocca-folio archidiaconi Valentinensis spoliati & detenti scribit Innocentius VI. 865. a.
Americus electus Vvulteranus, 1028. f.
Amici nihil aliud quam unum esse conantur, 1165. f.
Amicitiæ nullum certius indicium, quam persequi in amico, quæ corpus & animam trahunt in exterminium, 448. e.
Amoris Dei præceptum in via perfecte non potest adimpleri, 1122. f.
Amor Christi & timor gehennæ omnia vincunt, 1080. a.
Anagniam civitatem sibi restitui jubet Innocentius VI. 931. b.
Anagniensis episcopi controversia cum Raynaldo Rubeo, 634. f.
Ancherus cardinalis S. Praxedis, 207. d.
Anchonitani, 134. e. Eorum aculei & insidiæ in ecclesiam, 316. f. Eos mitius tractandos censet Clemens IV. 345. c.
Andegavensis dux Italiæ, civitates plures occupat, 1174. c.
Andenagogus episcopus Pampelonensis, 582. d.
Andreas episcopus Ariminensis, 844. b. 845. b. 876. f. 877. f.
Andreas electus Posnaniensis, 1650. e.
Androinus abbas Cluniacensis, 940. f. 1038. c. ad procurandam pacem inter Carolum ducem Britanniæ & Johannem comitem Montisfortis à papa mittitur, 893. b. 894. a. c. 895. d. 896. c. f. Fit cardinalis, 1027. b. 1066. c. Ei extra curiam capellum rubeum mittere recusat Innocentius VI. 1063. b. quem tamen postea mittit ad instantiam regis 1068. b. Eum ad curiam vocat Innocentius VI. 1063. e.
Angelus Corrario, 1432. d. 1433. e. 1435. a. 1611. f. 1728. e. electus in papam Gregorium XII. 1281. c. 1289. b. Paratus ad cessionem in concilio Constantiensi, 1617. a. in quo eligi in papam non potest, 1636. f. ei se subjicit, 1646. d. V. Gregorius XII.
Angelus episcopus Albanensis, 1128. b.
Angelus cardinalis S. Laurentii in Damaso, 1274. b.
Angelus S. Potentianæ cardinalis, 1274. b. 1312. f. 1367. a. 1368. a.
Angelus episcopus Ostiensis, 1322. f. 1367. a. 1368. a.
Angelus Tavernini patrimonii S. Petri in Tuscia thesaurarius, 843. a.
Angelus de Ballionibus papæ capellanus, & ipsius causarum auditor, 1607. e.
Angeriacensis monasterii abbati congaudet Clemens IV. 585. e. Albanensi episcopo in negotiis ecclesiæ collaborat, 339. b. De debitis anxius à Clemente IV. securitatem accipit, 366. a.
Anglia Lupis munda est, 248. d.
Anglia multis attrita molestiis, 313. b.
Angliæ pericula, 327. e.
Anglicanæ gentis mobilitas, 542. f.
Anglici mutuum difficile solvunt, 133. a.
Angli Guidonem cardinalem legatum admittere recusant, eique viam præcludunt, 247. c. 551. f. Clementem papam IV. in minori officio constitutum contemserunt, 115. b. Qui tamen Angliæ regis & regni stabilimento intendit, 200. e. Angliæ reginæ nuncium in Angliam mittendum promittit Clemens IV. 115. c. Legato suo ut pacis nullos tractatus in Anglia admittat, mandat, 166. c. & seq. Angliæ beneficia in commendam petit pro episcopo Hostiensi, 211. d. Angliæ beneficiorum decimas per biennium pro urgentibus ecclesiæ necessitatibus petit Innocentius VI. papa, 965. f. & seq. Angliæ præsules subsidium pecuniarium concedunt Innocentio VI. 1065. f. 1067. a.
Angli in concilio Constantiensi Hispanos præcedere contendunt, 1667. b. Ex Anglis & Germanis unicam nationem faciendam esse quinam censent, 1667. b.
Anglicus Albanensis episcopus, 1073. a.
Angulariæ comes, 548. f. Carcere liberatus beneficio sedis apostolicæ, 415. d. & seq. Ejus liberationi congaudet Clemens IV. 147. f.
Aniciensi ecclesiæ primum præfuit episcopus Clemens IV. 447. a. Ejus statuta confirmat, 477. a. & seq.
Anicienses episcopi Elias 1548. f. 1550. a. 1557. e. 1560. d. 1561. e. 1564. a. d. 1568. f. 1569. b. 1581. d. 1583. d. 1584. b. Johannes 1043. c.
Annatarum origo 1587. a. & seq. Earum auctor Johannes XXII. 1421. f. In his major pars sustentationis papalis, 1566. b. Earum taxa quanta, 1598. a. His galli præ aliis gravati 1598. c. 1599. d. Quam sint exitiales, 1420. d. 1546. e. 1590. e. 1592. e. De Simonia arguuntur 1587. f. 1588. e. f. 1592. d. 1601. e. Belli materiam administrant, 1591. f. Non possunt defendi jure consuetudinis 1589. a. De his vota nationis Gallicanæ in concilio Constantiensi 1549. b. Annatarum materiam primi aperuerunt cardinales in concilio Constantiensi, 1585. e. f. Qui ne tollerentur in concilio Constantiensi totis nisibus laborant, 1600. a. & seq. Quas tollendas censet natio Gallicana, 1543. e. Instrumentum publicum eadere, 1543. e. Protestationes adversus annatarum sublationem 1560. e. Prioris Celsiniensis, 1561. e. comitis Sabaudiensis, 1562. d. abbatis Cisterciensis, 1563. d. Johannis Ponceti canonici Bisuntini, 1564. f. 1575. e. De Annatis concilii Constantiensis decretum, 1704. c. Concilium Parisiense pro tollendis annatis, 1547. e. 1548. f. Caroli VI. regis litteræ de annatis tollendis, 1545. c. Adversus eas insurgit Parisiense Parlamentum, 1542. d.
Annibaldenses Sabiniam invadunt, 134. d.
Annulos publice non deferant clerici, 485. e.
Antichristi tempora qualia futura, 1513. f. & seq.
Antiochensis patriarcha Johannes, 1543. f. 1549. d. 1560. a. 1564. a. 1581. d. 1606.
Antonetus Fornerii domicellus, 873. b.
S. Antonii corpus in prioratu Montis-majoris, 508. d.
S. Antonii abbatia Viennensis, 508. f.
Antonius cardinalis S. Ceciliæ 1274. b.
Antonius cardinalis S. Praxedis, 1323. a. 1367. a 1368. a.
Antonius de *Chalent* cardinalis, 1452. e. 1453. d. interfuit concilio Perpiniani, 1453. d. A. Benedicto XIII. de flectit, 1453. f. 1454. d. Homo ambitiosus, 1434 b.
Antonius episcopus Prenestinensis, 1394. e. 1395. d.
Antonius de Pireto generalis ordinis Minorum, 1285. b. e.
Antonius Coste ord. Prædicatorum procurator episcopi Gratianopolit. in concilio Constanciensi, 1553. e.
Antonius de S. Severino comes Marcini, 886. a.
Antonius comes Casertanus, 886. d.
Antonius comes Catauzerii, 886. d.
Apamiensis abbatis tractatus cum S. Ludovico, 628. d.
Apostoli limitatam potestatem à Christo acceperunt, 707. c.
Apostolis & Christo nullum jus fuisse in his quæ habuerunt, sed tantum usum, asserere est hæreticum, 682. e. & seq. 698. f. 717. b. 752. b. & seq.
Appellatio innocentiæ præsidum, 1150. c.
Appellationes tempore subtractionis quomodo faciendæ, 1401. f.
Appellationes frivolas nullas declarat Clemens IV. 133. c.
Appellatio cardinalium à Gregorio XII. 1394. d.
Appellatio universitatis Parisiensis à domino Benedicto XIII. 1295. c.
Aquas mortuas muro cingit S. Ludovicus, & in civitatem ædificat, 405. c. & seq.
Aquensis archiepiscopus de excessibus fratrum Prædicatorum in Maurinum inquisitorem inquirit, 354. c.
Aquilegiensis patriarcha agente rege Bohemiæ libertate donatur, 531. c.
Aquilegiensis cardinalis epistola ad Universitatem Parisiensem de electione Gregorii XII. 1228. a.
Aquinatum episcopus oblivioni non tradendus, 356. c.
Ar. abbas de Puzalia 582. f.
Aragonia patria Benedicti XIII. 1455. c. Ibi summa libertas, 1470. a.
Aragonum rex adversus Saracenos pugnat in Hispania 278. d. Eum ut vices suas ad liberationem electi Veronensis in vinculis detenti interponat, rogat Clemens papa IV. 100. b. Pro ejus liberatione laborat, 150. e. Ei gratias agit Clemens IV. de liberatione ejus, 192. b. Regem de incestuoso adulterio redarguit Clemens IV. 362. e. 449. a. Ejus matrimonium solvere recusat, 277. c. & seq. Ei decimas per triennium concedit, 278. d. Ei gratias agit pro missis muneribus, hortaturque ut desistat ab ecclesiarum vexatione, 182. e. & seq. Ei cardinalem mittere non decet, 564. d.
Aragonum rex diu adhæsit Benedicto XIII 1455. b. Quem tamen ad viam cessionis hortatur, 1165. b. Aragonum regi negatur processus concilii Pisani, 1519. e. cum rege Romanorum confert de ecclesiæ unione 1647. c. Incorporatur concilio Constantiensi, 1666. d. Ejus oratores accedunt ad concilium Constantiense, 1660. d. 1661. b. Benedicti XIII. bullam comburi jubet, 1660. d. Aragonum regis Pius obitus, 1662. e. f. Illum concilio Constantiensi annuntiat Alfonsus ejus filius, 1664. c.
Aragonensi regi secreto significatur mors Petri de Luna, 1732. b.
Arcadius imperator, 710. c.
Archiepiscopi XIV. Alemanni in concilio Constantiensi, 1612. d.
Arelatensi ecclesiæ sua jura restitui curat Clemens IV. 406. d.
Arelatenses archiepiscopi Bertrandus, 521. f. Guillelmus, 1029. d.
Arelatenses nobiles Carolo regi commendat Clemens IV. 277. a.
Aretium ecclesiæ Romanæ reconciliatur, 310. c.
Aretina civitas à Gallis expugnata, 1174. d. & vendita Florentinis, 1174. d.
Aretinum episcopum in partem sui corporis admittit rex Siciliæ, 180. d.
Aretinis ecclesiæ hostibus episcopus ullum ferre auxilium prohibetur, 161 e.
Aretinis annunciatur Bononiensium victoria de Bernabove, 1022. e.
Argentinensis episcopus Johannes, 861. e. f. 982. d. 986. d.
Ariani favore principum conciliabula celebrabant, 1446. f.
Ario commisit Alexander episcopus emendationem librorum sacrorum, 1475. c.
Ariminensi civitati pax concessa, 116. b. f. 117. e.
Ariminensis episcopus Andreas, 844. b. 845. b. 876. f. 877. f.
Armannus Asturicensis electus, 431. b. Clementis IV. olim Parisiis in scholis socius, 431. c. oblatum episcopatum recusat, 431. c. acceptare jubetur, 431. d.
Armeniæ regis nata cum filio nobilis viri Balduini de Bilmo matrimonio conjuncta, 293. 6.
Armeniæ regi ordinem S. Johannis Jerosolymitani commendat Clemens IV. 170. c.
Armeniæ rex per furorem Babilonici exercitus attritus, 469. b. Ei auxilium procurat Clemens IV. 469. b. Ejus calamitatibus compatitur Clemens IV. 470. d. & seq.
Arnaldus dominus de Lebreto bellum gerit adversus Gastonem comitem Fuxensem, 1056. e.

Arnaudus abbas S. Facundi, 448. b.
Arnestus archiepiscopus Pragensis, 899. e. 980. f. 981. d. 986. c.
Arnoldus archiepiscopus Auxitanus, 1009. d.
Arnoldus de Rocca-folio archidiaconus Valentinensis, 865. a.
Arnoldus *de Andruam* Marescallus Franciæ copias ducit adversus confœderatos villam Sancti-Spiritus occupantes, 867. b.
Arnulfus capellanus Clementis IV. 368. b.
Aronius pater Innocentii VIII. 1770. c.
Arrestum parlamenti ut cessent annatæ, 1547. c.
Arsurii civitatis destructio, 335. f.
Asperæ castri habitatores ecclesiæ proditores, 263. e. 265. a.
Astensi ecclesiæ damna intulisse arguitur Carolus Provinciæ comes, 105. f. Ejus jura restitui curat Clemens IV. 406. d.
Asturicensis episcopus Ferdinandus, 962. f. electus Armannus, 431. b.
Atreasba miles, 450. a.
Atrebatenses episcopi Forti-guerra, 1763. c. Martinus, 1564. d. 1583. d. 1606. f. 1607. a. Quintinus *Manard* rejectus, 1763. c.
Atrebatensis comes cruce signatur, 465. d.
Avaritia episcoporum carpitur, 511. b.
Avenionensis ecclesia cathedralis combusta, 1183. b.
Avenionensi episcopo scribit Clemens papa, ut Caroli comitis adversarios comprehendi curet, 161. c.
Avenionensis episcopus regi Siciliæ mittitur, 174. c. 176. a. 189. d.
Avenionensi episcopo ad Valentinensem sedem translato quatuor personas ecclesiæ Avenionensi præficiendas proponit Clemens IV. 501. b.
Avenionensis episcopus à Benedicto XIII. missus ad regem Francorum, 1298. b. 1340. d.
Avenionensis urbis muri construuntur, 869. c. 1050 a. f.
Avenionenses nobiles Carolo regi commendat Clemens IV. 277. a.
Avenionenses cives quomodo à Benedicti XIII. obedientia recesserint, 1489. d. Ei reconciliantur, 1269. c. Avenionis pontem lignum fecit comburi Benedictus XIII. 1183. b. 1299. c. 1341. d.
Aversani Corradino faventes ab excommunicatione pœnitentes sunt absolvendi, 630. f.
Augerius de Osserano abbas sæcularis S. Marcelli Legionensis, 963. c.
Augi comes cruce-signatur, 465. d. In Hispania regi Castellæ fideliter astitit, 291. a. Ei Clemens IV. notam facit victoriam de Manfredo reportatam à Carolo Siciliæ rege, 299. f.
Augustensis diocesis decimas pro Carolo rege solvat, 255. d.
Augustensis episcopus Ogerius, 1550. d. 1551. c. 1558. c. 1606. f.
Augustinus fatetur se quædam scripsisse quæ possunt culpari, 1220. a.
Augustinus de Brisaco Eremitarum ordinis S. Augustini procurator generalis, 989. c. 1013. a. 1014. d.
Augustodunensis episcopus Petrus Bertrandi, 1420. a. v. Æduensis.
Aurelianensis electus Bertrandus, 431. f.
Auriensis episcopus Johannes de Cardaillaco, 1019. e.
Ausonetus Fornerii domicellus, 846. c.
Austriæ-dux, Vid. Fredericus.
Autissiodorensis episcopus Iterius, 891. a.
Autissiodorensem episcopum ut crucem cum Carolo Siciliæ rege sumat hortatur Clemens IV. 200. a. & seq.
Auxitanum archiepiscopum hortatur Urbanus IV. ut facilem se præbeat suffraganeosque suos inducat ad solvendam Carolo comiti Andegaviæ decimam, 75. c. & seq.
Auxitani archiepiscopi Amanevus, 1817. c. Arnoldus, 1009. d.
Azotum à Saracenis expugnatum, 169. e. 170. d. 411. d.

B

B. Cardinalis S. Clementis, 1713. d.
B. Archiepiscopus Cusentinus de regno Siciliæ tractat cum Carolo comite, 223. e.
B. Regina Siciliæ, 564. b. 567. f. Ejus, sepultura apud fratres Hospitalis Hierosolimitani, 616. a.
B. De Bello-vicino, 683. c.
Bajocensem episcopum in litigando cautum reddit Clemens IV. 181. c.
Balduinus archiepiscopus Trevirensis, 637.
Balduinus imperator Constantinopolitanus Manfredo ecclesiæ hosti favet, 23. d. 354. e. postea ipsi ecclesiæ, 354. e. Ejus ad Manfredum epistola, 23. f.
Baldus famosus doctor utriusque juris, 1468. d. Mutat sententias pro mutatione locorum, 1469. f. 1471. c.
Ballivus Carcassonensis vexat ecclesiam Narbonensem, 131. a. b.
Ballivorum in prælatos vexationes à rege tolli rogat Clemens IV. 129. e.
Baltazar de Cossa, 1530. c. Factus papa Johannes XXIII. 1728. a. Qualis esset cum fuit electus in papam, 1621. d. In concilio Constantiensi in papam eligi non potest, 1616. f. v. Johannes XXIII.
Baptista de Roma episcopus Camerinus legatus papæ in regno Poloniæ, 1752. c.
Baptista Polligotii conservator Romæ, 1373. e.
Barchinonenses Benedictum XIII. ad redeundum Barchinonam invitant, 1455. c.
Barchinonensis episcopus Michael, 1043. d.
Barralus Baucii Dominus potestas Mediolanensis, 268. e. 289. a. Major justitiarius Siciliæ, 543. f. Carolo regi Siciliæ fidelis, 334. e. eum ab ecclesiæ censuris absolvi mandat Clemens IV. 335. b.
Barrensis cardinalis dubia circa concilium Pisanum, 1480. c. 1534. f.
Barrensem inter & Luceburgensem comites pax S. Ludovico reformanda commendatur, 426. e.
Bartholdus de *Nyffen* Ludovici Bavari Orator fautor hæreticorum, 754. d. Exercitum congregat adversus exercitum ecclesiæ, 755. c. Quæ fecit in Lombardia irritantur, 756. b. Processus adversus eum, 832. d.
S. Bartholomæus civitatis Beneventanæ patronus, 306. d.
Bartholomæus Barrensis coluber tortuosus, 1098. d.
Bartholomæus Cascavelli archiepiscopus Barrensis per impressionem electus papa, 1122. d. 1716. b. Ejus electio nulla fuisse probatur, 1123. d.
Bartholomæus electus à duabus partibus ante impressionem, 1085. c. Electio ejus aliquandiu occultata, 1085. d. Postea iterata, 1086. b. Idque ut esset verus papa 1086. d. Dicitur intrusus, 1075. e. 1076. c. Ejus electio in papam non canonica, 1076. e. 1124. a. 1439. d. Facta per metum & impressionem, 1078. Quæ impressio duravit, 1078. e. Intronizatur à cardinalibus, 1088. d. Qui ejus electionem veram fuisse confitentur, 1089. e. Suos anticardinales beneficiis cumulat, 1127. d. Eum tamquam per vim electum omnes relinquunt cardinales, 1125. a. Sine ullo processu, 1125. b. Electioni suæ consentiens censetur ineligibilis, 1716. d. Bartholomæus Barrensis à rege Castellæ rejicitur, 1721. c. & seq. vide infra Urbanus, VI.
Bartholomæus episcopus Alariensis, 1595. b.
Bartholomæus abbas S. Theodori, de Trebis episcopus ordinandus, 583. c.
Bartholomæus de Carpineto papæ secretarius 962. a. f. 963. d. 964. a. d. 965. b.
Bartholomæus Simplex comes in prælio Beneventano captus, 284. d. 288. a. 302. b.
Bartholomæus de Poplenchis orator Florentinorum ad Gregorium XII. & cardinales, 1411. b.
Baudonus Castri-novi dominus, 496. d.
Beatrix de Sarquex abbatissa S. Trinitatis Cadomensis, 1813. 1814. b. & seq.
Belam Hungariæ regem redarguit Clemens IV. quod Timotheum Zegabriensem episcopum dignitate pacifice frui non sineret, 171. b. & seq.
Belli-becci abbas in concilio Constantiensi, 1552. e.
Belli fontis abbas in concilio Constantiensi, 1552. f.
Belvacenses episcopi Guillelmus de gressibus, 462. c. Johannes, 1335. f. P. 1310. c. Electus Reginaldus de Nantolio, 509. b. Clementis IV. nepoti collata præbenda in ecclesia Belvacensi, 357. e.
Belvacensem episcopum increpat Clemens IV. quod injustè quæratur de præbendarum collatione, 357. c. Ejus pressuris compatitur, 357. f.
Benedictini monachi in cathedrali Wintoniensi ecclesia, 413. f.
Benedictus post mortem Stephani III. papæ electus post novem menses de papatu ejicitur, 1125. d. 1622. d.
Benedictus XIII. 1145. e. 1347. b. Ex Aragonia traxit originem 1134. d. 1455. e. Grandem comam & barbam contra canones defert, 1183. d. Spe cessionis futuræ à cardinalibus electus, 1178. a. Electus viam cessionis se prosecuturum jurat, 1178. b. Præsentibus principibus à rege missis eam recusat, 1178. e. Etiam urgentibus cardinalibus 1179. a. Et nunciis universitatis Parisiensis, 1179. b. Et rege Castellæ 1179. c. & rege Aragonum, 1179. f. Viam cessionis ante papatum laudabat, 1177. f. 1297. e. 1340. b. c. Factus papa recusavit, 1298. a. 1299. a. 1301. c. 1304. 1341. Ei quam contrarius, 1180. d. & seq. Eam facit impugnare coram rege Aragonum, 1300. b. 1342. c. per episcopum Abulensem varias format difficultates super viis à principibus apertis ad extinguendum schisma, 1143. e. Extinguendo schismati viam conventionis eligit; quæ reprobatur, 1167. f. & discussionis quæ variis patet incommodis, 1170. d. 1183. a. Cui tamen semper adhæsit 1246. a. Scribit ad Johannem regem Aragonum adhortantem ut suam conferat operam ad tollendum schisma, 1134. a. Bis mittit ad regem Franciæ pro ecclesiæ unione, 1167. b. 1242. b. Qui salvam gardiam dat Ei, 1229. b. Et misit ei legatos regii sanguinis, 1298. c. Sed regem delusit. ibid. Pontem Avenionis comburi fecit 1183. b. 1299. c. 1341. Palatium Avenionense incastellavit, 1383. c. Obedientia ei subtracta à multis, 1182. b. Et quidem licitè denegata, 1190. b. & seq. à Maria regina Siciliæ & Jerusalem, 1264. b. Quinam obedientiæ subtractionem denegarunt, 1194. c. Obedientiam subtrahere recusarunt reges Aragonum, Scotiæ, Cypri & comes Sabaudiæ, 1228. b. Subtracta obedientia vetat rex ipsius gratias suum effectum sortiri, 1153. e. & seq. Facta sibi subtractione viam cessionis acceptat, 1301. d. 1343. e. 1363. e. Quam facta restitutione obedientiæ recusavit, 1301. c. 1343. f. 1444. a. Ei anno 1403. reconciliantur cardinales qui ipsi obedientiam subtraxerant, 1266. f. & seq. Eum convenit apud Avenionem Ludovicus II. rex Jerusalem & Siciliæ, eique obedientiam restituit, 1265. a. & seq. Ei reconciliantur cives Avenionenses, 1269. c. & restituitur obedientia in Francia, 1273. c. Mittit ad Bonifacium IX. 1429. a. Promotiones ritè factas tempore subtractionis confirmare recusat, 1302. a. Sed neque concilium celebrare curat, 1302. b. Ecclesiam Gallicanam variis gravaminibus opprimit, 1302. b. & seq. Fructus unius anni beneficiorum vacantium usurpat, 1302. b. Procurationes prælatorum ecclesias visitantium omissa visitatione, 1302. c. Decimas super clerum levat, 1302. d. Spolia ecclesiasticorum defunctorum sibi retinet, 1302. e. Fructus beneficiorum vacantium per plures annos, 1302. f. Immo fructus quos aiebat male perceptos, 1303. a. & Arreragia per quadraginta annos, 1393. b. Monetas mutat, 1303. c. Ejus exactiones prætextu indulgentiarum, 1303. e. Per reservationes, 1303. f. per mutua, 1303. f.
Benedictus XIII. Gregorio XII. scribit pro sedando schismate, 1294. a. Responsio data oratoribus Gregorii XII. super hoc quod

Zzzzz

sibi offerebat aliqua loca ad conveniendum, 1386. c. Benedicti collusio cum adversario 1300. d. 1342. e. f. Versus super illa collusione 1394. c. Citatur ad procurandam ecclesiæ pacem, 1169. b. Concilium generale in Gallia celebrare recusat, 1344. b. Pro extirpando schismate celebrare promittit, 1268. b. Concilium Perpiniani celebrandum convocat, 1413. c. 1416. f. 1473. e. in quo se purgare tentat, 1474. c. 1727. a.

Benedictus XIII. ad concilium Pisanum vocatus, 1474. c. Ad illud legatos mittit, 1727. e. ab eodem concilio repulsos, ibid. In eo damnatur, 1727. b. & seq. dura & displicibilia ei loquitur Bonifacius Ferrerii, 1442. b. Qui pro ipsius defensione edidit tractatum, 1436. d. Illius epistola ab Bonifacium Ferrerii, ut officium prioris Cartusiæ resumat, 1530. f. 1533. c. Cui permittit ut generale sui ordinis capitulum celebret in quo voluerit monasterio, 1532. d. Indulgentias concedit generali capitulo Carthusiensium, 1534. d.

Benedicti XIII. pertinacia, 1182. b. Quantis criminibus sit obnoxius, 1304. f. Cedula adversus eum, 1340. b. An erraverit in fide, & fuerit ab ecclesia præcisus, cum ei fuit subtracta obedientia, 1227. f. Fuit schismatis fautor, 1296. f. De hæresi insimulatur, 1188. e. & seq. 1192. a. Reclusus & incarceratus per biennium ad omnia se paratum protestatur, 1227. d. Multa opprobria regi Franciæ imponit, 1342. d. Gallis est injuriosus, 1300. b. A rege Francorum jussus est capi, 1473. d. Fuit per quatuor annos incarceratus, 1489. d. De carcere furtive evadit, 1493. b. Ab omnibus populis maledictus fuit, totque habuit maledictiones quot possent sufficere omnibus maledicendis, 1660. e. In insulam se recipit ubi obsidetur, 1660. e. Bullam privationis vibrat in regem Aragonum qui ei subtraxerat obedientiam, 1660. d.

Benedictus XIII. obit apud Paniscolam creatis quatuor cardinalibus, 1731. a. c. Ejus mors celata per aliquot menses, 1731. d.

Benedictus XIV. antipapa, 1742. b. Ejus electionem discuti in concilio generali petit Johannes de Thurena, 1747. c.

Benedictus ordinis Prædicatorum fratrem Maurinum inquisitorem contumeliis afficit, 349. a. 553. f. Ei pœnitentia injungitur, 354. c.

S. Benedicti de Miranda abbas sæcularis Fortunius, 360. c.

Beneficia aliquot Angliæ in commendam petit Clemens IV. pro episcopo Ostiensi 211. d. Item pro Octaviano cardinali, 213. b.

Beneficiorum pluralitas prohibita, 483. e. 1704. b. Retardat Guidonis de Alvernia postulationem in archiepiscopum Viennensem, 452. e. & seq. permittitur ex dispensatione, 68. e. Beneficium quartum simplex acceptanti omnia tollantur, 1698. e.

Beneficiorum illicitæ impetrationes, 1447. d. A beneficiis amovendi non legitime instituti, 607. c. Filii illegitimi non debent beneficia obtinere in eadem ecclesia, in qua pater eorum deservit, 1711. d.

Beneficia quomodo conferenda tempore subtractionis, 1405. b. Et seq. Deliberatio cleri Gallicani de collatione beneficiorum durante schismate, 1307. c. 1311. b.

Beneficiorum provisio res est consistorialis, 1000. e. De beneficiorum collatione anxiantur doctores in concilio Constantiensi, 1686. a. & seq. Per papam conferenda potius quam per ordinarios censent doctores Parisienses 1686. c. 1697. e. & universitas Coloniensis, 1687. a 1699. f. Circa beneficiorum collationem papa mentem suam aperit concilio Constantiensi, 1696. c. d. Monita circa collationem beneficiorum, 1696. e. & seq. de Beneficiorum provisione concilii Constantiensis decretum, 1700. d.

Beneficiorum vacantium fructus chori servitio assignati, 481. b.

Beneventi patronus S. Bartholomeus, 306. d.

Beneventum sibi retinet Summus pontifex, 20. a. Quæ civitas propria est sedis apostolicæ, 10. a. 20. a. 224. d. 232. e. 299. a. 307. d.

Beneventani Friderico regi resistunt, 299. e. 308. a. Apud eos se recipit Manfredus, 299. c.

Beneventanum prælium, 284. a. & seq. 286. f. 288. a. 290. f. Beneventum Urbs patens & absque murorum ambitu, 307. f. Eam deprædatur Carolus rex Siciliæ, 299. b & seq. 306. d. Cæsaris edictum pro ejus excidio, 307. c. Sacrilegia inibi commissa, 307. a. b. Beneventanæ civitatis refectio, 10. d.

Beneventanus archiepiscopus Geraldus, 915. b. 916. c. d. 918. f. 956. d. 958. a. 960. f. 961. c.

Berardus notarius Clementis IV. 213. c. Ad Carolum regem nu[illegible]s, 257. d.

Berengaria pellex regis Aragonum, 440. c.

Beringherius de Palatio miles, 867. d. 868 d.

Bernabos de Vicecomitibus, 1004. a. 1005. a. c. 1018. d. 1019. c. 1020. c. 1036. Miles Mediolanensis, 898. d. & seq. 916. b. Tirannus, 1471. b. castrum Luci occupat, 899. a. Illius tractatus cum Nicolao Sederini cive Florentino, 900. d. Guillelmum abbatem S. Germani Autissiodorensis ad tractandum cum eo mittit Innocentius VI. 909. e. 957. b. Carolum imperatorem & Ludovicum Ungariæ regem arbitros eligit ad terminandum Bononiense negotium, 970. c. 975. d. 978. c. 981. a. Illudit papæ & imperatori, 983. c 988. a. 1013. b. Territorium Bononiense suis incursionibus infestat, 999. d. e. Ejus copiæ prope Bononiam victæ, 1021. e. 1022. c. 1023. b. d. 1024. e. f. Certam partem comitatus Bononiensis occupat, 1071. b. Pacem cum eo fieri assentit Innocentius VI. 1072. d.

Bernardi Carvajal episcopi Pacensis oratio de eligendo summo pontifice, 1774. a.

S. Bernardi capsa argentea vendita ad solvendas annatas, 1420. e.

Bernardus abbas S. Michaelis de Podio Boniti, 1395. b.

Bernardus Anglus prior ordinis S Benedicti citat Petrum de Luna, 1670. 1674. a.

Bernardus Languiselli capellanus Clementis papæ IV. 350. a. 351. a.

Bernardus comes Armaniaci, 1432. b. Johannis XIII. ad eum epistola, 1132. e.

Bernardus de Capraria miles, 851. a. 875. d.

Bernardo Rascacii militi Avenionensi committitur cura civitatis Avenionensis muris circumcingendæ, 1049. f. & seq. 1050. a.

Bertholdus de Groyspach Ludovici Bavari orator fautor hæreticorum, 754. d.

Processus contra Bertholdum de Nyffen, 797. c. Citatur responsurus super crimine hæresis, 759. c.

S. Bertini monasterium reformari jubet Clemens IV. 238. e.

S. Bertini abbas Guillelmus factus episcopus Tornacensis, 1762. f.

Bertrandus cardinalis S. Marcelli, 756. d.

Bertrando archiepiscopo Arelatensi permittitur ut crucem ante se deferri faciat, 522. b.

Bertrandus archiepiscopus Neapolitanus, 952. a. 957. c. 960. f. Paci reformandæ inter regem Siciliæ & ducem Duratii destinatur, 915. b. f.

Bertrandus de Maumont episcopus Biterrensis Petro de Luna adhæret, 1425. d. Ab eo furtim se separat, 1425. e. Sedi suæ restituitur, 1426. b.

Bertrandus episcopus Convenarum, 1009 b.

Bertrandus episcopus Lubicensis nuncius in Dania, Suevia & Norvegia, 1054. b 1055. d.

Bertrandus episcopus Ostiensis, 723. d. 786. f.

Bertrandus episcopus Tusculanus, 750. b. 757. c. 760. f. 783. b.

Bertrandus Ucetiensis episcopus, 329. f.

Bertrandus Aurelianensis electus, 431. f.

Bertrandus abbas Toroneti, 1007. b. Cives Massilienses excommunicatos denunciare mandatur, 1052. a. & seq.

Bertrandus præpositus Tolosanus, 518. e.

Bertrandus comes de Alesto, 402. a.

Bertrandus Albæ miles, 451. e.

Bertrandus Judex Caroli regis, 258. a.

Bertrandus Judex Mediolanensis, 264. f.

Bertulinus missus ab intruso ad Benedictum, XIII. 1181. a.

Bethleemitanus episcopus translatus ad Cusentinam sedem, 465. e.

Bethleemitani, episcopi Durandus, 847. b. G. 566. e. 567. b. d. 569. c. e.

Biterrensis episcopatus per sex annos vacat, 1424. e.

Biterrensi episcopo gratias agit pro muneribus Clemens IV. 256. f.

Biterrensis episcopus Bertrandus de Maumont à Petro de Luna separatus suæ sedi restituitur, 1425. c.

Bituricensis archiepiscopus, de eo in feudum tenet temporalem juridictionem Albiensis episcopus, 94. c.

Bituricensis, Burgundiæque ac Aurelianensis duces deputati à rege ad papam, & cardinales ad tractandum de unione ecclesiæ, 1136. f.

Blasphemi quibus pœnis puniendi, 587. b. 623. f. 624. Contra eos ad papam Scribit S. Ludovicus 130. a.

Bohemiæ rex Carolo Siciliæ regi addictus, 555. a. Aquilegiensis patriarchæ libertatem procurat, 531. Ei fatuos Conradini conatus scribit Clemens IV. 576. d.

Bohemiæ hæreticis bellum infert Sigismundus imperator, 1713. e. & seq.

Bona comitissa Armaniaci, 1433. a.

Bona-gratia ordinis minorum, 750. f. 783. c. excommunicatur, 751. d. Citatus ad papam fugit ad Ludovicum Bavarum, 803. a.

Bonjohannes episcopus Firmamus, 907. c. 926. c. 929. d. 932. e. 1004. b. 1005. c.

Bonævallis monasterium Ruthenensis diocesis sub sua protectione suscipit papa, 473. c.

Bonifacius VIII. S. Ludovicum sanctorum albo inscribit, 1449. e. Interfectus fuit à Guillelmo Noguareto, 1449. d.

Bonifacius IX. 1234. a. 1245. f. 1301. f. 1353. f. 1429. a. 1714. c. 1770. b. Vias extinguendo schismati non assumere accusatur, 1255. a. Sed fovere schisma, 1258. a. Pluries à principibus interpellatus ut ecclesiæ pacem daret obedire recusavit, 1253. a. & seq. Censuras minatur adversus eos qui suam ipsi subtraxerant obedientiam, 1258. c.

Bonifacius advocatus factus cardinalis quia impugnaverat viam cessionis, 1342. d.

Bonifacius archiepiscopus Cantuariensis, 510. e.

Bonifacius Ferrerii, 1455. c. 1473. c. Humili loco natus 1506. f. Erat doctus, 1441. c. Patriæ amore non tactus, nec timore, 1442. a. Ambitionis & avaritiæ expers, 1441. b. Odit prælationem, 1506. f. Demens esset & fræneticus si præsidere optaret, 1507. e. Fuit prior Portæ cœli ordinis Carthusiensis, 1267. f. Prioratum Carthusiæ invitus accepit, 1503. c. Zelus ipsius erga suos, 1503. f. Multa confert majori Carthusiæ, 1441. b. c. Ei permittit Benedictus, XIII. ut capitulum generale sui ordinis celebrare queat, in quo voluerit monasterio, 1531. d. Cessit dignitati, 1436. a. 1505. b. 1513. b. Eam resumere cogit Benedictus XIII. 1436. b. 1506. d. 1531. e. 1532. a. Cur cessionem fecerit, 1436. f. Suis suadet neutralitatem, 1437. b. Improbat subtractionem à Benedicto XIII. factam à Gallis, 1437. f. 1443 b. & seq. De rebus ad schisma pertinentibus valde fuit instructus, 1441. d. Tractavit negotia cum dominis de Francia, 1441. e. Papæ & cardinalibus dura aspera & displicibilia loquitur, 1442. b. Nicolai cardinalis Albanensis ad eum epistola, 1484. c. Tractatus ejus pro sua & Benedicti XIII. defensione, 1435. c. Insimulatus fuit quod ecclesiæ unionem turbaret, 1458. c. Ei erronea proponit cardinalis de Chalent, 1458. b. Speciali bulla est vocatus ad concilium Perpiniani, 1480. e. Cui interfuit invitus, 1441. c. Ut legatus Benedicti XIII. interfuit concilio Pisano, 1436. a. 1441. c. Immo ut ambaxiator omnium regum & principum obedientiæ Benedicti XIII. 1478. d. Suos Carthusianos certos facit de omnibus actis in concilio Perpiniano & Pisano, 1509. b. & seq. Causatur de Pisano, 1519. b. in quo vix evasit vitæ periculum

1477. b. c. 1478. c. Illud impugnat, 1462. a. & seq. Ei recusatur salvus-conductus ad Gregorium XII. 1479. c. Perusii vix mortem evadit, 1472. d. Sed tandem Benedicto obedientiam negat, 1436. c.
Bonifacius de Canosa Marescallus ductor militum Urbani IV. 84. d.
Bononiæ situs ad multas invitat expensas, 423. c.
Bononiensis cardinalis papatum ambit, 1461. d.
Bononienses episcopi A. Gregorii XII. nepos, 1335. c. Philippus, 1770. d.
Bononiensis vicariatus Johanni archiepiscopo Mediolanensi commissus, 898. a. Illum Carolo imperatori committere intendit Innocentius VI. 899. f. Qui vicarius instituitur, 1072. a. Bononiensis civitatis vicariatum Aldobrandino Marchioni Estensi committere satagit Ægidius episcopus Sabinensis sub quibusdam conditionibus, 898. a. & seq. Eas præscribit Innocentius VI. 901. c.
Bononiensium zelus in Romanam ecclesiam laudatur, 933. e. In Bernabovem irrumpentes ejus copias vincunt, 1021. e. 1022. 1023. 1035. b. 1037. f. Ea de re gratulatur eis Innocentius VI. 1024. e.
Bononiense negotium multis indiget expensis, 1071. a. illud Florentinis commendat Innocentius VI. 1024. a. Johannes Marchio Montis-ferrati ad defensionem civitatis Bononiensis animatur, 1019. c. 1020. d.
Bovilli cardinalis, 1228 f.
Bracharensem archiepiscopum ad celebrandum festum SS. Dominici & Petri martyris hortatur Clemens IV, 295. c. & seq.
Bracarenses archiepiscopi Guillelmus, 1029. d. Johannes de Cardalliaco, 1029. e.
Brandeburgensem Marchionatum suo primogenito confert Ludovicus Bavarus, 645. a. 660. f.
Brandeburgensem Marchionem ad Terræsanctæ subsidium animat Clemens IV. 170. a.
Brandus episcopus Placentinus, 1373. e.
Breviarium ordinis Prædicatorum confirmat Clemens IV. 503. b. & seq.
Briardus de Castellione electus Placentinus, 1276. d.
Brixia reddenda Mediolanensibus, 161. a.
Brixiensis scissura, 567. a.
Britanniæ comes cruce signatur, 465. d.
Bucicaldus Avenionis capitaneus, 1491. a. Ejus epistola Oratoribus regis ad Gregorium, XII. 1331. a. 1334. d.
Burchardus comes Magdeburgensis, 982. e.
Burdigalensis archiepiscopus Philippus, 1014. f. 1016. d.
Burgundiæ dux auxiliares copias adversus Saracenos Carolo regi Siciliæ defert, 623. f.
Burgundiæ ducum jus nominandi ad episcopatus suæ ditionis, 1762. c. 1763. e.
Burgundiæ dux Philippus 1760. c. 1762. f. 1766. a.

C

CÆsaris edictum pro destruenda civitate Beneventana, 307. c.
Cæsarea a Saracenis expugnata, 422. d. A Soldano Ægypti eversa, 169. e. 170. d. 335. f.
Calatravæ ordo Morimundi monasterio subjectus, 171.
Callensem civitatem legato suo commendat Clemens IV. 326. e. & seq. illius defensionem suscipit Clemens IV. 294. c.
Callensibus mercatoribus spoliatis facienda restitutio, 253. c.
Cameræ apostolicæ debitas pecunias colligi curat Innocentius VI. 1039. d. 1040. b. d.
Cameracensis episcopus Petrus de Alliaco, 1301. e. 1320. e. 1329. a. 1464. b. 1496. b. Propositiones ab eo traditæ ad extirpationem schismatis, 1406. a. Illius tractatus de auctoritate concilii, 1667 d. Interfuit cardinalis in concilio Constantiensi, 1585. e. In quo recusat fieri procurator Johannis XXIII. 1632. e.
Cameracensis diocesis ecclesiædecimas solvunt pro negotio Siciliæ, 121. a.
Camerarius comes cum Manfredi camera reddit se Carolo regi, 302. b. illius soror de Siciliæ regno eliminanda, 401. b.
Camerinenses episcopum honore prosequantur, 294. c.
Camerinus episcopus Baptista de Roma, 1752. c.
Campani Manfredo auxilium Petro de Vico ferenti transitum præcludunt, 83. e.
Cancellarius caput studentium post episcopum, 604. d.
Canones sanctorum patrum firmiter observandi, 303. e.
Canonici uni saltem horæ per diem intersint, 477. d. Bis in hebdomada matutinis, 478. e. Absentes privandi retributione, 206. a. Cum celebratur officium extra chorum non sint, 484. e.
Canonicorum Anicienfium cura quibus commissa, 486. e.
Cantuariensis ecclesia totius Angliæ mater, 1249. a.
Cantuarienses archiepiscopi Bonifacius à Sabaudia, 510. e. Simon, 1060. e.
Capuanus archiepiscopus Engerannus, 877. a.
Capellum rubeum extra curiam cardinalibus non mittit papa, 1063. b. e. 1064. a.
Capitulum ad campanæ pulsum ter in hebdomada congregandum, 482. d. In eo prævaleat pars major, 282. e.
Capitula generalia monachorum Benedictinorum & canonicorum regularium, 1402. c. d. & seq.
Capitula Massiliensia de modo procedendi ad unionem ecclesiæ consequendam, 1314. a. & seq. Ea confirmat Gregorius XII. sed cum variis modificationibus & conditionibus, 1370. b. & seq.
Carcassonensis ballivus Narbonensem ecclesiam vexat, 131. a. b.
Cardinalium status origo, 1596. e. & seq. Collegium eorum ab hominibus institutum, 1709. e. Quales ei aggregandi 1700. b. 1758. b. Eorum numerus in concilio Constantiensi præscriptus, 1700. Episcopis sunt inferiores, 1597. c.
Cardinales in aliis ecclesiis quam in Romana, 1596. e. sunt Ecclesiæ columnæ, 1487. e. Eorum sinceritas animorum, 218. e. Eorum sustentationi providet concilium Constantiense, 1707. a. Eorum antea paupertatem relevarat bonis ecclesiarum & monasteriorum Clemens IV. 218. c. 240. f. 250. e. Nihil habentibus ccc. marchas anni reditus assignat 250. e. Collegio cardinalium assignata medietas annatarum, 1546. c. Eorum familia ad xxv. personas limitata, 1597. c. Ipsis beneficia monastica non danda in commendam, 1707. b. Sed ab eis omnes commendæ tollendæ, 1705. b.
Cardinales fallere possunt & falli, 1220. a. Eorum quidam omnium sunt maximi proditores, 1491. d. Eorum privilegium peccare ad libitum sine reprehensione, 1460. a. Eorumpauci serviunt ecclesiæ, 1598. d. f.
Cardinales an possit deponere papa, 1486. a. A solo concilio possunt deponi, 1212. c.
Cardinales in Urbe dimittit Clemens IV. Carolum comitem suis consiliis adjuturos, 146. c.
Cardinalium ecclesiæ vacantes in Urbe Johanni electo Urbevetano administrandæ committuntur, 1033. b.
Cardinalium vota in electione papæ post mortem Gregorii XI. 1083. f. Post electionem Urbani VI. castrum S. Angeli intrant, 1082. c. Eorum compromissum in conclavi post obitum Bonifacii IX. 1274. b. Ante electionem Gregorii XII. vovent se renuntiaturos papatui pro sedando schismate, 1280. f. Eorum litteræ ad Johannem ducem Bituricensem, 1293. c. Responsio ad requestam ambassiatorum regis, 1275. a. e. Cardinalium quinque epistola ad Benedictum XIII. quibus consulunt ei offerre Gregorio XII. urbem Pisanam ad conveniendum, 1377. d. Cardinalium responsio ad oratores Venetorum & Florentinorum supersedando schismate, 1411. b. Cardinalium Romanorum appellatio à Gregorio XII. 1394. d. Eis sub pœna privationis dignitatis prohibet Gregorius XII. ne exeant de Luca, 1395. e.
Cardinales Baltasarum Cossa virum multis criminibus reum eligunt papam, 1633. f.
Cardinales Johannem XXIII. in fuga sua secuti omnino suspecti, 1634. a. Cardinales & papæ an debeant interesse concilio Constantiensi, 1633. e. & seq.
Cardinales in Constantiensi concilio totis viribus nituntur ne tollantur annatæ, 1600. a. & seq. Ad eos an spectet tuitio cameræ & curiæ Romanæ sede apostolica vacante, 1601. a. & seq.
Cardinales Benedicto XIII. adhærentes incarcerati, 1491. a.
Cardinalis S. Laurentii in Lucina G. à legatione Germanica & Danica revocatur, 464. e.
Carleolenses episcopi Gilbertus, 1061. a. Thomas, 1395. b.
Carmelitas tamquam sedi obedientes laudat Clemens IV. 135. d. Prælatos eos gravantes, & divina officia suis in oratoriis facere impedientes arguit, 135. e.
Carnotenses canonici fructus præbendæ Johannis de Baro canonici papæ obsequiis occupati retinent, 1049. c.
Caroli magni præceptor Alcuinus, 1242. d.
Carolus IV. imperator, 1001. d. 1014. a. Ei committitur vicariatus urbis Bononiæ, 1071. a. Eum & Bohemiæ regem ad reprimendos in ecclesiam confœderatos hortatur Innocentius VI. 659. f. & seq. Et ad pacem cum Radulfo duce Austriæ, 976. f. 982. b. Eos reconciliare laborat, 984. f. Ægidium episcopum Vicentinum ad procurandam pacem vel treugas inter eos mittit, 971. e. 978. e. 979. d. 980. b. Carolo imperatori negotium Bononiense adversus Bernabovem commendatur, 1004. a. f. 1005. c. Eum ad consummandum incœptum in Bernabovem negotium hortatur Innocentius papa VI. 983. b. & seq. laudatur quod partes suas interponere velit ad componendam pacem inter ecclesiam & Bernabovem de Vice-comitibus super negotio Bononiensi, 975. c. Ipse & Ludovicus rex Ungariæ arbitri electi ad terminandum Bononiense negotium cum Bernabove de Vice-comitibus, 970. c. Carolo imperatori & papæ illudit Bernabos de Vice-comitibus, 988. a. Ut omnes in eum vires exerat hortatur papa, 1013. b.
Carolo imperatori & Bohemiæ regi Bononiensem vicariatum committere intendit Innocentius VI. 899. f.
Carolo imperatori promittitur archiepiscopatus Magdeburgensis pro Theodorico Mindensi episcopo, 1000. d.
Carolus imperator Urbanum VI. papam agnoscit, 1091. f.
Carolum V. Galliæ regem defuncta ejus conjuge cardinales papam facere voluerunt, 1174. b.
Carolus VI. rex Francorum preces & suffragia petit pro tollenda ægritudine, 1129. f. Ejus litteræ de tollendis annatis lectæ in concilio Constantiensi, 1545. c. Ejus epistola ad Senescallum Ruthenensem nequis sermonem habeat contra viam cessionis, 1151. e. Nuncios & oratores ad diversos reges mittit pro extinguendo schismate, 1168. d. Principes regii Sanguinis legatos mittit ad Benedictum XIII. 1298. e. Ejus litteræ super instructione data suis oratoribus ad Benedictum XIII. & Gregorium XII. pro pace ecclesiæ, 1357. b. Subtracta Benedicto XIII. obedientia, vetat gratias ab eo concessas suum sortiri effectum, 1153. a. Ei tractatum de congregando concilio tempore schismatis dicat Conradus præpositus Vvormatiensis, 1200. b.
Caroli VII. regis Francorum epistola de præstanda Eugenio IV. obedientia, 1749. e. Carolus VII. comitia Bituricis congregat pro extirpando schismate, 1749. f.
Carolus VIII. rex Francorum regno Neapolitano armis acquisito, Turcis incutit terrorem, 1808. c.
Carolus Andegaviæ & provinciæ comes, 23. d. Carolus Andegaviæ & provinciæ

comes ſenator Urbis electus, 26. c. 83. a. ejus electionem approbat Urbanus IV. modo non ſit ad vitam, 28. b. & ſeq. Mittit cautiones ſub quibus dignitatem accepter, 30. b. & ſeq. 44. c. & ſeq. In Senatorem Urbis electus ut ſe exercere debeat, 97. b. & ſeq.

Carolus Provinciæ comes electus Urbis defenſor, 106. e. f.

Carolus Andegaviæ comes cavere præmonetur ab inſidiis Balduini imperatoris, 23. d. Ei vitam veneno auferre tentat Manfredus, 86. d. Eum ad accelerandum ſuum in Italiam adventum invitat Urbanus, 87. b. Illum ut procuraret Urbanus IV. ſummam ducentarum millium librarum expendit, 85. e. Præſtito juramento in Urbem ſe venturum promittit, 86. b. Ad feſtinatum ferendum Urbi ſubſidium invitatur, 122. d. 123. c. Ejus in Urbem adventus prænunciatur, 130. c. 134. b. Ei cardinales obviam mittit Clemens IV. 132. d. 134. c. In Urbem ſine pecuniis & equis advenit, 138. f. 165. c. Ejus in Urbem adventus die Jovis ante Pentecoſten, 1265. Romanis quam gratus fuerit, 136. e. Eum de ſuo in Lateranenſe palatium ingreſſu redarguit Clemens IV. 142. a. Ipſi in Urbe exiſtenti tres cardinales quorum regatur conſiliis concedit Clemens IV. papa, 146. c. Ejus in Urbe occultos adverſarios Clemens papa comprehendi jubet, 161. c. Mutuum contrahit à Senenſibus mercatoribus, 139. c. & ſeq. Ei Siciliæ negotium proſequenti decimas proventuum eccleſiarum per triennium concedit Urbanus IV. 21. f. & ſeq. Subſidium ex decima collectum ei diſtribui jubet Clemens IV. 115. e. f. 119. a. Turbatur de Ciſtercienſium, Hoſpitaliorum, Templariorum exemtione à præſtatione decimæ 111. d. Turbatio tollenda mandatur, 118. c. Eccleſiæ ſe obligat, & illi eccleſia, 158. e.

Carolo comiti prov. citius commitendum regnum Siciliæ, 82. c. Datur in feudum, 220. e. ſub certis conditionibus, 9. f. & ſeq. 19. e. & ſeq. Ei regnum acceptanti quæ leges impoſitæ, 225. b. & ſeq. Siciliæ regnum acceptanti conceſiæ decimæ redituum eccleſiaſticorum per triennium, redemtiones votorum, &c. 22. a. & ſeq.

Carolus rex Siciliæ, 544. e. 545. a. 546. e. 547. b. d. 594. e. 598. f. 610. a. 992. b. Electus à Domino in populi ſui defenſionem, 368. e. 369. a. Ejus elogium, ibid. Fuit Deo & hominibus carus, 284. f. Pugil eccleſiæ ſingularis, 456. e. Nec hoſtem nec pericula metuit, 165. b. Baculus eſt ſenectutis Clementis papæ IV. 243. b. Ei Siciliæ regnum ex mera liberalitate Romani pontificis conceſſum, 237. c. Regium diadema de manu ſummipontificis in urbe recipere deſiderat, 251. e. & ſeq. Illud indie Epiphaniæ accipiendum cenſet Clemens IV. 252. d. Quo die coronatur, 257. f. Siciliæ regno per vexillum inveſtitur, 187. c. Illius poſſeſſionem adipiſci permittitur, 187. c. Inveſtito collectam ex decima ei tradi mandat Clemens IV. 151. b. c. Ei gratulatur Clemens IV. de aſſumto regio nomine, 153. a. Hortatur eum ad difficultates ſuperandas, 153. c. Auxilium ex parte regis Franciæ ei promittit, 153. c.

Carolus Siciliæ rex pauper 472. e. Pro expenſis ejus quotidie mille libræ neceſſariæ, 178. f. In quotidianas expenſas mille ducentas libras expendit, 215. a. Ejus anguſtiæ, 189. c. & ſeq. 199. c. 214. a. 219. b. & ſeq. Ei Clemens IV. anguſtias ſuas & pecuniarii ſubſidii impotentiam conferendi aperit, 173. e. & ſeq. Suadet ut fratris regis Franciæ clementiam imploret. 175. a. Caroli regis anguſtias S. Ludovico exponit Clemens IV. atque ab eo pecuniæ ſubſidium petit, 187. e. & ſeq. Pro eo Templarii domos ſuas in Gallia obligant, 534. b. Bona etiam eccleſiæ obligat Clemens papa IV. 269. e. 270. d.

Carolum regem piis & ſalutaribus informat monitis Clemens IV. 267. c. & ſeq. 369. f. & ſeq. 464. f. 505. f. 589. e. Hortatur ut ſe redeuntibus affabilem ſe præſtet, 377. b. c. Monet ut inſidias caveat, 261. a. Deterret ne tam præcipite impetu irruat in hoſtes, 163. c. f. & ſeq. 166. e. In agendis dirigit Clemens IV. 356. f. Eum contra Manfredum eccleſiæ hoſtem cruce ſignatum ſub ſua protectione ſuſcipit, 195. d. 197. a. c. Ipſi ſcribit ut Manfredo civitati Tiburtinæ inſidianti occurrat, 160. c.

Carolus rex Siciliæ ſignificat Clementi IV. papæ victoriam de Manfredo reportatam, 283. e. & ſeq. Quam Simoni cardinali notam facit Clemens IV. 286. b. Infra xxi. dies Manfredum regno Siciliæ & vita privavit, 416. c. Quærit an melius ſit Conradino occurrere, an ad ſuum regnum reverti, 574. b. & ſeq. Ipſi ſcribit Clemens ne extra regnum pugnaturus Conradinum, procedat obviam, 524. c. 525. f. Conradinum & ejus aſſeclas victos tenet in vinculis, 627. f. Ejus epiſtola ad Clementem IV. de victoria ab eo in Corradinum reportata, 624. e.

Carolo Siciliæ regi Luceriam civitatem reddunt Saraceni, 301. a. Ei rebellant Luceriæ Saraceni, 576. a. Viterbio proficiſcitur adverſus Saracenos Luceriæ, 589. e. Contra eos dirigit aciem, 602. b. Obſidet Podium-Boniti 543. c. Caſtrum Mulceronis, 577. f. Piſanos ad pacem cogit, 567. e. Claſſem in ſubſidium Terræ-ſanctæ parat, 439. e. Caſtrum Podii-Boniti per pacem obtinet, 563. b. In Piſanos inardeſcit, 563. c. Siciliæ partem amittit, 563. c.

Carolus rex Siciliæ Richardi de S. Angelo cardinalis præſentiam deſiderat, 215. e.

Caroli regis ad papam adventum non probat Clemens IV. 444. f. Viterbium acceſſit ad papam, 466. f. Ubi una cum papa degit, 472. d. & paſcha cum eo celebrat, 584. f. Ab eo fit imperii capitaneus in Tuſcia, 472. d. 587. f. 588. b. Florentinorum Piſanorum & Piſtorienſium poteſtas, 465. d. 472. d. 543. c.

Carolus Tuſciam intrat, 466. f. Apud Florentiam fit paciarius, 458. f. in Tuſcia, & in Lombardia 499. c. 512. d. 543. Eum in Tuſcia vicarium ſuum creat Clemens IV. 650. e. 674. c. Ejus caſus in Tuſcia, 613. d. 615. a. 620. f. Senatoriam retinere dignitatem petit, 361. a. Ipſi poſtulata contra libertatem eccleſiæ recuſat Clemens IV. 444. c. & ſeq.

Carolum Siciliæ regem regi Franciæ commendat Clemens IV. 240. b.

Caroli Siciliæ regis imprudentia notatur, 327. f. Eum de exceſſibus ab eo & ſuis commiſſis redarguit Clemens IV. 264. b. & ſeq. maxime apud Beneventum, 299. a. & ſeq. 306. d. & ſeq. Ipſum de pluribus in ipſo & ſuis emendandis arguit, 406. c. & ſeq. de exactionibus increpat, 445. c. 525. e. Collectas ab ipſo in regno Siciliæ factas improbat, 443. b. & ſeq. de prorogatis parlamentis notatur, 356. f. Ipſius officiales populos vexant, 524. c. d. Ipſi mala parantur in regno, 555. a. Juramentum in Provincia exigit, 603. a. b. Ipſum hortatur Clemens, ut amicabiliter cum fratre ſuo S. Ludovico Francorum rege de gabella Rodani componat, 371. b. & ſeq.

Carolo Siciliæ regi ad ſecundas nuptias transvolare cum filia regis Aragonum auctor eſt Clemens IV. 547. c. Cum filia comitis Gloverni, 599. c. Matrimonium contrahere nequit cum filia regi Bohemiæ, 630. d. Qui ei fuit addictus, 555. a.

Carolo regi Siciliæ adverſatur Henricus Urbis Senator, 540. d. 543. c. Ipſi creditam ab Henrico nato regis Caſtellæ pecuniam reſtitui jubet Clemens IV. 529. e. 540. a.

Carolo regi Siciliæ induciæ conceduntur ad ſolvendum debitum eccleſiæ cenſum annuum, 520. e. 598. c. Ejus cenſum annum ſolvit, 542. b. Ejus litteræ ad Gregorium X. de ſolutione cenſus anni pro regno Siciliæ, 635. b.

Caroli regis Siciliæ filiæ pia mors, 533. b.

Carolus dux Britanniæ, 865. f. 893. b. f. 894. c. 1009. f. 1010. c. Copias adverſus prædones Spiritus ſancti villam occupantes mittit, 876. d. Eum ad pacem cum comite de Monte-forti hortatur Innocentius VI. 895. b. & ſeq.

Carolus dux Calabriæ, 744. f.

Carolus dux Normanniæ, 849. e. 854. d.

Carolus de Brancaciis, 1276. d.

Carolus de Brancaciis comes campaniæ, 1373. e.

Carolus de Malateſta Gregorii xii. ad Conſtantienſe concilium legatus, 1631. f. 1633. a. 1637. d. Ejus nomine renuntiat papatui, 1638. c.

Carrerius cardinalis ſchiſmatis fautor capiendus & ſummo pontifici tradendus, 1749. b.

Cartuſienſis ordinis ſinceritas in ſua ſimplicitate non deficit, 372. d. Clementi, IV. carus fuit, 372. e. Illum commendat S. Ludovico, 372. c.

Cartuſiani certi facti de omnibus actis in Perpiniano & Piſano conciliis, 1509. b. & ſeq.

Cartuſiæ capitulum generale poſt concilium Piſanum, 1437. d.

Cartuſia Vallis viridis à S. Ludovico fundata, 372. f.

Caſæ Dei abbas conſervator ſtatutorum Anicienſis eccleſiæ, 487. c.

Caſertanus comes, 302. a. c. Ejus converſio, 356. c.

Caſertinus epiſcopus Philippus, 546. d.

Caſinenſis abbas, 585. c. f. Milites ſtipendiat, 877. f. Mittitur adverſus Saracenos Luceriæ, 450. e. 451. a. Ei pecunias dari jubet Clemens IV. 619. d. f.

Caſinenſis eccleſia cathedralis, 467. b.

Caſimirus rex Poloniæ adhæret Nicolao papæ V. 1752. c.

Caſſanenſis epiſcopus Marcus, 546. d.

Caſtella omnibus Hiſpaniarum regnis præcellit, 1678. b.

Caſtellæ regni ſumma libertas, 1470. a.

Caſtellæ & Legionis regis terram invadunt Sarraceni, 144. e.

Caſtellæ regi à Sarracenis moleſtate decimas proventum eccleſiaſticorum concedit Clemens IV. 144. f. & ſeq. Caſtellæ regi conceſſæ per triennium decimæ proventuum eccleſiarum ſui regni, 475. f. & ſeq. Tertiam propria auctoritate levat, 476. a. Ejus compaſſio in Terram-ſanctam, 611. e. Ipſi reliquias promittit Clemens papa IV. 490. a.

Caſtellæ rex die S. Clementis natus & eodem die multis beneficiis à Deo datus, 193. b. Regem Granatæ debellat, 534. e. Eum hortatur Clemens papa ut qui multos magnos reges vicit, vincat & ſe ipſum, 194. b. Petita ei denegat, ibid. Eumque arguit quod injuſta petat, 303. b.

Caſtellæ rex in regem Romanorum electus à papa imperii coronam petit, 488. d. Eum ſedat Clemens IV. ſuper rumoribus de collato Carolo Siciliæ regi imperio, 499. b. & ſeq. Atque ab eccleſiarum vexatione compeſcere conatur Clemens IV. 137. b. & ſeq. & ut diſcedat ſponte à negotio Romani imperii perſuadere tentat, 137. e.

Caſtellanos ad faciendam treugam cum Marchione de Monte-Miſam hortatur Clemens IV. 148. b.

Caſtellæ regis tutor rex Aragonum, 1665. e. c. Coram rege Caſtellæ allegata pro Clemente VII. papa contra intruſum, 1094. e. Clementem VII. verum papam agnoſcit. Ejus via ad tollendum ſchiſma, 1149. d. Conqueritur de papa & cardinalibus quod ipſo inſcio cum miſſis à rege Franciæ principibus tractaverint de unione eccleſiæ, 173. b. Ejus Schedula pro tollendo ſchiſmate regi Galliæ oblata, 1278. d. Ejus oratores quæ geſſerint apud Benedictum, 1389. c. & ſeq. In concilio Piſano non auditi, 1478. b. 1482. e. Adhæſit Benedicto xiii. etiam poſt concilium Piſanum, 1455. a. Repulſam patitur ab eo ſuper via ceſſionis, 1299. f. Ei obedientiam ſubtrahit, 1301. d. Scribit conſilio Conſtantienſi, 1665. e.

Caſtelli cives de exceſſibus redarguit Clemens IV. 565. d.

Caſtelli

Castelli ecclesiæ præficitur abbas S. Severi, 191. d.
Castellanus episcopus Jacobus, 746. b. & seq. 765. f. 836. b.
Castrensis episcopus, 448. d.
Castrum S. Angeli nemini consignari debet nisi accedente omnium cardinalium consensu, 1074. c.
Castrum Ceperani sibi restitui papa imperat, 932. b.
Castrusius thesaurum ecclesiæ in Lucana S. Affrodiani ecclesia reconditum diripit, 743. c. Processus in Lud. Bavarum prædicari impedit, 743. d.
Cathalanus ordinis militiæ B. Virginis rector, 361. e.
Cathalano & Lotaringo civitatis Florentinæ regimen committitur, 321. e. 429. c. 436. e.
Catholici non terreantur de sua paucitate, nec hæretici aut schismatici glorientur de sua multitudine, 1742. e. f.
Cavallicensis episcopus Philippus, 1043. e.
De causis tractandis in Romana curia concilii Constantiensis decretum, 1705. a.
Cecilia Fulcodia Clementis IV. consanguinea, 110. f. 591. e.
Cellæ Bituricensis abbas in concilio Constantiensi, 1552. a.
Cellæ Trecensis abbates Felicius, 3. c. Vvilelmus, 2. c.
Celsiniarum prior, 1552. f.
Censuras in quoslibet exercendi facultas datur Simoni legato sedis apostolicæ, 80. e.
Census à rege Siciliæ debitus sedi apostolicæ, 77. e. 396. a. & seq. Qualis esse debeat, 230. d. Terminus solutionis illius prorogatur, 399. c. d.
Centesimam redituum ecclesiasticorum in subsidium Terræ-sanctæ concedit ad triennium Urbanus IV. b. c. Ad quinquennium 7. b. & seq. 7. a. 8. d. 157. f. 389. d. 436. e. Illius collectio committitur Simoni cardinali, 382. d. & seq. 383. b. 421. c.
Cessionis via extinguendo schismati melior & brevior, 1167. d. 1168. f. Opportunior, 1149. & divina, 1163. e. Commendatur, 1163. d. & seq. Eam probant cardinales, 1168. a. 1178. f. Eam qui amplexati sunt principes, 1168. d. Illam eligunt reges Franciæ, Angliæ, Castellæ & Navarræ, 1152. a. Contra eam sermonem habere vetat Carolus rex Franciæ, 1152. c. Illius prattica per regem Galliæ & ejus consilium excogitata, 1150. b. Eam ante papatum laudabat Benedictus XIII. 1187. f. Quam papa recusavit, 1615. c. Eam amplecti promittit Johannes XXIII. in concilio Constantiensi, 1614. b. 1616. e. Ad eam etiam paratus Angelus Corrario in eodem concilio. 1627. a. Eam qui non admiserit sit sicut schismaticus & intrusus, 1164. b. Cessionem tamen non temerè faciendam censet Bonifacius Ferrerii, 1525. e.
Chalantius cardinalis, 1344. b. 1416. b. 1417. b. Interfuit concilio Perpiniani, 1481. c. e. Erronea proponit Bonifacio Ferrerii, 1458. b. Abbatiam S. Michaëlis de Monte petit à papa, 1459. e.
Choreæ clericis prohibitæ, 485. e.
Christes magnus Turcus, 1652. e.
Christophorus cardinalis S. Cyriaci, 1274. b.
Christophorus prior Maggiani ordinis Carthusiensis generalis, 1435. f.
Christus volens non coactus solvit didragma census, 705. b.
Christo & apostolis in his quæ habuerint jus nullum fuisse, sed tantum usum asserere hæreticum, 682. c. & seq 698. f. & seq. 717. 712. b. & seq.
Cicestrensis episcopus mulctatus, 319. c.
Cinthii canonici Remensis zelus in ecclesiam Romanam, 618. d.
Cinthius rector Cornetanus, 632. d.
Cistercienses abbates Guido factus cardinalis, 149. f. Johannes, 1550. d. 1551. c. 1563. d. 1564. d. 1606. f.
Cistercienses à solutione decimæ pro negotio Siciliæ exemti 111. e. 304. b. & seq. ab eis si necessitas urgeat exigenda, 118. d. c.
Cisterciensium monasteriorum ingressus semel in anno permissus mulieribus nobilibus, 80. c. Id semel in anno quatuor nobilibus feminis permittere poterat Simon cardinalis S. Cæciliæ, 113. d.
Cisterciensis ordinis scissuras ægrè fert Clemens IV. 148. d. Cisterciensi capitulo ut abusus in professione fratrum de Calatrava emendet, præcipit Clemens IV. 171. b. & seq.
Citatio Castrucii de fautoria hæreticorum damnati, 743. a. & seq.
S. Claræ ecclesiam Assisii consecrat Clemens IV. 190. c.
S. Claræ sorores difficultatem patiuntur circa regulam suam, 338. d.
S. Claræ monasteriorum ingressus permissus semel in anno nobilibus mulieribus, 80. c. Illum quatuor nobilibus feminis permittere poterat Simon cardinalis, 113. d.
Clarevallis abbas orator regis ad Benedictum XIII. & Gregorium XII. 1357. c. Interest concilio Constantiensi, 1551. f. Capsam S. Bernardi vendit ut solvat annatas, 1420. e. Dissentiones in ordine inducit, 148. f. Turbatur ex Clementis IV. statutis circa diffinitores capituli generalis, 148. e.
Claromontanus episcopus ad Lugdunensem archiepiscopatum postulatus repulsam patitur à Clemente IV. 568. c.
Claromontensis episcopus redarguitur de vexatione Obasinensis monasterii, 511. c.
Clemens papa, 1161. f.
Clemens II. papa, 1622. d.
Clemens IV. ortus ex villa S. Ægidii, 371. f. 528. d. 629. f. Tres obtinuit episcopatus, 1397. b. Fuit episcopus Aniciensis, 477. a. f. Deinde archiepiscopus Narbonensis, 131. d. f. 167. f. 477. a. f. 519. a. Ante papatum legatus in Angliam repulsam passus ab Anglis, 247. c. 355. e. Nulli tamen oneri esse voluit cum fuit legatus, 159. b. Super sua ad papatum promotione lacrymas fundit, 109. f. 110. d. 193. c. Onus sibi impositum præ humilitate sentit, 110. d. 125. a.
Clemens IV. in camera papali pecunias non invenit, nec ad eas manus porrigit, 108. b. Cardinalium inopiæ providet, 240. f. 250. e. Nihil habentibus CCC. Marcas annui redditus assignat, 250. c. Jura suæ sedis propugnat viriliter, 580. e. Ecclesiasticæ fuit libertatis defensor acerrimus, 252. a. Postulata contra ecclesiæ libertatem à Carolo Siciliæ rege negat, 444. c. & seq. Vacaturis ecclesiis eligendi libertatem restituit. 356. d. Patrimonium S. Petri conservari curat, 316. a. Divitias tamen non congregat, 174. a. 182. b. Sed summa fuit ejus paupertas, 182. b. Tanta ut quotidianis sumtibus sufficere vix possit, 172. c. Eam tamen æquanimiter tolerat, 186. e. Ægrè pecunias invenit, 133. a. Nec deliciis nec divitiis abundat, 240. f. Humilis, nec delitiis dissolvitur, nec divitias sibi dominari permittit, 130. a. Ægrè fert munera, 256. f. 257. a. Collatam nepoti suo præbendam in ecclesia Belvacensi frigide audit, 357. e. Quæstam pro sibi conjunctis non facit, 313. c.
Clemens IV. qualis erga nepotes & consanguineos, 423. d. & seq. Monet nepotem ne extollatur de exaltatione sua, 110. d. Ne ipse aut ullus suorum ad curiam veniat, 110. e. Ne in sororis nuptiis altiorem gradum quærat, 110. e. A pompis abhorret, 301. d. Ejus constantia in adversis, 518. d. 543. d. Ejus clementia prævalet rigori justitiæ, 309. c. 311. d. Summo Medico se committit, 340. a. Illos diligit qui Deum diligunt, nec quicquam vult nisi quod ei est acceptum, 156. c.
Clemens IV. in conferendis beneficiis non ad personas sed ad meritum respicit, 303. d. Valentinensem episcopum ad ecclesiam sancte administrandam hortatur, 502. a. Lites in episcopis damnat, 181. c. Aliorum non delectatur excidio sed pace, 275. d. Aliorum consiliis potius innititur quam suis, 407. e. Promittere non vult quod implere non potest, 107. b. Librum petit à Rogerio Baccon Minorita, 358. b. Semper discere cupit, 359. a. Erga ordinem Prædicatorum devotus, eorum se commendat orationibus, 397. b. Religiones novas multiplicare volentibus non favet, 587. b. d. Assisii ecclesiam S. Claræ consecrat, 190. c.
Clemens IV. Affligitur de populi christiani afflictionibus, 129. c. Ejus anxietas pro Terra-sancta, 436. a. Fidelium Terræ-sanctæ animos erigit, 169. e. Regem Franciæ & Marchionem Brandeburgensem ad subsidium eorum animat, 169. f. Ejus labores pro Terra-sancta, 611. d. Quanta fecerit pro illius subsidio, 469. f. 471. a.
Clemens IV. Perusio venit Urbem-Veterem deinde Viterbium, 315. d. Dispensat super consanguinitatis gradus inter filiam regis Armeniæ, & filium nobilis viri Balduini de Bilmo, 293. b. Negat dispensationem pro matrimonio contrahendo inter filium Balduini imperatoris & filiam regis Castellæ, 303. f. Regis Aragonum vices ad liberationem electi Veronensis in vinculis detenti interponit, 100. b. Aragonum regem de incestuoso illius adulterio increpat, 362. e. 449. a. & seq. Illius matrimonium solvere recusat, 277. c. & seq. Calamitatibus regis Armeniæ compatitur, 470. d. & seq. Gratulatur regi Castellæ de reportata in regem Granatæ victoria, 534. e. S. Ludovico fuit amicus & familiaris, 128. e. Ipsi tamen negat privilegium quo filii ipsius non possint excommunicari, 586. b. & seq. Ipsi aperit angustias Caroli regis Siciliæ, 241. c. & seq.
Clementis IV. erga Carolum comitem affectus, 126. a. Cameram suam & Ecclesiam Romanam pro eo obligat, 126. b. 128. c. Quanta fecerit pro Siciliæ regno ei procurando, 241. d. & seq. Pecunias dat, 108. b. Ecclesiæ Romanæ bona obligat, 242. a. 269. e. 270. d. Cardinales in Urbe exsistentes consulit super obligandis possessionibus ecclesiarum Urbis ad ferendum regi Siciliæ auxilium, 176. a. & seq. Clementis anxietas ad subveniendum regi Siciliæ, 178. c. & seq. 182. b. & seq. 254. e. Angustias suas & impotentiam pecuniarium subsidium mittendi eidem aperit, 173. e. & seq. 274. b. Suadet ut ad regem Franciæ recurrat, 175. a. Contracta pro negocio Siciliæ debita solvi procurat, 295. f. & seq. Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani fratres hortatur ad sumenda arma adversus hostes regis Siciliæ, 532. d. Excusat se quod ad Urbem Carolo regi coronam impositurus accedere non queat, 251. e. & seq. Litteras authenticas de acceptatione diffinitionis negotii regni Siciliæ petit 116. c. 117. d. Item de juramento ab eo præstito super negotio senatus Urbis, 116. f. Imperii vicarium in Tuscia eum creat, 587. f. 588. b. 650. e. 674. c. Piis eum informat monitis, 267. e. & seq. 369 f. & seq. 464. f. 505. f. & seq. 589. e. Eum dirigit in agendis, 356. f. Concordiam & pacem inter ipsum & P. natum F. regis Castellæ conciliat, 510. b. Dehortatur ipsum ne extra regnum pugnaturus in Coradinum obviam eat, 524. c. 525. f. Eum arguit de damnis illatis ecclesiæ Astensi, 205. f. & de aliis excessibus ab eo commissis, 264. b. & seq. 406. c. & seq. De exactionibus, 445. e. 525. c. de collectis in regno Siciliæ ab eo factis, 443. b. & seq. Causatur de vexationibus officialium ipsius, 524. c. & seq. Auctor est ipsi ut secundas cum filia regis Aragonum nuptias contrahat, 547. c.
Clemens IV. Henricum Urbis senatorem arguit quod rectè non ambulet, 548. f. & seq.
Clemens IV. notam facit archiepiscopo Narbonensi & suffraganeis ejus victoriam de Manfredo reportatam, hortaturque ad gratiarum actionem, 287. d. & seq. Item comiti Augi 289. f.
Clemens papa V. 958. b. Thesaurum ecclesiæ in Lucana S. Afrodiani ecclesia collocat, 743. c. Robertum Siciliæ regem suum in Tuscia vicarium creat, 650. 674. c.
Clemens papa VI. 898. a. 952. d. regi Franciæ optime affectus, 943. a.
Clemens papa VII. 1297. e. 1340. b. Ejus

electio Fundis celebrata, 1125. a. Ipsi adhærent omnes cardinales, 1127. d. Pro ipsius vero papatu testimonium collegii cardinalium, 1128. b. & seq. Ejus electionem canonicam declarat Universitas Parisiensis, 1723. a. f. Ei quinam adhæserint, 1158. e. verum papam agnoscit rex Castellæ, 1098. c. cessionem recusavit, 1177. f. Ejus obitus, 1724. c. Eo defuncto archiepiscopus Coloniensis & proceres Germaniæ deprecatoriam ad regem Francorum epistolam scribunt, ut impediat ne successor illi detur, ut facilius schisma extirpetur, 1132. f.
Clementia firmatur thronus regis, 276. f. 515. d.
Clerici recipiendi examinandi, 484. d. Eorum habitus exterior, 485. c. Cum ecclesiæ habitu foris ne procedant, 485. b.
Clerici portantes superpellicium in ecclesia Aniciensi, 479. d.
Clericis talliæ non imponendæ, 235. d. In causa criminali coram judice sæculari non judicandi, 235. d. anulos publice non deferant, 485. e. Eis tabernæ prohibitæ, 485. d. & choreæ, 485 e. Concubinarii ut tractandi, 356. e.
Clericuli in ecclesia Aniciensi ante annum vigesimum non admittendi, 479. a.
Cletus papa, 1161. e.
Cluniacensi abbati in gratiam Minorum Carilocensium scribit Clemens. IV. 545. d.
Cluniacensis abbas Androinus, 940. f. 1027. b. 1038. c.
Collardus de Calleville, 1345. a. 1357. c.
Collectæ ab ecclesiis & monasteriis non levandæ, 508. a. Collectas in regno Siciliæ à Carolo rege factas improbat Clemens IV. papa, 443. b. & seq.
Collis-nigri castrum sub custodia J. cardinalis S. Cosmæ ponit Clemens IV. 363. e.
Collusii Florentini epistola ad Jodocum Marchionem Brandeburgensem super facto unionis ecclesiæ per viam cessionis, 1155. c.
Collusio inter duos contendentes de papatu, 1180. f. 1181. a.
Colonienses archiepiscopi Henricus, 637. f. T. 1687. f.
Coloniensis archiepiscopus ex jure debet regem Romanorum coronare, 497. e.
Coloniensi electo centesimæ redituum ecclesiasticorum collectio in subsidium terræ sanctæ commissa, 6. a. & seq.
Coloniensi universitati cardinales notam faciunt electionem Gregorii XII. 1280. c. Quæ ipsi gratulatur de sua electione & proposito renunciandi papatui pro sedendo schismate, 1283 b. & seq. Ejusdem litteræ ea de re ad collegium cardinalium, 1284. a. Ad Johannem cardinalem Leodiensem, 1281. a.
Coloniensis universitatis oratores in concilio Constantiensi quomodo suscepti, 1610. b. & seq.
Coloniensis universitas uniri sibi postulat collegiatam S. Andreæ ecclesiam, 1699. a.
Comitia Bituricis congregata pro extirpando schismate, 1749. f.
Commendæ prohibitæ, 1707. b. c. & reprobatæ in concilio Constantiensi, 1705. c.
Conchensis episcopus à Petro de Luna missus ad concilium Constantiæ ut ecclesiæ impediat unionem, 1671. f.
Conciliorum celebrandorum formam dederunt apostoli, 1204. f. Generale quid sit, 1217. f. 1613. f. A quo debeat convocari, 1117. c Convocatio illius pertinet ad papam, 710. a. 1409. f. 1474. e. Tamen quandoque potest congregari papa non consentiente, 1222. a. 1624. b. In certis casibus, 1410. b. Pro sedando schismate etiam invito papa potest convocari, 1410. e.
Conciliorum finis 1624. d. Ad ea recurrendum imminente necessitate, 1207. f. Papa in arduis ad concilium recurrere consuevit, 1 10. f. Celebrandum est pro ecclesiæ reformatione, 1624. a. Tollendo schismate, 1229. 1293. b. Concilii congregandi tempore schismatis triplex necessitas, 1193. b. 1200. b. 1203. f. Concilium pro extirpatione schismatis celebrare promittit Benedictus XIII. 1268. b.
Concilium non potest judicare papam, 1525. d.
Concilii auctoritas in papam, 1210. c. 1614. a. In causa fidei est papæ judex, 1212. c. Qui ipsi subest in his quæ fidem & statum ecclesiæ concernunt, 1247. a. 1398. a. Ita censet universitas Cracoviensis, 1752. b. Concilio se submiserunt Leo & Sixtus papæ, 1212. a. Ipsi subest collegium cardinalium 1208. d. Concilia quatuor ab apostolis celebrata, 1204. c. Concilium convocandi in sua legatione facultas datur Simoni cardinali, 79. d.
Concilium generale ad recuperandam ecclesiæ libertatem unicum remedium, 1759. b.
Concilia generalia celebranda præscribuntur in concilio Constantiensi, 1685. d. Concilium generale à Benedicto XIII. petit rex Castellæ, 1390. d. Concilio generali causam suam cum Friderico imperatore submisit Innocentius IV. 1212. d. In concilio generali electionem Othonis seu Martini V. Ægidii & Benedicti XIV. petit Johannes de Thurena, 1747. c. Concilium generalium defectu multæ exortæ hæreses, 1205. a.
Concilia quatuor principalia, 1205. c.
Concilium provinciale singulis annis celebrandum tempore subtractionis, 1401. d. & seq.
Concilio Basileensi favet Universitas Cracoviensis, 1752. a. b.
Concilium Constantiense convocat Johannes XXIII. 1728. b. Adventus prælatorum ad illud, 1612. c. & seq. Archiepiscopi Maguntini, 1611. d. Ad illud deputati ex Provincia Rothomagensi, 1539. e. f. Subsidia eis concessa, 1539. d. 1541. a. Ipsius litteræ ad Ludovicum archiepiscopum Rothomagensem, 1541. c. Ipsi incorporatur rex Aragonum, 1666. d. Illius decreta ad instantiam Cardinalium decurtata, 1625. e. Illius translationem petit Petrus de Luna, 1648. e. Illud Niceam transferre meditatur Johannes XXIII. 1216. c. Per fugam papæ non est dissolutum, 1634. b. Ei se submisit Gregorius XII. 1646. d. Schismati finem imposuit, 1748. e
Concilium ad civitatem Lucanam pro sedando schismate convocatum, 1726. b. Postea Pisas translatum, 1726. b.
Concilii Nicæni acta & decreta S. Silvestro missa ut ab eo probarentur, 1205. c.
Concilium Parisiense, 1347. b.
Concilium prælatorum Parisiis celebratum pro facto unionis Ecclesiæ, 1273. b. & extirpatione schismatis, 1301. b. Illius deliberatio super facto unionis, 1312. e. & seq. In eo conclusa fuit subtractio obedientiæ à Benedicto XIII. 1343. b. Ab eo quædam deliberata tempore subtractionis observanda, 1398. e.
Concilium Parisiense ad deputandum ad concilium Constantiense, 1538. e. Pro tollendis annatis, 1547. e.
Concilium apud Perpinianum 1473. e. 1476. e. Convocat Benedictus XIII. 1726. e. In quo de impositis sibi criminibus se purgare contendit, 1727. a. Ad illud quidam ex Francia conveniunt sub dissimulato habitu, 1474. c. Ad illud speciali bulla vocatur Bonifacius Ferrerii, 1480. e. Qui ei interfuerunt, 1481. a.
Concilii Pisani convocatio, 1415. f. Ad illud citatur Benedictus XIII. 1474. c. Adversus eum procedit, 1727. b. & seq. Illius processus Aragonum regi negatus, 1519. e. In eo non auditi oratores regis Castellæ, 1478. b. 1482. e. Adversus illud dubia scribit Petrus episcopus Cameracensis, 1496. b. cardinalis Barensis, 1534. f. De eo causatur Bonifacius Ferrerii, 1519. b. Qui illud impugnat, 1462. a. & seq. Illius statuta irritari petit Petrus de Luna, 1649. a. 1657. d.
Concilium à comite Sabaudiensi pro abjiciendo Petro de Luna, 1452. d.
Conclusiones in Benedictum XIII. tamquam schismatis fautorem, 1183. f.
Concordia est convenientia partium ad invicem discordantium, 1415. d.
Concordienses episcopi Guido, 947. f. Leonellus, ejus oratio in funere Innocentii VIII. 1768.
Concubinarii clerici ut tractandi, 356. e.
Concubinarii beneficiis privati, 420. f.
Condomensis episcopi epistola ad Carolum VI. regem 1129. f. ad summum pontificem, 1130. c. Tractatus super materia schismatis, 1131. e.
Conradinus seu Corradinus, 466. f. 472. e. 474. a. 500. d. 518. c. 567. c. 594. c. 616. c. Conradinus Frederici imperatoris nepos in Thuscia, 456. c. 458. a. Ipsum imperio præficere multi laborant, 319. e. Ejus adventus in Italiam, 524. c. Tridento transire Veronam se accingit, 535. d. 536. c. Veronæ existens totam Lombardiam contrariam habet, 543. d. Verona intendit venire Papiam, 563. b. Ejus angustiæ apud Papiam, 581. c. 555. a. 577. d. Ipsi & episcopis liberum transitum permittunt Lombardi, 597. c. Pisas intrat, 584. f. Pisis Lucanos vult aggredi, 602. e. Ejus Angustiæ, 602. e. Ejus in Italia fatui conatus, 576. d. Ad Urbem traducendus, 609. d. Ipsi favet Henricus Senator Urbis, 540. d. 543. c. Favent & Aversani, 630. f. A papa excommunicatur, 544. d. A Carolo rege Siciliæ victus omnino deletur, 625. d. Detentus in vinculis, 627. f. Ita prostratus fuit ut nec sibi consulere, nec suis providere valeat, 416. b.
Conradus cardinalis S. Chrysogoni, 1322. f. 1367. a. 1368. a. 1395. d.
Conradus archiepiscopus Moguntinus, 1714. c.
Conradus filius Frederici imperatoris, 225. a.
Conradus puer filius Frederici regis Siciliæ, 16. e. 22. d.
Conradus de Antiochia, 302. c. 345. d. Victus detentus in vinculis, 627. f. Et corruptione liberatus, 305. f. & seq.
Conradus de Aqua-viva comes S. Valentini, 886. d.
Conradus Capetia favet Conradino adversus Carolum regem, 456. c.
Conradi de Gerlenhusen Vormatiensis prepositi tractatus de congregando concilio tempore schismatis, 1200. b.
Conradus de Susato concilii Constantiensis nuntius ad Petrum de Luna, 1643 c.
Conradus Trincia favet Conradino adversus Carolum regem, 456. c.
Consiliarii regum quales debeant esse, 220. a. 252. f. Non suspecti, 407. f.
Consilium de modo procedendi ad tollendum schisma, 1391. c.
Consiliis aliorum potiusquam suis innititur Clemens IV. 407. e.
Constantinopolitanus patriarcha Johannes, 1543. f. 1549. e. 1606. c. f.
Constantinopolis imperator ad papam accedit, 388. e.
Constantiensis episcopus postea archiepiscopus Lugdunensis ad episcopatum Tornacensem nominatus à rege, causa cadit, 1763. a.
Constantini intrusi ordinationes, 1233. c.
Constantinus papa depositus, 1622. d.
Constantinus archidiaconus Nimosensis carcere detentus, 448. c.
Constantinus imperator clericos judicare recusat, 709. f.
Consuetudines perversæ dici debent corruptelæ, 404. a. & ut tales abolendæ, 611. b.
Consultatio de recusanda Petro de Luna obedientia, 1177. d.
Consultatio theologorum de quibusdam propositionibus erroneis circa materiam unionis ecclesiæ, 1680. e. & seq.
Contemni amare gradus humilitatis sublimior, 423. f.
Contentiones exortæ in concilio Constantiensi super præcellentia, 1667. b.
Convenarum episcopus Bertrandus, 1009 b.
Corcirensis electi oratio adversus Turcas, 1786. a.
Corinthiensis episcopus ad Montis-regalis sedem translatus, 465. e.
Corinthiensis episcopus P. de Confluentia, 578. c.
Corisopitensis episcopus Gatianus, 1558. b.

Cormeriacensis abbas in concilio Constantiensi, 1552. a.
Cornetani papæ mentiuntur, 184. a. Cornetanorum negotium prosequendum scribit Clemens IV. 162. c.
Corona imperialis à Romano pontifice concedenda, 498. a.
Coronatio triplex imperatorum, 487. f.
Coronam de manu papæ recipere desiderat Carolus rex Siciliæ, 251. e. & seq. Eam in die epiphaniæ accipi suadet Clemens IV. 252. d.
Cosmacus cardinalis S. Crucis in Jerusalem, 1274. b.
Cracoviensis Universitatis epistola ad Parisiensem, 1751. a.
Crassensis monasterii privilegia confirmat Clemens IV. 594. e. & seq.
Crassensis abbas Raimundus, 595. c.
Creditoribus satisfieri mandat Clemens IV. 133. b.
Cremona sedi apostolicæ subjecta, 353. d.
Cremonenses ad pacem hortatur Clemens IV. 569. e. 570. c. Ad Ecclesiam redeunt, 327. d.
Crucem ante se deferre solis competit Romanis pontificibus, 522. a.
Crucis prædicationi instandum, 375. b. His qui adsunt ei concessæ indulgentiæ, 422. a.
Crux predicanda pro rebus Anglicanis, 200. f. Pro subsidio Terræ-sanctæ, 141. b. & seq. 379. c. & seq. 423. a. Adversus Manfredum, 22 b. 72. e. 114. a. 155. f. Adversus Sarracenos Luceriæ, 72. e. 576. b. Adversus pravas societates Ecclesiæ adversarias, 849. b. 851. f. 855. a. 859. b. 860. c.
Cruce signati votum impleant, 73. d. His indulgentiæ concessæ, 73. f. His terminus ad transfretandum præfigendus, 420. e. Eos sub sua protectione suscipit Clemens IV. 195. b. & privilegia concedit, 196. 197. d.
Culpas agnoscunt sancti ubi nulla noxa, 92. a.
Cusani castrum ad Concordiensem ecclesiam pertinens à nobilibus de Prambergo occupatum, 947. e.
Cusentinus archiepiscopus in Lombardiam nuncius à Clemente IV. missus 203. c. f. Ad sedandam urbis rebellionem, 489. c. Ei scribit ut Caroli comitis adversarios in Urbe comprehendat, 161. c. Ipsi facultas datur absolvendi redeuntes ad ecclesiæ gremium ab excommunicatione, 173. d. Ipsi libertatem abbatis S. Polycarpi à regi Siciliæ detenti commendat Clemens IV. 261. d. Transfertur ad sedem Messanensem, 302. d.
Cusentinam ad sedem transfertur episcopus Bethleemitanus, 465. e.
Cypri rex dispensatur ut matrimonium contrahere possit cum filia Johannis domini Beriti, 155. b.

D

Daci feroces populi, 464. b.
Dalphinus de Flessis, 952. d.
Damnandus nullus non auditus, 1114. a.
Debita pro negotio Siciliæ contracta solvi procurat Clemens IV. 295. & seq.
Decanus eligendus in ecclesia Aniciensi sit in sacris ordinibus constitutus, 486. b.
Decanus Trecensis S. Urbani residentiæ obligatus, 205. c. A papa confirmandus, 240. b.
De decimis, 604 f. Ab earum solutione nulli exemti, 246. a. Eas ab exemtis colligi jubet Clemens IV. 214. f. Qui eas duplicare recusat, 214. f. Non sunt exigendæ ab iis quorum beneficia valorem annui reditus xv. librarum non excedunt, 245. c. Nec de glenis pauperum, 461. b.
Decimæ proventuum ecclesiarum Castellæ regi per triennium concessæ, 475. f. & seq. ob Sarracenorum infestationem, 144. f. & seq.
Decimas proventuum ecclesiasticorum Angliæ ad subveniendum ecclesiæ necessitatibus per biennum petit Innocentius VI, 938. b. & seq. 965. f. & seq.
Decimæ ecclesiasticorum proventuum Carolo Andegaviæ & Provinciæ comiti concessæ, 22. a. 58. d. 59. c. & seq. 75. c. 121. f. Celerius colligendæ, 132. f. 139. a. & ei tradendæ, 151. e. Etiam à religiosis exigendæ, 244. f. Non tamen à Cisterciensibus, 305. b. & seq. Ab ipsis nihilominus & à Templariis Hospitalariis & aliis exemtis exigendæ si necessitas urgeat, 118. c. Sed decimas fratrum Prædicatorum de suo solvi jubet Clemens IV. 413. b. Decimas pro negotio Siciliæ colligendas regi Franciæ obligari permittit papa, si ille mutuum germano suo præstare voluerit, 109. d. Decima triennali pro regno Siciliæ gravatur Francia, 313. b.
Decimæ pro subsidio Terræ-sanctæ, 557. b. 584. d. Eas solvere recusant Remensis Senonensis & Rotomagensis ecclesiæ, 523. a.
Decima pro extirpatione schismatis, 346. e.
Defuncti in lectis suis ad sepulturam delati, 612. c.
Deliberatio cleri Gallicani de collatione beneficiorum durante schismate, 1307. c.
Delicias spernit Clemens papa IV. 130. a.
Demetrius Strigoniensis archidiaconus regis Hungariæ ad papam legatus, 272. b.
Deodatus episcopus Agennensis ad procurandam pacem inter Gastonem Fuxi comitem & Arnaldum dominum Lebreti ab Innocentio VI. incitatur, 1056. b. & seq.
Dertusensis episcopus Johannes, 575. a. d. 876. a.
Detrahentes semetipsos excœcant, 1250. b.
Diaconetus vir nobilis, 496. b.
Diaconi in officio suo non servientes puniendi, 482. c.
Diffamati ab officio altaris removendi, 484. f.
Dignitates ecclesiæ non conferendæ nisi theologis licentiatis, &c. 1103. f. 1698. c.
Dignitates seu personatus in ecclesia Aniciensi, 479. d. 480. e. Ad sacros ordines promoveantur, 486. e.
Diligendum nihil præter Deum, aut diligibile propter Deum, 274. d. Plus diligendi qui plus Deum diligunt & ab eo plus diliguntur., 326. b.
S. Dionysii abbatiæ conceduntur indulgentiæ pro visitantibus monasterium in festo ejusdem Sancti, Dedicationis, & Parasceve, 599. f. Abbas potest concedere indulgentias ad suam prædicationem & missam accedentibus 600. d. Ei facultas conferendi primam tonsuram monasterii sui manumissis conceditur, 601. e. Quasdam ei ecclesias confirmat Clemens IV. 601. e. S. Dionysii abbas carceri mancipatus redemtionem emit quinque millibus scutorum aureorum, 1444. f.
S. Dionysii abbas Philippus, 1329. a.
Dionysius de Essartis clericus Caroli comitis Andegaviæ, 87. c.
Disceptationes in concilio Constantiensi de forma eligendi futuri Summi pontificis, 1675. e.
Discratia febrilis, 88. d.
Discursus Monachis vitandi, 325. f. & familiaritates, 282. a.
De dispensationibus concilii Constantiensis decretum, 1706. f.
Dispensationes tempore subtractionis qui concedere possint circa ætatis defectum, 1399. d. circa defectum natalium, 1399. e. circa irregularitates, 1399. f. circa matrimonii impedimenta, 1400. b. circa promovendos ad episcopatum, 1400. e.
Dissentiones ortæ in concilio Constantiensi, 1676. b. d. & seq. 1677. f.
Distributiones in ecclesia Aniciensi, 479. b. 480. b. & seq. 481. c. & seq.
Divitias spernit Clemens IV. papa, 130. a.
Doctores in studiis ad docendum ab episcopis instituendi, 604. a.
Doctores plus sunt in Parisiensi universitate quam in toto regno, 1424. e.
Doctores Universitatis Parisiensis ducenti in concilio Constantiensi quam bene se gesserint, 1619. e.
Dolensis episcopus, 1582. d.
Dolensis episcopus Stephanus, 1550. a. 1558. b. 1606. f.
S. Dominici festum, 295. a. & seq. Indulgentiæ concessæ in ejus festo, 212. f.
Dominicus anticardinalis S. Petri ad vincula, 1731. c. 1735. c.
Dominicus de Campo-cassio canonicus Januensis, 888. c. 891. c.
Dulcia de S. Georgio, 301. c.
Dunelmensis episcopus Thomas, 1060. f.
Durandus episcopus Bethleemitanus, 847. b.
Duces patruos & fratrem regis misit rex Franciæ ad Benedictum XIII. pro extinguendo schismate, 1167. e.

E

Eboracensis archiepiscopus Johannes, 1060. f.
Ebredunenses cives ad sumenda arma adversus pravas societates Ecclesiæ inimicas Innocentius VI. hortatur, 852. e.
Ebroicensis episcopus Guillelmus 1320. c. 1336. a. Deputatus ad concilium Constantiense, 1539. e. 1541. b.
Ecclesia non est collegium papæ & cardinalium, 1214. c. & seq. Aliquando in uno solo fuit, 1743. d. & seq. Ecclesia etiam in conjugatis virgo est 1214. f. Universalis deviare non potest, 1209. a. Ab ea separatus etiam laudabiliter vivens non habebit vitam, 1215. e.
Ecclesiæ variæ persecutiones, 1744. a. & seq. Expugnari non potest ut succumbat, 1745. b. & seq. Navis Petri quantiscumque agitata periculis naufragium finale non timet, 328. e. Ecclesia indiget potestate sacerdotali & regali, 1413. e. Eam tueri rex debet, 1548. a. Ecclesiæ defensoribus principibus semper bene cessit, persecutoribus semper male, 210. f. Ecclesiæ libertatem S. Ludovico commendat Clemens papa IV 129 c. Ecclesia punire potest punitione coactiva, non consentiente imperatore, 713. a. Ecclesiæ bona subesse imperatori docebant Marsilius de Padua, & Johannes de Janduno, 705. e. Ecclesiis bona ablata restituenda, 234. a.
Ecclesia Romana omnium catholicorum mater, 1207. c. Suprema & magistra omnium, 1596 d.
Ecclesiarum Urbis possessiones an sint obligandæ pro rege Siciliæ consilium cardinalium requirit Clemens IV. 176. a & seq. Eas obligat, 187. c. 260. d. 269. e. 270. d. Ecclesiæ Urbis pro negotio Siciliæ obligatæ quantocius à debitis liberandæ, 354. e.
Ecclesiæ Romanæ Angustiæ, 187. e.
Ecclesiæ Romanæ reformatio, 1680. a. Pontifici commendatur, 1758. c. & seq. Ecclesiam asserere non posse perfecte & debite reformari, nisi per subtractionem bonorum temporalium est hæresis Johannis Hus 1681. e.
Ecclesiis Siciliæ restituenda est libera electio, 234. d.
Ecclesiasticæ causæ in foro ecclesiastico dirimendæ, 234. f.
Edilbertus rex Angliæ, 1244. c.
Eduardus rex Anglorum, 860. b. 938. d. 1026. b. Athleta Domini, ecclesiæ brachium singulare, 1037. a. Pro pace procuranda inter Carolum Britanniæ ducem & Johannem comitem Montis-fortis partes suas interponit, 893. d. 895. c. 896. b. Ab ipso subsidium caritativum petit Innocentius VI. 1059. c. Adversus Bernabovem, 1036. f. & seq. Ipsi dispensationem pro matrimonio sui primogeniti concedit Innocentius VI. 1066. b. Eidem scribit, ut electus Londonensis fidelitatis sacramentum per procuratorem ei præstet, 1064. c.
Eduardus regis Angliæ primogenitus, 200. e. Ei crucis votum dissuadet Clemens papa IV. propter turbas Angliæ, 563. e.
Eduardus princeps Vualliæ 1038. e. 1061. c. 1065. a. Ipsi datur dispensatio super Matrimonio cum Johanna comitissa Cantiæ, 1017. a. & seq.
Edmundus filius Henrici regis Anglorum ab

Urbano IV. citatus, 52. a.

Bistensis episcopus Gebehardus, 696. d.

Elcani-Apacha princeps Tartarorum factus Christianus, 527. c. & seq.

Electense monasterium, 266. f.

Electio nulla ubi adimitur facultas eligendi, 1123. c. Cum voci tumultuantis populi obeditur, 1113. e. Per vim aut per metum facta, 1124. a. Electus per seditionem vel præsumtione abjiciendus, 1239. c.

Electiones episcoporum tempore substractionis à quibus confirmandæ, 1400. d. Item abbatum 1404. f. In electione papæ quid attendendum, 1755. f. & seq. Consultationes theologorum de quibusdam propositionibus erroneis circa electionem papæ, 1680. f. Electionem papæ sibi reservavit concilium Constantiense, 1638. e. Quæ aliquandiu differtur, 1636. f. Quamvis non sit differenda, 1781. e. Eam retardare est schisma fovere, 1683. a. In concilio Constantiensi facta fuit per cardinales & deputatos quinque nationum, 1688. f. 1690. e. Electionem suam universitati Coloniensi significat Martinus V. papa 1688. c. Item, collegium cardinalium, 1690. a. & seq.

Electiones in Sicilia liberæ, nec requisito regis assensu, 15. f. Earum restitutio, 234. d. 400. d. Per Clementem IV. 447. f.

Eligendi libertatem vacaturis ecclesiis restituit Clemens IV. 356. d. Ad electionem episcopi Aniciensis non vocandi in sacris ordinibus non constituti, 486. d.

Eleonora regina Aragonum, 850. e. 875. a. e. Innocentio VI. copias offert ad repellendas perversas societates, 868. d.

Elias episcopus Aniciensis, 1548. f. 1550. a. 1557. e. 1560. d. 1561. b. 1564. a. d. 1568. f. 1569. b. 1581. d.

Elias abbas S. Salvatoris de Blavia, 1016 e. 1039. c.

Elias Peleti capellanus papæ generalis causarum palatii auditor ad Florentinos missus, 428. b. e. 429. b.

Eliensi episcopo gratia nulla facienda, 241. a. Ejus absolutionem sibi reservat Clemens IV. 201. b.

Eliensis episcopus Thomas, 1016. c. 1065. e.

Elisabeth infantissa Majoricarum, 948. b.

Elnensis episcopus Remundus, 987. f. 989. f.

Emendatio sacrorum librorum Ario commissa, 1495. c.

Emocho episcopus Spirensis dignitate privatur, 696. d. & seq.

Engelbertum episcopum Leodiensem hortatur Innocentius VI. ut recuperando comitatui Lossensi invigilet, 944. a.

Engerannus archiepiscopus Capuanus, 877. a.

Epiphaniæ die assignata Caroli regis Siciliæ coronatio, 251. d. 257.

Episcopatus unus in Ecclesia, 1211. d.

Episcopatus vacantis temporalium cui cura comittenda, 487. c.

Episcopalibus non providendi extranei, 1762. d. 1764. f.

Episcopatuum uniones Clementi IV. displicent, 448. b.

Episcopatuum avidi religiosi mendicantes, 578. d.

Episcopatus Italiæ exigui, 1764. a.

Episcopi electioni non intersint in sacris ordinibus non constituti, 486. d.

Episcopi pro populis non pro se ordinantur, 1140. a. Episcopi non reputantur quorum consecratio ignoratur, 1133. e. Episcopus non est qui præesse diligit non prodesse, 1134. c. Episcopo datur jurisdictio per inthronizationem, 1107. a. Episcopus studiorum caput, 604 d. In eo scientiæ defectum supplet vita sancta, 400. e. Pompis sæculi non delectetur, 449. f. Apud judices laicos non trahendus, 709. e. In episcopis lites damnat Clemens IV. 181. c. Eorum avaritia carpitur, 511. b. Episcopum sublimiorem vel inferiorem non facit divitiarum potentia & paupertatis humilitas, 1124. e.

Episcoporum familia ad XXXX. personas limitata, 1597. c.

Episcopis inferiores cardinales, 1597. e.

Episcopi qui Ludovici Bavari coronationi interfuerunt excommunicati, suspensi & dignitate privati declarantur, 734. c.

Equitare permissum Minoribus & Prædicatoribus cum legato sedis apostolicæ commorantibus, 79. f.

Ermengaudo de Molgorio militi viduitatis statum suadet Clemens IV. 239. f. Sæculo renunciat, 414. c. & seq.

Error cui non resistitur approbari videtur, 642. c. 644. b.

Esculanus ecclesiæ unionem turbat, 1346. f.

Estensis Marchio Ecclesiæ fidelis, 628. a.

Eugubinis potestatem creat Clemens IV. Robertum de Robertis, 209. e.

In Eucharistia realis Christi præsentia, 560. c. Est ecclesiæ fides, 537. a. Narbonensis archiepiscopus arguitur quod male sentiat de Sacramento altaris, 556. f.

Eugenio IV. adhæret Carolus VII. rex Francorum, 1750. c.

Eveshamensis abbas electus Guillelmus de *Maleberge*, 355. e.

Eumenus de Bergamon ordinis Prædicatorum papæ pœnitentiarius, 883. a. d.

Evodius episcopus Antiochenus, 1161. f.

Exactiones in Carolo rege Siciliæ redarguit Clemens IV. 445. c.

Excommunicationis absolutio à quibus facienda tempore subtractionis, 1397. b. S. Ludovico regi Francorum privilegium, ut filii sui non possint excommunicari negat Clemens IV. 586. b.

Exemplo plus nocent principes quam peccato, 1772. e.

Exemptorum excessus in Urbe emendandi facultas datur Johanni electo Urbevetano, 1046. c.

Exhortatio præclara ad regem, 1225. c.

Eximinus anticardinalis S. Laurentii in Lucina, 1731. b. 1735. c.

F

S. Facundi abbas Arnaudus monachus Gerarensis, 448. b.

Falsariorum presbyterorum pœnitentia, 348. c.

Famegustanus episcopus frater Velascus 191. c.

Familiaritas inferiorum vitanda, 276. a.

Familiaritas religiosis vitanda, 282. a.

Fanensi ecclesiæ præficitur prior Prædicatorum, 191. c.

Farfensis abbas notatur, 473. f.

Faschinus-canis rumpit guerram cum gubernatore Januæ, 1369. b.

Faventinus episcopus Franciscus, 1720. b.

Faventini electi allegationes coram rege Castellæ pro Urbano VI. 1083. c.

Felicius Monachus S. Vincentii Laudunensis, Urbani IV. consanguineus fit abbas Cellensis, 3. b. & seq. Theobaldo Navarræ regi & Campaniæ comiti eum commendat Urbanus IV. ibid.

Feltrensis episcopus infamatus de captione Aquilegiensis Patriarchæ, 550. e.

Feltrensis episcopus in concilio Constantiensi, 1550. e.

Ferdinando episcopo Astoricensi commendatur Bartholomæus de Carpineto papæ secretarius, 962. f.

Ferdinandi, regis Aragonum epistolæ ad Sigismundum regem Romanorum, 1643. d. 1644. d. 1645. c. Alia post subtractionem obedientiæ Benedicto XIII. 1658. d. 1659. c. Ejus infirmitas, 1642. f.

Ferdinandus de Eredia Castellanus Empostæ comitatus Vainesini gubernator, 954. c. 995. b. e.

Fernandus natus Petri regis Portugalliæ, 1030. e.

Ferrandum priorem S. Ægidii apud se retinet Clemens IV. 292. a. Eum remittit ad suum prioratum, 292. d.

Ferrariensis abbas Simon, 1059. e. 1060. c. 1061. f. 1063.

Ferrariensis civitas ad jus & proprietatem sedis apostolicæ pertinet, 650. d. 663. e. 675. a.

Feudorum jura partim ex imperialibus legibus partim ex consuetudinibus pendent, 392. a.

Fides debet esse libera, non coacta, 1517. d. In paucis reramanere potest, 1534. c. Fides firmata in uno solo salvari potest, 1125. a.

Firmanus episcopus Johannes Bonjohannes, 900. d. 907. c. 909. e. 926. c. 929. d. 932. e. 1004. b. 1005. c.

Firmani episcopi proditiones & dolos inquirit Clemens IV. 160. f. Illius proditione detecta conjicitur in vincula, 143. b. Inquisitio facienda de objectis Firmanensi episcopo, 316. c. Excommunicatus est denunciandus, 145. f.

Firmani, 134. c. Proditores, 434. c. & factionis auctores, 374. d. & Ecclesiæ hostes, 467. c. & seq. Infidelitate pleni in Ecclesiam Romanam, 566. b. Eorum superbia frangenda, 416. c. Eorum civitas proditorum Ecclesiæ præsidium, 287. a. 289. f. De legato sedis apostolicæ conqueruntur, 293. e. Ad Ecclesiæ gremium redeuntes benigne suscipit Clemens IV. 593. a.

S. Firmini prior in diœcesi Magalonensi, 612. b.

Flagellatorum mores & vita inquiri mandat Innocentius, 960. f.

Flandriæ comes cruce signatur, 465. d.

Flandriæ comes Guido, 387. f.

Florentini Pisanam civitatem occupant, 1471. e. 1477. d.

Florentiæ potestas Carolus rex Siciliæ, 465. Illius regimen Lotaringo & Catalano committitur, 321. e. Illius rectores quales esse debeant, 429. f. Ipsius reformatio opus divinum non hominum, 427. c. 428. e.

Florentinus cardinalis in concilio Constantiensi, 1585. e. Concordata in concilio truncat, 1621. b. Recusat fieri procurator Johannis XXIII. 1632. e.

Florentinus episcopus Philippus, 891. f.

Florentini privant papam potestate conferendi beneficia per quinque annos, 1599. e.

Florentini viri infideles, 1475. b. Multas in Italia villas occupant, 1475. d. Sunt excommunicati, 261. d. Eorum abbates depositi, 377. c. Ad papam redeunt, 302. d. Eis gratiam præstat Clemens IV. 378. b. A sententia excommunicationis soluti fiunt ecclesiæ Romanæ rebelles, 418. b. & seq. Ad viam salutis reversi, 429. d. Ecclesiæ Romanæ reconciliantur, 310. b.

Florentinis negotium Bononiense commendat Innocentius VI. papa, 1024. a.

Florentinorum oratoribus data responsio à cardinalibus super sedando schismate, 1411. a.

Florentinorum Constantia & fides in Carolum Siciliæ regem 615. b. Mutuum Clementi IV. pro Carolo Provinciæ comite præstant, 123. f. 128. b. Florentinis mercatoribus mutuata pro rege Siciliæ pecunia restituenda, 152. d. 168. d. 177. f. 208. b. 300. c. 344. c.

S. Florentii Salmuriensis abbas Guillelmus, 1010. b.

Fontanellensis abbas Johannes, 1539. f. 1541. f.

Fortunius abbas sæcularis S. Benedicti de Miranda Martinum Sancium Sarracenum ad fidem conversum crudeliter tractat, 360. c.

Forosimpronii munitiones an faciendæ arbitrio legati relinquit Clemens IV. 365. c.

Forosimpronii episcopus de proditione à papa redarguitur, 161. a. Carceri mancipatur, 136. c.

Forosimpronienses Carolo regi commendat Clemens IV. 280. e. Viros nobiles Guidonem & fratres ejus crudeliter afficiunt, 136. d.

Franciæ regnum multis præstationibus attritum, 385. c. Pro negotio Siciliæ triennali decima gravatur, 313. b.

Franciæ regnum sedis apostolicæ refugium, 187. e. Uxorem quæ Francorum regnum diligat fratri suo eligendam Navarræ regi præscribit Clemens IV. 123. c.

Franciæ reges semper fidei puritate clari, 221. b. 223. c. Sedi apostolicæ semper devoti, 187. b. Ad ejus beneplacita semper parati, 197. a.

Francorum

Francorum rex pro Carolo Siciliæ rege efficaciter laborat, 133. d. Francorum regi germano suo mutuum præstanti decimas pro negocio Siciliæ colligendas obligari papa permittit, 119. d.
Franciscus cardinalis S. Susannæ, 1274. b.
Franciscus archiepiscopus Narbonensis, 1435. a. 1452. e. 1458. b. f. 1602. e.
Franciscus episcopus Faventinus coram rege Castellæ Urbani VI. jura propugnat, 1720. b.
Franciscus princeps Strigoniensis, 1714. e.
Franciscus de Baucio dux Andriæ, 886. a.
Franciscus de Ebato comes Tarentinus Petri episcopi Tarentini bona legata cameræ apostolicæ retinet, 1044. c.
Franciscus de Carraria Paduæ vicarius imperialis, 1036. c.
Franciscus de S. Severino miles, 886. c.
Franciscus Justinianus Venetus, 1387. d.
Franciscus de Chatelenis legis doctor ab Urbano VI. ad regem Castellæ destinatus, 1720. b.
Franciscus de Ursinis, 1373. e.
Fredericus II. imperator, 225. a. De regno Siciliæ se suosque ditabat, 524. e. Ei diu restitit Beneventum, 299. c. 308. a. Ejus statuta contra libertates ecclesiæ revocanda à rege Siciliæ, 232. c.
Fredericus regis Castellæ filius dux Siculorum rebellium, 543. e.
Fredericus dux Austriæ in imperatorem electus in discordia, 644. d. 647. d. Coronatur, 637. Ab adversario fusus cogitur ad cessionem, 637.
Fredericus dux Austriæ, 1618. c. 1619. d. 1626. d. Concilio Constantiensi se sistit atque ab imperatore deprecatur veniam & gratiam, 1631. a. & seq.
Fredericus dux Saxoniæ, 1713. f.
Fredericus partis insulæ Siciliæ detentor, 992. d.
Fredericus Lancea ecclesiæ persecutor, 94. f.
Fredericus & Galvanus comites ad Caroli Siciliæ regis gratiam redeunt, 431. f. & seq.
Fredericus de *Truindengen* Ludovici Bavari orator fautor hæreticorum, 574. d.
Frumentum pro sui hospitii & pagnotæ usu à patrimonio S. Petri in Tuscia advehi procurat Innocentius VI. 887. a. & seq. 888. c. & seq. 889. c. 891. c. 905. e. 906. d. 908. a. 1006. b. Illud retinentes excommunicandi, 1008. b.
Fulco de Podio-Ricarii vicarius Siciliæ, 525. b.
Fundis celebrata electio Clementis papæ VII. 1225. a.
Fuxense monasterium, 518. f.
Fuxi comes concilio Constantiensi unitur, 1669. b.

G

G. Cardinalis S. Laurentii in Lucina legatione Danica fit contentus, 259. d. & seq. A legatione revocatur, 535. c.
G. Aquilegiensis patriarcha captus à comite Goricensi, 530. b.
G. De Salvaticis comes, 216. c.
G. de Medio-Bladi miles regni Siciliæ citra Farum capitaneus, 530. a. 533. a. 579. d. 581. b.
G. Novellus, 456. c.
Gabellæ salis origo vitiosa, 106. d.
Gabellæ Rodani, 371. c.
Gabulensis episcopi translatio ad Potentivam ecclesiam, 505. b. Eidem duo fratres ordinis Prædicatorum ad solatium assignati, 505. e.
Gaillardus episcopus Xantonensis, 878. d. 879. b.
Galeatius de Vice-comitibus, 743. e. 754. c. 926. d. De hæresi condemnatus, 645. b. 650. b. 653. b. 660. f. 672. d.
Galeotus de Malatestis miles Bernabovem vincit, 1021. c. Ei gratulatur ea de re papa, 1025. c.
Galiotus detentus in vinculis, 627. f.
Galiotus Galvani Lanceæ filius Reatæ retinendus, 378. d.
Gallicana ecclesia procurationibus legatorum apostolicorum gravata, 89. b. Ab his exoneratur, 89. c. Eam scandalizare vitat Urbanus IV. 89. Gallicani cleri deliberatio de collatione beneficiorum durante schismate, 1307. c. 1311. b.
Galli procurant obedientiam restitui Benedicto XIII. à Ludovico II. rege Siciliæ, 1265. a. De regia stirpe Gallicana filios benedictionis semper suscepit ecclesia, 57. e.
Gallorum vitia, 1448. f.
Galvanus comes, 284. e. 302. c. 578. a. 581. c. Ex obside factus inimicus, 377. a. Proditor notorius, 549. a. In vinculis detentus, 627. f. Fugæ præsidio vitat mortem, 296. e. Ad regis Caroli gratiam redit, 431. f. & seq. Occiditur in prælio Beneventano, 288. a.
Galvanus Lancea, 540. d. Ecclesiæ persecutor, 94. f. 549. a. 627. f.
Gantelmus sub Carolo senatore Urbis vicarius, 97. c.
Gasto comes Fuxensis, 855. f. 856. a. 857. b. Bellum habet adversus Arnaldum de Lebreto, 1056. c.
Gasto vice-comes Bearnensis, 569. a. 628. d.
Gatianus episcopus Corisopitensis, 1558. b.
Gaufridus electus Xantonensis, 1433. b.
Gaufridus de Bellomonte capellanus Clementis IV. 132. d. 378. b.
Gaufridus de Bellomonte cancellarius Bajocensis, 276. c. 564. e. A legatione revocatur mittendus ad regem Carolum, 263. c.
Gaufridus de Serginis miles, 408. e. Regis Jerosolymitani Senescallus, 392. d.
Gaufridus *Forrier* de Vernolio cruce-signatus, 367. e. Ei subsidium provideri jubet Clemens IV. 367. e.
Gebehardus episcopus Eistensis dignitate privatur, 696. d. & seq.
Gebennensis episcopus Johannes Bertoldus, 1456. b.
Gemmeticensis abbas ad pontificem Romanum pro unione ecclesiæ deputatus, 1328. d. Regis ad Gregorium XII. orator, 1331. b. 1350. b. 1357. e.
Gemeticensis abbas Simon deputatus ad concilium Constantiense, 1539. c. 1541. f.
Gengembacensis abbas Lambertus, 944. d.
S. Genovefæ Parisiensis monasterium sedi apostolicæ immediate subjectum, 322. c. Theobaldus ipsius abbas apud sedem apostolicam moritur, 322. e. Illius successoris electio confirmatur, 323. b. Forma juramenti ab eo præstandi, 323. d.
S. Georgii brachium monasterio S. Ægidii concedit Clemens IV. 538. b.
Georgius episcopus, 1714. e.
Georgius Capitaneus Podoliæ, 1653. d.
S. Georgii prope Rothomagum abbas Guillelmus, 1539. f. 1541. f.
Germaniæ pericula, 327. e. Apostolicis jussionibus male paret, 385. c.
Germani feroces populi, 464. b.
S. Germani Autissiodorensis abbas Guillelmus, 907. b. 909. c. 929. e. 927. f. 928. c. 932. f. 1004. b. 1005. c. 1019. a. c. 1020. b. 1021. c.
S. Germani Claromontensis abbatia sæcularis, 412. a.
S. Germani Pratensis abbas ad solvendas annatas pingue vendit prædium, 1420. d.
S. Germani civitas inexpugnabilis à Carolo rege Siciliæ capta, 287. d.
Geraldus archiepiscopus Beneventanus, 956. d. 958. a. 960. f. Paci reformandæ inter regem Siciliæ & ducem Duratii destinatur, 915. b. 916. c. d. Ei facultatem recuperandi bona ab ecclesiis & monasteriis usurpata Innocentius VI. tribuit, 961. c.
Gerardus episcopus Nuremburgensis, 990. a.
Gerardus de Ramplion archidiaconus Senonensis, 608. d.
Gerardus miles frater archiepiscopi Lugdunensis, 874. d.
Geraldi *de Brie* legum doctoris epistola ad consules Albienses, 1711. d.
Gibellinæ factionis auctor Perusinus de Florentia, 184. d.
Gibellinorum excessus in nuncios regis Castellæ, 555. c.
Gibellina potestas depressa, 465. d.
Gifonius cardinalis scribit in papam, 1493. a. veniam deprecatur, 1493. c.
Gilbertus episcopus Carleolensis, 1061. a.
Gilbertus episcopus Lodovensis, 1043. b.
Gilia Clementis IV. consanguinea III. a.
Girardus Longus potestas Urbis-veteris, 597. f.
Glandatensis episcopus fit episcopus Ostiensis, 1081.
Glenæ pauperum decimis non subjectæ, 461. b.
Gnesnensis archiepiscopus N. 1650. c.
Gnesnensis archiepiscopus in Polonia, 1663. c.
Gomesius Garcias de Albornos, 1069. c.
Gomesius rector civitatis Bononiensis, 1019. b.
Goffridus cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum, 207. e.
Goffridus comes Squillatii Siciliæ admiratus, 886. a. 952. b. 957. d.
Goricensis comes G. Patriarcham Aquilegiensem captum detinet in vinculis, 53. a. b.
Graduatis conferenda sexta pars canonicatuum & beneficiorum in cathedralibus, 1701. d.
Græci cur ab Ecclesiæ recesserunt obedientia, 1450. e. Eorum conversioni Romana ecclesia laborat, 493. f. Ad Romanæ ecclesiæ obedientiam redeunt, 169. c. f. Redeunibus ad gremium Ecclesiæ mittuntur fratres Prædicatores qui eos in fide firment, 494. d. 1695. f.
Græci falsas reliquias venditant, 588. e.
Granatæ rex à rege Castellæ victus, 534. e.
Gratiæ expectativæ graves collatoribus beneficiorum, 1697. b.
Gravinensis episcopus depositus & degradatus cum spe restitutionis si claustrum ingressus biennio post religiosam professionem pie conversatus fuerit, 414. b. & seq.
S. Gregorius ecclesiam in domo paterna construxit, 5. a.
Gregorius IX. capita SS. Petri & Pauli populo ostendit, 588. d.
Gregorius papa IX. in patrimoniali solo monasterium Florinensis ordinis fundavit, 5. b. Ejus statuta pro Monachis, 105. b. f.
Gregorio X. scribit Carolus rex Siciliæ pro solutione census annui pro regno Siciliæ, 635. b. Ejus frater in Anglia captivus, 1113. d.
Gregorii XI. elogium, 1079. c. 1081. f. Vvillelmum Anglicum in episcopum Maragensem consecrat, 1128. d. Cur relicta Avenione Romam accesserit, 1450. b. Vetat castrum S. Angeli ulli consignari post ejus mortem nisi de consensu omnium cardinalium, 1073. c. Ejus obitus, 1716. a. 1718. e.
Gregorius XII. 1338. d. 1344. f. 1347. b. 1724. c. Ejus electio, 1281. c. 1289. b. 1429. e. Jurat se renuntiaturum papatui pro sedando schismate, 1280. 1289. e. 1291. d. Ejus bulla ad Universitatem Parisiensem de sua electione & proposito renunciandi pontificatui ad sedandum schisma, 1286. e. Ei gratulatur universitas Coloniensis de sua electione & de proposito renunciandi papatui pro sedando schismate, 1283. b. & seq.
Gregorius XII. ad Benedictum XIII. scribens offert cessionem pontificatus ut procuret Ecclesiæ unionem, 1287. d. 1292. d. 1293. e. 1430. a. Benedicti ad eum responsio, 1294. a. Ejus bulla ad universitatem Coloniensem, 1285. b. Epistola ad Johannem ducem Bituricensem, 1339. a. Oratores regis Castellæ honorifice recipit, 1389. e.
Gregorius XII. pro viribus viam cessionis declinat, 1430. b. Schismatis est fautor, 1305. c. Ei data securitas ad accedendum Saonam pro Ecclesiæ tractanda unione, 1322. e. Rumpit tractatum pacis pro unione

ecclesiæ, 1349. a. Petit mutationem loci Saonæ ad conveniendum cum Benedicto, 1349. e. f. 1367. c. 1368. d. 1379. c. Benedicti ad eum responsio, 1389. f. Cessionis viam improbat, 1349. f. A conventionibus Massiliensibus recedit, 1349. f. Multa prædicari jubet Senis ad sui excusationem quod locum Saonæ mutari peteret, 1382. a. & seq. Cessionem obtulit, 1382. a. Eamque approbare videtur, 1350. b. Urgetur multis ei oblatis conditionibus ad locum Saonæ acceptandum, 1350. d. & seq. Ejus responsio ad Benedicti xiii. ambassiatores, 1366. f. Ad ambassiatores Caroli vi. regis, 1367. f. Capitula Massiliensia cum variis modificationibus & conditionibus approbat, 1370. b. & seq. Ea impleta non fuisse causatur, 1382. d. Varia ad conveniendum offert loca, 1385. c. & seq. Benedicti xiii. ad eum responsio super hac oblatione, 1386. c. Gregorii xii. altera responsio ad oratores regis & Benedicti xiii. 1374. b. Offert ad conveniendum Petram latam, 1374. b. Quem locum postea recusat, 1374. e. Versus super collusione Gregorii xii. & Benedicti xiii. 1394. c.

Gregorius xii. concilium in exarchatu Ravennatensi convocat, 1411. c. 1413. e. 1417. a. Prohibet cardinalibus sub pœna privationis dignitatis ne exeant de Luca, 1395. e. Item, ne simul congregentur, 1396. f. Item, ne participent cum oratoribus Petri de Luna & cum Gallicis, 1397. d. Recusat videre cardinales eum citantes ad concilium Pisanum, 1414. a. Appellatio cardinalium, 1344. d. Eum non agnoscit universitas Coloniensis post concilium Pisanum, 1710. e. Permittit suis cardinalibus conjungi concilio, 1632. f. Qui conjunguntur revera, 1539. a. Renuntiat papatui, 1639. b. Privilegia ipsi concessa, 1641. a.

Grimaldus nobilis domicellus exsul, 320. a.

Guala seu Gualo cardinalis legatus sedis apostolicæ statuta pro monasteriis Galliæ condit, 52. e. 105. b.

Gueldriæ comiti ad trasfretandum se paranti viginti librarum millia dari jubet Clemens iv. 346. c.

Guelfi ecclesiæ Romanæ fideles, 310. e. Eis favet Clemens iv. 437. c. d. & promittit militiam Clemens iv. 440. e.

Guichardus de Combernio miles, 945. d.

Guicherius comes de Lundolbo, 689. e. 691. d.

Guidinum Adillanum ducem Sueviæ ad se invitat Clemens iv. 156. d.

Guido cardinalis Penestrinus, Pictavensis vulgariter appellatus, 1166. f.

Guido cardinalis S. Sabinæ, postea Clemens papa iv. 97. a. Mittitur ad Capitulum Cisterciense exortas inter patres abbates lites compositurus, 148. d. & seq.

Guido Narbonensis archiepiscopus, 331. e.

Guido episcopus Concordiensis, 947. f.

Guido episcopus Penestrinus, 1458. f.

Guido episcopus Portuensis, 899. e. 964. a. 998. c. Apostolicæ sedis legatus, 868. b.

Guido de Alvernia postulatus archiepiscopus Viennensis, 411. d. 527. b. e. Ejus electionem seu postulationem propter varios defectus sed præsertim beneficiorum pluralitatem suspendit Clemens iv. 412. a. & seq. 452. e. Ab his defectibus dispensatur, 412. c.

Guido abbas Cisterciensis factus cardinalis, 149. f.

Guido abbas S. Pauli Romæ, 921. b.

Guido de Pileo archidiaconus Suessionensis patrimonii ecclesiæ Romanæ rector, 321. b.

Guidoni Flandriæ comiti ad transfretandum se accingenti viginti millia librarum distribui jubet Clemens iv. 381.

Guido Guerra comes Tusciæ, 216. c. 613. c. Regi Siciliæ fidelis, 929. c. & Ecclesiæ 318. e.

Guido Novelli comes Manfredi principis vices gerens, 317. b. Ecclesiæ inimicus, 437. b.

Guido de Monte-Felitano Urbis vicarius inurbanus, 634. e.

Guido *de Brien* miles, 1059. e. 1061. d.

Guido de Forlaio miles, 373. b.

Guido Flandrini famosus doctor, 1516. f.

Guillelmus cardinalis episcopus Tusculanus, 1009. e.

Guillelmus cardinalis S. Ceciliæ, 1267. a.

Guillelmus cardinalis S. Marci, 207. d. 368. c. 521. a.

Guillelmus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, 998. f.

Guillelmus cardinalis S. Vitalis, 1073. b.

Guillelmus electus patriarcha Hierosolymitanus, 8. b.

Guillelmus archiepiscopus Arelatensis, 1029. d.

Guillelmus de Gressibus episcopus Belvacensis, 462. e.

Guillelmus episcopus Ebroicensis, 1336. a.

Guillelmus episcopus Lucanensis, 809. b.

Guillelmus episcopus Vvintoniensis, 1060. f. 1065. c.

Guillelmus abbas S. Bertini postea episcopus Tornacensis, 1762. f.

Guillelmus abbas S. Georgii prope Rothomagum, deputatus ad concilium Constantiense, 1539. f. 1541. f.

Guillelmus abbas S. Germani Autissiodorensis, 927. e. 928. c. 929. c. 1004. b. 1005. c. 1019. c. 1020. b. 1021. b. Ad Bernabovem de Vicecomitibus militem Mediolanensem missus ab Innocentio vi. 907. b. 909. e. 932. f.

Guillelmus abbas Beneventanus S. Sophiæ, 1044. b. 1047. a.

Guillelmus abbas Salmuriensis, 1010. b.

Guillelmus abbas Vvestmonasterii, 1395. b.

Guillelmus de *Maleberge* electus abbas de *Evesham*, 355. e.

Guillelmus *de Tonneux* ordinis Prædicatorum papæ nuncius, 615. d. 618. e. 620. e.

Guillelmus Bertrandi, ordinis Minorum inquisitor hæreticæ pravitatis, 347. d.

Guillelmus de Lignavilla præpositus Parisiensis, 1343. b.

Guillelmus decanus Vissegradensis, 899. e. 982. e. 986. d.

Guillelmus Raynaldi Prior Carthusiæ, 1435. f. 1438. c.

Guillelmus de Placentia papæ capellanus, 440. a.

Guillelmus de Mota monachus & procurator Carthusiæ, 1436. e. A Bonifacio Ferrerii persuasus redit ad obedientiam Benedicti xiii. 1530. a. Ipsi imponitur pœnitentia, 1530. d.

Guillelmus I. rex Angliæ, 1244. a.

Guillelmus II. rex Siciliæ, 17. a. 235. e.

Guillelmus comes *de Asperem*, 886. c.

Guillelmus comes Belli fortis, 942. f.

Guillelmus *Baratier* regis orator ad Gregorium xii. 1331. b.

Guillelmus Pulcri-nepotis orator regis Franciæ ad concilium Constantiense, 1553. c. 1581. b.

Guillelmus de Vezerio dominus de Mirabello Delphinatus gubernator, 849. e.

Guillelmus de S. Ægidio, 866. e.

Guillelmus Bulbonensis miles, 590. a. 591. b.

Guillelmus de Monte-Olivo miles, 866. e.

Guillelmus de Montepesato, 572. c.

Guillelmi de Perreriis oratio in electione Summi pontificis, 1753 f.

Guillelmus de Sancto Amore & ejus liber, 417. c. & seq.

Guillelmus *Nogaret* Bonifacii viii. interfector, 1449.

Guillelmus Okan hæretica dogmatizat, 750. f. 783. e. 802. f. 829. c. Excommunicatur, 751. d.

Gurcensis episcopus Johannes, 857. d. 980. b.

H

H De Consentiis miles Marescallus S. Ludovici regis Franciæ, 472. c.

Habitus clericorum exterior, 485. c. Cum Ecclesiæ habitu foras non prodeant, 485. b.

Hæresis duplex habet venenum errorem & pertinatiam, 1207. b. Hæreticorum omnium hoc est quod veritatem manifestam videre non possunt, 1741. e. Hæreticum inter, malum catholicum & schismaticum quid sit discriminis, 1729. b. Hæreticus est schismaticus, sed non omnis schismaticus est hæreticus, 1189. e.

Hæreticis Bohemiæ bellum infert Sigismundus imperator, 1713. e. & seq.

Hannoniæ ecclesiæ pro negotio Siciliæ decimas solvebant, 122. a.

Helias episcopus Aniciensis, 1583. d. 1584. b.

Helias episcopus Segobricensis, 1010. f. 1011. a. c.

Helias Peleti papæ Capellanus canonicus Belvacensis missus in Tusciam, 514. c. 515. b. 516. a f. Ei facultas datur mutuum contrahendi pro Ecclesia, 523. f.

Henricus cardinalis S. Anastasiæ, 1274. b.

Henricus cardinalis S. Sabinæ, 550. e.

Henricus archiepiscopus Coloniensis, 637.

Henricus electus Trevirensis apud Urbanum iv. de pluribus criminibus accusatus, 549. f. Et apud Clementem iv. quod telonium imposuerit, 550. e. Quod pallium petere neglexerit, 552. b. Quod Metensem episcopum confirmaverit & consecrari mandaverit, 552. c. Quod missam per annos sex non celebraverit, 552. e. Quod consecranti altare consecrator extiterit, 553. a. Quod fuerit perjurus, 553. b. Quod abbatem & monachos S. Michaëlis incarceraverit, 554. a. Sententiam in eum profert Clemens iv. 554. d.

Henricus episcopus Ostiensis & Velletrensis, 207. c. Ecclesiæ membrum honorabile, 211. e. Ejus paupertatem relevare cogitat Clemens iv. *ibid* & quædam ipsi Angliæ beneficia in commendam dari procurat, 211. f. 251. b.

Henricus episcopus Sabinensis, 1602. e.

Henricus episcopus Tusculanus, 1322. f. 1367. a. 1368. a.

Henricus Urunc pastor S. Martini Coloniensis, 1614. c.

Henricus imperator, 642. a. 644. c. 1174. b.

Henricus II. imperator Benedictum ix. papam & duos alios contendentes deposuit, 1622. d.

Henricus vii. imperator, 637.

Henricus rex Anglorum & Edmundus ejus filius ab Urbano iv. citati, 52. a.

Henricus iv. rex Angliæ, 1243. c.

Henricus rex Castellæ, 1102. f. 1717. b. 1718. a. e. 1719. b.

Henrico fratri Navarræ regis permittit Clemens iv. matrimonium contrahere, 124. e.

Henricus natus F. regis Castellæ senator Urbis, 512. f. 516. b. 519. f. 539. c. 572. a. Ejus matrimonium, 569. b. Ecclesiæ hostem & Caroli regis Siciliæ se declarat, 540. d. &c. 542. d. 543. c. Ei creditam Carolo regi Siciliæ pecuniam jubet restitui Clemens iv. 529. c. 540. a. Carolo regi Siciliæ fuit contrarius, 548. b. c. 549. a. Eum Clemens iv. hortatur ut sua potestate modeste utatur, 575. b. Ipsius excessus. 545. b. c. In papam & suos, 555. e. & seq. In cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano, 556. d. A Carolo rege Siciliæ deletur, 615. d. In vinculis detinetur, 627. f.

Henricus comes *de Elvaltzburc*, 890. d.

Henricus comes Montis-Beliardi, 856. b.

Henricus comes de Trastamara, 1043. e.

Henricus de Consentiis Marescallus, 586.

Henricus de *Gunde-Vvenchen* præceptor hospitalis B. M. Theotonicorum, 696. e.

Henrico domino Soliaci scribit Clemens iv. in gratiam comitis Vindocinensis, 619. b.

Henrisnotus comes, 284. e.

Herfordensis electus Johannes, 1061. a.

Herfardensis episcopus Johannes Barret, 1027. a.

Hermannus Humola scholasticus Spirensis, 696. d.

Herveus Abbatis orator universitatis Andegavensis ad concilium Constantiense, 1551. f.

Heydelbergensis universitatis instrumentum

traditum nuntio electionem Martini v. nuntianti, 1692. b.
S. Hieronymi elogium, 1210. a.
Hieronymus abbas S. Johannis de Parma, 1381. f.
Hyeronymus de Praga in concilio Constantiensi de hæresi accusatus, 1637. b.
Hispalensi archiepiscopo negotia cum rege Castellæ tractanda committit Clemens iv. 137. a. & seq.
Hispaniæ pericula, 327. e. Hispaniæ status ecclesiasticus multum collapsus, 543. b. Hispania suis gravata oneribus, 385. c.
Hispani principes deserunt Petrum de Luna, 1695. f.
Hispani ad concilium Constantiense venire disponunt, 1661. f. In concilio Constantiensi Anglos præcedere contendunt, 1667. b.
Honor sæculi momentaneus, 110. c.
Honoratus comes Fundanus Anagniam civitatem officialibus papæ restituere jubetur, 931. b.
Hortani conqueruntur de Bertholdo vicario, 147. d.
Hospitalarii S. Johannis Hierosolymitani à Soldano Ægypti percussi, 170. e.
Hospitalitas in ecclesia Aniciensi, 482. f.
Hostiensis episcopus Johannes, 1711. c.
Hugo cardinalis S. Mariæ in Porticu, 1073. b.
Hugo episcopus Valentinus in Hispania, 1011. a.
Hugo de Lezignano Senator Urbis, 846. f. 847. c. 929. f.
Hugo marchio Estensis, 994. f. 953. c.
Hugo Staqua capitaneus Aquilæ, 602. d.
Hugo de *Ketaiteret* miles senescallus Britanniæ, 876. d.
Hugo Sageti miles Arelatensis, 250. b.
Hugo de Vienna Dominus S. Crucis, 856. a.
Hugo de S. Severino, 886. b.
Hugolinus comes civis Pisanus, 517. a.
Humbertus generalis magister ordinis Prædicatorum breviarium ordinis componit, 503. b.
Humilitatis gradus sublimior amare contemni, 423. f.
Hungaria à Turcis devastata, 1652. b.
Hungari victoriam reportant de Turcis, 1666. f.

I

J. De Corneliaco, 562. c.
Jacobino Rubeo potestatem Firmanensem dare recusat Clemens IV. 566. b.
Jacobinus de Torso Gregorii xii. ambassiator, 1354. f.
Jacobinum Cremonensem civem Carolo regi commendat Clemens iv. 239. d.
S. Jacobi Hispanica peregrinatio, 543. a.
Jacobus S. Mariæ in Cosmedin cardinalis patrimonio S. Petri in Tuscia præfectus, 84. d. 207. d. 221. 222. 223. d.
Jacobus Aquerentinus archiepiscopus 1373. e.
Jacobi archiepiscopi Turonensis epistola ad concilium Constantiense, 1655. d. 1657. a.
Jacobus episcopus Castellanus Petrum de Corbario antipapam consecrat, 765. f. Anti-cardinalis creatur, 802. e. Processus adversus eum, 835. d. Dignitate privandus citatur, 746. b. & seq.
Jacobus episcopus Poltzensis, 1650. e.
Jacobus monachus de Vulturno non deprimendus potiusquam levandus, 340. a.
Jacobus de Susato inquisitor, 1665. c. Johannem Malxau de Prussia de hæresi suspectum damnat, 1708. c. 1710 b.
Jacobi regis Aragonum desiderium pro Terra-sancta, 571. c. & seq. Laudatur de zelo in Saracenos, 211. b. Ei de reportata ab hostibus Christi victoria gratulatur Clemens iv. 362. c. Eum adhortatur ad propriæ carnis victoriam ejecta adultera, 362. e. Decimæ ei concessæ, 605 f. Regnum Sardiniæ ei negat Clemens iv. 509 b. Crassense monasterium in sua protectione suscipit, 594. e. 595. c. 596. c. e.
Jacobus rex Majoricarum, 948. e.
Jacobus regis Majoricarum natus à Petro rege Aragonum detentus in vinculis, 948. e.
Jacobus rex Neapolis, 1665. f.
Jacobus rex Siciliæ, 1661. c.
Jacobus de Pratis consanguineus Martini regis Aragonum, 1272. f.
Jacobus de Vico comes, 949. c. 951. d.
Jacobus Gantelmi vicarius Urbis, 123. f. 125. f. 128. b. 168. d. Teuthonicos vincit, 83.
Jacobus Alba miles Avenionensis vicarius, 1045. c.
Jacobus de Claromonte miles, 873. e.
Jacobus de Collemedio miles potestas Florentiæ, 418. d.
Jacobus de Collemedio, 429. d. 437. d.
Jacobus de Sabaudia miles, 856. b.
Jacobus de S. Severino miles, 886. c.
Jacobus de Pisis civitatem Pisanam vendit, 1471. f.
Jacobus de Ceva advocatus famosus, 1092. b.
Jacobus Kyronensis nuncius Gregorii xii. ad Benedictum xiii. 1378. f. 1379. b. c. 1381. e.
Janua à Gallis occupata, 1174. e.
Januensium litteræ de neutralitate seu de non obediendo alteri contendentium de papatu, 1048. a.
Januenses frumentum ad usum hospitii papæ retinentes denunciandi excommunicati, 1008. b.
Ignatius episcopus Antiochenus, 1161. f.
Ildebrandinus Marchio Estensis, 922. c. f.
Ildebrandus Marchio Estensis, 650. c. 656. e.
Ilerdensi episcopo subsidium pecuniarium adversus hostes Ecclesiæ petit Innocentius vi. 1027. e.
Illegitimi non debent obtinere beneficia in ecclesia, in qua pater eorum ministrat, 1711. d.
Imperatori subesse res ecclesiæ temporales docuerunt Marsilius de Padua & Johannes de Janduno, 705. e.
Imperatoris esse papam instituere & destituere dogmatizarunt Marsilius de Padua & Johannes de Janduno, 708. b.
Imperatoris electi examen & confirmatio ad sedem apostolicam pertinere dicit Johannes xxii. 660. d. 672. b.
Imperatorum coronatio triplex, 487. f.
Imperatores privilegiis abusi in hæresim prolapsi, 709. b.
Imperatorem ad ulciscendam ecclesiæ injuriam hortatur Innocentius vi. 987. e.
Imperator Siciliæ regnum cum imperio tenere non potest, 230. b.
Imperialis corona à Romano pontifice concedenda, 498. a.
Imperii à Græcis ad Latinos translatio per sedem apostolicam, 644. c. 708. e. Ad defensionem sedis apostolicæ, 498. b.
Imperii fines à finibus regni discreti, 610. f.
Imperii vicariatum in Italia usurpantes excommunicantur, 642. d. & seq. Imperii vicarium in Tuscia Carolum regem Siciliæ creat Clemens iv. 587. f. 588. b.
Impressio facta demonstratur in electione Bartholomæi Barrensis, 1094. e. & seq. 1121. d. & seq.
Impressionem in concilio Pisano obtinuisse causatur Bonifacius Ferrerii, 1488. b.
Impuberes in monasteriis non admittendi, 459. c.
Indulgentiæ ne vilescant non sint effusæ, 1707. c. Facile non tribuendæ, ne quod statutum est in remedium convertatur in ludibrium, 409. d. Concessæ orantibus pro statu pacifico ecclesiæ, 748. b. & seq. His qui audiunt crucis prædicationem, 1422. a. Crucesignatis, 380. e. Pro Terræ-sanctæ subsidio 342. d. Orantibus pro felici itinere Sigismundi imperatoris versus Niciam, 1641. b. Ludovico Bavaro bellum inferentibus, 781. a. & seq.
Indulgentiæ concessæ in festis SS. Dominici & Petri matyris, 212. f. Visitantibus in festo S. Damiani ecclesiam sororum S. Claræ apud Montem-Pessulanum, 460. c. Accedentibus ad translationem corporis S. Majoli 453. d. & seq. Visitantibus ecclesiam S. Dionysii in festis ejusdem sancti, in dedicatione & in parasceve, 599. f. Capitulo generali ordinis fratrum Prædicatorum præsentibus, 937. c.
Indulgentiæ concessæ ad constructionem pontis super fluvium Levi elemosynas conferentibus, 461. f.
Inimici revertentes ad gratiam cum pietate recipiendi, 377. c.
Innocentius papa excommunicavit Arcadium imperatorem, 710. c.
Innocentius iii. indulgentias concedit crucesignatis, 73. à & seq. In discordia Philippi & Ottonis de imperio contendentium ut se gesserit, 497. a. & seq.
Innocentius papa iv. comitem Tolosanum privat comitatu Melgoriensi, 402. a. A Manfredo vexatur, 90. b. causam suam cum Friderico imp. submisit concilio, 1212. d.
Innocentius vi. ad usum hospitii & pauperum frumentum è Tusciæ S. Petri patrimonio ad curiam transvehi curat, 905. e. 906. d. 908. a. Dissidia inter Ludovicum regem Siciliæ & Lodovicum ducem Duraci sopire satagit, 913. f. 915. f. 917. b. Pacem inter Johannem Armaniaci & Gastonem comitem Fuxensem procurare laborat, 857. b. Aniciensem episcopum hortatur, ut Armaniacum & Fuxensem comites ad pacem inducat, 857. b. In Italiam transire meditabatur, 1036. d. Ejus desiderium de repetenda Urbe si per valetudinem liceret, 946. d. & seq. Pestis evadit periculum, 1059. b. Providet angustiis regni Siciliæ, 992. b. Ejus epistolæ, 843. a.
Innocentius vii. papa, 1302. a. 1419. e. 1724. c. Ejus electio 1277. a. & seq. Obitus, 1280. e. 1286. f. 1288. f.
Innocentii vii. nepos, 1353. f.
Innocentius papa viii. 1760. b. Ejus epistola ad Maximilianum Romanorum regem 1765. e.
Innocentii papæ viii. elogium, 1777. c. oratio funebris, 1768. a. Ejus patria & parentes, 1760. b. Fit episcopus, 1770. d. Datarius & cardinalis, 1770. d. e. Legatus pluribus in locis, 1771. b. Tandem papa, 1771. d. Ejus virtutes, 1771. e. f. Obitus, 1772. c.
Inquisitionem hæreticæ pravitatis ægre ferunt Viterbienses, 191. e.
Instructio data oratoribus regis ad tractandum de unione ecclesiæ cum Benedicto xiii. & Gregorio xii. 1358. a. 1363. f.
Instrumenta publica subtractionis tempore quomodo inscripta, 1154. f.
Insula in Rodano nata, 375. d.
Insulensis ecclesiæ præpositus à capitulo eligendus, 589. c.
Interdictum quomodo servare debeant religiosi, viatores, & moniales, 96. b.
Inthronizatione datur episcopo jurisdictio, 1107. a.
Invasor quamdiu est invasor sine processu potest eligi, 1125. b.
Jodoco Marchioni Brandeburgensi scribit Collusius Florentinus super facto unionis Ecclesiæ per viam cessionis, 1155. c.
Joffredus comes *de Linanges*, 800. f.
S. Johannis Hierosolymitani fratres ad sumenda arma adversus hostes regis Siciliæ hortatur Clemens iv. 532. d.
S. Johannis Hierosolymitani hospitalarii à Soldano Ægypti percussi, 170. e.
Johannes xi. papa depositus, 1622. e.
Johannes papa xiii. 1710. Ordinationes factas à Leone damnat, 1233. d.
Johannes papa xxii. 958. e. 1031. a. 1449. f. Triennalem reservationem vacantium beneficiorum pro passagio transmarino præscribit, 1587. a. Fuit auctor annatarum, 1421. f. Indulgentias concedit orantibus adversus hostes Ecclesiæ, 748. b. & seq. Preces instituit in missa post orationem dominicam dicendas adversus eos, 449. a. Ejus varii processus in Ludovicum Bavarum & ejus asleclas, 637. Qua occasione facti, 639.
Johannes xxiii. 1530. c. 1565. f. 1599. e. 1610.

e. Ejus ante papatum violentiæ in Bononia, 1479. b. c. Etsi multis criminibus reus à cardinalibus electus, 1633. e. Dignitates ecclesiasticas indignis viris donat, 1622. a. Ejus excessus circa annatas reformandi, 1586. a. Decimam unius anni ab ecclesiis Galliæ & Delphinatus exigit pro recuperatione urbis Romæ, 1433. b. & seq.

Johannis XXIII. quantæ divitiæ, 1593. c. Barensem cardinalem mittit in Aragoniam, 1534. e. Ejus epistola ad Bernardum comitem Armaniaci de his quæ gesserit pro schismate extirpando, 1432. a. Convocat concilium Constantiense, 1728. b. Ipse & cardinales concilium Constantiense tractatibus inutilibus protrahere conantur, 1610. c. Urgetur viam cessionis amplecti in concilio Constantiensi, 1613. b. & seq. Eam promittit, 1613. c. 1614. b. 1615. a. 1616. e. 1620. c. Ejus litteræ de cessione papatus, 1618. a. Recusat cedere per procuratorem, 1615. a. & seq. 1620. d. Concilium Constantiense transferre meditatur, 1616. e. A Constantia fugit, 1618. e. Habitu mutato 1620. e. 1617. b. Comitantibus eum quibusdam cardinalibus, 1619. b. 1617. c. Quorum aliqui redeunt 1617. e. Ipsi imperator salvum-conductum promiserat, 1628. b. Fuga elapsus divertit ad *Schahusen* 1618. e. Deinde ad *Louffemberch*, 1615. f. Tum Friburgum, 1229. c. Tandem Brisacum, 1230. d. Duos cardinales ad eum mittit concilium, 1229. d. Cum aliis octo prælatis & doctoribus, 1630. c. Quibus negat audientiam, 1630. d. Iterum fugit & reducitur Friburgum, 1630. e. Citatur à concilio de pluribus sibi objectis responsurus, 1630. f. Eum concilio repræsentari promittit dux Austriæ, 1631. c. Concilium deputat ad eum reducendum, 1632. c. Deputat & commissarios ad audiendos testes, 1632. d. Cardinales tres recusant fieri ejus procuratores, 1632 e. Suspenditur à spiritualibus & temporalibus, 1633. d. 1636. a. Ab omnibus deseritur, 1635. a. Crimina ipsi objecta, 1635. e. 1636. b. Sententia in eum lata, 1635. f. 1637. f.

Johannis XXIII. Bulla qua fugam suam metui adscribit, 1625. f. 1626. d. Litteræ concilii Constantiensis de ejus fuga, 1626. f. Ejus litteræ ad regem Romanorum post suum à Constantia recessum, 1618. b. 1621. a. Implorat concilii clementiam, 1636. c. Deponitur, 1591. e. 1593. a. 1636. e. Tenetur interim sub bona custodia, 1636. e.

Johannes cardinalis S. Anastasiæ, 1267. a.

Johannes cardinalis Leodiensis SS. Cosmæ & Damiani, 1282. a. 1292. a. 1323. a. 1367. a. 1368. a. 1395. d.

Johannes cardinalis S. Crucis in Jerusalem 1323. a. 1367. a. 1368. a.

Johannes cardinalis S. Cyriaci, 1266. f.

Johannes cardinalis S. Nicolai in Via-lata, 207. d. 221. c. 222. e. 223. d.

Johannes cardinalis S. Theodori 716. e. 72: . e. 744. f. 810. d.

Johannes Carrerii læsæ majestatis reus damnatus, 1712. e. In oppido Turenna obsessus, 1712. f.

Johannes anticardinalis S. Stephani in Cœlio monte, 1731. c.

Johannes de Thurena anticardinalis novum antipapam solus eligit, 1737. d. Cujus electionem aliquandiu celat, 1738. b. Ejus electionem petit discuti in concilio generali, 1747. c.

Johannes Dominici sub forma cardinalis intrat Constantiam, 1612. c.

Johannes patriarcha Antiochenus, 1581. d. 1606. f. Nationis Gallicanæ in concilio Constantiensi præses 1543. f. 1549. d. 1590. a. 1564. a.

Johannes patriarcha Constantinopolitanus, 1549. e. 1606. c. f. Schedulam de tollendis annatis in concilio Constantiensi offert nationi Gallicanæ, 1544. b.

Johannes de Cardalliaco archiepiscopus Bracarensis, 1029. e.

Johannes archiepiscopus Eboracensis, 1060. f.

Johannes archiepiscopus Mediolanensis Bononiensis urbis vicarius, 898. b.

Johannes de *Courtenay* archiepiscopus Remensis, 449. f. 521. b. f.

Johannes archiepiscopus Strigoniensis Sigismundi imperatoris in Hungaria vicarius, 1652. d.

Johannes episcopus Ambianensis, 1450. f. 1461. c. Cardinalis, 1494. b.

Johannes episcopus Aniciensis, 1043. c.

Johannes episcopus Argentinensis, 861. e. f. 982. d. 986. d.

Johannes episcopus Belvacensis, 1335. f.

Johannes episcopus Dertusensis Innocentii VI. consanguineus, 875. a. d. 876. a.

Johannes Bertholdus episcopus Gebennensis, 1456. b.

Johannes Bonjohannes episcopus Firmanus, 900. d. 907. c. 909. e.

Johannes episcopus Gurcensis, 857. d. 880. b.

Johannes Barreti episcopus Herefordensis, 1027. a.

Johannes episcopus Lincolniensis, 1060. f.

Johannes episcopus Luthomuslensis seu Luctumuslensis, 982. e. 986. a.

Johannis episcopi Mimatensis obitus, 1527. a.

Johannes episcopus Olomusensis, 986. d.

Johannes episcopus Ostiensis, 1711. c. Universitati Coloniensi mittit capitula reformationis edita in concilio Constantiensi, 1699. c. & seq.

Johannes Portuensis & S. Rufinæ episcopus, 207. e.

Johannes episcopus Sabinensis, 1073. b.

Johannis episcopi Seguntini castra à regis Castellæ officialibus detenta, 997. d. 998. c.

Johannes episcopus Silvanectensis, 1551. c. 1552. c. 1559. f. 1564. d. 1568. f. 1583. d. 1584. b 1606. f.

Johannes Mucci episcopus Theanensis, 1048. e.

Johannes Monisardus episcopus Tornacensis, 1763. d.

Johannes episcopus Vaurensis, 1550. b. c. 1551. b. 1558. a. 1559. f. 1575. b. 1606. f.

Johannes episcopus Vercellensis, 892. e. Fœdus inire cum Mediolanensibus jubetur adversus Marchionem Montisferrati, 919. e. & seq. & initum cum hostibus ecclesiæ dissolvere, 934. e.

Johannes Vvintoniensis episcopus ab officio suspensus, 413. d.

Johannes electus Urbevetanus latas in Urbevetanos sententias relaxare permittitur, 1045. d. Exemptorum in Urbe excessus emendare, 1046. c. Urbis vicarius constituitur 1031. f. Et ecclesiarum cardinalium in Urbe vacantium administrator, 1033. a.

Johannes electus Herfordensis, 1061. a.

Johannes de Bavaria electus Leodiensis, 1250. f.

Johannes Raymundi papæ nuncius, 969. d.

Johannes abbas Cisterciensis, 1550. d. 1551. c. 1563. d. 1564. d. 1606. f.

Johannes abbas B. Mariæ de Pratalia, 1387. c.

Johannes abbas Montis Aragonum, 1381. f.

Johannes abbas S. Vvandregesili deputatus ad concilium Constantiense, 1539. f. 1541. f.

Johannes *Garcie* Urbani IV. capellanus, 5. d.

Johannes de Monciaco Urbani papæ IV. capellanus, 31. e.

Johannes de Mosnilio elemosynarius Caroli Siciliæ regis, 398. b.

Johannes præpositus Agriensis, 600. c.

Johannes Barrensis prior Carthusiæ Trisulti factus ordinis sui generalis ab Urbano VI. 1435. d.

Johannes de Vercellis ordinis Prædicatorum magister generalis, 397. f.

Johannes de Meliano ordinis Minorum Provinciæ minister, 810. d.

Johannes de Alvernia ordinis Prædicatorum à Gregorio XII. missus ad Bucicaldum, 1333.

Johannes de Trecis archidiaconus Bajocensis S. Ludovici regis ad Clementem IV. nuncius, 129. a.

Johannes Bruni archidiaconus Venetensis, 1050. f.

Johannes *Carevale* professor in sacra pagina ordinis Prædicatorum, 845. f.

Johannes Guidonis ordinis Prædicatorum notatus, 347. c. Maurinum inquisitorem contumeliis afficit, 353. a. Ei pœnitentia injungitur, 354. c.

Johannes de Manso ordinis Minorum, 586. a.

Johannem Aragonum regem hortatur Benedictus XIII. ut suam conferat operam ad tollendum schisma, 1134. a.

Johannes rex Bohemiæ, 637. Ei scribit Johannes XXII. de Ludovico Bavaro, 800. e.

Johannes rex Castellæ, 1137. b. Adhæret Clementi papæ VII. 1717. b. Post magnum examen, 1719. a. Ejus ea de re epistola, 7717. d.

Johannes rex Francorum, 860. b. 925. c. 938. d. 1037. c. Cum Eduardo Anglorum rege laborat ad procurandam pacem inter Carolum ducem Britanniæ & Johannem comitem Montis-fortis, 893. d. f. 896. a. Ea de re scribit ad papam 893. b. Copias mittit adversus confœderatos urbem S. Spiritus deprædantes, 867. b. Ei Robertum Delphini commendat Innocentius VI. 910. a. Eumdem hortatur Innocentius VI. ut societates perversas & Ecclesiæ adversarias in regno suo compescat, 851. b. Ipsi quæ postulaverat pro Andruino cardinali negat, 1061. b. & seq.

Johanna regina Siciliæ, 870. 871. d. 884. c. 915. c. 918. e. 924. f. 949. b. 951. a. d. 956. c. 957. c. 992. a. d. 993. f. Ejus precibus se commendat Innocentius VI. papa 1058. f.

Johannes dux Bituricensis, 1293. c 1339. a. 1425. c. Sinistra de eo disseminata, 1345. f.

Johannes dux Burgundiæ, 1549. f. 1607. a.

Johannem Buccanigrum ducem Januensem hortatur Innocentius, ut adversus pravas in Ecclesiam confœderationes se accingat 8 8. b. & seq.

Johannes Galeatius dux Mediolanensis, 1471. f.

Johannes Delphinus dux Venetiarum, 953. e. 955. f. 1018. c. 1020. e.

Johanna ducissa Britanniæ, 865. f. 1010. a. c.

Johanna ducissa Duratii, 912. f. 913. b.

Johannes Marchio Montis-ferrati, 891. e. 909. b. 933. b. 934. f. 948. b. 995. e. 1034. f. Ad resistendum nefariis ausibus Bernabovis animatur, 999 d. & ad defensionem civitatis Bononiensis, 1019. c. 1020. d. Ipsi annunciatur victoria de Bernabove, 1021. e.

Johannes Marchio Moraviæ, 979 d.

Johannes Ambaldus proconsul Romanorum, 591. f.

Johannes Lantgravius Lucelburgensis, 975. e.

Johannes comes Armeniaci, 855. e. 857. b.

Johannes comes de Artesio, 856. b.

Johannis comitis Fuxensis epistola de capiendo cardinali Carrerio & tradendo summo pontifici, 1748. d.

Johannes de Claromonte comes Moach Ludovico Bavaro & Petro de Corbaria antipapæ adhæret, 794. d. & seq. In Marchia Anconitana se Ludovici Bavari vicarium & pro Petro de Corbaria rectorem gerit, 793. f. Fautor hæreticorum ac excommunicatus declaratur, 795. c. Comitatu & aliis dignitatibus privatur, 795. d. Citatur responsurus super crimine hæresis, 795. f. Processus adversus eum, 838. a.

Johannes comes Montis-fortis, 893. b. f. 894. c. Eum ad pacem cum Carolo duce Britanniæ hortatur Innocentius VI. 895. f.

Johannes comes Richemondiæ, 1060. e.

Johanna comitissa Cantiæ dispensatur super Matrimonio cum Eduardo principe Vvalliæ, 1017. a. & seq.

Johannes vice-comes Leomaniæ, 1433. a.

Johannes de Aredia Castellanus Empostæ, 847. f.

Johannes de Aurono miles Avenionensis, 1034. b.

Johannes

Johannes de Brena miles, 969. e.
Johannes *de Caires* miles, 384. d.
Johannes de Comite Signinam civitatem officialibus papæ restituere jubetur, 931. d.
Johannes de Doaco perfidus & gyrovagus, 400. d.
Johannes de Janduno hæretica docet, 683. a. & seq.
Johannes de Janduno & Marsilius de Padua errores & hæreses prædicant, 704. d. Eorum varii errores, 705. b. & seq. Librum erroribus & hæresibus plenum Ludovico Barbaro exhibent, 700. a. & seq. 718. b. 724. d. 773. a. 779. a.
Johannes de Janduno hæreticus judicatur, 715. c. & seq. à Romanis receptus, 741. b. Dignitatibus privatur, 696. e. & seq.
Johannes de Lignano scribit de schismate, 1101. a. Retractat ea quæ scripserat in gratiam Urbani VI. 1724. b.
Johannis de Marerio machinationes reprimit Clemens, IV. 578. a. 579. f.
Johannes de Procida, 340. a.
Johannes de Prussia, 1665. b. Suspectus de hæresi, 1708. b. Damnatur à Jacobo de Susato ordinis Prædicatorum inquisitore, 1708. c. 1710. c. Fugit de carcere absolutum se prætendens à Gregorio XII. 1708. c. Defertur concilio Constantiensi, 1708. d. Deeo epistola Theoderici de Monasterio & Johannis de Monte, 1708. f. Item, Universitatis Coloniensis, 1710. b. Judicem adversus Jacobum de Susato inquisitorem obtinet cardinalem Ragusinum, 1710. b.
Johannes de Rabie doctor Bononiensis, 1469. c.
Johannis de Reate & Johannis Nicolai procuratorum sacri Collegii appellatio ad concil. Constantiense, 1578. c.
Johannes de Ria senescallus Burgundiæ, 848. d. 881. a. d.
Johannes de Roma, 1013. a. 1014. d.
Johannis Sarisberiensis fama clerum Angliæ decorat, 1235. d.
Johannis de Scribanis procuratoris fisci sedis apostolicæ appellatio in concil. Constantiensi, 1570. b.
Johannes de Tholiscoro Castellanus Califensis, 1653. d.
Johannes de Vicecomitibus, 754. c.
Johannes Bereti dominus, 135. c.
Johannes Valencenis miles, 375. b.
Johannes de Valencenis dominus de Caiphe, 7. d. 127. b. Manfrido favet, 25. f. Collector factus subsidii Terræ sanctæ, 47. b. 48. f.
Johannes de Vernayo Anglus vir pessimus, 925. b.
Johannes de Ursinis, 1345. c. Nobilis & potens in Urbe, 1292. c.
Johannes Brigholandi thesaurarius Carthaginensis ab Hispanis spoliatus & detentus, 998. f. & seq.
Johannis Gerson Cancellarii universitatis Parisiensis zelus in concilio Constantiensi, 1619. c. Ejus rationes ad differendam substractionem à Benedicto XIII. 1329. a. XII. propositiones coram prælatis facit in vigilia Palmarum in concilio Constantiensi, 1623. b.
Johannes Guga Senensis civis regem Francorum se dicit, 925. a.
Johannis Guiart epistola de sua ad Benedictum XIII. apud Perpinianum legatione, 1426. e.
Johannes Hus, 1614. d. 1616. f.
Johannis Hus hæreses, 1680. e. 1681. d. f. 1583. a. Ejus audacia, 1635. d. Detentio in concilio Constantiensi, 1611. e. Incarceratur, 1633. b. Mittuntur ad eum interrogandum deputati, 1633. c.
Johannes Juvenalis advocatus regis in parlamento, 1308. a.
Johannes *le Maingre* dictus *Boucicaut*, 1408. a. Marescallus Franciæ, Januæ gubernator, 1323. b. 1324. e. Ejus epistola ad oratores missos à rege ad Greg. XI. 1331. a. 1334. d. Ejus reditum in Franciam postulat Gregorius XII. 1371. f.
Johannes Scaraik Marescallus magnæ societatis, 883. a.
Johannis Valesii epistola ad Didacum *de Muros* archidiaconum Carmonensem, 1773. e.
Johannes Vvyclef, 1614. d. 1625. f.
Johannotus Extendardus, regni Siciliæ Marescallus, 886. e.
Jordanis cardinalis SS. Cosmæ & Damiani, 207. e.
Jordanis cardinalis S. Martini, 1323. a. 1367. a. 1368. a. 1395. d.
Jordanus cardinalis de Ursinis, 1337. f.
Jordanus comes in prælio Beneventano captus, 284. d. 288. a. 302. a.
Jordanus de Insula vir nobilis, 561. f. in carcere detentus, 406. f.
Jordanus Morini regis orator in concilio Constantiensi, 1549. e. 1559. a. f. 1564. d. 1575. b. 1583. b. 1606. f.
Jotrensis electa cassanda, 621. d.
Irregularitatem intrantiam ordinem solvere possunt Prædicatores, 144. e.
Isabellis S. Ludovici soror, 588. c.
Isabellis de Clara comitissa Montis-ferati, 599. c.
Italiæ rebellio in papam & imperatorem, 1471. d.
Iterius episcopus Autissiodorensis, 891. a.
Judices munera respuant, 507. a. 508. b.
Judicia Dei occulta, 1500. d.
Juliacensis comes cruce-signatus, 393. a. Ei pro subsidio Terræ-sanctæ decem millia librarum distributa, 388.
Julianus anticardinalis XII. apostolorum, 1731. c. 1735. c.
Juramentum ab episcopo pro sui reverentia non exigendum, 333. d. Ab electo abbate benedicendo præstandum, 356. a. A Siciliæ rege papæ præstandum, 226. e. Sub præscripta forma, 12. d. A comitibus, baronibus & proceribus Siciliæ non exigendum, 79. a.
Juramenta apud Francos frequentia, 623. e. Pœnis sunt mulctanda, 623. a.
Juramenta in gratiam Ludovici Bavari relaxat Johannes XXII. 665. b. e. 669. c.
Juris fons in Italia, 1092. b.
Jura ecclesiæ sic conseranda ut aliena non violentur, 293. f.
Jura sunt volubilia in quamcumque partem, 1494. d.
Jurisdictio datur episcopo per inthronizationem, 1107. a.
Juristæ ut se gerunt erga petentes consilium, 1467. d.
Justinianus imperator, 711. f.

K

Kyronensis episcopus Jacobus, 1378. f. 1379. b. c. 1381. e.

L

Lacrymæ divinam impetrant misericordiam, 169. f.
Ladislaus rex Siciliæ & Jerusalem, 1277. c. 1338. c. 1339. c. 1345. d. Unionis Ecclesiæ adversarius, 1345. a. Romam occupat, 1433. d. Tusculanam civitatem, 1355. c. 1356. d.
Lambertus abbas Gengembacensis, 944. d.
Lambertus de Stipite prior S. Jacobi Leodiensis Petrum de Luna apud Paniscolam nomine concilii Constantiensis citat, 1643. c. 1670. a. & seq. 1674. c.
Landulfus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, 1174. b.
Lateranensis palatii ingressum nulli Urbis senatori papa permittit, 142. b.
Laudensis episcopus Angelus, 1321. f.
Lavellensi ecclesiæ providendum, 448. c.
Laurentius antipapa, 1146. b.
Laurentius episcopus Acherontinus, 465. e.
Laurentius Theopoli potestas Firmanensis, 174. c. Ecclesiæ hostis, 544. a. Vir pestilens & proditor, 434. b.
Lausanensis episcopus germanus cardinalis de *Chalent*, interfuit concilio Perpiniani, 1481. e.
Lecti defunctorum Ecclesiæ dimissi, 612. c.
Legationi multum adjicit gravitas ejus qui mittitur, 219. e.
Legato observandas in legatione præscribit leges Clemens IV. 311. b. & seq. Legatorum moræ & transitus multas provincias turbaverunt, 260. a. Legatorum multiplicium transitus sibi graves conqueritur ecclesia Remensis, 519. d.
Leges non semper ad litteram servandæ, 1218. b.
Legionis regis terram invadunt Sarraceni, 144. e.
Lehonensis episcopus Alanus, 1550. b. 1558. c. 1562. c. 1606. f.
Leicestriæ comitissa queritur de Carolo Siciliæ rege, 573. b.
Lemovicenses à papatu removere contendunt cardinales, 1084. c.
Leo papa concilio se submisit, 1202. a.
Leo papa IX. 1234. d.
Leo de Jovis domicellus, 859. c.
Leodiensis episcopus cruce-signatus, 393. a.
Leodienses episcopi Engelbertus, 944. a. Johannes, 1323. a. Electus Johannes à Bavaria, 1250. f.
Leodiensium appellatio à Bonifacio papa post subtractionem obedientiæ ab eo, 1250. e.
Leonardus de Gisonio cardinalis S. Sixti, 1266. f.
Leonardus de Monte-alto nuncius Januensium ad papam, 909. b.
Leonelli episcopi Concordiensis oratio in funere Innocentii VIII. 1768. a.
Libertas Ecclesiæ asserta, 10. f. 16. e.
Libertatis defensor acerrimus Clemens IV. 252.
Librorum sacrorum emendatio commissa Ario, 1495. c. Prædicatores ad episcopatus assumti libros suis prioribus ante consecrationem consignent, 606. d. & seq.
Licensis episcopi electionem nullam declarat Clemens IV. 593. d.
Lincolniensis episcopus Johannes, 1060. f.
Lincolniensis episcopus regis sui secreta pandit, 466. b. Ei gratia nulla facienda, 241. a. Ejus absolutionem sibi reservat Clemens IV. 201. b.
Linus papa, 1161. e.
Lippacius de Auximo hæreticus, 743. d.
Lismorensis episcopus collectam pro negotio Terræ-sanctæ facit in Hibernia, 577. b.
Lites in episcopis damnat Clemens IV. 181. c.
Litteraturæ parum confidendum, 1495. b.
Lodevensis episcopus Gilbertus, 1045. b.
Lombardia abbatissa, 448. d.
Lombardi Ecclesiæ fideles, 597. d. Conradino contrarii, 553. d. Ipsi tamen & ejus copiis transitum permittunt, 597. c.
Lombardiæ majorem partem tenere non possunt reges Siciliæ, 78. d.
Lombardiæ variæ scissuræ, 203. b.
Londonensis electus Simon, 1064. c.
Londonensis episcopus notatus, 319. c. Ad papam citandus, 148. c. Ei nulla gratia facienda, 241. a. Ejus absolutionem sibi reservat Clemens, IV. 201. b.
Lotharingo Florentinæ civitatis regimen committitur, 321. e.
Lotharingus & Cathalanus rectores civitatis Florentinæ, 429. c. 436. e.
Lotheringus ordinis militiæ B. Virginis rector, 361. e.
Lubicensis episcopus Bertrandus, 1054. b. 1055. d.
Lucanensis episcopus Guillelmus, 809. b.
Lucani sedi apostolicæ devoti, 317. d. An regi Siciliæ sint utiles, 254. d. Eorum oratores Carolo Siciliæ regi commendat Clemens IV. 246. e. Ipsis spem propinqui auxilii offert Clemens IV. 109. a. Ipsos inter & Pisanos quadriennales inducias petit Clemens IV. 442. c.
Lucas de Sabellis domicellus Romanus, 921. b.
Luceburgensis comes cruce-signatus, 393. a. Ipsi ad transfretandum se accingenti quindecim millia librarum distribui jubet Clemens IV. 387. a.
Luceburgensem inter & Barrensem comites pax reformanda S. Ludovico commendatur, 426. e.
Luceriæ Saraceni Carolo Siciliæ regi rebelles, 876. a.
Luceriam civitatem ipsi reddunt, 301. a.
Luchinus de Vicecomitibus, 754. c.
Luci castrum occupat Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis, 899. a.
Lucius rex Angliæ, 1244. d.
Lucoldus *de Faches* miles Basileensis, 911. d. 912. b.

Ludovicus archiepiscopus Rothomagensis, 1541. c.
Ludovicus episcopus in Vvallia, 1550. c.
Ludovicus electus Valentinensis, 846. c. 872. f. 874. e. Ejus solertia laudatur, 873. b.
Ludovicus imperator Bulgariæ, 885. e.
S. Ludovicus rex Franc. 604. f. 619. b. 629. f. Filius benedictionis & gratiæ, 415. d. Christianissimus principum, 240. c. Eum tamquam regum speculum Aragonum regi proponit Clemens IV. 278 a. Suam fortitudinem legem justitiæ esse volebat, 607. f. Misericordiæ viceribus affluens, 242. d. Nullum gravat, 610. c. Protegendis personis & juribus ecclesiasticis attentus, 185. f. Quos amare debet non deserit, 165. e. Erga fratrem patris gerit affectum ibid. In rebus dubiis consulit sedem apostolicam, 401. e. Ipsi familiaris & amicus Clemens IV. papa, 128. e. f. Qui ad eum recurrit, 201. a.
S. Ludovico tria commendat Clemens IV. Ecclesiæ libertatem, pacem inter reginam & comitem Provinciæ, & concordiam ipsum inter & eumdem comitem de confiniis terrarum suarum, 129. c. Eidem Terræ-sanctæ negotia commendat, 426. d. Ipsi de variis crucis negotium spectantibus scribit, 563. d. & seq. ipsum ad Terræ-sanctæ subsidium animat, 169. f. Pro quo fuit zelo succensus, 389. d. 471. d. Cum filiis suis cruce-signatur, 465. c. 469. e. Peram & baculum peregrinationis accipit apud S. Dionysium, 471. f. Ad iter transmarinum se accingit, 626. a. 628. f. Ipsi decimæ ecclesiarum pro subsidio Terræ-sanctæ concessæ, 522. e. Petit decimas à fratribus Fontis-Bleaudi & S. Mauritii non exigi, 412. f.
Sanctus Ludovicus Ecclesiam protegit adversus ipsius vexatores, 131. c. 132. a. Eidem ecclesiam Narbonensem à ballivo Carcassonæ vexatam commendat Clemens papa IV. 131. a. Ordinem Carthusiensem, 372. e. Vallis-viridis prope Parisios monasterium ordinis Cartusiensis ab ipso fundatum, 129. f. 372. f. Rogerius ipsius prior S. Ludovici nuncius ad Clementem IV. 129. a.
S. Ludovico commendatur S. Ægidii monasterium, 372. a. b. Fratribus Minoribus favet, 545. e.
S. Ludovici leges in blasphemos, 623. f. contra quos scribit ad Clementem papam IV. 130. a.
S. Ludovico petita concedere semper parata fuit apostolica sedes, 288. e. Et tamen privilegium ut filii sui non possint excommunicari recusat ipsi Clemens IV. 586. b. & seq. Latis à papa sententiis non astringitur, 122. f.
S. Ludovici tractatus cum ecclesia Apamiensi, 628. d.
S. Ludovici regis consilium requirendum in tractatu negotii regni Siciliæ cum Carolo comite Andegaviæ, 76. d. Caroli Siciliæ regis Angustias ipsi exponit Clemens IV. papa atque ab eo pro ipso pecuniæ subsidium petit, 165. d. 187. e. & seq. 199. e.
S. Ludovicus in fratrem suum Siciliæ regem commotus, 175. b. Cui tamen ad solvenda soceri sui debita pecuniam mutuo dedit, 371 b. De gabella Rodani cum fratre suo contendit, 371. b.
S. Ludovicus Aquas-mortuas in villam ædificat, 404. c. & seq.
De Sancto Ludovico queruntur regni episcopi, 564. f.
S. Ludovicus Sanctorum catalogo inscriptus à Bonifacio VIII. 1449. e.
Ludovicus rex Cypri & Siciliæ, 1725.
Ludovicus rex Hungariæ, 900. c. 983. c. 984. e. 1012. c. Laudatur quod partes suas interponere velit ad procurandam pacem inter Romanam Ecclesiam & Bernabovem de vice-comitibus super negotio Bononiensi, 978. Ipse & Carolus imperator electi arbitri ad terminandum Bononiense negotium cum Bernabove de Vice-comitibus, 970. c. 975. d. Ipsi gratias agit Innocentius VI. de suis in regem & reginam Siciliæ obsequiis, 993. d.
Ludovicus rex Siciliæ, 870. 871. d. 884. e. 923. d. 924. f. 949. b. 951. a. d. 956. c. 957. c. 991. 993. f. a. d. Armorum subsidia offert papæ adversus Ecclesiæ hostes, 924. a. Conqueritur apud papam de Petro rege Aragonum quod turbet pacis fœdera, 972. d. Cum Ludovico duce Duracii discordias sopire laborat Innocentius VI. 913. f. & seq. 915. f. 917. b.
Ludovicus II. rex Siciliæ & Jerusalem, 1272. b. 1333 d. 1338. c. 1345. a. d. 1547. d. 1605. d. Obedientiam restituit Benedicto XIII. 1263. b. & seq. Petentibus Gallis, 1264. e. eumque visitat Avenione, 1265. a.
Ludovicus dux Bavariæ, 543. d. 563. b. Electus in discordia nec confirmatus à sede apostolica, imperatoris munia exercet, 644. e. 647. d. Monetur ut de Italia & Lombardia exeat, 686. d. c. Ut nomen & munia imperatoris non exerceat, 645. d. & seq. 661. b. & seq. 663. b. 668. c. 672. b. & seq. 686. a. Ejus sigillum, 648. a. 655. a. 662. b. Nuncios ad papam mittit, 648. e. 673. c. Dilationem termini competentis ad se defendendum petit, 648. c. 649. a. & seq. Quem ei ægre concedit papa, 651. b. & seq. 655. c. & seq. 675. a. Citatur responsurus super diversis criminibus, 680. e. Filio suo secundo genito puellam nobilem, ejus consanguineam in gradu prohibito contra interdicta canonum dedit uxorem, 683. e. Citatur ad audiendam sententiam super crimine hæresis, 682. a. & seq. Libellum hæresibus refertum suo appenso sigillo ad varias urbes mittit, 717. e. f. Marsilii de Padua & Johannis de Janduno hæreticorum fuit fautor, 689. c. & seq. Hæreticos de Mediolano & de Ferraria aliosque rebelles Ecclesiæ Tridentum ad suum consilium convocat, 684. f. 679. d. Galeacii de Vicecomitibus de hæresi damnati fautorem se exhibet, 645. b. 650. b. Excommunicatus declaratur, 656. b. 662. f. 675. d. Contumax, 667. a. 677. c. Hæreticus & fautor hæreticorum, 680. e. 699. d. & seq. 701. e. 719. c. 725. a. 772. c. 773. e. 774. d. 780. a. Privatur comitatu Palatinatus Rheni, 702. d. Titulo regis ac jure quod prætendit habere in imperio, 667. c. & seq. 677. f. Feudis quæ ab Ecclesia habebat & ducatu Bavariæ, 680. a.
Ludovicus Bavarus Pisanam civitatem occupat, 726. a. 746. f. Pisanos vexat, 731. e. Coronam imperialem accipit ferream Mediolani, 731. d. Coronam auream Romæ 731. f. Inunctus à schismatico, 732. a. Utraque coronatio irrita declaratur, 733. b. Aggravatio contra eum & ei adhærentes, 787. d. & seq. Per nuncios regis Bohemiæ, archiepiscopi Trevirensis & ducis Austriæ proponit articulos concordiæ cum papa faciendæ, 801. b. & seq. Eos papa ut injustos recusat, 801. e. Papam deponit, 773. f. Petrum de Corvaria in antipapam eligit, 802. b. Ab eo inungitur in imperatorem, 802. e. Ecclesias spoliavit, 802. e. Ipsum impugnantibus indulgentiam in Terræ-sanctæ subsidium concedi solitam tribuit Johannes XXII. 720. d. 723. b. 781. a. Adhærentes in beneficiis privantur, 695. d. & seq.
Ludovicus Bavarus Marchionatum Brandeburgensem suo primogenito confert, 645. a. 660. f. Qui citatur a Johanne XXII. super usurpatione Marchionatus Brandeburgensis, 688. f. & seq. 691. d.
Ludovicus de Bavaria frater reginæ Franciæ, 1631. b. 1635. c. Ad eum epistola Sigismundi imperatoris, 1659 d. In absentia imperatoris tutor fuit & defensor concilii Constantiensis, 1637. c.
Ludovicus dux Aurelianensis, 1273. a.
Ludovicus dux Duracii, 885. f. Neptis suæ castra indebite occupare dicitur, 912. f. 913. a. Ejus cum Ludovico rege Siciliæ discordias sopire laborat Innocentius VI. 913. f. & seq. 915. f. 917. b.
Ludovicus dux Heydelbergensis in concilio Constantiensi, 1612. c.
Ludovicus comes Flandrensis, 856. b.
Ludovicus comes Palatinus Rheni electus imperator, 657.
Ludovicus comes Palatinus, 1667. f.
Lugdunensis electus Philippus à Sabaudia, 411. d. 461. f. 510. f. Postea Burgundiæ comes, 511. f.
Lugdunensem ad sedem postulatus episcopus Claromontanus patitur repulsam, 568. c.
Lugdunensis archiepiscopus prædones compescit, 874. e.
Lugdunensis Vicarius Amedeus de *Talern*, 1550. d. 1552. c.
Lugdunensi ecclesiæ se gravatam decimæ impositione querenti, respondet Clemens IV. 159. f.
S. Lupi Trecensis abbas in concilio Constantiensi, 1552. e.
Lurhomusensis episcopus Johannes, 982. e. 986. a.

M

MAbilia Clementis IV. consanguinea, 110. f.
Magalonensi episcopo comitatus Melgoriensis concessus, 402. b.
Magdeburgenses canonici vacanti suæ ecclesiæ providere vetantur, 1001. c.
Magdeburgensis archiepiscopatus Theodorico episcopo Mindensi promissus, 1000. d. e. Concessus, 1003. e. 1004. d.
Magdeburgenses archiepiscopi 1005. e. Theodericus Otto, 1057. e. 1058. b.
Magdeburgensi archiepiscopo collectio centesimæ redituum ecclesiasticorum ad subsidium Terræ-sanctæ concessæ commissa, 6. a. & seq.
Mahometi nutritor Sergius, 1459. f.
Mahometica secta à Nicolao cardinali introducta, 1235. c. Armis non prædicatione promulgata, 1448. c.
Majoris-monasterii privilegia confirmat Clemens IV. papa, 140. f.
Melius est mala omnia tolerare quam malo alicui consentire, 311. f.
Malatesta de Veriolo seu Vernolio, 521. f. 622. a. Ecclesiæ fidelis, 534. b. Potestas Ariminensis, 23. b. Ei sexcentas libras dari jubet Clemens IV. 361. b. Litteras Balduini imperatoris Constantinopolitani adversus Ecclesiam comprehensas mittit Urbano papæ IV. 23. b. Ipsi Clemens IV. annunciat victoriam reportatam à Carolo rege de hostibus, 627. a. Ejusque prosperis congaudet, 215. f.
Maletesta miles Bernabovem vincit, 1021. e. Ipsi gratulatur Innocentius VI. de victoria, 1023. d.
Manfredus electus Veronensis, 609. b. Rector Marchiæ, 84. f. Ejus elogium, 90. f. 93. b. 99. d. Ecclesiæ defensionem ei committit Urbanus IV. adversus Manfredum Tarentinum principem, 99. e. A quo captus in vinculis detinetur, 99. f. Et in Apuliam ducitur, 84. f. Manfredo pro eo scribit Urbanus IV. 90. e. Captum benigne tractat Manfredus, 93. f. Pro eo Clemens IV. scribit ad regem Aragonum, 100. b. Qui ejus libertatem impetrat à Manfredo, 192. b.
Manfredus quondam Tarentinus princeps, 23. b. Filius Friderici imperatoris, 225. a. Malitiæ fomes & minister sævitiæ, 90. d. Diaboli filius, 457. d. Paternæ nequitiæ heres & odii in Ecclesiam, quanta ei intulerit mala, 196. d. Regnum Siciliæ detinet, 16. e. Ejus ad Urbanum epistola, 91. f. De ejus affectione diffidit, 92. c. & seq. Ecclesiam Romanam fidei magistram & dominam agnoscit, 92. a. Reconciliationis gratiam exoptat, 92. b. Fœdus pacis init cum O. cardinali apostolicæ sedis legato, 9. f. Oblatam gratiam repulit, 275. b. Pacis tractatus cum Ecclesia violat, 24. a. Balduini imperatoris Constantinopolitani ad eum epistola, 23. f. Ab eo singulari epistola monetur, ut sibi caveat & regi Franciæ nuncios mittat ibid. & seq. Adversus eum crucis prædicatio indicta, 22. b. 72. e. 114. a. 155. f. Cum Sarracenis fœdus init adversus Ecclesiam, 70. f. Eos armat adversus Ecclesiam

siam, 55. c. 71. a. Eorum auxilio regnum Siciliæ occupat, 55. d. 71. b. Saracenorum ritus amplectitur, 55. e. 71. b. Ecclesias episcopales & abbatias detinet, 56. a. 71. b. Terras ecclesiæ Romanæ in Marchia Anchonitana & Tuscia occupat, 56. b. c. Obsidere meditatur Urbevetanam civitatem, 85. c. Et Urbanum papam IV. capere, 85. b. Carolo Provinciæ & Andegaviæ comiti atque Urbano pontifici vitam veneno auferre tentat, 86. e. f. Ei civitati Tiburtinæ insidianti occurri mandat Clemens IV. 160. c. Venit Cellas, 166. e. In Tuscia Ecclesiæ patrimonium tremere facit, 179. b. Cassiam sedi apostolicæ aufert, 190. a. f. Ad Tiburtinam civitatem anhelat, 190. f. In regnum Siciliæ redit, 191. a. Ipsi opponendus eligitur rex Siciliæ comes Andegavensis & Provinciæ, 197. a. Carolum confundere tentat, 165. c. d. Petro de Vico auxilium ei ferenti obstant Campani, 83. e. Eum ad debitum officium revocare conatur Urbanus IV. 60. d. & seq. Citatur ad Clementem IV. papam, 279. c.

Manfredus audito Caroli comitis Andegaviæ & Provinciæ adventu in Urbem suos infra regnum Siciliæ colligit, 134. d. Beneventum se recipit, 299. c. Apud S. Germanum victus, 283. f. Apud Beneventum debellatus cadit, 284. a. & seq. 286. f. 288. a. Occisus, 300. f. Eum infra XXI. dies regno & vita privavit rex Carolus, 416. c. Ejus bona Ecclesiæ sunt non regis, 400. d. Manfredini auri receptatores inquiri jubet Clemens IV. 315. e.

Manfredus Marchio Malæ-spinæ, 575. d.

Manfredus Lancea, 302. a.

Mantuani ecclesiæ Romanæ devoti, 499. f.

Manuelis imperatoris Constantinopolitani oratores ad concilium Constantiæ, 1661. d.

Marcellinus papa, 1177. a. Semetipsum condemnavit, 1209. c.

Marchia ad papam redit, 302. d.

Marchiani, 134. d. Eorum infidelitas & perfidia, 609. b. Corradino sunt addicti, 416. b. Eis plus æquo favet Carolus Rex Siciliæ, 280. c. Ecclesiæ Romanæ infesti satisfactionem illi offerunt, 285. b. & seq. Cum Marchianis legatus indicit parlamentum, 294. a. Ecclesiæ reconciliantur, 319. e.

Marchus episcopus Cassanensis, 546. d.

Marchus de Vicecomitibus, 754. c.

Marguarita regina Franciæ, 52. a. 366. c.

Marguarita filia comitis Glovernæ, 599. c.

Maria imperatrix Constantinopolitana, 846. f.

Maria regina Siciliæ & Jerusalem subtrahit obedientiam Benedicto XIII. 1264 b.

Mariæ regis Aragonum filiæ obitus, 579. c.

Marsilius de Padua & Johannes de Janduno librum erroribus & hæresibus refertum Ludovico Bavaro exhibent, 700. a. & seq. 718. b. 724. d. 773. a. 779. a.

Marsilius de Padua & Johannes de Janduno hæreses prædicant, 683. a. & seq. 704. d. Eorum varii errores, 705. b. & seq.

Marsilius de Padua dignitatibus suis privatur, 696. e. & seq. Hæreticus judicatur, 795. c. & seq. A Romanis receptus, 741. b. Eum familiarem habet Ludovicus Bavarus, 803. b.

S. Martini à Campis Prior missus ad Benedictum à principibus ad sedandum schisma, 1180. a.

S. Martini thesaurarius Simon cardinalis S. Ceciliæ, 113. a.

Martinus V. suam in summum pontificem electionem significat Universitati Coloniensi, 1688. c. Heydelbergensis universitatis instrumentum traditum nuntio electionem Martini V. nuntiantis, 1691. b.

Martino V. quasdam vias pacis, ut dicebat, proponit per nuncios Johannes de Thurena anticardinalis, 1740. a.

Martinus cardinalis S. Laurentii in Lucina, 1292. f.

Martinus episcopus Atrebatensis, 1564. d. 1606. f.

Martinus de Peste doctor Bononiensis, 1469. c.

Martinus pœnitentiarius, 551. a.

Martinus Sancius nobilis Saracenus ad fidem conversus crudeliter tractatus à Fortunio abbate sæculari, 360. c.

Martinus Judex de Reate, 181. a.

Massilienfibus nuncios mittit Innocentius VI. 866. c. Excommunicati denuntiantur ob retenta curiæ Romanæ victualia, 1052. a. & seq.

Massiliensia capitula de modo procedendi ad unionem Ecclesiæ, 1314. a. & seq. Approbata, 1323. c. Cum variis modificationibus & conditionibus approbat Gregorius XII. 1370. b. & seq.

Matrimonia debent esse libera, 507. d. Contra statuta canonum celebrata dirimenda, 448. a. Matrimonii benedictionem mittit Clemens IV. L. relictæ Atreasbæ militis, 450. c. Matrimonii anxietates, 578. c. d.

Matrimonium regis Aragonum solvere recusat Clemens IV. 277. c. & seq.

Matrimonium inter Jacobum Aragonum regis filium & natam comitis Sabaudiæ an contrahendum, 391. e. & seq.

Matrimonium inter H. regis Castellæ filium & filiam Micalipi, 437. f. & seq. 438. d.

Matrimonium inter H. filium regis Castellæ & filiam regis Aragonum, 468. c.

Matrimonium inter filium nobilis viri Balduini de Bilmo & filiam regis Armeniæ, 293. b.

Matrimonium in quarto affinitatis gradu prohibitum, 124. d. Dispensatio pro matrimonio in quarto consanguinitatis gradu, 1041. b. & seq. Concessa liberis Caroli Siciliæ regis, 537. f. Dispensationem super contrahendo matrimonio inter filium Balduini imperatoris Constantinopolitani & filiam regis Castellæ negat Clemens IV. 303. f. Matrimonium secundum dissuadet Clemens IV. 558. b. & seq.

Mathæus de Celano castrum Ceperani officialibus papæ resignare jubetur, 922. a.

Mathæus de Vicecomitibus, 743. f. 754 c. Ejus funus igne concremandum, 744. a.

Mathias de Giosvaldo senescallus Provinciæ, 933. b. 1034. e. 1045. b.

Maurinus ordinis Minorum inquisitor hæreticæ pravitatis à Prædicatoribus laceratus injuriis, 347. b. 353. f.

S. Mayoli translatio, 453. e.

S. Maxentii abbas Petrus, 1551. e. 1558. e. 1564. d. 1568. f. 1606. f.

Maximiliani imperatoris erga sedem apostolicam firma devotio, 1760. c. Ei scribit Innocentius VIII. in gratiam cardinalis S. Anastasiæ ad episcopatum Tornacensem nominati, 1765. e. Item collegium cardinalium, 1767. a.

Medicis credere debet infirmus, 318. b.

Mediolanensi ecclesiæ infestus Ubertus Pelavicinus, 335. a.

Mediolanensis archiepiscopus Johannes, 898. b.

Mediolanenses indecentes papæ propositiones faciunt, 180. a.

Mediolanensibus Brixia reddenda, 191. a. Cum ipsis adversus Marchionem Montis-ferrati fœdus inire prohibetur Johannes episcopus Vercellensis, 919. e.

Meldensis episcopus P. 1320. c.

Meldenses canonici immunditias ab ecclesiæ suæ circuitu removent, 532. a.

Melfitensis episcopus Innocentius VIII. 1770. e.

Melgoriensis comitatus episcopo Magalonensi concessus, 402. b. Rex Franciæ nullum in eo jus habet, 402. b. & seq. Est feudum censuale Ecclesiæ Romanæ, 401. f. Melgoriensi comitatu privat Tolosanum comitem Innocentius IV. 402. a.

Mendicantes de multis contenderent, si multa licite possiderent, 451. e.

Mendicantes Ludovico Bavaro adhærentes sententia percelluntur, 825. f.

Mentientes circa beneficiorum suorum reditus, ut à solvenda decima se eximant ipso beneficio privandi, 245. d.

Metensis episc. Philippus de Florenges, 552. d.

S. Michaelis in periculo Maris abbas missus ad regem Aragonum pro unione ecclesiæ, 1342. b. Ejus ad eum oratio ut ipsum inducat ad viam cessionis, 1165. b.

S. Michaelis de Monte-abbatiam petit cardinalis *de Chalent*, 1459. e.

Michael episcopus Barchinonensis, 1043. d.

Michael de Cesana generalis ordinis Minorum adversus Ecclesiam machinatur in Italia, 749. d. 760. d. 782. e. Fratres Minores Saonenses vetat servare interdictum, 761. d. Citatur coram pontifice, 550. e. 757. a. 760. f. Fugit de civitate Avenionensi, 751. a. & seq. 757. e. 761. b. 783. f. Confugit ad antipapam, 783. d. Pisas se recipit ad Ludovicum Bavarum & Petrum de Corvaria, 784. Excommunicatur, 751. d. 784. c. Hereticus declaratur ac omni gradu & dignitate privatur, 785. c. d. 787. a. b. 801. f. Hæreticus, 808. a. 810. b. Processus contra eum executoria, 828. f.

Michael Palæologus imperator, 469. f. Eum hortatur papa ut ad Ecclesiæ gremium rediens Terræ-sanctæ subsidium ferat, 470. a.

Michael comes de *Vvertheim*, 1714.

Michael Vice-cancellarius Romanæ Ecclesiæ, 207. f.

Mimatensis episcopus Johannes obit Avenione, 1527. a.

Mindensis episcopus Theodoricus, 982. d. 986. d. 1000. c. 1003. e. 1004. d.

Minorenses episcopi, A. 448. a. Odo, 390. f.

Minorum ordinis elogium, 346. e. Ordinis Minorum & Prædicatorum comparatio, 314. d. Minoribus favet S. Ludovicus, 545. e. Eorum privilegia interpretari non debent episcopi, 614. d. Minoribus fratribus quos secum retinebat legatus sedis apostolicæ, equitare licitum & ingredi monasteria virginum, 79. f.

Minores fratres opulentas ecclesias cathedrales appetunt, 538. c. Ad episcopatus promoti absque licentia superiorum suorum sunt suspensi, 546. c.

Minores inquisitores adversus Prædicatores non agant, 348. e.

Minores & Prædicatores se invicem lacerant, 347. a. 359. c. Contentio ipsorum de conventu Capuano & Sulmonensi, 451. f. & seq.

Minores apud Carilocum, repugnantibus Cluniacensibus, sedem figere tentant, 545. d. Eos abbati S. Benedicti de Nurcia commendat Clemens IV. 217. f.

Minores Saonenses propter fautoriam Michaelis de Cesana privilegiis privati, 758. c. & seq. 762. a. & seq.

Misericordia non debet destitui disciplina, 311. e.

Missæ & vesperis qui interfuerint canonicis Anicienfibus duo denarii distribuendi, 480. a.

Missam ter aut quater non celebrantes episcopi sunt arguendi, 552. e. Trevirensis electus Henricus per sex annos non celebravit, 552. e. Preces in missa dicendæ adversus hostes Ecclesiæ post orationem Dominicam, 746. a.

Mitratos inter non decet discurrere calamistratos, 1757. c.

Modestia in clericis in choro & extra chorum commendatur, 484. f. 485. a.

Modica non spernenda, 276 b.

Modificationes in negotio regni Siciliæ cum Carolo comite, Simoni cardinali commissæ, 76. c. 77. d. & seq.

Moguntinus archiepiscopus cum septingentis equis venit ad concilium Constantiense, 1611. d. Defectu valetudinis discedit ab eo, 1614. e.

Moguntini archiepiscopi Conradus, 1714. c. Petrus, 937.

Molismensis abbas regis ad Gregorium XII. Orator, 1350. b.

Monachis discursus vetandi, 325. f. In monasteriis ad habitum non admittendi impuberes, 459. e.

Monasteriorum reformationi intendit Clemens IV. 445. f.

Monasteriorum virginum ingressus permissus

fratribus Prædicatoribus & Minoribus cum legato sedis apostolicæ commorantibus, 79. f. Item, nobilibus mulieribus semel in anno, 80. c.

Monasteriis Siciliæ talliæ non imponendæ, 236. d.

Monasteria Urbis pro negotio Siciliæ obligata à debitis contractis absolvenda, 351. e.

Monasterium, S. Bertini reformandum, 238. e. S. Johannis in Sicilia, 401. b. S. M. de Capua, 377. f. B. Mariæ *Delping*, 1643. f. B. Mariæ ad Moniales Trecense, in cujus parochia Urbanus IV. baptizatus, 29. e. B. Mariæ de Pratis ordinis Cisterciensis, in quo sepulta mater Urbani papæ IV. 29. c. S. Petri de Ara cui providi jubet Clemens IV. 356. d. S. Salvatoris in Sicilia, 579. e. SS. Trinitatis in Sicilia, 400. e. S. Trinitatis de Venusio, cui abbas præficitur Prior Montis-Pilosi, 571. b.

Monellus marchio Malæ-spinæ, 575. d.

Moneta Miliarensis, 403. c. e.

Monetam cudere quis possit, 403. f.

Monialium in monasteriis numerus præfigendus, 535. f. Quomodo servare debeant interdictum 96. b. Monialium ordinis S. Augustini cura commissa Patribus Prædicatoribus, 446. c. & seq.

Montis-ferrati Marchioni petitum pecuniarium subsidium negat Clemens IV. 171. b.

Montis-majoris monasterium pastore destitutum tuetur Clemens IV. 298. c.

Montis S. Michaelis abbas regis orator ad Benedictum XIII. & Gregorium XII. 1357. c.

Montis-pessulani civitas pro privatorum delictis interdicto non potest subponi, 463. d. e.

Montis-pessulani clerici arguuntur, quod decimas de glenis pauperum exigerent, 461. b.

Montis-pessulani consules sedi apostolicæ devoti, 265. d. Coram judice extra dioecesim evocari non possunt, 265. e. Lucanos eis commendat Clemens IV. 317. d. Arguuntur quod clericos exactionibus & indebitis processibus gravarent, 455. d.

Montis-regalis ad sedem transfertur Corinthiensis episcopus, 465. e.

Montis-regalis archiepiscopus Paulus, 1373. e.

Morellus de Fiemnis Marescallus Franciæ, 856. b.

Morimundo monasterio subjectus ordo Calatravæ, 171. d.

Morinensi cardinali missa epistola post exortum schisma, 1080. b.

Motæ castri expugnatio, 942. f.

Mulceronis castrum obsidet Carolus rex Siciliæ, 577. f.

Mundus est eremus, 1745. b.

Munera respuenda, 252. f. Judicibus, 507. a. 508. b. Ea reprobat Clemens IV. 312. c. Nec nisi ægre recipit, 256. f. 257. a.

Muntanius cardinalis, 1451. d.

Murcia à Jacobo rege Aragonum debellata, 362. d.

Murosii cardinalis mors, 1492. b.

N

NArbonensis ecclesia abundat sapientibus, 168. b. Ipsi præfuit Clemens IV. 131. d. f. 167. f. Qui ejus vexationes ægre fert, 130. f. 131. f. Et eam à Carcassonensi ballivo vexatam S. Ludovico commendat, 131. c. d. Narbonenses archiepiscopi jurium regis defensores, 131. d.

Narbonensi archiepiscopo salutaria dat monita Clemens IV. 147. d. Arguit eum de præcipitibus sententiis in laicos & suffraganeos, 167. d. Sed præcipue in Tolosanum episcopum, 167. f. Ipsi notam facit victoriam de Manfredo à Carolo Siciliæ rege reportatam, 287. d. Hortaturque ad gratiarum actionem, 288. b.

Narbonensis archiepiscopus arguitur, quod male sentiat de Sacramento altaris, 536. f. Sed ab hac se calumnia purgat, 559. a. & seq.

Narbonensis archiepiscopus ad sedem Tornacensem à rege Franciæ nominatus causa cadit, 1762. f.

Narbonenses archiepiscopi Franciscus, 1435. a. 1558. b. 1601. e. Guido, 331. c.

Navarræ rex cum Pampelonensi episcopo de quibusdam castris decertans pacem petit, 346. b. Eum ad succurrendum Terræ-sanctæ animat Clemens IV. 337. b. Ipsi dispensationem pro filio concedit, 125. c. Unitur concilio Constantiensi, 1669. c.

Navarræ reginæ pietatem erga Ecclesiam laudat Clemens IV. 109. e.

Navarræ regis & reginæ exsequiæ in omnibus Hispaniæ cathedralibus ecclesiis celebrandæ, 1. b.

Neapoleo 370. d. Frater J. cardinalis in carcere Tulliano, 363. e.

Neapolio comes Manupelli, 886. c. 957. e.

Neapolioni de Ponterolis civi Forojuliensi committitur cura civitatis Avenionensis circumcingendæ muris, 1050. a. f.

Neapolis Samariæ, 334. b.

Neapolitani archiepiscopi Amedeus de Salutiis, 1602. e. Bertrandus, 915. b. 918. f. 952. a. 957. e. 960. f. Henricus, 1322. f.

Neapolitanos hortatur Innocentius VI. ut regi Siciliæ adversus societates perversas ferant auxilium, 883. f.

Nicolai papæ III. constitutio adversus usurpantes senatoriam Urbis dignitatem, 732. b. 741. a.

Nicolaus papa V. 1752. c. 1770. d. Ei cuncti reges adhærent, 1752. e.

Nicolaus cardinalis sectæ Mahometicæ introductor, 1235. c.

Nicolaus cardinalis Albanensis, 1266. f. 1378. d. 1461. c. 1491. d. Ejus epistola ad Bonifacium Ferrerii, 1484. e.

Nicolaus de Cremona episcopus Brigiensis, 1084. d.

Nicolaus episcopus Vigorniensis translatus ad Vvintoniensem sedem, 578. c.

Nicolaus abbas S. Mariæ de Scoffecis, 1276. d.

Nicolaus de Acrorolis comes Melfiensis Siciliæ senescallus, 870. b.

Nicolaus comes Melfiensis magnus senescallus Siciliæ, 885. f. 900. d. 919. c. 923. c. 952. 957. e. 1035. a. Laudatur de suis pro sede apostolica laboribus, 870. b. Ab ea mittitur ad repellendos à Sicilia prædones, 871. e. & seq.

Nicolaus comes Nolanus, 886. d. 957. e.

Nicolaus Marchio Estensis, 952. e. 953. c. 994. f.

Nicolaus de Louvain miles, 1065. e. 1066. f.

Nicolaus de Lyra, 1500. a.

Nicolaus Boochius miles, 637.

Nicolaus *Sepynsky* consiliarius Vvladislai regis Poloniæ, 1653. d.

Nicolaus Spinellus de Neapoli legum doctor, 897. f.

Nicolaus Viola miles, 917. b.

Notarios ad remotiora sine aliquo dignitatis titulo mittere non consuevit sedes apostolica, 213. c.

Novi-castri cardinalis subito extinctus, 1491. f.

Novitii ad electionem prælati non admittendi, 607. e.

Nurciensi S. Benedicti abbati fratres Minores commendat Clemens IV. 217. f.

Nurinburgensis episcopus Gerardus, 990. a.

Nurinburgæ Burgravius, 1631. b.

O

OS. Adriani diaconus cardinalis, 511. e.

O. cardinalis S. Mariæ in Via-lata, 515. b. f. 565. f.

Obazina monasterium duplex, 511. c. f.

Non obedire non semper est malum, 1237. f.

Religio non deseritur sed fovetur, si ex obedientia quis sæculi tumultibus implicitur, 321. e.

Obedientia Benedicto XIII. subtracta à regibus Galliæ & Castellæ, 1279. d. Et quidem juste, 1190. b. & seq. Ipsi in Gallia restituta, 1273. c.

Obizo Marchio Estensis, 952. e.

Obizo Aldobrandini Marchionis Estensis filius, 899. b. 904. b.

De obligandis possessionibus Urbis pro rege Siciliæ Clemens IV. consulit cardinales, 176. a.

Obligationis formula de solutione annatarum, 1601. e.

Obsequio vincitur animus generosus, 183. a.

Octavianus in sede apostolica intrusus, 1471. a.

Octavianus cardinalis S. Mariæ in Via-lata, 207. d.

Octaviano cardinali quæ beneficia in commendam dari in Anglia Clemens IV. procurat, 213. b.

S. Odilo Silviniaci requiescit, 453. e.

Odo de Columna electus in papam Martinum V. 1691. c. In concilio Constantiensi, 1730. 1738. c.

Odo cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, 1323. a. 1364. a. 1368. a. 1395. d.

Odo de Loriaco episcopus Bajocensis, 382. d. 424. c.

Odo Minorensis episcopus, 390. f.

Odo de Lorriaco canonicus Bajocensis, 7. e.

Odo de *Corpelay* miles cruce-signatus, 384. e.

Odo de Cortona, 618. a.

Odo Gualducii civis Pisanus in Terræ-sanctæ subsidium transfretat, 442. f.

Officium cum celebratur canonici extra chorum non sint, 484. e.

De officialium Urbis moribus inquiri mandat Innocentius VI. 1069. f. & seq.

Ogerius episcopus Augustensis, 1550. d. 1551. f. 1558. c. 1606. f.

Olivario ordinis Minorum Carolus rex Siciliæ à papa petit episcopatum, 536. c.

Oliverius de Terminis ad Terram-sanctam proficisci proponit, 147. a. b.

Olozonicus prior ab hominibus Calvimontis crudeliter tractatus, 184. f.

Olomusensis episcopus Johannes, 986. d.

Opizo natus Marchionis Estensis de hæresi suspectus, 650. c. 656. e. 663. c. 670. a.

Oratio non illud est quod os petit, sed quod cor desiderat, 1524. b. Exaudit Deus aliquando licet petita non concedat, 1522. b. & seq. Quot modis Deus non exaudire dicatur, 1522. f. 1523. a. & seq.

Oratorum regis ad Benedictum XIII. supplicatio in Massilia, 1376. b.

Oratorum regis Franciæ ad Benedictum XIII. pro ecclesiæ unione epistola de tractatis cum eo, 1320. c.

Ordine quæ fiunt, ex ipso ordine recipiunt pulchritudinem & splendorem, 406. b.

Ordinati ab Intruso caracterem recipiunt inefficacem, 1232. f. His nisi religionem intraverint aut sint valde boni dispensatio non concedenda, 448. c.

Ordinationes factas à Constantino intruso damnat Stephanus III. papa, 1233. e. Item factas à Leone Johannes XIII. 1233. d.

Ortanis favet Clemens IV. 162. c.

Osius episcopus, 1456. d.

Ostiensis episcopus primus post papam, 1081. d.

Ostienses episcopi Anglicus, 1322. f. Bertrandus, 723. d. 786. f. H. 462. d. Henricus, 207. c. Ecclesiæ honorabile membrum, 211. e. Cujus paupertatem sublevare contendit Clemens IV. 211. e. Eique aliquot Angliæ beneficia dari in commendam, 211. f. 251. b. Johannes, 1699. b. Philippus de Alenconio, 1155. a.

Otto archiepiscopus Magdeburgensis, 1057. e. 1058. c.

Otto I. Johannem XII. deponit, 1622. e.

Otto IV. à Coloniensi archiepiscopo in regem Romanorum coronatus, 497. c.

Otto dux Austriæ, 800. e. 801. a.

Otto filius H. ducis Saxoniæ in imperatorem electus, 497. a.

Ottobonus cardinalis S. Adriani, 180. b.

P

P. De Confluentia episcopus Corinthiensis, 578. c.

P. de Corneliaco episcopus Surentinus, 578. b.

P. abbas Ilerdensis, 1381. f.

P. de Corneliaco ordinis Minorum, 536. c.

P. Cambellanus miles à Clemente IV. ad Carolum regem Siciliæ pro concilio missus, 379. a.

P. Proconsul Romanus, 527. f.

Pacenses

Pacenses episcopi Bernardinus Carvajal, 1774. a. Johannes, 1382. c.

Palefridus albus singulis annis Romano Pontifici à rege Siciliæ dandus, 11. c. Singulis triennis, 231. a.

Pampalonensis episcopus cum rege Navarræ de quibusdam castris litigat, 346. a. b.

Pampelonensis electus Pelegrinus juri suo cedit, 582. c. Andenagogus, 582. d.

Papam non facit nisi canonica electio, 1103. b. Solus cardinalium consensus, 1112. d. Papæ electionem differre est periculosum, 1681. e. Eam retardare est schisma fovere, 1683. a. In concilio Constantiensi differtur, 1636. f. Electionis rationem proponit Petrus de Luna, 1650. b. Ibi eligi non possunt Baltazar Cossa, Angelus Corrario, & Petrus de Luna, 1636. f. Facta fuit per cardinales & deputatos quinque nationum, 1688. f. 1690. e.

Papa qualis eligendus est, 1754. d. & seq. 1772. d. Eligendus non solum bonus, sed etiam optimus, 1783. a. Eum aliquando elegerunt imperatores, aliquando clerus & populus, postea soli cardinales, 1781. d. Eum instituere non possunt imperatores, 708. f. quamvis papam instituere & destituere imperatoris esse docuerint Marsilius de Padua & Johannes de Janduno, 708. b.

Papæ prærogativæ 1778. b. 1784. f. Illius primatum agnoscunt concilia, 1779. e. Ejus potestas immediate à Deo, 1590. c. Ad ædificationem, 1590. c. Non ad destructionem, 1258. a. Ipsius potestas limitata, 1419. f. Habet plenitudinem potestatis non ut Dominus, sed ut minister principalis Domini, 1410. c.

Papæ auctoritate omnes ecclesiæ regi debent, 1132. b. Ecclesiam sine papa regi posse asserere hereticum est, 1681. b. 1682. c. Non dominus episcoporum, sed unus est ex illis 1419. e. Beneficia potius per papam quam per ordinarios esse conferenda censent doctores Parisienses, 1686. c. Idem censet universitas Coloniensis, 1687. a. Papam privant Florentini potestate conferendi beneficia per quinque annos, 1599. e.

Ad papam pertinet Romæ dominium & electio Senatoris Urbis, 27. a. Ipsius preces vim habent præcepti, 337. f. Illius potestatem nullus ligare potest, 712. e.

Papa subjectus evangelio, 1238. b. Legibus humanis non ligatur, sed legibus conscientiæ constringitur, 194. c. Non potest disponere pro libito de juribus, 1624. a. Non licentiam peccandi ex officio suscepit, sed necessitatem bene vivendi 1237. f. Papæ obediens in eo quod turbat Ecclesiam peccat mortaliter, 1240. f. Papæ constitutio injusta non observanda, 1412. e. Papam convenientes principes Romani expansis tentoriis morabantur in castris, 445. b. Oratio pro papa quotidie dicenda in missa in Trecensi S. Urbani ecclesia, 206. f.

Papa sigillo piscatoris in suis secretis litteris utitur, 111. b.

Papæ reditus unde vivere debeat, 1596. a. Ejus sustentationi providet concilium Constantiense, 1707. a. Papalis sustentationis pars major ex annatis 1566. b. Papæ singulis trienniis palefridum album offerre debet rex Siciliæ, 231. a. Item, indigenti & petenti milites, 231. e. Papæ Avenionenses tempore schismatis quanta ex Galliæ ecclesiis subsidia levarent, 1423. b.

Papa in arduis ad concilium re currere consuevit, 1211. a. Illius est convocare concilium, 1474. e. Papam concilium judicare non potest, 1525. d. Ipsi tamen subest in his quæ fidem & statum Ecclesiæ universalis concernunt, 1210. c. 1212. e. 1247. d. Ita censet universitas Cracoviensis, 1752. b.

Papa solius Dei subest judicio nisi sit hæreticus, 1728. c. Papa & cardinales, ut multi putant, possunt errare, 1209. b. e. 1210. a. Papa nutriens schisma fit minor quocumque catholico, 1417. f. Pertinaciter errans in fide papa non est, 1197. f.

Papa deponi non potest, 1486. Nisi pro facto hæresis, 1255. f. Papam ab imperatore posse deponi asserere insanum est & erroneum, 709. d. Papæ quidam depositi, 1622. d.

Papa an possit deponere cardinales, 1486. a.

Parentibus præferendus est Christus, 1080. b.

Parlamenta nimis prorogat Carolus rex Siciliæ, 356. f.

Parochiales ecclesiæ non conferendæ nisi graduatis & residentibus, 1698. c.

Parmensis abbas S. Johannis Hieronymus, 1381. f.

Passigniani abbas Valdassarus, 1395. b.

Patientia facilius suadetur quam toleratur, 1487. d.

Patria seu natale solum allicit, translatio ad exteros terret, 368. b.

Patriarchæ Hierosolymitani tribulationibus compatitur Clemens IV. 408. f. Eum consolatur eique promptum promittit auxilium, 392. e. & seq.

Patrimonium ecclesiæ Romanæ 1592. a. Conservari curat Clemens IV. 316. a.

S. Pauli apostolici caput Romæ, 588. d.

Paulus II. papa, 1777. e.

Paulus Montis-regalis archiepiscopus, 1373. e.

Paulus de Ursinis, 1345. c. 1352. c. 1373. e.

S. Pauli monasterium, 370. e.

S. Pauli in Urbe abbas Guido, 921. b.

Paupertatis amatoribus acriores & subtiliores insidias parat diabolus, 346. d.

Paupertatem æquanimiter tolerat Clemens IV. 186. e. Paupertati cardinalium providet, 240. f. Eamque sublevat bonis ecclesiarum & monasteriorum, 218. c.

Pax vera quæ, 436. f.

Pax inter civitates Lombardiæ, 472. e.

Pacem recusans rex Angliæ de throno deturbatur, 1243. e.

Peccatores in sui excusationem erroris non posse ponunt in causa, cum nolle tantum sit in culpa, 278. c. Iis resistendum, 1439. b. Publice peccantes, publice arguendi, 700. d. 718. e. 779. c. Peccatorum graviorum absolutio à quibus facienda tempore subtractionis, 1399. f.

Pecunias ægre invenit Clemens papa IV. 133. a.

Pecuniæ pro negotio Siciliæ mutuatæ à Laurentio Odone Serroniano mercatore Romano solvi mandat Clemens IV. 343. b.

Pelavicinus vir nequissimus, 102. f. Iniquas propositiones papæ facit, 180. a. Captivos ducit Cremonam, 191. b. Ejus conversio, 353. d. Ad sinum Ecclesiæ redit, 302. 327. d.

Pelegrinus electus Pampelonensis juri suo cedit, 582. c.

Percivallus de Oria Manfredi principis Tarentini capitaneus statum Urbis evertere tentat, 84. a. Arrone flumine mersus perit, 84. c.

Perdiaci comiti committitur pax procuranda inter Gastonem comitem Fuxensem & Arnoldum dominum Lebreti, 1057. b.

Periculum qui quantum cavere potest non cavet, magis tentat Deum quam sperat in Deum, 1524. c.

Persecutiones variæ Ecclesiæ, 1744. a. & seq. Persecutio Ecclesiæ violenta in tormentis, fraudulenta in hæreticis, periculosa in Anti christo, 1745. a. Persecutione instante veritas non deserenda, 328. d.

Perusinus de Florentia Gibellinæ factionis auctor captus in prælio Beneventano, 284. d.

Perusini mercatores mutuum præstant pro Carolo Provinciæ comite, 128. b.

Perusinis annunciatur victoria Bononiensium de Bernabove, 1022. b.

Pestis Avenione grassatur, 1000. e. 1014. c. 1059. b. 1128. f. Januæ, Ripariæ & Massiliæ, 1369. b.

Petragoricensis episcopus Petrus, 1016.

Petruccius natus Lucæ de Sabellis, domicelli Romani, 921. b.

Petrus cum Christum negavit tantæ sanctitatis & firmitatis erat quam nunc papa & cardinales, 1209. e.

S. Petri prærogativæ, 1778. b. Non limitatam potestatem à Christo accepit, 707. d. Petrum non plus auctoritatis habuisse, quam alii apostoli, nec fuisse caput Ecclesiæ & Christi vicarium dogmatizarunt Marsilius de Padua & Johannes de Janduno, 706. a. Petri navis quantiscumque periculis agitata finale naufragium non timet, 328. e.

S. Petri martyris festum, 295. a. & seq. In eo concessæ indulgentiæ, 212. f.

Petrus Fisandi de Candia, 1471. b. 1499. b. 1531. c. Factus papa Alexander V. 1461. e. 1728. a.

Petrus de Corvaria ordinis Minorum, 639. 763. c. Dimissa uxore ordinem Minorum ingreditur, 765. b. Fit minister provincialis, 765. c. Censuras Ecclesiæ spernit, 765. d. Eligitur antipapa, 765. e. 783. d. 802. b. 819. d. Consecratur à Jacobo Castellano episcopo, 765. f. 811. c. Cardinales nominat, 766. a. A vero papa deponitur ab omni gradu, 767. b. Papæ per imperatorem depositionem approbat, 811. f. Excommucatur, 707. c. Hæreticus & hæreticorum fautor declaratur, 768. b. Acta per eum omnia irrita declarantur, 768. d. Erratum suum recognoscens deponit nomen papæ, 803. f. 804. a. & seq. Ejus de sua resipiscentia ad papam epistola, 804. a. 806. f. Errores & excessus suos condemnat, 807. e. Ejus abjuratio, 809. a. & seq. Absolvitur à papa, 815. d. & seq.

Petrus de Luna, 1432. d. 1453. f. 1535. d. 1568. a. 1577. f. 1581. a. 1604. e. d. 1615. b. c. 1617. a. 1632. a. 1637. d 1666. f. 1668. a. 1675. f. Antequam natus promissus à Deo ut esset clericus, 1671. d. Cardinalis coram rege Castellæ Clementis VII. electionem propugnat, 1720. d. & seq. In electione papæ abhorret à fictione, 1087. e. Jacobum regem Siciliæ ad suas partes allicere conatur, 1661. c.

Petrus de Luna calidissimus serpens, 1674. c. Malignissimus hostis pacis, 1564. e. Crudelissima bellua, 1657. c. Dirisorie appellatus Petriqui, 1508. c. Petit ut solus in concilio Constantiensi papam eligat, 1657. e. Ipse eligi non potest, 1636. f. A quibus cardinalibus electus papa, 1724. d. Negat ante suam assumtionem laudasse viam cessionis, 1671. e. Cedere recusat, 1615. c.

Petri de Luna legati in concilio Pisano non auditi, 1477. a. 1482. c. Ejus ambassiatores ad concilium Constantiense, 1611. f. Conchensem episcopum mittit ad concilium Constantiense, ut impediat Ecclesiæ unionem, 1671. f. Petrus de Luna regem Romanorum Perpiniani in castro munitissimo excipit, 1647. Promittit ei pacem Ecclesiæ, 1647. c. Finalis ejus responsio facta Perpiniani Sigismundo imperatori, 1648. a. Viam offert justitiæ, 1648. b. Et cessionis sub certis conditionibus, 1648 c. Petit concilii translationem, 1648 e. Pisana statuta rescindi, 1349. a. Omnes processus ibi factos, 1649. b. Quæ sibi cedenti privilegia postulaverit, 1649. d. Nomine concilii Constantiensis accusatur de contumacia, 1674. f. In concilio citatur, 1668. c. 1674. a. Ejus citatio ad audiendam adversus se sententiam, 1677. e. Toto nisu retardat citationem sibi faciendam, 1670. b. Quo modo eam exceperit, 1670. c. Ad eam quid responderit, 1671. a. Consultatio de recusanda obedientia Petro de Luna, 1177. d.

Petrus de Luna in Gallia reputatus hostis capitalis, 1444. a. Eum capere sibi proponit rex Galliæ, 1434. a. A principibus & præsulibus Hispaniæ deseritur, 1695. f. Immo ab omnibus deseritur, 1662. a. Cardinalis ei addictus per funem de turre Paniscolæ evadit, 1662. a.

Petri de Luna obstinatio in schismate, 1654. 1657. c.

Petrus de Luna de papatu dejectus, 1678. d. V. Benedictus XIII.

Petri de Romana electio in Liciensem episcopum nulla declaratur, 593. e.

Petrus de Thomasellis dictus Bonifacius IX. in sua obedientia, 1234. a.

Petrus cardinalis episcopus Aniciensis, 1167. a.

Petrus cardinalis S. Angeli, 1266. f. 1323. a. 1367. a. 1368. a. 1378. e. 1465. d.

Petrus cardinalis S. Anastasiæ, 1073. a.
Petrus cardinalis Florentinus episcopus Portuensis, 1266. f.
Petrus cardinalis S. Mariæ in Via-lata, 1267. a.
Petrus Bertrandi cardinalis episcopus Augustodunensis, 1420. a.
Petrus Blavii cardinalis missus ad regem à Benedicto XIII. 1298. b. 1340. d. 1458. a. f.
Petrus Rinar cardinalis, 1427. b.
Petrus de Turre, 1009. f. 1010. b.
Petrus de Thureio cardinalis, 1378. e. 1451. a. 1458. f. 1494. b. 1465. f. Papatum ambit, 1460. e. 1461. c. 1485. d.
Petrus archiepiscopus Maguntinus, 637.
Petrus de Alliaco episcopus Cameracensis, 1301. e. 1464. b. Natus Compendii humili loco, 1464. f. Episcopatum Cameracensem obtinuit invito duce Burgundiæ, 1464. d. In episcopatu æmulos passus, 1464. f. In concilio Pisano ut se gesserit, 1464. b. Proponit dubia contra concilium Pisanum, 1496. b. Ejus rationes ad differendam subtractionem à Benedicto XIII. 1329. a.
Petrus episcopus Meldensis, 1335. f.
Petrus episcopus Petragoricensis, 1016. e.
Petrus episcopus Ripensis, 1743. c.
Petrus Romani episcopus Soranus, 465. e.
Petrus episcopus Tarentinus bona legat Cameræ apostolicæ, 1044. b.
Petrus episcopus Vaurensis, 1432. e.
Petrus abbas S. Maxentii, 1551. c. 1558. e. 1564. d. 1568. f. 1606 f.
Petrus rex Aragonum, 848. b. 850. e. 875. f. Fœdera inter prædecessores suos & reges Siciliæ turbat, 992. d. Captivum detinet Jacobum natum Jacobi regis Majoricarum, 948. e. Ei gratias agit Innocentius VI. de oblatis copiis ad repellendas pravas societates, 867. d. Ei scribit Innocentius VI. ut Johanni Montis-ferrati Marchioni curet fieri satis de dote uxoris suæ, 948. b. Ipsi commendatur Bartholomæus de Carpineto papæ secretarius, 962. b.
Petrus regis Aragonum filius laudatur de zelo in Saracenos, 210. c.
Petrus rex Castellæ & Legionis, 1867. f. Ei scribit Innocentius VI. in gratiam Ægidii episcopi Sabinensis & Johannis episcopi Seguntini, 997. c. 998. c. Ipsius officiales Johannem Brigholandi thesaurarium Carthaginensem spoliant, 999. a.
Petri regis Portugalliæ matrimonium cum Agnete de Castro approbare recusat Innocentius VI. ac prolem ejus legitimam declarare, 1030. f. Ei Johannem de Cardalliaco commendat Innocentius VI. 1029. d.
Petrus de Aragonia infans, 1084. d.
Petrus Richardi nepos J. cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, 363. d.
Petrus de S. Ægidio nepos Clementis IV. 110. d. Præclara papæ ad eum epistola, 110. d.
Petrus Clementis IV. camerarius & archidiaconus Senensis, 152. b. d.
Petrus de Prado minister provinciæ S. Francisci, 750. b.
Petrus Eraudi Prior S. Eutropii Xantonensis, 878. c. 879. b. 882. b. 990. c.
Petrus de Versaliis, 1583. b. Prior de Calvomonte interest concilio Constantiensi, 1549. f. 1563. c. Ut orator regis, 1606. f.
Petrus archidiaconus Senonensis camerarius Clementis IV. 258. e. 269. d.
Petrus notarius sedis apostolicæ 107. b. 116. d. 117. b f. 123. a. 222. e. Sedis apostolicæ nuncius ejus nomine mutuum contrahit pro Carolo Siciliæ rege, 201. c.
Petrus Qubleti archidiaconus Cabilonensis procurator comitis Sabaudiæ in consilio Constantiensi, 1556.
Petrus comitis Britanniæ filius ad Terræsanctæ ferendum auxilium se præparat, 389 e. De subsidio ei tribuendo consulendus rex Franciæ, 389. d.
Petrus Sicardi canonicus Narbonensis construendis muris civitatis Avenionensis præfectus, 869. c.
Petrus de Alcorano doctor Bononiensis, 1469. c. Egregius doctor in concilio Constantiensi, 1613. d.
Petrus filius S. Ludovici, 472. f.
Petrus Salomonis ordinis Minorum orator ducis Burgundiæ in concilio Constantiensi, 1554. e. 1607. a.
Petrus de Vico comes, 949. c. 950. c. 951. c. Tuscanenses incautos vincit, 83. c. Et ipse devictus, 81. f. 82. a. f. 83. a. Ei auxilium ferre tentat Manfredus, 83. e. Audito Caroli comitis Andegaviæ & provinciæ in Urbem adventu recedit, 134. d. Summum pontificem graviter offendit, 138. e. Ejus reconciliatio quo ordine facienda, 154. b. & seq. Arcem Vici & Bletæ reddere cogendus est, 184. c.
Petrus *Cauchon* Vice-dominus Remensis, 1607. a. Orator ducis Burgundiæ in concilio Constantiensi, 1549. f.
Petrus de Cambacurta, 1471. f.
Petrus de Cassiliaco mercator Montispessulani mutuum præstat Carolo Siciliæ regi, 201. e.
Petrus de Castro, 1030. f.
Petrus de Columba miles, 416 d.
Petrus de Columbario miles, 266. b.
Petrus de Farnesio Bernabovem vincit, 1021. e.
Petrus Audebertus papæ familiaris purgatur de illatis apud Britanniæ ducem calumniis, 866. a.
Petrus Cambellanus miles, 388. e. A Clemente IV. ad S. Ludovicum missus, 416. c.
Petrus Gandelini Castellanus castri S. Angeli idem castrum Urbano VI. restitui jubetur, 1072. b. & seq.
Petrus Negrandi procurator ducis Bituricensis ad concilium Constantiense, 1575. b.
Petrus *Plaout* orator regius ad Januenses, 1408. c.
Petrus Raimbaldus de Carumbo militiæ cingulum recipit, 315. a. 430. e.
Petrus Sarracenus papæ adversarius, 340. c.
Philippus cardinalis Bononiensis, 1770. d.
Philippus archiepiscopus Burdigalensis, 1814. f.
Philippus à Sabaudia electus Lugdunensis, 510. f. Viennensis decanus Guidonem de Alvernia eligit archiepiscopum Viennensem, 411. d. e. Aut ordines suscipere aut episcopatui renunciare jubetur, 462. b. c. Beneficiis suis privatur, 511. f. Aleidem Burgundiæ comitissam ducit, 461. f.
Philippus archiepiscopus Ravennensis, 969. f.
Philippus episcopus Casertinus, 546. d.
Philippus episcopus Cavallicensis, 1043. e.
Philippus episcopus Florentinus, 891. e.
Philippus de *Florenges* episcopus Metensis, 552. d. Abdicare coactus, 552. f.
Philippus de Alenconio episcopus Hostiensis hortatur Universitatem Parisiensem ut ad extirpandum schisma navet operam, 1135. a.
Philippi abbatis S. Dionysii rationes ad differendam substractionem à Benedicto XIII. 1329. a.
Philippus ordinis Minorum missus ab Alphonso comite Pictavensi ad Clementem papam, 589. a.
Philippus ordinis Minorum provincialis minister ad episcopatum promovendus, 562. c.
Philippus dux Sueviæ in imperatorem electus, 497. a. A Tarentasiensi archiepiscopo coronatus, 497. c.
Philippus filius S. Ludovici, 472. f.
Philippi archiducis Austriæ & Burgundiæ ducis erga sedem apostolicam firma devotio, 1760. c. Ad episcopatum Atrebatensem nominat Fortiguerram, 1763. d. Ad Tornacensem Servotum, & Guillelmum S. Bertini abbatem, 1762. f.
Philippus dux Burgundiæ, 848. c. Eum hortatur Innocentius VI. ad reprimendos prædones, 880. f. & seq.
Philippus dux Turonensis, 855. e.
Philippus de Sanginato comes Altimontis, 886. a.
Philippus Brancacii miles Neapolitanus missus à Papa Romano ad Benedictum XIII. Avenionensem, 1181. a.
Philippus de Mercerio vir nobilis deserto Manfredo Ecclesiæ reconciliatur, 320. e.
Philippus de Marerio vir nobilis ab excommunicatione absolvitur, 155. e. Ei scribit Clemens IV. 156. b.
Philippus de Monte-forti, 289. b. 302. c. Vicarius Caroli regis in Sicilia & in Apulia, 300. f. Ei gratiam Caroli regis Siciliæ augere intendit Clemens IV. 185. e. f.
Philippus de Tarento, 885. f. 957. b.
Philippo de Ægris permittitur cum rege Siciliæ remanere, 633. e.
Pictavensis cardinalis tractatus de celebrando concilio pro tollendo schismate, 1193. b.
Pictavensi comitis de subsidio tribuendo consulendus est rex Franciæ, 385. c.
Pictaviensis comes mutuum fratri suo regi Siciliæ præstat, 219. d.
Pileus cardinalis, 1175. d.
Pinianis canonicis castra restitui curat Clemens IV. 406. d.
F. Pinottus Cartusianus, 1529. a.
Pisanus cardinalis in concilio Constantiensi, 1585. e.
Pisani archiepiscopi Alamannus, 1433. b. Simon, 809. b.
Pisani Ecclesiæ Romanæ infensi, 441. d. 516. f. Multum faciunt si non noceant, 255. a. Omni sunt gratia indigni, 249. c. Excommunicati, 544. d. A Clemente IV. petunt absolvi ab excommunicatione, 373. b. Absolvendi sub quibusdam conditionibus, 373. e. Eos de proposito redeundi ad Ecclesiæ gremium laudat Clemens IV. 106. b. & seq. Revertentes Carolo Siciliæ regi commendat, 441. c. e.
Pisanos inter & Lucanos inducias quadriennales petit Clemens IV. 442. c. Pisanos de militia regis Siciliæ turbatos sedat Clemens IV. 457. c. & seq. In eos inardescit Carolus rex Siciliæ, 563. c. Eos ad pacem cogit, 567. e. Ab eis Galeas in subsidium Terræsanctæ petit Clemens IV. 442. d. Terramsanctam sustentant, 441. d. f.
Pisanorum loca vastata, 577. e. Pisanam civitatem occupant Florentini, 1471. e. 1475. a. 1477. d. A Jacobo de Pisis venditam, 1471. f.
Pisana civitas proponitur Benedicto XIII. ad conveniendum cum Gregorio XII. 1377. d. Illius custodia commissa tempore concilii Pisani Simoni Cramaudo, 1478. b. Ei annuntiatur victoria Bononiensium de Bernabove, 1022. e. Pisano in concilio non auditi Petri de Luna Legati, 1477. a. 1482. e.
Piscatoris sigillo utuntur Summi pontifices in suis secretis litteris, 111. b.
Pistorium Ecclesiæ Romanæ reconciliatur, 310. c.
Pii culpas agnoscunt ubi nulla noxa, 91. a.
Pius II. papa, 1763. a.
Placentini ad Ecclesiam redeunt, 317. d.
Placentia sedi apostolicæ subdita, 353. d.
Placentini episcopi B. cardinalis S. Clementis 1713. d. Briardus de Castellione, 1276. d. Brandus, 1373. e.
Pluralitas beneficiorum prohibita, 483. e. Ab ea dispensatur, 68. e.
Podium Boniti obsidet Carolus rex Siciliæ, 543. c. Et obtinet, 563. b.
S. Policarpi abbas à rege Siciliæ duræ habitus, 266. b. Pro ipsius libertate scribit Clemens IV. 266. b. d.
Poloniæ rex Vladislaus, 1350. c.
Polrzensis episcopus Jacobus, 1650. e.
Poncellus de Ursinis, 1373. e
Pons super fluvium Levi construendus, 461. e.
Pontem Avenionis ligneum comburi facit Benedictus XIII. 1183. b. 1341. d.
Pontifex non attendat carni & sanguini, 1758. a.
Pontificibus Romanis solis competit crucem ante se deferre, 522. a.
Pontius episcopus Urbevetanus Urbis vicarius, 1032 b.
Pontii episcopi Urbevetani in curia defuncti, bona colligi jubet Innocentius VI. 1001. f.

Portuenses episcopi Guido, 868. b. 890. e. 964. a. 998. c. Johannes, 207. e.
Possessiones Ecclesiæ pro Carolo rege obligatæ, 188. c. 190. a. 191. a.
Potestas coactiva Ecclesiæ non ab imperatore, sed à Christo, 713. d.
Præbendæ presbyterales diaconales & subdiaconales in ecclesia Aniciensi, 481. f.
Præbendas in ecclesia Remensi sede vacante rex conferebat, 521. c.
Præcipitatio noverca justitiæ, 1518. d.
Prædicatorum ordinis elogium, 282. c. & seq. 346. e. Fuit à mari ad mare dilatatus, 503. b. Prædicatores hoc solum delectat, quod divinæ voluntati sit placitum, 144. b. Fuerunt missi ad Græcos redeuntes ad Ecclesiam erudiendos, 494. d. Quales in prælatorum domos mitti debeant, 281. d. Quales ad audiendas confessiones, 281. e. Iis facultas datur audiendi confessiones in ecclesiis vacantibus, in quibus ante vacationem eas audire licebat, 141. c. d. Absolvendi ipsorum ordinem intrantes ab excommunicatione & irregularitate, 144. b. & seq. Ipsis commissa cura monialium ordinis S. Augustini, 446. c. & seq. Ad episcopatus assumti libros ante consecrationem prioribus consignent, 606. d. & seq.
Prædicatorum privilegia episcopi non debent interpretari, 614. d.
Prædicatoribus fratribus quos secum retinebat Simon legatus sedis apostolicæ equitare permissum & ingredi monasteria Virginum, 79. f. Duos fratres episcopo Gabulensi ad consortium concedit Clemens IV. 505. c.
Prædicatoribus ad capitulum generale congregatis scribit Innocentius VI. 936. b.
Prædicatorum & Minorum ordinis comparatio, 314. d. Inter eos contentio de Capuana & Sulmonensi conventu, 451. f. & seq.
Prædicatores Minoribus infesti, 353. e.
Prædicatores & Minores invicem se mordentes arguit Clemens IV, 347. a. 359. c. Prædicatores inquisitores adversus fratres Minores non agant, 348. e. Querelæ de prædicatoribus factæ Clementi IV. occasione sepeliendorum, 397. d.
Fratrum prædicatorum decimas de suo solvi jubet Clemens IV. 413. b.
Prædicatorum breviarium confirmat Clemens IV. 503. b. & seq. Eorum orationibus se commendat, 283. a. 475. b. Ad sedem apostolicam sine magistri licentia non accedant, 287. d. Studium habent Parisiis & Bononiæ, 281. e. Cautelam in recipiendis ad habitum adhibeant, 281. f. Discursus notabiles & familiaritates vitent, 282. a.
Prælatio multum tremenda, 1507. c. Insanus est aut salutem propriam odit, qui ad prælationem voluntarius venit, 1507. b. Monstruosa res est gradus summus & animus infimus, 1783. d. Vilissimus reputandus est cum non excedit sanctitate & scientia qui est honore præstantior, 1783. c. Prælati quidam impudici, 1499. a.
Prælium Beneventanum adversus Manfredum, 284. a. & seq. 287. e. 284. a. & seq. 286. f. 288. a. 290. f. 302.
Prænestini cardinalis proposita coram dominis ducibus & concilio regis Franciæ anno MCCCC. 1126. f.
Prænestinenses episcopi Antonius, 1394. c. 1395. d. G. 1378. d. Guido, 1458. f. Stephanus, 207. c.
Pragensis archiepiscopus Arnestus, 899. c. 980. f. 981. d. 986. c.
Præsidentium integritas salus est subditorum, 803. c.
Prattica Benedicti XIII. tradita ducibus à rege Francorum missis super facto unionis, 1138. a.
Prattica viæ cessionis per regem Francorum & ejus consilium excogitata, 1150. b.
Prattica missa regi Francorum per nuncios regis Castellæ, 1140. a. & seq.
Preces in missa dicendæ adversus hostes Ecclesiæ, 449. a.
Principatum honoris gratia concupiscere vanitas est, 1756. e.
Principes plus exemplo nocent quam peccato. 1772. e.
Principem decet inimicum ad gratiam revertentem cum gratia suscipere, 377. c.
Principibus ut non possint excommunicari privilegium negat Clemens IV. 586. b. & seq.
Privilegia circa interdictum & excommunicationem revocata, 393. d. & seq.
Privilegium regni Siciliæ Carolo regi concessum Simoni cardinali absenti mittitur subscribendum, 238. b.
Processiones pro consolatione Ecclesiæ, 1614. c.
Processus in Ludovicum Bavarum Johannes XXII. publicari jubet, 776. f.
Procurationes legatorum in regno Franciæ temperat Urbanus IV. 81. b.
Prodigalitas nulla pejor, quam sustinere ut à garcionibus & furibus consumantur quæ in usus honestos possent expendi, 408. c.
De propositionibus erroneis circa electionem papæ consultationes theologorum, 1690. f.
Provinciæ comes Carolus cum regina contendit, 129. c. & cum fratre pro limitibus, 129. d.
Prudentia in pontifice commendatur, 1783. e. f.
Psalmodiensis abbas, 498. f.
Puteolana arena, 232. b.

Q

Quintinus Manart ad episcopatum Atrebatensem à papa nominatus rejicitur, 1763. c.

R

Radicofanensibus auxilium promittit Clemens IV. 172. f. Ipsi mentiuntur, 183. f.
Radulphus episcopus Albanensis, 207. c. 368. b. Clementi IV. affectione conjunctus, 365. e. Qui eum hortatur ut in legatione Siciliæ perseveret, 388. c. Peram & baculum peregrinationis S. Ludovico ad iter in Terram-sanctam se paranti tradit, 417. f.
Ragusinus cardinalis judex in causa Johannis de Prussia de hæresi suspecti adversus Jacobum de Suzato, 1710. b.
Raimundus episcopus Elnensis, 987. f. 989. f.
Raimundus episcopus Ruthenensis, 1842. a.
Raimundus episcopus Vivariensis, 611. a.
Raimundus abbas Crassensis, 595. c.
Raimundus abbas S. Victoris Massiliensis, 1071. a.
Raimundus Stephani papæ nuncius, 809. b.
Raimundus *de Lados* procurator generalis ordinis Minorum, 750. b.
Raimundus Alfredi canonicus Aniciensis Clementis IV. nepos, 423. f.
Raimundus de Pennaforti ordinis Prædicatorum, 390. b. f.
Raimundus comes Soleti, 886. d.
Raymundus de Baucio comes Spoleti, 957. f.
Raimundi Bernardi tractatus pro defensione electionis Clementis VII. 1724. b. Oratio ad Cæsarem adversus Urbanum VI. 1120. c.
Raimundus Bertrandus hæreticus, 276. c.
Raimundus de Variaco miles, 611. a.
Rainaldus cardinalis S. Viti, 1274. b. 1313. a. 1367. a. 1368. a. 1395. d.
Rainaldus vir nobilis exsul, 253. c. 326. e.
Rainaldus Callensibus infestus, 294. c.
Rainaldus de Zambrasiis, 921. f. 922. c.
Rainaldus filius Marchionis Estensis de hæresi suspectus, 650. c. 656. e. 663. e. 675. a.
Raphael Johannis XXIII. papæ doctor in concilio Constantiensi, 1613. e.
Ratio ex timore obtenebratur, 1528. c.
Ravennenses archiepiscopi Johannes, 1323. a. Philippus, 569. f.
Reatina civitas à reatu perfidiæ præservanda, 183. f. 184. a.
Reatinam ad sedem transfertur Tiburtinus episcopus, 191. c.
Reatini increpantur quod fusos à Carolo rege Siciliæ hostes apud se receperint, 626. c.
Recanatensibus treuga concedenda, 143. c.
Rectores quales velit Romanus populus, 97. b.
Rectores civitatis Florentinæ quos secum habere debeant, 419. f.
Redemtiones votorum Carolo Andegaviæ comiti regni Siciliæ negotium prosequenti concessæ, 22. c.
Reformatio Ecclesiæ Romanæ, 1680. a. Pontifici commendatur, 1758. c. & seq.
Reformatio Ecclesiæ fieri nequit, nisi tollantur reservationes papales, 1634. d.
Reformatio ecclesiæ in capite & in membris inchoatur, 1641. f. 1647. e. Reformationis articuli à papa oblati in concilio Constantiensi, 1694. d. 1696. b. Missi universitati Coloniensi, 1699. c. Asserere Ecclesiam non posse debite reformari, nisi per subtractionem bonorum temporalium est hæresis Johannis Hus, 1681. e.
Reformatio monasterii S. Ægidii, 325. d. S. Bertini, 238. c. Vizeliacensis, 194. f.
Regalia beneficiorum non habent reges Siciliæ, 16. f.
Regalia in episcopatu Tolosano temere usurpat vicarius comitis Tolosani, 533. d.
Reginaldus episcopus Æduensis, 937. d. 1006. a. 1012. b. 1013. b. 1042. e. Thesaurarius Innocentii VI. papæ, 874. d. 995. b.
Reginaldus de Nantolio electus Belvacensis ad cautelam absolvendus à censuris, 509. b.
Religio non deseritur, sed fovetur, si ex obedientia quis sæculi tumultibus implicetur, 321. e.
Religiones novas multiplicari non probat Clemens IV. 587. b. d.
Religiosis etiam pro Siciliæ negotio decimæ imponendæ, 244. f.
Reliquias regi Castellæ promittit Clemens papa IV. 490. a.
Reliquias falsas Græci venditant, 588. e.
Remensis ecclesia Romanæ carissima, 157. b. Ejus prærogativæ, 1576. c. Eam protexit semper sedes apostolica, 157. d. Ejus querimoniis respondet Clemens IV. 157. d. & seq. In ipsa præbendam postulat papa Clemens pro cardinali S. Marci, 432. d.
Remensis ecclesia decimas pro subsidio Terræ-sanctæ concedere recusat, 523. a.
Remensis archiepiscopus Johannes de *Courtenay*, 449. f. 521. b.
Remensis electus J. 432. d. Arguitur quod pecuniis inhiet, & ecclesiam Remensem obligaverit, 410. a. & seq.
Reservationes papales nisi tollantur nequit fieri Ecclesiæ reformatio, 1634. d.
Reservatio bonorum prælatorum defunctorum per papam damnat Carolus VI. rex Francorum, 1546. b.
Residentia in episcopis commendatur, 1762. d. 1763. e. 1764. b. e. 1765. a. In curatis, 1698. c. In ecclesia Aniciensi, 482. f. Residentiæ dispensatio, 70. b. 76. f.
Restitutiones Carolo Siciliæ regi præscribit Clemens IV. 589. e.
Requesta universitatis Parisiensis ad regem super facto unionis Ecclesiæ, 1135. f.
Rex victorem se potius quam ultorem exhibeat, 515. e. Regiam magnitudinem decet mansuetudo, 914. f. Regis thronus firmatur clementia, 276. f. 515. d. Regum est facere justitiam & oppressos tueri, 360. e. Regis lateri quales debeant adhærere, 252. f. Regum lateribus debent assistere qui ipsa regna sciunt regere, 219. f. Regum consiliarii quales debent esse, 219. f. Regi vitandi adulatores, 252. f. 255. b.
Reges Ecclesiam tueri tenentur, 1548. a. Et requisiti eam defendere, 1424. a. Ac pacificare, 1145. a. b. Non tamen spiritualibus se immiscere debent, 272. a. Extinguendo schismati laborant, 1242. d.
Richardus, S. Angeli cardinalis, 221. c. 222. e. 223. d. Ejus præsentiam desiderat Carolus rex Siciliæ, 215. c. Arguitur, 138. b. & seq. Et ad collegium revocatur, 143. e.
Richardus rex, 553. c.
Richardus in Romanorum regem electus, 27. c. 319. e.

Richardus Casertanus comes, 94. f.
Richardus comes Soranus germanus Innocentii papæ III. 38. d. 236. a.
Richardus Petri sororius cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, 363. d.
Richardus Mustatus Conestabularius Magnæ Societatis, 883. a.
Ripensis episcopus Petrus, 1643. c.
Robertus Gebennensis ante ingressum conclavis ligam facit cum sex cardinalibus, 1082. a. In papam Clementem VII. electus, 1128. f. 1716. f. 1719. b. Qui ipsi adhæserunt, reges, 1717. a. V. Clemens VII.
Robertus imperator Constantinopolitanus, 885. d. 949. f. 950. c. 951 d. 957. a.
Robertus rex Apuliæ, 637.
Robertus rex Siciliæ, 720. b. 722. f. 727. f. 737. b. 749. e. Eum in Tuscia vicarius suum creat Clemens V. 650. e. 674. c.
Robertus comes Attrebatensis, 472. f.
Robertus de *Fienes* comes stabuli copias ducit adversus occupantes villam Spiritus-sancti, 867. b.
Robertus de Maro regni Siciliæ prothonotarius, 400. a.
Robertus de Robertis capitaneus Perusinus & Eugubinorum potestas, 209. e.
Robertus *Cordeler* causa mortis cardinalis S. Angeli, 1492. c.
Robertus Delphini dominus S. Ulpidii, 910. b. 911. b.
Roberti Fransolæ Januensis tractatus pro electione Clementis VII. 1724. a.
Roberti Gislebii Maximiliani Romanorum regis & Philippi Austriæ archiducis oratoris ad sedem apostolicam oratio de episcopatu Tornacensi 1760. a.
Roccæ-arcis castrum Siciliæ inexpugnabile obtinet Carolus rex Siciliæ, 301. a.
Rodericus de Luna, 1732. b. d. 1733. b. c.
Rodigo nepos Petri de Luna, 1670. a.
Rodulfus dux Austriæ, 776. f. 857. e. 944. d. 947. d. 979. b. d. 1013. f. 1072. e. Munera papæ mittit, 911. d. Eum ad faciendam cum Carolo imperatore pacem hortatur Innocentius VI. papa, 984. f. & seq. Qui propterea Ægidium episcopum Vicentinum ad eum mittit, 971. e. 978. e. 979. d. 980. b. Ei gratias agit Innocentius VI. de missis adversus confœderatos in Ecclesiam copiis, 862. e.
Rodulphus dux Saxoniæ, 637. 982. f.
Rodulphus comes Palatinus Rheni, 637.
Roffensis episcopus Vvillelmus 1061. a.
Rogerius prior Vallis-viridis, S. Ludovici regis ad Clementem IV. nuncius, 129. a.
Rogerio Baccon ordinis Minorum librum petit Clemens IV. 358. b.
Rogerius comes Celani, 886. a.
Rogerius comes Fuxensis, 518. f.
Rogerius de S. Severino comes Militensis, 886. b.
Rogerius Bernardus natus comitis Fuxensis, 519. d.
Rogerius nobilis domicellus exsul, 320. a.
Rogerius Grilus de Salerno legum doctor, 992. b.
Rogerius de Pinibus magister hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, 945. c.
Romanæ urbis excellentia, 592. a. Ejus subversionem minitantur hostes sedis apostolicæ, ad ejus defensionem invitatur Carolus Andegaviæ & Provinciæ comes, 122. c. d. 123. c.
Romam repetere optat Innocentius VI. si per valetudinem liceret, 946. d. & seq. Eam armis recuperare cogitat Johannes XXIII. papa, 1433. d.
Romæ dominium & senatoris Urbis electio ad papam pertinet, 27. a.
Romana ecclesia fidei magistra & domina, 92. a. Omnium catholicorum mater, 1207. c. 1570. f. Non domina, 1419. e. Sacerdotii fons, 707. b. Regnum Siciliæ regere debet si rex necdum 18. ætatis annos attigerit, 229. e. Census à rege Siciliæ ipsi solvendus qualis esse debeat, 230. d. Romanam ecclesiam pro Carolo comite Andegaviæ obligat Clemens IV. 126. a. Romanæ ecclesiæ exactiones de beneficiis vacantibus, de fructibus male acquisitis, de procurationibus reservatis carpuntur, 1422. a. & seq.
Romanæ ecclesiæ decor immutatus, 1781. a. Illius reformatio commendatur pontifici, 1758. c. & seq.
Romana curia ab officiis inutilibus purganda, 1759. a.
Romani principes papam convenientes morantur in tentoriis, 445. b.
Romanorum pravi mores, 1504. f. Si se contemtos vident, faciles sunt & ipsi ad contemtum, 123. c. Quales velint rectores, 97. b.
Romanorum rebellio in Capitaneum Urbis, 489. c. Ludovicum Bavarum recipiunt, eique senatoriam dignitatem conferunt, 240. e. & seq. Quem expellere monentur, 741. f. Marsilium de Padua & Johannem de Janduno hæreticos recipiunt, 741. b.
Romanos in civitatibus ecclesiæ Romanæ institutos gubernatores absque licentia sedis apostolicæ revocari jubet Innocentius VI. 929. a. & seq. Romanos laudat Clemens IV. quod Carolum Provinciæ comitem Urbis elegerint defensorem, 106. f.
Romanensis monasterii abbas archiepiscopus Viennensis in cujus electione vocem habent canonici Romanenses, 411. f.
Rossus Marino Venetorum orator ad Gregorium XII. & cardinales, 1411. b.
Rostagnus de Alvernico miles in Ecclesiæ obsequio mortuus, 250. c.
Rostagnus Clementis IV. consanguineus, 301. b.
Rotomagensis ecclesia decimas pro subsidio Terræ sanctæ concedere recusat, 523. a.
Rotomagensis archiepiscopus subsidia Terræ-sanctæ colligere negligit, 7. c.
Rothomagensis archiepiscopus Ludovicus, 1541 c.
Rupertus rex Romanorum, 129. e.
Rupertus dux Heydelbergensis dehortatur Vvinceslaum regem Boemiæ à subtractione obedientiæ domino Bonifacio IX. 1172. f & seq. & à confœderatione cum Gallis, 1174. c.
Ruthenensis episcopus Raymundus, 1042. a.
Ruthenensis episcopus de turpibus insimulatus, 376. a. Ad papam citatur, 376. d.

S

S. Legatus apostolicæ sedis in Marchia Manfredo contrarius, 92. e.
S. ordinis Minorum Urbani IV. ad Manfredum principem Tarentinum nuncius, 91. d.
Sabaudiæ domus nobilis & antiqua, 361. f.
Sabaudiæ comes Benedicto XIII. adhæsit usque ad concilium Pisanum, 1455. e.
Sabiniam invadit Petrus de Vico cum Annibaldensibus, 134. d. sedis apostolicæ jura in Sabinia lacerata, 364. a.
Sabinenses episcopi Ægidius, 864. c. 886. f. 889. f. 897. f. 900. d. 907. b 909. b. d. 921. a. 932. b. e. 934. c. 944. f. 952. f. 970. f. 975. f. 984. d. 987. c. 994. c. 997. c. 999. d. 1068 f. 1069. e. 1070. f. 1072. c. Henricus, 1602. e. Johannes, 1073. b.
Sacerdotes omnes, sive papam, sive episcopos, sive simplices sacerdotes æqualis esse potestatis asserere est hæreticum, 711. a.
Sacerdotes in exercitu christiano existentes ut se gerere debeant, 73. b.
Salis gabellæ origo vitiosa, 406. d.
Salernitanus archiepiscopus commendatur, 110. e.
Salernitanus archiepiscopus Dei & Ecclesiæ inimicus, 391. b.
Salernitanus archiepiscopus C. 960. f.
Salisburgensis archiepiscopus N. nepos regis Bohemiæ, 531. c.
S. Salvatoris de Blavia abbas Elias, 1016. e. 1039. c.
Salutis propriæ amator est qui vetat alienæ mortis incursum, 1240. e.
Sancius episcopus Segobricensis, 1010. f. 1011. a.
Sancius filius regis Aragonum, 388. e. An præficiendus sedi Toletanæ, 389. f. & seq.
Saona à Gallis occupata, 1174. e. Designata ad tractandum de unione Ecclesiæ, 1314. a. & seq. Ejus interim juridictio tradenda duobus contendentibus, 1315. b. 1323. c. Quibus cives fidelitatem promittant, 1315. d. 1323. f. Eam recusat Gregorius XII. ad conveniendum cum Petro de Luna, 1339. c. 1317. c. 1368. d.
Saonensis civitas interdicto supposita, 761. b. Saonenses Minores propter fautoriam Michaelis de Cesana privilegiis privantur, 758. c. & seq. 762. a. & seq.
Saonensis episcopus Innocentius VIII. 1770. e.
Sapheti expugnatio à Saracenis, 419. b. 421. d.
Saraceni ad fidem conversi crudeliter à Fortunio abbate tractati, 360. c.
Saraceni regis Castellæ & Legionis terram invadunt, 144. e.
Sarracenos Marciæ artat Petrus regis Aragonum filius, 210. c.
Saracenis fœdere jungitur Manfredus adversus Ecclesiam, 70. f.
Saraceni Luceriæ Carolo regi Siciliæ rebelles, 576. a. Abbas Cassinensis adversus eos mittitur, 450. e. 451. a. Intrant Siciliam, 525. d. A Caroli regis Siciliæ copiis delentur, 633. a. Ei se subjiciunt, 302. c. Et Luceriam civitatem reddunt, 301. a.
Sardiniæ ingressum meditatur H. regis Castellæ filius, 438. c.
Sarlatensis sedes per sex annos vacat, 1421. e.
S. Saturnini Tolosani annatæ, 1591. c.
S. Savini de Firmo abbas, 627. d.
Scandala non terreant, si causa non detur scandalis, 319. c.
Scandalum utilius permittitur quam veritas relinquatur, 1239. e.
Schisma vitandum, 1237. e. Beatius est subire martyrium ut Ecclesia non scindatur, quam quod idolis non immoletur, 1234. e. Schismati pro posse non obvians fidem negavit, 1203. b.
Schisma quantum malum, 1160. e 1166. b. 1193. e. & seq. 1201. a. 1253. b. Schismatici tyrannis facilius quam principibus æquantur, 1235. a. Schisma superbia nutritum humilitate extinguendum, 1163. e.
Schisma raro sine hæresi 1206. f. Schismaticum inter & hæreticum quid sit discriminis, 1729. b. Schisma antiquum est hæresis, 1248. a.
Schismata varia in Ecclesia, 1744. c.
Schisma pontificum Avenionensium, 1073. a. & seq. Schisma Græcorum introduxit dominandi libido, 1235. c.
Schismatis extinguendi tres viæ, 1162. b. Consilium de modo procedendi ad tollendum schisma, 1391. c. Schismati finem imposuit concilium Constantiense, 1748. e. Schismati semper finem dederunt reges Franciæ, 1294. d.
Schismatici vitandi, 1190. b. & seq.
Scholarum magister in ecclesia Aniciensi fit canonicus, 483. f. Absens ut puniendus, 484. b.
Scripturæ sacræ sensum nullus habere potest, nisi habeat veram fidem in Mediatorem, 1502. a.
Segobricensis episcopus, 1010. f. 1011. a.
Sancius Helias, 1010. f. 1011. e. c.
Seguinus abbas S. Tiberii, 1043. a.
Seguinus de Melgorio cruce-signatus, 495. e.
Seguntinus episcopus Johannes, 997. d.
Sede appostolicâ vacante nihil innovandum, 1599. b.
Sedelocensis urbis incendium, 937. e.
Senatoris Urbis electio ad papam pertinet, 27. a. Senatoris Urbis dignitatem ad vitam dari nolunt Romani pontifices, 27. a. & seq. 28. b. & seq. 30. c. 31. b. 50. a. & seq. Senatores Urbis simul duo confusionem inducunt, 353. c. Senatoriam Urbis dignitatem sibi continuari petit Carolus rex Siciliæ, 324. b. Senatum Urbis sub qua cautione debeat tenere Carolus Andegaviæ comes, 49. c. & seq. Litteras de juramento super negotio Urbis senatus præstito exigit Clemens IV. 117. a. d.
Senensis episcopus, 1526. f.
Senenses mercatores Simoni cardinali commendat Clemens IV. 101. f. & seq. 104. b. Iis pecunias de collecta decima dari mandat, 104. c. Carolo Andegaviæ comiti mutuam

tuum præstans, 126. a. 139. c. Iis mutuatam pecuniam solvi jubet Clemens IV, 149. d. & seq. 168. d. 248. f. 262. b. 269. c.
Senenses à Carolo Siciliæ rege militiam petunt, 268. b. Duo castra Urbevetanis auferunt, 91. c. Qui castris recuperatis Senensium terram devastant. Ibid. Carolo regi Siciliæ pecunias præparant, 273. c.
Senenses perfidi, 514. e. Ecclesiæ adversarii, 513. c. Et Carolo Siciliæ regi, 261. c. Excommunicati, 102. a. 261. c. 544. d. Ad Ecclesiæ sinum redeuntes sub qua forma reconciliandi, 350 b. & seq. Iis annunciatur victoria Bononiensium de Bernabove, 1022. e.
Senonensis ecclesia decimas pro subsidio Terræ-sanctæ concedere recusat, 523. a.
Senonensem archiepiscopum S. Ludovico commendat Clemens IV. 580. b.
Senonensi archiepiscopo G. infirmo cedere volenti pensio assignanda, aut cedere nolenti coadjutor dandus, 424. f. & seq. Assignata ei pensione, 504. b. & seq.
Senonensis archiepiscopus P. 608. a. c.
S. Sepulcri peregrinatio, 1008. f.
Sergius Mahometi nutritor, 1459. f.
Servitia communia papæ & cardinalibus unde debita, 598. d.
Servitus originalis ei non nocet quem gratia commendat, 272. d.
Servotus à Philippo Burgundiæ duce nominatus ad episcopatum Tornacensem præfertur archiepiscopo Narbonensi à rege Francorum nominato, 1762. f.
Servus Dei quantum ædificat Ecclesiam vitæ merito, tantum nocet si destruentibus eam non resistit, 1439. b.
Sessiones concilii Constantiensis, 1619. b. c. 1624. f. 1625. c.
S. Severi abbas præficitur Ecclesiæ de civitate Castelli, 191. d.
Sicardus Alemanni vir nobilis, 142. e.
Siciliæ regnum nobile & divitiis plenum, 327. f. Speciale sedis apostolicæ, 70. e. Ecclesiæ Romanæ singulare peculium, 993. f. A qua illud tenent reges Siciliæ, 18. f. 20. c. d. Illud administrare debet Ecclesia Romana, si rex annos 18. nondum compleverit, 229. e.
Siciliæ regno quinam succedere debeant, 225. b. & seq. In plures non est dividendum, 226. d.
Siciliæ regnum à Friderico rege & ejus filiis attritum, 54. e. & seq. Ejus opulentia impinguati ejus persecutores, 55. a.
Sicilia à prædonibus invaditur, 870. Ab ea provenit omne malum, 49. b. Ejus Angustiis providet Innocentius VI. papa, 992. b. Illud perturbantes à summis pontificibus excommunicatione percelluntur, 958. b. & seq.
Siciliæ negotium cum Carolo comite Provinciæ accelerandum mandat Urbanus IV. 82. Quod fieri non potest sine magnis sumtibus, 119. c. Divinitus traditur Carolo regi, 369. d. Cujus possessionem adipiscendi licentia ei datur, 187. c. Illo investitur, 151. b. Ex mera liberalitate Romani pontificis, 237. c. Ipsi regnum accipienti quæ leges impositæ, 9. f. 19. e. 33. c. 225. b. Siciliæ regnum in manu forti acquisitum, in fortiori conservandum, 369. d. Siciliæ partem amittit rex Carolus, 563. c. Siciliæ pars rebellat duce Frederico regis Castellæ filio, 543. c.
Siciliæ rex qualem censum papæ solvere debeat, 230. d. Palefridum album singulis trienniis dare debet, 231 a. Indigenti ac petenti Romano pontifici milites debet ministrare, 231. e.
Siciliæ rex revocare debet statuta Frederici imperatoris contra libertates Ecclesiæ, 232. c. & seq. Et Ecclesiarum electiones liberas restituere, 234. d.
Siciliæ reges non possunt eligi imperatores, 13. a. 78. e. nisi regno renuntient, 41. d. nec regnum imperio subdere, 14. e. Nec eligi in regem Romanorum aut Lombardorum, 227. e. Nec tenere majorem partem Tusciæ & Lombardiæ, 78. d. e.
Siculis auxilium adversus perversas societates procurat Innocentius VI. 883. f.
Siciliæ regnum Fredericum imperatorem suosque ditabat, 524. e.
Siciliæ regni infeudatio, 220. e. & seq.
Sigillo piscatoris utuntur Summi pontifices in suis litteris secretis, 111. b.
Sigismundus imperator, 1618. c. 1623. c. 1626. d. 1744. f. 1651. d. 1654. d. 1655. e. 1691. e. Ecclesiæ Romanæ præcipuus defensor, 1679. b. e. Ejus pietas, 1633. a. Zelus in concilio Constantiensi, 1612. e. 1619. f. 1620. f. Pro pace inter principes & pro Ecclesia, 1640. b. Properat versus Niciam ad tractandum de pace Ecclesiæ cum rege Aragonum & Petro de Luna, 1640. a. Ipsi Niciam ituro paratæ insidiæ, 1635. b. Occurrit ei dux Sabaudiæ 1641. c. Applicat Narbonam, 1642. d. Appulit Perpinianum, 1647. b. Benedictum XIII. convenit in castro munitissimo b. Confert cum rege Aragonum de statu & pace Ecclesiæ, 1347. c. Præsentata ei schedula ex parte Petri de Luna apud Perpinianum, 1648. e. 1649. d. Responsio finalis ei facta Perpiniani à Petro de Luna, 1648. a. Declinat versus Franciam ad procurandam pacem inter reges Franciæ & Angliæ, 1658. b. Venit Parisios ut de pace inter Franciæ & Angliæ reges tractet, 1662. d. Ei subsidium armorum offert Vladislaus rex Poloniæ, 1652. c. d. Ejus epistola ad B. cardinalem de bello inferendo hæreticis Bohemiæ, 1713. d. Ad Ludovicum Bavariæ ducem, 1659. d. Ad concilium Constantiense, 1656. a. Ferdinandi regis Aragonum ad eum epistolæ, 1643. d. 1644. d. 1645. c.
Sigismundus rex Romanorum 48. Fortalicia ducis Austriæ vi expugnat, 1631. f. 1635. a. Eum tenet sub custodia, 1635. a. Eum in gratiam recipit, 1631. e.
Signinam civitatem officialibus suis restitui jubet papa, 931. e.
Silvanectensis episcopus Johannes, 1551. c. 1552. e. 1559. f. 1564. d. 1568. f. 1585. d. 1584. b. 1606. f.
Silvensis episcopus occisus à Gibellinis, 555. c.
Silviniacensi in monasterio quiescunt sancti Mayolus & Odilo, 453. e.
Simon S. Ceciliæ cardinalis, 526. c. Thesaurarius S. Martini Turonensis, 112. f. Ejus elogium, 158. c. Est honorabile Ecclesiæ membrum, 101. b. Eloquens 59. a. Benedictionis filius 101. b. In Franciam mittitur ab Urbano IV. 60. c. Qui eum commendat episcopis, 62. b. & seq. Ei facultatem testandi tribuit, 53. b. Tabelliones instituendi in sua legatione, 53. d. Absolvendi à censuris quas incurrerant violatores statutorum Gualonis cardinalis, 52. e. Ab irregularitate absolvendi excommunicatos à delegatis à sede apostolica, 63. e. Innodatos irregularitate pro indebita ordinum susceptione, 64. b. Dispensandi ordinandos super ætatis defectu, 64. c. Dispensandi cum clericis super defectu natalium, 65. b. Dispensandi quinque personas ut in quarto consanguinitatis gradu matrimonium possint contrahere, 65. e. Ut quinque ex suis clericis impertiri possit beneficia in Ecclesiis suæ legationis, 66. b. Ut retinere secum possit aliquos ex fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & eis uti prout opportunum viderit, 66. f. Eidem Urbanus IV. permittit concedere indulgentias in diebus dedicationum ecclesiarum Carnotensium, Rotomagensium & Laudunensium, 67. e. Instituere canonicos in cathedralibus & collegiatis Ecclesiis suæ legationis, 67. e. Dispensare cum quinque clericis super pluralitate beneficiorum, 68. e. Clericorum secum defunctorum beneficia aliis conferre, 69. b. Concedere clericis qui secum erant beneficiorum reditus perinde ac si residerent, 70. b. Ei facultas datur convocandi concilium generale in sua legatione, 79. d. Retinendi secum fratres Prædicatores & Minores eisque equitationem permittendi ac ingressum monasteriorum Monialium, 79. f. Censuras in quoslibet exercendi, 80. e. Negotium regni Siciliæ cum Carolo Provinciæ comite retractandum committit Urbanus IV. 74. e. 76. c. Quantos subierit pro regni Siciliæ negotio labores, 87. e. & seq.
Simoni cardinali iterum permittitur dispensare in sua legatione ab irregularitate, 104. f. Ut possit absolvere violantes statuta Gregorii papæ IX. 105. e. Facultas conceditur disponendi de rebus suis, 111. e. Dispensandi à suspensione, 112. b. d. Permittendi quatuor nobilibus feminis semel in anno ingressum monasteriorum ordinis Cisterciensis & S. Claræ, 113. d. Concedendi indulgentias in dedicationibus Ecclesiarum, translationibus reliquiarum, sanctorum festivitatibus, 114. b. Item accedentibus ad concionem ejus, 114. e. Ut cum quinque personis possit dispensare super matrimonio contrahendo in quarto consanguinitatis gradu, 120. b. Ejus legationem per obitum Urbani IV. non expirasse declarat Clemens IV. 121. d. Eidem scribit de angustiis Caroli Siciliæ regis, hortaturque ut pecunias illi quocumque modo quærat, 243. b. & seq. Novam ei in Gallia legationem committit Clemens IV. 472. b. Arguitur quod legationi prædicationem præferat, 416. e. Victoriam à Carolo rege de Manfredo reportatam annunciat Clemens IV. 286. b.
Simon de Cramaudo patriarcha Alexandrinus, 1307. f. 1311. d. 1335. f. 1451. a. 1453. c. 1465. f. 1473. d. Auctor primæ subtractionis, 1521. a. Pro sedando schismate missus in Angliam, &c. 1248. d. Ejus epistola ad archiepiscopum Cantuariensem, 1230. f. Ei commissa custodia civitatis Pisanæ tempore concilii Pisani, 1478. b.
Simon archiepiscopus Cantuariensis, 1060. e.
Simon Archiepiscopus Pisanus, 809. b.
Simon electus Londonensis, 1064. c.
Simon abbas Ferrariensis, 1063. c. 1064. a. Missus à papa ad regem Angliæ, 1059. e. 1060. c. 1061. f.
Simon abbas Gemeticensis deputatus ad concilium Constantiense, 1539. f. 1541.
Simon magister ordinis Prædicatorum, 936. b.
Simon de Torono capellanus Innocentii VI. 850. e. 868. c.
Simon Salvatoris doctor Petri de Luna, 1670. b.
Simon de Bucanigro dux Januensis, 891. c. 909. a. 911. c. 935. a. 1000. b. 1006. b.
Simon Lycestriæ comes, 124. e. 201. b. Apostolicæ sedis in Angliam legato viam præcludit, 247. c. Excommunicatur, ibid. d.
Simon de *Rali* miles, 384. d.
Simonia an sit in annatarum solutione, 1601. e.
Sixtus papa concilio se submisit, 1212. a.
Sixtus IV. papa, 1763. d. 1710. d. e. 1771. b. 1777. e.
Soldanus Ægypti Cæsarea eversa capto Azoto Terram-sanctam occupat, 170. d.
Soldanus Babiloniæ Christianitatis hostis, 435. d. Ejus superbia, 471 e. In Terram-sanctam irrumpit, 392. e. Eamque devastat, 439. e.
S. Sophiæ Beneventanus abbas Guillelmus, 1044. b. 1047 a.
Soranus episcopus Petrus Romani, 465. e.
Sordellus miles, 406. f.
Spirensis episcopus in concilio Constantiensi, 1612. d.
Spirensis episcopus Emocho, 696. d. & seq.
Sancti Spiritus castrum à perversis societatibus Ecclesiæ adversariis occupatum, 848. f. 851. d. 853. a. 854. d. 858. c. 867. e. Adversus eos principes ad arma arripienda excitat Innocentius VI. 848. c. & seq. Et varias civitates, 854. a.
Spoletanus episcopus missus ad sedandam Urbis rebellionem in suum capitaneum, 489. c.
Squilliacensis episcopus, 401.
Status tres Provinciæ Aquis congregati pro restitutione obedientiæ Benedicto XIII. 1264. d.
Statuta pro monasteriis Galliæ condiderunt Gregorius IX. & Guala cardinalis, 105. b.
Stephanus III. papa ordinationes factas à Constantino intruso reprobat, 1233. c.

Stephanus episcopus Dolensis, 1550. a. 1558. b. 1606. f.
Stephanus episcopus Prænestinus, 207. c.
Stephanus abbas S. Victoris Massiliensis, 891. a.
Stephanus prior S. Leonardi 969. d.
Stephanus Maco prior Mediolanensis ordinis Carthusiensis generalis, 1435. f.
Stephanus de Tegula ordinis Minorum baccalaureus, 883. a. d.
Stephanus de Vice-comitibus, 754. c.
Sterilitas nimia, 888. d.
Strigoniensis archiepiscopus in Hungaria, 1663. c.
Strigoniensis archiepiscopus Johannes, 1652. d.
Subdiaconi suo non servientes in officio puniendi, 482. c.
Subtractio obedientiæ Petro de Luna per reges sibi adhærentes, 1654. b. 1657. b. 1659. b.
Subtractionis tempore quid observandum circa absolutionem peccatorum reservatorum, 1398. f. Circa dispensationes, 1399. c. Circa administrationem justitiæ in appellationibus & aliis, 1401 d. Circa distributionem beneficiorum, 1401. b. Quomodo inscripta instrumenta, 1154. f.
Subtractionem à Benedicto XIII. factam à Gallis improbat Bonifacius Ferrerii, 1443. b. & seq.
Subtractionem ab obedientia Benedicti recusant regna Aragonum, Navarræ, Scotiæ & Cypri & Sabaudi, 1194. d.
Successio in regno Siciliæ, 78. b.
Sueviæ dux Guidinus A lislanus, 156. d.
Superpellicium in ecclesia Aniciensi quibus dandum, 483. d. Quibus datur fidelitatis juramentum præstent, 483. e.
Superborum corda frangit Dominus, 299. d.
Surentinus episcopus P. de Corneliaco, 578. b.
Sutrinam civitatem recuperat vicarius Urbis, 81 f. 82. f.
Symmacus papa, 710. a. 1246. a. b.

T

TAbernæ clericis, prohibitæ, 485. d.
Tadæus comes Feltrensis Ecclesiæ fidelis, 614. b. Pacem Ariminensi civitati procurat, 216. f. Ei Clemens IV. annuntiat Caroli regis victoriam de Corradino, 627. a.
Talliæ Ecclesiis, monasteriis & clericis non imponendæ, 235. d.
Tancredus miles, 149. f.
Tancredus de Scharlino familiaris ac nuncius Carolo comiti Andegaviæ & Provinciæ, 103. c.
Tarentasiensis archiepiscopus notatur quod Philippum in regem Romanorum coronaverit, 497. e.
Tarentinus episcopus Petrus, 1044. b.
Tarraconensis archiepiscopi electio differenda, 1605. c. Clemens IV. Tarraconenses canonicos, ut securius procedant ad electionem archiepiscopi, à censuris absolvit, 605. e. Eis datur facultas eligendi archiepiscopum, 607. d.
Tarraconensis archiepiscopus B. 607. b.
Tartarorum princeps Elchani Apacha factus christianus, 517. c. & seq.
Taxa annatarum seu vacantiarum quanta, 1198. a.
Templarii in Francia pro Carolo Siciliæ rege domos suas obligant, 534. b.
Tentationes tamquam summi regis nuncii excipiendæ, 563. a.
Terisia regina Aragonum, 277. d. 449. c.
Terra viluit his qui cælum animo concupiscunt, 275. d.
Terræ sanctæ negotium, 577. Suscipiunt reges Franciæ & Navarræ, 517. f. Illud S. Ludovico commendat Clemens IV. 426. d. Quod maxime vacillat, 153. f.
Terræ sanctæ angustiæ, 611. d. Grave dispendium, 419. b. 422. d. Status deflendus, 335. e. 434. f. & seq. 439. c. 492. c. Peccatis christianorum adscriptus, 571. d. Illius pericula Clementem IV. angunt, 327. e. Qui fidelium illam incolentium animos erigit, 169. c.
Terræ-sanctæ subsidium, 424. c. Prosequendum, 312. e. Pro quo crux prædicanda, 379. c. & seq. Ei subvenire laborat Urbanus IV. 6. c. & seq. 7. a. & seq. 8. d. & seq. 47. b. 48. c. Qui ad hoc opus centesimam redituum ecclesiasticorum concedit 6. a. & seq. 126. e. Ei operi intendit Clemens IV. 341. b. & seq. Collectæ in Terræ sanctæ subsidium ad nutum regis Franciæ distribuendæ, 420. b. Quod tamen est inutile nisi vitia deserantur, 440. b.
Terræ sanctæ iter in Oliverio de Terminis laudat Clemens IV. 147. b.
Teutonici apud Sutrinam civitatem debellati, 81. f. 83. a. Mutuum difficile solvunt, 133. c. Eos è Tuscia ejici jubet Clemens IV. 352. a. 437. e. Sed maxime Florentia, 418. d.
Theanensis episcopus Johannes Mucii, 1048. e.
Theobaldus abbas S. Genovefæ ad sedem apostolicam mortuus, 321. e.
Theobaldus dictus Saracenus ab episcopatu removendus, 448. b.
Theobaldus rex Navarræ, 612. b. 631. a. Cruce-signatus, 490. d. 492. f. Decimas proventuum ecclesiasticorum regni Navarræ ei concedit Clemens IV. 490. e. f. 493. a. Eum sub sua protectione sumit sedes apostolica, 491. d. Eidem commendatur Trecensis S. Urbani ecclesia, 208. Eidem etiam Felicium abbatem Cellensem commendat Urbanus IV. 1. b. & seq. Et electum Pampelonensem Clemens IV. 581. e. Eidem scribit Clemens IV. ut Sarracenis quibusdam injuste ablata restitui faciat, 360. b. & seq. Ejus exsequias in omnibus Hispaniæ ecclesiis celebrari mandat Urbanus IV. 1. a. & seq.
Theodericus archiepiscopus Magdeburgensis, 1005. e.
Theodericus episcopus Mindensis, 982. d. 986. d. Translatus ad archiepiscopatum Magdeburgensem, 1000. d. 1003. e. 1004. d.
Theodericus de Monasterio orator Universitatis Coloniensis ad concilium Constantiense, 1610. c. 1612. b. f. 1678. d.
S. Theodori de Trebis abbas Bartholomæus, 583. c.
Theodorus vicarius ordinis fratrum Prædicatorum, 1611. e.
Theodosius imperator, 709. e. 710. a. c.
Theopoli proditor Ecclesiæ & regis Siciliæ, 467. c. d.
Theresia regina Aragonum, 277. d. 449. c.
Tholonensis, episcopus Vitalis, 1550. b. 1558. b. 1576. c.
Thomas de Sarsona factus papa Nicolaus V. 1752. c.
S. Thomas Cantuariæ archiepiscopus, 1248. f.
Thomas episcopus Carleolensis, 1395. b.
Thomas episcopus Dunelmensis, 1060. f.
Thomas episcopus Eliensis, 1065. e. Ejus processus adversus quosdam prælatos suspendit Innocentius VI. papa, 1026. c.
Thomas de Aquino ordinis Prædicatorum, 505. c.
Thomas de Spina Missus à papa Romano ad Benedictum XIII. Avenionem, 1181. a.
Thomas comes Acerrarum, 94. f.
Thomasius comes Cereti, 886. b.
Thomas comes Vvarvici, 1161. b.
Thomas de Cociaco vir famosæ bonitatis Ecclesiæ & Carolo Siciliæ regi addictus, 366. e. Ei ad Terræ sanctæ defensionem se paranti pecuniarum subsidium conferri mandat Clemens IV. 366. f. & seq.
Thomasius de S. Severino, 886. b. c.
Thomasius rector civitatis Bononiensis fundit copias Bernabovis, 1023. a.
S. Tiberii abbas Seguinus 1043. a.
Tiburtinus episcopus ad Reatinam Ecclesiam transfertur, 191. c.
Tiburtinæ civitati insidianti Manfredo occurrendum, 160. c.
Timendum nihil præter Deum aut propter Deum, 274. d.
Timoratus homo qui singulariter Deum timet, 274. d.
Timotheus Zagabriensis episcopus ab Urbano IV. institutus & à Bela, rege Hungariæ rejectus, 271. f. Ob originis vilitatem, 272. c.
Toletani archiepiscopi acta super facto schismatis, 1099. a. In regnum Portugalliæ properat, 1100. d.
Toletanæ ecclesiæ provisio, 303. c.
Toletanus electus S. de variis increpatus delictis, 430. c. & seq.
Toletanæ ecclesiæ pro desiderio regis Castellæ providere recusat Clemens IV. 194. b.
Toletanæ sedi an præficiendus Sancius Aragonum regis filius, 390. a. & seq.
Toloniensis episcopus Vitalis, 1555. d. 1606. f.
Tholosanus episcopus de variis accusatus criminibus, 404. e.
Tolosanum episcopum nullo servato juris ordine excommunicat archiepiscopus Narbonensis, 167. f.
Tolosani episcopi domus deprædata, 533. c.
Tolosanus episcopus R. infamatus testes pro sua defensione audiri postulat, 433. a. & seq.
Tolosano comiti decimam pro negotio Terræ-sanctæ dare recusat, Clemens IV. 291. c. 427. b. Eum comitatu Melgoriensi privat Innocentius, IV. 402. a.
Tolosani comitis vicarius excommunicatus ob deprædatam episcopi Tolosani domum, 533. f.
Tonsuram monasterii sui manumissis conferendi facultas concessa abbati S. Dionysii, 601. e.
Tornacenses episcopi A. cardinalis S. Anastasiæ, 1764. 1765. e. Fredericus cardinalis, 1763. d. Guillelmus, 1762. f. Johannes Monisardus, 1763. d. Servotus, 1762. f.
Tornacensi episcopatui apud sedem apostolicam vacanti non posse provideri nisi de nominato à se contendit Philippus dux Burgundiæ, 1762. a.
Tornacensis diocesis ecclesiæ decimas solvunt pro negotio Siciliæ, 122. a.
Tornacensis civitas juris imperialis, 1762. e.
Toroneti abbas Bertrandus, 1007. b. 1051. f.
Toscanenses à Petro de Vico devicti, 83. c.
Tractata cum Benedicto XIII. & cardinalibus de unione Ecclesiæ per regis oratores, 1320. d. & seq.
Tranensis episcopus Remensis canonicus, 455. e.
Trecensi episcopo pecuniam mittit Urbanus IV. ad fundationem sui anniversarii in Cathedrali, in collegiata S. Stephani; in B. Mariæ ad moniales & B. Mariæ de Pratis ecclesiis, 29. a. & seq.
Trecenses B. Mariæ moniales benedictionem cimiterii canonicorum S. Urbani impediunt, 616. f.
Trecensis ecclesiæ S. Urbani fundatio, 284. b. & seq. Ecclesiæ Romanæ sumtibus facta, 204. c. In solo paternæ domus Urbani IV. ibid, 209. Ecclesiæ Romanæ subjecta, 204. e. 209. a. Pro XII. canonicis, 204. a. Theobaldo regi Navarræ commendatur, 208. c.
Trevirenses archiepiscopi Balduinus, 637. Henricus de multis accusatus, 549. f.
Tudertinus episcopus Antonius, 1323. a.
Tudertinis favet Clemens IV. 162. c.
Tullensis episcopus Guillelmus translatus ad episcopatum Tornacensem, 1763. b.
Turcæ Teucri potius dicendi quam Turci, 1159. e. Eorum mores, 1159. f. 1788. c. d. Eorum depopulationes, 1788. f. 1989. a. Hungariam devastant, 1632. f 1652. b. Inde recedunt, 1941. a. Iis se opponunt Christiani, 1784. a. De his victoriam reportant Hungari, 1665. f.
Turonensis archiepiscopi Jacobi epistola ad concilium Constantiense, 1655. d. 1657. a.
Tuscanorum paupertas, 163. d.

Tusciæ paciarius constituitur Carolus rex Siciliæ, 512. d.
Tusciæ comitem S. ad regis Siciliæ partes tuendas hortatur Clemens IV. 500. d.
Tusciæ majorem partem non possunt tenere reges Siciliæ, 78. d.
Tusculani episcopi Ægidius, 1073. b. Bertrandus, 750. b. 757. c. 760. f. 783. b. Guillelmus, 1009. c.
Tyrellus Mansella miles Salernitanus, 912. f. 913. f.
Tyrensis archiepiscopus, 421. c.
Tyrensi archiepiscopo collectio centesimæ pro subsidio Terræ-sanctæ committitur, 126. e. Procurationes in ecclesiis & monasteriis Franciæ accipere prohibetur, 81. b. & seq. Ei permittitur se ad suam Ecclesiam recipere, 313. f.
Tyrensis archiepiscopus Ægidius, 355. b. 381. d. 383. e. 387. c.

V

Valdassarus abbas S. Michaelis de Passignano, 1395. b.
Valentinensem episcopum de sua Ecclesia sancte administranda monet Clemens IV. 500. f. & seq.
Valentinenses electi Ludovicus, 84. b. c. 872. f. 873. a. 874. e. Philippus à Sabaudia, 461. f.
Valentinenses in Hispania episcopi Hugo, 1011. a. Vitalis, 1011. c.
Valentinense in Hispania capitulum ab excommunicationis & suspensionis sententia absolvitur, 1010. f. & seq.
Valentinensis populi levitas, 502. a.
Vasionensis ecclesia paupertatis onere gravata à ballivis comitis Tolosani oppressa, 305. c.
Vaurensis episcopi Johannes, 1550. b. c. 1551. b. 1558. a. 1559. f. 1575. b. 1606. f. Petrus, 1432. e.
Ubertus cardinalis S. Eustachii, 207. e.
Ubertus Pelavicinus Marchio Manfredi principis quondam Tarentini socius, homo pestilens, 279. b. Ecclesiæ adversarius, 56. c. Et persecutor, 94. e. Etiam ecclesiæ Mediolanensi infestus, 335. a. Citatur ad Clementem IV. papam, 279. c. De hæresi judicatur suspectus, 279. e. Ecclesiæ reconciliari quærit, 319. e.
Ucetiensis episcopus Bertrandus, 329. f. 331. c. Præpositus R. 331 c. Sententia super collatione beneficiorum in ecclesia Ucetiensi, 329. b. & seq.
Velascus episcopus Famagustanus, 191. c.
Velletrensis episcopus Henricus, 207. c.
Venaisinus comitatus à perversis confœderatis deprædatur, 858. d. 860 d. 938. e. 966. b. 1183. b. Recedit à Benedicti XIII. obedientia, 1489. d. Illius gubernator instituitur Ferdinandus de Eredia Castellanus Impostæ, 954. f.
Venaisini decimas offerunt Carolo Provinciæ comiti, 120. e. f.
Venaisini capitaneus interfectus, 1461. b.
Veneris suggerentibus Turci inferunt Hungariæ damna, 1636. f.
Venetos ad subsidium Terræ-sanctæ hortatur Clemens IV. 439. e. Eorum naves in Calabria naufragium passas reddi jubet, 573. c. Ipsis naves mercibus onustas Alexandriam & in terras Sodano subjectas transvehere permittit Innocentius VI. 953. f. & seq.
Venetorum oratoribus data responsio à cardinalibus super sedando schismate, 1411. a.
Verbum Dei non otiose seminatur, 358. d.
Verbis duris in peccantes uti non est detractio sed cautio & instructio, 1503. d. 1504. b.
Vercellensis episcopus Johannes, 892. e. 919. c. 934. e.
Vercellensis episcopus absolvitur ab irregularitate, 538. e.
Verdensis episcopus in concilio Constantiensi, 1550. c. 1551. a.
Veritas est scandalum insanis magistris, 1505. e. Pro veritate melius est pati supplicium quam pro adulatione beneficium, 1234. b.
Veronensis electus Manfredus, 609. b. 622. a. 629. b. In armis strenuus, 151. b. Ejus elogium, 99. d. Ei committitur Ecclesiæ defensio adversus Manfredum principem Tarentinum, 99. e. Ab eo capitur, 99. f. In Apuliam ducitur, 84. f. Ejus in carcere patientia laudatur, 150. d. Eum benigne tractat Manfredus, 93. f. Pro ejus liberatione scribit Clemens IV. ad regem Aragonum, 100. Quo agente à vinculis absolvitur, 192. b.
Veronensis electus O. 593. a.
Veronica, 592. d.
Verulanenses ne gubernatores ex Romanis accipiant absque officialium suorum consensu vetat Innocentius VI. 930. d.
Vexillum de hostibus reportatum Clementi IV. Mittit Jacobus rex Aragonum, 362. c. Per vexillum regno Siciliæ investitur rex Carolus, 187. c. 222. a. 224. e.
Vicariatum imperii in Italia usurpantes excommunicantur, 642. d. & seq.
Vicarius Urbis arguitur de commissis excessibus, 107. e.
S. Victoris Massiliensis abbates Raimundus, 1071. a. Stephanus, 891. a.
S. Victoris monachis sua castra restitui curat Clemens IV. 406. d.
Victoriæ abbas in concilio Constantiensi, 1554. f.
Victualia ab Urbe non prohibenda, 632. d.
Vici obsidio soluta, 81. f. 83. b.
Viduitatis statum Ermengaudo de Melgorio militi suadet Clemens IV. 239. f.
Vicentinus episcopus Ægidius, 970. a. 971. e. 973. a. 974. f. 977. d. 978. 979. d. 980. c. 981. c. 985. c. 990. a. 1005. b. 1012. c. 1014. a. Ei subsidium adversus hostes Ecclesiæ petit Innocentius, 1018. e.
Vicentinum episcopum ut in episcopatu perseveret hortatur Clemens IV. 358. d.
Viennensis archiepiscopus Guido de Alvernia, 527. b. Postulatur, 411. d. Ejus postulatio retardatur, 452. d. & seq.
Viennensis decanus Philippus electus Lugdunensis, 411. d.
Villæ-lupæ abbas in concilio Constantiensi, 1552. e.
S. Vincentius Ferrerii, 1485. b. Frater Bonifacii prioris Cartusiæ, 1435. f. Benedictum XIII. verum papam prædicat, 1526. d. Ejus tractatus pro defensione electionis Clementis VII. 1724. b. Processum adversus eum comburi facit Benedictus XIII. 1182. a. Cujus fuit confessor & favere schismati insimulatus, 1181. f. & seq. 1182. c. Ejus hortatu rex Aragonum regum ultimus obedientiam negat Benedicto XIII. 1436. c.
Vindocinensis comes B. 619. b.
Vintoniensis episcopus Guillelmus, 1060. f. 1065. c.
Vi vel timore aut impressione acta effectum non habent, 1446. e.
Visitare Ecclesias suas singulis annis debent prælati, 1545. f.
Vitalis episcopus Tholonensis, 1550. b. 1558. b. 1576. c. 1606. f. Præest congregationibus nationis Gallicanæ in concilio Constantiensi, 1555. d.
Vitalis episcopus Valentinus, 1011. c.
Vitterbiensium subterfugia, 163. d.
Vitterbienses cum mansuetudine tractandi, 185. e. Inquisitionem hæreticæ pravitatis ægre tolerant, 191. c.
Vivariensis cardinalis, 1459. d.
Vivarienses episcopi ad imperium pertinent, 611. a.
Vivariensis episcopus Raymundus, 611. a.
Vizeliacense monasterium hortus deliciarum & paradisus Domini, 194 f. Eidem debitorum onere gravato succurri mandat Clemens IV. 194. e. & seq.
Vladislaus rex Poloniæ, 1711. a. Sigismundo imperatori subsidium armorum offert adversus Turcas, 1652. c. d. Ejus epistola ad concilium Constantiense, 1650. e. Cracoviensem universitatem instituit, 1753. e.
Ulricus comes de Lundolbe, 689. e. 691. d.
Ungherus miles Ariminensis vincit copias Bernabovis, 1623. d.
Unionis utilitas, 1165. c.
Unio in Ecclesia constat in tribus, 1165. d.
Uniones episcopatuum etiam tenuium Clementi IV. displicent, 448. b.
Universitatis Coloniensis oratorum ad concilium Constantiense directorum epistolæ, 1609. f.
Universitati Coloniensi scribit concilium Constantiense de fuga Johannis XXIII. papæ, 1626. f. V. Coloniensis Universitas.
Universitas Parisiensis ceterarum universitatum mater, 1751. d.
Universitas Parisiensis doctorum virorum fœcunda, 1290. d. 1424. e. Ab ea derivat universitas Cracoviensis, 1751. e. 1752. f. Quæ eam consulit an præstanda sit Nicolao papæ obedientia, 1751. d. & seq.
Universitatis Parisiensis litteræ quibus Clementis VII. electionem solam canonicam approbat & declarat, 1722. c. 1723. d. Eam ad schismatis extirpationem hortatur Philippus de Alenconio, 1135. a. Vias ad extinguendum schisma excogitat, 1167. a. Ejus requesta ad regem Francorum super facto unionis, 1135. f.
Universitati Parisiensi scribit Aquileiensis cardinalis de electione Gregorii XII. 1288. Item cardinalis Leodiensis, 1291. b. Item cardinalis de Tureio, 1292. b. Ipse etiam Gregorius XII. ei scribit de sua electione & proposito renunciandi pontificatui ad sedandum schima, 1276 e. Ipsius appellatio à Benedicto XIII. anno MCCCVI. 1295. A sermonibus & lectionibus cessat per decem hebdomadas propter vexationes Benedicti XIII. 1302. d. Scribit concilio Constantiensi, 1632. d.
Unitas. Melius est unus pereat quam unitas, 1237. b.
Votum intrandi religionem in ætate non legitima factum relaxatur, 395. d.
Votorum mutatio 54[illegible]. a.
Votorum redemtiones Carolo Adegaviæ comiti regni Siciliæ negotium prosequenti concessæ, 22. c.
S. Urbani Trecensis fundatio, 204. Illius cimiterii benedictionem impediunt moniales B. Mariæ, 616. f. Hanc ecclesiam Theobaldo regi commendat papa Clemens IV. 208. e. Ipsi facultas acquirendi possessiones tribuenda, 431. b. & seq.
Urbanus IV. Trecis natus, 4. c. Baptizatus in ecclesia Trecensi B. Mariæ ad moniales, 29. c. Puer conversatus in ecclesia Trecensi S. Stephani, 29. b. Ejus mater sepulta in ecclesia B. Mariæ de Pratis, 29. c. Die festo S. Urbani electus, 4. b. Ecclesiam in honore S. Urbani in domo paterna ædificare cogitat, 4. d. Idque exemplo S. Gregorii & Gregorii IX. 5. a. Anniversarium fundat in cathedrali Trecensi, in collegiata S. Stephani, in ecclesiis B. Mariæ ad Moniales & B. Mariæ de Pratis, 29. a. & seq.
Urbanus IV. Henricum regem Angliæ & Eadmundum ejus filium citat, 52. a. Ejus cum Theobaldo rege Navarræ consuetudo, 631. c. Ad procurandum Carolo comiti Andegaviæ regnum Siciliæ quanta fecerit, 82. c. 87. a. Summam ducentarum millium librarum ad procurandum Caroli comitis Provinciæ & Andegaviæ in Italiam adventum expendit, 85. e. Approbat additiones à Carolo comite Andegaviæ & Provinciæ factas conditionibus super negotio Siciliæ ei propositis, 33. c. & seq. Laudat Simonis cardinalis prudentiam in tractando regni Siciliæ negotio, 88. b. & seq.
Urbanus IV. centesimam proventuum ecclesiasticorum jubet colligi pro subsidio Terræ-sanctæ, 126. 157. f. 389. d. Gallicanam ecclesiam scandalizare vitat, 89. f.
Urbanum IV. capere meditatur Manfredus, 85. b. Et ei vitam veneno auferre tentat, 86. e. Litteris suis Manfredum hortatur ad resipiscentiam, 90. b. & seq.
Urbanus papa IV. Ecclesiæ defensionem in Marchia committit Veronensi electo, 99. e.
Urbanus VI. electus ab omnibus cardinalibus, 1103. c. e. 1112. c. Ejus electio quomodo facta, 1113. b. & seq. 1120. f. Romani mor-

tem minantur cardinalibus nisi eligant papam Romanum, 1096. c. & seq. Portas conclavis fregerunt per vim, 1096. e. Conclave armati intrant, 1097. c. Urbani VI. intronizatio, 1097 d. f. 1102. e. 1107. b. A Romanis factas sacro Collegio injurias remittit, 1097. f Castrum S. Angeli repetit & sibi denegatur nisi accedat omnium cardinalium consensus, 1074. a. Post suam electionem rogatus à cardinalibus Urbe exire recusavit, 1095. e. f. Consilia varia Romanorum ad habendum papam Romanum, 1096. b. Renitentibus cardinalibus, 1096. c. Variæ sententiæ de electione Urbani VI. 1101. b. & seq. Rationes pro defensione electionis Urbani papæ VI. 1155. a. & seq. Eum per impressionem electum fuisse non usquequaque certum est, 1157. a. & seq. Propensio cardinalium ante conclave fuit eligere in papam Bartholomæum Barensem, 1084. c. Ejus electio à cardinalibus morientibus vera afferta, 1090. c. Gratias & beneficia ab eo petunt, 1090. e. Eum verum papam multi agnoscunt, 1115. e. 1119. b. Urbano qui obediant principes, 1091. f. 1092. a. 1158. e. Eum agnoscunt viri sancti, 1092. d.

Urbanum VI. respuunt cardinales propter ejus austeritatem, malentes esse schismatici quam Martyres, 1090 b. Ejus electionem reprobat universitas Parisiensis, 1722. f. 1723. f. Sermo in depositione Urbani quondam Barensis archiepicopi, 1075. b.

Urbevetanus episcopus Pontius, 1001. f.

Urbevetanus electus Johannes, 1045. d. 1046. b.

Urbevetanam civitatem obsidere meditatur Manfredus, 85. c.

Urbevetanorum angustiæ, 163. d. Eis duo castra offerunt Senenses, 191. c. Quibus recuperatis Senensium terram devastant, 191. c. Interdictum in Urbevetanos suspensum in festo assumtionis & octo dies sequentes, 394. f.

Urbinatibus bellum non inferendum, 162. e. Ipsos ad satisfactionem hortatur Clemens IV. 163. b.

Urbinates stratas reddunt suspectas, 416. c.

Urgellensi episcopo adversus hostes Ecclesiæ pecuniarium subsidium petit Innocentius VI. 1018. d.

Ursicampi abbas in concilio Constantiensi, 1552. e.

Usurariorum filii in Ecclesia non promovendi, 181. f.

Uticensis ecclesiæ Beneficia quomodo conferantur, 474. c. d.

Vvalterius miles capitaneus Magnæ Societatis, 882. f.

Vvenceslaum Boëmiæ regem à subtrahenda Bonifacio IX. obedientia dehortatur Rupertus dux Heydelbergensis, 1172. f. & seq. Et à confœderatione cum Gallis, 117 c.

Vvenceslaus rex Romanorum Urbanum VI. papam agnoscit, 1061.

Vvestm [illegible] sis abbas Guillelmus, 1395. b.

Vvigorniensis episcopus ad papam citandus, 248. c. Ejus absolutionem sibi reservat Clemens IV. 201. b. Ei nul [illegible] atia facienda, 241. a.

Vvigorniensis episcopus Nicolaus, 778. c.

Vvillelmus episcopus Maragaensis à Gregorio XI. consecratus, 1128. d.

Vvillelmus electus Hierosolymitanus, 8. b.

Vvillelmus electus Roffensis, 1061. a.

Vvillelmus abbas S. Petri de Cella Trecensi abdicat dignitatem, 2. e.

Vvillelmus de Horborem nuncius in Bremensi provincia, 1055. b.

Vvintoniensis episcopus ad papam citandus, 248. c.

Vvintonienses episcopi Johannes multa agit inordinate, 415. d. J. 578. e. Nicolaus, 578. c. e.

Vvintoniensis ecclesia cathedralis à monachis Benedictinis possessa, 413. f

Vvytoldus dux Lituaniæ, 1653. f. 1713. e.

Vulteranus electus, 1028. f.

Vulteranus capellanus papæ 544. f.

Vvoldemarus rex Daciæ, 1055. d.

Vvolmarus marchio Brandeburgensis, 637. c.

Vvormatiensis episcopus in concilio Constantiensi, 1612. c.

X

Xantonensis episcopus Gallardus, 878. d. 879. b.

Xantonensis electus in curia Romana defunctus, 990. d.

Xantonensis electus Gaufridus, 1433. b.

Y

Ysnardus Hugolinus vicarius regis Siciliæ in civitate Florentina, 602. a. 610. b.

Z

Zegabriensis episcopus Timotheus, 171. f.

Zelus debet esse rectus, 1518. d.

Zenobius de Florentia papæ capellanus & secretarius, 891. f. 924. a.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 16. f. per feudis *lege* pro feudis. *pag.* 81. c. sedes *leg.* sedis. *pag.* 91. bonitates *leg.* bonitatis. *pag.* 138. d. docentes *leg.* dolentes. *pag.* 144. e. conventum *leg.* proventum. *pag.* 146. d. auxiliis *leg.* auxilio. *pag.* 150. ille placuit *leg.* illi placuit. *pag.* 164. b. ver cellarum *leg.* vel cellarum. *pag.* 181. a. Reatæ *leg.* Reate. *pag.* 213. b. episcopa *leg.* epistola. *pag.* 232. b. avenam *leg.* arenam. *pag.* 250. c. clamoe *leg.* clamor. *pag.* 263. suis instruendum *leg.* tuis instruendum. *pag.* 264. de voluntate tuæ *leg.* de voluntate tua. *pag.* 280. *lin. ultima*, anno primo *leg.* anno secundo. *pag.* 299. f. provide *leg.* proinde. *pag.* 311. a. diacono *leg.* presbytero. *pag.* 313. f. anxit *leg.* auxit. *pag.* 326. b. de tuis *leg.* te tuis. *pag.* 372. d. Siciliæ *leg.* Franciæ. *pag.* 375. Petri Raimbaldi *leg.* Petro Raimbaldi. *pag.* 431. Fredicum *leg.* Fredericum. *pag.* 536. a. commitissæ *leg.* comitissæ. *pag.* 544. c. ab eos *leg.* ab eo. *pag.* 553. *in margine*, consecrante episcopo *leg.* consecranti altari. *pag.* 559. b. non dixisse *leg.* nos dixisse. *pag.* 574. d. obsequentium *leg.* obloquentium. *pag.* 597. e. audins *leg.* audies. *pag.* 611. f. al. F. omnibus *leg.* f. omnibus *pag.* 623. d. reserare *leg.* resecare. *pag.* 626. b. XVIII. *leg.* VIII. *pag.* 806. *ante Johannis papa bullam appone hunc titulum*, Bulla de resipiscentia Petri de Corvaria. *pag.* 912. e. comitissam *leg.* ducissam. *pag.* 913. c. ad non *leg.* ad eum. *pag.* 983. d. viginta *leg.* viginti. *pag.* 1114. e. prima, non cassata, *leg.* prima non cassata. *pag.* 1116. c. nutu mortis *leg.* metu mortis. *pag.* 1129. a. testate *leg.* testati. *pag.* 1134. a. papæ VIII. *leg.* papæ XIII. *pag.* 1194. e. faciet ruere *leg.* facient ruere. *pag.* 1212. e. bonis & dictis *leg.* scriptis & dictis. *pag.* 1215. a. salvare posset *leg.* salvari posset. *pag.* 1242. b. si quid nostrum *leg.* si quis nostrum. *pag.* 1334. a. parts *leg.* pactes. *pag.* 1342. e. f. conclusionem *leg.* collusionem. *pag.* 1343. a. conclusionis *leg.* collusionis. *pag.* 1358. Louveront *leg.* loüeront. *pag.* 1375. f. Landensis *leg.* Laudensis. *pag.* 1464. inducti de rubeo croceoque *leg.* induti de rubeo coccoque. *pag.* 1477. a. tant *leg.* extant. *Ibid.* e. delibtra *leg.* deliberati. *pag.* 1480. c. Berrensis *leg.* Barrensis. *pag.* 1490. sespondent *leg.* respondent. *pag.* 1500. e. Doni *leg.* Domini. *pag.* 1512. b. videris *leg.* videtis.

